IN
T. LIVII PATAVINI
HISTORICORVM
PRINCIPIS,
OPERA,

OBSERVATIONES EMENDATIONES
Animaduerſiones, Annotationes, &c.

LAVRENTII VALLÆ
M. ANTONII SABELLICI
BEATI RHENANI
SIGISMVNDI GELENII
HENR. LORITI GLAREANI
CAROLI SIGONII
GVLIELMI GODELEVÆI
FRANCISCI MODII
FVLVII VRSINI
MARCELLI DONATI.

Quorum interim ſcriptis admixta ferè, quæcunque habebant ad Liuium,

LVD. CÆLIVS RHODIGINVS
ALEXANDER AB ALEXANDRO
GVLIELMVS BVDÆVS
DESIDERIVS ERASMVS
PETRVS NANNIVS
LAZARVS BAIFIVS
HADRIANVS TVRNEBVS
LILIVS GYRALDVS
ANTONIVS AVGVSTINVS
IACOBVS CVIACIVS
FRANCISCVS ROBORTELLVS
GABRIEL FÆRNVS
ONVFRIVS PANVINIVS
IACOBVS RÆVARDVS
BARNABAS BRISSONIVS
PETRVS PITHOEVS
IVSTVS LIPSIVS
FEDERICVS MORELLVS.



PARISIIS,
Apud SOCIETATEM MINIMAM.
M. DC XXV.

Digitized by Google

DVO TARQVINII LVCIVS AC ARVNS, PRISCI TARQVINII FILII NE AN NEPOTES FVERINT, ADVERSVS LIVIVM, LAVRENTII VALLÆ Argutiſſima, ad Alphonſum regem, diſputatio.

ALPHONSO MINORIS MAIORISQVE HESPERIÆ Regi, Laurentius Valla S.

CVm Titum Liuium quotidie Romanorum hiſtoricorum eloquētiſſimum aut audias aut legas, æmulator veterum in omni genere virtutum, velim iudices, an recte de loco quodam ſentiam huius auctoris, quæ res ad regem, vt tu es, pertinet. Ait enim Liuius, *Hic Lucius Tarquinius Priſci Tarquinij regis filius nepoſne fuerit, parum liquet, pluribus tamen auctoribus filium crediderim.*

LAV. Ego vero contra magis ab illorum parte ſto, qui nepotem tradiderunt: neque hoc externis teſtibus, aut aliunde ſumptis rationibus, ſed ſuo auctoris teſtimonio, ſuáque ipſius cōfeſſione, aut à ſemet diſſentire, ac repugnantia quædam narrare videatur. Nam quomodo hæc quę nunc ex illo repetij, cum his conſtant, quæ ante dicuntur?

LIV. *Tū Ancij filij duo, etſi antea ſemper pro indigniſſimo habuerant, ſe patrio regno tutoris fraude pulſos, regnare Romæ aduenā, non modo non vicinæ, ſed ne Italicæ quidē ſtirpis: tū impēſius his indignitas creſcere, ſi ne à Tarquinio quidem ad ſe rediret regnū, ſed præceps inde porro ad ſeruitia caderet, vt in eadem ciuitate poſt centeſimū fere annum quam Romulus deo prognatus, deus ipſe tenuerit regnū, donec in terris fuerit, id Seruius, ſerua natus poſſideat: tum cōmune Romani nominis, tū præcipue id domus ſuæ dedecus fore, ſi Anci regis virili ſtirpe ſalua, non modo aduenis, ſed ſeruis etiā regnū Romæ pateret. Ferro igitur eā arcere contumeliā ſtatuunt. Sed & iniuriæ dolor in Tarquiniū ipſum magis, quam in Seruiū eos ſtimulabat: & quia grauior vltor cædis, ſi ſupereſſet rex futurus erat, quā priuatus: tū Seruio occiſo quemcumq; aliū generū delegiſſet, eundē regni heredē facturus videbatur.*

LAV. Nonne hæc filiorum Anci regis indignatio, atque hæc ſpes planè declarat, Tarquinium in quem irati erant, ſine virili prole diſceſſurum? Nam quid quæſo magis fortunæ aduerſum quam regem qui filios habeat, & præſertim legitimos, alium quemcumque generum quærere, cui regnum, dum mortuus erit, relinquat? At erant forſitan filij infantes. Eſto, quamquam de hoc poſtea latius dicam: non de rege moriente nunc loquimur, qui velit condere teſtamentum, etſi filij infantes ſint, ipſe tamen ſoſpes. Sint licet modò liberi nati, tamē illos pater victurum ſe iuuenes ſperat, & eorum cauſa diutius victurum: nec minus ardens eſt parētum amor in paruulos liberos, quam in iam adultos. Quid, quod non modò generum filiis fuiſſe, prælatum vult auctor, verum etiam hoc genero extincto, alium atq; alium deinceps, quem regno præficeret, Tarquinium fuiſſe quæſiturum? quod non modò de homine qui diu viuere & poterat & ſperabat, dicendum non fuit, ſed ne de eo quidem, qui iam mortem ſibi impendere intelligens, de regno diſponat: & ne alia quæram exempla, certe Ancus pueris liberis ſub tutoribus quidem, ſed tamen regnum reliquit. Sceleratus enim pater atque execrandus, qui non dicam nato filio, ſed ventri non relinquat hæreditatē, & præcipue regnū, aut aliquam dignationem vt qui alius dominari debeat, is patris culpa ſibi dominantē aliū videat, & quidem de numero ſubiectorum, ne dicam de periculo capitis, quod infelix ille iure naturæ hæres vix poteſt effugere ab illo ipſo, qui alieni patris obtinet regnum. Dixi de patre; quid de matre dicam? neque enim Tarquinius Superbus ab vllo auctore ſignificatur illegitimus fuiſſe, nec regnū ſibi poſt Seruiū voluntate patris ſucceſſor illegitimus vendicaſſet. Eius igitur mater nihil de regno filij laboraſſet? At quę mulier? nempe ad faciendos reges nata: quippe cuius beneficio duo viri, alter peregrinus, alter ancilla natus, Romæ regnauerint. De qua ita Liuius ait:

LIV. *Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eiicit, ſimul quæ curādo vulneri opus ſunt, tamquā ſpes ſubeſſet, ſedulò cōparat, ſimul ſi deſtituat ſpes, alia præſidia molitur. Seruio properè accito, cum prope exanguem virum oſtendiſſet, dextram tenens orat, ne inultam mortem ſoceri, ne ſocrum inimicis ludibrio eſſe ſinat: tuum enim, inquit, Serui eſt regnum, ſi vir es, non eorum qui alienis manibus peſſimum facinus fecere.*

LAV. Vbi hic mentio vel commendatio filiorum? An quæ vmbram Seruij multum valituram putabat, non validiorem fore putaſſet, ſi tutor atque auctor regiæ ſtirpis videretur, adiuncta præſertim ſua, id eſt matris & reginæ auctoritate, quæ pro liberis & pro ſtirpe regia laborantis ſumma eſſet, pro alieno aduerſus liberos nulla? neque enim populus ex eadem domo ſerua quam regina natum regnare mallet. Ergo regina, & quod plus eſt, Tanaquil, aut tam parum amans ſuorum, aut tam humili animo foret, vt vel nollet, vel deſperaret, & regnum defendere filiorum cum ſua quoque dignitate? nam quæ amiſſo viro regnare patris loco filium videt, adhuc regina eſt: & ego ſic ago, tamquam Tarquinius filius fuerit infans: quid ſi oſtendam puerum? quid ſi adoleſcentem? quid ſi iuuenem fuiſſe? nonne id fit multo incredibilius, quod Liuius ait? Quod non dico: quia magis conſultum velint parentes iuueni filio, quam infanti, ſed quia magis poſſint conſulere. Vnde hoc probo? nimirum per id quod paulo poſt ſequitur.

LIV. *Itaque per aliquot dies, cum iam exſpiraſſet Tarquinius celata morte per ſpeciē alienæ fungēdæ vicis, ſuas opes firmauit. Tū demū palā factā, ex cōploratione in regia orta Seruius præſidio firmo munitus, primus iniuſſu populi volūtate patrū regnauit. Anci liberi iam tum cōprehenſis ſceleris miniſtris, vt viuere regē, & tantas eſſe opes Seruij nūciatum eſt, Sueſſam Pometiā exulatū ierant: nec iā publicis magis conſiliis Seruius, quā priuatis munire opes: & ne qualis Anci liberūm animus aduerſus Tarquiniū fuerat, talis aduerſus ſe Tarquinij liberū eſſet, duas filias iuuenibus regiis Lucio atq; Arunti Tarquiniis iungit.*

LAV. Hoc non modò inter initia regni Seruiani, ſed prope nihil prius factum fuiſſe narratur: ne quis dicat non ſtatim rege patre filias Seruij nupſiſſe Tarquiniis, ſed potius circa mortem: nam primum ex hoc peruerſitas coargueretur hiſtoriæ, quæ res geſtas præpoſtere narraret, quod in hiſtorico non mediocre peccatum eſt, niſi cum id aliqua ratione facit. Deinde fuiſſe diu Seruio generos probat illud, quod aliquāto poſt forte ita inciderat ne duo violenta ingenia matrimonio iungerentur, fortu-

Digitized by Google

na credo populi Romani, quo diuturnius Seruij regnum eſſet, conſtituique ciuitatis mores poſſent. Ergo poſt contractū matrimonium diuturnum fuit Seruij regnum, & conſtituti ſunt mores ciuitatis. Quidni ſtatim intra initia Seruiani regni, vt ab auctore narratur, nuptæ ſunt Tulliæ Tarquiniis, & quidem iuuenibus, vt iuuenes nuncupantur? Quod cum ita ſit, quid abſurdius quam velle in his nullam nec parentibus ſpem, nec inimicis fuiſſe formidinem? Cur eos pater delecto in ſucceſſorem genero præteriſſet? cum neque impij, neq; mente capti, neque perdita valetudine, neque illegitimi, ſi quid hoc ad paternum amorē facit, eſſent. Cui mater defuncto viro diffiſa foret paternum ſe filius regnum defenſuram? nam de materna pietate dubitare improbum eſt. Cur duos fratres iuuenes regis filios, & quales modò deſcripſi, inimici contemnendos putaſſent? Cur poſtremo ipſi iuuenes vernam patris, in paterno regno anteponi ſibi toleraſſent? quos etiam patre viuente, & præcipue maiorem natu, credibile eſt regnare cœpiſſe, & certa à patre cōmiſſa munia obiiſſe. Et hæc quidem repugnantia naturæ ſunt: illud vero ipſi auctori, quod qui modò circa initia regni ſoceri iuuenis appellatur, is circa eius obitum, qui quatuor & quadraginta regnauit annos, iuuenis permanet, atque adeo adoleſcens nominatur. Dicit enim Liuius: *Si ſibi eum quo digna eſſet, dij dediſſent virum, domi ſe propediem regnum viſuram fuiſſe, quod apud patrem videret, celeriter adoleſcente ſuæ temeritatis impleuit.* Pauloque poſt *Quid te vt regium iuuenem conſpici ſinis? faceſſe hinc Tarquinios aut Corinthum: deuoluere retro ad ſtirpem, fratri ſimilior quam patri. hiſque atq; aliis increpando iuuenem inſtigat.* niſi quis dicat, non cum occidit ſocerum, fuiſſe iuuenem: ſed cum occidere perſuaſus eſt. Ita puto, dum decreuit facere maleficium adoleſcens eſt: dum illud perpetrat, ſenex eſt: nam certe ſexagenarius erat, cum præſertim vt ſceleratiſſimum, ita facillimum factu id facinus eſſet, cuius inter propoſitum & perpetrationem vnum interceſſiſſe annum, etiam multum eſt, & alioqui ex ſerie rerum, atque ipſius auctoris colligitur verbis. Hæc infanda Tulliæ inſtigatio non niſi extremo tempore vitæ Seruij fuit, cuius furoris cauſam, quia non recte auctor omiſit, poſtea reddam. neque hanc increpaſſe maritum videmus, quod differret perpetrare quod conſtituerat, ſed tantum quod hunc animum non haberet, videlicet poſtquam ab illa animatos eſt, nequaquam id eum differendum putaſſe. Quare non intelligo, quomodo poſt tot Seruiani regni annos iuuenis ſit: etiamſi non iuuenis paternæ mortis tempore, ſed puer aut infans extitiſſet: aut ſi nunc iuuenis erat, vt eum auctor vocat, & ego aſſentior, & alia conſentiunt argumenta: nimirum fieri non poterit, vt ex Tarquinio Priſco tot ante annis iam mortuo ſit genitus, maxime cum non ſit poſtremus liberorum, & habeat ſaltem Aruntem natu minorem. Atque hoc quidem argumentum à perſona patris ducitur. Vehementius autem erit à perſona matris, quam demonſtrabo prouectiore fuiſſe ætate, quam vt Tarquiniorum mater fuiſſe. Scribit enim Liuius: *Anco regnante Lucumo vir impiger, & diuitiis potens, Romam commigrauit, cupidine maxime ac ſpe magni honoris, cuius adipiſcēdi Tarquiniis (nam ibi quoque peregrina ſtirpe oriundus erat) facultas non fuerat. Demarathi Corinthij filius erat, qui ob ſeditionem domo profugus cum Tarquiniis forte conſediſſet, vxore ibi ducta duos filios genuit: nomina his Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo ſuperfuit patri bonorum omnium hæres. Aruns prior quàm pater moritur, vxore grauida relicta: nec diu manet ſuperſtes filio pater: qui cum ignorans nurum ventrem ferre, immemor in teſtando nepotis deceſſiſſet, puero poſt aui mortem in nullam ſortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen. Lucumoni contra omnium hæredi bonorum, cum diuitiæ iam animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil ſummo loco nata, & quæ haud facile iis, in quibus nata erat, humiliora ſineret. Ea cum illi nupſiſſet, ſpernentibus Hetruſcis Lucumonem exulem, aduena ortum, ferre indignitatem non potuit, oblitaque ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo virum honoratum videret, conſilium migrandi à Tarquiniis cepit. Roma eſt ad id potiſſimum viſa.* Paulo poſt vbi dixit, aquilam mariti cum vxore in carpento ſedentis pileum abſtuliſſe, rurſuſq; repoſuiſſe, ſubiungit: *Accepiſſe id Augurium læta dicitur Tanaquil, perita vt vulgo Hetruſci, cæleſtium prodigiorum mulier, excelſa et alta ſperare, complexa virum iubet. Eam alitem ea regione cæli & eius dei nunciam veniſſe, circa ſummum culmen hominis auſpicium feciſſe, leuaſſe humano ſuperpoſitum capiti decus, vt diuinitus eidem redderet. Has ſpes cogitationeſque ſecum portantes vrbem ingreſſi ſunt, domicilioque ibi comparato, Lucumoni Tarquinium Priſcum indidere nomen.*

LAV. Interrogo nunc quot annos hanc feminam tunc voluimus impleſſe, cum nupſit? certe ſedecim, decem & ſeptem ve, aut duodeuiginti: ſiquidem auctor vocat mulierem, hoc eſt, quantum interpretor, vltra puellares annos; eidem prudentiam, eidem ſublimitatem animi tribuens, quæ ſunt magis matronalis quam puellaris ætatis. Quot porro addemus annos, donec Romam demigrauit? neq; enim ſtatim nupta è patria ſibi demigrandum putaſſet, neque mulier nobilis ita æquo animo domū reliquiſſet, neque indignationi ſuos ciues intra perbreue tēpus cōtrahi poterat. Non enim iniuria aliqua, aut intoleranda ignominia hominem mouebat, ſed quod ſperneretur: neq; hoc præter ſolitū, quippe cum ſemper talis fuiſſet: & nihilominus ſi ab ea ciuitate, vbi natus ex matre ciue erat, tamen vt aduena faſtidiebatur, nonne id multo magis erat extimeſcendum in eo populo, cum quo nihil ſibi commune eſſet? Neque lautū ſane patrimonium cum emundis in externa vrbe bonis facile commutaſſet. Dum itaque datur aliquod, more hominū, nouis nuptiis tēpus, dum ſperantur quotidie meliora, vt fieri ſolet, à ciuibus ſuis, dum an Romam migrandū ſit conſultāt, dum domos, prædia, facultates, quæ trāſportari nequeūt, venditāt, neque id per feſtinantiam, ne vilius vendant: dum poſtremo profectionem tempeſtiuam & honeſtam apparant, dicamus hāc mulierem ad annum vigeſimum perueniſſe. Certe glos eius iam mater erat, quæ cum eſſet minoris fratris vxor, vt mea fert opinio, poſterior quam Tanaquil nupſit. Non enim video cur viuo patre minor filius vxorem duceret, maior non duceret, licet tacite auctor aliud ſignificare videatur. Ego tamen nō reor Lucumoni omniū bonorum hæredi, auxiſſe animos nobilem vxorem, nam id parum profuit, ſed iam vxorem habenti ſolidam hæreditatem. Ita vero hoc ipſum quod hæc mulier eſt auctor viro Romam migrandi, quod tam perita coniectandi auguria, non ob id ſolum quod Hetruſca eſſet, nam & maritus erat Hetruſcus, ſed & lōgum vſum haberet, quod ei maritus ipſe homo in primis prudens & impiger, in omnibus ferè conſiliis auſcultat, nonne viginti ſaltem natam annos fuiſſe teſtatur cum Romam intrauit? Quid autem Romæ? quot annos priuati degerunt? quis negec plures quam poſt contractum matrimonium collegimus? Etenim homini aduenæ diſcenda erat lingua Romana, ne ſemper aduena putaretur, &, quod expertus erat, faſtidiretur: percipiēdi mores, obeunda munera publica, in tantam regis penetrandum familiaritatem, vt ab ipſo rege tutor filiis relinqueretur: denique in talem conditionem, ſtatum, famam, perueniendum, vt ſaluis regis liberis, ac propè puberibus, digniſſimus regno præter Romanos omnes iudicaretur. Quod apertiſſime ipſa auctoris verba confitentur, dicentis:

LIV. *Se ex quo ſui potens fuerit, Romam cum coniuge ac fortunis omnibus commigraſſe. maiorem partem ætatis eius quæ ciuilibus officiis fungantur homines, Romæ ſe quam in patria vixiſſe: domi militiæque ſub haud pœnitendo magiſtro, ipſo Anco rege, Romana ſe iura, Romanos ritus didiciſſe: obſequio & obſeruantia in regem cum omnibus benignitate erga alios cum ipſo rege certaſſe.*

LAV. Omne tempus hoc demus fuiſſe annos decem, vt triginta annos nata fuerit, cum vir eius creatus eſt rex: cum idem moritur, nam duodequadraginta in regno fuit, annum ageret duodeſeptuageſimum, & circiter viginti iam parere deſierit. Ex quo neceſſe eſt Lucium, qui poſtea Superbus appellatus eſt, vicenarium fuiſſe cum patrem amiſit. Neque vero hoc loco quorundam opinioni reſpondendum eſt, qui illam cenſent proſperiorem corporum valetudinem ac viuaciorem fuiſſe, quam noſtra ætate, cum ſciamus peræque parum vixiſſe, ac nos viuimus, & ab eiſdem à quibus nos, annis initium ſenectutis deſignaſſe, vt cum ex aliis libris, tum vero ex Liuio ipſo datur intelligi, apud quos neſcio an aliquam, niſi miraculi loco reperetim, cum annum quinquageſimum exceſſiſſet, partum edidiſſe: tamen in hac muliere tribuere volo non ante deſiiſſe parere, quam annum quinquageſimum ageret. Concepit igitur vndequinquageſimo anno Aruntem. Lucium vero quid poſſum dicere minus duodequinquageſimo? niſi, vt omnia in anguſtum coarctemus, dicat quis vtrumque eodem partu à quinquagenaria editum: quaſi vero credibile ſit, vt quæ per ſenilem ætatem concipere vix iam poſſet, ea conceperit geminos. Dicamus itaque maiorem fuiſſe Lucium fere Arunte, vno ſaltem anno: conceptum matre duodequinquageſimū annum non tranſgreſſa, qui paternæ mortis tempore, quemadmodum oſtendi, ſi prope vicenarius erat, qua ratione plus quadraginta ab obitu patris annis adoleſcens aut iuuenis erit? aut ſi

iuuenis adoleſcenſque erit, quo pacto filius eſſe potuit reginæ, quæ plus ſexaginta annis ante Seruij mortem concipere deſierat? Atque vt aliam quoque adiiciamus repugnantiam: filiuſne Tanaquil erit, etſi non minimus liberorum, qui poſtquam mater parere ceſſauit centum fere annis in acie cum dictatore Romano conflixit ſingulari certamine? Ita enim auctor tradit: in Poſthumium prima in acie ſuos hortātem inſtruentemq; Tarquinius Superbus, quanquam iam ætate & viribus erat grauior, equum infeſtus admiſit, ictuſque à latere, concurſu ſuorum receptus in tutum eſt. Siquidem hæc decimo quam à regno expulſus eſt anno, geſta ſunt, aut etiam tardius, cum ipſe quinq; & xx. regnaſſet. Atqui inauditum eſt apud Romanos centenarium hominem, ac ne nonagenarium quidem, aut octogenarium ſingulari certamine in aciem, & præcipue cum iuuene, concurriſſe. Et ſi quis contentioſe de numero à me collecto detrahendum putat, ſcire volo quantum putet detrahendum, an minorem dicet Tanaquil fuiſſe cum nupſit, ea quam dixi ætate? at hunc pudebit minorem illam facere quindecim annis. an poſt contractum matrimoniū minimum temporis eſſe quadriennium trienniumve priuſquam Romam migratum eſt? at vnum interceſſiſſe annum non denegabit. an decennio diuturnius iuſto ſpacium, quo ſub rege Anco Romæ manſum eſt? at quadrienne ſaltem concedere cogetur, ita ex hac ſubductione palam erit Priſco moriente decem, vt parciſſime dicamus, annos natum Superbum fuiſſe. Quæ cum ita ſint, hunc non pater ſucceſſorem regni deſtinaſſet? hunc inimici non timuiſſent ne patri ſuccederet? hunc columen ac decus mulierum mater, & cuius regum virtute par, non in patris demortui ſede collocaſſet? hunc Seruius ſerua natus, atque hæredis vel verna, vel libertus, non ſibi antepoſuiſſet? hunc populus, qui patrem eius & priuatum & aduenam eſſe regem iuſſiſſet, non & ipſum adiutrice regina regem creaſſet? hunc quiſquam quum plus quam quinquagenarius eſt, adoleſcentem aut iuuenem vocet? hunc ferme nonagenarium in aduerſum hoſtem credamus infeſto telo equum admiſiſſe? huius denique ſororem, hoc eſt ex Tanaquil genitam, concedamus matrem Bruti fuiſſe? quem in exigendis regibus iuuenem Liuius vocat, & æqualem conſobrinorum. Hæc ſi minor Lucio fratre fuit, augebim⁹ pueriles illius annos ante mortem patris. Si maior eo, incredibili⁹ mulierem octogenariam, ne dicam pluſquam nonagenariam, eſſe iuuenis matrem. Quæ omnia ſi permultum à fide abhorrent, confitendum eſt Tarquinium Superbum cum fratre non fuiſſe Tarquinij Priſci filios, nec eorum ſororem, eandemque Bruti matrem, filiam, ſed nepotes, neptemque, ſicut Ancus Numæ, ſicut Tullus Hoſtilius Romulus ſocij nepos fuit, non filius. Vt enim Ancus à Numa, Tullus à Romulo tertius fuit, ſic Superbus à Priſco, aut quaſi nepotes, aut quaſi neptem. Cur ita? quia neque filium quempiam fuiſſe Priſco narratur, dūtaxat ab hoc auctore. Nam apud alios quoſdam inuenio fuiſſe, qui adoleſcens ob ſtrenuitatem militarem bulla & prætexta à patre donatus eſt: & ſi is ante patrem deceſſiſſet ſuſcepta prole ac ſuperſtite, profecto auus & auia conſultum nepotibus naturæ lege voluiſſent. Neque ſi nepotes ex filia fuiſſent, video cur Tarquinij vocarentur. Et hac, vt ſuſpicari libet, Titus Liuius vir prudentiſſ. ratione adductus eſt, vt hos eſſe nepotes Priſci Tarquinij vellet. Qua in ſententia ipſi ego adſtipulor, ideoque dixi quaſi nepotes, eruntque nati patre Tarquinio, hoc eſt, Egerio. Nam ſicut ipſe Lucumo, quod ab vrbe Tarquiniis veniſſet, Tarquinius dictus, ita Egerio ob eandem cauſam idem nomen inditum eſt. Quod ſi Collatino huius filio, vt inquit auctor, hoc nomen fuit, neceſſe eſt vt idem fuerit & patri. At quomodo erit, inquient, Superbus Egerio natus, qui fuit Collatini pater, cum Collatinus ipſe frater Superbi non fuerit, ſed Aruns? Nec hoc quidem videtur mihi T. Liuius rite tradidiſſe. quis enim credat Collatinum, filiorum Superbi, qui iuuenes erant, æqualem, prout & ab auctore memoratur. nam ſic inquit: *Quin ſi vigor iuuentæ ineſt, conſcendimus equos, inuiſimuſque præſentes noſtratum ingenia?* patrem habere centum & viginti egreſſum annos, aut, vt minimum dicamus, pauculis annis minorem? Tot enim ſunt, aut ferre tot ab ortu Egerij. Adeo Superbus ipſe fuiſſe nepos potius quàm filius mihi videtur Egerij: nedum hic tanto minor natu potuerit eſſe filius. Probabilius itaque fuerit Superbum, qui parens eſſe poterat Collatini, &, vt ita coniectura ducor, patruus erat, licet aliqui (quorum eſt Plinius) auunculum tradunt, fratremque Aruntem, qui nomen auitum videtur retuliſſe à patre impoſitum, ab Egerio traxiſſe ortum, vel patre, vel, quod magis arbitror, auo. Ex quo illud iam ſua ſponte apparet, non timoris cauſa generos Tarquinios à Seruio rege adſcitos, ne paternum regnum exemplo filiorum Anci repeterent: nam eos potius tollendos curaſſet, cum nullum ius Egerianæ ſtirpi ad regnum eſſet, ſi cum ipſe iam ſenior, aut nullos filios ſuſtuliſſet, aut ſi obierant, nullos poſthac tollere ſperaret opinor: nec nobiliores iuuenes inueniſſe, quibus filias collocaret, & æquum cenſuiſſe in eandem Tarquiniorum familiam potiſſimum referre regnū, vnde illud accepiſſet, eo quidem libentius, ſi filiæ ſuæ matre Tarquinia, cuius gratia regnum fuerat adeptus, genitæ erant. In quo illud quoque abſurdum, ſi Liuium audire vellemus, ſequetur, vt quod apud Romanos mores inſuetum eſt, illæ regis filiæ fratribus nupſerint matris: nunc autem cognatis, nō auunculis, quia filiæ regis non erant, in matrimonium datæ. Hic tu quæres: Si ita eſt, quid ergo ſibi Tarquinius Superbus regnum velut hæreditatem repopoſcit? Poteram dicere, quod putabat ſibi deberi vt nepoti, vt pronepoti fratris Priſci Tarquinij, vt filio nepotis Egerij, quod ei patruus, cui præter ius gentium patrimonium intercepiſſet, ignominioſumque nomen immiſiſſet, regnum per manus tradere aut debebat, aut deſtinabat, cum virilem ſtirpem non haberet. quem pro rato habuiſſe illud eſt argumentum, quod Liuius ait: *Et forſan hic in regnum patruo ſucceſſiſſet, niſi Tanaquil pro genero in contrarium fuiſſet annixa.* Poteram etiam alia dicere, ſed me ad ſe maxime vocant verba auctoris, qui non ſua ſponte Tarquinium, etſi vir erat violentus ac ferox, ad maleficium acceſſiſſe ſignificat, velut agnoſcentem ad ſe non pertinere regnum, ſed vxoris conſiliis inductum, vt ſuperius vidimus, & ex his quoque verbis: *ſed initium turbandi omnia à femina ortum eſt, quæ virum tamquam mare ſuapte natura quietum, procelloſis quibuſdam ventis furoris agitauit vt regnum affectaret*, vt illud per ſanguinem, per mortem, per parricidium peteret: & quo res ſit indignior, per parricidium ſenis, cuius mortem exſpectare, id quod Romanis Hannibal exprobrauit, longum cenſerent: quod ſcelus cum in genero, qui fuit perſuaſus, abominandum eſt, tum vero in filia perſuadente deteſtabilius. At hoc ipſum fidem non habet, talia in patrem filiam fuiſſe auſam, à quo nec aliquid eſſet offenſa, & regnum iure optimo, & quidem propediem ſperaret, interim ſatis habens felicitatis, quod & filia regis erat, & futura regina, cum vnica eſſet proles patri, ac ſemper futura vnica, propter paternam ſenectutem. Reddam, quam ſuperius me redditurum promiſeram, cauſam, quæ vt improba, ita vehemens fuit, & filiæ cum genero communis. Timuit hæc ſceleratiſſima feminarum, ſuperbos, & pluſquam regios, imo tyrannicos ſpiritus habens, ne ſucceſſione regni quod ſuum fore credebat, naturali iure fraudaretur, regno in rempublicam commutato: quod facturus ipſe videbatur, vt Liuius ait: *Idipſum tam mite ac moderatum imperium, tamen quia vnius eſſet, deponere eum in animo habuiſſe quidam auctores ſunt, ni ſcelus inteſtinum liberandæ patriæ conſilia agitanti interueniſſet.* Et iterum poſtea in calce libri.

Liv. *Duo conſules in comitiis centuriatis à præfecto vrbis ex commentariis Seruij Tullij creati ſunt.*

Lav. Hanc contumeliam iniuriamque non ferens filia, vt quæ patre quoque rege progenita, &, ſi ratio pignorum haberetur, regni hæres erat, ne ad priuatum cōmunemque ceteris ſtatum deſcenderet, maritum, qui & ipſe ſpe regni exuebatur, ad occupandum regnum inſtigauit, & impulit ad mortem patris, & quod credere libet, prius ad mortem ſororis, & priſtini viri, quibus ſaluis, vtpote languentibus ingeniis, regnum paternum obtineri non poterat. Ait enim Liuius: *Angebatur ferox Tullia, nihil materiæ in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam eſſe: tota in alterum conuerſa Tarquinium: eum mirari, eum virum eſſe dicere, ac regio ſanguine ortum: ſpernere ſororem, quod virum nacta, muliebri ceſſaret audacia.* Statimque poſt: *Nullis verborum contumeliis parcere de viro ad fratrem, de ſorore ad virum, & ſe rectius viduam, & illum cælibem futurum fuiſſe contendere, quam cum impari iungi, vt elangueſcendum aliena ignauia eſſet.*

Lav. Nam quid attinebat incuſare virum, quod parum virili animo: incuſare ſororem, quod ignaua eſſet? non video aliud niſi quod hic ſocerum, illa patrem non occideret. Atqui hoc ſceleratiſſimum eſt: ſceleratiſſimum quidem, ſed tamē ſceleris merces, vt quod ereptum iri ſibi videbant, regnum inuaderent. Quis enim credat hanc velle, atque adeo hortari germanam, trucidare communem patrem, vt illa potiatur hæreditate? illa inquam, cuius vitam, vt exitus docuit, minoris faciebat, quàm non modo coniunctæ, ſed etiam ancillæ. Alia ergo fuit cauſa, quam clamor ſororis: quæ nulla alia eſſe potuit, niſi ne paternum regnum per iniquitatem patris liberis præriperetur: ideo-

Digitized by Google

que ſororem increpabat, quod maior natu nihil de regno laboraret. Ideo maiorem fratrem ad hanc ſpem, ſed non ſine ſuo morbo erexit. recteque ſubiungitur: *Si ſibi eum quo digna eſſet, dij dediſſent virum, domi ſe propediẽ regnũ viſurã fuiſſe, quod apud patrea videat.* De qua nulla hic, & ad extremum (nam finem iam facere volo) dicere habeo: non fuiſſe auctori faciendum, vt quam matrem iuuenem vocat circa tempora violatæ Lucretiæ, eandem dicere nurum eſſe Tarquinij Priſci, ac Tanaquil, quæ iam nonaginta ferme annos liberos non genuerat.

Hæc ſunt optime rex, cur Tito Liuio non accedam, Tarquinium Priſcum patrem fuiſſe Tarquinij Superbi: nec eum poſteritatem vocaturam Priſcum fuiſſe arbitror, ſi pater huius extitiſſet. Priſcum enim dicimus, non qui patrum, ſed qui auorum aut proauorum memoria fuit: & hoc nomen illi non à ſui temporis hominibus, vt auctor dicere videtur, ſed à poſteriori ſeculo inditum, vt Priſci Latini, aut cetera huiuſmodi. In quibus tu, quem potiſſimum in hac quæſtione mihi deligendum putaui iudicem, ſi mecum ſenties, quamlibet breui epiſtola reſpondebis: quod ſi diſſenties, longiore, vt rationes meas tuis melioribus refellas. Vides vt tibi tacite blandior? quaſi ſuadeam, ne laborem ſubeas me refellendi, id eſt, vt mihi aſſentiaris. Verum abſit hoc ab vtroque noſtrum: nam neque meum eſt, falſo quempiam velle accuſatione damnare: neque tuum aut labori cedere, cuius ſẽper victor extitiſti: aut clariſſimos viros, quorum inter primos eſt Liuius, quoties falſo accuſantur, pati deſertos. Vale Neapoli pridie Nonarum Decembriũ.

LAVRENTII VALLÆ EMENDATIONES SEX LIBRORVM T. LIVII DE SECVNDO BELLO Punico, & Primo in Lib. XXI.

CAp. II. *Gener inde ob altam indolem aſcitus, & quia gener erat factionis Barchinæ, opibus que apud milites plebemque plus quam modica erant, haud ſane voluntate principum imperio poſitus*] Ego ſic reor emendandum, vt pro *gener erat*, ponatur *genere erat*: pro *opibusque*, *opibus quæ*: pro *imperio poſitus*, *imperio potitus*.

Cap. IV. *Deinde breui effecit, vt pater in ſe minimum monumentum ad fauorem conciliandum eſſet*] Credo *momentum* eſſe ſcribendum.

Cap. IX. *Nec tuto eos adituros inter tot tam effrenatorum gentium arma*] Vos emendaſtis *effrenatarum*, ego *efferatarum* emẽdo.

Cap. XI. *Sed interiora tuendo, minorem in diem vrbẽ Saguntini faciunt*] Credo legendum, *in dies*, vt in Elegantiis.

Cap. XIV. *Turris diu quaſſata prociderat, per quã ruinã eius cohors Pœnorũ impetu facto, cum ſignum imperator dediſſet, nudatã ſtationibus cuſtodiiſque ſolitis hoſtium eſſe vrbẽ, non cunctandũ in tali occaſione ratus Annibal, totis viribus aggreſſus vrbem momento cepit*] Credo legendum, *imperatori*.

Cap. XXI. *Partitis diuidendiſque reliquiis prædæ*] Credo *diuenditis*.

Deinde Cap. XXII. *Cura humani ingenij, cum quidnam id eſſet quod reſpicere vetitus eſſet, agitãte animo tẽperare animo nequiſſe eũ*] Vos emendaſtis, *temperare animum*. ego reor ſic emendandũ: *agitaret, animo temperare omnino*.

Cap. XXVI. *Qui tumultus repens poſtquam eſt Romam perlatus, et Punicum inſuper Gallicum bellum auctũ patres acceperunt*] Ita ſcriptum eſt in codice regis, quod emendare debueratis, *Punicum ſupra Gallicum*: vel *Punicum inſuper Gallico*.

Eod. *Et ipſi traijcere exercitum, leuariq; quam primum regionẽ ſuã tantam omnium vrgente turba cupiebant*] Legendũ eſt, *tanta hominum*.

Cap. XXVII. *Ibi raptim caſa materia, rateſque fabricatæ, in quibus viriq; et alia onera traiicerentur.*] Vos ſic emendatis, *equi viriq;*: quaſi conſuetum ſit equos viris anteponi. Ego vel non emendandum reor, perinde ac ſi ſcriberetur, *in quibus & viri, & alia onera*: vel ſic emendandum, *in quibus equique & alia onera*: vel *viri equiq; & alia onera*.

Cap. XXVIII. *Vt quemq; timentem altitudinem deſtitueret, vado impetu ipſo fluminis in alteram ripam rapiente*] Credo *deſtitueras*.

Cap. XXX. *Neque ante Hiſpania exceſſiſſe quam omnes gentes, quæ et terras quas duo diuerſas maria amplectũtur, Carthaginenſiũ eſſe*] Sic reor emendandũ, *terræ & Carthaginenſiũ eſſent*. Item non relatiue, ſed copulatiue ſcribi debere, quod perinde ac ſi dicatur, *omnes & gentes & terræ*.

Eod. *Nunc poſteaquam multo maiorẽ partem itineris emẽſum cernant, Pyrenæum ſaltum inter ferociſſimas gentes ſuperatum, Rhodanũ tantum amnem, tot millibus Gallorũ prohibentibus, domita etiã fluminis vi, traiectã, in conſpectu Alpes habeant*] Legendũ credo, *Rhodanum tantum amnem*.

Cap. XXXI. *Ambigebant fratres, maior, & qui prius imperitauerat Brancus nomine, minore à fratre, & cœtu iuniorũ qui iure minus, qui plus poterat pellebatur*] Vos ſic emendaſtis: dictionẽ *iure* deleſtis ſubra ſiue violacea linea, addidiſtiſq; alias dictiones, ſic: *qui minor, ab eo qui plus poterat, pellebatur*. O lippi, ô aliis, quæ vobis multa eſt, lippitudinẽ exprobrãtes: eſtne illud ſeruare ſimilitudinem, ſeruare numerum literarum in coniectanda ſcripturæ veritate, alias dictones eximere, alias adiicere? Videte quanto id à me ſincerius cuſtoditur. *Ambigebãt fratres: maior, et qui prius imperitarat, Brãcus nomine, minore à fratre, & cœtu iuniorũ qui* (vel *quia*) *iure minus, vi plus poterat, pellebatur*.

Cap. XXXII. *Homines intonſi & inculti, animalia inanimaliaque omnia rigẽtia gelu*] Sic vos. At debuiſtis mutare iſtud *inanimalia*, quod non reperitur, in id quod conſuetum eſt, *inanima*.

Cap. XXXIII. *Deinde poſtquam interrumpi agmen vidit, periculũq; eſſe exutum impedimentis exercitũ, ne quicquã incolumem traduxiſſe, decurrit ex ſuperiore loco: & cum impetu ipſo fudiſſet hoſtẽ, equis quoque tumultum auxit, ſed is tumultus momento temporis, poſtquã liberata itinera montanorum fuga erant, ſedatur*] Vos mutaſtis vnam tantum dictionem, *equumque* indocte pro *equis* ponentes, cum fuerit ponendum *ſuis*. Præterea ſic mutandum, *periculumque ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxiſſet*.

Eod. *Caſtellũ inde quod caput eius regionis erat, vicoſque circumiectos capit, vt captiuo à pecoribus per triduũ exercitũ aluit. Et quia nec mõtanis primo perculſis, nec loca magnopere impediebantur, aliquãtum eo triduo via confecit*] Hic vos nihil aliud quam *loca* mutaſtis in *locis*. Ego vero ſic. *Et captiuorũ pecoribus per triduũ exercitũ aluit. Et quia nec mõtanis prælio perculſis, nec loca magnopere impediebantur*, &c.

Cap. XXXIV. *Annibal nec temere credendũ, nec aſpernãdos, ne repudiati hoſtes aperte fierent, benigne cũ reſpõdiſſet*] Credo legendum, *nec temere credendo, nec aſpernando eos, ne*, &c.

Eod. *In eos verſa peditum acies, haud dubium fecit quin niſi firmata extrema agminis fuiſſent, ingens in eo ſaltu accipienda clades fuerat*] Emendare debuiſtis, *fuerit*.

Cap. XXXV. *Inde montani pauciores iam & latrocinij magis quam belli more concurſabant, modo in primum, modo in nouiſſimum agmẽ, vt cuiq; aut locus aut opportunitatẽ daret, aut progreſſi moratiue aliquã occaſionem feciſſent*] Vos emendatis, *prout cuique aut locus aut opportunitas apud eos erat*: cum nihil ſit mutandum, niſi delendo ex tribus *aut* ſecundum: ſic, *vt cuique aut locus opportunitatem daret*.

Cap. XXXVI. *Ventum deinde ad multo anguſtiorem rupem, atq; ita rectis ac ſi iſtud ægre expeditus miles tentabundus manibuſq; retinẽs virgulta ac ſtirpes circa eminentes demittere ſeſe poſſe*] Vos, vt dixi, emendaſtis, *atque ita, rectã ac ſi iſtud*. Ego ſic: *Atque ita rectis ſaxis vt ægre*, &c.

Eod. *Natura locus iam ante præceps recenti lapſa terræ impeditus, dum ille admodum altitudinem abruptus erat*] Vos emendatis, *dũ* mutantes in *tum*. Ego ſic: *Lapſu terræ in pedũ mille admodum altitudinem abruptus erat*.

Eod. *Molli nec peralta*] *Prealta*, Scribendum eſt.

Eod. *Itaque in leui tantum glacie tabidaque niue voluntabãtur, iumenta ſecabantur, interdũ etiam infima ingredientia niuem*] Mutaſtis *infima* in *ſemita*, quaſi ſolum iumentorum ſemita ſecaretur. legendum eſt, *infimam ingredientia niuem*.

Cap. XXXVIII. *Decem millia equitum in Italiam adducta (magis affluxiſſe veriſſimum eſt*] Credo legendum *veriſimile eſt*.

Cap. XL. *Quid enim adhortari refert aut eos equites qui equitatum hoſtium ad Rhodanum flumen agre viciſſent, aut hos legiones quibus hunc hoſtem fugientem ſequutus?*] Vos pro *agre*, ſubſtituiſtis *audacter*: ego autem *egregie*: vere *audacter*, non *egregie* emendantes: ego *egregie*, non *audacter*.

Cap. XLII. *Cum ad vnum omnes ferrum pugnamque poſcerent, & deiecta eſſet in id ſors, ſe quiſque eum optabat quem fortuna in id certamen legeret: ex cuiaſque ſors exciderat, alacer inter gratulantes gaudio exultans, cum ſui moris tripudijs arma capiebat*] Scribendum eſt, *vt cuiuſque*, vel, & *vt cuiuſque ſors exierat*.

Cap. XLIII. *An me in prætorio patris clariſſimi imperatoris prope notum certe educatum, domitorem Hiſpaniæ, Galliæque victorem*] Scribendum opinor, *prope natum*, quod probat locus ille libri decimi. *Sed cum Annibale prope nato in prætorio fortiſſimi ducis, alitoque atque educato inter arma.*

Cap. XLIV. *Ne tranſieris Iberum, ne quid tibi rei ſit cum Saguntinis: ad Iberum eſt Saguntum nuſquam te veſtigio moueaeris*] Vos mutaſtis, *è veſtigio moueris*. Ego *nuſquam te veſtigio moueris*, accentu in antepenultima, vt ſit verbi actiui ſubiunctiuum, non paſſiui indicatiuum.

Eod. *Nullum contentum ad vincendum homini à dijs immortalibus acrius datum eſſe*] Credo ſcribendum, *nullum incitamentum*.

Cap. XLVI. *Quibus procuratis Scipio cum equitatu iaculatoribusque expeditis profectus ad caſtra hoſtium, ex quo propinquo copias, quanta & cuius generis eſſent, ſpeculandas, obuius fit Annibali*] Petrarcha emendauit, *ex loco propinquo*. Vos emendare omiſiſtis: qood ſic fuit emendandum, *ex que propinquo*.

Eod. *Manilius equidem de filio virum eſſe, quod et plures tradidere auctores, ſecundum famæ obtinuit*] Vos emendatis, *Mummius* pro *Manilius* ponentes: ego *ſeruum* pro *ſecundum*. Nam ſeruus fertur Scipionem ab hoſtibus eripuiſſe, filius à pluribus auctoribus traditor.

Cap. XLVIII. *In quarta vigilia noctis inſequentis tacite agmine profectus ad Trebium fluuium iam loca altiora locuſque impeditiores equites caſtra locat*] Vos tollitis, *iam*: ego pro *iam* ſubſtituo *in*, pro *locus*, *colles*: pro *equites*, *equiti*.

Cap. LIV. *Delige centenos viros ex omni pedite equiteque, cum viribus ad me vigilia prima venias. Nunc corpora curare tempus eſt*] Ego *viribus* reor mutari debere in *quibus*.

Eod. *Cæteris ducibus peditum equitumq; præceptum, vt prehendere omnes iuberent armatos, deinde inſtratiſq; equis ſignũ expectare*] Cur in codice regionoo emendaſtis *prandere*, pro *prehendere*?

Eod. *Poſtremo omnes copias ad deſtinatum iam ante conſilio, auidus certaminis eduxit*] Vos *conſilio* mutaſtis in *conſilium*, quaſi ad coonſilium, non ad locum coonſilio deſtinatum ierit, cum ſic dicatur ſubſtantiue *deſtinatum*, vt *propinquum*, quale fuit illud ſuperius; *Ex que propinque ſpeculandas copias.*

Eod. *Tunc vtique egreſſis rigere omnibus corpora, vt vix armorum tenendorum potentia eſſet, & ſimilitudine: & procedente iam die fame etiam deficere*] Credo ſic legendum: *potentia eſſent, & laſſitudine*, vel *& ſimul procedente*, &c.

Cap. LV. *Duodeuiginti millia Romani erant, ſocium nominis Latini viginti, auxilia prater Cenomanorum*] Vos emendaſtis *prater*, cum fuerit emendandum *præterea*.

Eod. *Pedeſtris pugna par animis magis, quam viribus erat, qua recentis Pœnos paulo ante curatis corporibus in medium attulerat*] Vos emendaſtis, *quam recentis*: cum fuerit emendandum, *quia recentis Pœnus*, hoc eſt, Annibal: vel *quas recentis*, pro *recentes*. *Pœnus*, id eſt, milites Pœni.

Cap. LVI. *Extemplo haud dubiam facere fidem quoque additus terror Romanis, vt fuſa auxilia ſua viderunt*] Vos mutatis *quoque*, *meſtque*: ego tantum locum muto, ſic: *additus quoque terror*.

Cap. LVII. *Cæterum ne hyberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus paſſim Numidis equitibus: eaque his impeditiora erant Celtiberis Luſitaniſque*] Vos emendatis, *æqueque* tantummodo adiecta diphthongo, cum ſic fuerit emendanda, *& quaque*.

Eod. *Omnes igitur clauſi vndique commeatus erant, niſi quos Pado naues ſubueherent emporium prope Placentiam fuit, & opere magno munitum, & valido munitum præſidio*] Vos nihil aliud, quam dempſiſtis illud, *r*, vt emporium tantum eſſet, non intelligentes literam illam ad præcedentem pertinere dictionem: vel quia figuræ maiuſculæ erat, fuiſſe apicem cum litera coniunctum, ſcriptumque reliquiſſe auctorem, *ſubueherent*. Præterea *munitum*, quia iteratum eſt, mutaſtis in *firmatum*, ego muto in *militum*.

Cap. LVIII. *Deinde vt tandem agitando ſeſe mouere ac recipere animos, & raris locis fieri cœptus eſt ignis, ad alienam quiſque opem tendere*] Vos (quaſi mendoſa ſcriptura ſit) mutaſtis *recipere*, in *recepere*, opinantes eſſe præteriti temporis *mouere*, cum ſit infinitium, aut referendum ad illud *cœptus eſt*, vt ſit, *ſeſe mouere ac recipere animos cœptum eſt*, aut accipiendum pro *mouebant*. Ite & me reprehendite, tanquam neſcientem tali infinitiuo vti, qui vos hoc ipſum doceo. Taceo mille in locis veſtrum in orthographia errorem.

Cap. LIX. *Pugna raro vlla magis ea: & cum vtriuſque partis pernicie clarior fuiſſet, ſi extendi ea dies in longum ſpatium quiuiſſet*] Vos tollitis *ea* ego muto in *ſane*: opinor enim *s*, quæ vltima eſt in *magis*, feciſſe vt ſequens *s* excideret, ſicut factum eſt in illo ſuperiore, *rectis ac ſiſtud*, pro *rectis ſuuit*. Præterea mutaſtis, *quiuiſſet*, in *fuiſſet*: quia quidam codices habent, *ſi extendi eum*. Si vero ſcribendum eſt *ea dies*, vt eſt apud codices alios, nihil iſta mutatione opus eſt.

Cap. LXI. *Poſtquam perditas res amiſſaque caſtra accepit, iter ad mare conuertit, haud procul Tarracone claſſi.m. naualeſque ſocios vagos palanteſque per agros (quod ferme fit vt ſecunda res negligentiam creent) equite paſſim dimiſſo, cum magna cæde, maiore fuga ad naues compellit*] Vos emendaſtis pro *claſſi*, *claſſis*, ſupraque ſcripſiſtis minutis literis has duas dictiones, *vbi erat*: quaſi ſic obſcure loquatur Liuius, vt duo verba ſubaudiri oporteat: cum ſic emendandum eſſet, *claſſicos milites*.

IN XXII. LIBRO EMENDATA.

VIGESIMVS SECVNDVS liber ſic incipit: *Iam vero appetebat qua Annibal ex hybernis mouit, ex neque eo qui iam ante conatus transcendere Apenninum intolerandis frigoribus & ingenti periculo moratus ac metu*] Vos tanqoam *appetebat* actiuum ſit, & non abſolutum: pro eo quod eſt *appropinquabat*, ſiue *incipiebat*, ſic emendaſtis: *Iam vero appetebat, qua Annibal ex hybernis, qua & mouit*, nec hoc amplius. Petrarcha ſic: *Iam vero qui ante conatus tranſcendere Apenninum, & eum ingenti periculi moratus ac metu.* Hæc ſi quis leget non habens in promptu Liuium, volo ſciat Annibalem ante conatum fuiſſe ex Gallia Ciſalpina, vbi ſe parum credebat tuto moraturum, tranſcendere Apenninum: ſed fœdis cœli tempeſtatibus repulſum, & interea ſæpe eiſdem Gallis inſidiantibus, in vltimum diſcrimen adductum. Hũc locum Poggius, ad quem Antonius & Bartholomęus ſuas in me inuectiuas miſerant, cum ſuperiorib. diebus has emendationes oſtenderem, dixit aliquot iam annis Florentiæ ſic emendaſſe vna cum Leonardo & Carolo Aretinis: *Iam vero appetebat, cum Annibal ex hybernis mouit.* cætera negabat egere correctionis: ſicut illum communem mihi cum Candido locum, & alia multa, quod vellet ſic accipi, *Neque eo metu qui* (pro *quo*) *iam ante conatus erat*. Solere namque Liuium dure ac ſcabre loqui. Ego etſi magis Liuij qoam meam vicem doleam, tamen nihil dixi, niſi vt ad reliqua pergeret. Cuios quam docta ſit expoſitio, & quam vera de Liuio opinio, docti iudicent. Ego ſic lego: *Iam vero appetebat, cum Annibal ex hybernis mouit: & nequiquam ante conatus tranſcendere*, &c.

Cap. II. *Dum conſul placandis Roma diſtrahendoq; delectu operam dat, Annibal ex hybernis profectus*] Vos ſic emendatis: *Dum conſul placandis dijs Romæ diſtrahendoq; delectu*, neſcientes, *diſtrahendo* duo verba eſſe: *dis*, quod fere veteres non gemino *ij* ſcribebant: & *trahendo*, id eſt, *differendo*: nam *diſtrahere delectum* nuſquam legimus. Palam ergo eſt quomodo emendare debuiſtis?

Cap. VIII. *Senatum prætores per dies aliquot ab ortu ad occidẽtem ſolem in curia retinent*] Opinor auctorem *ab orto* ſcriptum reliquiſſe, id eſt, *ab orto ſole*, idque aliquos veſtri ſimiles mutaſſe.

Cap. XII. *Tibur quo die ad conueniendum edixerat nouis militibus venit, inde Præneſte aduerſis militibus in viam Latinam eſt regreſſus, vnde itineribus ſumma cũ cura exploratis ad hoſtem ducit*] Vos emẽdatis, *inde Præneſte verſis itineribus*: ego *trãſuerſis tramitibus*.

Cap. eod. *Sed vbi aperta omnia apud hoſtes, nec caſtra vllo tumultu motu videt, increpans quidem victos, tandem ques Martios animos Romanis, debellatumque & conceſſum. Quod quis propulanda virtute ne gloria eſſet, in caſtra rediſt. Cæterum tacita cura animum incenſum*] Vos emendatis *propalanda*, quod vocabulum non reperitur à *palam*, neque vt opinor à *pala*, ſed à *palus*, *li*, vt *propalare vineam* apud Lucium Columellam. & *incenſum*, *inceſſit*. Ego ſic: *Increpans quidem victos tandem Martios animos Romanorum: quin debellatum atque conceſſum ei propalam de virtute ac gloria eſſet, in caſtra rediſt. Cæterum tacita cura animum incenſus*, &c. Vel quia quidam codices habent, *increpans victos, quid*

tundem ſic? quod tandem porro Martios animos, Romanis debellatumne & conceſſum propalam de virtute ac gloria eſſet.

Cap.XIV. *Sed vir ac vere Romanus, quo die eum dictatorem ex auctoritate patrum iuſſuq; populi dictum, Veios allatum eſt, cum eſſet ſatis alium Ianiculum, vbi ſedens proſpectaret hoſtem, deſcẽdis in equũ*] Vos ſic: *Veios allatum eſſet, S.C. ſtatim venit Ianiculum, vbi ſedens,* quaſi *venit Ianiculum,* poſſit dici, ſicut *venit homo Romam:* ſed nihil ex ſententia intelligitis, quam vobis aperiam, *alium* mutato in *altum:* nam Ianiculum non maſculini generis eſt, ſed neutri. Exprobrabant Fabio Maximo, qui cunctaretur, iactantes Camillum, qui ſimul ac dictatorem ſe factum accepit (ſatis altum eſt Ianiculum vnde ſedens proſpectaret hoſtem Gallum) ſic nunc è montibus Fabius hoſtem Pœnum (eſtque parentheſis) non hoc ille fecit, ſed in æquum planumque deſcendit.

Cap.XVII. *Quo repente diſcurſu haud ſecus quam ſyluis montibuſque accenſis, omnia circum virgulta ardere carptim queris atque ratio, excitans flammam hominum paſſim diſcurrentium ſpeciem praebebat*] Vos ſic emendatis, *ardere cœperunt, excitatuque flamma:* in quo grammaticæ ratio non conſtat. Ego accipio *ardere* pro *ardebat*, vt intelligatis mihi nõ vobis hoc genus ſermonis notius: emendoque ſequentia, *capitumq; inquietatio excitans flammam.* Erant enim boues; quorum capita alligatæ cornibus faces dolore fatigabant.

Cap. XVIII. *Vt plus conſilio quam fortuna confidat, & ſe potius ducem quam Sempronium Flaminiumque imitetur: ne nihil actum eſſe cẽſeret extructu prope aſtute per ludiſicationem hoſtis; media quoque plus interdum, quippe quam mouendo atq; agendo proficere*] Vos ſuſtuliſtis *media*. Ego ſic emendo: *Medici quoque plus interdum quiete quam mouendo atque agendo proficere.* Vel, *medicos plus interdum quiete quam mouendo atque agendo proficere.* quod etiam probat Hippocrates. Hunc quoque locum Poggius cum non admitteret vt prope correctum, ego dedignatus expectare de reliquis iudicium hominis, qui nihil niſi quod ipſe inueniſſet, bene inuentum iudicaret, eum valere iuſſi; non ita magni referre exiſtimans in literarum ſenatu, ſi vnus, & is pro ſua dignitate retinenda, album mihi calculum non dediſſet. Nam cæteri omnes, qui liberi æmulatione & inuidia erant, hæc vniuerſa ſummopere comprobarunt, quorum vnus fuit ille ipſe cuius memini, Cardinalis Columna, vir non minus ingenio moribuſque, quam genere nobilis, qui has pleraſque emendationes ſuo codici addi à me mea manu voluit. Hæc ideo dixi, vt intelligat à nemine fuiſſe hac in re inuenienda adiutus.

Cap.XIX. *Et tum vniuerſi uduiſos lato agmine, & nonnullis ſimul venientibus haud ſane intrabiles eſſent, in latus paſſim nauet egerunt*] Sic emendandum puto: *Et cum diuerſi a diuiſo late agmine a tam multis ſimul venientibus haud ſane penetrabiles eſſent, in latus paſſim egerunt.*

Cap.XX. *Cæterum omnes incenſum eſt, nec continentis modo periectas oras prætervectu, ſed in Ebuſum inſulam tranſmiſſum*] Vos mutatis *periectas*, in *periunctas*: ego in *proiectas*, hoc eſt, *prominentes*.

Cap.XXII. *Eo vinculo Hiſpaniam vir vnus ſolerti magis, quam fideli conſilio ex ſocietate, duxerat Sagunti nobilis Hiſpanus ſidus ante Pœnis, tum (qualia plerunque faciunt barbarorum ingenia) cum fortuna mutauerat fidem*] Vos ita mutaſtis (cum dico mutaſtis, erraſſe vos aio, atque induxiſſe.) mutaſtis autem, facientes ex binis dictionibus ſingulas, de *ex ſocietate, exolnẽdam:* de *duxerat, duxeras*. Ego ſic, *conſilio exoluit:* eſtque finis ſuperioris ſententiæ. Tum ſequitur altera. *Acedux erat Saguntini nobilis Hiſpanus.* Siquidem *Acedux* nomen hominis eſt, vt in ſequentibus patet.

Cap. XXIII. *Conuenerat inter duces Romanos Pœnumque, vt qua pars prius reciperet quam daret, argenti pondo bina & ſex libras in milites præſtaret. CCXLVII. cum plures Romanus quam Pœnus recepiſſet, argentumque pro eis debitum ſape, &c.*] Vos mutatis *prius* in *plus*, ego in *plures*, & *milites* in *militem*, & *ſex libras* in *ſelibras*, id eſt, in ſingulas libras cum dimidiata, vt *ſemodius* vnus modius eſt & dimidiatus, & *ſeſcunx* vncia & media.

Cap.eod. *Annibal pro Geryonis mœnibus, cuius vrbis captuq; incenſæ à ſe in vſum horreorum pauca legi qua erat tectu, inſtitui ſenſerant, inde frumentatum duas exercitus partes mittebat*] Vos ſic: *Pauca reliquerat tectu*, quod ego non damno, quodque ego per me animaduerteram. id ſi vos non conceditis, nec ipſe concedam vobis iſtud vos inueniſſe, ſed aut è libro, aut ex homine didiciſſe. & alioqui altius ipſe & plura quam vos emendaui, ſic: *In vſum horreorum ſi qua reliqua erant tectu reſtitui iuſſerat.*

Cap.XXVI. *Patrem lanium fuiſſe ferunt, ipſum inſtitutorẽ mercis, filioq; hoc ipſo in ſeruilis eius artis miniſterio vſum. Is iuuenis vtrum ex eo genere quæſtut pecunia à patre relictu animum ad ſpem liberalioris fortuna adiecit*] Ego reor non *inſtitutorem*, ſed *inſtitorem* legendum: & pro *vtrum, multa* ſic egrundi. Vos *vtrum*, cum tamen neceſſarium ſit ſuum adiectiuum habere *pecunia*. non enim quantacunque pecunia à patre relicta facit animos, ſed multa.

Cap.XXIX. *Non celerius quam timui deprehendit fortuna temeritatem. Fabij æquatum imperio Annibalem, & virtute & fortuna ſuperiorem videt*] Hoc vos in regio codice reliquiſtis inemendatum, quod ſic emendandum erat: *Fabio æquatus imperio, &c.*

Eod. *Itaque prius quam ad coniectum teli veniret, aut manum conſereret, ſuos à fuga effuſa, & ab animus feroci pugna hoſtis continuit*] Emendare debuiſtis, *et à feroci pugna.*

Cap.XXX. *Progreſſus ante alios magiſter equitum eum Patrem Fabium appellaſſet, circumfuſoſque milites eius patronus totum agmen conſalutaſſet, Parentibus, inquit dictator, medis quibus te modo nomine, quo fando poſſum, æquaui, vitam tantum debeo, tibi cum meam ſalutem, tum omnium horum*] Vos emendaſtis: *Parem, inquit dictator, te diis modo nomine.* Ego ſic: *Parem, inquis dictator, meis quibus te modo, &c.*

Cap.XXXII. *Neapolitani legati Romã venerunt, ab his quadraginta pateræ aurea magni ponderis in curiam illatæ, atque ita verba facta, vt dicerent, ſciveret eſſe populi ærarium bello exhauriri*] Opinor ſic legendum: *Scire ſeſe populi*, vel, *ſcire ſe reipublicæ ærarium, &c.*

Eod. *Gratum ſibi patres Romanos populumque facturum, ſi omnes res Neapolitanorum ſuas duxiſſent, dignoſque iudicauerint à quibus donum animo ac voluntate eorum qui libenter darent, quam rem maius ampliuſque acciperent*] Emendare debuiſtis, *quam re muniat, &c.*

Cap. XXXIII. *Ab eodem populo Romano S.C. litera ad conſules miſſa*] Debuiſtis emendare, *ab eodem prætore ex S.C. litera, &c.*

Cap. XXXIV. *Terentius Varro ne quem ſui generis hominem plebs inſectatione principum, popularibuſque artibus conciliatum, ab Q. Fabij opibus ex dictatorio imperio concuſſum, aliena inuidia ſplendentem, vulgus extrahere ad conſulatum nitebatur*] Emendare debuiſtis, *C. Terentium Varronem, quem ſui generis hominem plebs inſectatione principum, &c.*

Cap.XXXVIII. *Nihil inclementer in Varronem dictum, niſi id modo, mirari ſe, quod ne quis prius quam aut ſuum, aut hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam regionis noſſet, iam nunc locatus in vrbe ſciret quæ ſibi agenda armato forent*] Credo ſic legendum: *Mirari ſe quomodo, vel quemadmodum quis*, id eſt, *aliquis, dux prinſquam,* &c.

Cap.XXXIX. *Dubitas ergo quin eum ſedendo ſuperaturi ſumus, qui ſeneſcat in dies? non commeatus, non ſupplementum, non pecuniam habeat? Quamdiu pro Geryonis caſtelli Apuliæ ignobilis tanquam pro Carthaginis mœnibus, ſed ne aduerſus te quidem ego gloriabor*] Petrarcha addidit, *pugnatum eſt*, vt eſſet, *tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum eſt.* Vos addidiſtis, *pugnabimus.* Ego *ſed*, muto in *ſedet*: vt ſit, *quamdiu pro Geryonis caſtelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus ſedet.*

Eod. *Duobus ducibus vnus reſiſtas oportet, reſiſtes autem aduerſus famam, rumoreſque hominum, ſi ſatis firmus ſteteris, ſi te neque collegæ vana gloria, neque tua falſa infamia moueris a veritate. Laborare nimis ſæpe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui ſpreuerit, verum habebis*] Vos vero nihil intellecta ſcriptura ſic emendatis: *Veritatem laborare nimis ſæpe aiunt, extingui nunquam.* Eſt autem etiam hac ætate tritum hoc vulgi ſermone prouerbium, vt pinguioribus verbis efferam: *Aegrotat quidem ratio ſine ius aliquando, ſed nunquam moritur.*

Eod. *Omnia audentem contemnet Annibal, nihil temere agentem metuet. Nec ego vt nihil agatur, ſed vt agentem te ratio ducat licet, non fortuna*] Petrarcha videns hoc in loco deeſſe verbum, addidit *moneo*, ſic: *Nec ego vt nihil agatur moneo.* Sed hæc additio ſuperuacua eſt, tantumque mutandum *ego* in *eo*, quod ſignificat *in eum finem.*

Cap.XLVI. *Gallis Hiſpaniſq; ſcuta eiuſdem forma fere erant, diſpares ac diſſimiles gladij. Gallis prælongi ac ſine mucronibus: Hiſpano punctim magis quam cæſim aſſueto petere hoſtem, breuitate habiles, & cum mucronibus, ante cetris animato. Is gentium habitus tum magnitudine corporum, tum ſpecie terribilis erat: Galli ſuper vmbilicũ erant nudi, Hiſpani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus conſtiterant*] Vos ſic emendatis: *Talis habitus gentium illarum.* Ego ſic: *Ante alia habitus*, ſiue *inter alia ipſe habitus.*

Cap.XLIX. *Hac exacemis prius turbas fugientium ciuium, deinde hoſtes oppreſſere conſulem ignorantes quis eſſet, obrueruntq; telis*] Vos emendatis, *hac exigentis*. Ego, *hac exigentem*, id eſt, poſtulantem à

Digitized by Google

Lentulo conſule.

Cap. I. *Hæc pugna Allienſi cladi nobilitate par, cætera vtilis, quæ poſt pugnam accidere leniora*] Ego ſic emendo: *Cæterum vt illis quæ poſt pugnam accidere, lenior, quia ab hoſte ceſſatum eſt*. Hoc eſt, quia Annibal ceſſauit petere vrbem, vt Galli petierunt ſuperatis ad Alliam Romanis. Præterea *namque*, vna dictio, debet diuidi in duas, vt ſit relatiuum *quæ*: refertur enim ad illud *fuga*: Ita tota emendatio erit ſingulis dictionibus in binas ſeparatis, *vtilis*, in *vt illis*: *namque* in *nam quæ*, & *leniora* mutato in *lenior*.

Cap. LI. *Marhabal præfectus equitum minime ceſſandum ratus: imo vt quid hac pugna actum ſcias, die quinto, inquit victor in Capitolio epulaberis: ſequere cum equite, vt priuſquam veniſſe, quam venturum ſciant. Præcedam (Annibal inquit) inimici, læta res, & tua maiorque quã vt eam ſtatim capere animo poſſem. Itaque voluntate ſe laudare Mahar balis ait, ad conſilium penſandum tempore opus eſſe*] Ita in cæteris fere exemplaribus: in regio autem, quod Florentiæ emendatum eſt, ſic: *Præcedat Annibal, læta res & nulla maior*. quod vos ſic emendatis: *Præcedat, Annibal inimicus, lætaret, & nulla maior*, ſcilicet vultis, vt hæc ſit oratio Maharbalis, quæ eſt auctoris, ideoque ſic emendanda: *Præceperat*, ſiue *pertulerat*, ſiue *peruaſerat Annibalem*, ſiue *inceſſerat Annibali nimia lætitia*, ſiue *nimia tantæ rei*, ſiue *rei talis*, ſiue *victoriæ lætitia, maiorque quam vt eam ſtatim capere animo poſſet*. Commuto autem *quæ* extenſum, in contractum, ſeu diphthongatum ſiue longum, in non diphthongatum & breue. Hanc meam emendationem probat eſſe veram concluſio quæ ſequitur: *Itaque voluntatem ſe laudare Maharbalis ait*.

Cap. LII. *Spoliit ad multum delectis Annibal ad minora ducit caſtra oppugnanda*.] Opinor legendum, *ſpolijs ad multũ diei*, vel *ad multam diem lectis*.

Cap. LIX. *Sed tam duriores eſſe velitis, quod nullo noſtro merito facietis, cur nos hoſti relicturi ſitis?*] Opinor *iam* legendũ eſſe, etiãſi *tam* ſcribitur. Siquidem Quintilianus ait vſu receptum: vt *ſic iam*, vt *tam* ſcribatur.

Cap. LXI. *Quo in tempore ipſo adeo magno animo ciuitas fuit, vt conſuli ex tãta clade, cuius ipſe cauſa maxima fuiſſet, redeunti, & obuiam itum frequenter ab omnib. ordinibus ſit, & gratiæ actæ quod de republica non deſperaſſet: qui ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet, nihil recuſandum ſupplicij foret*] Opinor legendum, *cui ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet, nihil recuſandũ ſupplicij foret*. vel, *qui ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet, nihil ei recuſandum ſupplicij foret*.

IN XXIII. LIBRO EMENDATA.

CAP. I. *Hac Annibal poſt Cannenſem pugnam, capta ac direpta confeſtim ex Apulia in Samnium mouerat, accitus in Hirpinos à Statio, pollicente ſe Cõpſam traditurũ*] Vos addidiſtis *caſtra*, ſic: *caſtra capta ac direpta*, quũquam poterat ſic mutari ſine vlla additione, *caſtraq; direpta*. Sed non improbo additionem, ſiue ſit ea ex verbis, ſiue ex aliquo exẽplari, nam multa cõquiſiſtis. Cęterum quid ſibi vult primũ illud verbũ, *hac*? Ego ſuperuacuum exiſtimo, & hac de cauſa adiectum, quod ij qui *Annibal* ſine aſpiratione ſcribunt, ipſam figurã aſpirationis in principio libri nonnihil diſtare à ſequenti vocali, & forte maiuſcule ſcriptã videntes, non partem huius nominis, ſed aliud eſſe putauerunt. Igitur *hac*, quod vicinum in ſcriptura erat, interpretati ſunt.

Cap. VI. *Celiuſque & alij, ita vt ſine cauſa prætermiſerãt ſcriptores ponere pro certo ſum veritas*] Vos ſic emendatis: *Celiuſque & alij, ita vt ſine cauſa prætermiſerant*, quod Grammatica non cõſentit. Ego ſic: *Celiuſq; & alij ſcriptores haud ſine cauſa prætermiſerant*, Nam quidam *haud* per *t* ſcribunt, hincque fuit erroris cauſa.

Cap. VII. *Hæc pacta, illa inſuper quam quæ pacta erant facinora Campani ediderunt*] Deinde ſubiungitur interfectio præfectorum, ciuiumque Romanorũ. Vos ita hoc emendatis, vt duo prima verba tollatis, tertium mutetis in *alia*. Ego nihil ex ijs nec tollo nec muto, ſed *facinora*, in *fœdiora* ſic: *Hæc pacta*, ſubaudi *fuerunt*: *illa inſuper quam quæ pacta ſunt fœdiera Cãpani ediderunt*.

Cap. VIII. *Eo Pacuuius Calauius, de quo ante dictum eſt, princeps factionis eius, quæ attraxerat rem ad Pœnos, filium iuuenem adduxit. Abſtractum à ſuo cum Decio ait latere, cum quo ferociſſime pro Romana ſocietate aduerſus Punicum fœdus ſteterat*] Vos ſic emendatis, *abſtractum à ſuo, à latere Decij*. Ego, quia Liuius illum ſemper duobus nominibus appellat, ſic emendo: *Abſtractum à ſuo Decij Magij latere*.

Eod. *Cœperunt epulari de die, & conuiuiũ non ex more Punico, aut militari diſciplina eſſe, ſed vt in ciuitate atq; etiam domo, diu ad varias hominum voluptatum illecebras inſtructum. Vnus nec dominorum inuitatione, nec ipſius interdum Annibalis. Calauij filius Perolla vinum potuit. Ipſique valetudinem excuſans pater: animi quoq; aut mirabilem interturbationem cauſa, ante ſolis ferme occaſum patrem Calauium filius vbi in ſecretum (hortus erat poſticis ædiũ partibus) peruenerunt*] Vos ſic emendatis, *permolliri potuit ipſi iſque valetudinem excuſans pater*. Ego ſic: *Pelli ad vinum potuit cibumque, valetudinem excuſante patre: animi quoque eius haud mirabilem turbationis cauſam*, vel, *animi quoque eius atram bilem interpretabatur cauſam*, vel, *haud miram ait perturbationem*. *Paulo ante Solis occaſum*, &c.

Eod. *Conſilium, inquit, affero pater, quo non veniam ſolũ peccati, quod defecimus ad Annibalem, impetrari ab Romanis, ſed in multo maiore dignitate & gratia ſimus Campani quam fuimus vnquam*] Non *impetrari* ſcribendum reor, ſed *impetraturi*.

Cap. IX. *Paucæ horæ ſunt intra quas iurantes per quicquid deorum eſt dextræ dextras iungentes fidem obſtrinximus, vt ſacratis de menſis eſſemus. digreſſi à colloquio extemplo in eum armamur iurgijs ab hoſpitali menſa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibale, eam ipſam menſam cruentare vis hoſpitis ſanguine?*] Credo legendum non *iurgijs*, ſed *periurijs*.

Cap. X. *Et legatione miſſa ad repetendum eum, ac aut negando rem quam primum peterent, offendi ſibi noui ſocij, aut tribuendo habẽdus Capuæ eſſet ſeditionis ac turbarum auctor*] Legendum opinor non *offendi*, ſed *offendendi*.

Cap. XII. *Mihi quoque quoniam reſpondi Hamilconi, interrogare ius faſque eſt, velim ſeu Hamilco reſpondeat*] Legendum credo, *ſeu Mago, ſeu Himilco reſpondeat*.

Cap. XIII. *Ergo ſi quis de pace conſultet ſeu deferenda hoſtibus ſeu accipienda, habeo quid ſententiæ dicam, ſed de ijs quæ Mago poſtulat repertis. Nec victorib. mitti attinere puto, & fruſtantibus nos falſa atque inania mallo minus cenſeo mittenda*] Sic legendum puto: *Sed de ijs quæ Mago poſtulat, nec repertis victoribus mitti attinere puto*.

Cap. XV. *Cupidus marini oppidi potiundi*] Opinor legendum, *maritimi*.

Eod. *Cæterum poſtquam Neapolim à præfecto Roman. teneri accepit (M. Iunius Syllanus erat ab ipſis Neapolitanis accitus) Neapoli quoque ſicut Nolam amiſſa, petit Nuceriam*] Opinor legendum, *Nola omiſſa*.

Cap. XVI. *Inſtrui deinde vtrinque acies Romanorum cœpta pro mœnib. Nolæ, Pœnorum ante caſtra ſua: prœlia hinc parua inter vrbem caſtraq;*] Obſcurus ſenſus, qui fiet apertiſſimus, ſi loca duarum dictionum contiguarum mutauerimus, ſic: *Inſtrui deinde vtrinque acies cœpta, Romanorum pro mœnibus Nolæ*, &c.

Eod. *Media porta robora legionum et Romanos equites, duabus circa portis nouos milites leuemq; armaturam ac ſuorum equites ſtatuit*] Opinor legendum, *ſociorum*, non *ſuorum*.

Eod. *Non vinci enim ab Annibale vincere ſolitis difficilius fuit quam poſtea vincere*] Opinor legendum, *non vinci enim ab Annibale vinci ſolitis*, ſiue *vinci ſuetis*, vel *vincere ſolito* ſiue *ſueto*.

Cap. XVII. *Annibal Acerris direptis atque incenſis, cum à Caſſilino dictatorem Romanum legioneſque minus accipi nunciatum eſſet, ne quis tam propinquis caſtris*, &c.] Vos mutatis *minus*, in *Cumis*, ego in *nouas*: & *accipi*, in *acciri*: quod ita debere legi, qui verba ipſa auctoris de duabus nouis legionibus legit, animaduertet.

Eod. *Ibi cum dies aliquot ſuſcepti Campanis, timenteſque cauendis ac ſtruendis inuicem inſidijs traduxiſſent*] Voc ſic emendatis: *Ibi cum dies aliquot ſuſcepti, Campanis ſuſceptis, timentibuſque cauendis ac ſtruendis*. Ego tantum muto *ſuſcepti* in *ſuſpecti*.

Cap. XVIII. *Ita eneruauerunt corpora animoſque, vt magis deinde præterita victoria eos quam præſentes tutarentur vires: maiuſque id peccatum ducis apud peritos artium militariũ haberetur, quam quod non ex Cannenſi acie ad vrbem Romanam duxiſſet*] Vos ſic emendatis. Cum dico vos, de quatuor ineptimis loquor, duobus quidem, contra quos vt nefandiſſimos mei accuſatores hęc ſcribo: totidem autem abſentibus, Iacobo Curlo, quem tibi Bartholomæo antepono, & Antonio Panhormita rhetore, quem proxime periſſe audio, non modo Latinarum, ſed Græcarum literarum ſane perito, qui ſuas Genuam emendationes ad Curlum miſerat. Vos igitur regium codicem, quo nullus in omni Italia eſt auguſtior, vel emendatis, vel deprauatis.

Eod. *Id peccatũ ducis apud peritos artium militariũ habetur maius, quam quod non ex Cannenſi acie*, &c.] Ego ſententiã ſuperiorem ſic claudo: *quam præſentes tutarentur viros*. & ſequentẽ, mutato *manus* in *maius*, ſic inchoo. *Maiuſq; id peccatũ ducis apud peritos artiũ militariũ habetur*, & reliqua. Dixi inchoari ſequẽtem

ſententiam, ſed ita volo dixiſſe, vt ſciamus eam à ſuperiore pēdere, ideóq; ſcribēdum *haberetur*, non *habetur*, ſicuti vos emendatis.

Cap. XIX. *Nec muribus ulióve animali abſtinerēt, et omne herbarū radicúmq; genus aggeribus infimis muri eruerēt, etcum hoſtes exaraſſent quicquid herbi terreni extra murū erat, raporū ſemen iniecerūt.*] Vos mutatis, *herbi*, in *herbidi*, & *raporū* in *raparum*. Ego *infimis*, in *infimi*, de ablatiuo plurali in genitiuum ſingularē, & *herbi terreni*, in *herbidi* vel *herba tenerū*, *raporum* autem in *raparum* cur mutaueritis, non video, cū Cato, Varro, Columella, Plinius, Martialis, Palladius, aliiq; cōplures, *rapa* neutro genere appellent.

Cap. XXI. *Fuluius Flaccus in locū P. Scantini demortuus*] Vos emēdatis, *in locum P. Scauri inde mortui*: quaſi dicatur *inde mortuus*, & non ſemper *demortuus*.

Cap. XXII. *Cū de eare M. AEmilius prætor dictatore poſt Caſilinū amiſſum profecto tā ad exercitū expoſcentibus cunctis retuliſſet*] Vos mutatis *tam* in *tum*, neſcij *tam* pro *iam* ſcribi, vt iterum admonuimus.

Eod. *Acciríque C. Terentiū conſulem ad dictatorem dicendū iuſſerint, qui eo ex Apulia, relicto ibi præſidio, cum magnis itineribus Romam rediiſſet*] Vos emendatis, *qui conſul ex Apulia*. Ego, *qui mox ex Apulia*.

Cap. XXIV. *Idq; ſacrū vaſis erat, quo ſolennibus libarent*] Opinor legendum, *ſacrum vas iis erat*, vel *ſacrum vas erat*.

Cap. XXV. *Quid in Apulia cū C. Terētio cōſule eſſet, à peritis quaſitum eſt, ne ſecundo conſiliarius exercitus ſatis firmi ad tantū bellū efficerentur, iuibatur ratio*] Vos ſic emēdatis, *quæſitū eſt duone conſulares exercitus*. Ego: *Nec quomodo conſulares exercitus*, & reliqua.

Eod. *Eodem ex in dictatoris legionibus reiici militē minimi quemq; roboris*] Opinor ſcribendū, *eodē ex trib. dictatoris legionibus*. Tot enim habuit dictator legiones, & binos conſules.

Cap. XXVIII. *Cum decreta ſenatus mādataque expoſuiſſet, atq; edocuiſſet, ipſe inuicē quēad modum tractādum bellum in Hiſpania foret: retro in ſua caſtra rediit, nulla re quam celeritate tutior, quod vndiq; abiecerat antequam conſentirent*] Vos hæc vltima verba ſic emendatis: *antequam eum ſentirēt*. Ego, *antequā conſules ſentirent*. Siquidem duo conſules tunc in Hiſpania erant, quos ille fefellit. *Carthaginienſis* & *conſules* vna ſyllaba ſcriptum erat, vt in plurimis verbis fit. Porro illud inemendatum reliquiſtis, *atq; edocuiſſet*: quod eſt ita emēdandum, *atque edidiciſſet*, vel, *atque edoctus fuiſſet*, videlicet quomodo ille ad quē venerat, tractare bellū vellet.

Eod. *His an vij curis ad Iberū cōuertunt copias, ac traſito amne cum diu conſultaſſent, vtrū caſtra caſtris cōferrent, ſi ſatis haberent ſociis Carthaginenſium oppugnandis, morari ab itinere propoſito hoſtem, vrbem à propinquo flumine Iberam appellatam opulentiſſimam ea tempeſtate regionis eius, oppugnare parant*] Vos ſic emendatis: *Vtrum caſtra caſtris conferrent, an tum haberent*. quæ ſententia non habet exitum. Ego ſic, *an ſatis haberent*.

Cap. XXX. *Abſumptis enim frugum alimentis, carniſq; omnis generis quadrupedumq; ſuetemq;, poſtremo coriis herbiſq; & radicibus, & corticibus teneris, ſtrictiſq; rubis*] Ego opinor legendum, *ſciurorumque*, pro *ſuetemq;*: quæ verba vos quia emendare neſciuiſtis, eraſiſtis.

Eod. *Senatus decreuit vt T. Sēpronius cōſul deſignatus cum Ibono iniſſet, ad populū ferret vt Fabiū ſiue diū virum eſſe iuberent ædis dedicandæ cauſa, & M. AEmilio Lepido quibus conſul augurque fuerat ſilatres l.m, quæ audiſſe funebres per triduum & gladiatorem paria duo & viginti per triduum in foro ædiles curules C. Lectorius & T. Sempronius Gracchus conſules deſignati, qui in ædilitate magiſter equitum fuerat, ludos Romanes fecerant, qui per triduum inſtaurati ſunt. Circum acto tertio anno Punici belli T. Sempronius conſul deſignatus, idibus Martiis magiſtratum iniit*] Vos hic nihil emendaſtis, niſi cum *Ibono iniſſet*, ſic: *cum primum magiſtratū iniſſet*: quod falſum eſſe ex poſterioribus coarguitur, quia ante fuerunt editi ludi, quam Sempronius iniſſet magiſtratum, vt ipſa quæ poſui verba indicant. Poſtea mutaſtis *ſilatres*, in *ſimul imperatores*, hoc eſt, *tres imperatores*, quæ nulla ſententia eſt. Ego ſic arbitror emendandum: *Senatus decreuit vt T. Sempronius conſul deſignatus, cum bono omine ad populum ferret*. Ideo autem præfati ſunt com bono omine, quia poſt motum bellum numquam fecerant ludos, aliis ſuper alias cladibus nunciatis. Peragocætera: *Vt duumuiros eſſe iuberent ædis dedicandæ cauſa. C. Aemilij Lepidi, qui bis conſul augurque fuerat, filij tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti per triduum, in foro dederunt. Aediles curules C. Lectorius & T. Sempronius Gracchus conſul deſignatus, qui in ædilitate magiſter equitum fuerat ludos Romanos fecerunt*, & reliqua.

Cap. XXXII. *Conſules exercitus inter ſe diuiſerunt. Fabio exercitus, cui M. Iunius dictator præfuerat, euenit. Semp. Volonum, quod fuerat, & ſociorum XXX*] Lego, *Sempronio Volones, qui fuerunt, & ſociorum XXV. millia*. Sunt autē *volones* ſerui quibus pro republ. arma tradebātur, ſic apellati, quod vltro vellēt militare pro dominis.

Cap. XXIV. *Subductæ naues dum refiguntur aliquantum temporis trinere*] Sic legitur per vos in regio codice emendatum, cum emendare debuiſſetis, *reficiuntur*. Nam *refigere* eſt quod fixum eſt educere.

Cap. XXXV. *Campanis omnibus ſtatutum ſacrificium ad Hamas*] Legendum eſt *ſtatum*, de quo fuit inter nos apud regem controuerſia, quodq; ego multis rationibus atque exēplis probaui.

Eod. *Iam Campani eo frequentes ex compoſito conuenerant, nec procul inde in occulto Marius Alpius edixit, vti cui ſummus magiſtratus erat Campaniæ, cum XIIII. maiorum habebat caſtra*] Vos ſic emendatis: *Martius Alpius & ipſe, vti cui ſummus magiſtratus erat Campanis, cum XIIII. iuniorum* vel *militum habebat caſtra*. Ego ſic: *Mediaſtaticus* vel *Mediſtuticus, qui ſummus magiſtratus erat Campanis, cum XIIII. militum habebat caſtra*. Eſt autem Mediaſtuticus nomen magiſtratus, vt aliis in locis apud Liuium, libro ſecundi belli Punici 6. patet. Si quis tollendum relatiuum putat, vt ſit *Mediſtuticus ſummus magiſtratus erat*, tollat licet.

Cap. XXXVI. *Ipſe ad Hamas vacua hoſtibus caſtra ne quicquam præter recentis veſtigia cædis ſtrataque paſſim corpora ſociorum inuenit*] Legendum eſt, *nec quicquam*. Cum dico legendum, dico vos emendare debuiſſe.

Cap. XXXVII. *Aduerſus ligneam ingentem turrium admotam vrbi, aliam ex ipſo muro excitauit conſul Romanus aliquanto altiorem, quia muros ſatis per ſe ultro ſubiectis validus ſupplicatis pro ſolo uſus erat*] Vos tamen in margine ex purpureo colore feciſtis pro *ſupplicatis*, aliter *ſublicis*. Opinor, Antoni, nonnihil reminiſcebaris correctionis meæ apud regem. quod ſi prorſus reminiſcebaris quomodo hunc locum emendarim, nec me auctorem in emendando regio codice habere voluiſti, nihil eſt te pertinacius. ſi obliteratus es, nihil te obliuioſius atque bebetius. Ego ſic emendandum eſſe librum te admonui, rege approbante, & vt reor, etiam memoria tenente. *Quia muro ſatis per ſe alto ſubiectis validis ſublicis pro ſolo vſus erat*. Eſt enim *ſublica* genus trabis, vnde dictus eſt *pons ſublicius*, quod non ex lapidibus eſſet, ſed ex ſublicis ſtructus, non ſolum Romæ, & in Tiberi, ſed in aliis etiam fluminibus.

Eod. *Ad mille CCCC. Carthag. caſi, & inde LX. vini capti*] Opinor legendum, & *vnde ſexagiata vini capti*, hoc eſt, vno dempto ex LX. qui ſunt LIX. captiuis in vincula coniectis.

Cap. XXXIX. *Itaque ignarus his quæ cum Annibale legatis ſuis conueniſſent*] Vos emendatis *legati ſui*, quod nec fuit emendandum, & ſic emendari Grammatica vetat.

Cap. XLII. *Nec te nec exercitum tuum non miſi, à quo tot acies Romanas fuſas ſtratasque ſciam, ei facile eſſe dicam, opprimere populatores noſtros vagos ſine ſignis palatos, quo quemque trahit, quamuis vana prædæ ſpes*] Opinor legendum, *nec te, nec exercitum tuum norim, niſi vel ui à quo tot acies*. & reliqua.

Eod. *Si modo quos ſocios haberes dignos duxiſti, ad id indignos iudicas, quo in fidem receptos tuearis*] Vos emēdatis, *niſi quos modo vt ſocios haberetis*. Cum ſic fuerit emēdandū: *ſi modo quos vt ſocios haberes dignos duxiſti, haud indignos iudicas quos in fidē receptos tuearis*.

Cap. XLIII. *Exercitum eſſe non in agrum Hirpinum ſociorumue*] Opinor legendum, *exercitum miſiſſe*.

Eod. *Sed quid inter Capua Nuceriæque fortunam intereſſet, ipſos prope in medio ſitos Nolanos ſcire: nolo minari quæ capta vrbi ceſſura forent*] Vos emendatis *nolle*, pro *nolo*. Ego *ominari*, pro *minari*.

Cap. XLV. *Romam vos expugnaturos ſi quis duceret: fortes lingua iactabatis: enim minor eſt res, hic experiri vim virtutemque volo*] Opinor legendum, *en minor*, vel, *en nunc minor eſt res*.

Cap. XLVI. *Sed Nolanis etiam per clamorem fauoris indicem accendentibus*] Ego *fauoris indicem*, vt apod Ciceronem pro Rabirio: *Quin cōprimitis iſtam vocem indicem ſtultitiæ, teſtem paucitatis?*

Cap. XLVII. *Taurea verbis ferocior quam re, minime ſis, inquit, Cantherium in foſſam?*] Vos emendatis, *minime ſis*, cum eodem modo hic dicatur *ſis* aduerbiabiliter, quo *ageſis*, quod exponunt *ſi vis*: cuius generis ſunt plurima exempla.

Eod. *Huic pugnæ equeſtri rem quam ætatis communis certa exiſtimatio eſt*] Ego ſic: *quam ſatis certam communis exiſtimatio eſt*.

Cap. XLVIII. *Literis recitatis nemo omnium erat qui nec vera ſcribi, & poſtulari æqua fateretur*] Opinor ſic legendum: *Nemo omnium erat, quin & vera ſcribi*, &c.

Digitized by Google

Cap. XLIX. *Quorum duo poſtulata fuere, vnum ne tarem ũ in eo publico eſſent.*] Vos ſic emendatis: *Quorum duorum poſtulata fuere, vt talentum in eo publico eſſet*, quæ ſententia nec eum re conuenit, nec vllius eſt vſus. Ego ſic: *quorũ duo poſtulata fuere: vnum ne alij triennio eo publicani eſſent.* publicanorum enim hæc poſtulata erant, qui reipublicæ præſentem pecuniam, & quidem gratuitam mutuabant, ſed ſub ſpe: quia tunc nec in ærario quicquam, nec in vectigalibus foret.

Eod. *Quẽadmodum conducta omnia magno animo ſunt: ſic ſumma fide præbita: nec quicquam ſi ex opulento ærario, vt quondam aleretur.*] Opinor legendum: *Nec ſecus, quam ſi ex opulento.*

IN XXIIII. LIBRVM emendata.

FLVMEN *quod medio oppido fluxerat, extra frequẽtia tectis loca præter fluebat, ut agros qui habitabãtur ſex millia aberat.* Opinor legẽdũ, *præterfluebat muros procul iis qui habitabãtur.*

Cap. IV. *In Sicilia Romanis omnia mutauerat mors Hieronis, regnumque ad Hieronymũ nepotem eius tranſlatum, puerum vixdũ libertatem, nedum dominationem modice laturum. Aetatis id ingenium tutores atque amici ad præcipitandum in omnia vitia acceperunt.*] Ego accipio, *modice* aduerbialiter, pro eo quod eſt *temperate* & *modeſte*: ideoque ſuperiorẽ ſententiã ſic claudo, *nedum dominationem modice laturum.* ſequentemque ſic incipio, motoque ſic: *Lætati, id ingenium tutores atque amici.*

Eod. *Quas ita futura cernẽs Hiero, vltima ſenecta voluiſſe dicitur liberas Syracuſas relinquere, ne ſub dominatu puerili, per ludibriũ bonis artib. partũ firmatumq; interiret regnũ. Huic conſilio ſumma ope obſtitere filiæ, nomen regium penes puerum futurũ rata, regimen rerum omnium penes ſe viroſque ſuos Andronodorũ & Zoilum, primi relinquebantur.*] Ego ſic emendandum reor: *Penes ſe viroſque ſuos Andronodorum & Zoilum, nam ij tutorum primi relinquebantur*, vel, *nam ij duo primi*, vel, *ij enim duo primi*, &c.

Eod. *Deinde ceteros tutores ſummouet Andronodorus, iuuenem iam eſſe dictitans Hieronymum, ac regni potentem, deponendamq; tutelam ipſi qua communis cum pluribus erat, in ſe vnum omnium vires conuertit.*] Legendum opinor, *deponendaque tutela*, id eſt, deponendo tutelam quæ ipſi cum pluribus communis erat, in ſe vnum omnium vires conuertit.

Cap. V. *Hunc tam ſuperbũ apparatum habitumque, conuenientes ſequebantur contẽptus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus nõ modo alienis, ſed tutoribus, libidines nouæ, inhumana crudelitas.*] Ego emendo *conuenientes* in *cõuenientia*, & addo etiam vt quidam addunt, *difficiles*, vt ſit, *difficiles aditus.*

Cap. VII. *Clamore & tumultu audito in Indigeminem tũ haud dubie obſtantem tela coniiciunt.*] Vos emendatis *tam*, in *tamen*: ego pro *tum*, *iam* puto legendum, vt bis iam dixi.

Eod. *Inde Romam comitiorum cauſa veniẽs, in eum quem primũ diem comitialem habuit, comitia edixit, atque edixit intro præter vrbem in cãpum deſcendit.*] Vos ſic emendatis, *comitialẽ habuit eo die, comitia dixit, atq; edixit inire.* Ego ſic: *Comitia edixit, atq; ex itinere præter vrbem in cãpum deſcendit.* Quod probatur ex illo non longe poſt loco: *Et quia vrbem non inierat, protinus in cãpum ex itinere profectus. Comitialem* à *comitiis* dixi, quæ ſunt actus creandorũ magiſtratuũ: non à *Comitio*, quod, vt ait Pedianus, eſt locus prope ſenatũ, quo ire equitib. & populo Romano licebat. Itaq; aliud ſingulare, aliud plurale ſignificat.

Cap. VIII. *Ob eãdem cauſam (vt multis annis poſt fuiſſe non negauerim, cum M. Valerio non diffideretur aduerſus ſimiliter prouocantem arma capienti Gallum ad certamen.*] Hic ego reor mutandum, *vt* in *haud*: commutandaque aliorum verborum loca, ſic: *Ob eandem cauſam haud multis annis poſt fuiſſe non negauerim, cum M. Valerio non diffideretur arma capienti aduerſus ſimiliter prouocantem ad certamen Gallum.*

Cap. X. *Fontem ſub terra tanta in aquam fluxiſſe.*] Opinor legendum, *tanta vi aquarum*, &c.

Eod. *Tactum de cælo atrium publicum, & in Capitolio, ædem in campo Vulcani, vocem in Sabinis publicamque viam, murum ac portam Gauiſiam.*] Vos mutatis *vocem* in *arcem*, ego in *nucem*.

Cap. XXIII. *Inchoata noſtra gloria nondũ perfecta eſt, periculũq; ingẽs manet, niſi faciẽ cõcordia conſulitis ne libera afferatur res.*] Vos ſic emẽdatis, *niſi facie cõcordia cõſulitis.* Ego ſic: *niſi ciuiũ*: vel *publica*, vel *cõmuni cõcordia*, vel *niſi pariter cõcordia cõſulitis.*

Cap. XXVIII. *Eſſe aliquid etiam monumenti ad conſiliũ.*] Opinor legendum, *momenti.*

Cap. XXX. *Ipſi cum paucis equitib. Herbeſum proficiſcuntur, ſpe territis omnibus per proditionem vrbis potiundæ.*] Vos ſic emendatis, *ſpe freſis omnibus*; quod longe abeſt à vero. Nam ideo proficiſcebantur cum paucis equitibus Herbeſum, quod erat eis ſpes vrbis potiundæ per proditionem, omnibus qui Herbeſi erant iam territis. Neſciſtis diſtinguere hanc clauſulam, ergo nec ſenſum eius percipere.

Eod. *Prima forte ſigna ſexcentorum Cretenſium erant qui apud Hieronymum meruerant.*] Vobis quidem venit in mentem emendare, *prauia fronte.*

Cap. XXXI. *Inter hoc colloquium ſigna conſtituerant, tenebaturq; agmen, necdum qua mora cauſa foret peruenerat ad duces. Poſtquam Hippocratem & Epicidem peruaſerat rumor.*] Hic quoq; vos additis *aduenire*, quaſi non ſubintelligatur verbum ſubſtantiuum, ſic: *Hippocratem & Epicidem eſſe.*

Eod. *Velut interceptas literas quas ipſe cõpoſuerat recitat. Prætore Syracuſanos Marcello ſuo ſalutẽ, vt aſſolet ſcriptũ erat. Recte eum atq; ordine feciſſe.*] Opinor ſcribẽdũ, *Syracuſani*: eſt enim principiũ epiſtolæ, prætores Syracuſani. Hoc tamẽ eſſe principiũ epiſtolæ, tenesne memoria Antoni, te non peruidiſſe cũ legeres? peruidiſſe regẽ atque ceteros qui aderant cum te emẽdaſſem, *ſecundũ*, pro *poſt* accipi? Multaq; enim exẽpla protuliſſem, ni vidiſſem aſſenſos. Ita opinor memoria tenes, qui nihil æq; memoria tenes atq; iniurias, quas putas tibi factas, etiãſi nullę ſunt. Nam quas ipſe facis, earũ non minus cito te capit obliuio, quam beneficiorũ officiorumque ab aliis acceptorum. Sed ne hunc quidẽ locũ qui ſequitur, intellexiſti.

Cap. XXXIV. *Murũ ab imo ad ſummũ crebris cubitalib. fere cauis aperuit: per qua caua pars ſagittis, pars ſcorpionib. ex occulto petebat hoſtẽ.*] Legendũ eſt *cauis*, cuius nominatiuus eſt, *caua*, id eſt, *foramina*, vt apud Plautũ in Menæchmis: *Etiã nũc concede audacter ab leonino cauo*, Et apud Corneliũ Celſũ in ſeptimo *Deinde totũ id cauũ, ſicut in fiſtulis dixi, vſq; ad os excidẽdũ.* Quamquam apud Columellam (ſi tamen vera ſcriptura eſt) reperitur in genere maſculino: *Deinde cauum quem feceris, ſurculo obturato.*

Cap. XXXV. *Sed poſtquam ab Hippocrate occupata Syracuſa erãt profectus Carthaginem, adituſque ibi et à legatis Hippocratis.*] Vos mutatis *aditus* in *accitus*, quaſi non ſit multo ſatius illum fuiſſe aditum à legatis, quam accitum.

Cap. XXXVII. *Quod vbi Ænẽſiũ principes iã pacti cũ Himilcone de proditione præſidij animaduerterũt, nulli occaſioni fraudis Romanũ patere placuerat agendũ. Vrbẽ arcemq; ſuæ poteſtatis aiunt debere eſſe, ſi liberi in ſocietatẽ, non ſerui in cuſtodiã traditi eſſent Romanis. Itaq; claues portarũ reddi ſibi æquũ cenſent.*] Opinor mutandũ vnũ verbũ *placuerat*, in duo, *palã rati.* Sequiturque.

Eo. *Ad ea Romanus ſe in præſidio impoſitũ eſſe dicere ab imperatore ſuo, claues portarũ et cuſtodiã arcis ab eo accepiſſe, qua nec ſuo, nec Ænenſiũ arbitrio haberet, ſed eius qui cõmiſiſſet. præſidiũ decedere apud Romanos capitale eſſe, & nec liberũ etiam ſuorũ eam parãtes ſanxiſſe. Marcellũ haud procul eſſe.*] Hæc vos emẽdare non eſtis auſi, ne Petrarcha quidẽ. Ego ſic opinor emendãdũ, *præſidiũ* in *præſidio*. ſic; *Præſidio decedere apud Romanos capitale eſſe*, & *hoc* (ſiue *quod*) *liberũ*) pro *liberorũ*, *etiã ſuorum cruore parens ſanxiſſet*: vel *liberorũ etiam ſanguine parentem ſanxiſſe.* Videlicet de Torquato, qui ob hoc filium occiderit, loquitur.

Cap. XXXVIII. *Vtinã reliquũ tẽpus nec patiẽda infãda in faciẽdo traduci poteſt. Nec occulta fraude cautio eſt quã ſi adhuc ſumus. Cui quoniam procedit aperte & propalam claues portarum repoſcunt.*] Opinor ſic legendum; *Nec patiendo infanda, nec faciendo traduci poſſit. ab occulta fraude cautio eſt, qua vi*, ſiue *qua adhuc vſi ſumus.* Vel; *ſed occulta fraude.*

Eod. *Petiti ab Ænenſib. ſumus, itaque craſtino die aut veſtro, aut AEnnenſium ſanguine Ænna inundabitur: nec occupatis periculum; nec occupãtes periculi quicquam habetis.*] Opinor legẽdum *nec præoccupati ſpem vllam*; vel, *nec occupati præſidij*, ſiue *ſubſidij neque occupantes periculi quicquam habebitis.*

Cap. XXXIX. *Poſtero die alij aliis locis ad obſidẽdas itinerib. claudendoſq; obſiti exitus, pars maxima ſuper theatrum circa qua aſſueti, & ante ſpectaculum concionem conſiſtunt.* Opinor ſic legẽdum: *Ad obſidenda itinera, claudendoſque oppoſiti exitus*, vel *claudẽdos oppidanis exitus*, vel *claudẽdos obſeſſis exitus, pars maxima ſuper theatrum circaque, aſſuetum*, aut, *ſpectaculum ſuper theatrum. ad aſſuetum ante ſpectaculum concionem circumſiſtunt.*

Eod. *Nihilo remiſſiore militum ira, quod iure turbam inermem cædebãt, quam ſi periculum par & ardor certaminis eos irritaret.*]

Vos tollitis *iure*, quod aut non tollendum, aut ſic mutandum; *Militum ire quamuis turbam inermem.*

Cap. XL. *Legati eo ab Apollonia venerūt, nunciantes in obſidione ſeſe, quod deficere ab Romanis nollent, eſſe: neque ſuſtinere vltra vim Macedonum poſſe, niſi præſidium mittatur Romanum; facturos ſe d quæ vellent pollicitos. Cum delectorum militum nauibus lōgis mittit ad oſtium fluminis cum profecto ſocium Q. Naxio Criſpo, viro impigro, & perito militiæ: iis expoſitis in terram militib. nauibuſq; Oricū, vnde venerat, ad cæteram claſſem remiſſis, etc.*] Ego ſic emēdo: *Romanus facturū ſe quæ vellēt pollicitus, LX. electorum militum naues longas mittit, vel decē millia electorū militum nauibus longis mittit.* Præter ea *is* nominatiui caſus eſt, refertur enim ad *præfectum* non ad *naues*, ſcribendumque vnaē.

Cap. XLII. *Sed gens nata inſtaurādis reparandiſque bellis, Magone fratre ad conquiſitionem militū miſſo, breui repleuit exercitū, animoſque ad tentādum de integro certamen fecit. Alij plerique milites, ſi quo pro parte toties intra paucos dies victa iiſdem animis quib. populi Romani erta, eodemq; euētu pugnauere: plus octo millia hominū cæſa, et non multo minus quam mille capta, et ſigna militaria LVIII. et ſpolia plurima Gallica fuere: aurei torques, armillæque magnus numerus: duo etiā inſignes reguli Gallorū (Mœnia cœpta & Ciuis Maro nomina erāt) eo prælio ceciderūt.*] Opino ſic emendandum: *Galli plerique milites, iique pro parte toties intra paucos dies victa iiſdem animis quib. priores, eodemque euētu pugnauerūt.* Hoc quoque, Antoni, potes dicere, te non reminiſci à me in illo cœtu correctū? Etenim ſi quis dies vmquam tibi acerb. illuxit, haud dubie is fuit, quo bis vno in loco fuiſti condemnatus: ſemel in eo quod iam emendaui, cum mihi pertinaciſſime obſiſteres. Iterumq; dū *mœnia cœta*, pro *mœnia capta* exponebas. & neſcio quē *Maronem ciuem* dici volebas. Cūq; ego ſubridēs dixiſſē, eſſe duorū regulorū nomina, *Mœniſeptus & Ciuiſmaro*, ac ſe delectari mea expoſitione cū quadam admiratione ſignificaſſet, etiā magis quam in ſuperiore fecerat. Tace, Antoni, Egnigus inquit, nihil verius quā & *Galli plerique milites* ſcribendū, & hæc eſſe nomina Gallorū regulorū. Non exequar quid ille, etſi amicus tuus, tā ingenuæ libertatis, vir, in laudē mei adiecerit, rege cōfirmante: tantum dico, non modo bis te peccaſſe, ſed accedente pertinacia, etiā bis terq; reprehensū. Nunc, quod grauiſſimū eſt, quarto reprehēdi putas quod in pertinacia perſeueras, ne à me doctus videreris. Sed, ô demēs, nō eſt vt magnopere doleas tarditatē ingenij tui, nā ne Petrarcha quidem veritatē ſcripturę deprehēdit: ſed vt loco obſcuro & inexplorato ſuā notā appoſuit. Quis tamen tātus te furor tenuit, vt in animum induxeris codicē regiū emendatione fraudare, imo regem ipſū prodere ſi modo proditio tua celari poterat? Reminiſcetur ille, reminiſcetur emēdationis meæ, quando codicē ſuum leget.

Cap. XLIV. *Fabius pater filio legatus ad Sueſſulā in caſtra venit: cum obuiā filius progrederetur, lictoreſq; verecūdia maieſtatis eius anteirent taciti, non ſubmouētes patrē, præter vndecim faſces equo prouectus ſenex, vt cōſul animaduertere proximū lictorē iuſſit: & vt is deſcenderet ex equo inclamauit.*] Vos ſic emēdatis: *Vt cōſul animaduertit, ire proximū lictorē iuſſit.* Ego ſic: *Equo prouectum ſenē vt conſul animaduertit, ſtare proximū lictorem iuſſit. Tū demū deſiliēs, coperiri, inquit, volui ô fili, ſatiſne ſcires cōſulem te eſſe.*

Cap. XLV. *In ea caſtra Caſſius Altinus Arpinas clā nocte cū tribus ſeruis venit, promittens, ſi ſibi præmio foret, ſe Arpos proditurū eſſe. Eā tunc rem cū ad conſiliū retuliſſet Fabius, Altinus pro trāsfuga verberādus necanduſque videri, ancipitis animi, cōmunis hoſtis, qui poſt Cannenſem cladem, tanquā cum fortuna fidem ſtare oporteret, ad Annibalē diſceſſiſſet, traxiſſetque ad defectionem Arpetum quia cōtra ſpē votaq; eius velut reſurgeret, turpius videatur nouā referre prodiſionē: vt proditus pro ſeptēnirali iadicio eſſet, ſemperq; aliunde ſentirat, infidus ſocius, vanus hoſtis, ad Faleriorū Pyrrhique prodiſionē tertiū trāsfugis documentū eſſe. Cōtra ea cōſulis pater Fabius, tēporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquā in pace libera, de quoq; arbitria agere aiebat, quum illud potius agendū atque eis cogitandū ſit, ſi quo modo fieri poſſet, ne qui ſocij à populo Romano deſciſcant, et nō vocitem documentū, aut aicāt ſtatui oportere, ſi quis reſipiſcat, et antiquā ſocietatē reſpiciat.*] Opinor ſic emendandū: *Nunc quia res Romana cōtra ſpem votaq; etas velut reſurgerat rurſus*, vel *reſurgere rurſus videatur*, vel *turpius audeat nouā referre prodiſionē, vt proditus pro ſeptēnirali iudicio eſſet, ſemperq; aliunde ſentias*: vel, *proditi ſpolium, proinde in tali iudicio eſſe ſtatuendū, vt ſe ſentiat*: vel, *pollicentē mobilis iudicio vel pollutum virum leuemque, & ſemper alium ſe ſentiat, infidus ſocius, vanus hoſtis, ad Faleriorum Pyrrhique prodiſionē tertiū trāsfugis documentū eſſe. Contra ea conſulis pater Fabius, tēporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquā in pace, libera de quoque arbitria agere aiebat, cum illud potius agendū atque eis cogitandum ſit (ſi quo modo fieri poſſit) ne quid ſocij à populo Romano deſciſcant, vel qui deſciuerunt, etiam nouo metu dubitent*, vel *nouo metu redire dubitēt. Documentū haud dicant ſtatui oportere ſi quis reſipiſcat*, &c. Ne quis tamen miretur quod multis modis eūdem locum emendamus, cum verus niſi vnus eſſe non poſſit. Nam facimus more illius apud Plautū ſenis, qui cōplures ex prędaſeruos coemit, vnius certi poſtea in iis reperiēdi gratia.

Cap. XLIX. *Legati queniam Syphax ſe Romana iunxiſſet, vt potentior ſocietate eorum aduerſus reges populoſque Africæ eſſet, donec melius fore Gala quoque Carthaginienſibus iungi quamprimum, antequam Syphax in Hiſpaniā, aut Romani in Africam tranſeant, opprimi Syphacem nihil dum præter nomen ex fœdere Romano habentem, poſſe.*] Opinor legendum, *docent melius fore.*

IN LIB. XXV. EMENDATA.

Cap. I. *Incuſati grauiter à ſenatu ædiles triumuiriq; rei capitales, qui non prohiberent cōmoueri eā multitudinem è foro, ac deiicere apparatus ſacrorū conati eſſēt, haud procul abfuit quin violarētur.*] Vos, cū in regio codice foret, *cū emoneri*, ſuſtuliſtis *cum*. ego ſic emēdo: *cammouere*, ſiue *cum emonere eā multitudinem.*

Cap. III. *Cneus Fuluius Apuliā, Claudius Nero Sueſſulā, M. Iunius Syllanus creatus cōſul.*] Opinor legēdū *Syllanus Hetruriā.*

Eod. *Teſtib. datis tribuni populū ſummouerunt, ſi te, illique lata eſt vt ſortirentur vbi Latini ſuffragiū ferrēt.*] Vos ſic emēdatis: *Sciroq. lex lata eſt.* quaſi lex ſit lata per plebiſcitū. Ego ſic: *Teſtib. datis tribunū populi ſummouerunt ſitellaque lata eſt, vt ſortirentur vbi Latini ſuffragium ferrēt.* Quę ſentētia talis eſt, ſitellam allatā in qua ſuffragia populus de approbāda lege poneret. Solitā aotē afferri ſitellā quōdā cū lex ferenda eſſet, probat Cic. de nat. deorū, li. I. *Vt igitur Titū Gracchū cū videor cōcionantē in Capitolio videre de M. Octauio deferentē ſitellam.* Fit autem *ſitella* à *ſitula*. Nam apud Plautū in Caſina dicitur cōiectio ſortiū in ſitulā fieri. Niſi volumus alio vocabulo emēdare, quo vtitur idē Cic. vbi ait. *Cū L. Saturninus legem frumentariā de ſemiſſib. et trientibus laturus eſſet. Q. Cepia qui per id tēporis Quæſtor vrbanus erat, docuis ſenatum ærariū pati non poſſe largitionem tātam. Senatus decreuit, ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus rempubl. eum videri facere. Saturninus legem ferre cœpit, collegæ intercedere, ille nihilominus ciſtulā detulit. Cepio vt illum contra, intercedentib. collegis aduerſus rēpublic. vidit ferre, cum viris bonis impetū facit, pōtes diſturbat, ciſtas deiicit.* Quare dubium eſt an *ciſtella* ſcribi poſſit. quod ſit à *ciſta*. Sed quo modo ciſtula vna dicitur, ita & ciſtulæ multæ, ſi eædem ſignificantur res. Verum ne hic agamus pluribus, *ciſtulam* nūc legendū puto: ſi quis volet *ciſtellā* legat, me non repugnaturo.

Eod. *Cum in eo parum præſidij eſſet turbandæ rei cauſa, publicani per vacuum vi ſummo loco irruperunt, iurgantes ſimul cum populo tribuniſque.*] Opinor ſic emendandum. *Publicani per vacuum vi ſummoto eo*, vel *vi ſumoto inde cuncto irruperunt.*

Cap. IV. *Poſtumius vadib. datis non affuit, tribuni plebis vocarūt, plebeſq; ſciuit.*] Opinor legendū, *tribuni plebem vocauerūt.*

Ca. V. *Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit: res ingēti certamine petiuerūt. M. Fuluius Flaccus, qui ante et bis Cōſul et cenſor fuerat: et T. Mālius Torquatus, et ipſe duob. cōſulatib. et cenſura inſignis: & Licinius Craſſus, qui ædilitatē curulē petiturus erat.*] Manifeſtus eſt error ex præcedēti litera *t*: nam *tres* legendū eſt, non *res*. quod miror à nemine animaduerſū.

Cap. VI. *Nihil vmquam dicam de imperatore eo, cui profertim ſciam gratias à ſenatu actas, quod non deſperauerat de republ. qui poſt fugam actam niſi per omnes annos prorogatum imperium.*] Vos ſic emendaris: *Cui poſt fugam actam ſit.* Ego ſic, *quod non deſperauerit de Reprbl. conſul poſt fugā actam*, vel *profligata acie.*

Eod. *Tamen tantū abfuit ab eo, vt illa ignominia trib. exercitib. quæreretur, vt ea vrbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia in Veios transfugerat, recuperaretur.*] Opinor legendū, *vt illa ignominia tribus exercitib. inureretur, vt etiam vrbs Roma*, &c. Fuerunt autem tres exercitus qui Remp. ante hoc bellū afflixerūt, duo ad Furculas Caudinas, tertius ad Alliam. Vel ſic, *vt illa ignominia iis exercitibus quæreretur, vt etiam vrbs Roma.*

Eo. *Ne ne dono militari virtutis ergo donaretur*] Tu Antoni, qui te docere regem iactas, ſic eū docebas, vt puta tes *ergo* vltima acuta-

Digitized by Google

acuta eſſe legendum, quod ſignificat cauſam, vt apud Virgilium: *Illius ergo Venimus.*

Cap.ix. *Tum duo millia Gallorum Pœnus in tres diuiſa partes per vrbem dimittit, Tarentinos & infra quā maxime frequentia*] Emendo, *Tarentinos & Afros quam maxime frequentia occupare iubet.*

Cap.xi. *Si quis in hoſpitio ciuis Romani (vacuas autem tenebat domos) nomen inſcripſiſſet, eum ſe pro hoſte habiturum*] Opinor legendum, *ſciebat*, vel *petebat*, vel *volebat domos.*

Cap.xii. *Ex huius Marci duobus carminibus, alterius poſtea eſt acta, didici cura eo auctoritas euentu, alteri quoque cuius nōdum tempus venerat, afferebat fidem*] Opinor legendum, *alterius poſt rem actam edicti cum rato auctoritas quæatu.*

Cap.xvi. *Flauius Lucanus fuit caput eius partis Lucanorum, cuius pars ad Annibalem defeciſſet, qui cum Romanis ſtabat, & iam Hanno in magiſtratu erat ab ipſis illis creatus prætor*] Opinor hic perturbatum verborum ordinem, ideoque ſic reſtituendum: *Flauius Lucanus caput fuit eius partis Lucanorū, qui cum Romanis ſtabant, cuius pars*, vel *cum pars Annibalem defeciſſet. Anno* autem ſuperfluam habet aſpirationem, quod non proprium nomen eſt, ſed ablatiuus.

Eod. *Fideq; ab eo accepta, ſi Romanum ijs imperatorem tradidiſſet, liberos cum ſuis legibus venturos in amicitiam Lucanos, dedit, Pœnus in locum pacis Gracchum adducturus. Mago eum ibi pedites equiteſque armare, & capere eas latebras vbi ingentem numerū occulere iubet, loco ſatis inſpecto, atque vndique explorato, dies compoſita rei gerendæ eſt*] Vos ſic emendatis: *In amicitiam Lucanos hunc deducere Pœnum in loco, quo ſic Gracchum adducimus.* Ego ſic: *In amicitiam Lucanos dedit, ipſe ſe illò cum paucis Gracchum adducturus. Illò* aduerbialiter, pro eo quod eſt *in illum locum.*

Cap. xix. *Pugnatum tamen vt in nulla parte duab. amplius horis, concitata, & donec dux ſteiſſet Romanam aciem*] Opinor legendum, *etiam donec dux ſteiſſet Romana acie.*

Cap.xxi. *Et Annibal quidem haudquaquam ſimili ſua, neq; ſimili exercitu*] Legendum eſt opinor, *ſimili via.*

Cap.xxiv. *In vaſtæ magnitudinis vrbe partium ſenſu non ſatis pertinente in omnia*] Opinor, *pertingente in omnia.*

Cap.xxvi. *Marcellus Euryalo recepto præſidioque addito, vda cura erat libera, ne qua ab tergo vis hoſtium in arcem accepta, incluſos, imperitoſque mœnibus ſuos turbaret*] Opinor *vna cura erat liber*: vel, *vna cura tenebatur*, vel, *turbabatur.*

Eod. *Acceſſit & ad peſtilentiam commune malum, quod facile vtrorumq; animos auerteret à bellorum conſilijs*] Opinor legēdum, *acceſſit ad hæc peſtilentiæ.*

Cap.xxxiii. *Itaque non ducibus facilius quàm multitudini perſuaſum eſt, ſimul ſine metus quidem à Romanis ducibus erat, quippe tam paucis ſibi retinuerunt*] Puto legendum, *quod per tam paucos ibi retinerentur.* Vel, *quippe tam paucis ibi retineri.*

IN LIB. XXVI. EMENDATA.

CAp.vii. *Inde naues in flumine Vulturno cōprehenſas duci gladio quod iam ante præſidij cauſa fecerat caſtellum iuſſit*] Puto ſic emendandum *duci ad id quod iam ante, &c.*

Cap.xi. *Auditaq; vox Annibalis fertur, potiunda ſibi vrbis Romæ modo mētem non dari, modo fortunam minuere. Etiam per media & alia parua, q; res. Magna illa quod cum ipſe ad mœnia vrbis Romæ armatus ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audiuit. Parua autem quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipſe haberet caſtra, veniſſe*] Regius codex habet, *etiam per media & aliæ magna paruaque res.* Ego non infinitiuum *minuere* penultima correpta accipio, ſed producta, præteritum indicatiui: nec finem ſuperioris, ſed initium ſequentis ſententiæ, ideoque ſic emendādum reor: *Minuēre etiam ſpem eius* vel *illius, & aliæ magna paruaque res.*

Cap.xii. *Namque ex Lucanis in Brutium agrum, ad fretum vero ac Rhegium ſe occurſu contendit, vt prope repentino aduentu incautos oppreſſerit*] Opinor legendum, *tanto curſu contendit.*

Cap.xvii. *Diem poſterum Haſdrubal colloquio petijt, vt Romanis leges conſcriberent de detrahendis arcibus vrbium*] Lego, *de trahendis arcibus vrbium.*

Cap.xviii. *Silentium ſubito ortum eſt, & tacita cōgitatio quidnam egiſſet. Noui fauor plus valuiſſe quam ratio ætatis maxime pœnitebat*] Opinor legendum, *quidnā egiſſent noui*, vel *quid legiſſent noui: nam quod fauor plus valuiſſet, &c.*

Cap.xxvii. *Hac circumfuſus multitudine ſimilis Siculis obuiam egreſſis, Siculiſq; Romam præbuit clariſſimarum vrbium excidio à celeberrimis viris bello victos accuſatores in vrbem adducentes*] Hunc ego locum duobus hinc annis à Iacobo Curlo rogatus, ægre duobus diebus emendare potui, emendatumque homini tradidi, cum pridie eidem petenti alterum, ſed facilius emendaſſem. Qui cur regium codicem ex mea ſententia non emendarit, nullam aliam reperio cauſam, niſi ab Antonio, ne me recte correxiſſe fateretur, impeditum. Ex quo datur intelligi, acriorem eſſe odij, quam amoris affectum. Citius me deſtructum vellet Antonius, quam Alphonſum Cæſarem. Sic autem emēdaui hunc locum: *Nunc circumfuſus multitudine, ſimul & Siculis obuiam egreſſis, poteſtatem Romam adeundi fecit, & nonnullis vel æmulis querimoniam præbuit, clariſſimarum vrbium excidio à celeberrimis viris victos bello accuſatores in vrbem adducens.*

Cap. xxix. *Affirmantes non modo ſuam quiſque patriam, ſed totam Siciliam relicturos*] Opinor legendum, *ſuam quemque patriam.*

Cap.xxxvi. *Pōdo relinquat argēti. Qui curuli ſella ſederent, equi ornamenta, & libra pōdo, vt lignum patellamq; deorum cauſa habere poſſent*] Neſcio an legendum ſit, *ſalinum patellamque.* Eſt autē *ſalinū*, ſalis vas, vt *acerra* thuris. Inde diminutiuum eius, *ſalillum*, quod ego Antonium docui, qui pro *minuto* accipiebat *ſale.*

Cap.xlv. *Ipſe vt ei nunciatū eſt æſtum decedere, quod per piſcatores Tarraconenſes nunc leuib. cymbis, nūc vbi eæ ſiderēt vadis peruagatos per ſtagnum, compertum habebat, facilem pedib. ad murū trāſitum dari, armatos duxit*] Opinor ſcribendū: *Nūc vbi eæ ſederent*, id eſt, *vbi cymbæ fundum maris nactæ eſſent, vadis peruagatos*, hoc eſt, *per ea ipſa loca vbi ſedebant cymbæ, per quæ vadere pedib. homines poterant.* Hic eſt alter locus quem Iacobo Curlo correxi.

Hactenvs Antonio legenti, etſi non aſſidue, aſſui, quotieſcunque mihi videbatur diſſentiēdum, veluti in ſenatu quodam ſententiam dixi, non quoties potui: ideoque pauciora dixi quam ſcribo, rem haud dubie vtilem ijs, qui ſua Liuij exemplaria hac in parte emendare cupiant.

M. ANTONII SABELLICI:

Annotationes in Titum Liuium.

EX PRIMO LIBRO,

Cap. ix.

Perhvmane, vt ſolet, à me quæſiuit Ludouicus Rheginus, iuuenis noſtratium literarum ſtudioſus, nec à Muſis (vt dicitur) & Gratijs alienus, quid eſſet, quod Romanæ hiſtoriæ auctor grauiſſimus Liuius, eo libro vnde res Quiritium ſcribere eſt orſus, Neptuno ſolennes *Conſualia* dixerit appellatos. Cui id ego in cauſa fuiſſe me arbitrari dixi, quia vt Seruius, & Plutarchus ſcribunt, *equeſtrem Neptunum* eundem & *Conſum* veteres crediderе: etſi non mihi excidiſſet Dionyſium nuſquam gentium credere Neptuno terræ domitori aram poni conſueſſe, cum in parte vrbis Conſogenio alioquin veteri religione dicata oſtenderetur. Quibus ille verbis innuere mihi videtur, *Conſum* à Neptuno equeſtri genitum fuiſſe omnino diuerſum. Sed neque temere me illi accedere itendidem præfatus, Strabonis & Macrobij teſtimonium celebrabam, quorum hic circa Corinthiacum Iſthmium nobile Neptuni templum, ille in Delo aram fuiſſe memoriæ prodidiſſet: niſi aliquis ita occurreret, alium *Neptunum marinum* eſſe, alium *equeſtrem*: quod Ariſtophanis carmen ſignificare videatur, τὸ τὸν ποσειδῶ ταυτονὶ τὸν ἵππιον *per Neptunum hunc equeſtrem*, ſiue *equorum domitorem*. & rurſus τὸν θαλάσσιον ποσειδῶ, id eſt, marinum Neptunum. quo fieri poteſt, vt in Delo & Iſthmo alterius Neptuni fuerit, hic ara, illic templum: ſicvt propiora vero videri poſſint quæ Dionyſius, quam quæ Seruius & Plutarchus tradidere.

EOD. LIB. CAP. XIX.

Cōnſcenderamus forte cœnaculum domus ego & Maroſticanus hoſpes meus, vt inde Piſauranas ædes magnifico ap-

Google

paratu ex propinquo conſtructas contemplaremur: cum Liuij decadas ea cœnaculi parte, quæ ædibus obuerſa eſt, à puero temere relictas ille intuitus, confeſtim arripuit. Hic vero Liuij locus ille perquam abſtruſus, tamquam ita euenire voluiſſet, eſt oblatus. verba ex hiſtoriarum primo fuere. *Intercalares* (cum ille de Numa rege interim loqueretur) *menſibus interponendis ita diſpenſauit, vt viceſimo anno ad metam eandem Solis vnde orſi eſſent, plenis annorum ſpatiis dies congruerent.* Tum ille ad me conuerſus: Quid ſibi Sabellice, hoc Liuius velit loco, vt ingenue loquar, haud ſane intelligo. tu vero ſi quid habes quo ſcrupulum hunc poſſis exoluere, fac ne diutius deſideremus. Tum ego, Quæris inquã rem hoſpes minime (vt ſentio) vulgatam, & quæ, (ſi quod multi temere faciunt) præſenti acquieſcas lectioni, nullo modo lectori conſtare poſſit. Etenim Græci, quos Numa haud dubie imitatus eſt, octauo quoque anno tres menſes intercalandos conſtituerunt, hoc eſt, nonaginta dies, qui ex numero 11. dierum & quadrantis octies multiplicato ſuperabant. Nam cum annum illi ex 12. Lunæ curſibus ſtatuendum putaſſent, ſupereſſentque ad ſolſtitialem annum dies 11. & ſex horæ, quarta ſcilicet diei pars: cum dierum numerum octauo quoque (vt dixi) anno placuit intercalari. quare Græcos Numa imitatus videri non poteſt. Quin illud vide potius, quod ſubtiliſſima Macrobius diſceptatione demonſtrat, ne non *viceſimo* Liuius ſcripſerit, ſed *viceſimoquarto quoque anno*: idque ex Numæ conſtitutione comparatum. nam cum ad eum numerum dierum quem ad Lunæ curſum Græci conſtituerat (erant enim trecenti LIIII.) vnum in imparis numeri diem Numa adiecisſet: Romanis ſimpliciter Græcorum intercalationem ſecutis, ob diem vnum cuius obliti erant, non ea quæ & Græcis conſtare potuit intercalandi ratio: quo poſtea errore cognito, Numáne adhuc regnante, parum compertum habeo: ſatis conſtat huiuſmodi emendationem inductam, vt in tertio quoque octennio, id eſt, quarto & viceſimo quoque anno, non nonaginta, ſed ſex & ſexaginta dies intercalarentur. Siquidem nonagenarium numerum explebant quatuor illi & xx. dies, qui quotannis ſinguli in honorem imparis numeri adiiciebantur. etenim ille dies (vt dixi) neque lunari rationi aſcribi potuit, neque Græcorum intercalationi erat inſertus, ſed ſuperuacuus, nec intellectus aliquandiu Romanis fluxerat. erit igitur, ni fallor, vera Liuij emendataq; lectio, *viceſimoquarto anno*. Nec obſtat quod Liuius intercalationis illius Numam auctorem dixerit, cum Macrobius emendationem illam quandam fuiſſe innuat. Siquidem talis intercalandi ratio ab eo profecta eſt: ſed ſiue Numa, ſiue alij poſtea emendarint, iure id totum auctori referas acceptum.

EOD. LIB. CAP. XXVI.

Sunt velut minores in alto ſcopuli, qui eo nauigantib. habentur infeſtiores, quo minus prouideri poſſunt. ſic & offenſacula haud parum crebra, ſimilitudine quadam verborum in Liuiana lectione latitantia, pro ſynceris & emaculatis recepta, incautius currentem tam ſæpe quam turpiter fallunt: vt illud in primo ab Vrbe condita, *Lex erat*, inquit, *horrendi criminis, Duumuiri perduellionem iudicent. ſi à duumuiris prouocarit, prouocatione certato. ſi vincent, caput obnubito, infelici arbori reſte ſuſpendito.* Verum *carminis* non *criminis* Liuium ſcripſiſſe cum pleraque alia, tum in primis Ciceronis verba plane arguũt. *Tarquinij*, inquit, *ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina, Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* mitto reliqua.

EOD. LIB. CAP. XXIX.

Inter celebres & illuſtreis familias quæ ex diruta Alba Tullij Hoſtilij Regis temporibus Romam commigrarunt, apud Liuium *Tullios* relatos reperio. Dionyſius in earum relatione non *Tullios* ſed *Iulios* memorat: cuius lectio eo mihi verior videtur, quo magis conſtat *Iuliam* gentem non *Tulliam* longa Alba fuiſſe oriundam.

EOD. LIB. ET CAP.

Tullus (inquit Liuius) *ad Feroniæ fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehenſos à Sabinis querebatur.* Quibus Liuij verbis haud dubiè apparet in Sabinorum poteſtate Feroniæ fanum ea tempeſtate fuiſſe: nec deſunt qui ſcribant circa Soracte montem & vrbem *Feroniam* & deæ templum religioſiſſimum fuiſſe: ipſamque à ferendis arboribus ita appellatam. Sed Dionyſius in Latio haud procul Circeiis in Pometinis campis *Feroniæ templum* à Spartanis conditum tradit: nomenque datum genio ab æquorea latinne: Maroque vetuſtatis peritiſſimus, *Circeiumque iugum, queis Iuppiter Anxurus aruis Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco.* Vide igitur ne vtrobiq; deæ templum fuiſſe dicendum ſit: cui opinioni ſi quis grauate accedat, per belle fateatur neceſſe eſt, alteram opinionem eſſe falſam. Accedit & his tertia quædam, quod Ptolemæus inter Lucam & Piſtoria *Feroniæ lucum* in Hetruria retulit: de quo nunc loco an intelligi poſſit, viderint alij.

EOD. LIB. CAP. XXXIII.

Videbam ex Liuianæ hiſtoriæ ſtudioſis ſolicite quoſdam requirere quæ eſſet *Murtia dea*, ad cuius ædem priſcis Latinis Romam traductis ſedes ab Anco rege datas Liuius tradidiſſet. Horum curioſæ indagini Pliniana opitulatur auctoritas: *Ara*, inquit ille, *fuit Veneris Myrteæ nunc Murtiam vocant.* quibus verbis nemo non plane colligit, ea appellatione quę à myrto facta eſſet: Venerem in parte vrbis quandoque cultam: ſed res omnino notior, quam vt de ea prolixior habeatur ſermo. idcirco quæ de Murtia alij tradidere conſulto miſſa facimus.

EOD. LIB. CAP. XLIII.

Obſcure nimis, ne frigide dicam, Liuius locum in primo perſtrinxit, in quem ſi quis pandiculantibus vt dicitur oculis incidat, aut hallucinabundus inibi hæreat oportet, aut manifeſtæ ignorationis confeſſione victus abeat. In cenſu enim quẽ Seruius Tullius egit, referendo cum ſuffragiorum explicaret rationem, *Non*, inquit, *vt ab Romulo traditum cæteri ſeruauerunt Reges, viritim ſuffragium eadem vi eodemque iure promiſcue omnib. datum: ſed gradus facti, vt neq; excluſus quiſquam ſuffragio videretur & vis omnis penes primores ciuitatis eſſet: Equites enim vocabãtur primi: octoginta inde primæ claſſis centuriæ peditum vocabantur: ibi ſi variaret, quod raro incidebat, vt ſecunda claſſis vocaretur: nec fere vnquam infra ita deſcenderent, vt ad infimos peruenirẽt.* Ex quibus verbis quæ ſuffragiorũ eſſe ratio, haud intelligi poteſt. etenim demonſtrari oportuit qua ratione comparatum eſſet, vt ſuffragium primæ claſſis ita polleret, vt ſi nihil in illis variaretur, non eſſet opus ad reliquos ordines peruenire. At centum nonaginta tres centuriæ, vt Dionyſius demonſtrat, iuniorum ſeniorumque tum ſcriptæ ſunt. quo apparet, octoginta centurias non potuiſſe id præſtare, cum centuriarum dimidium non explerent, non modo ſuperarent: nec ſi centuriarum numerus aliquanto minor fuerit, vt Liuio placere video, id accidere potuiſſet. Sed certe ſic habet, vt ex Dionyſij lectione condiſcitur: aſcripſerat Tullus decem & octo equitum centurias primæ claſſi: copulauit dico illorum ſuffragia: ita vt octo & nonaginta eſſent centuriæ in primo ordine: quibus ſi in ferendo ſuffragio conueniſſet, quia ſupra dimidium ſuffragiorum continerent, non erat opus ad inferiores claſſes deuenire, hæc eadem Liuius, ſed conciſe, vt dixi, & obſcure nimis.

EOD. LIB. CAP. XLVII.

Inoleuit incuria magis quam inſcitia mendum, vt *Aruns Tarquinius* legatur, & *Tullia minor, prope continuatis funeribus, cum domos vacuas nouo matrimonio feciſſent.* quæ lectio ſi vera eſſet, & fratrum & ſororum minores natu periiſſe oporteret, virum ſcilicet & vxorem: ſiquidem *Aruns* (quod Liuius haud obſcure demonſtrat) L. Tarquinio frater minor natu fuit: cui & iuniorem Tulliam matrimonio locatam credere æquum eſt, quanquam eiuſdem verba id perſpicue demonſtrant. Si vir igitur cum cõiuge extinctus eſſet, haudquaquam nouo opus fuiſſet connubio. verum ſic habet, vt *maior Tullia, & Aruns* Tarquiniorum fratrum minor, paucis diebus vita deceſſerint: quorum interitu ſceleratæ ſunt poſtea ſuperſtitibus nuptiæ conciliatæ. *maior* igitur *Tullia*, non *minor* (vt omnia quæ vidimus habent exemplaria) vera emaculataque erit lectio.

EOD. LIB. ET CAP.

Dionyſius, quod ad præſentem locum attinet, valide eorum refutat opinionem, qui L. & Aruntem Tarquinios Priſci fuiſſe Tarquinij filios prodidere, ut bis eſt & Liuius, Romanos ſecutus ſcriptores. Sed Dionyſius non auctoritate ſolum, verum & coniecturis & ratione nititur: quanquã huiuſmodi hiſtoriæ variationes pluriſariam apud veteres eſt obſeruare, cuius & id genus (etenim pauca ſubijciam) dici poteſt, quod de *Tarteſſo*

longe diuerſa ratione Plinius & Strabo ſcripſere: *Sub corona venire* aliter Feſtus, aliter Gellius, Dionyſius *curru* Romulum triumphaſſe prodidit, Plutarchus *pedibus*; de muliebri ſaltatione diuerſa Seruius & Macrobius ſenſerunt; Appianus *Calparniam* Cæſaris à Clodio adulteratam, Tranquillus *Pompeiam* dixit; Tanaquil, *Priſci Tarquinij* vxor à Liuio, ab alijs traditur *Anci Martij*, & Valerio; Liuius ob Cannenſem cladem Cereris ſacrum intermiſſum tradidit; Valerius ait, ne intermitteretur, ante triceſimum diem omnem luctum poblico decreto abſterſum. mitto reliqua, quę ſi numero exequeremur, maius ex eare tædium, quam gratia ſcribendi orirctur.

EOD. LIB. CAP. LV.

Itaque Pontina manubia, quæ perducendo ad culmen operi deſtinatæ erant. Sic omnia quæ vidimus Liuij habent exemplaria; ſed locorum ſitum librarij ſecuti particulam deprauarunt. nam & *Pontina palus* eo Latij tractu eſt, vnde manubiæ quæſitæ, verum *Pometina* Liuium ſcripſiſſe, vel ex eo admoneri potuerunt, quod proximo ille loco dixerat, *Sueſſam Pometiam ex his vi cepit: vbi cum diuidenda præda XL. talenta argenti aurique cepiſſet, concepit animo eam amplitudinem Iouis templi.* mitto reliqua. Dionyſius & ipſe *Sueſſam Pometiam* appellatam ſcribit. *A Pometia Pometinum*, duci non *Pontinum*, vel triualibus imbuti literis intelligunt.

EX II. LIB. CAP. XXVII.

Mouebant conſulem hæc: ſed tergiuerſari res cogebat: adeo in alteram cauſam non collega ſolum præceperat, ſed omnis factio nobilium] Frigide nimis, ac neſcio quid diuerſum ab eo de quo interim ogebatur, dixiſſet Liuius, ſi credibile eſt ita eum ſcriptum reliquiſſe. admonendus proinde lector videat ne *præceps erat*, aut (quod magis placet) *præceps inerat*, Liuius potius ſcripſerit, quas duas particulas in vnam verterit librariorum inſcitia.

EOD. LIB. CAP. XXXVI.

Tito, inquit, *Latino de plebe homini ſomnium fuit*] Plotarchus, Dionyſius & Valerius in relatione nominis Liuio aſtipulantur: Lactantius *Tiberium Atinium* fuiſſe tradit. Sed in eo haud magnum vertitur diſcrimen: illud interim haud reticendum duxi, *ludos*, quos Liuius inibi *magnos* appellauit, Valerius nunc *Circenſes*, nunc *plebeios* vocat: Lactantius & ipſe *Circenſes* fuiſſe ait: vnde colligitur *Circenſes plebeios* & *magnos* eoſdem fuiſſe. Pedianus poſt exactos reges pro libertate plebisve reconciliatione inſtitutos tradidit. Dionyſius ſignificare mihi videtur *Circenſes* fuiſſe eos quos Romulus in Sabinarum aſſimilauit raptu. Adiicio illud, quod ád loci emendationem attinet, *Acronio*, vel vt alij aiunt, *Atronio* patrifamiliæ nomen fuiſſe, qui ſeruum ſub furca ludorum die cæciderat.

EOD. LIB. CAP. XL.

Id publicum conſilium fuerit, an muliebris timor, parum inuenio] Hæc Liuius. at Dionyſius Valeriam Publicolæ ſororem auctorem eius conſilij fuiſſe monſtrat: Plutarchus ad hæc non *Volumniam* (quod ad narrationem illam, de qua nuper diximus, attinet) ſed *Vergiliam* tradidit Coriolani coniugem apellatam.

EOD. LIB. CAP. XLIII.

Eſt in pleriſque rerum ſcriptoribus quædam obſeruare, quæ inter ſe omnino ſint contraria, maximeque repugnare videantur: quale eſt illud, vt vno contenti ſimus loco, apud Liuium, *Ad duo*, inquit, *bella, exercitus ſcribitur ducendus: Fabio in Veientes, in AEquos Spurio datur, in AEquis nihil dignum memoria geſtum eſt: Fabio aliquanto plus negotij cum ciuibus quam cum hoſtibus fuit.* Quib. perſpicue verbis poteſt intelligi, Fabium in Veientes contendiſſe, proditumque à ſuis in acie: verum non molto poſt *conſenſu* ait *exercitus traditam vltro victoriam victis AEquis, ſigna deſerta, imperatorem in acie relictum.* & rurſus: *Nec Veiens hoſtis Hetruſcaque legiones detrectant: prope certa ſpes erat non magis ſecum pugnaturos, quam pugnauerint cum AEquis.* Ecquid magis repugnans dici potuit, quam Fabio Veientes prouinciam datam ſcribere, cui maius fuerit cum ciuib. negotium, quam cum hoſte: & in Æquis nihil memoria dignum actum: mox paulo & publico conſilio, & in procinctu Hetruſcũ proclamare in Æquis rem Romanam à militibus proditam? quid præter memoriæ lapſum poſſit excuſare, ſi Liuius citatus adſit? habebit, opinor, nihil. Alij vbi in vtramque partem recte omnia rimati fuerint, boni conſulant, Liuiumque, ſi poſſunt, à calumnia vindicent.

EOD. LIB. CAP. LVI.

Ne quæſo grauentur docti aliqua his obſeruationibus à nobis conſpergi, quorum Paulo prouectiores ne admoneri quidem velint. nam vt in miſſilibus ſpargendis nulla principis largitio populo grata eſſe potuit, ſi in orcheſtram aut intra equeſtria tantum non in popularia concidiſſent: ſic literatorum vulgus in me reclamabit ex hac noſtra lucubratione ad ſe nihil perueniſſe: nec dubitabit in ambitionis ſuſpicionem noſtrum deuocare officium, quaſi peritioribus oſtentare id ſit, non in medium ſcribere. Quanquam certo ſcio non defuturos, vt delicato ſunt plerique ſtomacho, qui hæc in publicum proiecta indigna iudicent, quæ non modo non digniores ordines, ſed ne ipſum quidem cupiat vulgus colligere: adeo in locando magis quam parando nobis laborandum fuit officio. At ſint rutabula hæc, marræ, ſarcula, & alia id genus viliora: pandant ad eorum caſum pagani & rupices ſinum, videantq; num emendata ſit lectio apud Liuium: *Tulit ad populum vt plebeij magiſtratus tribunitijs comitijs fierent*: an verius *tributis comitijs* pro *tribunitijs* ſit legendum, & mox paulo poſt:

EOD. LIB. CAP. LIX.

Inſignem annum comitia tribunitia efficiunt, pró *tributa*. Lęlius Felix Gellio auctore tria comitiorum genera fuiſſe tradidit; *Curiata*, quum ex generibus omnium ſuffragium ferretur: *Centuriata*, quum ex cenſu & ætate: quum vero ex regionibus & locis, *Tributa*. quibus Lælij verbis vtra emendatior lectio; facile eſt legentibus iudicare.

EX LIB. III. CAP. IV.

Conſules inde Poſtumius Albus, Sp. Furius. Fuſios Furios Fabios ſcripſere] Sic ille, ſi Liuium credibile eſt ſcripſiſſe ea, quæ ne ipſe quidem ſi ad ſuperos reuocari poſſit, valeat interpretari, ſed videat lector (nam coniectura ſæpe agimus) ne emendatior veriorque ſit lectio; *Poſtumius Albinus, Spurius, Furius*, ſeu *Fuſius: Fuſios Furios Fabios & quidam ſcripſere.* vt de *Fabio Pictore* intelligas, qui rerum Romanarum vetuſtiſſimus (vt Dionyſius ait) fuit ſcriptor. cui ſane opinioni Fabij Quintiliani verba aliquid omnino fidei adijciunt: *Valeſij*, inquit, *& Fuſij in Valerios Furioſque venerunt*. In *Fabijs* eam mutationem factam, ſic ille, nec (quod ſciam) alius prodidit quicquam.

EOD. LIB. CAP. XVII.

Age verò quid illud? *Inde, atque ad multitudinem oratione conuerſa, Si vos vrbiſque, ſi veſtri nulla cura tangit, at vos veremini deos*] Nemo eſt lectionis ſtructuræque Latinæ tam imperitus & expers, qui non vltro intelligat illud, *ſi vos vrbiſque, ſi veſtri nulla cura tangit*, parum emendate lectitari. quis enim locus, poſt *vrbis*, coniunctiuæ dari poſſit particulæ, haud ſane perſpicio: quum neque ordo id pati videatur, neque ſenſus. videbunt itaque alij, an recte aliquis dixerit, Liuium, *Si vos vrbis quirites, ſi veſtri nulla cura tangit*, ſcripſiſſe potius quam *vrbiſque*: ſed ſiue inſcitia ſiue incuria, qui *quir* paucioribus elementis dictionem notatam offenderant, *que* pro *quirites* fecerunt: errore q; ſemel recepto, mendum Liuianis exemplaribus tenacius hęſiſſe credere æquum eſt.

EOD. LIB. CAP. XXIII.

Eſt eodem libro ita ſcriptum, *Hos ignominioſa fuga demum ſe recipientes, Rom. Conſul in Algido conſecutus, ad vnum omnes occidit: Victor ad Columen, id loco nomen eſt, exercitu relicto, caſtra locat*] vbi nemo non intelligit, *relicto*, nullo modo in columi ſenſu ſtare poſſe. Quare videbunt alij ne *reducto*, aut (quod ęque placet) *reliquo* ſit potius legendum.

EX III. DECADIS LIBRO I.

hoc eſt, lib. XXI. cap. XVII.

Vellem ego librariorum inſcitiam, veternoſumque illud hominum genus, quod noſtram proxime ætatem præceſſit, poſt flebilem iacturam illam quam Gothica tempeſtate Latina lingua in Liuiana fecerat hiſtoria, fragmenta hæc teterrimi illius naufragij poſteris incorrupta tradidiſſe. nihil ſane iniuria illa vetus nobis reliquum fecit, quod non hominum ſocordia vitiarit: vt nullibi fere ſit Liuianam alterius rimari hiſtoriam, vbi non domeſtica iniuria ſua altius impreſſerit ve-

ſtigia:ſed quum in primis illis voluminibus, quia omnia vbi magis ab hominum memoria erant remota, maior errori venia dari potuit, eo hæc quæ ſubiciam, acerbiore accuſatione digna. Lapſus in lubrico, & in obſcuro hallucinatio, haud tam turpis, quam in plano & aperto. Ecquis in nobiliſſima maximeque celebri hiſtoriæ parte crederet tam multa inuerſa, lacera, mutilata legentibus occurſura? vt non dubitem in vniuerſum affirmare, nullum eſſe in tam ſpatioſis voluminib. folium, in quo non vnum atque alterum ſit acrius intuentibus mēdum deprehendere. Etenim quis eſt tam veteris hiſtoriæ expers, qui cum in ſecundi belli Punici primo legerit? *Quatuor & viginti peditum Romanorum millia ſunt ſcripta, & octingenti equites:* Non intelligat legitimum equitum numerum legionibus non eſſe redditū, cum ea potiſſimum tempeſtate terna millia peditum legionem explerent? Perſpicue apparet habuiſſe cum delectum ſex legiones: quibus ſingulis quia ducenti (vt Polybius ſcribit) equites aſcriberentur: neceſſum eſt fateri id Liuium aliter ſcriptum reliquiſſe: cui opinioni, præter rationem, Polibij quoque (vt dixi) aſtipulatur auctoritas.

EOD. LIB. ET CAP.

Quam inſcite ſomnieuloſeque illi locum cuius modo meminii, vitiarunt, tam certe ſegniter, necminus hunc quem proxime ſubijciam: *quadringentos*, inquit, *quinquaginta ſociorum peditum*: pro *quatuordecim millia*. & continuo poſt, *mille equites ſocios*, pro *mille & quingentos quinquaginta equites*. eadem ratio & auctoritas præſentem locum ab iniuria vindicant.

EOD. LIB. CAP. XXII.

Receptum ſemel proximo loco vitium tam tenaciter hæſit, vt vulgo Liuiana habeant exemplaria, illa dumtaxat dicn, quę ad hunc diem videre contigit, *Liby, Phœnices*, duabus diuiſum dictionibus, pro *Libyphœnices*. tam Polybij auctoritas, quam Liuij verba quę ſequuntur, licet corrupta, id arguunt. *Libyphœnices*, inquit, *mixtum Punicum Afris genus*.

EOD. LIB. CAP. XXVII.

Vbi verborum affinitas librariorum vulgus ſemel in errorem traxit, ita ferme euenire ſolet, vt mendacij veſtigium tenacius impreſſum, facilis eruditorum non refirmidet ſequela. eſt apud eundem, *Hannonem Amilcaris filium vigilia prima noctis cum parte copiarū maxime Hiſpanis aduerſo fluuio ire iter vitius dici iuber*. Sed *Hanno Amilcaris filius*, qui idem erat & Hannibalis frater (quod paulo ſolertiorem potuit lectorem mendacij admonere) in Hiſpania fuerat ab Hannibale fratre relictus. At *Bomilcaris filium*, nō *Amilcaris* ſcripſit Liuius; quod Polybij lectio, quem ille in hiſtoria ſequitur, haud obſcure demonſtrat.

EOD. LIB. CAP. XXXVIII.

Cœlius, inquit, *per Cremonis iugum dicit tranſiſſe*] Hæc Liuius, ſi ea Liuius ſcripſit: verum quia id iugi nomen apud eos qui de ratione terræ ſcriptum reliquere, non reperio, ſuſpicari libet *Centronis* eſſe potius legendum. Straho, *Via*, inquit, *per Salaſſos ad montes biſariam ſcinditur, vna quidem Potamum* (*ſic enim dicitur*) *ducit per alpium ſummitates iumentis inacceſſibiles; altera per Centrones prolixior*. Sed id ego in medio relinquo. alij fortaſſis, ſiue in aperto ſit veritas, ſiue in profundo, vt Democritus credidit, demerſa, melius viderint.

EX LIB. XXII. CAP. I.

Iunonique Soſpita Lauiny maioribus hoſtijs ſacrificaretur] Semel atque iterum dixi vocum affinitatem præter cætera librariorum temeritatem per æqua & iniqua præcipitem egiſſe, ſed cum in pleriſque digni quodammodo ſint venia, hoc quidem loco proculdubio digniſſimi ſunt habendi. quæ enim vox tam arcte voci cohæſit vnquam, quam *Lanuuium Lauinio*? haud igitur mirum ſi cum Liuius *Lanuuy* ſcriptum reliquiſſet, notioris ſimilitudine vocis decepti illi *Lauiny* fecerint. Quod. a. Lanuuij ille ſcripſerit, Cicero præclare docet: *Date*, inquit, *Lanuuio municipio honeſtiſſimo quod in hac tota cauſa frequens mœſtumque vidiſtis; nolite à ſacris patris Iunonis Soſpitæ, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum conſulem potiſſimum auellere.* Quibus Ciceronis verbis haud dubie apparet, quæ in hac parte ſit emendata lectio.

EOD. LIB. CAP. VI.

Age nunc quam prona res fuit in lapſum, ita Liuium vitiari contigiſſe, vt *inſuper* pro *Inſuber* mendoſe ſit in eo receptum? *Donec*, inquit, *inſuper eques, Ducario nomen erat, faciemque noſcitans; Conſul hic eſt, inquit popularib. ſuis, qui legiones noſtras cecidit.* Quod Liuius *Inſuber* ſcripſerit, Polybij arguit auctoritas. is in hiſtorijs tradidit C. Flaminium qui ad Traſimenum periit, priore cōſulatu Inſubrum legiones ad Abduam flumen cecidiſſe, eorum agro prius fœde populato.

M. ANT. SABELL. ANNOTAT. IN TIT. LIVIVM FINIS.

IN TITI LIVII LIBRVM I. ANNOTATIONES PER BEATVM RHENANVM.

EXEMPLAR primæ Decadis manuſcriptum ſane quam eleganter, quod nobis communicauit non gēte ſolum, ſed & literis clarus ille Vormacienſis eccleſiæ decanus, do. Reinhardus à Rheilpur, deſumptū illic ex bibliotheca publica, primis doob. ternionibus carebat, quos nebulo quiſpiam deſecuerat, dum liber alicubi incuſtoditus iacet. Idem ſcelus & in fine volominis commiſſum. Quare coacti ſumus hic aliquot paginas tranſilire.

Cap. XI. *Inſignique cum veſte*] Sic exemplaria quædam excuſſa habent; quum ſit ſcribendum, *veſte*, abſque diphthongo. non enim de dea Veſta, ſed de veſtimento loquitur.

Eod. *Catera quoque omnia pub.*] Vetus lectio: *Catera quoque omnia.* & ſic legi debet.

Cap. XXI. *Propulſo legum ac pœnarum metu*] Archetypum Vormacienſe habet, *Proximo legum ac pœnarum metu.*

Cap. XXII. *Is ducit exercitum quam proxime*] Non dubito quin Liuius ſcripſerit quemadmodum eſt in volumine Vormaciēſi, *Ea res ab ſtatinis extinit Metium. ducit quam proxime ad hoſtem poteſt.* Abſolute enim verbum *duco* ſubinde Liuius vſurpat, & auctores cæteri.

Cap. XXIV. *Fatisne me tu reg. n. populique Romani Quiritium?*] Scribendum, *Populi Rom. Quiritium*: abſque particula *que*.

Eod. *Patrem patratū Sp. Fuſium*] Adiice pronomen *is*. *Is Patrem patratū Sp. Fuſium fecit.* Sic enim in manuſcripto libro legitur.

Eod. *Vt illa prima palum poſtremaque*] Habet exemplar vetus, *Vt illa palam prima poſtremu ex illis tab.* Nihil autem ambigo particulam, *que*, poſtea additam.

Eod. *Si prior defecerit*] Legendum, *ſi prior defexit*. nā ſic cōtinet ſcriptura vetus. Dixerunt autem antiqui *Defexit*, pro *Defecerit*.

Eod. *Tu illo die Iupiter populi Rom*] Hic multū laboris mihi exhibuit, & diu me diſtraxit, cum deprauata, tum variata lectio libri manuſcripti, in quo legitur, *Tum ille dies Iupiter.* & quidam ſupra adiecerat, *vel Dieſpiter*. In margine notatū erat, *dies Iupiter.* Deprehendi vero tandem ſcribendum eſſe, *tum die Iupiter.* Nam priſci *dium* deū dixerunt, vt *dium Fidium*, item *diuū*. Scribam veterem decepit, *die*, ſic fortaſſis ſcriptum, *die*, vt poſſet facile verti in *illo* diuerſa videlicet lectione, quæ ſæpe notata ſeorſim à parum attētis ſcribis, dum nihil omittere volunt, in contextum recipitur. Et *die*, quod ipſe eſſe putabat à vocabulo *dies diei*, mutatum eſt in *dies*: vt quadraret oratio, *Ille dies*. Habebūt mihi docti, ſat ſcio, magnam gratiam pro hoc loco reſtituto. Porro *tum* aduerbium ſatis ſignificantiæ temporalis in ſe habet, vt nihil addere fuerit opus, *Illo die*.

Cap. XXV. *Animo intenduntur*] Vetus lectio, *animo intenduntur.* Et mox, *Publicum imperium ſeruitiumque obſeruntur animo*: ſine coniunctione *ſed*, qui ſermo miram elegantiam habet. Item inferius paulo, *Ad quorum caſum quum conclamaſſet gaudio Albanus rex. Ex inſperato pauentium ſolet.* Magnum hic mendū exemplaria Liuiana occupauit. nam pro *pauentium*, ſcribendum eſt *fauentium*. Vehemens autem de proſpero rei prope deſperatæ ſucceſſu, gaudium.

Eod. *Et vt pugnatum eſt*] Non erat opus hic particulas iſtas tranſponere. Recte enim exemplar ſcriptum habet, ſed diſtantia locis, *vt et pugnatum eſt*. Idem habet paulo poſt.

Cap. XXVI. *Quæ deſponſa vni*, non *deſponſata*. Et ibidem, *Obuia ante portam Capenam fuit*, non *obuiam*.

Eod. *Cum immaturato amore*] Tu ſcribe, *cum immaturo amore*, Et mox, *Quacunq; Romana lugebit hoſtem.* Sic enim in archetypo Vormacienſi legitur.

Eod. *Aut ſecundum iudicium ſupplicij*] Antiqua lectio, *ad ſecundum iudiciū*. Scribendū, *At ſecūdum iudiciū ſupplicij auctor eſſet.*

Eod. *I, caput obnube liberatoris huius vrbis*] Imperatiuum *I*, recentior manus aſcripſerat in codice Vormacienſi: in quo non caret elegantia, quod ſcriptum eſt, *vrbis huius*. Quemadmodū & quod ſequitur; *Admiratione magis virtutis, quam iure cauſa.* Item rurſum quod paulo poſt legitur: *Id hodie quoque publice ſemper refectum manet.* Hic minor quid libuerit quibuſdam dictiones tranſponere, contra fidem exemplaris ſcripti.

Cap. XXVII. *Suo iuſſu circumduci Albanorum exercitum vt Fidenatiū nuda terga inuadat: idem imperat, vt haſtas equites erigere iubeat*] In volumine Vormacienſi legitur, *Albanū exercitum*. Quæ ſequuntur concordant cum vulgatis editionibus. At ego ſic arbitror ſcripſiſſe Liuium hoc modo diſtinguenda oratione: *Suo iuſſu circumduci Albanum exercitum, vt Fidenatium nuda terga inuadat: idem* (ſubaudi Albanus exercitus) *imperat: haſtas equites erigere iuber.* Porro mirum Tulli regis conſilium fuit, etiam deſciſcentes Albanos in ſpeciem adhortantis, quo Fidenates hoſtes terreret.

Cap. XXVIII. *In Veientem alieno pauore perculſum ſerociter redit*] Legendum eſt, *Ferocior redit.*

Eod. *Exempli parum memoris legū humanarum fuit*] Cogitandum num ſcribi poſſit, *legum Romanarum fuit*. Nam ſequitur, *In alijs gloriari licet*, &c.

Cap. XXX. *Eandem ſedem Tullus regiæ capit, ibique habitauit*] Auctoritatem ſequuti ſcripti codicis ſic legemus, *Eam ſedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitauit.*

Eod. *Legiones etiam veteres*] Vetus & ſyncerior lectio, *Legiones & veteres eodem ſupplemento expleuit, & nouas ſcripſit.*

Cap. XXXII. *Et qua proximum regnum cæteris egregium*] Repone, *Cætera egregium*. Sic enim Liuius loqui ſolet, & auctores alij. ita habes infra: *Ergo virum cætera egregium ſequuta.*

Eod. *Pontificem maximum in album relata*] In libro ſcripto tantum eſt: *Pōtificem in album*, ſicut ſupra: *Pontificem deinde Numa Marcium M.F. ex patribus legit.*

Eod. *Repetentibus res Romanis ſuperbe reſponſum reddiderunt*] Magis placet antiqua lectio, *reddunt*.

Eod. *Illaſque res dedier nuncio populi Romani mihi expoſco*] Suſpicor tres iſtas dictiones, *Nuncio populi Romani*, poſtea additas ab exponente datiuum *mihi*. In exemplari Vormacienſi recentiore manu ſupraſcriptum erat inter *res* & *dedier*, *P.R.*

Eod. *Tum patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe*] Lectio vetus: *Siris eſſe*. Scribo *ſieris eſſe*.

Eod. *Hominibuſq; priſcis Latinis*] Ex veteri volumine ſic apparet legendum eſſe: *Patri patrato priſcorum Latinorum, hominibuſque*, ſubaudi, *priſcorum Latinorum, priſciſue Latinis*. Et paulo poſt: *Hominesve priſci Latini*] Non: *Hominesque*.

Cap. XXXIII. *Et quum circa palatium ſedem veteris Romani*] Recte habet antiqua lectio: *Sedem veterem Romanorum*, vt intelligas, Sabinos Capitolium atque arcem impleſſe circa Palatium, quæ ſedes erat veterum Romanorum.

Eod. *Inde ingenti præda potitus Romam redit*] Exemplar ſcriptum habet, *Potens*. opinor legendum potiens.

Eod. *Quiritium quoque foſſa, haud paruum munimētum à planioribus additum locis*] Qui hunc locum caſtigare niſus eſt, quum recte haberent verba, deprauauit. nam *aditus*, ſupinum, vertit in *additum*, participiū: ſed perperam. Significat enim Liuius foſſam Quiritium non paruum munimentum fuiſſe ab ea parte, qua erant loca planiora ac faciliora aditu.

Eod. *Et in ora Tiberis Hoſtia vrbs condita*] Legendū eſt: *Et in ore Tiberis Hoſtia vrbs condita.* hoc eſt, in exitu vbi in mare effunditur. Alioqui Roma quoq; in ora Tiberis ſita. Sic in ora Elli fluuij, quā & Alſam vocant Argētuaria ac Elcebus Sleſtadium iacent, in ore eiuſdē, hoc eſt, apud confluentes Argentoratum.

Cap. XXXIV. *Ea quū illi nupſiſſet*] Hic priſcum verbū fœdè deprauauit temeraria caſtigatoris manus: Nā pro *innupſiſſet*, ſcripſit, *Illi nupſiſſet*. Sic autē habet lectio vetus: *Ea quum innupſiſſet.* Porro mulier *innubit* proprie, quū in mariti domum tranſit: vnde factum, vt *innubere*, veteres pro tranſire vſurparint: teſte Nonio, qui Lucilium citat, ita hoc vſum verbo. Senſus igitur eſt: *Ea quum innupſiſſet*, hoc eſt, iam ad domum mariti tranſiſſet. nā *nupſiſſe* dicitur puella etiamnum apud parentes domi manens: *Innupſiſſe*, niſi quæ cum viro iam habitare cœpit, non dicitur.

Eod. *Facile viro perſuadet*] *Viro*, datiuum quiſpiam addidit inter enarrandum. Non reperimus in codice Vormacienſi, nec eſt neceſſarius: præceſſit autem, *Forti ac ſtrenuo viro*.

Eod. *Commigrant Romam*] Exemplar antiquum habet, *Amigrant Romam.* ſubaudi *Tarquinijs*. Non aliter dictum eſt infrā: *Auolant Romam*. Porro quid vetat dici, *amigro*, pro *abmigro*: ſiue *ammigro*, pro *admigro*: ſicut dicimus, *immigro*, & *demigro*.

Eod. *Iam & Romanis conſpicuum*] In volumine ſcripto tantum legitur, *edidere nomen. Romanis conſpicuum*. Adiecit fortaſſis

aliquis duas iſtas particulas connectere volens orationem, quę ſibi hiare videbatur: mihi non videntur neceſſariæ.

Eod. *Notitiaque eum breui apud regem*] Hunc locum ſciolus aliquis adulterauit. Legendum vero quemadmodum architypum Vormacienſe continet: *Notitiamque eam breui apud regem liberaliter dexteréque obeundo officia in familiaris amicitiæ adduxerat iura.* vt intelligas ipſum Lucumonem adduxiſſe eam notitiam in iura amicitiæ familiaris.

Cap. XXXVI. *Vt mille & trecenti equites*] Antiqua lectio: *Vt mille & occc. equites.* Hoc pacto in ſingulis centurijs fuerunt ſexcenti equites.

Cap. XXXVII. *Et quicquid circa Collatiam agri erat*] Mihi magis probatur vt ſcribamus ad fidem vetuſti codicis: *Et quicquid circa Collatiam agri erat.*

Eod. *Et ego recipio*] *At ego recipio*, ſcriptum eſt in architypo. Deinde, *triumphans Romam redit.* Præterea:

Cap. XXXVIII. *Omne nomen Latinum.* item: *pax deinde eſt facta.*

Eod. *Vrbem quam nondum munierat*] Tu caſtiga, *Vrbem qua nondum munierat.* Eſt *quà* aduerbium loci, hoc eſt, *qua parte.*

Cap. XXXIX. *Hunc lumen quondam*] Interpretatio flammæ, qua viſum eſt pueri caput ardere. Nec cuiquam ſecus videtur legendum. Cæterum quando conſidero quæ poſtea ſequuntur, vbi vulnerato Tarquinio omne auxilium regiæ ſeruandæ in Seruio ſitum fuit, video melius legi poſſe contra receptã iſtam & Vormacienſis codicis, & vulgatarum editionum lectionem. *Hunc columen quondam reb. noſtris dubijs futurum.* Sic autem Seruium *columen dubijs reb. et regiæ afflictæ* dicit futurum: quemadmodum Terentius in Phormione ſeruum antiquum Getam *columen familiæ* vocat, hoc eſt, *columnam.* ita Donatus interpretatur. Vnde inter vetera ſeruitia *Columellarum* nomen. Porro quum ſubdit, *Præſidiumq; regiæ afflictæ*: velut exponit quod premiſit, *Columen reb. noſtris dubijs.* Iam indicant ſequẽtia, Seruium non oſtendiſſe quid foret agendum, vt lumen appellari poſſet: at dubias Tarquinij res & afflictam regiam fortiter ſuſtuliſſe ſuſtinuiſſeque. Non eſt diſſimilis huic locus qui lib. 2. huius Decad. legitur, vbi inquit: *Trecentos ſex periiſſe, ſatis conuenit: vnum prope puberem ætate relictũ, ſtirpem gẽti Fabiæ, dubijſq; reb. populi Romani, ſæpe domi belliq; vel maximũ futurum auxilium.* Item lib. 3. *Sibi*, inquit: *eam in dubijs ſuis reb. veniſſe ſubſidio.* Rurſũ lib. 8. *Nũc*, inquit, *miſericordia veſtra cõciliati, auxilioq; in dubijs reb. defenſi, beneficium quoque acceptũ colamus.* Poſſet tamen ſentẽtia ſic etiam legi, poſteriori accuſatiuo *hunc* expuncto. *Videsne tu puerũ hunc?* inquit, *quem tam humili cultu educamus, ſcire licet columen quondam rebus noſtris dubijs futurũ, præſidiumq; regiæ afflictæ.* Nec hîc dubito quin doctiſſimus quiſque mecum ſit ſenſurus. Vocabulũ *columen* vſurpat alibi quoq; Liuius noſter, vt lib. 6. *Conſulatũ*, inquit, *ſupereſſe plebeijs, eũ eſſe arcẽ libertatis, id columẽ.*

Eod. *Et inter mulieres familiaritate auctam*] Nõ me latet Latinè dici, *familiaritate aucta*, pro *locupletata*: quemadmodũ Cicero dixit: *auctus pecunia*, & *auctus filiolo.* Verũ magis hic quadrat vetuſti codicis lectio, *Et inter mulieres familiaritatem auctam.* vt intelligas *inter mulieres*, hoc eſt, inter vxorem Seruij Tullij, & inter reginam, *familiaritatem*, quæ primum tenuis & modica fuerat, vt inter duorum principum vxores poſteaquam eſt cognita illa inter captiuas, deinde auctam & maiorem factam, vbi in domum recepta puerum eſt enixa.

Eod. *Et puerum in domo à paruo*] Deeſt hîc in vulgatis exemplarib. omnibus, *vt*, particula. Sic enim ſcribe: *& puerum vt in domo à paruo eductum.* Porro non erat opus, *eductum*, quod in antiquo libro legitur, in *educatum* mutare: quando Terentius vſurpat *educere* pro *educare. Eduxi*, inquit *à paruulo.*

Cap. XL. *Id ſeruus ſerua natus*] Volumen manoſcriptum habet, *Id Seruius ſerua natus.* Et ſic eſt legendum. nam præcedit, *Romulus Deo prognatus*, ad quod reſpondet, *Seruius ſerua natus.* Et eſt hic figura, quam παρονομασίαν, ſiue *agnominationem* vocãt in *Seruius* & *ſerua.*

Eod. *Qui conſueti erant*] Scribendum eſt, quemadmodum continet exemplar Vormacienſe. *Quibus conſueti erant vterque agreſtibus ferramentis.* Nam oratio pendet adhuc vſque ad verbũ *conuertunt*, quod non animaduertit, qui locum adulterauit.

Eod. *Euocati ad regem pergunt, primo vterq; vociferari*] Debet eſſe, *vocati ad regem.* Aliud enim eſt *vocatus*, aliud *euocatus.* Quod vero ſequitur: *Et iuſſi inuicem dicere:* melius eſt vt legatur, *in vicem.* ſeparatis dictionibus, hoc eſt, *per vices.*

Cap. XLI. *Dexteram tenent orat*] Caſtiga, *Dextram tenens orat.*

Eod. *Habitabat enim rex ad Iouis Statoris ædem*] Hic addidit ſciolus aliquis accuſatiuum *ædem*, qui non eſt in volumine Vormacienſi. ἐλλειπτικῶς autem loquuntur auctores: *ad Iouis Statoris*, pro *ad Iouis Statoris ædem.*

Eod. *Interim Seruij Tullij iubere populũ dicto audienſẽ eſſe*] Liuius ſcripſit, *Interim Seruio Tullio iubere populum dicto audientẽ eſſe.* Sic lib. 5. *Nec plebs*, inquit, *nobis dicto audiẽs atq; obediens ſit.* Imperitus quiſpiã non verſatus in auctorum lectione, & proinde non intelligens quid ſibi vellet, *dicto audientem eſt*, pro *Seruio Tullio*, ſcripſit, *Seruij Tulij.* vt quadrarent verba, *dicto Seruij Tullij*, hoc eſt, *præcepto.* At *dicto obedientem eſſe*, idem eſt quod *obedire.* Porro vetus liber mox habet: *obiturumque alia regis munia eſſe.*

Eod. *Tum demum palã facta ex compl.*] Indicat manuſcriptum exemplar eſſe legendum, *tum demum palam factum*: ſubaudi, *regem eſſe extinctum*, *tum demum*, hoc eſt, vbi ſuas opes firmaſſet. Cæterum quia mox vetus codex habet, *Et comploratione in regia orta*: arbitror ſic ſcriptum reliquiſſe Liuium, *tum demum palam factum. Et comploratio in regia orta.* ſubauditur, *eſt.*

Cap. XLII. *Nec iam publicis magis conſilijs*] Sic & in Archetypo Vormacienſi legitur. At auſim iurare ego, ſcripſiſſe Liuium, *Nec iã publicis magis auxilijs Seruius, quam priuatis, muniro opes.* Siquidem quod ante dixit, *Seruius præſidio firmo munitus*, illud ipſum eſt, quod hîc, *publica auxilia* vocat. Et aliquanto poſt ſequitur, *cõſilio augere imperiũ conatus eſt.* Porro facilimus ſcribæ lapſus fuit, vt pro *auxilijs* ſcriberet *conſilijs*, literarum ſimilitudine deceptus.

Cap. XLIII. *Galea, clypeus, ocrea*] Codex vetuſtus habet *galea, clypeum, ocrea.* Quid autem opus erat hîc ſcribere *clypeus*, quum vtrumque doctis ſit in vſu, *clypeus* & *clypeum*? Virg. 9. Æneid. *Et clypeum ſuper intonat ingens.* auctor Seruius.

Eod. *Tertia claſſis in quinquaginta millium cenſum eſſe voluit: totidem centuriæ, & eæ*] Antiqua lectio: *Tertia claſſis in L. millium cenſum eſſe voluit, totidem centuriæ, & hæ.* Suſpicor ſcriptum fuiſſe, *In tertia claſſe L. millium cenſum eſſe voluit.* aut, *tertia claſſis millium L. cenſum eſſe voluit.*

Eod. *Hinc minor cenſus*] Scribe iuxta fidem vetuſti voluminis, *Hoc minor cenſus.* Eſt autem *hoc* ablatiui caſus. Id quod non animaduertit, qui *hinc* aduerbium ſuppoſuit.

Eod. *Sue, oue, taurisque tribus luſtrauit*] Antiqua lectio: *Sue, oue, taurilibus luſtrauit.* Sic Cornelius Tacitus annalium lib. 5. *Sacrificantibus, quis hic more Romano ſuouetaurilia daret.* Cogitandum autem quid ſibi velit, *idque conditum luſtrum appellatum, quia in cenſendo finis factus eſt.*

Cap. XLIV. *Aggere & foſſis & muro vrbem circumdat, item pomœrium profert*] Dij boni quantum ſibi permiſerunt quidã in hoc auctore interpolando. Scribendum eſt ad archetypi fidem, *Aggere & foſſis & muro circumdat vrbem: ita pomœrium profert.* Senſus eſt, *Aggere & foſſis & muro circumdando vrbem pomœrium profert.* Quid igitur illi in mentem venit, qui pro *ita*, ſcripſit *item*, nouam videlicet ſententiam facturus? Liuius in hoc libro paulo poſt: *Ita armatus in Tiberim deſiluit.*

Eod. *Pomœrium verbi vim ſolam intuentes poſtmœnium interpretãtur eſſe: eſt autẽ magis circa murũ locus*] In primis conſtare nobis debet, etymologiam *Pomœrij* Liuium non à *mœnibus*, ſed à *muro* deductam oſtendere: quandoquidem *pomœrium* dicimus, non *pomœnum.* Nam ſequitur paulo poſt: *Hoc ſpatiũ quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod poſt murum eſſet, quam quod murus poſt id, pomœrium Romani appellarũt.* Proinde, quemadmodum indicat volumen Vormacienſe, eius exemplũ quod olim à Dextro Flauiano Nicomacho, & victuriano VV. CC. emendatum eſt, non *poſtmœnium* hic ſcribi debet, ſed *poſtmœrium.* & mox, *circamœrium*, non *circa murum.* Nec obiiciat hîc aliquis eas voces nihil ſignificare. Sic enim & mulieris etymologiam afferentes, *mulierem* dictam interpretamur quaſi *mollierem*, à *mollitie* videlicet. Sic autem diſtinguo verba: *Pomœriũ, verbi vim ſolam intuentes, poſtmœrium interpretantur eſſe. eſt autem magis circamœrium: locus quem in cond. vrb.* appoſitiuè; in fragmentis Feſti Pompeij legitur, *Prosmurium eſſe pontificale pomœrium, dictum quaſi proximurium, id eſt, proximum muro.* Ita namque caſtigandum arbitror.

Eod. *Quæ nunc vulgo etiam coniunguntur*] Antiqua lectio. *Quæ nunc vulgo etiam coniungunt.* Subauditur *quidam.* Elegans ſermo eſt.

Cap.XLV. *Cuius ciuitatis eam ciues Dianæ im-molaſſent*] Vetuſtum exemplar habet, *Ciues Dianæ immolaſſent.* Opinor legendum: *Caius ciuitatis eam ciuis Dianæ immolaſſe.* Sequitur enim de antiſtite Romano, & illo patre familiæ Sabinn.

Eod. *Sabinus, ut primam apta dies ſacr.*] Scribendũ, *Sabiniſq; ,ut primum apta dies ſacr.* Nec vacat particula *que.* nõ ſolum cõnectens ſentẽtiam, verum etiam ad vehementiam eiuſdẽ faciens.

Eod. *Infima valle perfluit Tiberis*] Lege, *infima valle praſluit Tiberis.*

Cap.XLVI. *Tulit enim Romana regia ſceleris tragici exemplam*] Adde particulam *Et. Tulit enim & Romana regia ſceleris tragici exemplam.*

Eod. *Filius nepos ve fuerit*] Vetus ſyncera que lectio: *Filius nepos ne fuerit.* ſubauditur *an.*

Eod. *Aat elangueſtendum aliena ignaaia eſſet*] Hanc ſententiam fœdè deprauauit ſcioli cuiuſpiam imperitia. legendum: *ant vt elangueſcendum aliena ignauia eſſet.* Et pendent hæc verba à ſuperioribus.

Cap.XLVII. *Non ſibi defuiſſe, cui napta diceretur*] Perſuadet mihi vetuſtus codex legendum hic eſſe: *cui innupta diceretur.* Tametſi recentior manus, *in* particulã, ſupra ſcripſerat, ſed proculdubio ſyncerioris alicuius cod. admonitu. Porro quum ſe dicit *innaptam*, indicat ſe iam in ædes viri tranſiſſe. nam hoc ſignificat *innubere*, quemadmodum ante docuimus.

Eod. *Mnliebri dolo regnum occupaſſe*] Scribẽdum eſt: *Mulicbri dono regnum occapaſſe.* Nam reſpicit quod ſupra dictum eſt, & quod mox præceſſit. *quum Tanaqail peregria a mulier tantũ moliri potuiſſet, animo, vt duo cõtinua regna, viro, ac deinceps genero dediſſet.* Ibi dicit liuius, Tanaquilem genero dediſſe regnum, quare hic ſubdit, *muliebri duo.*

Cap.XLVIII. *Tum Tarquinius neceſſitate iam ipſa cogente*] Inferenda hic *etiam* particula: *neceſſitate iam etiam ipſa cogente.*

Eod. *Ipſe prope exanguis cum ſemianimis regio comitatu*] Vetus volumen habet: *ſemianimes.* Neutra lectio gnɛſia eſt ac germana. Tu locum ſic reſtitue: *Ipſe prope exanguis, cam ſemianime regio comitatu domum ſe reciperet.* Subauditur in illis verbis: *ſemianime regio comitata*, participium *exiſtente.*

Eod. *In collẽ Eſquiliaram*] Antiqua lectio: *in collem Eſquiliariũ.*

Eod. *Quem ſceleratam vicum vocant*] *Quem* pronomen, aſinus aliquis adſuit: quum ſimpliciter Liuius ſcripſerit: *monumentoque locus eſt, Sceleratum vicum vocãt.* O caſtigatorem infelicem.

Cap.XLIX. *Primores patrum quos Seruy rebus fauiſſe cred.*] Scribendum eſt, *Primoreſque patram qaos.* Pendet enim adhuc ſententia. Et altera ratio eſt, cur *Superbus* fuerit appellatus. Aliquanto poſt in ſcripto codice legitur: *Præcipue ita patrum numero imminuto.* Non, *ita præcipue patrum num. im.*

Cap.L. *Haud mirum eſſe ſuperbo iaditum Romæ cognomen*] Vetus lectio, *Haud mirum eſſe Superbo ei inditam cognomen.*

Eod. *Cai enim non appareres*] Adhuc pendet ſententia per verba infinita, *præceſſit. ſuperbius eſſe, non adeſſe, tentari.* Itaque ſcribendum hic *apparere: cui enim non apparere.*

Cap.LI. *Seruum Tarni auro corrupit, vt in diuerſorium eius*] *vt* particulam, adiecit aliquis, quæ non eſt in libro ſcripto, nec eſt neceſſaria. Elegantius enim dicitur: *Seraam Tarni auro corrapit, in diaerſorium eius vim magnam gladiorum inferri clam fineret:* vbi ſubauditur, *vt.*

Eod. *Id verum necne ſit extemplo ſciri poſſet*] Liuius indubie ſcripſit quemadmodum eſt in Archetypo Borbetomagenſi, *Id vanum necne ſit extemplo ſciri poſſe.* Et quamquam idem ſenſus redundat, quid tamen opus fuit Liuiana verba mutare? O præpoſteram diligentiam.

Cap.LII. *Ac ſentire cum rege videbantur*] Exemplar manuſcriptum habet *Videbant.* ſubauditur *Latini.*

Cap.LIII. *Et liberorum quoque eum frequentiæ tædere*] Antiqua lectio continet, *frequentia.* Septimus caſus eſt, hoc eſt, *ob frequentiam.* Et verbum *tædere* accipiendum abſolute.

Eod. *Quum ſi nihil mouerentur*] Aliter legitur in vetuſto codice, *cum ſi nihil morarentur.* Certe 4. libr. huius Decadis rurſum hunc loquendi modũ vſurpat, vbi Hortenſius tribunus plebis, C. inquit, *Sempronium nihil moror.* Id. eſt, *C. Sempronium dimitto.* Verba videntur fuiſſe, quæ iudex ex more proferebat, quoties reum abſolueret. Proinde expone hic: *ſi nihil morarentur*, id eſt, *dimitterent.*

Cap.LIV. *Quandoquidem, vt omnia vans Gabijs poſſet*] Liber manuſcriptus habet: *quandoquidem vt omnia vnus præ Gabijs poſſet.* Tu ſcribe, *quandoquidem vt omnia vnus ipſis Gabijs poſſet.* Nec eſt ea vox hic ſuperuacanea. emphaſim enim habet.

Eod. *Et vt libera à cæteris religionibus arx ea eſſet tota Iouis, templiq; eius, quod in ea ædificaretur. exaugurare fana, ſacellaq; ſtatuit: quia aliqua vota ibi à Tatio rege primam in ipſo diſcrimine aduerſus Romulum pugnæ conſecrata inaugurataq; poſtea fuerãt*] In hac periodo mendæ ſunt aliquot ingentes. Primum quando non de arce extruenda, ſed de templo Ioui condendo hic agitur, non ſcribendum eſt, *arx ea eſſet tota Iouis:* verum, *area eſſet tota Iouis.* Non habet hic locum prorſus arcis Tarpeiæ mentio. Deinde ſcribendum eſt, *qaod inædificaretur:* non, *quod in ea ædificaretur.* Eſt autem elegans verbum *inædificare.* Mox pro iſtis dictionibus, *qaia aliqua vota ibi:* ſubſtitui debet *quæ aliquot ibi.* Poſtremo vocabulum *vota*, transferendum eſt, vt ante *conſecrata* ponatur, hoc modo: *Et vt libera à cæteris religionib. area eſſet tota Iouis tẽpliqne eius, quod inædificaretur, exaugurare fana ſacellaq; ſtatuit, quæ aliquot ibi à Tatio rege primum in ipſo diſcrimine aduerſus Romulũ pugnæ vota, conſecrata, inaugurataq, poſtea fuerant.* Vide mi lector, quam neceſſaria res ſit auctores ad exemplaria antiqua conferre. Hęc non ſunt imputanda Laurẽtio Vallæ, ſed Pogio, Auriſpę, Alerienſi, Victorino, & Pètrarchæ, qui doctiſſimi quidem fuere, verùm non vſquequaque Latinè callebant.

Cap.LV. *Id omen auguriumque*] Non erat hic eradenda particula *qae. Idque omen auguriumque.*

Eod. *Vnumque deorum*] Nec hic diſpungendus erat accuſatiuus *eam: vnumque eum deoram.*

Eod. *Sacratis ibi finibus*] Scribe, *ſacratis ſibi finibas.*

Eod. *Itaqae Pontinæ manubiæ*] Tametſi vetuſtum volumen continet *Pominæ:* cenſeo tamen legendum, *Pometinæ manubiæ.* Nam exemplaria antiqua ab hinc annos mille fere maiuſculis fuere literis perſcripta. modo E. maiuſculum, non eſt ita diſſimile P. Facile ergo POMETINÆ, verſum eſt in POMTINÆ. Pręcedit autem, quod Tarquinius Sueſſam Pometiam vi ceperit, vbi XL. millium pondo argenti aurique fit mentio: quod hic repetitur. Quare miror hoc non emendatum in editione Aſulanica quando iam olim ante nos ſic legendum eſſe monuit M. Antonius Sabellicus.

Eod. *Eo magis Fabio Pictori*] Quiſpiam adiecit, *Pictori*, non eſt in codice ſcripto. Mouit hoc hominem quod ante ſemel dixerit, *ſcriptorum antiquiſſimus Fabius Pictor.*

Eod. *Quam ſummam pecaniæ*] Si quis hoc pacto legere velit, multa ſubintelligẽda erunt. Ex fide vetuſti codicis ſic ſcribe, *qaia ſummã pecaniæ*, & repete verbum *ſcribit*, quod ſubauditur.

Cap.LVI. *Minas tamen plebs grauabatur ſe tẽpla deûm ædificare manibus ſuis*] Antiqua lectio: *Minus tamen plebs grauabatur ſe templa deûm exædificare manibus ſuis.*

Eod. *Aperiretur tempore ſao*] Scribendum, *Operiretur tempora ſua*, hoc eſt, *expectaret opportunitatem temporis.*

Eod. *Per ambages tegens effigiem ingeny ſui*] Qui participiũ *tegẽs*, infulſit, putabat orationẽ alioqui mutilam eſſe: non intelligens appoſitiuè dictũ: *Aareum baculum donũ Apollini, per ambages effigiẽ ingeny ſui.* id eſt, qui baculus erat effigies ingenij ipſius.

Cap.LVII. *Quod ſe in fabroram miniſterys*] Legendum, *Miniſterio.* nec opus eſt hic numero multitudinis.

Eod. *Tentata res eſt primum, ſi primo impetu*] Vacat aduerbium hic *primum.* Sic ſcribe, *Tentata res eſt. ſi primo impeta capi Ardea poſſet.*

Eod. *In ſtatiuis (vt fit) longo magis quàm acri bello*] Deeſt pronomen, *his. In his ſtatiuis (vt fit) longo magis quàm acri bello.*

Eod. *Citatis eqais aduolant Romam*] Vetus lectio: *Auolant Romam.* Vtrumque tolerabile eſt. Similis error accidere ſolet in *abducere & adducere.*

Cap.LVIII. *Quam poſt cœnam in hoſpitale cubiculum dactus eſſet*] Scribendum, *deductus eſſet.*

Eod. *Poſtquam ſatis tuta omnia circa, ſopitiqae*] *Omnia*, non eſt in libro ſcripto. Fortaſſis etiam legi poſſet: *Poſtqaam ſatis tata cuncta, ſop.* Mox ſequitur: *Pauida ex ſomno mulier.* Et infra: *Lucretiam ſedentem mœſtam ia cubicalo inueniunt.* Item, *Sex. eſt Tarquinius.* non: *Sex. Targainius eſt.*

Cap.LIX. *Ferro, igni, qaacunque dehinc poſſim, execaturum*] Non aliter in veteri legitur. Sed quid ſi ſcribes, *exacturum.*

Eod. *Et inuecta corpori patris*] Lectio vetus, *corpore patris*, hoc eſt, *in corpere patris:* ſiue *per corpus patris.*

Digitized by Google

IN TITI LIVII LIBRVM II. ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.

CAp I. *Partium cœpta vrbis*] Codex Vormatienſis habet: *Partiũ certa vrbis*. lego: *Partium certè vrbis*. vt ſit *certè*, pro *quidem*. Deinde fuit in eodem libro mox, *abs ſe aucta multitudinis*. tametſi literam *s* quidam eraſerat. At placet mihi ea lectio. recte enim habebit ſentẽtia hoc modo, *vt haud immerito omnes deinceps conditores partium certè vrbis, quas nouas ipſi ſedes ab ſe auctam multitudinis addiderant, numerentur*. Refertur autem genitiuus *multitudinis* ad accuſatiuum *ſedes*. Et hæc clauſula, *quas nouas ipſi ſedes*: explicat quod dixit, *partium certè vrbis*, quaſi dicat, *non totius vrbis, ſed partium quidem vrbis*.

Eod. *Primoribus equeſtris gradus electis*] Scribendum eſt, *lectis*, vt mox: *appellabant lectos*.

Cap. II. *Necubi regum deſiderium eſſet*] Indicat Archetypum Vormacienſe ſcripſiſſe Liuium: *Necubi ibi regum deſiderium eſſe*. *Ibi*, hoc eſt, quantum ad ſacra attinet. tametſi illic mendosè ſcriptum fuerat, *necubi, vbi*.

Eod. *Solicitatamque ſuſpicione plebem*] Legendum, *Solicitamq; ſuſpicione plebem*.

Cap. III. *Nobilium adoleſcentium animos pertentabant*] Habet volumen Vormacienſe: *Pertentant*. Nec fuit cauſa cur in *pertentabant*, verteretur.

Cap. V. *Acervos conſediſſe illitos limo*] Antiqua lectio: *acervos ſediſſe illitos limo*.

Eod. *Quicquid hominum deûmq;*] Exemplar ſcriptum: *quicquid deorum hominumque*.

Eod. *Poſt illum ſeruatum, vt qui*] Scribendum, *Poſt illam obſeruatum*.

Cap. VI. *Ne ſe ortum eiuſdem ſanguinis extorrem*] Suſpicor legendum, *ne ſe orta eiuſdem ſanguinis, extorrem e*. vt conſentiat codex manuſcriptus cum vulgatis editionibus. *Fuſi fugatique ſunt*] Verbum *ſunt*, poſtea adiectum eſt. maiore elegantia omittitur. Paulo poſt in ſcripto codice legitur, *vno pl° Tuſcorũ*.

Cap. VII. *Vbi audire iuſſi*. Antiqua lectio: *ibi audire iuſſi*.

Eod. *Ad Aquilios Vitelliosque recidiſſe*. Deeſt pronomen *ſe*: *ad Aquilios ſe Vitelliosque recidiſſe*.

Eod. *Metui me credere poſſe à ciuibus meis?*] Reſtitue ſententiam hoc modo: *metui me crederem poſſe à ciuibus meis?*

Eod. *Et vbi nunc vicus publicus eſt*] Lectio vetus: *& vbi nunc vica poca eſt*. Neſcio an recte emendarint qui ſcripſerunt: *Vicus publicus*. Fortaſſis melius ſcriberetur. nam ad coniecturas hic confugere neceſſe eſt. *Et vbi nunc viriplaca eſt*. vt ſubaudiatur *ædes* vel *templum*. Siquidem reperio Deæ viriplacæ ſacellum ad Veliam fuiſſe. Sic autem diſtingui verba debent: *Delata confeſtim materia omnis infra Veliam, & vbi nunc vicus publicus eſt. Siue, Et, vbi nunc Viriplaca eſt; domus in infimo cliuo ædificata*.

Eod. *Credo, quod nulla geſta res inſig.*] In codice Borbetomagenſi legitur: *credo, quia nulla geſta res*. Nec erat opus pro *quia*, *quod* ſcribere.

Eod. *An tantum roboris animo fuerit*. Hic rurſum tranſpoſitę ſunt dictiones, quaſi non melius ſonet quod in veteri volumine habetur: *An tantum animo roboris fuerit*.

Cap. IX. *Sed ſeſemetipſos ciues*] Antiqua lectio, *ſed ſeſemet ipſi ciues*. Cur hoc voluit quiſquam mutare? Porro quod hîc habes de *ſuiſmet*, infra leges de *ſemet*. *Niſi*, inquit, *inter ſemetipſi ſeditionibus ſaniant*. Et infra: *Eos*, inquit, *per ſeipſi Latini adſumptis Hernicis ſine Romano aut duce aut auxilio, caſtris exuerunt*.

Cap. X. *Itaque monere, prædicare*] In ſcripto volumine legitur: *itaque monere prædicere*. Hoc poſterius verbũ doctus quiſpiam videns huc non ſatis quadrare, vertit in *prædicare*. Tu tamen meum ſequutus conſilium, ſcribe *præcipere*. *Itaque monere, præcipere*. Primum monuit, deinde præcepit, quod plus eſt. Creſcere enim debet oratio.

Eod. *Sp. Largium*] Vetus lectio: *Sp. Lartium*. Quod vero ſequitur: *circumferens inde minaciter truces oculos*, non erat mutanda Liuiana compoſitio tamquam inepta. *circumferens inde truces minaciter oculos*. ſi modò ſtudio factum eſt. Sicut mox: *iam impetu conabantur detrudere virum*. Et rurſum: *Tiberine pater*, inquit, *te ſancte precor*.

Eod. *Multiſque deſuper incidentibus telis*] Scribendum eſt, *multiſque ſuperincidentibus telis*. Eſt autem vna dictio *ſuperincidentib.* à verbo *ſuperincido*. Quod non intellexit is qui *deſuper incidentibus* ſcripſit.

Cap. XI. *Gabina via*] Antiquum exemplar habet *Gabinia via* Item: *Inde ſe obiiceret*. *Inde*, id eſt, *eo loco*. Sic enim exponi poteſt. Item: *P. Lucretius*. rurſum, *tam effuſe euagandi*.

Cap. XII. *Eumque milites vulgo adirent*] Particula *que*. non eſt in exemplari vetuſto. Sic autem Liuius ſæpe loquitur connectentibus voculis omiſſis. Paulo poſt, *quam ſuit ad cædem*.

Eod. *Quas inſidiarum minas per ambages iaceret*] In vulgatis editionibus omiſſum eſt hoc loco pronomen *ſibi*. *quas inſidiarum ſibi minas per ambages iaceret*.

Eod. *Qui magnam gloriam petunt*] Archetypon Vormacienſe habet: *qui magnam gloriam vident*. Et adiectum eſt recentiore manu in margine, *petunt*. Forte ſcriptum fuit: *qui magnam gloriam propoſitam vident*.

Eod. *Ceteri, vtcumque ceciderit: primum, quoad te opportunum fortuna dederit*] Fœdè hallucinatus eſt, qui ſententiam hanc tam miſere deprauauit. Sic autem ſcribi debet: *Mea prima ſors fuit. Ceteri, vtcumque ceciderit primi*. ſubauditur *ſors*. nam *primi* genitiuus eſt, quo te opportunum fortuna dederit ſuo quiſque tempore aderunt.

Cap. XIII. *Cognomentum inditum*] Lectio vetus: *cognomen inditum*.

Eod. *Clœlia virgo, vna ex obſidibus*] Omiſſa eſt hîc *&* particula, quæ tamen mirè ad ſenſum facit. Auget enim rem, & comparationem ſubindicat. Legendum: *& Clœlia virgo, vna ex obſidibus*. & quæ ſequuntur, *inter tela hoſtium Tiberim tranauit*. Senſus eſt: *non ſolum Cocles ſuperiacidentib. telis, incolumis ad ſuos tranauit, ſed & idem fecit Clœlia virgo*.

Eod. *Sic deditam, intactam, inuiolatamque ad ſuos remiſſurum*] Accuſatiuus *intactam* poſtea additus eſt à quopiam, qui participium *deditam* ordinabat cum aduerbio *ſic*, coniungendum cum altero participio futuri temporis *remiſſurum*; & videbatur ſententia mutila. Tu vero ſic ordinato verba volens orationem exponere: *Sic remiſſurum ad ſuos, deditam, inuiolatamque*. Præcedit: *Quemadmodum ſi non dedatur obſes, pro rupto fœdus ſe habiturum*. Paulo poſt ſcriptum eſt in veteri codice, *elegiſſe impubes dicitur*.

Cap. XIV. *Bonis vendendis bona Porſenæ regis vendendi*] Hęc duo vocabula, *Bonis vendendis* non ſunt in archetypo Borbetomagenſi. Videntur inſerta ab eo qui voluerit vſum moris indicare, quum tamen Liuius contentus ſit dicere, *inter cætera ſolemnia*.

Eod. *Arte aduerſus vim vſe*] Antiqua lectio tametſi mendoſa: *arte aduerſus vim ſe*, docet legi quoque poſſe, *arte aduerſus vim niſa*, à nitor niteris.

Eod. *Multos Romæ hoſtium, vrbiſq; caritas tenuit*] Legendum, *hoſpitum*, hoc eſt, eorum qui illos hoſpitio acceperant. Mox eſt in veteri, mendosè tamen, *Purius Publius Lucretius inde & P. Valerius Publicola* Coss. *facti*. Deeſt aduerbium *tertium*.

Cap. XV. *Ne in tantis mutuis beneficijs*. Scribendum, *neu in tantis beneficijs*, hoc eſt, *neue in t. b.*

Eod. *Eam eſſe voluntatem omnium*] In manuſcripto codice legitur. *Hoſtibus potius quàm portas regibus patefacere eam ea eſſe vota eſſe voluntatem omnium*. Lego: *Hoſtibus potius quàm portas regibus patefacere. Ea eſſe vota, eam eſſe voluntatem omnium*.

Cap. XVI. *Conſules deinde M. Valerius, P. Poſthumius*] In volumine veteri tantum eſt: Coss. *M. Valerius, P. Poſthumius*.

Eod. *Namque Ap. Clauſus, qui poſtea Ap. Claudio fuit Romæ cognomen:*] Exemplar ſcriptum ſic habet, *Namque Ap. Clauſus, cui poſtea Ap. Claudio fuit Romæ nomen*.

Cap. XVIII. *Nec quibus factis conſulibus*] Antiq. lectio, *Nec quibus facti conſulibus*. Neutra ſyncera eſt. Originem erroris accipe. quia ſtatim ſequitur *ex factione*, ſcriba non ſatis attentus, *quib. factione* ſcribere eſt orſus, nec deleuit poſtea priores duas ſyllabas iam inceptę perperam dictionis. Itaque fragmentum id *facti*, doctus quiſpiam mutauit in *factis*, vt quadraret cum vtrinque poſitis ablatiuis. Tu vero me auctore ſic caſtiga: *Sed nec quo anno, nec quibus conſulibus, quia ex factione Tarquinia*

Digitized by Google

(ita habet archetypon, nec eſt opus altero denominatiuo *Tarquiniana*) *eſſent, id quoq; enim traditur, parum creditum ſit, nec quis primum dictator creatus ſit, ſatis conſtat.*

Eod. *M. Valerium Faſium Valeſij nepotem*] Aliam lectionem è vetere eruemus, quæ ſic habet: *M. Valerium, Marci Faſium. Voleſij nepotem.* Scribo, *M. Valerium Marci F. M. Voleſi nepotẽ.* Notum eſt *F. filium* ſignificare. Sic rurſum lib. 3. proxime ſequenti: *Cum M. Valerio*, inquit, *Valerij filio, Voleſi nepote, quæſtor erat T. Quintius Capitolinus.* Porro quæ de Furijs & Fuſijs, Valerijs & Valeſijs ex auctoritate Fabij Quintiliani ſolent adferri, non puto hîc habere locum.

Eod. *M. Valeriam ſpectata virtutis conſularem virũ*] Deeſt hîc *&* particula, quæ inſerenda eſt hoc modo, *potius M. Valerium ſpectatæ virtutis & conſularem virum legiſſent.*

Eod. *Præſtare Sabini (id enim poſtulatum erat) in animam induxiſſent.*] Antiqua lectio: *præſtare Sabinium id enim poſt.* Forte legendum, *Præſtare Sabini tum (id enim poſtulatum erat) in animum induxiſſent.*

Cap. xix. *Et C. Vetuſius*] In Vormacienſi libro legitur. *Et C. Vetuſius. Veturius, Veturius.* Vide diligentiam ſcribæ, qui diuerſam lectionem proculdubio ſeorſim adnotatam, in cõtextum, meliore fide, quam iudicio retulit. Et infra, *Valerium temere inuectum.*

Cap. xx. *Quam delecta manu*] Reponendum, *coborti ſuæ quam de delecta manu præſidij cauſa circa ſe habebat.*

Eod. *Equitibus admoti equi, vt perſequi hoſtem poſſent*] Liuius ſcripſit, *Equiti admoti equi, vt perſequi hoſtem poſſet.* Nam eleganter ſingularis numerus pro pluratiuo vſurpatur. Quia tamen præcedit: *ad equites dictator aduolat. deſiliunt ex equis*, auſus eſt quiſpiam hunc locum motare.

Cap. xxii. *Volſcos conſilij pœnam metuentes*] In editionib. vulgatis hic particula *non*, eſt omiſſa, quam repone: *Volſcos conſilij pœnam non metuentes, nec opinata res perculit.* Cæterum ita dictum eſt hîc *nec opinata res.* quemadmodum in fine primi libri de Lucretia, *nec opinato viri aduentu.* Sic & Cicero loquitur.

Cap. xxiii. *Ad hoc prolixa barba*] O factum flagris dignum. Quum Liuius ſcripſerit: *Ad hoc promiſſa barba*, veluti indicat Vormacienſe exemplar, amuſus aliquis eraſa dictione *promiſſa*, ſuppoſuit *prolixa.* Sic lib. 5. *M. Papyrius vnus ex his dicitur Gallo barbam ſuam, vt tum omnibus promiſſa erat, permulcenti Scipione eburneo in caput incuſſo iram moviſſe.* Significat autem *promiſſus* longum ſiue prolixum, quaſi *procul miſſum.* In hunc enim ſenſum etiam *promittere* verbum vſurpatur. Liuius noſter lib. 6. *Satis conſtat magnam partem plebis veſtem mutaſſe, multos mortales capillum ac barbam promiſiſſe.*

Cap. eod. *Poſtulare minaciter magis quam ſuppliciter*] Deeſt hîc aduerbium, *multo. poſtulare multo minaciter magis, quam ſuppliciter.*

Eod. *Contracti ad conſules*] Mendoſa verba ſunt. Scribe: *Contracti ab conſulibus.*

Cap. xxv. *Iamque ab omni parte munimenta vallabantur*] Ingens hîc erratum occupauit codices Liuianos. Legendum pro *vallabantur, vellebantur.* Significat enim Volſcos munimenta Romanorum ab omni parte euulſiſſe.

Cap. xxvi. *Nec in vrbe nunciatum eſt*] Scribendum, *Nocte in vrbe nunciatum eſt.*

Eod. *In magna iam ſpe vndique parata pacis*] Repone, *parta pacis.*

Cap. xxvii. *Adeo in alteram cauſam non collega ſolum præceperat*] Non aliter in codice manu deſcripto legitur, niſi quod in margine minutiore ſcriptura adnotatum erat, *præceps erat.* Quam lectionem probauit Marcus Antonius Sabellicus, monens etiam *præceps ierat* legi poſſe. Sed tamen ſi quis me audiat, potius leget: *Adeo vi alteram cauſam non collega ſolum præceperat, ſed omnis factio nobilium.* Hæc lectio ſyncera eſt ac germana. Ante dixit Appium vehementis ingenij virum fuiſſe, quem Paulo poſt immitem natura vocat. Porro nihil dubito ſi ſupereſſet adhuc Sabellicus, quin mihi ſubſcriberet. Nam candorem hominis edita ſcripta ſatis teſtantur. Et ego meliora admonenti, non ſolum in his Liuianis, ſed & in Plinianis, ac aliorum auctorum caſtigationibus libenter cedam. Quin gratias inſuper ſum habiturus, quam copioſe ſubueniri rei literariæ. Hoc fortaſſis non abs re fuerit monere, propter craſſiores, accipiendum hic *præcipere*, pro *antecapere*, ſiue *præſumere*, quemadmodum & libro tertio vſurpat, ita ſcribens: *Nec ex quo caſtris caſtra conlata ſunt*, inquit, *ceſſatum à leuibus prœlijs eſt facile patiente dictatore, conferendo vires, ſpem vniuerſæ victoriæ tentato paulatim euentu certaminum ſuos præcipere.* Et apud Cæſarem in commentarijs. *Hæc vſu ventura Cæſar opinione præceperat.* Præcepit autem Appius vi cauſam alteram, quum prius propoſita ſententia, nobiles omnes habuit aſtipulatores. Quemadmodum ex ijs quæ ante dicta ſunt liquere poteſt.

Eod. *Nequequam decreuiſſet, quiſpiam obtemperabat*] In antiquo volumine legitur, *neque eam decreſſet:* Quod verbum *κατὰ ςυνήθειαν* videtur foro fuiſſe ſolenne; Sic rurſum libro tertio, *Lictor decreſſe*, ait.

Eod. *Verterant*] Sic dixit hic; *metuſq; omnis & periculum libertatis in creditores à debitoribus verterant*, vt ſupra, *Libertatem aliorum in ſuam vertiſſe ſeruitutem inter ſe cõquerebantur.* Et paulo inferius, *ea in caput vertit.* de multa loquens. Item libro decimo tertię Decadis. *Et induratus præter ſpem reſiſtendo timor hoſtium, ac ne vertat in audaciam periculum eſt.* Sic enim nos illic legendũ docebimus, quamquam editiones vulgatæ contineant, *ac ne vertatur.* Habet autem in allegatis exemplis *verto* paſſiuam ſignificationem.

Eod. *Non eſſe tamen deſertam omnino rempublicam.* Antiqua lectio: *non eſſe tamen deſeratã.* Vt etiam legi poſſit: *non eſſe tamen deſperatam omnino rempublicam.* Porro deſerta erat id temporis reſpubl. magis quam deſperata.

Cap. xxviii. *Ad patres referant*] Codex manuſcriptus habet: *Ad patres deferant.* Quod vero mox ſequitur, *ſed delatam conſulere*, rectè dictum eſt. Sic enim Plautus: *Ibo, & conſulam hanc rem amicos: quid faciendum cenſeant.*

Eod. *Tum vero ad ſellas conſulum propere conuolare minimus quiſque natu patrum*] Adulteratus locus eſt. Legendum, *Tum vero ad ſellas cõſulum prope conuolare minimus quiſq; natu patrum.* Senſus eſt: Quum patres in curia conueniſſent, iuniores inter hos quibus calebat ſanguis, non contenti in ſuis ſubſellijs dixiſſe quæ ſentiebant, immemores maieſtatis conſularis, ad ipſas propemodum conſulum ſellas conuolabant. Erroris cauſam fuiſſe video, quod aduerbium *prope*, bonus ille vir, quiſquis fuit, cum verbo *conuolare* conſtruxerit, quod retro erat referendum. Notat autem immodeſtiæ Liuius iuniores patres.

Eod. *Senatus tumultuoſè vocatus*] Sic diſtingoe, *Senatus tumultuoſè vocatus*, ſubaudirur, *eſt.*

Eod. *Tumultuoſius conſulitur*] dictum eſt, *conſulitur*, imperſonaliter.

Eod. *Cuius maieſtatem violauis*] Suſpicor legendum, *violabis.* Nam vulgus veterum librariorum ſolitum fuit ſubinde *u* pro *b*, & viciſſim *b* pro *u*, ponere; quæ res mire vitiauit omnes auctores.

Cap. xxx. *Rurſus, Virginij Largijq; exemplo haud ſalubrem vtique Largij putabãt ſententiam, quæ totam fidem tolleret*] Obſcurus locus eſt, quia deprauatus. Demiror quomodo ſe hinc explicent profeſſores, qui in publicis auditorijs Liuium enarrant. Et vix eſt auctor in ſcholis tritior. Quid hîc afferebat ille profeſſorum Achilles, Philippus Beroaldus, qui toties priuatim & publice Liuianas Decades Bonooiæ prælegit? Reſtitue & diſtingue ſenteotiam hoc modo: *Rurſus Virginij Largijque, exemplo haud ſalubres. Vtique Largij putabant ſententiam, quæ totam fidem tolleret.* Expone vero ſic, *Rurſus Virginij Largijque*, ſubaudi, *ſententiæ, exemplo haud ſalubres*, ſubaudi, *videbantur.* hoc eſt, *propter exemplum. Vtique Largij putabant ſententiam*, ſubaudi, *eam eſſe*, vel *talem eſſe, quæ totam fidem tolleret.* Quid nunc apertius Liuianis verbis? *Multis, vt erat horrida & atrox videbatur Appij ſententia. Rurſus Virginij Largijq; exemplo haud ſalubres. Vtique Largij putabant ſententiam, quæ totam fidem tolleret. Mediam maxime & moderatam vtroque conſilium Virginij habebatur.*

Eod. *Vt imperium ſuo vehemens manſueto permitteretur ingenio*] Hic nodus eſt ſuperiore intricatior. Mirum eſt cur huiuſmodi loca non notentur aſteriſcis. Nam verba iſta nullo ſenſu dicuntur. Et neſcio an ſeculo noſtro quiſpiam hanc Liuianam ſententiam intellexerit. O ſecuritatem lectorum, ô nimiam ſecuritatem enarrantium! Immò oonnihil dubito an Clementianus & Flauianus Nicomachus Dexter, ac

Digitized by Google

Victorianus VV. CC. qui ante nos primam iſtam Decadem emendarunt, locum hunc ſatis perceperint. Id quod ideo potiſſimum dico, vt lectores excitem. Habet antiqua lectio, *imperio ſuo*. In cæteris cõuenit: niſi quod eſt illic, *permitteretur*: in quo verbo omnis ſita eſt difficultas: pro eo deprehendi tandem ſcribendum: *remitteretur*. vt ſic legamus: *Sed cura fuit conſulibus ac ſenioribus patrum, vt imperio ſuo vehemens, manſueto remitteretur ingenio. M. Valerium dictatorem, M. Voleſi filium creant*. Sic enim in ſcripto codice eſt: non *Valeſi*. Senſus eſt: Curarunt conſules, vt talis eligeretur ac conſtitueretur dictator, qui ob dictaturam quidem vehemens & nimium potens, manſueto tamen remitteretur ac mitigaretur ingenio: itaque M. Valerium dictatorem creant.

Eod. *Plebis etſi aduerſus ſe creatum dictatorem*] An in excuſis exemplaribus omnibus certe in Aſulanico, quod nunc ſolum eſt ad manum, hic *videbat* verbom deeſt, *creatum dictatorem videbat*. Tu repone.

Eod. *Itaque effuſe & contemptim pugnam iniere*] Habet Vormacienſe volumen *inire*, ſubauditur, *cœperunt*. infinitiuos pro præterito imperfecto, more hiſtoricorum.

Eod. *Vbi ad manum veniſſet hoſtis tum cohortes tota vi gladijs rem gerere*] Ingens erratum hîc inuaſit Liuianos codices, ſcribendum, *tum coortos*, pro *cohortes*. participium eſt à *coorior*. Paulo poſt eſt in veteri libro: *Inſidias incidiſſent*, non *in inſidias incidiſſent*.

Cap. xxxi. *Fundit, fugatque, exuitque caſtris*] Antiqua lectio, *fundit, fugatque exuit caſtris*.

Eod. *Equitatu miſſo mediam tub. hoſt. aciem*. Scribe, *Equitatu immiſſo*.

Eod. *Dictator triumphans Romam inuehitur*] Repone, *vrbem inuehitur*. Hîc expoſitio dictionem expoſitam de ſua poſſeſſione deiecit.

Eod. *Id malè commiſſum ignauia hoſtium in bonum vertit*] Elegans oratio eſt, vt *vertit*, accipiatur abſolute: quemadmodum ſupra quoque admonuimus. Et, *ignauia hoſtium*: ſeptimo caſu dictum eſt: *vertit*, expone verſum eſt.

Eod. *Apparuit cauſa plebis ſuam vicem indignantem magiſtratu abiſſe*] Hic quoſdam nihil offenderet, ſcio. Verum hôc auſim dicere ſi ita ſcripſit Liuius, non recte vſum pronomine *ſuam*. Dicendum enim fuiſſet, *ipſius vicem*, non *ſuam vicem*. Hæc craſſos lectores non mouent. Caſtigandus eſt locus, & hoc modo legendus: *Apparuit cauſa plebi*, hoc eſt, Plebes cauſam intellexit. *Suam vicem indignantem magiſtratu abiſſe*.

Cap. xxxii. *Tamen quia in conſulum verba iuraſſent*] Exemplar ſcriptum habet: *tamen quoniam*. Cur hoc mutatum ſine cauſa?

Eod. *Trans Anienem amnem tria ab vrbe millia paſſuum*] *Eſt*. verbum hîc omiſſum, rurſus inſere. *Trans Anienem amnem*. ſubauditur *eſt*, *mons ſacer, tria ab vrbe millia paſſuum. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti*] Scribendum eſt quemadmodum habet codex Borbetomagenſis: *Sic placuit igitur oratorem ad plebem mitti*. *Sic*, hoc eſt, ad reconciliandam concordiam ciuitati. itaque non eſt ſuperuacaneum.

Eod. *Omnia in vnum conſentiebant*] In vetuſto volumine legitur, *Conſentiam*. Et mox, *Suus ſermo fuerit*. arbitror ſcribendum, *Tempore, quo in homine, non vt nunc, omnia in vnum conſentirent, ſed ſingulis membris ſuum cuiq; cõſilium, ſuus ſermo fuerit*, Porro conuenient modi, ſi ad narrantis Liuij verba retuleris.

Eod. *Maturè confecto cibo ſanguinem*] O nugatorem, qui hic pro *maturum confecto cibo ſanguinem*, ſcripſit, *maturè confecto cibo ſanguinem*. intelligens à ventre maturè confici cibum. Paulo poſt in veteri codice eſt: *Spurius Caſſius & Poſthumius Com*.

Cap. xxxiii. *Cædeque in proximo vrbis facta*] Legendum: *Cædeque in proxima vrbis facta*, hoc eſt in proximas partes vrbis. Intelligit ædes vicinas portæ, per quam irruperat.

Eod. *Ignem temera arreptum*] Scribe, *Ignem temere abreptum*. Loquitur de igne, quem forte è foco abripuerat.

Eod. *Primo orius*] Antiqua lectio, *primo ortu*. hoc eſt, in principio ſtatim. *Sed quaſitum in Sicilia quoque*] Repone. *Sed quaſitum in Siciliam queque*. Expone, dimiſſis non in Hetruriam modò, ſed in Siciliam qooque, *quaſitum*, hoc eſt, ad quærendum.

Cap. xxxiv. *Frumentum Cumis coemptum eſſet*] Vetus lectio, *frumentum Cumis eum coemptum eſſet*.

Eod. *Ex Hetruſcis frumentum Tiberi venit*] Liuius ſcripſit, *ex Tuſcis*. ſic enim in archetypo manuſcripto legitur. Ante vero dixit, *in Hetruriam*: nunc ſubdit, *ex Tuſcis*. ne eodem ſtatim vocabulo bis vtatur. De qua re ſupra quoque admonuimus.

Eod. *Eo ſuſtentata eſt plebs*] Antiqua lectio. *Eo ſuſtentata eſt plebs*. A *ſuſtinendo*, non à *ſuſtentando*. Sic infra, *Vnus ille vir ipſe conſul rempub. ſuſtinuit*. Infra tamen dicit: *Diu ſuſtentatum id malum*.

Eod. *Incommodo bello in tam arctis commeatibus verſati forent*] Ingens hîc erratum eſt. nam pro *verſati forent*, ſcribi debet, *vexati forent*.

Eod. *Agitatumq; in ſenatu, quantum plebi daretur*] Pudendum & hîc erratum. legendum autem, *quanti plebs daretur*. ſiquidem agitatum fuiſſet de pretio, quo frumentum plebi venderetur, ſequentia ſatis indicant. Et illud imprimis quum dicit: *Conditionibus laxandi annonam, patres omnia inuitis iura impoſita potuiſſe demere ſibi*. Itaque qui iſtam ſcripti codicis lectionem amplectatur, exponet quod ſequitur, *Si annonam veterem volent*. &c, *vtantur annona quam furore ſuo fecere*, de pretio veteri, & annonæ caritate.

Eod. *Cur Sicinium pollentem video*] Lege, *Potentem video*.

Eod. *Vtantur annona quam f. ſ. f.*] In editionibus peruulgatis hic verbum *fruantur*, deeſt: inſerendum hoc modo, *Rapiant frumenta ex agris noſtris, quemadmodum tertio anno rapuere: fruantur, vtantur annona quam furore ſuo fecere*. *Fruantur*, ſubaudi: *raptis*. nam ad priorem ſententiam eſt referendum: & eſt ironia.

Cap. xxxv. *Abſterrendo ſingulos à concionibus conciliiſque*] Non contemnendum erratum hic irrepſit in exemplaria Liuiana, ſcribendum: à *coitionib. conſilyſque*. à verbo *coire*, quod congregari ſignificat. Sic libr. 3. *Quum*: inquit, *per coitiones potentiorum iniuria fieret*.

Cap. xxxvi. *Inſtaurandis hæc cauſa fuerat ludis*] Archetypum docet hic legendum eſſe, *Inſtaurandi hoc cauſa fuerat*, ſubauditur *ludos*. Deinde quod ſequitur ita diſtinguendum, *Ludis mane ſeruum quidem paterfamilia*, &c. *Ludis*, hoc eſt, die ludorum magnorum.

Eod. T. *Latino*] Vetus lectio: *Tito Latinio*.

Eod, *Sibi ludi præſultorem diſplicuiſſe*] In exemplari ſcripto legitur, *Sibi ludis præſultatorẽ diſplicuiſſe*. expone *ludis*, hoc eſt, die ludorum magnorum. Et apſius vocat miſerum illum ſeruum, qui cæſus virgis per medium circum ſaltitauerat ex vehementi dolore, *præſultatorem*, quam *præſultorem*. Porro ſequitur, *Quamquam haud ſane liber erat religione animus*. Ibi in Vormacienſi codice è margine mehercule elegantem annotatiunculam, quæ Clementianum, ſiue huius filium Flauianum Nicomachum Dextrum, ſiue Victorianum, certe veterem aliquem auctorem arguit, in medium contextum retulit ſcriba. Eam libuit hîc ſubiungere in gratiam ſtudioſorum. Habet autem ſic: *Ludi ex inſtauratione, quos diſplicuiſſe Ioui Latinius ab eo per ſomnium monitus vt nunciaret, debereque repeti, dum non vult magiſtratibus nunciare, taciturnitas orbitate punita eſt*.

Cap. xxxvii. *Quippe qui n. n. m. ſed v. p. incolumes ſumus*] Legendum: *Incolumes ſimus*.

Eod. *Primum dicenda vobis conſules ratus ſum*] Caſtiga, *Prius dicenda vobis*.

Eod. *Ne cains facti dictique contagione præſens violer*] Pro *dictique*, repone *dictive*.

Eod. *Si hæc profectio & non fuga eſt*] Scribendum, *Si hoc profectio & non fuga eſt*.

Cap. xxxix. *Satricum Longulam*] Nuſquam fere maior exemplarium vetuſtiorum diuerſitas, quam in nominibus proprijs vel hominum vel locorum. In Vormacienſi codice ſemper eſt *Longuia*. Sic autẽ habet, *Satricum Longuiam, Poluſcam, Coriorolos, Nouellam, hæc Romanis oppida ademit: inde Lauinium* (forte *Labinium*) *recipit: tunc deinceps Corbionem, Veteliam, Trebium, Labicos, Pedum cepit: poſtremum ad vrbem à Pedo ducit, & ad foſſas Cluilias*.

Cap. xl. *Et quam armis viri defendere*] Non eſt abſurda lectio, ſed tamen in ſcripto volumine legitur, *Et quoniam armis*.

Eod. *Coriolanus propere vt amens*] Adulteratum verbum eſt *propere*, tu repone *prope*. *Coriolanus prope vt amens*.

Cap. xli. *Munus vulgatum à ciuibus iſſe in ſocios*] In vetuſto codice quidam ſcripſerat, *eſſe*. Paulo poſt illic eſt. *quid ita enim*. Item *partem tertiam*.

Eod. *Certatim plebi indulgere*] Antiqua lectio, *vt certatim, indulg*.

Eod. *Idque propius fidei eſt*] Emenda locum: *idque propius fidem*

Digitized by Google

eſt. Apparet quam fuerit verſatus in lectione bonorum auctorum, qui non putabat Latinè dici, *Propius fidem*.

Eod. *S. Cornelio, Q. Fabio conſulibus*] In veteri volumine eſt, *Seruio Cornelio*.

Cap. XLII. *Seditio domeſtica bellum externum exiuit*] Corrupta ſententia eſt. Scribendum: *Eo infeſtior facta plebes. ſeditione domeſtica bellum externum exciuit*. Senſus eſt: Seditionem domeſticam externo bello dediſſe occaſionem. Neque enim rebellaſſent Volſci & Æqui, niſi diſcordibus Romanis.

Eod. *Patres ſatis ſuperque gratuiti furoris in multitudine credentes eſſe*] Reſtitue ſententiam hoc modo: *Patres ſatis ſuperq; gratuiti fauoris in multitudinem credentes eſſe*.

Cap. XLIII. *Artonam Latinam vrbem*] In libro ſcripto legitur: *Ortonam Latinam vrbem*. nec eſt mox, *minitabantur*, ſed *minabantur*. Infra ſic diſtingue, *ducendus Fabio in Veientes. in Aequ. datur*.

Eod. *Iniuſſi ſigna referunt*] Mendoſum vocabulum eſt, *iniuſſi*. tu caſtiga, *iniuſſu ſigna referunt*. Sic enim paulo poſt iterum loquitur, *iniuſſu*, inquit, *in caſtra reditum*.

Cap. XLIV. *T. Pontificius fuit*] Antiqua ſcriptura ſic habet, TIB. *Pontificius*, hoc eſt, *Tiberius Pontificius*. Sic diſtingue, *Et hic annus Tr. a. l. a. habuit. Tib. Pontificius fuit is, eandem viam vel*.

Eod. *Præceptis Appij moniti patres vniuerſi*] Hic & particula magno ſententiæ detrimento deeſt. Tu ſic ſcribe: *Præceptis Appij moniti patres: & vniuerſi comiter ac benignè tribunos appellare, et conſulares*. & quæ ſequuntur.

Eod. *Nouemque tribunorum*] Quid nobis hîc Liuius narrat de auxilio nouem tribunorum? nonne antedixit, duos tantum creatos tribunos, qui treis ſibi collegas aſciuerint? Num igitur memoria lapſus eſt, qui decem tribunos hîc aſtruat, qui longè pòſt ſunt inſtituti, ceu tertius liber indicabit? inſpiciamus veterem codicem, conſentiunt verba. Ergo tuebimur lectionem? minime. Scribemus: *nouumque tribunorum aduerſus vnum moratorem publici commodi auxilio, delectum conſules habẽt*. Porro nouum delectum habitum dicit Liuius, id quod ideo factum eſt, ne proditor ille exercitus qui Fabium aduerſus Veientes pugnantem pene deſtituit, magno reipubl. damno rurſum educeretur. Nouus igitur militum delectus habitus auxilio cæterorum quatuor tribunorum. Iam errori cauſam præbuit quod ſciolus aliquis neſciens adiectiuum, *nouumque*, eſſe referendum ad ſubſtantiuum delectum, quod paulo poſt ſequitur, quum non quadrarent hæc duo verba, *nouumque tribunorum*, ſcripſit, *nouemque tribunorum*. Id mendũ è manuſcriptis exemplaribus in excuſos typis codices poſtea transfuſum eſt: nec quiſpiam obſeruauit. Debent hanc mihi gratiam ſtudioſi, qui meo Marte poſt longam inquiſitionem germanum hic vocabulum depoſtliminio reſtitui.

Eod. *Ea ſpe Hetruſcos armauerat*] Scribendum, *hæ ſpes Hetruſcos armauerant*.

Cap. XLV. *Memoriaque peſsimi pr. bel. exempli terrebant*] Lege, *memoria peſsimi proximo bello exẽpli terrebãtur*. ſine *que* particula annexa. nam hoc ſermonis genus aſſeuerantius eſt. Quidam in Vormacienſi codice caſtigarat, *terrebat*: vt *memoria* caſu nominatiuo legeretur.

Eod. *Tergiuerſatur tamen Fabius*] Sit ſcribe, diſtingue, adeoque expone: *tergiuerſuntur tamen*: ſubaudi *Conſules*. Nam mox præceſſit: *ad conſules curritur. Fabius deinde ad creſcentem tumultum iam metu ſeditionis collega concedente, quum ſilentium claſsico feciſſet*.

Eod. *Niſi victores ſe redituros ex hac pugna iurent*] Non erat hîc opus mutare lectionem ſcripti voluminis, quæ habet, *iurans*. Præcedit enim aliud verbum, *Itaque certum et decretum eſt*.

Eod. *Alioſque iratos inuocat deos*] Adulteratus locus eſt temeritate ſcioli cuiuſpiam. Neque enim ſimpliciter hîc inuocat deos. nam ſequitur: *idem deinceps omnis exercitus in ſe quiſque iurat*. Proinde caſtigandæ ſunt hîc vulgatæ editiones ad codicem manuſcriptum, qui ſic habet: *Si fallat, Iouem patrem, Gradiuumque Martem, alioſque iratos inuocat deos*. Senſus eſt: Iram deorum Iouis & Martis ſibi ipſi imprecatur, ſi fallat. Nunc apte cohærebit ſequens ſententia: *Idem deinceps omnis exercitus in ſe quiſque iurat*. Paulo poſt vbi vulgo legitur, *nũc armatus ſibi*: in antiquo volumine eſt, *nunc armati*, vbi ſubaudiri poterit verbum *iubent*.

Cap. XLVI. *Pugna iam ad manus*] Vetus lectio, *Pugna iam in manus iam ad gladios. v. m. e. a. venerat*. Paulo inferius vbi vulgo legitur: *Conſultum Cæſo Fabius*, in ſcripto codice eſt, *Gaius Fabius*. Iterum paulo poſt. Cap. XLVII. *G. Fabius cum Tito Virginio Coss. factus*.

Cap. XLVII. *Cn. Manlius*] Exemplar vetuſtum ter habet *Manlius*, ſemel *Manilius*. atem infra: *Et ſua ſponte ipſi prælium renouant*.

Eod. *Funera deinde duo, collegæ fratriſque ducit*] Ex his verbis poſſet aliquis putare funera iſta duo ſimul à conſule & æquali honore ducta. Proinde non erat eradendum hic aduerbium *deinceps*: quod vnum poſt alterum ductum fuiſſe declarat. Ad ordinem enim *deinceps* refertur, ſignificans aliquid gradatim fieri. Itaque ſic eſt reſtituendus locus ex Archetypo Borbetomagenſi: *Funera deinde duo, deinceps collegæ fratriſque ducit*. Senſus eſt: Prius ductum funus collegę tanquam conſulis, poſterius fratris funus. quæ res & Fabij modeſtiam commendat. Sic lib. 5. *Sed antecedente fama nunciiſque Cluſinorum, deinceps inde aliorum populorum plurimum terroris Romam celeritas hoſtium tulit*. Ruſum eodem libr. *Inuenimini enim horum deinceps annorum vel ſecundas res vel aduerſas*. Item lib. 6. *Interreges deinceps M. Mãlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus: hic demum*, &c. *deinceps*, id eſt, quod vulgo dicunt, alius poſt aliũ, & ſucceſſiuè.

Cap. XLVIII. *Quam recens dolor proxima cladis tranſiſſet*] Antiqua lectio, *tranſiret*: nec erat opus mutare.

Cap. XLIX. *Ex fauore & admiratione ſtupens*] Præpoſitionem *ex* inter prælegendum aliquis adiecit, quæ poſtea recepta eſt in contextum. tu rurſum deme. Sequitur infra.

Cap. L. *Id primo acerbum indignumq; Veientibus eſt viſum*] Exemplar antiquum.

Eod. *Hac ſpes adeo prouexit*] Lectio vetus, *Hac ſpes prouexit*.

Eod. *Qua res paucitatem eorum inſignem*] Inſere hîc particulam *&*, *qua res & paucitatem eorum inſignem, & multitudinem Hetruſcorum*, &c. Sic Liuius loqui ſolet.

Eod. *Eo nixi corporibus*] A nitor nixus dicimus *&* niſus. Sed video magis Liuio placuiſſe *niſus*, vt hîc, *Eo niſi corporibus*. Et inferius paulo: *quum & patres minus quam pro Coriolano adniſi eſſent*. Rurſum infra *patres quoque non temere pro vllo æque adniſi ſunt*. vt taceam de alijs locis.

Cap. LI. *Vt primo pugnatum ſit ad ſpei*] Conſentit exemplar Borbetomagenſe. Sic autem dictum eſt hîc, *ad ſpei*, quemadmodum ante, *ad Iouis Statoris*.

Eod. *Quod inopia frumenti, quamuis præcipitia, dum celeriora eſſent, agebant conſilia*] Hic locus non ſolum in editionibus peruulgatis omnibus eſt adulteratus, ſed & in manuſcripto codice, qui vt recte habet, *in præcipitia*, ſic perperam continet, *agebant*. Tu, ſic caſtiga, *quod inopia frumenti, quamuis in præcipitia dum celeriora eſſent, agebat conſilia*. ſiquidem *inopia* nominandi caſu dictum eſt.

Cap. LII. *Aegritudineq; inde morbo abſumptum eſſe*] Scribendum eſt, *Negant tuliſſe ignominiam ægritudinemque: Inde morbo abſumptum eſſe*. *Ægritudo* refertur ad animum: *morb*. ad corpus.

Cap. LIII. *Vt dum diſperſi alij, alij manipulatim excurrunt*] Lectio vetus, *vt dum diſperſi, alij alia manipulatim excurrunt. alia* ſubaudi *porta*. nam mox ſequitur, *ea porta caperetur*. O pulchrè tractatum Liuium.

Eod. *Cui ſignum primum intulerat*] Repone, *cui ſigna primum intulerat*. ſic infra, *Nec ante reſtitit, quàm ſigna inferẽtem Volſcum munimentis vidit*.

Eod. *Duæq; potentiſsimæ, & maximè finitimæ gentes ſuperatæ ſunt*] Legendum ad volumen ſcriptum, *duæ potentiſsimæ & maximæ, finitimæ gentes ſuperatæ ſunt*.

Eod. *Nec tamen perpelli potuere, vt acie dimicarent*] Archetypon ſcriptum habet, *nec tamen perpeti potuere, vt acie dimicarent*. Suſpicor ſcripſiſſe Liuium, *hac tamen perpeti potuere, quam vt acie dimicarent*. Subauditur *potius*, aut *facilius*. aut ſimile comparatiuum more Græco. Quod orationis genus etiam alibi indicabimus in libris ſequentibus.

Cap. LIV. *Adeoque neminem noxa pœnitebat*] In exemplari ſcripto legitur, *noxia*. Dicitur autem *noxia* ſubſtantiuè non minus quam *noxa*. Hoc admonendum duxi, propter eum qui hîc pro *noxia* ſcripſit, *noxa*, velut emendans locum. *Palamque ferrent*] Legendum, *Palamque ferretur*, imperſonaliter. Inferius paulo.

Digitized by Google

Cap.LV. vetus codex habet, *cum in ſenatum vocari iuſſiſſent* magis placet vulgata lectio.

Cap.LVI. *Qui eum vexandis prioris anni conſulibus adminiſtraturum tribunatum credebant*] Vetus lectio, *permiſſurum adminiſtraturum tribunatum credebant*. Opinor legendum, *qui eum vexandis prioris anni conſulib. permiſſum adminiſtraturum tribunatum credebant*. Nam illi plebs tribunatum plane permiſerat. Paulo poſt eſt in veteri, *cum recentior tum acrior.*

Eod. *In accuſationem Appij*] Deeſt hîc pronomen *Ipſe*, in editionibus peruulgatis. *Ipſe in accuſationem App.* Sequitur paulo poſt iuxta antiquam lectionem. *Ego hîc aut in conſpectu veſtro moriar.*

Cap. LVII. *Dum tribuni, conſuléſque*] Antiqua lectio, *dum tribunique conſules ad ſe*. Coniicio ſcribendum, *dum tribunique conſuleſque ad ſe quiſque omnia trahant.*

Paulo poſt Cap.LVIII. Lege, *vt ſi qua ſucceſſio plebis fieret, ad ſe receptum haberet*. Non *haberent*.

Eod. *Qua domi eſſe, eo liberior*] Caſtiga, *qua domi, eſſe liberior.*

Eod. *Se vnico conſule obiecto contra tribus pot.*] Scribe, *electo*.

Eod. *Nequaquam tanta patrum ſpe priores impedierunt conſules*] Lectio manuſcripti codicis, *nequaquam tanto patrum ſuperiores impedierunt conſules*. Lege, *nequaquam tanto patrum*, ſubaudi *conatu ſuperiores impedierunt conſules.* Iam totus ambitus ſic legi poterit, *Eadē in militia ſæuitia quæ domi, eſſe liberior, quod ſine tribunitijs vinculis erat. Odiſſe plebē plus quam paterno odio. Se victum ab ea, ſe vnico conſule electo aduerſus tribunitiā poteſtatem, perlaturum legem eſſe quam minore conatu, nequaquam tanto patrum, ſuperiores impedierint conſules.*

Eod. *Vt inuitibus ille od. pl. a. interdum moueatur*] Scribe *moueretur*. Mox pro tribus infinitis, *agere, dicere, vocare*: repone, *ageret, diceret, vocaret*. Item *tribunos plebis* potius quam *trib. plebeios*. Nam in libro ſcripto legitur, *tribunos plebei*. Iuxta quintam inflexionem, quemadmodum & Plinius auunculus vſurpauit. Porro ſubinde legitur in exemplari archetypo: *tribuni plebei*, non *plebis*. à nominatiuo *plebes*, non à denominatiuo *plebeius*.

Cap.LIX. *Duplicarióſque*] Quidam in vetuſto volumine ſcripſerat, *dupliciarióſque*.

Cap.LX. *Omnis militi data eſt*] Antiqua lectio, *Ea omnis militi data eſt.*

Eod. *Tum duci p. d. p. q. p. exercitus rediit*] Melius in archetypo Vormacienſi legitur: *quum duci, tum propter ducem patribus quoque placatior exercitus redit.*

Cap.LXI. *Aut ſupplex prehenſaret homines*] Volumen vetuſtum non hîc modò, *prenſaret* habet, ſed & alijs innumeris locis, Item, *prendi*, quod vulgo legitur *prehendi*. De qua re ſemel admonuiſſe ſufficit.

Eod. *Ante tamen quam prædicta dies veniret*] In antiquo codice legitur, *prodicta dies*. tu ſcribe, *prodacta dies*.

Eod. *Cuius Collaudationem cum tribuni plebis impedire conarentur*] Quid hic facit *collaudatio?* Emacula locum ad fidem exemplaris vetuſti. *Cuius laudationem cum tribuni plebis impedire conarentur*. Sequitur autem mox: *Et laudationem tam æquis auribus mortui audit.* Ruſum libro 5. *matronis*, inquit, *gratia acta honóſq; additus, vt earum ſicut virorum poſt mortem ſolemnis laudatio eſſet.* Hoc vocabulo pro oratione funebri Cicero quoq; vſus eſt in Catone maiore: *Eſt in manib.* inquit, *viri laudatio*. Quintil. lib. 3. *Nam et funebres laudationes*, inquit, *pendent frequenter ex publico aliquo officio.*

Cap.LXII. *Omnis ira belli ad populationem agri vertitur*] O hominem doctum, qui hic pro *vertit* ſuppoſuit, *vertitur*. Tu repone, *vertit*. de quo genere ſermonis ſupra admonuimus.

Eod. *Cum pro victo relinqueret hoſtem*] Corrige *cur pro victo relinqueret hoſtem*.

Cap.LXIV. *T. Quintius*] Antiqua lectio, *T. P. Quintius*. Sic paulo ſuperius ſcriptum fuit: *L. P. Valerio. T. Aemilio. Coſſ.* Vbi vulgo tantum legitur, *L. Valerio*.

Eod. *Impetu facto dum ſe putant vinci, vicere*] Non intellexit Liuij ſenſum, qui hunc locum adulterauit. Nam dicit auctor ſalubri mendacio de fuga hoſtium, concitatam aciem fuiſſe ceſſuram alioqui. Itaque quum putarent, ſe vincere, qui tamen ſuccumbebant, animo reſumpto, vicere. Vide quid potuerit opinio dumtaxat victoriæ, Germana lectio ſic habet: *Impetu facto, dum ſe putant vincere, vicere.*

Eod. *Cornicines ſubicinéſque*] Scribendum, *tibicinéſque*.

Cap.LXV. *Ferocius agunt equites circumfuſi ducibus*] Vetus lectio: *circumfuſi duci. Saxa adiacentia pedibus ingeris in ſubeuntes*] Reponendum, *Saxa obiacentia pedibus ingerit in ſubeuntes.*

IN TITI LIVII LIBRVM TERTIVM ANNOTATIONES,

PER BEATVM RHENANVM.

CAp. I. *Tribunitijs ſe iactari actionibus*] Scribendum, *Tribunitijs ſe iactare actionibus*.

Eod. *Elargiendo de alieno*] Vitiatus locus eſt. Corrige: *& largiendo de alieno*. Totam vero ſententiā ſic diſtingue: *poſſeſſores & magna pars patrum tribunitijs ſe iactare actionibus, principem ciuitatis, & largiendo de alieno popularem fieri querentes.*

Eod. *Conſilio neutri partium acerbo*] Repone, *neutri parti*.

Eod. *Antium propinquum*] Lectio vetus, *Antium: propinquam, oportunam & maritimam vrbem*. Sic infra: *coloniam ſidam, propinquam, infamem fieri.*

Eod. *Triumuiros agro dando creant*] In archetypo Vormacienſi legitur. *Triumuiros agro dando creat*, ſubaudi, *Fabius coſ.*

Cap.III. *Ab iis proximi audita*] Codex manuſcriptus habet, *Ab his proxime audita*. quam lectionem ſi quis ſequi volet, cogetur mox legere, *ferri*. Mox illic eſt, *vocato dein ſenatu*.

Eod. *Funeſtam ei populationem fecit*] *Ei* datiuus non eſt in exemplari Borhetomagenſi. nec eſt hic neceſſarius.

Cap. IV. *Cenſa ciuium capita centum quatuor & XX. millia, CCXIIII.*] Antiqua lectio: *Cenſa ciuium capita CIIII. ACCXIIII.* Fortaſſe, ſcribendum: *quater centena millia, ducenta quatuordecim.*

Cap.IV. *Adeō ciuitates ha perpetuo*] In archetypo legitur, *Adeo ciuitates ea perpetuo.*

Eod. *Quidnam rei eſſet*] Vetus lectio, *quid rei eſſet*, abſque parelco *nam*.

Eod. *Se in caſtra recepit*] Scribe, *Se intra caſtra recepit*.

Cap.V. *In incautum hoſtem*] In volumine Borbetomagenſi legitur *in cautum hoſtem*, nec diſplicet lectio. Præcedit enim tanta vi caſtra circumſeſſa atque oppugnata fuiſſe, vt ne nuncius quidem Romam mitti potuerit. Non itaque Furius hoſtes eſt adortus tamquam parum cautos, ſed quia copiæ illorum propter obſidionem diuiſæ erant, ſuæ vero collectæ.

Eod. *v. mill. ac* ccc] Manuſcriptum exemplar tantum habet: V A CCC] Hoc eſt, *quinquies mille, trecentos*.

Eod. *Inde Romam reditum eſt*] Locus vitiatus. Tu corrige, *vt Romam reditum eſt*. Mox præceſſit, *inde*, quod verbi hîc repetijt ſcriba parum attentus.

Cap.VI. *Et auxere vim morbi terrores populationis*] O homines bliteos imbecilleſque, quibus terrores populationis auditi ſolum auxerunt vim morbi. Quid futurum erat de iſtis, ſi ipſi hoſtes in conſpectum veniſſent? expiraturi erant præ metu. Hoc ne conuenit Romanis? Deprauauit ſenſum vnica dictio perperam mutata. ſic ſcribe, *& auxere vim morbi, terrore populationis pecoribus agreſtibuſque in vrbem acceptis*. Expone, *auxere vim morbi*, ſubaudi *Romani. pecoribus agreſtibúſque in vrbem acceptis terrore populationis, i. ob terrorem populationis hoſtilis.* Mox eſt in veteri, *inde exercitu ingenti*.

Cap.VII. *Per Lanicanos agros*] Supra fuit ſcriptum: *Labicum*. Hic habes *Lauicanos agros*. Mos fuit veterum ſcribarum *v* pro *b* ponere & viciſſim *b*. pro *v*. quod etiam alibi indicauimus.

Eod. *Latè euagata eſt vis morbi*] Verbum *euagata* non habet hic locum. tu caſtiga: *Latè vagata eſt.*

Cap. VIII. *Corpora ſalubriora eſſe cœpere*] Legendum ad fidem libri veteris: *corpora ſalubriora eſſe incipere, i. incipiebant*, qui ſermo familiaris eſt hiſtoricis. *Cum exitus haud in facili eſſet*. ſcribe, *quum exitus haud in facili eſſent*. numero multitudinis. Mox;

Cap.eod. Eſt in veteri codice: *vbi etſi adiectum aliquid numeroſis.*

Cap.X. *Inter alia prodigia & carnem pluiſſe. quam in vrbem ingens numerus auium inter volitando rapuiſſe fertur*] Hæc prodigia acciderunt Romæ proculdubio. Et tamen hîc narratur, aues

carnem

carnem illam pluuialem, in vrbem rapuiſſe. Quædam periodi illius verba prodigioſe ſunt corrupta. Nam pro *quam in vrbem*, ſcribendum eſt, *quem imbrem*. & pro duobus vocabulis *iatra volitando*, repouendum vnum verbum *internolitando*. Dicimus enim, *internolito*, ſicut *internolo*. Præterea non *carnem pluiſſe*, ſed *carne pluiſſe* legendum. Vt hæc ſit germana lectio, *Inter alia prodigia & carne pluit. quem imbrem ingens numerus auium internolitando rapaiſſe fertur*: O negligentiam noſtram ingentem, qui non dignamur veteres codices inſpicere. Hoc prodigium Valerius Max. lib. primo, capite de Ominibus & auſpiciis, his verbis deſcribit: *Carneſque in modum nimbi*, inquit, *ceciderunt, quarum maiorem numerum prepetes diripuerunt aues. Reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aſpectu proſtratum iacuit*. Vocat *nimbrum* Valerius, quod *imbrem* Liuius dixit.

Eod. *Ne qui ia loca ſumma vrbis impetus, cædéſque inde fierent*] Arbitror eſſe *ne qui* pro *nequis*, de quo loquendi vſu veterum etiam alibi dicturi ſumus.

Eod. *Et ſi abſciſſa res ſint*] Archetypon Borbetomagenſe habet, *e ſi abſciſa res ſint*. Vtraque mendoſa lectio. Tu meam auctoritatem ſecutus ſcribe: *etſi acciſa res ſint*, hoc eſt, *amputata, ex auſtu debilitata*. Sic libro ſexto: *Poſt acciſas*, inquit, *à Camillo Volſcorum res*. & paulo poſt: *quanquam*, inquit, *nuper Camilli ductu atque auſpicio acciſa res erant*. Metaphora deducta videtur ab auibus, quibus alæ amputantur.

Eod. *Eiicere Antiates colonos*] Hic locus fuerat aſteriſco notandus. ſed profeſſoribus omnia plana ſunt. In verbo *eiicere* non mendum eſt, ſed portentum plane errati. Siquidem legendum: *Ecetra Antiates colonos*. & ita diſtinguenda ſententia: *Antij ſummam rei poſitam. Ecetra Antiates colonos palam concilia facere. Id caput, ea vires belli eſſe*. Fuit *Ecetra* Volſcorum oppidum. Porro faciunt ad hunc locum intelligendum quæ ſupra ſunt dicta. Libet ea repetere: *Itaque Aequi*, inquit, *ab Ecetranis Volſcis præſidium petiere: quo cupide oblato (adeo ciuitates eæ perpetuo in Romanos odio certauere) bellum ſumma vi parabatur. Sentiunt Hernici & prædicant Romanis Ecetranum ad Aequos deſciſſe. Suſpecta & colonia Antium fuit, quod magna vis hominum inde, quum oppidum captum eſſet, confugiſſet ad Aequos. Iſque miles per bellum Aequicum vel accerrimus fuit. Compulſis deinde in oppida Aequis, ea multitudo dilapſa quum Antium rediſſet, ſua ſponte iam inſidos colonos Romanis alienauit*. Hactenus Liuius. Quę propterea duxi renarrãda, vt manifeſtũ euaderet, cur Antij ſummã rei poſitã fuiſſe dicat, & Ecetræ potius quam alibi palã concilia facta.

Cap. XI. *Sed virium ſpe ſed manu obtinendum erat*] Antiqua lectio: *ſed virium ſpe, & manu obtinendum*.

Cap. XII. *Sibi qui non dicto, qui non facto*] Alterum *qui* ſuperabundare docet exemplar vetuſtum, in quo legitur tantum: *Sibi qui non dicto, non facto quemquam offendiſſet*.

Cap. XIII. *In iuuentutem graſſantem in Sabarra incidiſſe*] Antiquus codex tantum habet: *iuuentutem graſſantem in Suburra incidiſſe*.

Eod. *Semanimem inter manus domum allatum*] Scribe: *Semianimem inter manus domum ablatum*.

Eod. *Cui reo capitalis dies dicta ſit*] Violauit hîc ſciolus quiſpiam verba Liuiana, tu corrige: *cui rei capitalis dies dicta ſit*. Neque enim dicimus *diem capitalem*, ſed *rem capitalem*, id eſt, quæ vitam hominis in diſcrimen adducat.

Eod. *Veluti relegatus agello quodam, in tugurio viueret*] Et hic locus infeliciter inſtauratus eſt. Antiqua lectio habet: *Veluti relegatus deuio quodam tugurio viueret*. ex qua germanam ſic reſtitue: *veluti relegatus, deuio quodam tugurio viueret*.

Cap. XV. *Ad quatuor millia hominum*. Vetus lectio: *ad M M. hominum*, id eſt, *ad duo millia hominum*.

Eod. *Ad opportuna omnia vrbis loca*] In ſcripto codice legitur: *ad opportuna omnia vrbis loca*.

Eod. *Auocato populo ab armis*] Scribe: *aduocato populo ab armis. aduocato*, ſubaudi, *ad concilium*. Sic infra: *Propoſitis decem tabulis, populum ad concionem aduocauerunt*.

Cap. XVII. *Ad multitudinem oratione conuerſa*] Exemplar vetuſtum tantum habet, *verſa*.

Eod. *Si quis impediat*] Lege: *ſi qui impediat*. Nam dictum eſt, *ſi qui* pro *ſi quis*, quod & Ciceronni ſolenne eſt.

Cap. XVIII. *L. Manlius*. Antiqua lectio: *L. Mamilius*.

Eod. *Si ſe doceri ſeniſſent*] In codice Vormacienſi legitur, *ſi ſe doceri ſenſiſſent*. Non dubito quin ſcriptum fuerit, *ſi ſe doceri ſiſſent, ſiſſent* pro *ſiuiſſent*. Sic enim aliquanto poſt ſequitur: *Dati*, inquit, *menſium ſpatium conſulibus datum eſt ad inſpiciendam legem, vt cum edocuiſſent populum, quid fraudis occulta ferretur, ſinerent deinde ſuffragium inire*. Infra eſt.

Cap. XIX. *Pace parta*, non *parta pace*.

Eod. *Cuius ordinis languore perpetuo iam tribuni plebis*] Vitiata ſunt verba corrige: *Cuius ordinis languore, perpetui iam tribuni plebis*. *Perpetuos* dicit, quod iidem ſubinde reficerentur. Id quod ex præcedentibus magis liquet. & ex eo quod mox ſequitur: *Loquaces ſeditioſos, ſemina diſcordiarum iterum ac tertium tribunos, peſſimis artibus ac regia licentia viuere*. Vbi obſeruandum in Archetypo noſtro ſcriptum eſſe: *iterum ac tertium tribunos*, non *tertio tribunos*. Huc facit quod infra dicit: *Plebes*, inquit, *vicit vt quintum eoſdem tribunos crearent*. & ibi mox: *id*, inquit, *modo excepere, ne poſtea eoſdem tribunos viderent*.

Eod. *Et vos (cum C. Claudij pace, & P. Valerij mortui loquar)* Expunge præpoſitionem *cum*. & ſcribe: *Et vos C. Claudij pace, P. Valerij mortui loquar*.

Eod. *At enim diuinis humaniſque abruptis legibus, legem vos hoc anno perlaturos dictitatis?*] Fœde eſt deprauatus hic locus. Nã pro *abruptis legibus*, ſcribendum eſt *obruti ſceleribus*, hoc modo: *At enim diuinis humaniſque obruti ſceleribus, legem vos hoc anno perlaturos dictitatis?* Porro vocat *diuina ſcelera*, quę in deos ſunt cõmiſſa, dum non à ſacrilegis propugnãtur, quod vocabulum hîc aliquem offendit. Sic vocat *diuinas et humanas res*, libro quinto. *Atque iis diuinis*, inquit, *humaniſque rebus geſtis dictatura ſe abdicauit*. item *humanas opes* eodem lib. paulo ante: *Quum iam*, inquit, *humanæ opes egeſtæ a Veiis eſſent*. & infra: *Saluo etiam tum*, inquit, *diſcrimine diuinarum humanarum que rerum*. Mox in veteri libro, *male geſta reſpub. eſt*.

Eod. *Neſcio quo fato magis bellantes, quam peccati propitios habeamus deos*] Repone, *habemus*. Nec cenſebit paruum hoc erratum doctus lector, vt contemni debeat.

Cap. XX. *Peragendi conſularis officij partem ad ſe vendicabat*] Codex Borbetomagenſis docet legendum: *In peragendis conſularis officij, partem ad ſe vindicabat*. Paulo poſt in eodem eſt: *Ad recipiendum Capitolium*.

Eod. *Et tribunos, ſi eò aduenient*] Lectio vetus: *ſi eo veniant*.

Cap. XXI. *Senatuſconſulta fiunt, vt neque tribuni l.*] In Exemplari manuſcripto non eſt particula *vt*, quæ plane abeſſe debet, vt ſua forma Senatuſconſultis conſtet, quorum primum ita incipit: *Neque tribuni legis*.

Cap. XXII. *Non permiſtim vnam ſociorum ciuiumque*] Scribe: *Non permixtam*, vel *permiſtam*. Sic enim in antiquo volumine legitur, & placet lectio. ſubauditur *aciem*.

Cap. XXIII. *Vt deſtinerent hoſtium copias*] Mendoſum verbum eſt, *diſtinerent*. Tu caſtiga, *diſtenderent*, id eſt, *diſtraherent, ſepararent*. ſic libro nono: *diſtendit ea res*, inquit, *Samnitium animos*. Paulo poſt eſt in veteri, *Poſtquam mœnibus iam Romanis pulſo hoſte*.

Cap. XXIV. *Ita eſſe multi priuatim ferebant Volſcio indices*] Repone, *Niſi ita eſſet, multi priuatim ferebant Volſcio indicẽ. Quum ad iudicium ire non auderet, omneis eæ res in vnam congruenteis, haud magis dubiam damnationem Volſcij, quam Cæſonis Volſcio teſte fuerat, faciebant*. Eſt autem *ferre iudicem*, velut offerre iudicẽ. Sic infra: *Proinde vt ille iterum ac ſæpius prouocet, ſic ſe iterum ac ſæpius iudicem illi ferre ni vindicias ab libertate in ſeruitutem dederis*. Verba ſunt L. Virginij aduerſus Appium Claudium. Hoc ſermonis genere, & Marcus Tullius vtitur.

Cap. XXV. *Romam rediere legati*] Vetus lectio: *Romam vt rediere legati*, Scribo: *Romam vt rediere legati ſenatus iuſſit ali*.

Cap. XXVI. *Quod vbi ſenſerunt hoſtes*] Melius in antiquo codice legitur: *quod vbi ſenſerant hoſtes*.

Eod. *Nihil tam nec inopinatum, nec inſperatum accidere potuit*] Volumen manuſcriptum habet: *Nihil tam nec opinatum, nec tam inſperatum accidere potuit*. Porro *nec opinatum* ſubinde Liuius vſurpat pro *inopinato*, quemadmodum & alibi admonuimus.

Eod. *Niſi effuſæ affluant opes*] Hic omiſſum eſt aduerbium, *vbi*, in editionibus vulgatis. Tu repone: *niſi vbi effuſæ affluant opes*.

Eod. *Bipalio innixus*] Archetypi ſcripti lectio, *palo innixus*.

Senſus eſt: L. Quintium inclinaſſe in palum, qui forte illic erat terræ infixus. Nihil igitur opus fuit *bipalio* ſcribere, quod inſtrumentum eſt ruſticum.

Eod. *Admiratus rogitanſq́; ſatiſne ſalua eſſent omnia?*] In exẽplari illo Borbetomagenſi legitur: *admiratus rogitanſq́; ſat iã ſatiſne ſalua eſſent omnia?* Scribo: *admiratus rogitanſq́. etiam ſatiſne ſalua eſſent omnia?* aut *admiratus rogitanſq́; ſatin' ſalua eſſent omnia?* Sic libro ſexto, *Percontatus ſatin ſalue.* Proinde librarius videtur mihi pro *ſatin* ſcripſiſſe *ſat iam*, & gloſſam eius aduerbij, id eſt, *ſatiſne* retuliſſe in contextum.

Cap. xxvii. *Sed qui tum ſtipendia pedibus propter paupertatem feciſſet*] Hic locus turpiter eſt violatus, ob vnicam literam male mutatam. Legendum eſt: *Sed qui cum ſtipendia pedibus propter paupertatem feciſſet.*

Cap. xxviii. *Legionibus dictatoris clamore ſignificantibus*] Viciatus locus eſt. Scribe: *A legionibus dictatoris clamore ſignificant, ab ea quoque parte rem in diſcrimine eſſe. à legionibus dictatoris,* id eſt, *à parte legionum. ſignificant,* ſubaudi *milites.*

Eod. *Iam ſe ad prohibenda circundati opera Aequi parabant*] In editione Aſulanica legitur ita, tu caſtiga: *Iam ſe ad prohibenda circundari opera Aequi parabant.* Infra legitur capite 29. in lib. manuſcripto, *coronam auream dictatori libram pondo decreuerit,* appoſitiue.

Eod. *Confeſtimq́; ſe dictator magiſtratu abdicaſſet*] Scribe: *Confeſtim ſe dictator magiſtratu abdicaſſet,* diſpuncta particula *que.* Quod vero mox ſequitur: *Lannuium exulatum abijt,* & eſt in exemplari vetuſto: *Lannuium exilium abijt,* poterit etiam legi: *Lanuuium in exilium abijt.*

Cap. xxx. *Noua de delectu contentio exorta*] in volumine Vormacienſi tantum eſt, *orta,* non *exorta.*

Eod. *Parumq́ue id plebi præſidium foret*] Sic in editione Aſulanica legitur, quæ nunc ſola eſt ad manum. Tu repone, *parumque id plebi præſidium foret.*

Cap. xxxi. *Inuidiæ tamen ad exercitum fuit*] Hic omiſſum eſt vocabulũ *res.* Reſtitue locũ: *Inuidia tamen res ad exercitũ fuit.*

Eod. *Cum de legibus conueniret, de latore tantum diſcreparent*] Scribendum: *de latore tantum diſcreparet.* Quemadmodum enim *conuenit* vſurpatur, ſic & *diſcrepat.* Ita quoque Suetonius vſus eſt. Mox eſt in veteri: *Dein duo ſimul mala,* non *deinde.*

Cap. xxxii. *Publius Sextilius Capitolinus*] In manuſcripto codice legitur: *Publius Sextius Capitolinus.* Et mox: *Sextio alteri conſulum prioris anni.*

Cap. xxxiii. *Et vnica concordia inter ipſos, qui conſenſus in priuatis interdum inutilis eſſet*] Hunc locum ſciolus quiſpiam pro libidine ſua tractauit. Germana lectio ſic habet: *Et in vnica concordia inter ipſos, qui conſenſus priuatis interdum inutilis eſſet, ſumma aduerſus alios æquitas erat.* Mox in noſtro exemplari non eſt *Publium Sextium*, ſed loco prænominis dimiſſa lacunula.

Cap. xxxiv. *Eas leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium non iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet*] Delerunt hîc quidam verbum, quod in primis ad ſenſum facit. Nam in Vormacienſi volumine legitur, *innaſiſſe non iuſſiſſe latas.* Proinde ſic reſtitue ſententiam: *eas leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium innaſiſſe, nec iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet.*

Cap. xxxv. *In trinundinum indicta ſunt*] Antiqua lectio: *in trinum nundinum indicta ſunt. Trinum nundinum* etiam appellat Quintilianus, quum inquit: *Siue non trino forte nundino promulgata.*

Eod. *Per illos ſe plebi vendicare*] Pudendum erratum eſt. ſcribe: *Per illos ſe plebi venditare.*

Eod. *Obſecundando mollire impetum aggrediuntur*] In manuſcripto volumine legitur, tametſi mendoſe, *obſequendo, ſe eum dando.* Quorum prius libenter dicerem poſterioris fuiſſe gloſſulã expoſitricem, niſi ſcirem *obſecundare* plus eſſe, quam *obſequi.* vt intelligamus collegas non ſolum obſecutos in iis, quæ cupiebat Appius Claudius, verumetiam obſecundaſſe & vltro hominis ambitionem adiuuiſſe.

Eod. *Ars ea hæc erat*] Pronomen *ea* neſcio quis aſſuit aliunde. non eſt in archetypo Borbetomagenſi. nec hic neceſſarium. Melius leges: *ars hæc erat.*

Eod. *Pro hac occaſione arripuit*] Et hic ablatiuum *hac* quiſpiam inſuſit, quum non ſit in libro veteri. Tu diſpunge & lege, *impedimentum pro occaſione arripuit.*

Cap. xxxvi. *Interceſſionem quoque conſenſus ſuſtulerant*] Ingens erratum hîc eſt. Corrige: *conſenſu ſuſtulerant.*

Eod. *Pronunciabantur in foro*] Placet antiqua lectio. *Iudicia domi conflabant, pronunciabant in foro.* Infra debet eſſe: *Si ea quoque leges.*

Cap. xxxvii. *Tribunitiam poteſtatem munimentum libertatis rem intermiſſam repararent*] Scribe *munimentum libertati*, id eſt, tribunitiam poteſtatem, quæ eſt munimentum ipſi libertati. ſeu, *futuram munimentum libertati.*

Eod. *Hi fere agere plebem plebiſq́; res*] Inſigne erratum huius loci, quum ſit tam manifeſtum, mirum eſt, quomodo doctos tam diu potuerit fallere. Vide quam egregie ſe vlciſcantur veteres libri nõ inſpecti. corrige: *Hi ferre agere plebem plebiſq́; res,* id eſt, expilabant plebem, diripiebantque. Quo loquendi genere ſæpe Liuius vtitur. ſic alibi: *Tum demũ fracta pertinacia eſt, vt ferri agiq́; res ſuas viderũt.* Item: *Quum ante oculos prope ſuos, ſociorum res ferri agique videret.* Hoc Græci dicunt, φέρειν ϗ ἄγειν & φέρειν ϗ ἄγειν. A quibus noſtri vſurparunt.

Eod. *Potentioris eſſet etiam, ne tergo quidem abſtinebatur, virgis cædi alij, alij ſecuri ſubiici*] Malim ſic diſtinguere: *Et iã ne tergo quidem abſtinebatur. virgis cædi, alij ſecuri ſubijci.* Nã in ſcripto codice tãtum ſemel eſt, *alij.* Infra eſt, *quid opus facto ſit.* Item.

Cap. xxxviii. *Poſtquam audita vox in foro eſt præconis.*

Eod. *Hæc fremebat plebes*] Antiqua lectio: *Hæc fremunt plebes.* Sic ante habuimus: *Quod haud ſecus factum improbant boni, quam nemo facere auſurum crediderat.* Vbi vulgo legitur *improbabant.*

Eod. *Senatumque in diem poſterum edicunt*] In volumine archetypo legitur tantum: *ſenatumque in diem poſterum dicunt.* Scribo, *indicunt.*

Cap. xxxix. *Nec nominis homines tum pertæſum eſſe*] Liuius indubiè ſcripſit, quemadmodum atteſtatur liber manuſcriptus: *nec nomen homines tum pertæſum eſſe.* Sic autem & Suetonius in Cæſare: *Et quaſi pertæſus ignauiam ſuam.* Item, *pertæſus, vt ſcribit, morum peruerſitatem eius.* Quid igitur opus fuit hîc ſcribere *nominis*, licet non negem & id Latinè dici. Non ſolum enim accuſatiuum id verbum poſt ſe recipit, ſed & genitiuum.

Eod. *Experirentur, quanto ferocior dolor in libertate ſua vindicanda, quam cupiditas in iniuſta dominatione eſſet*] In exemplari veteri pro *ferocior* ſcriptum eſt *fortior.* Nec eſt *in libertate ſua,* aut *in iniuſta dominatione*, ſed tantum *libertate ſua & iniuſta dominatione.* Nam elegantius *in* ſubauditur vtrobique. Quare crediderim ſic ſcripſiſſe Liuium, *Experirentur quantò fortior dolor libertate ſua vindicanda, quam cupiditas iniuſta dominatione eſſet.* Paulo poſt eſt in veteri: *qui anno iam propè.*

Cap. xl. *Oratio fuit precibus quam iurgio ſimilior*] Antiqua lectio: *Oratio fuit precibus quam iurgio ſimilis.* Subauditur aduerbium *magis* vel *potius.*

Eod. *Ceterum neminem, maiore cura occupatis animis, verum ex ſe præiudicium rei tantæ afferre*] Auſim iurare hunc Liuij locum viciatum eſſe, tametſi vtcumque ſtat ſenſus, vt errorem nemo ſentiat. Habet exemplar Vormacienſe: *Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum eſſe præiudicium rei tantæ auferri.* Lego: *Ceterum nemini non, maiore cura occupatis animis, verum eſſe, præiudicium rei tantæ auferri.* Senſus eſt: Verum eſſe nec poſſe negari, nemini non auferri præiudicium rei tantæ, ideo quod animi maiore cura ſint occupati. Porro *præiudicium rei tantæ* eleganter vocat, opinionem & ſententiam quam ſenator prius in animo ſuo conceptam habet, plane dignam tanta re. Mox eſt in veteri codice: *de eo quo Valerius Horatiuſque.* non *de eo, quod.*

Eod. *Senatu diſcrepante agi*] O fœdum erratum, quod prorſus ſenſum perdit. Scribendum: *Senatu diſceptante agi.* Senſus eſt, bellis perfectis, & repub. in tranquillum redacta, tum vacabit vt ſenatus diſceptet, id eſt, ambigat contendatque, vt in iudicio fieri ſolet. Nam hæc ſignificat *diſceptare.* Mox eſt in ſcripto volumine: *an donec leges quæ deeſſent perferrentur.*

Eod. *Delectum quoque primo tempore haberi & decemuiros*] Repone: *Delectum primo quoque tempore haberi.* Eod. *Decemuiros quos quique eorum videatur, ex. ducere*] Abſque particula connectrice, *&.*

Digitized by Google

Cap.XLI. *Non (quod ſimulabat) conſulendo dirimit certamen*] Legendum: *Non cui ſimulabat conſulendo diremit certamen.*

Eod. *Quam gnauum in malitia ingenium eſſe*] Melius in veteri codice legitur: *Quam nauum in malitia ingenium eſſe.* *Nauo* enim opponitur *ignauum*, *ſtrenuum* id ſignificat. Velleius: *Naua virilique opera.* Mox habet ſcriptum exemplar: *et L. Sergio.* Item

Cap.XLII. *alia omnis penes milites noxia erat.* Porro non minus Latine dicitur *noxia* ſubſtantiue, quam *noxa*.

Cap.XLIII. *Peſſima decemuirorum in vulgus fama eſt*] Ex codice manuſcripto legendum apparet: *Sepultus ingenti militum mæſtitia, in peſſima decemuirorum in vulgus fama eſt.*

Cap.XLIV. *Honeſtum ordinem in Algido ducebat*] Cogitandum num legi poſſit, *pedeſtrem ordinem in Algido ducebat*. nam plebeius fuit. Certè peditem Romam veniſſe, & mox in caſtra reduiſſe, ſequentia reſtantur.

Eod. *Apius amore ardens precio ac ſpe*] Vetus lectio, ſed corrupta: *Appius amore ardens mens precio.* Fortaſſe ſcribendum: *Appius amore ardẽte amens precio ac ſpe perlicere adortus.* Nam ſequitur infra: *Tanta vis amentiæ verius quam amoris mentem turbauerat.* aut, *Appius amore ardens immenſo precio ac ſpe perlicere adortus.* aut, *Appius amore ardens ſenſim precio ac ſpe perlicere adortus.*

Eod. *Ibi namque in tabernis literarum ludi erant*] Volumen manuſcriptum habet *Ibi namque in tabernaculis literarum ludi erant.* Opinor Liuium ſcripſiſſe: *Ibi namque vernaculi literarum ludi erant.* Neque enim crediderim pueros & puellas in humilibus tabernis quæ muris affigi ſolent, quales fuerũt laniorum, quarum mox meminit, & ſutorum ac aliorum opificum, ſeſſitaſſe in propatulo. Nec dum vero temporibus illis opera Grammaticæ dabatur, quæ nulla adhuc erat. Nam ſub ſecundum & tertium Punicum bellum, vt auctor eſt Suetonius in libello de claris Grammaticis & Rhetoribus, huius demum ſtudium Romæ vigere cœpit. Ante id tempus erant ludi literarum Romæ ſed vernáculi tantum, nondum videlicet loquendi ſcribendique regulis natis. Qualem & illum apud Falerios in Faliſcis ludum fuiſſe dubium non eſt, cuius magiſter diſcipulos Camillo prodidit. de quo Liuius libro quinto faciet mentionem. Mores ille docebat, vt veriſimile eſt, magis quam literas, & exercitiis corpora firmabat. Vernaculi ludi duo ſeorſum Seleſtadij fuerunt multis annis, Ludouico, Cratone, Hieronymo & Sapido, hîc Latinè profitentibus. in altero pueri inſtituebantur, in altero puellæ. Neque enim maioribus noſtris promiſcui ludi placuerunt, quales vidimus Baſileæ, & aliis in locis. Inſtitutionis ſumma erat, peritia legendi ſcribendique & numerandi. At poſtquam fatalibus iſtis tumultibus corrigendæ religionis cauſa, Germania turbari cœpta eſt, huc res deuenit, vt vix ludi Latini quarta pars hodie ſuſtineri poſſit: (Priores illos nãque profeſſores ferè quadringentis ſcholaſticis frequente ſchola docuiſſe conſtat.) etiam vernaculo ludo puerorum dumtaxat in illum contracto. Adeo contemni paſſim cœperunt literæ magno Germaniæ incommodo, quod poſteri noſtri ſunt ſenſuri. Præcipuè vero dolendum hoc eo tempore accidiſſe, quò meliores literæ paulo familiarius noſtratibus innotuerant. Porro pro *vernaculi*, ſcriba ſuppoſuit *bernaculi* recepto illo more. Id *bernaculi* quum nihil ſignificaret, vertit alios in *tabernaculis*. At quia *tabernacula* militum ſunt tentoria, doctus aliquis pro *tabernaculis* ſubſtituit, *tabernis*.

Cap.XLV. *P. Numitorius puellæ auunculus*] in veteri volumine legitur, *auus*, ſubaudi, *maternus*.

Cap.XLVI. *Dum præriperent iter nuncij miſſi in caſtra*] Repone: *Cum præciperent iter*, hoc eſt, *antecaperent*, de qua verbi huius ſignificatione ſupra admonuimus, caſtigantes libro ſecundo locum illum, *adeo vt alteram cauſam non collega ſolum præceperat.* Sic libro proxime ſequenti: *Nec ex quo caſtris*, inquit, *caſtra conlata ſunt, ceſſatum a leuibus prœliis eſt, facile patiente dictatore conferendo vires, ſpem vniuerſæ victoriæ tentato paulatim euentu certaminum ſuos præcipere.*

Eod. *Nemo eum adibat*] Pronomen *eum*, inter prælegendum adiecit aliquis. non eſt in exemplari Borbetomagenſi, ſubauditur autem *tribunal*, vel ſimile quippiam.

Eod. *In forum adducit*] Scribendum, *in forum deducit*.

Cap. XLVII. *Quod ius ſibi pridie per ambitionem dictum non eſſet*] Vocabulum *ius* non eſt in libro veteri, vt putem abſolute vſurpari à Liuio *dicendi* verbum. Proinde libet credere non prorſus abſurdam eſſe paulo ſuperius manuſcripti codicis lectionem, vbi ſcriptum eſt, *iuſto die ſe non dictarum*, pro eo quod in vulgatis editionibus legitur, *ius eo die ſe non dictarum*. Nam forte *iuſtum diem*, vocat, quo poſſet *iure dicere*, ſubaudi *ſententiam* vel *ius*. Ceterum, *per ambitionem dictum non eſſet*, intellige *per gratiam*. Vnde *ambitioſa decreta* Iureconſultis, per gratiam facta, quæ reſcindi iubet Vlpianus.

Eod. *Ad comprehendendam virginem*] Vitiatus locus eſt. emenda: *Ad prehendendam virginem.* Non enim M. Claudius comprehendere virginem iubetur, quod lictoris officium eſt, ſed tanquam aſſertor & dominus prehendere. Sic mox Appius: *lictor*, inquit, *ſubmoue turbam, & da viam domino ad prendendum mancipium.* Illic vero *comprehendendi* verbum aptum locum habet, vbi aliquanto poſt ſequitur: *Clamore ad tam atrox facinus orto, excitus Appius comprehendi Virginium iubet.*

Cap. XLVIII. *Decemuir alienato ad libidinem animo*] Non erat hic opus mutare veterem lectionem, quæ habet x. *vir alienatas ad libidinem animo.*

Eod. *Negat heſterno tantum conuitio*] Repone, *negat ex heſterno tantum conuitio.* Mox eſt in veteri, *populum Romam.*

Eod. *Filia in libertatem vindico*] Volumen ſcriptum habet, *Filiam in libertatem vindico.* Nec eſt abſurda lectio: niſi quis malit legere, *filiam ni in lib. vind.*

Eod. *Ceteraque quæ in tali re*] Non dubito quin Liuius ſcripſerit quemadmodum eſt in lib. vetuſto: *Eam ne liberorum procreandorum conditionem, ea pudiciæ præmia eſſe, cetera.* pro *& cetera*, ſubaudi *clamitant, quæ in tali re muliebris dolor.* & quæ ſequuntur.

Cap.XLIX. *Si iure agerent*] Scribe, *ſi iure ageret*, ſubaudi, *Appius.* Mox dele pronomen *ſe, ibi quoque ſe.* Nam præcedit, *vindicare ſe à priuato.*

Eod. *Vbi Virginius maiorem quam liquerat in vrbe motum exciuit*] Scribendum, *quam reliqueras.*

Eod. *Flens diu vocem non emiſit*] Hîc poſtremum verbum perperam mutatum eſt. Debet enim eſſe, *vocem non miſit*, quemadmodum antiquum continet exemplar. Porro ſæpe *mitto* pro *emitto* Liuius vſurpat, ſimplex pro compoſito: ſicut & *miſſa* participium pro *emiſſa*.

Cap.L. *Si libere ac pudice viuere licitum fuiſſet*] Lectio vetus: *ſi libere ac pudicam viuere.* Fortè ſcribendum, *ſi libere ac pudicam viuere licitum fuiſſet.* Et ſequitur paulo poſt. *quia non vitra pudica victura fuerit.*

Eod. *Illis quoque enim filias, ſorores, coniuges eſſe*] Liber antiquus habet, *coniugeſque eſſe.*

Cap LI. *Siccij cædis memoria reuocata*] Scribendum eſt, *renouata.* Porro quod hic eſt *renouata*, paulo poſt dixit *redintegrata*. *Redintegrata*, inquit, *exemplo eſt omnibus memoria fœdiſſimæ poteſtatis.*

Eod. *Quam qui noua fama de Virginia*] Docet legendum codex vetuſtus, *quam quem noua fama de virgine adeo fœdè ad libidinem petita accenderat.*

Eod. *Imminenſque etiam poteſtati*] Antiqua lectio, *Imminenſque & poteſtati.* Opinor legendum, *imminenſque ei poteſtati.* Nam ipſe poſtea tribunus plebis electus eſt, & eam poteſtatem reſtitui populo ſummis viribus vrgebat. Sic libro ſequente Liuius noſter: *Interim Romæ principes plebis iamdiu nequicquam imminentes ſpei maioris honoris:* Ita enim legendum docebimus ad fidem vetuſti codicis.

Cap.LII. *Affirmante Duellio*] In exemplari Borbetomagenſi legitur: *Affirmante C. Duellio.*

Eod. *Seituros: quod ſine reſtituta poteſtate*] Codex vetuſtus habet, *ſciturosque.* Malim legere, *ſcituros quam ſine reſtituta poteſtate.* aut, *ſciturosque quam ſine reſtituta poteſtate redigi in concordiam res nequeant.*

Eod. *Vbi parum ſeceſſione moueantur*] Manuſcriptus codex habet, *Vbi parum ſeceſſione moueatur.* Porro Liuius *moueatur* impersonaliter dixit. Paulo poſt legitur, *Tum Valerius Horatiuſque item, in caſtra accipiuntur*, non *accipiuntur in caſtra.*

Cap.LIII. *Quippe liberatores haud dubia & motus, initio & exitu rei*] In volumine veteri legitur: *Quippe liberatores haud dubia & motus initio exitu rei.* Neſcio an Liuius ſcripſerit: *Quippe liberatores haud dubie motus, initio exitu rei*, abſque copula, *&*, nam hanc ſæpe ſolet omittere. infra legitur, *Ad impu-*

gnandos alios, non *impugnandum*.

Cap. LIV. *Conuellunt inde ſigna*] Hoc verbum obuium ſubinde eſt apud Liuium. Sed hoc loco placet mihi lectio vetus, quæ habet, *conuertunt inde ſigna*. Eſt autem *conuertere ſigna* recedentium. Sic libro octauo, *Et quum iam portis prima ſigna & pars agminis eſſet egreſſa, nuncio allato de clade Latinorum, quum conuerſis ſignis retro in vrbem rediretur*. Porro oſtendit iam olim quoſdam hoc verbum. Vnde & in Vormacienſi codice aſcriptum eſt in margine, *conuellunt*, quæ lectio deinde in vulgatas iſtas editiones eſt recepta.

Eod. *Tum C. Sicinium progeniem eius, quem pri.*] Scriptura vetus habet, *progenies eius*. Suſpicor Liuium ſcripſiſſe: *Tum C. Sicinium, progenie eius*, hoc eſt, *ex progenie eius*.

Cap. LV. *Vt quod tribuni plebis iuſſiſſent, populus teneret*] Adulteratus fœde locus eſt, ſic reſtituendus, *vt quod tributim plebes* (ſiue *plebs*) *iuſſiſſet populum teneret*. Codex Borbetomagenſis habet *plebis* pro *plebes*, quæ vox caſtigatori impoſuit. Et eſt *populum teneret*, pro *aſtringeret*.

Eod. *Venum irent*] Scribendum, *venum iret*, vt referatur ad nominatiuum *familia*.

Eod. *Sed eum qui deorum cuiquam nocuerit, id ad ſacrum ſanciri*] Deprauata verba ſunt, nec magnopere ſuccurrit nobis exemplar ſcriptum, quod ſic habet: *Sed eum qui deorum cuiquam nocuerit, id ſacrum ſanciri*. In hoc tamen iuuat quod præpoſitionem *ad*, poſtea vides adiectam fuiſſe: Ergo meam ſecutus auctoritatem, non eam modo præpoſitionem expunge, ſed & pronomen *id*, ſic legens: *Sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, ſacrum ſanciri*. Vnde vero pronomen *id* huc irrepſerit, audi. Librarius aliquis extremam ſyllabam verbi *nocuerit*, bis ſcripſit, hoc modo, *nocuerit, it*. Alius caſtigare volens, poſterius *it*, in pronomen *id* mutauit.

Eod. *Noceri enim ei, cum hac lege non liceat*] Et hic locus deprauatus eſt. Nam pro *cum* ſcribendum *cui*, hoc modo, *Noceri enim ei cui hac lege non liceat*, ſubaudi, *noceri*.

Eod. *Qua antea arbitrio conſulum ſupprimebantur nunciabanturque*] In poſtremo verbo tam craſſum mendum eſt, vt admodum demirer à nemine hactenus animaduerſum. Debet autem eſſe *ſupprimebantur vitiabanturque*, hoc eſt, corrumpebantur, deprauabantur.

Eod. *Qui plebem ſine tribunis reliquiſſet, quique magiſtratum ſine prouocatione creaſſent, tergo ac capite punirentur*] Verba pluratiui numeri hic commutanda ſunt in ſingularem, hoc modo, *Qui plebem ſine tribunis reliquiſſet, quique magiſtratum ſine prouocatione creaſſet, tergo ac capite puniretur*. Sic & prior lex ſonuit, *Qui tribunis plebis, aedilibus, iudicibus, Decemuiris nocuiſſet*.

Cap. LVI. *Vnius tantum criminis niſi te vindices*] Admonet nos liber vetuſtus ſcripſiſſe Liuium, *Vnius tantum criminis niſi iudicem vindices te ab libertate*, &c. Nec vacat vocabulum *iudicem*, nam arguit rem pro tribunali geſtam.

Eod. *In quum conſpiraſſe decemuiros criminati ſunt*] Scribendum, *criminati ſint*.

Cap. LVII. *Clienti dono vindiciis dederit*] Ablatiuus *vindiciis* ſuperuacaneus eſt in editione Aſulanica, quæ nunc ſola eſt ad manum.

Eod. *Auunculumque*] Miror cur hoc loco legatur *auumq*, in volumine ſcripto.

Eod. *Cum tanti viri ſupplicio ſua & plebi tam nimia libertas videretur*] Corrige, *ſuamet plebi iam nimia libertas videretur*.

Cap. LVIII. *Sed neceſſarium Virginij, & trium tribunorum preces audirent*] Caſtiga, *ſed neceſſariorum Verginia trium tribunorum preces audirent*. Nam ipſe pater erat, L. Icilius ſponſus, auunculus P. Numitorius. Infra eſt, *proximus inuidiæ*. & iterum, *in ſe ſæuiret*.

Cap. LIX. *Vultuſque iam idem tribunorum*] Lectio vetus, *Vultuſque iam inde, tribunorum erant, qui x. virorum fuerant*.

Eod. *Cum & noua expiata ſint decemuirorum ſuppliciis*] In archetypo Borbetomagenſi legitur, *et cum noua*. Ego ſuſpicor verbi *placet* vltimam ſyllabam per incuriam librarij bis ſcriptam fuiſſe. quare & monoſyllabum eradendum puto, vt legas & diſtinguas. *Nam neque vetera peccata repeti iam obliterata placet, cum noua expiata ſint decemuirorum ſuppliciis. & nihil admiſſum iri*. & quæ ſequuntur.

Cap. LX. *Valerius aduerſus coniunctos*] Ex volumine manuſcripto legendum apparet, *M. Valerius*, Sicut & infra: *ſed conſule M. Valerio*. Supra tamen lectum fuit, *L. Valerius*. Item, *quod ibi ſenſit conſul*. Non, *conſul ſenſit*.

Cap. LXI. *Præter equitantes, qui obſterrent peditum acies*] Sic lege, *Præter equitanteſque obſterrent peditum acies*, &c. *Id conſilij animique habiturus ſum, quod vos milites mihi effeceritis*] Neſcio quis hunc locum auſus ſit interpolare, quum in antiquo libro ſimpliciter legatur, *Id conſilij animique habiturus ſum, quod vos mihi ceſſeritis*.

Cap. LXII. *Agite cum clamorem*] Scribe, *Agitedum clamorem qualem in acie ſublaturi eſtis tollite hic*. Sic infra, *Agitedum vbi hic curiam circumſederitis*. Item lib. 5. *Recordamini agitedum quotiens ſacra inſtaurentur, quia aliquid ex patrio ritu, negligentia caſuve prætermiſſum eſt*.

Cap. LXIII. *Et locum ex quo exceſſerunt*] Corrige, *ex quo ceſſerunt*. Infra eſt *vndique omnes conſij*. Suſpicor legendum *conniſi*, quod in editionibus vulgatis eſt *connixi*.

Eod. *Circum iam tum Apollinarē appellabant*] Accuſatiuus *circum* non eſt in codice manuſcripto. Infra tantum eſt, *Multa & cæteris ſenioribus pa. eſſent dicta*. item inferius aliquanto.

Cap. LXIV. *Iura plebis labefacta eſſent*. Nam *labefacere* & *labefieri* dicimus, non minus quam *labefactare*. Nec deinde comitiorum cauſam habuit. Emenda, *nec deinde comitiorum cauſa habuit*, ſubaudi, *concilium*.

Eod. *Si quo vos minus hodie*] Video legi poſſe: *Si quo minus hodie decem tribunos plebis fecerint, tum vt ij quos ſibi collegas cooptaſſint, vt illi legitimi eadem lege tribuni plebeij ſint*. Certe exemplar Vormacienſe habet, *ij tum vti quos*. non *vtique*. Quare legendum aut *ij tum quos*, aut *ij quos*. Porro *cooptaſſint* eſſe ſcribendum pro *cooptaſſent*, facile admittet doctiſſimus quiſque, & mihi pro hoc loco reſtituto gratiam habebit. Vſurpauit autem antiquitas *coopraſsint*, pro *cooptarint*. Cuius generis multa verba adnotat Feſtus, quemadmodum & nos indicauimus in caſtigationibus noſtris, in libellum Ciceronis de Senectute, emendantes Ennianum carmen, quo ſuum opus exorſus eſt Tullius, quod vulgo mendoſe legitur, *O Tite ſi quid ego adiuto curamve leuabo*, quum ex vetuſtis codicibus ſcribendum ſit: *O Tite ſi quid ego adiuro curamve leuaſſo*.

Cap. LXV. *Deinde ne ipſi quidem*] Ex volumine veteri colligo ſcriptum fuiſſe, *in primis parum proderat, dein ne ipſi quidem interant*. Infra eſt.

Cap. LXVI *Vaſtationē agrorū per contumeliā vrbi oſtentantes*.

Cap. LXVII. *Ergo ſi arma illa viros habuiſſent*] Syncera lectio, *Ergo ſi viri arma illa habuiſſent*.

Cap. LXVIII. *Quo in ſtatu ſunt*] Vetuſtus codex habet, *quo ſtatu ſims*. Item, *re fortuna domum auctior rediſt*. Arbitror vero poſterius ſcilicet *fortuna*, prioris vocis expoſitionem fuiſſe. Nam *res* hîc *fortunam* ſignificat, ſiue *fortunas*, id eſt, *diuitias*. Infra eſt, *Arma & bellum ſpectabat*. item.

Cap. LXIX. *Cum conſules in concione pronunciaſſent*.

Cap. LXXI. *Annum ſe tertium & octogeſimum agere*] In quibuſdam exemplaribus legi, *nonageſimum*, ſatis indicat marginaria annotatiuncula in codice Borbetomagenſi. Mox ſequitur *pro parte viri*.

IN LIBRVM IV. ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.

CAp. I. *Nam anni principio*] Vetus lectio, *Anni nam principio*, lego, *anni namque principio*.

Cap. II. *Et quemadmodum plebs gloriari poſſet*] In manuſcripto volum. legitur, *vt quemadmodum plebs gloriari poſſet*. Legi poſſet etiam *tum quemadmodum plebs gloriari poſſet*.

Eod. *Colluuione gentium*] Antiquus codex habet, *colluuionem gentium*.

Eod. *Sinere non fieri poſſe*] Craſſiſſimum erratum eſt in editione Aſulanica. ſcribendum, *Finem non fieri poſſe*. vt paulo ante, *Finem ergo non fieri, nec futuram*. Infra eſt, *arceſſierint*, quod idem eſt cum *accerſierint*.

Cap.III. *L. deinde, Tarquinium non modo Romanæ*] Vetus liber dumtaxat ob tranſpoſitionem aduerbij *modo* à vulgaris editionibus euariat, *L. deinde Tarquinium non Romana modo, ſed nec Italicæ quidem gentis.* Animaduertendum autem ſic Liuium loqui ſolitum, vnica tantum adhibita negatione, vt in libro primo primæ Decadis, *regnare Romæ aduenam*, inquit, *non modo vicina, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis:* Quem locum quidam addita negatione, caſtigare ſunt auſi, docet hoc vulgatæ editiones: Aliquando duabus vtitur negationibus, qui ſermo frequentior eſt apud auctores, vt infra: *Tantum metum*, inquit, *vaſtitatis in vrbe agriſq; fecit, vt non modo prædandi cauſa quiſquam ex agro Romano non exiret, bellive inferendi memoria patribus aut plebi eſſet: ſed vltro Fidenates, qui ſe primo aut oppido aut montibus aut muris tenuerant, populandi deſcenderent in agrum Romanum.* Mox eſt, *ingenio, virtute*, abſque copula.

Cap.IV. *Quis enim dubitat*] Exemplar vetus non habet *enim*, ſed tantum, *quis dubitat.* Item, *in æternum vrbe condita, in immenſum creſcente.* abſque copula, *&*.

Eod. *Peſſimo exemplo, cum ſumma iniuria plebis*] Omiſſus eſt ablatiuus *publico* in vulgatis editionibus: *Peſſimo exemplo publico, cum ſumma iniuria plebis. Aut inſignior contumelia*] Lege, *aut inſignitior contumelia.* nam *inſignitus* dicimus, ab *inſigniendi* verbo.

Eod. *Cauent ne ſocietur ſanguis*] Neſcio quid ſibi velit *cauent*, quod eſt ſcriptum in exemplari Borbetomagẽſi. Quid ſi hoc modo legas & diſtinguas, *Ne adfinitatibus, ne propinquitatibus immiſceamur cauent, an ne ſocietur ſanguis?* vt reſpiciat id quod ſequitur: *Id vos ſub legis ſuperbiſſimæ vincula conijcitis, qua dirimatis ſocietatem ciuilem.*

Eod. *Neque veſtras filias ſororeſque etiam ei nubere ſinendo è patribus*] Non aliter in ſcripto codice legitur, niſi quod illic tantum eſt, *& nubere.* non *etiam ei nubere.* quas voces doctus aliquis admiſcuit, Leges: *Neque veſtras filias ſororeſque enubere ſinendo è patribus.*

Cap.V. *Quam victi tandem patres vt de connubio ferretur, conſenſere*] Verbum *conceſſere* in contextum relatum poſt *conſenſere*, ſatis indicat, veterem fortaſſis lectionem fuiſſe, *patres vt de connubio ferretur conceſſere.*

Cap. VIII. *Vt mox ope eorum*] Scribendum, *Vt mox opes eorum qui præeſſent, ipſi honoribus maieſtateque adijcerent.*

Cap. IX. *Aduerſus quos eo infeſtior*] In volumine ſcripto tantum legitur, *aduerſus quos infeſtior.*

Eod. *Præcipitique iam die*] *Præcipitem diem* vocat extremum diei. Sic Curtius *præcipitem ſenectutem* dixit.

Cap. X. *Alia vndique abſciſa*] Hic *abſciſam* dicit quod ſupra eſt *inciſa. Itaque ſpe inciſa prius quam prædicta dies adeſſet, Appius ſibi mortem conſciuit.*

Eod. *Romanus conſul Ardea turbatas ſcilicet*] *Conſul* non eſt in codice manuſcripto. Paulo ante vero dixit *Romanus* ſimpliciter, vbi ſubauditur *conſul.* & mox ſequitur: *Conſul triumphans in vrbem redit.* Non gaudet autem eiuſdem repetitione verbi Liuius.

Cap. XII. *Proculo Geganio Macrino*] Non hîc ſolum, ſed & alibi liber ſcriptus habet, *Macerino.*

Eod. *Haud immeritam gratiam et gloriam tulit*] Scribe, *Haud immeritam & gratiam & gloriam tulit.*

Eod. *Confiteri cogendo frumentum*] O aſinum qui hîc *confiteri* inſulſit, quum ſit legendum *profiteri.*

Cap. XIII. *Id vnum dignum tanto apparatu conſiliorum & certaminum, quod ingens exudandum eſſet, præmium fore*] Sic legamus oportebit, *quod ingens*, referre ad *præmium.* Secus eſt ſi quis, *certamine legat.*

Cap. XIV. *Cum apparitor iuſſu magiſtri equitum eum duceret*] Accuſatiuus *eum* non eſt in ſcripto volumine; ſubauditur.

Cap. XV. *Splendore familiarum ſuſtuliſſe animos, quod nefas fuerit*] Scribe, *quo nefas fuerit*, aduerbium eſt loci.

Eod. *Bilibre farris*] In volumine veteri legitur *bilibris farris.* Diu locum expendenti venit in mentem optime legi poſſe, *vilibus farris libris.* Nam arbitror ſcriptum primo fuiſſe *vilib.* Et *v* litera mutata in *b* more librariorum, factum eſt *bilib.* Alius deinde adiecit *ris*, inducta dictione *farris.* Eſt autem non incommoda ſententia, Spurium Melium cui tribunatus plebis magis optandus quam ſperandus fuerit, frumentarium diuitem, vilibus libris farris ſperaſſe libertatem ſe ciuium ſuorum emiſſe.

Eod. *Bonaque contacta pretijs regni mercandi publicarentur*] Libro primo huius Decadis. *vt contacta regia præda ſpem in perpetuum cum his paucis amitteret.* Mox eſt, *Id æquimelium appellatum eſt.*

Cap. XVI. *Haud dubie quin ſex lectis*] Antiqua lectio. *Haud dubij quin ſex locis.*

Cap. XVII. *A bello credo quod deinde geſſit, appellatus*] In archetypo Vormacienſi legitur: *à bello credo quod deinde geſſit appellatum.* Subauditur, *eum eſſe.* Infra eſt, *quod ſimul vbi conſpexit.*

Cap. XIX. *Confeſtim & ipſa haſta innixus ſe in pedes excepit*] Scribe, *Cõfeſtim & ipſe haſta innixus ſe in pedes excepit. Aſſurg.* Mox eſt, *Dictator legionibus fugatis.* Paulo poſt prænominis literam reperi Fabio aſcriptam, ſed calamo recentiore.

Eod. *Intentos deinde hoſtes in vallum, egreſſus dextra principali cum triariis repente inuadit*] Habet exemplar Borbetomagenſe, *principia.* Verum extremæ duæ literæ in raſæ ſcripturæ locum ſuppoſitæ videntur. Supra ſcriptum eſt, *alias, principali.* Si libet legere *principia*, intellige dictum appoſitiue *intentos hoſtes in vallum dextra principia, cum triariis repente inuadit.* Significat autem validiorem hoſtium partem aggreſſum: nam ij principiorum nomine intelliguntur, vt exponit apud Terentium Donatus, quo loco Thraſo dicit, *Hic ego ero poſt principia.* Liuius noſter libro octauo huius Decadis docens, quo ordine ſolitus fuerit componi Romanus exercitus, *Robuſtior inde ætas*, inquit, *totidem manipulorũ, quibus principibus eſt nomen.* Quod ſi mauis vulgatam lectionem ſequi, notum eſt, auctore Feſto, *principalem caſtrorum portam* nominatam, quod in eo loco ſit, in qua principes ordines tendunt. Sed an duæ fuerint dextra & ſiniſtra neſcio. quare non diſplicet vt legamus *principia.* Mox eſt.

Cap. XX. *Quæ prima opima appellata.* Item, *dux duci detraxit*, non *detraxerit.* Infra ſequitur, *ita expugnandi.*

Cap. XXIV. *Congratulatione ac fauore*] Malum quemadmodum habet archetypon volumen, *cum gratulatione ac fauore ingenti populi eſt reductus.*

Eod. *Nullum fuit*] Antiqua lectio: *Victoriæ præmium quod petebatur, vt plebeius crearetur, nullus fuit, omnes patricij creati ſunt.* Expone, *nullus fuit*, ſcilicet, *creatus.* appoſitiue, *victoriæ præmium nullus fuit.*

Cap. XXV. *Iamdiu nequicquam imminente ſpe maioris honoris*] ſcribe, *iamdiu nequiequam imminentes ſpei maioris honoris.* Sic priore libro dixit de L. Icilio: *Imminenſque ei poteſtati.* Ita namque nos caſtigauimus.

Eod. *Ne cui album veſtimentum addere petitionis cauſa liceret*] Exemplar ſcriptum habet, *Ne cui album inueſtimentum addere petitionis liceret cauſa.* Sicut autem à veſtiendo *veſtimentum* deducitur, ita ab inueſtiendo, *inueſtimentum*, quod ſupra aliam veſtem induitur. Hinc candidatorum nomenclatura à candida veſte, quod hic vocat Latiniſſime *album inueſtimentum. Inueſtiendi* verbo Iureconſulti vtuntur, qui & *inueſtituram* vſurpant.

Cap. XXVII. *Vtrimque obnixe obeditum dictatori*] Legendum: *Vtrimque obnixe obeditum dictatori eſt.* Infra eſt: *Conſul nec animo defecit, nec conſilio.* item, *firmat.* & paulò pòſt *Q. Sulpicium legatum præficit.* Item, *neutiquam vulgata laudis.* Inſuper. *& Fabius cum equitatu impetum dederat.*

Cap. XXVIII. *Circumagenti ſe ad diſſonos clamores ac ſubitos tumultus, hoſti vndique obiecerat victorem peditũ equitemq;*] Antiqua lectio: *Agẽtes ad diſſonos clamores ac ſubitos circũtumultus.* Aſſcripſerat aliquis in margine, legendum aliâs, *circumagentes.* Poſſet igitur etiam legi, *ſatagenti ad diſſonos clamores ac ſubitos circumtumultus hoſti.* aut, *cogenti ſe ad diſſonos clamores ac ſubitos circũtumultus hoſti.* Nã ſequitur, *iam orbem voluẽtes ſuos.*

Eod. *Hic perituri, inquit, vos telis hoſtium eſtis*] Repone: *hic præbituri, inquit, vos telis hoſtium eſtis ind. inulti?*

Eod. *Hac qua me progreſſum videritis*] Emenda *prægreſſum.*

Eod. *Ibi Poſthumius ictus ſaxo*] Scribe: *Vnus poſthumius ictus ſaxo, perfracto capite acie exceſſit.* Sic de Publio Sextio hoc ipſo libro: *Saxo ictus*, inquit, *turba excedit.* Infra eſt, *tum abiectis paſſim arma.*

Cap. XXIX. *Et argumento eſt quod imperia Marliana non Poſthumiana appellata ſint: quoniam qui prior*] Codex Borbetomagenſis habet: *Et argumento eſt quod imperia Manliana non Poſthumiana appellata ſint quem qui prior.* Lego, *quem quia*

pro, *quum qui prior auctor tam ſæui exempli foret occupaturus, inſignem titulum crudelitatis fuerit*. Mox eſt illic *Manlio eoq. iud.*

Cap. xxxi. *Documentoque fuere quamplurium imperium bello inutile eſſe*] Malim ſcribere: *documentoque fuere, complurium imperium bello inutile eſſe*. Nam arbitror veterem olim ſcripturam *quamplurium* habuiſſe pro *complurium*. quod deinde verſum eſt in *quamplurimum*, notius equidem vocabulum. Iam ad infinitiuum *eſſe* prima litera verbi ſequentis acceſſit, & factum *eſſet*.

Eod. *Romæ terror ingens erat, accito ex*] Ex volumine Borbetomagenſi hic mihi potius verborum ordo placeret: *Romæ terror ingens erat hoſtibus poſitis ad Fidenas accito exercitu à Veijs.*

Eod. *Eoque ipſo ob rem male geſtam*] Emenda, *Eoque ipſo ab re male geſta*. Solet autem ſæpe in hunc modum loqui Liuius, & à præpoſitionem vel *ab* ſic vſurpare. Nam hoc ipſo lib. paulo poſt: *Mœſta ciuitati*, inquit, *ab re male geſta & irata ducibus, M. Poſthumius reus obiectus*. Sic & *ab ſecundis rebus*, vſurpat, vt 5 lib. huius decadis. *Nunc*, inquit, *ab ſecundis rebus magis etiam ſolito incauti*. Lib. 5. curſum: *Ibi eum incompoſito agmine negligentius ab re bene geſta euntem, adorti Aequi terrore iniecto in proximos compulere tumulos*. Mox ſequitur, *cum trepidam ciuitatem*. Et poteſt ſtare ſi quis ſententiam continuet. Subinde vero ſic Liuius loquitur, vt lib. proxime ſequenti: *Iamque Romani deſperata ope humana, fata & deos ſpectabant, quum legati ab Delphis venerunt ſortem oraculi adferentes*. Item, *ex tam leuis momentis fortuna*. Et infra, *noua erumpit acies*.

Eod. *Et equitem paſſim liberi frenis diſpuliſſent equi*. Melior vetus lectio, *liberis frenis* ſubauditur, *exiſtentibus*.

Eod. *Eodem & Romanos ſequentes impetus rapit*] Repone, *Eadem & Romanos ſequentes impetus rapuit. Eadem*, i. *per eandem viam* videlicet *per eaſtra*. Aduerbium eſt loci, quo ſæpe Liuius vtitur. ſic inferius paulo, *Interclusi equites: nec perrumpere eadem qua tranſierant, poſſe*. Rurſum lib. 5. *Ibique omnibus ſolenniter peractis, eadem reuertens ſimiliter conſtanti vultu gradúque*. Et illic mox infra, *Eadẽ digreſſus nuncius Veios contẽdit*.

Eod. *Et cum eo digreſſos modo de montibus*] Caſtiga, *degreſſos*. à *degrediendi* verbo, quod crebro reperias apud Liuium. Mox eſt in veteri. Cap. xxxiv. *Signum ex muro tollunt*.

Eod. *Claſſibus quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus quidam annales retulere*] Repone. *Claſſi quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus quidam annales retulere*. Scriptum autem eſt *claſſi* pro *claſſe*.

Cap. xxxv. *Spectaculum comitate etiam hoſtium, ad quod publico conſenſu conuenerant: aduenis gratius fuit*] Hic exemplar vetus multis lituris eſt notatum, & *hoſpitium* quidem habet, ſed ſupra ſcripſit aliquis *aliàs hoſpitum*. Ego tamen ſciẽs quo pacto hoſpitij vocabulo Liuius alibi vtatur, vt quum lib. proxime ſequenti dicit, *notos ignotoſque paſſim aduenas in hoſpitium ductos ferunt*. Et lib. 5. *Cum Caretibus publice hoſpitium fieret*, auſim iurare ſic hic legendum: *Spectaculum comitate etiam hoſpitij in quam conſilio publico conſenſerant, aduenis gratius fuit*. Intellige humanitatem aduenis iuſſu magiſtratuum exhibitam.

Eod. *Fortem ac ſtrenuum aliquem exiſtere ortum ex plebe.*] Deeſt accuſatiuus, *virum*. *Fortem ac ſtrenuum virum aliquem exiſtere ortum ex plebe*. Infra eſt, *& iam inde ab incunabulis*. Item, *creati conſules ſunt*. & mox, *ab duce eorum Capye*.

Cap xxxvii. *Grauatos ſomno*] Opinor legendum, *graueis ſomno epuliſque*. nam in volumine ſcripto, *graui ſomno* legitur.

Eod. *Idibus Decembris*] Scribe, *Idibus Decembribus*. Mox eſt *remiſerant*, item, *arma bellumque obliuioni danda*. mox eſt, *ſorti euenit*.

Eod. *Tanquam conſtantiſſimæ rei fortunæ fretus*] Hanc orationem etiam in manuſcripto volumine quidam auſus eſt interpolare, quum recte habeat, nempe ſic: *tamquam conſtantiſſimæ rei fortunæ fretus*. Iungit autem participium *fretus* interdum datiuo. Sic libro ſexto, *Multitudo hoſtium*, inquit, *nulli rei præterquam numero freta*. Rurſum infra, *Diſcordiæ hoſtium fretus*. Mox in ſcripto codice non legitur *exercitum*, quare ſuſpicor *duxiſſe* mutandum in *dux eſſet*.

Eod. *Quo res inclinatura eſſet*] Scribe, *qua res inclinatura*. Nam hoc aduerbium vſurpat Liuius, ſicut & *eadem*. mox eſt, *ſegnius ſæpe iteratus*.

Cap. xxxviii. *Iam in omnibus locis ceditur.*] Emenda, *Iam omnibus locis ceditur*.

Cap. xxxix. *Inclusi equites, cum nec prorũpere eadem qua tranſierant poſſent*] Vitiatus locus eſt, tu expunge, *cum* aduerbiũ, & loco verbi, *prorumpere*, *perrumpere*, pro *poſſent* ſcribe *poſſe*, vt legas quemadmodum eſt in archetypo Vormacienſi, nimirum hoc modo: *Interclusi equites, nec perrumpere eadem qua tranſierant, poſſe*. Expone, *Quod vbi eſt factum, interclusi equites*, ſubaudi, *ſunt*. *nec perrumpere eadem qua tranſierant, poſſe*, id eſt, *poterant*. Hic vides duo loci aduerbia *eadem* & *qua* eleganter coniuncta. Infra ſequitur, *Vltra mediam noctem eſt*.

Cap. xl. *Stationes ante portas agebat*] Lectio vetus, *Stationem ante portas agebas*. Item mox, *atque animo vix præ gaudio compote effuſe*. Et infra, *in caſtra veſtra virtute perruperitis*.

Cap. xli. *Aduerſus hæc Tempanij oratio incompoſita fuiſſe dicitur*] Ingens mendum eſt. ſcribe, *incompta fuiſſe dicitur*. Paulo poſt recentiore calamo ſuper addidit quidam particulam *atque*. *Pugnantem, iſque adhortantem*.

Cap. xlii. *Et euerſuri tribunitiam poteſtatem*] Antiqua lectio, *Et euerſuri tribuni poteſtatem plebis*. Itaque ſcribe, *an erepturi ius populo, & euerſuri tribunitiam poteſtatem plebi*.

Eod. *C. Sempronium nihil moror*] Solennia videntur fuiſſe verba abſoluentis reum iudicis, & dimittentis.

Cap. xliii. *Id æque in quæſtoribus liberum eſſe arbitrium*] Pro duabus vocibus, *id æque*, repone, vnum aduerbium, *adequè*. Infra quidam caſtigauit, *Veientium inducijs*. infra eſt, *nec ſuffragatio horum valuit*.

Cap. xliv. *Aut perſeuerantem ſub iudicij tempus plebem offenſurum*] Legendum, *aut perſeuerante*, ſubauditur *cauſa*. Nam præceſſit, *depoſita cauſa*. quæ duo opponuntur.

Cap. xlv. *C. Seruilium, Q. Seruilij Priſci filium*] Habet vetuſtum exemplar tantum, *C. Seruilium Priſci filium*.

Cap. xlvi. *Per aduerſam portam fuga turpi deſeruntur*. Subaudi *caſtra*.

Eod. *A quo ipſo tribuno militum dictator erat dictus*] ſcribe, *à quo ipſe tribuno militum dictator erat dictus*. Infra debet eſſe, *largitione peſſimi exempli concirent*.

Cap. xlviii. *Tamquam priuatam inopem confugere*] Antiqua lectio, *tamquam priuatum inopem confugere*. ſub intellige, *ciuem*. Paulo poſt.

Cap. xlix. Vbi in vulgatis editionibus legitur, *duo bella inſequens annus habuiſſet*. Video quoſdam in manuſcripto volumine legiſſe, *Ardua bella inſequens annus habuiſſet*.

Cap. li. *Iacere tamdiu irritas ſanctiones*] Scribe, *iacere tamdiu irritas actiones*. Mox illic eſt, *de ſanguine, ac ſupplicio ſuo*. Item, *aptiſſimum tempus fuerat*.

Cap. lii. *Peſtilentem annum, inopia frugum neglecto cultu agrorum (vt plerumque fit) accepit*. Repone, *excepit*. Infra eſt, *quum apud patres*, in manuſcripto ſuit *tum*. Item, *damnum aliamque coertionem*. Et, *arcem recipit*.

Cap. liv. *Multarum magnarumque rerum molem*] Caſtiga, *Hi multarum magnarumque rerum molem. auidiſſ. adeo populo oſtentanter*. Item, *quæſturamque eam non honoris ipſius finem æſtim*. Et infra, *ea aduerſa ciuitatis res*.

Cap. lv. *Conſules an ambo*] Lectio vetus, *Conſules ambo profecti ſint ad arcem Caruentanam, an alter*.

Cap. lvi. *Et conſulis quoque ab ea poteſtate vim*] Codex Vormacienſis habet abbreuiatam lectionem. *& coſſ.* vt legi poſſit, *et conſulum*. *Quam in tribunis*] Repone, *quam tribunis*. nam mox præceſſit *in*, *perditatis ea in ain ſenatu magis ſuis*. Statim ſequitur illic, *ſumma vi reſtare nunciabantur*.

Cap. lviii. *Parum cogitauerunt: nulla non virtute ſuperari humanarum virium modum*] Hic non erat opus inſulcire negationem, quæ non eſt in exemplari Vormacienſi. Nam ſic ſcripſit indubie Liuius, *Parum cogitauerunt, nulla virtute ſuperari humanarum virium modum*. Expone, quantumlibet egregia virtus adſit, eſſe tamen ſuum modum humanis viribus, vltra quem nemo eniti poſſit.

Eod. *Qui legatis repetentibus res, niſi faceſſerent propere vrbe finibuſque daturos pœnas, quas Larti Tolumnio dediſſent, reſponderi iuſſis*] Locus hic miſere eſt interpolatus. Nam accuſatiuus *pœnas* ſuperadditus eſt, & pro *Lars Tolumnius*, *Larti Tolumnio*, pro *dediſſet*, *dediſſent*, ſcriptum. Reſtituemus tamen ex veteri codice germanam lectionem, qui ſic habet, *daturos quod Lars Tolumnius dediſſet, reſponderi iuſſit*. Lego, *daturos quod Lars Tolumnius dediſſet*, hoc

Digitized by Google

eſt, *mortem*. Nam Fidenates, C. Fulginium, Clœlium Tullium, Sp. Antium, L. Roſcium legatos Romanos, cauſam deſcctionis ad Veientes exquirentes, iuſſu Tolumnij interfecerunt, vt ante dixit Liuius hoc ipſo libro. Porro *daturos* refertur ad participium *repetẽtibus*. Siquidem qui repetit, petit aliquid ſibi dari. Vides igitur totam ſententiæ elegãtiam fuiſſe corruptam.

Eod. *Occidione occiſa cum periculo retineri*] Scribe, *modo duo præſidia occidione occiſa, & cum periculo retineri.*

Eodem · *Quid ſupereſſe ſanguinis*] Liber vetuſtus tantum habet, *quid ſuper ſanguinis*, intelligendum, vel *ſuperare*, vel *ſupereſſe.*

Cap. LIX. *Vt diſtinerent Volſcos*] Non diſplicet hoc verbum, non minus elegans, quam hoc loco conueniens. Sic libro ſequente, *duæ ſenten* inquit, *diſtinebant ſententia.* Sed quia Borbetomagenſe volumen habet in ipſo contextu *deſternerent*, in margine *diſtinerent* cogitandum an Liuius ſcripſerit, *vt externarent Volſcos*, id eſt, percellerent Volſcos, mentem & conſilium adimentes. Quod verbi repoſuimus etiam apud Ciceronem, in libello de Senectute.

Eod. *Additum deinde omnium maxime tempeſtiue præcipuum in multitudinem munus.*] Reponenda antiqua lectio, quę habet, *Additum deinde omniũ maxime tempeſtiuo principũ in multitudine munere.* Scribe tamen *in multitudinem*. Expone, Additum deinde omnium maxime tempeſtiuo, id eſt, ſummè tempeſtiuo munere, id eſt, per manus principum; hoc eſt, iſtorum ducum, ſiue imperatorum in multitudinem: i. q. d. Nullum vnquam munus ab vllis principibus magis tempeſtiue collatum eſt multitudini, nam populo ſæpe ſunt exhibita munera. Mox eſt in veteri libro, *plebis tribunorumque.* item, *patribus vniuerſis.*

Cap. LXI. *Ad fanum Vulturnæ*] Codex antiquus habet, *Ad fanum Voltumnæ.* Sic libro ſexto: *Hinc*, inquit, *Hetruriæ principum ex omnibus populis coniurationem de bello ad fanum Voltũnæ factam, mercatores afferebant.* Item, *parte tribunorum exercituſque ad Volſcum auocato bellum*, non *aduocata.*

IN LIBRVM V. ANNOTATIONES
PER BEATVM RHENAMVM.

CAP. I. *Non noui ſermonis auctorem habebat*] Scribe, *Non vani ſermonis auctorem habebat.*

Cap. III. *Tum quod ſecundis potiſſimum his veſtris rebus*] Ablatiuus *his*, à quopiam additus eſt. nec enim Borbetomagenſi codice habetur. mox, *Si qua forte aliquando fuerunt.* Video diuerſam etiam lectionem quibuſdam placuiſſe, *ſi quæ forte aliquando inciderunt.*

Eod. *Quam diſſoluendæ maxime tribunitiæ poteſtatis rentur eſſe*] Non dubito, quin ſcripſerit Liuius: *Quum diſſoluendæ maxime tribunitiæ poteſtati rentur eſſe.* vt ſit loquendi modus crebrò obuius apud hunc auctorem. ſic & libro proxime ſuperiori: *Experiundam rem deniq; in vno aut altero eſſe ſitne aliquis plebeius ferendo magno honori.* Item infra hoc lib. *Et ſi prodenda patriæ diſſoluendæque Republ. eſt.*

Eod. *Hoc Hercule tamquam artifices improbi*] Scribe, *Sic Hercule tamquam artifices improbi.*

Eod. *Et quemadmodum ſeruis ſuis vetant domini*] Inſere *quum* aduerbium, quod omiſſum eſt. *Et quemadmodum quum ſeruis ſuis vetant domini.*

Eod. *Sic vos interdicitis patribus cõmercio plebis*] Iſtam lectionem in margine annotatam reperio. Verum antiquior habet: *ſic vos interdicto patribus commercio plebis*, ſubaudi *facitis*. Quæ ſententia neutiquam eſt huic ſimilitudinis accommodationi inconueniens.

Cap. IV. *Poſtea eidifferam*] Malim, *differam*, quod eſt in volumine Vormacienſi: *eis laboris etiam nouum pro portione iniungi*] Lege, *eis laborem etiam nouum pro portione iniungi.*

Eod. *Solidum te ſtipendium annuum accipere?*] Expunge dictionem *annuum*, quam neſcio quis hic infulſit, quum ea nil ſit opus.

Eod. *At nos tanquam cum ciuibus agere volumus*] *At* quoque particula pręter auctoritatem manuſcripti codicis eſt ſuperaddita.

Eodem: *Auctores fuere contra ius gentium*] Genitiuus *gentium*, non eſt in archetypo Vormacienſi. & abeſſe poteſt, quandoquidem ſubauditur. gloſſæ nomine in contextum irrepſit.

Cap. V. *Quis dubitet illos non cupiditate ſolum vlciſcendi*] Vetus lectio, *quis dubitet illos non à cupiditate ſolum vlciſcẽdi.* Vbi *à* particula non eſt ſuperuacanea, nam cauſam ſignificat, non inſtrumentum.

Eod. *Per tantum ſpatium duxerunt*] Repone, *per tantum ſpatij duxerunt.*

Eodem: *Et talium oppugnandarum vrbium apparatum*] Senſus expoſcit, vt pro *talium* ſcribatur *alium*: hoc modo: *Quid vineas teſtudineſque & alium oppugnandarum vrbium apparatum loquar?*

Cap. VII. *Vtrum tandem finitimi populum Romanum eſſe putent*] In ſcripto codice ſuperadditus eſt accuſatiuus *eum*, *populum Romanum eum eſſe putent*. tu adde.

Eod. *Aſſueſcitis audire*] Scribe, *aſſueſtis*. Sed quia in exemplari vetuſto ſcriptum fuit *qui audire*, cogitandum an legi debeat, *aſſueſtis aqui audire.*

Cap. VIII. *Neglectum Anxuri præſidium vagationibus militũ*] Non contemnendum erratum hic eſt, legendum, *vacationibus militum*, hoc eſt, *immunitatibus*. Obtinuerant enim à duce ſuo, dato videlicet commeatu, vt abeſſe poſſent. Hoc verbo etiam alias Liuius vtitur, vt libro ſeptimo: *Et cum quod per magnos tumultus fieri ſolitum erat, iuſtitio indicto delectus ſine vacationibus habitus eſſet.* Infra eſt, *Capenatum atque Faliſcorum.*

Eod. *Arcere iam vim*] Particula *iam*, non eſt in veteri codice. Infra cap. IX eſt; *à Calend. Octobribus.*

Cap. X. *Et Romæ ſimul de delectu, ſimul de tributo conferendo laboratum eſt.* Antiqua lectio, *Et Romæ ſimul delectu ſimul tributo conferendo laboratum eſt.*

Eod. *Quãto autem augebatur militum numerus*] Scribe, *quantum autem augebatur militum num.*

Eod. *Hæc per ſe grauia indignioraque vt viderentur*] Emenda, *Hæc per ſe grauia, indigniora vt viderentur.*

Eod. *Quæ nunc etiam vectigalis*] Quidam eraſis hic aliquot literis in veteri libro ſcripſit, *quineiam vectigalis ad vltimum facta ſit.*

Cap. XI. *Is quod petiſſent q. p. i. r. t. t. m. expugnaſſe*] Ad hanc priorem ſententiã, vltima clauſula refertur per longum hyperbaton ſequẽs, *id fraude patr. ſ. ac p. e. pactũ arguere.* Sciendum tamen, non legẽdum iuxtà fidem vetuſti voluminis, *Et eo deuolui rem*, ſed *reuolui rem*. vt intelligas futurum quod & antea factum eſt.

Cap. XII. *Vt nullo bello veniretur ad exitum ſpei*] Vetus lectio, *ad exitum rei. nullo bello*, hoc eſt, *abſque bello.*

Eod. *M. Furio in Faliſcis & Cn. Cor.*] Scribe, *à M. Furio in Faliſcis & Cn. Cor. in C. à. h. e. r. m. inuenti.*

Ligures incolentes circa Ticinũ amnem. Dein Boij Longoneſq; trãſgreſſi. Subauditur vero verbũ, *poſt hos Salluuij*, ſcilicet *trãſcenderunt alpes*. Porro ſcio nominari *Pœninas alpes*, apud Tacitum, & *vallem Pœninam*, quæ vulgo *Valleſia* dicitur, in veteri inſcriptione. Sed locum hic ea vox non habet.

Eod. *Cum multitudinem, tum formas hominum inuſitatas cernerem*] Arridet vetus lectio *cum multitudinem, cum formas hominũ inuſitatas cernerẽt*. Quod vero ſequitur: *Legati tres M. Fabij*, vocabulũ *tres* non eſt in codice vetuſto. Item eſt, *accipere velle*, non, *ſe accipere velle*. Inſuper, *vt nunciare domum poſſent*.

Cap. XXXVI. *Tribuni militum conſulari poteſtate in ſequentẽ annum crearentur*] Scribe, *In inſequentem annum*.

Cap. XXXVII. *Cuius impatiens eſt gens*] Repone: *cuius impotens eſt gens*.

Eod. *E Cruſtuminis montibus*] Scribe: *Qua flumen Allia Cruſtuminis mõtibus p. defluens alueo, haud multum infra viam*, non *haud multo*. Item paulo poſt: *ne circũueniri multitudine hoſtium poſſent*, non, *à multitudine*.

Cap. XXXIX. *Nec ſupereſſe quenquam*] Antiqua lectio: *Romani cum pars maior ex acie Veios petiſſet, quam Romam, nemo ſupereſſe quenquam præter eos qui Romam refugerant, crederent*.

Cap. XL. *Rogantiumque viros*] Legendum, *rogitantiumque viros*. Item: *In arcem perfectum ſunt*. Inſuper, *ferunt via*. Tametſi refragante vetere ſcriptura. Item, *vt in fortunæ priſtinæ*.

Cap. XLI. *Ne quis in diſſipatos ex arce, aut Capitolio impetus fieret*] Repone: *Ne qua vis in diſſipatos ex arce, aut Capitolio impetus fieret*.

Seu non omnibus delendi vrbem libido erat] Huic ſentẽtię nihil deeſt. Sed quia manuſcriptus codex habet *delendæ*, plane credin ſcriptum à Liuio fuiſſe, *delendæ vrbis libido erat*. Nam huiuſmodi conſtructio gerundij in *di* doctis non eſt ignota.

Cap. XLII. *Caritate ælium ſuarum*] Vetus lectio *caritate ſedium ſuarum*.

Eod. *Non mẽtibus ſolum concipere*] Vtcunq; hic conſentiant cum ſcripta, cũ typis excuſa volumina, niſi nihil video, legẽdum eſt: *Non mentibus ſolum concidere*, id eſt, *concidebunt, ſed ne auribus quidem atque oculis ſatis eſtare poterunt*. Sic in fine decimi libri 3. Decad. Aſdrubal inquitur: *Illo enim*, inquit, *vulnere concidimus*. Infra debet eſſe, *Nec vllum erat tempus*. Item: *Ad omnes aditus ſtationibus firmatis*.

Cap. XLIV. *Quod his exigua reſiſtitur manu*] Legẽdum, *ex arce Capitolioq; his exigua reſiſtitur manu*. Infra cap. XLV. *Prima noctis ſilentio*. Melior iucundiorque compoſitio eſt in vetuſto volumine: *prima ſilentio noctis*. Item, *Hetruſcis ne etiam, à quibus bellum Gallicum in ſe auertiſſent, ludibrio eſſe clades ſuas?*

Cap. XLVI. *Ad id faciendum C. Fabius, dorſum gabino ritu cinctus, ſacra manib. gerem*] Borbetomagẽſe volumen habet. *Ad id faciendum, C. Fabius Dorſuo gabo cinctus, ſacra manibu. geret*. Diu me torſit hic locus quem interpolatum videbam in vulgatis editionibus, quonam pacto germanæ lectioni reſtitueretur. Lego, *C. Fabius Dorſuo Gabino cinctu, ſacra manibus gerens, cum de Capitolio deſcendiſſet*. Porro *cinctus* ſubſtantiue pro *veſtitu* vſurpatur. Deſcribuntq; Gabinũ cinctum eſſe togam ſic in tergũ reiectam, vt vna eius lacinia reuocata, hominem cingat. Liuius noſter lib. 8. *Ipſe cinctus*, inquit, *cinctu Gabino armatus in equum inſiluit*. Iam vides quod illis impoſuerit, qui ante me caſtigauerunt Liuium. M. Fabij Dorſuonis fit mentio lib. 7. his verbis: *Hos conſules ſecuti ſunt M. Fabius Dorſuo. Seru. Sulpicius Camerinus*.

Eod. *Caditius negare ſe commiſſ.*] Deeſt particula *&*, quam addere debes, *Et Caditius negare ſe commiſſarum*. Infra debet eſſe: *Lex curiata lata eſt*. Ac paulo poſt cap. XLVII. eſt, *victus ſuo fraudans*.

Eod. *Tum vigiles eius loci, quos fefellerat aſcendens hoſtis*] Mendoſa dictio eſt, *quos*. Scribe, *qua fefellerat aſc. hoſtis*, vt referatur ad præcedentes duos genitiuos, *eius loci*.

Eod. *Ob nocturni periculi memoriam*] Codex Vormacienſis habet: *Ab nocturni periculi memoriam*. Lego, *memoria*. Sicq; dictum erit *ab nocturni periculi memoria*, vt *ab re male geſta*, & *ab rebus ſecundis*, & quod hic mox ſequitur, *ab incendiis torrido*. De quo loquendi modo ſupra admonuimus.

Cap. XLVIII. *Et cum ſtationibus procederẽt*] Mendoſus locus eſt. Emenda *& cum ſtationes procederent*. Item, *quacunque pactione poſſet*. Repone *poſſent*.

Cap. L. *Iuſſumque & templum in Noua via allocutio fieri*] Antiqua lectio: *Iuſſum quetemplum in Noua ia locutio fieri*. Lego: *Iuſſumque templum in Noua via Locutio fieri*.

Cap. LII. *Videte quid inter nos ac maiores interſit*] Scribe, *Et videte quid int. n. ac m. interſit*. Mox eſt, *Lauinioque*.

Eod. *Quantu piacula committantur*] Incorrupta lectio: *Nonne in mentem venit quantum piaculi committatur?*

Eod. *Ea qua eas nihil vnquam*] Expunge pronomen *eas*, & ſcribe. *Ex qua nihil vnquam præter quam vrbs capta mouit*.

Eod. *Et Flamen peregre habitando in ſingulas noctes quantum ſibi reique p. piaculi contrahet?*] Repone, *tantum ſibi reique publicæ piaculi contrahet*.

Cap. LIII. *Quam piget reædificare*] Antiqua exemplaria habẽt: *Quia piget ædificare*. Sicut & mox, *ædificare incenſa piget*. Infra cap. LVI. eſt in veteri, *quam mea calamitatis*.

IN LIBRVM VI. ANNOTATIONES
PER BEATVM RHENANVM.

CAP. I. *Tum quod perraro per eadem tempora literas fuere*] Habet vetus lectio: *Tum quod paruæ & raræ per eadem tempora lit. fuere*. Dictio *parua* multos offendit. Nam illam in altero exemplari, quod nobis ex Vormacia communicauit Dn. Reinhardus à Reielpur primarij templi Decanus, vir pietate & eruditione iuxta ſpectabilis, quidam diſpunxerat. In vulgatis editionibus vides in perraræ commutatum, & copula ſublata. Atqui ſciendum, aliquando *literas* inſcriptionem apud Liuium ſignificare, vt cum infra dicit, *tabulaque, ſub eo fixa monumentum rerum geſtarum iis ferme inciſa literis*, id eſt, *hoc epigrammate*. Proinde hic quoque intellige, *paruas & raras per eadem tempora fuiſſe literas*, hoc eſt, breues inſcriptiones modo, quæ non ſatis rem explicarent, eaſque fuiſſe raras. Infra eſt tantum, *poſteriore clade Allienſem appellarunt*. Et mox in altero exemplari manuſcripto legitur, *inſignemque rei nulli publice priuatimque agenda fecerunt*.

Cap. V. *Nec niſi antequã omnia præripiat*] Et hic ſcribendum *præcipiant*, id eſt, *prius capiant*. De quo verbo ſupra quoque ſemel atque iterum admonuimus.

Eod. *Et eundẽ exhauſtam impenſis*] Hic forte miraris aliquid deſiderari. Itaque ſcito ſermonem elegantiſſimum Liuij vitiatum eſſe. Reponendum iuxta fidem archetypi Borbetomagenſis, *& eodem exhauſtum impenſis. eodem*, ſubauditur *ædificando*. Nam præcedit, *propter ædificãdi curam*. Id quod non viditus qui locum deprauauit. Porro non eſt tam inops verborum Liuius, vt amphibologiam committat, cum dubium ſit quid accuſatiuus *eandem* referat, *plebemne*, an *curam*. Infra eſt in altero codice: *Tromentina*.

Cap. VI. *Iuuentutem ſummiſiſſe ad id bellum*] Antiqua lectio: *Iuuentutem ſuam miſiſſe ad id bellum*.

Eod. *Collegam facimus*] Emenda: *Collegæ facimus*, vt ſit ſenſus: Te Sergi Corneli, præſidem huius publici conſilij, cuſtodem religionum, commitiorum, legum, rerum omnium vrbanarum, ego & collegæ mei, de quibus toties iam dictum eſt, facimus.

Cap. VIII. *Sed turba hoſtium & fuga impediebatur*] Scribe: *Sed turba hoſtium & fuga impediebat*.

Eod. *Mœnibus Satricu ſe includunt*] Non contemnendum erratum eſt. Lege: *Mœnibus Satrici ſe includunt*.

Cap. IX. *Ne tãquam Veios oppugnatus in opere longinquo ſeſe terrerent*] Nec hic mediocris lapſus, reſtitue, *Ne tãquam Veios oppugnantes in opere longinquo ſeſe terrerent*.

Eod. *Ex parte altera interceptis itineribus*] Emacula locum ſcribens, *interſeptis itineribus*. Sic *obſepire iter*, dixit lib. 9. *Hæc*, inquit, *plebi ad curules magiſtratus iter obſepſit*.

Eod. *Mœnia egredi iubet*] Legendum, *adgredi iubet*. Infra cap. XI. eſt in antiquo volumine. *L. Papyrio Curſore II. iterũ conſ. po.* Item mox, *bellum ab Volſcis*.

Eod. *M. Furio recuperari patria non potuerit*] Scribe *à M. Furio recuperari patria non potuerit*.

Eod. *Alliciendo ad ſe plebeiã aurã*] Adulteratus indubie locus eſt. Habet lectio vetus, *alliciẽdo ad ſe plebẽium aurum*. Lego &

Digitized by Google

diſtinguo ſic: *criminando patres alliciendo ad ſe plebem. Iã aura non conſilio ferri*] ſignificat aura aſpirantem vulgi fauorem. proinde elegantiſſime dictum eſt, *Iam aura non conſilia ferri*, hoc eſt, *ferebatur*.

Cap.XII. *Aſſiduè bella cum Volſcis geſta*] Syncerior & antiqua lectio: *aſſidua bella cum Volſcis geſta*.

Eod. *Si quid dij, vateſque eorum in futurum vident*] Scribe, *Si quid dij vateſque eorum in futurum vident*.

Eod. *Sed obnoxios vos ſtabili gradu impetum hoſtium excipere*] Opudendum lapſum. Repone: *Sed obnixos vos ſtabili gradu impetum hoſtium excipere*. ab *obnitendo*. Sic lib.7. *Stant*, inquit, *obnixi Samnites*.

Eod. *Tum terrorem equeſtrem occupatis alio labore infer*] Pro *labore*, ſcribe *pauore*. Senſus eſt; territos, adhuc terre.

Cap.XIII. *Et fluctuanti ſimilis erat*] Non abſurda manuſcripti codicis lectio, quæ habet, *Et fluctuanti ſimilis acies erat*. Nã cum genitiuo cõſtructum *ſimilis*, ad mores refertur, auctore Donato. Mox cap. eodem vbi legitur: *Dein poſtquã ea lentibus primis, iam ad ſe quiſque peruenturam eadem cernebat*, video diuerſam lectionem in veteri volumine fuiſſe, nempe *credebat*. & additum, *alibi cernebat*.

Cap.XIII. *Illi ſe deuouere corporis vitaq. ac ſan.q.ſ.*] Pronomen *ſe*, expungi debet. nam mox præcedit, *ab illo ſe habere*. quod hic ſubauditur.

Cap.XIV. *Addita alia commodioris ad omnia turbandu conſilij res*] Fœde vitiatus locus eſt. ſcribe: *Addita alia commodiore ad omnia turbanda conſilij res*. Et conuenit hoc vocabulum ſeditionem molienti.

Cap.XV. *Siue quod & ipſe in parte præda ſis*] Recte habet volumen Borbetomagẽſe: *ſiue vt & ipſe in parte præda ſis*. Nec erat opus mutare. Porro & ipſe M. Mãlius è patribus vnus erat. infra eſt: *partim eam diducitis*. Eſt autẽ *diducere*, in diuerſas partes ducere. quod verbi hic locum habet.

Cap.XVI. *Oblataque vani furti inuidiæ*] Sic hic dicit *oblatam inuidiam*, quemadmodum Terentius *vitium oblatam, ſtuprum oblatum*, & *incendium oblatum*, ac *oblatum mortem*. Cicero, quæ omnia per vim & inuitis facta intelliguntur. Elegantiſſima locutio eſt.

Eod. *Et iam magis inſignis et ſordibus & facie reorum turba Manliana erant*] Prius & in exemplari veteri diſpunctum eſt. vt ſit ſenſus, *inſignis ſordibus &*, id eſt, *facie reorum*.

Cap.XVIII. *Tot nunc aduerſus vnum hoſtes eritis*] Scribẽdum, *aduerſus vnum hoſtem eritis*. In *tot* ſubauditur *clientes*, vel ſimile quippiam, puta *milites*, ſeu *viri*. Infra eſt *ſatis planum*.

Cap.XX. *Ab accuſatorib. obiectæ ſunt reo*] Scribe *obiecta ſunt reo*.

Eod. *Ad hoc ſeruatos ex hoſtibus ciues produxerit*] Suſpicor verbum *produxit* ab exponente poſtea additum. Quod tamen ſubaudiri poteſt aptius, quam verbum *protuliſſet*, quod inanimatis rebus conuenit. Alioqui melius legatur *produxiſſe* cohærente oratione. Quod vero ſequitur *precatumque eſſe* aut ſubaudiendum aliud verbum, puta *aiunt* ſiue *ferunt*, aut ſcribendum *precatuſque*.

Eod. *Extra portum frumentariam*] Syncera ac vetus lectio: *Extra portam Flumentanam*.

Eod. *Sunt qui duumuiros*] Ex voluminibus manuſcriptis antiquius habet & emendatius, *Sunt qui per duumuiros*. quare ſic lego & diſtinguo: *Sunt qui per duumuiros, qui de perduellione anquirerent creatos, auctores ſint damnatum*.

Eod. *Tribuni de ſaxo Tarpeio deiecerũt*. Senſus eſt Liuij. Quidam dicunt damnatum ab ipſo populo, quidam à Duumuiris. Hoc verò conſtat, quod tribuni illi de ſaxo Tarpeio deiecerint. Infra eſt in ſynceriore codice, *M. Furium Camillum VI. Tr. mil. creauere*.

Cap.XXII. *Comitiiſq; iurare parato in verba excuſandæ valetudinis ſolum conſenſus populi reſtiterat*] In antiquis libris legitur *valetudini*. Cõiicio ſcripſiſſe Liuiũ *in verba excuſãdæ valetudinis ſolitu*, id eſt, quib. ſolebat excuſari valetudo per iuramẽtũ.

Eod. *Quibus ſolis confideret*] Antiqua lectio, *quibus ſolis confiderent*. Subaudi, *hoſtes ipſi*. Infra eſt cap.XXIII. *cum ætate & ingenio, tum mult*. Item, *rapere ſit ſolitus*. Rurſum, *cum vita ſatis, tũ gloria*. Item, *ſenſit ergo euentus virtutis enixa opem*.

Cap.XXIV. *Et Volſci qua modo ſimulato metu ceſſerãt: eunt in veram fugam effuſi*] Mendum hic eſt plane pudendum. nam *ea* aduerbium quiſpiam in verbum *eunt* mutauit, ignorans aduerbialiter *ea* dici ſicut *eadem*, ac referri ad *qua*. Proinde ſic ſcribe & diſtingue ſentẽtiam: *Et Volſci qua modo ſimulato metu ceſſerant, ea in veram fugam effuſi, magna pars & in ipſo certamine, & poſt in fuga cæſi*. Infra eſt: *cum in exercitu, tum Romæ*.

Cap.XXVI. *Non præripiam gratiam publici beneficij*] Scribe: *non præcipiam*. Quod verbum Liuio peculiare eſſe multis iam locis monuimus.

Eod. *Niſi quando à vobis proque vobis arma acceperimus*] Repone: *niſi quando*.

Cap.XXVII. *Interim tribunus plebis fama ipſa irritauerit*] Caſtiga, *famã ea ipſa irritauerat*. Infra debet eſſe: *ſatis ſcire eũ eſſe*.

IN LIBRVM VII. ANNOTATIONES

SIGISMVNDI GELENII.

CAP.II. *Quæ exordia poſtea appellata*] Vetuſti codices *quæ inde exodia*.

Eod. *L. Manlius perinde ac rei gerendæ, ac non ſoluẽdæ religionis gratia creatus eſſet*] Melius antiqua lectio *perinde ac Reip. gerendæ, ac non ſoluendæ religionegratia creatus eſſet*.

Cap.VII. *Quadragenariæ VIII. cohortes, lecta robora virorum ſcribuntur*] Legendum *quadriagenariæ*, atteſtantibus priſci characteris codicibus.

Cap.XI. *Speculatores paucos fuga trepidationiſque Gallorum*] Exẽplaria Germanica ſane perquam vetuſta, quorum fidem atque auctoritatem libẽter ſequimur, habent, *pectatores*, non *ſpeculatores*.

Cap.XII. *Lætius id aliquantum bellum quam parti vtrique placebat fuit*] Lege, *aliquanto*.

Cap.XV. *Quæ fœditate ſupplicij aliquãto ignominia P. R. inſignior fuit*] *Inſignitior fuit*, habet antiqua ſcriptura, conſequentibus inter ſe archetypis.

Cap.XVI. *Quod cum Tarquinienſibus iuuentus eorum militauerat*] Lege *quod & cum Tarquin*. vt ſit geminata coniunctio, & paulo poſt: *in acie operam nunaturos*, non *in aciem*. ac mox poſt hęc verba: *emancipandoque filium fraudem legi feciſſet*. Non admodum apte cohærebant ſequentia, nempe hęc: *Prohibitum deinceps per tribunos plebis leges in caſtris ferri*. nec dubiũ eſt per inſcitiam ſcribę è margine in cõtextum tranſlata. Paulo poſt cap.XVII. *Etiam dictaturam iam in promiſcuo eſſe*: lege addendo: *etiam dictaturam iam in promiſcuo eſſe*: quemadmodum habent manu ſcripta exemplaria. & mox: *populatores agrorum vagos palantes oppreſſit*, abſq; coniunctione. & proxime ſequẽti verſo: *ex agro Romano* addita prępoſitione *ex*. Rurſus in ſequenti verſo: *Nec per dictatorem plebeium, nec per Popiliũ conſulem*] Melius vetus lectio. *nec per conſulem*. vt *plebeium* vtroque referas, tam ad *conſulem* quam ad *dictatorem*. *Popilium* primo aliquis inter lineas adſcripſit, explanãdi cauſa, deinde in contextum ea vox, vt ſæpius fit, irrepſit.

Cap.XVIII. *Poſtremo victa perſeuerantia Coss. plebeo dolor erupit*] Syncera lectio: *victa perſeuerãtia conſulum plebis*. Paulo poſt, *nec patricios ambos conſules*] Vetuſti codices & hic & alibi conſtanter habent *ambo* in accuſatiuo quoque caſu, vt ſit κατ' ἀρχαϊσμὸν, vox indeclinabilis, quemadmodum Græcis ἄμφω. Grauius eſt quod aliquanto poſt ſequitur.

Cap.XX. *Vt Romanos florentes ea ſui miſericordia caperet, quũ ſe rebus afflictis quondam populi Romani cepiſſet*] Ardelio neſcio quis non aſſecutus eius vocis elegantiam, *rebus affectis* mutauit *in afflictis*. Poſt aliquot verſus.

Cap.XXI. *Ii meriti æquitate curaque ſunt*] *Ii* redundat. mox *C. Sulpicius Peticus. & T. Quintius Pœnus*.

Cap.XXII. *Quidam Cæſonem cognomen Quintio adiiciunt*] Vetus lectio: *quidam Cæſonem, alij Caium, cognomen Quintio adiiciunt*, vt intelligãmus triplicem varietatem, quibuſdam hunc *Titum, Cæſonem* aliis, aliis *Caiũ* appellãtibus. Porro *cognomen* eo maluit dicere, quam *prænomen*, vt opinor, quod *prænomen*

non temere alibi quam in Grãmaticorum ſcriptis reperiatur, & pro *Potito* in manuſcriptis perpetuo *Poticius* legitur, dumtaxat in Sulpicia gẽte, nec dubito quin rectius. nam Potitorum familia, Valeriæ gentis eſt. Eum qui mutauit, offendebat vox non intellecta: at qui eadẽ ratione mutãda eſſent nõ pauca alia in hoc genere vocabula; quorum nemo eſt hodie qui ſignificationem dicere queat, cum paſſim apud Liuium alioſque hiſtoricos occurrãt. Sequitur: *Cuius lenta tabis ſenio*] Lege addendo, *lenta velut tabis*. & ſic legitur in vetuſtis ac emendatis codicib.

Cap. XXIII. *Cum ipſa cunctatio & in his animus minuiſſet, & auxiſſet hoſti*] *In* redundat. Mox pro *mutteri*, vetus habet *mutari* & aliquanto poſt cap. XXV. pro *muſitantes*, *muſſitantes*.

Cap. XXVII. *Imperare duumuiris vt libros Sibyllinos inſpicerent*] Legẽdum *decemuiris*. Paulo poſt, *ab ædilibus dicta dies eſſet*, non *dicta eſſent*.

Cap. XXIX. *Cum robore iuuentutis ſuæ occiſo*] *acciſo* eſt in archetypis, non *occiſo*.

Cap. XXXI. *Agros, delubra deum humanaque omnia*] Lege addẽdo: *diuina humanaque omnia*. Mox, *Luxuria ſuperbiaque clarus*, non *potentiaque*. Superbiæ Campanorum crebra mentio fit apud Latinos ſcriptores.

Cap. XXXIV. *In vallem infimam dimitteret agmen*] Scribo *demitteret*. In eundem lapidem & alibi non ſemel impegerunt ſcribæ.

Eod. *Nec tu mihi plus quam vnius legionis principes haſtatos dederis*] Antiqua ſcriptura: *Ne tu mihi plus quã vnius legionis principes haſtatoſque dederis*. Paulo poſt: *Ad ſubducendum agmen*, non *ſeducendum*.

Eod. *Samnites dum huc illac que ſigna vertunt, vti inſque rei omiſſa occaſione, neque conſequi*] Vetuſti codices: *Samnites dum huc illucque ſigna vertunt*, abſque coniunctione & *inſequi* habent pro *conſequi*.

Cap. XXXVII. *Singulis bobus biniſque tunicis donati*] Illic legitur *biniſque priuis tunicis*. & proxime ſequenti verſu coronam *obſidialem*, quod nihil erat neceſſe mutare in *obſidionalem*.

Cap. XXXVIII. *Sueſſa ornumque audita legationes, precantibus datum*] Legendum, *precantibuſque datum*. Paulo poſt: *alios graues iam ætate eſſe*, *eſſe* redundat.

Cap. XXXIX. *Per ſpeciem militariam vſuum magna pars ablegati*] Lege addendo: *Per ſpeciem etiam militarium vſuum, cum alij alio mitterentur, ablegati*. Atteſtantur manuſcripti codices.

Eod. *Quem autẽ ab domo poſſe acciri*] *ab Roma*, illic legitur, non *ab domo*. Aliquanto poſt: *aut vbi reſtitaret*, non *reſtaret*.

Cap. XL. *Vt mihi de vobis concordiæ partam gloriam*] *parta* non *partam* legendum. Non multo poſt: *ac ſi cui genus*, non *gens*.

Cap. XLI. *Qui maxime ſuis militibus placeret*] ſyncera lectio: *Qui maxime vobis ſuis militibus parceret*.

Eod. *Sed id propter P. Salonium*] *ſed* redundat. Proxime ſequenti verſu melius in vetuſtis codicibus legitur *primipili*, quam in vulgatis editionibus *primipilum*.

IN LIBRVM VIII. ANNOTATIONES
SIGISMVNDI GELENII.

CAP. III. *Interreges fuerunt M. Valerius ac M. Fabius. Creauerunt Conſules*] Lege *creauit*, videlicet poſterior interrex Fabius. Sequenti verſu eſt *in Italiam*, cum præpoſitione, contra quam in vulgatis editionibus.

Cap. IV. *Si ſocialis vllus exercitus iis eſt*] Vetus lectio, *Si ſocialis illis exercitus is eſt*] Paulo poſt, *cc. annorum morem ſolueremus*, non *ſoluerimus*. Sed hoc leuius, quam quod mox præpoſitio intercidit, *niſi conſcientia virium*, cum veteres codices indicent ſcripſiſſe Liuiũ, *niſi à conſcientia virium*. rurſus: *Ego ipſe audiente non populi Romani*. Lege addendo, *en ego ipſe*. Ac mox cap. V. *in regem tuum loquereris*, non *in gen. loq.*

Eod. *Senatus partem æquam ex vtraque parte eſſe*] Melius vetus, *ex vtraque gente*.

Eod. *Haeccine fœdera Tullus Rom. rex cum Albanis patribus veſtris Latini, haec L. Tarquinius vobiſcũ poſtea fœdera fecit?*] Quorſum attinebat hic repetere hanc vocem, *fœdera?*

Cap. VI. *Species viri maioris, quam humano habitu*] Maior hic iniuria, quam pro numero literarum, elegantiſſimo ſcriptori facta eſt. Extat in manuſcriptis ſyncera lectio, *maioris quam pro humano habitu*.

Eod. *Placuit ad auerruncãdam deûm iram victimas cædi*] Et hic mutatam Liuij linguam indicant iidem codices, vbi legitur, *auerruncãda deûm ira*. Aliquanto poſt habent, *ſpacio quod vacui interiacebat campi*. non *parui campi*.

Cap. VII. *Ignarus fati futuri, quæ laus an pœna merita eſſet*] Malim ſequi veterem lectionem, nempe ſic: *Ignarus facti futurique, laus an pœna merita eſſet*.

Cap. VIII. *Scribebũtur hæc quatuor fere legiones*] Lege, *ſcribebãtur autem IIII*. Mox *tum nec vexilla*, *tum* redundat: & quod paulo poſt ſequitur cap. IX. *haud procul à radicibus Veſuuij*, rectius in manuſcriptis legitur, *haud procul radicibus*. Itẽ aliquanto poſt, *fanaſque par morti*, melius quam *compar*.

Cap. X. *Quem velis ex legione Romana ſcriptum ciuem*] Nec hic erat cur *ſcripta* in *ſcriptum* mutaretur.

Cap. XI. *Affirmando communem fore Martem belli*] Antiquior ac dubio procul ſyncerior lectio habet, *communem vere Martem*. Non hoc ſolum loco ex lectione Liuiana apparet, communis Mars æque fuiſſe celebratum Romanis, ac Græcis illud κοινὸς Ἐνυάλιος. Sumptum eſt autem ex Homerico verſu: ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.

Eod. *Bina in Latio iugera*] *Latino* lege, & ſubintellige *agro*. nam mox ſequitur, *terna in Falerno*. Paulo poſt cap. XII. *Pecuniis pœnaque pro cuiuſque merito perſolutis*] Quis non videat rectius legi, *præmiis pœnaque*.

Cap. XIII. *Pedani eodem iure quo Lanuini ciuitatem adepti*] Non admodum diſcrepat quantum ad ſenſum attinet, vetus ſcriptura: *eodem iure, quo Lanuini in ciuitatem accepti*.

Cap. XV. *Sed priuſquam Cõſules ab vrbe (iuſſerat enim ſenatus defendi Auruncos) exercitum educerẽt, fama affertur Auruncos oppidum deſeruiſſe*] Vetus lectio, *Sed priuſquam Cõſules ab vrbe (iuſſerat enim ſenatus) defendendi Auruncos exercitum educerent, fama affertur Auruncos metu oppidum deſeruiſſe*. At mox. *Dictus C. Claudius*, non *dictus eſt Claudius*.

Cap. XVIII. *Bibere iuſſæ, vt ſe falſum commentatum arguerent*] Antiqui codices *commentum* habent, non *commentatum*.

Cap. XIX. *Fugam magis retro, quam prælium aut hoſtem expectante milite*] *Spectante milite*, legi debet.

Cap. XX. *Bona Semoni ſano cenſuerat conſecranda*] Quamquam idem ſit *Sangus* Sabinis qui Romanis *Ianus*, nihil tamen erat neceſſum hic pro *Sango fanum* ſupponere, reclamantibus antiquę ſcripturæ codicibus.

Cap. XXII. *Honoris etiam cauſa fuit, tribunatuque plexit proximis comitiis abſens petentibus præfertur*] Exemplaria noſtra rectius: *honoris etiam ei cauſa fuit, tribunatuque plebis proximis comitiis abſens præſentibus præfertur*.

Cap. XXIII. *Virione creatus eſſet, in diſcuſſionem venit*] Rectius in *diſquiſitionem venit*. Mox, *Publice priuatimve*, non *priuatimq;*. Et, *Quid in caſtris vitij obueniſſet*, non *eueniſſet*. Ibidẽ: *quod plebeius dictator ſit dictus*: *dictus* redundat, nec eſt in antiquis codicibus. Deinde eſt, *alia de cauſa*, non *alia cauſa*. Paulo poſt cap. XXIV: *incurſiones in omnem partem*, non *excurſiones*, etſi id leuiuſculum eſt. Illud maioris aliquanto momenti, quod mox *Sotimus* in *Sotinium* deprauatus erat.

Cap. XXVII. *Quidam Lucanorum pretio acciti*] Pro *acciti*, ambo exemplaria habent, *aſciti*.

Cap. XXVIII. *Cui cum ſenatuſconſulto Publius ob æs alienum paternum nexum dediſſet, quem ætas formaque ad miſericordiam elicere poterant, ad libidinem & contumeliam animum accenderant*] Syncera lectio: *Cui cum ſe C. Publius ob æs alienum paternum nexũ dediſſet, quæ ætas formaq. miſericordiam elicere poterant, ad libi*, &c. Paulo poſt eſt *tergum oſtentabant*, non *oſtendebant*.

Cap. XXIX. *In rubiem atque iras imperatorũ vertitur*] Hic quoque ſicut ſæpe alias, ſeu ſcriba, ſeu caſtigator, *vertit*, deprauauit in *vertitur*. Proxime ſequenti verſu pro *auſpicium petendum auſpicium repetendum* legi debet. Item, pro *miſſoque repente ſenatus*, *miſſo itaque repente*.

Cap. xxxii. *Quin tu reſpondeas*] Scribo: *quin tu reſpondes?*

Cap. xxxiii. *Cum omni principum mag. agu. cum aſcendiſſet*] Legendum: *Cum omni ne agmine principum.*

Cap. xxxiv. *Licentia ſolu qua ſe vbi velint exauctorent*] *qua* redundat. Et mox detracta erat vna dictio. Legendum enim *iuſſu iniuſſu imperatoris.*

Cap. xxxv. *Tepentes tribunos*] Quid (malum) *tepentes?* ſtupentes lege. Poſt aliquot verſus, *qui caſtris præerat*, non *in caſtris*. Deinde, *animi multo prius militum*, non *multo plus*.

Cap. xxxvii. *C. Sulpicio, Q. AEmilio (Aulum quidam annales habent) Coſs.*] *Aulium* lege. nec enim de prænomine Q. ambigitur, ſed de nomine gẽtili, *AEmiliuſne* an *Aulius* dictus fuerit. mox eſt, *Sulpicio Samnites, Apuli AEmilio*, non *Apulia*.

Eod. *Nec quenquam ex Pollia tribus cãdidatum ferme datum, Papyriam ferme ſolitum*] Vetus lectio ſyncerior: *nec quenquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papyriam ferre ſolitum.* deinde cap. xxxviii. pro *locum caſtris communiri*, illic eſt, *locum caſtris demetari.* Sequenti verſo pro, *Itaque cum*, *Itaque vbi.* Item proximo, pro *inſtruuntur contra*, *inſtruunt contra.* Poſtremo pro *& hercule*, *at hercule.*

Cap. xxxix. *Et clamor inde nouus accedens*] Imo *accidens*. hoc erratum & aliis locis aliquoties occurrit.

Eod. *Et quocunque progrediebantur, magis magiſque turbatos hoſtes cernebant*] Elegantior antiqua lectio: *Et quicquid progrediebantur magis magiſque turbatos hoſtes cernebant.*

Eod. *Pedeſtres reſtantes ac circumuentos cadunt, ab equite fugientium ſtrages eſt facta*] Scriptura vetus habet, *Pedes reſtantes ac circumuentos cecidit, ab equite*, &c.

Eodem: *Sed cæterarum rerum irritu fuit deditio*] *Sed* redundat. Mox cap. xl. pro *nec diſcrepant*, manuſcripta exemplaria habent, *nec diſcrepat*, & quidem paulo latinius.

IN LIBRVM IX. ANNOTATIONES

SIGISMVNDI GELENII.

CAp. ii. *Circa Caudium caſtra quam poteſt occultiſſime ducit*] Quis vnquam legit *caſtra ducit?* legendum, *caſtra locat.*

Eod. *Altera propter orum ſuperi maris*] Praeter orum, lege, ſequẽti verſu, pro *alti ſiluoſiq;* lege addendo, *alti, anguſti, ſiluoſique. Caſtra prope aquam vallo circumdant*] Hic potius *propter aquam* legi debet, atteſtantibus archetypis. Mox: *conſultantes nox oppreſſit*, non *conſilentes*. Et, *per annos iam prope triginta vincimus*, rectius quam *vicimus*.

Cap. iii. *His inuicem ſermonibus tamquam quietis immemores nox traducta eſt*] Hęc locutio ſolœciſmo non caret. ſecuti noſtra exemplaria reſtituimus ad hunc modum: *His inuicem ſermonibus qua cibi, qua quietis immemor nox traducta eſt.*

Eod. *Ita ferme locutus eſt*] Lege, *locutus eſſe*, vt referas ad verbum præcedens *dicitur*.

Eod. *Quicquid iſtud præſens neceſſitas iniunxerit*] *Iuſſerit* habẽt vetuſtiſ codices, magno inter ſe conſenſu. Iidem ſequenti verſu habent: *Herennius domum è caſtris eſt auectus*: non, *Herennius domum aduectus.* Mox cap. iv. lege addendo, *vti prouocarent ad pugnam.*

Eod. *Quæ ſi pro ſeipſis ad mortem ruere volunt*] Antiqua ſcriptura, *Quæ niſi pro ſeipſis.* Deinde pro *Hic omnis ſpes opeſque ſunt*: ſcribo, *Hic omnis ſpes opeſque ſunt.*

Cap. v. *Spoponderunt coſſ. præfecti, legati*] *præfecti* non habentur in archetypis. Et legimus quidem præfectos non Romanorum, ſed ſociorum auxiliorumve, ſed illos in ordine Liuius non antepoſuiſſet legatis, quæ ſumma ſecundum conſules imperatoresve in caſtris Romanis dignitas erat.

Eod. *Sibi nequicquam animos datos*] Lege addendo: *ſibi nequicquam arma, nequicquam vires, nequicquam animos datos.* hoc ſcribæ oſcitanti imputandum. Deinde: *tantũ inter eos qui paulo ante* lege *inter ipſos, qui.* Et aliquanto poſt, cap. vi. pro *ſuper mœrorem pudor quoque*, *pudor* quædam habent manuſcripta volumina. Paulo poſt: *Ex alto animo*, pro *ex alto animi*, etſi parum intereſt.

Cap. viii. *Sed tanquam reum tam infelicis belli, quam ignominioſæ pacis*] Quid offendebat caſtigatorem in hac lectione? *qua infelicis belli, qua ignominioſa pacis?* an ſic Latini ſcriptores, aut ipſe Liuius, numquam loquuntur?

Eod. *Ne quid diuini aut humani obſtet*] Malim veterem ſcripturam. *ne quid diuini humanive.*

Cap. ix. *Atqui non indignitas rerum ſponſioni vinculum leuat. Si quid eſt, in quo obligari populus poſſit, in omnibus poteſt*] In archetypis legitur hoc modo: *Atqui n. ind. re. ſpõſionis v. leuat. Si quid eſt, in quo obligari populus poſſit, in omnia poteſt.*

Cap. x. *Arma cuncti ſpectant, & bellone vnquam futurum*] Mutata eſt & hic lectio, ne dicam deprauata. illic legitur: *Arma cuncti ſpectant & bellum, en vnquam futurum*, &c.

Cap. xiii. *Omnia ira militaris prope veſano ordine egit*] Ridiculum erratum. Reſtituimus ex fide veterum codicum, *prope veſano impetu egit.* Aliquanto poſt, *ſigna inde ferre iuſſit*: pro *ſignum inde ferri.* Item, *apud infenſos ob interpellatã dulcedinem iræ*, non *interpolatam*, quæ vox Latina quidem, hic tamen locum nõn habet. Et proximo verſu lege addendo, *conſules odia in hoſtes ceſſiſſe.*

Cap. xiv. *Omnia patienda priuſquam perderetur ſalus tot principum*] *Proderetur* haud dubie legendum. Nam *prius* legas an *potius*, non ita multum refert.

Cap. xvi. *Portas etiam conſuli aperuerunt*] Addendum: *armatoſque clam hoſte in vrbem acceperunt.*

Cap. xxv. *Acceptum ab vno pauorem plures per vrbem fecerunt*] Non diſplicet vetus lectio, *plures per vrbem ferunt.* Paulo poſt eſt, *occulta principum coniurationes factæ*: non, *patefactæ.*

Cap. xxvi. *C. Menenius dictus*] *C. Mannius.* hæc plebeia gens fuit, illa patricia.

Eod. *Etſi omnes ante acta vita*] Legendum: *& omnes.* Ac mox: *Procul ab his coitionibus*, non *concionibus.*

Cap. xxvii. *Intentiores eſſe ad reſpectum caſtrorum, ne qua eo vis fieret cum ad prælium ſtarent. aciem peditum tutam fore*] Incorrupta lectio: *Intentiores ad reſpectum caſtrorum, ne qua eo vis fieret, quam ad prælium ſtarent. Aciem pediti tutam fore.* ac mox: *Aut ad circumeundos hoſtes, aut ne ipſi circumuenirẽtur*] Alia lectio nihilo deterior: *ne ipſi circumirentur.*

Cap. xxviii. *Samnitium omnis multitudo, & Nolani agreſtes*] in manuſcriptis eſt, *& Nolana agreſtis*, videlicet *multitudo.*

Cap. xxix. *Minturnæ & Caſſinum vt deducerentur coloniæ. Senatuſconſultum factum eſt. triumuiros creare*] Vera lectio: *Et in tertiam Caſſinum vt deducerẽtur coloni Senatuſconſultum factum eſt, ſed triumuiros*, &c.

Eod. *Religionem afferre facile poſſet*] Reſtituimus: *religionem facere poſſet.* item cap. xxxi. pro *claſſis ordinandæ*, *ornandæ* legẽdum eſt. & cap. xxxi. *in Samnio Cluuium*, nõ *Cluuiani.* Vbi in diſtinguendo etiam peccatum erat.

Eod. *Repente adortus cum clamore ac tumultu inuadit*] Antiqua lectio: *Repente exortus cum clamore ac tumultu incautos inuadit.* Paulo poſt lege addendo, *vno animo omnes inuadere.*

Cap. xxxiv. *Virtutem in ſuperbia, audaciam in contẽptu deorum hominumque ponis*] Antiqua lectio, *virtutem in ſuperbia, in audacia, in contemptu deorum hominumq; ponis.* Aliquãto poſt cap. xxxv. *In ſiluam Ciminiam penetratum*, non *penetrant.*

Cap. xxxvi. *Tum ex iis qui aderant, conſulis fratrem M. Fabium, Cæſonem alii, C. Claudium quidam matre eadem qua conſulem genitum, tradunt ſpeculatum ſe iturum profeſſum*] Vetus ſcriptura: *Tum ex iis, qui aderant, cõſulis frater (M. Fabium Cæſonem alii, C. Claudium quidam matre qua conſulem genitum tradunt) ſpeculatum ſe iturum profeſſus.* Paulo poſt, lege addendo, *agreſtibus telis, falcibus geſſiſque.* Et, *Samnitium bella extollit*, non *bellum.*

Cap. xxxviii. *Ob hæc etiam auctu fama & (vt ſolet) ingens terror patres inuaſit*] *Et*, redundat. Aliquanto poſt, *Et ne nudentur pugnatoribus ſigna*, legẽdum *propugnatoribus.* Sequitur ridiculum erratum cap. xl. *Galeata criſta*, pro *galea criſtata.* Item legendum *ad Peruſiam, qua ipſa*, non *qua & ipſa.*

IN LIBRVM X. ANNOTATIONES

SIGISMVNDI GELENII.

CAp.I. *Tamen ne prorſus imbelle gererēt annum*] Rectius vetus, *imbellum agerent annum.*

Cap.v. *Qua ſatis laxo ſpatio equi permitti poſſent*] Scribo, *qua ſatis laxo ſpatio equi permitti poſſent.*

Eod. *Conſulem ex dictatura factum M. Valerium*] Lege, *Conſul ex dictatura factus M. Valerius.*

Cap.vi. *Certamen iniectum*] Molius quam *inceptum.*

Eod. *Et rogationem promulgarunt*] abſque coniunctione.

Cap.viii. *Vti rogaſtis, iubendam cenſeo*] Legendum, *Vti rogata eſt.*

Cap.xii. *Ad populandos hoſtium fines intendit*] Lego, *incedit.* & ſequenti verſu, *vaſtum* non *vaſtatum.* Rurſus aliquanto poſt cap.xiii. *Quid ergo attineret*, non *attinet.* Deinde cap.xiv. *Q. vtque in hanc haud illam prouinciam copia ſatis eſſent*, *eſſent* redundat.

Eodem: *Samnites deſperantes improuiſo tumultu*] *Deſperato* rectius.

Cap.xix. *Obteſt audóque prope reſiſtentes conſules in concionem pertraxerunt*] Vetus lectio habet *reſtitantes*, non *reſiſtentes.* Item pro, *ut hic ego tibi templum voueo*, illic eſt, *aſt ego templum tibi voueo.*

Cap.xxi. *Ob hac etiam appetebat tempus comitiorum, quorū cauſa L. Volumnius conſul Romam reuocatus*] Syncera lectio, *Ob hac, etiam appetebat tempus comitiorum cunſa*, &c.

Cap.xxii. *Tum quod ex concordia conſulum bona*] Lege, *tum qua.* Poſt aliquot verſus, cap.xxiii. *è patribus enupſiſſet*, non *nupſiſſet.*

Eod. *A Capena portu ad Martis adem, ac mox, ad Cereris adem*] Vtrobique *adem* ſcriba benignus de ſuo adiecit.

Cap.xxv. *Ne omnia ſimul adire & obire vnus non poſſit*] Vetus ſcriptum, *ne ad omnia ſimul obire vnus non poſſit.*

Cap.xxxi. *Fabius Hetruria rebellante*] Adde præpoſitionem, *Fabius in Hetruria rebellante.*

Cap.xxxvii. *Voluntatem ſibi ac fauorem conſentientis populi pro omnibus iuſſis affutura*] Antiqua lectio, *Pro omnibus iuſſis eſſe ac futuram.*

Cap.xxxviii. *Additu ara in medio victimaque*] *addita* redundat. Aliquanto poſt, cap.xxxix. *datum hoc forſan.* hic quoque redundat *forſan.* Deinde cap.xl. *Exeunti iam forte in aciem.* Rurſus *forte* ſcripta adiecit de ſuo.

Cap.xli. *Vox etiam ad hoſtes accederet*] *Accideret*, de quo alias monuimus. Sequenti verſu, *priuſquam gloria alterius exercitus fieret*, non *foret.*

Cap.xliii. *Incolumi vix ex tantu trepidatione Bouianum peruentum.* Antiqua ſcriptura, *vt ex tanta trepidatione.*

Cap.xlv. *Vt panore admodum plures caperentur*] Exemplaria vetera, *vt pauore admodum.*

Cap.xlvi. *Pedites equiteſque inſignes donis tranſire, ac tranſuectis multa ciuica corona vallareſque ac murales conſpecta*] Lege & diſtingue: *pedites equiteſque inſignes donis tranſire ac tranſuecti. multa ciuica*, &c.

Eod. *Æris graui tranſuectu vicies centum millia, & auri 30. millia. id enim redactum ex captiuis dicebatur*] Beauit ærarium ſuo mendacio ſcriba. Syncera lectio, *Æris grauis tranſuecta vicies centum millia quingenta triginta trium millia, id æs redactum ex captiuis dicebatur.*

FINIS.

IN FRAGMENTA LIB. XXVI. ANNOTATIONES

PER BEATVM RHENANVM.

QVod nos nacti ſumus è Spira Liuianum exemplar, ex fragmentis vetuſtiſſimorum codicum ſaltuatim deſcriptum videbatur, præſertim in hoc libro ſexto tertiæ decadis. Nam initium voluminis fecerat librarius à particula, quam nos vix tandem in medio libro reperimus, abruptis verbis. Cum ea cohærebat aliquot paginis intermediis omiſſis, libri finis. Deinde cum ſeptimum librum confecte cœpiſſemus, iterum particulam inuenimus, quæ ad ſextum librum pertinebat. vide miram confuſionem. Nos in iis annotationibus excuſorum codicum ordinem ſequimur.

Cap.xxx. *Sacra fracta, ac ſpoliata deûm delubra*] Pro ſex iſtis dictionibus, nos tātum quatuor repoſuimus, *Et refractu deûm delubra.* Caſtigator quia connexis ſyllabis ſcriptum reperit *& refructa*, ſubſtituit ipſe, *ſacra fracta.* Deinde cum ſupereſſent duæ dictiones, *deum delubra*, ne nullus eſſet ſenſus, adiecit has voces. *ac ſpoliata.* Iam ſubſtantiue *ſacrum* vſurpare magis pœticum eſt, vt apud Perſium: *In ſacro quid facit aurum?* Itaque potius *ſacraria fractu* dixiſſet Liuius, vt de proditis bacchanalibus libro nono, Decadis quartæ: *Deinde pure lautum in ſacrarium deducturam.* Et mox: *Ancillam ſe ait dominu comitem id tum ſacrarium intraſſe.* Nam *ſacrum* ipſum eſt ſacrificiū, vt ibidem: *Qua in ludo ſimili bacchanalibus in ſacro nocturno ſolerēt fieri.* Porro *refringendi* verbum ſæpe apud Liuium comperias, vt hoc libro ſexto ad finem: *Et portu intus foriſque pariter refringi cœpit.* Et lib.7. *deinde proxime refracta porta.*

Eod. *Ita vt ne nudo quidem ſolo, reliquis direptis, al.*] In veteri codice eſt, *relias direptu fortuna.* Repoſuimus nos, *reliquiis di. for.* Intelligenda autem per appoſitionē ſentētia, *nudo ſolo*, ſubaudi agrorum ædificiorumque, quæ erant reliquiæ direptæ fortunæ. Hoc tametſi leuiculum non animaduerſum caſtigatorem decepit.

Eod. *Saltem qua comparent*] Non poteſt vlli dubium videri legendum eſſe *compareant* modo potentiali, etiamſi ſcriptus liber nullus monuiſſet.

Eod. *Maneant, inquit Marcellus*] In exemplari manuſcripto legitur. *Maneant imo, inquit Marcellus.* Neque eſt hic ocioſa confirmantis particula.

Cap.xxxi. *Sed non quid ego fecerim in diſ v.*] Poſt hæc verba omiſſa erat ſententia, quam nos in contextum inſeruimus, nempe hæc, *quem quicquid in hoſtibus feci, ius belli defendit.* Tametſi illic deprauate ſcriptum erat *defendi.* Ingentem ſaltum hoc loco fecit librarius, quemadmodum paulo ante meminimus.

Cap.xli. *Anſpiciis ac per*] Repoſuimus ex ſcripto codice, *auſpiciiſque & per n.*

Eod. *Breui tempore, hinc o.*] Prodigioſe corruptus eſt hic locus. Legendum quemadmodum caſtigauimus, *breui extorre hinc omne Punicum nomen*, vt *breui* ſit aduerbium. Significat *extorris* exulem, velut qui extra terram ſiue patriam ſit pulſus. Rurſum Liuius lib.7. *Extorrem agro Romano, procul terra contactu ulto mergendum.* Libro quinto primæ Decadis coniungit *exulem & extorrem: Ne exulem extorrem*, inquit, *populum Romanum ab ſolo patrio, ac diis penatibus in hoſtium vrbem agerent.* Diſtinguenda autem verba hoc modo: *Animus quoque m. m. m. u. h. t. u. praſagit, noſtram Hiſpaniam eſſe: breui extorre hinc omne Punicum, mariu terraſque fœda fuga impleturum.*

Eod. *Trifariam exercitus in diu. r. diſtraxere*] *Exercitus* vertimus in *exercitum* (ſic enim eſt in veteri libro) vt intelligas ex vno exercitu tres factos.

Cap.xlii. *Ibi pecuniu*] Vetus habet, *ibi pecunia.* & ſequitur paulo poſt: *hic pecunia omnis hoſtium.*

Eod. *Et neſcio an vnam Hiſpania oram, qua noſtro ad. m.*] Hæc verba nullo ſenſu dicta ſunt. Repoſuimus ex veteri libro, *& neſcio an vnum in Hiſpania ora qua noſtro adiacet mari.* Eſt autem *qua* aduerbialiter hic legendum.

Eod. *Vt eodem tempore exercitum oſtenderet*] Hunc locum mutilum integrum fecimus, aſcriptis verbis ex antiquo volumine quæ deerant, hoc modo: *Vt eodem tempore Scipio ab terra exercitum oſtenderet, claſſis portum intraret.* Expunximus enim cōiunctionem, quæ vltimam clauſulam connectebat; qua cum

hic eſt opus. Porro huic loco non fruſtra aſteriſcum appoſuerat Aſulanus.

Eod. *Nullum obiectum vallum*] Exemplar ſcriptũ habet tantum, *nullam obiectam*. Perpenſa ſententia legendum opinor hunc locum ſic: *His ab tergo, nam frons natura tuta erat, vallum obiectum*. Senſus eſt: à tergo caſtris vallum obiectũ, ne obruerentur: à fronte vero minime, cum illac natura locus munitus eſſet. Aſſignat iterum rationem paulo poſt, cur à fronte nullum vallum oppoſuerit. *Vnde*, inquit, *cum tam parui operis munitio eſſet, non obiecit vallum imperator Romanus*.

Eod. *Ceterum ſita Carthago ſic eſt*] Caſtigaui: *Etenim ſita C.* Nam reddit cauſam non obiecti à fronte valli.

Eod. *Paulo plus*] *Paululo plus*.

Eod. *Patulum. & ad ſept.*] Caſtigauimus, *paululum etiam ad ſept.* hoc eſt, *modice*. ex antiquo.

Eod. *Vtcunque exaſtuat, mare*] Adiecimus clauſulam quæ deerat, *vtcunque exaſtuat aut deficit mare*.

Cap. XLIII. *Circumuectusque claſſe*] Scripſimus *claſſem*. Et mox pro *interim, intenti*. ex veteri.

Eod. *Quod ad vrbem potiſſimum oppugnandam bello orſus eſſet*] Quatuor inſignes mendę ſunt in hac breui oratiuncula, & ſenſus eſt inuerſus, imo prorſus nullus. Sic autem Liuius ſcripſit, *quod ab vrbe potiſſimũ oppugnanda bellum orſus eſſet*. Mox gerundium *hortando* quod ſequitur, debebat eſſe *cohortando*.

Eodem: *In ditionem noſtram tradere*] *Noſtram* aliquis adiecerat.

Eod. *Hic tormenta, arma*] Omiſſum fuit hic vocabulum *armamenta*, hoc modo: *Hic tormenta, armamẽta, arma*. Sic deerat mox particula *&*, *qui ſimul vos inſtruet*, cum deberet eſſe *qui ſimul et vos inſtruet, & hoſtes nudabit*. & hic deerat pagina, aut amplius in exemplari manuſcripto.

Cap. XLVI. *Intentis omnibus ad opem ferendam*] Legendum *ad opem eo ferendam*.

Eod. *Vt nemo ſentiret ante à tergo capt.*] *Vt nemo ſenſerit ante à tergo capt.*

Eod. *Vtrinq; ancipitem hoſt. h.*] Repoſuimus ex veteri codice: *Et vtrimque ancipitem hoſt. h.* Porro non eſt hic ſuperuacanea connectens particula *&*.

Eod. *Et porta intus foriſq; ac pariter refringi cœpta*] Emendaui *cœpit*, ex manuſcripto. Neque enim affectauit Liuius figuram ſimiliter cadentis.

Eod. *Partem ipſe ad arcem duci.*] Induximus & dictionem *partem*, quæ non eſt in codice veteri, non alia de cauſa additam hic à caſtigatore, quam quod non putarat abſolute *ducendi* verbum à Liuio vſurpari.

Cap. XLVII. *Catapulta maxima ferme centum viginti*] In veteri codice eſt *maximæ formæ*. Et hic vbique certos numeros appoſitos habet.

Eod. *Libræ ferme omnes pondo*] Non *libra* legendum eſt, ſed *librales*.

Eod. *At naues on.*] Deleuimus *at* particulam, non ex antiquo libro, ſed aliunde adiectam.

Eod. *Et nauali alia materia*] In codice ſcripto mendoſe legitur, *nauali materia*, opinor dumtaxat legendum, *naualim materia*. vt de lignis intelligas.

Eod. *Inter tantas opes bellicas Car.*] Reſtituimus: *inter tantas opes belli captas Carthago ip. f.*

Cap. XLVIII. *Et in capienda vrbe*] Diſpunximus præpoſitionem *in*, quam elegantius ſubaudias.

Eod. *Feſſiſq; milit. omnibus vno die belli operibus*] Caſtigauimus *operis*, auctoritatem ſecuti voluminis manuſcripti, quæ vox huic loco maxime quadrat. Significabat autẽ *opera* actionem ipſam cuius finis eſt opus. *Opera militaria* ſunt munitiones caſtrorum, vt cum de Marcello paulo poſt dicit, *& opere perfecto extẽplo in aciem legiones ducebat*. Et rurſum *caſtra inde ponentem vndiq; munitores operibus prohibet*. Libro 5. 1. Decadis: *Ad opus*, inquit, *milites traducti. Operum omnium longe maximum ac laborioſiſſimum, cuniculus in arcem hoſtium agi cœptus*. Eodem libro paulo poſt: *Operibus tamen*, inquit, *non vi expugnata eſt*. Item libro 9. ſignificantiſſime de Gallis: *Quando nec foſſa valloque*, inquit, *ab ignauiſſimo ad opera ac muniendũ hoſte clauſi eſſent*. At *operæ* ſunt ipſi labores & officia militum, vt in dimicando decurrendoque & reliquis exercitiis. Nec conſtant opera ſine operis. Liuius noſter libro quinto, primæ Decadis: *Nuſquam*, inquit, *nec opera ſine emolumento, nec emolumentum ferme ſine impenſa opera eſt*.

Eod. *Pretium tamen muralis coronæ decus eius eſſe*] Docuit hunc locum ſic emendandum liber vetus: *præcipuum muralis coronæ decus eius eſſe*.

Eodem: *Q. Tiberilius centurio*] Legendum, *Q. Trebellius centurio*.

Eod. *Sociis C. Lælius claſſicis. Legionariis M. S.*] Volumen ſcriptum habet, *Læliuſque rectus claſſis*. Proinde legendum eſt indubie, *Sociis C. Lælius præfectus claſſis, legionariis M. Semp. Tuditanus aderat*, quẽadmodum & nos in contextu caſtigauimus. Intelligit autem per *ſocios*, ſocios nauales, vt nihil fuerit opus addere *claſſicis*. Adiuuat noſtram emendationem quod paulo poſt ſequitur, *Ante omnes C. Lælium præfectum claſſis*, &c.

Eod. *Corneliam Claudiam*] Vetuſtus codex docet legendum, *P. Cornelium Caudinum*.

Eod. *Tantæ indignitatis non tam aduocati*] Emendaui, *amoti tantæ dignitatis*.

Eod. *Per omnes deos apparatos iurare magis*] Legendum eſt iuxta antiquum volumen *paratos iurare*, hoc eſt, *promptos. apparatus* ad cultum refertur. Quod vero paulo poſt ſequitur, *ad concionem aduocauit*, illic eſt *vocauit*, *& comperiſſe* non *compertum habere*.

Eod. *Ac XXX. bobus donauit*] In ſcripto codice eſt *viginti bubus d.* Porro mira varietas in numeris eſt.

Cap. XLIX. *Non de pondere auri argentique & redactæ pecuniæ cõuenit*] Volumen antiquum habet: *Non de numero auri atque argenti, & redacta pecunia conuenit*.

Eod. *Si aliquibus aſſentiri neceſſe eſt*] Exemplar vetus habet: *ſi aliquis adſentiri n.* niſi ſit *aliquis* pro *aliquib.* Poſſet etiam legi *alicui*, ſubaudi ſcriptorum prodentium illa.

Eod. *Media ſimillima veris ſunt*] Arbitror Liuium ſcripſiſſe quemadmodum eſt in veteri, *media ſimillima veri ſunt*. Quid autem opus fuit *ſimillima veri* mutare in *ſimillima veris?* cum Latine & eleganter dicamus ſimile veri.

Eodem: *Quam triſti ſub. ſeru.*] Lectio vetus, *quam à triſti ſubiectas ſeruitio*. Nec vacat particula ſignificans ſubiectionem quam pariat triſte ſeruitium. Sic libro ſeptimo: *Scipio auidior etiam certaminis erat, cum à ſpe quam ſucceſſus rerum augebat, cum quod*. Sic enim locum emendauimus, cum prius legeretur, *cum ea ſpe*.

Eod. *Inter hæc è media turba*] In exemplari ſcripto tantum eſt, *media turba*, vt ſubaudire poſſis, *è* vel *in media turba*.

Eod. *Cum Scipio nihil profecto*] Vetus, *cum Scipio nihil defatu ram iis profecto diceret*.

Eod. *Alia mihi cura*] In antiquo volumine legitur: *Alia me angit cura ætatem horam iacentem*.

Eod. *Animum ſtimulat*] Hæc verba non ſunt in libro manuſcripto.

Eod. *Stabant ætate & forma*] Sic procul dubio Liuius ſcripſit, quemadmodum manuſcriptum volumen docet: *Simul ætate & forma florentes circa eam Indibilis filiæ erant, aliæque nobilitate pari*. Cæterum quãdo *ſimul* in *ſtimulat* verterat caſtigator, opus erat verbum aliquod infulcire. Adiecit itaque de ſuo verbum *ſtabant*. Nec minorem arguit, vel ſcribę vel caſtigatoris ſupinitatem, quod hactenus in vulgatis exemplaribus pro *aliæque nobilitate pari*, legimus *eæque nobilitate pari. An ſi ſorores erant, non erant pari nobilitate?* Suſpicatus fortaſſe eſt ſcriba non fuiſſe germanas.

Eodem: *Ne quidquod ſanctum vſquam eſſet apud vos, violaretur*] Deprauata & hæc ſententia. Legendum enim hoc modo diſtinctis verbis, *ne quod ſanctum vſquam eſſet, apud nos violaretur*. Sic enim eſt in manuſcripto codice q. d. Turpe eſſe violari apud Romanos quod apud vllos Barbaros ſanctum ſit.

Eod. *Dignitaſque facit*] *Facit* non erat in libro veteri, ſed ſuperne quidam verbum *monet*, adiecerat. *Veſtra quoque virtus dignitaſque monet*.

Eod. *Quam ciuium coniuges*] Legendum *quam hoſpitum coniuges*, iuxta vetuſtum librum.

Cap. L. *Deſponſatam eam eſſe*] *Deſponſam* eſt in veteri.

Eod. *Cai Luceio nomen erat*] Hic & paulo poſt exemplar ſcriptum habet: *Allucio*, non *Luceio*. & mox *à domo* non *ab domo*.

Eod. *Minor ſit inter nos*] Tu ſcribe veteris libri fidem ſecutus, *quo minus ſit huius inter nos ſermonis verecundia*. Vult autem Scipio nullam verecundiam eſſe eius ſermonis, qui de caſto amore ſit inſtitutus inter iuuenes præſertim.

Eod. *Cum ſponſa tua vocata à militibus.*] Pro *vocata* reponi debet *capta*.

Eod. *Quia ipſe, ſi f. l. ludo at. præſertim illecto & læto legitimoque amore*] Hic locus multorum calamis deprauatus eſt, dum pro *in recto* alius ſubſtituit *illecto*, alius *et læto*. Sic autem legi debet: *Et forma faceret fidem, quia ipſe ſi frui liceret ludo ætatis, præſertim recto & legitimo amore & non reſpublica*, &c.

Eod. *Tuo, cuius ſponſa eſt, amori ſanco*] Legendum ex fide codicis vetuſti: *tuo cuius poſſum, amori ſanco*.

Eod. *Fuit ſponſa tua*] ſic diſtingue. *Fuit ſponſa tua apud me, eadem qua apud ſoceros tuos parenteſque ſuos verecundia. Seruata tibi eſt, vt inuiol.*

Eod. *Adoleſcens ſimul pudore, gaudioque perculſus*] Sic caſtigauimus ad exemplar vetus, *cum adoleſcēs ſimul pudore et gaudio perfuſus: dexteram Scipionis tenens, deos omnes inuocaret ad gratiam illi pro ſe referendam, q. ſ. f. pro ſuo a. atque illius erga ſe merito eſſet, parentes inde cognatique virginis appellati*. Mira hic partim ſcribæ, partim caſtigantis negligentia accidit, vt ex vna ſententia geminam fecerit, *cum* particula ſublata, & verbo *inuocaret* in *inuocare* mutato. Quid autem opus fuit pro *perfuſus* ſupponere *perculſus*, quod ad metum & terrorem refertur? Vt nihil dicam quod ablatiuus *merito*, omiſſus fuit.

Eod. *Vt id ab ſe donū acciperet*] Pro *ab ſe* quidam in exemplari vetuſto ſcripſerat *ipſe*.

Cap. II. *Satis omnibus compoſitis*] Emendauimus in veteri, *rebus omnibus compoſitis*.

Eod. *Captiuis Magone, & quind.*] In ſcripto legitur: *Captiuis cum Magone & q.* Vt intelligas & alios captiuos præter Magonem, & quindecim ſenatores, naui impoſitos.

Eod. *Præpilatiſque miſſilibus*] Codex antiquus habet hic, *pilatiſque miſſilibus*. Suſpicor ſcribendum, *pilatiſque miſſilibus*.

Eod. *Remigio claſſis ciues, militeſque tranquillo*] Vitiatus locus eſt, cum pro *remigium* ſcriptum ſit *remigio*, & pro *claſſicique*, *claſſis ciues*. Legendum autem atteſtante vetuſto volumine: *Remigium, claſſicique milites trāquillo in altum euecti*. Porro ſic vocat Liuius *remigiū* ipſam multitudinem remigum, quemadmodū Horat. dixit in Epiſtolis: *Remigium vitioſum Ithacenſis Vlyſſei*.

Eod. *Reſpublica ipſa ſtrepebat apparatu belli. Fabris omnium generū in publica officina incluſis data cūcta, quam pari cura ſubibat*] Et hæ clauſulæ miris modis interpolatæ ſunt. nec lectio veteris libri prorſus bene habet, quæ eſt huiuſmodi: *vrbs ipſa ſtrepebat apparatu bellicā officinā incluſit. Dux cūcta pari cura obibat, nunc in claſſe ac nauali erat, nūc cum legionibus decurrebat, nunc operibus uſpiciēdis temp. dabat*. Porro ſuſpicor legendū. *Vrbs ipſa ſtrepebat apparatu belli, publica officina incluſit.* ſubaudi *opificib. ſtrepebat*. Nā de illis loquitur, de quibus ſupra dixit: *deſtinauit opifices, ad duo millia hominū erāt, eos publicos fore cum ſpe propinqua libertatis*. Iam vide quomodo interpolatus ſit iſte locus, Primum pro *vrbs ipſa* ſubdidit caſtigator *Reſpublica ipſa*, quaſi Reſpublica ſtrepere poſſit. deinde hæc verba: *Fabris omnium generum* fortaſſis adiecit de ſuo, clauſulamq; elegantem, *Dux cuncta pari cura obibat*, ipſe ſic mutauit: *data cūcta, quā pari cura ſubibat*, vt de officina intelligamus. Poſtremo omiſit oratiunculas, *nunc in claſſe ac nauali erat, nunc cum legionibus decurrebat*.

Eod. *Refectiſque quos quaſſauerant, muris*] Vetus exemplar habet: *Refectiſque qua quaſſata erant muri*.

Eod. *Cuius rei tam paruo præmio*] Apparet ex ſcriptura libri vetuſti, legi etiam poſſe: *eius rei tam parua præmio*.

IN LIBRVM XXVII. ANNOTATIONES

PER BEATVM RHENANVM.

CAp. I. *In Italia autem Conſul*] In veteri codice non eſt *autem*.

Eod. *Prædæ aliquantum eius militi fuit conceſſum*] Exemplar manuſcriptum habet, *præda, et aliquantum eius fuit militum conceſſa*. Arbitror legendum, *Præda aliquantum. Vſui militum conceſſa.* vt ſit ſenſus: *Præda aliquantum* ſubaudi *captum eſt. Vſui militum conceſſa*, ſ. *fuit præda*. Nam ſequitur infra: *Ibi ad quatuor millia hominum capta, & cætera prædæ aliquantum*.

Eod. *Tantum gaudij*] Vetus: *Tantum gaudiam*.

Eod. *Pari audacia Romanus*] Emendauimus: *Par audacia Romanus*. nam ſequitur, *conſilio & viribus impar*. Et ſic eſt in libro ſcripto.

Eod. *Et ſiniſtra ala acriter pugnam inierunt*] Repoſuimus: *Et ſexta alacriter pugnam inierunt*. Nam mox meminit ſextę legionis & quintæ.

Eod. *Occiditque principes*] Hoc verbum videtur aliquis adiecisse. Mihi magis arridet vetuſti codicis lectio cum participio *perempti*, quod in margine quidā aſcripſerat hoc modo: *Principes qui cum Fuluio colloquia occulta habuiſſe comperti ſunt perempti*.

Eod. *Semiermes*] Scriptura vetus ſatis oſtendit non *ſemiermes*, ſed *inermes* legendum eſſe.

Cap. II. *Et Romæ q. cum luctus ex p. tum*] Video potius ſcribēdum iuxta volumen antiquum: *Et Romæ quidem quam luctus ex p. tam timor in f. e.*

Eod. *In multum diei*] Caſtigaui *in multum diem* ex veteri.

Eod. *Aduerſus prodiit*] *Prodit* illic legitur, ſic paulo ante, *dexteræ alæ ſiniſtra ſubit*, non *ſubiit*.

Cap. III. *Locauit autem omne frumentum*] Deprauata clauſula. legendum atteſtāte vetuſta ſcriptura: *Locauit autem omnem frumento*, ſubaudi *agrum*, vt videlicet frumentum perciperet.

Eod. *Sibimetipſis tecta militariter e.*] Scribe *ſibimet ipſos*, vt ſint duæ dictiones.

Eod. *Strumento intecta, omnib. velut de induſtria alimentis ignis*] Hic locus cum mihi diſpliceret propter ablatiuum *omnibus*, inſpexi vetus exemplar, & repeti illic ſcriptum non *omnibus*, ſed *omne*. Verum nec ſic videbam Liuianum conſtare candorem. Itaque diutile expenſis non ſolum verbis ſententiæ cohærentis, ſed ipſis etiam elementis deprauati vocabuli, hoc ſum adductus, vt putem à Liuio ſcriptum fuiſſe non *omne*, ſed *omnia*, ſic ordinanda ſiue diſtinguenda ſententia: *Erant autem pleraq; ex cratibus aut tabulis facta, alia arundine texta, ſtrumēto intecta omnia, velut de induſtria alimētis ignis*. Vt videlicet ablatiuus *alimentis* referatur ad priores ablatiuos, *cratibus, tabulis, arundine & ſtrumento*.

Eod. CLXXX. *Campani*] Scribendum *Capuani*, ſicut paulo ante: *ne deeſſet materia in Capuanos ſæuiendi*. non *Campanos*. Nam Capuæ res hæc accidit, de qua hic loquitur. Sunt tamen Capuani & Campani, quod in Campania ſita ſit Capua.

Eod. *In Hetruriam legati*] In exemplari ſcripto legitur: *In Ætoliam legati*.

Cap. IV. *Ne aut conſulem Marcellū*] Expunximus *Marcellum*.

Eod. *Quæ proſpera prælia*] Repoſuimus *quæ iis proſp.* ex veteri.

Eod. *Quam Romano*] Vetus habet. *Quam Romanis eſſe affirmabant*.

Eod. *L. Geminum*] In antiquo eſt, *Genutium*.

Eod. *Pateram ex quinque pondo auri factam*] Et ſcripto codice legendum: *Pateram auream ex quinque pondo factam*. Subaudítur autem *auri*.

Eod. *Iis quoq; quæ darentur, portata, togæ pr.*] Videtur antiqui libri lectio eſſe: *Iis quoque quæ darentur portata, toga prætexta*.

Eod. *Multa ea æſtate*] Vetus: *multa æſtate qua hæc ſ. peruenisſet*] In veteri, *veniſſet* & mox: *Ibi de ſuis rebus*. non, *vbi*.

Cap. V. *Neminem Siculū qui metu inde fugati abſuerint, eſſe*] Hæc verba ſignificant, nullū ex Siculis qui aliquando fugerint, eſſe in Sicilia. At M. Valerius conſul contrarium hic Romano ſenatui perſuadet. Legēdum igitur quemadmodum caſtigauimus ex ſcripto codice: *neminem Siculum, qui fugati metu inde abfuerint, non eſſe*. Subaudi *in Sicilia*, hoc eſt, in Siciliam rediiſſe.

Eod. *Honores omnibus ad exoluendā fidem à conſule habiti*] Hoc ſatis obſcure dictum eſt *ad exoluendam fidem*: nam oportet aliquid ſubintelligere, puta, *ſenatus ipſius*, aut alterius cuiuſpiā. Clarius autem loqui ſolet Liuius. Proinde magis mihi probatur lectio manuſcripti codicis, quæ ſic habet: *Honores omnibus*

ad exoluendam fidem conſulis habiti. vt intelligas regulis iſtis habitum honorem à ſenatu, quo liberarent fidem conſulis M. Valerij, qui fidem ſuam illis obſtrinxerat, ſurtum vt ſi Romam venirent, honoribus afficerentur.

Eod. *Quo ordine vel*] Hæc verba non ſunt in antiquo codice. *Sed tantum, vt ſciret quo in ſtatu res Africæ eſſent.* Quare diſpunximus adiectitiam clauſulam.

Eod *Sed dictatorem comitior. hab. dicl, & extemplo*] Quid opus fuit hic motare Liuij verba? procul dubio non conſuluit veteres libros qui deſcriptum ab hinc annis centum Liuianum exemplar caſtigare eſt aggreſſus. Melius & elegantius in ſcripto volumine legitur, nempe ſic: *Vt non expectanda comitia cõſulis cenſeres, ſed dictatore comitiorum habendorum cauſa dicto, extemplo in prouinciam redeundum*, quemadmodum & nos caſtigauimus in contextu.

Cap. VI. *Eodemque iure vocatæ reliquæ inclinaſſent*] Volomen ſcriptum non habet *reliquæ*, ſed tantum *eodemque iure vocatæ inclinaſſent*. Porro, *eodemque* aduerbium eſt, & *iure* ſeptimo caſu dictum, vt & *forte*.

Eodem: *Itaque ſi ſuum nomen dictator acciperet*] In exemplari vetuſto, *ſi ſuum n. d. exciperet* legitor. Vnde conicio ſic hunc Liuij locum caſtigandum. *Itaque ni ſuum nomen Dictator exciperet.*

Eod. *Cum Flaminius*] Indicãt veſtigia ſcripturæ veteri tametſi mendoſa, deeſſe hic prænomen Flaminij, *puta C.* aut *P.*

Eod. *Plebemque ſciſſe*] Eſt in ſcripto, *iuſſiſſe*. Sed neſcio an mēdoſe, ſicut & ſupra, *quem populus iuſſiſſet dictatorem.*

Eod. *Exemplumque ea iure.*] Rupoſuimus ex antiquo libro, *exemplaque*. Nam ſubdit, *vetus L. Poſtumij, recens Q. Fabij*. Sic enim legi debet: *non recenſque Q. Fabij.*

Eod. *Patribus id tempus Reipublicæ*] In margine vetuſti codicis aſcriptum erat, verbum *intereſſe*.

Eod. *Hi cenſores*] Caſtigauimus: *Sed hi cenſores.* Et mox pro *Republica* ſcripſimus *publicæ rei*. ſic enim antiquus liber habet. Et ſic eſt legendum.

Eod. *Pro temporis huius copia magnifici apparatus*] Vetus habet: *Pro temporis eius copia magnifice apparatos.*

Cap. VII. *Ab Scipione geſtas ſupplicationes*] Scripſimus à *P. Scipione geſtas ſupplicationem*. Et paulo poſt pro *quod nihi minus, ſed mihi minus*. Ex volumine ſcripto.

Eod. *C. Calpurnius præeſſet*] Emendauimus *præfuiſſet*.

Eod. *Quem Q. Fuluius habuiſſet*] Hanc ſententiam in vulgatis exemplaribus trãſpoſitam ex veteri libro ſic ſuo loco reſtituimus: *Capuam exercitumq. quem Q. Fuluius habuiſſet, T. Quintius obtineret.*

Eod. *Exercitumque qui tum iam Arimini erat*] Sic videtur legendum iuxta ſcriptum exemplar: *Prouinciam exercitumque (Arimini erat) acciperet.*

Eod. *His quoque eſt*] Huiuſmodi lectionem indicat vetuſtus codex.

Eod. *His quoq; enim prorogatum imperium*] *in Sicilia Cannenſis exercitus datus*. Nam ſequitur infra: *Et in Siciliā ita diuiſæ res.*

Eod. *Sex. Cæſari Cannenſis exercitus eſt datus. C. Arun. eadem in Sardiniam*] Scripſimus *in Sardinia*. Hic vnam paginam tranſilire coacti ſumus ob defectum qui erat exemplari manuſcripto, quod ex Spirenſi bibliotheca nacti fueramus.

Cap. XI. *Idem ſocios conſenſiſſe omnes*] Sic diſtinximus, *Idem ſocios*. Subaudi *facturos. conſenſiſſe omnes.*

Cap. XII. *Quæ officio deceſſiſſent*] Miror cur hic libuerit caſtigatori ſupponere *deceſſiſſent*, cum in veteri codice ſit *deceſſerunt*.

Eod. *Tentatis prius aliarũ col.*] Caſtigauimus ex veteri libro, *Pertentatis pr. al. coloniis.* Aliud autem eſt *tẽtatis*, aliud *pertentatis*. nimirum hoc eſt poſterius abſolutã diligentiam arguit.

Eod. *Sequi in Senatum conſuſ.*] Expunximus accuſatiuum *eos*, qui elegantius ſubauditur. Nam præcedit *merito eorum, & collaudari eos*. Nec eſt in ſcripto codice.

Eod. *Signini fuere & Nolani*] In ſpirenſi volumine non eſt *Nolani*, Venuſinorum vero vocabulum quod omiſſum erat in vulgatis editionibus, inſeruimus poſt Nucerinos. Nec eſt illic *Firmani*, cum oppidum *Firmum* appelleror non *Firmium*. Eſt & *Spoletini* non *Spoletani*.

Eod. *Et ad populum acta*] Vetuſti codicis lectio: *Et apud populum acta.*

Eod. *Quod inf. ar. ad vl. caſus ſeruabatur*] Liber ſcriptus habet *ſeruaretur*. Sic autem & infra loquitur Liuius. *Non cũ inquit, ſolum quæ remis agerentur.* non *agebantur*.

Cap. XIII. *Cenſores vt agrum Camp. fruendum loc.*] Caſtigauimus: *Duo cenſores.* Porro ſic dicit hic eleganter, *vt agrum Campanum fruendum locarent*. quemadmodum ſupra dixit: *ſimul vt eum agro tecta vrbis fruenda locarentur.*

Eod. *Et is T. Manlius*] Expunximus particulam *&*.

Eod. *Et ius liberum*] Pro *&*, hic ſobſtituimus, *ei* datiuum.

Eod. *Qui equo mereri deberent*] Emendauimus, *merere*.

Cap. XIV. *Ne rememorandi quidem eas.*] Antiqua lectio: *ne memorandi quidem.*

Eod. *Et quia in animum induxerat*] Addidimus vocabulũ *ita*: *Et quia ita in animum indux.*

Eod. *Pregreſſum eum aſſequitur*] Pronomen *eum* cum non ſit in codice ſcripto, & elegantius ſubaudiatur, ſubmouimus.

Eod. *Non caſtra ponere pati*] Hunc locum mutilum ita ſuppleuimus & ordinauimus ex libro vetuſto. *Non iter quietos facere, caſtra non ponere pati.*

Eod. *Dextera alia*] Caſtigauimus: *Dextera ala.*

Eod. *Dum alij trepidi cedunt*] Ex veteri libro ſcripſimus, *trepide*. nam ſequitur, *alij ſegniter.*

Cap. XV. *Et victos ſequendo priori æſtate abſumſiſtis*] Legendum *priorem æſtatem abſumpſiſtis*. Sic autem ſepe Liuius loquitur. vt infra. *Primum diem quo fines hoſtium ingreſſi ſunt, populando abſumpſerunt.* Et rurſus: *Cum hyemen totam recõciliãdis Barbarorum animis, partim remiſſione obſidũ captiuorumq; abſumpſiſſet.* Et iterũ: *Ipſe reliquũ æſtatis recipiẽdis in fidẽ Hiſpaniæ populis abſũpſit.*

Eod. *Et cuius ipſius pudere ac pœnitere vos oportet, referam*] Hãc ſententiam caſtigator quiſpiam additis dictionibus interpolauit. Nec enim eſt, *Et cuius*, aut verbum *referam* in exemplari Spirenſi: ſed, *Cuius & ipſius pudere ac pœnitere vos oportet:* nempe æquis manibus. Suſpicor vero pro *ipſius* ſcribendum *ipſos*, *Cuius & ipſos pud. ac pœni. vos op.* Et eſt initium nouæ ſententiæ: Nec opus eſt verbo *referam*, cum cohæreant alioqui quæ ſequuntur. Nam ſenſus eſt, Cuius & ipſos pudere ac pœnitere vos oportet, hoc ipſum eſt, quod æquis manibus heſterna die diremiſtis pugnam.

Eod. *Cum exercitu meo eloqui videor*] Quid illi venit in mentem, qui hic *eloqui* pro verbo *loqui* ſuppoſuit, quod legitur in codice ſcripto.

Eod. *Diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituit*] Obſcura lectio ſimul & mendoſa. Vetus exemplar habet: *Deſtrinctis gladiis cinctos deſtituit.* Non dubito quin ſcripſerit Liuius, *deſtrinctis gladiis cinctu deſtituit.* Vt ea ignominia affectos intelligas, qua male ſe gerentibus in prœlio militibus & gladij à lateribus auferuntur: & ipſe cinctus ſiue cingulum, vt diſcincti & ſoluti incedant. Vſurpatur ſubſtantiue *cinctus*. Vnde Virgilianum illud: *Cinctuſque Gabino.*

Eod. *Ita concio dimiſſa, fatendo iure ac m.*] Pro *fatendo* ſcribendum eſt *fatentium.*

Eod. *Ordinati armatique*] Spirenſe volumen habet, *armati ornatique*. Indicant autem ſequentia nondum ordinaros fuiſſe. Et intellige ornatos poſt ſtragem proximam ex qua laceri redierant. Sic libro nono ac huius Decadis: *Diemque iis, qua equis armiſque inſtructi atque ornati adeſſent, edixit.*

Eod. *Viribus quoque ſufficerent*] Expunximus *quoque*. Neque enim eſt in libro ſcripto.

Cap. XVI. *Copias educit.* Scripſimus, *et copias educit.*

Eod. *Hortator teſtiſque præſens firmabat*] In veteri codice hæc appoſitiue leguntur ſine particula *que*: *Hortator teſtis præſens firmabat.*

Eod. *Et partim conculcatis*] Repoſuimus antiquum vocabulum quo Liuius vſus eſt, quemadmodum teſtatur exemplar ſcriptum, nempe *occulcatis*. Eſt autem *occulco* pro *obculco*, ab *ob* & *calco*.

Eod. *Et tam conferta turba*] Vetus mendoſe habet, *& eum conferat turba*. Opinor ſcribendum, *& in conferta turba.*

Eod. *Conſternatas agit quam inſid. m. imperio reguntur*] Reſtituimus ex Spirenſi codice, *conſternatam agit, quam inſid. m. imperio regitur*, ſubaudi *belluam*.

Eod. *Qui proſequerentur agmen*] Antiqua lectio, *ſequerentur agmen.*

Cap. XVII. *Recepsi ſunt*] Scripſimus *accepti*, deleto verbo *ſunt*

Digitized by Google

tu intellige *clementer acceptos*, clementer tractatos: Quam lectionem & editio Romana continet.

Eod. *Ad cætera inopem ſe recepere*] Vetus codex habet, *conceſſere*. quem & nos ſecuti ſumus.

Eod. *Atque inter populares tam honorati*] Exemplaris antiqui ſimul & Romanæ editionis lectio. *tam honorati*.

Eod. *Transfuga iuſſus*] In Spirenſi volumine legitur *profuga*. Nos caſtigauimus *perfuga*, ſublata præpoſitione *pro*, quæ in vulgatis editionibus male recepta eſt.

Eod. *Simul à porta & à nauibus quæ ab aperto mari*] Scripſimus *& à porta & à nau. qua aperto mari*. Nam ſic habet antiqua lectio.

Eod. *Qui præfectus claſſis fuerat*] Inſeruimus vocabulum *antea claſſis fuerat*. Et pro *illo loco præpoſitus*, ſcripſimus *illo loco præp*.

Eod. *Vt capta vrbe interdum excitatur clamor*] *Excitaretur* caſtigauimus, quemadmodũ & Romana habet editio. Et mox pro *ſignaque inferri* ſcripſimus, *ac ſigna*.

Eod. *Accedebat ſonus*] Vtrobique legitur *accidebat* in codice vetuſto. Item, *cum ex temporis*. non *cum & ex temporis ſpatio*.

Eod. *Quæ Brutiorum præſidium eſſe agitata proditionis conciliator nunciauerat*] Hæc mendoſa lectio non ſolum in Romana editione, ſed & in cæteris omnibus quæ inde propagatæ ſunt inoleuit. Antiquum volumen habet: *Quæ Brutiorum cohortem præſidium agitare prodit, conci. nunciauerat*. Tametſi deprauate ſcriptum eſt illic *cogitare* pro *agitare*. Porro librarius caſu *cohortem* accuſatiuum omiſerat. Et caſtigator non inſpecto codice vetuſto, cum verbum *agitare* non admodum quadraret, adiecit aliud verbum, nempe *eſſe*, & *agitare* vertit in *agitata*, vt cõiungeretur cum genitiuo *proditionis*. Nos locum reſtituimus in contextu.

Eod. *Inde eo proxima reſ.*] Scripſimus: *Deinde proxima reſ. porta*. Nam ſic habet volumen ſcriptum.

Cap. XVIII. *Prius pene quã conſere*] Vocabulũ *pene* expunximus. Et mox, pro *ex equo præcipitatum eſſe*, ſcripſimus *præcipitaſſe*. Sic Liuius infra: *Cum in Italia ad Thraſimenũ & Cannas præcipitaſſet Romana Reſpubl.* Item libro 6. primæ Decadis. *Ipſi*, inquit, *in inſidias ſe præcipitauere ibi*. Hoc verbum vſurpat abſolute.

Eod. *Vt Syracuſarum ornamẽta æquauerint*] Fecimus ex *æquauerint*, *æquarent*. & pro *ſed, & maiore*, ſcripſimus, *ſed maiore*.

Eod. *Curſum agminis acto*] Corrupta verba ſunt. Legendum, atteſtante veteri libro: *curſim agmine acto*. In editione Romana, & ea quam proxime nobis Colonia Agrippina dedit, curante Ioanne Sobio viro optimo recte legitur *curſim*. Verum in altero vocabulo dormitatum eſt.

Eod. *Impunita iis priora fore*] Suſtulimus datiuum *iis*. Et infra pro *dolo inaictus fuiſſet*, ſcripſimus, *eſſet*.

Eod. *Tantis augeſcere incrementis*] Legendum iuxta veterem ſcripturam, *tacitis augeſc. incrementis*. Et mox, *quæ cepiſſent ruerent*. non *quæ cœpiſſent, fluerent*, quemadmodum repoſuimus. Demiror & Venetos & Colonienſes non dignatos inſpicere editionem Romanam, in qua poſterius vocabulum recte habet.

Eod. *Cum ea ſpe*] Legendum: *Cum à ſpe, quam ſuc r. augeb. et*, hoc eſt, *propter ſpem*. Porro mire elegans eſt, *à* particula in hoc ſignificatu.

Eod. *Cum iis copiis*] Quid opus fuit hic addere *copiis* cum præcedat, *copias auxerat*. & mox, *terreſtribus copiis*] Huiuſmodi dictiones à profeſſoribus inter enarrandum adduntur, cum verba auctoris exponunt. Et deinde à parum attentis recipiuntur in contextum.

Cap. XIX. *Iam enim & Lælius*] Spirenſe exemplar huiuſmodi lectionem videtur continere: *Ab Tarracone egreſſus (& Lælius redierat ab Roma ſine q. a. m. r. m. vol*[illegible].) Tametſi lacunula erat poſt vocabulum *egreſſus*.

Eod. *Quam glorianti eam velut primã occaſionem raptam*] Mendoſus locus eſt. In manuſcripto legitur, *qua gloriante ea velut primam occaſionem rapta*. Suſpicor ſic ſcripſiſſe Liuium, *quã glorianti ea ſua primam occaſionem rapta*. Niſi quis malit legere, *velut ad primam*.

Eod. *Neq; enim ſe reprehendere nomen hominũ, ſi tam ancipi ed.*] Sic in editione Veneta legitur, ſed deprauate, quam nos cum exemplari manuſcripto contulimus, propter auctoritatẽ officinæ Aſulanicæ. Vetus codex *amorem hominum* habet, minus à germana Liuij lectione aberrans. Debet autem eſſe *morem* non *amorem*. Et mox, *ſi tam non*, *tamen*. Minime fefellit hoc Iacobum Sobium admiratorem Liuij ſingularem, cui Colonienſem editionem cæteris caſtigatiorem debemus.

Eod. *Quales ex hac die*] Scripſimus, *ex ea die*. Et mox *operæ eorũ pretium faciat*, pro *faceret*. Inſuper *in cõſpectum eius* (ſcilicet Indibilis qui pro vtroque loquebatur) pro, *in conſpectum ils*.

Eod. *Liberiq; lacrimantib. præ gaudio redduntur*] Vetus exemplar tantum habet, *lacrimantib. gaudio rebus* abſq; *præ*. Frequẽs autẽ eſt apud Liuium caſus ſeptimus. Sic paulo poſt. *Cum effuſi gaudio lacrimis capere vero diceret. gaudio*, hoc eſt, ob gaudiũ.

Eod. *In hoſpitium adducti*] Vbi in excuſis codicibus eſt *adducti*, plerumq; in ſcripto *abducti* legitur, nec male quadrat, Nã qui adducuntur, etiam abducuntur ab eo loco in quo ſunt.

Cap. XX. *Et fluuiis*] In ſcripto tantum eſt, *fluuiis*.

Eod. *Armorumq.*] Scripſimus, *aut armorum*. Sicut mox, *quas cepiſſent, hoſtes*. *quas cepiſſent hoſtibus*, aliter diſtincta ſententiã. Præterea *per quam deferatur amnis*, pro *deferretur*, ex libro veteri.

Eod. *Per aſpera primum nihil aliud, quam via impediti iere*] Antiqua lectio; *per aſpreta*.

Eod. *Et cum cæde magna in ac. altior.*] Scripſimus. *Et cæde magna in aciem altiori*. Paulo poſt adiecimus particulam *&*, quæ deerat, *Locaſque ad euadendum & medis datas eſt. & cædes fierent* ſcripſimus, pro *cædes fieret*.

Cap. XXI. *Circumfuſa inde omnis multitudo*] *Omnis*, non erat in Spirenſi codice. Et pro, *Romæ intolerabile eſſet*, erat *intolerãdum*, quemadmodum & nos caſtigauimus.

Cap. XXII. *Vt confeſtim Aſdrubalem conſequeretur*] Legendum, *perſequeretur*.

Eod. *Aut in vltima Hiſpaniæ amoti*] Vetus habet, *moti*. Quod vero mox ſequitur: *ſimul & Hiſpanos*, ſcripſimus *vt* pro *&*, *ſimul vt Hiſpanos*.

Eod. *Nec cum Romanis*] In ſcripto libro legitur. *Nec cum Romano*, ſubaudi, *exercitu*, quemadmodum & nos mutauimus.

Eod. *Ingenio magis quã virtute*] Repoſuimus, *aſtu magis quam v.* Demiror quid caſtigatori in mentem venerit, vt hic aliam vocem ſupponeret. *aſtus* eſt quem in hominibus damnamus.

Eod. *Venuſiam in tecta milites abduxiſſet*] Hic *tecta* legunt omnes, propterea quod ſequitur, *bis caſum exercitum eius æſtiuã Venuſiæ ſub tectis agere*. Exemplar manuſcriptum habet, *in certa*. Proinde malim legere *in ſtatiua*. Quemadmodum de Nerone conſule dicit circa finem huius libri: *Citatiore quam inde venerat agmine die ſexto ad ſtatiua ſua atque ad hoſtem peruenit*.

Eod. *Marcellus Romam rediret*] Ex fide vetuſti codicis ſcripſimus hic, *veniret*, pro *rediret*. Et mox, *abſente ipſo ageretur*. Item, *accuſauit tribunus*. Et, *diutius ibi*.

Cap. XXIII. *Vtriuſq; conſulibus*] Scripſimus, *Vtriq. conſulum*. Et mox, *duo conſulum prioris anni exercitus*, pro *conſulares*.

Cap. XXIV. *Et quæ ſen. tum cenſuiſſet*] Videtur ex æque mendoſa codicis ſcripti lectione legendum: *Ex quo ſenatus cenſuiſſet*.

Eod. *In quas & T. Quin. Pr. fuerat*] Auctoritatem ſecuti manuſcripti voluminis, hanc clauſulam deprauatam ſic reſtituimus: *Quæ T. Quintij prætoris fuerat*.

Eod. *Italiæ, Siciliæ, Sardiniæque*] Scripſimus, *Italiæ, Siciliæq; de Sardiniæ*. Et mox pro *& in Sicilia ita diuiſa res eſt*, *& in Sicilia ita diuiſa res*.

Cap. XXV. *Eo anno peſtilentia grauis incidit in vrbem agroſq;, quæ tamen magis in morbos longo, quam in perniciales euaſit*] In primis certum eſt non eſſe legendum *in vrbem agroſque*, quemadmodum vulgo legunt omnes, ſed *per vrbem agroſq;* ſic enim eſt in veteri volumine. Caſtigatori non eſt viſa ſatis Latina locutio, *incidit per vrbem*, quare motauit, pro *per* ſcripſit *in*. At quid dicemus de dictione *perniciales* quæ ſequitur? *Perniciosus* legimus, verum *pernicialis* non repetitur apud auctores. Subeſt, ni fallor, mendum. Scriptum exemplar habet, *impernitiales*. Diu me hic ſcrupus occupatum habuit. Et eandem cum cogitarem non eſſe tam inepte loquacem Liuium, vt cum dixerit magis *in longos morbos*, præpoſitionem *in* ſtatim repetat & dicat, *quam in perniciales*, deprehẽdi vnum eſſe vocabulum & indubie legendum, *internicales*. Dictum autem eſt *internicialis*, ea forma qua dicimus *exitialis*. Significat *interniciale* quod necẽ affert. Sane poteſt perniciosum eſſe ſiue perniciale, vt vulgatũ errorem ſequar, quod tamen non ſit letiferum

Accipitur enim pernicioſum etiam pro damnoſo ac periculoſo. Quo ſenſu longi & diuturni quoque morbi ſunt pernicioſi. Proinde voce hic opus erat quæ plus ſignificaret. Atque vt hoc vocabulo vteretur hic, in cauſa eſt, quod paulo ante dixit, *exitiabilis prodigiorum euentus*. Notum eſt quid ſit *internecio* & *internecinū*, vbi præpoſitio *inter* auget. Porro non dubito quin eruditi albo, quod aiunt, calculo meum ſint probaturi iudicium. Nolui tamen lectionem receptam, eradere, ne quis me temeritatis argueret. Sufficit hic doctos eſſe admonitos. Certe nihil clarius dici poterit, quam ſi ſic legas: *Eo anno peſtilentia grauis incidit, per vrbem agroſque, quæ tamen magis in longos morbos, quam interniciales euaſit.*

Eod. *Ante diem III. Non. Q.*] Scripſimus, *ad III. Non. Quint.* Et mox, *accipere. Cui traderet*, non, *et cui traderet*.

Cap. XXVI. *Biduum ad cōſiderandum tempus*] Videndum legendum ſit *biduanum ad conſiderandum*. Hoc enim magis placeret quam *bidui*. Et vetus codex, *biduum* habet.

Eod. *Tribunis militum præfectiſq; ſoci. & centurionibus*] Caſtigauimus, *Tribunos militum præfectoſque & centuriones*.

Eod. *Cauitq; cum cura*] Has duas voces *cum cura*, expunximus, quod non eſſent in exemplari Spirenſi. Et pro *intenſius* ſcripſimus *intentius*.

Eod. *Aliis ſententiis notantibus præfectum*] Mendæ poſtquam ſemel fuerint in libros receptæ, ſic germanæ lectioni immixtæ latent, vt etiam à doctis vix ſentiantur. Quis putaret in iſtis verbis aliquid eſſe vitij? Et tamen eſt hic erratum prodigioſum. Cum hunc locum legerem primum, non placebat vocabulum *ſententiis*, quod tamen ſeptimo caſu dictum videri poterat, pro *per ſententias*. Sed quid opus erat voce pluratiua? Inſpexi Spirenſe exemplar, & reperi ſcriptum, *aliis ſociis notantib.* Videbā & hoc mendoſum eſſe, ſed ſperabam ex aperto mendo germanam lectionē me facilius addiuinaturum. Deprehendi itaque à Liuio *ocy* fuiſſe ſcriptum, quod primum aſcita proxime præcedentis dictionis vltima litera ſcilicet, deprauatum eſſet in *ſocy*, mox ob conuenientiam caſuum vtrinque cohærentium in *ſocys* foret mutatum. Id poſtea caſtigator non conſiderans, ſed alio properans ac nimium fidens ingenio ſuo, vertit in *ſententiis*. Sic accreſcunt in monumentis auctorum mendæ. Facilius autem fit ex primis librariorum erratis ſyncetam lectionem reperire, quam ex poſterioribus nonnunquam eruditorum caſtigationibus. Proinde ſic leges hæc Liuij verba: *Aliis ocy notantibus præfectum*. Ita legendum quoque docet ſequens ſtatim clauſula, *quod eius ſocordia Tarentum proditum hoſti eſſet*. Nam otium progignit ſocordiam, hoc eſt, deſidiam & ignauiam. Cōiungitur autem eleganter, *notare* cum genitiuo, cum *reprehendere* ſignificat.

Eod. *Notationem de eo*] Antiqua lectio: *Notionem*. Arbitror ſcribendū *cognitionē*. Hoc enim magis placeret quā *notationē*.

Eod. *Quod negabant vnam cellam duobus recte dedicari*] Reſtituimus ex codice ſcripto: *Quod neg. v. cellam amplius quam uni deo recte dedicari*.

Eod. *Reditum eſt*] Expunximus *eſt*, quod non ſit in veteri libro. In quod mox, *Annibal redit* legitur, non *rediy*.

Cap. XXVIII. *Subiecta res oculis noſtris*] Expunximus, *noſtris*. Et mox pro conſentiente, ſubſtituimus, *abſentiente*.

Eod. *Auctum etiam viſum in capite*] Simile extiſpicium deſcribit Lucanus iis verſibus, in primo.

Quodque nefas nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem.
Alterius capitis, pars ægra & marcida pendet.
Pars micat & celeri venas mouet improba pulſu.

Caput extorum eſt iecur. Et in iecore duo capita conſtituebant aruſpices.

Cap. XXIX. *Caſtra caſtris collata crederet*] Scripſimus *diceret*: Et mox, *vt ſi coll. e.*, deleuimus particulam *vt* deleuimus quoque *ea* pronomen in ſequenti verſu: *Exiguum campi ante caſtra erat.* Deinde pro, *poſſet excipere*, caſtigauimus *poſſent excipere*, & pro, *ab tergo includerent viam*, *intercluderēt viam*. Poſtremo pro *neq; euadere poſſent in iugum*, *neque euaderent in iugum*, eraſo verbo *poſſent*. ad fidem omnia vetuſti codicis.

Eod. *Interfecti A. Manlius*] Subuenimus huic loco, quem in editione Aſulanica aſteriſco notatum reperimus. nam legendum eſt, *Interfectus A. Manlius*. nec deeſt quicquam. Vocabulum pluratiuum *interfecti*, ſcrupulum ante iniecerat.

Eod. *Equitum tres*] Scripſimus: *Equites tres*: & mox, pro *& tumultuatum in caſtris*, *tumultuatum & in caſtris*.

Eod. *Tam improuide iſſet, collegamque*] Reſtituimus deprauatum locum, pro *iſſet* ſcribentes *ſe*, *Tam improuide ſe collegamque, & prope totam Rempublicam in præceps dederat*.

Eod. *Alteram ſcriptam laudatione plij, qui geſtæ rei interfuit*] Auctoritatem manuſcripti voluminis ſecuti, repoſuimus: *Alteram ſcripta laudatione, qui rei geſtæ interfuerit*.

Cap. XXX. *Ne cui doliis necteretur*] Legendum *ne qui dolus*. ſic enim in libro veteri legitur. Porro Liuius vſurpat *qui* pro *quis*. Id quod & Cicero ſæpe facit. vt pro Cecinna, *Si quis familiam meam de fundo meo deiecerit. Si qui mihi præſto fuerit cum armatis.* Idem peculiare eſt Septimio Tertulliano, quemadmodum indicauimus in noſtris annotationibus quas in illum ſcripſimus. Porro res hæc non animaduerſa corrūpendis auctorum locis infinitis anſam dedit. Venit nunc in mentem vnius loci, qui deprauate apud Ciceronem legitur, in libello cui titulus eſt, De ſenectute ſiue Cato maior. Habent enim ſic exemplaria typis excuſa, quæ vidimus hactenus: *Omnia quæ curant, meminerunt, vadimonia conſtituta, qui ſibi, quibus ipſi debeāt.* Cū indubie Cicero ſcripſerit, *qui ſibi cui ipſi debeāt*. pro *quis ſibi*. Nā eam germanam lectionem cōtinet exemplar Ciceronis manuſcriptum, quod nos Sletſtadij inuenimus apud diuum Ioannem. Sed de iis alias.

Eod. *Si qua opera eorum opus eſſet*] Emendauimus: *Si quo opera eorum opus eſſet*. id eſt, ad aliquem locum.

Eod. *Rari occaſionem ſupplicij petere, miſſo retro nūcio*] Vitiatum locum ſic reſtituimus: *Rari occa. ſupplicij peti*.

Eod. *Remiſſo retro nuncio*] Participium *miſſo*, mutilatū erat, & auctum inepte præcedens verbum. Fortaſſe mouit caſtigatorem, quod dicit *remiſſo retro*: cui alterum viſum ſufficere, puta aut *remiſſo*, aut *miſſo retro*. Verum ſic & infra loquitur Liuius: *Venuſiam*, inquit, *retro quibus venerat itineribus repetit*.

Eod. *Alij è turri eius porta muriſque*] Pro duabus dictionibus, *turri eius*, ſubſtituimus ex ſcripto codice, *turribus*. Opinor ſcriptum fuiſſe *turribus* relicto ſpaciolo medio inter priores duas ſyllabas & vltimam, *idibus* caſtigator mutauit in *eius*. Nam præcedit, *circa portam qua venturum hoſtem rebantur*.

Eod. *Edito è ſpeculis ſigno*] in Spirenſi codice tantum eſt, *ſpeculis*. Non *è ſpeculis*.

Cap. XXXI. *Venuſiam adducere iuſſit*] Scripſimus *abducere*. Et aliquanto poſt pro *& magnum luctum*, *magnum & luctum*, vt videlicet *magnum* accuſatiuus etiam ad *metum* referatur. Mox pro, *exercitum Venuſiam miſerunt*. Repoſuimus: *exercitum Venuſianum miſerunt*.

Cap. XXXII. *Tutaſq; circa ſtationes*] *Circa* non eſt in exemplari ſcripto. Et poſtea legitur: *Profectus ipſe cum paucis equitum leuis armatura*. non, *cum paucis equitum leuiſque armatura*.

Cap. XXXIII. *Sulpicius ab Naupacto*] Addidimus litteram prænominis, *P. Sulpicius*. Et mox, *iuſſis ſubſequi peditibus* ſcripſimus, *ſe*, pronomine deleto. Item, *nihil tale metuerent*, pro *metuerant*. & *ad naues* pro *in naues*.

Eod. *Quantæcunq; de Romanis tum victoria*] Pro *tum* repoſuimus *tanquam*. Senſus eſt. Quantæcūque victoriæ, quia tamen non de quibuslibet, ſed de Romanis erat. Item, pro *purpuraq; purpura*, particula *que* eraſa.

Eod. *Per maritas domos*] Inſigne erratum hic eſt. non enim quemadmodum *vlmos maritas* dicimus, quibus coniunctæ ſunt vites, ſic & *domos maritas* vocamus, in quibus degunt matrimonio copulati. Spirenſe exemplar habet, *per maritum aſdomos*, legendum eſt: *per maritimas domos*, hoc eſt, domos ad mare ſitas. Et intelligit domicilia tenuiorum. Captabat autem loca minus celebria & parum frequentia. Nam ſequitur: *quo minus conſpectus, eo ſolutior*. Porro ſunt & hodie principes, qui Philippi licentiam imitentur, nō per domos ſemper maritimas, ſed maritatarum diſcurſantes cum vno aut altero comite: adeo ſubmittendo ſe in priuatum faſtigium, vt morionum cultus non pudeat.

Eod. *Vni etiam principi Achæorum Arato*] Hunc Aratum miris laudibus ornat Strabo lib. 8. tradens illum ciuitatem ad libertatem reuocaſſe, & adeptum regnum ab vltro offerentibus, quod longe lateque poſtea ampliarit.

Cap. XXXIV. *Prolapſum in caput regem effudiſſet*] Iuxta ſcriptutam veterem pro *in*, repoſuimus *per*.

Digitized by Google

Eod. *Caderentq; circa eum multi et vulnerarentur*] Liber ſcriptus tantum habet, *multi vulnerarentur* abſque particula connectente *&*. Suſpicor Liuium ſcripſiſſe: *Caderentque circa eum multi, multi vulnerarentur.* Neque eſt in fine *fugit*, ſed *fuit. Raptus à ſuis atque alteri equo iniectus fuit.* Et ſenſus eſt integer.

Eod. *Quod Pyrgum vocant*] Eraſinus *quod*, fidem ſecutus manuſcripti codicis, vt reliquam clauſulam per parentheſim legas (*Pyrgum vocant*) induxit.

Eod. *Fuerunt autem quatuor millia hominum, ped.*] Antiqua lectio: *quatuor millia peditum hominum.* Suſpicor legendum, *deditorum hominum.* Nam præcedit *primo ſtatim terrore aduenientis cepit.* Igitur, vt veriſimile eſt, dediderunt ſe.

Cap. XXXV. *Poſt profectionem ex Achaia regis*] Repoſuimus *Philippi*, loco *regis.* Nam ſic eſt in ſcripto libro: Et mox præcedit, *famam interfecti regis vulgauit.*

Eod. *Qui tum ædilis curulis erat*] Legendum iuxta auctoritatem exemplaris vetuſti, *tum ædilis curulis erat*] Nam ſolet huiuſmodi clauſulis per parentheſim interiectis vti Liuius, ſicut modo monuimus, *Pyrgum vocant.*

Cap. XXXVI. *Ac ferunda ingenta imperatorum fuiſſent*] Repoſuimus *fuiſſe.*

Eod. *Et omni cœtu careret hominum*] Liber vetuſtus habet, *caruerit.* Et mox non *præ ſe referens*, ſed tantum *preferens in vultu habituque.* quemadmodum & nos caſtigauimus.

Eod. *Quid ita male credito priore conſulatu*] Hanc clauſulam hæc verba præcedere debent, in excuſis exemplaribus hactenus deſiderata: *Si noxium comperiſſent, quid ita male credito priore conſulatu, alterum crederent?*

Eod. *Patriam pulſum ſede ſua reſtituiſſe*] Vulgo legunt omnes *pulſum*, & ad Furium Cam. referunt. at codex ſcriptus habet *patriam pulſam.*

Cap. XXXVII. *Qua ibi gererētur*] Inſeruimus vocem *res. quæ res ibi gererentur.* Et mox, *ſua omnia iis*, expunximus *iis*, ſcriptum vtrubique ſecuti volumen.

Eod. *Et praſciſcere quam quis eorum prouinciam*] Ex veteri repoſuimus *quiſque eorum.*

Eod. *Pro Tarento Capuam, legio vna data eſt, cui*] Repoſuimus: *Pro Tarento Capuam mutauerunt: Legio vna data, cui Ful.*

Eod. *Ita per prouincias diuiſa, vt bina conſ.*] Caſtigauimus, *diuiſa. Bina conſulum eſſent, vt*, expuncto.

Cap. XXXIX. *Nocte portam ingreſſus*] *Nocte* non eſt in codice Spirenſi. nec eſt hic neceſſarium, cum ſequatur, *vigilem lanianerat.*

Eod. *Et ex decreto pontificum iterū nouendiale ſacrum*] Quemadmodum ſuperabundat prima particola *&*, ita ante nouendiale deeſt aduerbium *inde*, nouam aſpicans ſententiam, vt ſic deinceps legamus: *Et ſupplicatio diem vnum fuit ex decreto pontificum. Inde nouendiale ſacrum.*

Eod. *Pure caſteque*] *Pureque & caſte.* Nam ſic habet liber vetus.

Eod. *Per manus reſte data*] Scripſimus: *et per manus reſte d.* Et mox, *in cliuum publicum, In cliuum Publicium* Et infra. Cap. XL. *earumque coloniarum, et earum col.* Item eodem verſu, *pernoctaturos ſe eſſe extra mœn.*

Eod. *Et duo millia de legionibus militum, equitum mille octingentos*] Sic reſtituimus. *Ad duo millia de legione militum, equitum mille octingentos.* Et mox, *nauibus adduxiſſe*, ſcripſimus, *aduexiſſe.*

Cap. XLI. *Deincepſque ulia Gallica, atque Alp.* Vocabulum *ulia* non eſt in volomine ſcripto, nec eſt neceſſarium.

Eod. *Non ipſum ſolum ea oppugnatio impediit*] Hunc locum ſic reſtituimus: *non ipſe ſe ſolum ea oppugnatione impediit.*

Cap. XLII. *Plenum adhuc ira*] Vetuſtus liber habet *ira.* nec refert. Verum hoc ad rem magis pertinet, quod mox habet pro *noſſet, cognoſſet.* Et paulo poſt, *in prouinciam perueniret.* quam lectionem & nos recepimus.

Cap. XLIII. *Vt ſterni obterique, priuſquam inſtruantur, poſſint*] Vetus ſcriptura ſic habet: *vt ſterni operique.* Pro hoc poſteriori caſtigator ſuppoſuit *obterique.* Nec eſt alienum verbum. Ego tamen non dubito Liuium ſcripſiſſe: *Vt ſterni opprimique priuſquam inſtruantur poſſint.* quod verbum huic loco magis conuenit.

Cap. XLIV. *Et circa Romanorum ſocior*] Aſteriſcum hic habet editio Aſulanica. Et certe locus ſincerus non eſt. Nec quicquam præſidij ab exemplari ſcripto. Quod ſi quis coniecturam ſequi volet pro *circa* leget *tres*, hoc modo: *Et tres Romanorum ſociorumq; ductores cæſi ſerunt.* Hanc lectionem deprauatæ dictionis veſtigia mihi ſuggeſſerunt.

Eod. *In aciem copiis ductis*] Scripſimus, *eductis.* Et mox, *qua pars caſtrorum*, pro *qua parte caſtrorum.*

Eod. *Et ne paucos quidem, qui pri.*] In ſcripto codice legitur. *Et ne paſſus quidem.* Id *paſſus*, quidam mutauit in *paucos*, quę lectio vulgo recepta eſt. Ego tamen malim *ipſos. Et ne ipſos quidem qui prima luce obamb.* Paulo poſt pro *diſcurrerent* repoſuimus *diſcurrunt.*

Cap. XLV. *Poſtquam à Placentia obſidione abſceſſit*] Volumen manuſcriptum habet. *Poſtquam ad Placentiæ obſidionem acceſſit.* Quam lectionem miror cur quiſpiam auſus fuerit mutare: quaſi non potuerit Aſdrubal ad obſidionem Placentiæ accedens, quam non putabat longi negocij futuram, præmittere equites cum literis ad fratrem.

Eod. *Simul & ipſos patres conſcriptos quid pararet, edocet*] Scripſimus exemplaris ſcripti fidem ſequendo, *ſimul & ipſe patres conſcriptos quid paret, edocet.* Demiror quid hîc caſtiganti in mentem venerit, vt quæ latiniſſime dicta ſunt, melius dicere voluerit.

Eod. *Præmiſſi inde per agrum Lar.*] Repoſuimus, *Præmiſſi item per agr. L.* Et paulo poſt. *Sex millia peditum, et mille equites*, expunximus, *&*.

Cap. XLVI. *Quod floris fuerat*] Antiqua lectio, *quod floris fuerit.* quæ cum melior ſit, & nos eam ſecuti ſumus.

Eod. *Qui ducem inde atque exercitus partem abeſſe ignoraret*] Scripſimus, *abiſſe.*

Eod. *Nam ne ante audiretur*] Scribe, *audiatur.*

Eod. *Inter vota & preces*] *Inter vota ac preces.* Item, *liberorumq.* pro *et liberorum.*

Eod. *Deos deaſq. precabantur*] Repoſuimus: *Deos omnes deaſq; Et felix pugna*, pro *felixque pugna.* item, *damnarenturque* pro *& damnarentur.*

Eod. *Et fatigare precibus*] Volumen ſcriptum habet, *flagitare* precibus. nec diſplicet ea lectio. *Fatigare* infra vſurpat, cum inquit, *Matronæ per omnia delubra vagæ ſuppliciis votiſque fatigauere deos.*

Eod. *Melius viſum eſt*] *Melius* non eſt in codice veteri, nec eſt hic neceſſarium, ſufficit enim: *Nocte clam ingredi viſum eſt.*

Cap. XLVIII. *Vt tribunus tribunum*] Tu lege vice verſa, *vt tribunum tribunus, centurio centurionem.* Nam huiuſmodi variationem amant auctores.

Eod. *Facilis futuru erat*] Scripſimus, *facilior futuru erat.* Et mox, *nihil ferme.* Et paulo poſt: *& quingentos inde ferme paſſus Aſdrubal uberat.*

Eod. *In tentoria adducti*] Antiqua lectio, *abducti* nec multum refert de quo alias monuimus.

Eod. *Tempus pugnæ differretur*] Repoſuimus, *tempus pugnandi differretur.* Et paulo poſt, *nec ad ſequendum ſe iter.* deleuimus *ſe.*

Eod. *Delere exercitū Aſdrubal*] Vetus lectio, *delere*, ſubaudi *ſe.*

Cap. XLIX. *Et vt attendant*] Correximus *& attendant*, ſubauditur enim, *vt.* Item, *vna M. Liuy*, addita litera prænominis. Et infra. *cum quo caſtra collata haberet.* Vbi hactenus lectum eſt, *habuerit.*

Eod. *Signa efferri iuſſit*] Antiqua lectio: *Signa ferri iuſſit.*

Eod. *Duces purum intenti iter uſſeruare*] Vitiatus locus eſt. Legendum autem, *duces parum intente adſeruati.* Quod vero mox ſequitur, *iam inde ante animo.* deleuimus particulam, *inde.*

Eod. *Cum errore voluens haud multum proceſſit vbi prima lux. tr. o.*] & hunc locū proculdubio mendoſum hactenus omnes prætererunt. Nec ſuccurrit codex ſcriptus. Quis autem vnquam abſolute legit vſurpatum verbum *voluere*, vt hic participium, *voluens*? Ego puto legendum *obiens* pro *voluens.* Deinde verbum *proceſſiſſet* diuidi debet in *proceſſit &.* vt ſic legamus: *Et per tortuoſi amnis ſinus flexuſque cum errore obiens, haud multum proceſſit. & vbi prima lux tranſitum opportunum oſtendiſſet tranſiturus erat.* Porro *obiens* mire huc quadrat, pro *circumiens.* Nec improbabunt meam coniecturam qui Latine norunt. Tædioſum vero ſit, narrare quid ſcribam deceperit. nos ad cætera feſtinamus.

Cap.1. *L. Porcius*] Litera prænominis non eſt in ſcripto volumine, nec *Nero* habet.

Eod. *Non itineri modo*] Hactenus hunc locum perperam intellexerunt omnes, velut ſi ſenſus eſſet: Non iter ſolum, ſed etiam ad conferendum extemplo prœlium Liuij coſ. copias fuiſſe inſtructas. At *modo* nomen hic eſt, & legi debet: *Non itineris modo*, hoc eſt, proficiſcentium ritu, qui plerumque arma ſua geſtant ab humeris ſuſpenſa. Vide quam variat ſenſum vnica litera omiſſa. Sic rurſum Liuius libro octauo, *ſignis repente ſublatis, fuga magis, quam itineris modo penitus ad Oceanum & Gades ducit*.

Eod. *Ante ſigna elephantos collocat*] Scripſimus *locat*, ex fide vetuſti codicis. *Et vbi maxime*] Caſtigauimus, *et ibi*, ſententia per parentheſim incluſa, hoc modo: (*& ibi maxime in vetere milite ſpem habebat*.)

Eod. *Et ſigna mouerant loco*] Scripſimus *etiam ſigna*. Mox vero corruptum locum *impotentes iam regi inter duas acies verſari*, ſic caſtigauimus, *impotentius iam regi, & inter duas acies verſari*, id eſt, impotētius iam regebantur, & inter duas acies verſabantur. Hic nobis egregie ſubuenit volumen ſcriptum.

Eod. *Vt cum oſtendiſſent, ſe ab latere mox in terga iam pugnarent. Ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ac tergo, trucidantur Hiſpani Ligureſque*] Exemplar vetus habet pro *ab latere, in latere*, & pro *trucidantur, trucidarentur*. Hoc verbum facit vt putē totam periodum ſic legendam: *Vt cum oſtendiſſent ſe in latere, mox in terga depugnarent, ita vt omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo, trucidarentur Hiſpani Ligureſque*.

Eod. *Et ad Gallos iam cad. p.*] Habes nunc perfectam ſententiam quæ ante mutila erat & lacera. Mire autem placet verbum *depugnarent*, quod ex veſtigiis ſcripturæ reponendum arbitror pro *iam pugnarent*.

Eod. *Vix arma humeris geſtabant*] Eſt in ſcripto *gerebant*. & quid fuit opus hoc mutare?

Cap. 11. *Vbi regendi ſpem vi viciſſet*] Legendum *vbi regendi ſpem viciſſent*. ſubaudi *elephanti*. Quia mox præcedit *bellua*, quidam in editione Aſulanica mutauerat id in *viciſſet*.

Eod. *Nec ſupereſſet tanto exercitui ſuum nomen ſecuto*] Caſtigauimus, *ne ſuperſtes tanto exercitui ſuum nomen ſecuto eſſet*.

Eod. *Cadiſque ceperat ſacietas*] Indicat codex Spirēſis Liuium ſcripſiſſe, non *ſatietas*, ſed *ſatias*. Quo vocabulo veteres vſos fuiſſe docet Nonius Marcellus Accium citans, & Varronem, Lucilium & Lucretium. Salluſtium quoque ſic ſcribentem hiſtor. lib. 2. *Tum exterorum agros inuaſere, frumētique ex inopia graui ſatias facta*. Et Terentium in Eunucho: *Nam vbi me forte ſatias cepit, commuto locum*. Gaudet autem antiquis interdum vti vocabulis Liuius, qualia fortaſſis ſint *aſpreta* & *interniciales*, quorum ante meminimus.

Cap. 111. *Die ſexta*] ſcripſimus, *die ſexto*. Et mox: *Nemo enim*, pro *quia nemo*. Item *narrarique*, pro *enarrarique*. Et, *ciuitas fuerit*, pro *ciuitas fuerat*.

Eod. *Vix vt compotes mentium præ gaudio eſſent*] In antiquo volumine tantum eſt *gaudio*, hoc eſt, *ob gaudium*. Sic ſupra Liuius: *Effuſis gaudio lacrimis*.

Eod. *Aut populus e foro*] Deleuimus præpoſitionem *è* quæ elegantius ſubauditur. Et mox pro *fatigare deos*, ſcripſimus, *fatigauere deos*.

Eod. *Ea litera per forum ad tribunal perlata*] Legendum, *ad tribunal prætoris lata*, quemadmodum & nos caſtigauimus.

Eod. *Traheremurque à percunctantibus vociferantibuſq; vt in roſtris priuſquam in ſenatu litera recitarentur. Tandem cum ſummoti, & coerciti à magiſtratibus fuerunt diſpenſarique lætitia inter impotentes eius animos potuit*] Hic multæ dictiones additæ ſunt, vna tantum aut altera mutatæ. Codex ſcriptus ſic habet: *Sed cunctantibus vociferantibuſque vt in roſtris, priuſquam in ſenatu literæ recitarentur. Tandem ſummoti et coerciti à magiſtratibus, differtarique lætitia inter impotentes eius animos potuit*. Iſta verba ſic legenda mihi videntur, vt cohæreant cum ſuperioribus, hoc modo: *tantoq; certamine ac tumultu populi ad fores curiæ concurſum eſt, vt adire nuncius non poſſet præ cunctantibus vociferātibuſque, vt in roſtris priuſquam in ſenatu literæ recitarentur: Tandem ſummoti et coerciti à magiſtratibus*, ſubaudi *ſunt*. *Vixque ſeruari lætitia intra impotentes eius animos potuit. In ſenatu primum. d.* Porro, nunc vides quantum aberrarint qui ante nos ſententiam iſtam inſtaurare ſunt conati, dum *traheretur que* verbū aſſuunt, & pro *ſed cunctantibus*, ſcribunt *percunctantibus*, quod id verbum poſtea ſequatur, cum inquit, *quæ acta ſint percunctarentur*, dumq; particulam *cum* & verbum *fuerunt* inſulciunt, & pro *differtarique* reponunt *diſpenſarique*. Cæterum noſtræ diuinationes magno nobis labore conſtiterunt, non renitentibus animum donec germanam, vt ſperamus, lectionem reperiſſemus. Sane hic proprie vſus eſt participio *cunctantibus*, de multitudine loquens apud curiam manente. Cunctantur enim quę ſic manent, vt difficulter moueri poſſint.

Eod. *Et pro cuiuſque ingenio, alijs iam certum gaudium, aliis nullum.*] Antiqua lectio: *Et pro cuiuſque ingenio certum gaudio aliis*. Fortaſſis legendum: *Et pro cuiuſque ingenio, certatum gaudio. Aliis nulla ante futura fid. erat*.

Cap. 1111. *Currere obuiā*] Scripſimus, *obuiam*. Et poſtea, *quæ acta ſint percunct.* pro, *quæ acta eſſent*. Item poſtea *perueniſſent*, pro *peruentum eſſet*.

Eod. *Inde introducti in concionem*] Legendum eſt, *traducti*, quemadmodum nos caſtigauimus. introducti enim ſunt legati primum in curiam & ſenatum, traducti poſtea in concionem quæ erat foris & in publico.

Eod. *Ipſe planius*] Hæc duo vocabula neſcio quis hic infulſit: quaſi vero Liuij ſententia quicquam tale expoſcere videatur. O temeritatem. Quid autem huic orationi deeſt? L. *Veturius literis recitatis, omnia quæ acta erant expoſuit*.

Eod. *Argentum ereditum ſoluendo*] Exemplar ſcriptum habet: *Argentum ereditumque ſoluendo*. Quid ſi legas, *ſignatum ereditumque ſoluendo*, vt intelligas de rebus conteſtatis conſignatiſque. Paulo poſt, vbi vulgo legitur: *captiuoſque Afros vinctos, vt erant*, eſt in ſcripto, *vincti vt erant*, vtrumque ſtare poteſt.

IN LIBRVM XXVIII. ANNOTATIONES,
PER BEATVM RHENANVM.

CAp.1. *Cum tranſitus Haſdrubalis quantum in Italia declinauerat belli*] Loquitur hic de Haſdrubale Amilcaris F. qui vt præcedenti libro narratum eſt, Alpeis tranſcendit coniuncturus ſe fratri Hannibali. De hoc nimirum tranſitu Liuius intelligit. At quid formidoloſius accidit Italiæ, quid magis extimeſcendum, quid vnquam rebus Romanis certius exitium afferre viſum eſt, quam cum in Italiam per Alpeis tranſiret Haſdrubal? Per huius enim aduentum duo bella Punica facta, duo ingentes exercitus, duo prope Hannibales, vt Liuij verbis vtar. Quomodo ergo declinaſſe bellum in Italia tranſitu Haſdrubalis videri poteſt, quod tum ex maxime auctum? Sic enim in omnibus exemplaribus excuſis, quæ nobis videre contigit, legitur: *Cum tranſitu Haſdrubalis quātum in Italia declinauerat belli*, &c. Cupiam hic audire profeſſores hunc locum exponentes. Mihi libet cogitare in verbo *declinauerat* ingens eſſe mendum. Habet & vetus volumen deprauatam lectionem, nempe, *inclinauerat* ſiue *inclauerat*, adeo ſunt ambiguæ literæ. Ego vero ſcribendum arbitror, *inundauerat*, quod verbum hic mire quadrat. Franciſcus Petrarcha aut Victorinus Feltrenſis pro illo *indauerat*, fortaſſis primum ſubſtituit, *declinauerat*. Id poſtea Laurentium quoque Vallam virum in literis prorſus incomparabilem fallere potuit. nam aiunt hūc in reſtituendo Liuio multum operæ ſumpſiſſe. Porro libet hoc erratum propemodum alicui monacho tribuere, qui pro *indauerat* ſuppoſuerit hic *declinauerat*, quod *trāſitum* acciperet pro *interitu*. Nam Chriſtiana pietas *tranſitum diuorum* vocat, *mortem* intelligens. Huic mendoſo loco mederi conatus eſt doctus aliquis in editione Eucharij Ceruicorni ſcribens, *quantum in Italiam declinauerat belli*.

Cap. 11. *Et id ferme quod roboris erat*] Hęc clauſula pronomine *quod* expuncto, (neque enim in veteri volumine habetur) per parentheſim eſt legenda, hoc modo: *Hanc*

iuſtam legionem, (& id fere mero roboris erat) in prima acie locat.

Eod. *Leuem armaturam*] Repoſuimus, *ceteros, leuem armaturam.* appoſitiue.

Eod. *Id ad cædem eos*] Hæ duæ voces, *id ad*, erant omiſſæ in exemplari Spirenſi, defectum indicabat lacunula vacua. Fortaſſe melius eſſet reponere, *& ad cædem eos.* quod mihi magis probaretur.

Eod. *Pœnus cum caſtra tum forte*] Auctoritatem ſecuti manuſcripti codicis ſic reſtituimus. *Pœnus cum caſtra ſua forte in Betica ad ſociorum animos continendos in fide haberet.*

Eod. *Ceterum quoad continuiſſet exercitum, propoſitum bello ſe foreratus, antequam freto Gades traiiceret, exercitum omnē paſſim in ciuitates diuiſit*] Si quis huncmihi locum expoſuerit, illum Oedipum vocabo. Quid enim ſequitur, quod ad iſta verba attineat, *quoad cōtinuiſſet exercitum?* Multum miror cur ita veteribus illis, nempe Victorino Feltrenſi, Petrarchæ, Alerienſi pontifici, quoties locum aliquem non ſatis aſſequerentur, de ſuo quiduis addere libuerit. Et quamuis hic decem dictiones infulſerint, nihilominus mutila adhuc eſt ſententia. Hic itaque locus aſteriſco notandus erat, non is qui paulo poſt ſequitur in editione Aſulanica ea nota ſignatus, cum bene habeat. In volumine ſcripto tantum legitur: *Ceterum quo ad continuiſſet exercitum omnem paſſim in ciuitates dimiſit.* Dicam quid mihi tandem in mentem venerit, cum diu hic hæſiſſem. Suſpicor iſta verba, *quoad continuiſſet* prorſus eſſe deprauata, ac ſcribendum pro illis, *quod aciem renuiſſet.* Nam ſic conſtabit ſententia: *Ceterum quod aciem renuiſſet, exercitum omnem paſſim in ciuitates dimiſit.* Senſus eſt: Aſdrubal detrectabat confligere cum Scipione, & ideo paſſim exercitum in ciuitates dimiſit, non *diuiſit*. Conſidera lector, quantum ſibi quidam permiſerint in auctoribus reſtituendis, imo deprauandis. Non ſufficiebat hic mendum exemplaris ſcripti, niſi plura aſſuerentur, οὔτε γῆς οὔτε οὐρανοῦ ἁπτόμενα, quemadmodum Græcis eſt in prouerbio. Hæc licentia Plinianos quoque libros nobis perdidit, quos mendoſiſſimos hactenus fuiſſe quibuſdam perſuaderi non poteſt.

Cap. III. *In Meleſſum finibus eſt ſita*] Hic verborum ordo eſt in codice vetuſto: *Sita in Meleſſum finibus eſt.*

Eod. *Ea arx fuerat Aſdrubalis*] Repoſuimus iuxta fidē antiqui voluminis: *Ea arx fuit Aſdrubalis ad excurſiones circa in mediterraneos populos faciendas.* Quæ particula *in* hactenus deſiderata fuit in exemplaribus vulgatis. Corrector accepit *circa* hic vt eſſet præpoſitio, cum ſit aduerbium, hoc eſt, *in circuitu*. Et propterea particulam *in* expunxit.

Eod. *Duplicique vallo circūdata vrbe in treis partes exercitum diuiſit*] Codicem veterem ſequendo ſic caſtigauimus & diſtinximus: *Duplicique vallo circumdat vrbem. In treis partes exercitum diuidit.* paulo poſt, pro *et iam* bis ſcripſimus *etiam*.

Eod. *In vnum ſe colligeret*] Addimus Accuſatiuum *locum*, qui eſt in libro ſcripto.

Eod. *An dolus aliquis ſuſpectus fuerit*] In volumine veteri non eſt *aliquis*, ſed *aliqui*. Sic autem Liuium loqui & cæteros auctores ſupra docuimus.

Eod. *Legionarij ceteras parteis peruadunt, direptione et cæde obuiorum, niſi qui armis ſe tuebantur, abſtinuerunt*] Repoſuimus ad fidem exemplaris Spirēſis: *Legionarij ceteram partem vrbis peruadunt, direptione & cæde obuiorum, niſi qui armis ſe tuebantur.* Senſus eſt: Legionarios reliquam partem vrbis diripuiſſe, & obuiis quibuſque cæſis graſſatos fuiſſe, præter eos qui armis ſeſe periculo eximebant contra hoſtium vim vitam ſuam defendendo. Quid igitur opus fuit hic verbum *abſtinuerant* infulcire, & ſenſum Liuij inuertere? Nos id audacter erāſimus.

Eod. *Romanorum haud amplius.* Scripſimus *haud plus.* Et poſtea cap. IV diſtinximus, *ceteroque exercitui. Specioſum aduentum.*

Eod. *In citeriorem Hiſpaniam omnes ſuas copias reduxit*] Nos repoſuimus veterem ſequentes lectionem: *In citeriorem Hiſpaniam recipit exercitum.* Mox autem: *Ipſe Tarraconem conceſſit.* *ipſe*, non eſt in codice ſcripto. Sicut paulo poſt nec *que* poſt *decem.* ſed tantum *decem & ſeptem naues.*

Eod. *Tuto inde mari pulſis hoſtium nauibus*] Non eſt hæc abſurda lectio. Verum nos maluimus ſequi Spirenſe exemplar, quod habet: *Toto inde mari pulſis hoſtium nauibus.*

Cap. V. *Cum ob Romanam ſocietatem*] Antiqua lectio: *ab Romana ſocietate.*

Eod. *Haud procul Arginorum fine*] Repoſuimus Argeorum. Græci ἀργεῖοι dicunt auctore Stephano.

Eod. *Quæ pericula terra marique portendebantur*] Scripſimus *portenderentur.* Similis locus eſt libro præcedenti *Quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur.* Vbi quiſpiam ſcripſerat, *ſeruabatur.*

Eod. *Valloque intercludi ab Aetolis nunciabant*] Legendum eſt, *nunciarant.*

Eod. *Prout tempus ac res ſe daret, omnibus laturum ſe auxilium*] Sic Liuius ſcripſit: *Prout tempus ac res ſineret, omnibus laturum auxilium.* O aſinum, qui pro *ſineret*, ſuppoſuit *ſe daret.* Huiuſmodi loquendi formulas imitamur poſtea, nondum ſatis repurgatis exemplaribus, quæ rēs periculo non caret.

Eod. *Tum præſidium vbi mit.*] Non ſatis video quid ſibi hic velit aſteriſcus quem habet editio Aſulanica. Nam quod ſequitur: *Vnde allatum erat*, idem eſt, quod *nunciatum*, & *depopulatum*, participium eſt, non ſupinum.

Eod. *Scotuſam copias reduxit*] Scripſimus *redacit.* Ex mox, *ſeſe recepit*, pro *recepit.*

Cap. VI. *Nec pertinaciter prælio iterato*] Legendum eſt, *prælio inito.*

Eod. *Ad Demetriacum Phthioti lis expoſitis*] Scriptum exemplar habet, *ad Demethrium ioti ditis.* Vbi poſterius vocabulum mutilum eſt. Legēdum enim *ad Demetrium Phthiotidis.* Eſt autem *Demetrium* locus circa Theſſaliam, ceu ſcribit Stephanus. Græci Δημήτριον vocant. Eodem auctore: Φθία πόλις καὶ μοῖρα Θετταλίας hoc. eſt: *oppidum & pars Theſſaliæ.* Vnam ſane ex quatuor Theſſaliæ partibus: Strabo Θετταλίαν Φθιῶτιν appellat. Quare hic in *Phthiotidis* ſubauditur, *Theſſaliæ.* At ô ſupinam quorundam negligentiam in reſtituendo Liuio, Non puduit illos *Demetrium in Demetriacum* vertere. quod paulo ante Demetriaci ſinus ſit facta mētio. Sed nemo vult laborare. Quicquid in mentem primum venit, id infulſimus. Deinde niſi manifeſtus ſit ſolœciſmus, huiuſmodi lectionem omnes ſequuntur. Sic legit Beroaldus, inquiunt, ſic Sabellicus, ſic Baptiſta Pius. Et quis amplius dubitat? Equidem fuerunt viri celebres & literati, ſed qui mallent omnia interpretari quam intelligere. Fidebant ingenio ſuo, fidebant eruditioni. Nec putabant opus eſſe ſcripta conſulere exemplaria. Id quod rātenter admodum faciebant. Quin erant contenti auctoritate & opinione nominis, quam apud omnes ſibi pepererant, vt iam propemodum ſufficeret illud αὐτὸς ἔφα. At alia rēs eſt caſtigare veterum auctorum libros. Eget enim non ſolum eruditione, ſed & pertinaci ſtudio, labore & diligentia, ac cum primis acri iudicio.

Eod. *Speciem intuenti*] Caſtigauimus, *vt ſpeciem intuenti primo gemini portus in ora duo verſi præbuerit.*

Eod. *Subiti ac procelloſi deiiciunt*] Opinor ſcribendum, *decidunt.*

Eod. *Quæ fluxa & vana apud Oreum fuerant*] Scripſimus *fuerat.* nam refertur ad *fidem.*

Cap. VII. *Et impars tum maritimis vrbibus*] *Tum* particula non eſt in codice ſcripto. Mox vero: *Ita re per cunctationem omiſſa, ad Chalcidis auxilium.* Sic reſtituimus & diſtinximus: *Ita res per cunctationem omiſſa.* ſubaudi, *eſt. Ad Chalcidis auxilium, vbi. ſ. a. i. eſt motus.* Deinde quod ſequitur, *terraque aditum faciliorem*, expunximus *que.* nam elegantius ſubintelligitur. Et gaudet aſyndeto Liuius. ſicut mox, *deiecto præſidio, fuſis Aetolis*, non *fuſiſque Aetolis.* Sic enim intelligi debet, *deiecto præſidio*, quod erant Ætoli. Et dicit *deiecto*, quod eſſent in montibus & ſaltibus Thermopylarum, vbi anguſtæ fauces coarctabant iter.

Eod. *Cum Romana claſſis eo ſe recepiſſet. Attalus igitur ignarus*] Repoſuimus ex ſcripto volumine: *Romana claſſis Oreum ſeſe receperat, & Attalus ignarus ad Ph.* Non enim vult dicere Liuius quomodo ſit captum Oreum, quod ante expoſuit: ſed quid interim fieret cum à Romanis tum ab Attalo rege. Magnam quorundam temeritatem vides, qui Liuij verba ad ſuum ſenſum inuertere auſi ſunt. Quale etiam eſt, Quod paulo poſt pro *curſu effuſo mare ac naues petit*, ſcripſerunt, *curſus effuſus.*

Eod. *Et molientibus ab terrā naues Philippus ſuperuenit*] Sic

dixit, *molientibus ab terra naues*, quemadmodum infra, *quam Pœni anchoras molirentur*. Et in oratione Scipionis, qua Q. Fabio, reſpondet non procul à calce huius libri: *Audietis hunc molientem Hannibalem*. Et rurſum poſtea *Et anchoras aeia moliẽdo mora eſſet, pracidunt*. Porro non eſt, *ſuperuenit* in ſcripto codice, ſed *aduenit*. Quod vero cohæret, *tumultũque etiam ex terra nauticis prabuit*, debet eſſe, *metumque etiam ex terra nauticis prabuit*.

Eod. *Omiſſis Romanis*] Ex veteri codice, *rebus* ablatiuum adſcimus. Et mox *claſſem recipit* ſcripſimus, pro *recepit*.

Eod. *Profugi à Thebis Phthiotici*] Nouem fuit oppida quibus nomenclatura Thebarum olim tributa eſt. De quo hic fit ſermo, Stephanus tertium facit, τρίτη, inquit, Θεσσαλίας τῆς Φθιώτιδος. Eſt autẽ *Phthia* Theſſaliæ pars, ceu ante diximus. vnde Φθιῶτις Θετταλία, Straboni, & *Phthiotici* hic gentile nomen.

Eod. *Cum in fidem Aetolorum perfugiſſent*] In codice ſcripto, *perueniſſent* eſt. Opinor autem pro *fidem* ſcribendum, *finem*. Nam vſurpare ſolet Liuius *finẽ* pro *finibus*, vt ſupra. *Haud procul Argeorum fine poſitis caſtris ſerrebat*.

Eod. *Vrbis vaſtata ac deſerta priore eiuſdem Philippi bello*] Repoſuimus veterem librum ſecuti. *Vrbis vaſta, ac deſerta priore quidem Philippi bello*. Vrbs erat vaſta Torone, ergo magnum populum capere poterat. Sic rurſum aliquanto poſt. *Et infrequentes ſe vrbes, agrum vaſtum ac deſertam habere*.

Eod. *Cum expedito agmine*] In exemplari legitur, *quam expedito*. Forte ſcribendum, *perquam expedito agmine*.

Eod. *Et iam eam Eream veniſſet, audit Machanidam f. a. ſ. t. L. Aegiumque ſe ad con.*] Hic ſe doctus quiſpiam infeliciter exercuit. Nam cum in exemplari reperiſſet, *audita*, ſcripſit, *audit*. & non cohærente eo quod ſequitur, *Aegium ſe ad c. A. recepit* adiecit particulam *que*, vt eſſet nouæ ſententię initium. Tu ſic caſtiga locum, *Et iam cum Eream veniſſet, audito Machanida fama aduẽtus ſui territum refugiſſe Lacedæmonem, Aegium ſe ad cõcilium Achæorum recepit*. Ad hanc loquendi formam pertinet, quod infra ſequitur: *Quidam quas diſceptando cõtrouerſias finire nequiuerant, aut noluerant, pacto inter ſe, vt victorem res ſequeretur, ferro decreuerunt. Pacto*, id eſt, vbi pepigiſſent; ſic hic *audito*, id eſt, vbi audiſſet.

Cap. VIII. *Sed vix rationem iniire poſſe*] Lectio vetus: *Sed id rationem iniri poſſe*. Scribendũ opinor, *ſed haud rationem iniire poſſe*. Mox ſequitur, *an fugatius*, quod illic legitur, *quam fugatius*. Nec eſt *à Chalcide*, ſed *tantum Chalcide*, ſubauditur autem præcedens præpoſito, *ab*.

Eod. *Si modo congreſſus cum hoſtibus ſis*] Cum eleganter hic dixerit Liuius, ceu non dubito, *cõgreſſus cum hoſte ſis* (nam præcedit *ab hoſtibus*, & ſequitur, *confeſſionem hoſtium*) tamen aſinus auſus eſt ſupponere ablatiuum pluratiuum, *hoſtibus*. Idem mox addidit de ſuo datiuum *ſibi* in *nequaquam pares eſſe eos ſibi*, cum tamen illo expreſſo non fuerit opus.

Eod. *Deſcenſionem fecit*] Codex ſcriptus habet, *excenſionem fecit*.

Eod. *Ipſe ab Oenotriis præter terram Atticam ſuper ſinum nauigans inter medias prope hoſtium claſſes Chalcidem peruenit*] Quomodo in Italia ſubito Philippus ex Corintho? Nam Oenotria eſt Italia. Videtur mihi plane quiſpiam lectores ludere voluiſſe. Sed mirum eſt hactenus hoc à nemine perceptum. Oportet hic ingenue dicere quod veriſſimum eſt, nimia ſecuritate fidunt ſtudioſi quibuſdam typographicis officinis, vt in Italia Aſulanicæ, quaſi vero caſtigatiſſima ſint omnia, quæ ex illis prodeunt. Quibus hactenus credendum erat, vt rem iudicio prius & collatione exploraremus. Interim ſtudioſi meritas ſuæ credulitatis pœnas ſæpe luunt. Reſtituimus hũc deprauatiſſimum locum iuxta ſcriptum archetypum, hoc modo: *Ipſe à Cenchreis præter atticen per Sunium nauigans, inter medias prope hoſtium claſſes Chalcidem peruenit*. Vide per Muſas in paucis verbis ingentia errata. Cenchrearum ciuitas de qua hic loquitur Liuius, apud Corinthios nauali ſtatione fuit inſignis. Atque eadem eſt, cuius & diuus Paulus meminit in fine epiſtolæ quam ad Romanos ſcripſit. Sunium vero promontorium eſt Atticæ. Ceterum vſurpauit forma Gręca *Atticen*, vt nihil fuerit opus emendare *terram Atticam*. Quod mox ſequitur, *flexiſſet eorum animos*, ſcripſimus *flexiſſent*. Et paulo poſt, *primo ad opem ferendam*.

Cap. IX. *Q. Fabius Maximus Pr.*] *Prætor* non eſt in codice Spirenſi, nec vocabulum *patres*, quod paulo poſt ſequitur; nec item poſtea coniunctio *quoque*: *Vnoquoque tempore*. Quare & nos expunximus.

Eod. *Quod eorum opera incolumis*] Antiqua lectio, *eorum ope*. Sed magis placet *opera*. Et paulo poſt *fortiter fideliterque adminiſtrata*. Sic & infra: *Quam forti fidelique duorum præcipue legatorum opera vſi eſſent*.

Eod. *Ita conuenis, vt quoniam & in prouin.*] Mihi magis hic probatur lectio vetuſti voluminis, quæ videtur antiquam aliquam formulam referre, neque enim eſt illic, *vt* particula, nec *&* coniunctio ter reperita. Sic autem habet, *ita conuenit: Quoniam in prouincia M. Liuij rẽs geſta eſſet eo die quo pugnatum foret, eius forte auſpiciũ fuiſſet, exercitus Liuianus deductus Romam veniſſet, Neronis deduci de prouincia non potuiſſet, vt M. Liuium*. Hic tandem ſequitur, *vt*. Ad iſtum modum ſingula caſtigauimus in contextu.

Eod. *Vnius equo per vrbem*] Scripſimus *vno equo*. Nam præcedit, *multiiugis equis*. & ſic habet liber vetus.

Eod. *Neroniq; etiam ſi pedes incedat, vel parto eo bello, vel ſpreto triumpho, gloriam memorabilem fore*] Quo ſenſu dictum eſt, *vel parto eo bello*. Nos iſtam ſententiam ex veſtigiis veteris ſcripturæ ſic reſtituimus: *Neronemque etiamſi pedes incedat, vel parta eo bello, vel ſpreta eo triumpho gloria, memorabilem fore*.

Eod. *Pecuniam in ærarium tulerunt*] Caſtigauimus: *Pecunia in ærarium tulerunt ſeſtertium tricies octoginta millia æris*.

Cap. X. *Sub aduentu eius*] Legendum, *ſub aduentum*, id eſt, paulo ante quam veniret. Item, *& ludi Romani*, particulam *et* expunximus.

Eod. *Et Q. Cæcilio Metello* Coss. *ambobus, vt cum Annibale bellum gererent, prouincia decreta*] Cur hic aſteriſcum non appoſuerunt, deeſt enim nomen prouinciæ. Repoſuimus nos ex manuſcripto codice: *Et Q. Cæcilio Metello* Coss. *Brutij, ambobus vt cum Annibale*, & quæ ſequuntur.

Eod. *A. C. Terentio proconſule*] Opinor ſcribendum *proprætore*. In veteri codice mendoſe eſt, *pro publicare*, quas voces indoctus ſcriba ſemper ſuppoſuit quoties ſcriptum repperit, *Propr.*

Cap. XI. *Veſtalis virgo*] Scriptus codex tantum habet: *Veſtalis*, Profeſſor aliquis inter exponendum dixit: *Veſtalis*: ſubaudi *virgo*. id poſtea receptum eſt in contextum.

Eod. *Et ſupplicationem ad Veſta aram habere placuit*] Qui hic infulſit accuſatiuum *aram*, non fuit admodum Latine doctus. legendum eſt, *ad Veſtæ*, & ſubauditur, *templum*, aut *aram*. Horatius: *Ventum erat ad Veſtæ*. de quo ſermonis genere ſæpe monuimus in prima Decade.

Eod. *Moniti ab ſenatu ſunt*] Scripſimus, *admoniti*: Et in ſequenti verſu: *& poſſe ſine metu*.

Eod. *Agrum vaſtatum ac deſertum habere*] *Agrũ vaſtum* repoſuimus. ſicut ſupra *vrbis vaſtæ ac deſertæ priori quidẽ Philippi bello*. Et paulo poſt, *Atque Placentini eſſent, ante certam diem*.

Eod. *In ſalta anguſto à Brutiis, iaculatoribuſque Numidis turbati ſunt*] Audi hic mi lector rem ridiculam, quid librarium deceperit, vt ſynceram ſcripturam deprauaret, *diſturbati, à diſturbor, aris*. forte ſcriptum erat priore ſyllaba à ceteris per ſpaciolum aliquod diſtãte. hoc modo, *dis turbati*. Placuit vocabulum *turbati, dis* ſcriba fragmentum alicuius dictionis eſſe putauit: ipſe ſyllabam nouam adiecit, vt fieret *mandis*. Et cum hæc vox locum hic non habeat, doctus aliquis ſcripſit *iaculatoribuſque Numidis*, adiecto *que* ad finem dictionis prioris. Sic autem indubie Liuius ſcripſit. *In ſalta anguſto à Brutiis iaculatoribus diſturbati ſunt*.

Cap. XII. *Cum magnam partem iuuent*] Scripſimus: *Tum magnam partem iuuent*. Et mox, *inter latrocinia*, non *per latrocinia*.

Cap. XIII. *Tanta ſe fore parem multitudini*] *Fore* verbum additum videtur. nos induximus. neque enim eſt in vetuſto.

Eod. *Inde ad Betulam vrbem progreſſus*] Scripſimus, *proceſſum*, ſubauditur *eſt*. Imperſonaliter dictum.

Eod. *Plures & integri*] Hic deerat, *vſque* dictio quam inſeruimus, *plures vſque & integri*, ſcilicet, *ſubireat*.

Eod. *Terga haud dubie vertuat Pœni. Numidæque primo turm.*] Hunc locum deprauatum ſic reſtituimus: *Terga haud dubie vertunt Pœni Numidæque. Et primo turmatim*.

Digitized by Google

Eod. *Tamen nunquam aliquot inſequentes dies*] Exemplar ſcriptum habet. *Tamen nunquã prælio quo Iiaſequentes dies.* Ex qua mendoſa lectione conijcio fuiſſe ſcriptum: *Tamen nunquam per aliquot inſequentes dies.* quemadmodum & emendauimus.

Cap. XIV. *Caſtellorum procul ſpeciem viſu præbebant*] Vocabulum *viſu* quiſpiam inſulſit. nos exemimus.

Eod. *Cum raptim pranſi eſſent*] Hic nugator aliquis ſe exercuit. Liuius ſcripſit: *Vt ante lucem viri equiq. pranſiſſent* aut *pranſi eſſeat*. Ille adiecit, *cum raptim pranſi eſſent*.

Eod. *Nec ordine ſolito quicquam in acie ſtruenda mutat*] Debet eſſe: *nec ex ordine ſolito quicquam aciei aſtruendæ mutat.* ſubauditur autem *in*.

Eod. *Equitum iamdiu a.p. fuit. nec ipſa per ſe decerni poterat, quia pulſis (quod prope inuicẽ fiebat) in aciem peditũ tutus receptus erat*] Miſeret me plane optimorum quotumque auctorum, qui indigniſſime paſſim tractati ſunt à caſtigatoribus non ſat. diligentibus. qualem hominum temeritatem cum alibi, tum hic inſigniter expertus eſt T. Liuius. Antiqua lectio ſic habet: *equitum iamdiu anceps pugna erat. nec quia pulſis quod prope inuicem fiebant in aciem pe litum tutus receptus erat.* Hanc mendoſam lectionem cum non intelligerent caſtigatores, adiecerunt multa de ſuo, Liuijque ſenſum inuerterunt. Nos tamen bene fortunantibus Muſis ex iſta deprauata germanam indicabimus: nempe hanc, *Equitũ iam diu anceps pugna fuit, nec depulſis (quod prope inuicem fiebat) in aciem peditum tutus receptus erat.* Senſus clarus eſt, quod equites vtriuſque exercitus, cum inuicem depellerentur. ſicut nunc Romani Pœnos, nunc viciſſim Romanos Pœni depellerent, nam hoc ſibi vult interiecta clauſula, *quod prope inuicem fiebat*, in aciem peditum tuto recipi non poterat. Nam ſequitur poſtea: *ſigno receptui dato Scipio, patefactiſque ordinibus, equitatum omnem leuem q. armaturã in medium acceptam, diuiſamque in partes duas in ſubſidiis poſt cornua locat.* Confer nunc quod nos caſtigauimus cum vulgata lectione, & vide quale piaculum commiſerint, qui eo quod legebãt *quia pulſis*, quod nos caſtigauimus, *depulſis* ſiue *perpulſis*, hanc clauſulam de ſuo adiecerunt, *nec ipſa per ſe decerni poterat*, conſpurcantes Liuij ſenſum inuertenteſque. Sed vbi non ſimilia acciderunt in hoc auctore?

Eod. *Acies inter ſeſe diuiſæ aberant*] Quaſi non ſatis Latine diceretur, *haud plus D. paſſus acies inter ſeſe aberant*, quidam inſeruit *diuiſæ*.

Eod. *Ipſe à dextro cornu*] Liuius omittit plerunque præpoſitiones, quæ elegantius ſubaudiuntur quam exprimuntur. Caſtigatores priores nuſquam non inſulſerunt. *Ipſe dextro cornu* omittit, ſub additur, *à dextro cornu*.

Eod. *In ſiniſtram partem quemadmodum ſe tendentem ad dextram vidiſſent*] Codex ſcriptus habet, *in ſiniſtra parte*. Proinde non dubito ſcripſiſſe Liuium, *in ſiniſtra parte quemadmodum ſe tendentem a dextra vidiſſent*. Sic & nos reponere ſumus auſi.

Cap. XV. *Et cum ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum quod turba Balearium tyronumque Hiſpan*] Hinc in primis notandum eſt, quod in volumine veteri pro *turba Balearium*, ſcriptum eſt, *turba balirum*, vt ſuſpicer *ba* ſyllabam librarium perperã repetiiſſe. Quid ſi legas, *lixarum tyronumq. Hiſpanorum?* Deinde ſciat lector ſic eſſe exponendã Liuij verba. *Et cum ab omni parte haudquaquam par pugna erat, tum* ſubaudi, haud quaquam pugna par erat, *quod turba lixarum tyronumq. Hiſp. Romano Latinoque militi obiecta erat.* Id quod cum non animaduertiſſent olim Liuiani caſtigatores, particulam *&* quæ ſequitur, *& procedente*, temere eraſerunt, coniungentes *tum procedens* cum hac oratione, *procedente iam die.* Verum nos *&* particulam hic neceſſariam de poſtliminio inſeruimus. Nam Liuius duas præcipuas cauſas aſſignat imparis pugnæ. Vnam quod lixæ & tyrones à partibus Pœnorum, fortiſſimis militibus erant obiecti. Alteram, quod exercitus Punicus deficere cœpiſſet ob inediam.

Eod. *Cornibus incurrerunt*] Scripſimus, *concurrerunt*. Et mox, *vt primo æſtus*, repoſuimus, *ita vt prius*.

Eod. *Cum proximus quiſque hoſtem caderet*] In exemplari vetuſto legitur, *proximi*. Proinde video ſic quoque verba ſtare poſſe: *Cum proximi quique hoſtem caderent.*

Eod. *Inde vt inferi impigre ſigna viderunt*] Scripſimus *deinde.* & paulo poſt: *vt vix in caſtra ſua reciperent ſe victores: quoſdam etiam religio ceperat.* Vbi vulgata lectio habebat, *receperit & ceperit* Item infra.

Cap. XVI. *Citato agmine dad. ſunt*, pro *e ſunt*. Et mox: *ducibus eſt creditum*, particula *ſed* expuncta.

Eod. *Cum hoſtis nequiquam ſubire, id eſt, aſcenſu conatus eſſet*] Emendauimus ad lectionem veterem, *cum hoſtis nequicquam ſubire iniquo aſcenſu conati eſſent.* Ceterum quemadmodum hic ſingularem numerum in pluralem mutauimus, ſic mox pluralem vertimus in ſingularem. *Itaque tranſitiones ad hoſtem fiebãt*. ad vitandam cacophaton, Aſtipulatur autem nobis liber vetus. Paulo poſt ſcripſimus, *mille equites reliquit Syllano.*

Eod. *Proconſulis Scipionis*] Nos ſcripſimus, *P. Scipionis*, Nam vbique librarius pro *P.* litera prænominis, hoc eſt, pro *Publio proconſulem* ſcripſit. Mox repoſuimus duas dictiones, quæ deerant: *Quinto poſt quam P. Scipio prouinciam & exercitum accepit.* Paulo poſt in exemplari Spirenſi legitur, *cum multis nõ ſi... captis.*

Cap. XVII. *Pœnis autem in Italia aduerſa*] Particulã *autem* expunximus. Et paulo poſt, *ad Scipionẽ redit* ſcripſimus, pro *redijt*.

Eod. *Opulentiſſimus eius terræ*] Hic deerat vocabulum *rex*, quod inſeruimus. *Opulentiſſimus eius terræ rex.* Et mox, pro, *quia freto exiguo dirimuntur*, repoſuimus, *quod freto exiguo dirimũtur*, ſubaudi *haec*. Paulo poſt prænominis literam Syllano præfiximus, alio loco *iuuante vento* ſcribentes pro *adiuuante*. Sequimur enim vbique, quatenus licet, auctoritatem manuſcripti codicis.

Eod. *Quàm Pœni anchoras molirentur*] Sic ſupra. *Et molientibus ab terra naues Philippus aduenit.*

Eod. *Nec vltra tumultũ edere quiſquam in regio portu audebat*] Antiqua lectio: *nec vltra tumulatum agere quiſquam in regio portu audebat.* Ex iis corruptis verbis hanc germanam Liuij lectionem erui: *Nec vltra tumultum agere quis quicquam in regio portu audebat.*

Eod. *Itaque prior in terram Aſdrubal*] In antiquo libro legitur. *Ita in terra prior Haſdrubal.* ſubaudire poteris verbũ *fuit*.

Cap. XVIII. *Magnificumq; id Syphaci; nec erat alias viſum*] Volumen Spirenſe non habet, *alias*, ſed *aliter*. Qui nobis hunc Liuij locum deprauauit, *alias* pro *aliter* ſupponendo, in hoc lapſus eſt, quod *viſum* ordinabat cum *aliter* aduerbio, quæ cum illi parum Latina videretur oratio, *aliter* vertit in *alias*. At *viſum* poſtrema vox referenda erat ad primam *magnificumque*, & ea poſterior clauſula per parentheſim legenda, hoc modo: *Magnificumque id Syphaci (nec erat aliter) viſum*, quemadmodum nos in contextu reſtituimus.

Eod *Et quoniam ſors eſt ſibi*] *Et* particula, non eſt in codice ſcripto. nec mox *contrahere ad colloquium*, ſed *in colloquium*.

Eod. *Illud magnopere commend.*] Melius hic placuit vulgata lectio, quam ea quæ eſt in veteri libro. Siquidem habere videtur: *illuc magnopere tendens erga*. Nos tamen aliter diſtinximus ſententiam. Paulo poſt *Et eodem etiam lecto*, particulam *et* deleuimus.

Eod. *Sibi conciliaret. mirabiliteremque ſibi eum virum*] Scripſimus, *ſibi conciliaris. mirabiliorem ſibi eum*. coniunctione *que* & accuſatiuo *virum*, diſpunctis. Sic poſtea particulam *tam* eraſimus: *Regnumque eius in Romanorum eſſet poteſtate.*

Eod. *Sed potiunda Africæ ſpem affectantem*] *Affectare ſpẽ* vtcumque grammatice dicitur. Verùm non ſatis intelligo quid ſibi velit quod dicit, *potiunda Africa ſpem affectantem*. Certe Scipio ſpem magno emit, ſi tantis periculis nihil aliud aſſequi in animo habebat, niſi vt affectaret ſpem Africæ obtinendæ. Ego opinor locum eſſe vitiatum. Codex ſcriptus habet, *ſpe adſectantem*. Si quis diuinationem noſtram recipere velit, leget, *ſed potiunda Africa præcia ſectantem*. Quæ ſententia Liuio digna erit. Scriba mutauit *præ* in *ſpe*. & *cia* in *a d*. Ea poſterior particula cum ſequenti participio connexa, cõſtituit *adſectantem* quod alius poſtea vertit in *adfectantem*, cum *ſpem* pro *ſpe* ſcripſiſſet.

Eod. *Et pleriſque ſenis in alto iactatus ventis*. Scripſimus, *& pluramque ſenis*.

Cap. XIX. *Illiturgum & Caſtulo*] Legendum, *Illiturgi & Caſtulo erant*, ſuffragãte codice vetuſto. Plinius, *Illiturgi, quod forum Iulium.* Deſinunt autem pleraque vetera Hiſpaniæ oppidorum nomina, in *i*, vt Ipaſturgi, Aſtigi, Vrgi. Sexi, Oſigi, Tuaci, ...tubi, Aloſtigi, & ſimilia.

Eod. *Caſtulonenſes cum proſperis rebus ſocij fuiſſent, poſt ...*

cum exercitibus Scipiones defecerant. Antiqua lectio, *Caſtulo eum proſperi rebus ſocij fuiſſent, poſt caſos cum exercitibus Scipio. defecerant ad Pœnos.* Nec dubito ſic ſcripſiſſe Liuium, Caſtigatorem offendit verbum *ſocij* pluralis numeri.

Eod. *Scelus etiam defectioni addiderant*] Hæc verba, *ſcelus etiam defectioni*, non ſunt in exemplari vetuſto, ſed tantum, *addidederant.* Pro quo verbo fortaſſis ſcribendum, *perfidierant*, hoc modo: *Illiturgitani prodendis qui ex illa clade ad eos perfugerant* (ſiue *profugerant*) *interficiendiſque perfidi erant.* Nam ſequitur infra: *A'ijs perfidiæ crudelitatis, & ſceleris pœnas expetendas eſſe.* Non tamen reprehendo lectionem vulgatam nam & hic *ſceleris* ſcriptum eſt.

Eod. *Merito magis quam vtiliter ſæuitum foret*] Miror in Liuio tot loca prodigioſe corrupta reperiri, quando omnium ſtudioſorum manibus aſſidue teritur. Certe hic tam eſt vitiata lectio, vt totam ſententiam cohærentem obſcurarit perdideritque. Nequicquam profuit codex ſcriptus. Deprehendi poſt longam expenſionem ſenſus, legendum hic, *increpitos magis quam vt aliter ſæuitum foret*, pro eo quod eſt, *merito magis quam vtiliter ſæuitum foret.* Quibus verbis reſtitutis facile eſt inſtaurare totam ſententiam ante male diſtinctam, nimirum hoc modo: *In eos populos primo aduentu, cum dubia Hiſpania eſſent increpitos magis, quam vt aliter ſæuitum foret ſatiam* (ſic enim eſt legendum, quod tamen mendoſe in Spirenſi volumine eſt, *tuetiam*) *tranquillis rebus quia tempus expetendæ pœnæ videbatur veniſſe, accitum ab Tarracone, L. Martium, cum tertia parte copiarum ad Caſtulonem oppugnandam mittit.* Hic habes verbum, huiuſque procurrente ſententia.

Eod. *Ipſos claudendis portis indicaſſe Hiſpanos*] Repoſuimus *claudendo portas.* In veteri legitur *claudendos portas.* Paulo poſt, *cum illis ſine ira prope*, ſic ordinauimus, *cum illis prope ſine ira.* Et pro, *eueniſſet empus*, ſcripſimus, *veniſſe tempus.*

Eod. *Sed ſuus ipſorum conſcientia culpæ metu ad def.*] Hic deprauatam clauſulam ſic reſtituimus: *Sed ſuus ipſorum ex conſcientia culpæ metus ad defendendam impigre vrbem hortatur.*

Eod. *Non libertas ſola agebatur*] Quis vnquam dixit *libertas agitur*, & non potius *libertatis negocium agitur?* Antiqua lectio: *Non liberata ſolu alebatur.* Ex mendoſa ſcriptura ſyncetam venabimur. Prima ſyllaba verbi *alebatur*, ſumpta eſt à fine præcedentis dictionis, *At. lebatur* nihil ſignificat. quid ergo fuit? fuit *ledebatur.* Id a litera accedente factum eſt *alledebatur*, pro quo ſemidoctus ſcriba ſuppoſuit *alebatur.* tu lege: *Non libertas ſola ledebatur.* Poſtea ſcripſimus, *haud ſatis decoro prælio trepidari* pro *trepidaret.*

Eod. *Veritus ne vanis tot conatibus ſuorum hoſtibus creſceret animus*] In exemplari Spirenſi dumtaxat eſt, *veritus ne vanis tot conatibus creſceret animus.* Fortaſſe legendum eſt *Veritus ne vanis tot conatibus decreſceret animus, & ſegnior miles fieret.* Sic bene haberet ſententia.

Eod. *Sibimet conandum ad partem periculi cupeſſendam eſſe*] Emendauimus, *ac partem peric. c. eſſe.*

Eod. *Lælius inſtat. Tum victa oppidanorum vis, deiectiſq; propugnatoribus occupantur muri*] Antiqua lectio: *Lælius inſtitit. Tum vict oppidanorum exercitus propugnatoribus occupātur muri.* mēdoſus locus eſt. Caſtigator cum non poſſet ſe explicare, ſenſum vtcunq; reddidit. Diu luctatus ſum cum deprauato vocabulo, *exercitus*, priuſquam, germanam, vt ſpero, lectionem deprehenderim, quam arbitror huiuſmodi fuiſſe: *Tum victa oppidanorum extrema vi, ab oppugnatoribus occupātur muri.* Mox ſcripſimus, *qua inexpugnabilis videbatur.* pro *qua inexp.*

Cap. xx. *Scalis mœnia*] Hæc duo verba quiſpiam inſeruit. Quaſi vero non bene dictum ſit, *& Romanis ſubeuntibus, qua adire poterant.* nos ſubmouimus.

Eod. *Quæ rupe prealtu tegebatur*] Legendum eſt, *quæ rup. p. teg.* & infra *Primi inſequentes extrahentes.* & mox, *qui præſe irēt*, non *qui præirent.* Item paulo poſt legendum videtur, *prædememor.* non *prædememor eſt.* nam id elegantius ſubauditur. Quod poſtea ſequitur *ex diſſipata paſſim fuga*, ac in veteri eſt, *ex diſſipata paſ. fug.* poteris legere è vel *ex diſſipatu paſſim fuga.*

Eod. *Terrorque deinde ac deſp.*] Scripſimus, *Terrorque inde ac deſperatio.* Quod vero eſt infra, *Martius inde in barbaros.* & vetus liber habet: *Martius dein barbaros*, vide num legendum ſit: *Martius deinde in barbaros.* Illic etiam cap. xxi. *munuſque gladiatorum*, & *gladiatorum ſpectaculum* legitur.

Eod. *Seruorum delecta ac libertorum*] Antiqua lectio *ſeruorum de cauſa ab liberorum.* Dij boni quæ portenta hæc ſunt. Doctus aliquis qui olim Liuium caſtigauit, non diu ſeipſum torquēs, pro *de cauſa* ſtatim ſcripſit *delectu.* & pro *ad liberorum, ac libertorum.* Ego ſuſpicor ſcribendum, *ſeruorum cenſu haud liberorum, qui* (ſubaudi ſerui) *venalē ſanguinem habent.* Paulo poſt, *prouocatione*, ſcripſimus, *prouocatiq; haud abnuerent.*

Eod. *Pacti inter ſe*] Emendauimus, *pacto inter ſe, vt victorem res ſequeretur, ferro decreuerunt.* Sic ſupra de Philippo Liuius: *Etiam cum Eream veniſſet, audito, Machanidam fama aduentus ſui territum refugiſſe Lacedæmonem, Aegium ad concilium Achæorum ſe recepit.* Sic enim nos illic caſtigauimus, cum ante legeretur, *audit. Pacto*, id eſt, cum pepigiſſent, ſicut illic, *audito*, cum audiſſet. Hoc cum falleret eum qui locum emendauit, pro *pacto* ſcripſit *pacti.*

Eod. *Alterius imperio ſubigeretur*] Repoſuimus, *ſubiicerentur.* Et mox: *quod ab tanta rabie dirimi nequirent.* Et infra, *in deditionem accipit.*

Cap. xxii. *Quam quod extra neceſſitates belli præc.*] Mendoſam mehercule veterem lectionem, *quam quod neceſſitates bella* (ſic enim in ſcripto codice legitur) reſtituere conatus doctus aliquis, ſcripſit, *extra neceſſitates belli.* Suſpicor legendum: *Quam quod vel ceſſante bello, præcipuum in Rom. gerebant odium.* Paulo poſt ſcripſimus, pro *& mercatores, aut mercatores.* Et deinde pro *interfecerunt, interfecerant.*

Eod. *Neque erat vlla ſatis firmu ſtatio oppoſita*] In codice ſcripto, non eſt *firma.* Quod ſi ordines aduerbium *ſatis* cum participio oppoſita, bene habebit oratio. Paulo poſt, *ad ipſum emiſſa*, legendum opinor *ad id emiſſa.* Mox ſequitur, *qui primus hoſti ſe obtulerat.* Nos repoſuimus, *qui primum ſe.* Infra, *vt neminem cedere.* In ſcripto volumine eſt, *vt nem. cedere*, ſuſpicor ſcribendū, *vt non cedere.* Paulo poſt cap. xxiii. vetuſtus liber habet, *imbellem, inermem*, ſine particula *que.* Quid autem ſi quis legat in fine, *iniicerent*, pro *iniecerunt*, vt tota ſententia cohæreat.

Eod. *Correpti alij flammu ſunt*] Exemplar Spirenſe tantum habet *correpti.* vbi ſubauditur verbum *ſunt, alij ambuſti ad flatu vaporis.* Nos inſeruimus duas dictiones quæ deerant, *ab tergo. Cum receptus primis vrgente ab tergo ingenti turba non eſſet.* Paulo poſt, *quod in ea vrbe eſſet*, diſpunximus ablatiuum *vrbe.*

Eod. *Et transfretum ex in Africa ora, & ex*] Antiqua lectio, *Et transfretum Africæ opeet ex.* to ſcribe, *Et transfretum Africæ ora, & ex proximis Hiſpaniæ locis.*

Cap. xxiv. *Rati ferent*] Legendum eſt, *rati fore.* Nam ſequentia cohærent, nec ſunt ſeparanda, quemadmodum in vulgatis editionibus factum videmus. Præterea non eſt in ſcripto codice: *& ſignum ab eis petebant*, ſed *& tantum ab eis petebant.* Quia tamen infra inſequitur: *Signum ab iis petitum eſt*, probo vulgatam lectionem. Nec eſt *in ordinem ibant*, ſed *ordine ibant.* Sic autem integra ſententia legi debet: *Forma tamen Romanorum caſtrorum conſtabat vna ea ſpe, quod tribunos ex contagione furoris haud expertes ſeditionis defectioniſque rati fore, & iura reddere in principiis ſinebant, & ſignum ab eis petebant, & in ſtationes ac vigilias ordine ibant.* Paulo poſt ſcripſimus, *C. Atrium Vmbrum*, non *Vmbrum.* Et mox, *delatum om. conſ. imperium eſt.*

Eod. *Suis tergis ſuiſque ceruicibus*] Particulam *que*, deleuimus, Sic enim hic dixit Liuius: *Suis tergis, ſuis ceruicibus*, vt ſupra. *Turbam fœminarum puerorumque imbellem, inermem.*

Cap. xxv. *Et ſubtrahentes ſe quoque*] Archetypon Spirenſe habet, *et ſubtrante ſſe habet, quoque.* Lego: *Et ſubiraſcentes quoque.* Nam ſequitur, *vt credidiſſe potius temere quam finxiſſe rem talem, videri poſſent*: quæ clauſula velut per parentheſim interiecta legi debet. Senſus eſt, & ſubiraſcebantur vt temere crediſſe, non finxiſſe viderentur. non quod ſe ſubduxerint. Hic locus hactenus non fuit intellectus. Quod vero ſequitur, *ſua ipſi inſignia* faſces intelligit & ſecures. i. *horrebant.*

Eod. *Qui ab ipſo Scipione ſunt miſſi*] Caſtigauimus, *ab ipſo Scipione miſſi.* Et mox, *exaſperati animi*, non *animo.*

Eod. *Quo ſcelus Illiturgitanorum extitiſſet*] Scripſimus, *Illiturgitanum extitiſſet.* De quo ſupra habes. Mox, *poſt duorum imperatorum duorumque exercituum ſtragem.* In Spirenſi libro tātum eſt, *poſt duorumque exercituum ſtragem.* Si non eſt illic aliquid omiſſum librarij incuria, fortaſſis legendum, *poſt duorum quidem exercituum ſtragem.*

Ed,

Eod. *Præter vnum tutiſſimum à malis conſiliis receptum*] Non ſemper tutus eſt iſte à malis conſiliis receptus, dum ad ducis clementiam confugitur. Nec adeo rebellibus iſtis militibus tutus fuit. Nam poſtea ſequitur, deligatos ad palum, virgiſq; cæſos, & ſecuri percuſſos fuiſſe ſeditionis auctores: Itaq; non lego *præter vnum tutiſſimum*, ſed *præter vulgatiſſimum à malis cõſiliis receptum*. quod autem vulgatiſſimum eſt, non eſt propterea tutiſſimum. Hinc illuſtratur elegantia Liuiana. Quid enim elegantius dici poteſt, quam committere ſe tandem vel iuſtæ iræ, vel clementiæ principis aut magiſtratus, vulgatiſſimum eſſe à malis conſiliis receptum? In archetypo Spirenſi legitur, *præter enim antiſſimum*. Mihi ſane magis placet *vulgatiſſimum*, quam vel *notiſſimum*, vel *nouiſſimum*, quę duo tamen tolerari poſſent.

Cap. xxvi. *Sed lætitiam ingentem fecit*] Scripſimus: *Sed lætitiam ingẽtem fecit*. Et paulo poſt, *Sub ipſam profectionem*, pro, *ſub ipſa profectione*. Ex mox, *corpora curant*, non *curent*. Nam & hæc poſtrema clauſula à ſuperioribus pendet, quemadmodum nos diſtinximus.

Eod. *Cuius ſimulabatur iter*.] Legendum, *cui ſimulabatur iter*, id eſt, *à quo*. Deinde repoſuimus, *concurrunt*, pro *cõcurrerunt*. In tribunal conſcendit, pro *aſcendit*. Item, *quidem ne in acie quidem*, pro *ne in aciem quidem*.

Cap. xxvii. *Fama mortis meæ non accepta ſolum, ſed etiam expectata eſt*] Antiqua lectio, *ſpectata eſt*. Expende num *ſperata* Legi poſſit. Nam infra ſequitur: *Horret animus referre, quid crediderint homines, quid ſperauerint*. Hoc nimirum eſt, quod hic dicit, *accepta & ſperata*.

Eod. *Ita aut tranquillam, aut procella in vobis ſunt, & cauſa atq; origo*] Locus hic mire vitiatus eſt, etiam in exemplari ſcripto. Variant in hoc tantum editiones vulgatæ, quod aduerbium *ita* adiectum habent. Fide mihi lector hic, non te decipiam. lege ſic & diſtingue: *Sed multitudo omnis, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, vt venti & auræ cient, aut tranquilli aut procelloſi. Et cauſa in vobis atque origo omnis furoris penes auctores eſt*. Porro genitiui *tranquilli & procelloſi*, referuntur ad *maris*, quod pręcedit. Paulo poſt Scripſimus, *ſub quibus militaſtis*, pro *militatis*.

Eod. *Cuius imperium ablatum*] Repoſuimus, *cum imperium ablatum*. Nam ſequitur, *cum eo ipſo non contenti*.

Cap. xxviii. *In foro Romano*] Scripſimus, *in foro Romæ*. Et mox, *Atrium Vmbrũ*. Nec eſt in ſcripto codice, *ſed illi tamen*. verum, *ſed illi primum Atrium Vmbrum*. Et mox, *nec Samnitibus*. ſubintelligitur, *cum*, præcedens, quare nos exemimus. At mox inſeruimus particulam, *&*, *& conſilia communicaſtis, & arma conſociaturi fuiſtis*.

Eod. *Tuſcis veteribus cultoribus*] In volumine veteri tantum eſt. *Tuſcis veteribus*. Inter prælegendum vocabulum *cultoribus* aliquis ſupperaddidit. Nec eſt illic, *ſicutum Rhegium*, ſed duntaxat, *ſic Rhegium*.

Eod. *Maioris certe omnes precij*] Hic Scipio blanditur militibus, timens eos ſcilicet. Locus mendo non caret. Archetypon habet *minoris certe omnes precij*. Porro nihil dubito legendum hic eſſe, *Albius et Atrius*, non *Vmbrius*, quemadmodum ante dixit: *In prætorio tetenderunt, Albius & Atrius*. Sunt enim propria nomina *Albius* & *Atrius* quę coniunguntur, *Calenus* & *Vmber*, cognomina.

Eod. *Ne iſtud Iuppiter Optimus Maximus ſinat*] Germanam Liuij lectionem Archetypon Spirenſe continet. *Ne iſtud Iuppiter Op. M. ſierit*. Quam & nos in contextu reſtituimus, cum ob ſingularem elegantiam, tum ob vetuſtatem. Nam ſi quippiam in tota oratione Scipionis verborum eſt, quibus ipſe fuerit vſus, fortaſſis hæc clauſula eſt quam vſurpauit alicunde Scipio, Liuius ex annalibus aut aliquo vetuſto ſcriptore retulit. Porro dictum eſt *iſtuc* pro *iſtud*, & *ſierit* pro *ſiuerit* à *ſino*, Craſſus aliquis id non intelligens, vertit in *ſinat*.

Eod. *Flaminio, Paulo Aemilio, Graccho*] *Aemilio* non eſt in veteri codice, quare & nos diſpunximus. Simplicia nomina ſunt: *Flaminio, Paulo, Graccho*. Mox ſcripſimus, *tot tam claris imperatoribus* pro *præclaris*.

Eod. *Meo vnius funere elata Reſp. eſſet*] Repoſuimus ad fidem exemplaris ſcripti: *Meo vnius funere elata populi Romani eſſet Reſpublica?* Tametſi illic mendoſe *elati* pro *elata* legitur.

Cap. xxi. *Quid optauerint*] Hæc clauſula non in libro vetuſto. Paulo poſt: *Atrocem quæ vobis viſam orationem meam*, deleuimus *meam*, nam ſtatim ſequitur: *dicta mea*. Mox, *& me quæ feciſtis*, ſcripſimus, *& me ea quæ feciſtis*. Item deinde, Et *Atrius Vmber*, non *Vmbrius*.

Eod. *Cum ex præparato ſimul omnium terror oculis*] Mutilus locus hic erat. Nos repoſuimus, *ſimul omnium rerum terror, oculis auribuſq; eſt offuſus*. Neq; enim ſignificare vult Liuius omnium militum rebellium oculis terrorem offuſum: ſed ſimul omnium rerum terrorem obiectum, puta crepitum gladiorum, vocem præconis citantis damnatos, ſontium nudata corpora, ac apparatum omnem ſupplicij ſimul expromptum, quemadmodum ipſe mox exponit.

Cap. xxx. *Gadeis ſine certamine per deditionem recipiendi*] Archetypon habet, *per ditionem*. Nos repoſuimus *proditione recipiendi*, id eſt, *per proditionem*. Sequitur enim: *Sed patefacta immatura proditio eſt*. Et ſupra ſic loquitur Liuius, *Per eos ipſos dies, inquit, perfugæ à Gadibus venerunt pollicentes; vrbem punicumque præſidium quod in ea eſſet, & imperatorem præſidij cum claſſe proditurós eſſe*.

Cap. xxxi. *Spem ad irritum redactam*] Antiqua lectio, *Spem innuum redacta*. Lege, *Spe in irritum redacta. Contractiſq; etiã quæ ante habuerant auxiliis*] Quid opus fuit hic adiicere particulam *etiam*? Nos eraſimus.

Cap. xxxii. *Scipio cum fide ſoluendis, pariter omnibus noxiis innoxiiſq; ſtipẽdiis, vultu ac ſermone*] Hunc locum deprauatum ac mutilum ſic reſtituimus: *Scipio cum fide ſoluendi pariter omnibus noxiis innoxiiſque ſtipendij, tum vultu ac ſermone in omneis placato*. & quæ ſequuntur.

Eod. *Scipionum nomini auſpiciiſque*] Exemplar ſcriptum habet, *nomini, auſpiciis*, ſine *que*. Et ſic loqui ſolitum Liuium alibi indicauimus.

Eod. *Quod ad expeditionem attineat*] Scripſimus: *Quod ad expeditionem eam attineat*.

Cap. xxxiii. *Ad irritandam ferocitatem barbarorum*] Repoſuimus, *feritatem*. Quod vero paulo poſt ſequitur, *deinde emiſſis leuibus telis*, in ſcripto volumine eſt tantum, *deinde miſſis telis*.

Eod. *Itaque ne pulſi viderentur*] Imo pulſi iam propemodum erant. Sic ineptit Liuius? Tu ſcribe, *itaque ne perculſi viderentur*. Et paulo poſt, *obliquo conſtituerunt colle*, *obliquo conſtiterunt colle*.

Eod. *Equitem nec poſſe circũdare cornibus in tam a. ſ. & h. q. cum pedite eduxiſſet*] Hic locus mutilus ſic eſt reſtituẽdus: *Equitem, nec ſe poſſe circumdare cornibus in tam anguſto ſpacio, et hoſti quem cum pedite eduxiſſet, inutilem*.

Cap. xxxiv. *Præter reliquam prædam*] Scripſimus, *præter ceteram prædam*.

Eod. *Nihil tutius in afflictis rebus*] Legendum, *nihil tutius afflictis rebus*, vt *afflictis rebus* datiui ſint caſus. Quod ſi quis ablatiuos eſſe contenderit, ſubintelligetur *in* præpoſitio. Mox ſcripſimus. *Sed caſtra Romana*, dictione *quoque* deleta.

Eod. *Aut ſeruati bis vni debitam vitam*] Archetypon Spirenſe habet, *aut ſeruatibus vni deuitã pro eo in p. deuoueant*. Lego: *Aut ſeruati bis vni debitum pro eo in p.* vt referatur ad *ſpiritum*. Erit enim nunc ſententia planior, *Vt aut, ſi ita videatur, reddant ſpiritum Proconſuli Scipioni, ab eodem illo acceptũ, aut ſeruati, bis vni debitum, pro eo in perpetuum deuoueãt*, ſubaudi *ſpiritum*. Caſtigator olim hic ſe torſit. Nam cum non quadraret *debitam* feminini generis, addidit vocabulum *vitam*. Et erat alioqui *debitam* ſcriptum *v* pro *b* poſito, *de vitam*.

Eod. *Spem poſitam habere*] Emendauimus, *ſpem repoſitam habere*. Mox vero, *Cum quo nec fœdere, nec æquis legibus iungerentur amicitia*. placet antiqua lectio, quæ habet, *iungeretur amicitia*.

Eod. *Et obſides accepti, armaque adempta & præſidia*] Treis particulas connectentes hic ſummouimus, quibus non eſt vſus Liuius, vt indicat volumen ſcriptum.

Eod. *Illos quidẽ merito periiſſe ipſorum maleficio*] Fortaſſis etiam legi poſſet, *illos quidem merito perituros fuiſſe ipſorum maleficio*. Paulo poſt repoſuimus, *ſe libera arma relinquere*, pro, *ſe libere arm. relinq*.

Cap. xxxv. *Atque eiuſdem dextra fidem ſancire*] Scripſimus. *atque eius dextra f. ſancire*. Et paulo poſt, *ad hoc equitem*. Item, *ad depopulandos prox. Hiſp. agros*.

Eod. *Subſtituerat q; animo*] Antiqua lectio, *ſubſtituerat atque*

anime. tu ſcribe, *Præſtiterat que animo ſpeciem quoque corporis amplam ac magnificam.*

Eod. *Velut renouatus flos iuuentæ faciebat*] Archetypon ſcriptum habet: *Velut renouatus iuuentæ faciebat.* Conijcio ſcribendum, *vel renouata iuuenta faciebat.*

Cap. xxxvi. *Non ſine cauſa erectam ante vrbem ſtationem*] Caſtigauimus, *electam.* Hanc lectionem ſcripti codicis confirmant ea quæ mox præcedunt.

Eod. *Ad duo millia armatorum inuenta*] Narrat Liuius claſſem fugiſſe. & vnde nobis iſti bis mille armati qui poſtero die ſunt inuenti? Codex ſcriptus habet, *armorum.*

Cap. xxxvii. *Haud procul à Gadibus*] Scripſimus, *Haud procul Gadibus.* Et paulo poſt, *purgātibus iis,* ablatiuum *iis* deleuimus, qui ſub intelligitur, aut ſimilis, puta *Gaditanis*, Vbi notandum eſt *infeſta* genitiui caſus eſſe, & referri ad præcedentem genitiuum *multitudinis.*

Eod. *Duæ ſunt Baleares inſulæ*] Vocabulum *inſulæ* diſpunximus, nam mox antecedit: *Pœnus in Baleares inſulas.* Paulo poſt ſcripſimus *cenſebat*, pro *credebat.*

Cap. xxxviii. *Spondebantq; animi*] Legendum eſt *deſpondebant animis*, quemadmodum caſtigauimus. Semidoctus aliquis qui legerat, *deſpondere animum*, pro *abijcere.* mutauit hic *deſpondebant*, in *ſpondebant.* *Deſpondebant animis*, hoc eſt, cōſtituebant, deſtinabant. Hoc verbo in hac ſignificantia Cicero quoque vtitur, quam alibi velut exponit, cum inquit, *cui me præripere deſponſam iam & deſtinatam laudem valde eſt iniquum.*

Eod. *Vt conſulatum inierunt*] Nos, *vt* particulam eraſimus. Sic enim conſtat lectio, *P. Cornelius Scipio, & P. Licinius Craſſus Conſulatum inierūt. Nominatæ conſulibus prouinciæ ſunt.* Deleuimus & infra, *que*, coniunctionem: *Suſceptumque quartum decimum annum tam p. geritis.*

Cap. xxxix. *Velut ad colligendas reliquias naufragij noſtri miſiſtis*] Archetypon Spitenſe habet, *velut ad conciliandas reliquias naufragij noſtri.* Lege ad *concinnandas reliquias naufragij noſtri.* Quod vocabulum hic mire quadrat. Vtitur enim metaphora nauis fractæ, cuius partes concinnantur dum nauis inſtauratur. Eſt autem *concinnare*, apte componere. Ceterum an non reliquias Saguntinorum naufragij concinnarunt Romani, dum illis oppidum reſtituerunt, hoc eſt, reparaunt? vulgata lectio ſatis ad ſenſum facit, ſi quis ad diſperſos ciues, opera Romanorum poſtea conquiſitos reſpiciat. Verum quando me veſtigia ſcripturæ veteris huc duxerunt, non ſtudium nouitatis, vt putarem aliter legendum, nolui id lectorem latere.

Eod. *Vt optabilem eam*] pronomen *eam*, diſpunximus. perdit enim ſententiam. Et infra ſcripſimus *vidimus*, pro *videmus.* Mox rurſum particula *que* deleta, *ſpem opem, ſalutem noſtram.* Neque enim, vt ſæpe diximus, coniunctionum amans eſt Liuius, cum illis nihil opus eſt. In Hiſpania atque in Italia geſſiſtis. Quid fuit opus alterum *in* addere? nos expunximus.

Eod. *Qua terrarū vltimus finis Oceanus*] Hic ſe exercuit ſciolus aliquis. Liuius ſcripſit, quemadmodum atteſtatur archetypon Spirēſe: *Qua terrarum vltimus finis Oceanus*, ſubanditur *eſt.* Quid enim clarius Liuij ſenſu, ſi ita legas: *Vt Hiſpaniā non libero amne tenus. ſed qua terrarum vltimus finis Oceanus, domitam armis habeatis.* O caſtigatorem.

Cap. xl. *Neque aliter id fieri poſſe*] Reſtituimus, *Neque id aliter finiri poſſe.* Et mox, *exercitum tranſportaſſet*, pro *tranſportaret.* Ibidem *primoribus patrum conſcriptorum.* In exemplari ſcripto tantum eſt, *primoribus patrū.* Alteram dictionē aliquis adiecit.

Eod. *Non ſenatorem modo*] Dictionem *modo* quiſpiam hic infulſit, putans iſta verba, *non ſenatorē*, referri ad id quod mox præcedit, *ſenatum ludibrio habet*, cum reſpiciant verbum ſupetius *peccare. Conſulem peccare arbitror, non ſenatorem, qui de quo conſulitur l. ſ. dicit ſententiam.*

Eod. *Duarum rerum ſub eandem opinionem eſſe*] Liuius ſcripſit *opinationem.* pro hoc elegantiſſimo verbo doctulus aliquis ſuppoſuit. *opinionem.* Sic adulterantur optimorum auctorum ſcripta. Infra, *ætas ſaltem liberet*, ſcripſimus, *liberat.* Item, *aut ad populum audiuit.*

Cap. xli. *Egregiam iſtam palmā belli Punici peracti petis?*] Scripſimus, *patrati.* Nam ſic in vetuſto codice legitur. Et habuimus paulo ante, *penes C. Luctatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit.*

Eod. *Si alterutra victoria nobis conſulibus relinquenda eſt*] Repoſuimus, *nouis conſulibus.* Siquidem ſcriba videtur *b* pro *v* poſuiſſe, quod idem tandem facit. Intellige nouos conſules, conſules alterius anni, ſiue inſequentium annorum.

Eod. *Periculi tandem quantum adeatur, quem fallit?*] Archetypon noſtrum habet, *quid periculi tandem.*

Eod. *Et victor Annibal ire ad vrbem pergat*] In ſcripto volumine tantum eſt *victor Annibal*, vt ſit, *Quid? ſi victor Annibal.*

Eod. *Dies me deficiet*] Scripſimus, *deficiat*, modo potentiali, hoc eſt, *deficere poſſet.* Et paulo poſt, *at nobili*, pro *atque nobili.*

Cap. xlii. *Quod procul externus metus eſt*] Repoſuimus, *quia procul.* Item, *& exercitum alienigenam.*

Eod. *Et populi Rom. imperio euenere*] Pro his verbis ſubſtituimus, *ac republica in imperio euenere.*

Eod. *Aduerſa caſibus incertis belli & fortunæ legare*] Volumen antiquum habet *relegare.* Quid ſi legas: *Aduerſa caſibus incertis belli*, ſubaudi *aſſignare, & ad fortunam relegare.* Paulo poſt, pro *iſtic* ſcripſimus *hic. An hic tuo collegaq; exercitu coniuncto.* Vbi genitiuum *tui*, poſt *collegaque* ſuſtulimus. Iterum poſtea, pro *quod conſilium eſt*, ſcripſimus: *Quod iſtuc con. eſt.* Item, *ac graui militia feſſum.*

Eod. *Relinquere Italiam paras*] Vetus lectio, *Tu cum Annibal in Italia ſit, alio paras.* Suſpicor ſcribendum: *Tu cum Annibal in Italia ſit, alio properas.* Hoc videretur mihi ſimplicius, quam legere, *alio ire paras.* Paulo poſt, duæ literæ P. C. non ſunt in codice Spirenſi. Ego, *P. Cornelium Reipubl.*

Cap. xliii. *Haud ſatis purgata eſt*] Repoſuimus, *haud ſane purgata eſt.* Et mox, *tanquam mihi ab infimo quoque periculum ſit.* Scripſimus, *quoque.* Nam eſt à *quiſque* ablatiuus.

Eod. *Illud nec tibi in me, nec mihi in minoribus natu animi ſit*] In Archetypo ſcripto non eſt pronomen *illud.* Et tamen eſt, *animi ſit.* Nam nihil ambigo, ſcribendum, *in minores*, non *in minoribus.* quemadmodum etiam in editione Colonienſi legitur. Nec eſt mox, *inuiderimus*, ſed *inuidebimus* in libro ſcripto, & in fine eſt, *non ſit.*

Eod. *Si Africam traijcere velim*] Scripſimus, *ſi in Africam traijcerem.*

Eod. *Quin ego minus in Africam*] Emendauimus, *qui ego minus in A.* vt ſit *qui* pro *quomodo.*

Cap. xliv. *Quot defecerunt poſt Cannenſem pugnam*] Volumen ſcriptum non habet, *quot.* Elegantior erit oratio ſi omittatur, quod citra incommodum ſenſus fieri poteſt, hoc modo: *Non ſperauerat Annibal fore, vt tot in Italia populi ad ſe deficerēt. Defecerunt poſt Cannenſem pug.* Habet autem maiorē vehemētiam.

Eod. *Carthaginienſi nihil ciuilis roboris eſt*] Lego, *Carthagine*, hoc eſt, *apud Carthaginem.*

Eod. *Quorum ego fidei ita innitar, vt bene tutus à perfidia ſim.* Archetypon ſcriptū habet, *vt bene tutus perfidia ſim.* Hic ſemidoctus omnia bene habere putaret. Mihi locus eſt multum de mendo ſuſpectus. Nam quando verbum *innitar*, futuri temporis eſt, Liuius nō dixiſſet, *vt bene tutus à perfidia ſim*, ſed *vt bene tutus à perfidia futurus ſim.* Quod ſi ſcriptum eſſet: *Quorū ego fidei ita innitor vt bene tutus à perfidia ſim*, nullus eſſet mihi ſcrupulus. Proinde quando *à* præpoſitio non eſt in codice vetuſto (quæ res nobis anſam cogitandi dedit) non dubito, quin ita fuerit ſcriptum à Liuio: *Quorum ego fidei ita innitor, vt veriturus perfidiam ſim.* Quæ ſententia cum eſt arguta, tum mire conueniens huic loco. Refellit enim Scipio quod à Q. Fabio dictum eſt ſupra, *An Syphaci, Numidiſq; credis? Satis ſit ſemel creditum. non ſemper temeritas eſt felix. et fraus fidē in paruis ſibi præſtruit.* & quę illic ſequuntur. Quaſi dicat Scipio: Non ſum adeo ſtupidus, vt ita regibus Afris credam, quaſi fallere me aut nolint, ſi queant, aut nequeant, ſi velint. Vnde paulo ante dixit, *Afros Numidaſq; leuiſſima fidei mutādæ ingenia* hoc eſt, ad fidem mutandam. Hic appello doctos qui Latine callent, quos aſtipulaturos mihi nihil dubito. De ſciolis non ſum magnopere ſolicitus. In caſtigationibus Plinianis expertus ante ſum, quam ſint hebetes in iudicando, & plane quod Græci dicunt, *ὄνω πρὸς λύραν.* *Non venit*] Repoſuimus, *non veniat.* nondum enim ſortiti erant. Et diſſuadet, ne veniat in ſortem tam longinquæ prouinciæ, hoc eſt, Africæ, eo quod ſit Pontifex Maximus, cui ſacrorum cauſa ſemper in Italia manendum erat. Paulo poſt ſcripſimus, *ne hoc credi*, pro *non hoc*

credi. Item, *toties Africam noſtris exercitibus & claſſ. oppugnatã*, *à* præpoſitione expuncta. Præterea *certatur*, pro *certetur*.

Eod. *Requieſcat aliquando tamdiu vexata Italia, vratur, euaſte-turque*] Lectionem ſcripti codicis ſecuti ſumus: *Requieſcat ali-quando vexata diu Italia, vratur populetarque*. Pro vltimo verbo quidam inſeruerat, *euaſteturque*. quod putaret *populari* paſſiue non dici. Dicimus actiue *populo*, cuius paſſiuum eſt *populor*. Dicimus & *populor* deponentialiter.

Cap. XLV. *Et v. pondo argenti facti*] Lectio vetus: *Et ſimulachru ſpoliorum ex mille pondo argenti ſucta*.

Eod. *Neque magnopere tetendiſſet*] Videtur vſurpaſſe *tetendiſ-ſet*, pro *contendiſſet*. Sic Maro:

Ille ſimul manibus tendit diſſoluere nodos.

Paulo poſt, *Lintea ad vela*. Scripſimus, *in vela*. mox illic eſt, *millium quadragintu ſummã*, non *quinquagintu*. Item *tritici cen-tum viginti mil. mod.* ſine &. Preterea *abietem in ſabricandas na-ues*, non *abietes*.

Eod. *Vmbriæ populi. et præter hos Nurſini*] Antiqua lectio, *Vm-briæ populi, Nurciniique*. Qui hũc locum mutauit, expoſuit *que* coniunctionem, pro, *id eſt*, Et vitiatum locum putans quod Nurſini & Reatini non ſint in Vmbria, ſed in Sabinis, adiecit ipſe dictiones iſtas: *& præter hos*. O errorem dignum qui magna cura fuerit vindicatus. Nos veterẽ lectionem reduximus. Infra ſcripſimus, *quum ex ſyluis muteria detructu erut*, pro *eſſet*.

Cap. XLVI. *Vbicunque ex S. C. liceret habitare, ibi habitarent*] Ex fide vetuſti voluminis emendauimus: *vbicunque ex S.C. liceret, habitarent*. duobus verbis *habitare*, & *ibi* ſublatis. Quod vero mox præcedit: *& Cn. Seruilio pretori vrbis*, in veteri codice eſt: *P.R. vrbs*. (debebat eſſet *V.R.B.*) mallem *prætor vrbanus*, quam *pretor vrbis*, non hic ſolum, ſed & alijs apud Liuium locis.

Eod. *In ſtationem ad præſidium relictis*] Scripſimus, *in ſtatione*. Et mox, *eo traiecturum eſſe* expunximus aduerbium *eo*. Repoſuimus etiam, *montanos inſtitit oppugnare*. quod *inſtituit* corrupte legitur in vulgatis editionibus. Sic de Marcello Liuius libro ſeptimo: *Veſtigiis inſtitit ſequi*.

Eod. *Eu literis cognitu Sp. Lucretij*] Verbum huius periodi non eſt *accenderunt* ctu vulgo legitur, ſed *accendit*, in volumine ſcripto. Quare non ambigo ſcripſiſſe Liuium: *Eu res literis cognita Sp. Lucretij, ne fruſtru Aſdrubale cum exercitu deleto biennio ante forẽt lætati, ſi par aliud inde bellum ducetu ntum mutato oriretur, cur um ingentem accendit patribus.*

Eod. *Captiuos Carthaginem portantes tradit*] Hic participium *captas* deſuit, quod nos inſeruimus, *portantes captas tradit*.

Eod. *Supra morbum etiam fames afflixit*] Caſtigauimus: *Super morbum*, id eſt, *præter morbum*. Sic Suetonius in Othone, *Inſtigante ſuper animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni*. Item in Domitiano: *Super ingenij nuturam inopiu rapax*.

IN LIBRVM XXIX. ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.

CAp. 1. *Florentes ætate & virium robore inermes circa ſe habebat*] Quia ſequitur, *ignorantes quem ad vſum neque centuriati, neque armati ſeruarentur*: auſus eſt quiſpiam pro *inſignes*, *inermes* ſupponere. Fuit in cauſa quod verba perperam diſtinxiſſet, nimirum ſic: *Florentes ætate et virium robore, inſignes circa ſe habebat*. Nos vero ſic legimus & diſtinguimus: *Florentes ætate, & virium robore inſignes circa ſe habebat*, aſtipulante codice veteri. Paulo poſt ſcripſimus, *armu equoſque oſtenderunt*, & particula diſpuncta.

Eod. *Malle eos ſibi tunc fateri*] Repoſuimus, *malle eos ſibi iam tunc fateri*. Et mox, *vtrum vellet*, pro *velit*.

Eod. *Conciente Ilergetes Indibili*] Vetus lectio, *conciente Ilergete Indibili*, ſubauditur *bellũ*, quod pręcedit. Item *Romani haberent*, pro *Romani habebant*. Quod ſequitur: *Et inconditam inde turbam tyronum eſſe*. ſubmouimus dictionem *inde*. Et diſtinximos, *nec in vicem his, aut illis*.

Eod. *Negliſceret primo negligendo bellum*] Vide quantulum erratulum hic totum ſenſum perturbet. Legendum eſt: *negliſceret, primu negligẽdo bellũ*. Iuxta illud Naſonis, *Principiis obſta*. *Cornu dextrum Ilergetes*] Emendauimus, *cornua*. Sic ordina, *cornua tenebant, dextrum Ilergetes, læuum ignobiles Hiſpani populi*.

Cap. II. *Equites per patẽtes in hoſtium aciem vias permittere equos iubeat*] Accuſatiuus *aciem* lectori nebulam offundit. Docet vetuſtus codex eſſe ſcribendum *acie*, auferendi caſu. Pro *permittere* vero, ſcribo *immittere*. Nam ſequitur: *Simul equitibus Hiſpanorum viam immittendi equos clauſerunt*. Sic ſententia clara euadet, quæ fuit obſcuriſſima.

Eod. *Locata prona erut*] Quid opus fuit hic addere vocabulũ *pronu*, quod non eſt in volumine ſcripto cum præcedat *cedenti d. legioni*. Sic enim cedebat, indigebat firmamento. Sic mox inſulſiſſe videtur quiſpiam has dictiones, *ex ſubſidijs*. neque enim ſunt in archetypo noſtro. Porro, quia ſequitur: *ac ſubſidia quibus res poſtulubat locis inducentem*, prælector aliquis inter exponendum legionem ducit, adiecit *ex ſubſidijs*. eam gloſſulam alius in contextum retulit. Ibidem ſcripſimus, *venit, indicat*, non *venit indicatque*. Vbi in veteri libro mox legitur, *Cornelium Seruium*.

Eod. *Itaque omiſſu pugna equeſtri ad pedeſtrem Hiſpani deſcenderunt*] Antiquum volumen: *Itaque commiſſu pugnu equeſtri ad pedes Hiſpaniæ reſcenderunt*. Reſtitue ſic germanam lectionem: *Itaque omiſſu pugnu equeſtri ad pedes Hiſpani equites deſcẽderunt*. Non diſcrepat ſenſus vulgatarum editionum, niſi quod alia verba ſuppoſita ſunt.

Eod. *Cum equitibus ad pedes digreſſis*] Caſtigauimus, *degreſſis*. *Degrediendi* verbo Liuius in hoc lib. 9. rurſum vtitur, haud procul à calce. *Cum quingẽtis*, inquit, *haud amplius peditibus, ducentiſque equitibus degreſſum iugis Maſaniſſam perſecutus*. Ceterum *ad pedes* rurſum hic eſt, ſicut paulo ante: *ad pedes Hiſpani equites deſcenderunt*, quemadmodum nos legendum monuimus.

Cap. III. *Verſo marte*] Quis hic quicquam ſcrupuli habeat? Nemo eſt qui non putet hoc optime dictum. At deprauata ſcriptura archetypi Spirenſis, in quo legitur, *verſoſ arte*, ad eruendam germanam lectionem, anſam mihi præbuit. Scribo, *verſa ſorte*. Et arbitror primum fuiſſe ſcriptum, *verſas orte*. deinde cum vocabulum *orte* nihil videretur ſignificare, per tranſpoſitionem vocalium literarum *a* & *o verſos arte*. Elegans & aperta ſentẽtia erit, *Tãtum fortunam mutuſſe, vt qui modo ipſi exercitum ante mœnia Romana habuiſſent, &c. ij verſa ſorte, Africæ populationes, & obſidionem Carthaginis viſuri forent*.

Eod. *Pro tot cæſis exercitibus ſoboleſcentem*] Mihi non diſplicet hic lectio voluminis ſcripti, *ſuboleſcentem*. ob propriam ac notam vim prępoſitionis, *ſub*.

Eod. *Iam regem Syphacem*] Emendauimus ad fidem archetypi ſcripti, *Iam reges, Syphacẽ poſt colloquium cum Scipione alienatum, Maſaniſſam aperta defectione infeſtiſſimũ hoſtem, &*, particula ante accuſatiuum Maſaniſſam expuncta. Similem hominem paulo ſuperius habuimus, *Cornua dextrum Ilergetes, læuum ignobiles tenebant Hiſpani populi*. Vbi quidam *cornu* ſcripſerat, ſicut hic *regem* pro reges.

Cap. IV. *Octingenti equites, & ſeptem elephanti*] Lege, abſque & connectente particula. Continenter ſequitur: *Ad hæc mag. pe.* Vbi ſciendum eſt, quotieſcunque in vulgatis editionibus, *ad hæc* legitur, in veteri codice eſſe, *ad hoc* ſicut & *vrbem Romanam* fere ſemper, vbi vulgo ſcriptum eſt, *vrbem Romam*. Quod & hic mox ſequitur.

Eod. *Ad Lælium prædas ingentes ex ag.*] Nos hic aliam induximus lectionem præſidio freti voluminis vetuſti. hanc videlicet: *Hæc Carthagine parabant agitabãtque, cum ad Lælium prædas ingentes ex agro inermi ac nudo præſ. agentem Maſaniſſa f. r. c. e. c. e. p. venit.*

Cap. V. *Inter Albigaunos, Lugureſque Alpinos Genuam acceſſerunt*] Exemplar ſcriptum. *Inter Albigaunos Ligures Genuamque acceſſerũt*. Vt intelligas intermedio loco inter Albigaunos qui Liguriæ populi ſunt, & vrbem Genuam acceſſiſſe. Et ſequitur *in iis locis*.

Cap. VI. *Principio ab Numidis facto, & Bruciis non ſocietate magis Punicu*] Lectio vetus, *principia Numidus non ſocietate magis Punicu*. Ceterum *principio* hic aduerbialiter accipitur. nam ſequitur, *poſtremo*. Quod non intellexit, qui *facto* participium

cum præpoſitione *ab* inſulſit. & quia in Brutijs res latrocinijs geri narrantur, præterea adiecit, *& Brutijs.* De hoc multum miror, cur pro ablatiuo *promptis*, ipſe ſuppoſuerit *congruentibus.* Nos totam ſententiam ſic diſtinximus, & caſtigauimus, pro, *quod latrociniis* ſcribentes, *quia latrociniis*, hoc modo: *Quia latrociniis magis quam iuſto bello in Brutiis gerebãtur res, principio Numidis non ſocietate magis Punica, quam ſuopte ingenio promptis in eum morem, poſtremo Romani quoque milites*, & quæ ſequuntur.

Eod. *Qui pulſi ab aduerſa factione quæ Annibali Locros tradiderat. Rhegium ſe contulerãt*] Hic rurſum alia verba quiſpiam inſeruit, cum ſcripſerit Liuius: *Qui exulabant Rhegij pulſi ab aduerſa factione, quæ Annibali Locros tradiderat.*

Eod. *Scalas ad dictam altitudinem aptas fabricatas*] Exemplar vetuſtum, *ad editam altitudinem.*

Eod. *Poſtremo certiores, aliis excitantibus alios; iam pro ſe quiſque ad arma vocabat*] Sic caſtigauimus & ordinauimus: *Poſtremo certior res, aliis excitantibus alios. Iamque ad arma pro ſe quiſque vocabat.*

Cap. VIII. *Sed prope libenti videri poſſent*] Verbum *videri* additum eſt præter auctoritatem archetypi ſcripti.

Eod. *Nam auaritia ne ſacrorum q.*] Scripſimus, *Iam auaritia ne ſa. q.* vt ſit initium nouæ ſententiæ. Item, pro *quam aſportabant extulerant, quam aſportauerant, extulerunt.*

Eod. *Furorem iniecit*] Repoſuimus, *furorem obiecit*, iuxta veterem ſcripturam. Paulo poſt legi poteſt, *quam ipſe ab Rhegio abduxerat.* Sic enim eſt in codice ſcripto.

Cap. IX. *Primo iurgium, deinde clamor quoque*] Hic aliquis ſe exercuit præter cauſam, cum Liuius indubie ſcripſerit, quemadmodum eſt in codice vetere, & nos in contextu reſtituimus, *iurgium inde, & clamor, pugna poſtremo orta.*

Eod. *Militumq; implorabant auxilium*] Emendauimus, *militumq; fidem implorabant.* Quod vero contineuter ſequitur, *repente frequentes milites feroces*, vocabulum *frequentes*, non eſt in archetypo Spirenſi, nec ſolet ita duo adiectiua cum vno ſubſtantiuo connectere Liuius. Ibidem mox ſuſtulimus aduerbiũ *eum.* Legendum enim eſt, ſuffragante exemplari ſcripto: *Velut aduerſus hoſtes ad arma conclamatum eſſet, concurrerunt.*

Eod. *Scipio poſt paucos dies Locros adauctus*] Vetus lectio, *Scipio poſt paucos dies Locros hexeri aduectus.*

Eod. *Et qui antea per libidinem*] Scripſimus: *Et quæ antea per libidinem atque ea.*

Cap. X. *Nec ſiſti potuiſſe*] Legendum eſt, *nec ſubſiſti potuiſſe.* Itẽ paulo poſt, *Exercitum Q. Cæcilij, quo* particula diſpuncta.

Eod. *Si matris Idææ Peſsinunte numen Romam adauctum foret*] Quia non ſtatim apparebat quid ſcripſiſſet Liuius ob deprauatam ſcripturam, ita verba quidam in contextum inſcripſit. At nos ex veſtigijs veteris ſententiæ, germanam Liuij lectionem exculpſimus, nempe hanc: *Si mater Idæa à Peſsinunte Romam aduecta eſſet.*

Eod. *Itaque quo maturius fatis omnibus oraculiſq; portendẽtis ſeſe victoria compotes fierent, id cogitare, quæ ratio tranſportandæ Romã deæ eſſet. Nullas tum in Aſia ſocias ciuitates habebat populus Romanus*] Hic rurſum locus abunde doceat, quantum eruditi viri, prout tunc erat ſeculum, Franciſcus Petrarcha, Victorinus Feltrẽſis & alij, cum in Liuij ſcriptis verſarentur, quoties nodoſior locus aliquis occurriſſet, ſibi licere putabant, vt ſenſum modo reſtituerent, non vt curarent de verbis. Sane doctus fuit, quod negari non poteſt, qui hunc locum inſtaurauit. Arbitror Laurentium Vallam fuiſſe, quem Thaddæus Vgoletus emendando Liuio operam impendiſſe ſcribit. Sed vt melior, ſic & laborioſior eſt caſtigatio, qua non ſolum ſenſus, ſed & ipſa auctoris verba reſtituuntur. Efficimus hic aliquid diligenter conſiderando locum, & veſtigia veteris ſcripturæ expendendo. Ea ſic habet: *Itaq; quo maturius factis omnibus oracaliſque portenda Romam deæ eſſet nullas dum in Aſia ſocias ciuitates habebat populũ Romanũ.* Tu pro *factis omnibus*, ſcribe, *fauſtis omnibus*, & pro *portenda Romam deæ eſſet*, *portanda Romã deæ eſſet*, habebiſque germanum Liuij ſenſum germanis redditum verbis: *Itaq; quo maturius fauſtis omnibus oracaliſq; portãda Romã deæ eſſet, nullas dum in Aſia ſocias ciuitates habebat populus Romanus.* Dixit autem Liuius *nullas dum*, pro nullas ad eum diem. Porro nunc vides quantum peccarint, qui non modo tantam verborum congeriem de ſuo adiecerunt: ſed & pro *quo quoniã*, & pro *factis*, quod *fauſtis* eſſe debebat, auſi ſunt ſcribere *fatis*. Et poſtremo, *nullas dum* mutare in *nullas tum*, vt eſſet alterius ſententiæ principium.

Cap. XI. *Præmiſſus ab legatis M. Valerius*] Legendum eſt: *Remiſſus ab legatis M. Valerius.* Nam ſequitur infra, *M. Valerius vnus ex legatis regreſſus.* ſic enim ibi ſcribẽdum eſt, non *progreſſus*, quemadmodum vulgatæ editiones habent.

Cap. XII. *Romano, cui vni fidebant auxilio*] Nos ſic ſcripſimus, *deſertos ab Romanis, cui vni fidebant auxilio.*

Eod. *Parthenoſque*] Et hic & infra repoſuimus *Parthinos.* Sic enim Plinius appellat, & Strabo. Ceterum *Parthinos* inter Liburniæ populos Plinius recenſet. Item ſcripſimus, *Dimallumque oppugnari.*

Eod. *Cum Romanis quoque*] *Et*, particulam adiecimus, *Et cum Romanis quoque.* Pro *ſi minus*, ſubſtituimus *ſin minus.* Itẽ, *Neq; enim ipſius, ne*, particulam negatiuam inſeruimus: *Neque enim ne ipſius quidem regis abhorrebat animus.* Mox, *Derda* legitur in exemplari ſcripto, non *Darda.*

Eod. *Hæc conſcripta modo conſignata.*] Miror quiſnam dictionem *modo* hic inſulſerit. Non enim eſt in codice ſcripto.

Eod. *Quia auerſo in Africam bello*] Legendum eſt, *quia verſo in Africam bello.* Paulo poſt adiecimus literam prænominis, *P. Sempronius pace facta.* Quod vero ſequitur: *deceſſit*, ſubaudi *ex Macedonia.*

Cap. XIII. *P. Scipione proconſuli*] Exemplar vetus, *Proconſuli Scipioni cum eo ex.* Video ſcribendum tantum: *P. Scipioni*, non, *P. Scipioni Proconſuli.* Nam librarius vbicumque P. literam reperit, ſcripſit *procõſulem*, id quod alibi etiam indicauimus. Nec eſt mox, *cumque ea claſſe*, ſed tantum, *cum ea claſſe.* Et rurſum, *vt Brutios duabus legionibus obtineret.*

Eod. *De Hiſpania imperio, quod in eam prouinciam*] Scripſimus, *quos in eam prouinciam duos proconſ. mitti placeret.*

Cap. XVI. *Et faciem ſtellæ ſepties ab ortu Solis*] Legendum. *Et faciem Setiæ ab ortu Solis in occidẽtem porrigi viſam.* Eſt autem *Setia* Volſcorum oppidum, quod hic additum eſt, ſicut mox *Tarracina, Anagnia, & Lanuuij.* Porro cum Setiæ vocabulum putaretur mendum eſſe, pro illo ſuppoſuit alius *ſtellæ*, alius, *ſepties* aduerbium.

Eod. *M. Valerius vnus ex legatis progreſſus*] Ante docuimus hic legendum: *regreſſus*, cum moneremus ſcribendum, *remiſſus* pro *præmiſſus.*

Eod. *Veram certe victoriam eius rei ſibi quiſque mallet, quam vlla imperia*] Hæc oratio tametſi integra, valde mihi tamen eſt de mendo ſuſpecta. Nam germanam Liuij lectionem non videtur mihi reſtituiſſe, quiſquis deprauatum in ſcripto codice locum caſtigare eſt conatus. Legitur illic: *veram certe victoriam eius rei ſibi quiſquã vlla imperia.* Nec eſt ibi verbũ *mallet*, quod certe eruditus aliquis inſulſit, ſubuenire volens corruptæ & mutilæ ſententiæ. Ego diligentius inſpectis vitiatis ſcripturæ veſtigiis, non dubito quin ſic ſcripſerit Liuius, *Veram certe victoriam eius rei cupias, quã vlla imperia, honoreſue ſuffragio ſeu patrum, ſeu plebis delatos.* Subauditur autem in verbo *cupias* aduerbium *potius* vel *magis.* Qui loquendi modus oppido quam elegans à Græcis ſumptus eſt, apud quos huiuſmodi eclipticas orationes frequentius reperias. Qualis eſt illa θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ φρενῶν πίθον.

Eod. *Patres conſcripti P. Scipionem*] Non ſunt in libro ſcripto duæ iſtæ dictiones, aut duæ ſaltem literæ eorum loco *P. C.*

Eod. *Sicut traditum à proximis memoria temporum illorum ſcriptoribus*] Archetypon Spirenſe, *ſicut proditum memoriæ à proximis temporũ illorum ſcriptoribus libẽs poſteris tradiderim, ita meas opiniones coniectando rem vetuſtate obrutam, non interponam.*

Cap. XV. *Neque ſuum delectum*] Lego, *delictum.* Nam præcedit: *nihil ſe quare perire merito deberent admiſiſſe. Sed ſi pereundum etiam foret.* Quia vero hic de delectu agitur, facilis lapſus fuit.

Cap. XVII. *Tam atroces, atque indignas iniurias*] Duæ iſtæ voces, *atque indignas* non ſunt in exemplari ſcripto. Paulo poſt, *quique omnium nob.* nec illic eſt *quique.* Fortaſſe ſic legendum, *qui Locros recepit, omnium nobis recte perperamq; factorum teſtis*, ſubauditur *exiſtens, agatur.* Poſſet etiam legi, *vt coram P. Scipione. o. n. r. p. factorum teſte.*

Eod. *Multa fœda & indigna à præfecto præſidij Amilcare*] Caſtigauimus: *Multa fœda, indigna, et à præfecto præſidij Amil. et ab Numidis Afriſque paſſos eſſe.*

Eod. *In diſcrimine eſt nūc humanum genus*] Deerat dictio *omne*, *humanum omne genus*. Paulo poſt ſcripſimus, *cum maxime*, pro, *quam maxime*. Nam hoc aduerbio ſæpe Liuius vtitur, ceu alibi quoque monuimus.

Eod. *Ad recipiendos à Carthaginienſib. Locros*] Antiqua lectio, *ad recuperandos à Carthagin. Locros*. Eam & nos ſecuti ſumus. Paulo poſt, *præter habitum veſtitumque, & ſonū Latinæ ling.* quia vocabulum *veſtitumque* non eſt in veteri codice, & nos ſubmouimus. Submouimus & *que* particulam, quam accuſatiuo *libidinem* quiſpiam adnexuerat.

Eod. *Conſtuprant matronas, ſiunt in virgines ingenuas raptus ex complexu parētum pueroſque*] Hic mire quiſpiam fuit occupatus in mutandis Liuij verbis. Nos veterem & proinde ſynceram lectionem ex veteri volumine reſtituimus, in hunc modum: *Conſtuprant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum. quotidie capitur vrbs noſtra.* Porro qui mutauit, videtur legiſſe *raptus* pro *raptos*. Hinc retexenda fuit illi tota oratio.

Eod. *Miretur quiſciat*] Antiqua lectio: *Miretur qui neſciat.* Nec quicquam incommodi habet ſermo.

Eod. *Libidinis ac auaritiæ ſupereſſe, quod in eorum vllo qui pati potuerint*] Scripſimus, *libidinis, auaritiæ ſupereſſe, quod in vllo qui pati potuerit*. Et mox, *exitiabilis tyrannus*, pro *exitialis*. Et rurſum *cum maxime*, pro *quam maxime*. Item, *& coniuges edidit*, pro *coniugeſq; edidit*. Vbi ſtatim ſequitur in ſcripto codice: cap. XVIII. *& ſoluere rempublicam veſtram religione*, non *exoluere*.

Ibid. *Qua tandem clade edoctus, tandem deos eſſe ſuperbiſſimus agnouit rex, pecuniamque omnem conquiſitam*] Infeliciter inſtauratus locus eſt. archetypon Spirenſe ſic habet: *Qua tanta clade edoctus, tandem deos eſſe ſuperbiſſimus rex, pecuniam omnem inquiſitam in theſauros Proſerpinæ referri iuſſit.* Necetat opus hic *conquiſitam* ſcribere, propterea quod infra legatur: *Pecuniam, quanta ex theſauris Proſerpinæ ſublata eſſet, conquiri.* Sane nimis multa paſſim ſunt in Liuio mutata, dum ex præcedentibus ſequentia, aut ex ſequentibus viciſſim præcedentia caſtigantur. Quaſi vero idem ſemper eodem modo ſit dicendum.

Eod. *Dein verberibus affectos, ſeruilibuſq; omnibus ſuppliciis trucidatos cruciando occidit*] Iuxta fidem manuſcripti codicis repoſuimus. *Dein verberatos, ſeruilibuſque omnibus ſupplicijs cruciādo occidit.* Ego tamen malim, *ſeruilibus omnibus ſuppliciis*, ſine *que*. Niſi quis velit legere *cruciatos*

Eod. *De abſente, indicta cauſa*] Inſeruimus duobus locis particulam, *vt*: *vt de abſente, vt indicta cauſa*. Paulo poſt.

Cap. XIX. pro *poſt paucos dies* ſcripſimus, *intra paucos dies*. Item, *è templo*, pro *exemplo*.

Eod. *Q. Fabius natum eum*] Accuſatiuum *eum* deleuimus. & mox repoſuimus *per ſeditionem militum*, pro, *ſeditione militum*. Item, *ſententiam deinde æque trucem*, ſuſtulimus *æque*. Quod ſequitur: *quæ Locrenſes quererentur*, & in ſcripto codice eſt, *ferrent*, cogitandum an ſcribendum ſit, *afferrent*. Mox pro *deceſſiſſet*, ſuppoſuimos *deceſſerit*. nam archetypon habet *deceſſit*, mēdoſe. Et deleuimos pronomen. *eas*, *Eas neque ſenatum*.

Eod. *Et ſacrum piaculare fieri, ita*] Has quinque voces hic temere inſertas quod infra ſequatur: *Ac piaculare ſacrum fecerūt*, nos diſpunximus. Eſt enim etiam ſine iſtis incolumis ſententia. ſcripſimuſque, *aperti, violati eſſent*, pro, *violatique eſſent*.

Eod. *Et aduerſus Scipionem*] Hæ tres dictiones præter auctoritatem ſcripti codicis ſont infultæ. Nam quanto magis principum orationibus lacerabatur Scipio, tanto magis aliorum ſtudia ſunt in illum accenſa. Hoc vult dicere Liuius. Paulo poſt, *crepidiſque in ambulare in gymnaſio libellis etiam eum*, deleuimus etiam accuſatiuum *eum*.

Cap. XX. *Qui de cæteris maxime aſſenſus*] Legendum eſt: *Maximo aſſenſus*. Intelligit. *Q. Fabium Maximum*.

Eod. *Ducemque receptu ab hoſtibus Hiſpaniæ*] Hanc periodum totam aliter diſtinximus, tranſpoſita clauſula in ſuum locum reducta, hoc modo: *Qui enim conuenire, quem modo ciuitas iuuenem admodum, vnum recuperandæ Hiſpaniæ delegerit ducem: quem recepta ab hoſtibus Hiſpania ad imponēdum Punico bello finem creauerit conſulem: ſpe deſtinauerit Hannibalem ex Italia retracturum, Africam ſubacturum, eumque repente tanquam Q. Pleminium, indicta cauſa, prope damnatum ex prouincia reuocari?* Porro nemini hic offendat quod ſcripſimus *retracturū* (ſic enim eſt in codice ſcripto) cum infra alio loco legatur, *ex Italia detracturum*. Neque enim, vt ante monuimus, iiſdem ſemper vocabulis vtitur Liuius.

Eod. *Vt compararent inter ſe*] Emendauimus: *Aut compararent inter ſe*, ſubauditur, *vt*.

Cap. XXI. *Tam vocatos ad concionem*] Antiqua lectio: *in concionem*. Paulo poſt. *Sine omni mora*, deleuimus dictionem *omni*.

Eod. *Si quis Pleminium aliumve accuſare vellet*] Scripſimus, *Si qui Pleminium aliumve quem ac. vel.* Eſt *ſi qui*, pro, *ſi quis*. Item poſtea, *quam inimicum malint eſſet*.

Eod. *Et alios triginta homines*] Repoſuimus, *& ad duos & triginta homines*. Item, *comperta oculis perferrent Romam*, pro *referrent*. Et cap. XXII. *ſeſe parauit*, pro *ſe præparauit*. Præterea, *terreſtrem naualemque exercitus*, pro *terreſtres naualeſque exercitus*.

Eod. *Traiceret, & ſpei conceptæ*] Lego, *traiiceret, & ſpei. c. q. d. i. o. c. p. c. d. p. q. t. compotem populum Romanum faceret*, ſubaudi, *vt*.

Eod. *Mollie bantur iræ*] Scripſimus, *molie bantur iræ*. Item, pro, *memoriaq; abſentis Scipionis facilius eos ad vulgū conciliabat. mortuus eſt tamen prius in vinculis, quam iudicium de eo populi perficeretur*, ita nos repoſuimos: *Memoriaq; abſentis Scipionis fauorem ad vulgum conciliabat. mortuus tamen prius in vinculis eſt, quā iudicium de eo perficeretur.* In veteri codice *faborem* legitur, *b* pro *v* poſito, pro hoc vocabulo qoidam duas dictiones, *facilius eos*; introſeruit. Sequitur poſtea. *et tribunis claſſem eam*. nos deleuimus accuſatiuum *eam*.

Eod. *Ipſe legeret*] Caſtigauimus, *eligeret*. Et mox: Cap. XXIII. *Dum hæc apud Romanos geruntur*. Item, *ad eam rem confirmandā*, pro *conſummandam*. Et, *Iam enim nubilis erat virgo, &*, particula diſpūcta. Præterea, *inita regi ſocietatis*, hoc eſt, *à rege*. quod prius erat *regia*. Ibi mox legitur in volumine veteri, *paruulum vinculum*.

Cap. XXIV. *Auertit à vero falſis elicitas præoccupando mentes hominum.*] Quid hic facit participium *elicitas*? impedit ſenſum, non illuſtrat. non eſt in archetypo Spirenſi. proinde & nos induximos. Paulo poſt, *& regno ſuo poſſet conſulere*, ſcripſimus; *ac regno poſſit conſulere*. Item poſtea, *quas legiones potiſſimum quātum militum numerum, &* coniunctione expuncta. *Item, circum oram maritimam miſit.* Accuſatiuus *omnem* deerat, quem nos inſeruimus. *Item, circum oram omnem maritimam miſit.* Quod vero inferius aliquanto ſequitur; *ſed in vrbibus etiam oppugnandis*, ſubmouimus præpoſitionem, *in*.

Cap. XXV. *Non paruo numero inter auctores diſcrepat*] Antiqua lectio: *Non par numero inter auctores diſcrepat.* Lego: *Non pari numero, inter auctores diſcrepat.* hoc eſt, eo quod numerus apud illos par non ſit. Ibidem mox legitur in veteri libro, *ſedecim millia*, non *quindecim millia*.

Eod. *Alibi parum plus dimidio rem auctam*] Emendauimus; *Alibi parte plus dimidia rem auctam.* Mox, *poni malim*, pro *malui*. Et paulo poſt, *nauibus ante conſcendere coactos continuit*: vbi prius legebatur: *In naues ante con. c. continuit*, Item, *M. Pōponio cura data*, non, *curam dat*. Vbi mox in antiquo volumine legitur, *triginta quinque dierum*. Et tamen ſequitur: *aquam dierum quadraginta quinque in nauibus eſſe.* Expunximus illic accuſatiuum *neceſſariam*, nam archetypon Spirenſe ſic habet: *Si aquam hominibus, iumentiſque in totidem dies, quot frumentum, impoſuiſſet*, hoc eſt, in vſum hominum iumentorumque, ſiue pro hominibus iomentiſque.

Eod. *Eoque abundans omni copia rerum eſt regio*] Scripſimus, *omnium copia rerum*. Et mox, *priuſque*, pro, *prius quoque*.

Cap. XXVI. *Quanquam ſi magnitudine claſſis æſtimaretur*] Emendauimus: *Quanquam ſi magnitudine claſſes æſtimares.* Sic autem legendum docent ſequentia.

Eod. *Ingentis ad incrementa gloriæ*] Repoſuimos *ingenti*, ſicque diſtinximus, *partim ſuapte fortuna quadam ingenti, ad incrementa gloriæ celebratus*. Paulo poſt, *in portum* caſtigauimus, pro *in portu*.

Eod. *Quæ ad proſequendum Scipionem*] Reſtituimus hic particulam *&*, quæ deerat, *quæ et ad proſeq. Scip.*

Eod. *Ad hoc legiones*] In exemplari vetuſto plerunque legitur, *ad hoc*, quod in vulgatis editionibus eſt, *ad hæc*. Hic non fuiſſe mutatum à caſtigatoribus equidem miror.

Cap. XXVII. *Dij deæque, inquit, maria terraſq; qui colitis*] Vetus lectio: *Diui diuæque, inquit.* Diuos perpetuos eſſe Varro tradit; qui propter ſui execrationem timentur, vt ſunt dij Manes. Diuos pro dijs reperias & apud Plautum. Nec eſt mos in

Digitized by Google

ſcripto codice, *maria terraſque qui colitis*, ſed *qui maria terraſque colitis.*

Eod. *Uti quæ in meo imperio geſta ſunt*] Dictionem *uti*, neſcio quis hic inſulſit, quæ elegantius ſubauditur. Porro non habet, antiquum volumen *geſta ſunt*, verum *acta ſunt*. Item, *mihi, populo, plebique Romanæ*, non *mihi populoque, & plebi Rom.*

Eod. *Bene vertant*] Exemplar Spirenſe expreſſe hic habet, *bene verruncent*. quod tamen illic geminatum legitur errore librarij. Ceterum veteres *verruncare* pro *vertere* vſurpaſſe docet verbum *auerruncare*, quod *auertere* ſignificat, quemadmodum annotauit Nonius Marcellus. Nihil igitur opus erat hic pro *bene verruncent*, ſcribere *bene vertant*, quando hæc tota Scipionis precatio vetuſtatem ipſam refert.

Eod. *Prædæ onuſtos*] Hæ duæ dictiones non ſunt in codice Spirenſi. Quod vero ſequitur, *mecum domos reduces ſiſtatis*, expendendum num legi debeat, *domo*.

Eod. *Vti mos eſt, in mare porricit*] Antiqua lectio: *Vti mos, in mare proiecit*. Et ſequitur verbum præteriti temporis, *ſignum dedit*. Mox ſcripſimus, *celeriter cõſpectu terræ ablati ſunt* è præpoſitione expuncta. ſtatim ſequitur in exemplari ſcripto: *Et à meridie nebula occœpit*, non *occœperat*.

Eod. *Haud ita multo poſt T. Peſthumius gubernator*] Archetypon noſtrum habet tantum, *haud ita multo poſt gubernator Scipioni ait*. Proinde apparet præpoſitionem *poſt*, dediſſe occaſionem, vt aliquis inſulciret gubernatoris nomen *T. Peſthumius*.

Eod. *Et vento eodem ferebantur*] Caſtigauimus: *Vento eodem ferebantur*, particula, *&*, deleta, quam debemus finali ſyllabæ verbi præcedentis, *iubet*.

Eod. *Inde ægre correptum curſum*] In antiquo volumine legitur, *inde ægre correctum curſum*. Aberrarãt enim. qui error non citra difficultatem correctus eſt & emendatus.

Cap. XXVIII. *Quibus deſcenſiones in agros marit. factæ erant*] Archetypon quod penes nos eſt, *exſcenſiones habet*. quod etiam alibi in eodem codice ſcripto lectitatur.

Eod. *Octo millia liberorũ capitum ſeruorumque*] Genitiuus *capitum* à quopiam inſertus eſt. Nam in ſcripto volumine tantum eſt: *Octo millia liberorum ſeruorumque.*

Cap. XXIX. *Ceterum cum magis iure gentis, quam auctoritate inter ſuos, aut viribus obtineret regnum*] Sic caſtigauimus ſecuti fidem manuſcripti codicis: *ceterum cum magis iure gentis, auctoritate inter ſuos, quam viribus obtineret regnum*. Senſus eſt: Obtigerat illi inter ſuos auctoritas, ea magis quam viribus obtinebat.

Cap. XXX. *Vrbẽ Maſaniſſa primo impe. capit.*] Addidimus particulam, *&*, duobus locis: *Et vrbem Maſaniſſa primo impetu cepit, & ex regijs alios tr. ſe recepit*. Deinde ſcripſimus, *quo primum intenderant iter*, pro, *primo intenderat iter*. Item, *& incitabant iuuenem.*

Eod. *Nam & ipſe cum exercitu*] Repoſuimus, *Nam & ipſe eum exercitum, quo Capuſum vicerat, & ex receptis poſt cædem regis aliquot habebat*. Item, *mutum peditum equitumque habens.*

Eod. *Quia ſibi aduerſus Syphacem*] Emendauimus, *Quia ſibi cum Syphace*. Deinde deleuimus pronomen *eum*, *futurum eum in eodem honore*. Quod vero ſequitur ibi, *quo apud Galam et Deſalcem quõdam fuiſſet*, ingens erratum eſt, ſcribẽdum: *Quo apud Galam & Deſalces quondam fuiſſet.*

Cap. XXXI. *In medium regnum eundum, aut ſine certamine conceſſuros in ditionem*] Antiqua lectio: *In medium regni eundum*. Item mox, *perſecuti ſunt regem.*

Eod. *Pluresque quum iuſto ſæpe in prœlio*] Scribi debet, *in bello*. Nam *prœlium* ipſam pugnam & hoſtium congreſſionem ſignificat. Mox ſcripſimus, *Carthaginenſium*, pro *Carthaginienſes*. Et alioqui ſtatim ſequitur *Carthaginienſes*. Deinde repoſuimus.

Cap. XXXII. *Præmiorumque ingentium ſpe*. pro *ingenti ſpe*. Poſtremo pronomen *is* deleuimus. Nam in fine poſitum eſt verbum, à quo totus circumductus pẽdet. *Bochar ex præf. reg.* &c. *compellit. Sed copiis etiam aliquanto maioribus*] Inſeruimus particulam *vt*, *vt aliquanto maioribus.*

Eod. *Sequentibus ſeſe abripuit*] Scripſimus, *ſequentib. ſe eripuit*. Et mox, *ita circumdedit*, pro, *circumuenit*. Item, *Omnes ad vnum interfecerit.*

Eod. *Inter virgulta vlterioris ripæ emerſerunt*] Legi debet, *cum virgulta interioris ripæ tenuerunt*. Dij boni quid fingi poteſt impudẽtius illis, qui *vlterioris* ſubdiderunt, pro, *interioris*, pro, *tenuerunt*, *emerſerunt*, Deinde quo cohærerent verba potius quam ſenſus, adiecerunt præpoſitionem *inter*. Paulo poſt, *redit*, ſcripſimus, pro *redijt*.

Eod. *Patique poſſe eſt viſa iactationem*] Ad fidem manuſcripti codicis caſtigauimus: *Patique poſſe viſus iactationem*, vt de ipſo Maſaniſſa intelligas, non de cicatrice.

Eod. *Haud plus XL. equitibus collectis*] Archetypon Spirenſe habet: *Haud plus triginta equitibus collectis*. Habet deinde. *atque non in poſſeſſione mode.*

Eod. *Inde irritato ad bellum Syphace*] Vocabulum *inde*, non eſt in volumine ſcripto. Mox repoſuimus, *in iugis opportuniorum ad omnia montium.*

Cap. XXXIII. *Maiorem igitur eam rem iam Syphax rex ratus, quam vt per præfectum ageret*] Duas dictiones *iam* & *rex* deleuimus, & *præfectum* mutauimus in *præfectos*. Sic enim in antiquo codice legitur.

Eod. *Imperat, vt circumducto agmine in ſe intentum hoſtem ab tergo inuadat*] Locus eſt corruptus & licenter mutatus, cum nihil opus eſſet. Inſeruimus pronomen *illum* quod deerat, & ex fide Spirenſis exemplaris ſic caſtigauimus: *Illum circumducto agmine in ſe intentum hoſtem ab tergo inuadere iubet*. Mox expunximus accuſatiuum *eum ex occulto aggreſſurus eum erat.*

Eod *Syphax autem interdiu*] Vetus lectio: *Syphax tum interdiu*. Deleuimus paulo poſt aduerbium *primo*. *Vbi primo tempus viſum eſt*. & pro *leni cliuo*, ſcripſimus *leni cliuo*, Item pro *tum multitudine*, *cum multitudine.*

Eod. *Itaque ceteri pedites equiteſque cæſi aut capti*] Scripſimus: *Itaque ceteri equites pediteſq; cæſi*. ſublata poſtrema clauſula, *aut capti*. Fides ſit penes archetypon Spirenſe.

Eod. *Altera pertinacior in repugnando*] Vocabulum *altera* non eſt in codice veteri. Stat vero ſenſus eleganter ſine illo. *Duæ turmæ hæſere. altera metu dedita hoſti: pertinacior in repugnando telis obruta & confixa eſt*. Vbi ſubauditur *altera*. Porro magis placet vt legatur *telis obruta*, quam *ceteris obruta*, quod in ſcripto codice eſt *ceteris obruta*. nam ſequitur, *& confixa eſt.*

Eod. *In alia atque alia flectendo itinera ludens*] Emendauimus, *eludens*. Et mox, *abſiſtere à ſequendo*, deleuimus *à* præpoſitionem, quæ ſubintelligitur.

Eod. *Ipſe cum LXX. equitibus*] Antiqua lectio, *Ipſe cum decem equitibus.*

Cap. XXXIV. *Cederet paulatim*] Scripſimus, *cedere paulatim*, ſubauditur ſuperius verbum, *iubet*. Deinde *qui per opportune circa viæ flexus ſuppoſiti erant*, ſic repoſuimus: *Qui per opportune circa viæ flexus oppoſiti erant.*

Eod. *Cum timoris ſimulati ſpecie audaciam hoſti faceret*] Lectio vetus, *cum timoris ſimulati audaciam h. f.* Ego non dubito quin Liuius ſcripſerit: *Cum timore ſimulato audaciam hoſti faceret.*

Eod *Hannoni Afriſque pugnando ac ſequendo feſſis ſe*] Sic emendauimus & diſtinximus: *Et recentibus equis (Hannone Afriſque pugnando ac ſequendo feſſis) ſe circumfudere*. Quod vero ſequitur, *qui primi agminis fuerant*, etiam legi poſſet, *qui priores agminis fuerant*. Nam codex ſcriptus habet, *qui prius agminis fuerant.*

Eodem: *Quibus haud facilis receptus fuerit*] Deerat hic *vt*, particula, quam de poſtliminio reduximus in contextum. *Vt quibus haud facilis receptus fuit*. Paulo poſt, *inter eos ſatis conſtabant*, ſcripſimus *conſtabat*. Id quod in editione Romana, & ea quam Colonia Agrippina dedit recte legitur.

Cap. XXXV. *Ad prædam alteram repetendam ſeſe veniſſe*] Accuſatiuus *repetẽdam* non eſt volumine ſcripto. Subauditur *is* aut ſimilis potius, puta *vehendam*. Nam præceſſit, *qua prædam in Siciliam vexerant.*

Eod. *Prout cuiuſque opera fuerat*] Antiqua lectio: *quorum opera fuerant*. Quid ſi legas *quorum opera fuſi erant.*

Eod. *Simul & terreſtris exercitus ad imminentem prope ipſis mœnibus tumultum eſt admotus*] Caſtigauimus, *ab imminente prope ipſis mœnibus tumulo eſt admotus*: ſiquidem huiuſmodi lectionem habet exemplar vetus. Et quid opus fuit mu-

tare quod eſt elegantiſſime dictum ! non intellexit virtutem præpoſitionis *ab*, quiſquis is fuit qui id auſus eſt. Eadem temeritate mox, *&* particula verſa fuit in *etiam*, *machinaſque etiam aduexerat ſecum*, cum Liuius ſcripſerit (ſic enim ſolet) *machinaſque & aduexerat ſecum, & ex Sicilia eum commeatum miſſa erant*. Paulo poſt, *tria equitum confeciſſet*, in veteri volumine eſt, *effeciſſet*.

Eod. *Abſcederet inde irrito incœpto*] Quid ſi legamus, *Abſcederet inde irrito cœpto*: quando codex Spirenſis habet, *abſcederet inderiso incœpto*.

Eod. *Etenim hyems inſtabat castra hyberna*] Sic emendauimus & diſtinximus: *Et (iam enim hyems inſtabat) caſtra hyberna*, &c. *communit*. Mox, *& naualium caſtra amplectitur*, exemplar vetuſtum habet, *& naualia caſtra*.

Eod. *In littus ad Septentrionem verſum ſubd. naues*] Hic locus miſere fuit interpolatus addita præpoſitione *in*, propterea quod librarius in fine dictionem *equitatus* omiſiſſet. Nos id vocabuli repoſuimus, *in*, præpoſitione ſubmota, & verbis ſic diſtinctis: *Littus ad Septentrionem verſum ſubducta naues nauales que ſocij tenebant, meridialem vallem, ad alterius littus deuexam, equitatus*, ſubaudi, *tenebat*.

Cap. XXXVI. *Comparari, aut mitti poſſet*] Caſtigauimus, *comp. ac mitti poſſet*. Item, XII. *millia tunicarum miſſa. &*, particula deleta.

Eod. *In agro Crotonenſi*] Debet eſſe, *in agro Crotonienſi*.

Eod. *Paulo minus trecenti vini capti, & equi XL.*] Lectio vetus, *Paulominus trecẽti vini capti, equi quadraginta*. Mox ſcripſimus: *Annibal Crotonem exercitum abduxit*.

Cap. XXXVII. *Princeps iterum delectus Q. Fabius Maximus*] Repoſuimus, *lectus* pro *delectus*.

Eod. *Cenſa cum iis CCXV. millia hominum*] Exemplar vetus: *Cenſa cum iis ducenti ſexaginta quinque millia hominum*: Legendum *ducenta*.

IN LIBRVM XXX. ANNOTATIONES, PER BEATVM RHENANVM.

CAP. I. *Vter Hetruriam ac Ligariam prouinciam haberet*] Scripſimus, *ac Ligures*. Et ſequitur mox, *in Hetruria ac Liguribus decretum*.

Eod. *Et ad populum ſuadendi ac diſſuadendi locus eſſet*] In codice manuſcripto non eſt gerundium *diſſuadendi*, ſed tantum, *et apud populum ſuadendi locus eſſet*. Nec erat opus illud hic addere. Nam ſuadet etiam qui diſſuadet.

Eodem: *Quod in Brutiis prouincia*] Exemplar vetus mendoſam hic lectionem continet, nempe hanc: *Cui in Brutiis prouincia eadem in Etrur. ac Liguribus decreta*. Opinor ſcriptum fuiſſe. *Qua in Brutiis prouincia eadem in Hetruria ac Liguribus decreta*.

Eodem: *Et Lucretio prorogatum imperium eſt, vt Genuam*] In codice ſcripto ſic legitur. *Et Lucretio prorogatam imperium, Genuam oppidum à Magone P. d. exædificaret*. Sine particula, *vt*. Similis locutio mox præceſſit, *M. Cornelius nouo conſuli tradere exercitum iuſſus, ipſe prorogato imperio Galliam prouinciam obtineret*. Quod poſtremum verbum inepte quiſpiam mutarat in *obtinere*.

Cap. II. *Quod roboris ea prouincia habuerat*] Non eſt in archetypo noſtro hæc clauſula, nec vſque adeo neceſſaria. Stat enim ſenſus iis verbis: *Et quia nequa claſſis ex Africa traiceret*, &c.

Eod. *Amplexa eſt*] Suſtulimus verbum *eſt*, quemadmodum mox præpoſitionem *in*. *Campeſtri agro*, pro *campeſtri in agro*. Iterum expunximus verbum *eſt*, ſicut ante dictum.

Cap. III. *Armaque & omne genus com.*] Caſtigauimus ex veteri libro: *& arma etiam ex Sicilia, & omne genus commeatus eo portabantur*. Item mox, *ex animo miſerat*, ſcripſimus *dimiſerat*.

Eod. *Spes vlla defiturum afferebatur*] Legendum eſt *deſciturum*, à verbo *deſciſco*. Loquitur de Carthaginienſibus relinquendis. cum quibus aduerſus Romanos fœdus inierat Syphax: *Ab hoc fœdere modica ſpes erat faturum, vt ille deſciſceret deficeretque*. Hoc planius faciunt ea, quæ ſequuntur, & aſtipulatur codex vetuſtus. Mox ſcripſimus *Antias Valerius*, ſecuti videlicet fidem lectionis veteris. quod elegantiæ cauſa Liuius vſurpauit.

Eodem: *Poſtea aut cauſa probabilis viſa commeandi foret in caſtra hoſtium*] Cum lectione vulgata conſentit exemplar ſcriptum, niſi quod *poſtea* aduerbium quiſpiam hic inſulſit. Cæterum auſim affirmare ego, pro participio *viſa*, legendum *ſuis*, hoc modo: *primo has conditiones imperator Romanus vix auribus admiſit. vt cauſa probabilis ſuis commeandi foret in caſtra hoſtium, mollius eadem illa abnuere*. Miſit enim exploratores in hoſtium caſtra Scipio per occaſionem colloquij, qui ſingula ſpecularentur. Nec vero quicquam addubito, quin eruditi mecum ſint hic ſenſuri. Peruicacibus nihil ſatisfacit, & nihil intelligunt ſtupidi. Certe participium *viſa*, nihil ad ſenſum pertinet. Dedit occaſionem errori, quod præcedens dictio *probabilis* in *s*, deſinit. Vnde librarius omiſſo *s*, altero *vis* ſcripſit, pro *ſuis*. Alius caſtigare volens, *a* literã adiecit, vt fieret *viſa*. Porro mox legitur in ſcripto libro, *vltro citroque agitantibus rem, conuenturum*. Item, *hybernacula Carthaginienſibus*, non *Carthaginienſium*. *Hybernacula Carthaginienſib. lignea erant*, hoc eſt, Carthaginienſes habebant hybernacula lignea.

Cap. IV. *Vetitos ſe reuerti ad imperatorem aiunt*] Caſtigauimus iuxta fidem ſcripti voluminis, *ab imperatore*. quę verba reſpiciunt participium *vetitos*, non autem infinitiuum *reuerti*, quod non animaduertit, qui mutauit. Sic mox illic legitur, *ad comparanda quæ in rem opus erant*. Et ſtatim, *qui animus*. ex archetypo Spirenſi.

Cap. V. *Tantum diligenti expleant cura. & ſe Aſdrubalem*] Vitiata verba ſunt. pro *vnaque* aduerbio quiſpiam non aſſecutus loci intelligentiam, ſuppoſuit *cura &*. Sic autem legenda ſententia eſt: *Tantum diligentia expleant. vnaque ſe Haſdrubalem Punicaque caſtra aggreſſuram*. Quis hîc non clamet in profeſſores, quos exemplaria vetuſta conſuleret piget ac pudet?

Cap. VI. *Multos in ipſis cubiculis ſemiſomnes hauſit flamma*] Scripſimus, *cubilibus*, intelligit lectos, aut id, quod illis vice lectorum erat. Nam hoc ſignificat *cubile*, cum *cubiculum* locus ſit, in quo eſt cubile. Porro in hybernaculis Pœnorum, quemadmodum à Liuio deſcribuntur, apparet, nulla fuiſſe cubicula. O aſinum, qui pro *cubilibus cubicula* ſuppoſuit.

Eodem: *An ex trepidatione nocturna eſſet confuſus*] Opinor ſcribendum, *confuſis ſenſum veri adimebat* dandi caſu. Quod vocabulum infra hoc eodem libro rurſum vſurpat de Maſaniſſa loquens: *Ex prætorio in tabernaculum ſuum confuſus conceſſit*.

Eodem: *Dein per continua ſerpens vno repente omnia incendio hauſit*] Exemplar manuſcriptum dumtaxat habet: *Dein continua incendio hauſit*. Demiror quis præpoſitionem *per*, adiecerit, & tres alias dictiones, *ſerpens vno repente*.

Eodem: *Obruebant itinera, portarum*] Scripſimus, veterem lectionem ſecuti, *obruerant itinera port*. Et mox, pro *die vna*, *clade vna*.

Eodem: XX. *mill. peditum*] In codice Spirenſi legitur, *duo millia peditum*.

Cap. VII. *Cum paucis Afrorum*] Vetus lectio: *cum paucis equorum*. Mallem *Pœnorum*. Suſpicor autem Liuium ſcripſiſſe, *cum paucis ſuorum*. Id quum ita fuiſſet ſcriptum, *cum paucis ſuorum*, ſciolus aliquis volens caſtigare locum, ex *vorum* additis duabus literis fecit *equorum*. Paulo poſt, *loco munito conſedit*, non lo-

co manito conſ. quemadmodum & nos ſcripſimus.

Cap.VIII. *Simul vtroque corna*] Mihi magis arridet lectio vetus: *Simul vtraque cornua.*

Cap.IX. *Qua diutina obſidioni toleranda ſunt neceſſaria, ex agris conuehit*] Hic ſciolus quiſpiam germanum Liuij ſermonem audacter vitiauit. Nam quum ille ſcripſerit: *Quę diutina obſidioni toleranda ſunt, ex agris conuehebat,* quemadmodum continet Spirenſe volumen, auſus eſt aliquis adijcere vocabulum *neceſſaria,* minime neceſſarium hoc loco, ſed ſuperuacaneum. Sic lib. 2. Decadis primæ Liuius dixit: *Vt tam eminens area, firmaque templis quoque ac porticibus ſuſtinendis eſſet.* Rurſum alibi: *Satis fretus tolerando certamini legatum eſſe.* Item, *P. Scipionē proconſulem deûm benignitate & rempublicam eſſe gratia referenda.* Quo loquendi modo Cicero quoque vtitur, & alij auctores.

Eod. *Vt feliciſſime gerantur res*] Caſtigauimus, *vt feliciſſime gerat ar res.* Nec improbatur mox vetus lectio, *qui tueantur. Occupat relictum fuga cuſtodum Tunetn. abeſt ab Carthagia e XII. millia ferme paſſuum: locus tum operibus, tum ſuapte natura tutus*] Hanc ſententiam ſic caſtigauimus & diſtinximus.

Eod. *Occupat relictum fuga cuſtodum Tunetu (abeſt ab Carthagine XII. millia paſſuum) locū quum operibus, tū ſuapte natura tutū.*

Cap.X. *Ne naues in terram ad obſidionem*] Placet vetus lectio, *in terram & obſidionem verſæ.*

Eod. *Et aut in oaer arium vſum verſa*] Hæc clauſula non eſt in exemplari ſcripto. ſed tantum, *torm. machinaſq; portantes, & aut ita ad pulſæ muris.* Vnde conicio particulam *&* repetitam à librario per errorem, propter finalem ſyllabam *es* præcedentē. Et ſic ſcripſiſſe Liuium, *tormenta machinaſque portantes, aut ita appulſa muris, vt pro aggere ac pontibus prabere aſcenſum poſſent.* Sic enim legendum docet archetypon Spirenſe, non *acceſſum.*

Eod. *Vt in naaali certamine ſolet*] Scribendū eſt, *contra quam in nanali certamine ſolet.* Nam quis vnquam ſic ad naumachiam inſtrui naues vidit, vt inter ſe colligentur?

Eod. *Velut vno inter ſe vinculo illigatis compreſſit, tabulaſq; ſuper inſtaurauit*] Tu lege, *comprehendit*, hoc eſt, complexus eſt, copulauit, tabulaſque ſuperſtrauit.

Eod. *Vt peraium nauium ordinem faceret*] Vetus lectio: *Vt peruium in totum ordinem eſſet.* Nos emendauimus: *Vt peruius in totum nauiam ordo eſſet.* Porro non ſolet Liuius idem verbū ſtatim repetere, vt hîc *faceret* & *fecit.* O miſerè tractatū Liuium.

Eod. *Ita parati inſtructiq;*] Quæſo te per muſas, ſic loquitur Liuius? Quid aliud eſt *iaſtructi*, niſi *parati*? Legendum eſt. *Ita parati intentique.* Significat enim Romanos attente Carthaginienſium aduentum expectaſſe.

Eod. *Omnia permiſta tarba trepidantium primo impetu oppreſſiſſent*] Dij boni, quanta eſt ſciolorū temeritas mutantium ſtatim quod non aſſequuntur. Scripſit Liuius: *Omnia permixta tarba trepidantium primo impetu deprendiſſent.* Quod non intelligens aliquis, pro *deprendiſſent*, ſuppoſuit *oppreſſiſſent.*

Eod. *Sed eo maior*] Vetus lectio, *Sed eo gratior.* Paulo poſt in ſcripto codice tantum eſt, *ad regem deſideratum*, non *dia deſideratum.* Item, *Itimulabant.* Quod ſequitur cap.XI. *per multos florentes annos*, caſtigauimus, *florentis*, vt referatur ad genitiuum *regni*, qui præcedit.

Eod. *Cum aut vincentib. ſpes*] Expende lector num legi poſſit. *vrgentibus.* Nam in volumine ſcripto *vigentibus* habetur. Et opponuntur inter ſe, *vrgere* & *pelli.* Præterea ſpes magis competit vrgentibus hoc modo videlicet victoriam conſecuturis, quam iam vincentibus.

Eod. *Omnem poſtremo vtrimque equitatum*] Germana liuij lectio ſic habere debet. *omnes vtrimque poſtremo equitum certaminis ſtadium effudit.* Præceſſit autem *primo pauci equites.* nunc dicit, *omnes*, ſubaudi, *equites.* Porro loquendi modus per duos genitiuos, vt hic *equitum certaminis ſtadium*, Liuio familiaris eſt, & optimis quibuſque auctoribus. In codice ſcripto mendoſe legitur, *vtrumque* pro *vtrimque.*

Cap.XII. *Intranti veſtibulum in ipſo veſtibili limine*] Genitiuus *veſtibuli* inter prælegendum additus ab exponente, poſt irrepſit in contextū. nos ſubmonuimus. id indicat liber manuſcriptus. Idem accidit paulo poſt in accuſatiuo *me. Neque me in cuiuſquam Rom. ſup.* Et in *vt* particula, *me morte vt vindicet.* nos itē expunximus. Infra legitur: *Ne quid relinqueretur integrum aut Lælio.* Et, *Maſaniſſa recipit.* Item *quātum quiſque plurimum poſſet:* Præterea *famaq; gentis.* & infra *perductus eſt.* Hoc non omittendum, quia paulo ſuperius in lib. vetuſto legitur, *ad arbitriū*, non, *vt arbitrium*, cam ſententiam ſic quoq; legi poſſe. *Victus deinde precibus Maſaniſſæ oramis, id arbitrium, vtrius regum duorum fortuna acceſſio Sophoniſba eſſet, ad Scipionem reijceret.* Vbi non citra elegantiam ſubauditur *vt.*

Eod. *In alloquēdo victorem*] Vetus lectio, *in alloquendo victore.* Et mox, cap.XIII. *quum arma aduerſus populum Rom. cepiſſet*, non, *recepiſſet.* Quod vero ſequitur, *ſibi hoc in miſeriis ſolatij eſſe:* & in ſcripto volumine eſt, *ſibi in miſeriis ſolatij eſſe:* poterat etiam legi, *ſibi in miſeriis ſolatio eſſe*, aut ſolatium.

Eod. *Neque prudentiorem neque conſtant*] Codex manuſcriptus tantum habet, *neque conſtantiorem Maſaniſſam quam Syphacem eſſe, iam ab iuuenta incautiorem.* Poſſet legi: *Neque conſtantiorem Maſaniſſam, quam Syphacem eſſe, iam ab iuuenta incautiorem.* Sequitur in exemplari Spirenſi, *certe ſtultius eam, quam ſe duxiſſe.* Proinde miror quis iſtas tres dictiones, *illum atque intemperantius* admiſcuerit.

Cap.XIV. *Hanc non hoſtili modo odio, ſed amoris etiam ſtimulis armatam apud amulum cernere ſecum dixiſſet*] Hunc locum nullus crederet infeliciter interpolatum eſſe & plane corruptum, niſi qui vetuſtum exemplar inſpexerit, in quo ſic legitur: *Hac non hoſtili odio modo, ſed a nouis etiam ſtimulis, armatam, apud æmulum cerneas eam dixiſſet.*

Eod. *Etiam eo fœdiora hac videbantur*] Scripſimus: *Et eo*, ſic enim in ſcripto codice legitur.

Eod. *Hac ſecum voluenti*] Antiqua lectio: *Hac ſecum volutanti.* Et mox inſeruimus *&*, particulam, *& benigno vultu excepiſſet, & egregiis laud. ſ. p. celebraſſet.* Sic enim Liuius loqui ſolet.

Eod. *Propter quam appetendus t.v.ſ.*] Scribe, *propter quas.* Nam præceſſit genitiuus *virtutum*, & ſequitur *temperantia & continentia libidinum.* Mox legendum eſt, *qua ego*, non, *in qua.* Paulo poſt ſcripſimus, *periculi.*

Eod. *Qui eas ſua temperantia frenauit: multo maius decus, maioremque victoriam ſibi peperit, quam nos Syphace victo habemus*] Exemplar manuſcriptum ſic habet: *Qui ſe temperantia ſua frenauit ac domuit, vt multo maius decus, maioremque victoriam ſibi ceperit, quam nos Syph. v. hab.* Suſpicor hoc potius modo fuiſſe reſtituendam ſententiam iſtam: *qui ſe temperantia ſua frenauit ac domuit, ne multo maius decus maioremque victoriam ſibi ceperit, quam nos Syphace victo habemus.* Vt ſi *ne* Græcum pro *certe*, quod facile potuit, in *vt* verti, ab eo qui fortaſſis putabat, negatiuam eſſe particulam, quæ plane ſenſum turbabat. De *ſe* particula non dubito: de verbo *ceperit* habes teſtimonium codicis Spirenſis.

Eod. *Regnum, agri, oppida.*] Legendū, *ager*, non *agri.* Significat *ager* totū territorium. Sic poſſemus dicere: hoc anno maligne frumenta prouenuiſſe in agro Gallico, in Alſatico vina. Is fuit quo hæc ſcribebam M.D.XXIX. Et tamen dicimus *ager Argentoratenſis*, *ager Sletſtadienſis.* Hoc non intellexit qui hîc ſcripſit *agri*, propterea quod ſequatur, *oppida.*

Cap.XV. *Quo facile à circumſtātibus tabernaculum exaudiri poſſet*] Scribendum eſt, *quod facile.* Non enim in hoc gemebat ſuſpirabatque Maſaniſſa rex vt audiretur: ſed tanta erāt ſuſpiria, vt facile exaudiri poſſent. Vide quam contrarium ſenſum inuehat vnius literæ abiectio. Paulo poſt ſcripſimus, *nec ingratum.*

Eod. *Quod temeritatem temeritate alia luerit*] Vetus & ſyncerior lectio: *Quod temeritatem temeritate alia luerit.* ſubauditur, *temeritate.* Eadem habet, *quam neceſſe fuerit.*

Eod. *Sella curuli eburnea*] In archetypo Spirēſi, non eſt *eburnea.* Quod vero ſequitur: *neque triumphantibus ampliorem eo ornatu eſſe*, legitur illic: *Neque triumphantis.* quæ lectio mihi probatur. Subauditur autem in genitiuo *triumphantis* accuſatiuus *ornatum.* Hæc puerilia, fateor, admonere cogimur, quod appareat quoſdam in errorem inde deductos. Paulo poſt cap. XVI. illic ſcriptum eſt, *Scipio Lælio*, non *C. Lælio.*

ANNOTATIONVM BEATI RHENANI IN XXX. LIB. T. LIVII FINIS.

IN LIBRVM XXXI. ANNOTATIONES, SIGISMVNDI GELENII.

CAP. IV. *P. Iulius Apulus*] Hunc & in prætura, & poſt in conſulatu *P. Villium Tappulum* ſcripti codices conſtanter appellant, hominem plebeium, & nihil ad gentem Iuliam pertinentem. Sed magis mirum quod mox Sulpicio Galbæ conſuli prænomen mutatum, & ex *Publio Seruius* factus, cum non ſolum Florus *Publium* vocet, ſed etiam in omnibus typis excuſis editionibus is ipſe Galba vbique præterquam in conſulatu *Publius* prænominetur.

Cap.IX. *Munera deinde legatis in ſingulos quina millia L. æris ex S.C. miſſa*] Legendum, *quinûm millium æris.* minutiora alia ne hic nec alibi commemorabo. Paulo poſt cap. XI. mutilata lectio ſic reſtituta: *Legatos item mittendos in Africam cenſue ũt, eoſdem Carthaginem, eoſdem in Numidiam ad Maſaniſſam Carthaginem vt nunciarent,* &c.

Cap.XII. *Indigne paſſus ſenatus non ceſſari ab ſacrilegiis*] Vetus lectio, *ab ſacrilegis.* Mox, *equuleum cum quinque pedibus*, non *equum.*

Cap.XIV. *C. Claudius Centimalus*] *Cẽto*, non *Centimalus*, quod Fuluiorum cognomen eſt. Mox, *contraxerant autem ſibi.* ſupereſt *ſibi.* Paulo poſt cap.XV. *beneficiorum primum in ciuitatem ſociam.* legendum, *ſuam.* Ibidem, *capeſſendam bellum*, non *capeſſendi belli.* ac mox, *naues longas quatuor in portu Atheniẽſium portu*, de ſuo aliquis adiecit. Ibidem, *virtutis ergo*, non *gratia.* in ſequenti verſu: *Rhody Ceam ab Ægina*, non, *etiam ad Ægina.* Et, *Parumque & Cythnum*, non, *Scyrum.* Et paulo poſt cap. XVI. *Doriſcon et Serrheum*, non, *Nympheum.* Serrheum in eo tractu præter alios etiam Thucydides collocat.

Cap.XX. *Equites c c. Numida, cum dares accepti*] Reſtituimus: *Equites M. Numidæ, cum MM. dares accepti.* rationem mutatæ lectionis, non eſt viſum paſſim ad ponere. Docti facile diſcernent, vtra lectio alteri præſtet: indocti conſenſu veterum codicum contenti eſſe debent.

Cap.XXII. *Et erant Attica tres apta naues*] Scribe, *apertæ naues.* non multo poſt, *quæ infrequentiſſima ædificia vrbis ſunt. ædificia* ſuperuacuum eſt. Deinde cap. XXIV. *curſu propere Chalcidem contendit*: vetus lectio potior, *curſu prope.* & ibidem, *nec quicquam aliud*, non, *nec ad quicquam aliud.*

Eod. *Sed Cynoſarges, & lucus, et quicquid ſancti*] Repoſuimus *Sed & Cynoſarges & Lyceum.* Sequitur non longe inde, cap. XXV. *qui tranſlato ab Achæis imperio à Philopœmene.* ſuſtulimus *ab Achæis.*

Cap.XXIX. *Lylibæum indicitur concilium populi Romani*] Pro *populi Romani*, lege, *prætor*, hoc modo: *Prætor Romanus conuentus agit.* ac mox, *Rhegium, Tarentum, Capuam, finitimaſq;*, Vetus lectio, *Capuam ne finitimas nominem.* Ibidem, *Monumentum Campani populi, elato & extorri eiecto ipſo populo.* non, *Campano populo dato extorri & eiecto.*

Cap.XXXII. *Niſi in Panætolico & Pyrrhaico conſilio*] *Pylaico* legendum, *à Thermopylis quæ & Pylæ dicantur.*

Cap.XXXIV. *Nam qui haſtis ... ipſique & lata lãcea*, lege, *et ra ra lanceæ.* Aliquanto poſt cap. XXXVI. *Caſtra ad Ataholum monit:* pro quo exemplaria ſcripta *Octolopham* habent.

Cap.XXXVII. *XXX. admodum ornati equis ſpoliiſq; ſimul armorum reiectis, abducti*] Syncera lectio *Equi, ſpoliis ſimul armorum relatis, abducti.*

Cap.XXXIX. *Anguſtis faucibus vnde ex continenti iter eſt*] Lege, *vnum ex cõtinenti.* Mox. cap. XL. *coſ. in loca pacata ad Apolloniam, vnde orſus bellum erat.* non, *iam pacata*, neque *ortum.* Ibidem, *Ætoli & Athamanes.* nam Acarnanes partium Philippi erant. Aliquanto poſt, cap. XLI. ... *vbi vniuerſi* dictio interciderat. Item, cap. XLII. *Tenuiſve ſummum*, non, *ad ſummum.* Sic enim Liuius loqui ſolet.

Cap.XLIV. *Neque in iis quicquam poſtea poni dedicarique placere eorum, quæ in loco puro poni dedicariq; fas eſſet*] Hæc ſentẽtia prius dimidia ſui parte truncata fuit.

Cap.XLV. *Ab Andro Scyrum traiecerunt*] *Cythnum*, lege. Idem error qui ſupra. Qui vero *Tãteeris*, pro *Atticæ is locus eſt*, ſcripſit, non legit apud Strab. *Praſias* vnum ex maritimis Atticæ Demis eſſe, ad Eubœam verſum.

Cap.XLIX. *C. Aurelius coſ. cum ex prouincia Romam comitiorũ cauſa veniſſet, vt id nouit, quod animus præceperat*] Vetus lectio: *Nõ id quod animis præceperat.* Paulo poſt: *Neque ex eo exercitu, qui cum Gallis pugnauerit, militẽ vnum ſaltem fuiſſe.* Legendum: *Ecquem ex eo exercitu, qui cum Gallis pugnauerit, ſi non militem, lixam ſaltem fuiſſe.* Mox, cap. L. *Maſſaliotæ eſt*, Terentij cognomen, *& Acilius Glabrio*, non *Attius.*

IN LIBRVM XXXII. ANNOTATIONES, SIGISMVNDI GELENII.

CAP. I. *Et Veliterni, Apollinis & Saturni ædes*] Pro *Saturni*, *Sangi* repoſuimus. Eſt autem *Sangus*, Sabinorum numen. Ibidem, *equuleum cum quinque pedibus*, non *equum*, Poſt aliquot verſus.

Cap. III. *Ea militum fuit, qui ex Africa*] Syncera lectio: MM. *militum fuere*, &c. Et mox, *Thaumaſtos eo tempore Philippus.* *Thaumacos* habent ſcripta exemplaria. Sic etiam Stephanus appellat.

Cap.V. *Philippum, quãtum ab aſſiduis laboribus itinerum pugnarumque laxauerat animi*] Legendum, *laxauerat animum.* Deinde: *maxime idoneum locum credidit eſſe præter amnem Aoum.* Adiecimus duas voces, *maxime idoneum ad muniendum locum.* Mox, *equos* CCXXX. non *equites.* Item *venalitium Capuæ*, non *venalium.*

Cap.VII. *M. Portius Cato, C. AElius*] Vetus lectio, *C. Heluius.* Paulo poſt, cap. VIII. *Ne aut ipſe prouincia decederet*] Scribendum, *Vetitnſq; aut ipſe prouincia decedere.* Itẽ, *aduerſus Philippũ communem hoſtem vti, populo Romano gratum eum facturum & ſenatui, ſi Antiochus regno.* Scribe & diſtingue ſic: *vti populum Romanum gratum eum facturum ſenatui, ſi regno*, &c. Mox, cap. IX. pro *Sueſſa aruſpices*, repoſuimus, *Sueſſa Aurunca.*

Eod. *Pauſanias & Hipſelus ex Alexandri Magnetis equitibus*] Vera lectio: *Pauſanias prætor, & Alexander magiſter equitũ.* Sic enim reddidit *Strategum & Hipparchum*. Poſt aliquot verſus, cap. X. vbi legebatur antea: *Genus armorum ad amplum prælium gerendum: contra illis loca.* ſcripſimus: *genus armorum erat, aptum vrgendis regiis pro hoſte loca.* Ceterum quia duarum vocum, ſcilicet *vrgendis regiis loco*, veſtigia magis literarum, quam literæ apparebant in exemplari vetuſto, veriti ne quantum ad eas voces attinet, non ſatis aſſecuti ſimus germanam lectionem, aſteriſcum appoſuimus. inſpiciat locum, cui ſcripti codicis copia dabitur. Alterum exemplar (nam duobus vſi ſumus) hic nihil adiuuit, quod in eo primus & ſecundus libri, atque initium tertij deſiderarentur.

Cap.XVII. *Acceſſit etiam forte res*] Lege, *fortuita res.* Deinde, cap. XVIII. *nec ſtationem procul à mari.* Lege, *nec rationem.* Ibidem: *Relicta obſidione*, pro *reiecta.* Et mox, *Daulis*, pro *Daculiſia.* Item, *poteſtas dicendi facta eſt*, non *data eſt.* *Et yſnere atrociſſime.*

Cap.XXI. *Sociorum Philippi maritimæ etiam vrbes*] Dele *etiam.*

Cap.XXII. *Et magnis recentibus colligatis beneficiis*] Lege, *obligatis.* Paulo ante, pro *neque morante vllo*, vetus lectio eſt, *neque mirante.*

Cap.XXIII. *Pertinacius Quintius à Miſnepio perſtabat*] Reſtituimus, *in incepto perſtabat.* Deinde, *velut ominis cauſa*, non, *honoris cauſa.* Mox, cap. XXV. *AEneſidemus Dimæus*, *non Elimeus.* Sequitur, *qui idem quod Macedones ſenſiſſent*. non, *ſoliti quidem.*

Cap.XXVI. *Et huius rei tam fœda indicium*, non, *fœdum.*

Eodem: *Iuſſique circumire eam*] *Eas* lege, vt ad *vigilias* reſtatur.

Cap. XXX. *Aut ſi qua in re occaſio fuiſſet, adiuuarem Romanos*] Vetus lectio, *aut ſi qua etiam occaſio fuiſſet*. Sequitur, *Carpenta ſupra cc. millia*, ſatis erat, *ſupra cc.* Paulo poſt, cap. XXXII. *ſumma vi vt tenderent*, non *vt obtinerent*.

Eod. *Et Achæorum exules, & vir inſignis Cycliadas*] Lege, *& Achæorū exul, vir inſignis Cycliadas*. Item, cap. XXXIII. *vt nulla fides ſit*, non, *vt in nullo fides ſit*. Ibidem, *ſimplicem ſuam orationē eſſe dixit*. verbum *dixit* aliquis adiecit de ſuo. & nō *regis præſidia*, ſed *regi* lege: *deducēda regi eſſe*. Item, *audire poſtulata verum eſſe*, non *æquum eſſe*. qua locutione & alibi Liuius vtitur. Mox, *Rhodij Pyrrheum*. *Piræam* legendum, & vetus exemplar, & verba per parentheſim addita ſatis declarant. id mendum & alijs aliquot locis inoleuit. Præterea, *& in Helleſponto, Seſto atque Abydo*, vbi *in*, præpoſitio deerat.

Cap. XXXIV. *Ipſi enim Ætoliæ Græcos*] *Agræos* ſcribo, non *Græcos*. Paulo poſt, *iis ne vrbibus decedere*. Vetus lectio: *vtrum, iis ne vrbibus*, &c. Item, cap. XXV. *cum Appio Claudio Tr. mil.* non, *cū A. Claudio præfecto*. Mox cap. XXXVI. pro *litus Athonium*, lege, *litus ad Tironium*. Eſt enim in eo ſinu huius nominis oppidum.

Cap. XXXVII. *Ceterum eorum oratio*] *Cetera*, non, *ceterum*. Poſt aliquot verſus: cap. XXXVIII. *traderet vbi vellet, vrbē, Philocli ait, ſic nocte*] Syncera lectio: *tradere vbi vellet, vrbem, Philoclē iuſſit, nocte*, &c. Mox cap. XXXIX. *poſteaquam in poteſtate Nabidis, Argiuorum ciuitas erat*. Hæc vox, *Nabidis*, non eſt in archetypo, & abſque ea ſatis conſtat ſententia. Ibidem, *quas iis forte diebus*. adiecimus pronomen *ipſis*, vetus exemplar ſecuti. *iis ipſis*. Idem exemplar habet: *haud procul vrbe Mycenyca*, non, *Hyecenica*. Ibidem. *inermes item regi*, non, *inermibus*. & in fine libri, cap. XL. *Sed poſtremo veſtem quoque*, non, *ſed et poſtremo veſtem*.

IN LIBRVM XXXIII. ANNOTATIONES,

SIGISMVNDI GELENII.

CAP. II. *In tempore ad ipſum*] *Ad idipſum*, lege. Paulo poſt cap. III. *Dardanos tranſgreſſos fines ab contentu conceſſit cum regni*,] Hę voces, *ab contentu conceſſit cum*, plane hic ſuperfluunt. Deinde pro, *omnibus vicis aliiſque*, ſcriptum eſt, *omnibus his aliiſque*.

Cap. VI. *Cum Luſcinone fidas vrbes Cardonem & Barzonem*] Scriptum exemplar quod vnicum extat, habet: *Cum Luſcinone alijs vrbes*. Quod vero editio Maguntina hic & aliis locis degenerarit, in cauſa fuit priſcus character, nec hoc ſeculo cuiuis lectu facilis. ibidem eſt pro *mutauerat*, *nudauerat*.

Cap. X. *Satis iam ante diuidere eſſe*] Hæc verba non ſolum deprauata, ſed etiam non ſuo loco poſita, initium ſunt orationis Antiochi ad legatos Romanos, vt indicabitur, cum ad eum locum ventum fuerit.

Eod. *Bellum in Hiſpania quinto poſt anno exortum eſt, quam ſimul cum Punico bello fuerat finitum*] Hîc duas voces, *exortum* & *fuerat*, typographus per incuriam omiſit.

Cap. XIII. *Perinde atque ab ipſo hi & non à Quintio & Romanis dati eſſent*] Vetus lectio: *Perinde atq; ipſi id a Quintio et Rom. datum eſſet*. ibid. *Et comitiis proximis Beotij ceu nullam aliam*. ſcriptum habet: *Bœotarchen nullam aliam*. nam *prætorem* caſtigator addidit de ſuo, ſicut paulo poſt, præpoſitionem *de*. *quidnam de ſe futurum eſſet*.

Cap. XIV. *Obuiam eundo impendentem*] Lege, *impudenter*. Et mox, pro *eo ipſo rem*, *eo ipſo timore*. Item, *ad agēdam rē fuerit*, *rem* redundat. Deinde cap. XV. pro *efferauerat cædes*, *efferauit ea cædes*, Ibidem, pro, *ac varios commeatus viſus*, legēdum, *commeantes*. & pro, *egredi aduſus miles*, *egredi caſtris miles*.

Eod. *Euaſit iis primis agris, quam ab Elatia*] *Qua*, non *quam*. Sequitur cap. XVI. *Euromo Piſidiſque & Bargilis*. vbi *Padaſſo*, non *Piſidis* lege.

Cap. XVII. *Soli Ætoli id decretum decem clamium ſanies carpebant*] Non erat opus aſteriſco, ſi quis primæ editioni præfuit, acrius oculos in characterem non ſatis notum intendiſſet: vidiſſet ſynceram lectionem, nempe hanc: *Decretum x legatorum clam muſſitantes carpebant*. Eadem excutientia mox, in tertio verſu pro *liberam iter* legit *libenter*, & *Eretriam* omiſit vbi ſcriptum eſt. *Oreum cum Eretria & Demetriade*. Rurſus poſt tres verſus, *quod tēpora Reipubl. poſtulaſſent*, deprauatum in *quo tempore P. R. poſtulaſſet*. Ac paulo poſt *præſidij Romani* in *popul. Roman.* & cap. XVIII. *Iſthmiorum ludiorum* in *Nemeorum*. *Quam quod vniuerſi homines acciperent*] *Vniuerſum homines caperent* debet legi. Non multo poſt, vbi legitur, *adeo vnum gaudium præoccupauerat omnem aliorum ſenſuum voluptatē*. temere ab archetypo diſceſſum eſt, quod habet *præoccupauerat omnium aliarum ſenſum voluptatem*. Item, cap. XX. *ſine fide rerum iactata*, *iactantibus* legendum. Sequitur: *Theſſalorum genti Phthiota dati*] *Achæi Phthiotæ* lege, Sic & Strabo hos vocat. Præterea pro *Phocæam et Eretriam*, *Oreum & Eretriam* lege & cap. XXI. pro *L. Thermus, L. Stertinius*.

Eodem: *Ætolorum principes ulij queſti ſunt*] In archetypo eſt *interqueſti*, ſicut *interloqui* dicimus. Aliquanto poſt cap. XXII. pro *proſpera pugna nequicquam oppugnatum eſt*, legēdum, *à proſpera pugna*, & pro, *ne moti ſe inde pellerent*, *ne moti ſemel pellerētur*. Item, cap. XXIII. pro, *in Boijs negligentius*, *Boij negligentius*. & *ad certamen deſtinatus*, pro *deſtinati*.

Cap. XXVI. *Romanos tam inquirere regi Antiocho faciendum, aut quouſque terra marique progrediendum fuerit. Ipſos non cogitare. Aſiam nihil*, &c. Hanc orationem non acephalon ſolum, ſed alioqui etiam vitiatam, ſic reſtituimus & diſtinximus. *Satis iam ante videre ſe. Romanos inquirere quid regi Antiocho faciendū: at quouſque terra marique progrediendum fuerit ipſis, non cogitare: Aſiam nihil* & reliqua. quinque primas voces, ſupra non ſuo loco poſitas, huic repoſuimus, vt ante dictum eſt.

Cap. XXVII. *Cypri nihilominus*] *Cyprum nihilominus tendens*, legitur in archetypo: Et, *ſeditione remigum*, non *regum*.

Cap. XXVIII. *P. Manlius Nobilior*] Hic omiſſæ ſunt aliquot voces. Integra lectio ſic habet: *P. Manlius, P. Porcius Lecca. Ædiles curules M. Fuluius Nobilior*, &c. Sequitur cap. XXIX. *Quo die magiſtratum inierunt*: non, *quidem magiſtratum*. ibidem, lege *et quinque millia*, non, *ex quinque millibus*. & *ab tergo Liguribus*, non. *Libuis*.

Cap. XXX. *Mirantibus iam vulgo, Minutium quod Hiſpania mouiſſet bellum negligere*] Vera lectio: *Mirantibus iam vulgo hominibus, quod Hiſpania mouiſſet bellum negligi*. Mox, *Nabin nunc Lacedæmoniorum*, non, *tyrannum Laceda.* & *tenere Argos*, non, *occupare*.

Cap. XXXI. *Eam rem rati maturatam, dilatamve non magni momenti ad ſummam rem populi Romani eſſe*] Sine cauſa hic quoque mutata lectio: nam in manuſcripto ſic eſt: *eam rem eſſe rati, quæ maturata dilatave non non magni momēti ad ſummam rem populi Romani eſſet*. deprauatius etiā eſt quod ſequitur. *Marceſcere otio tum queri ciuitatem eum*: id ſic reſtitutum eſt: *Marceſcere otio ſitu que ciuitatem queri eum*.

Eodem: *Per vnum illum tam geſti quam moti*] Paulo elegantius ſcriptum eſt in archetypo, *non magis geſti quam moti*. Mox, cap. XXXII. pro *tam potenti regno*, *tam impotenti*, legendum: vt alia minutiora hîc diſſimulem. Illud paruum videri non debet, quod paulo poſt, *ordinarij reipublicæ vſus* deprauauit neſcio quis in *ordinati*.

Cap. XXXV. *Ætoli quoque eodem tempore alienati ab ſocietate Romana & Aminander, quorum*, &c.] In Moguntino legitur: *Ætolorum quoque eodem tempore alienati ab ſocietate Romana animi ſunt, quorum*, &c.

Digitized by Google

IN LIBRVM XXXIV. ANNOTATIONES SIGISMVNDI GELENII.

CAP. II. *Auctoribus vobis M. Fundanio & L. Valerio*] Vocatiui ſunt *Fundani & Valeri*, ſicut ſequēti verſu, *tribuni*, non *tribunis*. eodem verſu pro, *nobis ſic, vobis ſi*, repoſitum eſt: ſequenti, pro *ſient*, *ſi vt*. Aliquanto poſt cap. III. pro *per qua quamque*, *per quaque ſubiecerint viris*.

Cap. IV. *Stantes in publico inueniſſet eas qua acciperent*] *E u* redundat. Poſt aliquot verſus legendum, *Ipſis vinculis ſicut fera beſtia irritata deinde emiſſa*. Vbi aliquis participium, *vinculis ſolutis*, addidit, cum nihil opus eſſet.

Cap. V. *Niſi quid in vtraque re vani ſit*] *Re* ſupereſt. Sequitur locus egregie vitiatus ſcioli alicuius opera.

Cap. VI. *In eadem die deerant pecunia frumētum, & cetera*] Syncera lectio: *In eandem diem frumentum, et cætera. In eandem diem*, hoc eſt, poſtquam debellatum eſſet.

Cap. VII. *Magiſtratibus in coloniis municipiiſque toga prætexta habenda ius eſt*] Deſunt aliquot voces. Integra lectio hæc: *Magiſtratibus in coloniis municipiiſque hic Romæ infimo genere magiſtratus vicorum, toga prætexta habenda ius permittemus*. Ibidem. *Nullam æmulationē inter eas ſingularem*. lege, *inter ſe ſingularem*. Paulo poſt: *Et malle patres*, non *mallent*. Item, cap. VIII. *Brutorum ianuas*: non *tribunorum*: & *portum Pyrenæi*, non *Pyrenem*.

Cap. IX. *Et agrorum exigere fructus*] *Exhibere* lege. Nam Græci illi nullos agros habebant. Deinde, cap. X. *Cauſa negati triumphi fuit*. Vetus lectio potior: *cauſa triumphi negandi ſenatui fuit*. Et cap. XI. pro, *præſidium Romani miſiſſet*, in veterib. legitur, *præſidio Romanus miles eſſet. tria millia*, &c. Paulo poſt, pro *nullis periculis ſe motos*, *nullis terriculis* nec male.

Cap. XII. *Conſul vbi id ſatis quod in ſpeciem fuit, oſtentatum eſt*] pro quo in vulgatis editionibus, *in ſpem* legitur. Aliquanto poſt cap. XV. *Et ipſe inter equites ſparo percutit*] Lege, *inter equitans*. Præterea, *ipſis caſtris exuti*, non *ipſi*.

Cap. XVI. *Quos omnes appellatos benigne domos dimiſit*] Vetus lectio plus habet: *appellatos benigne, vinoq; & cibo curatos*. Item, *donum conſuli*, non *domum conſulis*. grauius erratum quod ſequitur, *Bergiſtanorum ciuitates ſeptem et aliquot caſtella*. Et mox, cap. XVII. *Ap. Claudij Neronis*, non *à P. Claudio*.

Cap. XXII. *Ceteri omnes in vicos*] In manuſcriptis legitur: *Ceteri omiſſo bello in vicos*, &c.

Eod. *Quintius conuentum Corinthum omnium ſociarum ciuitatum legionibus in diem certam edicit: ad quam vbi frequētes vndiq; principes conuenerunt, ita vt in ea ne Aetoli quidem abeſſent, tali oratione eſt vſus*] *Ad quam* & *in ea* redundat. Nam Liuius ſcripſit, *conuentu edicto*, vt ſit continua oratio. Paulo poſt, *Liberata Græcia*, non *libertatis*: nec cap. XXIII. *incenſos Aetolos* legēdum. Sequitur cap. XXIV. *Efferatioribus quam vlli barbari immanes belluæ viuunt*] Vehementius eſt quod in manuſcriptis exemplaribus legitur, *quam vlli barbari, immo quam rapaciſſima belluæ viuunt*.

Cap. XXVI. *Inde potiſſimum ordiendi belli*] Melius, *ordiendum bellum*, Aliquanto poſt cap. XXVII. pro *tam ſuſpectis & incertis*, noſtra archetypa habent, *tam ſuſpenſis & incertis*.

Cap. XXVIII. *Dio poſtero ad Sellas ſuper Eurotam*] Scripti codices habent: *Die altero ad Sellaſiam ſuper Oenunta*. Si hunc fluuium & Polyb. nominat.

Eod. *Ingentem terrorem ac tumultum coniecerant, nihil tale expectantibus*] Reſtituimus iuxta fidem archetyporum: *In terrorem ac tumultum coniecerunt, nihil tale expectātes*. Deinde, *qua minus infida ac trepida*. Vbi hæc vox *infida*, interciderat.

Cap. XXIX. *E tribus concitata claſſibus*] Scribendum, *contracta*. Item, pro *vt diſcederent ab apertiore loco, vt diſtenderent*.

Cap. XXX. *Et accepi vrbem cum Philippi partium*] Dele *vrbem*. Eodem verſu: *tempus autem me*: lege, *Tempus autem eo me*. Ac mox, *iam feceram hæc*] Pro *nam feceram*. Et, *non dico quid*, pro *non dico quod*. Item *per agnationem fortunæ ad dignitates*, lege, *ac dignitatis*. Et, *pluribus me ipſe egiſſe*, pro, *me peregiſſe*.

Cap. XXXI. *Aut ad ſummum triam in ea re nouitatis culpam eſſe*] Syncera lectio, *aut ſummum trium in ea re non ciuitatis*. Paulo poſt: *Hoc tu dicas liberantibus Græciam ſociis, qui vt*] Potior lectio: *Hoc tu dicas liberantibus Græciam? hoc iis, qui vt*; &c. Sequenti verſu, pro *populi Romani non violati*, lege, *propriè non violati*. Item, pro, *Vtrum non à te factum eſt*] *Vtrumq; à te factum eſt*.

Cap. XXXIX *Non tantummodo obſeſſam, ſed iam captam vrbem Lacedæmonem eſſe*] Syncera lectio, *tantum non iam captam Lacedæmonem eſſe*. Sequitur cap. XL. *Lateri adhærens tyranni*, lege, *& lateri adhærens tyrannus*. Item, *Nabidis dominantis ſatellitem factum tribunum mil.*] Lege, *Satellitem factum populum Romanum*.

Cap. XLIII. *inter Cal. Martias et Idus Maias*] Vetus lectio: *Et pridie Cal. Maias*: vt ſint duo integri menſes.

Cap. XLIV. Mox, *Templum L. Cornelius Merula*] Archetypa: *L. Cornelius Merula, & C. Salonius*. Nihilominus tertius collega interciditi.

Cap. XLV. *Bigati CXXII. millia, Oſcenſis auri D. XL. pondo Militibus CCCC. millia ex præda diuiſit*] Rectius manuſcripti codices, nempe ſic: *Bigati CXXII. millia, Oſcenſis* DXL. *auri pondo* M. CCCC. *Militibus ex præda*, &c. ibidem *Boiorix*, non *Boiorum rex*: & *locis idoneis*, non *locis apertis*. Mox, *Tertio vi ſubiere. vi* redundat.

Cap. XLVI. *Fuſi inde Romani, & qui imperio conſulis parere noluerāt, ſuo pauore ac terrore caſtra repetunt*] Vetus lectio, *Romani qua imperio conſulis noluerant, ſuo pauere*, &c.

Cap. XLVII. *Omnibus circa ciuitatibus metuendum*] Secuti fidem veterum codicum addidimus, *hærentem viſceribus nobiliſſimæ ciuitatis*. Ibidem, *Et nunc cum alter*: dele, *&*.

Eod. *Ac Corinthum ipſis extemplo*] Lege, *Acrocorinthum ipſis*. Sequitur: *Salubrem eis & ſingulis ciuitatibus*. Reſtituimus *ſalubrem & ſingulis & ciuitatibus*. Ibidem, *Ipſis qui habeant*, non *iis qui habeant*. Paulo poſt, *ac minus ſuum bene poſitum*, non, *hic minus ſuum*. Mox. cap. XLIX. *pro portione*, lege disiunctim, quod in *proportionem* aliquis deprauauit. Ibidem, *ab Acrocorintho deſcendens*: non, *à Corintho diſcedens*.

Cap. LI. *Triumphuſque meritus ab annuētibus decretus*] Antiqua lectio, *ab lubentibus decretus*. Mox. cap. LII. *Tubero Tr. pl. tulit ad plebem*. illic legitur: *Tr. pl. ex S. C. tulit*.

Cap. LVII. *Ita ab Antiocho Græcas Aſiæ vrbes liberare*] Vetuſta lectio paulo elegantior: *Ab Antiocho Aſiæ vrbes quæ Græci nominis ſint liberare*.

Aliquanto poſt cap. LX. pro *Ariſtonem quendā Tyrium natum Epheſi*, illic legitur, *nactus Epheſi*. Et paulo poſt, pro *deinde tertia vigilia*, ſcripſimus, *de tertia*, cōſentientibus vetuſtis codicibus. Item, *dempta*, non *adempta*.

Cap. LXI. *Maſaniſſa poſteaquā et infames Carthaginienſes, et inter ſe ipſos diſcordes principes propter colloquia Ariſtonis ſenſit ſenatū, propter iudicia ipſius Ariſtonis populo ſuſpectū*] Germana ſcriptura ſic habet: *Maſaniſſa poſteaquā & infames Carthaginiēſes, et inter ſeipſos diſcordes ſenſit, principib. propter colloquia Ariſtonis ſenatui, ſenatu propter indicium eiuſdem Ariſtonis populo ſuſpecto*.

IN LIBRVM XXXV. ANNOTATIONES SIGISMVNDI GELENII.

CAP. I. *Quod inde reuectum eſt, militi diuiſum*] *Effectum eſt*, legi debet, non *reuectam*. Poſt aliquot lineas, cap. II. *Tertium in Hiſpania adieciſſe*, non *allegiſſe*.

Præterea, cap. III. *Nec dum noto ſatis inter ſe, vt vix fidere alij aliis poſſem*, *vix* redundat.

Cap. V. *Et M. Martius tribunus*] Repoſuimus ſecuti archetypa: *Et M. Genutius, & M. Martius tribuni*. Paulo poſt,

Digitized by Google

cap.vii. *Feralia* legitur in antiquis codicibus, nõ *fæneralia*. Ibidem: *libero fænore*, non *liberos*.

Cap.x. *Nam & in vnum locum tenebant patricij ambo,*] Antiquior lectio: *in vnum locum petebant ambo patricij.*

Eodem: *Ad Martis aram, qua in campos iter eſſet*] *In campum* ſcribendum eſt, nam de campo Martio intelligi debet. Paulo poſt cap.xi. *Nihil primo contemptius*. lege, *primo aſpectu con*. Itẽ, *Imponentes regendi equi inuitos*, non *equos inuitos*. nominatiuus enim melius quadrat.

Cap.xii. *Adiuncto Antiocho, ſociis Ætolis*] Addidimus particulam *ei*, ſic: *Ei adiuncto Antiocho*, &c. Item, cap. xiii. *Piſidæ qui circa Sicam. Selgam* non *Sicam*, Mox, *Pergamum aſcẽderant*, ſcripſimus. Nam ad mediterranea aſcenditur, non deſcenditur.

Cap.xv. *Vt procul ab ſe honore*] Scribo, *per honorem*. Poſt aliquot verſus, *vectigales factas in antiquum ius repetit*. Item, *eo ſpe gratia maior*, *ſpes* non *ſpe*.

Cap.xvii. *Omnem præſenti in ſtatu ſpem cuique nouandi res ſuas blandiorem eſſe*] Syncera lectio, *omni præſenti ſtatu*. &c. Deinde, cap.xix. *Huc veniam toto orbe*] Vetuſta ſcriptura, *inueniam toto*, &c. Ibidem *creſcenti quam ex me*. *quam* redundat. Et, *Odi, odioq; ſum*, legi debet, non *odioque quod ſim*. Ac mox, *in id conſilium alium cum quo deliberes*] Vbi vox *alium* interciderat.

Cap.xx. *L. Quintio Gallia*] Repoſuimus ex fide archetyporum, *Galliæ & comitia habenda*. Mox, *vt duo millia*] ſcribo, *vt ei duo mil. & Romæ prouincia*, non *Romæ*. Pręterea cap.xxi. *Seruari alique aruſpices iuſſerunt*. non *aliquot aruſpices*.

Cap.xxiii. *Quina ambobus equeſtria arma, & vaſa argentea C. pondo*] Antiqua ſcriptura, *Equi duo bina equeſtria arma, & vaſa argentea C. pondo, & aurea xx. pondo.* Aliquanto poſt cap.xxvi. lege, *lembos priſteiſque*, non *lembos treis iſque*. Et *Patrẽſis Piſo*, non *Piſo*. Vt diſſimulem quod *Philopœmenes* vbique contra fidem veterum codicum legitur, quum *Philopœmen* legendum ſit. Illud maioris momenti, quod paulo poſt cap.xxvii. *Tegeam* in *Telegam* neſcio quis deprauauit.

Cap.xxviii. *Sed etiam in pace ſe ad id maxime exercuerat*] vetuſta ſcriptura. *Sed etiam in pace ad id maxime animum exercuerat*. Item, *quo turbã inermem eraijceret*. *Reijceret* illic legitur, non *traijceret*.

Cap.xxx. *Eurotam amnem, qui prope ſub ipſis affluit mœnibus*] Subauditur *redundat*.

Cap. xxxi. *Zeno ex principibus vnus Magnetum*] *Magnæ* legenam ſequitur *auctoritatis*. Paulo poſt: *Abſciſſa res erat*, non *abſciſſa*.

Cap.xxxiii. *P. R. cum Antiocho, immiſtis Ætolis, non ſine motu magno generis humani, et pernicie Græciæ dimicare*] Tres literulæ deprauatæ totum ſenſum corrumpunt. Scripti codices habent, *Laniſtis Aetolis dimicare*. Nimirum metaphora à gladiatoribus ſumpta.

Eod. *Nã cum idipſum poſceret decretum T. Quintius, non veritus maieſtatem viri, primo aliud in præſentia, quod magis inſtaret, præuertendum ſibi eſſe duxit*] Diuerſum legitur in veteribus archetypis, hoc modo: *Nam cum idipſum decretum poſceret eum Quintius*. Præterea hæc vox *primo*, hic plane ſuperflua, in neutro inuenitur.

Cap.xxxvi. *Per paucorum turba ex cuſtodibus vitæ*] Scribo iuxta fidem archetyporum: *Et ſpectatorum turba*, &c. Et mox, *ſimul indignitat rei, ac ſimul contemptus*] *ac* redundat: Rurſus cap.xxxvii. pro *Herodorum mercatorum*, *Herodorũ Cianum mercatorem* legendum. Qui hic vnam vocem detraxit, mox vt dãnum compenſaret, aliam de ſuo adiecit, *naues onerarias*, cum abſolutè *onerarias* legendum vetus ſcriptura indicet: quemadmodum aliquanto poſt, *quid mora eſſet*, noo *quid moræ cauſa eſſet*. Præterea cap.xxxix. in *Chalcidis Euripo*, non *Chalcidem*: & *oſtium portus*, non *ad hoſtium*. De *Villio* iam dictum eſt.

Cap.xli. *Prima vt ſors duæ peregrina vrbanaque & inter ciues ac peregrinos*] *Peregrina* redundat. Et paulo poſt cap.xliii. *Accipientem prægrauatura*, non *pergranatura* legẽdum: Rurſus, poſt aliquam multos verſus, cap.xlv. *Verecundiam faciendam Rom.* non *inferendam*.

Cap.xlvi. *Ad Cheroniam occurrunt, & decem roſtratis nauibus ſecuti ſunt. Conſtratis nauibus* legitur in manuſcriptis magno conſenſu. eas alibi tectas vocat.

Item eod. *Adhæc Mictilo*] *Mictio* conſtanter vbique ſcribitur. Ac mox cap.xlvii. pro *indultam nuptiis, inclytam*. *Dahæ* itẽ cap.xlviii. non *Daca*, qui Grecis Δαοὶ ſunt. Ibidem *Sideta*, non *Hideta*. ac multo poſt cap. l. *Ante Salganea ad Hermeum*, non *Herinium*.

Cap. li. *Minus quatuor inde millium proximus in Eubœam eſt maris traiectus*] Antiquior lectio, *minus quatuor millium inde in proxima Eubœa eſt mari traiectus*. Pleraque videntur caſtigatores ob vitandos hiatus data opera mutaſſe, cum tamen ab eis Liuius non admodum abhorreat. Sequitur *cuſtodia cauſa loci communiebant*, non *locum*. *Caſtellum communiebant loci cuſtodiæ cauſa*. Poſtremo, *hic quoque tamen*, non *hi quoque iam* legendum.

IN LIBRVM XXXVI. ANNOTATIONES SIGISMVNDI GELENII.

CAP. I. *Ne ſupra quinque millia numerum*] *Ne ſupra quinque millium*, lege. Aliquanto poſt cap. iii. *cum de Philippo conſuleretur, hæc decreuiſſe, nihil referre ipſi coram, an præſidio nunciaretur*. Vetus lectio, *cum de Philippo conſuleretur, decreuiſſe, nihil referre, ipſi coram an ad præſidium*. Mox cap.iv. xx. m. *pondo argenti*, non m. xx. ac poſt aliquam multos verſus. *eandem orationem exorſus*, non *eadem oratione*.

Cap.vii. *Hoc ergo adiuncto quid dubitare*] In noſtris archetypis legitur, *ego*: &, *qui*, non *quid*. Item: *ille quidem vt fere*. *vt* redundat. Nam mox illic legitur *cupienti*, non *cupientes*.

Cap.ix. *Dum in futurum minus cauti et prouidi eſſent*] Antiqua lectio, *minus cauti*. Et ſocer Antiochi cap.xi. *Cleoptolemus* conſtanter ſcribitur, non *Neoptolemus*. Vbi *allegãdo*, legitur rectius quam *ablegando*: & *grauiori fortunæ conditioni*, quam *grauiori fortunæ conditionique*: & *obliuis quantas*, quam *quas tum*. Sequitur. *Menippũ Macedonem magiſtrũ AEtoliæ. Stratũ* neſcio quis in *magiſtratum* deprauauit, quemadmodum verſu proxime ſequenti *Calidonem* in *Chalcidem*, & paulo poſt non ſemel *Tyrrhenum* in *Pyrrhenum*. Rurſus aliquanto poſt cap.xiv. *Proernum* in *Pernam*, *Thaumacos* in *Thaumaſtos*.

Cap.xv. *Satis ſi lens numquam ea viam Rom. exercitũ facturum*] Vetuſti codices habent, *vim facturum*, non *viam*. nec erat opus mutare.

Deinde cap. xvii. pro, *multo et numero maior*] Illic legitur, *ille & numero*. Aliquanto poſt cap. xviii. *pro qua loca vſque ad mare, qua loca*, &c. Pro *grandinis & ſagittas*, *glandes, & ſagittas*. Pro *Carpeiam*, cap.xix. *Scarphiam*, vt alia minotiora diſſimulẽ. Item, cap.xxi. *Ariſtoteles* pro *Criſtoteles*.

Cap.xxii. *Ad regionem à Mallea*] Moguntinus & Spirẽſis codices aliter habent, hoc modo: *A ſinu Maliaco, quæ additum*, &c. Verſu eodem, *ab altero amniculo*, non *amnis latere*. Paulo poſt cap.xxiii. pro *non iaculis ſolũ, vt ſolet, nõ laqueis, vt ſolẽt*. non minus erratum quod ſequitur. *ex ratione temporis*, deprauatum erat in, *ex ſpectatione temporis*.

Cap.xxiv. *Pars vigilantes ad hunc ſtrepitum*] Vetus lectio aliquanto melior, nempe hæc. *pars vigilantes adhuc ad ſtrepitum pugnantium in tenebris currunt*. Proximo verſu pro *tranſcendere muros conantur*: illic tantum *tranſcendere conantur* legitur idque rectius.

Eod. *Pars vna, quæ progreſſi erant*] Longe aliter in noſtris exẽplaribus legitur, hoc modo: *Pars vna in qua ædificia extra vrbem erant*, &c. nec eſt: *partim per eruptos, partim ſcalis per integros*, ſed *partim per ſemiruta, partim ſcalis integros muros tranſcendere*.

Cap.xxv. *Inde diuerſi ad duas ſimul oppugnandas vrbes profecti ſunt, iter ſeptem millium ferme paſſuum*] Antiquior lectio melior, *profecti. Interſunt ſeptem millia ferme paſ.* Æque deprauatus eſt & proxime ſequens verſus.

Ibidem, *Et quia Lamia poſita in tumulo eſt, tum regionem maxime eo deſpectat oppido*] Reſtituimus ex fide archetyporum, hoc modo

Digitized by Google

modo: Et quia Lamiacum poſita eſt in tumulo, ſum regionem ea maxime deſpectat oppidum, quà, &c. Mox poſt paucos dies, lege pro ad paucos poſt dies.

Cap. xxvii. Et ſuppliciter agentibus iis profuturum] Scribo, & ſe ſuppliciter agentibus iis adfuturum. Ac mox, in quo id diſerte, pro in id quod. Paulo poſt cap. xxviii. ingemuerunt conditioni, quemadmodum & illacrymari conditioni dicimus.

Cap. xxx. Tum ergo vexato exercitu] Scribo, ſum quoque vexato. Paulo poſt: Pertinaciam increpitabant, pro, increpabant.

Cap. xxxiv. Te militeſq; tuos nondum tot vrbes, quot Philippum gentes] Vetus lectio, nondum duas vrbes, Philippum tot gentes.

Cap. xxxv. Fortuna veſtra facit, vt iræ meæ, et orationi tempora euenerint] Reſtituimus ad exemplaria ſæpe iam memorata in hunc modum: vt & iræ meæ, & orationi temperem. Euenerunt quæ prædixi euẽturu. Non multo poſt illic eſt, de exulibus Lacedæmoniorum, non Meſſeniorum: & perfecta res, non perfectu ſunt.

Eod. Quia ſua gratia reſeruari ea Achæi per ſe ipſi] Hic quoque noſtra exemplaria ſecuti ſumus: Quia ſua gratia reſeruari eam Achæi: Elei per ſe ipſi, quam per Rom. maluerunt Achaico contribui concilio. Paulo poſt, cap. xxxvi. ædem faciendam M. Liuius] adde; ex S. C. Item, & omnia cum maiore religione] lege, & ea omnia, &c. Rurſus pro edixiſſent x. viri, illic eſt, edidiſſent x. viri. & pro Vbi in numero. Vbi vt in numero. Itẽ, ſpẽ pro referentes, non, ferentibus.

Cap. xli. Vnus vero & prouide & fideliter prædicere] Antiqua lectio; Et prouidere & fideliter prædicere. Paulo poſt, pro, Liuium deliberantem aliquot] Liuium Deli per aliquot.

Cap. xliii. Ita numero non ferme impares futuros, ipſum ceteris omnibus ſuperiorem eſſe] Vetuſta ſcriptura: ita numero non ferme impares futuros ſe, ceteris omnibus ſuperiores. Sequitur, ceteru aperta minores omnes ferme erunt. lege, minoris formu. Item, Ciſſuntem, non, Ciſſontem. Aliquanto poſt cap. xliv. remos detergunt, non, defringunt. Sequenti verſu, compari marte, non, pari. Mox; claſſes quoque vndique, non, claſſes vnde quaque. Et cap. xlv. Tandem ſubſtiterunt, non, ubſtiterunt. In fine libri duo prætores deprauatè legebantur: M. Fuluius, pro, M. Tuccio. C. Antiſtius pro, C. Atinio.

IN LIBRVM XXXVII. ANNOTATIONES, SIGISMVNDI GELENII.

CAp. vii. Apud Africanum erant, virum ſicut ad ceteru regium] Egregium habent vetuſti codices. Mox, cap. viii. Bellicoſiores ea tempeſtate erant Gallogræci, non, Gallogræci, ſed Gallicos lege. Nam ea vox cum ſequẽtibus cohæret, ad hunc modum. Gallicos, nondum exoletu ſtirpe gentis ſeruantes animos. Paulo poſt, cap. ix. in portum Achæorum claſſem aduertit, non, auertit.

Cap. xi. Rhodiæ naues cum duabus Cypriis effugerunt] Vetus lectio: cum duabus Cois. Sequẽti verſu, pro iunctis enim binis, legitur, contis enim binis. Ibidem, Et Cyme aliaque, non Cyme Eleaq.

Cap. xiii. Vt præteruehens, ſi quas aberrantes] Lege, vt præteruehentis claſſis, ſi quas aberrantes, &c.

Cap. xvi. Portum Phœnicunta ad maritimu vix tutum] Legendum, portum Phœnicunta à maritimu vi tutum.

Eod. Non quod milites ſolum aliquot, ſed quod L. Apuſtius] Vetus lectio: Neque milites ſolum aliquot, ſed L. App.

Cap. xvii. Mox in Bargyliam & Icoſon deſcenſionem] Lege, in Bargylletico ſinu excenſione.

Cap. xviii. Plurimum terroris feciſſet Gallis mercede conductis, quatuor millia erant] Syncera lectio: Plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millibus erat. Sequenti verſu milites redundat.

Eod. Coequiſauerant autem ſex M. equitum] Quid illuc verbi eſt coequiſare? legendum, cum equitatu (erant autem vi. M. equitum.) Paulo poſt, cap. xx. Philopœmenis ſummi omnium] Lege, ſummi tum omnium.

Aliquanto poſt, cap. xxi. pro Aphrodiſias & Priene, vetus lectio habet: Aphrodiſias crene. xiii. ſuis nauibus.

Cap. xxii. Et vna Coa quinqueremi ad terram Gnidiorum, vt ibi in ſtatione eſſent, profecti ſunt] Antiqua lectio: Vna Coa quinqueremi, altera Cnidia Rhodum, vt ibi, &c. Quamquam ne vulgata quidem lectio abſurda videtur. Verior habenda in quam plures manuſcripti codices conſentiunt.

Eod. Portum, quem Megiſton vocant] Archetypa: Megiſten habent. Et geographi Megiſtes inſulæ in hoc tractu meminerunt, quæ fortaſſe eum portum efficit. Mox, vt in obuia claſſi, non, vt obuij.

Cap. xxiii. Audiunt ad Aſpẽdum iam hoſtes eſſe] In manuſcrip. legitur: audiunt ab Aſpendiis ad Sidam iam hoſtes eſſe. Paulo poſt: pro, nam Eudemus in altum, ſcribitur, num nec ſic in altum. Et, Locum poſt ſe quoque venienti, non quoque.

Aliquanto poſt, cap. xxiv. Includerentur, non, intercluderẽtur. Ac rurſus: Megiſtẽ. Itẽ, cap. xxv. In Hiſpania reges, nõ Hiſpania.

Cap. xxvii. Circumuecti ab vrbe aduerſa inſulæ] Ad auerſa inſulæ legendum, quemadmodum habent manuſcripti codices. Paulo poſt: In acutum cacumen, non acumen. Sequens quoque verſus vitiatus eſt, à mari rupes exeſa fluctib, ſuper claudũt. reſtituimus, à mari exeſæ fluctibus rupes claudũt. Aliquãto poſt, cap. xxix. Noſcere aut adire, nõ audire. Minutius eſt, quod mox ſequitur; primus è portu, non primum portu, ſicut vulgatæ editiones habent.

Ca. xxx. Virtute militum Rom. longe regiis præſtabant regiæ naues] Hunc locum videtur aliquis data opera corrupiſſe. Legendum eſſe Rhodiæ præſtabant: Rhodiæ naues, &c. ſatis declarant quæ ſequuntur. nam vt demus agilitatem nauium, artem gubernatorum, ſcientiam remigum non minus recte tribui regijs quam Rhodijs, populo in re nauali tum excellentiſſimo: certe ignes ad Panormum Rhodijs ſaluti fuerant, non regijs, atteſtantur & ſcripta volumina. Mox lege, metu ignis aduerſi, non aduerſæ. Nec erat cur paulo poſt: Anchorale in anchoram mutaretur, & debilitatum, in debilitate. Anchorale dixit; quemadmodum dicitur haſtile.

Cap. xxxi. Totidem ex vtraque in arctiorem velut cuneum] Antiqua ſcriptura: Cæti deinde ex vtraque parte. Ac mox, vbi coheret illic legitur, non vrbs. Et aliquanto poſt, cap. xxxii. Ad deliberandum ſumpto, non aſſumpto.

Ca. xxxvi. Nihil ea mouerunt regem, tutam fore bellis Aſiam ratum] Syncera lectio: Tutam fore belli aliam ratum. Poſt aliquot verſus, cap. xxxvii. Omnis fortunu ſubſidia, non, omnia, &: ſi extrahere tempus: non dum extrahere. Paulo poſt, cap. xxxviii. non ſagittarij equiti intermiſſi legendum, ſed ſagittarij equites. Hos Hippotoxatos Græci appellant. Nec eſt, ex propinquo caſtris facile, ſed ex propinquis caſtris facili ſubſidio. Mox, & tamen per ſe; non duo tantum millia per ſe.

Cap. xl. Hanc Gemeam vocabant] Vetus ſcriptura, ugemam eam vocabant: Item, Ab Ariarate miſſi rege, non, miſſi erant regij.

Cap. xli. Qua nihil ad malum Rom. eadem per incommoda regijs erant] Vna vox fœde vitiata eſt. Lege, Qua nihil admodum Rom. &c. Non multo poſt: Et eques inſequẽdo, non equos. Et cap. xliii lege, auxilia enim ſubſidiaria, non ſubſidiaque. Grauius erratum quod ſequitur eod. cap. qui inter equites; quos appellant plmlãgit as erat] Lege, & quos appellant.

Eod. Euitare impetum belluæ ex tranſuerſo] Lege, & vitare impetum belluæ & ex tranſ. Mox, cap. xliii. Is quà fugam cernebat ſuorum, non ſociorum. Item, qui in præſidio erant, non qui in præſidio erat. Et multo poſt cap. xlv. Si nunc moratus fuerit, non remoratus.

Cap. li. Deſierant enim victum in Ætolia metuere] Legendum eſt, victam Ætoliam. Aliquanto poſt, pro, ſibi autem tanto obligatos beneficio, lege, ipſi autem.

Cap. lv. Vſque ad Mæandrum amnem ea ciuitates Rhodiorũ eſſent] Vetus lectio, ea ciuitatis Rhodiorum eſſent. Deinde inter cõpetitores cenſuræ, cap. lvii. eſt M. Claudius Marcellus, non Gele. Aliquanto poſt, pro, multa concilia habuerat: illic legitur multa congiaria.

Eod. Quandoquidem taciti indignarentur nobiles homines, ideoque nouus] Syncera lectio: quando quod taciti indignarentur nobiles homines, id æquo nouus. &c.

Mox, cap. lviii. Ab vltimis orientis] Hæc vox partibus non additur in veteri ſcriptura.

IN LIBRVM XXXVIII. ANNOTATIONES, SIGISMVNDI GELENII.

CAp. I. *Et reſtiuerent Aminandram*] *Aminandrum* redundat. Deinde io noſtris archetypis eſt, cap. IV. *foſſa ita iungere*, non *foſſa iungere*. Et cap. v. *Aſſerem præfringebant*, non *perfringebant*.

Cap. VII. *Adiunctis Achæorum quæ partis erant nauibus*] Lege *patris*, non *partis*. Mox *ſuſpenſo fulturis*, non *furculis*.

Cap. IX. *Iurgiis excepti, quod rem traherēt*] Vetus lectio: *Quamdiu rem traherent*: ac rurſus, *Tyrrheum* in *Pyrrheum* deprauatū. Mox, cap. XI. lege, *vt conditiones pacis conuenirent*: non, *vt ad conditiones*. Item, *per fines ſuos*, non *tuos*.

Eodem: *Neque eos Ætoli recepiſſet, vel in Ætolia eſſent: ne vrbes agrique Acarnanum ſunto*] Antiquo lectio, *ne quem eorum Ætoli recepiſſe velint. Æniadæ cum vrbe agriſque Acarnanum ſunto.*

Cap. XIV. *Et corbaam auream xv. talentûm afferebant munus*] Legi debet, *Et in coronam auream xv. talentûm afferebant*. Sequitur continenter: *Heluius integros*, non *Manlius*.

Eod. *Præter Cibyram, Muleam*] Archetypa *Syleam* habēt, non *Muleam*. & *Syleum* apud Stephanum legitur. Mox, xx. *talenta ſe confecturum*, non *collecturā*. Deinde cap. xv. *ad Mæandrū manſeruat*] Exemplaria noſtra *Maadrupyum* habent, quam *Mandropolin* Stephanos appellare videtor. Item, *Termeſenſes*, non *Telmeſenſes*. Nam *Telmeſus* maritima eſt, *Termeſus* mediterranea. Deinde *Xylinen comen*: lege, quemadmodum alibi *Macran comen*, & paulo ſuperios *Hieram comen*. Præterea *Lyſinoe*, non *Lyſone*. Et *Aaabura*, non, *Antibura*.

Cap. XVI. *Primus regum Aſiam incolentium*] In manuſcriptis non eſt *regum*, vt non de regibus ſolum intelligatur, ſed de dynaſtis quoque ac liberis ciuitatibus.

Cap. XVII. *Hi iam degeneres ſunt miſti & Galli & Græci, vno quoque nomine Gallogræci vere appellantur*] Emendatior lectio, *Hi iam degeneres ſunt, miſti, & Gallogræci vere, quod appellantur*. Nec minus deprauatum quod ſequitur.

Eod. *Maſſilia inter Gallos ſubtraxit aliquantulum ab accolis animorum, niſi quo lex Spartana dura illa & horrida diſciplina māſit*] Reſtituimus ad fidem archetyporum: *Maſſilia inter Gallos ſita traxit aliquantulum ab accolis animorum. Tarētinis quid ex Spartana dura illa & horrida diſciplina manſit?*

Cap. XXII. *Subſidia enim in talibus iniquitatibus locorum maxime ſpei ſuis fuerant*] Antiqua ſcripta: *maximo ſæpe vſui fuerunt*.

Cap. XXV. *Romani ardentibus animis*] Legendum, *ardentibus ira animis*. & ſequenti verſu cap. XXVI. *bidaam natura montis explorando abſumpſit*, non *naturam explorando*. Paulo poſt, cap. XXVII. *Dextra lauaque prælati*, nō *palati*. Item, cap. XXVIII. *à porta Capena ad Martis*, non *ad Martis ædem*. Præterea, *timore vano quietē excuerunt*, nō *quidem excitauerunt* malim: cap. XXIX. *Iuxta vallam pro dirupto noniter obſtruentes murum*. Scribe, *iuxta validum*, hoc eſt, *aqua validum*.

Cap. XXX. *Laconica ora castellis, quæ omnes adepti erāt*] Lege, *quæ omnis adempta erat*, videlicet *Lacedæmoniis*. Ac mox: *Las vicus*, non *Lamis*, à quo vaſtato Caſtores *Laperſæ* Græcis denominati ſunt.

Item, cap. XXXIV. *Porta ex ea pecunia Megalopi*] In exemplaribus quorum ob vetuſtatem fidem ſequimur, *porticus* legitur, non *porta*.

Ibid. Cap. XXXV. pro *Lepidum deieciſſe tradunt, cum Lepidum deieciſſet. Romam reduceret M. Sempronius*] Antiquior lectio, *Romam reduceret M. Sempronium proprætorem*.

Cap. XXXVI. *Hiſpanis legiones*, &c. & aliquanto poſt *neve minorem ex belli cauſa*.] Illic legitur, *neve monerem*. Quemadmodum enim *trierem*, ita, *dierem*, & *monerem* Græci dicunt. Paulo poſt, cap. XXIX. *Parte dimidia pecuniæ remiſſa*, non *dimiſſa*. Et *Drymuſam inſulam*, non *dormiſſam*. Et, *Phocaenſibus* non *Phocēſibus*. Leuiculum hoc videtur, intereſt tamen non parum. *Phocenſium* gens in Græcia eſt. *Phocæenſium* ciuitas vltra mare in Ionia: mox *Milyada* lege, non *Mityadam*.

Cap. XLI. *Q. Minucij Thermi morte omiſſum eſt inceptum*] Syncera lectio, *plurimū Q. Minucij Thermi morte damni eſt acceptum*. Ibidem non *Gerantura* ſed *Zeriathium* lege. atteſtantibus manuſcriptis codicibos & Stephano. Et longe poſt cap. XLIII. rectius aliquanto illic legitur. *Ambracienſibus ſuper eſſe*, quam *eos ſupereſſe*.

Cap. XLV. *An per omnes anfractus viarum, cum via conſiſteres*] Scribo, *cum ad biuia conſiſteres*. Ac paulo poſt, cap. XLVI. *Et corpore & animi miſti ac vitiati ſunt*] non *& corpore & animo miſti ac mutati ſunt*. Et mox, *Cenſuiſſet bellum*, non *bella*. Et ſequēti verſu *nunciaretur*: ſingulariter.

Cap. XLVII. *Sed referre etiam ſi opus eſſe videretur. parati eſſent*] Antiqua lectio: *ſi opus eſſet, viderentur parati eſſe*. Item, *Nullius equidem inuideo honori* adde, *P.C.* Nec eſt mox, *Circa Aſiam ad omnes vrbes*: ſed *circa omnes Aſiæ vrbes*. Ibidem mox: *vtra grauiori*, non *vtrum à grauiori*: & *emoto*, potiùs quam *moto*.

Eod. *At enim ſunt hec ita: veram etiam Delphos*] Nihilo deterior videtur vetus lectio, nempe hæc: *At enim ſunt quidem iſta vera, etiam Delphos*, &c. Eadē figura vſus eſt libro ſeptimo. *At enim quadam ciuitates cum Antiocho ſenſerunt, & aliæ prius cum Philippo.*

Eod. *Aliis agro mulctatis vectigal impoſitis*] Lege addendo, *aliis vectigal impoſitis*. Mox, *quieta in ſuis arcibus*, non *partibus*.

Cap. XLVIII. *Te L. Scipio appello: cuius ego imperio ſuccedens, inuicem imperij tui virtutē felicitatemq; pariter non fruſtra ab diis immortalibus precatus ſum*] Emendatior lectio: *cuius ego mihi, ſuccedens in vicem imperij tui, virtutem*, &c. Item, *non cum Gallis bellum ſenatus*] Lege addendo, *bellum his ſenatus*. Ac paulo poſt, *Sed ego*, non *ſed ſi ego*. Et cap. XLIX. *Eodem modo ſuper Aoam*, non *eo modo*. Et, *præmia earum*, non *eorum*. Præterea pro, *nō cupiditas gloriandi*: lege addendo, *non cupiditas gloriandi de me*. Et, *tamen procoſ. triumphum in Thracia*, non *tamen triūpham*. Deinde ſcribendum cap. LII. non, *in Liternum conceſſit*, ſed *in Literninum* vt ſubintelligas *rus*: alioqui *Liternum* dixiſſet, abſque præpoſitione. Et mox, *morbum cauſa eſſe*, non *cauſam*. id caſu ita ſcriptum videri poterat, niſi poſt aliquot verſus repeteretur: *Cum L. Scipio excuſet, morbum eſſe cauſæ fratri*, conſentientibus vetuſtis codicibus.

Cap. LIII. *Antiochum, recepto eius fratre conſorte huius gloriæ. L. Cornelius Scipio vltra Tauri iuga emouit*] Lege per parēntheſin (*recipit enim fratrem conſorte huius gloriæ L. Cornelius Scipio.*) Mox eſt, *Africani triumpho*, non *Africano*.

Eod. *Quo ad primum conſulatum: ſecundo etiam ſi cenſuram adijcias*] Non ſine cauſa aſteriſcus hic appoſitus erat. Nōdum diſſoluerunt codices antiquæ ſcripturæ, in quibus ad hunc modum legitur: *Quid ad primum conſulatum ſecundus, etiamſi cenſuram adijcias*: nec eſt in ſequenti verſu, *neceſſitas*, ſed *neceſſitate*; ac mox, *vnus præcipuam*, non *vnam*. Item, cap. LIV. pro, *quod ei in publicum*] Illic eſt, *quod eius in publicum*. Et aliquanto poſt: *acceſſio inuidia*, rectius quam *acceſſione*] quod non dubito datá opera deprauatum ab iſtis delicatulis, qui hiatus ne in alienis quidem ſcriptis ferre poſſunt.

Cap. LV. *Quem rogationem Petilij quærere vellent*] Imo *rogatione Petilia. Alij hunc prætorem adeo amicum*] Lege, *ad hunc prætorem*: & pro, *alij adeo inimicum, aut adeo inimicam*. pro *prodiderant prodiderint*. Ita tota periodus pulchre conſtabit: quam is qui bis perperam ſcripſit *alij*, mire obſcurauit. Et tamen alia vix poſſunt ſcribis imputari. Vix tempero ſtomacho, quoties in mentem venit ingeniorum tam male auſpicatorum, tametſi nimium crebro ſtomachandi materiam præbeant. Ceterum mox C. Furius quæſtor *Aculeo* cognominatur non *Culeo*, quod cognomen in Terentia gente fuit, non Furia. Et aliquanto poſt. cap. LVI. pro *orationes quoque aberrant inter ſe*] rectius illic legitur: *abhorrent inter ſe*.

Eod. *Hinc enim ipſe Gracchus quæritur*] Tu ſcribe, *hæc enim ipſa*.

Cap. LVII. *Huic Graccho minorem ex duabus filiabus*] Cum conſtanter legatur in manuſcriptis voluminibus, *ex duab. filiis*: videtur hoc loco Liuius contempſiſſe exceptionem Grammati-

Digitized by Google

corum. Neque enim iam eſt ambigua vox, quantum ad ſexum attinet, ſi dicat *duabus filiis*. Si cui tamen magis placet vulgata lectio, cum eo equidem non pugnarim, contentus veterem indicaſſe.

Eod. *Quibus ita in publicum ſolenne ſponſalibus rite factis*] Cur non *inter publicum ſolenne* potius? quemadmodum in archetypis legitur.

Eod. *Et ipſi deſponſam reddidiſſe*] Grande operæpretium fecit ſcilicet, quiſquis ille fuit, qui hic de ſuo adiecit coniunctionem *&*. Libenter iſtas minutias diſſimulo, inter annotandum duntaxat, ſed hoc maius eſt erratum, quam primo aſpectu videtur, quod qui non ſentit, vel admonitus, is plane nihil ſentit.

Et aliquanto poſt cap. LVIII. *Cauſam dici veniſſe*] Quis intelligit hæc? & tamen non niſi vna litera deprauata eſt. Debet enim ſcribi, *eam dici veniſſe. Eam*, videlicet *pacem*. nec minus lepidum quod continenter ſequitur: *Huc decem legatos ſimul urguique*] Quæ malum ſunt hæc portenta? mutata vna litera errori medebitur. *Hic decem legatos ſimul argui*. Nam coniunctionem *que* quis non videt praua caſtigatorum ſedulitate tam appoſite inſultam? Paulo poſt cap. LIX. *expulſo eo in vltimum angulum*] *Eo* redundat. Hic certe vitandus erat hiatus, quod alibi parum opportune factum deprehendimus ſæpius quam indicauimus. Mox ſcriba quaſi liberalitatem ſuam reuocans, tantundem ſubtrahit, quantum de ſuo adiecerat, ſcribendo *cuius gloria prodeſſe*, pro *cuius cum gloria prodeſſe*. Rurſus vt hoc damni belle compenſet, adiicit particulam *id*.

Eod. *Id vbi ergo eſſe regium aurum*] O diligentem ſcribam & laurea dignum, ſi ferula puerile præmium videtur. Et hæc minuta contemnunt magni typographi ac celebres. Nihilominus in fronte libri magnifice iactant miram induſtriam in perſcrutandis & conferendis vetuſtiſſimis exemplaribus, & alios præ ſe pro nihilo ducunt: atque in noſtram barbariem captata etiam occaſione ſibi inuehi permittunt.

Paulo poſt, cap. LX. pro, *rogationem Petiliam ex S. C.*] Lege, *& S.C.*

IN LIB. XXXIX. ANNOTATIONES
SIGISMVNDI GELENII.

CAp. III. *In de Canomani conquaſti: Romæ*] *Id Canomani*, nō *inde*, & *M. Aburius Trib. pleb.* non *Amburius*. Paulo poſt, cap. IV. *quid ab eo quemquam æqui expectare?* Lege addendo: *quid ab eo quemquam poſſe æqui expectare?* Item, *& P.C. orare*] Lege *ſe & P.C. orare*. Et cap. V. *Alieni momenti animi*, non *alienis*.

Eod. *Tribunatum ſibi à P. R. mandatum obliuiſci pro auxilio ac libertate priuatorum*] Vetus lectio, *à P. R. mandatum obliuiſci, & mandatum pro auxilio*, &c. Ac mox, *Neceſſum eſſet*: non, *neceſſarium*. Aliquanto poſt cap. VI. *y primum lectos aratos*. non, *inde primum*.

Eod. *Argenti pondo CCXX. millia centum tria*] Omiſſum eſt auri pondos. Lectio erit integra hoc modo: *argenti pondo* CCXX. *millia, auri pondo* MMCIII.

Cap. IX. *Huius mali tabes ex Hetruria*] *Labes* eſt in vetuſtis exemplaribus non *tabes*.

Cap. XII. *Vt Hiſpalam identidem ex Auentino*] Legendum: *indidem ex Auentino*. Sequitur: *In ludo ſimili Bacchanalibus*] Pro quo vetuſti codices habent: *in luco ſimile*. Opinor *Semelem* detorta nonnihil voce *Similam* tum vulgo indocto dictam quemadmodum Græci nonnunquam in Romanis vocibus *i* præſertim breue per *e* reddunt Δομέτιον pro *Domitio*, Βεργίλιον pro *Virgilio* dicentes.

Cap. XIII. *Ebutu, qui optime de eo ipſo merita talem gratiam retuliſſet*] Maluimus & hic fidem archetyporum ſequi, in quibus ſcriptum eſt, *qui optimi in ce ipſo meriti*. Paulo poſt eſt: *tres in anno ſtatos dies*, non *ſtatutos*.

Cap. XIV. *Cum publico nomine, quid ea coniuratione, cœtuſque nocturnis fraudis occulta aut periculi importarent. tum priuata quiſq; ſuorum vice*] Melius legitur *ne quid ea coniurationes*. Et, *tum priuatim ſuorum quiſque vicem*.

Cap. XVI. *Iam maius eſt quam capere id priuata fortuna poſſit*] Vetus lectio: *quam vt capere*.

Eod. *Vbi deorum numen prætenditur, celerius ſubit animum timor*] Lege, *prætenditur ſceleribus*. Et, *quo quiſque loco poſitus erit*, non, *quo quis*. Præterea, cap. XVII. *nomenve abſentis detuliſſet*, non *de abſentibus*.

Eod. *Multorum delata quidem nomina, ex iis viri fœminæque mortem ſibi conſciuerunt*] Incorruptior lectio: *multorum delata nomina, quidam ex iis*, &c. Nec eſt, *A. Faliſcum*, ſed *Faliſcum L. Opiternium*.

Cap. XVIII. *Quia multæ ſationes & res peribant*] Ridiculum erratum. Lege, *multæ actiones et res peribant*. Paolo poſt, *ſed id omittere poſſe*, non *dimittere*, & *dum ne plus quinque*, elegantius quam, *dum ne plures quam quinque*.

Cap. XX. *Perfectis quæſtionibus Q. Marcius*] Lege addendo, *perfectis quæſtionibus prior Q. Marcius*. Aliquanto poſt, cap. XXI. *in prouinciam ierat*, non *in prouincia erat*. Rurſus paulo poſt cap. XXII. *Sipontum* dixit non *Sipontem*, quemadmodum, *Buxentum* Latinis dicitur, qui Græcis *Pyxus*.

Cap. XXIII. *Tamen quia rem integram Quintius*] Lege, *cum quia rem*, ac mox, *Antiocho deinde bello ſuperato ad Thermopylas, regi diuiſis partibus*] Ordinem ſic reſtituimus. *Antiocho rege deinde bello ſuperato ad Thermopylas, diuiſis partib.* &c.

Cap. XXIV. *Quod eũ Aeni & Maronea affectare poſſeſſionẽ audierant*] Vetus lectio, *quod iã Aeni & Maronen affectari poſſ. au.*

Cap. XXV. *In controuerſiam autem veniebant Philippo Polyſtricta, Phaloria & Euronome*] Lege *Philippopolis, Tricca, Phaloria & Eurymene*. Et in parentheſi adde *Aetolis* (*nam Philippum Aetolis ademiſſe eas conſtabat.*)

Cap. XXVI. *Alterum moleſtum, prauos mores*] Antiqua lectio *alterum mores ſuos reſpuere*.

Cap. XXVII. *Dixiſſe finem Philippo veterem, regiamque Thracia Parereiam. Sub ea nuſquam ad mare ferentem deflexiſſe viam*] Syncera lectio, *direxiſſe finem Philippo veterem viam regiam, quæ ad Thraciæ Parereiam ſubeat, nuſquam ad mare declinantem. Philippum nouam poſtea deflexiſſe viam.*

Cap. XXVIII. *x. legatorum decretum ſpecimen calumniæ imprudentiſſimæ prætendit, in quo maxime*] Antiquior ſcriptura, *decretum calumniæ impudentiſſimæ prætendit, quo maxime*, &c. paulo poſt, *in integro manerent*, non *in integrum*.

Cap. XXXII. *Claudius vnus ex omnibus nobilis candidatus erat*] *Nouus* non *nobilis*. Et poſt aliquot verſus, pro, *non vt Claudianus*, lege, *non vi Claudiana*. Poſt aliquam multos verſus, cap. XXXV. vbi legitur, *& Philippus quidem minime quin rebellandum eſſet dubius*] Particulam *quidem* aliquis contra fidem veterum codicum adiecit.

Cap. XXXVI. *Sed quod Areum & Alcibiadem capitis ab ſe in concilio proximo damnatos cum legatis ſe accuſaturos videbas*] Coniunctionem, *ſed*, & has duas voces, *ſe accuſaturos*, non habent vetuſta exemplaria.

Eod. *Quam iniquitatem conditionis ſubimus, quod ab illa ſpe non decidimus*] Vetus lectio paucioribus verbis tantundem dicit, hoc modo, *ſubimus illa ſpe, iudicis animo te auditurum*, &c. Et mox cap. XXXVII. pro *Veſtra enim illæ deformes notæ ſeruitutis erant*] Illic legitur *deformes veluti cicatrices ſeruitutis*.

Eod. *Nego antiquas Lacedæmoniis leges Achæos ademiſſe, quas non habebant*] Antiqua & ſyncera lectio ſic habet: *Ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos ademiſſe arbitrer: nos non ſuas ademiſſe quas non hab.* &c. Paulo poſt lege addendo, *reprecaria libertas*] Vbi *re* vocula intercideret. Et mox: *dignitatem ſuam tenere apud Romanos non poſſe*] *Apud* redundat. Ibidem lege, *metum iniecit*, non *metu iniecto*.

Cap. XL. *Nec ita tantum vt cuius lingua*] Hæ particulæ, *ita vt*, non leguntur in vetuſtis exemplaribus. Ibidem cap. XLI. *Coierant apud prætorem L. Flaccum*] Legendum: *conſenſerantque prætor L. Flaccum*.

Cap. XLII. *Quieta deinde hyberna in citeriore prouincia habuit*] Vetus ſcriptura: *& citerior prouincia habuit*. Deinde XII. *M. pōdo: argēti*, XII. *pondo*. Præterea cap. XLIII. *vnum ex illis miſeris attrahi in ſinum ſecuri percuſſiſſe*] Nō *vnum ex damnatis*. Nec eſt in

veteribus, cap. XLIV. *vti ea quoque decuplo*, ſed *decẽ*, vt ſubintelligas *millibus*. Ac mox melius *detergendas cloacas*, quam *tegendas*. Et inter prætores vltimo loco, non *Cn. Sulpicius* eſt, ſed *Cn. Sicinius*, qui ædilis proximo anno fuerat: quamquam illic corruptè *Sicilium* vulgatę editiones habent.

Cap. XLVI. *P. Licinius Craſſus pontifex maximus mortuus eſt: in cuius locum M. Sempronius Tuditanus pontifex maximus eſt creatus. C. Seruilius Geminus P. Licinij funeris cauſa viſceratione data, ludos fecit et gladiatores* CXX. *pugnauerunt*] Longe aliter habet vetus & incorrupta lectio, ad hunc modum: *P. Licinius Craſſus pontifex maximus mortuus eſt: in cuius locũ M. Sẽpronius Tuditanus pontifex eſt cooptatus. Pontifex maximus eſt creatus C. Seruilius Geminus. P. Licinij funeris cauſa viſceratio data, & gladiatores* CXX. *pugnauerunt*. Nam P. Licinio Craſſo C. Seruilius Geminus, Gemino M. Æmilius Lepidus pontifex maximus ſucceſſit, vt ſatis apparet. Liuium non oſcitanter legentibus. Eadem paulo poſt, *Cum vndique diſſerenaſſet, ſublata, defunctoſque fato vulgo ferebant, quod inter fatalia vates ecciniſſent: neceſſe eſt tabernacula in foro ſtatui*] Et hîc nonnihil diſcrepant à vulgata lectione exemplaria vetera: vbi legitur, *Eadem paulo poſt, cum vndique ſerenaſſet, ſublata: defunctoſque vulgo ferebant, quod inter fatalia vates eeciniſſent, neceſſe eſſe tabernacula in foro ſtatui.*

Cap. L. *Ob magnitudinem priſtina eius fortunæ*] Vetus lectio: *obſtupuerant ad magnitudinem*. Item: *Sed defectionis auctores, quorum in manu res erat*] Lege *defectionis auctores, quorum in manu Reſpublica erat*. Lege *defectionis auctores, quorum in manu Reſpublica erat*. Paulo poſt ibid. *Duarum potentiſſimarum gentium*, non *duobus*.

Cap. LII. *Nauius hic magiſtratum non iniit tribunatu plebis P. Claudio, L. Porcio coſſ.* Antiqua ſcriptura: *Hic Nauius in magiſtratuum libris eſt tribunus plebis P. Claudio L. Porcio coſſ.* Mox: *ita vixiſſe in tribunatu videtur*: non, *vt videretur*. Paulo poſt, cap. LIII. redundat *ſe*, *vix ſe ſui arbitrij fore*.

Eod. *Prauertendos etiam animos à ſuſpicione*] Legendum *auertendos*. Item: *In Axium amnem editur*, non *elabitur*, atteſtantibus archetypis.

Deinde Cap. LIV. *pacem quam incerta belli præoptantes*, non *incertam belli ſpem*. Poſtremo circa finem libri: *inſulam quæ non ante fuerat*, pro *nondum ante*.

IN LIBRVM XL. ANNOTATIONES,

SIGISMVNDI GELENII.

CAp. III. *Execrationeſque quæ in agminibus proficiſcentium audiri ſolent, in regem, vincente odio metum, exaudiebantur*] Quid opus erat hîc tot ſuperfluas voces infulcire? ait parum integrum videbatur: *execrationeſque in agminibus proficiſcentium in regem, vincente odio metum, exaudiebantur.*

Cap IV. *Quoniam dies appropinquabat*] Exemplaria quorum fidem & inter ſe conſenſum libenter in hac editione ſequimur, habent: *cum iam appropinquabant*.

Aliquantò poſt lege addendo, cap. V. *Cætera in ſuum quæque tempus agenda differuut*] Vbi hæc vox, *agenda*, interciderat. Mox: *Alij ſingulos principum*, non *in ſingulos*.

Eod. *Proditorem nolo dicere, ſpeculatorem citius, ex quo obſes Romæ fuit*] Hoc loco noſtra archetypa melius: *Proditorem nolo dicere, certe ſpeculatorem habemus in ſinu: cuius ex quo obſes*, &c.

Eod. *Nec regem ſe alium rentur habituros eſſe*] Illic Legitur: *nec regem ſe alium habituros aiunt.*

Cap. VIII. *Viuo & ſpirante me hereditatem meam ambo & ſpe & cupiditate improba petitis*] *Creuiſtis* habet exemplar Moguntinum: quod certe magis antiquitatem ſapit quam ſuppoſititia vox *petitis*.

Eod. *Nec patrem poteſtis pati, nihil cari, nihil ſancti nominis noſtris, cuius vice regni vnius inſatiabilis amor ſucceſſit*] Reſtituimus ad fidem veterum codicum hoc modo: *Nec fratrem, nec patrem poteſtis pati; nihil cari, nihil ſancti eſt: in omnium vicem regni*, &c.

Cap. IX. *Furias fraternas cogita*] *Cõcita* legi debet, non *cogita*.

Cap. XI. *Tollatur nunc primus, vt regno fraterna cæde potior. Pater ſenex, & filio ſolus orbatus magis timebit ne iraſcatur, quam vt filij vleiſci necem patiatur*] Hic locus eſt egregie contaminatus. Ex collatione ad manuſcripta reſtituimus ſic: *Tollatur, non primus regnum fraterna cæde petiero. Pater ſenex, et filio ſolus orbatus, de ſe magis timebit, quam vt filij necem vlciſcatur.*

Cap. XII. *Si illa criminoſa ac vana accuſatio erat*] Incorrupta lectio: *Si illa ſeparata ab hac vana*, &c.

Cap. XIII. *Quis dies, qualis, quo luſtratus exercitus*] Lege, *quid dies* &c.

Eod. *Prælatis omnium qui vnquam fuere Macedoniæ regum armis, reges duo ſolito more tegentes latera pater præuecti ſumus*] Antiquior lectio melior: *prælatis o. u. q. f. M. r. armis regiis, duo ſoli tua teg.* &c. *Illic etiam paruo forſitan odio prouehente*] Legendum *illo etiam (prauo forſitan) gaudio prouehente.*

Cap. XIV. *Quod ſi non interueniſſent inſidiatores, ſomno ſopiti iaceremus*] Quanto melior antiqua lectio? *quæ ſi non interueniſſent, inſidiatores nos ſopiti iaceremus.* quod enim dicit *inſidiatores*, ironia eſt. Mox addendę duæ voces *te fateri*, *neceſſe erit te fateri, aut ſpeculatorum.*

Cap. XV. *Ego nec obſes Romanis vt traderer, nec vt legatus mitterer, à te petij, miſſus ire non recuſaui*] Maius arridet antiquus ordo. *Ego nec obſes Romanis vt traderer, nec vt legatus mitterer Romam, petij: à te miſſus ire non recuſaui.*

Eod. *Etiam ſi à fratre caritate vincor*] Scriptura antiqua, *etiam ſi caritate à fratre maiore vincor.*

Cap. XVI. *Sed per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi*] Illic legitur: *ſi per deditionem Ligures recipiet, receptis arma adimi.*

Eod. *Et victi perſeuerantia Fuluij*] Melius quadrat quam, *vicit perſeu. Fuluius.*

Eod. *Translatum argenti pondo millia* CCCXX. *auri* LXXXII. *pondo, aureæ coronæ* LXVII.] Quantum ad argentum attinet, exiguum eſt quod Terentius in ærarium intulit, præ eo quod ſcriba locuples de ſuo adiecit, non minus libralis in auro coronario. Credibilior ſumma eſt in manuſcriptis codicibus. *Translatum argenti pondo* IX. *millia* CCCXX. *auri.* LXXX. *pondo, et duæ coronæ aureæ pondo* LXVII.

Cap. XVIII. *Quatuor legiones conſules, quina*] Lege IV. *legiones conſulibus, quæ quina, & naualibus ſocijs ciuibus Romanis*, non *ciuium Roman.*

Cap. XXI. *In præſentia das ei omnia mandata*] *Omnia* redundat. Aliquanto poſt: *fuga per Pæoniam præparata arguebatur*, non *arguebant.*

Cap. XXV. *Paulus prorogato conſulari imperio*] Legendum, *prorogato ex conſulatu imperio.* Et poſt aliquam multos verſus, cap. XXVI. pro *cuiuſque ad Gallicum ſinum*] *Matienoque cuius ad Gallicum ſinum.* Mox, cap. XXVII. non eſt legendum *erumpere extraordinarijs cohortibus à porta iuſſit*, ſed *extraordinaria porta*. Sic enim conſtabit quatuor portarum numerus: vt ſint duæ principales, vna quęſtoria, & quarta hęc ipſa extraordinaria.

Eod. *Quem ſcrutantes antea in deuios ſaltus*] Tollenda eſt prępoſitio *in*.

Paulo poſt cap. XXIX. *quia creditur Pythagoræ.*] Lege, *quæ creditur*: & ibidem: *accommodata fide* pro *accommodas fidem*. Ac mox, *pleraque diſſoluendarum eſſe*, non paulo elegantius quam *ad diſſoluendas religiones*. Et non multo poſt lege addendo, *igne à victimarijs facto.*

Cap. XXX. *Ad caſtra hoſtium ſpeculatum miſit, vt viſeret*] Plus verborum habent hîc noſtra exemplaria. *Miſit proxime, ſuccedere ad vallum iuſſum: vt*, &c.

Aliquanto poſt legendum cap. XXXII. *caſtra amiſſa eſſe, & tum cum maxime ardere*, non *arderent*, vt eſt in vulgatis editionibus, diſtinctione etiam confuſa. Ibidem, *clamor accidebat*, non *accendebat*.

Cap. XXXIV. *Tria millia peditum, quibus data quinquagena iugera, centurionibus centena*] Vetus ſcriptura, *tria millia peditum quinquagena iugera, centurionis centena, centena quadragena equites acceperunt.*

Google

Cap.xxxv *Quecum ita ſint ego tamen hec predico P.C.*] Antiqui codices: *ego iam hinc predico*. Mox,cap.xxxvi.adde infinitiuum verbum *ſcire eius eſſe dicere, qui ſcire poſſit*. & ibidem: *illud exploratum*,non *illos*. Iidem codices paulo poſt habent, *ornari prouincias*,non *armari*.

Cap.xxxix.*Cum vim deditis remiſiſſet admonens*] In archetypo eſt,*cum his deditis rem eſſe admonens*. Id qui legere non potuit,ob characterum formas,vt opinor,noſtro ſeculo ignotiores,male diuinando ſenſum vitiauit:atque idem fere ex eadem cauſa in ceteris accidit,quæ deinceps vſque ad finem libri indicabuntur.

Eod.*In partibus extremis iam oppugnabantur*] *Iam pugnabatur*, illic ſcriptum eſt. Et proxime ſequenti verſu,cap.xl.*egregie legiones*,non *tertia legionis*.

Cap.xli.*Remitteret quæ ei data ſunt à conſule ad P. Manlium in Hiſpaniam vlteriorem milites deferri iuſſit : ad ſigna redire*] Non erat opus aſteriſco,ſi acrios oculos atque animum aduertere non piguiſſet. Scriptum enim eſt hoc modo : *Literæque ei datæ ſunt à conſulibus ad P. Manlium in Hiſpaniam vlteriorem deferendæ. Milites iuſſi ad ſigna redire*. Et proximo verſu eſt *in eum annum*,non *eum annum*. & *conſul iuſſus*,non *iuſſit*.

Cap.xlii. *Duronius qui Pr. anno ſuperiore ex Illyrico cum decẽ nauibus inde in portu Brunduſino relictis nauibus,cũ veniſſet Rom.*] Et hic ab archetypo diſceſſum eſt, quod ſic habet : *Duronius, qui Pr. anno ſuperiore ex Illyrico cum decem nauib. Brunduſium redierat, inde in portu relictis nauibus cum veniſſet Rom.* Et paulo poſt pro *recuſante quod ſibi faceret*,illic eſt *recuſantique id facere*.

Eod.*Pontifex in locũ eius L. Acilius cooptus Q. Fuluius Flaccus, ante Pontificem maximũ Æmilius Lepidus*] Archetypi ſcriptura, *pontifex in locum eius à collegio cooptus Q. Fuluius Flaccus : in pontificem maximum Æmilius Lepidus*. Libro nono per occaſionem deprauatæ ſcripturæ indicauimus, Seruilium hũc Craſſo in eo ſacerdotio ſucceſſiſſe. Confer locum hunc cum illo, agnoſces vtrobique germanam lectionem. Et paolo poſt cap. xliii.pro,*vrbem ingreſſus eſt Vellus*,illic legitur,*vrbem eſt inuectus*. Ibidem non,*nummûm centum ſeptuaginta tres ducentos*:ſed *centum ſeptuaginta tria millia ducentos*. Neque *quingeni ſunt diuiſi*,ſed *quinquageni*. Et mox,cap.xliv. non eſt *qui à ternis ad quaternos*, ſed,*qui alternis quaternos*.

Cap.xlvi.*Et nos à vobis admone fieri,non vos à nobis debere*] Pro, *admone fieri* illic eſt,*admoneri & regi*.

Cap.xlvii.*Si Gracchus maius ſibi bellum eſſet,in vltima Celtiberia penetraret. Mundam vi cepit vrbem, primo aggreſſos noct. Accepiis deinde ex improuiſo obſidibus,& caſtella oppugnare: præſidioque impoſito deinde agros vrere*] Hic præter alia vitia ordo quoq; multipliciter luxatus eſt. Rectius legetur hoc modo: *Gracchus, quod maius ibi bellum eſſet in vltima Celtiberia penetrauit. Mundam vrbem primum vi cepit,nocte ex improuiſo aggreſſus. Acceptis deinde obſidibus,præſidioq; impoſito,caſtella oppugnare,agros vrere*.

Eod,*Non diſſimulantium rebellaturos eſſe*] In archetypo eſt: *non diſſimulantium bellaturos,ſi vires eſſent*.

Cap.lvii.*Fulmina etiam ſic vndique micabant, vt lucere viderentur corpora*] Pro *lucere*, *peti* habet archetypon. Poſtremo pro *tum firmaret res*, *dum firmaret res*,legendum.

ANNOTATIONVM SIGISM. GELENII IN XL. LIB. T. LIVII FINIS.

IN T. LIVII LIBRVM I. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

PRÆFAT. *Facturúſne operæpretium ſim.*] Quidam immodico ſtudio ac affectata diligentia (vt ſit) huic præfationi plus obſcuritatis quàm lucis attuliſſe mihi videntur. Nam cum Quintilianus haud contemnendus auctor lib. 9. ſatis clarè indicet ab hexametri exordio Liuium hiſtoriam cœpiſſe; *facturúſne operæpretium ſim*: hi tamen inuerſis verbis: *facturúſne ſim operæpretium* legerunt, atque adeò ita libris excudi curarunt. Idem dico de his verbis non ita multo pòſt ſequentibus: *Etſi in tanta ſcriptorum turba, mea fama in obſcuro eſt.* vbi illi, *ſit*, ſubſtituerunt. Item in his: *Etſi non flectere à vero, ſolicitum tamen efficere poteſt*: illi, *poſſit* repoſuerunt, quaſi *etſi*, magis ſubiunctiuum deſideret quàm indicatiuum. Rurſus in his verbis: *Tam hoc gentes humana patiantur æquo animo*: illi poſita coniunctione *&*, inter tam & hoc, legunt, *Tam & hoc gentes humana*: inepti meo quidem iudicio. Paulò pòſt, *exiſtimata*, pro *æſtimata*, contra fidem exemplariorum. Et: *haud in magno equidem ponam diſcrimine*, pro *haud equidem in magno ponam diſcrimine*: quæ compoſitio haud paulò concinnior auribus tinnit. Rurſus *diſſidenteis*, pro *deſidenteis*. Et, *Inde tibi, tuæque Reipublic.* pro, *Vnde tibi*: Ita, *inde fœdum* pro *vnde fœdum*. Et, *ſera auaritia luxuriaque*: pro, *ſerò auaritia luxuriaque.* quo in loco alij *ciuitatem* adiecere. Non erat difficile ad hunc modum pleraque alia commutare: ſed haud ſcio, liceatne hoc in tam eximio auctore abſque ſcelere. Certè mihi licere neutiquam exiſtimaui: etiamſi non omnia hæc reiicimus. Quapropter paulo religioſius negotium tractabimus, nec niſi annotatione digna (quando id maiore lectoris commodo fieri certum eſt) perſequemur.

Cap. I. *Æneæ Antenorique, & vetuſti iure hoſpi.*] Seruius Honoratus ille grāmaticus ad hoc Virgilij carmen, *Antenor potuit mediis elapſus Achiuis, Illyricos penetrare ſinus.* ita ait: *Antenor et Æneas, teſte Liuio, patriam prodidiſſe dicuntur. quod Virg. tangit, Se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis.* Hæc ille. Eam Seruij opinionem, quantum ad Virgilium attinet, eleganter ſane, nec minus erudite refellit Chriſtophorus Landinus. Neque enim veriſimile eſt (inquit) voluiſſe poetam, cum virum quem omni laudum genere ad diuinitatem vſque extollere contendat, vel minima infamię ſuſpicione decorpare. Idem ego de Liuio ſentio. Quam enim conueniebat, cum qui tantopere ac poſt tot eximios ſcriptores rem Romanam ſcriptis ſuis illuſtrare in animo habeat, tale quid de origine teſtari? Miror autem vt Seruius hæc Liuij verba legerit, nam vt nos ea habemus, nulla prorſus mentio proditionis ineſt. Quod autem Græcorum ante bellum fuerint hoſpites Æneas & Antenor, maieſtatem humanitatemque patriæ illuſtriorem reddidere. Et quod Helenæ reddendæ, per ſummam iniuriam ereptæ, auctores dicantur, officio bonorum virorum functi plus ceteris ciuibus mihi videntur, iuſtuſque eorum commonſtratus animus. Antenor ſane ab Homero Iliad. lib. 8. aduerſus Alexandrum Priami filium diſſerens introducitur, acerba inſecta contentione vt Menelao vxor reſtitueretur. Æneas vero ab eodē Poeta quantumuis Troianis iniquo, multis locis eximie laudatur: præcipue vero Iliados 20. lib. vbi Neptunus à pietate Æneam commendat, ſolicituſque de eius vita, Iunonem affatur concludens his verbis:

> Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
> Καὶ παίδων παῖδες τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Atque inde Virgilius laudandi celebrandique Æneæ occaſionem mihi ſumpſiſſe videtur, quippe qui alterum carmen in Æneidos librum tertium, vt pleraque alia, traduxerit: *Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*

Eod. *Et ducem rege Philemene ad Troiam*] Annotauit hoc Sabellicus quoque. Carmen eſt ad finem Bœotiæ:

> Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ Ἐξ Ἐνετῶν.

Vnde *Pylæmene* legendum, non *Philemene*, plane conuincitur: Pylæmenes autem Paphlagonum dux, à Menelao occiditur, vt narrat Homerus Iliados quinto.

Cap. II. *Super Numicū flumen*] Videnū legendū *Numicium*, dicente Ouidio Metamorphoſeos lib. vlt. *Inſtret & flammeus vicina Numicius vndis.* Aſtipulāte ad idē Plinio lib. 3. c. 5. Grammatici hoc de nomine in diuerſas abiere ſententias. Quidam aiunt eundem eſſe fluuium Numicum & Numicium. Quidam Numicium appellandum cenſent, & Numici apud Latinos per ſynæreſin dictum pro Numicij. Verum res non eſt tanti.

Cap. III. *Aſcanius Æneæ filius*] Æneas duas habuit vxores: in Aſia alterā, Priami filiam, Creuſam nomine, ex qua Aſcanium ſuſtulit, fugæ paternæ comitem. Alteram in Italia, Lauiniam Latini regis filiam, ex qua alterum genuit filium, qui Siluius nominatus eſt, ea de cauſa, quod in ſilua natus ſit. Nam Lauinia poſt Æneæ mortem, cum priuignum Aſcanium timeret, & prægnans ab Ænea relicta eſſet, ad Paſtorem Tyrrhenum confugit, apud quem Siluius & natus & enutritus eſt. Aſcanius autem nouercæ Lauiniæ vrbem Lauinium tradens, ipſe ſibi Albam condidit. Porro Dionyſ. Halicarnaſſeus eidem inquit Aſcanio ex Creuſa nato fuiſſe filium Iulum, qui Aſcanio mortuo imperium Albæ poſſidere voluerit, ſed populum Albanum id ad Siluium detuliſſe propter Italam matrem, Iulo tradita regni loco ſacra quadam poteſtate, honore videlicet et imperij periculis vacuo, qui ad ſuam vſque ætatem, vt idem ait, durauerit. Cæſaremque dictatorem in eo mirifice floruiſſe. Hunc Siluium Liuius Aſcanij filium credidit. At Seruius Grammaticus ac Dionyſius, Æneę, & ex Lauinia. Euſebius etiam in Chronicis Dionyſio conformia de Iulo refert. Error itaq. in Liuio duplex videri poteſt: & quod Siluiū Aſcanij filium putarit, cum eſſet Æneæ poſthuma proles, vt Maro inquit lib. 6. & quod eundem Aſcanium ac Iulum crediderit, cum Iulus Aſcanij fuerit filius. Quidam tamen Aſcanium etiam Iulum vocatum putant, quorum ex numero videtur fuiſſe & Virgilius: *Dextra ſe paruus Iulus implicuit, ſequiturq; patrem non paſſibus æquis.* & Ouidius binominem vocat Aſcanium: & ſæpe pater atque filius idem habuere nomen.

Eod. *Quæ ab ſitu porrectæ in dorſo vrb.*] Quidam, *in dorſum* habent libri, ſed æque in obſcuro manente ſenſu. Videtur autem *in dorſum* dictum perinde atque diceret, in longum atque dorſum eſt.

Eod. *Agrippa inde Tiberini filius*] Poſt Tiberinum Liuius ac Dionyſius Agrippam ponunt, at Ouid. lib. 14. Metamorph. Remulum ſubijcit. Poſt Agrippam vero Dionyſius Alladium, Liuius Romulum Siluium. Idem Liuius ac Dionyſius poſt Auentinum Procam ponunt, Numitoris ac Amulij parentem. Ouidius eod. lib. Palatinum: at in quarto Faſtorum libro, ſimiliter Procam, vt alij, quæ differentia num inde acciderit, quod vni varia fuerint nomina, an ſcriptorum errore, dubium relinquimus, maxime cum Ouidius ipſe ſibi pugnet, idq; non in ſoluta oratione, vbi facilior erat error, ſed in carmine. quare ego de his plura diſſerere ſuperſedeo. Typum tamen lectori oppidò vtilem ſubnectere placuit, in quo quatuor claſſicorum variationem vno intuitu conſpicimus.

TYPVS XV. REGVM ALBANORVM EX IIII. SCRIPTORIBVS.

	Liuio,	Ouidio,	Dionyſio,	Euſebio,
1	Æneas	Æneas	Æneas	Æneas
2	Aſcanius	Aſcanius	Aſcanius	Aſcanius
3	Siluius	Siluius	Siluius	Siluius Æneæ filius
4	Æneas Silu.		Æneas Sil.	Æneas Siluius

Google

5	Latinus Silu.	Latinus	Latinus Sil.	Larinus Siluius
6	Alba	Alba	Alba	Alba Siluius
7	Atys	Epytus	Capetus	Sil. Athis ſiue Ægyptus
8	Capys	Capys	Capys Siluius	Capys Siluius
9	Capetus	Capetus	Calpetus	Calpetus Siluius
10	Tiberinus	Tiberinus	Tiberinus	Tiberinos Siluius
11	Agrippa	Remulus	Agrippa	Agrippa Siluius
12	Romulus Sil.	Acrota	Alladius	Remulus Siluius
13	Auentinus	Auentinus	Auentinus	Auentinus Siluius
14	Proca	Palatinus	Procas	Phocas Siluius
15	Amulius	Amulius	Amulius	Amulius Siluius.

Cum in omnibus his tantam videam differentiam, annus omittere placuit, quos etiam Liuius omiſit. Dionyſius ac Euſebius poſuerunt, ſed nequaquam in omnibus conſentientes. Qui autem omnino ſcire velit, quid de us ſentiam, videre poterit quas in Dionyſium ſcripſimus annotationes, clariuſque in Chronologia. Hæc ad hunc auctorem nunc ſatis.

Cap. v. *Vt haud procul eſſet, quin Remum agnoſceret*] Lectorem admonere volumus, videat num hic orationi aliquid deſit: nam his verbis continuò annectit, *Ita vndique regi dolus nectitur*, cùm de dolo nulla præmiſſa ſint, quæ hanc concluſionem iuuent conſiſia. In Dionyſio hæc omnia pulcherrimo explicantur ordine, vt hæc nimia breuitas mihi non potuit non eſſe ſuſpecta.

Cap. vii. *Nouos tranſiluiſſe muros*] Murum appellare videtur muri ac foſſarum deſignationem: niſi quis murum ex ligno factum intelligat. Lapideo enim muro primus Tarquinius priſcus vrbem cinxit, vt poſtea dicturus eſt Liuius. At hæc opinio Dionyſio quoque ſuſpecta eſt, mihi fabulæ ſimilis videtur.

Eod. *Herculem in ea loca Geryone interempto*] Quòd Liuius priſcis illis leuiter memoratis, ad noua ſui temporis feſtinarit, fortaſſis rationem habet. At quòd de ara maxima tantam refert fabulam, omiſſis longè magis neceſſariis, nullam meo quidem iudicio excuſationem recipit. An non ad rem magis erat, latas à Romulo leges referre, vt facit Dionyſius, quàm Euandri cum Hercule colloquium? Si Herodotus tale quid deſignaſſet, quàm clamaſſet ſputeus aliquis, *Et quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria?* Sed ſcilicet Liuium excuſant hæc verba, *fama eſt, ita memorant, ferunt*: Herodotum non iuuant ὡς λέγεται, οὕτω λέγουσι, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, & ſi qua ſunt ſimilia. O numen populi Romani.

Cap. ix. *Ceninenſes, Cruſtumini, Antemnates*] Plinius lib. 3. cap. 5. vbi de oppidis in Latio deletis, Cruſtumerium, Cæninam ac Antennam ponit. Paulò ante autem vbi de Tiberi, Cruſtuminum agrum nominat, ac à Veienti agro eo flumine diuidi perhibet. Dionyſius lib. 2. Cruſtuminum, alibi Cruſtumerium vocat. Ita apud me hoc nondum definitum, vtrum melius dicatur. Hi autem, vt ſabini populi in Latio fuerunt, non in Tuſcia.

Cap. x. *Fabricato ad id aptè ferculo*] Nicolaus Perottus in verbo *Feretrius Iupiter*, multis modis redarguit, qui hoc loco *ferculo* legunt, pro *pheretro*: reprehendens etymon quoque huius verbi, cum à Plutarcho, tum ab Feſto Pompeio memoriæ proditum. Porrò quàm verè id faciat, non eſt huius loci vt pluribus proſequamur. Dionyſ. lib. 2. putat trifariam Græcè hunc Pheretrium Iouem nominari poſſe, τροπαιοῦχον, σκυλοφόρον, ὑπερφέρετον.

Cap. xi. *Additur fabula quod vulgo Sabini*] Omnes in dandi caſu legunt *fabulæ*, quaſi quæ præmiſerat auctor de cæde Tarpeiæ, fabulam videri velit. Itaque ego in nominandi caſu *fabula* legam, vt ſequentia fabulam vocet, non præcedentia. Sanè quæ ſequuntur verba, obſcura ſunt, cum ait: *Eo ſcuta illi pro aureis donis congeſta*: niſi *eo* exponas pro *ideo*. Item *deinde, ex pacto decreto*: vix intelligitur ſyntaxis.

Cap. xii. *Ad Romanis Hoſtius Hoſtilius*] Dionyſius Lucumonem Tuſcum Romulo adiutorem adhibet. Vnde & equitum vna centuria Luceres nomen habet, vt auctor eſt M. Varro. Liuius Lucerum originem incertam ait. Quidam Hetruſcæ hiſtoriæ racematores Liuium inuidiæ in nomen Tuſcum inſimulant, ideoque ab eo Hoſtilium pro Lucumone poſitum eſſe. Mihi autem videtur Liuius hoc abſque auctoribus non feciſſe: at quibus neſcio: neque enim facile ſcitu eſt.

Eod. *Equum Curtius in vado ſtatuit*] Hæc lectio ſi quidem vetuſta eſt, maximè placet. Sabellicus tamen, *eques Curtium*, pro, equus Curtium, *in vado ſtatuit*, legendum putat. Ceterùm ab hócne Metio Curtio, an ab M. Curtio, de quo lib. 7. poſtea Liuius fabulam narrat, lacus nomen habeat, incertum eſt.

Cap. xiv. *Vt tamen expiarentur legatorum iniuria*] Conſiderandum lectori, quomodo legatorum iniuriæ, regiſque Tatij cædes, expiata ſint per fœdus inter Romam Lauiniumque vrbes renouatum.

Eod. *Circa denſa obſita virgulta*] Hæc verba velut in parentheſi poſita, obſcurum habent ſenſum, duráque compoſitionem, & duo adiectiua vni ſubſtantiuo appoſita videntur.

Eod. *Velut agmine vno irrumpit*. Coloniam factam Fidenas Dionyſius ſcribit, Liuius hoc loco omiſit: in Tullo tamen Hoſtilio coloniam nominat, cùm vbi antea facta fuerit, dixiſſe oportuerit.

Cap. xvi. *Ad Capreæ paludem*] Quidam emendarunt, *ad Capræ paludem*: quod quàm bene fecerint, nihil definio, quippe qui de hoc nomine nihil me legiſſe ſciam.

Eod. *Manauit enim hæc quoque ſed perobſcura*] Quam obſcura hæc ſit opinio, neſcio: certè veram eſſe eam puto, & multi eximij viri, vt Dionyſius, Valerius Maximus, atque alij, ita credidere. In hac autem fabuloſa hiſtoria de Proculi aſtutia, bene longus eſt Liuius.

Cap. xvii. *Summa poteſtate populo permiſſa*] Dionyſius non vno tantùm loco ait, ſenatum Romanum omnium rerum poteſtatem habuiſſe, præterquam creandorũ magiſtratuum, ſanciendarũque legum, inferendique belli aut diſſoluendi, ſi fortaſſis cœptum erat. Hæc enim tria in poteſtate ſua populum habuiſſe, Liuius nuſquam, quod ſciam, hæc ſimul commemorat, rem oppidò neceſſariam.

Eod. *Id enim ius, vi adempta*] Quidam emendarunt, *idem ius vi ademptum*, & ad, *vſurpatur* verbum coniungũt, quod placet, *et vi ademptum*, fortaſſis ad Iulium Cæſarem retulit, quem tamen propter Auguſtum nominare non audebat: niſi quis malit ad eius ſeculi ſeditiones referre, quæ Cæſarẽ præceſſerunt.

Cap. xviii. *Quem Seruio Tullio reg. Rom. centum poſt an*] *Tullio* plerique habent libri, Aldinus codex *Tullo* preſſerat, ſed malè. Tullus enim ſecundus Romanorum rex dictus, Tullius autem ſextus. Deinde legendum, *centum poſt annos & amplius*, quod idem Aldinus codex inuertit, & ſecuti quidam alij. Eodem etiam in loco *Crotona* legendum puto, accuſatiuum Græcum, non *Crotonam*. Mirum autem hoc Liuio viſum eſt, ſi ex his vrbibus quiſpiam ad Sabinos peruenire potuerit, aut contrà, cum ſit iter quinque fortaſſe dierum. Conſimilis ratio de Ciminia ſilua libro poſtea nono.

Eod. *De ſe quoque Deos conſuli iuſſit*] De ſe quoque, vt de Romulo dij conſulti fuerant. quod tamen Liuius nuſquam antèa dixit. Dionyſius certè non neglexit, lib. 2. propè ab initio.

Eod. *Dexteras ad meridiem partes*] Hoc de augure intelligitur, qui orientem ſpectabat, auctore Dionyſio: rex autem verſus meridiem, vt hic ait auctor. Cetera facilè intelliguntur.

Eod. *Uti tua ſigna nobis certa ac clara*] Deſideratur verbum, *precor*, vel quid ſimile: niſi quis deeſſe contendat. Sed hoc leuiculum.

Cap. xix. *Deſuntq; dies ſolido anno*] Annus apud Hipparchum (vt auctor eſt Ptolomæus lib. 3. περὶ τῆς μεγάλης συντάξεως) dies habet CCCLXV. & quadrantẽ, hoc eſt, ſex horas Hunc ſecuti ſunt Romani Chriſtianiq; à temporibus C. Iulij Cæſaris. Sub Romulo autem annus decem habebat menſeis: ſex quidem tricenis, quatuor verò tricenis ſingulis diebus, qui efficiebant dies CCC. ac IIII. Et à Martio initium habebat. Verùm cùm is numerus neq; Solis curſui, neq; Lunæ rationibus

conueniret, atque ſæpe inueniret vt hyems præcipitaret æſtatem, & contrà æſtas hyemis occuparet tempora: tantum dierum ſine vllo menſis nomine intercalabant, quantum ſat erat ad priſtinum cæli habitum. Hoc numa conſiderans, ad decem iam dictos menſeis, quinquaginta addidit dies: retractiſque ſex diebus de Romuli menſibus, qui triceſûm erant dierum, duos nouos effecit menſeis, vicenûm octanûm dierum, Ianuarium ac Februarium. Ita annus factus eſt CCCLIIII. dierum, quod etiam apud Græcos aliquamdiu fuit: ſed Græcorum ordinem Numa turbauit, vno adiecto die Ianuario, vt omnes menſes præter Februarium impari conſtarent numero. Et Græcorum ſupputationi ab ſolido Hipparchi anno deficiebant dies vndecim ac quadrans. Verùm quòd difficile erat quotannis intercalare cum reliquis diebus quadrantem, menſiſque ratio potius expetebatur, hunc numerum octies multiplicatum, hoc eſt, nonaginta dies, qui naſcuntur ſi quadrans cum vndecim diebus octies componatur, octauo quoque anno interſerebant per treis tricenûm dierum diſtributum menſeis. Hos dies *ὑπερβαίνοντας* (noſtri concurrenteis) menſeis verò *ἐμβολίμους* vocabant. Hunc igitur Græcorum modum intercalandi cum etiam Numa obſeruaret, inuenit quotannis die claudicantem, nimirum eo quem ipſe adiecerat. Quare tertio quoque octennio ita intercalandos diſpenſauit dies, vt non nonaginta, ſed LXVI. intercalaret, compenſatis XXIIII. diebus pro illis qui per totidem annos ſupra Græcorum numerum creuerant. Hæc ex Macrobio pleraque lib. I. Saturnalium, cap 13. Quare in Liuio hoc loco paulò poſt legendum, *vt vigeſimo quarto quoque anno ad metam eandem ſolis*, &c. quod in Aldino codice neglectum vidimus, iudicione an temere, ſcire non poſſum. Eſt autem viſum nobis operæprecium, vt hanc rem paulò diffuſius tractaremus, quanquam neceſſitas propoſiti noſtri non vrgebat. Reliqua qui latiùs ſcire voluerit, videat ipſum Macrobium.

Cap. XXII. *Imperitabat tum Caius Cluilius Albæ*] Hic apud Dionyſ. lib. 3. ab initio *Cæcius* ſiue *Cœlius* dicitur, ſed codicum errore, vt in eum annotauimus. *Cluilius* verò legendum eſt, ex quo nomine poſtea Cluilium fecere. & Cluilius triſyllabon intelligi poteſt prima ſyllaba Gallica diphthongo. Id nominis apud eundem Dionyſ. lib. 8. rectè legitur, vbi de Cluilia foſſa: & facilè eſt ex *l*, fieri *i*. Paulò poſt: *Tullius præceperat ſuis, ne quid præter mandata agerent*. Alij, *ne quid prius, quàm mandata*, legunt: quod placet, ſi modò, *prius*, & *quàm*, diſiunctè legantur.

Cap. XXV. *Neque his, neque illis periculum ſuum: publicum imp.*] Ita habent vetuſtiores codices. Et ſanè Liuius atque alij vetuſti auctores ſæpe intelligunt, *ſed*. at quidam hoc in loco poſt ſuum, adiecerunt *ſed*, quod quàm probem, neſcio. Oportebit certè & aliis locis adijci, quid igitur auctores omitterent?

Cap. XXVI. *Lex horrendi carminis*] Lex erat (vt auctor eſt Dionyſ. lib. 3. in Tullo) quæ necari indemnatum aliquem vetaret, deorúmque omnium iras precaretur aduerſus eas ciuitates, quæ non impollutos vindicaſſent. Hæc ille. Hæc ego à Romulo latam exiſtimo. Liuius legis nomen non ponit: legis verba ita recitat, vt tamen hæc ſequentia nihiloſminus lectorem turbent. *Hac lege Duumuiri creati, qui ſe abſoluere non rebantur ea lege ne innoxium quidem poſſe, cum condemnaſſent.*

Cap. XXVII. *Et magna pars Fidenatium, vt qui col.*] Mirum videri qui potuit, cum Fidenates in Latio habitarent, eos Latinè ſcire? quos ego quidem puto nullam aliam ſciſſe linguam, à Roma 40. diſtantes ſtadijs, vt auctor eſt Dionyſ. Non ſum neſcius quoſdam Fidenates origine Tuſcos dicere, ideóque neſciſſe Latine, ſed hoc tempore colonia fuerat Romana aliquot iam ætatibus: quare nihil hi probant.

Cap. XXIX. *Auertêre omnes à tanta fœditate oculos*] Varia hic lectio habetur. Quidam diſtinguunt ante *auertêre*, & ſupplent verbum *ſunt*, poſt *concitati*. Alij continuatè legunt, vt *omnes* ſit accuſatiui caſus: & nominatiuus *concitati*, ad *auertêre* referatur: at ſic ego *omnium* legere malim, non *omnes*.

Eod. *Vnaque hora, quadringentorum opus annorum*] Ex Dionyſio colligitur Albam ſteriſſe annis quadringentis octoginta ſeptem. Sed hæc non rotundè numerat Liuius.

Cap. XXX. *Tullios, Seruilios, Quintios, Geganios*] Pro *Tullios* Sabellicus *Iulios* legendum cenſet ex Dionyſio. Ego propemodum adducor, vt vtrumque legendum putem. Nam & Tulliorum & Iuliorum apud priſcos Romanos inſignis mentio, etiam in Magiſtratibus: quamquam nomina principum familiarum vtrobique non prorſus conueniant. Vide etiam quid ſibi hoc *templum* velit, quod mox ſubiungit.

Eod. *Valuitque apud Veientes*, &c.] Induciæ factæ erant ſub Romulo in centum annos, ſed ſub Tullo Hoſtilio ruptæ: quippe Veientes cornu dextro aduerſus Tullum ſteterant, pugnaueruntque. Fruſtra igitur hic ſeruatæ quę antea ruptæ erant. Atqui ego memoria lapſum puto Liuium.

Eod. *Pugna atrox ad ſiluam Maliciſam*] Hanc alij *Malitiam*, alij *Malicuſam* alij *Maluiſam* vocant. In Dionyſij codice verſo legitur *Μαλιτέα*, quod in eum quoque auctorem annotauimus.

Cap. XXXIII. *Auentinum nouæ multitudini datum*] *Auentinum* bis hoc loco genere neutro vſurpauit, quod neſcio an quiſquam alius, ſed ſæpius alibi Liuius.

Cap. XXXIV. *Anco regnante Lucumo, vir impiger*] De Tarquiniorum origine quædam variat à Liuio Dionyſius, quæ vt facilius intelligantur, Liuij opinionem huc in typum ſub oculos coniecimus lectori. Moleſta ſanè genealogiarum ratio, & quæ etiam exercitatos ſæpe turbat.

DE MARATVS CORINTHIVS.

Huic duo fuere filij.

LVCVMO, qui poſtea L. Tarquinius Priſcus, V. Rom. rex. Huius tres fuere liberi,

- Tarquinia, Ex hac natus ex poſtea
  - Brutus primus Cos. Romæ.
- L. Tarquinius Superbus. huic vltimo Romanorum regi tres fuere filij.
  - Titius
  - Sextus hic ſtuprauit Lucretiam.
  - Aruns.
- Aruns minoris Tulliæ maritus.

ARVNS. Hic patrem Demaratum morte præuenit, Ex hoc natus eſt

- Egerius, hic Collatiæ præfectus genuit Collatinum, ſecundum Liu.
  - Collatinus Tarquinius Lucretiæ maritus.

Sp. Lucretius Tricipitinus pater Lucretiæ.

- Lucretia.

coniugium

Dionyſius Egerium ait Aruntem quoque, vt parentem, dictum ſed à Romanis, vt cum patruo in vrbem venit, Egerium à paupertate cognominatum. Collatinum autem non Egerij filium, ſed nepotem fuiſſe. Item L. Tarquinium ac

Aruntem non filios, ſed nepotes Priſci Tarquinij: multis id ac digniſſimis aſtruens argumentis. Vnde Laurentius Valla ea collegiſſe videtur in epiſtola ad Alphonſum vtriuſque Heſperiæ regem, quamquam non citato auctore, quod facere non ſolet. Niſi quis Dionyſium ab eo non lectum, atque eum ſuopte hoc ingenio expiſcatum contendat, quod ipſe fatetur in priore defenſione aduerſus Benedictum Morandum quendam. Nam vt de Valla aliud ſuſpicer, eius candor obſtat. Liberè enim ac ingenuè vbique fateri ſolet, per quos profecerit, & vnde habuerit que ſcripſerit: ſecus certè atque Perottus in ſuo cornu, aut in ſuis operibus Politianus, glorioſæ ac popularis auræ captores, vt mihi quidem vitium eſt, etſi honæ literæ eis multum debent.

Cap.xxxvi. *Negare Actius Nauius inclytus ea*] Mirum eſt quàm varient huius auguris nomen auctores. Valerius enim Max. lib. 1. cap. 4. de auſpicijs. *Decium Accium Nauium* appellar, ſi codices non fallunt. At Plin. lib. 34. cap. 5. *Accium Nauium* vocat, vt hoc loco Liuius. Dionyſius autem lib. 3. nomen eius ait *Neuius*, cognomen *Accius* fuiſſe. Et *Naeuius* quidam cum diphthongo ſcribunt. Variatio itaque eſt in *Nauius, Neuius*, ac *Neuius*. Item, in *Accius* & *Actius*. Deinde in nominum commutatione. Alibi enim *Decius* prænomen, alibi *Nauius* nomen, alibi *Actius*, at res non eſt tanti.

Eod. *Numero tantum alterum adiecit, vt mille & trec.*] In ſi. Locus eſt obſcurus atque amphibolus, neſcias enim alterum tantùm equitatum dicere velit, an ſimpliciter alterum tantum, quantum equitum prius erat. In codicibus quibuſdam legitur, *mille* DCCC. vt in ſingulas centurias DC. intelligamus, ait Beatus Rhenanus. Porrò de numero, quomodo ſubduplum intelligemus mille ac trecentorum equitum pro tribus centurijs? Num equites ſexcentos ac quinquaginta, vt centurias ducenûm ad ſenûm denûm equitum accipiamus, & reliqui ſint duo? Ego ſane legendum ſuſpicor hoc in loco Liuij, *mille ac ducenti equites*. Nam primùm fuerunt tres centuriæ centenûm equitum, eas duplicatas vel ſub Romulo puto, quippe ſub quo peditatus decuplo propè creuerit, & equitatus propemodum triplo, vt auctor eſt Dionyſius in Romulo: vel ſub Tullo, qui decem turmas equitum ex Albanis legit, vt paulò antè dixit Liuius, atque ita ducenûm equitum centurias intelligimus, quæ hoc loco rurſus à Tarquinio duplicatæ, efficient equites mille ac ducentos, vt tres centurias quadringenûm equitum accipiamus. Dionyſij interpres hoc loco non *centurias*, ſed *tribus* vertit. quid verò in Græcis inuenerit, ſcire non poſſum. Minus autem conie ctare licebat, quòd in claſſium enumeratione hæc nomina, *tribus, centuriæ, claſsis*, mirum quàm confuderit idem interpres, vt in eum quoque auctorem annotauimus. Quamquam quod adhunc attinet locum, lectio vulgaris aliquo pacto defendi poteſt. Si enim turma tricenûm binûm equitum eſt, vt tradit Vegetius lib. 2. & Tullus rex adiecit decem turmas ad priores tres centurias, erunt in vniuerſum duplicato numero equites mille ducenti quadragınta, quod cùm Liuius rotundo numero dicere vellet, ait mille & trecentos.

Cap.xxxviii. *Et aream ad ædem in Capitolio Iouis occupat fundamentis*] Vide vt hæc verba conueniant cum iis quæ poſtea de Superbo dicturus eſt. *Itaque Pometianæ manubiæ quæ perducēdo ad culmē operi deſtinatæ erāt, vix in fundamēta ſuppeditauere.*

Cap.xl. *Eundem regni hæredem facturus videbatur*] Vel ex hoc loco liquet quàm nihil penſi habuerit Liuius quid de Priſci Tarquinij prole ſcriberet. Si enim Lucius ac Aruns Priſci filij erant, vt ipſe poſtea fatetur Liuius, quomodo veriſimile videbitur maluiſſe Priſcum hæredem inſtituere generum, quàm ex ſe prognatos filios?

Cap.xlii. *Bellum cum Veientibus (iam enim induciæ exierant)*] Hæ induciæ ſub Romulo factæ erant, ruptæ ſub Tullo, vt paulò antè diximus: & à Romuli morte nunc ſunt centum ac quadraginta fermè anni. Quomodo igitur iam primùm exierant? niſi inſtauratas alicubi quis dicat, quod ipſe tamen Liuius dicere neglexit.

Eod. *Cenſum enim inſtituit, rem ſaluberrimam*] Cenſus dicebatur æſtimatio rerum ac bonorum facta, ſecundum quam tributa ſoluebantur. Neque vmquam, quod equidem ſciam, veteres auctores pro annuo prouentu vſurparunt, vt nunc vulgus iuriſperitorum ſolet. Admonuit nos eius rei Dn. Vlrichus Zaſius, vir immortalitate digniſſimus, ac præter iuris prudentiam, qua hac noſtra ætate abſque controuerſia regnat, etiam claſſicorum ſcriptorum eruditiſſimus. Quare hic *cenſus* accipitur pro patrimonij bonis, ſiue pro ſorte, vt populi ad huc pauperis. Quando autem & hic locus, & quæ poſtea de ſuffragijs ferendis à Liuio nimis conciſe referuntur, multos acriter torquent, cum apud Dionyſium luculenter diſcuſſa ſint, operæpretium putaui ea omnia hic ſub oculos in typum ſtatuere, cum ſummis pecuniarijs vtriuſque auctoris, cumque claſſium centurijs, armis, ac telis: vt ſi qua inde vtilitas ad lectorem manare queat, ea parte non deſimus ſtudioſis, quod in Dioniſium olim etiam fecimus.

Claſſes ſex.	Cenſus.	Peditum centuriæ	Equitum centuriæ XVIII.	Arma omnia ex ære.
I.	100000 Æris. 10000 Drachmæ. 1000 Coronati. 100 Minæ.	LXXX.	Fabrorum II. *Has duas Fabrorum centurias Dionyſius adiecit ſecunda claſſi, Liuius primæ.*	Galea, clypeus, ocreę lorica. Tela. Haſta & Gladius.
II.	75000 Æris. 7500 Drach. 750 Coron. 75 Minæ.	XX.		Arma, Galea, ſcutum, ocreæ Tela, Haſta & gladius.
III.	50000 Æris. 5000. Drach. 500 Coron. 50 Minæ.	XX.		Arma, Galea & ſcutum. Tela, Haſta & gladius.
IIII.	25000 Æris. 2500 Drach. 250 Coron. 25 Minæ.	XX.	Tubicinum, &c. II. *Duas facit Dionyſius, Liuius tres. & hic quintæ adiecit claſſi, ille quartæ.*	Arma, Scutum, ait *Dionyſ.* Tela, Haſta & verutum: quamquam in Dionyſio pilum legitur.
V.	11000 Æris. 1100 Drach. 110 Coron. 11 Minæ.	XXX.		Tela, Funda ac lapidas miſſiles.
VI.	———	Capite cenſorum I.		

Minis ac drachmis ſupputat Dionyſius, vt author Græcus: Liuius verò aſſibus, qui erant ex ære. Quadrat autem ratio vtriuſque authoris cum Gulielmi Budæi viri doctiſſimi ſupputationibus. quapropter coronatorum Francicorum æſtimationem ordini propoſito iniecimus, oppidò aptam, vt huius quoque ætatis pecuniariam æſtimationem haberet lector. Minæ ſingulæ decem coronatis, coronati verò ſinguli decem valent drachmis. Drachmæ porrò cum denariis Romanis idem habent pondus, quare denis valent aſſibus, vt denarij. Eſt itaque hæc diuiſio per totum denaria. Et priorum quidem quatuor claſſium numerus in diminutionem habet centenarij quadranteis, at quintæ, prioris dimidium apud Dionyſium, apud Liuium minus. ait enim: *Vndecim millibus hec claſſis cenſebatur*. niſi & hoc corruptum quis putet, quod equidem ſuſpicor, & legendum *duodecim millibus*, pro *vndecim millibus*. Duas fabrûm centurias Dionyſius ſecundæ adijcit claſſi, vt dictum eſt, Liuius primæ. Cæterum tubicinum, cornicinum, & accenſorum centurias Liuius tres facit, Dionyſius duas. Et hic quidem quartæ adiecit claſſi, Liuius quintæ. Porrò in armis ac telis non multum diſcriminis habent. In quarta claſſe Liuius ait arma mutata, nec adiicit quo pacto: Dionyſius eis ſcuta data ſcribit. In vniuerſum igitur erant claſſium centuriæ CXCIII. auctore Dionyſio. Et cum totum curarum bellorúmque onus à pauperib. in dites inclinatum eſſet, cõmomodo illo leuauit mitigauitque eorum indignationem Seruius, quòd dites fecit verè reipublicæ dominos, quippe penes quos erat maxima populi poteſtas, quæ eſt de ſuffragiis ferendis. Valebant enim ſuffragia non viritim, ſed centuriatim lata. qua in re vincebant equites cum ſola prima claſſe. Equites enim primi vocabantur, quibus erant XV. Centuriæ: dein prima claſſis quæ octoginta habebat centurias: atque hi ſimul ſi conſentiebant, reliquas claſſeis omneis, tribus vincebant ſuffragiis, quandoquidem ipſi erant centuriæ XCVIII. reliquæ XCV. dumtaxat.

Eod. *Equites enim vocabantur primi octoginta inde*] Hic locus in pleriſque Liuij codicibus corruptus inuenitur. Diſtinguendum enim ante, *octoginta*. Aldinus etiam codex adiecit, *primum*, poſt verbum *centuriæ*, quod non habent alij codices, nec mihi ſanè placet. Porrò quæ ſequuntur verba videntur neſcio quid deſiderare, cum ait, *Ibi ſi variaret*. Neque enim ſequitur, *tum*, vel quid ſimile, & eſſet effugium: ſed quo lectoris animo, imò meo, ſatis facerem, haud erat: ideoque ea ſtudioſis diſcutienda relinquo. At quod de tribuum diuiſione in quatuor vrbis loca, obſcurè quidem Liuius, ſed clarè Dionyſius explicat, non magnam habet difficultatem. Quod verò de XXXV. tribubus apud Liuium obſcurum, apud Dionyſium etiam non diſcuſſum, lectori conijciendum relinquo. Multa ſanè eiuſmodi etiam noſtra ætate in vrbibus fiunt. Verum à nobis hæc indicata dumtaxat, vt admoneremus ſtudioſos quo iudicio auctores ſint legendi. Magna enim lectorum turba oppidò quam facile quædam tranſilimus quaſi bene intellecta: ſed vbi penitius introſpexerimus, dij boni, quantum nonnumquam abſumus à vero ſcopo? Sed hercle id verum eſt quod vulgò dici ſolet, *Neſcientibus viam, omnia etiam inuia, viam eſſe.*

Cap. XLV. *Ea erat confeſſio caput rerum Romam*] Si confeſſum erat Sabinis etiam Romam caput rerum eſſe, quorſum attinebat hunc patrem familias bouem Romam adducere? Item cum *Latinorum* præmiſerat cur *Sabinos* ſubiungit? niſi Sabinos à Latinis non diſtinxerit Liuius, vt videtur aliquot locis. Item paulò pòſt, *Infima valle præterfluit Tiberis*: ambiguum, ad priorane ea verba referenda, vt à ſacerdote Rom. dicta hoſpiti Sabino: an ad poſteriora, vt Liuij Hiſtoriam recitantis. Porrò Dionyſius Dianæ hoc templum in Auentino fuiſſe ſcribit (quem lib. 3. decem & octo ſtadiorum facit in circuitu: at lib. 10. ſtadiorum 12. ſi codices non fallunt) Hinc Valerius Max. lib. 7. cap. 3. Auentinenſem vocat Dianam, vbi eandem recenſet hiſtoriam, aut fabulam potiùs. Certè Dionyſius bouis non meminit, non necglecturus ſi veram credidiſſet.

Cap. XLVI. *Aruns Tarquinius & Tullia maior*] Ex Dionyſio rectè hoc emendauit Antonius Sabellicus: *maior* enim legendum, à nobis repetitum, quòd à quibuſdam hoc neglectum vidiſſemus, & præcipuè à Valla.

Cap. XLIX. *Neque enim ad ius regni quicquam præter vim*] At qui ſi hic Lucius filius erat Tarquinij Priſci, vt credidit Liuius, videtur aliquid iuris habuiſſe. Quod ſi quis dicat, ius regni in populi erat poteſtate: quid ergo populus Tarquinio non eripuit?

Cap. LI. *Delectus ad caput aquæ Ferentinæ*] Hoc loco *caput aquæ Ferentinæ* vocat: at lib. 2. *caput Ferentinum*, vbi Actius Tullius Volſcorum imperator ſuos excipit. Rurſus lib. 4. ſatis liquet Volſcorum olim fuiſſe oppidum, ac Hernicis datum à Romanis, anno ab Vrbe condita 342. Itaque lib. 7. Ferentinum Hernicorum oppidum ait, quod captum à Romanis ante Manlij ſingulare cum Gallo certamen ſcribit Liuius. Plin. lib. 3. cap. 5. Ferentinum inter Hetruriæ oppida prope Fæſulas ponit: & paulò pòſt Ferentinates ex Falerno agro numerat: vt non planum ſit quid de hoc definiendum. Strabo lib. 5. Ferentinum vocaſſe videtur in via Latina. Meminit & Horatius Ferentini lib. 1. epiſt. ad Sæuam. ac Ferenti lib. 3. Carminum, Ode 4. nihil ad hunc locum. Lib. item decimo in Samnio Ferentinum Liuius locat.

Cap. LII. *Vt ex binis ſingulos faceret, binoſq; ex ſing.*] Mirus ſermo, & qui vix intelligatur, cum res tamẽ nullam habeat difficultatem. Vide num *binis* pro dimidiatis intelligat. Illud autem *ita geminatis manipulis centuriones impoſuit*: dubium an ſolos Romanos intelligere debeamus. Denique quod proximo ſequitur verſu, *ni degeneratum in aliis, huic quoq; decori offeciſſet*: ambiguum ad quod verbũ referas *degeneratum*. Et paulò poſt *diuendita præda*, rectius alij legunt, quàm *diuidendo prædam*. Et *quadraginta auri argentiq; talenta* ita intelligo, tantum videlicet, auri argentique fuiſſe, vt in pecunia fierent XL. talenta.

Cap. LIII. *Sextus filius eius, qui minimus ex tribus*] Quidam codices habent, *qui minor ex tribus*, quod propter Latinitatem alij emendarunt in *minimus*: quamquam idem error eſſe poterat in *maior* ac *maximus*. Dionyſ. ſanè non vno in loco dumtaxat Sextum ex tribus Tarquinij filiis maximum natu perhibet, idque multis ac digniſſimis argumentis. Sed hoc lectori iudicandum relinquimus, quale etiam illud de Collatino Egerij, vt ait Liuius, filio, cum temporum ratio non admittat eum Egerij filium fuiſſe, ſed nepotem. Inducit enim ipſe Liuius hunc iuuenem vt reliquos. *Quin ſi vigor* (inquit) *iuuentæ ineſt, conſcendimus equos?* Hæc eò pertinent, vt ſtudioſus lector videat quàm circumſpectè ſcilicet Latini ſcripſerint hiſtorias, in Græcos vbique debacchati ſcriptores: vt non cauiller interim de Sibyllinis libris, quorum toties poſtea mentio fiet, hiſtoriam ſub hoc rege. à Liuio prætermiſſam.

Cap. LV. *Itaque Pometinæ manubiæ*] Quidam *Pometina* mutarunt in *Pontina*, cum auctor loquatur de Sueſſa Pometia, vt ſuprà patuit. Niſi quis *Pontinam* eandem cum *Pometina* eſſe contendat.

Eod. *Qui XL. millia pondo argenti ſepoſita*] Quidam librii X. *millia pondo* habebant, ſed non placet, Comparatio enim hîc per 40. procedit. Ceterùm ſtatim poſt verbum, *ſcribit*, non puto ponendum relatiuum, *quàm*, ſed continue inſere eodum appoſitiũe, *ſummam pecuniæ neque ex vnius tum vrbis præda, &c.* Porrò XL. talenta ſummam coronatorum faciunt 24000. At XL. millia pondo argenti 40000. coronatorum. Ideoque Fabio plus tribuit Liuius, qui ſummam longè minorem poſuerit. Dionyſius autem ait in eius oppidi præda tantum auri argentiq; capti affuiſſe, vt ſingulos milites quinas argenti minas accipere contigerit: quæ verò deis decumata fuerit pecunia haud minus fuiſſe quadringentis talentis. Quinas argenti minas quinquagenis æſtimamus coronatis, Budæana ſupputatione: CCCC. verò talenta ducentis quadraginta millibus coronatorum: quæ ſumma multo minor eſt Piſonis ſumma, decuplo tamen maior Fabij.

Cap. LVI. *L. Iunius Brutus Tarquinia ſorore regis*] Dionyſius hanc amitam regis facit, Priſci Tarquinij filiam, id quod veriſimilius eſt. Et Tarquinium Superbum non multo maiorem natu fuiſſe Bruto: Imò Bruti filios cum Tarquinij filiis propè eadem fuiſſe ætate, ex coniuratione poſtea patet. Nec obſtat quòd miſſus ſit Brutus cum duobus Tarquinij Superbi filiis Delphos: nam etiam ſenior pro fatuo duci poterat. Quamquam ea de re cum nemine contendere velimus: ambigua enim plerumque genealogiarum ratio.

Cap. LX. *Regnatum Romæ ab condita vrbe*] Et in ſumma & in partibus huius numeri optimè conuenit inter Dionyſium

ac Liuium: ſecus apud Euſebium, cuius ſupputatio quatuor deficit annis, quamquam ipſe fatetur tribus variatum annis apud auctores. Præterea decem annos Seruio Tullio ademptos, tribuit Tarquinio Superbo. Nos Liuium ac Dionyſium potiores habemus hac in re auctores, vt ex profeſſo Romanam ſcribentes hiſtoriam.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. II. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

HOc ſecondo libro, præter hiſtoriæ variationem, qua pleraque Liuio aliter quàm Dionyſio ordinata ſunt, etiam hoc erroris lectorem implicat, quòd vſque ad primum Decemuirorum annum in Liuio tres deficiant anni, qui in Dionyſio bene habent: quod vt lectori manifeſtum faciam, ſubiungenda hæc exiſtimaui. Dionyſius, atque Liuius in Conſulum nominibus, quod ad primos duos attinet annos libertatæ Vrbis conueniunt, in tertio ac deinceps diſſerunt. Nam Dionyſius tertij anni Coss. aſſerit. P. Valerium Publicolam tertium, ac M. Horatium iterum. Liuius pro Horatio P. Lucretium ponit, quod nomen mihi ſuſpectum. Quarti anni Coss. T. Herminium, ac Sp. Largium Dionyſius ponit, viros in neceſſitate Vrbis, cum ab Hetruſcis oppugnaretur, extrema auſos. hos Liuij codex omittit, temporum, vt puto, iniuria, ac eius anni Coss. ponit Marcum Valerium Publicolæ fratrem, ac P. Poſthumium, qui fuere quinti anni Coss. Itaque in ſequentibus annis præuertit Liuius anno vno conſulum nomina. At vigeſimo ab Vrbe liberata anno, in codice Liuij rurſus omiſſi ſunt Conſules duorum annorum, qui ſunt apud Dionyſium. Et prioris quidem anni Q. Sulpicius Camerinus, Ser. Largius Flauius: ſequentis vero, C. Iulius, P. Pinarius. Sane horum duorum annorum binos omiſſos Coss. ſatis luculenter conuincit ſumma annorum à Liuio lib. 3. poſita de Reip. mutatione ſub decemuiris. Quod verò quartus annus ab vrbe liberata in Liuio deſideretur, ex Plinio facile oſtendi poteſt, qui lib. 35. cap. 3. ait, App. Claudium cum P. Seruilio Cos. fuiſſe anno ab Vrbe condita CCLIX. qui apud Liuium (ſiquidem quarti apud Dionyſium anni conſulum nomina omiſerunus) eſſet CCLVIII. vt ſupputanti perſpicuum fuerit. Ad idem oſtendendum iuuat, quod Cicero de claſſis Orat. ait, decimo ab Vrbe liberata anno Coss. fuiſſe M. Tullium cum Ser. Sulpicio, qui omiſſis Dionyſij Coss. fieret nonus apud Liuium. Hæc fortaſſis nimium curioſa aliquibus videri poterunt: at cum videam apud magnos auctores eius rei curam non omiſſam, & lectores in his ſæpe numero cùm non parum remorari, tum etiam torqueri, annotare ea placuit. Optimus quiſque lector pro ſuo in noſtros labores candore boni conſulat.

Cap. II. *In exitum ſe dicere hominis cauſa*] [illegible], hoc eſt, ſed Dionyſius longè veriſimilius hæc narrat. Quis enim credat quemquam eijci è ciuitate propter nomen? Quantumuis rhetoricetur Liuius, mihi quidem his rationibus non perſuadebit.

Cap. III. *Et tamquam ad id.*] Illud *ad*, ommittendum cenſeo, quamquam alij aliter conſtruunt.

Cap. V. *Præmium indici pecunia ex ærario.* Libro ſecundo de bello Macedonico, & eiuſdem Decados lib. 9. liberi indicis præmium erat C. millia grauis æris, ſerui autem XXV. millia æris & libertas. Hic nihil definiunt de pecunia ſcriptores. Salluſtius in immenſum auget de bello Catilinario. *Seruo* (inquit) *libertatem & ſeſtertia centum: libero impunitatem eius rei, & ſeſtertiorum ducenta millia.* quæ ſumma liberi quintuplo eſt maior, ſerui decuplo, ſi codices non errant. Fortaſſis autem ſeculum ditius, & pericula grauiora viſa magiſtratibus, hoc effecerũt. Certum igitur eſt, tempore variatum eſſe hoc precium, quod pluribus locis in Liuio oſtendi poteſt.

Cap. VII. *Praerat Aruns Tarquinius filius regis*] Aldinus codex emendauit, *praierat*, ſed *praerat* malim. Nam proximè antecedit, equitem hoſtium agminis ita primum fuiſſe ante peditatum, vt Brutum cum equitatu Romano ante Valerium, qui peditatum ducebat.

Cap. IX. *Salis quoque vendendi arbitrium*] Dicere vult, ſalis quoque vendendi arbitrium conceſſum eſſe priuatis, adempto omni ſumptu. Sed lector genus hoc dicendi conſideret.

Cap. X. *Sp. Lartium, ac T. Herminium*] Legendum puto *Sp. Largium*, vt paulò pòſt in exemplaribus pleriſque legitur, & poſtea T. Largij multa mentio.

Cap. XI. *Verſiſque in Lucretium Hetr.*] In *Valerium* legendum eſt. Nam Lucretius à Næuia porta, vt Sp. Largius à Collina dextra leuáque aduenere, vt attentè legenti clare pateſcet.

Cap. XIV. *Bonis vendendis: bona Porſenæ*] Diſtinguendum poſt *bonis vendendis* (ſi modò hoc adiectiuum non eſt. nam in pleriſque libris non legitur) vt quod ſequitur, ſit velut declaratio eius quod præcedit, cuius tamen expoſitio rurſus ſubnectitur, *Bona Porſenæ regis vendendi*: id eſt, bona hoſtiliter vendendi. quæ ſi belli tempore orta eſt, quadrare videtur: ſin in pace, certè mitius principium habuit, quã titulus ille præ ſe ferat. Porro non ita multo pòſt ita lego: *Eadem inde, ne populo immiſſo diriperentur hoſtiliter, veniſſe, bonaque Porſenæ appellata.* Vt ſit diſtinctio poſt *veniſſe*, & verbo *bona*, coniunctio *que*, adhærens, non relatiuum *qua*, atque ita quidem habent codices. Itaque legit D. Eraſmus in adagio, *Bona Porſenæ.*

Cap. XVI. *A lacu Regillo*] Quidam *ab vrbe Regillo* legunt, quidam à *Regillo* omiſſo *lacu*. Ceterùm lacus Regilli meminit Plin. lib. 33. cap. 2. Dionyſ. lib. 5. Regillum vrbem facit, quam rurſus lib. 11. non ita longè ab initio, Roma diſtare, ait centum ac quadraginta ſtadijs, eſſéque ad Tiberim fluuium. Idem lib. 6. fatetur lacum eſſe, vt Liuius paulò pòſt vbi de pugna ad eum facta. Poteſt autem fieri vt & vrbs & lacus id nominis habuerint. De Claudiorum familia, cuius hic Appius auctor. lib. 4. copioſius dicemus.

Eod. *Agrippa Menenio, P. Poſthumio* Coss] Legendum *P. Poſthumio* II. Coss. quippe qui biennio antè fuerat Cos. cum M. Valerio.

Eod. *Pometia & cora ad Aruncos deficiunt*] *Auruncos* per diphthongum *au*, Legendum puto. Sunt autem veteris Latij, quod à Tiberi Circeios vſque erat, incolæ, teſte Plin. lib. 3. cap. 5. Mirum autem de hoc bello nihil meminiſſe Dionyſium. Præterea id magis mirum, cùm ait: *Aruncis paſſim principes ſecuri percuſſi, ſub corona venierũt coloni alij, oppidũ dirutum, ager venijt.* At nono pòſt anno legati eorum Romanos Volſco agro decedere iubent. De Pometia idem dubium niſi quis Sueſſam Pometiam Volſcorum dicat fuiſſe vrbem quam Tarquinius Superbus diruit, Pometiam autem Latinorum, cuius Plin. meminit lib. 3. cap. 5. vbi de oppidis quondam in Latio. At Dionyſ. lib. 6. Sueſſam Pometiam nominat. vbi Liuius Coræ atque Pometiæ meminit anno 259. ab vrbe condita. Cæterùm hoc in loco idem Dionyſ. de Sabinis bella refert, magis meo iudicio veriſimilia. & hoc, & ſequente anno.

Cap. XIX. Coss. *Ser. Sulpicius, M. Manlius Tullius*] Quidam codices pro *Seruio*, *Seruilius* habebant, ſed errant. *Seruius* enim prænomen eſt, *Seruilius* nomen. rurſus alij *Tullius* mutarunt in *Tullus*. At illos refellit Cicero de claris Oratoribus, vbi mortuorum laudationes carpit *Vt ſi ego* (inquit) *me à M. Tullio eſſe dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio Coſ. anno decimo pòſt exactos reges fuit.*

Eod. *Tarquinius Superbus quamquam iam ætate ac vi.*] Rurſus τερατεύεται Liuius, ſed fruſtra. Nam Dionyſ. lib. 6. negat parentem Tarquinium huic adfuiſſe pugnæ, quippe iam nonagenarium. Filium autem Titum cum dictatore congreſſum, Sextum etiam hac pugna occiſum, quem Gabijs perijſſe Liuius ad finem libri primi ſcriptum reliquit. Hoc in loco Liuius Tarquinij filij nomen omiſit, vt variatum in hiſtoria hic non dubitem.

Digitized by Google

Cap. xxi. Coſs. *Q. Clælius, & T. Lartius*] *Largius* itetum legendum puto, vt ſupra de Sp. Largio admonuimus. Et de his Coſs. multa mentio apud Dionyſium lib. 5. ſub finem.

Eod. *Roma tribus vna & xxx.*] Impodens hæc menda eſt. Tempore Coriolani xxi. erant tribus, quarum xii. eum damnarunt, ix. abſoluerunt. Tempore Liuij erant xxxv. Et ipſe poſtea plus nouem additas ſcribet ad has quas hoc loco numerat. Legendum igitur *vna ac xx.*

Cap. xxvii. *M. Lectorio primipili centurioni*] *Primus centurio erat* (inquit hic noſter auctor lib. 7. ſub finem) *quem nunc primipilum appellant.* Dionyſ. autem lib. 9. ait centum ac ſexaginta milites ſubeſſe primipili imperio, ſi codices non fallunt, quod ſuſpicor. Vegetios lib. 2. cap. 8. *Vetus autem,* inquit, *conſuetudo tenuit, vt ex primo principe legionis promoueretur centurio primipili, qui non ſolùm aquilæ præerat, verùm etiam quatuor cēturias, hoc eſt, quadringentos milites in prima acie gubernabat.* At rorſus Liuius lib. 4. de bello Macedonico ait, in pugna qua T. Sempronius Cos. aduerſus Boios conflixit, Q. Victorium primipili centurionem, & C. Atinium tribunum mil. adempta ſigniferis ſigna in hoſteis inieciſſe. Et Saluſtius in Iugurthino bello, vbi de A. Albino capiendo, ait: *Et centurio primipili tertiæ legionis.* Ex hic videtur primipilos nomen & centurionis eſſe, & ordinis in legione. Quare hoc in Liuij loco quidam *primipilo*, quidam *primipili* legunt, qood lectori iudicandum relinquo.

Cap. xxx. *M. Valerium dictatorem Voleſi fil. creant*] Valerius Publicolæ frater Voleſi filius fuit, qui in pugna ad Regillum lacom occiſus eſt: quomodo igitur hic dictator factus? Ni Publicolam doos fratres eodem prænomine habuiſſe dicamus, quod equidem vix credo. Quidam pro *filium* legendum putarunt *nepotem.* Et, *prouocationem patrus lege*, pro *fratris lege*: moti ex hoc quod ſuprà Liuius dixerit, quoſdam ſcriptores prodidiſſe Valerium Voleſi nepotem primum dictatorem Romæ foiſſe, quod cum Liuio certis de cauſis nnn videatur, poſtea alicubi dictatorem factum, veriſimile eſſe. At horum opinioonem refellit Dionyſius, qui hunc Valeriom plus ſeptuaginta annos natum ſcribit: quod de Publicolæ ex fratre nepote vix credibile ſit, cum hic decimus ſextus duntaxat ab liberata Vrbe ſit annus. Quare alij putant *L. Valerium* legendum, de quo poſtea in Sp. Caſſij damnatione ſit mentio, quem Publicolæ fratrem Dionyſius perhibet lib. 8. Quidam *M. Voleſi filium* legunt, vt hanc tollant dubitatiouem. Quid ex bis verius ſit, lectoris iudicio relinquimus, vt pleraque alia. Porrò cum hocce Valerio, quocumque tandem prænomine Magiſtrum equitum Q. Seruilium cōſulis Seruilij fratrem Dionyſ. libro ſexto prodit, quem Liuij codex hîc omittit: ſed id alibi etiam facit. cum certum ſit nullum vnquam dictatorem Romæ creatum abſque Magiſtro equitum, vt tradit Dionyſ. lib. 5. ad finem.

Cap. xxxiii. *Agi deinde de concordia cœptum*] Cum hæc ſeditio propter nexos cœperit, vt ipſe paulò antè dixit, vbi de Valerio loquitur, *retuliq́;* (inquit) *quid de nexis fieri placeret*, mirū eſt Liuium ne vnum quidem verbom amplius de nexis dicere, qoomodo tandem cum iis actum: ideóq; ex Dionyſio S.C. factum recitare placuit, ſed ex codice vtcumque Latino, nam codicis Græci copiam habere nequiuimus. Is itaque lib. 6. in oratione Menenij Agrippæ hoc Senatuſconſ. de nexis refert: *Debentes pecuniam, nequeunteſque diſſoluere, liberari eos ſolutione æquum cēſemus. ac ſi corpora iam aliquorum, præfinito tempore legitimo detinentur, ipſa quoque iudicamus libera. Et quicumque capti iudiciis, rem ſuam condemnationibus tradiderint, hos quoque liberos eſſe volumus, damnationeſq́; eorum tollimus, irritaſq́; facimus. Ac ſic igitur præteriti tēporis cōtractus, qui nobis afferre viſi ſunt ſeditionem, corrigimus: futuri vero deinceps, quēadmodum, ô plebey, vobis Senatuiq́; communiter conſultantibus videbitur, lege quoque ſanciente, ita illi ſe habeant.* Hæc ille. Eſt & lex tribunitia, quam Liuius hoc loco ſacram vocare videtur, ab eodem deſcripta Dionyſ. quam apud eum lector quærat, nos ad alia feſtinamus.

Eod. *Per ſeceſſionem plebis Sp. Caſſius, & Poſthum.*] Addendum vtrique, *iterum.* Caſſius enim Cos. fuit anno octauo ab liberata Vrbe, Poſtumius nono. Inuenio etiam in alus libris *C. Poſthuminm* nominatum, quod mihi placet. Nam Poſthumius nomen eſt, non prænomen, quamquam qoidam codices habent *Poſthumus* triſyllabon, vt ſit prænomen, quod neſcio.

Eod. *Eodem anno Agrippa Menenius moritur*] Hæc doonomina identidē Liuius inuertit. Nam paulò ante ita dixerat: *Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam* hic ait, *Agrippa Menenius.* Dionyſius ſemel quantum memini, Agrippa Menenius dicit, vbi Cos. creatur, deinde perpetuò Menenius Agrippa. Sed hæc non ſunt tanti.

Cap. xxxiv. *Lacuq́; per Volſcos mari vſque ad Cumas*] Satis clarè hoc loco Volſcorum ſitus deſcribitur. Nam Antium etiam Volſcorum ciuitas fuit, vt ex fine huius libri patet. Plin. autem lib. 3. cap. 5. Volſcos vltra Circeios emouet. Porrò quod hîc Liuius vocat *Pontinum*, Dionyſius lib. 7. ab initio vocat *Pometinum* campum, ſi codex non fallit. Pontinam paludem Plinius eodem capite à Circeis eſſe ait, & lib. 26. cap. 4. pluralinumero Pontinas paludes nominat agri ſuburbanæ Italiæ. Pontini rurſus mentio lib. 6. apud hunc auctorem noſtrum, anno ab vrbe condita 367.

Eod. *Et Norbæ in montes no. colo. quæ arx in Pon.*] Norbæ Plinius meminit, vbi de oppidis claris olim in Latio, Norbanos etiam prope Laucanos in Latio, vt nón exiſtimem longè à Roma verſus Norbam vel Pontinum fuiſſe: ſiquidem Norba arx in Pontino eſſe debuit, vt hîc deſcribit Liuius.

Eod. *M. Minutio, deinde & A. Sempronio* Coſs.] Addendum vtrique, *iterum.* quippe qui ſimul Coſs. fuêre anno 257. ab Vrbe condita.

Eod. *Tarquinium regem qui non tulerim*] Atqui paulò ſuperius de Coriolano ita inquit Liuius: *Cn. Marcius adoleſcens & conſilio & manu promptus.* Tempore igitur expulſorum regum adhuc impubis erat. quare hæc verba Liuij perſonæ melius congruebant, quàm Coriolani.

Cap. xxxv. *Ipſe cùm die dicta non adeſſet, perſeuer.*] Non perſequar nunc hiſtoriæ variationem, quæ apud Dionyſium longè luculentiùs, meo quidem iudicio, quàm apud Liuium narratur. Id quod fuit neceſſarium ad huius hiſtoriæ lucem, omiſiſſe videtur Liuius, videlicet quomodo iudicium hoc perlatum nouo ritu, nec antea conſueto. *Tum primum* (inquit Dionyſios) *concio curiata ad ferenda ſuffragia à Tribunis plebis vocata eſt, cum antea ſemper centuriata vocaretur.* Curiatam vocat, quando viritim feruntur ſoffragia. Centuriatam, quando per centurias. Centuriæ autem erant cxciii. per ſex diuiſæ claſſes, vt copioſe antea dictum eſt: & prima claſſis cum equitibus centurias habebat xcviii. Reſtabant igitur reliquarum claſſium xcv. centuriæ, hic nihil earum rerum obſeruatum.

Cap. xxxvi. *Ludi fortè ex inſtauratione magni*] Ludi acti erant, ſed non ritè, ideoque inſtaurātur. Porrò hoc loco, & nouum annum, & alios Coſs. ponit Dionyſius. Liuius omiſit, aut eius codex iniuria temporum. Tale autem ſomnium Xerxis narrat Herodotus lib. 7. ab initio, homo Græcus fabulam, Latinus hiſtoricus hiſtoriam ſcilicet.

Eod. *Ludi quam ampliſſimi vt fierent, Senatus*] Et hoc loco Dionyſius initio libro 8. & nouum annum, & nouos refert Coſs. In Liuij codice ea omnia omiſſa, vt iam diximus de priore quoque anno.

Cap. xxxviii. *Progreſſus Tullius ad caput Ferentinum*] Libro priore de morte Turni Herdonij, aquam Ferentinam appellat, hîc vero caput Ferentinum. Libro autem ſeptimo, Hernicorum oppidum Ferentinum aſſerit, & eodem libro, anno ab vrbe condita 406. ad Lucum Ferentinæ ait Latinorum concilia habita. Sed de hoc etiam antea.

Cap. xxxix. *Inde ad Latinam viam trāuerſis tramitibus tranſ.*] Nota hîc Liuij compoſitionem, *trāſuerſis tramitibus tranſgreſſus.* Hoc loco Dionyſ. nouos Coſs. ponit poſt Circeios captos, quos paulò pòſt etiam Liuius fuiſſe tum Coſs. fatetur. vt hic ſit quartus Marcij exilij anoos, quemadmodum ait Veturia in oratione ad filium apud eundem Dionyſium. Porrò in ciuitatum nominibus non conuenit illis, vt in pleriſque aliis. Bolanorum oppugnationem bis deſcribit Dionyſius, ſed codicum, vt puto errore: Liuius ne meminit quidem. Plinios de veteribus Latij populis Abolanorum & Polanorum meminit, vnde forſan hic error in Dionyſij codice, Tolerinorum nulla apod Liuium mentio. Plinius Toletienſes vocat. Verum hæc omnia proſequi eius eſt qui commentarium, non qui annotationes ſcribit.

Eod. *Et ad foſſas Cluilias quinq́; ab Vrbe m. p.*] Non eſt dobiū, quin

quin de ijs loquatur foſſis, de quibus libro primo in Tullo Hoſtilio. eas enim fecerant Albani duce Cluilio, vt vocat Liuius, à quo & nomen habent. Apud Dionyſium hoc nomen corruptè legitur Cæcius vel Cœlius. Diſtantia etiam earum foſſarum vtroque in loco apud vtrumque auctorem eadem narratur: in Liuio qoidem quinque millia paſſuum, in Dionyſio 40. ſtadia, quæ totidem efficiunt millia paſſuum, ſi octona ſtadia mille demus paſſibus, vt Plinius lib. 2. c.23. facit.

Cap. XL. *Sine vt priuſquam complexum accipio.*] Eadem verba ſunt apud Valerium Max. lib. 5. cap. 4. hinc vt puto ſublecta, à nobis autem indicata, vt ex alteris altera emendarentur.

XLI. *Sp. Caſſius deinde ac Proculus Virg.*] Legendum *Sp. Caſſius* III. Primum enim fit Cos. anno ab Vrbe cond. 252. iterum anno 261.

Eod. *Damnantur Ser. Cornelio, Q. Fabio* Coss.] Quidam codices *Seruilium*, quidam *Sergium* habens, ſed vtrique errant. Nam *ceruius* prænomen eſt. *Sergius* autem ac *Seruilius* nomina. Quidam vnam literam S. ponunt, ſuſpendentes naſo ignaros conſuetudinis Romanæ. Mirum vero in Liuio cur non in fine prioris anni meminerit S.C. de lege Agraria facti, de quo toties Dionyſ. & nos paulò poſt ex eodem referemus auctore.

Cap. XLII. *Vt cum L. Aemilio Cæſo Fabius* Cos. *cre.*] Hunc annum Dionyſ. lib. 8. ait ducenteſimum ſeptuageſimum annum ab Vrbe condita: ergo ab liberata Vrbe hactenus tres omiſſi ſunt anni in Liuij codice, vt ſæpiùs nunc oſtendimus.

Eod. *Abſtebantur que iis inter ſemetipſos certando*] Puſillum fortaſſis hoc, ſed tamen ab expoſitoribus Ciceronis magnis quidem viris non omiſſum. Notare placuit, malle quoſdam *inter ſemetipſi* legere, quam *inter ſemetipſos*: vt illud paulò poſt, *Aeternas opes eſſe Romanis, niſi inter ſemetipſi ſeditionibus ſæuiant.* Quidam tamen mutarũt, *inter ſemetipſos* legentes. Quidam vtroque modo auctores etiam magnos locutos contendunt, quibuſcum haud quaquam pugnabimus.

Cap. XLIII. *Q. Fabius inde & C. Tullius,*] Legendum, *Q. Fabius iterum*, quippe qui quarto ante anno Cos. fuit, itẽ ſequente ſtatim anno, *Cæſo Fabius & Sp. Furius*. Legendum, *Cæſo Fabius iterum*. Rurſus paulò poſt quidam libri habebant, *Sp. Publius Licinius trib. pleb.* Sed *Pub.* tollendum, vt ex Dionyſ. patet, & res ipſa clamat.

Eod. *Ducendus Fabio in Veientes, in Aequos Furio datus.*] Hic locus ab Antonio Sabellico iure reprehenſus eſt. Quidam emendandum putauerunt, ſi ita legeretur: *Fabio in Aequos, in Veientes Furio datur. Et in Veientibus quidem nihil dignũ memoria geſtum eſt.* Ita enim duo loci ſequentes quos notat Sabellicus, cum hoc conſonarent. Et ipſe aliquando in ea fui opinione. At Dionyſ. verba lib. 9. de eiſdem Coss. ſatis declarant, ſequentes duos locos in Liuij codice malè habere, non priorem. Cæſonis enim frater M. Fabius ſequentis anni Cos. exprobat mil. Romanis, iam aduerſus Veios pugnam poſcentibus, fratrem ſuum aduerſum eoſdem hoſteis deſertum, & gloria priuatum militum inuidia. Verum in Liuio hoc mirum videri non debet, ſi ſæpè in tanta rerum geſtarum mole, iam ſenex hiſtoriam texens, memoria lapſus fuerit. quod ad auctoris contumeliam dictum minimè videri velim, ſed potius vt ſtudioſos ab anxio nimium labore dehortarer.

Cap. XLIV. *In præſentia reipublicæ, exemplo in perpetuo.*] Quidam emendauerunt, *in præſentia re ipſa, exemplo in perpetuum* qui ſenſus haud paulò clarior eſt, quã ſi *reipublicæ* legerimus, & ſcriptura feſellit. Illud autem, *in præſentia* apud veteres in multo vſu: *in præſentiarum* autem, quo noſtra vtitur ætas, non item: ſed apud Vallam Perottumve natum videtur.

Eod. *Traditam vltro victoriam victis Aequis.*] Hic eſt locus de quo paulo antè admonuimus, Nam *Veientibus* legendum, & ex prioribus Liuij verbis, & ex Dionyſio.

Cap. XLV. *Victor, inquit M. Fabi reuertar ex acie ſi fallat.*] Locus videbatur non bene habere, ſed eſt conuerſus ſermo à ſecunda perſona in tertiam. Notãdum aotem eſt genus locutionis: Illud verò, *Gradiuum patrem*, Seruius in tertium Æneid. interpretatur θοῦρον ἄρηα, id eſt, exilientem in prœlia.

Cap. XLVI. *Non magis ſecum pugnaturos quàm pugn. cum Aequis.*] Et hic eſt alter locus, in quo lapſum memoria Liuiom exiſtimamus, niſi temporum iniuria codicũ fides fallat: quod equidem lectori iudicandum relinquimus. Quamquam ſi quis pro *Aequis* legat *Veientibus*, cum Veiẽtes hic loquũtur, non video vt quadret, ſed omninò vel Liuius videtur memoria lapſus, vel ex tribus iam dictis locis primus malè habet, etiamſi Dionyſius contrarium dicat.

Eod. *At ego iniuratus aut victor.*] Dionyſius ait etiam Coss. iuraſſe. Cæterùm proximo verſu legendum *Cæſo Fabius*, non *C. Fabius*, vt perperam quidam habent codices. Fuère autem tres Fabij, M. Q. ac Cæſo fratres: quórum hic ſeptem conſulatus ordine fuerunt.

Cap. XLVIII. *Cæſo Fabius cum T. Virginio* Cos. *factus.*] Legendum, *Cæſo Fabius* III. ex annis ab Vrbe cond. 270. & 273. quibus fuit Cos.

Cap. XLIX. *L. Aemilius inde, & C. Seruilius.*] Et hîc legendum, *L. Aemilius iterum*, quippe qui fuit anno ab Vrbe cond. 270. Et planè ſuſpicor ab ſciolo aliquo pro *iterum* poſitum *inde*, vt qui notas non intellexerit.

Cap. L. *Multiplicatis in arcto ordinibus.*] Hoc vt ſplendidè dictum videri poteſt. ita ingenuè fateor, me non intelligere.

Eod. CCCVI. *Periſſe ſatis conuenit vnum*, &c.] Hanc opinionem rectè reprehendit Dionyſ. Neque enim veriſimile eſt tot eximios viros domi nullos filios reliquiſſe. Nam de parentibus etiam Liuius non dubitat, quippe qui paulò ante dicat: *precantur vt illud agmen fauſtum atque felix mittant, ſoſpites breui in patriam ad parentes reſtituant.* Fruſtra igitur hoc dictum, *Vnum propè puberem ætatem relictum*, & initio libri ſequentis vanius repetitum.

Cap. LI. *Dum celeriora eſſent, agebat conſilia.*] Quidam *agebant* emendarunt, male mutato numero. Ego, *vrgebat*, legere malim, vt ſit ſenſus, Inopia vrgebat in præcipitia conſilia.

Cap. LII. *Abeuntes magiſtratu* Coss. *Genutius.*] Mirum verò quo iure Genutius hoſce apprehenderit Coss. neque enim quicquam cauſæ narrat Liuius: & Seruilius (quamquam illi, quod peccauerat, obiici potuit) ſtrenue ſe defenderat. Verùm apud Dionyſium clarior longe narratur cauſa Coss. enim Sp. Caſſio ac Proculo Virginio S. C. factum erat, quod quia ad horum annorum hiſtoriam planius intelligendam multum lucis adferre viſum, placuit nobis hîc referre ex libro vtcumque Latino: neque enim codicis Græci copiam habere, vt ante diximus, potuimus, ex quo vel male verſa emendaremus; vel per librarios corrupta reſtitueremus. Eſt autem huiuſmodi decretum: *Decẽviros conſulares creari ano maximos, qui terminos regioni publicæ ponentes, declarent quanta eius locari, quantũque diuidi populo oporteat; æquo autem iure ciuibus et ſocijs, ſi quam poſtea acquirant communiter militantes, contingentem quibuſque partem ſecundum conuenta tradi: electionemque horum virorum diſtributionemque ſortiũ, & cetera quaecunque fieri oporteat, futuro Conſ. perficere.* Hæc ille. At id ſtatim poſt Caſſij mortem à Coss. Q. Fabio ac Seruilio impeditum ad hos vſq; annos iacuit. id tribunum Genutium ac plebem male habuit, quòd Coss. in exequendo S. C. ceſſabant, ideóque in ius trahebantur. Porrò quod ſtatim ſubnectitur.

Cap. LIV. *L. Æmilius & Opiter Virginius conſulatum ineunt:*] Legendum, *L. Æmylius tertium*: bis enim antea Coss. fuit anno 270. iterum anno 276.

Cap. LVI. *Vt plebei magiſtratus tributis comitijs.* Quidam codices falsò legunt *tribunitijs* pro *tributis*. Dionyſ. hoc in loco centuriata comitia diſtinguit à tributis: quod centuriata fierent præcedentibus S. C. moltitudinéque per curias ferente ſuffragia, ac poſt vtraque hæc ſignis à numine & aoguriis nihil aduerſantibus. Tributa verò quòd neque S.C. priùs facto, neque ſacris, neque aruſpicibus ſancientibus fierent, vnaque die haberent finem. At Coriolani iudicium deſcribens, curiata à centuriatis diſtinxit, quòd in curiatis viritim ſuffragia ferrentur, in centuriatis per centurias. Quæ loca ſi quis conferat, in altero centuriata à curiatis neutiquam diſtincta reperiat, in altero tributa cum curiatis propemodum eadem facta. At Gell. lib. 15. cap. 27. *Curiata comitia*, inquit, *ſunt cum ex gentibus omniũ ſuffragium fertur: Centuriata, cum ex cenſu & ætate: Tributa, cũ ex regionibus & locis.* Hæc ille. Ex quibus verbis curiata à centuriatis ſatis diſtincta ſunt, at à tributis non admodum clarè. Ego conijcio *curiata comitia* eſſe, cum viritim per omneis tribus ſuffragia feruntur, vt de Coriolani iudicio ſcribit Dionyſ. *Centuriata*, cùm ex cenſu & ætate: atque ab his non abeſſe vel patres vel patricios. Tributis autem ſolã adeſſe plebem, vt hîc ex Liuio ſatis patet. Sed hæc, vt in aliis iã ſæpe

Digitized by Google

fecimus, lectoris iudicio relinquimus. Nam Liuij diligentiam in re admodum neceſſaria hic planè deſideramus.

Cap. LVIII. *Volſcum Æquumque inter ſeditionem Rom. eſt bellum co.*] Hæc lectio in pleriſque eſt libris. Quidam ita mutarunt: *Volſci tum Æquique inter ſeditionem Romanam & bellum coortum vaſtauerant agros.*

Eod. *Nec vlla vi dominari poterat.*] Vide quàm ſubito mutatum dicendi genus. *Ira ſtimulabat Appium, nec vlla vi domari poterat exercitus.* Itaque quidam legere malunt. *Nec tamen vlla vi domari poterat.*

Cap. LIX. *Per ſtragem corporum armorumque euaſere.*] Illud quoque conſiderandum lectori. Nam ſi Volſci vltimos Romanorum adorti ſunt, atque ex eis aliquot occiderunt, quomodo prima acies Romanorum per ea corpora fugam fecit? Meo quidem iudicio locus inexplicabilis eſt.

Cap. LXI. *L. Valerio, T. Æmilio* Coss.] *Valerio iterum* legendum: nam anno 271. Coss. fuit, qui Sp. Caſſium quæſtor accuſauerat. Titi autem Æmylij parens fuit L. Æmilius ter Cos. annis 270. 276. & 281.

Eod. *Tamquã tertio Cos. ſuſtinenti.*] Appius diuiſioni agrorum contradicebat: Coss. verò non reſiſtebant tribunis, vt luculenter ex Dionyſ. colligitur, & ipſe Liuius ab initio ſequentis libri de Æmylio idem fatetur. Porrò de Appij iudicio cauſam accuſationis omittit, rem apud Dionyſium eleganter ac copioſè explicatam, vt haud immeritò negligentiæ queat accuſari Liuius hoc in locò ab optimo quoque viro, nedum ab C. Caligula monſtroſo quidem illo Imperatore, non tamen prorſus nullius iudicij.

Eod. *Patres quoque nonte. pro vllo æque an. ſunt. propugnat.*] Vide mutatam ſubitò orationem, ac velut oblitum dicti ſuperioris ad aliud tranſiiſſe, neque enim dicimus, *annixi ſunt propugnatorem obijci irata plebi.* Niſi dicas deſiderari verbum aliquod, vt *agrè ferebant*, vel, *indignati ſunt*, aut quid ſimile.

Cap. LXV. *T. Quintius, & Q. Seruilius.*] Legendum, *T. Quintius iterum*, vt ſequentes eius viri conſulatus oſtendunt, præſertim quartus. anno ab Vrbe cond. 309. vbi Liuius numerum non omiſit. Ceterùm hic Seruilius tertio poſt hunc anno rurſus fit Coss. ac à Dionyſio Priſcus dicitur.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. III. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Qui vnus extinctæ ad Cremeram genti ſuperf.*] De Fabijs iã antea admonuimus ex Dionyſio, non veriſimile eſſe vnum illum duntaxat ſuperfuiſſe. Verùm id haud minus mirum, quomodo tam citò Cos. fieri potuit, cum vixdum puber eo tempore eſſet, à quo decimus hic eſt annus. Cognomen eius *Vibulanus* fuit hoc loco apud Liuium omiſſum: poſtea verò tertio conſulatu ab Liuio ponitur. Legendum etiam hoc loco, *T. Æmilius iterum*: de quo non ſolum nihil eiuſmodi priore conſulatu dixit Liuius, ſed etiam contrarium, vt priore libro oſtendimus.

Cap. II. *Q. Fabio & T. Quintio* Coss.] *Q. Fabio Vibullano iterum & T. Quintio Capitolinio tertium* legendum: quod etiam, Dionyſius diligenter tradidit.

Cap. IV. Coss. *inde Poſthumius Albus.*] *Poſthumius* legendum, vt patet ex Dionyſio, atque adeo paulò poſt ex ipſo Liuio, vbi refert quot Cos. hoſtium ceciderint. Præterea *Poſthumius* nomen mihi videtur, non prænomen, vt in eo qui Cos. fuit anno ab Vrbe condita 253. & 261. omiſſum *C.* videtur, vt habent quidam libri, quod item ſuſpicor in Cos. Poſthumio anni 313. Quidam *Poſthumum* triſyllabum aliud putant, aliud *Poſthumium* tetraſyllabum.

Cap. V. *Romanos cecidiſſe in Hernico agro M.*] Pro *mille* quidam repoſuerunt V. *millia*. Qui numerus vt nimis magnus videtur, ita hic nimis paruus. Dionyſius enim cum P. Furio legato mille occiſos ait: veriſimile eſt aliorum non pauciores occiſos tota hac oppugnatione.

Eod. *Inde Romam reditum eſt, iuſtitium rem. eſt calum, &c.*] Alij libri habebant *vt*, pro *inde*. Fortaſſis autem id mutatum propter compoſitionem trium, *eſt, eſt, eſt*. Verùm multa ſimilia reperias, vt id non omninò neceſſe fuerit mutare. Paulò ante, *Et exequendo ſubtiliter numerum*: vide num, *exæquando* ſit legendum.

Cap. VI. *Circuitio ac cura ædilium. plebis erat.*] Quidã amphibolon putant. Nam ſi poſt *ædilium* diſtinguas, videtur dicere velle, Quæ cura ædilium eſſe conſueuerat, eam plebis nunc factã. Sed mihi ſenſus videtur coniunctim legendo: Quæ munia principes obire debebant, ea ad ædileis plebis perueniſſe.

Cap. VII. *Sed ne adeundi quidem Romana mœnia.*] Dionyſ. ad Volſcos Æquoſque vrbẽ tentaſſe, ſed fruſtra id conatos. Ipſe Liuius paulò poſt Romanos ab hoſtibus obſeſſos ait: hic verò, non auſos adire Romana mœnia.

Cap. IX. *Immoderata infinita poteſtate.*] Quidam hæc adiectiua ad vnum poſita ſubſtantiuum diſtinguunt, nihilo minus obſcuro manente ſenſu. Illud autem *omnes*, quod paulò poſt ſequitur, accuſandi videtur caſus, ac pluralis numeri: etiam ſi *verterent* pro *verterentur* accipi poteſt, *omnia ſupplicia*.

Eod. *Legem ſeſe promulgaturum vt Quinqueuiri.*] in Dionyſij codice hic tribunus vocatur Terentius, haud ſcio errorene librariorum. At idem Dionyſius lib. 10. ab initio ait Romanos hactenus abſque legibus vixiſſe, ſententiaque Senatus atque magiſtratuum ſtetiſſe. Itaque Tribunos plebis poſtulaſſe, vt leges ſcriberentur, quibus & Coss. & alij magiſtratus vterentur, populuſque non dominatione Conſulũ, magiſtratuumque libidine, ſed illis teneretur legibus, quas ipſe tum legiſſet, tum ſanxiſſet. Hæc lis durauit, continuitque vrbẽ vſque ad Decemuiros creatos. Vnde legem hanc lib. 10. apud Dionyſ. aliquantò clariorem quàm Liuius tradidit.

Eod. *Et tempore capto adortum remp.*] Captare tempus opportunum rei gerendæ ſæpè dicitur, ſed *capto tempore* quid ſit, non hercle intelligo, niſi *capto* pro *captato* intelligamus, aut *apto* legendum.

Eod. *Dilataque in ſpeciẽ actione res ipſa ſub.*] Quidam *in re ipſa* legunt in auferendi caſu. Quidam *in ſpem actione*: at vterque ſermo inſignem habet obſcuritatem, non tamen inexplicabilem. Eiuſmodi etiam dicendi modus eſt lib. 4. decad. 3. non ita multis ab initio verſibus, itẽ alibi, vt eo in loco annotauimus.

Cap. X. *Alteri* Cos. *datum vt ouans ſine militibus.*] Cum toties eorum triumphorum diſcrimine vtatur Liuius, mirum non ſemel dignatum hæc vel vno oſtendere verbo quid differant. Dionyſ. ſanè lib. 5. ann. 7. ab Vrbe liberata multa de his: ſed in codice noſtro adeo corrupta erant, vt apponere auſi non fuerimus. Aulus Gel. item lib. 5. c. 6. ad finem quædam hac de re adfert ex vetuſtioribus adeo varia, vt Liuium hac potiſſimùm ratione, quo minus ea diſcriminaret, deterritum crediderim.

Eod. *Libri per Duumuiros ſacrorum adiri.*] Sibyllinos haud dubiè intelligit, cùm tamen ne vno quidem verbo de iis quiquam antea. Dionyſius autem nec hoc locò, nec in Tarquinio neglexit.

Eod. *Sic ne quid aliud actum putent, villam le.*] Et hîc ſenſus obſcurus eſt: puto illum plebi perſuadere velle, Conſules nihil aliud egiſſe, nihil aliud quàm quo pacto legem tollant, cogitaſſe: *nec aliud cogitent ipſi, quàm vllam eſſe legem, niſi dum in integro res ſit*: & quæ ſequuntur reliqua.

Cap. XI. *Cum diſcedere populum iuſſiſſent tribuni.*] Manifeſtè hîc vides populi voce etiam patres intelligi.

Eod. *Ecquid ſentitis iam vos Quirites.*] Illud *iam*, non omnes habent libri, ſed placet. Et illud *Ecquid* pro *an non* poſitum videtur.

Cap. XIII. *In Vrbe fuerat, in iuuentutem gra in Sub. inci.*] Vide hoc genus compoſitionis, quater repetit præpoſitionem, *in*: quanquam quidam codices *in*, ante *iuuentutem* non habent.

Cap. XV. *Nocti Capitolium atque arcem occuparunt.*] Mirum ſi tam facilè Capitolium capi poterat. Decebat, meo quidem iudicio, hæc veriſimilius narrare Liuium, id quod Dionyſius non neglexit, & loci naturam & accedendi modum paucis aperiens, at non minus verè quàm luculenter.

Eod. *Non vulgo tantum, vt incerto hoſte praſi.*] *Tantum*, à *vulgo* diſiungendum. Et mirum ſi ſoli Coss. habebant arma.

Digitized by Google

Cap. xvi. *Ad id prope vnum maximè inclinatis rebus in.*] Puſillum hoc, ſed non tamen negligendum, magis quibuſdam placere *ad*, quàm *at*. Idque codices quidam habent, nominatim Moguntinus. Sed *at*, etiam quadrat.

Eod. *Iupiter Opt. Max. Iuno regina & Min.*] Hæc tria numina Romana fuiſſe exiſtimandum eſt quippe quæ paſſim imperatores Romani aut nominant, aut inuocant: vt hoc loco Valerius, & lib. 6. M. Manlius, & lib. 8. Deca. 4. Scipio Africanus. Quanquam Seruius in tertium Æneidos librum non ita longè ab initio (ſi modo codex non fallit) hos exhibet, Iouem, Mineruam ac Mercurium. Item repetit in fine prope octaui libri. Libro autem ſecundo vbi de Laocoonte, Capitolij eadem, quæ Liuius nominat, ponit numina.

Eod. *Quod princeps familia ſua auſus in reg.*] Hic Valerius de Publicola loquitur, quaſi iam de tritauo aut atauo, cùm Dionyſius lib. 11. eum filium Bublicolæ fuiſſe dicat. Meminit & eiuſdem lib. 7. idem auctor: quamquam lib. 6. ad lacum Regillum P. Valerium Publicolæ filium occiſum refert, quod in eundem annotauimus.

Cap. xx. *In peragendis conſularis officij partem.*] Ita vetuſtiores codices habent. At *peragendi* in gignendi caſu legit codex Moguntinus: vtro modo legeris, eſt ſenſus clarus.

Eod. *De proferendo exercitu agere.*] Hoc difficilius eſt. Vide autem num proferendum dicere velit, quem prolaturi Coss. erant, niſi tribuni obſtarent. Itaque obnitebantur propter terrores, quos auctor continuò poſt ſubnectit.

Cap. xxii. Coss. *creati Q. Fabius Vibulanus* iii.] Non eſt dubium, quin de eo Fabio loquatur, cuius ab initio huius libri mentio & cuius bis à Liuio omiſſum cognomen eſt.

Eod. *Cornelius, vt Romæ præſidio eſſet.*] Quidam, *Cornelius* mutarunt in *Cornelio*, propter verbum *datum*, quod præceſſerat: quaſi non & verbum *partiti*, præceſſerit, ad quod referri poterat.

Cap. xxiii. *Arcem Tuſculanam improuiſo nocte cap.*] Dionyſ. & oppidum & arcem capta ſcribit, quod veriſſimilius puto. niſi quis Æquos in hoc App. Herdonium imitatos credat. Admonuit etiam Sabellicus paulò poſt de Fabio ad columen, legendum *reliquo exercitu*, non *relicto*. De eodem Fabio, ante iam dicta verba, *vi nunquam eos ſubigere potuit*: alij legunt, *vi nunquam eò ſubire potuit*. Quid ſi *potuere* legatur, propter ſtatim ſequentia hæc verba, *inermes vndique omnes ſub iugum ab Tuſculanis miſſi*.

Cap. xxiv. *Erat & noua extorta cauſa motus.*] Amphibolon in *motus* participio, & nomine: & *noua extorta cauſa*, in nominandi caſu, & vocandi. Res digna vbi exerceantur curioſi grammatici.

Eod. *Omnes hæres in vnum congruentes.*] Quidam hos nominatiuos in accuſatiuos mutarunt, non bene meo iudicio: Nam *faciebant*, verbum, nullum alioqui habebit nominatiuum.

Cap. xxv. *L. Minutius inde, & L. Nautius* Coss.] Pro *L. Nautio* legendum ex Dionyſio, *C. Nautius iterum*: nam tertio poſt occiſos Fabios anno Cos. fuit cum P. Valerio.

Eod. *Cum M. Valerio Valerij filio Voleſi.*] Puto eum loqui de M. Valerio Marci filio, de quo anno ab Vrbe condita 253. aut liberata anno nono. Cuius pater Publicolæ frater in pugna ad Regillum lacũ occiditur, qui eo etiam loco Fuſius dicitur. Quare legendum puto, *Cum M. Valerio Marci filio.* Nã *Valerij filio* vt legam, perſuaderi non poſſum.

Eod. *Nec diuturnam quietem Æqui dederunt.*] Valerius Max. lib. 2. c. 2. cum Æqoicolis hoc bellum fuiſſe ait. Quare lector ſecum perpendat, num Æquicoli, aut Æquicolæ, cum Æquis idem ſit populus, an apud Valerium menda. Cum Liuio enim concordat in nomine Dionyſius. Plin. Æquicolanorum lib. 3. cap. 12. meminit. Ptolomæus Æquicolos appellare videtur. Vnde quidam Æqoos cum diphthongo, vt Æquicolos ſcribunt.

Eod. *Cuius vmbra opaca ſedes erat.*] Niſi ſub intelligamus vt ſit, ſub vmbra opaca: aut per ſedem, Clœlij tentorium accipiamus, non hercle video quid ſibi hæc verba velint.

Cap. xxviii. *Legionibus Dictatoris clamore ſignificant.*] Senſus eſt per quam obſcurus. Rem autem in diſcrimine eſſe de hoſtibus intelligo, quaſi diceret, non ab Conſulis tantum parte res hoſtium in diſcrimine erat, ſed ab dictatoris quoque parte, id quod legionum clamor ſatis ſignificabat. *Circumdari* autem verbum paulò poſt, pro *circumdati* participio legitur in quibuſdam codicibus.

Cap. xxx. *Sequuntur* Coss. *Q. Minutius, M. Horatius Pul.*] Dionyſius legit *C. Horatius*. Meminit & hic noſter auctor quinto poſt anno C. Horatij Puluilli, mortui auguris, quem hunc fuiſſe coniicio.

Eod. *Trigeſimo ſexto anno à primis trib. ple.*] Dionyſij ſupputatione hæc Liuij ratio bene habet. Nam anno 17. ab Vrbe liberata creati ſunt primi tribuni. At hic annus ab eadem Vrbe liberata eſt quinquageſimus tertius. Si igitur ab liii. ſubtraxeris xvii. relinquentur anni 36. Atqui in Liuio tres deſunt anni (quod ſuprà indicauimus) 248. 264. & 265. Quod autem cõtinuò ſubnectit: *Itaque cautum eſt vt poſtea crearentur: itaque* duæ ſunt dictiones. Senſum autem puto eſſe: Cautum eſt, vt poſtea crearentur, videlicet numero decem. Connexio verborum non admodum in vſu. Ex ſingulis autem claſſibus ait, priores V. innoens. Neque enim ex ſexta quiſquã eligebatur.

Cap. xxxi. *T. Romilio & C. Veturio* Coss.] Si vſpiam alibi, certè hoc loco Liuius Romanam hiſtoriam nimium decurtauit. Omittit enim L. Sicinij Dentati acerrimam illam aduerſus Coss. actionem, vt taceam tribunorum ple. aduerſus eoſdem Coss. ob nimis aſperum delectum, contentionem habitam. Vnde cauſam, poſtquam magiſtratu abiere, ſumpſere tribuni in ius vtrumque ducendi. Eſt autem hic Sicinus, cuius Gellius lib. 2. c. 11. & Plinius lib. 7. cap. 28. & Valerius Maximus lib. 3. c. 2. multiq; alij eximij meminere ſcriptores. Liuius vix videtur noſſe eum, quippe qui adeò frigidè poſtea à Decemuiris occiſum referat. Et in nomine mirum eſt tantum diſſidij eſſe apud auctores. Liuius eum Siccium vocat, quod nomen multis item locis in Dionyſij irrepſit codicem Plin. verò, Gellius, Valeriuſque Sicinium vocant, & Sicinij nomen inter primos tribunos pleb. fuit: quamquam & Sicinij (haud dubiè patricij) Conſulis nomen eſt anno ab vrbe cond. 267. Sanè cum primùm legerem apud Liuium T. Romilium Veturiumque damnatos nullam aliam ob cauſam, quam prædam non conceſſam militibus, magna me cepit admiratio. At percurrenti Dionyſ. ſcripta, dij boni, quàm longè alia in his damnandis viſa ratio eſt. Sed hoc eſt hiſtoriam ſcribere, ſic Latini ſuperant Græcos, ita æquamus Herodotum.

Eod. *Sp. Tarpeio, & A. Æternio* Coss.] *Æternium* quidam hunc Cos. vocant. Plin. lib. 7. cap. 28. & Gel. l. 2. c. 11. *Aulum Thermum* vocant, Dionyſ. *Thermenium*. Tanta eſt in huius Cos. nomine variatio. Ceterùm Romilio diem dictam à Cice. Liuius ait, cum Dionyſ. à Sicinio Dentato ſcribat: adeo noluit hunc noſcere Liuius: quãquam in hoc aliquem auctorem ſecutum Liuium puto: alioqui enim manifeſta eſſet impudẽtia.

Eod. *Veturius* xii. *millibus.*] Ita pleríque habent codices, ſed alij emendarunt xv. *millibus*, & rectè. Nam Dionyſius Veturij ſummam ait ſeſquiplam fuiſſe ad Romilij multam. Senatores autẽ vt euitarent in poſterum has pœnas, inuenerunt modum, vt multæ ſumma conſtitueretur duorum boum, ac triginta ouium: longè minor Veturij ac Romilij.

Eod. *Miſſi legati Athenas Sp. Poſthumius Albus.*] Et in his variatum eſt nominibus. Album enim non addit Dionyſius, & Sulpicium non P. ſed Seruium prænominat, qui fuit Cos. anno ab Vrbe condita 293. In A. Manlio hoc loco vterque conuenit. Quod ſi hi conſulares erant, vt veriſimile eſt, in prænominibus variatum & Manlij prænomen.

Cap. xxxii. *P. Curiatio & Sext. Quintilio* Coss.] Dionyſius P. Horatium cum hoc loco, tum poſtea inter Decemuiros ponit: verùm Liuium Dionyſiumque diuerſos ſecutos auctores crediderim, vt lib. 1. de Curiatiis ac Horatiis accidit. Ceterum ante hos Coss. idem Dionyſius ait trecentos annos ab Vrbe condita expletos. Hic igitur annus eſt trecenteſimus primus, quod nos in ratione temporum ſecuti ſumus.

Eod. *Inde* Coss. *C. Menenius, P. Sextius Cap.*] Hi Coss. in pleriſque Liuij codicibus deerant. Qui nuper appoſuerunt, ex Dionyſio emendaſſe videntur: in quo tamen *L. Menenius* appellatur, non *C.* Alter autem ſiue *Sextius* ſiue *Seſtius*, non *Sextilius*, vt erant quidam libri.

Eod. *Modo ne lex Acilia de Auentino.*] *Icilia* legendum puto, videlicet quam L. Icilius tribunus pleb. pertulit quinto antè anno, vt auctor eſt Dionyſius lib. 10.

Cap.XXXIII. *Anno trecenteſimo altero quam condita.*] Ab Vrbe condita vſque ad primos Coſs. fuêre anni 244. A primis autem Coſs. vſque ad Decẽuiros anni ſunt quinquaginta octo. Ergo nunc trecẽteſimus alter expletus eſt, & priores Decemviri anno trecenteſimo imperarunt. Apud Liuium autem de his quinquaginta octo annis omiſſi ſunt tres anni, iniuria tẽporum, vt iam ſæpè, ſed ſuis locis admonuimus.

Eod. *P. Seſtium patriciæ gentis virum.*] Videtur hic alius fuiſſe à Decemuiro. & variatio in *Seſtio* & *Sextio* nihil hic facit, quãquam alterum ratione dicitur, alterum vſu introductum videtur. Quidam codices prænomen non habent.

Cap.XXXVII. *Cum fortuna, qua quicquid cupitum foret, potentioris.*] Inſignis ambiguitas in *eum* & *fortuna*. Præterea quidam codices, *eſſe*, quidam *eſſet* habent. Sed legendum eſt: *Hi ferre, agere plebem, plebiſq; ret, cum fortuna, qua quicquid cupitum foret, potentioris eſſet, & iam ne tergo quidem abſtinebatur.*

Eod. *Idus Maij venere.*] Hic nouus eſt annus, & tertius Decemuirorum, quod oſtenditur ex oratione Publij Sempronij tribuni pleb. lib. 9. aduerſus Appium cenſorem concionantis, vbi obiter de hoc Decemuiro mentionem facit. *Et hic eſt* (inquit) *Quirites illius Appij progenies, qui Decemuir in annũ creatus, altero anno ſe ipſe creauit, tertio nec ab ſe, nec ab vllo creatus, priuatus faſces & imperium obtinuit, nec antea continuando abſtitit magiſtratu, quàm obruerent eum male parta, male geſta, male retenta imperia.* Atque hic primus eſt locus ad probãdum alium eſſe annum tertium, quo Decẽuiri fuêre in imperio, & alium quo Valerius ac Horatius Coſs. fuerunt.

Cap.XXXVIII. *Cum & ipſi conſenſu innisum imperium.*] Vide vt mutata relatio: nam, *ipſi*, Decemuiros refert, dixerat enim antea *ni conſenſu reſiſterem*; & *ipſi interpretarentur*, cõiungendum.

Eod. *Suarumque ſoliciti erant rerum, amiſſa pub.*] Sic in pleriſque vidi codicibus ſcriptum, & eſt clarus ſenſus. At alij, *ſoliciti* ſuſtulerunt, quod ego non tollerem: quamquam abſque eo etiam ſit ſenſus non contemnendus.

Cap.XL. *Claudij interpellandi verecundia fuit.*] Quidam genitiuum *Claudij* in accuſatiuum mutarunt *Claudium*: quod cum præcedentibus verbis neſcio vt quadret: ſiquidem Decemuiri, præterquã de quo retuliſſent, dicere prohibebant, niſi quis dicat, alios quidem prohibebant, Claudium autem propter auctoritatem verecundia fuit interpellandi, idque veriſimile, nam & Dionyſius longiſſimam eius orationem recitat.

Eod. *Cenſendo enim quoſcumque magiſtratus eſſe.*] Et hic perquam obſcurus eſt ſermo: ſed probat C. Claudij ſententiam re aſperiorem fuiſſe, quàm aliorum, quòd Decemuiros prorſus priuatos cenſebat. Aliam autem, aliquos adhuc in magiſtratu eſſe vtcumque admittere. *Quoſcumque* igitur ita accepit, vt nunc vulgò *qualeſcunque* dicimus.

Eod. *Vt Decemuiros qui Decemuiratum petiſſent aut ſocij.*] Niſi ita ordinemus, *Mirari ſe dictitant, vt aut ſocij, aut hi qui Decemuiratum petiſſent, maximè oppugnarent Decemuiros*, non video quid ſenſus hic elici queat. Eſt autem dura compoſitio.

Eod. *Verum eſſe præiudicium rei tantæ afferre.*] Pro *eſſe* inuenio quibuſdã in libris *poſſe*, quod magis placet. Codex Moguntinus habebat, *ex ſe*, pro *eſſe*: quod deinde plures ſecuti ſunt.

Cap.XLI. *Tum Appius iam prope efferatus.*] Lectorem etiam atque etiam admonitum volumus, vt hunc locum diligenter perpẽdat, nam per aliquot verſus corruptum puto: ſi quidem aliquod exemplar vetuſtum nactus fuerit: fortaſſis medelam inueniet. Expoſitione leuare vtcumque potuiſſemus, ſed noluimus fumos offundere. Eſt autem modus loquendi, magiſtratus irati atque indignãtis, vt dicerent, *Non erit melius*, aut, *proinde quies erit melius*, aut (vt alij legunt) *quieſſe erit melius*: quemadmodum poſtea dicturus eſt Appius cum Virginiam adiudicaret ſuo tam bello clienti M. Claudio.

Cap XLIV. *Perinde vxor inſtituta fuerat, liberiq; inſtitue.*] Tempora declinationum ideò confuſa ſunt, quòd interierat iam pridẽ Numitoria mater, auctore Dionyſio, & ipſe paulò poſt Liuio: & liberi de vnica filia dixiſſe videtur. Porrò gener Virginij, & cui filiam deſponderat Virginius, L. Icilius C. Sicinij, qui primus tribunus plebis fuit, filius à Dionyſio perhibetur: in cuius tamen codicibus, quos nobis videre contigit, *Siccius* pro Sicinnius ſæpè legitur.

Eod. *Lege ab ipſo lata vindicias det ſecundum.*] Lex apud Dionyſium eſt, cum ducitur corpus aliquot ex libertate in ſeruitutem, non qui auferre oititur libertatem, ſed qui libertatis eſt cuſtos, dominos corporis eſſe debet ad finem vſque iudicij. Vide apud eundem auctorem, legis expoſitionem ab Appio pronunciatam, quæ ad Liuij verba intelligenda multum lucis adferet, eam nos conſultò omittimus, ne commentarium ſcribere videremur.

Cap. XLV. *Cum multo magis fremerent quam quiſquam vnus recu.*] Propemodum tale negocium hoc eſt, quale ſuperiùs de patricijs in plebem peccantibus poſt Cæſonis damnationem retulit, ſenſus tamen obſcurus eſt.

Eod. *P. Numitorius puellæ auunculus.*] Quidam codices *auus* habebant, at Dionyſius Numitoriam Virginij vxorem, Numitorique ſororẽ ac Virginiæ matrem planè aſſerit lib. 11. Et ipſe Liuius poſtea in catalogo nouorum tribunorum P. Numitorium *Virginiæ* auunculum ſcribit: quanquam temerè, meo quidem iudicio, *Virginij* eo in loco quidam repoſuerunt. Rurſus in accuſatione Appij à Virginio facta ijdem auum teſtituerant, non minore, vt puto, errore.

Cap. XLVI. *Cum inſtaret aſſertor puellæ vt vind.*] Vox mendoſa, *aſſertor*: nam paulò antè de M. Claudio dixit: *Iam à vi tuta erat, cum aſſertor nihil opus eſſe multitudine concitata ait.* hîc verò de Icilio ait. Si autem quæras, cui inſtabat Icilius? verum ſatis eſt dixiſſe, vt vindicaret? Videat itaque lector, quid de hoc loco ſentiat, nam mihi ſuſpectus eſt.

Cap. XLVII. *Quem decreto ſermonem prætenderit.*] Verba ſunt Liuij: *& tradiderunt*, ſimplicius erat: niſi quis *tradiderint*, potentialem putet modum, qui quàm hoc loco quadret, non equidem video. Porrò Dionyſius Halic. ſermonem elegantẽ, ſed ſubdolum huic decreto præmiſſum refert. Et veriſimile eſt libidine amentem tale quippiam machinatum.

Cap. XLVIII. *Ac Veneriem prope Cloacinæ ad tabernas.*] Veneris armatæ templum haud procul foro intelligit, quæ *Cluacina* dicitur *à cluendo*, id eſt, pugnando, auctore Plinio lib. 15. ca. 29. Quidam Cloacinam Cloacariorum deam intellexerunt, ſed ineptè meo quidem iudicio.

Cap. XLIX. *Qua tum in monte Vecilio erant.*] Quis ille mons ſit, haud equidem memini me legere: oportet obſcurum eſſe nomen. Dein cum legitur: *Quippe ab ipſis datum locum ſeditionis eſſe.* vide num legendum, *locum ſeditioni*, in dandi caſu, non in gignendi.

Cap. LI. *Quo anno iam antè abiſſent.*] Hic alter eſt locus, qui conuincit rectè nos annum tertium Decemuirorum in Chronologia noſtra ſeiunxiſſe ab anno quo L. Valerius & M. Horatius Coſs. fuêre. Quamquàm fieri potuit, vt hic tertius annus quo in tyrannide fuêre Decemuiri, non fuerit prorſus 12. menſium, & Valerium Horatiumque citius iniſſe magiſtratum, quàm hactenus conſueuere, quippè dies ſolennis ineundis magiſtratibus non fuit idem, vt multis poſtea locis oſtendemus.

Cap. LIII. *Nec inferendo iniuriam, nec patiendo etiam ſi.*] Incertum, ſitne diſtinguendum ante *etiam*, an poſt. Sed res eſt modica.

Cap. LV. *Hac lege iuris interpretes negant quemquã.*] Liuij hæc, ſiue iuris interpretum expoſitio, ipſis legibus difficilior eſt. &, vt ſuſpicor, in codicibus noſtris corrupta. Quidam pro, *eorum*, ſubſtituerunt *deorum*: quia ſequebatur, *id ad ſacrum ſanciri*. Sed non placet. Imò hæc ipſa verba obſcura ſunt, & illud, *ad*, nuper, *id* verò olim, falſo adiectum. Porrò quod in parentheſi ponitur, durum eſt, & variè itẽ lectum intellectumque. Denique paulòpoſt vide num legendum, *Conſulibus quoque vt Prætoribus, quia eiſdem auſpicijs Conſules, quibus prætores creantur, cautũ eſſe.* Alioqui non video quid ſenſus inde elici queat. Mirum verò cùm Liuius tam ſolicitus eſſet de voce, *iudicibus*, cur non etiam de Decemuiris legem expoſuerit. Decemuirorum enim hîc poteſtas abrogabatur, & paulòpoſt hi in iudicium protrahuntur, cui ergo in hac lege cautum? iis fortè qui libris Sibyllinis præerant.

Cap. LVI. *Quæ impiè nefariéque per biennium alia ſuper alia.*] Hic tertius eſt locus, quo planũ fit, rectè Valerij Horatij quo annum ſeiunctum à tertio Decemuirorum, quo per tyrannidem priuati regnarũt. Neque enim Virginius hic primum annum ſupputat, quo bene geſſerat ſe Appius.

Eod. *Et appellatio prouocatioque.*] Hic habẽt iuriſperiti, quod diſtinguant: neque enim temerè coniuncta videri poſſunt,

Quidam *appellationem* inter æquales exiſtimant, vt à Decemuiro ad Decemuirum, à Coſs. ad Coſ. cuius rei multa ſunt apud Liuium exempla, maximè in hac actione. *Prouocationem* verò à minore ad maiorem, vt à Coſs. aut quouis alio ferè magiſtratu ad populum. *Intercesſionem* autem inter vtroſque, vt tribuni contra tribunum, & tribunorum contra Coſs. aut Senatum.

Cap. LIX. *Multique erant qui melius conſultam dicebant.*] Hnc rectè emendarunt nuper, *mollius* legentes pro *melius*. Senſus autem eſt. Non rectem feciſſe patres, qui legum à Coſs. latarum in ſenatus propè ac imperij conſularis contumeliam, auctores fuiſſent, hoc eſt, ſua auctoritate confirmaſſent, quæ interitutæ erant, turbato Reipub. ſtatu, niſi mollius conſuluiſſent ipſi, ergo illud, *mollius*, in malam partem ſonat. Quamquam illud *Reipub. turbato ſtatu*, apud me dubitationem habet, quo pacto rectè intelligi debeat.

Cap. LXI. *Sabini feroces ab rep priore anno bene geſta.*] Quartus hic locus eſt, ad oſtendendum rectè nos tertium Decemuirorum annum, quo in tyrannide fuêre, alium fuiſſe ab Horatij Valerijque Coſs. anno. Addetur quintus locus idem probans lib. 9 in oratione Sempronij tribuni pleb. contra Appium Cenſ. Quod ideò toties admonemus, quod quidam Coſs. nomenclaturam texentes, hos duos annos in vnum confuderunt: qua ratione moti, ipſe hercule ſcire non poſſum.

Cap. LXIV. *Alij candidatis tribus non explerent.*] Quid ſit *tribus explere*, etiam atque etiam ſecum conſideret lector, cùm hoc tempore haud minus 25. tribus eſſent. Verum tribus pro claſſe accepit? Cautum enim erat anno 297. vt bini ex ſingulis claſſibus crearentur. An tributa intelligemus comitia quibus aberant patres, vt ſuprà libro præcedente de Volceronis lege patuit?

Eod. *Satisfactum legi dicebat, quæ numero nuſquam præfin.*] Quæ ſit illa lex, non ſatis liquet ex ſuperioribus. Plebiſcitum fuit à M. Duillio rogatum: Qui plebem ſine tribunis reliquiſſet, quique magiſtratum ſine prouocatione creaſſet, tergo ac capite puniretur. ſed vix huc congruit. Quidam etiam hoc loco *tribuni* nominatiuum, mutarunt in datiuum, poſtpoſita diſtinctione. De cooptatione autem verba priſca quidem ſunt, quàm verò emendatè legantur, non equidem definio. In pleriſque codicibus legebatur: *Si tribunos plebis fecerint, decem rogabo.* Verbum *fecerint*, alij ſuſtulerunt, nec cauſam cur fecerint habeo, niſi quia mox ſequitur idem verbum XII. autem in XV. mutatum perplacet. Duillios enim quinque nouos creauerat, prioris autem anni connumerato Duillio, x. erant. Notandum autem hoc loco etiam patricios atque adeò conſulares factos tribunos pleb. Nam hi duo Coſs. fuêre anno ab Vrbe condita 300.

Cap. LXV. *Inde M. Geganius Macerinus & C. Iulius Coſs.*] Hunc alij [M]acerinum vocant, qui his poſtea Coſ. fit. Sed C. *Iulius* alij re[cte p]ro *Iunio* emendarunt. Iunij enim omnes poſt Bruti mortem plebei fuêre, auctore Dionyſio, nec vmquam Coſs. facti, niſi donec licuit ex plebe alterum fieri Coſ.

Cap. LXVI. *T. Quintius Capitolinus IIII. & A. Furius Coſs.*] Hoc loco ſatis diligenter Liuius Capitolini Conſulis annos numerauit. quod libro ſecundo omiſſum bis, ante teſtati ſumus. Pro *A.* autem *Agrippa* repoſitum eſt ab alijs, vt ſit Agrippa Furius, quod non diſplicet. Nam in pugna ad Corbionem Agrippæ Coſ. nomen eſt. Videat autem lector verba hoc loco ſequentia: *Cum dies aliqui nobilium dicta, nouis ſemper certaminibus conciones turbaret*, vt intelligenda.

Cap. LXVIII. *A quibus ſemper non veſtra virtute inacceſſi aquæ.*] Senſus eſt obſcurus, niſi quis in Tribunos hoc cum amara ironia totum contendat ſed deficit orationis conſecutio. Nã vt ſequentia prioribus cohæreant, non ſatis planum eſt.

Cap. LXX. *Circumuentos interclaſſeque ab ſuis vociferans.*] Ἀμφίβολον eſt, ſed de *ſuis*, hoc eſt Romanis loquitur Sulpitius, vt ſequentia indicant.

Cap. LXXI. *Ibi inſit annum ſe tertium ac nonageſimum ag.*] Quidam *octogeſimum* reſtituere. At Corioli oppugnati ſunt anno ab Vrbe condita 261. Sp. Caſſio iterum, & Poſthumio Cominio Coſs. Hic autem ab eadem Vrbe cond. annus eſt 309. Interſunt igitur anni 48. Quòd ſi non iuuenis, ſed viceſima iam ſtipendia merens militauit Scaptius, vt hic ipſe fatetur, malim *nonageſimum* legere, quàm *octogeſimum*. Quamquã hæc propè de lana caprina ſpeculatio eſt, quam lubens omiſiſſem, ſi alios non tam ſedulò, atque abſque cauſa, hæc mutaſſe vidiſſem.

Eod. *Scaptione concionali ſeni aſſignaturos puta.*] Quidam codices *contionari* habebant, quod alij in *concionalis* mutarunt, neutrum mihi bene intellectum. *Concionanti* etiam quidam habent libri, quod vtique intelligitur. vtrùm germana ſit lectio, non definio. Illud autem *clarum hoc fore*, pro certum eſt, poſitum videtur. Quidam ita legunt. *Clarum hac fore imagine Scaptij nomen populum Rom. quadruplatorem & interceptorem litis alienæ perſonam laturum.* Verùm altera lectio etiam intelligitur. Denique vox *contrauerſioſa*, haud vſquam apud auctores frequens, dubitantem tenet lectorem.

Eod. *Nunc haud ſane quicquam in cauſa bona leuatur.*] Qui hîc emendarunt, *cauſa bona*, rectè fecerunt, etiamſi quidam *cauſa bona* legunt: quidam *bona cauſa eleuatur*.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. IV. HENRICI GLAREANI
LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Hos ſecuti M. Genutius & P. Curiatius Coſs.*] Pro Genutio apud Dioniſium eſt Minutius vno in loco, altero autem Genutius, vt hîc apud Liuium. Fortaſſis quòd Genutij plebei erant: quamquam & plebei & patricij eſſe poterant. Pro P. Curiatio apud eundem C. Quintius legitur.

Eod. *Et Volſcos Aequoſque ob comma. Verruginem.*] Vbi Romani Volſcis Æquiſque Verruginem ademerint, ac poſtea muniuerint, nuſquam Liuius dixit, ne nominauit quidem vſpiam. Veientibus autem ante triginta anno Coſs. L. Furio & C. Manlio, datæ erant induciæ in annos XL. quas non ſeruarunt.

Cap. II. *Et quemadmodum plebs gloriari poſſet.*] Quidam libri habebant *vt* pro *&*: ſed eſſet planè ἀνανταπόδοτον. id eſt, oratio altero defecta membro, & ſupplendum. *Ita etiam Senatui annitendum*, ſed non placet. Notandum tamen genus ſermonis, *plebs poſſet gloriari auctiorem amplioremque.* & num deſideretur, *ſe*. Porro ſtatim poſt, *donec* pro *quandiu* manifeſtè vſurpatum.

Cap. IV. *Sinere non fieri poſſe in eadem ciuitate.*] Alij pro *ſinere finem* emendarunt, vt paulò ſuperiùs, *Finem ergo non fieri, nec futurum, donec, &c.* Alij *ſimul* malunt legere, ad hunc ſenſum: ſimul in eadem ciuitate fieri non poſſe, vt ſint tribuni ac patres. Ego ſuſpicor aliquid deeſſe: nam nulla harum lectionum mihi ſatisfacit.

Eod. *Quid hoc ſi polluit nobilitatem iſtam veſtram.*] Quocumque modo hoc diſtinguamus, & ſiue interrogatiuè, ſiue enunciatiuè legamus, videtur aliquid abeſſe ac deſiderari, cùm tamen ſenſus non ſit admodum obſcurus.

Cap. VI. *Anno trecenteſimo decimo.*] Ex Dionyſio ſatis apertè conuincitur hunc annum expletum fuiſſe, quippe qui libro vndecimo dicat anno tertio octogeſimæ quartæ Olympiados hos tribunos creatos, qui ſit ab Vrbe condita annus trecenteſimus vndecimus. Sed pro vno duntaxat anno cum nemine depugnabimus.

Cap. VII. *Et in linteis libris ad Monetæ inuentis.*] Moguntinus codex habebat, *inuenta*, vt referret Conſulum nomina, quidam nuper mutarunt in *inuentos*, vt referat Coſs.

Cap. VIII. *Neque Coſs. cum tot p. b. im. opera erat id neg. ag.*] Alij libri *opera* habebant, quod magis intelligitur: ſed neque hîc cum quoquam depugnabimus.

Cap. IX. *è Multitudine opificum ad ſpem pr. euocata.*] Et hunc locum Aldinus codex mutauit in *aduocata*. mihi *euocata* magis arridet.

Cap. XI. *Qui tribunus plebis iterum ea ipſa denunciando factus.*] Dubium *iterumne tribunus*, quod videtur: an *iterum denunciando*. Nam quid denunciarit, ne vno quidem verbo antea com-

memorauit, vel de ipſo tribuno, vel de denunciatione: vt taceam quod *Neque* non geminatam ſubiungit, cùm à ſuperioribus neutiquam hæreat, meo quidem iudicatu.

Cap. XIII. *Tanto apparatu conciliorum ac certaminū.*] Alij *certamine* legunt, alij *certaminum*. ſed id non pro[illegible]ur: ſequitur enim, *quod ingens exudandum eſſet*, quanquam hoc ad præmium etiam referri poteſt.

Cap. XV. *Eodemque anno ſororis filios regis.*] Hic locus haud dubiè corruptus eſt. Nam Aquilios intelligit, qui erant ex ſorore Collatini, nati qui cognatus erat Tarquinij regis non ipſe rex. Fortaſſis autem regem pro cognato regis dixit.

Cap. XVI. *Nec deinde id plebem conceſſum ſemel obtinuiſſe.*] Quidam codices habent *plebi*: vt ſit, *ſemel conceſſum plebi*. Alij habent *plebem*, vt ſit, *obtinuiſſe plebem ſemel conceſſum*. Tum quod ſequitur de cautione, ne tribunis collegam cooptare liceret, nuſquam in Liuio lectum ante. Rogationis interpretationem vide ſupra anno 306. Coſs. L. Valerio, ac M. Horatio, ad finem. Ne quis Treboniam legem id poſſe contendat, qua de, anno deinde proximo 307.

Eod. *M. Æmilius vir ſumma dignitatis.*] Ita quidam codices habent. at alij *M.* mutarunt in *Mamercus*. Ego autem *Mamercus* cognomen puto, vt de eo patet qui ad finem huius libri anno ab Vrbe condita 350. & libro ſequenti ab initio. anno 352. quem exiſtimo huius fuiſſe prolem. Et vide hoc dicendi genus in horum trium tribunorum nomenclatura: tum an non potius *tertium creat* legendum.

Cap. XVII. *Cum poteſtas maior, tū vir quoque poteſtati par hoſtes.*] Quidam continuatè hoc legunt, quaſi *hoſtes* ſit accuſandi caſus, ac ab Dictatore intelligamus ſubmotos hoſteis trans Anienem, quod ſub Sergio factum non erat. Verùm ij quomodo ſequentia ordinant verba: *Colleſque inter Fidenas atq; Anienem ceperunt referentes caſtra?* Nempè vt aut *colles* ſit nominandi caſus, aut *referentes* accuſandi, quod durum ſanè videtur: aut in *ceperunt* intelligamus nominatiuum, *hoſtes*. Ego ſaluo aliorum iudicio, malim diſtinguere ante *hoſtes*, ad hunc ſenſum: Cùm eſſet iam in armis poteſtas maior, tum vir quoque poteſtati par, hoſtes qui id non ignorabant, ſubmouere ex agro Romano trans Anienem, colleſq; inter Fidenas atque Anienem ceperunt, referentes caſtra.

Eod. *Qua ſequi munimento poterat.*] Vide quid ſibi velit, *munimento ſequi*. Nam ego ſanè non intelligo niſi ſit in faciendo munimentum.

Cap. XVIII. *Vt ex auguribus ſimul aues ritè admiſſæ.*] Ridebit fortaſſis aliquis, quid hîc hæſitem: at ego, quid *ex auguribus* ſit neſcio. niſi *ex*, pro *ab* poſitum exiſtimemus, quidam enim ita emendarunt, quod ſi exemplariorum vetuſtorum fide fecerunt, eò melius res habet. Ceterùm ordo erit, vt ex compoſito tolleretur ſignum, ſimul ab auguribus aues ritè admiſſæ eſſent: vt *ſimul* intelligamus dictum, pro *ſtatim vt*, quemadmodum huic auctori per quam familiare eſt: ac item Horatio *Ver proterit æſtas, Interitura, ſimul Pomifer autumnus fruges effuderit.*

Cap. XX. *Hoc ego cùm Auguſtum Cæſarē templorum omniū cond.*] Hoc in loco poſt verbū, *refecit*, multi codices habent *dicentem*, quod placet, nec video cauſam quare quidam ſummouerint.

Eod. *Septimo poſt demum anno cum T. Quintio Pœno.*] Legendum *decimo poſt demum anno cum T. Quintio Pœno. II.* Nā cum hoc Quintio ſeptimo poſt anno non A. Cornelius Coſſus Cos. fuit, ſed Cn. Iulius mento: decimo verò ab hinc anno, T. Quintius Pœnus iterum cum A. Cornelio Coſſo Cos. fuit, & tum etiam peſtilentia, ac triennio poſt altera equeſtris pugna, qua idem tribunus mil. con. poteſtate ac magiſter equitum ſub M. Æmilio Mamerco aduerſus Veientes ac Fidenates depugnauit. Sed ex hoc loco, ac item quarto pòſt anno ſatis liquet non parum curæ fuiſſe Romanis hiſtoricis vt Conſulum nomina rectè ordinarent, quæ cauſa nobis fuit Chronologiæ noſtræ edendæ, quamuis hac ætate quidam leuiter curant. Ceterùm hæc Liuij verba, *Exiſtimatio communis omnibus eſt.* Item hæc, *Ea libera coniectura eſt.* Denique illa, *ſed (vt ego arbitror) vana verſare in omneis opiniones licet*: à me cum annexis rationibus non planè intelliguntur.

Cap. XXI. *Dictatorem Q. Seruilium placent*] Ita pleriq; habent libri. Aldinus codex mutant in *A. Seruilium*, quod non placet, etiamſi alij ſecuti ſint. Nam etiam Quinti huius multa in poſterioribus mentio.

Cap. XXIII. *Ibique primum cenſus populi eſt actus.*] Sub Seruio Tullio ſexto Romanorum rege etiam cenſus populi eſt actus in campo Martio, vt lib. 1. ait hic auctor. Vide etiam quid ſibi illud *probauerunt*, velit, quod proximè precedit hæc verba.

Eod. *Vt ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Hetr.*] Quidam *Voltumnam* interpretarunt *Volturnam*, pro *Volturrenam*, nūc *Volaterram*, vbi deæ nomen olim fuerit, quod ego lectori iudicandum relinquo. Id non abhorret à verò, locum in media alicubi Hetruria fuiſſe aptum duodecim vrbibus, è quibus ad concilia mittebantur legati.

Cap. XXIV. *Primores patrum, quamquam diminutum cēſura eius.*] Repetendum verbum, *fuerunt*: niſi quis aliquid deeſſe exiſtimet: Nam & illud, *quippe*, nihil poſt ſe habet, vt ſæpè aliâs.

Cap. XXV. L. *Furius Medullinus.*] Hic vſque ad annum ab Vrbe condita 364. vt minimum nouies nominatur. Sed in prænominibus errorem puto: hic enim *Sextus* legendum, non *Lucius*. Fuit autem Sextus iterum tribunus mil. conſ. pot. anno ab Vrbe cond. 335. cum L. Quintio Cincinnato, M. Manlio, & A. Sempronio, vt omnes habent codices. At vbi primùm ſit factus, nuſquam habetur. Ergo hic *Sex.* legendum, nam *Lucius* ſua habent loca. Quidam etiam codices aliquot locis *P. Furium* habuerunt, ſed errant.

Cap. XXIX. *Egregiæ dictaturæ triſtem memoriā.*] Valerius Max. lib. 2. de diſciplina militari, & de Poſthumio & Torquato hęc memorat. Ceterùm *Poſthumium Tiburtum*, non *Tubertum* vocat, & quidam Liuij codices *Tuberonem*. Quæ verò ſequuntur verba, *Eſlicet in varijs opinionibus & argumento eſt*, à me non planè intelliguntur: nam alterum *&*, nuper adiectum eſt, quidam pro etiam exponunt.

Eod. Coſs. *fiunt L. Papyrius Craſſus.*] Addendum eſt, *iterum*: antea enim Cos. fuit Craſſus anno ab Vrbe cond 319. Ceterùm hîc Æqui impetrant inducias octo annorum, cum ſexto deinde anno rurſus trium annorum impetrent. Quare videndum, num *ſex annorum*, pro *octo* legandum.

Cap. XXX. *Vaticinando inferentibus in domos quibus quæſt.*] Etiā atque etiam conſiderandum hoc dicendi genus, nam ego ſyntaxim ac compoſitionem non aſſequor. Quidam libri etiam *in domo* habebant.

Eod. *C. Seruilio Hala, L. Papyrio Mugillano* Coſs.] Legendum, *L. Papyrio Mugillano iterum*, quippe qui fuit anno ab Vrbe cond. 311. Cos.

Eod. *Cum Veientibus nuper acie dimicatum ad No.*] *Nuper* ait, cum hic decimus ſit annus ab ea pugna. Poſt eam autem pugnam induciarum earum nulla antea ab auctore mentio facta eſt. Item quod ſubiūgit. *Vt Quintius* Cos. *de bello ad populum ferret*, quomodo verum eſſe poteſt, cùm Seruilius cum Papyrio eſſet Cos. Nec recitat prioris anni geſta (vt quidam excuſare nituntur) cum ſtatim ſubiungat: *In eo quoq; plebs ſuperior fuit, quod tenuit ne* Coſs. *in proximum annum crearentur.* Cæterùm quod ſubiungit: *T. Quintius Pœnus ex conſulatu*. innuere videtur ex Quintio Cos. factum tribunum conſulari poteſtate, cùm hoc anno non fuiſſet Cos. & A. Cornelius Coſſus etiam antea fuiſſet Cos. non minus quàm Quintius.

Cap. XXXI. *Eoque ob rem malè geſtam.*] Quidam adiecere, *eoque ipſo*. verùm non video qua de cauſa hoc fecerint. Quidam *ab re malè geſta* legunt, quod placet.

Cap. XXXII. *Veientem hoſtem ſepties victum.*] Iidem pro *ſepties* repoſuerunt *ſexies*, quod continuò ſequatur, *Septimam infelicem defectionem*. At non difficile fuerit ex Liuio oſtendere nouies cum Veientibus hactenus conflictatum, at pugnas poſt amiſſum Cremeræ præſidium, pro vna, ſupputare videtur. Appius autem libro quinto ait Veientes ſepties rebellaſſe.

Cap. XXXV. *A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum.*] Vtrique addendum, *iterum*. Nam Cincinnatus antea fuit trib. mil. con. poteſtate. anno ab Vrbe condita 317. Sempronius autem anno 311. inter primos tribunos mil. con. poteſtate. Cincinnatus item anno 335. tertiùm dicitur tribunus mil. con. p. Ergo haud dubiè hoc loco iterùm. Cæterùm *L. Furius* non in omnibus exemplaribus habetur.

Eod. *Tribuni conſulari poteſtate erant, C. Craſſus.*] *App. Claudius Craſſus* legendum, vt ad finem huius anni patet, vbi Vrbis præfectus relinquitur, ac Decemuiri filius dicitur. Errant autem qui *C. Papyrius Craſſus* emendarunt. Sed de hoc Appio paulò pòſt plura dicemus.

Cap.xxxvii.*Creati* Coſs. *A.Sēpronius Atratinus, & Q.Fab.*] *A*.Quidā emendarūt *C.Sempronius*. Auli autem & Lucij Sempronorum mentio eſt anno ab Vrbe cond.311. Ceterum pro *Q.Fabio Vibulano* Valerius Max.lib.1.c.1. *Q.Carulam* habet, ſed errore codicum, vt puto.

Eod. *Ab Romanis diſſonus, impar.ſeq.ſæpe iteratus*] Poſt *iteratus*, colon ponendum puto. Deinde legendum: *Quo maiorem incerto clamore Romanus prodidit pauorem animorum, eo ferocior illatus hoſtis, &c.* Atque ita quidam habens libri. Alioqui enim ſi *Romanus* omittitur, vt facit Aldinus codex, ſenſus eſt, clamor incerto clamore prodidit pauorem animorum.

Cap.xli.*T. Quintium collegam eius*] Tres apud Veios tribuni malè pugnarunt, M. Poſthumius, C. Furius, & T. Quintius. ait enim: *Documentoq; fuere quam plurium imperium bello inutile eſſet.* Hîc duobus dies dicta narratur. C. Furij nulla mentio. Id etiam mirum, quarto demum anno reos factos, cum triennio ante magiſtratu abiiſſent.

Cap.xlii.*Plebs tribunos plebis abſente: Sex.Tempanium*] Hoc *abſentes* qua ratione dictum ſit, lector deſpiciat. Ceterum horum tribunorum quatuor fuêre, qui ſub C. Sempronio militauerant aduerſus Volſcos, vt ſtatim ſubiecit auctor: quare disiungendum *Antiſtium & Spurilium*, quos quidam codices vnum faciunt.

Cap.xliii.*Cum pars maior inſequentis anni per nouos trib.*] Si maior anni pars exacta iā erat, & veriſimile eſt non in aliquot menſes creatos ſequentes tribunos mil. ſed in integrum annum, ante quem credo nō facilè abijſſe magiſtratu, certè hic annus nobis perditur. Quare mirari deſino, quod Veientib. datæ induciæ in annos xx. vt habes an. ab Vrbe cond.130. res tamen ab eis repetantur an. 348. Neq; enim veriſimile eſt anno 18. res repetitas, ſed ad finē anni 19. Eſſent autem dccē & octo duntaxat anni, ſi annum hoc in loco non numerauerimus: & Camilli ſupputatio ad finem lib. 5. eandem opinionē iuuat. & qui eo anno quo decemuiri ſunt depoſiti creatos coſs. putant L. Valerium, & M. Horatium, hic annū inuenient ad Camilli ſupputationem congruentē. Quidam hæc excuſant per diem ſolennē magiſtratib. ineundis: at ille mirum quàm apud Romanos varius inueniatur. anno enim ab Vrbe cond. 305. Idus Maiæ nominantur. anno 332. & 353. Idus Decembres, annoq. eodē Calendæ Octobres, an.364. & 425. Calendæ Quintiles, alibi Calendæ Sextiles. Porrò anno 261. cum plebs in ſacrum montem abiit, Calend. Septembris diem ſolennem nominat Dionyſius magiſtratib. ineundis. Multis item locis nominantur Idus Martiæ vt anno ſecūdo ſecundi belli Punici, & eiuſdem belli anno 17. ad finem, & 1. anno belli Macedonici, & ſecundo omnia apud Liuium, apud Dionyſium item ſolſtitium æſtiuum anno 278. Hæc ideò à nobis referuntur, vt notum faciamus, in vnius anni diſcrimine nullā nos facere difficultatem: quod etiam Dionyſ.lib.7. admunet. Ea fuit cauſa cur in chronologia noſtra hunc annum omiſerimus.

Eod. *Vnde ſi quid inſtrepat terroris.*] Hoc alij mutarunt in, *increpet*. Poſt verbum autem *opprimi*, ponunt punctum interrogatiuum.

Cap.xliv. *Flexere iras in C.Sempronium patruelem A.Sempronij.*] Pro *A.Sempronij* quidam *Aeratini* poſuerunt, quaſi Caius nō etiam Atratinus ſit cognominatus, vt A. & L. fratres. Mirū verò quòd hic rurſus damnetur, qui paulò antè ab Hortenſio die dicta abſolutus ſit precib. quatuor tribunorū. Neque verò hîc alius eſſe Sempronius poteſt, quòd hîc de belli Volſci ignominia fiat mentio, in quo Sempronius idē fuit dux, quocumq; prænomine eum vocatum cōtendas. Sed & hoc malè habet quod anno 339. A Sempronius tertium dicatur tribunus mil.conſ.poteſtate, cum tamen hic tertium ſit: quare hoc loco ego L.Sempronium huius anni tribunum mil. conſ. poteſtate puto, cuius mentio eſt anno 311. fuit enim Auli frater.

Cap. xlv. *L.Sergium Fidenatem, M. Papyrium Mugillan.*] Hic Sergius etiam tribunus mil. fuit anno ab Vrbe cond. 311. quare hic adiiciendum, *iterum*: niſi quis putet alium. Fuit item hic Sergius bis coſ.

Cap.xlvii.*L.Seruilio Structo, P.Lucretio Tricip. omnib. bis iterū.*] Hic *Seruilius* in plerisq; codicibus omiſſus erat, ſed omninò tres eſſe oportuit: neque enim de duobus Liuius dixiſſet, *omnib.* At in priorib. L.Seruilium inter tribunos mil.conſ.poteſtate nō reperias, ſed prioris anni tribunus C.Seruilius Priſci filius fuit, qui etiā Structus dictus eſt. Quamquam hoc fortaſſis lectorem moratur, quod nulla cauſa referatur cōtinuati honoris, at Liuius aliquando cauſas recitat, aliquando omittit, vt patet ann. 347. de Cn. Coſſo, vbi nulla cauſa continuati honoris narratur. At anno de 348. C.Seruilio Hala vtiq; narratur. quare *C.Seruilius*, non L. videtur legendum.

Cap.xlviii. *Cum App.Claudius nepos eius qui Decemuir.*] Primus Appius Claudius qui an. 6. ab Vrbe liberata Romā profectus erat, id conſilij, cuius hic fit mentio, dedit, M. Fabio, & Cn. Manlio coſs. anno ab Vrbe cond. 274. ac ab eadē liberata triceſimo. Hic autem duos habuit filios, Appium Caiumque Claudios. De Appio Claudio Appij filio, Liuius lib.2. ſub finem, qui cum T. Quintio Capitolino coſ. fuit anno ab Vrbe cond. 283. & die dicta à M. Duillio & Cn. Siccio mortuus eſt. De Caio vero Claudij Appij filio, Liuius lib.3. qui cum P. Valerio Publicola coſ. fuit anno ab Vrbe cond. 294. quo anno Herdonius Capitolium cum exulibus ac ſeruis occupauerat. Rurſus tertius Appius ſecundi Appij filius fuit Decemuir cuius hic *nepos* à Liuio dicitur, ſed errore, vt puto, codicū. Nam ego *filium* credo, idque ea potiſſimū de cauſa, quod poſt quinquageſimum ab hoc annum nepos Decemuiri Appius Claudius ad finem lib. 6. nominatur. Præterea primus Appius non eius proauus erat, ſiquidem ipſe nepos Decemuiri fuit, ſed potius abauus. Certe temporum ratio non cōuenit, vt & hic nepos fuerit Decemuiri. & item ille qui lib. 6. aduerſus tribunos habet concionem, ipſe etiam Liuius anno ab Vrbe cond. 331. Decemuiri filium vocat hunc Appium. Eſt & eius mentio ab initio libri ſequentis.

Cap.xlix. *M.Fabius Vibulanus trib. mil.*] Addendum, *iterū*. Nam tribunus antea fuit anno ab Vrbe cond. 322.

Eod. *Q. Fabio Vibulano iterum.*] inter tribunos mil.conſ.poteſtate hunc antea non inuenies ſed coſ. anno 332. atque inde fortaſſis error.

Cap.li. Coſs. *creati ſunt A.Cornelius Coſſus & L. Furius.*] Quidam codices ſuſtulerunt L. inſequente coſ. ſed hic fit primum coſ. Quinto dehinc anno fit iterum coſ. cum antea ſæpius tribunus mil. conſ. poteſtate fuerit. Auli autem numerus omittitur, quod anno 318. dubius coſ. fuerit. certus autem anno 327.

Eod. *Iacere tandiu irritas ſancti q.d.ſ.com.ferr.tamen interim.*] *Tamen* quod in quibuſdam erat libris, quidam in *cum* mutarunt. Ego non minus planum ſenſum exiſtimarim ſi neutrum legatur, at ſi alterum omnino adeſſe debet, ego *tamen* malim, quàm *cum*.

Eod. *Tunc hæc ipſa indignitas angebat animos.*] Quidam *augebat*, per *u*. legunt, non per *n*. ſed non placet, eſt enim *angebat*, ab ango tertiæ coniugationis, non ab *augeo* ſecundæ. Et ſenſus non bene attendenti ſub obſcurus videtur, ſed fit facilis benè rimanti.

Cap.lii. *Tribunus pleb. Licinius.*] Quidam *Lucilius* legunt, Ego *Licinium* malim, quod ſtatim ſubiungat: *Is cum principio ſtatim anni velut penſum nominis familiæque ſeditiones agrarijs legibus promulgandis cieret.* Fuere enim Licinij maximè patribus aduerſarij, vt ſequentib. patet libris. Quidam L. *Icilium* legunt, quod maxime placet. Et horum etiam coſ. prioris prænomen *Q.* poſterioris cognomen *Patilius*, ſuſpecta.

Eod. *P.Atratino, C.Nautio Rutilio* coſs.] Pro *P.Atratino*, alij *M. Papyrium Atratinum* repoſuerunt: alij quod cognomen Atratinus Poſthumiorum ſit, non Papyriorum, *Mugillanum* addiderunt: quod incertum relinquimus, donec feliciores nacti fuerimus codices.

Eod. *Cū in legationes non plus ſingulis ſenatoribus inuentis.*] Pro *inuentis*, alij *inuenientes* legunt: ſed vtraque lectio obſcurum habet ſenſum. Verum quia intelligitur, nolim eſſe anxius.

Cap. liii. *Pronunciarumque ex collegij ſententia C. Valerio.*] Quid ſibi velit hæc tribunorum promiſſio, præter auxilium non herculè intelligo, quidam *coërtionem*, quidam *coërcitionem* legunt: mihi poſterius placet. Illud, *inhibentis*, faceſſit negotiū non paruum lectori. Eſt autem obſcurus ſenſus.

Cap. liv. *Sed nulla erat conſularis actio, quam impediendo.*] *Conſularem actionem* vocat: vt delectum, bellū & ſimilia, quæ cōſules abſque plebis auxilio perficere nequibant. Quidam libri habebant *quæ*, pro *quam*, ſed non placet.

Cap. lv. *Verruginem in Volſcis eodem exercitu receptam.*] Hæc

ab initio huius libri à Romanis munita dicitur, ſed quãdo capta ex hoſtibus, non dixerat vſpiam auctor. Rurſus hoc loco dicitur recepta à Romanis, cum non dixerit vbi à Volſcis expugnata, vt recipi à Romanis potuerit. Præterea hanc vrbem aliquando Volſcorum nonnunquam Æquorum facit.

Cap. LVI. *Et conſulis quoque ab ea poteſtate vim.*] De Quintio loqui videtur, vide annum ab vrbe cond. 324. Et paulo poſt, *Nihil eſſe in his auxilij dicerent*: vide num *dicere* magis quadret.

Cap. LVII. *Ac ſi quis intercedat S.C. auctoritate.*] Obſcure hoc dictum, & haud ſcio quam facile explicatu. Credo vult dicere, ſi quis ex ſuo collegio intercedat, ſe tamen contentum fore ſenatuſconſulti auctoritate, nec aduocaturum tribunorum plebis auxilium.

Eod. *Ad lacum Fucinum vi expugnatum.*] Huius lacus aliquoties meminit Plin. Virgilius lib. 7. *Vitrea te Fucinus vada.* Plin. in Marſis, Liuius in Volſcis ponit. Sed haud ſcio potuerunt ne hi duo populi alicubi eſſe confines.

Eod. *Cn. Fabius Vibulanus*] Legendum puto, *Q. Fabius* pro *Cn. Fabius*. Nam Q. Fabius etiam fuit tribunus mil. ann. ab Vrbe cond. 341. Cn. autem Fabius nuſquam; at cos. fuit anno 334.

Cap. LVIII. *Quod Lars Tolumnius dediſſet.*] Ita quidam hunc locum legunt, vt per *quod*, mortem intelligant. *Pœnas* autẽ adiectum putant verbum. Sed alij legunt, *quas Larti Tolumnio dediſſent*: & vtrumque intelligitur. ad legatos enim, à Fidenatibus iuſſu Tolumnij cæſos refertur hoc dictum, de quib. anno ab Vrbe condita 317. Atque hoc loco, cur Seruilio Halæ continuatus fuerit honos, ratio aſſignatur, cum de Cn. Coſſo non fuerit data priore anno.

Eod. *Proferatur tempus ferundæ legis, quod ſi ſubiecta.*] Pro *quod*, alij *quam* legũt. Si clarum eſſet qua de lege loqueretur, Agrariane an de conſule ex plebe creando, clarior vtique eſſet ſenſus, ſubiectam autem inuidiæ eſſe quis dubitat? Ego locum ſuſpectum puto.

Cap. LIX. *Fabius quod maxime petebatur ad Anxur opp.*] Nec hoc ſatis clarum eſt. *Fabius petebat, Anxur petebatur.* Sed quare maxime petebatur? an quia locupletius oppidum, & plus ibi prædæ ſperandum?

Cap. LX. *Saltem acquieſcere eo tempore.*] Et hic videtur aliquid næui, ſed alij diſtinguunt ante *rem familiarem*, vt acquieſcere compoſitum; nihilo plus ſignificet, quam ſimplex quieſcere.

Eod. *L. Curius Medullinus tertium.*] Anno ab Vrbe cond. 357. rurſus tertium fit hic Lucius tribunus mil. conſ. poteſtate, quare neceſſe eſt vt alterutrum in loco *Sex. Furius* legatur: neq; enim idem bis poteſt tertium fuiſſe tribunus: Eadem de cauſa anno 335. *Sextiam Furium Medullinum quartum* legam. Omnino in his prænominibus tantus eſt error, & tam nulla propemodum via ad veritatem, vt de eis deſperarim. Furiũ enim Medullinum ab anno 323. ad annum 364. decies ter habebis in magiſtratibus. In Chronologia noſtra hæc magna cura digeſſimus, ideoque hîc obiter ea annotamus. Lector ipſe diſpiciat.

Cap. LXI. *Cn. Cornelium Coſſum, C. Fabium Ambaſt. Sp. Nau.*] Et horum tribunorum nomina mire variant codices. Cornelij ſæpius ante fuit, ſæpius & Fabij Ambuſti. Itaque *Cn. Cornelium Coſſum* IIII. legam, & C. *Fabium Ambaſtam iterum*. Porro Sp. Nautius Rutilus anno 339. tertium fuit tribunus mil. con. pot. quare, ſi modo non eſt alius, hîc *quartum* adijciẽdum. niſi quis dicat codices errare, vt certè ſæpiuſcule. Sequenti etiam libro anno 354. pro *Cn. Cornelio*, quidam *Cn. Cornelium* repoſuerunt, cùm eo tamen in loco iterum dicatur qui tum quintum fuerat.

Eod. *Sunt qui Artenam Veientium non Volſcorum.*] Vellem Liuium & in alijs tam ſolicitum fuiſſe oppidorum nominibus, nec barbarorum tantùm, ſed ipſius Italiæ: quod nimis ſæpe fortaſſe querimur, at non abſque cauſa, vt ſuis locis oſtendimus.

IN T. LIVII LIB. V. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. I. *Alia in vrbem & contra oppidanorum eruptiones verſa, alijs frons.*] Vide genus hoc dicẽdi, vt mutatum *alia*, mox *alijs*. Neque enim, *alijs*, cum auxilijs coniungendum.

Cap. II. *Quam ne quid per infrequentiam iuuenum*] *Infrequentiam* plerique habent codices, quod etiam excuſari poteſt, præſertim ſi, *per*, pro *propter* accipiatur. ego tamen *frequentiam* magis probo, quod quidam emendarunt.

Eod. *Et ne in turba quidem hærere plebeium quemquam,*] *Hærere* quid ſibi hoc loco velit, ipſe propemodum hæreo. *Turbam* autem vocat octo tribunos mil. conſ. poteſtate, quod numquam antea creati fuerant.

Cap. III. *Quam diſſoluendæ maxime tribunitiæ poteſtati ſerẽtur.*] Quidam *cauſam* intelligunt. vt ſit ſenſus, quam concordiam rentur eſſe cauſam diſſoluendæ poteſtatis tribunitię. Quidam pro genitiuo, *poteſtatis*, datiuum, *poteſtati*, reſtituerunt, quod placet: nam verbum, *ſum*, ſæpe hunc habet caſum.

Cap. V. *Nec ipſi per intermiſſiones has interuallaque lentiorem.*] Legendum puto, *& ipſi*, pro *nec ipſi*: niſi quis pro *lentiorem* malit legere *celeriorem*.

Cap. VIII. *Q. Seruilium, P. Virginium.*] *Q. Seruilium Fidenatem* legendum puto, vt poſtea aliquoties legitur. Fuit autem filius Q. Seruilij dictatoris, cui alij Structo, alij Priſco cognomen fuiſſe tradiderunt, vt præcedẽti patet libro. Item, *Q. Sulpitium Camerinũ*, vt an. 357. legitur, ita hîc quoq; exiſtimo legẽdum. Hunc quoq; *Manlium*, alij *Manilium* vocãt, & *Sergium Fidenatem* tertio hunc anno ipſe Liuius vocauit: niſi quis hoc loco ab auctore conſulto omiſſa cognomina putet, quod ego non exiſtimo, præſertim vbi magiſtratus creantur.

Cap. IX. *Næ ego libẽter experirer quã non plus in his iuris.*] *Næ* cũ diphthõgo poſteriores ſcripſerunt. Ceterũ ſẽſum ipſum non plane (niſi *iuris* pro *æquitatis* exponamus) percipio. Comparatio eſt Sergij Virginijq; ad tribunos plebis. Sed iudicet lector.

Cap. X. *Cn. Cornelio Coſſo iterum, Cn. Fabio Ambuſto.*] Ad finem prioris libri teſtati ſumus, in huius Cornelij, atque adeò etiã Ambuſti prænominibus miram eſſe variationem, vt vix quid ſequamur, certo definire queamus.

Cap. XI. *Vnum bellum annum iam tertium trahi.*] Atq; hic erat annus quintus quando cœpti erant Veij obſideri. Vide anno ab Vrbe condita 350. ipſius Liuij verba. Quare *annum iã quintum* legam: neque enim minuere tẽpus, ſed ampliare volebat.

Eod. *Is quod petiſſent patres quidã primo incep. Rep.*] Hunc locũ variè lectum, & variè diſtinctũ in pleriſque codicib. reperias, ſed mihi nondum liquet quid de eo ſtatuendum. Longum hyperbaton eſt. Ceterũ quæ poſt paucos verſus ſequuntur. *Cum arderẽt inuidia non patres modo, ſed etiam tribuni plebis.* & ipſum obſcure dictum eſt. quamquam ita intelligi poteſt, quomodo dicimus, Socrates laborabat magna inuidia, videlicet cui multi inuidebant. quod ſæpius gloriæ eſt, quam vitij.

Eod. *Vt multo veriſ[illegible] ſit compacto eã rem.*] Quidã *compacto* mutauerant in *conſpecto*, temerè meo quidẽ iudicio: nã *compacto* dictum videtur pro *compoſito*, quo alias ſæpe vtitur Liuius.

Cap. XII. *M. Æmilius & Q. Fabius.*] In horum magiſtratus creatione *C. Fabius Ambuſtus*, non *Q. Fabius* nominatur. ita & in poſterioribus, quare hoc *Q.* ſuſpectum. Sed de *C.* ſiue *Cn. Cornelio* iam ſæpè admonuimus.

Eod. *Vetus tantum ſenator.*] Non meminit Liuius vſpiam vbi primum ſenatores ex plebe accepti fuerint: at meminit Dionyſ. lib. 7. qui anno ab Vrbe condita 263. primum ex plebe factos ſcribit. Cornelio autem fratrem non alio modo intelligimus Licinium, quam quod patrum ac plebis poſt Decemuiros connubia promiſcua ſunt facta.

Cap. XIII. *Grauis peſtilenſq; omnib. ab animalibus æſtas excepit.*] Sub Licinij magiſtratu priore anno gelidam hyemem deſcripſerat Liuius: nunc hoc anno ſequente, quo quatuor plebeij tribuni cum vno patricio fuère, triſtem hyemem ac grauem æſtatem fuiſſe ait, quæ deſcriptio hyemis ac æſtatis duorum annorum bene perpendenda eſt, propter ſequentia.

Cap. XIV. *L. Furium Medullinum tertium.*] Priore libro non ita longe à fine annotauimus, bis legi hunc Furium tribunum tertium: itaque aut hoc loco *ſextum*, aut ſupra anno 350. pro *Lucio* legendum. At anno ſequente haud dubie legendum *L. Furius Medullinus quartum*, quippe qui poſterioribus annis ter adhuc fit tribunus mil. conſ. poteſtate.

Digitized by Google

Cap.xvi. *P.Cornelius Malnginenſis, An. Manlius.*] Legendũ, *P.Cornelius Malnginenſis iterum.* Nam fuit etiam anno 351. Itẽ *A. Mãlius* iii. quippe qui fuit antea bis, ann. 350. & 355. Quidam etiam *Manlium* vocatum putant, atq; ita codices variat.

Cap.xvii. *Maximè in ea parte Hetruria.*] Vide quid referat *in ea parte*: vniuerſamne Hetruriam, an eam vnde petebatur auxiliũ, & quę Gallis vicinior, Romanis remotior erat: de Gallis autem Liuius perinde atq; de Indis loqui facit Hetruſcos.

Cap.xviii *Omneſque deinceps ex collegio eiuſdem anni.*] Hic P. Licinus Caluus tribunus mil. fuit anno 355. at reliqui quatuor ann. 356. Caluus quidem ex plebe cum quinque patriciis at hi quatuor plebeij cũ vno patricio M. Veturio. Illud igitur *eiuſdem anni*, quomodo intelligendum ſit, hæreo. Nam quod quidam dicunt, *eiuſdem* non ad Caluum, ſed ad ipſos quatuor tribunos referendum, mihi non ſatisfacit: paulo enim poſt Licinius ipſe collegas vocat haud dubiè ſuos: quare hoc effugium eſt, non vera ſoluendi via. Ego puto lapſum memoria auctorem, nec id adeo religioſum illi: niſi quis codicem corruptum exiſtimet, quod nec ipſum impoſſibile eſt.

Cap.xxi. *Vt eum inuidiam lenire ſuo priuato incommodo.*] Hic locus in Aldino codice (meo quidem iudicio) corruptæ legitur, ad hunc modum: *vt eam inuidiam lenire quàm minimo ſuo priuato incommodo, publicoque Rom. populi liceret.* quaſi Camillus pro ſe deprecatus fuerit, quod alienum à veritata eſſe puto, cum contrarium apud Valerium Max. lib 1. de omnibus pateat. Quare veterem lectionem magis probo. quæ ita habebat: *Vt eam inuidiam lenire ſuo priuato incommodo, quàm minimo publico populi Romani, liceret.* quaſi Camillus de publico bono magis ſolicitus, quàm de priuato, optarit Reipublicæ commodum præ ſuo commodo. Itaque incommodum ſuum non deprecabatur, & publicum quam minimum incommodum, ſi totum abigi non poterat, precatur.

Cap.xxiv. *Cæſonem Fabium Ambuſtum iterum.*] Fabij Ambuſti quater ante hunc locum in magiſtratibus mentio eſt. Anno enim 343. cos. *Q. Fabius* dicitur: anno 349. Item, 351. & 354. *C. Fabius*: quamquam quidam libri *Claudius* habebant, luculento codicum errore. Hic denique *Cæſo* dicitur pleriſque in codicibus, in quibuſdam etiam *C. Fabius. M.* quoque *Fabij* in ſequentibus mentio eſt, qui pater dicitur legatorum Fabiorum ad Cluſium, ac contra Gallos pugnantium. Atqui ſi hic iterum ſit tribunus mil. qui ex prioribus emendandus ad hunc ſit locus, non planè conſtat.

Cap. xxv. *Nihil de collatione dicere ſtipis ver. quàm de.*] Meritum Apollinis fatetur Camillus in vrbem Romanam, ergo *ſtipis verius*, inquit, *quàm decima.* Cæterùm quæ ſequitur verba, difficultatem habēt. Populum enim liberatum vult, quod quiſque priuatum ſe obligauerit. At quod paolò antè dixerit, fuere ciuitatem: ob id dixit, quòd non modò rerum mouentium, ſed vrbis agrique capti decimam quoque deberi, nec tamen de illo vllam fieri mentionem, quę mihi in hoc notantur, vt lector veteres codices diligentius introſpiciat.

Eod. *Latores legis in annum eoſdem reficiunt.*] Hic *erogationem* vocat legē: tertio ſtatim verſu, rurſus *rogationē*. Hoc idē facit an. 362. cùm iuriſperiti ea diſtinguãt, vt eſt apud Feſtũ: quidã tamē tertio pòſt verſu *largitioni* legunt, quod mihi nō placet.

Cap. xxvi. *L. Valerius, Pub. Sp. Poſth. P. Cornelius iterũ.*] Prænomen Valerij hic *L.* eſt, ſed initio libri ſequentis anno 366. in pleriſq; codicib. *An.* legitur, & anno 368. rurſus *L.* non *A.* habetur, vbi tertium ſit tribunus mil. Paulò autem poſt hunc locum L. Valerius legatus Delphos mittitur, haud dubiè alius à tribuno. De P. Cornelio maior eſt dubitatio, Coſſumne an Scipionem velit. Scipio prioris anni fuit tribunus mil. cui ſi continuatus honos eſſet, Liuius fortè inueniſſet, quamquam id aliquando omittit. ſin Goſſus fuit, iam hic non *iterum*, ſed *quartum* eſſet, ideoque de neutro quicquam definio.

Cap.xxxi. *Creati coss. L. Valerius Potitus, M. Manl.*] Dionyſius lib. 1. vbi chronographica tractat, hunc annum à primis coss. ait eſſe centeſimum vndeuiceſimum: quibus ſi addideris annos quibus Roma ſub regibus fuit, reperies annum ab Vrbe condita treçenteſimum ſexageſimumtertium. Rectè igitur biennio poſt Camillus ſupputat trecenteſimum ſexageſimum quintum, contra atque ſenes paulò pòſt ſupputant, imo quàm Plutarchus in Camillo, atque adeo quam Plinius lib. 33. cap. 1. ſi codices non fallunt.

Eod. *Ob quæ Volſinienſes Salpinatibus adiunctis.*] Volſinieſiũ meminit Plinius in deſcriptione Hetruriæ Volſinij oppidi Ptol. Salpinates qui ſint, mihi nondum compertum. Cum C. vero Iulio cenſore collega fuit L. Papyrius, vt lib. 9. P. Sempronius tribun. pleb. recitat aduerſus App. Claudiũ cēſorem.

Cap. xxxiii. *Aruntem Cluſinũ ira corrupta vxoris.*] Sermo eſt relationib. ſatis impeditus. Lucumonem intelligimus vxoris tutorem fuiſſe, aut Aruntis, nō autem Aruntem Lucumonis. Hũc autē reperit Liuius, quod videbatur lōgius hyperbaton.

Eod. *Nec cum his primum Hetruſcorum, ſed multo antè.*] Vide & hoc genus ſermonis. Dubium enim non eſt quin dicere velit, non cum his Hetruſcorum qui hoc tempore Cluſium, aliaque circa Thuſciæ loca poſſidebant, Gallos pugnaſſe, ſed cum iis Hetruſcis, qui inter Appenninum Alpeſque incolebant. Sed haud ſcio an huiuſmodi dubitatiooes propriè noſtri ſint propoſiti.

Cap. xxxiv. *Ab Saluiorũ gente oppugnari.*] Strabo lib. 4. *Salyes* (inquis) *inter Rhodanum Alpeſq; poſſident agrum ad quingenta ſtadia.* Plin. lib. 3. c. 5. *Ligurum* (inquit) *celeberrimi vltra Alpes Salyi.* Ita variegatum nomen eſt & declinatione & literis. Nã & hîc *Salui*, legitur, & *Saluij*. Forſitan hinc & *Salaſſij*, quorũ in Italia meminit Ptolemæus. *Salaſſiorũ* etiamnum nomen in Italia manet vicinum Liguribus. Hæc ideo nobis annotantur, quod videmus aliter atque aliter apud diuerſos ſcribi. Cæterum ſi hoc in loco pergam de Rhetis, item de Celtarum populis dicere, res nullum inueniet finem. Sed hoc non agimus.

Eod. *Maſſilienſes erant hi, nauibus à Phocide profecti.*] *A Phocæa* legendum ex 1. lib. Herodoti, atque adeo ex ipſo Liuio. Nam lib. 4. decad. 4. vbi de Emporiis Hiſpanię vrbe diſſerit, *Iam tunc Emporiæ* (inquit) *duo oppida erant muro diuiſa. Vnum Græci habebant à Phocæa, vnde Maſſilienſes oriundi*, &c. Eodem modò lib. 6. de ſecundo bello Pun. vbi primum P. Scipio copias Emporiis expoſuit. Pro quo notandum Phocæam eſſe Ionię vrbem in Aſia, vnde denominatiuum, Phocæus Græce Φωκαιεὺς apud Herodotum, apud alios etiam Φωκαεὺς, Latinè Phocæenſes tetraſyllabon. In Strabonis Græco codice deprauate reperias Φωκεῦσι pro Φωκαιεῦσι, de Ionibus. Porro de Phocæenſibus his eſt adagium, Φωκαέων ἀρὰ, id eſt, Phocæenſium execratio. Phocis autem regio non ciuitas eſt Græciæ, longe mari à Phocæa, proxime Bœotiam, in qua Delphi oppidum, Apollinis oraculo clarum. Vnde denominatiuum Φωκεὺς vel Φωκικὸς, & adagium Φωκικὸν, ſiue Φωκικὴ ἀπόνοια, id eſt, Phocenſium deſperatio. Hinc Latinis erroris occaſio in Phocæenſis & Phocenſis, ſiue Phocidenſis, vt multos Romanorum vel non attendiſſe, vel ignoraſſe id diſcrimen putem. Nam & Ouidius Phocaicus à Phocæa Ioniæ vrbe dixit, lib. 6. Metamorph. & Phocæus ab Phocide Græciæ regione, lib. 5. vbi de Pyrenæo tyranno, & lib. 11. *Phocæus Anetor*, & Aul. Gell. lib. 10. cap. 16. ex Iulio Hygino ſimiliter *ex terra Phocide* ait, vbi de origine Maſſilienſium, qui non ex Phocide Græciæ regione: ſed à Phocæa Ioniæ vrbe pulſi ab Harpago Cyri præfecto, in hanc conceſſerunt Galliæ regionem.

Eod. *Saltuſque Iuliæ Alpis.*] Iuliæ Alpis eo in tractu haud ſcio num quis alius auctor præter Liuium meminerit. Certe Cornelius Tacitus Iulius vocat Alpes quæ verſus Carnos ſunt. Niſi in Liuiſi ſit anticipatio, quod mihi non placet. Ideoque facile aſſentior D. Beato Rhenano hunc locum recte reſtituētis, vt legatur, *ipſi Taurino ſaltu inuias Alpes trãſcenderũt.*

Cap. xxxv. *Cenomanorum Elitouio duce.*] Atq; inde exiſtimo quoſdã erroris ſumpſiſſe anſam, vt hoc loco pro *Cenomanorũ* ſubſtituerint *Germanorũ*, non attendentes hîc antea de Belloueſo vtiq; Gallo dictũ, Taurino ſaltu per inuias Alpes duxiſſe ſuos, ſubſecutos autē eodem ſaltu Cenomanos, quod de Germanis, qui in Tricaſtinos non venerant, intelligi non poteſt. Pręterea hîc Gallorum in Italiã trãſitus deſcribitur, nō aliorum populorum. Primum autem Liuius cōmemorat ſeptem Celtarum populos cũ Belloueſo veniſſe in Italiam: poſt hos Cenomanos, tertio Saluios, quarto Boios Lingoneſque, vltimò Senones qui Romani deleuere. Fortaſſis & inde decepti, quod ſenſum auctoris non recte perceperũt. Non enim Liuius vult dicere, Cenomanos ibi tranſcendiſſe Alpes vbi Brixia ac Verona ſunt, ſed poſtquam per Belloueſi veſtigia in Italiam venerint, eō ſediſſe ad ea loca (videlicet ſuperiorib. occupatis per priores) vbi nunc Brixia ac Verona, quæ quidem ante Li-

Digitized by Google

buorum erant. Et Plinius lib.3.cap. 19. Brixiam Cenomanorum vrbem fatetur, quemadmodum & Ptolemæus, & Liuius quoque lib.2. de bello Macedonico. Iidem qui priorem emẽdarunt temere, meo quidem iudicio, locum hunc quoq; corruperunt, pro *Libui* reponentes *Ibi*. Nec obſtat quod & Plinius & Ptolemæus Libuis Vercellas attribuant: veriſimile eſt enim ante Gallorum aduentum latiores fines habuiſſe eos. In codicibus Ptolemæi magis pudendo errore *Lybici* legitur. Legendum preterea puto *Litauico duce*, quod nomen eſt libro ſeptimo comment. apud Cæſarem, atque etiamnum hodie manet in Gallia.

Eod. *Poſt hos Sallu[illegible] qui prope antiquam gentem.*] Et hũc quoque locum idem Beatus egregie reſtituit: quãquã id obſcurũ eſt, num *Salluuij* cum *Salaſis*, *Salbuſijque* idem ſint populus. *Leuos* item Ligures non memini fere apud auctores legere.

Eod. *Deinde Boij, Lingonesque tranſgreſſi.*] Quidam codices habebant *Ligures*, ſed errant. Boij autem Galliæ haud obſcure priſcus populus, quippe qui cum Lingonibus in Italiam hic tot ante ſæcula veniſſe tradantur, vbi in immenſam potẽtiam creuerunt, ita vt cum Romanis exercitib. ſæpe conflixerint, idque multis annis: vt ex tertia quartaque decad apud Liuium latè patet. Poſtremo autem à Romanis eiecti ſupra Tauriſcos, ad Danubium habitarunt. Rurſus tempore Marij vna cũ Cimbris ac Heluetiis, vt Strabo ſcribit lib.7. aduerſus Romanos pugnauere, atque etiam tum victi, ad tempora vſque C. Cæſaris vicini Heluetiis in parte aliqua Hercyniæ ſiluæ, vt quidam credunt, manſerunt, cum quib. poſtea contra Cæſarẽ tulerunt arma: vbi rurſus victi, deprecantibus Cæſarem Heduis, quod egregia virtute erant cogniti: vt ipſe ait, in antiquã remearunt patriam, relicta, vt veriſimile eſt, ad Danubium prole aliqua, vnde quidam Boemos ac Bauaros dictos volunt. Hæc plurib. verbis quam oportuit egimus, ne temere libri emendarentur, ſiquando non congruentia de Boiis apud auctores inueniantur, propter tot eius populi mutationes.

Eod. *Ab. Vſente flumine.*] De alio loquatur flumine oportet quam quod Plinius lib.3.c.5. ad Anxor deſcribit: hic enim de Venetorum regione loqui videtur. Meminit Boccarius, ſed ex hoc Liuij loco adiutus, nullum alioqui ex auctoribus adducens teſtimonium.

Cap. xxxviii. *Nec vlla cæde pugnatam fuit.*] Alij hoc mutarunt, atque ita legunt: *Nec vlla cædes pugnantium fuit.* id quod ego non intelligo. Fortaſſis autem propter ſequentia cõtinuo verba, ita legere placuit. at etiam illa obſcurum habent ſenſum, adeoque lectori conſideranda ſunt.

Cap. xxxix. *Omne inde tempus ſuſpenſos ita tenuit animos.*] Sed ne hic locus totus ſatis patet. Trium temporũ eſt hic ordo, & vis in illo, *identidem*. Primo quidem aduentu impetum Gallorum Romani Romę exſpectabant, alioqui apud Alliam manſuros fuiſſe Gallos exiſtimabant. Deinde ſub occaſum ſolis, cum ne tum quidem inuaderent vrbem Galli, quod tamen exſpectauerant Romani, in noctem dilatum conſilium idem exiſtimabant Romani, quò plus pauoris illi inferrent. Denique lux appropinquans exanimabat, timorique quem perpetuo habuerant, malum hoc, quod videlicet vrbem inuaſerant hoſtes, continuum fuit, cum primum ſigna infeſta portis illata ſunt. Verum inſtituti noſtri non eſt his diutius immorari.

Cap. xl. *Vrbis per trecenos ſexaginta annos.*] Non admodum rotunda eſt hæc annorum ſupputatio, ſed ea potius quæ poſtea in Camilli oratione ad finem huius libri exhibetur: erat enim hic annus ab Vrbe cond. 365. Scio apud Plinium lib. 33. c.1. legi 364. & apud Plutarchũ 360. at codicibus nõ confido.

Eod. *In eo cliuo eaſcam L. Albinus de pl. R.*] Valerius Maximus lib.1. *L. Alaanium* vocat, ſed errore, vt puto codicum.

Cap. xlvi. *Cædicius negare ſe commiſſurum.*] Video, inquit Cædicius, finis mei adeſt imperij. Atqui ego haud committam vt mihi aut deorum aut hominum quiſquam imperium finiat potius, quàm ipſe memor ordinis mei depoſcam imperatorem. De quo autem propriè ordine loquatur, conſiderandum. Item quod poſt aliquot deinde ſequitur verſus, *Militeſque haberent imperatorem, quem vellent*: de Camillo intelligendum: quem volebant milites, non alium. Et rurſus paulo poſt, *Lex Curiata lata eſt*, quidam male mutarunt in, *lecta eſt*.

Cap. lii. *Hæc culti neglectique numinis tanta monimẽta.*] *Monimentum* à monendo proprie hîc quadrat: quamquam quibuſdam *momenta* etiam non diſplicet, ſed non mutauerim.

Eod. *Aio Locutio templum propter cœleſtem vocem.*] Et hoc loco, & paulò ante initium huius orationis quidam pro, *Aio Locutio*, emendarant, *Allocutio*, quam ſyncopam ego neutiquam probo. Meminit huius Dei Aul. Gel. lib.16. cap. 17.

Cap. liii. *An malitis ſolitudinem veſtrã quã vrbẽ.*] Quidã pro, *an*, legũt *nõ*. Sed ego haud ſatis intelligo quid ſibi per ſolitudinẽ velit: & quę ſequuntur, non admodũ clara ſunt. Vtitur lib. ſequẽti rurſus hac voce, de Volſcis loquens: *Quæ nũc vix ſeminario exiguo militũ relicto, ſeruitia Romana ab ſolitudine vindicãt.*

F I N I S.

IN T. LIVII LIB. VI. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

Ap. 1. *Interregnũ tum iniit P. Cornelius Scipio iterum.*] Cornelios atque Camillus ambo interreges fuere anno 364. ab Vrbe cond. ideoq; non legam *Scipio interrex*, pro *Scipio iterum*, vt quidam temere, meo quidem iudicio hunc locum emendarunt. Iidem etiã, *tum*, ſuſtulerunt ante verbum, *iniit*.

Eod. *A. Valerium Publicolam iterum.*] Hic Valerius ſuperiore libro, vt diximus, anno 361. ab Vrbe cond. & hoc libro anno 368. *Lucius* non *Aulus* vocatur. Lector diſpiciat vter erret locus. Et *A. Manlius* legendum, non *Manlius*, vt patet ex anno 372. vbi tertium fit trib. mil. conſ. poteſtate.

Eod. *Alia ex aliis edita etiam in vulgus. Quæ autem.*] Obſcurus eſt hic ſenſus: nam illud, *alia*, quid referat neſcio: neque enim magis fœdera quam leges referre videtur. Quidam pro *ex aliis*, emendarunt *ex eis*, nihilominus in obſcuro manente ſenſu. Porro quæ de ſacris ſuppreſſis ſubiunguntur, & ipſa explicari conueniebat, quænam fuerint ſacra, & quomodo ſuppreſſa magis obſtringebant religione animos: niſi Bacchica erant, & niſi per dolum oppreſſa à pontificibus intelligamus.

Eod. *Quidam, quod poſtridie Idus Quintiles, &c.*] Vide in hoc contextu, *traditum putant*, dictumne ſit pro tradunt: nam alioqui planè ſyntaxim nõ capio. Item illud, *neque*, exponendum pro, *& non*: vt negatio in verbum, *inuenta*, incumbat: non in, *obiectas eſſet*, cum illud etiam notandum, quo pacto dicat, *poſt diem tertium*, quod factum eſt *die tertio*. poſtridie enim Idus Quintiles non litauit Sulpicius, hoc eſt, pacem Deũm non impetrauit, expoſitore Nonio Marcello: & ad xv. Calendas Sextiles exercitum Romanum hoſti obiecit, quaſi ita dicas: Sulpitius decimaſexta Iulij die non placatos inuenit deos, & decimaoctaua eiuſdem menſis die conflixit. Vt non magnopere mirandum, quod apud Marcum Euangeliſtam cap. 8. legitur, ϰαὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι, *& poſt tres dies reſurgere*, vbi magnopere laborant magni nominis Theologi.

Cap. ii. *Qui poſt pugnam ad lacum Regillum factam.*] A pugna Regillenſi ad hunc annum, in Liuio ſunt plures quam centum ac decem anni: at à pace Hernicis data prorſus centum. Ad Hernicos itaque hoc loco anni referendi.

Eod. *Ad deditionem Volſcos ſeptuageſimo demum anno.*] Primum bellum Volſcis à Romanis motum fuit ſub Tarquinio Superbo in ducentos amplius poſt ſuam ætatem annos, ait ipſe Liuius lib 1. Poſtea verò liberata Vrbe anno decimoquinto, ab Vrbe autem cond. 259. rurſus illis bellum motum, vbi centum ac plures ſunt anni in vtroque numero, quapropter in illo *ſeptuageſimo anno* errorem puto. At id iam & in aliis locis ſæpè oſtendimus, quare hîc minus mirum.

Cap. iv. *Q. Seruilius Fidenas, Q. Iulius Tullus.*] Legendum *Q. Seruilius Fidenas quintùm, Q. Iulius Tullus.* Errorem fecerunt, *quintum* ac *Quintus*, vt identidem in codicibus alterum omiſſum fuerit. Legendum etiam *L. Lucretius Tricipitinus iterum, & Ser. Sulpitius Rufus iterum*, fuere enim tribuni vterque anno 364.

Cap. v. *L. Papyrii Cn. Sergii.*] Hoc loco *Cn. Sergius* legitur, poſtea verò anno 375. *Caius*, vbi *tertium* dicitur tribunus mil. con. pot. Nec tamen vbi *iterū* fuerit, vſpiam inuenio: vt planè ſuſpicer ann. 370. omiſſum eius nomen. Nam poſt Camillum V. tribunum mil. perpetuò ſex fuere trib. mil. cōſ. poteſtate.

Eod. *Tribus quatuor ex nouis ciuibus additæ Stell.*] Annius Viterbienſis homo Hetruſcus, legendum putat *Torméina*, pro *Pomentina*, & *Arnienſis*, pro *Narnienſis*, qua de re quidam poſterius nomen mutarunt: at in priore neminem vidi motum vt variaret, neque enim firmus pugnat rationibus. Cæterùm hic numerus mihi ſuſpectus de xxxv. tribubus, denario. quippe tempore Coriolani xxi. erant tribus, auctore Dionyſio Halic. hoc autem loco quatuor additæ efficiunt numerū xxv. Neque vllas hactenus tribus additas memini. Cùm autem tempore Liuij tribuum numerus erat xxxv. vt ex lib. 1. patet in Ser. Tullio, quatuor autem vltimis huius decados libris binæ additæ inueniantur, præter quatuor vrbanas, à Q. Fabio Maximo (qui id cognominis ea de cauſa habere meruit) lib. 9. adiectas, quomodo hîc legemus xxxv? Errorem errori accumulauit, vt puto, locus ille libro ſecundo, anno ab Vrbe cond. 259. vbi xxxi. tribus pro xxi. leguntur factæ: quod ibidem annotauimus: quamquam tribus nomen latè patet, vt vel apud Dionyſium liquet in Ser. Tullio.

Cap. vi. *Ser. Cornelius Maluginenſis.*] Quidam libri *Seruilius* Quidam *Sergius Cornelius* habebant: ſed ea nomina ſunt, non prænomina, ideoque *Seruius* legendum.

Eod. *Qui dictatorem ſe iam quartum creaſſet.*] Non hoc loco quartum fit dictator Camillus, ſed poſtea anno 386. quintum autem ad finem huius libri. At tantum ſenatus de ſe iudicium, collegarumque tam benignum animum, perinde habuit atque ſi dictator creatus fuiſſet: ipſe enim non ita multo pòſt dicturus eſt ad cunctabundos milites, *An me, quod non dictator vobis, ſed tribunus ſignum dedi, non agnoſcitis ducem?*

Cap. ix. *Sed quia niſi magno apparatu tormentis ma.*] Mirum hoc videri poteſt, cum ad finem libri ſecundi iam facilè capta fuerit. Sed dicet quis, interea temporis coloniam factam, ac ideo firmiorem fuiſſe. id verò eſt effugere obiectionem, non ſoluere nodum. Nam eadem opera dici poterat, & Romanis ab eo tempore multum ditionis ac imperij acceſſiſſe. Sed hoc non agimus.

Eod. *Ab Nepete ac Sutrio auxilium.*] Ita Liuius id nominis vſurpat, perinde atque tertiæ ſit declinationis, ac neutri generis. Nam paulo pòſt dicturus eſt, *Nepete exercitus ductus*, & ann. 372. *Et triumuiros Nepete coloniæ deducendæ crearunt.* At tertiæ declinationis neutra in *e*, ablatiuum habent in *i*: Niſi dicamus neglexiſſe hoc Liuium. Græcè eſt Νέπετε. In Strabonis codice Νέπιτα lib. 5. & in Plinio nepeta, ita vt nihil inde certum colligas.

Eod. *Legiones vrbanæ quibus Quintius præfuerat.*] Superius in exercituum diuiſione L. Quintius Cincinnatus cauſariis ſenioribuſque præficitur, quos hic cum Camillo miſſos non eſt veriſimile, ſed alterum exercitum paratum inſtructumque in vrbe ad omnem euentum, cui Camillus Q. Seruilium collegam præeſſe voluit. Ergo hoc loco *Q. Seruilius* legendum, pro quo *Quintius* poſitū eſt, & potuit videri à librariis corruptum, ſi non continuo altero verſu ſequeretur. *Quintius Horatiuſque ſucceſſores Valerios in Volſcos miſſi.* Quare Liuium memoria lapſum hoc loco putamus: niſi quis & hæc corrupta putet.

Cap. xi. *In ſequenti anno A. Manlio, P. Cornelio.*] Manlius ab initio huius libri trib. mil. fuit, ergo hic addendum, *iterum*. P. Cornelius autem ab an. 360. quater fuit in Magiſtratibus, ſed ter, nullo adiecto cognomine. Credo Liuium offenſum tot nominum inani propemodum nomenclatura. Ita & Cn. Sergij Fidenatis nomen 11. hîc omiſſum, vt paulò ante diximus.

Eod. *Idem moliri cepit acriores, quippe æris al. ſti.*] Colon ponendum puto poſt verbum *ſtimulos*. Quæ verò deinde ſequuntur, verba ſunt Manlij ſeditioſè conquerentis de patribus. mouentiſque ſenatui inuidiam.

Cap. xii. *Quæ nunc vix ſeminario exiguo, &c.*] Seminariū pro ſemine poſuiſſe videtur. Cęterum quidam *vendicant* legunt, quod eſt appropriāt, ac ſuum eſſe dicunt. Quidā *vindicat*, pro vlciſcuntur, ac à contumelia defendunt, quaſi dicat Liuius, *ab ſolitudine vindicāt*, id eſt, à latronib. defendūt. Ergo, vt ingenuè fateor, ſenſum non intelligo, præcipuè verò illud, *ſolitudine.*

Eod. *Et Certienſium quidam, & coloni etiam à Velitris.*] Quidam hunc locum emendarūt in *Circeienſes*. Nam Velitras Circeioſque ipſe Liuius coniungit ann. 372. etiam ſi hoc loco & paulò poſt ſeparare videatur. excuſationem tamen hi loci habere facile poterunt. *Certenſes* certe qui ſint, non puto vſpiam reperiri: quare lib. 8. quoque non ita longe ab initio *L. Numitium Circeienſem* legendum, non *Cercienſem*.

Cap. xiv. *Multiplici iam ſorte exoluta mergentibus ſe per ſortem vſ.*] Quidam pro *ſeper*, legunt *ſemper*, vt intelligamus, vſuras ita multiplicatas, ac ab ipſo ſolutas, ſortem iam aliquoties æquaſſe: vt ſit ſenſus, vſuras toties ſuppullulaſcentes merſiſſe ſortem, atque ita ſe fœnore obrutum. Quamquam, vt vſuræ mergant ſortem, dubitabit aliquis.

Eod. *Neminem veſtrum*, inquit, *Quirities donec quicquam.*] Et hunc locum iidem mutarunt, *ne quem*, legentes, pro *neminem*. Sed imperfectior eſt ſermo, & qui deſideret aliquid, quaſi dicat, ideo fundū meum præconi ſubieci, ne quem. Manlij ſunt verba, vt illa ſuperius poſita: *Eſſe qui non egeſtatem modò atque ignominiam minētur, ſed neruo ac vinculis corpus liberum territēt.*

Cap. xv. *Ne abſtuleritis obſeruantibus etiam oculis.*] *Si obſeruantibus oculis* legamus, vt habent plerique libri, ſimplicior erit enunciatio. Sin *oculos*, vt quidam, ſpecioſa erit hyperbole.

Cap. xviii *M. Furius Camillus quintum.*] Legendum *M. Furius Camillus* vi. *& Ser. Sulpitius Rufus tertium*: vt facile patet ab initio libri quinti (nam illic primum Camillus creatur trib. mil. conſ. pot.) omnia magiſtratuum nomina recenſent. Idem ceteris, de Camillo quidem, accidit anno 374. in pleriſque codicibus, vbi vii. fit trib. mil. De Sulpitio anno ſequenti 372. vbi fit *quartum*, etiamſi codices reclament. Cæterū quod hic duo verba, *iterum*, ac *ſecundum*, indifferenter leguntur, videtur ex numeri notis ii. accidiſſe. Hæc vt puſilla ridebit fortaſſis quiſpiam, vt haud quaquam notatu digna. At non piguit Aul. Gel. lib. 10. eadem de re longum texere caput, vt non dicam anxie. quod nos leui brachio.

Cap. xix. *Ne fortuna mea deſit, videte.*] Satis obſcurus ſermo neſcitur enim, mihine, an vobis intelligendum, animus ipſius plane iam ruinam præſagiebat. Sed multa huiuſmodi diſſimulamus.

Eod. *Fortè etiam in arce poſitam.*] Quid illud, *forte*, ſibi velit, non plane video quando non fuit dubium M. Manlij domum fuiſſe vel in Capitolio, vel in arce: ſed videtur de his duobus dubitaſſe Liuius. niſi quis, *forte*, exponat pro caſu, aut Liuium Monetę ædem ignoraſſe, quod neutiquam credo, putet. Cæterum vt Capitolium ab arce diſcretum, ex Liuio non facile conſtat. ſed ex Dionyſio, vbi de App. Herdonio.

Eod. *Nam & quia eundem & ſuæ poteſtatis, quem lib.*] Quidā ante *nam*, & poſt verbum, *crediderant*, parentheſeos ſigna appoſuerunt: alij ante *quia*, & poſt verbum *cernebant*: alij vtroq; in loco, alij nuſquam. Senſus haud eſt obſcurus, duram tamen habens compoſitionem, vtcumque diſtinguas. Paulò poſt itē legendum, *Q. Publius*, non *Q. Publilius*, nemo enim duo habuit prænomina.

Cap. xx. *Ab accuſatoribus obiecta ſunt reo.*] Quid ſi, *ſint*, leges? vt ſit ordo: Quæ pertinentia propriè ad regni crimen ab accuſatoribus obiecta ſint reo, apud neminem auctorē inuenio.

Eod. *Cicatricibus bello triginta tribus acceptis.*] Ita plerique habent codices. Alij numerum ſuſtulerūt, tanquam ex Plinio ſubdititium, quod ego non credo, quamquam neutrum, cui vel negem, vel affirmem, ſat habeo. Cæterum nec cū Plinio nec cum Cicerone in Manlij donis Liuius probe conuenit: ſed non in hoc ſolum, de Dentato ac aliis idem accidit.

Cap. xxi. *A. Manlio tertium.*] Hic locus ſatis conuincit an. 369. initio huius libri *A. Manilium* legendum eſſe, non *Manlium*, quod ibidem etiam adnotauimus. Fuit autem M. Manlij frater, vt Titus, quemadmodū paulo ante habetur. Legendum etiam hoc loco, *Ser. Sulpitio Rufo* iiii. quippe qui ter antea fuit, & *L. Lucretio Tricipitino tertium*, qui antea bis fuit.

Eod. *Sp. & L. Papyrius duo noui tribuni.*] Ita habent vetuſtiores aliquot codices, quidam mutarunt ita: *Sp. & L. Papyrij noui tribuni mil.* At ego cognomen appoſitum ſuſpicor vel *Craſſi* vel *Curſores*, pro illo, *ii duo*: & anno 375. Papyrium ex his duobus alterum fuiſſe.

Cap. xxii. *Ser. Cornelio Maluginenſi* iii.] Quidam pro *tertium*, legunt *quartum*. Sed iidem tertio hinc antea anno legunt

Google

iterum.hic igitur,*tertium* legendum, quippe qui proximo anno non fuit in magiſtratu. Niſi quis anno 358. pro *Publius, Seruius* legendum exiſtimet,quod ego non puto.

Cap.xxiv. *Et ſupina valle Romanam inclinauit aciem*] Haud dubie hæc retulit ad verba præcedentia paulo ſuperius: *Locus à tergo cliuus erat inter aciem et caſtra*, at nihilominus locus obſcurus eſt, mihique ſuſpectus.

Eod. *Optimum viſum eſt influctuantem aciem tradi eq.*] Hæc obſcure dicta ſunt, nam de qua acie intelligendum ſit ignoratur. Verum cum ipſi pedites in certamen ibant, non equites, fortaſſis equos fortunæ commiſiſſe commode quis exponat. Illud etiam paulo poſt: *Senſit ergo enen.*.. *virtu*.. *is enixe opem*. dubitationem habet, ſed tolerabilem. Itaque quidam libri *enixæ* legunt, vltima cum diphthongo.

Cap.xxv. *Pace conſtanti viam Romanorum arcuerunt*] Valerius Max.lib.7.cap.3. manifeſte fatetur conſilij acumen fuiſſe in Tuſculanis. Sed mirum Romanos tam facilè ignouiſſe, imò ciuitatem eis dediſſe. An vicinitas terruit? Ceterum ſcire velim vt cum captiuis actum neque enim hoc recitat Liuius: & ſuſpectam rem faciunt nec minus dictatoris Tuſculani verba. Sed hæc longius proſequi, non eſt huius inſtituti.

Eod. *At repletas ſemitas inter vulgi*] Neque id genus locutionū plane aſſequor, tametſi ſenſus non eſt vſque adeo difficilis. Forte autem anaſtrophe eſt, *vulgus inter repletas ſemitas*.

Cap. xxvi. *Precibus euentum veſtris Senatus quem videbitur da*] Et id genus oratio notanda, num *quem videbitur* dixerit, pro *qui videbitur*, malens cum caſu antecedente conformare relatiuum, quam cùm ſuo verbo: quod apud Grecos eſt frequens, & Latini non omnino fugerunt.

Eod. *Peccetur in vos, dum digni ſitis quibus ita ſatis fiat*] Et hic ſenſus admodum obſcurus eſt, præcipue vero vltimorum verborum. Videtur autem Senatui Romano blandiri de iuſtitia, & ſermo eſt adulationi proximus.

Cap.xxvii. *C.Sergio* iii.] Huius *Sergii* nomen in magiſtratibus antea ſemel dumtaxat, videlicet anno 368. inuenitur, & prænomine tamen *Cn.* non *Caio*. Sed ſuſpicor anno 370. vbi *iterum* fuit, omiſſum nomen, atque hoc loco *tertium* factum, quod conſtanter omnes Liuij habent codices. Legendū item *Ser. Cornelio Maluginenſi quartum*, quippe qui ann. 373. fuit tertium. Sed de hoc etiam paulo ante.

Cap.xxx. *Eodem anno etiam ipſis querentibus penuriam ho.*] Omiſſum eſt hoc loco coloniæ nomen. Nam de Preneſtinis intelligi non poteſt, qui iam rebellarunt. Quidā de Sattico hoc intelligunt, at hoc ſtatim poſt, fit hoſtium receptaculum. Ego de Veliternis intelligere malim. Nam illi otio geſtientes, in agrum Romanum incurſionē feciſſe paulo poſt deſcribūtur.

Cap.xxii. *A.Æmilium P.Valeriū* iiii] Æmilius fit tribunus mil. quartum anno 373. vt omnes habent Liuij codices: quare ſi idem eſt, adiiciendum *quintum*. Quidam putant hunc *Mamertinum* cognomine, ſed eum, qui initio lib.7. cum L.Sextio fit cos. *Mamercum*. At ratio temporum non obſtat quo minus ſit idem, omnibus his locis. Præterea L. Quintius Cincinnatus etiam anno 369. fuit tribunus mil. Hic igitur, *Iterum*, adiiciendum: ſed Liuius breuitatis gratia omiſit, offenſus opinor tanto nominum aceruo, & plane res nimium moleſta eſt.

Cap.xxxvi. *C.Veturius, M. Aulus & M.Cornelius*] Quidam pro *M. Aulus*, emendarunt *A. Manlius*: ſed is prioris anni fuit tribunus mil. Quare legendum *C.Veturius* ii. *A. & M. Cornelii*. Nam C. Veturius primum fuit ann.378. hic autem II. Cornelij vero poſtea iterum ſiunt anno 388. ad huius libri finem. Hi itaque primum fuere, & faciliter ex ii. potuit *M.* fieri. Mirum autem & in his quidem, & precedentis anni omnibus tribunis, omiſſa & cognomina & numerum.

Eod. *At placeret fœnore circumueniri an plebem, ni potius*] Hoc *ni*, tollerem, & planior erit lectio. Neque vero me latet quæ portenta quidam hic prodiderint, vt hunc explicarent locum: mihi ſatius hoc videtur.

Cap.xxxvii. *Niſi alteri cos. vtiq; ex plebe ſi neceſſe ſit, neminem fore*] Illud *nemine fore*, quid ſibi velit, quidve ad ſenſū faciat, fateor plane me neſcire: niſi in *niſi*, incipiamus nouā ſententiā.

Eod.iv. ac xl. *annos neminem ex plebe trib mil.*] Hic annus eſt 385. ab Vrbe cond. At ille quo primi trib. mil. conſ. poteſtate creati ſunt, fuit annus 311. hos ſi ab illis ſubtraxeris, relinquentur anni 74. tot enim annis licuit tribunos mil. conſ. pot. creare, ac ex plebeis etiam. Sed quadragies quater (inquit) hoc neglectum eſt, imò verò ſæpius: nec enim rotundum hunc exhibuit numerum.

Eod. *Et vti rogaſſent prima tribus dicerent*] Locus vehementer obſcurus. *Vti rogaſſent*, tribuni ſcilicet. Et *primæ tribus dicerent*, opinor legem exponendum.

Eod. *Et quod eundem M. Furium dictat. inſequens annum ha*] Hic omnino annus rurſus omiſſus eſt, cuius rei duę ſunt ſuſpiciones. Altera, quod Licinius Sextiuſque ſtatim poſt dictaturi ſunt, nonum ſe annum iam velut in acie ſtare, cum alioqui hic octauus eſſet. Anno enim 379. cœperant hoc certamen. Item, poſtea Liuius dicet, decimum hos refectos, ante annum 388. qui nonum refecti eſſent, ſi hic annus non inſeratur. Altera ſuſpicio quod C. Licinium, primum ex plebe magiſtrū equitum Liuius dicat antea fuiſſe trib. mil. conſ. poteſtate, cum nuſquam antea legatur. Et loquitur quidem de C. Licinio Stolone non Menenio, quod quamquam hoc ex loco oſtendi non poteſt, at lib.10. in P. Decij oratione aduerſus nobilitatem de pontificibus etiam ex plebe creandis, ſatis luculenter id patet. Quare Stolo, quando nullo alio anno inuenitur, hoc anno fuiſſe videtur trib. mil. conſ. poteſtate. Idem ſentio de P. Valerio hoc anno cum Stolone tribuno. Nam anno 388. ſextum dicitur tribunus, cum vbi V. fuerit, non inuenitur. At, vt tandem concludam, hic liber viſus eſt mihi mutilus, & alijs plus iuſto breuior, ideoque hęc omnia mihi ſuſpecta.

Cap.xxxix. *Deinde comitiis tribunitiis declararent volunt*] Videtur num legendum, *comitiis tributis*, vt ad finem orationis Claudij etiam habetur.

Cap.xl. *Non* (inquit) *licebit tu de fœnore atque ag.*] Verba ſunt tribunorum pl. per μίμησιν ab Appio prolata. Verum cum ait, *Et hoc portanti*, niſi ex ſtomacho Appij intelligamus, non plane capio quidnam ſibi velit.

Eod. *Hoccine eſt in commune honores vocare*] Si hic atque ſequens verſus abſque interrogatione legantur, cum quadam dicentis admiratione, plus gratię habebunt, quam vt paſſim vulgo leguntur verba.

Cap.xli. *Eſt aliquis qui ſe inſpici, qui æſtimari faſtidiat*] Hæc quoque abſque interrogatione legam, cum ironia, & quaſi per irriſionem, &, *eſt aliquis*, dixit, velut in Thraſonem, vt illud Satyrici:

> *Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,*
> *Si vis eſſe aliquid: probitas laudatur & alget.*

Cap.xlii. *P.Valerius* vi] Hic Valerius quartum fuit tribunus mil. anno 378. interea nuſquam inuenitur. Suſpicor eum V. fuiſſe, ſuperiore qui omiſſus eſt anno, quemadmodum paulo ante teſtati ſumus. Ceterum P. Manlius, & L. Veturius *iterum* hic fuere, quod omiſſum eſt.

Eod. *Cum dignam eam rem Senatus cenſeret.*] Quam *rem dignam* vocet, ex prioribus non ſatis liquet. Quidam poſt *facturos*, adijciunt *fore*, ſed ad ſequentia verba, nihilominus in obſcuro manente ſenſu.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. VII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp.i. *Gratiæ campeſtri dederunt*] Quidam *ceperunt* legunt, quaſi patres illis, hoc eſt, Prætori ac ædilibus, ceperint præturam ædilitatemque per gratiam, quam in campo Martio apud pop. Rom. inuenerint, technis videlicet, quibus in comitiis vti conſueuerunt. Id autem lectoris iudicio relinquimus.

Eod. *Proportione & ex multitudine*, &c.] Id etiam obſcurum, quamquam relatione intelligitur, quod tamen non dico ad eum modum, quo nunc ex præpoſitione ablatiuoque fecimus nomen *proportio*, quod haud ſcio fueritne in aliquo apud veteres vſu.

Eod. *Par. deinde per v. & xxx. annos*] Impudens hoc omnium codi-

codicum erratum, ac mirum ab nemini animaduerſum, cum nihil facilius correctu fuerit. Anni enim captæ vrbis ſunt 365. vt ipſemet Camillus in oratione *ne Veios migretur*, ad finem lib. 5. fatetur. Hi autem anni quando mortuus eſt Camillus 390. à quibus ſi priores ſubduxerimus, relinquentur xxv. non xxxv. anni. Et paulo poſt, *C. Sulpitio Petico* legendum, non *Titio Sulpitio Potito*.

Cap. II. *Accepta itaque res, ſæpiuſque vſurpando excitata.*] Poſt *excitata* diſtinguendum: niſi quis *accepta re* in auferendi caſu legere malit. *Feſcennino* autem *verſu* quidam in dandi caſu antique dictum putant, quod neſcio quam probem: neque enim neceſſe eſt, vt ab accuſatiuo *ſimilem* regantur, quod abſolute poſitum videtur, vt illud, *incompoſitum*.

Eod. *Quæ exodia poſtea appellata.*] Abſque r hoc legendum, non eſt dubium: ſed num etiam abſque aſpiratione, non ita, clarum. Quamquam ſi *exodia* ſunt dicta, quod extra cantum eſſent, videlicet ridicula verſibus intexta, quæ ſine cantu iactitare iuuenes ſolebant, non eſt omnino dubium. At in his quid *deuerbia*, quid *exodia*, quid *ad manum canere*, nemo non exponit, ſed non etiam ita nemo non intelligit.

Cap. III. *Notam numeri annorum fuiſſe ferunt.*] Quomodo vnicus clauus, numeri nota eſſe potuerit, lectori expendendum, nam ego plane non intelligo.

Eod. *In templo Nortia Hetruſca dea.*] Ioannes Annius in Commentario in Beroſum, Propertiique Vertumnum, ait hanc deam *Horchiam* vocatam: quod, vt ſolet, non admodum firmis probat rationibus. Item paulo poſt legendum, *Q. Seruilio Hala* II. *L. Genutio*, II. coss.

Eod. *M. Horatius* coss. *ex lege templum Iouis.*] Dedicatio templi Iouis optimi max. li. 2. quid attinebat ad ſolenne claui figendi? Neque enim Liuius eo in loco quicquam de clauo pangendo ſcripſit.

Cap. IV. *Vtrum nutriendum patri, ſi quicquam in eo humani.*] Ego hunc locum ita legendum puto *Vtrum nutriendum patri, ac vexatione inſigne faciedum, an caſtigandum potius ſi quicquam in eo humani eſſet fuiſſe?* Quaſi dicat, nutriebatur id vitij in agro, patris deinde vexatione inſigne fiebat, caſtigari poterat in vrbe ſi voluiſſet pater.

Cap. VI. *In expectatione ciuitas erat, quòd primus ille.*] *Quod*, pro *quia*, poſitum videtur. At illud, *perinde*, quidam mutarunt in *deinde*: vt, comparatiuum, at *ita* ſequitur. quamquam videri poteſt eſſe ſermo non omnino curioſus. Neque erat ille primus ex plebe cos. ſed ex cuss. plebeis primum occiſus.

Eod. *App. Claudium quia diſſuaſerat legem.*] Dictatorem abſque magiſtro equitum hoc loco exhibet Liuius ſicut libro ſecundo M. Valerium, quod idem admonuimus, cum ſatis conſtet Romæ numquam hoc factum.

Cap. VII. *Quadragenariæ octo cohortes.*] *Quadringentaria* quidam legunt, quod mihi quoque placet. Nam lib. 10. eodem vtitur verbo Liuius. Puto autem *quadringentariam* à quadringentis militibus dictam, vt *quingentariam* cohortem à quingentis. Nam in additione ſupra quingentos, quadringentóſve, non omnino conuenit inter auctores. nos de appellatione dumtaxat diſputamus.

Cap. VIII. *Multiplex quam pro numero damnum eſt.*] Vide num poſitiuum *multiplex*, pro comparatiuo poſitum, alioqui non intelligo.

Eod. *Cum præter mœnia eorum infrequentia ſigna cen.*] Sed neque hæc verba planè capio. ſunt enim oppidò obſcura.

Cap. IX. *Quia collega comitia bello præferre feſtinaret.*] Quomodo autem bello præferebat comitia Sulpitius cos. Num putemus ſpectaſſe ſe feſtinatione conſulatum adepturum omiſſo bello? an *proferre* potius legendum? Sed iudicet lector.

Eod. *Galli ad tertium lapidem Falaria via.*] Falarienſium meminit Plin. lib. 3. cap. 13. in Picenis, quod melius quadrat quã *Salaria via*, vt quidam habent codices. Et nota quanto terrori fuerunt Galli Romanis: nam proximo ſequente quadriennio ter dictatorem crearunt propter Gallos, non auſi confidere coss. De Ciſalpinis nunc loquitur.

Cap. X. *Totoque corpore interior periculo vulneris.*] Pictura eſt, ſed admodũ difficilis, ita vt quidam pro *interior* legerent *inferior*, ſed non placet. Porrò quod ait, *inter corpus armáque* niſi de ſcuto ac Galli gladio intelligas, non equidem aſſequor.

Eod. *Torquati cognomen auditum.*] Non paucis verbis egerim, ſi quàm diuersè hic locus legatur, enarrare voluerim: neque ſolum verbum, *auditum*, pro *additum*, ſed in præcedentibus quoque. Sit igitur ſuum vnicuique liberum iudicium, nam hæc omnia proſequi neque poſſumus, neque volumus.

Cap. XI. *Tumultum exciro in hoſtium portu.*] Pro *excire*, quidam *excierer* repoſuerunt, propter verbi ſignificatum. Id autem num in vſu ſit, quam maxime ſpectandum exiſtimo, haud equidem ſcio, & in his verbis promiſcuus eſt aliquando, quãquam rarus, vſus, vt in compoſitis à ſedeo ac ſido, apud poëtas maxime: tametſi ſedeo, ac ſido, ſignificatione propiora ſunt, quam cieo accio apud quoſdam, Priſciano tamen idem ſignificare videntur.

Cap. XII. *Verba pro exercitu faceret Sex. Tullius.*] Quidam codices *Seruium* habebant, quidam *Sextum*. Sed fortaſſis Seruij Tullij ſexti Romanorum regis nomen, errorem librarius dederit.

Cap. XIII. *Quæ ſient vos veſtra habeatis conſilia.*] Conuerſio eſt ſermonis ſatis dura, quam præmolliuit tamen Tullius. Deinde *ſuccenſeat*, pro *cenſeat*, poſuiſſe videtur, compoſitum pro ſimplici, vt apud alios quoque auctores ſæpe vſuuenit.

Cap. XIV. *Biniſque tantum centunculis relictis.*] *Tantum*, adiecere quidam, quod placet. Nihilominus tamen obſcurus eſt ſermo, videlicet non planè patente, cui centunculi, & ad quid relicti, ſenſu.

Cap. XV. *Qui profligato dextero cornu obequitabat ho. m.*] *Siniſtro cornu* legerem. Nam Gallorum ſiniſtrum cornu oppoſitum erat dextero Romanorum cornu. At dictator effecerat vt vbi turbarentur hoſtes, ac inde eques turbatos auerterat vt paulo ante ipſe faſſus eſt Liuius.

Eod. *Veliterni deinde incurſione repentina fecerunt.*] Ad calcẽ prope prioris libri ita ait Liuius: *Cum præter Veliterarum obſidionem tardi magis rerum exitus quam dubij, quieta externa res Romanis eſſent.* Hæc ille. Cum ergo obſideri cœptæ eſſent Velitræ anno ab vrbe cond. 384. mirum cur non vel diſſolutionis vel expugnationis alicubi meminerit Liuius.

Cap. XVI. *C. Martio, & Cn. Manlio* coss.] Cn. Manlius etiã anno 396. fuit cos. quare hic II. adiiciendum. At alij *T. Manlium* legere malunt, quod is anno 402. & 406. dictator fuerit, nec alibi ante cos. niſi hoc ponamus loco. Iidem autem anno 408. Cn. Manlium iterum. Sed tanti in omnibus codicibus errores implicant lectorem, vt ſatis putem indicaſſe, nam emendaſſe certe non perinde tantæ vtilitatis, quanti laboris fuerit.

Cap. XVII. *Facibus ardentibus, anguibuſque prælatis.*] Hoc vt facile intellectu eſt, ita factu difficile: quare explicandum erat hoc pluribus quàm hic fecit verbis. Illud etiam: *Lymphati & & attoniti munimentis ſuis trepido agmine inciderunt*: de Romanis intelligo.

Eod. *Vt quodcumque poſtremum populus iuſſiſſet, id ius.*] *Id ius ratumque eſſet*, ad præcedentia referri debet, vt ex oratione App. Claudij cenſoris libro nono poſtea patet, anno ab Vrbe cond. 445.

Cap. XVIII. *C. Sulpitius Peticus tertium.*] Siquidem hic locus bene habet, anno 391. non rectè *T. Sulpitius* legitur, nec anno 394. *L. Sulpitius*: ſed vtroque in loco *C. Sulpitius* legendum: quippe qui numquam antea cos. inuenitur, etiam tribunus mil. conſ. poteſtate. ſed nihil ad hanc ſupputationem. Diodorus item Siculus *C.* vocat in Philippo Alexandri Magni parente.

Eod. *Quadringenteſimo anno quam vrbs Rom. cond.*] Vellem hercule Liuium ſæpius quàm fecit, annorum ab Vrbe condita meminiſſe. Cæterùm ex hoc loco ſatis conſtat, poſt annum 386. omiſſum annum eſſe. & quod ſtatim hic ſequitur, *quinto & trigeſimo quàm à Gallis recepta*, optimè habere: quando captæ vrbis anni fuerant, Camillo ad finem libri quinti numerante, trecẽti ſexaginta quinque, quibus ſi addideris 35. emergent quadringenti. Quod verò deinde ſequitur, *Ablato poſt nonum annum à plebe conſulatu*: non item bene. Eſt enim hic duodecimus annus à primo plebeio cos. Ergo legendum, *poſt undecimum annum*. Errorem natum hinc credo, quod *nonum* ac *undecimum* numeri facile fallunt.

Digitized by Google

Cap.xix. *T. Manlium Lucij filium.*] Mirum cur non addiderit *Torquatum*. Deinde aut exemplum eſt poſſe fieri dictatorẽ eum qui antea non fuerit cos. vt de L. Manlio parente ante poſuimus, niſi quis eum patrem tribunũ mil. conſ. poteſtate fuiſſe exiſtimet, anno 387. quod equidem conijcio, aut anno 398. pro *Cn. Manlio* legendum eſſe *T. Manlio*, id quoq. mirum, quæ cauſa coegerit dictatorem creari, cum tam eximium Cõſulum par in magiſtratu eſſet, quorum alter etiam antea dictator fuit bello Gallico, vnde eximiã pepererat gloriam: Alter præter generis nobilitatem cos. etiam eo anno fuit, quando è plebeiorum manu conſulatus rurſus ereptus videbatur.

Cap.xx. *Ea ne merito crederet quiſquam, hoſtes repen.*] Niſi ſit deriuatio cauſæ in fortunæ iniquitatem, hunc ſenſum nequaquam intelligo.

Cap. xxi. *Q. Publius, & T. Aemilius.*] *Q. Publilius* legendum eſt, qui poſtea iiii. fit cos. *Publius* enim prænomen eſt, non nomen. Cæterum huic Publilio Philo cognomen fuit. Ante aliquot item verſus legendum *C. Martius Rutilus* ii. fuit enim antea cos. anno 398.

Cap.xxii. *Rem ad interregnum produxit.*] *Perduxit* alij emendarunt, & recte. Porro eius verbi nullus eſt nominatiuus, ſed tota præcedens loco nominatiui oratio. Verſu deinde tertio legendum *C. Sulpicius Peticus* V. nã quater antea fuit cos. ab anno 391. vbi primum factus eſt cos. Mire vero eius cognomen apud auctores variatum. quidam. n. *Potitum* vocant, alij *Betiticum*, nonnulli *Pythium*. Nec in prænomine minor variatio, eum alibi *Titus* alibi *Lucius*, ſed à plurib. *Caius* vocetur, vt antea dictum eſt.

Cap.xxiii. *M. Popilius Lenas à plebe* cos.] Adijciendum *tertium*, quippe qui bis antea fuerit cos. Niſi quis putet à Liuio hæc conſulto neglecta. quod mihi non fit veriſimile.

Eod. *Vt maritima bella eque non tanquam ex æquo.*] Eadem libro 10. de ſecundo bello Punico habet Liuius, vbi Carthaginenſes Romanorum oppugnant naueis. Eadem Dionyſius Halicar. li. 10. vbi Romani App. Herdonium in Capitolio oppugnant. Verum Aul. Gel. lib. 9. c. 1. ex Claudio Quadrigario contrarium docet. Sed eſt pro ingeniis exercendis ea theoria magis, quam vt vulgo vel credatur vel recipiatur.

Eod. *Laeuo humero machera prope traiecto.*] Machęra quid ſit, nemo ignorat. Quidam *matari* ſuppoſuerũt, quam aiunt haſtam longiorem lancea, qua Galli vtantur, cum lancea Sueoi.

Cap.xxv. *Quaternũm millium & ducenorum pedi.* Mire variatum inuenimus militũm in legione numerũ. Anno enim 375. *quaternũm millium eſt*, hic *ducenti pedites adiecti*. At lib. 8. ſub T. Manlio *quinũm millium*. totidẽ li. 6. de ſecũdo bello Punico, *adiectis trecenis*. Deniq; lib. 6. de eiuſdem belli *ſenũm milliũ ducenorũ peditum equitum trecenorum*. Hæc obiter duntaxat annotare placuit, propter quoſdam nimium hac in re curioſos.

Cap.xxvi. *Prouocat per interpretem vnum ex Romanis.*] Hic Gallus per interpretem loquitur. at qui cum T. Manlio pugnauit, Latine ſcilicet ſciuit. Si Herodotus talia ſcripſiſſet quam clamaſſet impurus Iuuenalis, *Et quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria?* Sed hęc non agimus.

Eod. *Inde Appuliam ac mare ſuperum petierunt.*] Quidã meo quidem iudicio temere pro *ſuperum*, emendarunt *inferum*, cum Volſci fuerint ad inferum mare, Appuli ad ſuperum.

Cap. xxvii. *T. Manlio Torquato* ii. *C. Plautio* coss.] Bis antea de hoc Manlio admonuimus: nam quo pacto hic ii. cos. dici poteſt, qui antea non fuit? niſi anno 398. pro *Cn. Manlio* legas *T. Manlio*. Alij hoc in loco illud *iterum*, ad *C. Plautium* poſuere: qui tamen lib. 8. ab initio non conſiderarunt iterum cos. dici, qui tum tertium erat. Duo autem C. C. Plautij fuere. Proculus ac Venox. Proculus cos. fuit anno 397. Venox hoc loco, & lib. 8. ab initio quare locum ambiguum puto. Et quis hęc omnia perſequitur? Quantum errorem attulit hiſtoriæ Romanæ ambitio illa, & immortalitatis ſitis?

Eod. *M. Valerius Coruinus* ii. cos. *cum Petilio.*] Petilio etiã adijciendum ii. quippe qui fuit cos. anno 395. Niſi quis alium fuiſſe contẽdat, quod vt negari, ita ſciri non poteſt. Porro anno ſequenti legendum *C. Martio Rutilo* iii. *T. Manlio Torquato* ii. cos. quod ideo admoneo, quod in pleriſque codicibus ea corrupte legantur.

Cap. xxviii. *C. Martio Rutilo* iii. *T. Manlio Torquato* ii. cos.] Quidam codices vtrique iii. dederunt, quidam ii. ſed vtrique errant. Martius enim ter fuit hic cos. Manlius *iterum*, vtcumque in prioribus inſtituatur lectio.

Cap.xxx. *Fit tamen maxime, qui etiam implorãtib. aliis auxil.*] Pro *etiam*, quidam reſtituerunt *eam*, vt referat *miſericordiam*, regaturque à participio implorantibus: *auxilium* vero referatur ad verbum, *praſtant*. Eſt tamen impeditus ſermo, vtcumque ordiemus.

Eod. *Sed tamen ſi oſtenderitis auxilia veſtra.*] Illud, *ſed tamen* non video vt ad præcedentia cohæreat, fortaſſis autem legendum, *ſed tantum*. Ego ea de re lectori iudicium committo.

Cap. xxxii. *Ille ad montem Caluum, hic ad Satriculam.*] Seruata hoc loco differentia eſt inter *ille*, ac *hic*. *Ille* Valerius, *hic* Cornelius. Cæterum pro *Caluum*, quidam poſuerunt *Gaurum*. Et Gauri Florus etiam in altera Epitome de bello Sannitico meminit. Et Plin. lib. 3. cap 5. Gauranos monteis prope Maſſicos atque Surrentinos ponit. Saticula autem oppidum in Sannio, Satricum in Volſcis. Sutrium deniq; in Hetruria. Quamquam anno 435. Satricam genere fœminino in Sannio vrbem facit vnde Satricanus. Satriculanus autem à Satricula. Ipſe tamen Liuius libro eodem anno 438. altero pro altero vtitur, ni, quod fieri facile poteſt, codices errant.

Eod. *Quicquid ab vrbe longius proferrent arma.*] Notandum & id genus ſermonis, *quicquid longius* pro *quanto longius*. Verum hæc propriç non ſunt huius inſtituti.

Eod. *Vtrum quis audiendus dumtaxat magnificus.*] Videntur legendum, *Vtrum audiendus qui dumtaxat magnificus adhor. ſit.*

Eod. *Nec factionibus modo.*] Tametſi paulo ante præceſſerit verbum, *modo*, tamen hoc loco quid ſibi velit, haud equidem intelligo, cum abſque eo ſit longe luculentior ſenſus.

Cap. xxxiii. *Benignus prorediclu.*] Horum verborum ſenſus mihi non admodum patet, & eſt totus verſus obſcurus: Alij aliter diſtinguunt, ſed eſt nihilominus ſenſus obſcurus.

Cap.xxxiv. *P. Decius tribunus mil. conſpicit vnum editum.*] Vide an hoc locutionis ſit quod vulgo dicimus, vnus dixit mihi. At ego *vnum* pro *inſigni* poſitum puto, quaſi alij non tam celſi, & item omnes ab hoſte inceſſi.

Eod. *Nec tu mihi pluſquam vnius legionis principes haſta.*] Principes ac haſtatos ipſe auctor poſt lib. 8. quinis manipulis ſeparat: & hoc xxx. manipulorum agmen, antepilanos appellatos tradit. Vide ergo annon potius legendum, *vnius legionis principes haſtatoſque dederis*. Porro ipſe auctor numerum certum alioqui nullum exprimit.

Cap. xxxv. *Vbi ſecunda vigilia buccina datum ſignum eſſet.*] Qui *buccina*, in *buccina* mutarunt, perperam meo quidem iudicio fecerunt. Sed & hoc lectorem morari merito poteſt, quomodo taciti venerunt ad Decium, quibus buccina ſignum detur, niſi quis etiam clamore concurrere ſolitos poſt datum ſignum exiſtimet.

Cap.xxxviii. *Neq; immerito ſuũ ipſorum exemplũ in eos verſarum.*] De præterito licebit dicere, *Neq; immerito ſuum ipſorum exemplũ in eos verſum*, ita de futuro *verſurũ*, ſed imperſonaliter.

Eod. *C. Martius Rutilius.*] Adijciendum, *quartum*: fuit enim cos. annis. 398. 403. 411. atque hoc anno. Quare temere hic quidam pro *quartum* poſuerunt *tertium*, quod etiam ante admonuimus. Q. item Seruilio adijciendum III. quippe qui prius bis fuit. anno 393. niſi quis intra tam paucos annos alium eſſe contendat, aut prænominibus variatum.

Cap.xli. *Lex quoq; ſacrata militaris lata.*] Hanc legum cum nuper Iuriſperitus inter cęteras Roma. leges edito de his libro allegaſſet, vt ne vno quidẽ verbo dignatus eſt eã explicare, cũ ex propoſito id in pleriſq; aliis legib. feciſſet. Nos id nõ agimus. Admonendus tamen eſt lector vt cõſideret, quare id noluerint milites, videlicet haud dubiam infamiam denotante hac deletione. Deinde cum additur, Ne quis vbi tribunus militum fuiſſet, poſtea ordinum ductor eſſet. Tribuni nomen honoris fuiſſe exiſtimo: at ductoris ordinũ, officij. Sed de hoc attigimus nõnihil li. 2. vbi de primipilo M. Lectorio diximus.

Eod. *Et ne particeps eorum eſſet qui ab Lautulis.*] Obſcurus eſt ſenſus, quẽ ego hercle non intelligo. Haud dubie dicere vult, cum illis cõiurare noluiſſe, ideoq. illos nolle eum in futurum ſuum eſſe primum centurionem. Cęterum Laurularum antea mentio habita: at de fuga ab Lautulis, nihil prorſus. Egò locum mutilum puto, ac illud, *& ante ne*, tollendum eſſe.

F I N I S.

IN T. LIVII LIB. VIII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. I. Iam coſs. *erant C. Plautius iterum.*] C. Plautius bis antea coſ. fuit anno 397. & 408. hic igitur III. Sed id ita quidam defendunt, qood qui anno 397. coſ. fuerit *Proculus* dicatur: qoi vero anno 408. atqoc hoc anno *Venox*, Hæc nominum confuſio à quibuſdam, vt exigua, nihilque ad rem pertineos, ridetur: mihi etiam noo prorſus agelaſto facile ad eum modum erat ridere. Sed interim, com tot loca deptauata viderem, nou potui non dolere Latinorum auctotum tantam iacturam. Voluiſſem ab eſſe prorſus magiſtratuum nomina ab hiſtoria Romana, plus enim lucis illi adeſſet. Sed quomodo id poſſibile? Pone qui IIII. coſ. fuit iterum, dij boni quantum flagitij admiſeris etiamnum noſtra ætate? quid faceres Liuij tempote, quando viuebant adhuc familiæ quorum maiotes in magiſtratu fuere? Sed iudicet lector.

Cap. II. *Et quamquam ſuperiores certaminibus Latini erant.*] Si ſuperiores certaminibos erant Latini, quin bellum perficiebant? Nec ſatis mihi facit quæ ſubiongitur ratio, ne ſæpius dimicandum foret ſcilicet. Fieri etiam poteſt, vt locus ſit mutilus, quod ſuſpicor, noo etiam aſſeuero.

Cap. III. *Iuſſiſque ante tempus* coſs. *abdicare ſe magiſtratu.*] Vterque coſs. bello ſtrenue ſe geſſerant. Plautius aduerſus Priuernates, Latinos inquam (ſi quid hoc ad rem attinet) ac Antiates: Æmilius etiam pacem ex Samnio attulerat. Mirum igitur quare hi magiſtratum abdicare coacti fuerint. hoc mea quidem ſeotentia, Liuio diligentius explicandum erat. Dionyſius non tacuit, ſi modo eum haberemus. Excellentia etiam horum duorum, Torquati ac Decij quantum M. Valerij ac Coſſi, virtutem anteibat? cum anno 420. poſtea ipſe Liuius fateatur M. Valerium Maximum ea tempeſtate Imperatorem.

Eod. *Et L. Numitium Circeienſem ambos ex col.*] *L. Numiſium* quidam legunt, qood mihi non probatur, *Circeienſem* autem à Circeis intelligo, quam L. Tarquinius Superbus coloniam deduxit. *Ambo* autem pro *ambos*, vt quidam legunt, Liuius nulla neceſſitate dixiſſet: vt Verg. de *duo. Si duo præterea taleis Idææ tuliſſet terra viros.* Quidam tamen in vetuſtis Liuij codicibus ſubinde ita inuenire aiuot.

Cap. VI. *Agitatum etiam in concilio eſt, vt ſi quando vnquam.*] Vide in eadem ſententia poſita, cum vnum ſufficeret, *vt & vti*. Quod ſi bene habet, certum indicium eſt auctores non tam anxie locutos, quemadmodum id quoque quod continoo ſequitur, in accuſatiuo ait, quod adoerſus Latinos bellandum erat. Reliqua quæ ſequuntur, in nominatiuo dixiſſe videtur. Quamquam vbi eam diſtinctionem incipias, merito hæſites neq; enim ſatis clarum eſt.

Eod. *Præerat Genutius Metius.*] Quidam ex Valerio Max. reſtituerunt *Gemimius*, at haud ſcio quam bene: neque enim codicum fides magnopere me mouet vel huius vel illius auctoris.

Cap. VIII. *Ordo enim ſexcenos milites.*] Quidam hoc in *ſexagenos* murarunt. Si certum ſciremus quid ordo hoc loco ſignificaret, non erat difficile definire quid legendom. At paulo poſt quindecim ordines vocat, longe diſpari (ſi quidem illi recte motarunt) ſignificatione. Itaque nihil definio. Sicot nec illud, *Vexil.* CLXXXIII. homines erant, quod iidem CLXXXVI. emendaront. Vegetius ſane lib. 2. capitibus duobus VI. ac octauo, cum hac Liuij deſcriprione minime conuenit: quare nos quoque ea de re plura dicere (quando hæc non ſunt noſtri propoſiti) ſuperſedebimus.

Cap. X. *Samnites quoq; ſub radicibus montis pro in.*] Vide quam varia de Samnitib. ſcribat. Antea dixerat coſs. adiuncto Samnitium exercitu ad Capuam caſtra locaſſe, hîc dicit, ſub radicibus montium pericul inſtructos. paulo poſt dicturus eos poſt prœlium auxilio veniſſe Romanis, vt quidam tradiderint. Nam hoc ipſe dixiſſet videri ooluit.

Eod. *Tum ſignum ſeptem pedes altum, aut maius.*] *Signum* quid proprie hic ſignificat, ſcire velim, ad quod Romanum magiſtratum deſcendere fas non eſt. Et piaculum hoſtium cædi, ſiue hoſtia, vt alij legunt: pauloque poſt *Sine hoſtia ſiue quo alio volet ius eſto*: ea min' intelligo. Rurſus quod ſequitur *Si potiatur, Marti ſolitaurilibus piaculum fieri*, quidam ita legũt, *Marti ſuouetaurilibus*, quod ego iotelligo, *ſolitaurilia*, quæ apud Feſtum immolationem ſignificant tauri, arietis, ac verris, vt etiam apud Homerum eſt Odyſſeæ λ. ac ψ.

Cap. XI. *Ibi in cõcilio Num. impe. co. af. com. vere bell.*] Pro *vere*, quidam emendarunt *fore*, non recte, vt puto. Porro de *Veſcia vrbe* quid dicam, non habeo.

Eod. *Bina in Latino iugera, ita vt dotrantem ex Pri.*] Senſos apud quoſdam eſt, in Latino agro colonis data iugera ac dodrantem ex Priuernati adiectum, in Falerno autem trina data cum quadrantibus, ita vt qui in Falerno agro partem acciperet, ſemiſſe plus acciperet, quam qui in Latino, atque id propter longinquitatem, nemo enim eſt qui propiora non præferat. Quamquam hęc Liuij verba: *Ita vt dotrantem ex Priuernati complerent, data*, amphibola videri queunt: neſcias enim dicere ne velit, dodrantẽ eos expleſſe quadrãte quem ex Priuernati acceperint, vt iugerum integrum fieret, an dodranta ex Prioernati accepto quadrantem Latini agri explerint, vt fieret iugerum, niſi quis verbum *complerent*, pro *adijcerent* poſitum exiſtimet, quod equidem neſcio. atq; hoc quidem modo intelligeremus in Latino dumtaxat bina data iugera, in Falerno autem terna coo quadrantibus. Verum id iudicio lectoris committimus.

Eod. *Denarios nummos quadragenos quinos.*] Quod hæc in caſu accuſandi legenda ſint, fortaſſe nulli dubium. Ceterum quod alij decuplo auxerint hanc ſummam, legerintque *quadringenos quinquagenos*, non item certum. Denos denarios ſingulis coronaris dabimus Budæana æſtimatiooe: qua ſupputatione prior lectio minutum quidem ſingulis tribuit annuatim equitibus, videlicet coronatos quaternos, cum quinis denariis: altera vero lectio quadragenos quinos coronatos. At annuam in vniuerſos ſummam immenſam 72000. videlicet coronatorum, poſterioribus etiam ſeculis, qoantumuis magnæ ciuitati grauem. Hæc ea de cauſa annotamos, vt vetuſta exemplaria diligentius introſpiciantur. Nam hęc in omnibus codicibus variata inuenio, cum equitum, tum ſummæ penſionis oumerum.

Cap. XII. *Antiates in agrum Hoſt. Ard. Solonium incurſ. fe.*] *Solonius* ager quis ſit, adhuc quæro. Sollinatium ac Solonatium meminit Plin. lib. 3. at nihil ad hunc locum.

Eod. *Neque in ſimilem materiam rerum & ipſi aut ſua.*] Cum *neque* dixiſſet, ſobiungit aliam ſententiam: ſuſpicor defectum eſſe. quem ego abſque vetuſti codicis fide nou facile reſtituerim. Id etiam quod ſequitur, *in campis Seneclanis*, mihi ignotum: qoamqoam quidam *Fenectanis* emendarunt, oon minus obſcura voce. Denique legem de plebiſcitis omnibos Quiritibus obſeruandis oon à *Qu. Publio Philone* (ita legendum eſt, non *Qu. Publio*, vt paſſim errant codices) dictatore, ſed ab Hortenſio latam auctor eſt Gellius lib. 15. cap. 27.

Cap. XIII. *L. Furio Camillo, C. Menio.*] In Diodori Alexãdro, pro *C. Menio. C. Manlius* legitur, quod non placet. Nã oportebat alterum coſ. ex plebe eſſe. Et Plin. lib. 34. cap. 5. *Meniũ* habet. Quidam, quod *Menius* obſcurum ſit nomen, *C. Menenium* legerunt, qui poſtea dictator ſit libro ſequente anno ab Vrbe cond. 441. Quidam & libro ſequente *Menium* legunt, non *Menenium*. Sed fieri potuit vt nomẽ eſſet obſcurum, quia ex plebe erat, & alius poſtea fuerit dictator, quapropter cuiq; libera ſit hac de re coniectura. Legendum etiam *L. Furio Camillo* II. Nam primum fit anno 406.

Eod. *Ad Aſtura flumen*] Quidam *Satura* ſuppoſuerãt. Plin. autem lib. 3. cap. 5. ait & flumen & Inſulam in Latio eſſe Aſturam, Sabellicus *Aſſura* legiſſe videtur.

Eod. *Camillus ad Pedũ cum Tyb. ma. va. ex maiore mole.*] Præpoſitionem, *ad*, bis iam proprio minoris loci præpoſuit. id quod in obſcuris locis ſæpius fit. Ceterum quod ait *maiore mole*, haud ſcio vt intelligatur.

Eod. *Et Antium ex Volſcis.*] Hoc κατ' αὐξησιν intelligo. nam ipſe antea nuſquam dixit: quamquam memoriæ lapſus videri poteſt, in tanta cum ſcriptorum, tum rerum confuſione.

Cap. XIV. *Lanuinis ciuitas data.*] Lanuuium haud dubie aliud eſt oppidum quam Lauinium, quamquam ea inter ſe haud multum diſtant. Apud Lanuuium Soſpitis Iunonis & templum & lucus erat, vt ex Cicerone etiam ante nos annotauit Sabellicus. In Strabonis codice ea ita corrupte leguntur, qui lib. 5. de vtroque, ni fallor, diſſerit, vt verba ea nec Latine nec Græce allegare auſim. Vide Seruium in ſecundum lib. 1. Æneidos carmen. Lanuuinum autem agrum Horatius nominat lib. 3. carm. ode. 27. Tu vide quæ in eo loco Mancinellus. Porro Liuius hoc loco Lanuuinorum facit mentionem, quos paulo ante bis cum Volſcis Antiatib. numerauit. Lauinorum autem adhuc paulo ſuperius, vbi Milonis prætoris dictum refert de magna mercede Romanis pro parua via ſoluenda. Hic autem, cum nominatim omnium pœnam referat, Lauiniorum non meminit, vt plane in ſuſpicionem veniam, vel hæc defecta eſſe vel Liuium quorundam omiſiſſe multam, quod veriſimilius eſt.

Eod. *Cuius Capuam eſſe placuit.*] Campanos agro multatos antea dixit, iuſſiſque equitibus ſummam quandam ſoluere, ſed de iure conditioneq; eorum ne verbo quidem meminit.

Cap. XV. *Eodem anno Q. Publius Philo.*] Paulo ante admonuimus hunc non *Publium* nominari, ſed *Publilium*. *Publius* enim prænomen eſt, nemo autem duo prænomina habuit. Id vt ante ſæpe habitum, ita ſæpius poſtea. Scire tamen velim vt cum miſeris Auruncis actum, pro quorum auxilio tam ſeuere dictator creatus; tam leuiter deponitur. deinde cum iis quid actum ὅλως γὰρ narrat nobis Liuius.

Cap. XVII. *Pacem cum Romanis fecit.*] Qui potuit cum Romanis facere pacem, qui cum eis nunquam bellum geſſit? Sed *pacem* pro *amicitiam* dixiſſe fertur, aut *fœdus* quod tamen mihi non fit veriſimile. Quidam exponunt à Samnitibus Romanis fuiſſe pacem, quod Alexander ea pugna ſuperior fuerit: Verum Liuij verba id non oſtendunt. Vt exponamus amphibolon eſt, non ſatis clarum.

Cap. XVIII. *Ancilla quadam ad Q. Fabium Max.*] Niſi κατ' πρόληψιν hæc accipiamus, non video vt hoc excuſandum. Nam hic Fabius *Maximi* nomen ad finem libri noni acquiſiuit, viceſimoſeptimo poſt hunc anno. Fieri autem poteſt vt à ſciolo aliquo adiectum fuerit. Certe Valerius Max. lib. 2. c. 2. vbi Papyrij dictatoris meminit, *Q. Fabium* hūc *Rutilianum* vocat, non *Maximum*: quamquam alibi hoc in eo auctore neglectum, ſed errore codicum, vt puto, qui nuſquam nobis non faceſſunt negocium.

Eod. *Duæ ex eis Cornelia ac Sergilia.*] Quidam *Sergiam* pro *Seruilia* ſubſtituerunt: quod ſi abſq; fide vetuſti exemplaris fecere, haud paruam iniuriam in gentem Sergiam commiſerunt. Iidem paulo poſt. *Vt ſe falſam commentam arguerent*, in *commentatam* mutarunt, vbi de ancilla indice loquitur, ſed res eſt non magni momenti.

Eod. *In ſeceſſione quondam plebis clauum ab dict.*] Lib. 7. non ita longe ab initio, de fixo cauſa ſedandæ peſtis clauo mentio eſt: at de ſeceſſione plebis nulla prorſus, quamquam huiuſmodi apud Liuium multa.

Cap. XIX. *Cuius principio anni leg. ex Volſcis Sidicini & Lucani.*] Pro *Sidicini* quidam reſtituerunt *Fabraterni*: & ſane in vetuſtioribus exemplaribus ita legitur: & Plin. lib. 3. cap. 5. in agro Falerno *Fabraternos* ponit veteres ac nouos. Sed illud *Lucani* magis torquet lectorem: paulo ante enim vna cum Samnitibus contra Alexandrum depugnarunt, nec interea vſpiam de inimicitia eorum mentio. Denique quinto poſt anno *Lucani* (inquit Liuius) *atq; Appuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum Romano populo fuerat, in fidem venerunt*. Id ſi verum eſt, haud dubie pro Lucanis alius populus, qui in Volſcis aut circa Volſcos habitarit, ſubſtituendus. At qui ſubſtitui debeat, nihil definio: certe *Lucani* hic non conueniunt.

Eod. *Non patriam Fundanos.*] Hoc recte emendarunt alij, *Fundos* legentes, vt eſt in vetuſtioribus codicibus. Eſt enim *Fundanus* denominatiuum à *Fundis*, vt *Faliſcus* à *Faleriis*.

Cap. XX. *Bona Semoni ſano cenſuerunt conſecranda.*] Hæc lectio placet, quaſi dicat *Sano ſemihomini*, vt quidam interpretantur. Heros enim erat dimidiatus homo, dimidiatus deus. Quidam tamen editis exemplaribus *Semonilano* legunt, ſed librariorum errore, vt puto, viciniate *l.* & *l.* Quidam *Semoni Sango* legunt, qui idem *Sanctus*, vt diximus in Dionyſium.

Cap. XXII. *Tribunatuq; plebis prox. comitiis abſens petentibus.*] Quidam libri *tribunatum* habebant, vt ſit *tribunatum petentib.* ſed videtur enactum, quamquam & *præſentibus* malim vt quidam habent codices.

Eod. *Primo in inſulas Aenariam & Pithecuſas.*] Liuius Ænariam hic à Pithecuſis ſeparat, quas Plin. lib. 3. cap. 6. vnam facit inſulam, ab Homero Inarimen dictam: ſequitur enim Plinius errorem illum, quo Latini Poëtæ ex duabus vnam fecere dictionem, εἰν Ἀρίμοις. Itaq; lectori conſiderandum vt locus Liuij legendus.

Eod. *Recepta Palæpolin miſerat.*] Palæpoli recepta intelligendum, nam Nolanos Samnitesue à Publilio miſſos Palæpolin, neutiquam quadrat, quippe qui vtriq; hoſtes erant: ergo mittat literis ad ſenatum hæc milia Palæpoli recepta. eſt tamen durus ſermo.

Cap. XXIII. *Quid perplexe agimus*, inquit.] Quem habeat nominatiuum verbum *inquit*, non plane video, ſed mutatus eſt numerus: niſi dicas quædam deſiderari verba.

Eod. *L. Aemilius cos. crea. C. Petilium.*] Hic Petilius antea bis cos. fuit, anno 395. & 409. quare hoc loco addendum III. quod Caſſiodorus non neglexit.

Cap. XXIV. *Eodem anno Alexandriam in Aegypto.*] Hoc loco Alexander ædificat Alexandriam, qui non longe ab initio huius libri, in alio tractu orbis à fortuna morbo extinctus eſt. Diodorus Siculus ait Alexandrum extinctum anno primo olympiados centeſimæ quartæ decimæ. Caſſiodorus autem ait coſs. C. Petilio III. & L. Papyrio Mugillano Alexandriam conditam.

Eod. *Conſentiam ex Lucanis Sipontumque Brutiorum col.*] Quidam diſtinguunt poſt *Sipontumque*, ac deinde inferunt; *Brutiorum coloniam Acerinam*. Sipontum tamen non Lucanorum intelligo oppidum, ſed Appulorum Dauniorū, vt teſtatur Plin. lib. 3. Cepit igitur Sipontum, ac ex Lucanis Conſentiam denique Brutiorum coloniam Acerinam: quanquam hoc nomen mihi ſuſpectum. Nam Acerræ oppidum, & Acerrani populi, nihil ad hunc locum.

Eod. *Corpore regio vtcumque mulctato.*] Ita fere habent libri: ſed D. Eraſm. Roterod. præceptor noſter *mutilato* legendum nos olim admonuit.

Cap. XXVI. *Eo enim deinde ſumma rei Græcorum venit.*] Obſcure dictum, etiamſi à Liuio ita poſitum eſt, vt cauſam antedictorum explicet: neque fœdus hoc notum eſt.

Eod. *Et aucto honore triumphus.*] Alij pro *aucto*, legunt *acto*, At ego ingenue fateor me neutrum intelligere: *aucto* tamen malim, niſi quis *acto*, intelligat contrarium *negato*.

Cap. XXVIII. *L. Papyrius iii fuit.*] Cognomen omittit multum ad rem pertinens: ſed ipſemet Liuius de his dubitat, vt anno 428. & poſtea anno 435. Porro hactenus tres L. Papyrij à Liuio numerati ſunt, Curſor, Craſſus, ac Mugillanus. Curſor cum Craſſo dictatore magiſter equitum fuit anno 415. quo P. Decius pater perierat. Craſſus ipſe cos. fuit anno 424. Mugillani autem ab initio, anno 428. & 435. Eſt & mentio M. Papyrij Craſſi anno 422. vbi dictator creatus fuit aduerſus tumultum militum. Fortaſſis autem & in prænominibus & cognominibus Papyriorum erratum, vt ex variis huius belli locis lector facile notabit.

Cap. XXIX. *L. Furio Camillo iterum.*] L. Furius Camillus primum fit cos anno 406. deinde iterum anno 417. Ergo hic non iterum, ſed *tertium* legendum: niſi quis duos fuiſſe contendat, quod mihi non fit veriſimile.

Eod. *Q. Fabius Maximus Rutilianus.*] Duo fuere Q. Fabij hoc tempore, Ambuſtus & Lucianus. Ambuſtus magiſter equitum fuit cum dictatore P. Valerio Publicola, anno ab Vrbe cond. 411. Rutiliani autem hic eſt mentio, & anno 423. vt puto: niſi quis vnum eſſe cenſeat. Certe nec hic, nec in ſuperioribus recte additur *Maximus*, vt antea admonuimus. Porro an ambo fuerint M. Fabij Ambuſti filij, nil aſſeuero. de Rutiliano autem nulli dubium.

Cap. XXXII. *Quo tu imperio meo ſpreto.*] Illud *quo*, quid referebat dubium eſt. Ego diſtinguendum puto poſt *imperio*, & deinde inferēdum, *meo ſpreto*, ſiquidem interrogatiue legendū eſt

Digitized by Google

Cap.xxxiii.*Et patre auctore M. Fabio, qui ter* coſ.*& dict.*] *Q. Fabio,& tertium* c o s. quidam libri habebant, ſed errant. fuit autem hic M.Fabius Ambuſtus primum c o s. anno ab Vrbe cond.395.iterum anno 399. tertium anno 401.dictator autem ſemel anno 404.& pater Rutiliani. M. vero Fabius Dorſuo. alius fuit c o s. anno ab Vrbe cond. 410. Poſt aliquot verſus legendum,*cum omni agmine principum.*

Eod.*Capiſe anquiſitum ob rem bel.ma.geſt.de imper.null.*] Quidam hoc *nullo*,in *nullum* mutarunt, quod mihi non placet, niſi quis *anquiſitum*,ſubſtantiuum iudicet, vt *decretum*, & ſimilia, quod mihi non fit veriſimile.

Cap. xxxv.*Digreſſum cũ templo lætus ſen.*] Vide quid hic *templum* ſignificet. Paulo ante dixerat: *Ex curia in concionem itur, quo cum paucis Dictator,cum omni agmine principũ magiſter equitum cum aſcẽdiſſet,deduci eum de roſtris Papyrius in partẽ inferiorem iuſſit:ſecutus pater*,&c. Quidam curiã Hoſtiliã intelligunt.

Cap.xxxvii.*Q. Aemilium Caretanum.*] In pleriſq; libris *Aurelius* legitur,anno ab Vrbe cond.435.Sed ego *Aelius* vbiq; de hoc Cæretano legendũ puto. *Aulus*,quia prænomen eſt prorſus non quadrat. *Aulius* fortaſſis magis quadraret, quod quidam ſubſtituerunt.

Eod.*Cæterum fortuna Samnitium vix à ſeipſis.*] Sed quomodo vix à ſeipſis propulſantium bellum, qui ſtatim ſequẽte anno,tanto exercitu Romanos aggreſſi ſint? aut quomodo Apuli tam cito defeciſſent, qui ſuperius vna cum Lucanis in amicitiam Romanorum venerant? imo poſteriore libro ſtatim poſt initium boni ac fideles ſocij appellantur. Hęc vt Liuio diuiſa ſint temporibus,iudicet lector.

Eod. *Nec quemquam ex Pollia tribu candidatum fermè Papyriam.*] Mogũtinus codex pro *Papyriã* habebat *ſuffragia*,quod melius intelligitur. At ego locum corruptum valde vereor.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. IX. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *T. Veturio Caluino, Sp. Poſthumio* coſ.] Adijciendum vtriſque *iterum*, vt Cicero lib. 3. Officiorum habet. quamquam apud eundem in Catone maiore omiſſus eſt numerus,errore, vt puto,librariorum. Fuere autem hi coſs. antea anno 421.ab vrbe cond.

Eod. *Non bonu ſequentia domini deditionem exatient.*] Quidam *exatient* in *exuiant* temere mutarunt, cum hæc tria verba, *ſint*, *exutient*, *nequeant*, velut vno tenore de Romanis in coniunctiuo dicantur modo.

Cap.ii. *Circa Caudium caſtra quam poteſt occult. locat. inde ad Gal.*] Cicero item 3.lib. Officiorum *Cundium* vocat. Meminit & Horatius Saty.5.lib.1. Sermonum, *Caudinos* Plin. lib.3. ca. 11.numerat. *Galatiam* autem,ſiue,vt alij, *Calatiam*,neſcio quis alius commemoret. Suſpicor *Calorem*, fluuium (cuius Liuius de ſecundo bello Pun. bis meminit vbi de Sempronio) legendum eſſe,qui eſt prope Beneuentum. Galatiæ rurſus meminit lib. 3. de ſecundo bello Pun. Sed & hæc topographia clarior eſſe poterat.

Eod. *Luceriam omnibus copiis circumſidere.*] Mirum eſtne vno quidem verbo huius oppidi antea meminiſſe Liuium, cum hic Romanas legiones, vt illi auxilio adeſſent, in periculum veniſſe commemoret. Si ea eſt vrbs quæ Appulorum Luceria dicitur,haud dubie in Romanorum amicitiam cum alijs Appulis anno ab Vrbe cond. 428.venit, quib. quarto poſt anno Romam auxilium contra Samnites tulerunt, vt Liuius quoſdam tradidiſſe ait,quamquam ipſi tum non ita viſum. Sed hęc illorum opinionem egregie confirmant,immerito à Liuio reiectam. Porro hoc quoque ſtratagema de decem militib. in paſtorum habitu miſſis, mihi ſuſpectum. Quis .n. tam manifeſtum periculum adeat ſine certo præmio, aut ſpe maiore atque hic oſtenditur?

Cap.iii.*Quam per annos iam prope* xx.*vincimus.*] Samniticũ bellum cœpit anno 412.& nunc agitur annus 433. Ergo recte Liuius *per* xx.*annos* dixit,quod nuper corruptum eſt in xxx.*annos*,ab neſcio quo minus attendente.

Eod.*Seruate modo quos ignominia irritaueris.*] Alij *ſeruare*, alij *ſeruate* legunt, neutro ſatis claro ſenſu. Vult autem priorem ſententiam ipſis perſuaſam, vt verba ſtatim ſequentia indicant, Aut ſi Romanos ſeruare volent, vt contumelia non irritent: cuius cauſam mox ſubiungit.

Cap.vii. *Dicitur Offilius Acalanius Oui filius.*] Sunt qui contendant,aut *Offi.* pro *Oui* legendum eſſe, aut *Ouilius*, & non *Offilius*. Id ego lectoris iudicio relinquo. Ceterum *Calanius*, non *Acalanius* legendum.

Eod. *Laticlaui,annuli aurei poſiti.*] Plin. lib.33.cap.1. Romæ longo tempore inter priuatos nullos fuiſſe annulos ſcribit aureos,publice quidem legatis datos, triumphanteis autem ferreis vſos,atque ita triumphatum à C. Mario, nec ab eo ſumptum aureum annulum ante tertium conſulatum.

Eod.*Q. Fabium Ambuſtum dixerunt.*] Hoc tempore duo M. Fabij Ambuſtus & Dorſuo fuere. Duo item Q. Fabij, Ambuſtus ac Rutilianus, vt priore libro admonuimus. Vtri autem vtrorum filij fuerint, mihi non liquet. certe nemo Maximi adhuc habuit cognomen. Rutilianum video à Liuio Maximum vocatum [illegible], vt antea diximus, vt hic mox de interregibus probant.

Eod. *Is coſs. creauit Q. Publium Phil.& L. Pa.*] *Publilium* legendum,non *Publium*, ſæpius quam oportuit, nunc admonuimus, ac addendum, *tertium*: fuit enim iterum anno ab Vrbe cond. 427. vt ipſe Liuius fatetur. Idem Papyrio Curſori hic addit iterum,cum anno 428. Mugillanum poſuerit,de Curſore dubitauerit, quemadmodum & poſtea dubitat de Papyriorum cognominibus,anno 435.

Cap.viii.*Tentata pauliſper interceſſio eſt à L. Liuio,& Q. Melio.*] Cicero lib. 3. Offic. hos tribunos aliter nominat, *T. Numitium, ac Q. Aemilium*,ſi codices non fallunt, vt ſæpe ſolent.

Cap. x. *Deuotioni P. Decij* coſ. *& alus cla.fa.aquu.*] Quidam ſuſtulerunt coniunctionem, *&*, ſicut paulo ante, *Vilia hæc capita luenda ſponſioni feramus*: vbi illi *ſponſionis* legunt. Hæc omnia proſequi non eſt huius propoſiti, & multa huiuſmodi volentes omittimus.

Eod. *Quãdoquidem hiſce homines iniuſſu populi Rom.*] *Hiſce homines* quidam pro *huiuſcemodi homines* expoſuerunt, atque adhoc Terentium allegant: *hiſce hoc munere arbitrantur ſua Thaidem eſſe.* Verum in Terentij carmine, vel *iſce arbitrantur*, aut *eiice arbitrantur* legendum eſt. Grammatici præcipiunt *ce* particulam tunc addi pronominibus, quando in *ſ* literam caſus terminantur, vt *hoſce*, *haſce*, *huiuſce*, *hiſce*. At ego puto in ſolemnibus illis verbis non tam ſuperſtitioſe inquirendum eſſe.

Cap.xii.*Papyrius in Apulium ad Luceriam.*] Ab initio huius libri hæc vrbs amica erat Romanis, vt eorum exercitus propter illam in periculum venerit: quamquam nuſquam antea narrauerit, quando aut quomodo in Rom. amicitiam veniſſet. Nunc hoc loco ita amica eſt Samnitib. vt non dubitarint Romanorum obſides illic deponere, cum tamen ne vno quidem verbo innuerit Liuius, quomodo & quando à Romanis defecerit, etiamſi intelligimus poſt Caudinam pacem id forte factum. Item ſtatim poſt cum ait: *Publilius in Samnio ſubſtitit aduerſus Caudinas legiones*: codex Moguntinus habebat, *adducens Caudinas legiones*, vt intelligamus eas quæ ad Caudium incluſæ fuerant. alioqui Samniticas intelligamus neceſſe eſt.

Cap. xiii. *Contemptu cultorum mollium.*] Non eſt obſcurum quid velit dicere: verba ipſa ſubobſcura ſunt. Nam quis dicere audeat, *contemptu molliore*, pro *hominibus mollioribus*, quos Samnites ob mollitiem contemnebãt? Quæ deinde item ſequuntur verba, non minus obſcura ſunt.

Eod.*Aut interiecta inter Romã & Arpos penuria.*] Vide quid hic dicere velit. Quomodo enim penuria interiacet Romæ ac Arpis? Sit ſane figura vt in priore annotatione, ſed mihi in hoc annotata, exemplaria vetuſta diligentius inſpiciantur.

Eod. *At obſeſſis priuſquam ulter* c o s.] Illud *at*, alij mutarunt in *&*, quod non admodum probo. De coſ. autem Publilio loquitur, nec obſtat quod eius nomen ſtatim ſequatur.

Cap.xv.*Lucius ſiue Cornelius Dictator.*] Duorum L. Corneliorum antea meminit Liuius, Scipionis ac Lentuli. Scipionis anno 405.ac 422. Lentuli autem anno 427. Dubium igitur hic de vtro loquatur.

Digitized by Google

Eod. *Cum Q. Aurelio Cerretano iterum.*] Anno ab Vrbe condita 431. *Q. Aemilium* vocare videtur, & in quibuſdam annalibus *Aulum* dictum: quod ego errore codicum ita legi puto, pro *Aelio*, aut *Aulio* & item anno 440. Et illud, *iterum*, referẽdum ad coſ. *Cerretanum*, quippe qui ante etiam coſ. fuit, tametſi Papyrius ante quoque rem bene geſſerit, vt illud *iterum* ad eum referri poſſe quibuſdã appareat, ſed mihi non probatur.

Cap. xvi. *Num cum ad mœnia Satricæ.*] Hic *Satricam* genere fœminino dicit, cum ſupra libris duob. ſexto ac ſeptimo neutro genere protulerit: niſi quis dicat diuerſa oppida, *Latinorum Sutricum, Samnitium vero Satricam*, aut pro *Satrica*, *Satricula* legendum. vnde tamen paulo poſt, vbi *Satricula* ab L. Æmilio opponatur, *Satricanos* dixit Liuius: niſi codices in his quoque errent, vt plane ſuſpicor. Vnde quidam hic *Satricis* legunt, non *Satricæ*.

Eod. *Eadem nocte portam etiam conſulibus aperuerunt.*] *Conſuli* legendum, non *Conſulibus*. ſolus enim hic Papyrius erat Alter coſ. Ferentanorum vrbem oppugnabat. Probant item ea & ſequentia, & præcedentia.

Eod. *Qua cognomen etiam dedit, victoremque curſu.*] Hæc ita à Liuio ſcribuntur, quaſi Papyrius hic primus id cognominis meruit, cum multi ante Papyrij Curſoris nomen habuerint, nempe primum quem Liuius commemoret, puto anno ab Vrbe condita 270. & Cenſoris nomen anno 363. quod etſi ibidem omiſſum, tamen à Liuio poſtea in oratione Sempronij tribuni plebis Appium incuſantis ponitur, anno 445.

Cap. xvii. *Quem iuuenes duo quibus cum Alexandro.*] Cũ eiuſdem prope ætatis viros numeret, non ſatis certo ſciri poteſt, quinam illi ſint iuuenes. At ego Torquatum ac Coruinum deſignari puto, quorum alter quinto poſt Camilli mortem anno, alter decimoſeptimo, ſingulare cũ Gallis habuere certamẽ. Quod & aliquot verſib. anteceſſit, *ſi Punicum Romano præuertiſſet bellum* non admodũ clarum, præſertim illud, *Romano*.

Eod. *Saltus Appuliæ, ac montes Lucanos cernenti.*] Liuius Appuliæ ſaltus Tauri montis verticib. comparat, & Italiæ quartam partem tot regionibus quas vicit Alexander. Non mirum ſi doctiſſimo illi ſeculo riſum mouerit, cum noſtra ætate quibuſdam hoc diſpliceat. certe affectui ſuo aliquid dedit, ſed iudicent doctiores.

Cap. xviii. *Miremur ſi cum ex hac parte ſecula plura.*] Videtur Liuius accepiſſe *ſeculum* pro *ætate*. Nam pro centum annis non erit hoc verum quod ait: ſed ætates populi Romani ſunt duplo plures quam anni Alexandri ab Vrbe condita vſque ad Liuij tempora. *Octingenteſimum* aureo per auxeſim dixit: neq; enim ipſe Liuius tamdiu vixit, vt non cauiller interim ſub Numa Pompilio non bellaſſe eos.

Cap. xix. *Cenſebantur eius ætatis luſtris ducena.*] De hoc numero quid dicam neſcio: ipſe certe auctor aliquot libris nullum retulit nobis cenſum. Libro tertio bis retulit. ſed numero haud quaquam conueniente cum L. Floro. Decem vero Legionum ex vrbano exercitu, mentio eſt anno ab Vrbe cõdit. 406. At li. 8. vbi ordo exercitus deſcriptus eſt, quatuor legionũ vrbani exercitus meminit, quatuor item Latinorum: nec ſatis liquet in tanta vrbis neceſſitate, cur non meminerit etiã decem legionum, niſi ad vrbis cuſtodiam quis reliquas detentas dicat. Præterea L. Lentulus cum duo conſulares exercitus apud Caudium obſiderentur, quas ego quatuor intelligo legiones auctorib. Polybio, Dionyſio Halicarn. ac Vegetio, faſſus eſt *illic patrium eſſe: & quicquid Romanarũ legionum*, & quæ ſequũtur in eo loco reliqua: Et Antiochum magnum quatuor legiones vicere. Et quamquam ea Rhetorica arte excuſationem accipiunt, lectoris tamen animus ſuſpenſus manet.

Eod. *Et imbellem Aſiam quæſiſſet.*] Vide vt acceperit illud, *quæſiſſe*, &nũ pro *quæſitus eſſet*: quod ipſe tamẽ non memini legere.

Cap. xx. *Nam Ferento quoque valido oppido.*] Quidam *Tarento* reſtituerunt, ſed non recte, vt puto. Nondum enim Tarentum in manus Romanorum venit. Fortaſſis autem *Frentone* legendum ex Plin. lib. 3. cap. 11. Quamquam eo in loco Plinij varia eſt lectio. Horat. autem lib. 3. Car. Ode 4. Ferenti meminit, ſi quis forte hoc putet. eſt enim in Appulia. Paulo ante etiã *Theates* hic Liuius ponit *Appulos*, quod neſcio an quiſquam alius. certe Plin. lib. 3. cap. 12. *Teatinos* in Marrucinis numerat, quorum oppidi *Teatea* etiam meminit Ptolemæus. Sed hæc & ſimilia omnia proſequi eius eſt qui commentarium ſcribit.

Cap. xxi. *Ceterum dictatori L. Aemilio legi.tru.*] Mirum vero quid ita non narratur cauſa creationis huius, ſicut nec paulo poſt Fabij, vt plane ſuſpicandum hunc locum eſſe mutilum. Nos in chronologia noſtra huic Dictatori annum dedimus, quem alij ſeptimo poſt hunc anno ei tribuunt, vbi tamen Liuius manifeſte ſcribit Fabio conſulatum continuatum, de dictatura ne verbum quidem faciens.

Eod. *Hinc Satricani magno cum tumultu.*] Satricula hic oppugnatur, à qua de nominatiuum erat, opinor, Satriculanus, & à Satrica Satricanus, vt antea Liuius vſus eſt. *Satriculani* igitur hoc loco legendum videtur. admonuimus, paulo ante etiam nonnihil de hac re lectorem.

Cap. xxii. Coſs. *noui ſicut ſuperiores Romæ manſerunt.*] Mirum & hoc loco Conſulum omiſſa eſſe nomina; auctoriſne, an temporum culpa, hæſito. Ceterum Fabij dictaturam non videtur poſuiſſe annuam abſque coſs. Sed non eſt dubium hiſtoriæ hic aliquid deeſſe.

Eod. *Id belli tanti ducete quod vrbem oppugnabat.*] Quid certe ſibi hoc velit, vix equidem planum facere poſſum, etiamſi verba clara ſint.

Eod. *Sic fortuna exercuit opes, vt inſignis vtrimque clad.*] Si verbum *ederet* nominatiuum habet *fortuna*, neceſſe eſt, vt *inſigneis vtrimque clades* legamus. Sin autem *inſignis* nominatiuus eſt, copula *&*, abundat.

Eod. *In Aulium temere inuectum per hoſtium turmas.*] *Aelium* quidam legendum putant. Ceterum hoc in loco per aliquot verſus vide vt congruant quæque præcedunt, quæque ſequũtur, primum in eum tela coniecerunt, deinde fratri dederunt, denique ille eum trucidat. Porro qui viuum eum retinere potuerunt, atque adeo dare occidereque, eius cadauere potiri nõ potuiſſe mirum videri poteſt. Præterea amphibolon eſt in genitiuo *Samnitium imperatoris*, fratrine Imperatoris, an vlti deeus Imperatoris Samnitum.

Cap. xxiii. *Suffectus in locum Aulij.*] Qui in ſuperioribus pro *Aulio* emendarunt perpetuo *Aemilium*, hoc loco id facere ſuperſederunt. Ego ſane non *Aurelius* non *Aemylius*, non *Aulus*, ſed vel *Aelius* vel *Aulius* legẽdum cenſeo. Mirum vero quod ea omnia ita variata in codicibus de vno hoc reperias.

Cap. xxv. *Auſonum Minturna & Veſtina vrbes erant.*] Anno ab Vrbe 419. hic noſter Liuius ait Cales vrbem Auſonum fuiſſe, quæ proximo deinde anno à M. Valerio Coruino expugnata, colonia Romana facta eſt. Plin. autem li. 3. cap. 5. vbi de Latio Auſonas habuiſſe ſedem inter Circeios ac Lirim amnem ſcriptum reliquit. Hæc omnia diuerſis temporibus fieri poterant ſed tamen iudicet lector.

Cap. xxvi. *Quod execrabile in his captos eſſet.*] Quando initio huius libri, vt antea diximus, Luceria Romanis amica eſſet, veriſimile eſt fœdere non oppugnatione Romanorum factã. quod Liuius tamen ſpeciatim de hac vrbe non meminit, de Appulis tamen non omiſit anno 428. Deinde eadem vrbs Samnitium facta eſt, videlicet in quam Samnites Romanorum obſides ponere non dubitarunt. Id autem intelligimus actum dum ad furculas Caudinas Romani obſidebantur, etiamſi Liuius ne verbo quidem meminerit. Rurſus deinde Papyrius Curſor cepit: ſed cum ad Samnites rurſus defeciſſet, hic ſecundario capitur. Ter igitur Romanorum fuit, ſed bis capta.

Cap. xxvii. *Commota pedeſtri acie Samnitium, eques in pug.*] Incerta eſt diſtinctio in genitiuo *Samnitium*. Nam & ad *acie*, & ad *eques* refertur: de vtriſque enim loquitur, non de Romanis quale propemodum illud Virgilij: *Nec latuere doli fratrem Iunonis & iræ.*

Cap. xxviii. *L. Papyrio Curſore, C. Iunio Bubulco iterum.*] Quidam poſt *Curſore*, adiecere *V*. Sed Liuius duobus in locis dubitat de Curſoris cognomine anno 435. Tertio omiſit eius nomen anno 440. nos tamen in Chronologia noſtra Caſſiodorum ſecuti *Quintum* poſuimus.

Cap. xxix. *Dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit.*] Dictatorem nominat abſque magiſtro equitum, cum auctore Dionyſio nunquam Romæ hoc factum ſit. Id etiam lib. 1. admonuimus.

Cap. xxxiii. *Q. Fabius inſequentis anni coſs.*] Hic addendum, *Iterum*. Nam primum fuit anno 432. poſtea vero adhuc ter. Maximi nomen ad finem huius libri meruit, quamquam

in prioribus ſæpe huic appoſitum eſt. ſed perperam, meo quidem iudicio, vt antea etiam admonuimus.

Eod. *Qua velut fatalis cum tribunis ac plebe erat.*] Non cum tribunis ac plebe erat Appiana familia, ſed contra tribunos ac plebem: ergo *cum tribunis* aut *contendens* aut *bellatrix* intelligendum. alij legunt *tum tribunis ac plebi*, eodem ſenſu, ſed luculentioribus verbis.

Eod. *Nam etſi tenuerit lex Æmilia.*] Niſi hæc cauillatio reuera eſt, nõ video quomodo hic locus intelligendus, niſi forte quis ei aliquid deeſſe ſuſpicetur, quod equidem neſcio: id tamen in oratione Decemuiri accidit lib. 3.

Cap. xxxiv. *Tertio nec ab ſe, nec ab vllo creatus.*] Hic quintus poterat eſſe locus ad oſtendendum Decemuiros tribus regnaſſe annis, quemadmodum lib. 3. oſtendimus: ſed ſatis eſt probationum.

Eod. *Cum centeſimus iam annus ſit ab Mamerco Æmil.*] Non omnino rotundum exhibuit numerum, id quod in orationibus ſæpius fieri ſolet. Æmilius enim hanc legem tulit anno ab Vrbe condita 322. hic autem annus eſt quadringenteſimus quintus.

Eod. *Nuper intra decem annos C. Menius dictat.*] Hic quintus eſt annus. Nam Menius dictator fuit anno ab Vrbe condita 441. hic autem, vt iam diximus, 445. quare locus haud dubie corruptus eſt. Nec obſtat, quod iam diximus numeros non vbique eſſe rotundos, duplo enim hic auctum numerum quis ferret? niſi diuerſos ſit auctores ſecutus Liuius. *Menius* autem, ſiue *Manius*, triſyllabon legendum.

Cap. xxxvi. *Quam nuper fuere Germanici ſaltus.*] Siluam Hercyniam, opinor, vult dicere, cuius magnitudinem ſi Ciminiæ ſiluæ comparat, impar erit, ne dicam inepta comparatio: ſi denſitatem, qui id ſcire potuit Liuius? Id vero haud immerito optimo cuique mirum videri poteſt, qua via Galli tam cito à Cluſio Romam venire potuerint, ſi hæc tam horrenda ſilua penetranda erat. Quod ſi aliud iter ex Hetruria Romam ducebat, qua de cauſa Q. Fabius Coſs. eo non eſt vſus? Longius erat, inquies. quid tum poſtea? Veturius Poſthumiuſque non erant in oculis? ſed hoc eſt hiſtoriam ſcribere. Quid autem ſibi vult quod ait, neminem præter ducem ipſum intrare auſum, qui hic nõ intrauit? Deinde, omnibus aliis cladis Caudinæ, nondum memoriam aboleuiſſe, ſtatim autem conſulis fratrem ſpeculatum ſe iturum poſeſſum? hæc qui cauillari volet, nonne habet quo ſe tueatur?

Eod. *Ibi, qui eſſent, fateri Romanum auſum.*] Vide vnde pendeat hoc participium, *auſum*: non enim à verbo *dicuntur*, ſed ſupplendum, *fama eſt*, aut quid ſimile.

Eod. *Quæ extra ſaltum diſpoſitæ erant.*] Superius ait, in ſiluam fuſos confugiſſe hoſteis, & Coſs. Fabium poſitum hoſtium caſtris. hic vero ait, extra ſaltum diſpoſitas hoſtium ſtationes. Præterea quid opus erat hac conſulis ſimulatione, cum ipſe hoſteis fuderat, caſtriſque exuerat? Deinde quo pacto hoſteis ludere poterat, cum ipſi per ſiluam eundum eſſet, in quam illi confugerant?

Cap. xxxvii. *Itaque quantus numquam antea exercitus ad Sutrium.*] Quod quidam pro *numquam*, repoſuerunt, *non vmquam*. res eſt non magni momenti. Illud mihi magis conſiderandum videtur, quonam in loco hæc ſubſequens pugna, quod etiam apud veteres dubium fuiſſe ipſe auctor fatetur, facta ſit, & amphibolon de induſtria feciſſe credimus Liuium. Exercitus enim iam veniſſe ad Sutrium videtur, cum Fabij tamen reditus nuſquam hic deſcribatur, niſi quis hæc verba ita torqueat, Ad Fabium vltra Ciminiam ſiluam tantum veniſſe exercitum, quantus antea numquam ad Sutrium veniſſe memoretur. Nam ad Peruſiam paulò poſt ad finem huius anni depugnat.

Cap. xxxviii. *Papyrius D. Iunium Bubulcum.*] Pro *D.* quidam emẽdarunt *C. Iunium*, qui ter Cos. fuit. ſed poterat & alius eſſe. Porro quæ ſequuntur verba, in codice Aldino egregie corrupta habebantur: Nam pro, *diem diffudit*, *diem diffidit* in eo legitur, fortaſſis ex Angeli Politiani eximia iſta ſcilicet emendatione ca. 41. Miſcellaneorum, de qua iure eum increpat. Guil. Budæus annotationib. in Pandectas, apud quem Budæum, quid ſit *diem diffundere* copioſe explicatum reperis. Admonuit nos eius loci eximius vir D. Georgius Amelius Marcomannus compater meus, doctæ lectionis ac veræ eruditionis columen. In eodem Aldi codice pro his verbis; *quod fauciæ poſitũ erat*, *qua id efficiat*. At Budæus legit *Faucia curia*. quod cur id faciat, neſcio. Porrò quæ proxime ſequuntur verba, variè leguntur, ſed ex quib. nullum potui elicere ſenſum. Si quid curiæ vocabulum hoc loco ſignificaret, planum eſſet, facilius ea intelligerentur. Deniq; legis curiatæ aliquoties mentionẽ facit Liuius: at quæ ea ſit, nuſquam explicat. Curiata comitia erant, quando viritim inibantur ſuffragia per tribuſ curias, vt ex Dionyſio colligitur, quib. Camillus de exilio reuocatus dicitur l. 5. & lex ibidẽ Curiata lata eſt, dictatorq. abſens dictus.

Cap. xxxix. *Nam & cum Vmbrorum exe citu acie depnd.*] Nõ eſt dubium quin præcedentia verba de Dictatore in Samnio res agente ſint dicta, & nunc de vmbris ſine vlla digreſſionis nota loquitur, eoſque fuſos ait, de quibus poſtea dicturus eſt; *Tranquillas res iam Hetruſcis turbauit repentina defectio Vmbrorum, gentis integra à cladibus belli*. Quare ſuſpicor pro *Vmbris* populum hic aliquem Samnitium legendum, etiamſi mihi non liquet quis ſubſtituendus. Deinde nouam digreſſionẽ incipiendam, *Et ad Vadimonis lacum*, &c. quomodo Liuius ſæpius orditur.

Cap. xl. *Galea criſtata.*] Quidam emendarunt *galeata criſtæ*. temere meo quidem iudicio. Videndum etiam quam bene habeant quæ præcedunt verba, *Spongia pectori tegumentum*, neutrum enim intelligo.

Eod. *Fabio ob egr. e perdomitam Hetruriam.*] *Perdomitam* ait, quæ nondum domita erat, quippe in quam nunc mittitur exercitus conſularis. Ceterum Decio hic addendum *iterum*. *Fabio* iii. Valerio prætori hic additur *quartum*, quod de prætoribus rarum eſt.

Cap. xli. *Profectus ad Nuceriam Allifates.*] Videtur legendum *ad Luceriam*, quæ Romanorum colonia iam erat. Nam Nuceria longius abeſt in Picentibus, etiamſi tres Nuceriæ à Ptolomeo referantur. Sed quam ipſe Appulorum facit, eam puto Luceriam dici, eius & Horatius in Odis meminit. Hoc autem de Allifa & Allifatibus mirum. Capitur Allifa anno ab Vrbe cond. 428. & 445. Hic Allifates ſubiguntur, cum de eorum defectione vix vllum habeamus verbum.

Eod. *In agro Pipinienſi.*] Quidam *Pupinienſi* reſtituerunt, ſed nihil certe adferre poſſum.

Eod. *Plaga vna (materiam ipſi appellant.)*] *Plaga* hic haud dubiæ militiæ nomen, & fortaſſis quod πλαγίαν vocant Græci, aciem quadratam altera parte longiorem. Certe vox hæc à Liuio ita ponitur quaſi omnibus nota, cum ipſe nuſquam antea, quod ſciam ea vſus ſit.

Cap. xliii. *Trinis caſtris intra paucos dies exuti.*] Ita l. 5. *Ante*, inquit, *trina loca cũ contentione summa patritios experi ſitos*. Laurentius Valla de lingua Latina meritiſſimus, de hoc nomine dubitare viſus eſt li. 3. Elegantiarum, quaſi non ex eorũ numero quæ nominib. tantum pluralis numeri addantur. At hic locus de trinis caſtris ſatis conuincit eſſe de eorum claſſe. Addã exemplũ aliud ex Cæſare l. 5. de bello Gallico. *Ipſe cum trib.* inquit, *legionib. circũ Samarobriuam trinis hibernis hyemare conſtituit.*

Eod. *Et cum Carthag. eodem anno fœdus tertio ictum.*] Poly. li. 3. ait primũ fœdus cũ Carthaginenſ ictum ſub primis Cos. quod Liuius omiſit. Tertium autẽ ictum eo tempore, quo Pyrrhus Rex in Italiã traiecerit. Liuius hoc anno, tertio ictum. Anteã etiam anno 407. Sed primone an ſecundo incertum.

Cap. xliv. *Hos Cos. Piſo Q. Fabio, & P. Decio ſuggerit.*] Si quis dubitet, curæne fuerit Liuio vt annales per Coſs. nomina diligenter deſcriberet, habet hic opinor ſatis luculentum exemplũ. Quare triũ annorum Conſules omiſſos l. 2. ab Vrbe condita. puto iniuria temporum non Liuij negligentia accidiſſe.

Eod. *Tifernum Poſthumius, Bouianum min.*] Cũ ambo Coſs. in Samnium miſſi ſint, neceſſe eſt Tifernum in Samnio oppidum eſſe, cum omnes auctores Vmbrorum eſſe oppidum diuerſo cæli tractu fateantur. Fieri tamen poteſt, vt duorum oppidorum hoc ſit nomen: Libro etiam ſequente Liuius montem in Samnio Tefernum perhibet. Eſt & apud Plin. lib. 3. c. 11. Tiferni amnis mentio, cuius meminit & Ptolemæus apud Garganum, ſi codices non errant.

Eod. *Et Bouianum, vbi poſtero die cœptum oppugnari.*] Hoc oppidum anno 444. rurſus poſtea anno 455. capitur. ita Liuius ter captum memorat, cum ne ſemel quidem defeciſſe vſpiam ſcribat.

Eod. *Eo anno Sora Arpinum, Ceſſentia recepta.*] Quidã *Cenſennia* reſtituerant, quod neſcio quam bene. quidam *Conſentia*, quod minime quadrat, eſt enim Conſentia Brutiorum oppidum longe à Samnitibus. vide num *Eſernia* legendum, cuius in Samnitibus meminit cum Ptolomæus, tum Plinius.

Cap. XLV. *Eodem anno C. Flauius Cn. filius.*] Quidam etiam filium *Cn.* vocant: Gellius lib. 6. cap. 9. non *Cnei*, ſed *Anni* filium ait. Ita Cicero ad Atticum lib. 6. Ceterum quod hic tuerſus de aureis annulis nobilium Liuius tradit ſupra contra Plin. eſſe oſtendimus.

Cap. XLVI. *Vt equites Idibus Quintilibus tranſueherentur.*] Satis conciſe hoc tradit, quod Dionyſ. lib. 6. poſt pugnam ad Regillum lacum copioſe hoc narrat. Meminit & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Trabeatos*, inquiens, *equites Idibus Iulij Q. Fabius tranſuehi inſtituit*, Quo in loco etiã trib. IV. à Q. Fabio deſcriptas memorat, cum paulo ante de equeſtris ordinis ſpectaculo diſſeruiſſet, ſed alio apparatu quam Idibus Quintilibus.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. X. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Sora atque Alba coloniæ deducta.*] Quidam mutarunt hos caſus in accuſatiuum *Soram atque Albam*, ſed inepte, meo quidem iudicio, cum id genus loquendi per nominatiuum ſæpius apud auctores inueniatur, atque adeo maxime apud hunc, vt præter alia innumera loca præcedente libro anno 442. ita ait: *Sueſſa & Pontia eodem anno coloniæ deducta.*

Cap. II. *Thurias vrbem in Salentinis cepit.*] Omnes fatentur *Thurium*, neutro genere, vel *Thurij* maſculino genere oppidum eſſe magnæ Græciæ, vt videre eſt apud Strabonem libr. 6. etiamſi initio fere eiuſdem libri ſupra Thurios fateatur regionem eſſe, quæ *Thuriana* (ſed corrupte id ita legitur, *Tauriana* enim legendum) vocetur. Fieri autem poteſt, vt & in Salentinis eius nominis fuerit oppidum.

Eod. *Oſtium prealti fluminis, quo circumagi*, &c.] Hæc verba adhuc exploratorum puto: ſed quidam, *poſſint* verbum, ſuſtulerunt, ante verbum, *vidiſſe*, ſine quo ſenſus non conſtat. *Meduacus* autem nomen non temere apud auctores reperias. Boccatius Venetorum ait flumen haud dubie hoc ex loco, nihil præterea addens. Quod autem Patauinos metu accolarum Gallorum ſemper in armis fuiſſe Liuius dicit, cauſa innuitur cur ita vbique Gallos eleuet. Sed ab hiſtorico abeſſe oportebat odium. Ex hoc item loco ſatis apparet quantum luminis ſenſui adferat vel addita vel detracta aſpiratio in *oſtium* & *hoſtium*.

Cap. III. *In quem colonia Carſeoli deducta erat.*] Poſtea anno 455. ab Vrbe cõd. rurſus deducta refertur. credo memoria lapſum Liuium, non bis deductam coloniam, quatuor. n. duntaxat anni interſunt, nec vſpiam interea amiſſa deſcribitur.

Eod. *Ceterum ex Maximi communi cognomine.*] Collatio eſt Q. Fabij ad M. Æmilium Paulum, non ad M. Valerium Max. Quare hæc Liuij ſuſpicio de nomine Maximi, minime congruit.

Eod. *Milioniam Pliſtiam, Freſiliam intra p. d. cep.*] Quidã codices *Miloniam* habent ac fere vetuſtiores. Ceterum poſtea anno 459. Samnitium oppidum dicitur. *Pliſtia* item ſuperiore libro, anno 440. hic (ſi diis placet) Marſorum. Neque vero perpetuo audiri oportere puto diuerſorum oppidorum fuiſſe nomina. ſed credibilibus eſt in his vel errare codices, vel memoria lapſum Liuium: Vtrumque ſane non multum abeſt à vero.

Cap. IV. *Caſtra in agrum Ruſellanum promouit.*] Meminit Ruſellæ Ptolem. & Plin. item Ruſellæ coloniæ. Eiuſdem agri item hic noſter auctor in hoc adeo lib. anno ab Vrbe condita 459 vbi tamen codices fere legunt Roſellanum.

Cap. V. *Et ſuper alios alij nunciant dictatori.*] Vide vt hic ſermo ſtatim verſus eſt. Præcedentia enim verba manifeſte de Hetruſcis dicuntur hæc autem omnino de Romanis. Neque enim Hetruſci dictatori nunciant omneis legiones Hetruſcorum capeſſiſſe pugnam. Sed certe coniunctio *&*, nouæ digreſſionis eſt nota, quod ſuperiore quoque libro admonuimus: niſi quis mendum in hoc loco putet. Illa etiam verba quæ cõtinuo ſequuntur, *Ceterum ſatis fretus*. etſi intelliguntur, duram tamen habent compoſitionem.

Cap. VI. *M. Valerio, & Q. Apuleio* Cos.]. Et hic rurſus Valerium abſque cognomine profert, vt anno ab Vrbe cond. 443. fecerat, & bis. hoc adhuc anno, & ſequenti. quanquam Maximus hic fuit Dictator, ac illi conſulatus duobus ſequentibus annis datus videtur. Id vnum apud me dubium, num Coruinus etiam Maximus ſit cognominatus, an alius quiſpiam M. Valerius cum Coruino hoc tempore vixerit ex eadem familia. Nam à quadringenteſimo ab Vrbe cond. anno, noucis in magiſtratu M. Valerij nomen reperias: ſed Coruinus anno 407. primum fit Cos. in ſex ſequentibus locis aliquis alius ſemel fuit conſul. non Coruinus. At qui ex illis locis ſit, non ſatis liquet, ſuſpicor tamen anno 443. Alloqui Coruinus hic erat VI. Cos. ac anno ſequenti VII. quod non videtur veriſimile. Nemo. n. ante C. Marium ſepties Cos. fuit Romæ, auctore Plutarcho. Plinius ſane lib. 7. c. 48. à primo Coruini cõſulatu ad ſextum vſq; ait interceſſiſſe annos 46. quod ego intelligo non cõnumeratis extremis. At hic annus eſt 47. Quare ſequẽti, non hoc anno, puto Coruinum ſextum fuiſſe Cos. vbi Torquato ſubrogatus fuit: & vel hunc locũ, vel eum anno ab Vrbe cond. 443. vt diximus, de alio intelligi Valerio. Sane lex de prouocatione, à Coruino magnæ auctoritatis viro lata videri poteſt. Et fortaſſis Dictatori: prioris anni male additum Maximus. Nam & Liuius in comparatione illa ex nomine Maximi orta, lapſus videtur, vt paulo ante demõſtrauimus. Sane Liuianus codex in his oppido negligens eſt, auctoriſne culpa, an temporum iniuria, ignoro.

Cap. VII. *Qui tum eadem ferme de iure patrũ ac pl.*] De iure patrum contra legẽ Liciniam dixerat Appius ad finem li. 6. Sed de iure plebis pro eadem lege tribuni pl. Quare hoc loco, *dixiſſent*, numero pluratiuo legendũ, quod quidam codices neglexerunt. Et quia lib. 6. Liuius Appij bene longam, omiſſa tribunorum. poſuit orationem, hic eidem viſum puto operæ precium eſſe, vt Decij poneret, omiſſa Appij, nõ eiuſdem, ſed cenſoris, vt puto. Interceſſerunt enim anni plures LX.

Cap. IX. *C. Martius, T. Publius.*] *T. Publius* legendum puto, quod antea toties de *Q. Publilio Philone* admonuimus: erant n. *Publilij* ex plebe, & ex *Publilius* quam cito factum *Publius*?

Cap. X. *Eodem anno ab Hetruſcis aduerſus inducias.*] Biennio ante Cos. M. Liuio & C. Æmilio, induciæ datæ erant Hetruſcis ad biennium, ab dictatore M. Valerio, quo pacto igitur parabant bellum aduerſus inducias? Vide etiam num legendum *talia*, pro *alia*, in continua ſequentibus verbis: non enim alioqui facile intellectu.

Cap. XII. *Bouianum inde aggreſſus.*] Hoc oppidum bis antea captum à Romanis 444. & 449. quod admonemus ob fidem exemplariorum. De Carſeolis iam admonuimus.

Cap. XIII. *Qua intra decẽ annos eundem* Cos. *refi.*] Hic vndecimus eſt annus, quo Q. Fabius Cos. fuit, nẽpe anno 446. Licuit igitur eum rurſum Cos. fieri hac lege nõ impediente. Sed fortaſſis Liuius oblitus ſui, ſecutus eſt Piſonis ordinẽ, de quo anno 449. Id multo mihi dubium magis, quando nã hæc lex fuerit lata, cum anno 446. in hoc ipſo Fabio, prioribuſque adeo annis raro obſeruata fuerit, nec poſteriorib. item temporib. vt Conſulum nomina recenſenti facile apparet. Annotauimus ſimile quid in Chronologia noſtra de poſteriore Scipione apud Florum lib. 56. in Epitome, anno ab Vrbe cond. 620.

Cap. XIV. *Igitur non fefellere ad Tifernum.*] Admonuimus de hoc priore etiam libro. Ex hoc ſane loco oppidumne ſit, an mons, an fluuius, ſciri non poteſt, Ptolomæus fluuium facit, Liuius montem poſtea, atque hæc non in Vmbria, vbi Tifernum oppidum omnes fatentur.

Cap. XV. *Fabius etiam vrbem Gimeram cepit.*] Varie hoc in exemplarib. legitur, ceterũ certi nihil: videnda ſunt exemplaria vetuſtiora, & fieri poteſt vt nomen cum loco interierit.

Cap. xvi. *L. Volumnio & App. Claudio* Coss. legendum, *iterum* Cos. hoc quod ipſe paulo ante innuit, *Priore* (inquiens) *item conſulatu inter ſe comparati*, fuère enim ante vna Coss. anno 447.

Cap. xvii. *Ferentinum iade.*] De Ferentino libris huius decadis duobus primis admonuimus, ſed in Volſcis oppido, cuius agrum Romani Hernicis poſtea dederunt, anno ab Vrbe condita 342.

Cap. xxiii. *App. Claudius prætor: omnes abſentes.*] Oportuit Q. Fabium ac P. Decium non deſcendiſſe in campum Martium, alioqui vtique præſentes erant. Appius autem erat in Hetruria. Ceterum cum aliud fuerit tempus creandi, aliud ineundi magiſtratus, Liuius in nunc ſequentibus frequenter numerum adijcit poſteriori tempori, quamquam ea res indiligenter ab eo obſeruata eſt multis in locis.

Cap. xxiv. *Fabius quam arborem conſeruiſſet.*] Si hæc vere ſcribuntur, qui factum eſt vt anno 446. idem hic Fabius cum eodem hoc P. Decio collega Cos. non contenderit, atq; adeo ægrè tulerit, Hetruriam à ſe iam in triumpho latam, ad ſortē reuocari, vbi ſors eius prouinciæ in Decium cecidit? Mirum vero Liuium eius prorſus nullam dicere cauſam. Videndum etiam hoc loco, num *conſeuiſſet*, legendum, pro *conſeruiſſet*.

Cap. xxv. *Ad oppidum Abarnam.*] Vel corruptum eſt hoc nomen vel deletum oppidum, vt poſtea nemo eius meminerit, vt ſunt pleraque alia.

Eod. *Relicta ſecunda legione ad Cluſium quod Camars.*] Cluſium vetus intelligit, quod à Roma diſtare ait Polybius libro 2. itinere trium dierum. Ioannes Annius Viterbienſis ſuper Catonis neſcio quo fragmento, Comorſol vocatum ait hoc Cluſium. Verum quod ad hunc attinet locum, ſecunda legio Cluſij relicta refertur: vbi autem exercitum alium Fabius reliquerit, neque hoc loco, nec in ſequentibus Liuius explicat, caſtrorum meminit, ſed illa ab ſecunda legione neſcio vt diſcriminet. Nec id ſatis conſtat, cum Scipio legionis dux cum ea interierit, quippe cuius in poſterioribus adhuc videtur mentio. Denique ante legio ſecunda cum tertia in Samnium mittitur ſub Volumnio Coss. hic vero poſteriore anno ad Cluſium cæditur. Paulòpoſt autem in acierum ordinatione aduerſus Gallos ac Samnites ipſa abeſtat, videlicet cum quarta legione miſſa in Samnium.

Cap. xxvii. *Tranſgreſſo Apennino in agrum Sentinatem.*] Plin. lib. 3. cap. 14. *Setiaates* in Vmbris ponit. Ptolomæus *Centinum* oppidum non longè à Spoleto memorat. Idem Annius meminit eorum ſuper eodem fragmento circa vetus Cluſium. In Plinio litera *a* omiſſa videtur.

Cap. xxix. *Ita vt magna pars integris corp. atto. concide.*] Hoc loco, *magna pars integris corporib. attoniti concideraat.* Paulò poſt de iiſdem loquens, *Galli*, inquit, *teſtitudine facta conferti ſtabant*, Sed Gallorum certe hoſtis fuit Liuius, vt id multis ex locis colligitur.

Cap. xxx. *Equitum ſex et quadraginta mil.*] Quidam codices nullum millenarium adiecerant equitibus, quod videbatur nō veriſimile, equitatus numerum maiorem peditatus numero fuiſſe: ſed meo iudicio neq; omitti millenarius poteſt, neque equitatus excedere peditatum. ideoque ita legendus eſt locus: *Equitum ſex millia & quadringentos, mille carpentorum ſcripſere fuiſſe.* Multa ſimilia in numeris errata paſſim reperias.

Cap. xxxi. *Et partem aliam in Eſerniacum quaque qua.*] Ita habent vetuſtiores quidā codices: & *Eſerninorum* meminit Ptolemæus, & item Plin. lib. 3. cap. 12. in Samnitibus. Quidam ita emendarunt: *Et parte alia in Eſetruniū quaque Vulturno adiacet flumini, deſcendere.* Ego quid Eſetrunium ſit ignoro. Tum illud, *quaque* quid referat, æque obſcurum. Planior erat ſenſus ſi ita legeretur. *Et parte alia in Eſetrunium quoque, qui Vulturno adiacet flumini deſcendere.* Sed lectoris eſto iudicium.

Eod. *Annumque ſextam & quadrageſimum à M. Valerio & A. Cor.*] Hi fuerunt Cos. anno 412. quibus annis ſi adieceris 46. fient anni ab Vrbe cond. 458. Hic igitur locus conuincit in ſuperioribus alicubi annum vnum aut alterum omiſſum iniuria temporum, quod nos in Chronologia noſtra latius oſtendimus.

Eod. *Quidnam ſit ille quem non pigeat longinquitatis.*] Quidam ſuſtulerant ex hoc loco negationem continuoque poſt repoſuere. Ego quid ibi faciat non plane intelligo.

Cap. xxxiii. *Attilius cum exercitu extemplo profectus.*] *Profectus* ait primum ſingulariter, deinde pluraliter ſubiungit, *obuiam habuêre hoſtem.* ſuſpicor plane non integram eſſe hoc in loco codicum fidem: quamquam quod ad eam rem dicerem, habeo, verum mihi non ſatisfacio. *Ibi & vbi*, relatiua hîc ſunt. & Samnitium rem ſuperiorem Romana ait trifariam, quod Romanos ab ingreſſu, à vallatione, à regreſſione prohibere facile quiuerint. Sed lector locum diſcutiat, perpendatque dicendi genus ſatis durum, mea quidem opinione.

Cap. xxxvi. *Interamnam coloniam Romanam.*] Vbi & quando hæc colonia deducta ſit non meminit Liuius. Ptolomæus Praguribtum oppidum ait prope Marſos. Plin. Interamnatium lib. 3. ter meminit capitibus 12. ac 14. vt omnino non vnius dumtaxat oppidi nomen.

Cap. xxxvii. *Cum L. Horatium, M. Valerium* Coss.] Legendum *M. Horatium, L. Valerium* Coss. ex lib. 3. anno 306.

Cap. xxxviii. *Ibi ex libro vetere linteo lecto ſacrif. ſacerd.*] Illud *lecto*, vide vtrum ad *libro*, an ad *ſacerdote* referendum, præterea qualis hæc compoſitio?

Cap. xxxix. *Amiterinum oppidum de Samnitib. vi cepit.*] Ptolemæus Veſtinis hoc tribuit oppidum: at de locis quæ Samnitico bello numerat Liuius, non omnia certā pronunciauero. Atinatem enim hic numerat agrum haud dubio in Samnitiū ditione, cum Plinius lib. 3. cap. 11. Atinates Lucanis adſcribat, capite vero duodecimo Marſis, & 5. cap. inter Latiæ populos enumeret. Cominios ait idem ex Æquicolis interijſſe, hic autem ex nuntio Papyrij ad Caruilium miſſo, non ita longe ab Aquilonia diſtare intelligitur. Aquilonia vero Hirpinorum oppidum à Ptolomæo perhibetur. Duroniam non temere inuenies apud auctores.

Eod. *Nec grauiter pugnaram laceſſendo qui.*] Quidam *grauiter* emendarunt. ceterum quæ ſequuntur verba, perquam obſcura ſunt.

Eod. *Papyrius nuntio miſſo, extemplo con.*] Aut ὕστερον πρότερον eſt, aut noua repetitio. nam dies nuntij miſſi, vt cum die concionis conueniat, non plane video: niſi quis hîc *miſſo* pro *dimiſſo* exponat.

Cap. xl. *Quadrigenaria ferme erat.*] *Quadrigenarius* quidam emendarunt, temere meo quidem iudicio. Ælianus de acieb. inſtruendis vocat cohortem pentacoſiarchiam, id eſt, quingentariā, quæ ſit ex hominib. dxii. ad quam formam hic *quadrigenariam* vocaſſe videtur Liuius. Similis locus fuit libro 7. ab vrbe condita, vbi obiter etiam aliquid attigimus.

Eod. *Cum cohortib. alari s in tumulum conſp.*] *Alaribus* alij recte emendarunt. Nam paulò poſt de eodem Sp. Nautio dicturos eſt: *Sp. Nautius dux alaribus cohortibus erat.* Vegetius lib. 2. c. 1. equites intelligit, qui ad ſimilitudinem alarum ab vtraq; parte protegant acies. Ceterum Liuius poſtea vbi Caruilius Coss. præſidium contra Samnitium viginti cohortes mittit, ita ait: *D. Brutum Scæuam legatum cum legione prima & viginti cohortib. alaribus, equitatuque ire aduerſus hoſtium ſubſidium iuſſit.* Hic aperte & legionarij, & alares & equites diſtincte nominantur, quare etiam pedites intelligi fortaſſis poſſunt, etiāſi hoc loco in equis veniant cum Sp. Nautio.

Eod. *Inſequitur acies ornata armataque.*] Ornatam aciem intelligo lorıcatam phalangem ſexdecim millium hominum, quam legionem ipſe paulo ante vocauit. Armatam autem aciem paulo plus viginti millium exercitum, nec corporum ſpecie nec gloria belli, nec apparatu linteatæ legioni diſparē. Quæ vero hic ſequuntur verba, perquam obſcura ſunt, niſi *hoſtibus* pro *hoſtium* legas. Illud etiam, *Emiſſo temere pylo*, dubium: quis enim miſit? Lepidiſſimum autem corui tam ferociſſi atque audacis prodigium. Hîc Liuius non modo æquat Herodotum, ſed propemodum ſuperat, vt critici dicunt.

Cap. xlii. *Pauxillum mulſi prius quam temetum biberet, ſeſe fa.*] *Pocillum alij malunt.* Plin. enim lib. 14. c. 13. de eodem Papyrio loquens ita ait: *Votum fecit, ſi viciſſet, Ioui pocillum vini.* hæc ille, nihil præterea addens. Hic vix intelligitur hæc argutia: etſi quid mulſum, quid item temetum ſit, haud obſcurum eſt, ſed iudicet lector.

Cap. xliv. *Diuerſi Papyrium ad Sepinam, Caruilius ad Vol.*] Sepini in Samnitib. meminit Ptolē. *Volanam* habebant veteres libri at alij in *Veleiam* mutarunt, temere meo quidem iudicio: Eſt enim *Velia* in Lucanis litterale oppidum, longe à Samnio.

Cap. XLV. *Quonam modo tolerabilis futura Hetruria.*] Hæc ita Liuius narrat, perinde atque ante Hetruria ac Samnium numquam ſimul aduerſus Romanos fuerint, cum ad finem anni quadringenteſimi quinquageſimi ſeptimi hi duo populi, ac præterea Galli ac Vmbri, non parua acceſſio, bellum mouerint Romanis.

Eod. *Neque obſidio, neque bellum ex æquo erat.*] Hæc verba quid ſibi velint & an integra, vix equidem intelligo.

Cap. XLVI. *Auri triginta tria millia.*] Legendum puto, *& auri mille triginta tria.* ſequitur enim *pondo.* idque eam potiſſimum ob cauſam, quod ea tempeſtate ratum eſſet aurum, & ſummæ nimium excreſcerent. Niſi quis tantum auri contendat fuiſſe, quãtum in moneta facerent (vt cum vulgo loquamur) triginta tria millia pondo. Semel ita locutum puto Liuium lib. I. de pecunia ex Pometiæ vrbis præda à Tarquinio ſepoſita. Triginta tria millia pondo argenti facerent 33000. coronatorum. Cum totidem auri pondo ingentem ſummam, nempe 3696000. coronatorum, ex vnius tum vrbis præda haud quaquam ſperandam. Scio quoſdam aliter legere, ſed cuique ſua ſit coniectura. Atq; hæc in primam decadẽ. Quod ſi hic annus eſt ab vrbe condita 460. perfectus, & bellum ſecundum Punicum, quod tertia deſcribitur decade, decimooctauo demum anno finitum eſt: denique bellum Macedonicum, quod quarta deinde ſequitur decade, cœpit anno ab vrbe cond. 554. vt eo in loco oſtendemus luculentis rationibus: certe decados ſequentis anni fuerunt 75. Sed hæc ab initio noſtrarum annotationum latius proſecuti ſumus.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXI. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. IV. *Miſſus Hannibal in Hiſpaniam.*] Haud abs re multi eximij viri hoc in loco dubitarunt, quando nam Liuius crediderit Hannibalem in Hiſpaniam miſſum. Si enim cum Hamilcare parente in Hiſpaniam venit, quod Polybius, Plutarchus, alijque auctores aſſerunt: & ipſe Hannibal ter apud hunc fatetur auctorem, ſemel libro huius decados primo in oratione ad milites apud Padum: iterum libro 10. ad populum Carthaginẽſem, tertio ad Antiochum regem lib. 5. decados quartæ, quo pacto vera eſſe poſſunt quæ hic aliquot locis tam ambigue ait Liuius? alibi vix dum puberem, literis ab Haſdrubale accerſitum, alibi quarto poſt patris mortem anno, quippè qui triennio ſub Haſdrubale militaſſe dicatur, anteaquam imperator electus fuerit, cum tum temporis vt minimum 23. annorum iuuenis eſſet. Ceterum cum ſecundum Liuij verba nouem annorum puer admotus altaribus fuerit, ac ipſe pater Hamilcar nouem deinde annis, Haſdrubal eius gener octo, in Hiſpaniis adminiſtrauerint imperium, videndum omnino quo anno Hannibal accerſitus videatur, quo anno veniſſe in Hiſpaniam, quo denique anno cepiſſe imperium. Quod ſi dicamus nouem annorum puerum Hannibalem cum Hamilcare parente veniſſe in Hiſpaniam, ac poſt nonum parentis in Hiſpania, octauumque Haſdrubalis in eodem imperio annum, ipſum electum imperatorem, cum haberet iam annum 26. omnia tunc loca de Hannibale bene habebunt, & ceſſabit intempeſtiuum hoc ſcomma, quo Liuius in hac præfatione in hos viros iocatur, cum nec temporum ratio, nec patris verecundia hoc, vt veriſimile videatur, admittat. Fuère enim viri ſtrenui quantumuis barbari. Præterea neſcio quam longè vehementius viriliuſque ſonet, ſi quis omnibus hic dictionib. aſpiret, *Hannibal, Hamilcar, Haſdrubal. Hanno*: nec dubito apud Priſcos eam fuiſſe pronunciationem in Punica lingua, deinde per Græcos ad Romanos corruptam, vt pleraque alia barbarorum. Cum nemine tamen ea de re certauerim.

Eod. *Arma atque equi conſpiciebantur.*] incerta eſt diſtinctio, incertus ſenſus: neq; hercule ego ſatis explicare poſſum, niſi dicamus: Si quando arma atque equi conſpiciebantur, tum equitum peditumque longe primum fuiſſe Hannibalem. Sed neque ſic ſatisfit mihi.

Cap. V. *Finitimis domitis gentibus iungendoque.*] Videndum lectori num hîc nomẽ aliquot ſubſtantiuum deſideretur: Nam illud, *iungendoque* quid ſit non intelligo.

Eod. *Carteiam vrbem opulentam caput eius gentis.*] Carteiæ vrbis & nomen & ſitus varie apud auctores habetur. At Oleadum nomen non ferme apud vllum claſſicum inuenias, niſi apud vnum Polybium, vnde hîc noſter Liuius totam huius libri hiſtoriam prope de verbo ad verbum mutuatus eſt, eandemque ſecutus Plutarchus.

Eod. *Hermandica & Arbacala Carthorum vrbes.*] Pro *Carthorum* quidam *Carteiorum* reſtituerunt: at hi *Oleadum* melius repoſuiſſent, ſi quidem Carteia Oleadum caput erat, vt paulo ante dixit Liuius. Verum ex Polybio clarum euadit Hermandicam & Arbacalam Vaccæorum vrbeis fuiſſe. quare hoc loco pro *Carthorum*, non *Carteiorum*, ſed *illorum*, reſtituendum erat. vt *Vaccæos* referat. Idem oſtenditur apud Plutarchum in Hannibale. Sed ab aliquo ſciolo hoc corruptum temere, vt alia pleraque.

Cap. X. *Ægates inſulam Erycemque ante oculos proponite.*] Mirũ hoc nomen tam variè ſcriptum inueniri, alibi *Ægades* alibi *Ægates*, *Æguſam* etiam apud Græcos, vt Polybium, qui lib. I. eam inſulam mediam inter Carthaginem ac Lilybæum ponit. In eodem tamen libro paulò poſt ait non longe à Lilybæo abeſſe, atque ita etiam poſuit Ptolomæus. L. autem Florus in ſua Epitome de pugna Carthaginenſium cum Luctatio Cos. ait, Carthaginenſium rates totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio ſuo operuiſſe, vt Ægates inter has duas inſulas eſſe ſignificaret.

Eod. *Sed Tarento tum in Italia non abſtinueramus ex fœdere.*] Hoc de Tarento apud neminem auctorem inuenio ſed Meſſana Mamertinorum vrbe non abſtinuere Carthaginenſes, quæ vrbs principium fuit aut cauſa potius primi belli Punici. Porrò bello Tarentino cum Carthaginenſibus quarto fœdus renouatum eſt, vt idem Florus in Liuij Epitome libr. 13. fatetur. Mamertinis autem auxilio venêre, apud eundem lib. 14. & 16. quo facto ab iis fœdus violatum eſt. Sunt autem Mamertini vrbis Meſſanæ iniuſti occupatores, quibus Romani non ſatis decore auxilium tulêre, vt auctor eſt Polybius lib. I.

Cap. XIX. *Itaque nequicquam peragrata Hiſpania in Galliam tranſeunt. In his, &c.*] Cum dicit *in Galliam*, ſtatimque ſubiungit, *In his*, videri poteſt ſyllepſis & genere & numero eſſe. Quamquam etiam nomen alicuius populi omiſſum fortaſſis eſt, quippe qui poſt aliquot verſus ſubnectat: *Eadem ferme in ceteris Galliæ concilijs dicta auditaque.* Sed iudicet lector.

Cap. XXII. *Peditum Afrorum XI. millibus octingentis quinquaginta.*] In Polybio ita legitur lib. 3. *Pedites autem ex Africa XI. millia octingentos quinquaginta. ex Liguribus trecentos, ex Balearibus quingentos.* quare, hîc diſtinguẽdum & poſt *quinquaginta* & poſt *trecentis*. deinde poſt Balearibus addendũ, *quingentis*: tollendaque diſtinctio poſt *Liguribus*, vt totus locus ita legatur: *Firmatque eum Africis maxime præſidijs: peditum Afrorum vndecim millibus, octingentis quinquaginta: Liguribus trecentis, Balearibus quingentis.* In elephantorum ac Libyphœnicum numero etiam diſcrimen eſt: ſed fieri poteſt vt Liuius non vbique ſit ſecutus Polybium.

Eod. *Atque inde profectus præter omiſſam vrbem.*] Quidam reſtituerunt, *Etoniſſam vrbem.* In Ptolomæi codice Erobeſſa Edetanorum vrbs hoc itinere legitur.

Cap. XXV. *C. Luctatius, Aul. Seruilius.*] Libro decimo huius decados, vbi hi ex captiuitate liberantur à Cos. *Cn. Seruilio* huius Auli filio, legitur *Cneius* etiam, vt patris ac filij idem fuerit prænomen, ſed placet magis *Aulus* hoc loco.

Eod. *Nec dum per patẽtia loca ducebatur agmen, cum apparuit hoſtis vbi.*] Ego, *nec dum*, duas eſſe dictiones exiſtimo: & tollendum illud *cum*, ante *apparuit.* vt ſit ſenſus hoſtem, quamdiu in patenti loco agmen Romanum ducebatur, non viſum: ſed vbi rurſus ſiluæ intratæ, tum Gallos rurſus adortos Romanos, quod & ſequentia deinde verba ſatis indicant. Notanda autem ſignificatio verbi *intratæ*. Porrò quod de vi-

Digitized by Google

co Canneto ait, propinquum cũ Pado flumini bene congruit etiam Mutinæ. Nam libro decimo dicturus eſt Camers hos legatos captos, cum alij Mutinæ captos credant, in qua opinione eſt etiam Polybius.

Cap.XXVI. *Itaque ingens co. vis na eſt lint. que tem. ad vicinalem vſum.*] *Vicinalis vſus* quid ſit, obſcure intelligitur. Perottus Polybiũ vertens, hoc loco quotidianum vſum traduxit. Vellem videre Græca, quæ ad manum nobis defuēre.

Cap.XXVII. *Ad id dati duces Galli educunt inde millia v. & xx.*] Apud Polybium ducenta ſtadia leguntur, quod idem eſt. Siquidem ſtadium vnum 125. paſſus continet, auctore Plin. lib. 2. Ceterum quæ continuo ſequuntur verba, & male diſtincta ſunt, & obſcurum habent ſenſum. quæ quia plana facere diffiſi ſumus, ſat erit lectorem admonuiſſe, ſi fortaſſis correctiorem codicem nactus, ipſe medicam manum adferre queat. Multa enim eiuſmodi ſunt, præſertim in hac decade, quæ mutila ac temporum iniuria corrupta dicere non dubito: quale etiam illud ſtatim de Hiſpanis: *Ipſi ceteris ſuperpoſitis incubantes.* Quidam *ſuppoſitis* malunt, quidam in nominandi caſu *ſuperpoſiti.* Sed lectoris iudicio hæc relinquo.

Cap.XXVIII. *Vt quemque timentem altitudinem deſtituerat vadum.*] Quidam *vado* emendauerant, ſed nihilominus obſcuro manente ſenſu. At ea omnia proſequi neque poſſum, neque videtur operæ precium.

Eod. *Pluribus retinaculis validis parte ſuperiori ripæ relig.*] Polybius longe plureis rates ponit, duas à terra in amnem, duas à parte ripæ retinaculis religatas ad arbores parti ripæ ſuperiori eminenteis: denique duas ſolutu faciles ab aliis, ac longe maiores. Difficultas intellectus, quare & quomodo, quæ à terra erant, ligabantur, quæ in amne prorſus non ligabantur, cum haud dubie maiore fluminis vi deferri poterant. Sed talia multa à nobis indiſcuſſa ſtudioſis lectoribus conſideranda relinquimus.

Cap. XXIX. *Qui ſe duces itinerum ſocios periculi fore affirmantes.*] Cum hi duces itinerum eſſent, & Hannibal falſum Caſilini monſtratorem crucifigere non dubitarit, nimirum quo pacto toties poſtea in Alpibus errans, non omneis crucifixerit. Sed talia fortaſſis diſſimulanda ſunt: nam in Polybio ea inuenit Liuius.

Cap.XXXI. *Sed ad læuam in Tricaſti, flexit. inde per ex. oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios.*] Tricorij oppidi meminit Plin. lib. 3. c. 4. Ceterũ cũ in Allobrogibus iam eſſet Hannibal Alpes tranſiturus, quomodo ad læuam in Tricaſticos potuit flectere iter? quomodo deinde in Tricorios, atque adeo ad Druentiam flumen? Polybius certe ea non habet, vnde acceperit Liuius. Ego *ad dextram* malim legere, ſiue locorum ignorantia, ſiue caſu lapſus Liuius, ſiue denique temporum iniuria id erroris in auctoris codicem manauerit.

Cap.XXXIII. *Vtraque ſimul obiecta oculis animiſque.*] Coniunctionem, *que*, omiſerunt quidam codices recentes, ſed abſque ea nullus erit ſenſus.

Cap. XXXIV. *Occurſitantes per obliqua montani, erupto medio agmine.*] Quid ſit *erupto medio agmine*, haud ſane intelligo. Videnum *interrupto medio agmine* ſit legendum.

Cap. XXXVI. *Recenti terra lapſu in pedum mille admodum.*] Polybius cum hanc ruocem deſcriberet, non de altitudine, ſed de anguſtia viæ anguſtiore facta meminit. Liuius vero cum ab initio dixiſſet, *Ventum deinde ad multo anguſtiorem rupem*, paulòpoſt ſubiungit: *Natura locus iam ante præceps, recenti terra lapſu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat.* nulla amplius anguſtiæ mentione facta. Polybius præterea ducentorum pedum meminit, vbi Liuius mille ponit. Sed hæc eius erant qui commentarium ſcriberet longius proſequi. Attigit & Valla locum.

Eod. *Digreſſus deinde ipſe ad locum viſendum.*] Senſus ſequentium verſuum perquam obſcurus eſt. Polybij verba Perotto interprete (nam Græci codicis copia defuit nobis) clariora viſa ſunt, ea ita habent. *Dux Carthaginenſium principio per loca inuia, nec ante eum diem trita, circumducere agmen conatus, quoniam iter id niues inſuperabile faciebant à propoſito deſtitit.*

Eod. *Ipſis adminiculis prolapſi, ſi iterum corruiſſet.*] Hæc verba videntur neſcio quid deſiderare. Quid enim ſenſus hic eſt, *prolapſi ſi iterum corruiſſent.*

Eod. *Secabantur interdum.*] Ita quidem reſtituerunt hunc locum, cum prius *necabantur* legeretur. Sed totus hic locus verbis ſequentibus perquam obſcurus eſt, ideoque & hic Polybij verba ex interpretatione Perotti ponam, ſi ſtudioſus lector fortaſſis his adiutus, melius Liuij ſenſum percipere queat. *Iumenta vero*, inquit, *interdum quidem prolapſa glaciem ſecabant: ſed preſſa oneris magnitudine, pedibúſque eorum indurata glacie perſtrictis, moueri inde poſtea non poterant.* Hæc ille. Tu etiam atque etiam vide quid ſenſus ex his Liuij verbis colligere queas, *Et prolapſa iactantis grauius in continendo vngulis, penitus perfringebant.* Nam ego ea plane non intelligo.

Cap. XXXVII. *Quatriduum ſuper rupe conſumptum.* Alij emendarunt, *circa rupem.* non multum ad rem meo iudicatu. Nam dierum numerum, quem poſtea ponet Liuius, iuuare conati ſunt. Si enim nono die in iuga Alpium peruentũ eſt, biduumque ibi ſtatiua habita: deinde tertio die ad rupem multo anguſtiorem ventum, quatriduumque circa eam abſumptum: denique poſtremo quiete data triduo, atque ita in planũ deſcenſum, numerus excreſcet in decem & nouem dies, cum Liuius decimoquinto die ſuperatas dicat eſſe alpes. Sed in biduo intelligo etiam nonam diem, ita vt vndecimo die ad multo anguſtiorem rupem veniſſe dicantur. Quatriduum autem ſequens ita partitus eſt Polybius, vt vnum diem labori datum pro deducendis equis iumentiſque dicat reliquum triduum elephantis deducendis. Igitur hoc ſequenti triduo iumenta equique in plano paſta: quanquam Liuius dicit triduum datum etiam hominibus muniendo feſſis, atque deinde in planum deſcenſum. Sed cum in hac numeri ſumma ſecutus ſit Polybium, etiam in partibus ſequi oportuit, meo quidem iudicio. ſed iudicent doctiores.

Cap.XXXVIII. *In Taurinis quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digreſſo.*] Quidam diſtinxerunt poſt, in *Taurinis*, quaſi Hannibal in Taurinis eum numerum amiſerit, quem verius toto à Rhodano itinere amiſit. Ego quid dicam, vix equidem comminiſci poſſum. Fortaſſis autem *in Taurinos* legendum.

Eod. *Cœlius per Centronis iugum dicit tranſiſſe.*] Ita habent vetuſtiores codices, non *Cremonis*. Et *Centronum* cum alij, tum C. Cæſar meminit. *Cremonis* iugum, quod quidem ſubſtituerunt, quid ſit haud equidem inuenio. Libius autem & Ptolemæus & Plinius Vercellas attribuunt. Hic noſter auctor libro quinto ab Vrbe condita ait, olim eos poſſediſſe loca vbi Verona & Brixia, quæ Cenomani Elitouio duce poſtea ceperunt, quamquam eum locum alij aliter legant, vt ibidem commonſtrauimus. Illud autem *ſemigermanis*, vehementer me torquet, nec tamen mutare auſim.

Cap.XXXIX. *Cum Piſas nauib. venisſ. exer. à Manl. Att. que.*] P. Cornelius ante dicitur à Liuio veniſſe *Placentiam* è Gallia, quamquam alij in eo loco reſtituerunt *Genuam*. mirum cur hic non etiam *Piſas* emendarint. Niſi dicamus Conſulem noluiſſe tyrones obijcere Gallis dubiis ſociis, atque ita à Genua Piſas nauibus iuiſſe, vt à prætoribus (nam ita intelligo Attilium Manliúmque) exercitum acciperet.

Cap.XLI. *Peditum agmen, quod in modum fugientium.*] *Peditum agmen*, conſtruendum cum *aſſequi* verbo, quod non ita multo poſt ſequitur, alioqui ſi ad huius ſenſus periodum connectes cum verbo, *obuius fui*, videri poterat legendum *agmini*, non *agmen*, ſed id per quam exiguum.

Cap.XLV. *Quinque millia paſſuum à vico tumulis conſedit.*] Vicum non nominat, & *tumulis conſidere* quomodo in plano, vt hîc omnia erant, intelligatur, non hercle capio. Suſpicor proprium nomen obliteratum, ac pro eo ſuppoſitum *tumulis*.

Cap.XLVII. *Tota rate in ſecundam aquam labente.*] Locus perquam obſcurus, confuſione ratis & pontis.

Cap.XLIX. *Ex templo & circa prætorē à ciuitate miſſi.*] *Ad ciuitates* recte quidā emēdarunt. Sed, *circa prætorē*, credo Græcam eſſe locutionē. Et illud, *ante omnia Lilybæum teneri*, obſcure dictū, niſi *iuſſit*, vel quod ſimile intelligas. Deinde illud *perq; omnē oram qui erant*, inſuetū dicendi genus: qui enim, videtur referre eos qui in ſpeculis erāt. Deniq; quod ſtatim ſequitur, *ſimul itaq;*: vide vt ſuſpenſum eſt ad longe ſequentia *extemplo datū ſignum*, &c. Poſtremo quod ait, *ſublatis armamentis*, contrariū videtur illi, quod poſtea dicturus eſt, *demendis armamentis*.

Cap.L. *Vt ſocijs naualib. affatim inſtructa. ita inopē milite ha.*] Mirum ſi ſocij nauales non erant milites, niſi milites ſolos

Carthaginenſes ciues, non ſocio intellexerit, aot ſocios fortaſſe, qui ducendis nauibus idonei, ceterum ad pugnandum inutiles, id quod quibuſdam magis veriſimile. At lib. 6. huius Decados Sex. Digitius ſocius naualis dicitur, haud dubie non inotilis ad pugnandum, quippè qui muralem coronā peteret.

Eod. *Mille & occc. fuere in nauib. capti.*] Quidam occ. legunt. At res oon eſt magni momenti, qualia ſæpè alia quoque quæ lubentes negligimus.

Cap. LI. *Ipſe compoſitis Siciliæ rebus, x. nauium claſſe or. Ita. leg.*] Pro *decem nauium claſſe*, alibi *decem nauibus* legitur. Ceterum cum dicit *oram Italiæ legens*, non ſatis clarè percipitur, vtro mari, ſuperone an infero viam fecerit, at quia Ariminum venit, videtur ſupero iuiſſe, quo & exercitum miſerat, vt ait Litius, cum contra Polybius Sempronij exercitum quadraginta diebus à Lilybæo Trebiam pedeſtri itinere veniſſe dicat, non nauibus.

Cap. LII. *Duo millia ped. & mil. equi. Num. pleroſque mixtos.*] Polybius ait Hannibalem miſiſſe Numidas Galloſque inter ſe mixtos, quare hic diſtinguendū ante verbum, *mixtos*, quod in omnibus prope neglectum vidi codicibus, & ante aliquot verſus verbum *declarabatur*, mutarunt in *declarabat*.

Eod. *Varia inde pugna ſequentes.*] Hæc longe clariora apud Polybium leguntur. Et illod, *Maior tamen hoſtium Romanis fama victoriæ fuit*, ambigue dictum videri poterat, niſi quæ cōtinuo ſequuntur verba, amphibolon tollerent.

Cap. LIV. *Et quicquid auræ fluminis appropinquabat, affla. ac fr. vis.*] Videtur & boc obſcure dictum, quanquam ſenſus vtcumque percipitur.

Cap. LV. *Baleares locat ante ſigna leuem armaturam.*] In Polybio legitur cum coniunctione, *ac leuem armaturam*, vt non intelligamus Baleares leoem dici armaturam, ſed alios. Tum hæc quæ ſequuntur verba: *Deinde grauiorem armis peditem*, eodem auctore ad *circumfundit* verbum, referenda putamus, quorū viginti millia inter Hiſpanos atque Afros mixtis Gallis fuiſſe ſcribit. Nec ſequentia obſtant, quippè & equites & elephanti in cornibus diuiſi fuêre eodem auctore, ſi modo Perottus Græca recte extulit. Hæc ideo admonitione digna duximus, quod non eſt veriſimile tam negligenter Liuium hæc traduxiſſe.

Eod. *Duo de viginti millia Romanorum erant.*] Polybius ait ſexdecim millia peditum Romanorum, ex ſociis verò Latini nominis ad viginta millia, id quod veriſimilius eſt, quando legiones quaternum millium erant, vt ipſe Lioius ſoperius ſcriptum reliquit, non ita longe ab huius libri initio. Addit autem Polybius perfectum numerum copiarum, vbi de ſumma rerum agebatur, conueniebantque ſimul duo Coss. ex tot millibus conſtitiſſe.

Eod. *Simul latebras eorum improuidæ præterlata acies eſt.*] *Latebras* legendum, vt rectè quidam reſtituêre: Nota autem illud *ſimul*, pro *ſtatim vt*, accipi, huic auctori oppido quam familiare, vt Horatio, quod in ſuperioribus quoque alicubi admonuimus. Ceterum hic *præterlatam aciem* ait quam verſu ſequenti *immotam aliquam diu manſiſſe* dicit: quamquam cauillum hoc eſt, in hoc appoſitum, vt videat lector, quid ſit cum iudicio auctores legere.

Cap. LVII. *Creati* Coss. *Cn. Seruilius & C. Flaminius.*] Addendum, *iterum*, ad *C. Flaminius*, vt ipſemet Liuius auctor eſt, non ita longe à fine buios voluminis: *Flaminio*, inquit, *fauorem apud plebem, alterumque inde conſulatum peperit.* Fuit autē Cos. ante hunc anno ſeptimo. Ceterum quæ hoc loco paulò poſt ſequuntur verba, de Celtiberis ac Luſitanis impeditioribus quam Numidæ eſſent, haud quaquam à me intelliguntur. Suſpicor autem ea corrupta eſſe.

Eod. *Itaque ſub lucem cum equitatu* Cos. *aderat.*] De P. Scipione boc intelligo. Nam Sempronius Romam ad habenda comitia profectus erat. Quamquam hoc mirum, cum ad Emporium hoc prope Placentiam occurriſſet Hannibali, egregieque locum defendiſſet, cur non ad Vicumuias quoque adfuerit, an quia multitudo temere ibi egerit, vt veriſimile eſt? an hiſtoria non omnibus vera credita quippe non ab omnibus ſcripta, etiam à Polybio omiſſa, vt quæ luculentum damnum Romanis rebus attulerit? Et ſequentia quoque vſque ad res Hiſpaniæ, ab aliis non ſunt tradita.

Cap. LX. *Emporijs appuliſſet claſſe.*] Alij *claſſem* in accuſandi caſu emendarunt Ceterum Liuius Emporias ſeminino genere vſurpat, vt libro octauo huius decados in oratione Fabij aduerſus Scipionem, & libro quarto ſequentis decados vrbem eam deſcribit, poſtquam Cato in Hiſpanias venit. quare paulò poſt hîc legendum, *Emporias cum claſſe redijt*, non *Emporia*, etiamſi Græci Ἐμπόριον dicant, nominatim Strabo in tertio.

Cap. LXI. *Hoſtis cis Taraconem, Iberum rurſus redit.*] Ita veteres habent codices, quæ lectio placet, ſi recte intelligatur, quod hoſtis Haſdrubal qui cis Taraconem vna cum Ilergetibus, qui & ipſi cis Iberum ſunt, ſocios Romanorum vexabat, aduentu Scipionis perterritus rurſus ad Iberum redit. Nam Taraconem verſus eum ceſſiſſe, vbi præſidium erat Romanorum, vix intelligitur: quamquam hoc quidam ita emendarunt, temere meo quidem iudicio.

Cap. LXIII. *Et Cere ſortes extenuatas.*] Ita habent vetuſtiores codices. Quidam *extenuata* reſtituerunt, ſed errant.

Eod. *Si in decem annos R. P. eo. ſte. lo. Hæc proc. votaq;.*] Quidam *R. P.* legerunt *Romanū populum*, cum *Reſpub.* ſignificerut. Ego priorem dictionem *Res*, integre ſcriberem. Quidam etiam pro *loco* legunt *ſtatu*. denique *procurata vota*, adiectiuum ac ſubſtantiuū cum relatiuo *quæ*, non cum coniunctione *que*: ſed mihi diſplicet, tametſi res non eſt magni admodum momenti.

Eod. *Ob hoc ratus auſpicijs emendis.*] Sabellicus *emendandis* legendum putauit, ſed ex codice Moguntino *ementiendis*, recte reſtitutum eſt. Nam loquitur hic auctor ex opinione Flaminij. Præcedente autem verſu diſtinguendum poſt *legis*, vt ſuaſor legis intelligatur Q. Claodius, non C. Flaminius.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Iam ver appetebat, cum Hannibal ex hyb.*] Priore libro ita habet Liuius: *ſecundum eam pugnam Hannibal in Ligures, Sempronius Lucam conceſſit.* Nec interea quicquam de eius in Galiam ex Liguribus reditu. Polybius omiſit Hannibalis in Ligures diſceſſum. Cum igitur Hannibalis hyberna apud omneis in Gallia fuerint, mihi quoque ſuſpectum totum Hannibalis iter viſum eſt, vt pleraque quæ in hac biſtoria extra Polybium admiſcet Liuius.

Eod. *Conſenſu indicantium ſeruatus erat.*] Pro *conſenſu* alij *conſenſum* reſtituerunt quod placet. Perottus cum hæc verteret, *crimen indicantium extulit.*

Eod. *Quod enim illi inſtum imperium, quod auſpicium eſſet ma.*] Querela eſt ſenatus, ea tamen verba me male torquent. Priore enim libro Flaminius priuatus clam in prouinciam abijſſe dicitur, quod rebatur Latinarum feriarum mora, & conſularibus aliis impedimentis patres retenturos ſe in vrbe. Hîc autem contra, Latinis feriis actis, ſacrificio in monte Albano perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, ioſtū imperium auſpiciomque ſecum ferre dicitur. Quod de ea cauſa admonemus, vt eo attentius lector id legat.

Eod. *Et Capuæ ſpeciem cæli ardentis fuiſſe.*] Hoc loco Sabellicos ait: *Caput* pro *Capua* audacter repoſui. quod & ego puto audacter factum. *Capuæ* enim legendum eſt, non *caput*: niſi alia verba aliter legerit.

Eod. *Iunoni Mineruæque ex argento daretur.*] Tria magna Romæ numina, Iupiter, Iuno atque Minerua. Ceterum cum primum Ioui donum fulmen aureum pondo L. fieret, qui Iunoni Mineruæque datum ſit ex argento, non explicatur. niſi quis argenteum fulmen dicere velit.

Eod. *Hæc vbi facta, Decem viri Ardeæ in foro.*] Mirū verò quid ita Ardeæ ſacrificatum, cum nullum prodigium illic viſum

in

in prioribus narretur. Ieiunum etiam eſt quod ſequitur: ſed his omnibus vere mederi nequimus.

Cap. II. *Galli neque ſuſtinere ſe prolapſi, neque aſſurgere.*] Nullus propemodum liber eſt, in quo non male loquatur Gallis Liuius, ipſe in Gallia Ciſalpina natus. Sed ſcilicet Patauini ab Antenore nati ad Gallianá non attinent: nam id aliquod locis innuere videtur. Rideo ineptiam tanti viri. Hoc etiam loco credemus (ſi dijs placet) Gallos neque ſuſtinere ſe prolapſos, neque aſſurgere ex voraginibus potuiſſe, qui prius toties hoc iter totis exercitibus peragrarint, atque adeo ipſam vrbem victis Romanis ceperint diruerintque. Sed Hercule affectus ab hiſtorica fide longe abeſſe debebant.

Cap. IV. *A tergo ac ſuper caput detecta inſidiæ.*] Ego *detectæ*, pro *tectæ* poſitum puto, videlicet compoſitum pro ſimplici. Nondum enim Romani dolum ſenſerant, de quibus poſtea dicet: *eo magis Romanis ſubita atque improuiſa res fuit.*

Eod. *Romanus clamore prius vndique orto.*] Sermo eſt impeditus, ac neſcio quid deſiderans poſt verbum *cerneret*. Nam illud, *ſed circumuentum eſſe*, ad ſenſus referendum eſt.

Cap. VI. *Donec Inſuper eque. (Ducario no. erat) fa. no.*] Quidam pro *eques*, *equum* ſuppoſuerunt, & *faciemque*, cum coniunctione poſt parentheſim. Sed ſimplicior lectio eſt *eques*, & *faciem* abſque coniunctione, vt habent vetuſtiores codices.

Eod. *Spoliare cupientem triarij obiectis clypeis arcuere.*] *Scutis* alibi legitur. Sane *ſcutum* triariorum erat, vt etiam libro octauo ab Vrbe cond. Liuius indicat, vbi etiam differentia inter *clypeum* ac *ſcutum*, & clarius deinde libro nono.

Cap. IX. *Profectus per Brutionum Hadrianumque agrum.*] Ita in Polybij codice legitur. Moguntinus codex. *Prætutianum* habet, idque cum Plinio conſentire videtur libro tertio, capite decimotertio, & decimoquarto. De hoc itinere habes rurſus libro ſeptimo huius Decados.

Cap. X. *Quæque prophana erunt Ioui fieri.*] Verba ſunt ſolemnia, vetuſta, quædam etiam obſoleta, vt non ſit opus ibi anxiũ eſſe, intelliguntur tamen. Cæterum quod quidam vere ſacro etiam hominum fœtus intelligunt, ex hiſce Liuij verbis certe colligere nequeunt, qui ex ſuillo, ouillo, caprino grege ait. Libro autem tertio, mutilo illo quartæ decados, hic prætor C. Cornelius Mammula dicitur, non Æmylius.

Eod. *Aeris* CCXXXII. *millib. triente.*] Quia in hoc voto omnia ternario numero nuncupata ſunt, vt ex Plutarcho etiam in Fabio pater, *CCC.* legendum, non *CC* Nec vacat illud *de triente*, propter eandem cauſam. Tractat & Budæus hunc locum libro tertio de Aſſe perquam eleganter, vt ſolet alia.

Eod. *Tum ædes vota Veneri Erycinæ ædem Q. Fab.*] Hic locus in omnibus quæ mihi videre contigit exemplaribus corruptus fuit, ſed emendatu facilis eſt. Nam poſt *vota* diſtinguendum, quaſi, de quibus etiam ſupra memorauit, duabus generaliter dixerit: deinde de vtraque inſerendum hoc modo: *Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius dictator vouit. Menti ædem Otacilius prætor vouit.* Quare autem Veneri dictator, ratio poſita eſt ex libris fatalibus. Obiter etiam notandum, *Otacilium* legendum pro *Attilio*, vt ex libro ſequenti patebit.

Cap. XV. *Prius ab aliis inuictum animum præſtans.*] Vt ingenue dicam, quid hoc *ab aliis* referat, haud equidem intelligo.

Cap. XIX. *Quinque & viginti ex triginta cepere naueis.*] Paulo ſuperius, quadraginta naueis ait Hemilconi ab Haſdrubale traditas: itaque videndum num hîc *quadraginta* pro *triginta* legendum, quamquam ne Liuius quidem ſibi in hoc nauium numero conſtat. Libro enim præcedente ait, Hannibalem, cum ex Hiſpania profectionem in Italiam pararet, fratri triginta duas quinqueremes apte inſtructas, ac triremes quinq; reliquiſſe. Quod ſi hîc adiecit decem, totus numerus erit nauium quadragintaſeptem, ſed negotium non eſt tanti, vt diutius nos moretur.

Cap. XX. *Itaque ad onuſtam claſſem profecti.*] Ita ferme habẽt codices. Alij autem emendarunt, *Honoſcam claſſe profecti*, vt ſit proprium Honoſca. Verum Liuius non ita multo poſt, Romana caſtra ait, ad nouam claſſem fuiſſe, cum Punica in agro Ilercaonenſium eſſent: quod non mutarunt, qui ſuperiorem locum emendare contenderunt. Ego ſane loca illa apud Geographos non reperio, fortaſſis autem vetuſtate abolita, aut indiligenter à ſcriptoribus tradita, vt ſunt eius regionis pleraque, apud hunc præſertim auctorem, vt in ſequentibus clarius demonſtrabitur.

Cap. XXI. *Mandonius vir nobilis, &c.*] Et hic locus in omnib. exemplaribus, quę nobis contigere, corruptus habebatur. Sequitur enim verbum *venere*. Niſi quis Latine dici putet, *Mandonius concitis popularibus venere.* Et, *Plato vocatis diſcipulis in ſcholam aduenerunt.* Et quod ab initio libri quarti huius Decados Liuius poſtea habet, *L. Attilio præfecto præſidij, quique cum eo milites Romani erant, clam in portum deductus, atq; impoſitus in naueis, vt Rhegium deueherẽtur.* vbi coniunguntur, *Attilio deductus*: quia *milites*, in medio aſſumptum eſt. Item lib. 7. huius decados: *Exinde Mutina, & ſi quorum aliorum merita erga populum Romanum erant in Senatum introducti, honores omnibus ad exoluendam fidem Conſulis habiti.* Sed iudicio lectoris hoc item committimus.

Cap. XXII. *Nihil aliud quam vnum vile atque infame corp.*] Fortaſſis legendum, *nihil aliud quam onus vile, atque infame corpus eſſe ratus.* Nam haud ſcio an Latini dicant *vnum vile*, quo modo hic ponitur. Quod ſi locus bene habet, notandum ſane id locutionis genus vt rarum, atque infrequens.

Cap. XXIV. *Iamque artibus Fabij pars exercitus aberat.*] Fabius Romæ erat: negotium hic inter Minutium ac Hannibalem agitur. Itaque hæc verba conſideranda lectori, quomodo Hannibal cunctando bellum gerebat, &c. nam ego plane hic hæſito.

Cap. XXVI. *Et conſule creato M. Attilio Regulo.*] Hunc poſtea, vt male habent quidam codices, vocat *M. Attilium Fabianum*, qui Flaminio ſuffectus etiam à Polybio dicitur: ſed & Polybius *Regulum* cognominat, vt hoc loco Liuius.

Cap. XXVIII. *Quem ſemper occurſurum ad obſi. ſatis ſciebat, & contra iturum.*] Illud *& contra iturum*, recte mutatum eſt in *cõtrahere*, abſque coniunctione tametſi vetuſtiores quidam codices reclament.

Cap. XXIX. *Non celerius quam timui reprehendis for. temeri.*] Hunc autem locum iidem cum interrogatione legendum præceperunt, quod mihi nentiquam veriſimile videtur, nec quemquam puto illis aſſenſurum. Iidem in Minutij verbis ad milites paulo poſt, vbi Heſiodi dictum allegat, *Quid sit re ſit*, legunt, cum omnes vetuſti codices habeant, *quid in rem ſit*.

Cap. XXXI. *Vt à populo crearetur qui prodictator eſſet.*] Quidam diuiſum, *pro*, & *dictatore*, legunt: vt paulo poſt compoſite, vt *dictator pro prodictatore diceretur*, bis repetita præpoſitione *pro*, per appoſitionem, & compoſitionem vt loquuntur Grammatici. Ideoque ſuperius in hoc libro vbi Fabius creatur prodictator, legendum, *Nec dictatorem populus creare poterat, quod numquam ante eam diem factum erat. Prodictatorem populus creauit Q. Fabium Maximum.* Hæc ideo admonenda duxi, quod in quibuſdam codicibus hæc corrupta vidimus: Quæ vero ſequuntur verba, *Adeoque inopia eſt coactus Hannibal*, non videntur huc pertinere; neque ea ſunt in omnibus libris.

Cap. XXXII. Cos. *M. Attilius Fabianus, Cn. Seruilius Muſitanus.*] Ita habent plerique codices, ſed legendum eſt, *M. Attilius Regulus, & Cn. Seruilius Geminus.* Hi ſequẽtis anni Procoſſ. fuere, vt auctor eſt Polybius. Ab initio autem huius anni cum C. Flaminio Cn. Seruilius Cos. factus eſt, Flaminio autem ſubrogatus M. Attilius. Quidam hoc loco & nouos Coss. & nouum annum collegere, Attilium Fabianum, & Seruilium Muſitanum vocitantes, vtrumque inuſitato cognomine.

Cap. XXXIV. *C. Terentio Varroni quem ſui generis hominem.*] Ita plerique habent codices in dandi caſu, vt ſit ſenſus, patres obſtabant C. Terẽtio. Sed melius omittitur relatiuum *quem*, & in accuſandi caſu legitur, vt à nominatiuo *patres*, nouus incipiat ſenſus. Præterea *concuſſis* legendum, non *concuſſum*. Neque enim Varro concuſſus erat, ſed Fabius. Meminit & Valla huius loci.

Cap. XXXV. *L. Aemilius Paulus, qui cum M. Lælio Coss. fue.*] Cũ *M. Liuio* legendum, ex Caſſiodori catalogo. Præterea ex pœnæ ſimilitudine, de qua & hic & anno 13. huius belli, Salina-

rem eſſe puto, qui fuit Cos. cum L. Æmylio Paulo, proximo ante hoc bellum anno.

Cap. xxxvi. *Septem & octoginta mil. armatorum & cc. in caſtris.*] Pro cc. integre ſcribendum erat *ducētos*, ne ducenta millia ſtupidus aliquis ſupra ſeptem & octoginta millia intelligat. Porro legiones hic millibus peditum, & centenis equitibus auctæ, quod in ingenti neceſſitate fieri ſolebat, vt eleganter hoc apud Polybium quoque vnde huc deſcripſit Liuius, legitur.

Cap. xxxvii. *Victoriam auream pondo cccxx. afferre ſeſe.*] In Valerij Maximi codice libro quarto ad finem, *auri pondo ducenta et quadraginta* leguntur. quod ideo admonendum duxi, ne temere vel hic auctor ex illo, vel ille ex hoc corrigatur, donec certiora argumenta appareant, quam quæ ex codicum fide vt plurimum vana colligi queunt.

Cap. xxxviii. *Nam ad eam diem nihil præter ſacramentum fuerat.*] Hic plane videmus iuſiurandum maius quiddam fuiſſe ſacramento militari. Cæterum præter etymon vtriuſque dictionis, nihil nos differentiæ poſuimus: quippe libro decimo ab vrbe condita, vbi de linteata Samnitium legione etiam iuſiurandum vocat, tametſi per ſacra fieret. Ideoque lectori hoc quoque iudicandum relinquimus.

Cap. xxxix. *A veritate laborare nimis ius ſæpe aiunt, ex num.*] Quidam ita ſententiam extulerunt: *ius laborat, non extinguitur.* Quidam autem ita, *Jus aiunt, id eſt, fas laborare à veritate. At non eſt ius vnquam extingui.* Neutri autem ſatis explicant, quo iſta aduerbia *nimis* & *ſæpe* referenda, quod ſimul explicatum oportuit. Ego ſane obſcuram fateor ſententiam. D. Eraſmus in adagio, *Tempus omnia reuelat, laborari* legit. Valla *à veritate* prioribus connectit, non poſterioribus, & paulo poſt, *Nec ego vt nihil negatur*, legit, *nec eo.*

Cap. xlvi. *Hiſpani linteis prætextis purpura.*] Poſt *purpura* diſtinguendum, vt clarum eſt ex Polybio, quod non ſine cauſa admonemus, quippe nullus alioqui ſenſus erit, & in omnib. codicibus hoc neglectum vidimus. Nota autem verſu ſequēti, an non vulgata conſuetudine vtatur verbo *videlicet*, contra quam Valla præcepit. Ducum autem ſecundum Polybius, Hannonem facit pro Maharbale.

Cap. xlviii. *Haſdrubal qui ea parte præerat.*] Hic de ſiniſtro cornu Romano, & de dextro Pœnorum loquitur: ergo pro *Haſdrubal* legendum *Maharbal*, quod diligens lector cum iudicio hæc legens facile iudicabit. Quod ſi omnino quis contendat occultam digreſſionem ad ſiniſtri Pœnorum cornu pugnam deſcribendam à Liuio factam, quod Polybius de Haſdrubale diuerſa quædam narret à Liuio, erit haud dubie legendum, *qua parte*, pro *qui ea parte.* At prior opinio magis mihi probatur.

Cap. xlix. *Quadraginta millia peditū, duo millia ſeptin. equi.*] Polybius ad ſeptuaginta millia cæſa tradit. Dionyſius etiam Halicarnaſſeus ex octoginta millibus tria euaſiſſe ſcribit li. 2. Ceterum ſi verſu ſequente quis tollat *ciuium*, ac coniunctionem *que*, ratio numeri fere cum Polybio conueniet. Alioqui verborum Liuij ſenſus eſt, tantum ciuium prope, quantum ſociorum de quadraginta millibus cecidiſſe. Porro in captiuorum poſtea oratione, ac item T. Manlij quinquaginta millia nominantur. Ea his lector iudicet quodnam veriſimillimum, nam ego plane hæſito.

Eod. *Et C. Minutius Namatius.*] Priore anno Dictator creatus erat ad habenda comitia P. Veturius Philo eius magiſter equitum M. Pomponius Mato: cum Fabio autem M. Minutius Rufus, quare hoc nomen mihi ſuſpectum.

Cap. l. *Hæc vbi dicta dedit, ſtringit gladium.*] Carmen ſeſquiheruicum, vt appareat verum eſſe hiſtoricos medios eſſe inter Poetas & oratores, quando etiam ab Heroico verſu cœpit Liuius, vt auctor eſt Quintilianus: quanquam ego credo fortuito hoc potius factum, quam ex propoſito. Quod autem ſequitur, *in maiora caſtra ad ſexcentos euaſerunt:* quidam libri *tria millia* præterea habebant, cum tamen in oratione T. Manlij de captiuis redimendis, ſexcentorum duntaxat fit mentio. Porro quod rurſus ſequitur, *Atque inde protinus alio magno agmine adiuncto, Canuſium incolumes perueniunt:* puto eum loqui de quatuor millib. peditum, ac ducentis equitibus ex maiorib. caſtris, vt non ita longe poſt dicturus eſt Liuius.

Cap. lii. *Et omnium primum brachio fluminis obiecto eos excludit.*] Ego *obiectus* malim legere: Nam flumen qui obijcere potuit Hannibal? Quinetiam in oratione captiuorum poſtea, ab aqua coerciti dicuntur.

Eod. *In capita Romanis tricenis nummis quadri.*] *Tricenis* plerique habent codices, luculento ſcribarum errore, pro *trecenis.* Qui enim fieri potuit vt caput ciuis Romani triplo minoris cenſeretur, quam caput ſerui? *Triceni* autem à *triginta* eſt, *treceni* à *trecentis.* Huius nominis prima ſyllaba correpta eſt, illius vero producta. Similis error apud Horatium eſt libro ſecundo Carminum, Ode decimaquarta: *Non ſi trecenis quotquot eunt dies, Amice, places illacrymabilem Plutona tauris.* Vbi omnes codices *tricenis* perperam legunt. Et quod hic *trecenis* diſtributiue ait, poſtea Iunius in oratione pro captiuis, *trecentis* dicturus eſt. Quod item hoc loco *nummum quadrigatum*, alijc ſimpliciter *nummum* vocat, fortaſſe commiſerationis gratia. Nam quadrigati, bigatique denarij erant, quaternis nummis valentes, vt clarum eſt ex Plinio libro triceſimotertio, capite tertio. Ipſe Liuius paulo poſt ſummam variat, vbi Hannibalem captiuis loquentem introducit. Equitum enim precium adijcit, de quo antea nulla mentio. præterea ſocios ſine precio dimiſſos, in quos hic ducenos quadrigatos conſtitutos ait. Gellius lib. 7. cap. 18. precium in captiuos ait ab Hānibale conſtitutum argenti pondo libram ac ſelibram, nullum captiuorum faciens diſcrimen: quæ ſumma duplo minor eſt trecenis quadrigatis, ſiquidem denarium per quadrigatum intelligamus, auctore Plinio. Quare & hæc ſumma hic nobis ſuſpecta.

Eod. *Nam ad veſtiendum facto perexiguo vtique militares vtebantur.*] *Veſtiendum* habent vetuſtiores codices. quidam emēdarunt *veſcendum*, quod ego non intelligo. *Facto* autem intelligit argento, vt opinor. Nam quod de *auro* quidam marginibus notam appoſuere ſomnium eſt.

Eod. *Mulier Paula nomine, Baſa genere, clara diuitiis.*] Et ipſe Liuius paulo inferius *Buſam* vocat, & Valerius Maximus lib. 4. cap. 8. Quapropter *Paula*, quid hic ſibi velit, ſiquidem *Baſa* nomen eſt, non ſane video. Itaque cōſiderandum lectori quo pacto diſtinguere hæc velit; *Nomine Paula Baſa genere*, an, *mulier nomine Buſa clara genere ac diuitiis*, vt omittatur *Paula*, quod & alij omittunt.

Cap. liii. *Quorum principem L. Cæcilium Metellum.*] Valerius lib. 5 cap. 6. vbi de Scipione, *Quintum* vocat, non *Lucium.* ſi codex non errat, vt ſane huius auctoris codex qui lib. quarto huius Decados *M. Cæcilium* habebat, vbi Cenſorum ſedulitatem refert Liuius.

Cap. liv. *Mœnibuſque ſe certe, etſi non armis.*] Hoc recte ab alijs reſtitutum eſt, cum quidam *ſe tueri*, alij *ſecreti*, nonnulli *ſe teneri* legerint, pro, *ſe certe.*

Eod. *Sed multiplex clades cum duobus* Coss.] Non eſt hoc cōtrarium illi quod paulo ante dixit, *Conſule exercituque ad Traſimenum priore anno amiſſo*: nam hic ita nunciatum ait. Ceterum duntaxat ceciderat Lucius Æmylius Paolos, duo ante cæſi nunciabantur.

Cap. lvii. *Literis conſulis Proprætoriſque lectis, M. Claud.*] Hic locus in codice Aldino aſteriſco notatus eſt, & recte, quanquam ſi pro verbo *præeſſet*, legamus *præerat*, & ſuppleamus *conſuerunt*, ſenſus erit clarus. Eſt tamen notandus locus.

Eod. *Cum tribunus mil. Teanum Sidicinum præmiſſu.*] Et hic locus aſteriſco in eodem notatus codice. Ceterum ſi intelligamus partem militum tertiæ legionis Romani miſſam, partem Teanum, & deinde ſecutum Marcellum cum Canuſium peteret, claſſem autem P. Furio traditam, non, vt puto, omnino militibus vacuam, aliquo pacto ſenſus cōſtabit. *Tribunis* autem ablatiui caſus integre ſcribendum. *Teanum* accuſatiui, non datiui, vt contra vetuſtorum codicum fidem quidam mutarunt.

Eod. *Dictator ex auctoritate patrum dictus M. Junius.*] In alijs codicibus *D. Iunius* ſcriptum erat, fortaſſis quod captiuorum orator *M. Iunius* dicebatur. Verum in iiſdem lib. ſequēti *M.* prænomen eſt dictatoris: quare nihil mutauero, fieri enim poteſt vt duo hoc fuerint prænomine.

Cap. lx. *Sine vllius inſectatione eorum.*] Illud *eorum*, quid ſibi velit, haud equidem intelligo, ſuſpicor deeſſe aliquid.

Eod. *Priore Punico bello Calpurnio Flamma.*] *Calphurnium* quidam ſcribunt, at id leuiculum. Id magis mirandum tam varium apud auctores eius eſſe nomen, vt Aulus Gellius lib. 3. cap. 7. annotauit. Quidam enim *Q. Caditium*, quidam *Laberium*, Liuius & Florus *Calphurnium Flammam*, vocatum ſcripſerunt.

Cap. LXI. *Defecere autem ad Pœnos hi populi.*] Non ſubito defecere omnes quos hic enumerat, populi: ſed quidam ſtatim, quidam poſt annum, vt Croton ac Locri. Tarentum vero, Metapontus ac Thurium, quarto poſt anno, App. Claudio Pulchro, Q. Fuluio Flacco III. Coſs. Nec omnes Brutij defecere. Rhegini enim eius regionis, & in fide erga Romanos, & poteſtatis ſuæ ad vltimum manſerunt, vt ipſe Liuius libro ſequenti dicturus eſt, quamquam Petelinos eodem libro paulo ante vnos ex Brutiis in amicitia Romana manſiſſe dixerat. Sed temere hæc mixta ſunt Liuio, vt in ſequentibus libris luce clarius oſtendi poteſt.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXIII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. I. *Hannibal poſt Can. pug. caſtra capta ac direpta.*] *Romanorum caſtris captis ac direptis* legerem: quippe Hannibal Romanorum caſtra non mouerat, ſua non diripuerat, ſed contra vtrumque.

Eod. *A Statio pollicente ſe Conſam tradíturum, Conſanus erat.*] Quidam pro *Conſam* emendarunt *Coſſam* & *Coſſanus*. In Tuſcia eſt Coſſa, nihil prorſus ad hunc locum. Plinius libro 3. cap. 11. Compſanorum meminit, vbi Beneuenti ac Caudinorum. Itaque ego hic *Compſam* legerim per *pſ.* niſi diuerſis idem nomen fuiſſe quis contendat, quod ego abſque auctoribus non affirmarim.

Cap. II. *Pacuuius Galauius nobilis.*] *Calauius* per *u*, non per *n*, legendum. Eſt autem nomen Samniticum, vnde Campani oriundi erant, vt libro quarto ab Vrbe condita docuit Liuius. Silius lib. 11. Pactulonem vocat ſed carminis fortaſſis gratia: quamquam is Poeta hiſtorico ſimilior, vt de Lucano docti ſentiunt.

Cap. V. *Cœptum propter vos cum Samnitibus bellum per centum prope an.*] Libro primo de bello Macedonio ait legatus Romanus in cōcilio Ætolorum, *per annos prope ſeptuaginta*: quod magis veriſimile eſt ex catalogo Coſs. & annalibus. Sed hic oratorie omnia auget.

Eod. *Pœnus hoſtis, ne Africæ quidem indigenam.*] Ita habent vetuſtiores codices, vt ſit adiectiuum ad *militem*, non ad *hoſtis*. Quidam temere, meo quidem iudicio, mutarunt in nominatiuum *indigena*: cum vtique Hannibal eſſet Africæ indigena, ſed non omnes eius milites. Loquitur autem de ea quæ proprie Africa, in qua Carthago.

Cap. VI. *Vnus ex iis Subius Virius.*] Hic eſt qui in ſumma deſperatione Capuæ ſenatores ad cœnam inuitat libro ſexto huius Decados, quo in loco tamen *Vibius Virius* dicitur, non *Subius*.

Cap. VIII. *Atque etiam modo diu ad varios omnium volupta-tum.*] Leuiculum fortaſſis eſt quod me hic torquet, torquet tamen. quid enim ſibi vult illud *modo diu*? Num pro *admodū*, vt ſæpe alias? an næuus aliquis hunc occupauit locum, vt pleraque in hac decade? Valla legit, *domo*, & *diu* ad ſequentia coniungit: ſed neſcio quid dicam. Sed & ſequentia ſuſpicionem non omnino vanam conuincunt, vt illud, *ipſique valetudinem excuſans patri*, quomodo prioribus ſequentibuſque cohæret? Sed iudicet lector. Valla multis modis eſſert, verum coniecturæ ſunt quales plures effingere non eſſet difficile, ſi quidem vulnus ſic ſanaretur.

Cap. XI. *Cum VI. Imperatoribus eum, quorum IV. Coſs. duo di.*] Nemini dubium, Magonem hæc qua potuerit magnificentia ſenatui Carthaginenſi retuliſſe cum ampliſſimo, vt decuit, fratris encomio. Quare miror hunc locum non ita legi: *cum ſeptem Imperatoribus eum, quorum quinque* Coſs. &c. Sunt autem hi, P. Scipio, T. Sempronius, C. Flaminius, L. Æmilius, C. Terentius, Q. Fabius, & M. Minutius. De Fabio certe & Minutio dubitari non poteſt, cum ipſe eos hic nominet. Præterea cum ſex ait conſularibus exercitibus, vbi etiam plures inueniet quam pugnas ordine leget: ſed Hercules in repetitione Imperatorum Sempronij oblitus videtur. At nobis hęc ideo memorare placuit, vt videant ſtudioſi, non omnino vanam eſſe ſuſpicionem noſtram, hanc decadem plenam eſſe mendis. Spero autem fore vt hæc per alios manifeſtiora fiant.

Eod. *Pro his tota tantiſque victoriis rerum.*] Hoc *rerum*, quidam haud temere amouerunt, mea quidem opinione. Quidam mutarunt in *verum*. Quamquam præterea ſenſus videtur deſiderare verbum *petit*, vel quid ſimile.

Cap. XII. *Tacuiſſem (inquit) hodie P. C.*] Iidem vero hoc *inquit*, ſuſtulerunt ab initio huius orationis, quod ego malim in poſterioribus ſublatum: *Reſpondeam inquit Himilconi.* Errorem fecit dilemma Hannonis altera defectum parte. Dilemmatis partes ſunt, ſi reticeam, ſi reſpondeam, & membrum quidem præcedens ſuis explicatum eſt partibus conditionalibus, ſequens non item: ſed ſtatim abſque conditionis explicatione reſpondet. quapropter non eſt mihi dubium, orationi aliquid deeſſe, quod cordatus lector iudicio hæc legens facile videbit.

Cap. XIII. *Dictatorque cum Magone in Hiſpaniam præmiſ.*] Vtrum Carthaginenſes etiam dictatores habent, an ita loquitur Liuius, vt paulo ante P. C. dixit in Hannonicæ orationis exordio de ſenatu Carthaginenſi.

Cap. XIV. *Latoque (vt ſolet) ad populum vt equum aſcendere liceret.*] De his dictatoris ceremoniis nihil antea in Liuio lectū, neque de aſcenſu, neque deſcenſu, quod equidem ſciam: ſed neque apud Dionyſium Halicarnaſſeum, cum tamen is lib. 5. non ita longe à fine de aliis moribus dictatoris tractet, nihil tamen eiuſmodi narret.

Eod. *In agrum Nolanum exercitum traducit, & vt non hoſtiliter.*] Ego coniunctionem *et*, tollerem è medio, propter participium ſequens, *prætermiſſurus*.

Eod. *Ad prætorem Marcellum Clau. qui Caſilini cum exercitu erat.*] Quidam pro *Caſilini* bis hoc in loco, ſed male quidem meo iudicio, reſtituerunt *Canuſij*, propterea quod libro præcedente dicatur Marcellus Canuſium magnis itineribus cōtendiſſe. Sed vel in itinere reſtitiſſe eū, vel Caſilinum rediſſe intelligimus, quod loca huius itineris facile conuincunt. Neque enim à Canuſio Nolam proficiſcentibus Vulturnus amnis tranſeundus, neque Galatia petenda: at vtrumque à Caſilino, etiamſi de Galatia nihil dicimus.

Cap. XV. *Et ante omnes L. Bantius.*] Valerius Maximus lib. 7. c. 3. de vafre dictis aut factis, tale quiddam non de Marcello, ſed Q. Fabio ſcribit, quamquam ſubobſcure.

Cap. XVI. *In hac comitiaria iam duorum exercituum ſtatione.*] Hic locus quam bene habeat, vehementer dubito: neque enim vſpiam memini me legere quid ſit *comitiaria ſtatio*.

Cap. XVII. *Caſilinum eo tempore Præneſtini habebant.*] Quidam adiecerunt numerum, *quingenti Præneſtini*: ſed vt alia in hac hiſtoria non conſtant, ita nec militum numerus. Valerius enim Maximus libro ſeptimo trecentos fuiſſe Præneſtinos ait. Strabo libro quinto circa finem, ait quingentos & quadraginta fuiſſe. Liuius paulo poſt ambigue loquitur. Nam *qui in præſidio fuere* (inquit) *ex quingentis ſeptuaginta minus dimidium ferrum fameſque abſumpſit.* Sed præmiſerat paulo ante, *Præneſtini maxima pars fuere*, quod mirum videtur, cum Peruſina cohors, homines CCCC. & LX. vna cum iis obſidionē pertulerint. Verum cum cogito in hac rerum neceſſitate Valerio murem fuiſſe. Straboni autem medimnum ducentis venditum denariis ſiue drachmis: denique Liuium cum ex propoſito vt hiſtoricus ea ſcriberet de fame, ceterum nihil hac de permutatione meminiſſe, ſuſpicio ſubit animum vel libros corruptos, vel hiſtoriam indiligenter à Romanis ſcriptam, vt ſunt alia pleraque.

Cap.xix. *Et cum hoſtes obaraſſent quicquid herbidi*,&c. Hæc ità Liuius narrat, quaſi Pœni obarauerint quicquid herbidi terreni extra murum erat. Strabo autem de Præneſtinis πλησίον τοῦ τείχους refert, quod ego intra muros intelligo, ac proinde Hannibalem territum aut tædio potius affectum ſit Præneſtini obſidendi eſſent, donec rapæ matureſcerent, atque hic ſenſus Strabonis verſimilior videtur. Hannibalis enim exercitus nulla tanta premebatur anguſtia, præſertim tam propinqua Capua, feliciſſimoque Campano agro in Pœnorum iam manibus, vt rapa iis ſerenda eſſent.

Eod. *Eodem tempore Petellinos qui vni ex Brutiis in amicitia Rom. manſerant.*] Quomodo vna Petilia, cum Conſentia ac Rhegium quoque manſerint? Conſentiam enim poſt Petiliæ expugnationem intra paucos dies cum minus pertinaciter defendiſſet ſe, in deditionem Hannibalis veniſſe ſcribit. Rheginos vero & in fide erga Romanos & poteſtatis ſuæ ad vltimum manſiſſe, quod ad finem prioris libri admonuimus.

Cap.xx. *Conſultique iterum à M. Aemylio prætore*] Hic primo huius belli anno Siciliæ prætor fuit, cui Sempronius Cos. cum ipſe è Sicilia reuocaretur, quinquaginta nauium claſſem expleuit, cuique prorogatum imperium videtur anno ſecundo huius belli, quippe cuius Liuius meminit ante creatos Coss. tertij anni L. Æmilium & C. Terentium. Ceterum huius anni prætorem vrbanum M. Pomponium Mathonem ipſe Liuius creatum dicit, vbi dictos iam Coss. Quare & hoc loco, & paulo poſt *M. Pomponium Mathonem* legendum puto pro *Aemylio*, vt poſtea ſæpe legitur. Anno vero ſexto huius belli M. Æmylius fit prętor, ſed opinor alium fuiſſe.

Cap.xxi. *L. Furium prætorem cum claſſe ex Africa.*] *Furium* legendum, vt ſuperius in creatione magiſtratuum huius anni libro ſecundo, & alibi etiam ſæpe eodem libro.

Eod. *L. Aemylius qui* Cos. *cenſórque fuerat.*] Cum L. Æmylius Paulus iam occiſus eſſet apud Cannas, alter etiam eodem nomine bello Gallico, anno ab Vrbe condita 529. auctore Polybio, hic locus mihi plane ſuſpectus, maxime vero in prænominibus. Fortaſſis autem legendum *M. Aemilius*, qui Cos. fuit anno 524.

Cap.xxiii. *Vt quiſque eorum primus creatus erat.*] Hic codex Moguntinus, & eum ſecutus Aldinus, addit *ſenator*, ante *primus*, ex qua lectione nullus eſt ſenſus, neque ego puto addi debere ſed Liuium id velle dicere, vt quiſque eorum primus creatus erat, videlicet in magiſtratu, ita primus inter ſenatores electus. Sic enim ordini ordo, ac tempus tempori, non homo homini præferetur.

Cap.xxiv. *Et T. Semp. Gracchus qui tum magiſter equitum & eo accurrerat.*] Quidam hunc locum emendare volentes *accurrerat* poſuerunt, pro *& eo accurrerat*. At ego legendum puto, *qui tum magiſter equitum eam eo accurrerat*. Venerat enim cum dictatore hoc tempore in vrbem cum antea ad exercitum, manere, dictatore in vrbem commeante, cogebatur.

Cap.xxv. *De exercitu eos qui ex fuga Cannenſi eſſent, in Siciliæ cadum.*] Iidem hunc locum ita emendarunt: *De exercitu Marcelli qui ex fuga Cannenſi eſſent, in Siciliam eos traduci.* Verum ſi Marcelli exercitus erat, quem Nolæ in præſidio habebat, quique ibi ſtrenue nauauerat operam, cur ij ſoli in Siciliam relegandi? cum maiorem partem Cannenſium reliquiarum cum Varrone in Apulia fuiſſe veriſimile ſit, de eius tamen exercitu minime minuendo Senatuſconſultum factum erat. Quare ego veterem lectionem probo, hoc ſenſu. Qui ex Cānenſi ſtrage fuiſſent, vt ij omnes in Siciliam relegarentur, de quocumque exercitu eſſent. Varronis autem exercitum non minui, intelligo numero: quot enim in Siciliam irent, tot in locum eorum ſuccenturiandos. Scio autem quæ poſtea de Claudianis caſtris dicet Liuius, rem nuſquam antea proditam, vt mirum ſit, vnde ea Marcellus contraſerit caſtra ſupra Sueſſulam, quæ deinde ſuper Vſuuium ponit, in quibus Q. Fabius conſederit.

Cap.xxvi. *P. & Cn. Scipiones inter ſe partitis copiis.* Quidam hunc locum ſatis caſtigatum putant, ſi *partiti copias* legatur, & intelligunt verbum ſubſtantiuum *ſunt*. Quidam locum nihilominus mutilum putant. Item quod paulo poſt ſequitur, *tum refecta tandem ſpe*, neſcio vt placet. *Refecta caſtra*, dicimus, & *refectos milites*: *refecta ſpe* haud ſcio quam ſit in vſu.

Eod. *Tarteſiorum gentem.*] Hoc quoque loco iidem *Carpeſiorum* pro *Tarteſiorum* repoſuerunt, quod nomē haud vſquam, quod equidem ſciam, lectum eſt. Tarteſos vero oppidum ad Calpen, ita à Græcis dictum, alias Carteia, vt Plin. lib. 3. cap. 1. innuit. Nec diſtantia ab Ibero impedit, cum Haſdrubal alibi ad Oceanum vſque fugiſſe dicitur.

Cap.xxvii. *Nec diu in pacato manſit.*] *Exercitum in pacato ac in hoſtico eſſe*, ſæpius lectum eſt apud auctores. *Regionem aut gentem in pacato manere*, haud ſcio quam ſit frequens.

Cap.xxx. *Itaque vrbe defenſorib. vaſtata facile potiti ſunt hoſt.*] Vide vt accipiat illud, *vaſtata*. De Crotone autem loquitur, quam hic captam dicit, libro autem ſequenti ab initio, à Brutiis obſideri ſcribit. Idem memoriæ lapſus de Locrēſibus eſt, quos hic deſciuiſſe ad Brutios Pœnoſque ait, nec ita multo poſt Romanis portas quoque clauſiſſe. ſequenti vero libro ab initio prorſus contrarium ſcribit. Hic locus meo quidem iudicio, nullam accipit excuſationem.

Eod. *Vt duumuiros eſſe iuberent ædis dedican. cau.*] Quidam pro *duumuiros*, repoſuerunt *Fabium duumuirum*, magna audacia, meo quidem iudicio, cum & T. Octacilius creatus ſit poſtea, non Fabius tantum. Itaque pluralis numerus manebit, vt poſtea enim dicit, *Iuterea duumuiri creati ſunt* Et, *ædium dedicandarum cauſa* legerem, *non ædis dedicandæ*, quemadmodum poſtea *ædibus dedicandis* dicturus eſt.

Cap. xxxi. *T. Sempronius* Cos. *Cales ad conuen. diem edic. Inde vi. leg.*] Hic Cales dies edicitur, paulo poſt Sinueſſam. Idem Sempronius hic legionibus duabus vrbanis paulo poſt Volonibus præficitur. Sed Vrbanæ etiam legiones in caſtra Claudiana deductæ ſunt, vt plane appareat tempore mutata eſſe imperatorum decreta. Hoc etiam mirum quum antea de caſtris Claodianis nullam fecerit mentionem Liuius, qui Marcellum nunc Nolæ, nunc Cannuſij, nunc Caſilini fuiſſe dicat, hi tanquam ea omnibus nota eſſent, commemorat, ac poſtea ſæpius.

Eod. *Q. Fabius Maximus, & T. Attilius Craſſus.*] Quidam pro *Attilio* repoſuerant. *Octacilio*, quod non diſplicet, quippe qui poſt dedicationem ædis poſtea cum imperio in Siciliam mittiur. Sed vbique hoc emendatum oportuit. Verum eodem prope verſu reliquerant, *Menti Attilius*, cum adhuc de eodem loqueretur. Et lib. 2. poſt pugnam Traſimenam vbi eæ vouentur, *Attilius* iidem reliquerunt. Non tutum eſt mutare talia, niſi totam hiſtoriam memoria teneas: ſed quidam audaculi non admodum curant, præſertim hac tempeſtate.

Eod. *Volones quoque patres ita fama ferebantur.* Pro *Volones quoque*, alij, *Vulgoque*: alij, *velle quoque* legunt. Sed non ſatisfit cordato lectori, nec ego ſane medelam vllam adhibere poſſum, rectéque aſteriſco notatum hunc locum ab aliis puto, à nobis repetitus, vt in vetuſtis exemplaribus diligentius inſpiciatur. Diuinare omnia non poſſumus. Certum eſt inſimulatos patres à plebeis aut tonitrua finxiſſe, aut curaſſe vt falſo nuntiarentur, quod duos Coss. plebeios habere nollent.

Cap.xxxii. *Vnde Mago frater Hannibal* xxii. *mil. ped. & equites.*] Hunc locum quidam reſtituerunt, vt ex xxii. millib. peditum fecerint xii. *mil.* & ex xi. elephantis, *viginti*, & *argenti multa talenta*, *mille talenta*. Quæ quidem neque affirmare, neque refellere prorſus, at ex parte magis dubi, maxime ex ipſius auctoris verbis, facere poſſumus. Nam decretum ſenatus Carthaginenſis, quod ſuperius hoc adeo in libro poſt Hānonis orationem nobis exhibuit Liuius, longe maiorem habet numerum, xl. *millia Numidarum*, xl. *elephanti*, & *argenti multa talenta*. Et Bomilcar poſtea xl. elephantos Hannibali Locros adduxit. In pleriſque exemplaribus vtroque in loco non *mille talenta*, ſed *multa* inuenio, quamquam ego *millia* magis probo.

Eod. *Terentianum mitti eum aliquo legatorum.*] Obſcurus hic ſermo eſt. Varronianum putat exercitum, & mitti intelligo in Siciliam, vt Cannenſis cladis reliquias. M. aut Valerium legiones venturas accipere in locum harum miſſas ex Sicilia.

Digitized by Google

Eod. *M. Valerium Læuinum prætorem tirca Nuceriam.*] Quidam quod Nuceria direpta atque incenſa eſſet ad Hannibale, vt ſupra tradidit auctor, repoſuere *Numerium*. At ego *Luceriam* legendum puto, quemadmodum ad finem huius libri habetur, vbi eiuſdem Valerij mentio. *Numeriæ* oppidi, quod equidem ſciam, nulla eſt apud auctores mentio. Id nominis etiam in Ptolemæi codicibus lib. 3. fere corrupte legitur.

Cap. XXXIV. *Q. Valerius Flaccus Corcyræos ad perſequendam, &c.*] Iidem & hoc loco Q. Fuluium Flacum ſuppoſuerunt, temere ſane, cum Q. Fuluius prætor vrbanus Romæ relictus ad ſuburbana littora tutanda nondum ab vrbe mouerit, Ego tamen non *Q. Valerium*, ſed *P. Valerium* puto legendum, qui M. Valerij Læuini prætoris peregrini legatus fuit, vt in ſequentibus latius legetur, quamquam vno in loco ſequentis libri *T. Valerius* haud dubio codicis errore, vocetur. Sed quatuor viri, M. Valerius Læuinus, P. Valerius Flaccus, Q. Fuluius Flaccus, L. Valerius Antias, hoc anno in officiis, magnam errandi occaſionem non attentis librariis, oſcitantibuſque codicum correctoribus coofiniu nominum dedere.

Eod. *Quinque millia peditum, trecentos equites ſcriberet.*] Quidam imo iidem etiam *quadringentos* emendarunt *equites*, moti fortaſſis quod legionem auctam millenario viderunt. At Polybius cum libro primo legionem Romanam quaternis millibus peditum, trecentis equitibus exhibeat; libro deinde tertio, vbi legiones auctas ante cladem Cannenſem refert, hæc ſubiicit verba: *Romani enim, ſicuti ſupra memorauimus, IV. legionibus exercitum complent. Singulæ quoque legiones quaternis mill. lib. peditum conſtant, equitibus ducentis: aut ſi quando ingens aliqua neceſſitas vrget, quinis millibus peditum, trecentis equitibus.* Hæc ille. Quamqoam in hoc Polybij oumero illic fortaſſis *trecentis*, pro *ducentis*, hic vero *quadringentis* pro *trecentis* legēdum. In Liuio ſane libro ſeptimo ab Vrbe cond. *quaternum millium ac ducentorum peditum tum trecentis equitibus*, legio deſcribitur, quæ ab eodem libro octauo *quinum milliū* equitibus non variatis exhibetur. Ego totum hoc lectoris iudicio relinquo: nam de equitibus quod certum affirmem non habeo.

Cap. XXXV. *Marius Alfius qui ſummus magiſtratus erat Cāp.*] Marij Bloſij prætoris Campani mentio eſt non ita longe ab initio huius libri. At in ſummo magiſtratu Mediaſtutici erāt, vt libro ſexto huius decados patet, & priore anno Pacuuius Calauius in ſummo erat magiſtratu. Verum non video quam ſint hæc apud Liuium diſtincta, fortaſſis vt ad hiſtoriam minus pertinentia, conſulto ab auctore neglecta.

Cap. XXXVII. *Atia militi præda conceſſa, exercituſque Cumas reductus.*] M. Valerius Læuinus Luceriæ erat, ex qua vrbe in Hirpinos facile impetum facere potuit. Ergo hic non *Cumas* legendum ſed *Luceriam*. longe enim abſunt Cumę. præterea Cumis in præſidio erat Cos. Sempronius eum exercitu, vt prætoris minime egeret.

Cap. XXXVIII. *Ad naueis XXV. quibus P. Valerius Flaccus præf.*] Hoc etiam loco pro *Valerio Fuluium* quidam nobis exhibuerant, ſed haud ſcio quam bene. Porro ingens difficultas cum ex re ipſa, tum ex multa nominum confuſione, vt vſpiam alibi, certe hoc potiſſimum loco mire moratur lectorem. Sed vt totum negotium melius intelligatur, hæc ordine annotanda duximus. Primum quidem ſcire debemus quod Q. Fuluius Flaccus erat pretor vrbanus, qui nondum ab vrbe mouerat: quod ex hoc manifeſtum eſt, quippe qui paulo poſt à T. Manlio re bene geſta in Sardinia captiuos accipit, & ad finem huius libri concionem ad populum habet Romæ. Erant autem eidem Fuluio datæ XXV. naues ad tutanda vrbana littora, ſicut M. Valerio Læuino totidem ad oram maritimam inter Brunduſium ac Tarentum. Idem Fuluius prætor (ſi lectionem hoc loco recte emendarunt, qui ex *Valerio Fuluium* fecerunt) nunc XX. ac rurſus quinque, quæ legatos captos aduexerant, accipiens naueis cum claſſe L. nauium Tarentum proficiſcitur. M. Valerius Læuinus Luceriæ adhuc erat, vt ex prioribus facile colligitur, videlicet ad quem Philippi legati ſemel elapſi, ac deinde rurſus capti, deducti erant, opera P. Valerij Flacci, M. Valerij legati, non autem opera Q. Fuluij, qui tum adhuc Romæ erat, decretum autem ſenatus poſt captorum legatorum aduentum ita habuit, vt Q. Fuluius (ſi modo & hoc loco recte hoc emendatum) iret Tarentum, reſquè Philippi Macedonum regis per L. Apuſtium, qui tum Tarento præerat, ſcrutaretur. Quod ſi certum bellum à Philippo eſſet, vt continuo L. Apuſtio in Apulia ad exercitum Læuini relicto, ipſe Læuinus in Macedoniam proficiſceretur, regemque ibi bello vexaret, quod etiam factum poſtea eſt. Et in hac tota difficultate duo ſcrupuli lectorem detinent. Prior, num Q. Fuluius pretor vrbanus ab vrbe mouerit, quod non videtur veriſimile, propter cauſam dictam. Altera, num vrbs ſua littora nudari voluerit, vt claſſem L. nauium Fuluio expleret, quod & ipſum haud credibile, nec tamen interea mentio vlla de aliis ad tutanda vrbana littora nauibus paratis. Quapropter *P. Valerium Flaccum* vbique legam Lęuini legatum, & XXV. naueis ab Hoſtia profectas, non L. ſed tum primum, poſteaquam Tarentum venerint, L. factas. Fieri autem poteſt, vt Liuius in nauiū numero memoria lapſus hæc confuderit, quod XXV. nauium ter hic mentio ſit cum Lęuino, cum Q. Fuluio, ac nunc demum cum P. Valerio miſſarum. Verum vt hac in re nihil temere affirmarim, ita cum nemine contendere in animo eſt, ſequatur porro quod quiſque velit.

Cap. XL. *Et in Sardinia res per T. Manlium prætorem admin.*] *Prætorem* legendum eſt. Q. enim *Mutius* prætor erat, non *Manlius*, vt verba ſequentia declarant. Hoc loco admonendum etiam, Caraleis Sardiniæ vrbem, mea quidem opinione rectius legi per *r*, poſt primam ſyllabam, & *l* poſt ſecundam: quamquam id in Plinianis codicibus ac aliis quibuſdam auctoribus corruptum eſt, vt apud Claudianum de bello Gildonico, in his verſibus:

Vrbs Libyam contra Tyrio fundata potenti,
Tenditur in longum Calaris, tenuemque per vndam.
Obuia dimittis fracturum flamina collem.

Eod. *Caralis*, legendum. Nam & Strabo Κάραλιν πόλιν nominat, non Κάλαριν. Sed id erroris etiam accidit in Σιβύλλῃ, quod Latini codices identidem *Sibelenus* habent, vt eſt videre apud Horatium.

Eod. *In Pellidos Sardos.*] Non nemini id nominis apud vllū geographum lectum, ſed vel antiquitate abolitum, aut corruptum fortaſſe, vt ſunt in hac decade pleraque.

Cap. XLIV. *Per proditionem accipienda Nola.*] Quidam *recipienda* emendarunt, quaſi antea quoque tenuiſſet eam Hannibal, nunc reciperet amiſſam. ſed ego nil mutarim. Poſt aliquot item verſus: *Mille fere paſſuum inter vrbem erant caſtraque*, vide num *erat*, legendum ſit, aut *mille paſſus*: alioqui latinitas non conſtat.

Cap. XLV. *Nolanis ſubſidiis fultus.*] Iidem *fultus* mutarunt, leguntque *inultus*, quod non probo. Et paulo poſt: *Ferrum nō habet*: quidam, *ferrum num hebet*? quidam, *ferrum nunc hebet*? Et rurſus, *vix reſiſtitis* emendarunt; *vix reſtatis*. ego *reſiſtitis* malim.

Cap. XLVII. *Inter multos nobiles equites Campa. acerrimus erat.*] Vide an non eandem rem bis dicat: Inter nobiles equites Campanos acerrimus erat; & longe omnium Campanorum fortiſſimus eques. fortaſſis autem & locus mutilus, ni ſi quis adiectum aliquid auctori contendat, quod veriſimilius.

Eod. *Minime ſcis, inquit, cantherium in foſſa.*] Ita D. Eraſmus Roterodamus pręceptor noſter legit. Quidam *ſis* legunt, vt Valla, pro *ſi vis*: & *in foſſam*, pro *in foſſa*: ſed verba ſunt obſcura, vt idem in nobili illo adagiorum opere fatetur.

Cap. XLVIII. *Sed pecuniam in ſtipendium veſtimentaque & fru.*] Hanno libro præcedeore Magoni eadem de Hannibale, exercituque eius victore coquerente, quid aliud, inquit, ſi ſpoliatus, ſi exutus caſtris eſſes, peteres? Sed fortaſſis importuna hæc. Illud autem quod mox ſequitur, *Nemo omnium erat, quin & vera ſcribi, et poſtulari æqua fateretur*: quidam mutarunt in, *qui nec vera ſcribi*: alij in, *qui non & vera ſcribi*. Sed vetuſta lectio mihi magis placet, *quin & vera ſcribi*.

Cap. XLIX. *Hi mores, eaque caritas patriæ per om. ord. ve. ten. vno pertinebat.*] Sermo propter verbū *pertinebat*, valde obſcurus, nec ego tamen quid reponendum ſit, video. Præterea conſiderandum lectori, quæ ſit illa lex, de qua prætoris Fuluij verba pro concione, *Conducerent que ex lege præbenda*, quæ

Cap.xix. *Et cum hoſtes obaraſſent quicquid herbidi*,&c. Hæc ità Liuius narrat, quaſi Pœni obarauerint quicquid herbidi terreni extra murum erat. Strabo autem de Præneſtinis πλησίον τῦ τείχει refert, quod ego intra muros intelligo, ac proinde Hannibalem territum aut tædio potius affectum ſit Præneſtini obſidendi eſſent, donec rapæ matureſcerent, atque hic ſenſus Strabonis verſimilior videtur. Hannibalis enim exercitus nulla tanta premebatur anguſtia, præſertim tam propinqua Capua, feliciſſimoque Campano agro in Pœnorum iam manibus, vt rapa iis ſerenda eſſent.

Eod. *Eodem tempore Petellinos qui vni ex Brutiis in amicitia Rom. manſerant.*] Quomodo vnà Petilia, cum Conſentia ac Rhegium quoque manſerint? Conſentiam enim poſt Petiliæ expugnationem intra paucos dies eum minus pertinaciter defendiſſet ſe, in deditionem Hannibalis veniſſe ſcribit. Rheginos vero & in fide erga Romanos & poteſtatis ſuæ ad vltimum manſiſſe, quod ad finem prioris libri admonuimus.

Cap.xx. *Conſultique iterum à M. Aemylio prætore*] Hic primo huius belli anno Siciliæ prætor fuit, cui Sempronius Cos. cum ipſe è Sicilia reuocaretur, quinquaginta nauium claſſem expleuit, cuique prorogatum imperium videtur anno ſecundo huius belli, quippe cuius Liuius meminit ante creatos Coss. tertij anni L. Æmilium & C. Terentium. Ceterum huius anni prætorem vrbanum M. Pomponium Mathonem ipſe Liuius creatum dicit, vbi dictos iam Coss. Quare & hoc loco, & paulo poſt *M. Pomponium Mathonem* legendum puto pro *Aemylio*, vt poſtea ſæpe legitur. Anno vero ſexto huius belli M. Æmylius fit prętor, ſed opinor alium fuiſſe.

Cap. xxi. *L. Furium prætorem cum claſſe ex Africa.*] *Furium* legendum, vt ſuperius in creatione magiſtratuum huius anni libro ſecundo, & alibi etiam ſæpe eodem libro.

Eod. *L. Aemylius qui* Cos. *cenſorque fuerat.*] Cum L. Æmylius Paulus iam occiſus eſſet apud Cannas, alter etiam eodem nomine bello Gallico, anno ab Vrbe condita 529. auctore Polybio, hic locus mihi plane ſuſpectus, maxime vero in prænominibus. Fortaſſis autem legendum *M. Aemilius*, qui Cos. fuit anno 524.

Cap. xxiii. *Vt quiſque eorum primus creatus erat.*] Hic codex Moguntinus, & eum ſecutus Aldinus, addit *ſenator*, ante *primus*, ex qua lectione nullus eſt ſenſus, neque ego puto addi debere ſed Liuium id velle dicere, vt quiſque eorum primus creatus erat, videlicet in magiſtratu, ita primus inter ſenatores electus. Sic enim ordini ordo, ac tempus tempori, non homo homini præfcretur.

Cap. xxiv. *Et T. Semp. Gracchus, qui tum magiſter equitum & eo accurrerat.*] Quidam hunc locum emendare volentes *accurrerat* poſuerunt, pro *& eo accurrerat*. At ego legendum puto, *qui tum magiſter equitum cum eo accurrerat*. Venerat enim cum dictatore hoc tempore in vrbem cum antea ad exercitum, manere, dictatore in vrbem commeante, cogebatur.

Cap. xxv. *De exercitu eos qui ex fuga Cannenſi eſſent, in Siciliæ cadum.*] Iidem hunc locum ita emendarunt: *De exercitu Marcelli qui ex fuga Cannenſi eſſent, in Siciliam eos traduci.* Verum ſi Marcelli exercitus erat, quem Nolæ in præſidio habebat, quique ibi ſtrenue nauauerat operam, cur ij ſoli in Siciliam relegandi? cum maiorem partem Cannenſium reliquiarum cum Varrone in Apulia fuiſſe veriſimile ſit, de cuius tamen exercitu minime minoendo Senatuſconſultum factum erat. Quare ego veterem lectionem probo, hoc ſenſu. Qui ex Cānenſi ſtrage fuiſſent, vt ij omnes in Siciliam relegarentur, de quocumque exercitu eſſent. Varronis autem exercitum non minui, intelligo numero: quot enim in Siciliam irent, tot in locum eorum ſuccenturiandos. Scio autem quæ poſtea de Claudianis caſtris dicet Liuius, rem nuſquam antea proditam, vt mirum ſit, vnde ea Marcellus corraſerit caſtra ſupra Sueſſulam, quæ deinde ſuper Vſuuium ponit, in quibus Q. Fabius conſederit.

Cap. xxvi. *P. & Cn. Scipiones inter ſe partitis copiis.* Quidam hunc locum ſatis caſtigatum putant, ſi *partiri copias* legatur, & intelligunt verbum ſubſtantiuum *ſunt*. Quidam locum nihilominus mutilum putant. Item quod paulo poſt ſequitur, *tum refecta tandem ſpe*, neſcio vt placet. *Refecta caſtra*, dicimus, & *refectos milites*: *refecta ſpe* haud ſcio quam ſit in vſu.

Eod. *Tarteſiorum gentem.*] Hoc quoque loco iidem *Carpeſiorum* pro *Tarteſiorum* repoſuerunt, quod nomē haud vſquam, quod equidem ſciam, lectum eſt. Tarteſos vero oppidum ad Calpen, ita à Græcis dictum, alias Carteia, vt Plin. lib. 3. cap. 1. innuit. Nec diſtantia ab Ibero impedit, cum Haſdrubal alibi ad Oceanum vſque fugiſſe dicitur.

Cap. xxvii. *Nec diu in pacato manſit.*] *Exercitum in pacato ac in hoſtico eſſe*, ſæpius lectum eſt apud auctores. *Regionem aut gentem in pacato manere*, haud ſcio quam ſit frequens.

Cap. xxx. *Itaque vrbe defenſorib. vaſtata facile potiti ſunt hoſt.*] Vide vt accipiat illud, *vaſtata*. De Crotone autem loquitur, quam hic captam dicit, libro autem ſequenti ab initio, à Brutiis obſideri ſcribit. Idem memoriæ lapſus de Locrēſibus eſt, quos hic deſciſſe ad Brutios Pœnoſque ait, nec ita multo poſt Romanis portas quoque clauſiſſe. ſequenti vero libro ab initio prorſus contrarium ſcribit. Hic locus meo quidem iudicio, nullam accipit excuſationem.

Eod. *Vt duumuiros eſſe iuberent ædis dedican. cau.*] Quidam pro *duumuiros*, repoſuerunt *Fabium duumuirum*, magna audacia, meo quidem iudicio, cum & T. Octacilius creatus ſit poſtea, non Fabius tantum. Itaque pluralis numerus manebit, vt poſtea enim dicit, *Interea duumuiri creati ſunt*. Et, *ædium dedicandarum cauſa* legerem, non *ædis dedicandæ*, quemadmodum poſtea *ædibus dedicandis* dicturus eſt.

Cap. xxxi. *T. Sempronius* Cos. *Cales ad conuen. diem edic. Inde vi. leg.*] Hic Cales dies edicitur, paulo poſt Sinueſſam. Idem Sempronius hic legionibus duabus vrbanis paulo poſt Volonibus præficitur. Sed Vrbanæ etiam legiones in caſtra Claudiana deductæ ſunt, vt plane appareat tempore mutata eſſe imperatorum decreta. Hoc etiam mirum quum antea de caſtris Claudianis nullam fecerit mentionem Liuius, qui Marcellum nunc Nolæ, nunc Cannuſij, nunc Caſilini fuiſſe dicat, hi tanquam ea omnibus nota eſſent, commemorat, ac poſtea ſæpius.

Eod. *Q. Fabius Maximus, & T. Attilius Craſſus.*] Quidam pro *Attilio* repoſuerant. *Otacilio*, quod non diſplicet, quippe qui poſt dedicationem ædis poſtea cum imperio in Siciliam mittitur. Sed vbique hoc emendatum oportuit. Verum eodem prope verſu reliquerant, *Menti Attilius*, cum adhuc de eodem loqueretur. Et lib. 2. poſt pugnam Traſimenam vbi eæ vouentur, *Attilius* iidem reliquerunt. Non tutum eſt mutare talia, niſi totam hiſtoriam memoria teneas: ſed quidam audacius non admodum curant, præſertim hac tempeſtate.

Eod. *Volones quoque patres ita fama ferebantur.* Pro *Volones quoque*, alij, *Vulgoque*: alij, *velle quoque* legunt. Sed non ſatisfit cordato lectori, nec ego ſane medelam vllam adhibere poſſum, recteque aſteriſco notatum hunc locum ab aliis puto, à nobis repetitus, vt in vetuſtis exemplaribus diligentius inſpiciatur. Diuinare omnia non poſſumus. Certum eſt inſimulatos patres à plebeis aut tonitrua finxiſſe, aut curaſſe vt falſo nuntiarentur, quod duos Coss. plebeios habere nollent.

Cap. xxxii. *Vnde Mago frater Hannibal* xxii. *mil. ped. & equites.*] Hunc locum quidam reſtituerunt, vt ex xxii. millib. peditum fecerint xii. *mil.* & ex xi. elephantis, *viginti*, & *argenti multa talenta*, *mille talenta*. Quæ quidem neque affirmare, neque refellere prorſus, at ex parte magis dubi, maxime ex ipſius auctoris verbis, facere poſſumus. Nam decretum ſenatus Carthaginenſis, quod ſuperius hoc adeo in libro poſt Hānonis orationem nobis exhibuit Liuius, longe maiorem habet numerum, xi. *millia Numidarum*, xl. *elephanti*, & *argenti multa talenta*. Et Bomilcar poſtea xl. elephantos Hannibali Locros adduxit. In pleriſque exemplaribus vtroque in loco non *mille talenta*, ſed *multa* inuenio, quanquam ego *millia* magis probo.

Eod. *Terentianum mitti cum aliquo legatorum.*] Obſcurus hic ſermo eſt. Varronianum putat exercitum, & mitti intelligo in Siciliam, vt Cannenſis cladis reliquias. M. ant Valerium legiones venturas accipere in locum harum miſſas ex Sicilia.

Google

Eod. *M. Valerium Læuinum prætorem circa Nuceriam.*] Quidam quod Nuceria direpta atque incenſa eſſet ad Hannibale, vt ſupra tradidit auctor, repoſuere *Numerium.* At ego *Luceriam* legendum puto, quemadmodum ad finem huius libri habetur, vbi eiuſdem Valerij mentio. *Numeriæ* oppidi, quod equidem ſciam, nulla eſt apud auctores mentio. Id nominis etiam in Ptolemæi codicibus libr. 3. fere corrupte legitur.

Cap. xxxiv. *Q. Valerius Flaccus Corcyræos ad perſequendam, &c.*] Iidem & hoc loco Q. Fuluium Flacum ſuppoſuerunt, temere ſane, cum Q. Fuluius prætor vrbanus Romæ relictus ad ſuburbana littora tutanda nondum ab vrbe mouerit, Ego tamen non *Q. Valerium*, ſed *P. Valerium* puto legendum, qui M. Valerij Læuini prætoris peregrini legatus fuit, vt in ſequentibus latius legetur, quamquam vno in loco ſequentis libri *T. Valerius* haud dubio codicis errore, vocetur. Sed quatuor viri, M. Valerius Læuinus, P. Valerius Flaccus, Q. Fuluius Flaecus, L. Valerius Antias, hoc anno in officiis, magnam errandi occaſionem non attentis librariis, oſcitantibuſque codicum correctoribus confinio nominum dedere.

Eod. *Quinque millia peditum, trecentos equites ſcriberet.*] Quidam imo iidem etiam *quadringentos* emendarunt *equites*, moti fortaſſis quod legionem auctam millenario viderunt. At Polybius cum libro primo legionem Romanam quaternis millibus peditum, trecentis equitibus exhibeat, libro deinde tertio, vbi legiones auctas ante cladem Cannenſem refert, hæc ſubiicit verba: *Romani enim, ſicuti ſupra memorauimus, iv. legionibus exercitum complent. Singulæ quaque legiones quaternis millib. peditum conſtant, equitibus ducentis: aut ſi quando ingens aliqua neceſſitas vrget, quinis millibus peditum, trecentis equitibus.* Hæc ille. Quamqoam in hoc Polybij numero illic fortaſſis *trecentis*, pro *ducentis*, hic vero *quadringentis* pro *trecentis* legẽdum. In Liuio ſane libro ſeptimo ab Vrbe cond. *quaternum millium ac ducentorum peditum cum trecentis equitibus*, legio deſcribitur, quæ ab eodem libro octauo *quinum milliũ* equitibus non variatis exhibetur. Ego totum hoc lectoris iudicio relinqoo: nam de equitibus quod certum affirmem non habeo.

Cap. xxxv. *Marius Alfius qui ſummus magiſtratus erat Cãp.*] Marij Bloſij prætoris Campani mentio eſt non ita longe ab initio huius libri. At in ſummo magiſtratu Mediaſtuticierãt, vt libro ſexto huius decados patet, & priore anno Pacuuius Calaoius in ſummo erat magiſtratu. Verum non video quam ſint hæc apud Liuium diſtincta, fortaſſis vt ad hiſtoriam minus pertinentia, conſulto ab auctore neglecta.

Cap. xxxvii. *Aſia militi præda conceſſa, exercituſque Cumas reductus.*] M. Valerius Læuinus Luceriæ erat, ex qua vrbe in Hirpinos facile impetum facere potuit. Ergo hic non *Cumas* legendum ſed *Luceriam.* longe enim abſunt Cumę. præterea Cumis in præſidio erat Cos. Sempronius cum exercitu, vt prætoris minime egeret.

Cap. xxxviii. *Ad naueis xxv. quibus P. Valerius Flaccus præſ.*] Hoc etiam loco pro *Valerio Fuluium* quidam nobis exhibuerant, ſed haud ſcio quam bene. Porro ingens difficultas cum ex re ipſa, tum ex multa nominum confuſione, vt vſpiam alibi, certe hoc potiſſimum loco mire moratur lectorem. Sed vt totum negotium melius intelligatur, hæc ordine annotanda duximus. Primum qoidem ſcire debemus quod Q. Fuluius Flaecus erat prętor vrbanus, qui nondum ab vrbe mouerat: qood ex hoe manifeſtum eſt, quippe qui paulo poſt à T. Manlio re bene geſta in Sardinia captiuos accipit, & ad finem huius libri concionem ad populum habet Romæ. Erant autem eidem Fuluio datæ xxv. naues ad tutanda vrbana littora, ſicut M. Valerio Læuino totidem ad oram maritimam inter Brunduſium ac Tarentum. Idem Fulnius prætor (ſi lectionem hoc loco recte emendarunt, qoi ex *Valerio Fuluium* fecerunt) nunc xx. ac rurſus quinque, quæ legatos captos aduexerant, accipiens naoeis cum claſſe l. nauium Tarentum proficiſcitur. M. Valerius Læuinus Luceriæ adhuc erat, vt ex prioribus facile colligitur, videlicet ad quem Philippi legati ſemel elapſi, ac deinde rurſus capti, deducti erant, opera P. Valerij Flacci, M. Valerij legati, non autem opera Q. Fuluij, qui tum adhuc Romæ erat, decretum autem ſenatus poſt captorum legatorum aduentum ita habuit, vt Q. Fuluius (ſi modo & hoc loco recte hoc emendatum) iret Tarentum; reſque Philippi Macedonum regis per L. Apuſtium, qui tum Tarento præerat, ſcrutaretur. Quod ſi certum bellum à Philippo eſſet, vt continuo L. Apuſtio in Apulia ad exercitum Læuini relicto, ipſe Læuinus in Macedoniam proficiſceretur, regemque ibi bello vexaret, quod etiam factum poſtea eſt. Et in hac tota difficultate duo ſcrupuli lectorem derinent. Prior, num Q. Fuluius prętor vrbanus ab vrbe mouerit, quod non videtur veriſimile, propter cauſam dictam. Altera, num vrbs ſua littora nudari voluerit, vt claſſem l. nauium Fuluio expleret, quod & ipſum haud credibile, nec tamen interea mentio vlla de aliis ad tutanda vrbana littora nauibus paratis. Quapropter *P. Valerium Flaccum* vbique legam Lęuini legatum, & xxv. naueis ab Hoſtia profectas, non l. ſed tum primum, poſteaquam Tarentum venerint, l. factas. Fieri autem poteſt, vt Liuius in nauiũ numero memoria lapſus hæc confuderit, quod xxv. nauium ter hic mentio ſit cum Lęuino, cum Q. Fuluio, ac nunc demum cum P. Valerio miſſarum. Verum vt hæc in re nihil temere affirmarim, ita cum nemine contendere in animo eſt, ſequatur porro quod quiſque velit.

Cap. xl. *Et in Sardinia res per T. Manlium prætorem admin.*] *Prætorem* legendum eſt. Q. enim *Mutius* prætor erat, non *Manlius*, vt verba ſequentia declarant. Hoc loco admonendum etiam, Caraleis Sardiniæ vrbem, mea quidem opinione rectius legi per *r*, poſt primam ſyllabam, & *l* poſt ſecundam: quamquam id in Plinianis codicibus ac aliis quibuſdam auctoribus corruptum eſt, vt apud Claudianum de bello Gildonico, in his verſibus:

Vrbs Libyam contra Tyrio fundata potenti,
Tenditur in longum Calaris, tenuemque per vndam.
Obuia dimittis fracturum flamina collem.

Eod. *Caralis*, legendum. Nãm & Strabo Κάραλιν πόλιν nominat, non Κάλαριν. Sed id erroris etiam accidit in Σίληζορ, quod Latini codices identidem *Sibelenus* habent, vt eſt videre apud Horatium.

Eod. *In Pellidos Sardos.*] Non nemini id nominis apud vllũ geographum lectum, ſed vel antiquitate abolitum, aut corruptum fortaſſe, vt ſunt in hac decade pleraque.

Cap. xliv. *Per proditionem accipienda Nola.*] Quidam *recipienda* emendarunt, quaſi antea quoque tenuiſſet eam Hannibal, nunc reciperet amiſſam. ſed ego nil mutarim. Poſt aliquot item verſus: *Mille fere paſſuum inter vrbem erant caſtraque*, vide num *erat*, legendum ſit, aut *mille paſſus*: alioqui latinitas non conſtat.

Cap. xlv. *Nolanis ſubſidiis fultus.*] Iidem *fultus* mutarunt; legontque *inultus*, quod non probo. Et paulo poſt: *Ferrum nõ habet*: quidam, *ferrum num hebet?* quidam, *ferrum nunc hebet?* Ec rurſus, *vix reſiſtitis* emendarunt, *vix reſtatis*. ego *reſiſtitis* malim.

Cap. xlvii. *Inter multos nobiles equites Campa. acerrimus erat.*] Vide an non eandem rem bis dicat: Inter nobiles equites Campanos acerrimus erat, & longe omnium Campanorum fortiſſimus eques. fortaſſis autem & locus mutilus, niſi quis adiectum aliquid auctori contendat, quod veriſimilius.

Eod. *Minime ſcis, inquit, cantherium in foſſa.*] Ita D. Eraſmus Roterodamus pręceptor noſter legit. Quidam *ſis* legunt, vt Valla, pro *ſi vis*: & *in foſſam*, pro *in foſſa*: ſed verba ſunt obſcura, vt idem in nobili illo adagiorum opere fatetur.

Cap. xlviii. *Sed pecuniam in ſtipendium veſtimentaque & fru.*] Hanno libro præcedente Magoni eadem de Hannibale, exercituque eius victore coquerente, quid aliud, inquit, ſi ſpoliatus, ſi exutus caſtris eſſes, peteres? Sed fortaſſis importuna hæc. Illud autem quod mox ſequitur, *Nemo omnium erat, quin & vera ſcribi, et poſtulari æqua fateretur*: quidam mutarunt in, *qui nec vera ſcribi*: alij in, *qui non & vera ſcribi.* Sed vetuſta lectio mihi magis placet, *quin & vera ſcribi.*

Cap. xlix. *Hi mores, eaque caritas patriæ per om. ord. ve. seu. vno pertinebat.*] Sermo propter verbũ *pertinebat*, valde obſcurus, nec ego tamen quid reponendum ſit, video. Præterea conſiderandum lectori, quæ ſit illa lex, de qua prætoris Fuluij verba pro concione, *Conducerentque ex lege præbenda*, quæ

aliquót verſibus præceſſerunt.

Eod. *Illiturgum oppidum ab Haſdrubale ac Magone & Hamilcare Bomilcaris filio.*] Lib. 5. huius belli non vno duntaxat loco, Pœnorum in Hiſpania duces referuntur hi: Haſdrubal ac Mago Hamilcaris, Haſdrubal Giſgonis. Quare hunc locũ ex illis emendandum puto, atque legendum ad hunc modum: *Illiturgum oppidum ab Haſdrubale ac Magone Hamilcaris, & Haſdrubale Giſgonis filio, ob defectionem ad Romanos oppugnabatur.*

Eod. *Ad Incibili oppugnandum Punici exercitus traducti.*] *Indibili* legendum, vt ſit ſenſus, cum Illiturgum obſidione liberatum eſſet, Punici exercitus ad Indibili rurſus oppugnandum traducti ſunt. De hoc autem in ſequentibus multa. Ipſe enim cauſa fuit mortis P. Scipionis in Hiſpania vt lib. 5. huius decados refert Liuius. Idem P. Scipioni filio deinde conciliatus lib. 7. ſed rurſus à Romanis defecit lib. 8. Vitæ vero finem inuenit lib. 9. ab initio, poſteaquam ipſe ac Mandonius poſt P. Scipionis diſceſſum Hiſpaniam rurſus armarunt, ingentique pugna victi, à L. Lentulo ac L. Manlio, Roman. Impp. ſuæ temeritatis pœnam dedere. Quis autem ita loquitur, *ad Incibili oppugnandum*? quare inſignis hic correctorum dormitantia notanda fuit.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXIV. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. I. *Itaque Locrenſes frumentum lignaque & cetera neceſſaria.*] Hic Locrenſes aduerſus Pœnos fuiſſe ait, quos priore libro ad Brutios defeciſſe, ac Romanis portas clauſiſſe ait. Eadem da Crotoniatibus obliuio, quam vrbem expugnatam à Brutiorum exercitu ait, præter arcem, hic rurſus oppugnati ab iiſdem. Non eſt mihi dubium in tanto rerum geſtarum aceruo, Liuium memoria lapſum Nam quod quidam hunc locum excuſant, obiter priore libro hæc innuiſſe, hic vero rem ipſam diffuſe ſcripſiſſe, vt acta ſit, mihi non probatur.

Eod. *L. Atilio præfecto præſidij.*] Libro ſecundo lectorem admonuimus, etiam atque etiam videat de huiuſmodi locutionis genere. Nam vt illic ſingulari nomini, non collectiuo, dedit verbum pluralis numeri, *Mandonius venere*, quia interiectus erat ablatiuus pluralis numeri: ita hoc loco ſubſtantiuo ſingulari adiicit pluralis numeri adiectiua, interiecto inter duos ablatiuos nominatiuo. Porro verba quæ præcedunt, vtcumque intelliguntur, cum ait: *Haud dubio in ſpeciem conſenſu.* Quidam codices habent *in ſpem*, ſed obſcuriore adhuc ſenſu. Similis dicendi modus eſt lib. 3. ab Vrbe condita, vbi tribuni cum Terentillo agunt. Item hoc poſtea libro, vbi Andronodorus ac Themiſtius interficiuntur. Item rurſus poſtea vbi Appius ad portum Syracuſanum claſſem tenet. Et li. quarto decados quartæ in Catonis ſtratagemate.

Cap. v. *Succedenti tanta charitate Hieroni.*] Quidam *Hieronis* in gignendi caſu ſubſtituerunt, ſed nihilo clariore ſenſu: & eſt ſane locus vbi Grammatici ſudare iure poſſint. Ego in dandi caſu malim legere, ſed iudicet lector.

Cap. vi. *Nec inuito Hannibale apud tyrannum manſerũt.*] Hoc ego de imperatore Hannibale intelligo. Sed id mirum, cum poſtea tam ſæpe fit mentio Epicidæ ac Hippocratis, qui fiat vt iuuenis Hannibalis hic vna connumerati nulla ſit mentio? Atqui ſubit hunc locum corruptum eſſe, atque ad hunc legendum modum: *Legatique ad Hannibalem miſſi, ac remiſſi ab eodem Hannibale nobiles adoleſcentes Hippocrates ac Epicides.*

Cap. viii. *Quem neque mittere à ſacris, neq; retinere poſſumus.*] Niſi ſuppleamus *ad ſacra*, quid ſibi verbum *retinere* velit, non equidem intelligo.

Eod. *Ego magnopere ſuadeo eodem animo, quo ſi ſtantib. &c.*] Erat hic locus aliquot codicib. aſteriſco notatus: offendit fortaſſis quod in *quo*, intelligendum erat: ſcilicet *animo crearetis* Coſs. Sed non adeo ſuperſtitioſe locutus eſſe eximios auctores vel hic locus indicio fuerit.

Cap. ix. *Admonuit cum ſecuribus ſibi faſces præferri.*] Valerius Publicola in vrbe faſcibus abſtulerat ſecures, extra vrbem autem ferebant Coſs. vt Dionyſius Halicar. lib. 5. ſcribit. Liuius vero lib. 2. ſummiſſos ſane populo faſces ſcribit: ſecures vero demptas, nè verbo quidem meminit. Admonet igitur hoc loco Octacilium Fabius, vt ſileat: nam ſecures adeſſe & faſces, quibus occidere eum poſſit, ſi ius ineundi ſuffragia populo impedire conetur, *Admonuit* igitur, minitantis eſt.

Eod. *Referebant ſenes ſic T. Manlium cum P. Decio.*] Pro *T. Manlio* quidam reſtituerunt *Fabium Maximum*, & recte. Nã T. Manlius bello Latino, non Gallico, & cum P. Decio patre non filio, Coſ. fuit. At bello Gallico, quod fuit anno ab vrbe cond. 458. Q. Fabius Rutilianus, qui Maximi cognomen primus habuit, Coſ. fuit cum P. Decio P. Filio. Hic etiam Fabius à Plutarcho Rullus dicitur.

Cap. xv. *Deinde occupata dextra tenendo caput.*] Neque hoc facile intellectu eſt, nec verum credo quiſque enim vt puto, dextra gladium potius, caput autem hoſtis ſiniſtra tenere volet. Id quamquam indignum annotatione videatur, omittere tamen noluimus, cum Gellius multo curioſius de ſurſum acto iaculo, aut deorſum diſputet lib. 9. cap. 1.

Cap. xvii. *Pomponio pro prætore cum eo exercitu qui ſupra Sueſſ.*] Ab initio huius anni Pomponius in agro Gallico erat, nec interea eius vlla mẽtio. Oportet ergo hic intelligere Romam accitum, ac deinde cum Coſ. Marcello in Campaniam conceſſiſſe, cuius tamen rei ne verbo quidem meminit Liuius. Fortaſſis autem & nomen corruptum.

Cap. xx. *Oppida vi capta, Compulteria, Teleſia, Coſſa, &c.*] Compulteriæ ac Teleſię etiam ſuperioribus libris mentio. *Coſſæ* in Hirpinis meminit ab initio huius libri, vbi tamen *Cõpſam* libentius legerim. Sequentia nomina quam bene habeant nihil definio. Porro poſt aliquot verſus quod legitur, *ſtatiuaque ad Ardoneas*, videndum num *apud Herdoneam* legẽdum, vt ſæpe poſtea. *Ardonearum* nemo, quod equidem ſciam, meminit.

Eod. *Tarentum triduo antequam Hannibal ad mœ. ac.*] Locus notatus erat in pleriſque libris aſteriſco, deſideratur enim nomen Romani præfecti, qui Tarentum tenuerit à M. Valerio miſſus. Sane libro priore L. Apuſtius Tarento præerat. Quidam *T. Valerium* ſubſtituere, ſed *P. Valerium* maluiſſem. Ipſe Liuius M. Liuium præfuiſſe dicit, ac Tarẽtum ſub eo captum ab Hannibale præter arcem, quam quinquennio defendit, donec Q. Fabius Tarentum rurſus ceperit. Nec tamen cum Salinatorem fuiſſe puto, quod nec Liuius vſpiam perhibet, ſed Macatum. Vtriuſque ſane mẽtio eſt lib. 7. huius belli, vbi Cl. Nero cum Salinatore fit Cos. Certe Salinatoris deſcriptio, quam eo in loco exhibet auctor, nequaquam Tarenti præfecto conuenit, etiamſi Cicero in Catone, vbi de Q. Fabij laudibus diſſerit, Salinatorem fuiſſe dicat: ſed fieri poteſt vt aut hoc adiectum ſit Ciceroni, aut nominum variationem erroris cauſam dediſſe, vt hoc variatum ſit in Romana hiſtoria, quemadmodum in aliis pleriſque accidiſſe ſatis certo cõſtat.

Cap. xxi. *Hexaphoro Theodorus ac Soſis.*] *Hexapylo* recte emendarunt alij. At nomina partium vrbis Syracuſarum apud Liuium & hoc & ſequente libro, non vſque adeo cum Thucydidis deſcriptione quam is habet libris 6. ac 7. conueniũt. Et hoc loco *Tincham* quidam habebant codices, cum libro ſequente *Thicam*, in Thucydide *Syca* nomen eſt, quam Athenienſes muro celerius Syracuſanorum opinione circumſepſerant. Fieri tamen poteſt, vt Hieronis tempore multa adiecta mutataque fuerint, quæ ex his duob. auctoribus, facta comparatione, aliqua ex parte ſatis apparent.

Cap. xxii. *Qua pedibus tractum, non inſidentem equo rel. tyr.*] Sententia eſt tyrannica, cuius ſenſus vtcunque percipitur. at illud *pedibus tractum*, ſubobſcurius eſt. Obſcurum item illud quod ad finem orationis Andronodori *ne efferatur res.*

Cap. xxv. *Qui audes atq; intemperãtes plebeiorũ animos.* Quidã emendauerunt *publicanorũ animos*, ſed mihi prorſus diſplicet.

Cap. xxviii. *Sed tamẽ Hieronis potius quam Hieronymi auſto.*] Hæc verba etſi ſimpliciter quidẽ, & (vt ita dicã) abſolute intelligi poſſunt, videntur tamen neſcio quod deſiderare ver-

bum, vt, *oſtendere*, vel quid ſimile: vt ſit ſenſus, Hieronis auctoritatem potius quam Hieronymi in fœdus legẽdis ſequendam eſſe: id oſtendere amicitiam L. annis feliciter expertam. Nam illam disiunctam non admodum intelligo. Sed iudicent hæc doctiores.

Eod. *Mittique cum eis legatos ad rem confirmandam.*] *Cum eis*, intelligo Romanis legatis, quos Marcellus Syracuſas miſerat. niſi coniunga, *ad rem confirmandam cum eis.* præceſſit enim *Romanis.* Sed eſt durum tamen vtrumque. Item quod ſtatim ſubnectit, *Præſidium finib. ſuis orantes:* à quo infeſtarentur, dicere omiſit Liuius, rem magnopere neceſſariam ad ſequentia intelligenda.

Cap. xxx. *Capti ad Thraſimenum inter Roman. auxilia.* Coſs. C. Terentio ac L. Æmilio ante Cannenſem pugnam, Hiero mille ſagittarios ac funditores Romanos miſerat. Itaque ego legerem, *Capti ad Cannas.* niſi quis cum Sempronio etiam aliquos miſſos intelligat, quod tamen Liuius nuſquam commemorat. Accedit ad hæc, quod non ita multo poſt Hiero mortuus eſt, vt illos ſub Hieronymo, non Hierone meruiſſe, recte intelligi queat.

Cap. xxxii. *At militares pene omneis, partemque ma.*] Quidam pro *at*, reſtituerunt *ad.* Ego *apud* malim, & nomen *Romanum* potius quam *Romanis.*

Cap. xxxiii. *Tunc Romanus exercitus ad Olympium.* Ὀλυμπιεῖον eſt apud Thucydidem lib. 7. quare *Olympeium* legendum.

Cap. xxxiv. *In eas quæ procul erant naueis, ſexagin. po...*] Veriſimilius erat in priores naues ſaxa ingenti pondere miſſa, in eas vero quæ procul ſtabant, leuiora tela: niſi propinquitas effecerit, vt interiores naues tutiores eſſent ab ictibus. Sed lectoris eſto iudicium.

Cap. xxxv. *Adcitusque ibi & à legatis Hippocratis.*] Quidam mutarunt in *accitus*, ſed nihilominus obſcuro manente ſenſu. Illud etiam, *ibi* quam bene cum *accitus* connectatur, aliorum eſto iudicium.

Cap. xxxvi. *Duplici facile numero claſſe aduentantibus Rom.*] Carthaginenſium claſſis erat nauium quinque & quinquaginta Romana xxx. quinqueremium, vt paulo ante dixit auctor, hic vero dicit Romanam claſſem facile duplicem ad Carthaginenſem. oportebat igitur aliam claſſem eſſe, de qua tamen nihil meminit, quod ſciam.

Cap. xxxvii. *Et nec liberorum etiam ſuorum cauſa parentes ſanxiſſe.*] Mogontinus codex habet, *Et hoc liberorum etiam ſuorum cauſa.* Verum ex neutra lectione ſenſum percipio. Valla ait eum de T. Manlio Torquato loqui, additque *ſanguine.* Inde quidam ita legunt, *Et nece liberum etiam ſuorum eam legem parentes ſanxiſſe.* quæ lectio mihi placet.

Cap. xxxix. *Ipſe hybernacula v. mil. paſ. Hexapylo (Leontium vocant.)*] Leontium diſtare vult, vt puto, ab Hexapylo v. mil. paſ. At Thucydes lib. 6. *Leonta* vocat locum, vt puto, ſex ſeptemve ſtadiis ab Epipolis diſtantem, quod veriſimilius eſt in obſidione, niſi non ſit idem locus.

Cap. xl. *T. Valerio legato.*] Priore libro admonuimus pro hoc *Valerio* non recte *Q. Fuluium* ſubſtitutum. Ceterum nunc *Q.* nunc *T.* in quibuſdam libris inuenitur, in quibuſdam *P.* quod equidem malim.

Cap. xli. *Arx erat munita, & eo conuexerunt ante frumen.*] Cũ attentione hoc legendum, nam lubricus locus eſt. Neſcias enim Romani ne ad Carthaginenſes arcem poſſederint. Nam ſi Carthaginenſes poſſidebant, quomodo circa omnia plena hoſtium erant? qui Romanum agmen videlicet incurſauerant. Sin Romani habebant, quare relinquebant? præſertim cum munita eſſet, ac eo multum frumenti conuectum. Scio aliis modis reſponderi poſſe, ſed vt lectori cordato ſatisfacere queam, neſcio.

Eod. *Octauum iam annum ſub hoſtium poteſtate eſſe.*] Hic eſt annus quintus huius belli: quapropter ſi Saguntum primo huius belli anno captum eſt, vt lib. 1. docet Liuius, non *octauum*, ſed *quintum* legendum. Sin priore anno captum Saguntum, quam hoc cœpit bellum, quod Polybius ſcribit, *ſextum* agendum eſt. Id erroris in numeris facile accidere poterat, ſed mirum non animaduerſum, quod tam facile redargui potuit.

Cap. xliv. *Et in Iouis Vicilini templo quod in Compſano ag. eſt.*] Quis ſit *Iupiter Vicilinus*, aut cur ita dictus, non equidem memini. Sed & *Compſano* quidam in *Caſſano* mutarunt: quam bene ipſi viderint.

Cap. xlv. *Vt proditis pro ſeptemuirali iudicio eſſe.*] His verbis & quæ ſequuntur aliena videntur, & quæ præcedunt, male cohærere, & prioribus & huic iam poſitis. Nam quis intelliget hæc? *Tum poſtquam*, &c. *turpius videatur*, cum non præceſſerit *cum*? Porro ſeptemuirale iudicium quod ſit, cum Sabellico ingenue fateor me neſcire. Quidam *pro proditis*, legunt *proditio*, vt codex Moguntinus. Veteres etiam aliquot codices habebant *proditas.* verum inde nullus ſenſus eſt. Septemuirorum epulonum mentio apud Feneſtellam, ſed nihil de iudicio proditionis. Laurentius Valla hoc loco mirum in modum luctatus eſt, at nihil promouit.

Eod. *Et non vocitent. documentum autem dicunt.*] Et hunc, & præcedentem locum mutare lectione conatus eſt Sabellicus, cum neutrum intelligeret, pro *ſeptemuirali ſemeruirali: dicant*, pro *dicant*, legens. Hic vero ſi particula *autem*, ſequatur verbum documentum præcedatq; ſolus, nullus prorſus erit ſenſus. Ego vero totum locum ita legerem: *Cum illud potius agendum atque eis cogitandum ſit, ſi quo modo fieri poſſit, ne qui ſocij à populo Rom. deficiant, neque ſe vocitent documentum, neque grauius in eum ducant ſtatui oportere, ſi quis reſipiſcat.*

Cap. xlvii. *Oppidum Aternum expugn. amplius xxx. mil.*] Sabellicus hunc locum recte tractat, *Cliternum*, & *ſeptem millia*, reſtituens, nimis enim magnus erat numerus xxx millia hominum. Quamquam fluminis Aterni mentio apud Plinium libro tertio tribus in locis. Fieri autem potuit, vt eiuſdem nominis cum fluuio oppidum olim eſſet, vt ſæpius inuenitur.

Eod. *Cum Æquimelio lagu.loquetico.*] Omnes aream qua Sp. Melij domus ſteterat, Æquimelium appellant: certũ autem etymon non adijciunt, neque Liuius li. 4. neq; Valerius Max. lib. 6. Varro adijcit li. 4. ait enim, *Æquimelium*, quod *æquata Melij* domus publice, quod regnum occupare voluit. Poſſet & hoc mirari aliquis ſi æquimelium area erat, vt vocat Valerius, qui ardere potuerit? Sed hoc puſillum.

Cap. xlviii. *Syphax erat rex Numidarum.*] Atqui quod hic ponit, non æque puſillum, neque quo pacto verum ſit facile iudicatu, cum libro octauo huius belli Liuius contra Maſſæſylorum regem eſſe Syphacem dicat: Maſſæſyli ſane ad Molochath flumen ſunt, Numidæ ad Ampſagam: & illorum regia Siga, vbi Syphax aditus à Scipione: horum autem Cirtha, poſtea colonia Romana. Non eo tamen inficias Numidarum nomen longe patere: tum Maſſaniſſam poſtea capto Syphace, Maſſæſylorum dominum factum: at nos de præſenti diſputamus tempore. Sed illa magis dubia, quæ de Maſaniſſa continuo poſt ſubnectit Liuius, Syphacem ab eo ingenti victũ prælio in Mauruſios Numidas, qui extremi prope Oceanum aduerſus Gadeis colant, fugiſſe. Intelligit autem Mauros & Tingitanam prouinciam. Propius igitur Carthaginenſeis aliqua ſaltem partem Galæ regnum fuiſſet, longius vero Syphacis, quod mihi ſuſpectum, ſed libris ſequentibus latius ea tractabimus.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXV. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. iii. *Quintus Fuluius Flaccus, App. Claudius iii. conſula.*] Hoc loco qui *tertium Q. Fuluio* appoſuerunt, non *Claudio*, recte fecere. Nã non ita multo poſt in creatione noui pontificis max. de *Q. Fuluio* dicitur, quod & ante bis Coſ. & cenſor fuerat.

Eod. *M. Iunius Syllanus inter* Coſs.] Quid ſibi velit *inter* Coſs. hoc loco non plane intelligo, etſi paulo poſt repetitum. Fuit autem hic in Hetturia prætor, quæ ei ſorte venit. quod poſtea etiam libro ſequente ab initio fere innuit Liuius. Quare legendum, *M. Iunius Syllanus Hetruriam.* atque ita etiam Valla.

Eod. *Populus ſeuerior vindex fraudis erat.*] Mira hoc in loco confuſio horũ nominum, *populus, plebs, concilium plebis, tribus, Latini, & comitia.* Nam cum primum dixerit, populum vindicem fraudis fuiſſe, ſtatim concilium plebis ſubiungit. Et priuſquam tribus in ſuffragium vocarentur, tribunos populum ſubmouiſſe dicit. Deinde, Latinos ſuffragium ferre, populum reclamare, publicanos cum populo iurganteis facit. Item in relatione Coss. ad ſenatum, eadem nominum confuſio. Quomodo enim hæc congruunt, *Plebis concilium vi turbatum, ſuffragium populo per vim extortum, concilium plebis ſublatum, contra populum Romanum aciem introductam, tribus prohibitas in ſuffragium vocari, populum Romanum victum, comitia ſublata?*

Eod. *Et forte in cornu primus ſedebat Caſca, cui ſimul.*] *In cœtu* quidam legunt, ſed vtrumque intelligitur.

Cap. v. *Ea comitia nouus pontifex. M. Ceruelius Cethegus habuit.*] In L. Lentuli locum, qui Pontifex maximus fuerat, hic Cornelius Cethegus ſuffectus quidem erat Pontifex, ſed non maximus Pontifex, quare non eſt contradictio. Hodie in ſimili re haud ſcio quam ſimiliter agatur.

Cap. vii. *Dum ne quis eorum munere vacaret, ueu dono.*] Moguntinus codex habebat in dando caſu, *muneri.* Sed vt ingenue dicam, neutra lectio mihi ſatisfacit, ideoque ea de re lectori conſiderandum.

Cap. ix. *Aliquantum intra mœnia includitur.*] Hunc alij aſteriſco notarunt locum, & recte: nam mutilus eſt haud dubie.

Cap. xi. *Et praaltis rupibus, & ab ipſa vrbe muro.*] Hæc verba vt quadrent cum iis, quæ aliquot deinde verſibus interpoſitis, poſtea ſubijcit, *Et eſt,* inquit, *non altitudine, vt cetera, tuta, ſed loco plano poſita:* iudicandum lectori offero, nam ego ſane hæſito.

Cap. xiv. *Hanno ab Cominio Cerito, quo nunciata cla.*] Hanno frumentatum ierat, vt puto, in Samnium: quod Beneuento proximum eſt. At *Cominio Cerito,* quo pacto dictum ſit, nõ intelligo. Cominij quidem in Samnio lib. 10. ab Vrbe condita, multa mentio eſt, ſed *Cerito* additum nos turbat. Cominos ex Æquicolis interijſſe ait Plin. l. 3. c. 12. at nihil ad hunc locum.

Cap. xv. *Quod vrbi tam propinqua tertium annum impunita deſect. eſ.*] Atqui poſt L. Æmilium ac C. Terentium, ſub quibus. Capua poſt cladem Cannenſem defecit, hi quatuor ſunt Coss. Tres igitur anni præterierunt, quare legendum puto, vel *quintum* vel *quartum.* Porro hæ locutiones per accuſatiuos in Latina lingua ſæpe fefellerunt, vt de luſtri tempore alibi admonuimus.

Cap. xvi. *Deducit Pœnam in locum pacis Gracchum adducturus. Mag.*] Hic locus non abs re aſteriſco notatus eſt in pleriſque codicibus, eſt enim perquam obſcurus. Nam de quo Pœno loquatur, vix intelligi poteſt, cum continuo Magonem ſubijciat, quaſi de alio locutus ſit. Atqui de Hannibale dici non poteſt, quod exanimem Gracchum Mago ad eum poſtea mittat. De Hannone autem hic nulla mentio. In hoc nobis notatus, vt ſtudioſius exemplaria vetuſta inſpiciantur.

Eod. *Ad quam perficiendam ipſius Gracchi opera opus eſſet.* Quandoquidem cetera per infinitiuos proferuntur, ego hunc locum ita legerem, *Ad eam perficiendam ipſius Gracchi opera opus eſſe:* quo modo ſæpe Liuius loquitur: quamquam nihil definio.

Eod. *Reliquum autem quid eſſe paucis à multitudine, &c.*] Sed & hoc loco *eſſe* malim, quam *eſſet:* verum lectoris iudicio relinquo.

Cap. xx. *Ad Vulturni oſtium vbi nunc vrbs eſt, caſtellum communitum.*] Incertum quæ illa ſit vrbs, incertius quod de duobus caſtellis maritimis ſubnectit. Fabius tertio ſuo conſulatu, cum in T. Poſthumij locum ſubrogatus eſſet, Puteolos ex auctoritate Senatus communierat, vt libro præcedenti nõ multis ſolus ab initio tradidit Liuius, Præterea in hoc libro non ita multo poſt, App. Claudius Conſul. D. Iunium ad oſtium Vulturni M. Aurelium Cottam Puteolis præpoſuit, qui vt quæque naues ex Hetruria ac Sardinia acceſſiſſent, exemplo in caſtra mitterent frumentum. Quare ſi de Puteolis loquitur, de Fabio procedit, imo ibidem Liuius ſubnectit, App. Claudium ad Capuam regreſſum, collegam Q. Fuluium inueniſſe, Caſilino omnia importantem, molientemq; ad oppugnandam Capuam. Quod ſi verum eſt, neque hic aliquis eſt hiſtoriæ defectus, videtur vere dubium, de quo Caſtello loquatur Liuius, ad Vulturni oſtium. Caſilinum enim ad Vulturnum quidem erat, ſed non ad eius oſtium.

Eod. *Quodque Minutius prætor ex Hetruria coëmerat.*] Alij *Mutium* emendarunt, quod Q. Mutius Sceuola prorogatum imperium habebat in Sardania. At non opinor illum è ſua egreſſum prouincia, tam graui bello in Hetruriam emptum iſſe frumentum. Paulo ante C. Seruilius legatus ex auctoritate patrum, à P. Cornelio prætore in Hetruriam ad frumentum coëmendum miſſus erat, qui Tarentinæ arci, onuſtis frumento nauibus, ſuccurrit quod auctor antea ſcripſit. Veriſimile eſt frumenti aliquid Hoſtiæ manſiſſe ad Capuæ obſidionem, quod Seruilius legatus, non Q. Mutius prætor ex Hetruria coëmerat, cum alioqui ab eodem Mutio nuper miſſum narretur. Ipſe Lector Liuij verba penſitet vt ſeſe ſequantur, & inueniet non temere hunc annotatum locum. Sed vt finem inueniat hæc dubitatio, quando M. Iunius Syllanus Hetruriæ prætor erat hoc anno, vt patet ab initio huius libri, vbi noui creantur magiſtratus, pro *Minutius prætor,* legendum puto, *M. Iunius prætor.*

Cap. xxiii. *Ad portum Trigillorum.*] Τρώγιλον locum ad ſeptemtrionem Syracuſis, Thucydides lib. 6. non ita longe à fine deſcribit. Liuius hic pluratiuo numero protulit, ſi codex non fallit, & portum ait, quod non intelligo.

Cap. xxiv. *Cum cetera admota, pluribuſque ſcalis in mu.*] *Cetera, ſcalæ* intelliguntur: dura ſane compoſitio, cum ſenſus non ſit admodum obſcurus.

Eod. *Quippe ad Epipolas frequentem cuſtodijs locum.*] ἐπιπολαὶ apud Thucydidem eodem libro, locus præruptus vrbi imminens, Liuius dumtaxat nominat.

Eod. *Partium ſenſu non ſatis pertendente in omnia.*] Quidam pro *pertendente,* emendarunt *pertinente:* ſed non placet: tolerabilius erat ſi *pertingente* emendaſſent, vt Valla fecit: ſed *pertendente,* quod veteres habent codices, placet, & *ſenſu partium* coniungendum eſt.

Eod. *Epicides ab inſula, quam ipſi Naſon vocant.*] Idem *Naſſon* duplici ſſ. exhibuerunt, ſed *Naſon* legendum. Nam Dores (cuius gentis & Syracuſani ſunt) Νᾶσον pro Νῆσον, vt τιμάν pro τιμὴν dicunt, & mille ſimilia, vt videre eſt apud Theocritum. Inſula autem illa à cetera vrbe muro ſeparabatur, quem poſt Tyrannorum cædem diruerant, in ea erant horrea publica, eratque in arcis modum ædificata.

Cap. xxv. *Ad Euryalum ſigna referri iuſſit.*] Εὐρύηλος eſt apud Thucydidem, quo loco aſcenditur ad Epipolas. Tu vide an cum Liuij verbis congruat.

Eod. *Caſtraque pro muro tectis parietum ſepta.*] Quidam tranſpoſitis aliquot verbis, ita legunt, *Caſtraque tectis parietum pro muro ſepta,* manente nihilominus ſenſus obſcuritate, cui ego ſane mederi nequeo.

Eod. *Cum c. nauibus poſt paucos dies rediit.*] Hic c. ait naueis, poſt paululum vero cxxx. naueis longas lxx. onerarias memorat. duplum ſane numerum de eadem vtique profectione, vt puto. Nam eum bis rediſſe, mihi non fit veriſimile, etiamſi Liuius dicat iterum cum claſſe profectum.

Cap. xxvi. *Multo tamen maior vis peſtis Pœnorum ca.*] Merito hæc aſteriſco notata ſunt in quibuſdam codicibus. Nam ea ita ſonant, quaſi Romanorum hoſtes diu circumſederint Syracuſas, cum contra de Romanis hoc verum. Illud quoque *ex hoſtium exercitu,* incertæ eſt diſtinctionis, ad prioraue, quæ mutila ſunt, an ad poſteriora referendum.

Cap. xxvii. *Alterum quindecim ab oſtio.*] De quo oſtio loquatur, non admodum clarum. Quamquam non ita multo poſt, vbi Merico cuſtodiæ euenit portio, ita ait: *Partibus diuidendis ipſi regio euenit ab Arethuſa fonte vſque ad oſtium magni portus.*

Cap. xxviii. *Et quamquam tot mala vrgerent negarent fortu.*] Et hic locus in aliquot codicibus aſteriſco notatus eſt, fortaſſis quod dicendi genus temere hoc contextu mutatum eſt. Exercitum autem Siculorum extra vrbem Syracuſas fuiſſe, præcedentia ſatis indicant. Cauda etiam orationis Syracuſanorum quam inter ſe habent, apud me male tinuit.

Cap. xxix. *Qua quiſque terra, quiſque mari venerit.*] *Quo quiſquis terra, quiſquis mari venerit,* recte alij emendarunt. Locus ſumptus ex Iliad. η. vbi Hector gloriam ſuam auctam putat, ſi occiſo Aiace, olim de ipſo dicatur, hic ſepultum Aiacem ab

Hectora occiſum. Tractat eundem locum Gellius lib. 15. c. 6. Sed & hæc oratio Syracuſanorum ad Marcellum aliqua parte defecta videtur, quare in aliquot codicibus aſteriſco notata. Hæc enim verba, *Incolumneſque Syracuſis familia veſtra*, non bene cohærent ſuperioribus.

Cap. xxx. *Remulco quadriremis trahi.*] *Remulco* Grammatici exponunt ſcaphis remigio actis. Quod ſi vere dicunt, quid igitur ſibi vult, hic quadriremis? niſi quis intelligat remos quadriremis nauis. Remulco enim trahitur nauis, quoties alteri alligata, non ſuis remis agitur. Aptum exemplum eſt li. 7. quartæ decados, vbi Rhodia aduerſus Hannibalem in mari Pamphiliæ feliciter pugnaot. *Contemplatus*, inquit Liuius, *Eudemus hoſteis claudas mutilataſque naueis apertis nauibus remulco trahenteis xx. paulo amplius integra abſcedeneis*, &c.

Cap. xxxii. *Ad vrbem nomine Antorgin.*] Multa ſunt nomina vrbium apud hunc auctorem, præſertim Hiſpanarũ, quæ non temere apud alios reperias, vel, vt multi exiſtimant, quod pleraque defecerint longa ætate oppida: vel, vt ego puto, corruptis temporum iniuria codicib. quamquam vtrumque in cauſa eſſe poteſt. Hoc in vniuerſum vno verbo dicere volui, ne lector nimium ſe torqueat, quemadmodum ſtulto mihi accidit. Neque enim inuideo aliis, ſi carpento illuc vehantur, quo pedib. ego iter feci. *Antorgis vrbs Sueſſanique populi* eiuſmodi ſunt, ac aliis in locis multa his ſimilia.

Cap. xxxvi. *Anno octauo poſteaquam in Hiſpaniam vere. Cn. Sci.*] Hic ſeptimus eſt aonus huius belli, non octauus. Nam anno primo P. Scipio cum Sempronio Longo Coss. fratrem Cneium in Hiſpanis miſit, vt ipſe auctor lib. 1. huius belli tradidit. Itaque poſtea non ita longe ab initio Martianæ orationis, legam: *Nec ſe, neu inuictos per ſeptem annos in ijs terris milites ſuos*, &c. facilis autem eſt lapſus ex numero vii. ac viii. vt in aliis multis.

Cap. xxxviii. *Ad id, quod ne timeatur fortuna facit, minime tuti ſint homines.*] Quidam emendarunt, *ad id*: & *ſunt* pro *ſint*, ſed nihilo clariore facto ſenſu. Tum quæ ſequuntur verba non minus obſcura ſunt. Quæ ideo admonemus, vt exemplaria vetuſta eo diligentius inſpiciantur.

Cap. xxxix. *Pars ignis eſcas ſtramento arido tectis inijciunt.*] Dura eſt hæc compoſitio, nec facile dixerim quam diſpliceat, ſenſus tamen intelligitur.

Eod. *Ad triginta ſeptem millia hoſtium cæſa.*] Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. *triginta octo millia* prodidit. in vtrius auctoris codice ſit error, non facile pronunciauero, quamquam res non eſt magni momenti.

Eod. *Libyphœnicis generis Hipponatis.*] Quidam *Libyphœnicum* legunt, vt *generis* cum *Hipponatis* coniungant, quaſi qui ex Hippone natus fuerit. At ego *Hipponates* (quamquam varie hoc loco legitur, *Hippocinatis, Hippouiates*, &c.) nominatiui caſus eſſe puto, & nomen Mutines eſſe. Itaque coniungenda, *Libyphœnicis generis*. Fertiliſſimum autem ſolum tenebãt Africæ Libyphœnices inter Bagradam & Syrtim paruam, quo loco eos etiam conſtituit Ptolomæus.

Eod. *Non tam Mutinis conſilio quam fiducia magis auſi egredi.*] Hoc *tam*, ſublatum eſt propter aduerbium *magis*. vult enim dicere, eos non magis conſilio Mutinis exiſſe, quam eius fiducia, quæ res illis tandem male vertit. De Himera autem dubium quem fluuium dicat. Ego eum quem Ptolemæus eo in loco ponit, vbi alij Gelam. Eſt etiam Himera quem Strabo ait per mediam fluere Siciliam, exoneratque in mare ad occiduam inſulæ partem. Meminit & Plinius lib. 3. cap. 8. Ac de hoc ſupra ab initio lib. 4. huius belli mentio eſt, vbi Hieronymus tyrannus legatos cum mandatis Carthaginem miſit.

Cap. xli. *Coss. creati Cn. Fuluium Centumalum, & P. Sul.*] Omnes Liuij codices abſq; numero *Centumalium* ponunt, vt ſit alius ab eo qui Cos. fuit anno ab Vrbe cond. 525. *Sulpicium* vero hunc quidam *Seruilium*, quidam *Galbam* cognominant; Quinti filium, Galba certe ab initio libri ſequentis dicitur.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXVI. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Quibus P. Cornelius proprætor in Sicilia præeſſet.*] P. Lentulus prætor Siciliæ, quæ vetus regio erat, ab initio prioris libri dicitur, hic P. Cornelius. Niſi, quod exiſtimo, idem P. Cornelius Lentulus fuerit, vt L. Cornelius Lentulus huius anni prætor in Sardinia. At P. Cornelius Sylla prętor vrbanus prioris fuit anni. Fuiſſent ergo priore anno quatuor P. Cornelij in magiſtratu, Sylla prętor vrbanus, Lentulus Sicilię, Scipio Hiſpaniæ imperator cum Cn. fratre, ambo ibi occiſi, & Scipio P. filius ædilis curulis, cum ei ad petendum nondum legitima ætas eſſet.

Eod. *Sicilia Græciaque ora cum legionibus claſſibuſq; quibus præerant decreta.*] *Decreta* habent omnia, quæ ego viderim, exemplaria: at *decreta* legendum puto, quia *ora* præceſſit.

Cap. ii. *C. Sempronius Blaſus die dicta Cn. Fuluium.*] Hic lib 7. huius belli non ita longe ab initio, *Cn. Sempronius* nominatur in pleriſque exemplaribus, vbi à Q. Fuluio dictatore in Hetruriam mittitur.

Cap. iii. *Nam cum bis pecunia anquiſiſſet, ter. ca. ſe anq. dic.*] Quia in pleriſque codicibus deerat nominatiuus verbis *anquiſiſſet* & *diceret*, ideo alij adiecerunt, *tribunus*. omnino de Sempronio intelligamus, vt locus ita legatur: *Nam cum bis tribunus pecunia anquiſiſſet*. Si hoc exemplarium auxilio fecerunt, probatur: alioqui ad hunc modum multos dubios locos facile emendauerimus: ſed ego non auſim mihi tantum indulgere, preſertim in tam eximio auctore, quod tamen noſtra ætate multi non verentur.

Cap. vi. *Etiamſi ſe vtrinque in hoſtem vertat.*] Et quæ precedunt verba, & quæ ſequuntur, obſcura ſunt. Hæc etiam vt ingenue fatear, à me non intelliguntur.

Eod. *Elephanti per media caſtra vadẽtes.*] Videri poterat in accuſandi caſu *elephanto*, & *feciſſe* pro *facerent*, à Liuio ſcriptum. ſed legi etiam in nominatiuo poteſt, vt tamen connectatur ad priora. quaſi diceres & elephanti cum facerent. Ceterum poſt *facerent*, non colum, ſed *παρένθεσιν* ponam, vt Græci vocant. Porro quæ ſequuntur verba varie à diuerſis leguntur. Ego autem ea ita legerem: *(immiſſa mà ab Hannibale, & habuit aliquem gnarum Latina lingua) qui iuberet Coss. verbis*, &c. vel ita: *Immiſſos ab Hannibale, & habuit aliquot gnaros Latinæ lingua) qui iuberent* Coss. &c.

Cap. vii. *Duci Gladio, quod iam ante præſidij cauſa fecerat caſtel. iuſſit.*] Illud, *Gladio*, quid ſibi velit, non equidem comminiſci poteram. Codex Moguntinus *Caſilinum* legit: ſed id non placet, cum in Romanorum poteſtate iam eſſet Caſilinum, à Q. Fabio nuper receptum. Hæc ad eum modum quidã emendant temere, cum hiſtoriæ ordinem memoria non teneant. Non eſt dubium quin *Galatiam* legendum ſit. eius meminit paulo ante cum Hannibal veniret Capuam & Tifata. præterea paulò poſt, cum poſt captam Capuam Atella ac Galatia recipiuntur, & hic nunc item libro tertio huius belli, vbi Marcellus Nolam proficiſcitur. Valla legit, *duci ad id, quod iam ante*, &c.

Cap. ix. *Per Sueſſulam Alliſanumque & Caſſinatem agrum.*] Hæc Sueſſula libris tertio ac quarto prope Nolam nominatur, neutiquam in eo tractu quã à Capua Romam itur. Sed in his itineribus nomina corrupta aliquot locis memini dubium.

Eod. *Inde prætor Interamnam Nequinumque in Freg.*] *Nequinum in Vmbria oppidum, vbi nunc Narnia eſt*, inquit Liuius lib. 10. ab Vrbe condita. Sabellicus *Aquinum* reſtituit, quod mihi quoque placere poteſt, donec melius inuenero.

Eod. *Inde in Pupiniam exercitu demiſſo.*] Id nominis non memini me vſquam legere. Item ſtatim poſt aliquot verſus; *Media vrbe per Carinas Exquilias contendit*, ego *Exquiliaſq;* legendum puto cum coniunctione. Nam duo fuere loca, ſiue vrbis regiones Carinę & Exquiliæ.

Cap. xi. *His motus ad Turiam caſtra retulit.*] Nec hoc nomen vſpiam prope Romam ad vi. millia paſſuum inuenio. Nam quod in Hiſpania eſt, nihil ad hunc locum. Capenates quoque qui ſint, non ferme memini me legiſſe. Quamquam ſunt

Digitized by Google

qui ex fragmentis Catonis legant, Capenam & oppidulum & ſiluam in Auentino fuiſſe monte. Idem ſenſiſſe & Fabium Pictorem & Semproniuм. His fidem det quantam quiſque velit, nam ego nihilominus hæreo.

Cap. XII. *Æris aceruі, cum rudera milites religione inducti iacerent.*] Quid ſit *rudera iacere*, ego planè non intelligo, præſertim ſi de militib. Hannibalis loquaris. Sin de aliis poſterioribus annis militibus, non video quomodo inducti religione, qui templum non ſpoliarunt. Sed id lectori iudicandum relinquo.

Eod. *Iterque eius ab Reata Cupilyſq; & ab Amiterno.*] Etiã atq; etiam operæpretium eſt hoc in loco cõſiderare huius itineris deſcriptionem. Quomodo enim ab Amiterno orſus eſt qui paulò poſt, & ad finẽ rurſus, eo veniſſe dicatur? *Cutilys* autem ex Plin. ac Dionyſ. legendum. Forulorum meminit Virgil. li. 7. Æneid. de Clauſo, qui locus hunc iuuare poteſt. Non eſt apud me dubium hos locorum errores temporum iniuria acciſſe: neq; veriſimile eſt Liuium Italiæ loca tã male tenuiſſe.

Eod. *Id vnum ex ijs qui ſibi rem aperuiſſet arguere ſe para. eſſe.*] Conſidera penitius hoc genus dicendi. *Separatam eſſe*, inquit, *id vnum arguere*: ſed *vnum*, maſculini accuſatiuus eſt, vt paulo ante genitiuus, *ſcortam transfugarum vnius*. Verum hoc leuiculum, & vix dignum annotatione.

Cap. XIII. *Vibius Virius, qui defectionis ab Romanis.*] Lib. 3. nõ ita longe ab initio hoc tradidit Liuius, vbi tamen non *Vibius*, ſed *Subius Virius* legitur, quod ibidem quoque admonuimus.

Cap. XVI. *Mortuum Appium Claud. ſub de . . . Capae*] Ipſe Liuius hoc dicturus eſt paulò poſt, vbi de Cãpanis ſubitat ſenatus, poſteaquam Q. Fuluius ab iis accuſatus eſt. Continuo autem poſt de Taurea, in his verbis: *Sed cum inter ceteros ad palum deligatus*, vide vt participium ſuſpenſum eſt. Hæc etſi obiter à me notantur, ſuſpicionem tamen dare poſſunt, deeſſe aliquot locis verba, quæ diuinare abſque vetuſti codicis auxilio nulli reor poſſibile, tantum abeſt vt mihi quidam *delegatus* participium, in *delegatur* verbum mutarunt.

Eod. *Ita ad LXX. princip. ſena.*] Sic omnia habent exemplaria: quæ quidem nos vidimus: ſed legendum LXXX. Nam Vitium ſecuti ſunt XXVII. Calibus autem occiſi XXV. Teani XXVIII. Summa LXXX.

Eod. *Multitu.al.ciu.Camp.ven.*] Mira diuerſitas apud Liuiũ de pœna Campanis iniuncta. Hic enim venundatur multitudo ciuium: paulò poſt, vrbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumq; & inſtitorum opificumque retenta. quãquam ciueis merito quis ab iã enumeratis ſeparet. At non ita multo poſt, *Multitudo*, inquit, *ciuium diſſipata in nullam ſpem reditus*. Rurſus eodẽ hoc libro poſt Syracuſanorum querelã, cum & Campani auditi eſſent, diuerſa ſenatuſconſulta Liuius recitat, his quam hic narrat, non omnino conuenientia.

Cap. XVII. *In Auſetanis (ii loca eſt inter opp. Illiturg. & Mentiſſ.*] Auſetani populi ſunt citerioris Hiſpaniæ, vt præter Plinium, Cæſarem, Ptolomæum, reliquoſque claſſicos ſcriptores ipſe auctor lib. 1. huius belli teſtatur. At Illiturgis ac Mẽtiſſa longe hinc oppida ſunt prope flumen Anam, ac prope Caſtulonem Bætulcamque, Oretanorum, vt ex Plinio Ptolemæoque paret. Quare videndum num *Oretani* pro *Auſetani* legere velis.

Cap. XVIII. *Nec tamen quem mitterent ſatis conſtabat.*] Mirum vero ſi Cl. Nero iam miſſus non ſatis dignus erat imperio, qui prætor, & item ante Capuam exercitus patri præfuerat. Nec obſtabat abſentia, cum abſenteis ſæpe non modo imperatores, ſed Coſs. etiam crearint. Licuit igitur aut ipſum Claudium aut T. Fonteium, aut denique, ſi inuidia non obſtitiſſet, L. Martium facere imperatorem.

Eod. *Iuſſi deinde inire confuſum ſuffragium.*] *Confuſum ſuffragium* non facile reperias apud Latinos auctores, quapropter quidam ex hoc loco ſuſtulerunt. Budæus tamen, immortale Galliæ noſtræ ornamentum, in annotationibus in Pandectas de teſtimoniis confuſis hoc exemplum allegat: vt in vulgatis habetur codicibus, præterea tamen nullum adfert.

Cap. XXI. *Tribuni pl. ex auctoritate ſen. ad pop. tulerunt.*] Notandus eſt hic etiam locus. Negatum ait Marcello vt triumphans iniret vrbem, ſed ouans. Deinde per tribunos plebis ad populum latum ex ſenatus auctoritate, vt ei imperium eſſet. Poſtremo eum in monte Albano triumphaſſe. Apud Dionyſium quid ſimile legitur, apud hunc non item, vt opinor.

Eod. *Alter Naſſum, quodque ibi præſidij erat, prodiderat.*] In primo Syracuſarum introitu, de quo ſuperiore libro, nulla eſt mentio Soſidis: ſuſpicor diuerſis locis diuerſos ſecutum Liuium auctores, oblitum videlicet hoc antea ab ſe nõ eſſe ſcriptum, vt prope neceſſum fuit in tanta rerũ mole. Porro quod ſubiungitur: *Et quingena iugera agri Soſidi data in agro Syracuſano*. ſi de ſolo Soſide, vt puto, intelligitur, *quingenta* legendum eſt, non *quingena*: nam Merico Hiſpaniſque, qui cum eo tranſierant, alibi in Sicilia datus eſt ager: itaque neque diſtinguendum ante *Soſidi*. Quidam etiam vetuſti codices pro *Soſidi* habebant *agri ſolidi*. ſed non placet.

Eod. *Id M. Cornelio mandatum.*] Toto hoc libro maxime in ſequentibus, id nomen ſuſpectum. Libro quippe pręcedente prætori Siciliæ P. Lentulo prorogatum imperium erat. Hoc vero anno Siciliæ prætor fuit C. Sulpicius: proprætor autem P. Cornelius, vt ab huius libri initio ipſe dixit auctor. ſed idem eſt P. Cornelius Lentulus, vt nos ibidem admonuimus. Quare & hoc loco, & in ſequentibus, pro *M.* legam *P.* Nam in magiſtratuum huius anni catalogo prænomen *Marcus* non reperias. Ceterum Belligenem hic nominat, cuius nomen priore libro, cum Mericus ad Romanos tranſitionem pararet, omiſit.

Eod. *Ad eos Murgentia deſciuerunt terræ.*] Alij *Murgentina* emendarunt, ſed *Murgantina* per *a* in ſecunda ſyllaba legam. Murgantinas autem terras ait, non Murgantiam: quia Murgantia antea ad Pœnos defecerat, vt priore libro habetur: quamquam paulò poſt rurſus expugnata à prætore Romano P. Cornelio Lentulo.

Cap. XXII. *Et M. Valerium abſentes* Coſs. *dixerunt.*] Ego *abſentem* legam, non *abſentes*, vt referat Valerium: nam Marcellus Romæ fuit, vt ſequentia ſatis conuincunt. Et Valerio adijciendum II. quippe qui ante etiam fuit Cos. vt Liuius lib. 9. & 10. huius belli oſtendit.

Eod. *Eludant nunc antiqua admirantes.*] Quidam *mirantes* legunt. Ceterum ſi mirantur, non vtique eludent. Sed puſillum hoc.

Cap. XXIII. *Forte ita incidit, vt comitijs perfectis nuncia. T. Octa.*] Hęc ita referuntur, vt qui legat, putet neſcio quæ ſubſequi, quæ tamen non ſequuntur. Eſt etiam in aliis libris locus notatus aſteriſco.

Cap. XXIV. *Confirmarunt auctoritatem ſuam minore cum verecundia.*] Senſus eſt perquam obſcurus. Quidam poſt verbum, *confirmarunt*, diſtinxerunt, hæc omnia referentes ad participium, *extollentes*. Alij poſt, *ſuam*, diſtinctionem faciendam cenſent. Nonnulli accuſatiuum in ablatiuum mutarunt, auctoritate ſua: ſed vt ingenue fatear, ſenſum verum non percipio. Qui poſt verbum, *confirmarunt*, diſtinctionem poſuerunt, hunc ſenſum elicuerunt: Ætolos ſe nimis impudenter laudaſſe Rom. autem vim vere extuliſſe: hæc vtraque ad cõmouendos Ætolos iuuiſſe, quamquam nihil ęque mouebat atque Acarnaniæ potiundæ ſpes. Sed hęc atque ſequentia mu[illegible]lle ſuſpicor.

Eod. *Hi Thracum et Illyricorum reges.*] Vide hunc loquendi modum. Thracum *Pleuratus* erat. Illyricorum *Scerdiletas*, quẽ Polybius *Scerdilaidam* vocat. Eoſdem nominabit libro ſequenti, & lib. 1. de bello Macedonico.

Eod. *Et Oleniades Naxamq; Acarnanum capt.*] Quidã *Oleniada* emendarunt quod Olenus etiam in Ætolia. At nihil hoc ad Acarnanas: ideoq; ego *Oeniadas* legendum puto. *Oeniadas* enim Acarnanum vrbem, & apud Strabonem & Thucydidẽ reperias. Ita in poſterioribus quoque Liuij verbis: *Aduerſus quos Acarnanũ gens & virib. impar, & iam mœnia Oleniados Naxamq; amiſſa cernens*. legendum puto *Oeniadum*: & facilis in his lapſus eſt, quemadmodum ſciunt omnes docti quid in Gręcis dictionibus ab octingentis iam annis, libris acciderit.

Cap. XXV. *Inde Dardaneram vrbem ſitam in Macedonia.*] Quæ illa ſit vrbs, non nominat, cum Ptolemæus Dardanorum ſupra Macedoniam quatuor vrbes exhibeat, Scupos, Vulpianum, Neſſum, & Arrhibantium. Fortaſſis autem nomen omiſſum in codicibus.

Eod. *Per Pelagoniam & Nymphæum, & Bœotiam, in Theſſ.*] Pro *Bœotiam* quidam *Boleam* emendarunt, ſed id nominis neſcio an vſpiam eo in loco reperias. Nam in Argiuis locus apud

Digitized by Google

Pauſaniam, hoc non pertinet. Suſpicor legendum *Berrhæa*. eſt enim ea in itinere ex Dardanis in Theſſaliam.

Eod. *Ad Phragandas igitur vaſt. arg. & vrb. Iamph.*] Nec hæc nomina apud vllum auctorem inuenio. quod ideo admonendum duxi, vt codices vetuſti eo diligentius perquirantur conſpiciantur que.

Eod. *Vltra Clinen eſt profectus.*] Mguntinus codex habebat *Clymenen:* ſed neutrum nomen valde obuium apud auctores.

Cap. XXVII. *Comprehenſa poſt ea priuata ædificia (neq; enim tum baſilicæ erant.*] Innuit, opinor, ſuo tempore in ordine poſt tabernas fuiſſe baſilicas, vbi olim priuata ædificia, alioqui fruſtra fuerit hæc parentheſis. *Latumias* autem ex Græco eſſe & maxime à Syracuſanis, qui eas inſtar carceris habent, fatetur Feſtus, immutata nimirum voce. λατομίαι enim apud illos dicuntur, vt videre eſt apud Thucydidem lib. 7. ad finem.

Eod. *Clariſſimarum vrbium excidio celeb. vir. vict. bell. ac. in vr. ad.*] Miranda compoſitio, vt ſunt multæ apud hunc auctorē quæ tamen intelliguntur. Laurentius Valla ita emendauit: *Nunc circumfuſus multitudine, ſimul & Siculis obuiam egreſſis poteſtatem Romam adeundi fecit, & nonnullis vel æmulis querimoniam præbuit, clariſſimarum vrbium excidio à celeberrimis viris victos bello accuſatores in vrbem adducens.* Hæc ille, quæ quam bene habeant, lector iudicet.

Cap. XXVIII. *Et quatuor erāt a legiones, vrb. duæ ſæpe anni.*] Si de eiſdem legionibus loquatur, non procedit: ſed de alijs haud dubie intelligendum. Qui enim fieret vt in Galliam mitterentur, cum Coss. alter in Siciliam iturus eſſet?

Cap. XXIX. *Marcellus ſuā audiri à ſenatu Siculi, &c.*] Illud *ſuam*, quid referat, perambiguum eſt: alij ad ſenatum, alij ad Marcellum comparant, ego lectori iudicandum relinquo.

Eod. *Rapiente fato Marcellum ad Hannibal.*] Hæc Liuius ita refert, perinde atque hoc conſulatu, quo quartum fuerat cos. Marcellus, occubuerit, hoc eſt nono huius belli anno, cum ipſe quintum Cos. annis duobus poſt hunc occubuerit, videlicet huius belli vndecimo.

Cap. XXX. *Talia conqueſtos cum excedere ex templo.*] *Ex templo*, duæ orationis partes videntur. Nā poſtea Marcellus ita orationem concluſurus inquit, *Et quoniam coram & Siculorum, & mea verba audiſtis P. C. ſimul templo excedemus.* Alij præpoſitionem *ex* ante *templo* ſuſtulerunt, quod placet.

Cap. XXXI. *Nec mihi ipſi congreſſo ad portas cum princ. reſponſ.*] Hoc nuſquam de ipſo Marcello ante prodidit, quod equidem ſciam, ſed de eius legatis. Item quod continuo ſubdit, *Apud Hannibalem & Carthaginenſes victoe ſeſe inſtint, quam apud victoris populi Romani ſenatum quererentur*, quidā emendarunt, *victoſque:* ſed neutrū admodum placet: & quia nihil aliud quod reponam habeo, in medium lectori conijciendum relinquo.

Cap. XXXIII. *Eos libertatem ſibi ſuiſque, & bonorum aliq. par. or.*] Hæc verba ita ponuntur, quaſi pro ſolis nobiliō. toget libertatem, bonorumque partem, ac non pro omnib. Campanis. Oratio mihi mutila videtur.

Eod. *In conſilio, inquit arbitror me fuiſſe Conſulibus Cap. ca.*] Procoſſ. Claudius ac Fuluius Capuam cepere. non coss. Præterea vide num potius *concilio* legendum. At hæc leuicula.

Eod. *Idque & apud maiores in Satrianis factum eſt.*] Id ſi bene habet oportet ſecunda decade ſcriptum eſſe, nam in prima nuſquam puto inueniri. Satricanorum ciuium Romanorum quidem meminit lib. 9. ab Vrbe condita poſt Caudinas furcas, ſed nihil tale de illis ibidem narratur.

Eod. *Quod ſenatus maxima pars cenſeat, qui aſſidens.*] Solennia ſunt verba, vt puto, ideoque velut impedita, quæ noſtro more notamus, ſi fortaſſis corrupta ſint, vt ex codicibus emendatis reſtituantur. Præterea & harum mulierum nomina propemodum alia apud Valerium Max. li. 5. c. 2. de gratis reperias.

Cap. XXXIV. *Neve quis eoram qui Capuæ fuiſſent.*] Hic velut aliud decretum de habitationis loci incipit. nam alioqui plane non intelligo. Ergo libertas data, ſed habitatio mutata.

Cap. XXXV. *Nunc ad militiam paruo ære emendo, nunc remig. imperan.*] De volonibus quidam priorem huius orationis partē intelligunt: ſed ſi id eſſet, fortaſſis & ſequens propter *nunc* geminatum. Niſi quis potis de paruo ſtipendio, quo milites conductos conqueruntur, eum loqui intelligat.

Cap. XXXVI. *Et libras pondo vt ſalinum patellaſque.*] At *libras pōdo* cum non addat cuius rei, auri ne an argenti, non video quomodo intelligendum. Nam qood quidam diſtinxerunt ante *argenti*, & poſt verbum *reliquam*, quæ vtraq; præcedunt, mihi non probatur. Valla legit *libræ pondo*. Hoc quoque mirum alicui videri poterit, cum lege Oppia nulli mulieri licuerit habere plus ſemuncia auri, vt lib. 4. ſequentis decados habetur, hic permiſſum eſſe vt vxores filiæve auri plenas vncias habeant. Neque enim Oppia lex interea temporis lata erat, ſed antea. Verum lectorum iudicio hæc committimus.

Cap. XXXVIII. *Nec deductis præſidijs ſpes liberam vel obn. tim.*] Quidam *timoris*, pro *timore* repoſuerant. At ego ſenſum non ad amuſſim intelligo.

Eod. *Salapiæ principes erant Daſius & Blactius.*] Apud Val. Max. lib. 3. cap. 8 (ſi codices non fallunt) *Blaſius*, non *Blactius* legitur: quæ ideo annotantur nobis, vt lector ipſe videat vter ex altero emendari debeat.

Cap. XXXIX. *Nam ad quatuor millia hominum frumentatum egreſſi.*] Quidam contra vetuſtiorum codicum fidem emendarunt, *egreſſa*, pro *egreſſi*: quaſi contra grammatices præcepta ſit, ſi quis ita loquatur, *quatuor millia hominum egreſſi*, cum nō ita lōgè poſt Liuius ipſe de *Agatirna* (quam *Agathyrſum* Strabo vocare videtur) multitudine in Italiā à Lævino coss. traducta, ita loquatur: *Quatuor millia*, inquit, *hominū erant mixti ex omni colluuie, exules, obærati*, &c. Nec diſtinctio hoc tam adiuuat, quam quod licet etiam ita loqui, inuitis grammaticis.

Eod. *Trepida fuga accedentes*] *Incidentes* legendum non *incedentes*. Sed id non difficile animaduerſu. Porro quod ſequitur *Semiapertis portarum foribus in vrbem cōpulit, ne vbrs eodem impetu caperetur:* ita poſitum eſt, perinde atque Liuius dicat: ideo C. Peruſium hoſteis in vrbem compuliſſe ne vrbs eodem impetu caperetur: cum contra hoc velit innuere, ideo ſemiapertas fuiſſe portarum foreis, ne vrbs à Romanis eodem caperetur impetu. Hæc ſi cui videbuntur friuola, argutiorave quam vt hic referantur, meminerit Laurentium Vallam de Latina lingua optime meritū, lib. 1. elegantiarum capitibus aliquot, & lib. 2. item, minutiora longe, etiam ſerio tractaſſe, vt Aul. Gellium taceam, in quo ſunt quædam multo minus vlla tractatione digna. Quanquam hoc quoque lector ſcire debet, apud hunc noſtrum Liuium multa alia ſimilia eſſe, à nobis ſtudio, non temere neglecta, ſed obiter quædam indicata, quædam omnino omiſſa.

Cap. XLII. *Et neſcio an vnā Hiſpaniæ oram qua no. ad ma.*] Carthaginis nouæ portum præferre videtur omnib. alijs portub. ad oram Hiſpaniæ. Sed hic locus à Beato Rhenano recte reſtitutus eſt.

Eod. *Vt eodem tempore exercitus oſtenderet.*] Et hunc locum recte reſtituit idem Beatus. legendū enim: *Vt eodem tempore Scipio à terra exercitum oſtenderet, claſſis portum intraret.* Quod autē verſu ſequitur proximo: *Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum eſt ſimul terra mariq.*, hic diſtinguendum puto. nā quæ ſequuntur verba, de pedeſtri exercitu intelligenda ſunt. vbi proximo rurſus verſu duæ voces, *frons* & *tergum*, mirum quam lectorem morentur. De Caſtris enim ait, *his ab tergo (nam frons natura tuta erat) obiectum vallum.* At quæ *frons* caſtrorum, quod *tergum*, ſcire non poſſum: cum veriſimilius ſit frontem dixiſſe quæ vrbem ſpectabat, quam quidem partem non muniuit, vt ipſe poſtea dicturus eſt, vt ſibi eunti ſæpe ad mœnia vrbis recurſus pateret. Verum quid munire oportebat, cum natura tota erat?

Eod. *Continentis vrbem iugum ducentos fere, &c.*] Manifeſte *iugum* hic appellat, quod Græci ἰσθμὸν vocant. Inepte meo iudicio Suidas ἰσθμὸν ait mare inter duas terras, cum contra *iugum* ſit inter duo maria. Sed non eſt nunc de his differendi locus.

Cap. XLV. *Opera & difficilia eſſe, & tempus datura.*] Hoc *datura*, in *daturum*, temere à quibuſdam mutatum eſt, vt diligenter legenti patet.

Cap. XLVI. *Sed quod euntes ad ancipites vtrimque ictas.*] Comparatio eſt vtrimque Romanorum oppugnantium hinc à terra, hinc à ſtagno. Hic à terra vrgentem oſtendit difficultatem: ſed hæc verba corrupta videntur, neque verus ex eis elici poteſt ſenſus: ſicut nec ex his quæ non ita longe deinde ſequuntur: *Et mox cadendo confectis ac diſtractis, ac iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt.*

Cap. XLVIII. *Cornelium Claudium de medio adiecit.*] Hunc paulò poſt *P. Cornelium* vocat. Illud *Claudium*, mihi ſuſpectum. Quidam in *Caudinum* mutarunt.

Digitized by Google

Eod. *Quod admoti tanta dignitatis non tam aduocati.*] *Tanta dignitatis*, ad viros teferendum quos aduocatos vocat. quare temere quidam *indignitatis* mutarunt, referentes ad certamen.

Cap. xlix. *Haud magni iſta facimus, inquit: quid enim h. for. n ſ. eſt?*] Hæc verba non intelligo, habent enim arguriam, quam neutiquam aſſequor. ceterum ea mutila conijcio. Ipſe lector iudicet.

Eod. *Nequid quod ſanctum vſquam eſſet, apud nos vio.*] Ita habebant veteres libri, & mihi etiam placet. Quidam mutarunt *nos*, in *vos*, diſtinctionemque poſtea ſobiunxerunt, quam bene ipſi viderint.

Cap. li. *Præpilatiſque miſſilibus iac. ſunt.*] Cuiuſmodi miſſilia præpilata dicantur, adhuc quæro. Quidam libri *pilatis* habent.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXVII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. iii. Atellanis *Calatium migrare iuſſis.*] *Galatia* & *Calatia* varie ſcriptum reperias. De Calatinis, Atellanis ac Campanis decretū factum erat, ſed video hic de Atellanis mutatū.

Eod. *Par numerus Romanorum ſociorumque eodem in preſ.*] Multi de hoc loco dubitarunt, quomodo poſt vrbanum exercitum ſubiungat *Romanorum*, quaſi Romani non eſſent de vrbano exercitu. ſed intelligendum de exercitu vrbano mille miſſos, quorum quingenti erant Romani, quingenti ſocij.

Cap. iv. *Regem nec inimiciorem vlli populo quam Carthag.*] Hoc loco inimicum Carthaginenſibus facit Syphacem, vt libro etiam quarto. Ceterum libro ſequente ei fœdus fuiſſe cum Carthaginenſibus ait ea tempeſtate, quæ tribus fuit elapſis annis poſtea, nulla interim facta mentione mutationis, vel cum Carthaginenſibus vel Romanis. Sed de his rebus ibidem dicturi ſumus.

Eod. *Et ternu pondo patere aurea.*] *Ternūm pondo* legendum cenſeo; alioqui abſurdus erit ſenſus, & in his etiam facilis eſt lapſus.

Cap. v. *Eumque quem populus iuſſiſſet diceret dictat.*] Hic *populus iubere* dicitur: paulò poſt, *plebs ſciuit*: rurſus deinde *populus iuber*, cui ſubnectitur, *ex eodem plebiſcito*. Videndum lectori, num *populi iuſſum* dicere velit *plebiſcitum*. Deinde quomodo plebs ſciuit, cum antea eius concilium Læuinus Coss. clam nocte in prouinciam redierit?

Eod. *Galeria iuniorum, quæ forte prærogatiua erat.*] Præcedente libro, eo in loco vbi Torquatus renuit conſulatum, *prærogatiua* (inquit Liuius) *centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum*. Hinc non vocat *Galeriam*. Ego ſane quid ſibi id nominis velit, non intelligo. Si equitum eſt *ordo*, fortaſſis à *Galero* nomen habet. Sed ea coniectura dumtaxat eſt. Vegetius lib. i. de re militari cap. 10. lixas *Galerios* vocatos ſuo ſeculo teſtatur. Vox eſt rara, ac fortaſſis corrupta.

Cap. vi. *Qui neque magiſtratum continuari ſatis ciuile eſſe.*] Proconſulatum Q. Fuluij æquat conſulatui: alioqui quomodo ei continuaretur imperium, qui hoc anno fuit Cos. Niſi de dictatura hoc intelligendum.

Eod. *Namque Cn. Seruilio* Cos. *cum Flaminius.*] Mirum, Liuium ne vno quidem verbo huius plebiſciti meminiſſe ſub Cos. Flaminio. Exemplum autem de Poſthumio Megillo fuit anno ab Vrbe cond. 462. quando cum eo Cos. fuit *C. Iunius Brutus* (quem codices alij *Cn.* alij *Bubulum*, alij *Bubulcum* vocant) ſecunda decade libr. i. At hoc plebiſcitum à Liuio omiſſum eſt hac decade.

Eod. *Circūacta inde ad alterum inſulæ latus Carali.*] Ptolomęus Olpiam Caralinq; eodem Sardiniæ latere ponit, videlicet ortum ſpectante: quare non video quomodo hic locus conſtet.

Eod. *Et cenſores hic annus habuit L. Veturium Phi.*] Dubium hic eſt, de priore ne anno loquatur, an de hoc præſente: nam, *hic annus*, ait, non *ſuperior*, Atqui hoc anno L. Veturius Philo fit prætor peregrinus cum Gallia prouincia, vt paulò poſt exhibet Liuius. Num igitur ſimul Cenſor? non opinor, nam Cenſor hic moritur. At paulò poſt ædilis curulis ludos Romanos inſtaurat. Neceſſe igitur eſt plureis fuiſſe eo nomine. Cicero videtur *Philos* vocare, non *Philones*, ex quo multi in Liuio cognomina mutare in prioribus auſi, hic tamen non emēdarunt. Fieri poteſt ἀνόμαλον fuiſſe apud veteres.

Cap. ix. *Ingreſſum eum in curiam, cum L. Licinius prætor.*] Quidam legunt, *ingreſſum eum curiam*. At id parui momenti. Id magis refert, quando hæc acta, diſquirere. hoc enim anno neutiquam prohibitus eſt Valerius, ſed poſteriore, etiamſi hoc anno captus. Eius rei cauſa eſt, quod huius anni non L. Licinius pręror vrbanus, ſed C. Hoſtilius fuerit, ſequente vero anno L. Licinius. Eſt autem vehemens error in Liciniorum prænominibus. *P. Licinius Craſſus* pontifex max. cuius hic eſt mentio, fit prætor peregrinus anno ſequenti. *L.* vero *Licinius Varus* pręror vrbanus eiuſdem anni, qui tum Valerium flaminem è curia educere conatus eſt. Quamquam fieri poteſt vt duo *P. Licinij Craſſus* & *Varus* fuerint. Sed cum hoc loco *L. Licinius* legatur, etiam anno ſequenti ita legendum, ſi quidem hic recte legitur.

Cap. xi. *Ea fuere Ardea, Nepete, Sutrium.*] Hunc locum fere in exemplaribus corruptum, quidam è libro nono, vbi rurſus enumerantur, emendarunt, & recte mea quidem ſententia. Nam *Lacates* quod hic erat, nuſquam eſt apud auctores, quod equidem ſciam.

Cap. xii. *Signini fuere & Nolani & Norbani.*] Cum inter hos colonos Signini Nolaniq; ad infernum inclinent mare, Brunduſini autem, Hadriani ac Ariminenſes ad ſuperum, Liuius videtur velut ad vnum omneis poſuiſſe. Nam ſubiungit: *Et altero mari Pontiani, & Pæſtani, & Conſani.* Pęſtum quidem oppidum eſt maritimum Lucanorum, auctore Ptolemæo. *Conſani* tamen vix legerim, ſed vel *Coſſani*, vel *Compſani*, quemadmodum etiam lib. 3. huius decados admonuimus. Quidam pro *Nolanis Venuſinos* ſubſtituerunt.

Eod. *Inde quingenta pondo data* Coss. & *M. Marcel.*] *Quingenum* legendum, neque aliter diuiſio conſtabit, imo nec latinitas vt intelligamus, his quinque ſingulis data quingenta pondo, Fabio autem centum pondo. Reſtabant mille & quadringenta, quæ in Hiſpanienſis exercitus neceſſitatem ſunt reliqua.

Cap. xv. *Diſtrictis gladijs diſcinctos deſtituit.*] *Diſcinctos* quid ſit vtcumq; intelligitur ex Seruio lib. 8. Æneid. ad finem ad illud Virgilij *Diſcinctos Mulciber Afros*. At illud *Diſtrictis gladijs* non admodum. Sed perpendat hoc lector. Beatus legit, *diſtrictis gladijs cinctu deſtituit.*

Cap. xvii. *Hirpini, & Lucani, & Volſcentes.*] Plin. lib. 3. cap. 11. Volſcemanos vocat prope Numiſtranos.

Cap. xviii. *Auri* lxxxiii. *millia pondo.*] Quantumuis Tarentum ciuitas diues erat, hæc tamen ſumma ſuſpecta mihi eſt. Nam Capua capta lxx. auri pondo ad quæſtores relata priore libro retulit Liuius. Plutarchus in Fabio tria millia talentum relata in ęrarium ſcribit. Quare hæc ita legam: *Argenti vis ingens facti ſignatique auri* lxxxiii. *pondo*, aut fortaſſis ſic, *auri argentique vis ingens, facti ſignatique auri quidem* lxxxiii. *pondo: argenti tria millia.* Sed hic videat lector quid addendum putet: *talentum* an *pondo.*

Eod. *Neque enim ſe repre. morem, ho.*] Quidam pro *morem* emendauerant *nomen*, ſed diſplicet. quamquam obſcurus eſt ſenſus vtro legatur modo.

Cap. xxi. *Et ante deditorum & pridie captorum.*] Neceſſe eſt hoc loco, vt vnum diem interceſſiſſe huic plauſui pugnæque intelligamus: alioqui illud *pridie*, quid ſibi velit, non plane video.

Eod. *Tunicam latoclauo cum Hiſpano ſagulo.*] Quid *latuſclauus* ſit, omnes intelligunt. at *tunicam latoclauo*, non item. Similem locutionem inuenies lib. 10. de donis Maſaniſſæ miſſis. Niſi quis locum ita legendum putet: *Tunicam cum latoclauo ac Hiſpano ſagulo.* ſed ego non temere mutauero.

Cap. xxv. *Fecitq; ante Diem tertium nonas Quintiles.*] Saluſtius ita loquitur, *Ante diem* vi. *Calendas Nouembris*. Et Cicero oratione prima in Catilinam: *Ante diem* xii. *Calendas Nouembris.*

t

Et paulo poſt: *Qui dies futurus eſſet in ante diem VIII. Cal. Nouembres.* Rurſus paulo poſt: *In ante diem V. Calend. Nouembr.* Niſi codices omnes fallant. Sed dubium eſt certumne diem ſignificare voluerint, & quemnam, præſertim cum præpoſitio *in*, adiicitur: id quod lectori iudicandum relinquimus. Nam hoc loco quidam *ad III. nonas* legunt.

Cap. XXIX. *Interfecti Au. Manlius tribunus mil. & ex du.*] Videri poteſt prolepſis, vt quod in genere dictum ſit, per ſpecies explicetur. Sed mihi occiſorum nomina omiſſa videntur. Quidam *interfectus* legũt: ſi fide codicum fecere, bene habet locus.

Cap. XXXI. *Rhion incolæ vocant.*] Liuius fretum *Rhion* vocatum perhibere videtur, cum Strabo lib. 8. ac Ptolemæus promontorij id nominis tradant, in modum falcis producti longius, vnde & Drepanum vocatur. Ipſe Liuius paulo poſt ab ipſo ludicro regem Philippum profectum ait *Rhium* ad indictum concilium, vbi vrbem fatetur. Niſi quis pro *Rhio*, *Ægium* eo in loco legendum putet, quemadmodum libro ſequenti Ægium concilium Achæorum indictum dicitur. Quamquam eod. lib. Liuius *Rhion* fauces ſinus Corinthiaci interpretatur.

Cap. XXXII. *Romanus reſtitueretur Athamanis.*] Quidam hunc locum ita emendarunt: *Sationes reſtitueretur Athamanis, Scerdileto, & Pleurato Parthini.* Sed ego hoc puto abſque exemplarium fide factum. De deditionibus hic agitur, non ſolùm de pace. locus haud dubiè eſt mutilus.

Cap. XXXIV. *Per Achaiam Bœotiamque & Bœobam.*] *Bœbeidem* recte, meo iudicio, emendauit Sabellicus. *Bœoba* nihil eſt. *Eubœa* autem (quod Aldinus codex reſtituit, & quidã alij eum ſecuti) huc non quadrat, quod facile videbit geographicæ non imperitus.

Cap. XXXV. *Oreſtidem iam tenere ac deſcendiſſe in Argeſteum.*] Oriſtidis ſitum fortaſſis Ptolemæus magis Auſtralem ponit, quam vt huic profectioni cõueniat, cum ſit magis ad Boream. Ceterum *Argeſteum* nomen nondum inueni. Vide ne *Æſtreum* ex eodem Ptolemæo legendum: poſt aliquot item verſus *T. Manlio Torquato*, non *L. Manlio* reponendum, vt ſequentia ſatis luculenter oſtendent.

Cap. XXXVI. *Vt & rus migraret, & per multos annos & vrbe.*] Si hæc vera ſunt, qui fieri potuit vt Tarentinæ præfuerit arci? Ideoque lubens crediderim eius arcis præfectum fuiſſe *M. Liuium Macatum*, qui paulo ante ob amiſſum Tarentum in ſenatu ab inimicis accuſatus, ceterùm ab hoc Liuio Salinatore ſtante defenſus, & in Ciceronis Catone mendum eſſe vel librariorum, vel memoriæ, vel denique hiſtoriæ apud auctores variatę, vt ſępe fieri ſolet. Huius rei lib. 4. huius decados etiam lectorem admonuimus.

Cap. XXXVII. *De reconciliatione & gratia eorum in ſenatu actum eſt.*] Quidam emendarunt, *de reconciliatione etiam gratiæ eorum.* quod quare fecerint, non equidem intelligo.

Eod. *Alteri aduerſus Hannibalẽ Brutij Lucani.*] Et quare non *Brutij Lucaniq;*, aut *Brutij & Lucani*? Sed hoc puſillum *ἀσύνδετον* eſt, quo gaudet Liuius. Item non ita multò poſt de numero cenſorum capitum ait: *Minor aliquanto numerus, quàm qui ante bellum fuerat*: cum in Floro ſit *propemodum duplus*. Vide igitur vter locus ex altero emendari debeat.

Cap. XL. *Supra dies XXX. non pernoctaturos extra mœnia.*] Quid ſibi hæc verba velint, fateor ingenuè me non intelligere. Nam ſi pro colonia loquitur, quid addit, *Donec hoſtis in Italia eſſet*? Quamquam ſunt qui putent illis vacationem dari, vt non toto tempore adeſſe cogantur, ſed XXX. dumtaxat diebus quamdiu hoſtis ſit in Italia. At mihi hac declaratione non fit ſatis: iudicet lector.

Cap. XLI. *Et cum per munita pleraque tranſitu fratris quæ ante inuia.*] *Munita* intelligo, peruia facta. Ceterum mirum quo pacto Liuio in mentem venerit, vt itinera per Alpes ante Hannibalis tranſitum inuia ſcribat, cum tamen libr. 5. ab vrbe condita Gallos ſæpe tranſiſſe Alpes fateatur, etiamſi eos qui aduerſus Cluſinos arma mouerunt, ac Romam poſtea delevere, neget primos fuiſſe qui in Italiam Gallorum profecti ſint. De Gallorum antiquiore in Italiam tranſitu, multi ante & poſt Liuium eximij meminere auctores. Plin. lib. 12. c. 1. C. Cæſ. c lib. 6. vbi de Volſcis Tectoſagibus, Strabo quoque libr. 4. de Venetis: vt non fuerit opus vnum in hac re ſequi Polybium.

Cap. XLIII. *Et mille fere & quingentos paſ. caſtra ab hoſt.*] Hoc verſu *mille & quingentos* ait paſſus: proximo autem, ſtatimque ſequente, *quingentos* ait paſſus fuiſſe inter caſtra Punica ac Romana, cum interim tamen non meminerit propius acceſſiſſe quemquam. Suſpicor codicum eſſe errorem.

Cap. XLIV. *Iam primos occupauerit equeſtris terror.*] Primos Pœnorum intelligimus à Romano equitatu tertiæ legionis territos, deinde etiam legionem ſucceſſiſſe quæ plus terroris attulerit. Ergo vel *equeſtris* vel *equitis* legendum, non autem *primos equites*, neque enim Romani equites territi erant. Vetuſtiores codices bene habebant, ſed quidam mutarunt, hæc abſque iudicio legentes.

Cap. XLV. *Per agrum Larinatem, Marrucinum, Ferentanum, Præput.*] Quidam *Ferentinum* emendarunt, ſed male ſi Plinio credimus, qui li. 3. c. 11. *Ferentanos* hos vocat populos. Ita etiam Ptolemæus, qui *Larinum* oppidum iis adſcribit. Idem Plin. c. 13. eiuſdem libri, *Prætutianum* agrum prope Picenum ponit: Ptolemæus *Pragutios* eos populos vocaſſe videtur. *Prætutianum* igitur legendum, non *Præputianum*. Secundo libro huius decados etiam huius itineris facta eſt mentio.

Eod. *Profectus nocte flexit in Picenum.*] *Picenum* regio ad vmbros, Anconam vſque tenſa, in hanc tandem ventum. Ac Picentes vicini Lucanis ac Hirpinis ab alteris originem duxere, vt refert Strabo lib. 5. ad finem. Hic vero Liuius vel Picenum accipit pro Picentibus, ſi fortaſſis vetus nomen his manſit: vel potius *flexit in Picenum*, hoc eſt, iter arripuit, quod non in Lucanos, vt exclamari iuſſit, ſed in Picenum ducebat, etiamſi id adhuc longe diſtabat. Verum paulo ante populi per quos eundem erat, enumerati ſunt: ergo in Picenum tandem vt diximus, ventum eſt.

Cap. XLVI. *Romæ non minus terroris actum erat quàm fu. biennio. an.*] Pro *non*, quidam *haud* repoſuerunt. Ad id puſillum. Ceterum cum Hannibal ante vrbem fuerit anno octauo huius belli, atque hic ſit annus duodecimus, quis non videt legendum *quadriennio*, pro *biennio*?

Cap. XLIX. *Scuta vetera hoſtiũ notauit.*] *Vetera* quæ dicere potuit, ſi iã aduenerãt? Sed vere *vetera* videbat *ſcuta*, quę antea nõ viderat: quæ etiam *noua* non minus commode dixiſſet opinor.

Eod. *Per tortuoſi amnis ſinus flexuſq; cum er. voluẽs.*] *Cum errore voluens*, obſcure dictum, quomodocumq. interpretemur. Suſpicor locũ corruptũ. Multa hic egregie reſtituit Beatus Rhenanus, obſcure etiam dicta, quæ præcedunt aliquot verſibus.

Cap. L. *Poſt aciem circumducit, & non hoſt. mo ſed etiam ſinop. in ſiniſtrũ.*] à Romanis Claudius in dextro, Liuius in ſiniſtro cornu, in media acie prætor pugnabat. A Pœnis cõtra Claudium ſtabãt Galli, cõtra prætorem Ligures ac Elephanti, contra Liuium Haſdrubal cũ Hiſpanis. Inter Claudium ac Gallos collis oppoſitus arcebat, ne aut à fronte aut ab latere aggrederẽtur, vt ipſe tradit auctor: quæ res effecit vt Claudius poſt aciem cohortes circumduceret. Sed obſcurũ, id eſt, poſt quã aciem: non hoſtium propter montem: ergo Romanam. Verum ſic non in ſiniſtrum hoſtium latus incurrit, ſed potius in dextrum, atque adeo etiam eorũ qui in dextro cornu Haſdrubalis erant.

F I N I S.

IN T. LIVII LIB. XXVIII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Cum tranſitu Haſdrubalis, quantum in Italiam decl.*] Quidam emendarunt, *In Italia*: ſed quam bene, ipſi viderint. *In Italiam*, malim. Iidem hac ſemipagina poſtea *ſcutata*, pro *ſcutatorum* repoſuerunt, quod & ipſum non placet. Notauit hoc etiam Sabellicus.

Cap. II. *Oppreſſum erat.*] Et hoc quoq; in *oppreſſa* mutarunt, vt referãt ad materiam belli. Poteſt tamen *oppreſſum* referri ad conflatum bellum. Lector iudicet num oratio liceat, cui deeſſe aliquid propemodũ mihi perſuaſi. Quidam *oppreſſerat* legunt.

Cap. III. *In Meſeſſum finib. eſt ſita.*] Non ferme reperias apud ſcriptores vel *Oringis* vel *Meſeſſum*, nomen in Hiſpaniis, etiamſi cum tempore nomina mutata ſint. Quidam *Meleſſum* emendarunt, ſed nec id compertum habent.

Cap.v. *Romanæ v.& xx. quinqueremes, regia v.& xxx.*] Ita veteres habẽt libri vt regia claſſis decem ſuperarit nauibus. Quidam poſteriorem numerum priori ſimilem legunt: id ſi ita eſſet, opinor Liuium dicturum fuiſſe, regiæ totidem, non v.& xx. cum is numerus iam præceſſerit.

Eod. *Tum præſidium vrbi miſsis, vnde allatam erat.*] Quæ ſit ea vrbs non explicatur, & è Lemno iam ceſſerat Attalus. Ideoque is locus recte notatus eſt aſteriſco quibuſdam in libris, fortaſſis vt exemplaria vetuſta eò diligentius conſpiciantur.

Eod. *Maximè in ſinu Æniano caaſtatis Scotuſam cop. re.*] Quis ſit *ſinus* ille *Ænianus*, haud temere dubitant plures: neq. enim veriſimile eſt ad *Ænum* vrbem Thraciæ eſſe, ſed ſinus Maliaci partem, ad quem ſupra Scarphiam tenuere populi *Ænianes*, vicini ab occaſu Locris Epicnemidiis, proxime Dorienſes, vt tradit Strab. lib. 9. Nec longe inde Heracleam abeſſe Ætolicæ ditionis, ad Oetam montem, de qua hic noſter auctor obiter li. 1. de bello Macedonico ſub finem. At lib. 6. copioſè poſt Thermopylarum deſcriptionem, eius etiã ſitum ac obſidionẽ commemorat. *Scotuſam* aũt Pelaſgioticam hic putat, de qua Strabo lib. 7. ad finem, ad quam ſunt Cynoſcephalæ eodem auctore.

Eod. *Ipſe in Ciſſeo (mons eſt in altitudinem ingentẽ ea.*] Vbi ille mons ſit, in Peparæthone, an in continẽti non explicat. nec ego de hoc monte quicquam apud idoneos reperio auctores.

Cap. vi. *Ad Demetriacum Phthiodis expoſuit.*] Recte Sabellicus *Phthiotidis* hoc in loco reſtituit, ſed *Demetriacum* putauit idem eſſe cum *Demetriade*. Superflue igitur adiecisſet Liuius, *Phthiotidis*. Ergo *Demetriacum* puto eſſe oppidũ, quod Strabo *Demetrium* vocat lib. 9. vbi de Achillis regione diſputat, ἀπὸ τοῦ Δημητρίου, id eſt, Cereris templo, quod ibi eximium habebat.

Eod. *Sed temere in modum venti.*] *In modũ venti*, dixiſſe videtur per ad arbitriũ venti. Mirũ vero de Euripo ita nihil conuenire apud auctores. Quantus hic, dij boni commentandi campus?

Eod. *Claſſemque inde ad Cynum Locridis.*] Sabellicus hũc locum reſtituit *Cnemidum* ex Ptolemæo, ſed codex fefellit: nam *Cynum* legendum eſt.

Cap. vii. *Igitur Philippus deiecto præſidio.*] Neſcio quid hic deſiderẽ in ſermonis connexione, præſertim cũ dicit *igitur*. Sed id lector conſideret, ſi fortaſſis meliorem nactus fuerit codicem.

Eod. *Quia Oreum pau. ante di. ab Ro. mu. exper. re direptum.*] Ὠρεὸς eſt in Strabone genere maſc. cũ Liuius hoc in loco neutro genere proferat, paulo ante genere fœm. ſed adiecto ſubſtantiuo, *vrbe*. Hęc eò tẽdũt, vt minus anxij in his ſimus, cũ videamus etiã magnos auctores non ita anxiè hæc ac ſimilia obſeruaſſe.

Eod. *Toronam eſt profectus.*] *Thronium* Strab. li. 9. xxx. ſtadiis à Scarphia abeſſe ait, apud quod oppidum Boagrius amnis ſortitur. *Torone* autem longe alia ciuitas ad Pallenem eſt, ſupra Caſſandriam, quæ olim Potidæa. *Thronium* igitur vbiq; hic legam.

Eod. *Incolebant eam vrbem profugi ab Thebis Phthiotici.*] Vide num potius *Phthioticis* legendum ſit. Nam de *Thebis Phthioticis* Strabo meminit lib. 9. vbi de Achillis ditione diſſerit.

Eod. *Paucis ante diebus in de Phocæas traiecerant Pæm.*] *Phocæas* ſi recte legitur, accuſatiuus eſt Ionicus à nominatiuo Φωκεῖς, quod nomen eſt à Phocide regione Græciæ. Quidam igitur non recte diphthongum æ appoſuerunt, tanquam à nominatiuo Φωκαεῖς, quod à Phocæa vrbe Aſiæ, nihil prorſus ad hunc locum deducitur. Suſpicor legẽdum, *in Phocidem*. Sed lector geographiæ peritus iudicet. Nam hæc duo nomina *Phocis* & *Phocæa*, cum ſuis denominatiuis, & in Latinis & in Græcis codicibus magnum fecere errorem.

Cap. 8. *Ipſe a Bœnotris præter terram Atticam ſuper ſinum nauig.*] Quidam *ab Oenotriis* emendarũt, ſed inepte, meo quidem iudicio. Strabo enim libr. 8. vbi de ſinu Corinthiaco, Holmas promontorium ſinum efficere, in quo & Oenoa ſit & Pagæ: atque has quidem Megarenſe caſtellum eſſe, Oenoan autem Corinthiorum. De eadem Oenoa Plin lib. 4. c. 7. Et de hoc loquitur (vt puto) hic Liuius: Terra miſſum exercitum per Bœotiam, ipſum verò regẽ præter Atticam circa Sunium promontorium mari Chalcidem veniſſe. Quare verba Liuij ita legi poſſunt: *Ipſe ab Genoa præter Atticam ſuper Sunium nauigãs, inter medias prope hoſtium claſſeis Chalcidem peruenit. Ceachreis* non minus quadrat, quod Beatus Rhenanus reſtituit.

Eod. *Ab Chalcide Oreum nauigat.*] Hoc oppidum ab Attalo atque Sulpitio expugnatum fuit paulo ante, nec de eo recepto quicquam hactenus. Hic nunc illud (ſi dijs placet) principib. qui Romanos fugerant, Philippus tradit. Vel igitur hic aliquis defectus, vel auctoris obliuio.

Cap. ix. *Cum Q. Fabius Max. prætor legatus ab M.*] Neque huius, neque præcedentis anni Q. Fabium Max. prætorem inuenies, quare hoc nomen ſuſpectum. Ego *prætor* temere adiectum ſuſpicor, & vetuſta quædam exemplaria non habent.

Cap. x. *Sicut P. Manlius tenuerat.*] Hic priore anno, atque adeo præcedente libro, ab ipſo auctore bis *C. Manlius* vocatur, non *P.* vbi prætor Siciliæ creatur.

Cap. xi. *Et præmiſſa præda incolumes leg. in lo. occulta.*] Quidam emendarunt, *in loca culta*. Verum hæc ita narrantur, perinde atque aliquis adſit verbis defectus, quod equidem opinor.

Cap. xiii. *Præmiſſo Syllano ad Colcã duo de xxx. ſp. re.*] Huius reguli merito (vt ego exiſtimo) vel vnã nominaſſet ciuitatẽ Liuius. Eam negligentiam in oppidis Hiſpaniarum cui adſcribe-redebemus, haud equidem ſcio: ſed certe ea nimis magna eſt.

Cap. xvi. *Quartodecimo anno poſt bellum initum.*] Hic erat annus tertius decimus: vt ipſemet Liui. ab initio huius anni de Coſs. dixit. Et vt hoc excuſari nulla ratione poteſt, ita neſcio quo pacto id diluam, quod paulo poſt de L. Scipione Romam cum nobilib. captiuis miſſo ſubiungit. Certe non ita longe ab initio huius etiã libri miſſus eſt, nec vbi interea redierit, vſpiã memoratur. At ego credo Liuium memoria lapſum eandem rẽ bis ſcripſiſſe. Nam bis miſſum vt credã adduci non poſſum.

Cap. xvii. *Syphacem primum regem ſtatuit tentare Maſæſyl.*] Lib. 4. huius decados ſub finem, Galam Maſaniſſæ parentem, Maſæſylorum regem Liuius ſcripſit, hic Syphacem. Et certe hoc loco poſita deſcriptio conuincit Sigam fuiſſe vbi Scipio applicuerit, ea Africæ parte, qua noua Carthago eam ſpectat, vt hic fatetur auctor. Cirtha vero (quãquam magis credo eam caput regni Syphacis fuiſſe, quod poſtea lib. 10. ſcribit Liuius) huic loco minime quadrat. Suſpicor autem Liuium duobus his nominibus, *Maſæſylium* ac *Maſæſylorum* deceptum: quod nulli mirum videri debet, cùm in codicibus Strabonis, qui tamen lib. vlt. ex profeſſo ea diſtinguit, idem erroris in omnibus quæ nos vidimus exemplaribus acciderit.

Eod. *Fœdus ea tempeſtate regi, cum Carthaginenſib. erat.*] Hic idem rex his cũ Romanis fœdus init, ſemel etiã miſſis ad hoc Romam, & rurſus à Roma ad regẽ legatis: & à poſteriore quidem fœdere tres duntaxat anni interceſſerunt. Nec ſatis hoc purgatur, quòd rex barbarus erat, cum Scipio hoc idẽ temere debuerit, qui hoc nouum (ſi dijs placet) ſancit fœdus. Si cum perfido, quorſum id ferire attinebat? Sin cũ eo cui vtiq; fidendum erat, qui fit vt cum veteris fœderis, & prope nuper icti nõ admonuerit? Sed profectò ſuſpicor Liuium oblitum poſtea eorum quæ antea ſcripſerat, id quod iam ſæpe admonuimus.

Cap. xxi. *De principatu ciuitatis, quam Ibem vocabant.*] Id nominis, vt pleraq; Hiſpanica, apud poſteriores non facilè reperias auctores. Et *Aſtapa* Floro *Gisbium* quibuſdã libris vocata fuit, ſed id ex Liuio emendatũ: quãquam ego haud ſcio, liceatne, ad eum modum emendare libros. Aſtapenſium autem factum, à Liuio vt crudele narratur, cum Saguntinorum haud diſſimile fuerit, & tamen fortè laudatur. Sed ſcilicet hoc pro Romanis, illud contra Romanos fuit. Hoc eſt hiſtoriam ſcribere.

Cap. xxiv. *Agrum Sueſſitanum Sedetanũque.*] Illergetũ regulus erat Mandonius, vt li. 2. huius decad. ait Liuius: Lacetanorum aũt Indibilis, vt puto. Ceterum li. 5. huius decad. Sueſſanos aduerſus P. Scipionẽ duxiſſe idem Indibilis dicitur, cũ Sueſſitani hoc loco amici pop. Ro. prædicentur. Niſi duos populos fuiſſe intelligamus. Mira profectò in his eſt obſcuritas, & quã in Liuio quidẽ ſatis notã fuiſſe exiſtimo. *Sedetanos* aũt puto *Edetanos* Ptolemæo dici, atq;. Pli. lib. 3. c. 3. Eod. *Ad Sucronẽ ortus.*] Sucronis eodem loco meminit Plin. Ptolemæus vltra Valentiam ſtatuit. Id aũt mirũ quomodo hi milites Mandonio Indibiliq; cõiungi potuerint, interpoſitis tot amicis populis, Edetanis ac Sueſſitanis: ipſi vltra Iberũ, præſidium gentib. cis Iberũ; Mandonius aũt ac Indibilis citra Iberũ. Meritò hæc lectori, vt obſcura iudicari poterunt. Eod. *C. Albiũ Calenũ, & C. Atliũ Vmbrum.*] Quidã pro *Atliũ*, reſtituerãt *Atrium*: quod in oratione Scipionis poſtea ita legatur: *Sed illi tamen non Atrium Vmbrum Semilixam, nominis etiam abominandi ducem*. *Atrium* ab *atro* dici voluiſſe, non *Atlium*. Verum res non eſt tanti momenti.

Cap. xxv. *Et P. Scipionem deum be. & Rempub. eſſe gratia referendæ.*] Nota hoc dicendi genus, P. *Scipionem & Rempubl. eſſe gratia*

Google

referendæ. Sępe enim per gerundiuum non hic modo, ſed ceteri quoque auctores loqui ſolent.

Eod. *Quina nomina principum ſeditionis edita ſunt.*] Quidam *quina*, pro *quinque* poſitum exiſtimant. At ego exiſtimo cum tribuni ſeptem iis obuiam miſſi fuerant, & nocentium xxxv. vt ipſe paulo ante fatetur auctor, intelligendum non *quinque* in vniuerſum ſed *ſingulis quinque*, hoc eſt, *ſepties quinque*, qui efficiunt xxxv.

Cap. xxvi. *Sed lætitiam ingentem fecit, quod magis habituri.*] Pro *lætitiam*, quidam *licentiam* repoſuere, non recte, vt puto. Ceterum quæ ſequuntur verba obſcura ſunt: puto autem de Syllano intelligi, quem ſperabant milites magis in ipſorum fore poteſtate, quam ſe in illius.

Cap. xxviii. *T. Quintio Criſpino. C. Fuluio.*] *Cn. Fuluio* legendum. Et intelligit de Cn. Fuluio Centimalo, qui anno 8. huius belli Coss. fuit, vt ad finem lib. 5. huius decados habetur. Deinde vero proconſul occiditur ab Hannibale ad Herdoneam, vt ab initio libri ſeptimi narratum eſt. Vicerat alium etiam Cn. Fuluium Hannibal, vt lib. 5. ante dictum: at is effugerat cladem non item populi iudicium, vt lib. 6. ab initio. Verum Scipio hic do occiſis loquitur.

Cap. xxx. *Ad Carteiam claſſe accedit.*] *Carteiam* Ptolemæus intra Calpen ponit: at hæc deſcriptio oſtendit extra fretum eſſe, quod & Plinius lib. 3. c. 1. fateri videtur, qui addit Tarteſſon à Græcis dici. Quod ſi verum eſt, haud dubie ea videri debet, quam Strabo ad Bætis fluuij, qui & ipſe aliquando Tarteſſos dictus eſt, oſtia ponit. At lib. 1. huius decados Liuius ex Polybio Carteiam Olcadum gẽtis caput facit, quare ego duorum oppidorum nomen puto *Carteiam*.

Cap. xxxi. *In Sedetanum agrum.*] Paulo ante admonuimus, videri *Sedetanos* à Liuio dictos, quos Ptolemæus Pliniuſque *Edetanos* vocent. Ceterum trans Iberum erant, tametſi illius accolæ aliqua parte. Illergetes vero cis Iberum. Ergo proficiſcenti Scipioni à noua Carthagine, priores erant Sedetani quam Illergetes. At Liuius hic decimis caſtris Scipionem ad Iberum veniſſe, deinde ſuperato amni, die quarto in conſpectu hoſtium caſtra poſuiſſe ſcribit, nulla facta mentione Sedetanorum. Niſi quis dicat in Sedetanos primum hoſteis tranſcendiſſe (nam eo verbo vtitur Liuius) deinde in Illergetes etiam ſuperato amni rediiſſe. Certe locus obſcurus eſt, nec facile ſoluitur. Id etiam mirandum, quo pacto Illergetes & Lacetani in Sedetanis exercitum collegerint, cum illi eſſent ſocij populi Romani, vt paulo ante tradidit auctor. Neque enim vſpiam mentio eſt defectionis Sedetanorum. Hæc vt dubitata à me ſcribo, quæ lector boni conſulat. Spero autem fore, vt qui rem penitius introſpexerint, fateantur me nec temere, nec abſque vrgentibus cauſis dubitaſſe, aut vt minimum aliis dubitandi occaſionem præbuiſſe meliorem.

Cap. xxxiii. *Die quarto in conſpectu hoſtium poſuit caſtra.*] Poterat hic Liuius dicere clarius in quorum terra hoc geſtum, ac vallem nominare. Nam citra Iberum Sedetani non ſunt, quorum agrum ante nominaui. Hoc vel apud Latinos C. Cęſar vel apud Græcos Herodotus, non neglexiſſent.

Eod. *Equitem nec poſſe circumdare cornibus.*] Hæc deſcriptio etſi intelligitur, eſt tamen oppido obſcura aliquot verbis vt hæc, hic poſita, & tertio deinde verſu hæc verba: *Segregetque quantum poſſis equeſtrem à pedeſtri pugna.* Et rurſus poſt aliquot verſus: *Duæ peditum acies, duo equitatus per lõgitudinẽ campi*, &c.

Cap. xxxiv. *Mandonium fratrem ad eum mittit.*] Hic habemus, vt videtur, hos duos regulos, quorum toties hic mentio facta eſt, fratres fuiſſe. Niſi quis putet alium Mandonium eſſe Indibilis fratrem iuniorem quempiam: nam alioqui cur non ipſe Indibilis iret deprecatũ apud victorem hoſtem, cum Mandonius in eadem erat culpa? Quamquam & ea quoque ſubit cauſa, quod Indibilis aduerſus Scipionis parentem pugnauerat, vnde odij adhuc fauilla timeri poterat.

Cap. xxxv. *Subſtituerat que animo ſpeciem quoque corp. amp. ac.*] *Subſtituerat* dixiſſe videtur pro *conceperat*: quãquam haud ſcio an ita ſit in vſu. Beatus legit, *præſtituerat*.

Eod. *Numida gratias de fratris filio remiſſo agit.*] Præcedente libro Maſaniſſa auunculus dicitur eius iuuenis, de quo hic agitur. Ergo legendum hic videtur *ſororis filio*, niſi vel ſororis maritum fratrem appellarit, vel apud Barbaros frater ſororem habuerit in vxorem.

Cap. xxxvi. *Nec ſine cauſa electam ante vrbem ſtationem.*] De Romanis loquitur vt puto. Sed vt hæc verba ſeſe ſequantur, ſuſpenſum faciunt lectorem.

Eod. *Ad octingentos ho. cæſi inter mulit. qua ad duo mil.*] Hic locus obſcurus eſt, &, vt ſuſpicor, etiam corruptus. Quamquam quidam exponunt, cæſos octingentos, ſed in vniuerſum qui interierint fuiſſe duo millia. Quidam codices *armorum* habent, non *armatorum*.

Cap. xxxvii. *Inde ad Cimbim (haud procul à Gad. is locus ab.)* Id nominis nuſquam legi, quod equidem ſciam, ideoque inſpicienda vetera exemplaria.

Eod. *Viris armis haud æque validam.*] Strabo lib. 4. minorem Balearium virtute nihilo inferiorem maiore fatetur, id forte ſic erat illius tempore. Illa *eandem armis viris*, quidam per *que* connectant, vt paulo ante in maiore. Et paulo poſt, *Miſſique Carthaginem:* diſtinguendum ante *ad hybernandum*: vt ſit ſenſus, auxiliares miſſos tamquam obſides Carthaginem, ipſum autem Magonem ad hybernandum naueis ſubduxiſſe. At hæc puſilla ſunt, ac propemodum non huius inſtituti, viſa tamen ſunt aliquid ad lectoris vtilitatem facere.

Cap. xxxviii. *Qui ſine magiſtratu res geſſiſſet.*] lib. 6. ad hoc comitia fuere, ac illic plane imperium vocat, hic ſine magiſtratu eum vocat, qui procoſ. fuit. Statim autem poſt legati Saguntinorum Coss. vocant in Hiſpaniam miſſos, conſulareis ac procoſſ. Nullus enim Coss. hoc bello illuc eſt miſſus. Hi itaque loci lectori perpendendi. Simile quidam inuenies lib. 1. de bello Macedo. vbi L. Cornelius Lentulus fruſtra triumphum petiit.

Cap. xxxix. *Quod nobis non tam fructu iucundius eſt, quam vltione.*] Vide id genus locutionis per comparatiuum inter *tam quam*. quamquam veteres libri *tam* non habent.

Cap. xli. *Si alterutra victoria nobis conſulibus relinquen. eſt.*] Omnes libri *nobis* habent, vt ſit ſenſus ſecundum quoſdam: Si nobis relinquẽda eſt victoria alterutra Conſulibus, prior maior clariorque, &c. At ego hunc ſenſum non percipio: quare, *vobis*, malim. neque enim Fabius hic erat Coss. Beatus legit *nouis*, hoc eſt, alterius anni, ſiue inſequentium annorum.

Eod. *Bello domi relicto auctore æque impigro.*] Videtur loqui de ea clade quam Athenienſes apud Syracuſas paſſi ſunt proſequente eam Thucydide lib. 7. Quamquam ibi duorum ducum eſt mentio, quemadmodum etiam hic auctor lib. 5. huius decados, vbi Marcellus fleuit ſuper Syracuſas, duorum meminit. Niſi quis in Alcibiadem hoc dictum putet, qui ſuaſor erat huius profectionis, vt lib. 6. idem docet Thucydides.

Cap. xliii. *Quam ea ſuſpicio (vitio orationis, an rei) haud ſa. pur. eſt.*] Deſideratur hic, vt opinor, aliquid. niſi quis ſupplendum putet verbum *neſcio*. eſt tamen obſcurè dictum.

Eod. *Cum quatuor exercitus Pœnorum, quatuorque duces.*] Magnifice Scipio oratorum more auget ſua: tres enim duntaxat fuere perpetuo hoc tẽpore belli duces, & exercitus item tres, vt libris omnibus ſuperioribus tradidit Liuius. Duo Haſdrubales & Mago. Vt autem Haſdrubal Amilcaris ex Hiſpania diſceſſit, ſucceſſit Hanno, vt ab initio huius libri habetur: ſed is ſtatim captus eſt. Hunc fortaſſis nunc etiam numerat: is enim cum nouo exercitu ex Africa venerat. Idem numerus eſt ſuperius, cum Scipio ex Hiſpania Romam venerat, eique ſenatus datus in æde Bellonæ.

Cap. xlv. *Quem L. Veturius & Q. Cæcilius ſortirentur inter ſe.*] Senſus propter ſequentia, vtcumque intelligitur, quod Q. Cęcilio ſorte euenit, vt cum Coss. in Brutiis aduerſum Hannibalem bellum gereret. Ceterum lector conſideret verborũ ſtructuram & ordinem, & videbit nos non fruſtra dubitaſſe.

Eod. *Et in viaticum decurionib. remigibuſque collaturos.*] Quid collaturos? num centum & viginti millia modiûm? quid igitur coniunctio, *&*, ibi poſita? Paulo ante etiam, *millium quinquaginta* ſummam ad pila, gæſa, haſtas longas referenda puto; alioqui ſenſum nullum video.

Cap. xlvi. *Ingauni (Ligurum ea gens eſt) bel. ea. tem. ge. cum Epanteriis mon.*] Albigaunus eſt oppidum, auctore Strabone lib. 4. cuius incolæ Ligures Ingauni appellantur. Meminit & Ptolemæus & Plin. libr. 3. c. 5. De Epanteriis nihil apud idoneos inuenio auctores, fortaſſis nomen vel corruptum, vel vetuſtate abolitum.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXIX. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP. I. *Ex iis trecentos iuuenes florenteis ætate.*] Centuriati erant voluntarij Scipionis milites, at non ij trecenti. Nota igitur locutionem, tum quid referat, *ex iis*.

Cap. VII. *Naues mari ſecundo miſit.*] Vide vt illud *miſit*, poſuerit. Nam ipſe quoque vna vectus eſt. niſi claſſi præmiſerit aliquod naueis, quippe qui non longe poſt dicturus eſt; *claſſis Romana à Meſſena Locros multa die ſuperante acceſſit.*

Cap. X. *Si matris Idæa Peſinunte numen Rom.*] Πεσσινοῦς apud Strabonem lib. 12. legitur. Plinius lib. 5. cap. vlt. & Ptolemæus, Toliſtobogiis attribuunt. Hoc nomen ferme in codicibus corruptum legitur, *m* pro *n*, *Peſſinus*: quamquam prima in Græcis codicibus duplex habet σ, quam ego ſimplici ſigma ſcribendam cenſeo.

Cap. XI. *Oraculum adierunt, conſulentes ad quod negotium.*] Hæc & continuo ſequentia verba implicatum habẽt ſenſum, ideoque diligenter conſpicienda vetera exemplaria.

Eod. *Et flamen mar. eſt mortuus M. Æmylius Regulus.*] Ad finem huius libri idem *M. Æmilius Regillus* dicitur, quod placet magis quam *Regulus*.

Cap. XII. *Neglecta eo biennio res in Græcia erant.*] Anno duodecimo huius belli Sulpicius res in Græcia geſſit, vt priore libro ſcripſit Liuius. Ceterum P. Sempronius ſucceſſor ei miſſus, vt paulo poſt dicturus eſt, videtur otioſus ſediſſe: neque enim quicquam de eo hactenus & geſtis rebus eius, quamquam quando miſſus ſucceſſor, non dixit vſpiam in priorib. Liuius. Qood ſi hoc XIV. demum anno miſſus eſt, non decimotertio, & neque Coss. hæc geſſit, recte ait biennio res in Græcia neglectas. Sed hoc eſt iuuare ſocios ſcilicet, ac poſtea iraſci illis, quod derelicti, ſine auctoritate Romanorum, aduerſus fœdus cum rege pacem feciſſent. Fieri etiam poteſt vt in ſuperioribus alicubi ſit defectus.

Eod. *Penice vrbs eſt Epiri.*] Quidam emendarunt *Phœnice*, & recte: ſic enim & Strabo & Ptol.

Eod. *Parthenis, et Dimallum, & Bargulum, & Eug.*] *Parthenorum* meminit Plin. lib. 3. c. 22. vbi gentem Illyricam facit, At c. 23. eiuſdem, *Parthinos* Macedoniæ gentem, cuius Cæſar etiam meminit lib. 3. de bello ciuili. Quidam in confinio vtriuſque prouinciæ eandem putant, & per *i* in ſecunda ſyllaba, non per *e* ſcribendum. Quæ vero hic ſequuntur nomina, haud ſcio an vſquam legerim. Et hic locus in pleriſque codicibus aſteriſco notatus eſt, non abſque cauſa: deſiderantur enim quædam. Et illud, *Attintanas*, non parum lectorem moratur.

Cap. XIII. *T. Quintius Tarentum, C. Hoſtilius Tub. Capuam.*] In diuiſione exercituum prioris anni noo memniit Liuius horum, ſed tertiodecimo anno huius belli, hoc eſt, tertio hinc anno.

Cap. XV. *Vt Coss. Magiſtratus denoſque principes.*] Hic *principes* vocat, quos paulo poſt cum *legatos*, tum *primores*. Deni autem ex duodecim coloniis, præter magiſtratus, efficiebãt numerum CXX. qui retineri iuſſi. magiſtratus vero domum ire ad delectus conficiendos. Et coloniarom nomina in pleriſque vetuſtis codicib. hoc loco melius habent, quàm lib. 7. quod ſupra etiam admonuimus.

Eod. III. *millia æris aſſes ſingulos imperari.*] Facile poſſem hic lectori oſtendere quam fœcunda ſit ignorantia. Nam ſi proſequi vel.in quot modis hęc verba intelligi poſſint, paginam implerem. Ego vero cum mihi ipſi primum ſatisfacere nequeam, nec lectorem oſtentatione inani traham, ſed liberè dicam me hunc locum non intelligere. Hoc vnum videri tamen mihi, *in millearis* legendum, non *tria millia*. Error ex ſcriptura facilis erat. Loquitur autem de ſtipendio. Singulos itaque aſſes in ſingulos menſeis intelligo, vt de mille æris fierent aſſes annui duodecim, & formulam puto pro portione quadam ſumptam, vt ſors bonorum cuiuſque, & ſecundum ſortem militum numerus cognoſceretur. Huiuſmodi locos ferme non attingunt qui annotationes ſcribunt.

Cap. XVIII. *Quibus per vos fidemque veſtram. P. C.*] Quibus nihil rei geſſeritis, intelligitur. Sed in illo, *per vos fidemque veſtram*, niſi intelligamus verbũ aliquod, vt, *oramus*, *admonemus*, aut quid ſimile, non video quid ſenſus ex hoc loco elici queat.

Cap. XXIV. *Auertit à vero falſis elicitas præoccupan. men. hom.*] Obſcurus ſermo: dubium enim eſt, *elicitáſne falſis* dicere velit, an *præoccupando* potius *falſis*. Sed *elicitas* non eſt in pleriſque libris.

Eod. *Vt ſingulæ ſena mil. & ducenos ped. tricen. hab. eq.*] *Trecenos*, id eſt, *trecentos*, legendum, non *tricenos*, quod à *triginta* deriuatur. Apud doctos non erat opus hoc admonere, ſed apud imperitos, & quod librariorum erratum hoc eſt in omnibus fere codicibus. Laurentius Valla, homo de Latina lingua optime meritus, primus quantum meminiſſe poſſum, hunc errorem libro tertio Elegantiarum oſtendit. Omnes etiam ſciunt legionem apud Romanos ſæpe variatam, qood alibi, non vno duntaxat loco nos admonuimus.

Cap. XXV. *Cum M. Portio Catone (quæſtor tum is erat.)*] Apud Ciceronem De ſenectute, ipſe Cato ait ſe prætorem fuiſſe his Coss. Quæſtorem autem Fabio ad Tarentum. At in eodem dialogo locus alius conuincit cum locum mendoſum eſſe, & hic Liuium recte ſcripſiſſe. de qua re rurſus & copioſius admonebimus lectorem lib. 2. de bello Macedonico.

Eod. *Emporia vt peterent gubernatoribus edixit.*] *Emporia* hoc loco vocat, vt ego puto, litoralia mercatorum ac nobiliorum hominum loca. Nam vt de *Emporiis* ad Syrtin paruam intelligam, de quibus ad finem lib. 4. decados ſequentis, adduci non poſſum: neq; enim in eũ locum Scipio hic diuertit. Niſi quis dicat, voluiſſe illuc Scipionem diuertere, ſed à nautis obtinere non potuiſſe. Sed & libro eodem ea de re aliquid dicemus.

Cap. XXVI. *Nam præter XL. naueis longas quadrin. ferme oner.*] Quas hic *naueis longas* vocat, paulo ante *roſtratas* nominauit. Libro autem primo huius belli, quas primum *quinqueremes*, paulo poſt *longas* vocat. Videntur igitur confuſa hæc tria nomina, *longa*, *roſtrata*, *quinqueremis nauis*. Et ex hac quidem comparatione Liuij, quam hoc loco exhibet, videntur roſtratæ anguſtiores onerariis: ſed an etiam maiores, non equidem pronunciauerim. cum in roſtratis ſingula, in onerariis bina fuerint lumina: & in pugna nauali ad Vticam libro ſequente onerariæ altiores dicantur roſtratis. Sed merito quis clamabit, me nautarum tractare negotium, qui nauigare neſciam: quorum hoc quidem verum eſt, illud tamen neutiquam reprehendendum. Nam ea inquirere, ad hoc quoque negotium pertinere puto, quamquam lectoris iudicio omnia ſubiicio: licuit dubitare mihi, licebit aliis iudicare.

Cap. XXIX. *Gens Maſæſylorum omnis in ditionem im. que Mezetull.*] Libro huius Decados quarto Liuius ait Syphacẽ Numidarum regem, Galam autem Maſaniſſæ parentem, Maſæſylorum. Contra vero libro huius belli octauo Syphacem Maſæſylorum regem ait, vbi & eam gentem ac Syphacis regiam abſque nomine deſcribit. Sane Strabo & Plinius Sigam Syphacis regiam fuiſſe fatentur. At hic noſter Liuios libro mox ſequente Cirtam caput regni Syphacis facit, quæ longiſſimo tractu à Siga diſtat. Denique Plinius lib. 5. Maſaniſſam Numidiæ regem ait, quæ ad Ampſagam fluuium eſt, de poſteriore loquens tempore huius belli, vt puto. Hæc adeo diuerſa iudicio lectoris relinquo. Verum huius belli tempore exiſtimo Syphacem Carthaginenſibus propiorem fuiſſe, Galam vero Maſaniſſæ parentem, ac Maſæſylorom regem, longe diſtantiorem. Deuicto autem Syphace omnia in Maſaniſſæ veniſſe poteſtatem. Nomen vero Numidiæ vtriſque regois commune fuiſſe: ſed cum Maſæſyli nomen haberent proprium, alteri regioni commune velut proprium manſiſſe: niſi quis Maſælibyas vocare velit, vt Strabo facit lib. vlt. quare quod lib. 8. huius decados dicitur, Syphacem Maſæſylorum regem eſſe ſuſpectum: vt & Scipionis nauigatio duabus quinqueremibus fabulæ ſimilior, magiſq; trium in Syphacis regia colloquium, Hannibalis, Scipionis, ac Syphacis.

Cap. XXX. *Proficiſcenti ad Syphacẽ Lac. reg. ad Thapſum.*] *Thapſus* neque in Numidia neque eſt in Maſæſylis: mihi nomen ſuſpectum eſt, vt nihil interim cauiller, mirari me quo pacto Carthaginenſes per ditionem ſuam ſinerent regum exercitus

vagari, cum hoc tempore omnem Africæ oram tenerent, quæ mari noſtro abluitur, ab aris Philenorum vſq; ad Herculis columnas, vt auctor eſt Polybius lib. 3. Idem erroris ſuſpicor in nomine *Clupea*, cuius paulo poſt mentionem facit.

Cap. xxx. *Inſtando ſtimulandoque pera.cit.*] Hic videbatur oratio finita, ſed poſtea ſubnectet: *His vocibus incitatus Syphax.* Ipſe lector ſecum etiam atque etiam cogitet, ſitne defectus aliquis an interpolario Rhetorica.

Cap. xxxii. *Maſaſilorumque fines (id Syphacis regn. erat.)*] Rurſus hic Syphacis regnum *Maſæſylorum* facit, cum in hac digreſſione paternum Maſaniſſæ regnum toties vocarit. Nec ſatis excuſat, quod deinde Maſæſyli in ditionem Syphacis conceſſerant. Sed omnino ſuſpicor legendum hoc loco *Maſalibyum*, atque etiam ita lib. 17. Sed verba Strabonis, libr. vlt. geographiæ ponere placuit. Inquit autem: Μετὰ δὲ τὴν τῶν Μαυρουσίων γῆν ἡ τῶν Μασαισυλίων ἐστὶν ἀπὸ τοῦ Μολοχὰθ ποταμοῦ τὴν ἀρχὴν λαμβάνουσα, τελευτῶσα δὲ ἐπὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Τρητὸν, ὅρος τῆς τε Μασαισυλίων καὶ τῆς Μασαιλιβύων. Id eſt, *Poſt Maurorum vero terram Maſæſyliorum eſt, à Molochath fluuio initium ſumens, finiens vero in promontorium, quod Maſæſyliorum, & Maſalibyum confinium dicitur.* Strabo autem *Maſæſilios* quinque ſyllabis dixiſſe videtur: quare in Græcis etiam poſteriore hoc loco ita emendandum, Μασαισυλίων. Item ibidem Μασαιλιβύων lego πεντασυλλαβικῶς, non Μασαιλίων, vt vulgati habent codices. Confinium autem horum duorum populorum eſt Triton promontorium. Sed paulo poſt Strabonis locus rurſus corruptæ in Græcis legitur: μετὰ δ' οὖν (inquit) Τρητὸν ἡ Μασσυλιέων ἐστὶ, καὶ ἡ Καρχηδονίων ... χώρα, id eſt, *poſt Tritum vero Maſſyliorum eſt ac Carthaginienſium confinis regio.* Μασαιλιβύων legendum, id eſt, *Maſalibyum.* Tingitanam igitur regionem Mauros & Boccharis regnum intelligimus, Cæſarienſem Maſæſylos ad Ampſagam vſque flumen, aut Triton promontorium. Poſt Ampſagam, Numidiam ſiue Maſælibyas Syphacis regnum. At tum duo in Liuio ſcrupuli vehementer lectorem remorantur: alter, quomodo à Maſaniſſa Syphax prœlio victus in Mauruſios fugerit, quod libr. 4. huius decados tradidit Liuius: alter quomodo Maſælibyum regnum vicinum ſit Mauruſiis, cum Maſæſyli ſint in medio: ſiquidem libr. 8. huius decados legamus; *Maſalibyum is rex erat, Maſalibyes gens affinis Mauris, &c.* Niſi Mauruſiorum (qui Latinis Mauri vocantur) nomen commune fuerit Mauris ac Maſæſylis, vt ante de Numidia diximus, quod prope toti Africæ commune fuit. Ego, vt in vniuerſum dicam, in fuga Syphacis libro quarto, & in deſcriptione loci, ad quem proconſul Scipio in Africam nauigarit, Liuium lapſum opinor: alia bene habere loca, ſi quis hos duos diſtinguat populos Maſæſylos, ac Maſælibyas, vt ex Strabone oſtendimus.

Cap. xxxiii. *Gentemque Garamantum omne tempus.*] Hæc ita narrat Liuius, quaſi Garamantes vſpiam attingant paruam Syrtum. Et Emporia haud dubiè ad mare erant in poteſtate Carthaginenſium, ſi Polybio credimus, vbi vt puto, nihil iuris Maſaniſſæ. At qui ob has cauſas patietur, imo nec indignetur Herodotus ſibi æquari Liuium iudicio Quintiliani. Nec verebimur Thucydidi opponere Salluſtium in locorum nomenclatura æque negligentem, etiamſi in ea regione prætor fuit.

Cap. xxxvi. *Paulo minus trecenti capti viui, & equi xl.*] Et captiuorum & equorum numerus pro occiſorum numero quibuſdam nimis paruus videtur.

Cap. xxxvii. *Viam è foro Boario & ædem Veneris circa foros pub.*] Quidam legunt, *& ad ædem.* alij coniunctionem *&*, tollũt, alij quod probo, *ad Veneris* legunt. Verum id ei facile erat, qui Romam vidiſſet eo tempore, vere emendare: nobis coniectandum tantum. Porro *fori publici* qui ſint, vix definire queo, cum lib. 1. in Tarquinio Priſco fori in maximo deſcribantur circo: *Loca* (inquit) *diuiſa patribus equitibuſque, vbi ſpectacula ſibi quiſque facerent fori appellati.*

Eod. *Sextante ſal & Romæ per totam Italiam.*] Difficultatem hic habet ſermo, num ſalis modium pro vectigali ſextantem ſoluiſſe intelligere debeamus. Nam ſextante veniiſſe vix veriſimile videtur. Deinde hoc etiam perpendẽdum lectori, ſi Romæ pretio eodem, pluris autem foris præbendum locauerint; quo modo tribus Romanas maxime inde oneratas intelligamus, quod mox ſubiectit auctor.

Eod. *Vnius quod falſum aduerſus ſe teſtimon.*] Valerius Max. lib. 2. c. 4. vbi de iiſdem Cenſorib. ac eorum contentione mentionem facit, priorem cauſam à Liuio hic poſitam omittit, alteram narrat. Et plane eo quoque non intelligo, quodnam hoc ſit *falſum teſtimonium.*

Cap. xxxviii. *In loco M. Æmylij Regilli.*] In creatione magiſtratus prioris anni *M. Æmylius Regulus* hic legebatur, ſed malim *Regillus*, vt ſuperius quoque admonuimus. Quidã etiam dubitarunt, ſi vterque huius anni Cõſulum *Cn.* dicebatur, quare Liuius non ita locutus ſit, *Is Coss. Cneios Seruilios, Capionem & Geminum creauit*, quomodo de tribunis militum conſ. poteſtate ſæpe loqui ſolet. Sed non videtur meo iudicio Liuius hoc perpetuo obſeruaſſe, quamquam de his duobus Seruiliis libro ſequente dubiè loquitur, vt ibidem dicemus, ob hoc tamen ego *Cn.* in *C.* mutare non auſim.

F I N I S.

IN T. LIVII LIB. XXX. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP II. *Ludos magnos facerent quos T. Manlius Tor.*] Hi ludi voti erant anno ſecundo huius belli, C. Flaminio. Cn. Seruilio Coss. ſed in nullum annorum numerum. Anno itaque vndecimo huius belli à T. Manlio dictatore facti, iterumque voti in quinquennium. Cum autem hic ſit annus ſextuſdecimus, lector ipſe ſecum diſpiciat, quid per quinquennium intelligendum. Ipſe tamen Liuius hoc poſtea libro annos ſequenti hos ludos factos ſcribit, oblitus opinor huius loci. Niſi quis Coss. iuſſos quidem, ſed non feciſſe hoc anno credat, quod videtur veriſimile. nihil enim memoratu dignum hi duo geſſere. Errorem non paruum faciunt diuerſi loquendi modi apud Latinos, dum alius *in quinquennium*, alius *poſt quinque annos*, alius *quinquennale ſpacium luſtrum* appellat. M. Varro lib. 5. etiam ita loquitur: *Luſtrum* (inquit) *tempus quinquennale, à luendo, id eſt, ſoluendo, quod quinto quoque anno vectigalia & vltro tributa per cenſores perſoluebantur.* Hæc ille. Ego cum dicitur *quinto quoque anno*, non *quinque annos* intelligo, ſed *quatuor* dumtaxat: tres quidem interiacentes, extremorum autem alterum. Ita Olympici ludi quinto quoque anno in Græcia fiebant, erant tamen Olympiadis quatuor anni tantum, non quinque. Et non eſt apud me dubium, quin luſtri rationem Romani à Græca Olimpiade habuerint, vt cetera: ſed apud eos vix vnquam reperias vere luſtri annos obſeruatos. In cauſa fuere ingentia negotia ſubinde incidentia, & bellici tumultus. Ita ab 11. anno in hunc ſextumdecim, ſi extremi numerentur, ſunt anni ſex: ſi omittantur, quatuor. Si in poſteriorem conferamus annum, quod Liuius tradit, non connumeratis extremis, quinque: at ſeptem, iis adiectis. Ita in luſtri annis varius vſus etiam in Horatio, vt in eum quoque annotauimus, atque adeo etiam in Dionyſium Halicarnaſſæum.

Eod. *Fruſinone arcus ſolem tenui linea amplexus.*] Si ſol in arcu erat, quomodo maior ſolis circulus ipſum includere potuit? Sed opinor per illud extrinſecus nobis ſignificari alium extra circulum, quem hic ſolis orbis circulum vocat. Eſt ſane in re lucida obſcura deſcriptio.

Cap. iv. *Legati Romanorum vetitos ſe reuerti ab imperatore.*] *Ab imperatore*, habent vetuſtiores codices. Quidam emendarunt, *ad Imperatorem*, quod diſplicet. Nam vtique legatis Romanis licebat ad ſuum redire Imperatorem, ſed ab Imperatore ad Syphacem non redituros, id enimuero minabantur, vt tandem reſponſum elicerent. Eſt autem hoc factum hic à perfidia non multum alienum, vt pinxerit Liuius.

Cap. vii. *Circa vrbem nomine Olbam ad cõquiſitoribus ſuis con.*] Nemo, quod ſciam, huius vrbis meminit vel in Hiſpaniis, vel in Africa: quod ob manifeſtum amphibolon dicimus

huius loci. Nam ſi dicas, conducta in Hiſpania quatuor millia Celtiberorum circa vrbem nomine Olbam, certe Hiſpaniæ erit oppidum. Sin ita dixeris, occurriſſe ſibi circa vrbem Olbam quatuor millia Celtiberorum conducta in Hiſpania, erit in Africa. Sed prior ſenſus magis placet.

Cap.VIII. *Romanus poſt principes haſtatorum prima ſig.*] Haſtati præeunt principes ſecundum ordinem quem nobis exhibuit lib.8.ab vrbe condita Liuius. Ergo hic inuertit ordinem haud abſque cauſa, vt puto, quæ tamen non narratur. Coniungendum autem, *ſigna haſtatorum*, non *principes haſtatorum*.

Cap.IX. *Abeſt à Carthagine XII. millia paſſ.*] Polybius libr. 1. Tuneta ait abeſſe à Carthagine XV. millibus paſſuum. meminit eius & Strabo lib.VIt. Eſt autem nominatiuus *Tunes, etos*: à quo regnum nomen habet noſtra ætate.

Cap.X. *Poſtremo aſſeres ferreo unco præfixi.*] Quidam *aceres* legunt, videlicet quos ob duritiem Romani incidere nequiuerunt, vt ſtatim ſubnectit Liuius. Sed iudicet lector.

Cap.XI. *Maſæſyli regnum paternum Maſaniſſa.*] *Maſæſyli* hic Maſaniſſæ regnum conceſſiſſe dicuntur, cum paulo poſt apud Syphacem pugnent cõtra Romanos, atque adeo contra ipſam Maſaniſſam. Sed, vt dixi iam ſæpe, vel nominum eſt apud Liuium confuſio, aut in poſterioribus *Maſæſyles* legendum, cum continuo ſubnectat Cirtham regiam, quæ eſt in Maſæſylibus, non in Maſæſylis.

Cap.XV. *Ex prætorio in tabernaculum ſuum confuſus con.*] Quidam hic defectum eſſe putant, quod Scipio togatus hic non abnuiſſe dicatur, & Maſaniſſa tamen poculum mittit. Quidam putant ſatis id ſignificatum per verbum *confuſus*.

Cap.XVII. *Lælium retinendum, donec legati Carthagin.*] Hoc loco Liuius decretum ait, vt Lælius retineatur in aduentum legatorum Carthaginenſium. Paulo poſt vero dimiſſum ait ante aduentum eorundem. Quapropter vel decretum mutatum eſt, vel lapſus memoria, diuerſosve ſecutus auctores Liuius hęc ſcripſit.

Eod. *Et lato clauo tunicis.*] Admonuimus etiam ſupra libr. 7. huius decados, vt lector iudicaret quid hoc *tunicis* adderet *lato clauo*: nam *latus clauus* intelligitur abſque tunica.

Eod. *Dona ne minus quinûm mil. comitibus eorum mille æris.*] Si *quinûm millium* recte legitur, vt equidem puto, quare non etiam *millenum æris*? cum veriſimile ſit plureis fuiſſe comites quam legatos. Niſi quis ſimul omnibus comitibus mille æris datos intelligere velit, quæ ſumma nimis minuta videtur. Saguntinorum legatis duplo plus datum libr. 8. refertur, forte propter cauſam cogitatu facilem. Niſi altero in loco mendum eſſe quis putet.

Cap.XVIII. *Et vt in rem permixtis, vbi cuſpide vi & co.*] *In rem permixtis* dixiſſe videtur, pro *contracto certamine*. quamquam rarus hic eſt apud auctores ſermo, nihil tamen definio. Quidam, *& vt permixtus*, legunt.

Cap.XIX. *Patre Cn. Seruilio, & C. Luctatio ex ſer. poſt ſex.*] Tria hîc n[illegible] anda. Primum quod hic *Seruilius Aulus* dicitur libr. 1. bu[illegible] belli, quod illic obiter etiam admonuimus. Alterum, quod *poſt ſextumdecimum annum* ait, cum hic nondum ſit elapſus annus, & ipſe Liuius paulo poſt, *dediſſe id deos ſextodecimo demum anno*: de qua diuerſa loquendi conſuetudine paulo ante cõpioſius diximus. Tertium, quod hoc in loco Canneti captos ſcribit, cum ſupra Mutinæ, diuerſos opinor ſecutus auctores, vt ſæpe ſolet.

Eod. *Conſentia, Vffugum, Verga, Beſidia.*] Præter Cõnſentiam haud ſcio an vllum aliud horum nominum apud aliquem auctorem aut legerim aut repererim: oportet obſcura fuiſſe loca.

Cap.XXIII. *M. Liuius Cn. Seruilium* Coſs. *qui prior eſſet.*] Pro *prior*, alij *propior* recte legunt: & Seruilium Geminum hic innuit. Sed id quod ſtatim ſequitur *Quam ea eſſet conſultatio*: quidam pro *ea* ſubſtituerunt *quanta*, quod mihi non probatur.

Cap.XXIV. *Ad Ægimurum inſulam (ea ſinum ab alto claudit)*] Ptolemæus Ægimurum è regione ſacri Apollinis ponit, verum à Carthagine longius multò quam hæc Liuij habeat deſcriptio, quam ſimilem prope iudico Virgilij deſcriptioni libr. 1. Æneid. etiamſi Seruius commentator neget vllum in Africa eiuſmodi portum eſſe. Strabo libro vltimo calidarum aquarum etiam meminit vbi de Tunete, & Corſuræ inſulæ in medio oſtio ſinus Carthaginenſis. Et Plinius libr. 5. contra Carthaginis ſinum inſulas duas ponit. Sed in nominibus erratum exiſtimo.

Cap.XXV. *Cum ad Bagradam flumen perueniſſent.*] Strabo libro vlt. *Propter vicum* (inquit) *Bagrada amnis labitur*. Et Plin. libr. 5.c.4. *Et in altero ſinu vtica, ciuium Rom. Catonis morte nobilis, flumen Bagrada locus caſtra Cornelia, colonia Carthago, magnæ in veſtigiis Carthaginis.* Quæ verba Plinij hanc legatorum nauigationem multum iuuant. quamquam quale hoc promontorium ſit, non definio, fortaſſis autem ignobile. Apollinis tamen promontorium ponit Ptolemæus prope caſtra Corneliana, aliud ab Apollinis ſacro. Hæc lectori iudicanda ſunt, quemadmodum de quinqueremi legatorum, de qua antea cum mitterentur, nihil dixit: hic cum redeunt, meminit.

Eod. *Ad Leptim appulit claſſem.*] Et paruam Leptim, & alteram, quæ Neapolis quoque dicitur, Ptolemæus tradidit: Plinius item lib.5.cap.4. Ego hîc de parua potius intelligo, quæ propior adrumentum erat, quo paulo poſt veniſſe Hannibal dicitur, ad eam poſt aduerſam illam pugnam rediſſe.

Cap.XXVI. *Quaternis æris vicatim populo deſcripſerunt.*] *Quaternis æris* in modios intelligendum, vt libro primo, de bello Maced. ſub finem vbi conſules creantur, *Binis æris* (inquit) *in modios populo diuiſerunt.* Eadem locutio eſt eodem libro non ita longe ab initio, vbi Coſs. quoque creantur. Quamquam ſi modius tertia pars eſt amphoræ, vt Budæus ex Ciceronis frumentaria oſtendere conatur, video magnam vtilitatem, non tamen donationem.

Eod. *Superauit paternos honores, auitos æquauit.*] Credo Liuium ita exiſtimaſſe, parentem huius Fabij fuiſſe Fabium Gurgitem, qui Coſs. factus eſt ad finem lib.10. ab Vrbe cond. Auum autem Fabium *Rutilanum*, qui magiſter equitum fuit Papyrio Curſore, vt ad finem lib. 8. quamquam illíc eum Liuius *Rutilianum*, vt Valerius Maxim. appellat, hic *Rullum*, vt Plutarchus etiam. Porro idem Rullus Maximi cognomen primus meruit ad calcem lib.9. ab Vrbe condita referente Liuio. Plutarchus autem hunc Fabium, de quo in hac decade, Verrucoſum nominat: atque ita quoque Plinius. Addit Plutarchus, hunc quartum fuiſſe Fabium cognomine Maximi. Sit igitur Rutilianus ſiue Rullus primus, Gurges ſecundus, de tertio dubitatur. At ego puto Q. Fabium Max. Pictorem Coſs. anno 484. ab Vrbe condita, quamquam nihil aſſeuero. Quod ſi Gurges Verrucoſi parens fuit, vt videtur ſentire Liuius, in ſenectute eum genuit. Nam à Gurgitis priore conſulatu vſq; ad Verrucoſi mortem, prope nonaginta intercedũt anni. Quamquam Valerius Max. libr.8.cap.14. ad ſeculi modum huius Fabij ætatem ducit, LVII. annos auguratus ſacerdotio eius tribuens, vt propemodum adducat in Liuio, loco hoc inuerſum XLII. pro LXII. vt in præfatione quinq, decad. 4. accidit.

Cap. XXVIII. *Qui ſtatarios ſemilixas ducere exercitus ſolitus.*] Tria hic lectori conſideranda puto: quem *ſtatarium ſemilixam* vocet: cuius caſus ſit *exercitus*: denique quid hoc, quod paulo poſt ſequitur, *ducere exercitum æqualem ſtipendiis ſuis.* Ego de omnibus vehementer dubito.

Cap.XXIX. *Zama quinque dierum iter ab Carthagine abeſt.*] Plutarchus in Hannibale, hanc extremam pugnam ad Zamam fuiſſe ſcribit: Nadagaræ autem non meminit. Oportet autem aliam fuiſſe vrbem Zamam, quam quæ à Strabone libro vltimo deſcribitur, & lib.5. de bello ciuili ab Oppió ſiue Hirtio, & à Salluſtio. Plutarchus nihil de diſtantia tanta dicit. Certum eſt hîc mendum eſſe. Adrumẽtum enim vix diſtat itinere quinque dierum ab Carthagine: cum hæc Zama, vt ex his omnibus locis apparet, propinquior multo ſit, videlicet ad quam, vt Carthagini ſuccurreret, ab Adrumento magnis itineribus contendit Hannibal.

Cap.XXX. *Hoc quoque ludibrium fortunæ an caſus edide.*] Manifeſte hic deſideratur verbum: vt, *incertum eſt*, vel *dubito*, vel quid ſimile.

Eod. *Hic cernas duobus fortiſſ. viris, fratribus.*] Tres fratres amiſerat Hannibal, Haſdrubalem, Magonem, Hannonemque. Quod autem hic duos dumtaxat numeret, cum oratorie ſua augere incommoda vellet, in cauſa fuiſſe puto, vel quod Hannonem inter duces nominari non debuerit, vel quod Liuius hic alios auctores ſit ſecutus, de quibus quidem ipſe ſuperius quoque admonuit, poſt equitatum Carthaginenſium occiſum, non ita longe à fine prioris libri.

Eod. *M. Attilius quõdam in hac eadem ter. ſu. fer. qua ſic v..tor.*] Alij legunt *ſi victor, pacem petentibus dediſſet.* Sane polybius lib. 1. vehementer Attilij in hoſteis victos duritiem increpat, meritoque ipſius accidiſſe ait poſtea inſignem illam calamitatem.

Cap. xxxi. *Fruſtra verba pacata renunciant.*] Et neque hoc, *pacata*, ſane intelligo.

Cap. xxxii. *Ac liberum fingenti qua velit flectio minatur.* Dubium & hoc, ad Hannibalémne referat, an ad Scipionem. ſuſpicor corruptum.

Cap. xxxvi. *Miſſo Lelio Romam cum victoriæ nuncio.* Non ita multo poſt ait L. Veturium Philonem, & M. Marcium Rallam, & L. Scipionem cum legatis Carthaginenſib. Romam miſſos. Veturium item poſtea in concionem prodire à ſenatu iuſſum, gaudium illud ingens populo impertiſſe. Opinor itaq. rurſus huiuum memoria lapſum.

Eod. *Ipſe ad contemplandum ſitum Carthaginis.*] Alij *ab contemplato ſitu* emendarunt, & ſenſus vtcumque conſtat. Ceterum nulla appoſita cauſa quod Scipionem Vticam redire, reuocato etiam octauio, facit, rurſuſque redire Tuneta, ſuſpicionem ingerit hunc locum defectum eſſe.

Cap. xxxvii. *Obſides centum arbitratu Scipionis darent.*] Libro 2. de Bello Maced. non ita longe ab initio, ſatis apparet hunc locum numero imminutum, aut alterum corruptum. Nam eo in loco *centum* redduntur, *reliqui* autem qui adhuc retinebantur ab Norba, Signiam Ferentinumque tranſierunt, vt legati Carthaginenſium à Senatu Romano impetrauerant.

Eod. *Cum aduerſantes paci arguerentur.*] Videtur dixiſſe *arguerentur* pro *vincerentur*, aut *compeſcerentur*. Videndum tamen vt locus habeat: nam mihi quidem ſuſpectus eſt.

Cap. xxix. *Inter portus Comſanum Loretanumq́.*] Antonius Sabellicus hunc locum emendans, pro *Compſanum*, *Coſſanum* legit, quod placet: pro *Loretanum*, *Laurentinum*, quod diſplicet. Sed *Loretanum* puto portum, qui poſteriore tempore *Traianus* dictus eſt. Meminit eius Ptolemæus. *Laurens* certe ager nimis hinc abeſt.

Eod. *Ibi ſuperantem inſanos montes.*] Qui ſunt *inſani montes* Sardiniæ, non memini me legere apud vllum auctorem. In eo autem itinere quod hic fecit Claudius Cos. Ptolomæus & Erebantium promontorium, & Arcti ponit. Locus mihi ſuſpectus.

Eod. *Nec comitiorum cauſa ad vrbem reuocaretur.*] Quidam maluerunt legere, *retineretur*: nam in vrbe erat, illic manere iuſſus. Sed *reuocaretur* intelligi poteſt, ſi abiſſet, quod animo deſtinarat.

Eod. *In eius locum ſuffectus L. Galba.*] Quidam pro *L. Galba*, ſubſtituerant *Sulpicius Galba*. At is in locum Q. Fabij Max. venerat, vt ante hoc in libro teſtatus eſt Liuius. alij *C. Sulpicius Galba*, vt à Seruio Sulpicio ſit alius, emendarunt.

Cap. xl. *Cum Hannibale eſſe ſuprema cum Carthaginen. pugna.*] Deeſt hic vel diſtinctio, vel coniunctio, vel præpoſitio, *cum Hannibale, cum Carthaginen.* vix enim credo Liuium ſic locutum, nec ita ſeparare voluiſſe adiectiuum, *ſuprema.*

Eod. *Prætores M. Iunius Pænus, cui ſors vrba. one.*] Vide num hic locus integer: ſolet enim Liuius primum prætores creatos referre, deinde prouinciarum ſortem. Et genus dicendi variatum per caſus, mihi primum dubitationis ſcrupulum iniecit. Notatus præterea aſteriſco quibuſdam in codicibus inueniebatur.

Cap. xlii. *Et hercule mirandum fuiſſe ſi aliter fa.*] Quidam hic diſtinguunt, vt noua ſententia incipiat ab *Ex inſolentia*: ſed durum ſane eſt. Conſulenda itaque exemplaria vetuſta.

Cap. xliv. *Q. Luctatio. M. Manlio* Cos.] C. Luctatij & A. Poſthumij conſulum mentio eſt in oratione Hannonis lib. 3. huius belli, qui finem bello primo Punico impoſuere. Poſteriore anno Q. Luctatius & A. Manlius Coss. facti ſunt, quando pax data eſt Carthaginenſibus, quorum hic eſt mentio. Quidam impudentiſſime hoc loco pro *Q.* poſuere *C.* quia C. Luctatius ad Ægateis inſulas Carthaginenſeis vicerit. At hi alterum Cos. non item mutarunt, videlicet *Manlium* in *Poſthumium*. Et *A. Manlius* legendum, quod Manlianæ familiæ decreto cautum erat, ne quis *M.* prænomen haberet, propter *M. Manlium Capitolinum*, vt lib. 6. narrat Liuius. Porro quod continuo ſequitur, bellum hoc finitum eſſe ſeptimo decimo, Cn. Cornelio, P. Ælio Coss. ipſo auctore Liuio falſum eſſe conuincitur, qui ab initio huius libri tertium hunc annum ſextum decimum nominat. Erit igitur hic decimusoctauus.

Eod. *Neceſſe in vos odio veſtro conſultum ab Roman.*] Quid ſibi hæc verba velint, non intelligo. Si *odio veſtri* legeretur, videretur aliquis ſenſus: ſed omnino locus eſt mihi ſuſpectus.

Cap. xlv. *Militibus ex præda quadragenos æris di.*] M. Liuius huius belli lib. 8. cum neuticam tantum pecuniæ in ærarium tuliſſet, neque tanto triumpho inuectus vrbem eſſet, militibus ſexagenos ſenos æris diuiſiſſe narratur ab hoc ipſo Liuio. Quare hic legendum *quadrigenos*, pro *quadragenos*: atque ita habent quidam codices. etiamſi haud ſum neſcius Budæum libro 1. de Aſſe, *quadragenos* legiſſe. Sed hoc tunc non agebat Budæus.

Eod. *Omniq; deinde vita, vt dignum erat liber.*] Libro 8. ſequentis decados diuerſas auctorum opiniones de hoc Terentio narrabit. Sed in hanc decada ſatis dubitatum exiſtimamus, ideoque iam receptui canimus.

FINIS.

SCIPIONVM QVORVM MENTIO, APVD LIVIVM, CICERONEM, PLVTARCHVM, CETEROSQVE CLASSICOS SCRIPTORES, GENEALOGIA

per Henricum Glareanum, P. L.

QVi temporum rationem in primis ad hiſtoriæ maieſtatem pertinere arbitrati ſunt, hi mihi à vero ſcopo nihil aberraſſe videntur. Nam vt omnis incondita narratio moleſtiam confuſionémque animo lectoris adfert, ita vbi in hiſtoria deeſt temporum ordo, illico memoria vacillat, & erit fabellæ ſimilis, quæ ſcribitur, res geſta: quod olim nobis hunc noſtrum auctorem legentibus contigiſſe ingenue fateor. Sed eſt & alia res, non minus difficultatis adferens lectori, videlicet ducum magiſtratuumque; nomenclatura, nec in vlla magis quam Romana hiſtoria. Vt igitur hæ duæ res in poſterum non remorarentur ſtudioſos, pro virili in Chronologia noſtra cauimus. Hoc verò loco cum ſubit animum, in vna Cornelia gente tredecim aut plurium Scipionum mentionem eſſe apud ſcriptores, frequentius nullo adiecto cognomine, neque vllo relato tempore, ex quibus diſcrimẽ appareret de quonam auctor loqueretur, idq; etiam ſæpenumero apud Ciceronem luculentiſſimum auctorem: mirari porrò deſij, vnde tot errores, tantúmque obſcuritatis in Romanam hiſtoriam velut vno agmine irruerint. Quapropter operæprecium exiſtimaui hac quoque in re ſtudioſis non deeſſe, & vnum, ſed præcipuum exemplum, oculis ſubiicere, Scipionum familiam, aut genealogiæ particulam, vt doctiores, & quibus plus otij eſt, ad ſimilia æmulanda extimularem. Quamquam non eſt noſtri propoſiti omnes proſequi Scipiones, ſed qui præcipui. Illud enim vt non poſſumus, ita non video quid vtilitatis inde ad lectorem rediret. Ne autem in poſterum hic typus librariorum negligentia corrumpatur, hæc annotare placuit. Vt Cornelia gens patricia antiquiſſima eſt, quippe ex qua Cos. fuit anno viceſimoquinto ab vrbe liberata, Ser. Cornelius Maluginenſis, ac deinceps Cornelij plures, coſſi ac Scipiones, atque alijs cognominibus inſigniti, ita nihil præcipuum præ-

ceteris familiis ab ea geſtom reperias vſque ad ſecundum bellum punicum, quod tertia deſcribitur decade; à qoa nos Scipionum familiam ordimur, nempe à duobus illis fratribus Publio ac Cneio, qui in Hiſpaniis ſe Pœnis opponere tamquam murum pro repub. non dubitarunt. vt Cicero de his teſtatur. Publio duo fuère filij, P. & L. Publius ab Africa, Lucius ab Aſia cognomina inuenere. Cnei vero filius Naſica cognomen habuit, à qoo quinque ſequentes nati ordine, quibuſdam aliis cognominibus, vt Corculum, Serapion, qoemadmodum tradit Cicero de claris Oratoribus. Publius autem Scipio P. filius, maior ac ſuperior dictus, Hannibalem vicit. Eius filius valetudinarius Macedonici filium de Æmylia gente adoptauit, qui deinde Æmylianus, & inferior, minor ac poſterior Scipio dictus eſt, de quo apud Ciceronem maxime mentio. Lucij Scipionis fuit aliqua, vt puto, proles: nam Aſiatici cognomen his habuit, qui Cos. fuit anno ab Vrbe cond. 671. centum plus annis poſt Lucij conſulatum: ſed nobis nihil certi ea de re conſtat, ſicut nec de poſterioris Scipionis prole. Reliqua ex typo, ſed magis ex auctoribus ſciri poſſunt.

DE CORNELIA GENTE FRATRES.

ÆMILIA GENS

P. CORNELIVS SCIPIO, *Hic fuit* Cos. *anno primo belli ſecundi Punici, qui erat ab Vrbe cond. 536. acciſus deinde in Hiſpania. Huic duo fuère filij:*

C. CORNELIVS SCIPIO *cognomento Caluus. Hic* Cos. *fuit ann. 532. ab vrbe condita, ſed ſecundo bello Punico vnà cum fratre P. Scipione in Hiſpaniis occubuit.*

L. ÆMYLIVS *Paulus, bis conſul. ann. 535. & 538. apud Cannas periit ſecundo bello Punico.*

P. CORNELIVS SCIPIO *P. filius. Hic Hannibalem vicit, & Carthaginem tributariam fecit populo Romano, indeq; Africanus dictus,* Cos. *bis, anno 549. & 560. Proles eius.*

L. CORNEL. SCIP. *Hic* Cos. *anno 560. Antiochum regem in Aſia deuicit, vnde Aſiaticus dictus eſt, & ab eo prognati.*

P. CORNELIVS SCIPIO NASICA, *Cn. filius. Hic vir optimus iudicatus à ſenatu, matrem Idaam ſuſcepit, poſtea prætor in Hiſpaniis, &* Cos. *ann. ab Vrbe condita 563. in Galliis multas res proſpere geſſit.*

L. ÆMYLIVS *Paulus, Pauli filius, Macedonicus, à deuicto Macedonum rege Perſeo, bis* Cos. *anno 572. & 586. Huius verus filius fuit inferior Africanus.*

P. CORNELIVS *Scipio Africani filius. Hic valetudinarius cum eſſet, nec prolem haberet, adoptauit ſibi ex Æmylia gente P. Scipionem Æmylianum, Macedonis filium.*

CORNELIA *Gracchorum mater.*

T. SEMP. *Gracchus.* **C. SEMP.** *Gracchus. ſeditioſi Tribuni plebis.*

P. CORNELIVS SCIPIO NASICA, *qui & Corculum dictus, hic bis Conſul fuit. anno 592. & 599. & Cenſor.*

P. CORNELIVS SCIPIO NASICA, *Serapion. Hic priuatus T. Gracchum ſeditionem mouentem occidit, cum vnica fuiſſet* Cos. *anno 616.*

Adoptatio

P. SCIPIO AFRICANVS, *qui & minor & poſterior, bis* Cos. *anno 607. & 620. Hic Carthaginem tertio Punico bello deleuit, à P. Cornelio Scipione Africani filio adoptatus. Numantiam etiam in Celtiberis diruit. Frequens huius eſt mentio in Ciceronis libris: at in his quatuor Liuij decadibus nulla, poſterioribus enim vixit temporibus. Nulla, huius, vt puto, proles fuit.*

L. SGIPIO ASIATICVS Cos. *anno ſexcẽteſimo ſeptuageſimo primo. Quot autem à Lucio, qui maioris Africani frater fuit, vſque ad hunc interceſſerint Scipiones (& interceſſerunt plures) nos neſcimus.*

P. CORNELIVS SCIPIO NASICA, *Serapionis filius,* Cos. *fuit anno ab Vrbe condita 643.*

HIC DEEST NOBIS, *vnicum nomen, videlicet parentis eius, qui ſequitur, Scipionis.*

P. METELLVS SCIPIO, *Cn. Pompei ſocer. Hic bello ciuili Pompeiano in Africa periit cum genero Pompeio,* Cos. *quinque menſeis aſſumptus, anno ab Vrbe condita 702. Nec facile poſt hunc de Scipionibus quicquam memoria dignum apud ſcriptores reperias.*

IN T. LIVII LIB. XXXI. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. I. *Quam occuparint quadringenti* LXXVIII. *anni à condita Vrbe.*] Legendum LXXXVIII. *anni.* Nam vrbs Roma, auctore Dionyſio Halicarnaſſeo, condita eſt Olympiade ſeptima. Primum autem bellum Punicum cœptum eſt Olympiade centeſima viceſima nona, auctore Polybio libro primo, à quo numero ſi ſeptem ſubtraxeris, ac reliquum per quatuor multiplicaueris, euenient anni quadringenti octoginta octo. Quamquam non ſum neſcius, Dionyſium duobus ab hac ſupputatione annis differre à Polybio: ſed id non impedit hanc rationem. Quidam etiam libri in hac Liuij præfatiuncula XL. habebant pro LX. atque ita legiſſe videtur Budæus libro quinto de Aſſe: qoi error tamen in aliis emendatus eſt codicibos: at poſterior, quem hîc emendauimus, in omnibus malè habet. Ceterum æque multa volumina dixiſſe videtur, quia vtrimq; XV. id quod ex Flori epitome colligitur.

Eod. *Ceterum cœptum bellum ad. Phil. x. ferme an.*] Duodecim anni ſunt, quando incœptom bellum aduerſum Philippum, anno videlicet quinto ſecundi belli Punici, vt libro 4. eiuſdem belli citetur Liuius. At cum Ætolis factum fœdus eſt initio anni noui eiuſdem belli, à quo ſunt anni ferme decem ad hæc tempora. Videtur lapſus memoria Liuius, quamquam in re non admodum magna.

Cap. v. *Anno quingenteſimo quadrageſimo ab Vrbe condita.*] Hic locus egregie corruptus eſt, ideoque & magni nominis viros

haud immerito toſſit, inter quos Budæus eſt, noſtra ætate nonmodò Galliæ noſtræ, ſed vniuerſi orbis Chriſtiani, decus & ornamentum. At is locus ex præfatione (ſi quidem illa emendatè legatur) facile reſtitui poteſt, ad hunc modum: Si enim ab vrbe condita, ad Appium Claudium Cos. qui primus Carthaginenſib. bellum intulit, ſunt anni quadringenti octoginta octo, vt ipſi iam oſtendimus: & à primo punico ad ſecundum bellum finitum LXIII. emerget ſumma 551. annorum: quibus ſi addatur annus quo pax facta eſt cum Carthaginenſibus, erit tum hic ſequens annos quingenteſimus quinquageſimus tertius, quamquam alij quartum numerent, id quod non repugnat Liuio, quippe qui primum bellum Punicum duraſſe dicat annos viginti quatuor, deinde pacem fuiſſe cum Carthaginenſibus annos vigintitres. hoc vero ſecundum punicum bellum duraſſe annos ſeptemdecim, quos numeros ſi addideris, emergent anni non tres, vt ipſe ait, ſed quatuor ad ſexaginta, non etiam connumerato quo pax data eſt Carthagini. Ego vero in vno dumtaxat anno nullam facio difficultatem, cum Pliniana ſopputatio ab Dionyſij magna ex parte duobus diſtet annis. Quare hoc loco legendum, *anno quingenteſimo quinquageſimo quarto ab Vrbe condita.*

Cap. IX. *Quina millia L. æris ex S. C.*] *Quina millia æris* legatis dari multis locis oſtendit Liuius, vt lib. 10. prioris decadas de legatis Maſaniſſæ. Legatis tamen Saguntinorum dena millia data libro 8. eiuſdem belli, forte ob ruinam vrbis. Illa tam parua hîc acceſſio L. æris, non video quid ad rem faciat: niſi quis ſcriptum contendat *quina millia ac quingena æris, quod equidem credo.*

Cap. X. *Excitis Sallyis Jlnatibuſque.*] Pro *Salyis* quidam, *Saluuys*, quidam *Saluyis*, quidam etiam *Salaſſiis* habent, de quibus libro quoque quinto ab Vrbe condita mentio eſt. Ceterum Iluates, quorum etiam libro ſequenti meminit, in Liguria vix apud vllum auctorem inueniri puto. Ilua enim inſula eſt è regione Populoniæ in Thuſcia, de qua Virgilius libro decimo Æneidos, *Aſt Ilua trecentos Inſula, inexhauſtis chalybum generoſa metallis.* Fortaſſis autem inde cum Liguribus exciti ſunt milites.

Eod. *Vt obſiderentur, tamen priusquam expugnarentur.*] Tantum temporis fuit his, inquit, vt ad obſidionem ſe pararent, ne hoſtes tam cito expugnarent oppidum, niſi obſiderent. Prius tamen obſeſſi ſunt, quam mitti nuncius Romam potuerit. Eſt ſane ſermo non ſatis obuius.

Cap. XIII. *Tertia penſio debebatur.*] Anno belli ſecundi Punici nono, in ærarium pecunia à priuatis data erat, vt libro ſexto eiuſdem belli refert hic auctor. De ea inde anno decimoquinto eiuſdem item belli, conſtitutio facta erat, vt tribus penſionibus ea pecunia ſolueretur: primam præſentem ij Cos. qui tum eſſent, duas alteras tertij ac quinti Coss. numerarent. Anno igitur decimoſeptimo altera penſio debebatur, ſed de ea nihil meminit Liuius ſuperiore decade, vt credam in hunc dilatam annum. Debebatur igitur tertia penſio, & ſecunda nondum ſoluta erat. hic igitur pro tertia ſoluitur ſecunda, & libro deinde huius decados tertio, tertia.

Eod. *Trientius Tabuliuſque is ager.*] Quare *Trientius* appellatus ſit, cauſam ſubnectit, ſed coniectu facilem: alteram omittit, quam nec Liuio notam fuiſſe puto, alioqui etiam adiunxiſſet. Sit igitur vnicuique liberum ea de re comminiſci quod velit.

Cap. XVI. *Cypſela & Doriſcon & Serreum.*] Ita vetuſti habent codices. Quidam temere, meo iudicio, emendarunt *Nymphæum*. Nam Plinius lib. 4. cap. 11. *Serreum* montem ponit prope *Doriſcum*, vbi & *Cypſela Nymphæi* eo in loco nulla, quod ſciam, apud auctores eſt mentio. Alopeconeſum idem Plinius lib. 4. cap. 12. ait inſulam eſſe haud procul à Cœlo Cherroneſi portu. *Maditon* Ptolem. *Madi* vocat, corruptis, vt puto codicibus Herodotus enim libro 7. integre ponit, vbi & *Stentorida* lacum apud Doriſcum, ſi cui forte *Serreum* non placebit.

Cap. XX. *Vt qui neque dictator, neque* Cos. *neque prætor.*] Congruit hic locus cum eo, de quo libro octauo prioris decados diximus, vbi Scipio non impetrat triumphum, & eum abſque magiſtratu geſſiſſe res dicit, qui tamen proconſul fuerat.

Cap. XXVII. *T. Apuſtium legatum.*] *L.* Legendum, non *T.* De hoc libro tertio de ſecundo bello Pun. & hoc poſtea libro, vbi *L.* legitur.

Eod. *Indos nomen (propter al. in Aſia vr. quam op no.) vi capitur.*] Parentheſis declarat *Ilios* legendum, non *Indos*. *Ilion* quidam reſtituerunt: at haud ſcio, num quiſquam ante Vigilium *Ilion* in genere neutro dixerit. Quæ vero præcedunt oppidorum nomina, non temere reperias apud auctores.

Cap. XXVIII. *Pleuratus Scerdileti filius.*] Ita plerique habent codices, vt alius ſit à Scerdileto. quem etiam libris prioris decados vbique ſeparauit à Pleurato Liuius, præcipuè libro ſexto: niſi quis hunc alium Pleuratum credat, aut hæc, vt barbara, non admodum curæ fuiſſe Liuio.

Cap. XXIX. *Qui noua nulla re, nihil ſe noui hab.*] Ita incipit hic, vt finit. Nam fortunam nihil mutaſſe dicturus eſt: cur ipſi Ætoli mutare velint, ſe non videre. Ergo, *nulla noua re*: nihil ſe noui habere dixerunt.

Eod. *Indicitur conſilium populi Romani.*] Illod, *Romani*, ſuſpicor ab aliquo adiectum: potius adiiciendum erat, *Siculi*, quam *Romani*. Quidam emendarunt, *Judicitur concilium, prætor Romanus conuentus agi*: quod placet. Eſt autem *conuentus*, auctore Feſto, *quoties populus ad iudicium à magiſtratu vocatur*, vt hic à prætore.

Eod. *Capua quidem ſepulchrum & monumentum.*] Vt hæc verba, & pleraque ſequentia, intelligenda ſint, præter coniecturam habeo fere nihil. Prodigium quidam etiam putat dictum, vrbem peius habere, quod incolumis habitetur, quam ſi diruta eſſet.

Eod. *Per annos prope ſeptuaginta.*] Libro tertio de ſecundo bello Punico, Varro Cos. legatis Campanis loquens, *per centum prope annos* cum Samnitibus bellum pro ipſis tuliſſe Romanos ait, ſed id bellum cœpit Coss. A. Cornelio Coſſo, M. Valerio Coruino III. anno ab Vrbe condita quadringenteſimo duodecimo: finitum autem eſt anno ante quadringenteſimum octuageſimum. Quare quod hic legatus ait, veriſimilius, quam quod Varro qui omnia in maius augebat, vt ibidem diximus.

Cap. XXXIII. *Per Daſſeretiorum fines.*] *Daſſeretiorum* meminit Plin. lib. 3. cap. 23. & lib. 4. cap. 1. Meminit & Ptolemæus, vbi de Macedonia: quamquam omnes eius codices, quotquot nos vidimus, *Deparetij* habent, corrupte. etiam ij qui ex Græcis nuper emendati dicebantur.

Eod. *Ad Lyncum ſtatiua poſuit prope fla. Betum.*] Ego *ad Lichnydum* legendum puto, quod etiam libro ſeptimo prioris decados admonuit Sabellicus. Alij *Lingum*, reſtituerunt, ſed non recte, meo quidem iudicio. Ceterum de *Baro*, pro quo quidam *Aretum* habent, quidam *Athacum*, nonnulli *Beuum* reſtituerunt, nihil habeo quod certum affirmem. Ego, ſi coniectare in re tam priſca licet, ſuſpicor nomen eſſe alicuius fluuij obſcuri in Haliacmona labentis: niſi quis idipſum nomen *Haliacmon* eo reponendum putet, quippe vel apud ipſum hunc fluuium, vel non longe ab eo hæc geſta ſunt.

Cap. XXXIX. *Stuberam inde petit.*] *Stubera, Pleuuina, Bruanna, Oſphagus, Erduea,* nomina ſunt maiore ex parte mihi ſuſpecta, quamquam vetuſtate interiiſſe poterant. *Erigonij* autem amnis, qui Axium influit, eſt mentio apud auctores.

Eod. *In Elymeam ſe recepit, inde impetum in Oreſt.*] *Elyma* apud Ptolemæum nomen, ſed longe ad occidentem Macedoniæ. Liuius, quaſi ab expeditione rediens, ac rurſus in Oreſtidem impetum facturus ſit Cos. hæc narrat.

Cap. XLI. *Ciretiæ in via capiunt.*] In Ptolomæi codice eſt *Chyretia*, vbi & Gomphi. Illud *Phecadum* autem quod ſequitur paulo poſt, apud nullum inuenio auctorem.

Cap. XLV. *Abſceſſere ad Praſias (continentis.)*] *Praſiarum*, populi Atticæ, meminere Pauſan. & Stephanus, aliique plures. At hoc in loco non video quo pacto ea profectio regi poſſit, ſi *Praſias* legerimus. Videndum legendum, *abſceſſere Phalaſſiam*. Nam *Phalaſſiam* Ptolomæus in Eubœa orientali latere è regione Scyri ponit. Nec *continentis* ſimpliciter dixit, ſed *Eubœa*. & poſtea *peracta nauigatione* ducturus eſt, *Eubœam repetunt*. Fieri etiam potuit, vt in Romana hiſtoria ex locorum ignorantia in errorem inciderit.

Eod. *Inde Caſſandream petentes primo ad Mendium.*] Quidam

in Chalcidica ponit Ptolemæus, nihil adhuc locum: ſicut hic paulo poſt *Callitheras*, ille in Biſaltia ad Strymonem prope fluuium, æque nihil ad rem noſtram. *Cyphæram* autem credo Ptolemæo dici *Cyparam*. Sed commentarium non ſcribo: admonemus obiter lectorem vt his tantum det fidei, quantum merito daudum: hæc enim omnia emendare operoſum videtur.

Cap. xiv. *Quarto die in monte Cercetio poſuit caſtra.*] Plin. libro quarto, cap. 8. hos Theſſaliæ monteis *Cercetos* vocat, Ptolem. *Cercetesios*. quidam etiam noui codices *Bercetesios* habebant.

Cap. xv. *Primam vrbium Theſſaliæ Phaleriam.*] Id nominis non memini me legere in Theſſalicarum vrbium numero: etiam ſi quidam *Phaleron*, alij per *Phalaron* in Theſſalia eſſe dicant. Strabo etiam lib. 9. vbi de Achillis ditione, *Phalaræ* meminit. Fortaſſe autem quod diruta fuit, memoria excidit. De *Rhage* etiam nullam inuenio apud auctores mentionem.

Cap. xvi. *Cum ad Zamnam inſulam aſſecutus eſſet.*] Nemo, quod ſciam, hoc tractu *Zamnæ* meminit. ego propemodum auſim reponere *Zacynthum*: eſt enim inter Corcyram ac Maleam, ad quam mox peruenit.

Cap. xviii. *Nec rationem, procul à mari.*] Diſtinguendum poſt *rationem*, vt ita intelligatur: ipſe Cos. nullam hybernandi rationem cernebat, vt in locis procul à mari, & euaſtatis belli cladibus.

Eod. *Phocidis primo impetu Phanoceam.*] Πανοπεὺς δ' ὁ νῦν Φανοτεὺς, ὅμορος τοῖς περὶ Λεβάδειαν τόποις, ἡ τοῦ Ἐπειοῦ πατρίς, id eſt, *Panopeus autem qui nunc Phanoteus, vicinus iis qui circa Lebadiam locis, Epei patria.* Hæc Strabo lib. 9. Quamquam non *Phanoteus*, ſed *Phanopeus* legendum puto, reclamãtibus omnibus & Græcis & Latinis, quæ nos vidimus, exemplaribus. π enim in φ mutatum eſt, idque in principio verbi, non π in τ perhibet Strabo. Ergo *Panopea* in accuſatiuo legendum puto hoc in loco, cuius Ionicus accuſatiuus eſt Πανοπῆα apud Homerum in Bœotia. Niſi quis Liuium ab accuſatiuo maſculino Græco formaſſe exiſtimet fœmininum nomen, quod aliquando feciſſe Latinos inuenimus, vt oſtendit cratera.

Eod. *Ambryſus Hyampolisque, receptæ. Daulisia, quia.*] Duo priora hic nomina vbique obuia ſunt: quamuis Strabo loco iam dicto duas faciat *Hyampoleis*: alteram Phocenſium, de qua hoc loco intelligimus: alteram in Parnaſo monte. *Daulisiam* non temere reperias apud ſcriptores, pro quo *Daulis* quidam reſtituerunt.

Cap. xxi. *Achæi portus & dant fiduciam poſtulantibus & demunt.*] Obſcure dictum, ſed ad priora referendũ puto. Quamquam quomodo Achæi portus Romanis dent fiduciam, demãt vero Macedonibus vt quidam exponunt, non adeo planum mihi videtur. Notauit hunc quoque locum Sabellicus.

Eod. *Multo minus quæ Cliuy.*] Rectè Sabellicus *Eleuntij* reſtituit. Sed alij ante, *quæ*, poſuêre *quam*, quod mihi diſplicet. Neque enim Achæi minus curare debebant Athenienſium querelas, quam vel Elæuntiorum, vel Abydenorum.

Cap. xxiii. *Quintius à Miſnepio perſtabat.*] Nemo, quod ſciã eius loci meminit, eorũ etiam qui res Corinthiacas ſcripſere. Strabo autem lib. 8. vbi de Corintho, fontéque Pirene diſſerit, paulo poſt ita inquit: ὑπὸ δὲ τῇ Πειρήνῃ τὸ Σισύφειόν ἐστιν, ἱεροῦ τινὸς, ἢ βασιλείου λευκῷ λίθῳ πεποιημένου, id eſt, *ſub ipſa vero Pirene Siſyphium eſt, ſiue ſacellum quoddam, ſiue regale domicilium, niueo conſtructum lapide.* Quare ego *Siſyphium* legere malim. Quidam *in incepto* legunt: *Quintius in incepto perſtabat.* Sed iudicet candidus lector.

Cap. xxv. *Non Corinthus tantum liberata obſidione.*] Quidam adiecerunt, *facile*, atque ita legunt: *Non facile Corinthus tantum.* &c. quod mihi diſplicet. neque enim quicquam ad ſenſum facit.

Eod. *Cuius nomen poſt pactam cum Romanis ſocietatem.*] Miror hoc de Argiuis eum dicere, qui conſilio excelſerant, vt ipſe antea ſcripſit Liuius: niſi coactos aduerſus regem cum Romanis fuiſſe intelligamus, quod tamen nuſquam indicatur.

Cap. xxvi. *Obſides Carthaginienſium Setiæ cuſtodiebantur.* Ab initio huius libri *Signiam* ac *Ferentinum* oppida iis data ſcripſit Liuius: de *Setia* ibidem nec nihil interea quicquam.

Eod. *Aliſ. Cornelium Lentulum prætorem vrbis.*] *L. Cornelium Merulam* legendum, ſi quidem recte legitur, ab huius anni initio vbi magiſtratus creantur. Lector ipſe diſpiciat vter ex altero locus ſit emendandus.

Cap. xxix. *Claſtidium & Litubium, vtraque Ligurum.*] *Claſtidij* etiam lib. 1. de ſecundo bello Punico mentio eſt, ſed in Gallia, ſed non longe à Trebia fluuio: *Litubium* nuſquam, vt puto, reperias, ſicut neque *Celelates*, *Cerdiciatéſque*. *Iluates* inſulares noſcimus. Ligures non item, vt antea admonuimus. Quæ ideo admonemus, vt lectores etiam hoc in loco vetuſta exemplaria eo diligentius inſpiciant. Nam quædam ſunt, quæ, quantumuis vel diligentia vel ſtudio luctaris, nequaquam tamen diſcutere abſque exemplarium auxilio valeas. De me loquor quod expertus ſum, credo tamen idem aliis videri: de eruditioribus loquor. Sed ſunt quidam qui nuſquam hærent, iis tam felicibus noſtra hæc non ſcribuntur.

Cap. xxx. *In ijs Hamilcarem Pœnorum imperatorem.*] Hic aliorum, non ſuam citat opinionem, qui hoc anno, non quarto ante, vt ipſe ſcripſit Liuius, Hamilcarem occiſum tradiderunt.

Cap. xxxi. *Inde in Liguſtinos Iluates.*] Libro ſuperiore, paucis ab initio folijs, vbi de iiſdem loquitur populis. *Liguſticos* quidam emendarunt, hic omiſerunt. Vetuſtiores tamen codices aliquot, *Liguſtinos* vtroque in loco habebant: quanquam mihi non admodum placet.

Cap. xxxiii. *Nicephorium Venerisque templum.*] Strabo lib. 13. Νικηφόριον lucum ad Pergamum in Aſia ab Eumene rege plantatum aſſerit. Græci neutro genere efferunt, tametſi Strabonis quidam correctores maſculino annotarunt.

Eod. *Rhodij Pyrream, regio eſt continentis.*] Alij *Pyrrhea*, alij *Pyrrheam*, nonnulli *Peream* legunt. Ego id nominis apud auctores non inuenio. Strabo lib. 14. tranſmarinam Rhodiorum regionem appellat, nullo tamen proprio nomine. Ptolemæus eo in loco ponere videtur *Thyſcam*, ſi nomen non eſt corruptum. Plin. autem lib. 5. cap. 28. *Pyrrhon*. Niſi quis de ea *Pyrrha* intelligere velit, quæ ad oſtia Mæandri fluuij à Ptolemæo conſtituitur contra Liuij verba.

Eod. *Ab Iaſo & Bargilijs, & Euromenſium vrbe.*] Oppida ſunt Cariæ apud Ptolemæum ac reliquos claſſicos ſcriptores. Ab *Euromo* (nam ita vocat Strabo lib. 14.) *Euromenſis* etiam hic factum.

Eod. *Panopolin Byzantiis in antiquam formulam.*] Quidam *Penopolin* reſtituerunt: ſed ego ſuſpicor *Peneropolin* legendum ex Plin. li. 4. cap. 11. quæ Ptolemæo Traianopolis & Philippopolis, & Trimontium à ſitu dicitur, vt idem Plin. ait. *Penopolin* nuſquam inueniri puto.

Eod. *Tollentem nihil ſibi præter bellum relinquere.*] Pro *tollentem*, ego *volentem* legendum puto: alioqui non video quid ſenſus elicias.

Eod. *Lyſimachiam pulſo prætore & præſidio Ætol.*] Qui hæc legit, putat eum loqui de Lyſimachia in Ætolia prope Pleuronem, de qua Strabo lib. 10. At ex reſponſione Philippi ſatis apparet eum loqui de Lyſimachia ad Iſthmum Cherroneſi in Thracia.

Cap. xxxiv. *Ipſius enim Ætolis Apodeotas*] Ita in omnibus quæ nos vidimus exemplaribus legitur: neque facile inueniebam quinam illi eſſent. Tandem in Thucydidis librum tertium incidi, qui vbi de Ætolorum gente loquitur, hæc quoque habet. ἐπιχειρεῖν ἐκέλευον πρῶτον μὲν Ἀποδωτοῖς, ἔπειτα δὲ Ὀφιονεῦσι, id eſt, *inuadere*, inquit, *iubebant primum quidem Apodotos deinde autem Ophionenſes.* Sed Thucydides alio genere, alia declinatione dixit, niſi quis rectius Ἀποδώτας quam Ἀποδωτοῖς in Thucydidis codice legendum exiſtimet. Pleraque codices habent *Ætolis Græcos Apodeotas*: ſed illud, *Græcos* mutarunt alij in *Agræos*, quod ego non intelligo.

Eod. *Atque ad ea adiecit recens de exercitu quod abſe.*] Quod ſit illud *recens decretum* de exercitu, mihi non conſtat. Erat in pleriſque libris locos aſteriſco notatus, ab alijs rurſus, omiſſus nihilominus in obſcuro manente ſenſu. Ego aliquid deeſſe ſuſpicor.

Cap. xxxv. *Quintius poſtero die ad Nicæam (is enim lo. pl.)* Hæc ita refert Liuius, quaſi alium locum dicere velit. Fortaſſis autem deſideratur verbum *rurſum*, vel quid ſimile.

Eod. *A Claudio præfecto.*] Videnum *Ap. Claudio* legendum Item paulo poſt. *Rex* (inquit) *cum duobus quos pridie adhibuerat.*

in terram eſt egreſſus, qui ſint illi duo, ſcire velim, cum initio prioris diei colloquij ita habeatur. *Erant cum eo principes Macedonum, & Achæorum exul, vir inſignis Cycliadas*, vt non immerito & hunc, & præcedentes locos mutilos quis credat.

Eod. *Plus enim amitti in iis quam acquiri.*] Quid illud *in iis*, referat apud me nondum planum eſt.

Cap. XXXVI. *Littus Athonium colloquio deſtinatur.*] Vide num *ad Thronium* legendum, cuius hoc in loco cum aliis meminit Strabo lib. 9. vbi & de Nicæa. Nam de *Atho* intelligere plane ineptum eſt, quod tamen quidam ſomniant.

Cap. XXXVII. *Corinthum in Achaia rex teneret.*] Ipſe Philippus antea faſſus eſt, non Argis modo, ſed etiam Corintho ſe Achæis ceſſurum. Quare non video quid hic inuidiæ faciat, aut quare ſit Corinthus oppoſita ad picturæ oſtenſionem fortaſſis, & quia etiam reddita, rurſus occupari facile poterat in poſterum: hoc timentes ſociorum legati, eam quoque connumerarunt. Sed in legatorum reſponſo mirum ne hanc quidem nominatam.

Cap. XXXIX. *Hiezenica vocatur.*] Id nominis apud neminem auctorem inuenio. Fortaſſis autem vel *Heræa*, vel *Nemæa* legendum. at nihil aſſeuero. Quidam *Mycenica* legunt qua ratione moti mihi ignotum.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXXIII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

Hic liber acephalus eſt, ita Moguntiæ repertus. Deeſt autem pugna qua Philippus ad Cynoſcephalas à T. Quintio proconſule victus eſt, vt ex Flori epitome, & ſequentibus Liuij verbis colligitur. Pars etiam deeſt deſcriptionis vrbis Leucadis, & circa regionis Acarnaniam contingentis. Multæ hic ſunt mendæ, quas ſanare omneis abſque vetuſti codicis auxilio plane impoſſibile eſt. Conabimur tamen pro virili officium noſtrum facere, vel ſaltem indicare ſicubi hærebimus. Studioſus ac candidus lector boni conſulat.

Cap. I. *In partibus coherens Arcanania.*] Quid illud *coherens* referat, ſciri non poteſt, niſi ex prioribus quæ deſunt, coniectura autem omnibus eſt libera.

Eod. *Quod ad Cynoſcephalas pugnatum erat.*] Sentuſa vrbs eſt Theſſaliæ Pelaſgicæ, ait Strabo lib. 7. ad finem. ad eam locus eſt quidam, quem [illegible], id eſt, *Canis capita*, vocant, vbi Romani ac Ætoli, duce T. Quintio ingenti prœlio Philippum Demetrij filium & Macedoniæ regem vicere, ait idem Strabo lib. 9. ad finem. Hæc pro locorum notitia indicare viſum eſt nobis operæprecium.

Cap. II. *Galli, & Niſuetæ, & Piſuetæ, & Tamiani, & Arei.*] Galatas intelligit opinor, quorum populos (credo) aut eorum vicinos vocat Niſuetas, Piſuetas, Tamianóſque, ſicut & Laodiceni erant. Areorum in Arabia meminit Plinius lib. 6. c. 28. ad finem: quanquam longinqua ea militia videtur. Vide etiam, num *Taniani* legendum. *Tanium* enim Trocmorum oppidum in Galatia ponit Ptolem. de quibus copioſius lib. 2. huius decad.

Eod. *Læuo Acrianos locat.*] Qui ſint *Acriani* illi haud vſquam legi, quod ſciam. *Acrin* quidem oppidum eſt ſinus Laconici, ſed haud ſcio quam id quadret. Alij *Agrianos* legunt.

Eod. *Rhodia cohors dextro cornu, &c.*] *Rhodia cohort habuere*, cõiungendum. & Thraces Cretenſeſque, à dextro cornu Rhodiorum contra Acrianos, qui in ſiniſtro hoſtium erant cornu. Achæi à ſiniſtro Rhodiorum cornu contra Macedonas. quod propter ſequentia annotandum duximus, vbi dicitur Achæos *contra Acrianos* iuiſſe ſuperato torrente: legendum enim puto *contra Macedonas*: quia ſtatim poſt ait de Achæis, *numero acie mille & ipſi quadringentos loco expulere*, vbi rurſus *quingentos* legendum arbitror ex ſuperioribus.

Eod. *Bargyllas petentes.*] *Bargyli* neutro genere oppidum Cariæ omnes auctores proferunt, ſicut & Liuius ipſe lib. priore. *Ab Iaſo & Bargiliis et Euromenſium vrbe.*

Eod. *Recipi niſi aliquanta proſperam Antio. pot.*] Ita in codice Moguntino habebãtur verba. Quidam ita emendarunt: *Recipi niſi aliquanto poſt per Antiochum non potuit*. Sed parum adhuc intelligitur noſtro huic propoſito congruens. Et paulo poſt: *Ab contentu conceſſit*, inquit, *ab contentu diſceſſit*. legendum puto. Quamquam *Philippus cum adeſſet Dardanos tranſgreſſos fines regni, ſuperiora Macedoniæ euaſtare*, planus erat ſermo: ſed interiecta verba rem faciunt obſcuram, ideoque à quibuſdam prorſus amota ſunt. Et verſus ſequens obſcuram habet compoſitionem: *Se ſuoſque profligante fortuna vrgebatur.*

Cap. III. *Circa Stobos Pæoniæ.*] Ptolomæus *Stobos* Pelagonum oppidum ponit inter Axium ac Erigonem fluuios: Ergo hic legendum *Pelagoniæ*, non *Pæoniæ*. Intrauerant enim iam Macedonum regnum Dardani.

Cap. IV. *Nec Helicinas (promontorium Ciliciæ eſt.)*] Impudens mendum hoc loco: ſed pro, *nec Helicinas*, legendum eſt *Nephelida*, cuius in Ciliciæ deſcriptione meminit Ptolem. vt reliqua hic oppida apud eundem litoralia inuenies. Senſus eſt: Rhodij ad regem miſerunt legatos Nephelida. Quidam perperam emendarunt hunc locum, adiicientes verbum, *ſuperares* de ſuo: ad quem modum multa emendare poſſemus, ſi quidem id emendare, ac non potius corrumpere eſt auctores.

Cap. V. *Vxorem ac liberos duos.*] Vt nihil cauiller quam Latine hoc dicatur, *liberos duos* (nam Liuium ita locutum non credo) certe libro octauo huius decados Attalus atque Athenæus Eumenis fratres nominantur, omnes huius Attali filij.

Cap. VI. *M. Heluius eam prouinciam obtinebat.*] *M. Ælius* legendum ex priore libro, ſi quidem ibidem recte legitur, vbi huius anni eliguntur magiſtratus.

Eod. *Cum Luſitanone ſedat vr. Cardonem & Bardunem.*] Quia in vlteriore Hiſpania hæc acta ſunt, pro *Cardone Caſtulonem* libentius legerim, ac pro *Bardone*, *Betulum*, quæ ab *Caſtulone* non lõge abeſt, vt ex multis Liuij locis patet, præcipue vero libro octauo ſecundi belli punici. *Cardonis* ac *Bardonis* nemo quod ſciam, meminit.

Cap. VII. *Cuius iuriſdictio inter ciues & peregrinos.*] Libro priore, vbi huius anni prætores ſortiuntur prouincias, vrbana Sergio, peregrina iuriſdictio Minutio obtigit. Pro *M.* igitur *Sergio*, *minutio* legendum videtur: niſi inter ciues & peregrinos prætorem intelligas vrbanum, cuius erat officium recitare literas, vt ſæpe apud hunc auctorem. At poſteriore anno ſtatim poſtea ita loquitur Liuius: *Prætores deinde prouincias ſortiti L. Apuſtius Fullo vrbanam iuriſdictionem, M. Attilius Glabrio inter ciues & peregrinos.* quod ego de ſolo intelligo peregrino. Quamquam Liuius lib. 5. huius decados poſt dictum illud incendium, vbi de prætorum prouinciis decernitur, ambigue loquitur, vt vix ex hac trica nos explicemus. Sed iudicet lector.

Cap. VIII. *Et Placentini Cremonenſeſq; addiderunt.*] Hic eum ſequitur opinionem, qui hoc anno Hamilcarem Pœnum in Gallia à Coss. Cn. Cornelio ac Q. Minutio victum ſcribunt, Cremonamque obſidione liberatam, cum libro priore huius belli prætorem L. Furium purpureonem ea egiſſe ſcripſerit non expectato Cos. Cotta, qui pugnæ adeſſet. Secundo vero libro tamquam aliorum eandem recitauit victoriam.

Eod. *Tulit in triumpho ducenta triginta ſeptem millia quingentos.*] Si vltimus numerus bene habet, ego *ſeſtertios* intelligam. At Liuius frequenter æris ſummam initio ponere ſolet, quare & æris numerum intelligere poſſumus. Illud autem argenti bigati de denarijs intelligo, ex Plinio libro trigeſimotertio.

Cap. IX. *Coſſanis eo die poſtulantibus vt ſibi color. num. aug.*] Sæpe antea de hoc nomine admonuimus, dubium eſſe, de quanam loqueretur vrbe: *Coſſe* enim in Hetruria. *Compſa* autem vbi Beneuentum. Ceterum hi ſiue *Coſſani* ſiue *Compſani* dicendi, hoc in loco impetrarunt quod à ſenatu negatum erat initio libri ſecundi huius decados.

Eod. *Qui poſt L. Cornelium & T. Sempronium Cos. hoſtis fuiſſet.*] Legendum, *qui poſt M. Cornelium & P. Sempronium*. Intelli-

git

Digitized by Google

gitautem Coſs. anni decimiquinti ſecundi belli Punici. vult igitur eos, qui his octo annis veniſſent in amicitiam cum Romanis, cum ante hoſtes fuiſſent, non adſcribi in colonorum numerum. Tot enim ſunt ab his Coſs. anni. Hos errores tam faciles correctu, nemo animaduertit.

Cap. x. *Sexaque ab ædilibus curulibus Cornelio Scipione, & Cn. Manlio Volſone.*] Multi hoc tempore Cornelij Scipiones erãt. De Africano qui Coſs. fuit, vix hoc intelligo, ſed de eius fratre Lucio. Sed iudicet lector.

Eod. *Cn. Sempronium Tuditanum proconſulem in citeriore.*] Priore libro, vbi & anni prioris magiſtratus creantur, *Cn. Sempronius*, non *C.* legitur: & idem *prætor*, non *proconſul* dicitur, quare vtrumque hic corruptum.

Eod. *Satis iam ante diuidere eſſe.*] Quid ſi legeretur, *ſatis iam ante decretum eſſe*? vt alludat ad hanc concertationem, quæ fuit prioris anni initio, inter Coſs. ac tribunos plebis, L. Oppium & Q. Fuluium. quamquam ego defectum eſſe puto. Quidam abiiciunt prorſus, qua ratione moti, haud equidem intelligo.

Eod. *Bellum in Hiſpania quinto poſt anno eſt quam ſimul.*] Senſus eſt, bellum in Hiſpania quinto ante anno, quam ſecundum bellum Punicum finitum. Idque verum. Nam P. Cornelio Scipione, & P. Licinio Craſſo Coſs. L. Lentulus & L. Accidinus cum Indibili ac Mandonio Hiſpaniæ regulis vltimo conflixêre, anno decimooctauo eius belli. Decimooctauo autem anno Punicum prorſus finitum eſt, ac deinde ſequenti anno cœptum Macedonicum. Quare ego hunc locum ita legerem: *Bellum in Hiſpania quinto poſt anno, quam ſecundum bellum Punicum finitum eſt.* Sed & hoc lector diſpiciat. Quidam ita emendarunt hunc locum: *Bellum in Hiſpania quanto poſt anno exortum eſt, quam ſimul cum Punico bello fuerat finitum*, quod ego non intelligo.

Eod. *Tuſco vico atque Intemelio per portam Capen.*] Liuius libro ſeptimo ſecundi belli Punici vbi de ſacro Iunonis reginæ Tuſci vici mentionem facit, *Ab æde* (inquit) *Apollinis boues feminæ duæ albæ porta Carmentali in vrbem ductæ, à porta iugario vico in forum venere: inde vico Tuſco Velabroque per boarium forum in cliuum publicum atque ædem Iunonis reginæ perrectũ.* Libro autem quarto eiuſdem belli de incendio Romæ facto, ita habet: *Solo æquata omnia inter Salinas ac portam Carmentalem cum Æquimelio iugarioque vico.* Libro denique quinto belli Macedonici, è Capitolio ſcribit ſaxum ingens cecidiſſe in vicum iugarium. Ex his locis lector videat num huic loco mederi queat. Nam ego *In temelium* quid ſit non memini me legere: ſed neque *Melium* vt quidam *inde Melio* legunt.

Cap. xi. *Iiſdem diebus Cornelius Lentulus.*] Hunc puto *L. Cornelium Lentulum* qui Coſs. fuit anno ſecundo huius belli, cuique prorogatum imperium anno tertio. Anno autem quarto Cn. Sempronius prætor factus citerioris Hiſpaniæ, Ælius vlterioris. Sed de hoc ad finem libri primi huius decados. Porro quod ſubiungit, *Ex S. C. vrbem eſt ingreſſus*, deeſſe puto vel *ouans*, vel *triumphans*. Nam de Stertinio ſtatim ſubnectet, *Stertinius ex vlteriore Hiſpania, ne tanta quidam triumphi ſpe.* Sed iudicio lectoris hoc committo.

Cap. xiv. *Fuga comitum & quiritatio facta.*] Ecce quiritatio de Græcis, quaſi illi in neceſſitatibus Quirites clamarint. ſed Liuius Romanis hæc ſcripſit. Eſt etiam exemplum, non tam anxie auctores ſemper locutos, vt quidam ſuperſtitioſi obſeruant.

Eod. *Has qui tulit literas, iuſſit Zeuſippo.*] His verbis ſatis indicatur alij ſermo datas literas, non illi ſuſpecto, cum tamen antea totius internuncius & miniſter rei ſit dictus, & per quem res ad iudicium ſit protracta.

Eod. *Et Zeuſippus quidem fu. ſer. motus Autenorem.*] *Anthedonem* legendum, quod eſt oppidum litorale Bœotiæ.

Cap. xv. *Zeuſippum principem gentis id facinus.*] Verba ſunt aliquot libris aſteriſco notata, atque per admirationem dicta videntur: qualia multa apud idoneos auctores ſimilia. Poteſt etiam defectus aliquis hic eſſe, vt plane ſuſpicor.

Eod. *Ac qui impetraſſent pacem Bœotis.*] Quidam *ac qui*, mutarunt in *ac ni*, quaſi Achæos Athenienſeſque minatos Imperatori Romano, niſi daret Bœotis pacem, ſe rebellaturos ac auxilio Bœotis futuros: quod neſcio quam ſit credibile id auſos poſt Philippum tam memorabili victum pugna. De Bœotis minus mirum, qui de ſtupiditate etiam prouerbiis male audierunt.

Cap. xvi. *Liberas eſſe Decianorum libertate.*] Non memini vſpiam me hoc verbi legere. Fortaſſis autem decem legatorum à ſenatu Romano miſſorum datam libertatem intelligemus.

Eod. *Triginta quaterna millia pondo & ducenta.*] Vectigal præceſſit, præſens pecunia ſequitur. Hæc ſumma in medio quid ſibi velit, haud equidem ſcire poſſum.

Cap. xviii. *Theſſalos, Perrhebios, Achæos, Thietas.*] Quia vltimum nomen haud dubie corruptum eſt, pro duobus vltimis quidam *Achæos Phthiotas* repoſuerunt: ſed neutiquam ſatis ita ſanatum eſt hoc vulnus. Nam multa hic nomina omiſſa ſunt, quæ abſque fide vetuſti alicuius codicis reſtituere non poſſumus.

Cap. xix. *Hoc ſpe concipi, audacis animi fuiſſe.*] Et hæc verba corrupta ſunt, ſed vtcumque reſtituta in aliquot libris. At obſcuritas eſt in verbis his quæ non ita multo poſt ſequuntur, *Abſtineret liberas omneſque Græcas.* Item quæ rurſus aliquot interiectis verſibus ſequuntur, *Phocenſes, Locrenſes, & ſicut antea fuerant adiecta decreti auctoritate, his contribuerunt*: neque enim hi duo populi Ætolis contributi ſunt opinor.

Cap. xxi. *Phylaicum appellant.*)] Quidam *Phylacum* emendarunt, fortaſſis autem *Phylacen* legendum, de qua Strabo lib. 9. aliquot meminis locis. Et paulo ante de Philippo *bellandum* legitur, vide num *rebellandum* ſit legendum.

Cap. xxii. *Marcellus Pado confeſtim traiecto.*] Non eſt dubium quin hic deſideretur verbum: quare hunc locum ita legerem: *Marcellus Pado congeſtim traiecto in agrum Comenſem, vbi Inſubres, Comenſibus ad arma excitis caſtra habebant, legiones induxit, quæ ſtatim in ipſo itinere prælium commiſerunt.*

Cap. xxiii. *Lebos Libnoſque.*] Quidam pro *Lebor* emendarunt *Lenos.* Sed neque illud clarum, vt neque ſequentia verba, *Redeuntes inde Ligurum extremo fine.* Hæc mihi in hoc notantur, quod videam à quibuſdam tranſmiſſa tanquam clara, cum ſint nimium obſcura.

Eod. *In pedites ſingulos dati octingenti æris.*] *Octogeni* aut *octogini* legendum puto, eum ſupra Cn. Cornelium qui de iiſdem Inſubribus, ac præterea Cenomanis triumphauit, *ſeptuagenos* æris militibus diuiſiſſe dicat, eſſet antẽ nimis magnus exceſſus. Talia leuiter noſtra ætate curant qui auctores emendandos ſuſcipiunt, cùm in his, meo quidem iudicio, maxime vigilandum, ſi quidem hiſtoriæ conſultum per nos videri volucrimus.

Cap. xxiv. *Terreſtreis copias ad Abydum traiicit Cher.*] Abydus Helleſponti quidem vrbs, ſed non in Cherſoneſo: Itaque hoc loco pro, *ad Abydum*, legendum *Madytum*, cuius etiam libro primo huius decados mentio eſt, ante Abydenorum caſum, quemadmodum ibidem annotauimus, vt ita legatur: *Terreſtreis copias Madytum traiicit Cherſoneſi vrbem.* Quidam emendarunt, *ab Abydo* non attendentes quæ ſequuntur verba, *Cherſoneſi vrbem.* haud dubie eum nominaſſet eam.

Cap. xxvi. *In Europam traieciſſe, fuerit, qui victo.*] Maxime obſcurum hunc locum facit interiectum verbum *fuerit*, nihil prorſus ad ſenſum faciens. ſed hercule deeſt aliquid.

Cap. xxvii. *Et Antiochus ſuam fore Ægyptum ſi tum occaſio.*] Legendum puto, *ſi tum occaſioni non deeſſet.* Sed iudicet lector.

Eod. *Cypri nihilominus cum Chelidonium promon.*] Chelidoniæ inſulæ ſunt in confinio Lyciæ ac Pamphyliæ, in Cypro autem nullum eius nominis promontorium: quare diſtinguendum poſt *nihilominus*, hoc ſenſu: Nauigandi quidem in Ægyptum omiſſum concilium eſt, Cypri non item: nam tentare in animo habebat, vt ſequentia indicant; ſed tempeſtate afflictus omiſit. Quamquam huic loco aliquot verba deeſſe opinor.

Cap. xxviii. *Tritici decies centum millia binis æris.*] Non eſt mihi dubium quædam hic deſiderari verba. Nam verbum *diuiſerunt* nominatiuum non habet certum. Sex prætores erant, quorum poſtremos ædiles curules fuiſſe puto, vt libro ſecundo huius decados non ita longe ab initio, vbi Coſs. creantur Sex. Ælius Pætus, & T. Quintius Flaminius: ac libro primo ad finem, vbi Coſs. L. Cornelius Lentulus, ac P. Iulius Appulus, prope ſimiles dicendi modos, ſed clariores, reperies.

Eod. *Domitius Ænobar. & C. Scribon. multos pecuarios ad populi iudicium adduxerunt.*] Memini olim me ex D. Eraſmo Roterodamo audiſſe, Liuium hoc in loco *abigeos* per *pecuarios* intelligi voluiſſe, quod ſtatim meminerit Fauni, pecorum ſiue agreſtium numinis, vt appellat Virgilius libro primo Georgicorum. Porro quod ſtatim poſt ſequitur, *Ædem in inſula Fauni fecerunt*: vide num legendum, *ædem Fauni in inſula fecerunt.* Inſulam autem Tiberis intelligo, de qua libro ſecundo ab Vrbe condita non ita longe ab initio meminit Liuius.

Cap. xxix. *Quem Q. Fabius habuerat.*] Vbi prætoris anni magiſtratus creantur, in hoc adeo libro, Qu. Fabius Buteo prætor bis nominatur, cui in ſorte Hiſpania vlterior euenerat. Pro *P.* igitur legendum *Q.*

Eod. *Ducenti peditum & quingenti equi. ex Gall. exerci.*] Hic peditum numerus nimis conciſus eſt, ſi ad équites comparaueris. Tum id, *ex Gallico exercitu*, obſcurum. Niſi dicamus exercitum Gallicum, quem Coſs. Valerius aduerſus Gallos ductus erat.

Cap. xxx. *Quod C. Cornelius Mammula prætor.*] Hic prætor lib. 2. de ſecundo bello Punico M. Æmylius nominatur.

Eod. *Se ad Turbam oppidum cum Budare & Beſaſide.*] De citeriore Hiſpania nunc loquitur: nam vlterioris regulos M. Ælios prætor ſuperius nominauit Culcam & Luſcionē. Quanquam quis cum iis finis belli fuerit, non explicauit Liuius, vt de his prope ſit ſuſpicio, eoſdem eſſe, & corrupta eſſe nomina. Porro *Turbulam* oppidum in Baſſetanis longe vltra Iberum flumen ponit Ptolemæus, vt neſciam quam hic quadret. Sed comparet hæc ſtudioſus lector.

Cap. xxxi. *Audirentur maiores.*] Quidam *audirentur*, in *audirent* mutarunt. At ego poſt *audirentur* diſtinguendum puto, & quæ ſequuntur verba, corrupta non dubito, quamquam ſenſus manifeſtus eſt, maioribus natu viſum eſſe, Nabidis cauſam reiiciendam ad Quintium: ac Antiochi, Hannibalis, Carthaginenſiumque, non item.

Cap. xxxii. *Idem pro nihilo habuit.*] Illud *idem*, plane oſtendit hîc aliqua deeſſe verba. refert autem quæſtorem, & neque cauſa dicitur, quare Hannibal prætor quæſtorem ad ſe vocarit.

Cap. xxxiv. *Poſtera die mare inter Antillam Thapſumque*] *Mane*, non *mare* legendum, *Acyllam*, non *Ancillam* cuius, oppidi meminit Hirtius libr. 5. de bello ciuili. Ptolem. ac Strabo *Achollam* vocant, prope Thapſum. Quidam pro *Acylla* ſatis temere *Adrumentum* contra exemplariorum fidem repoſuerunt, cum Ruſpina & Leptis parua mediæ ſint vrbes. *Suam* autem *turrim*, quid ſit, haud equidem intelligo: ſicut nec qui precedit, *Vocanum agrum.*

Cap. xxxv. *Ne his debere impune eſſe.*] Quid referat illud *his*, obſcurum eſt, ego aliqua verba deeſſe puto.

Eod. *Ad Dapinea celebrantem.*] Hoc iidem recte emendarunt, *ad Daphnen.* Eſt autem vrbs 40. ſtadiis ab Antiochia diſtans ad Orontem fluuium, vt auctor eſt Strabo lib. 16. qui ideo eam Antiochiam ἐπὶ Δάφνῃ vocatam ait. Plinius item libro 5. cap. 25. *Intus ipſa* (inquit) *Antiochia libera Epidaphne cognominata.* Hæc velut leui brachio, ſed non abſque tædio tamen, in hoc fragmentum annotari placuit: quamquam id vehementer optamus, tam pure aliquando prodeat, vel totus Liuius, vel hic liber, vt his meis coniecturis non ſit opus. At ita habent literarum negotia, vt nulla doctorum quamuis ſedula ac diligēs opera ſatisfit vel vni corruptori. Adeo in errores prona eſt humana imbecillitas.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXXIV. HENRICI GLAREANI

LORITI ANNOTATIONES

CAP. I. *Ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet.*] Secus nobis tradidit Liuius libro 6. de ſecondo bello Pun. Coss. enim M. Marcello IIII. ac Valerio Læuino II. vbi priuati conferunt pecuniam, vxori, filiæve ſingulæ vnciæ auri relinquebantur, & pondo argenti. Hic autem non licuit plus ſemuncia auri vllam habere mulierem, lege Oppia. De qua lege ne vnum quidem verbum feciſſe Liuium libro 3. eiuſdem belli, quando Q. Fabius ſuffectus poſthumio, cum Sempronio fuit Coſs. anno quarto eius belli, admodum miror. Quare videat lector, vter ex altero locus ſit emendandus. Deinde vtrum Liuium memoria lapſum, an diuerſos vtroque in loco ſecutum auctores (vt ſit ſæpe) credamus.

Cap. IV. *Et liberos tuos inexorabiles.*] Dubium ex prioribus ne pendeant hæc verba, an ex ſequentibus. Quidam etiam de ſolis puellis, non pueris intelligi contendunt, quod equidem neſcio.

Cap. VI. *Quid vetus regia lex?*] Quidam codices habebant, *num vetus lex*, quod non diſplicet, ſed vtrumque intelligitur. Dicere enim vult, legem Oppiam neque veterem regiam eſſe legem, quas multas à Romulo latas Dionyſius refert; neque à Decemuiris proditam. Exemplum autem matronarum quod de Capitolij obſidione paulo ante refert L. Valerius, à Liuio eo anno non habetur libro quinto ſed quarto ante anno, hoc eſt proximo poſt Veios captos, ab Vrbe condita 360.

Eod. *Tali tempore in luxuria & ornatu matronæ.*] Hæc niſi ironia graui pronunciata intelligamus, interrogatiue legenda videntur. Vult autem aduerſiis Catonem oſtendere, non ob luxum ac ornatum immodicum matronarum coercendum, hanc latam legem, ſed miſeria ac inopia, quod hiſtoria eius temporis probat, cum in tanto luctu tum matronæ fuerint, vt Cereris etiam ſacrum intermiſſum: vnde & ſenatum iuſſiſſe intra xxx. dies finiri luctum.

Cap. VII. *Scilicet ſi legem Oppiam abrogaueritis.* Hæc,] contra atque præcedentia, quia per ironiam dicuntur, meo quidem iudicio, venuſtiora erunt, ſi enunciatiue abſque interrogatione legantur: habebunt enim plus gratiæ.

Cap. IX. *A Phocæa, vnde & Maſſilienſes.*] Admonuimus etiam libro quinto ab Vrbe condita hoc in loco recte legi *à Phocæa*, cum illic perperam in omnibos quotquot nos vidimus exemplaribus, legatur *à Phocide*, quæ regio Græciæ eſt, vnde adagiū Φωκαίων, ſiue Φωκικὴ ἀπόνοια, id eſt, *Phocenſium deſperatio*: cum Phocæa, à qua vrbe & hi & Maſſilienſes orti, ſit in Æolidæ Aſiæ: vnde adagium alterum Φωκαίων ἀρά, id eſt, *Phocenſium execratio.* In Latinis feſellit *Phocenſis* à *Phocide*, & *Phocaenſis* à *Phocæa.*

Cap. X. *Eodem tempore Heluio deſcendenti ex vlterio Hiſpan.*] Pro *Heluio*, alij libri habebant, *Helio.* At in literis facile erroris accidere poteſt, vt *M. Ælium* mutarint in *Helium*, deinde aliquis ex *Helio* fecit *Heluium*, *M. Ælius* fit prætor vlterioris Hiſpaniæ anno quarto huius decados, non ita longe à fine libri ſecundi, vbi tamen *Heluius* quidam legunt.

Eod. *Cum prouincia qurque ſucceſſori Q. Minutio.*] Vlterior Hiſpania, in qua anno huius belli IIII. prætor fuit M. Ælius, vt iam diximus, anno quinto obuenit Q. Fabio Buteoni: at Q. Minutio citerior. Quare M. Ælij ſucceſſor non fuit Q. Minutius, ſed Q. Fabius. Et Q. Minutio in citeriore Hiſpania P. Manlius ſucceſſit, vt poſt hanc quæ iam ſequitur pugnam, ipſe fatetur Liuius. Fieri autem potuit, vt Liuius in re non admodum magni momenti lapſus fuerit memoria, videlicet in tanta rerum geſtarum mole: & fortaſſis dum Q. librariis errorem fecere.

Ibid. Et Oſcenſis argenti CCLXXVIII. *millia.*] *Oſca* vrbs eſt Ilergetum apud Ptolemæum in Hiſpania, vbi videntur fuiſſe argenti fodinæ. Ceterum id argentum meliuſne fuerit alio argento, an peius, mihi non conſtat. Certe quæ hic ponitur ſumma, ſi Budæana ſupputatione in ſingulas libras decem ſtatuamus coronatos, in immenſum creſceret, quare numerum ſuſpectum puto, aut non libras intelligendas: quod equidem magis crediderim. Sed iudicet lector.

Cap. XIV. *Ab dextro latere hoſtium circumduci iubet.*] Illud *ab dextero latere hoſtium*, male quidem tinnit, intelligitur tamen. Nam circum latus hoſtium dextrum, duæ hæ miliæ cohortes venerunt ad tergum ſiniſtri cornu hoſtium, qui premebant dextrum Romanorum cornu.

Eod. *Ægre Romanus reſiſtebat.*] Quidam *Romanis* emen-

Digitized by Google

darunt, quod neſcio vt placeat, propter ſequentia proxime verba. Sed ſic etiam *reſiſtebatur* emendandum, vt ſit ſenſus, à ſiniſtro cornu hoſtium ægre Romanis reſiſtebatur, quod & à fronte barbari vrgerentur, & inſtanteis cohortes pauidi reſpicerent. Quamquam clarior erit ſenſus, meo quidem iudicio, ſi *à ſiniſtro cornu* noua incipiatur ſententia, & cohorteis Romanas intelligamus, quas Cato miſerat in terrorem ſiniſtri cornu hoſtium, ab dextero tamen eorundem latere ductas. Item quod continuo ſequitur, *Et emiſſis ſoliferreis Phalaricisque* quidam pro *&* legunt *vt*, Ego pro *emiſſis*, legendum puto *omiſſis*. *Soliferreum* autem teli genus, totum ferreum. *Phalarica* autem quid ſit, ipſe Liuius libro primo de ſecundo bello Punico in oppugnatione Sagunti elegantiſſime deſcribit. & Veget. lib. 4. cap. 18. Quamquam hic magis quadrat ea ſignificatio, qua hoc verbo vtitur Virgilius libro 9. Æneidos, vbi Turnus Bitiam ſternit, ab altera haud dubie deducta: poterant enim multi generis eſſe.

Cap. xv. *Et ipſe inter equites ſparo percutit.*] Seruius in Æneidos librum, ad hoc Virgilij carmen:

Agreſtiſque manus armat ſparus.

Bene agreſtis, inquit: *nam ſparus eſt ruſticum telum in modum pedi recurnum.* Saluſtius in Catilina: *Sparos aut lanceas, alij præacutas ſudes portare.* Hæc Seruius. Nomen adhuc manet in Celtica lingua, qua etiamnum Heluetij vtuntur. Quod ideo admonemus quod quidam in hunc locum ita ſcripſit: *Sparum genus eſt lini in Italia frequentis, cuius caule, ſicut viribus, cædebantur milites liberi* quaſi idem ſit ſparum ac ſparus.

Cap. xvi. *Bergiſtanorum ciuitates ſeptem.*] *Bergiſtani* qui ſint, non memini me legere. *Bergidium* oppidum bis ponit Ptol. ſemel in citeriore, iterum in vlteriore Hiſpania. Sed lector videat vt hic quadret. Sane apud hunc auctorem, quod ſæpe nũc teſtati ſumus, locorum nomina, pleraque corrupta videntur. Quamquam fieri potuit, vt tot elapſis ſeculis multa fuerint mutata nomina, vt paulo poſt de Segeſtia quoque ſuſpicor. Vix Turditani atque Celtiberi noti, nec tamẽ illi quidem ſatis apud poſteriores definiti ad antiquam deſcriptionem, tantum abeſt, vt vbi Seguntia cuios paolo poſt mentionem faciet, olim fuerit, certo demonſtrare queamus.

Cap. xix. *Priuatis induciis ingredientes.*] Non video quomodo hæc oratio per participium ſuſpenſa, non aliquid deſideret. Sed iudicet lector.

Eod. *Defecere ad eum Sedetani, Auſetani, Sueſſe.*] *Sedetanos.* vt ſuperiore etiam decade teſtati ſumus, putamus à Plinio Ptolemæoque dici *Edetanos*. *Auſetani* in quibuſdam codicibus, *Anxetani*, in quibuſdam *Authetani*, ſed librariorum errore, vt puto nominantur. *Sueſſanos* libro quinto decados ſuperioris cum Indibili regulo nominat: libro autem octauo eiuſdem, *Sueſſitanos* populi Romani amicos facit. Idemne ſit populus, haud equidem ſcio. *Lacetanorum* autem meminit Cæſar libro primo de bello ciuili, vbi & *Auſetanorum*. Mirum vero quod *Lacetanorum* oppidum longitudine latitudineque deſcriptom non nominet hoc loco Liuius.

Cap. xxi. *Confeſtim inde victor ad Vergium ducit.*] Ita omnes habent codices, quos non vidimus: ſed *Vergetanos* neſcio vbi inuenias in Hiſpania.

Cap. xxvi. *Qui circa Cylarabin gymnaſium.*] Pauſanias libro 2. vbi de Argis. Cylarabin Stheneli filium regem Argiuorum fuiſſe dicit, & gymnaſium quoque eſſe Argis ab eo nominatum. In multis codicibus perperam legitur *Cyralabin*. Sed in hoc nomine quod ad *l* vel *r* attinet, contrarium accidit quod in *Sthenelo* & *Caralibus*, pro quibus vulgus *Sthelenum* ac *Calarim* dicit.

Eod. *Tertio die ad Carrbias poſuit caſtra.*] *Caryæ* vnico *r*. & ſequente *y*, legendum arbitror ex Pauſaniæ libro tertio, qui in Laconia locum Dianæ ac Nympharum eſſe ſcribit. Quamquam id lectorem moratur, quod hic expectare ſociorum auxilia velit, priuſquam hoſtium intraret agrum, vt *Caryæ* in Laconum agro non apte videri queant: vnde quidam *Caphyæ* legendum putarunt, quæ in Arcadia ſunt, vbi & Tegea. cuius hic quoque mentio: ſed ego temere non mutauerim.

Cap. xxvii. *Illotum deinde quidam.*] *Ilotarum* quidam emendarunt & recte. Sunt autem quos *Helotas* Strabo lib. 8. vocatos ait. Diphthongus *ει*, id diſcriminis fecit, nunc in *e*, nunc in *i*, Latinis verſa oſtendunt Λίμναι ac Θάλασσα. Ceterum apud Græcos aſpirationem habet, ſiue ἀπὸ τοῦ ἕλους veniat, vt Strabo ſentire videtur quodam in loco, ſiue ἀπὸ τοῦ ἕλω, vt aliis quibuſdam placet.

Cap. xxviii. *Ad Sellaſiam ſuper Eurotam.*] Polybius lib. 2. non ita longe ab fine, vbi hanc deſcribit pugnam, vocat hunc locum *Sellaſiam*. Meminit & in Laconicis *Sellaſiæ* Pauſanias. Ceterum Polybius *Sellaſiam* in regionem Laconicam aditum ait, & ei loco duos imminere colleis, Euam & Olympum. Viam autem inter hos mediam eſſe, quæ per ripam profluentis fluminis ducat Spartam. quo in loco fluminis nomẽ omiſit, quod ſi Eurota fuiſſet, haud dubie poſiturus. Ideoque alij legunt, *ad Sellaſiam ſuper Oenuntem*, pro *ad Sellaſiam ſuper Eurotam*. quamquam Polybius poſt paulum Gorgili fluminis meminit, haud procul ab eo loco.

Eod. *Sub ipſas Mænali montis radices.*] Omnes Mænalum Arcadiæ cum oppidum tum montem ponunt, quare videndum num recte locus habeat. hic enim de Sparta loquitur. Fortaſſis autem *Taygetum* ſcripſit Liuius. Neque enim iam in Arcadia erat Quintius, & ipſe ſtatim Taygeti mentionem facit. Sed lectoris eſto iudicium.

Cap. xl. *Nabidis dom. ſatellitem factum tribunum mil.*] Vide quem Ætoli appellent hoc nomine. Quintiumne per cõtemptum, cum eſſet procoſ. an alium quempiam. Alij legunt, *factum Rom.* Porro de eo quod ſubiungit Liuius, *ſunt qui non ex oppido proficiſcentem bellum geſſiſſe tyrannum tradant*: multi dubitant, qui fieri potuerit vt caſtra ſua Nabis aduerſus Rom. caſtra poneret, ſi ex oppido non fuerat profectus. Sed fortaſſe aliqua deſunt verba.

Cap. xli. *Prætoria inde com. ha. creati P. Cornelius Scipio.*] Quia P. Cornelius Scipio Africanus hic Coſs. factus eſt, huic alteri Scipioni addendum erat, vt puto, vel *Cn. filius*, vel *Naſica*, vt libro quinto non ita longe ab initio, ac libro ſexto prorſus initio, ac deinceps ſæpe additur vbi minor cauſa quam hoc loco vrgebat. Idem quod ſtatim ſubiungitur, *T. Iuuentius Alua*, quidam *Culua* emendarunt. Ceterum in Plinio libr. 7. cap. 53. quidam *Talpa*, quidam *Talua* legunt, tanta eſt in hoc cognomine varietas.

Cap. xliii. *Q. Pleminius qui propter multa in deos ho.*] Hunc Pleminium lib. 9. præcedentis decados ante iudicij diem in vinculis mortuum tradit Liuius. At Licinium hæc ſcribere, quæ tamen hic Liuius tanquam oblitus eorum quæ antea dixerat abſque auctore nunc prodit.

Cap. xliv. *Deduxere triumuiri T. Semp.*] Dubium an hi in Campaniæ tantum oppida, Puteolos, Vulturnum ac Linternum, an etiam Salernum Buxentumque, illud in Picentinis, hoc in Lucanis oppidum, colonos duxerint: neque enim veriſimile eſt his poſterioribus agrum Campanum diuiſum cum prioribus eſſe. Certe alteris deeſſe ſui videntur ductores, atque ita aliquot verbis defectum eſſe. Ceterum *M. Heluius* hic rurſus legitur, de quo ſæpe in prioribus. Omiſſi & paulo poſt triumuiri Tempſæ. Quidam ad *L. Cornelium Merulam* adiecere *C. Salonium*, ſed nihilominus tertius habes: quæ omnia ſanare nobis abſque vetuſto aliquo exemplari non videbatur poſſibile, quamquam res eſt haud magni momenti.

Cap. xlv. *Boiorum res tum regulus eoru.*] Idem dico de hoc loco. nam quis ita loquitur, *Boiorum res tum regulus eorum caſtra poſuit?* Quidam *Boiorix*, pro *Boiorum res* reſtituerunt.

Cap. xlviii. *Vt populus Rom. dignis datam libertatem.*] Quidam, *hinc dignis* legendum putant, quod ſtatim rurſus ſequatur *hinc*. Ego libentius ita legerim: *Vt populus Romanus, & dignis datam libertatem, & munus ſuum bene poſitum ſciret.* Planiſſima lectio eſt, *vt populus Romanus dignis datam libertatem, ac munus ſuum bene poſitum ſciret.*

Cap. li. *Auri pondo fuit tria millia ſeptingenta.*] Nota hoc genus ſermonis, *Auri pondo fuit tria millia*, vt paulo ante, *in cellis argenti fuit* XVIII. *millia pondo.* Item poſt aliquot verſus, *Præbuerunt ſpecimen triumpho*, vide num *ſpeciem* legendum: nihil tamen mutarim. Budæus libro ſecundo de Aſſe, vbi hæc loca docte tractat, ſuſpicatur proxime ante hęc verba legendum potius *quatuor denarium* quam *trium*.

Cap. lii. *Vna Iunonis Matutæ in foro olitorio.*] Hæc ædes à Cn. Cornelio Cethego anno quarto huius belli vota fuit *Soſpitæ Iunoni*, non *Matutæ*. Vide ipſum hunc auctorem lib. 2. non

Digitized by Google

tum quomodo Ætoli in vmbilico Græciæ. Strabo lib. 8. ſimile quidam habet de Peloponneſo, à Demetrio Phalereo boue dicta, cuius cornua eſſe Ithomen Meſſeniorum & Acrocorinthum Corinthiorum montes: ſed vt huc locum iuuent, non plane video.

Cap. xxii. *Oppidum Licabrum munitum opulentumque.*] Neque hoc nec quæ ſequuntur paulo poſt oppida facile reperias apud claſſicos ſcriptores. Fieri autem poteſt, vt diruta fuerint, aut nomina vel mutata, vel corrupta. Hoc etiam obiter hic notandum, quod Liuius hic de conſulum in Boios profectione narrat, eadem illa narraturum eſſe poſt aliquot paginas, paulóque diuerſius. Porro quæ de M. Fuluio Nobiliore, vlterioris Hiſpaniæ prætore ante aliquot paginas huius libri narrauit, hic prope eadem repetere, nempe de Toleto ac Vectonibus, perinde atque antea nihil de ea re dixiſſet. Sed non eſt mihi dubium, tanta rerum geſtarum mole, ingentique ſcriptorum multitudine, Liuij memoriam obrutam: nec id mirandum, præſertim in homine ſene.

Cap. xxvi. *Quadriremis vetus capta annis ante octog.*] Hic locus quibuſdam in codicibus totus erat corruptus, in alijs reſtitutus, vt nihilominus hæreas. Nec id mirum: nam hiſtoria illa de Cratero ac eius vxore *Nicæa*, aut, vt alij habent codices, *Nicala* obſcura eſt.

Cap. xxvii. *Ad Pleias poſuit caſtra.*] Pleias locum in Laconica non memini me vſpiam legere. *Leucam* quidem agrum in Laconica ponit Strabo lib. 8. Et *Acrias* promontorium ad Eurotæ fluuij oſtium quidam ponunt. At Strabo εἶθ' ὁ Εὐρώτας ἐκδίδωσι μεταξὺ Γυθίου καὶ Ἀκραίων. id eſt, *deinde Eurotas excurrit inter Gythium ac Actæas.* Ptolemæus *Aeriam* vocare videtur. Nam *Acritas* promontorium, de quo Plin. lib. 4. cap. 5. longius ad occaſum eſt. Sed hæc lectori iudicanda relinquo. Illud mihi mirum, quod hoc loco Nabem ait poſuiſſe caſtra ad Pleias, poſtea vero, cum ea à Philopœmene incenſa eſſent, non aderat Nabis, imo à Gythio mittit præſidium agris. Verum ea κατ' [illegible] intelligi poſſunt.

Eod. *Idem Telegam exercitu contracto.*] *Inde* habent alij libri. & vide num *Tegeam* legendum potius: nec enim vſpiam legi, quod ſciam, *Telegam*.

Eod. *Ad Caryas primum in hoſtium terra poſuit ca.*] Priore libro Liuius ait Romanum imperatorem Caryis expectaſſe ſociorum auxilia, priuſquam hoſtium intraret agrum: hic ait *ad Caryas* primum in hoſtium terra Philopœmenem poſuiſſe caſtra. Niſi quis intelligat ita dictum *ad Caryas*, hoc eſt, non longe ab eo oppido. Confines enim erant Lacones & Arcades. Quæ controuerſia effecit, vt Quidam priore libro *Caphyas* legendum putarint pro *Carya*, quod haud ſcio vt probem.

Eod. *Ad Barboſthenem (mons eſt x. mil. paſſ.)*] Haud facile id nominis reperias apud idoneos auctores, vt puto. Fortaſſis autem nomen obſcurum eſt, ideoque à Liuio adiectum quod in parentheſi ponitur.

Cap. xxxii. *Thoas princeps gentis, quem miſerant ad Antio.*] In hoc libro paulo ante Dicæarchas Thoantis frater ad Antiochum mittitur, hic ipſe Thoas miſſus dicitur, quod idem Hannibal repetit libro ſequenti. Manifeſtus error, aut memoriæ lapſus potius.

Cap. xxxv. *Ponere haſtas Alexamenus iubet.*] Illud *ponere* etiam atque etiam conſidera vt intelligendum. Tyrannum enim ſtatim confodiunt æquè ipſi atque Alexamenus. Quod ideo annotare placuit, etiamſi puſillum videri iure poteſt, quod de Ætolis iiſdem ſtatim ſubiungit: *Si extemplo* (inquit) *poſitis armis vocata in concionem multitudo fuiſſet.* Neque enim depoſuerunt arma, cum mox ſubiungat: *Frequentes inde retenti in armis Ætoli.*

Cap. xxxvi. *Laconicus eius ſtirpis erat; puer admodum.*] Vellem pueri huius poſuiſſet nomen. Neque enim de *Ageſipole* eum loqui puto, qui iam grandis erat, regnum tamen iure gentium eius Lacedæmone erat, vt priore libro ait Liuius. Et puer hic plane ad ætatem, non ad ſexum retulit.

Eod. *Ætolis circa Chalciœcum (Miner. eſt temp. ær.)*] Hoc in pleriſque libris corrupte legitur *Chalcioten.* Meminit autem huius Pauſanias in Laconicis. & Thucydides Pallados Χαλκιοίκου in primo, vbi de morte Pauſaniæ regis Lacedæmoniorum. Meminit & Suidas.

Cap. xxxvii. *Ipſi ceteris copiis nocturnis maxime itin.*] Qui ſint illi ipſi, ſcire velim. Nam ſi Thoas ac Euthymidas, miſſo ſcilicet Herodoto in Atalantam inſulam, qui vera eſſe poſſunt, quæ poſtea de Euthymida dicit? *Euthymidas poſteaquam caſtra popularium ad Salganea eſſe, profectoſque Ætolos audiuit, & ipſe à Thebis Athenas rediit.* Hæc verba perinde ſonant, atque ſi ipſe Euthymidas Thebis ſubſtiterit fortunæ euentum expectans, cum tamen paulo ante Liuius dicat eum Salganea à Thebis proceſſiſſe. Σαλγανεὺς portus eſt Bœotiæ ad Euripum, Thronium autem triginta ſtadiis à Scarphia, quæ vrbs eſt ad Maliacum ſinum, vt ait Strabo lib. 9. Atalantam vero Opuntiorum inſulam ponit Thucydides lib. 2. inter Eubœam & Locros. Quæ loca omnia ſi quis hic memoria teneat, & Liuij verba ordine legat, videbit nos hoc in loco non temere dubitaſſe.

Cap. xxxix. *A Corintho veniens nauibus in Chalcidem.*] Incerta eſt diſtinctio, & ambigue dictum, veneritne per Euripum Chalcidem Quintius, an in Euripo occurrerit Eumeni regi. Sed id per exiguum. Quidam *Chalcidis* in genitiuo legunt.

Cap. xl. *Quintius in Ligures, Domitius adver. Boi.*] Superius, vnde Liuius ſe diuertiſſe dicit, ita ſcriptum legitur: *Domitius ab Arimino, qua proximum fuit. Quintius per Ligures in Boios venit, duo Coss. agmina diuerſa late agrum hoſtium peruaſtarunt.* Quæ cum his, quæ hic dicuntur, non quadrant: nam hic alterum duntaxat Coss. in Boios profectum, cui ſe dediderint Boij, tradit: illic ambos in Boios profectos, ambobuſque ſe Boios dediſſe.

Cap. xli. *Ædes duæ Ioui eo anno in Capitolio.*] Furius Purpurio prætor fuit anno primo huius decad. Et Ioui quidem ædem vouit, quando aduerſus Gallos Cremonam obſidentes pugnauit, qua pugna Hamilcarem Pœnum cecidiſſe ſcripſit Liuius. Ceterum lib. 4. huius decad. Coss. P. Scipione & P. Sempronio hæc verba Liuius habet: *Et in inſula Iouis ædem C. Seruilius duumuir dedicauit: vota erat ſex annis ante Gallico bello ab L. Furio Purpurione prætore, ab eodem poſtea Coss. locata.* Hæc ibi. At hic de duabus Iouis ædibus mentio, non in inſula, ſed in Capitolio, ab eodem L. Furio votis: altera cum eſſet prætor, altera cum eſſet Coss. etiamſi anno quinto huius belli, quo hic L. Furius Coss. fuit, nulla de ea ſit commemoratio in lacero illo libro 3. Porro in inſula ædes Iouis antea dedicata dicitur. quod ſi alia eſt ea ab his, quæ in Capitolio dedicatæ hic dicuntur, oportuit Furium hunc treis vouiſſe Ioui ædes, quod non videtur veriſimile. Diuerſos ſecutum auctores Liuium crediderim, aut memoria lapſum.

Eod. *Et iidem porticum extra portam Trige. inter lignarios.*] Dubitauit & Sabellicus de hoc loco. Ceterum ipſe in veteri codice ſcriptum eſſe ait, *interlignario*: cui iungendum exiſtimat *opere*. quo modo facile eſſet libros emendare. Alij itaque, vt Moguntinus codex, legunt *interlignarios*: ſed qui illi ſint adhuc quæro.

Cap. xliii. *Imbrum primo inſulam tenuit, inde Scyathum.*] Imbrus nauigantibus ex Phrygia in Maliacum ſinum, ſatis ad ſiniſtrum eſt: ideoque conſiderandum vt locus habeat. Quamquam ex ſtatim ſequentibus verbis apparet, non quo volebant ille eos, ſed quo oportebat. vbi *collectis* (inquit) *in alto quæ diſſipata erant nauibus.* Poſt aliquot item verſus, recte reſtitutum eſt *Lamiam* pro *Hyamea*, quod nomen nuſquam eſt apud auctores.

Cap. xlv. *Toties legationibus miſſis Romam.*] Quidam *Romæ* in auferendi caſu legunt, quod ego non probo. quamquam & à Roma legati in Ætoliam venerint ſæpe, & ex Ætolia rurſus Romam.

Cap. xlvii. *Iam inde à Barcilla morte. & quæ ſecuta.*] De hoc Barcilla lib. 3. huius decados. Sed obſcurum eſt quod hic dicit, *& quæ ſecuta eam fuerant.* niſi intelligas *mortes*: quod neſcio vt placeat: ego pauxillum quiddam deeſſe ſuſpicor.

Cap. xlviii. *Antiochi legatus prior quam Ætoli eſt auditus.*] Eſt hæc oratio vbi grammatici vel Synecdochen vel Zeugma à poſteriore eſſe contendant: quamquam *Ætolorum* legere malim, quod ex abbreuiatione *Ætol.* ac puncto poſt poſito, facile alius *Ætoli*, alius *Ætolorum* facere potuit.

Eod. *Dacas, Medos, Elymæoſque.*] Ego *Daas* legendum exiſtimo, qui Medis ſunt vicini ad mare Caſpiũ, vt auctor eſt Strabo. Meminit Ptolemæus in deſcriptione Margianæ: quamquam pleríque eius codices etiam *Dacas* habẽt, ſed perperam.

Eod. *Et ex Pamphylia Hydetas tenere.*] Non meminime legere *Hydetas* in Pamphylia. Vide ſi forte *Sidetas* legendum, à *Side*, quam rex Antiochus oppugnauerat, vt hoc libro ante dictum eſt: potuere enim interea fieri amici.

Cap. xlix. *Eſt autem res ſimilima cœnæ Chalciden.*] Hoc exemplo hoſpitis duo reprehendit in Antiochi legato, & quod ex vna gente multas faciat, & quod ex manſuetis imbellibuſque feroces ac truces quemadmodū ex vno porco hoſpes ille multam variamque venationem, & ex manſueto ſpeciem ferinæ carnis feciſſe viſus erat. Meminit eius D. Eraſmus in Adagio, *Ex vno multa facere.*

Cap. I. *Cum iam Menippus caſtra ante Sal. ad Herineum.*] *Erineum* oppidum eſt Doridis, vt omnes ſcribunt. Ad Euripum autem nemo, quod ſciam *Herinei* meminit in littore Bœotiæ. Quare ergo vel *ad Euripum* legendum arbitror: nam & ad finem huius libri dicturus eſt, *Pertinaciter Romani Euripum tenebantur*: vt *Aulis* intelligatur, vel *ad Hermeum*, vt alij emēdarūt.

Cap. II. *Achæorum & Eumenis milites Salganea.*] Achæi quingenti miſſi in Chalcidem venerunt; ceterum haud dubie, tradita regi Chalcide ipſi diſceſſere. At quo pacto deinde aut ipſi Salganea venerint, cum Menippus ibi caſtra habere, aut quando ante illuc ab Achæis miſſum ſit præſidium, non meminit Liuius. Præterea nec explicat, quale illud caſtellum ad Euripum, quod Romani milites munierunt ab Aulide auerſi: ſed puto Delij, quod Strabo lib. 9. Τανάγρων πολίχνιον appellat. Quamquam & hoc dubium, fueritne antea vallum & agger, an nunc à militibus omnia parata. Sed hæc, vt alia pleraque lectoris iudicio committimus.

F I N I S.

IN T. LIVII LIB. XXXVI. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES

CAp. II. *Aulo Cornelio Mammulæ Brutij.*] Priore libro, vbi hi magiſtratos creati ſunt *L. Cornelius* dicitur in pleriſque codicibus. Tu vide, vtrum locum ex altero emendare malis. Nam & ab initio libri ſequentis rurſus *A.* non *L.* dicitur, quare alij indubitanter *A.* emendarunt.

Eod. *Vt una ab Agrigento ad Pachynum eſſet*, &c.] Si hæc bene habent, inæqualis ſane diuiſio, preterea quę totum non complectitur. Nam longe maxima reſtat à Tyndario Agrigentum, quę ad occaſum vergit. At ego ſuſpicor pro *Agrigento*, legendum *Agathyrno*, quod prope Tyndarum eſt, temere tamen hæc non aſſero, iudicet lector.

Cap. III. *Scena & Fregena & Caſtrum nouum.*] Plinius lib. 3. cap. 5. *Freginates* in agro Falerno ponit: ea an hic ſit eorum colonia videndum, quamquam libri variant. Quidam pro *Sena*, *Enam*, quidam *Hoſtiam* legunt.

Cap. IV. *Carthaginenſes tritici modiūm mille.*] Hoc *mille* altero caret numero, vt videtur: neque enim vnum duntaxat mille modiūm tritici miſiſſe credo, vt collatio hic aliarum ſummarum ſatis indicat, ſed aliquot millia modiūm. Quare diligentius antiqua videnda ſunt exemplaria.

Cap. VI. *Et multorum eo ſtatu, qui diut. eſſe ſine mu.*] Illud *multorum eo ſtatu*, obſcure eſt dictum, nec ſatis explicatur ſi dixerimus, labente diſciplina multorum: quid enim ſibi vult, *eo ſtatu*? Ego locum corruptum ſuſpicor. Sed iudicet lector.

Cap. VII. *Veſter enim hic legatus Thoas inter ea.*] Superiore libro, vt ibidem quoque annotauimus, alterū in loco Dicæarchus, altero Thoas ad Antiochum miſſus dicitur, hic Thoantis rurſus mentio. Sed hoc leuiculum. Id autem mirum, quod ſuperiore libro Alexandrum Acarnana de Philippo hanc comparationem apud Antiochum introduxiſſe ſcribat Liuius, hic vero Thoanta. Niſi quis ab vtroque Alexandro & Thoante dicta eſſe Antiocho intelligat, quod fieri quidem potuit.

Eod. *Ipſe cum omnibus ter. copiis in Bellonum agrum proc.*] Cum etiam Sabellicus hunc locum recte annotaſſet, quidam tamen mutarunt in *Byllinum*, quod *Bullionum* ex Strabo. lib. 7. legendum eſt: ait enim, *ſuper Epidamnum ac Apolloniam ſedes habent Bulliones ac Talantij*. Talantiorum meminit & Ptolemęus eodem in loco, quamquam ea nomina apud eum prope corrupta.

Cap. X. *Inde Cyerum & Metropolin.*] *Cyerum* non inuenio apud quemquam, ſed *Cypera* in Ptolomęo legitur inter Theſſalię vrbes, atque ita ego legendum puto.

Eod. *Occupat Pellineum.*] Πελινναῖον vocat Strabo lib. 9. Plinius vero lib. 4. c. 8. *Pelinnam* vocare videtur. Aliud autem nomen eſt [illegible] apud Dionyſium Geographum, quamquam idem mons in Gręcis pleriſque Strabonis codicib. Πελιναῖον legitur. Porro idem Strabo oppida circa Thamas numerat, *Triccam*, *Metropolin*, *Pelinaeum ac Gomphos*, quę Ptolomæus Eſtiæotarum ponit, quamuis *Attineum* pro *Pelinaeum* fortaſſis poſitum apud eundem. *Chyretias* eodem loco reperias, at non item *Malleolam*.

Eod. *Oppidum Gonni xxx. millia ab Lariſſa.*] Quidam pro xxx. emendarunt xx. quod ſequentia verba propinquitatem maximam oſtendant Gonnorum ad Lariſſam; videlicet vnde ignes ac caſtra Romanorum videri potuerint. At in Ptolemæi deſcriptione longius multo abeſt Gonnorum ciuitas à Lariſſa. Sed accipit hęc controuerſia variam ac etiam veram excuſationem.

Cap. XI. *Dum patrem primo ablegando.*] Illud vero, vt defendatur, aut verius vt intelligatur, haud equidem ſcio. Quomodo enim ablegat, & liberum, & quem paulo poſt ſit rogaturus? Quare alij recte *allegando* emendarunt.

Eod. *Cum per Phocidem, Cheroneam.*] Rex Antiochus Chalcide in hybernis dormierat, quomodo igitur per Phocidem Cheroneam venire poterat? cum Cheronea ſit vrbs Bœotiæ, cui Chalcis ab ortu, & Phocis ab occaſu. Niſi quis malit de Chalcide Ætoliæ intelligere, de qua paulo poſt, quamquam, vt puto, adieciſſet Ætolię, cum à Demetriade illuc eum diſceſſiſſe facit. pronius enim eſt iter in Chalcidem Eubœę intelligere, quam Ætolię.

Eod. *Quæ præter Chalcidem & Lyſimach. fert. ad Stratum.*] Huius Chalcidis in Ætolia omnes meminerunt Lyſimachiæ etiam Strabo lib. 10. vbi de Oleno: nam vtraque deſerta erat illius tempore. *Stratus* autem Acarnanię maxima vrbs ſuper Achelno, cui Liuius more ſuo adiecit prępoſitionem. ideo autem à nobis hæc notantur, ne, quę bene habent, temere ab aliquo mutentur. Nam pro *Chalcide* quidam ita *Calydonem* ſubſtituerunt.

Eod. *Ad Medeonem & Pyrrheum.*] Strabo lib. 9. duos facit *Medeones*, alterum in ſinu Criſſæo, de quo hoc loco Liuius, vt opinor, intelligit. Alterum Bœotium, qui ab illo ſit denominatus. *Pyrrheum*, vero neſcio his locis. *Pyrrham* multi nominãt. Vetuſtiores libri habent *Thyrrenum*.

Cap. XIII. *Philippus Mallæam Perrhæbia, Pæbius Phila.*] Alij libri *Maleam* habebant, ſed ęque obſcurum in Perrhœbis. Pro *Philacio*, quidam *Phacium* reſtituerunt, vt ſecundo quoque volumine eius decad. admonuimus: nomen æquè atque prius obſcurum.

Eod. *Chyretias hinc & Eritium occupat.*] *Chyretias* paulo ante oſtendimus Eſtięotarum apud Ptolemęum oppidum. Sed *Eritium* vbi reperias, vix equidem ſcio.

Eod. *Aegium, Argiſſ., Gomphi, Lariſſa, Tricca.*] Ægeam inter Emathiæ ciuitates enumerat Ptolemęus. *Argiſſam* Peneo adiacere, auctor eſt Strabo libro 9. *Lariſſa* autem ab Athamanibus nuſquam antea occupata refertur, propterea non video cur eam hic reponi voluerit Sabellicus. Pro ea igitur alij *Silanam* poſuerunt, & pro *Aegio* ac *Argiſſa*, *Aegynium* ac *Ericinium*.

Eod. *Quia videbatur & Limnaam eodem tempore oppo. poſſe.*] Quidam neutro genere, quidam feminino legunt. At ego in Theſſalia huiuſmodi nomen non memini, quod ſciam, legere. Nam quod in Laconica *Limneum* Pauſanias refert lib. 3. huc non pertinet.

Cap. XV. *Ante ſaltum Thermopylarum in ſep. verſ. Epirus.*] Elegans eſt hæc deſcriptio, quamquam improprie aliquot fines deſcribit. Nam quis Epirum Thermopylis ad ſeptemtrionem intelligere poteſt? quod propter exemplaria admonemus.

Cap. xvii. *M. Porc. Catonem, & L. Val. Flaccum conſular. leg.*] Hi Coſs. vna fuere anno ab vrbe cond. 559. recte igitur conſulares legatos vocat Liuius. Quamquam ipſe Cato apud Ciceronem de Senectute ſe tribunum militum apud Thermopylas pugnaſſe M. Attilio Glabrione Coſs. dicit. Sed in eo libro multa eiuſmodi ſunt, quæ à nobis, ſi CHRISTVS annuet, aliquando notabuntur.

Cap. xviii. *Tum Macedonum robur, quos Sariſſophoros.*] Haud immerito quidem mirati ſunt, quo pacto Macedones cum Antiocho eſſe potuerint, cum eorum rex Philippus pro Romanis eſſet. Sed vel exules intelliguntur, vel ex Lydia Macedones vicini Mæonibus ac Phrygibus, in ea quam propter Aſiam dicti perhibet Ptolemæus.

Cap. xix. *Carpeiam tamen eodem die confecuti ſunt hoſtem.*] Quæ ſit illa *Carpeia*, non memini me legere apud vllum idoneum auctorem. Iter fuit huius fugæ à Thermopylis Elateiam, in quo itinere eſſe eam oportuit. Vide num *Lilaum* legendum, quod ibidem ponit Ptolemæus. Quidam *Scarphiam* repoſuerunt, cum ea ſit ad ſinum Maliacum, non vtique in hoc itinere.

Cap. xxi. *A Chalcide profectus, Tenedum primo tenuit, inde Eph.*] Mirum hoc iter, ſi quidem non errat codex. Tu vide, num *Tenum* potius pro *Tenedo* ſit legendum. Eſt enim inter Cycladas *Tenus* in eo itinere quod ab Eubœa Epheſum ducit. Carmine Virgiliano notior *Tenedus* inattentos decepit.

Eod. *M. Fuluius Nobilior qui biennio ante prætor.*] De eodem hoc Fuluio in hoc adeo libro eadem dicturus eſt, vt non ſit dubium hic lapſum memoria Liuium.

Cap. xxii. *A flumine Aſoro.*] Ita ferè habent libri, ſed ex Herodoti lib. 7. vbi de Thermopylis *Aſopus* dicitur, non *Aſorus*. Meminit & Strabo lib. 9.

Eod. *Arcem extra muros, quæ frequentius prope quam vrbs ha. T. Semp.*] T. Sempronius in huius vrbis oppugnatione iuſſus à Coſs. intentos tenere milites, dum aliæ tres pugnarent acies, ſignumque expectare: quo dato ab ſua parte primus oppidum cepit. Si igitur ab arce oppugnabat, eam haud dubie cepit. Quo igitur pacto Ætoli poſtea in arcem confugere poterant? Niſi quis dicat, aut locos interea mutatos, aut duas eius oppidi fuiſſe arces: aut aliud quid pro *arce* legẽdum, vt *ſuburbium*. &c. quod equidem puto. Et in hac deſcriptione mentio eſt Aſopi fluminis, & duorum amnium, quorum alterum in ſinum *Maliacum* mutarunt quidam, cum hęc vrbs longe ab eo ſinu diſtet, quare diligẽtius hic locus inſpiciendus in vetuſtis exemplaribus.

Eod. *Ab altero amniculo quem Melana vocant.*] Ante hæc verba diſtinguendum eſt, vt Appium Claudium, non M. Bæbium ab hoc latere pugnaſſe intelligamus. Ceterum quod quidam pro *amniculo* emendarunt, *amnis latere*, non placet. Nam Melena flumen ab vetere Trachine quinque diſtat ſtadiis, ipſa ab Heraclea ſex, auctore Strab. lib. 9.

Cap. xxiii. *Nam cum ariete quaterentur muri, nec laqueis ſolum.*] Pro *laqueis*, quidam emendarunt *iaculis*: e quibus verbis nullus eſt ſenſus, quare mutandum non erat. Conſiderandum etiam lectori, quomodo intelligendum *fornices in muro ad excurrendum apti*: nam ea res difficultatem adfert legenti.

Eod. *Cum fatigatos iam Ætol. ſciret Coſs. & ex ratione temporis.*] Nec minus temere hoc loco iidem ex, *ex ratione*, fecerunt, *expectatione*.

Cap. xxiv. *Pars vna, qua progreſſi erant, neque defend. neque opp.*] Non obſcurum eſt qua de parte loquatur, nempe de ea vbi Sempronius erat. Ceterum illud, *qua progreſſi*, vexat lectorem. Quidam pro eo legunt, *In qua ædificia extra vrbem*: cum antea de arce loqueretur, nunc de ſemirutis, nullo adiecto ſubſtantiuo. Et, *neque defenditur, neque oppugnatur*, dixiſſe videtur pro, vbi quies erat, quamquam non diu duratura. Mihi locus ſuſpectus eſt, lector ex verborum contextu iudicet.

Cap. xxv. *Interſunt ſedecim millia ferme paſſuum.*] Quidam emendarunt, *iter ſeptem millium ferme paſſuum*. Videtur autem loqui de diſtantia Heracleæ atque Lamię, quæ nobis non conſtat. Quamquam libro ſequente vbi Atilius Lamiam ceperat, dicitur iuiſſe ex Heraclea ad oppugnandam Amphiſſam, cum dicere debebat ex Lamia. Videntur igitur propinquæ fuiſſe vrbes.

Eod. *Tum regionem maxime eandem ſpectat oppido quam.*] Et hoc loco quidam *oppido* aduerbium exiſtimarũt. Alij ita emendarunt: *Tum regionem ea maxime deſpectat oppidum, qua breue interuallum videtur.* Sed ex vtraque lectione non video quid ſenſus elici queat.

Eod. *Ita receſſum ab Lamia eſt, & propinque cla.*] Conſidera hæc verba diligentius: nam quid ſibi velint, non plane intelligo. Neque enim dedita eſt hoc loco Lamia, quę primum poſteriore capitur libro.

Cap. xxx. *Mons eſt altiſſimus inter Callipolin & Naupact.*] *Callipolin* hoc tractu nuſquam memini me legere, ſed è regione Lampſaci ad Helleſpontum: verum nihil ad hunc locum. Coracis meminit & Ptolemęus. Vide ſi forte legẽdum, *inter Chalcidem*, aut *Callidromum & Naupactum*: ſunt enim hæc item Ætoliæ loca.

Cap. xxxi. *Legatos Chalcidem ad T. Quintium.*] Hic in Chalcide eſt T. Quintius, ad quem Meſſenij legati mittuntur, continuo autem poſt, auditis legatis, à Megalopoli ad Diaphanem prætorem Achæorum miſit. quod vtique iudicandum lectori relinquimus.

Eod. *Circa Eudamiam paruum oppidum inter Megalopolin.*] Ita plerique habent codices, ſed errant. *Andaniam* enim legendum ex Stephano ac Strabone. Et ille quidem Meſſeniæ facit oppidum, Strabo autem lib. 8. Arcadiæ tamen ait ciuitatem, ac olim Euriti Euchaliam eſſe dictam. Pauſanias vero ab initio lib. 4. ait regiam Meſſenes olim fuiſſe. Non me fugit duos Lacedæmoniorum fuiſſe reges Eudamidas de Proclis progenie, ſi quis forte locos ab iis nominatus ſit, quod lector ſtudioſus iudicet.

Cap. xxxiii. *Inde Dolopiam & Aperantiam & Perrhæbiæ quaſdam.*] *Aperantia* quę ſit regio, mihi non conſtat, eius paulo poſt rurſus mentio cum iiſdem *Dolopibus ac Perrhæbis* item libro huius decados octauo non ita longe ab initio. Quidam *Aperamiam* ſcribunt, vt plane ſuſpicer nomen corruptum.

Cap. xxxiv. *Manu tamen annuit quid opus eſſe.*] Ita in pleriſque erat codicib. vt enunciatiue legatur. Alij *quidnam* legũt, vt intelligatur interrogatiue, ſed non video quid ſenſus.

Cap. xxxvi. *Quos prætor in Hiſpania inter ipſa diſcrimen.*] *Proprætor* legendum, vt patet initio lib. 5. huius decad. Prætor enim vlterioris Hiſpanię factus erat, Coſs. P. Cornelio Scipione Africano iterum, ac T. Sempronio Longo, ſeptimo anno huius decados. Sequente deinde anno cum Luſitanis proprætor conflixit. Quamquam haud ſum neſcius initio lib. 5. variatam eſſe in pleriſque Liuij codicib. lectionem prætoris & proprętoris de eodem Scipione Naſica.

Eod. *Quos primus ſcenicos fuiſſe Antias Valer. eſt auctor.*] Non hoc tempore hi ludi primum celebrati ſunt, ſed bis antea auctore hoc noſtro Liuio. Semel lib. 9. ſecundi belli Pun. Iterum lib. 4. huius decados, vbi id etiam admonuimus, quamquam hic Valerium Antiatem citet auctorem.

Cap. xxxix. *Per eoſdem M. Fuluius Nobilior.*] Hæc eadem, hoc adeo libro, de Fuluio prope iiſdẽ verbis dicit, quod ſupra quoque admonuimus. Alij hęc verba ex codicibus Liuij hoc loco ſubmouerunt, ſuane auctoritate, an codicum fide, neſcio

Cap. xlii. *Samum Zacynthumque.*] Quidam libri ſolum *Zacynthum* habebant, ſed Cephalleniam omnino Liuius putat. Strabo lib. 10. ex Apollodoro ait Cephalleniam inſulam quæ quondam quatuor habebat vrbeis, *Samum* dictam, at vrbem in ea nunc *Samum* nunc *Samen* appellatam. Atqui Zacynthus iam Romanorum erat. Sed vel Liuius præfectus claſſis hoc ignorauit, aut hęc ante facta ſunt quam dedita ſit Romanis inſula: nam permixte multa narrat Liuius.

Eod. *Ad Scyllæum Eumenes.*] Bene hoc habet: nauiganti enim à Malea Piręeum, in medio eſt Hermione, ad quam eſt Scyllęum auctore Strab. lib. 8.

Cap. xliii. *Ita numero ferme impares futuros.*] Alij *pares* legũt, vt de vtriſq; intelligatur. Nam C. Liuius præfectus claſſis Romanæ naueis habuit vnam & lxxx. roſtratas: Polyxenidas autẽ nauibus lxx. tectis, præter cæteras, Phocæum conceſſit. Quidam legunt. *Ita numero non ferme impares*, & idem eſt ſenſus.

Eod. *Ab Delo Phanas Chiorum portum in Ægeum.*] Phanas Liuius ita in Ægeum mare verſas ait, perinde atque ad occaſum inſulæ eum intelligi voluerit. Subiungit enim, *In le ad vrbem circumegere naueis.* Chios autem ſpectat Boream. At Strab. lib. 14. vbi Chium elegantiſſime deſcribit, Phanas ad inſulæ orientale latus poſuiſſe videtur.

Digitized by Google

Eod. *Ad Corycum portum qui ſuper Cyſſontem eſt.*] Sequente libro Liuius ait *Corycum* Teiorum eſſe portum. Strabo loco iam dicto *Corycum* montem facit, ac ſub eo portum *Caſyſten*, pro quo hic *Cyſſontem* legimus. Vter ex altero emendandus auctor, iudicio lectoris committimus. Quidam libri *Cyſſuntem* habent.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXXVII. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. III. *Quod Laurentibus carnis quæ dari deberet.*] Vide an non *carnis* vetuſtus ſit nominatiuus pro *caro*. Neque enim *quod carnis*, conſtruendum: eſt enim *quod*, pro *quia*. Hoc obiter admonemus, ne quis temere mutet, vt ſolent nimis facile, qui non intelligunt.

Eod. *Legati ab Ptolemæo & Cleopatra regibus.*] Libro quinto huius decados, atque adeo non longius biennio ante, Antiochus Ptolemæo Ægypti regi filiam in matrimonium dederat. Hic vero gener aduerſus ſocerum gratulatur Romanis. Porro Liuius de Ptolemæis ſatis obſcure loquitur. Primo enim libro huius decados de Philippo Macedoniæ rege ita ait: *Sed animos ei faciebat præter ferociam inſitam, fœdus ictum cum Antiocho Syriæ rege, diuiſaque iam cum eo Ægypti opes, cui morte audita Ptolemæi regis ambo imminebant.* de Philopatre Ptolemæo loquens, de eo inquam, qui Antiochum memorabili pugna ad Raphias vicit, vt ſcribit Polybius lib. 5. tametſi is quadriennio antea fuerat mortuus. Cum hæc autem inter Antiochum ac Romanos gerebantur, iam Epiphanes regnabat in Ægypto, cum quo Antiochum in amicitiam regreſſum auctor eſt Euſebius, quam poſtea rupiſſe non eſt incredibile, vt ſæpe fit inter principes.

Cap. V. *Oppugnare Attilius Amphiſſam ſtatuit, ab Heracl. per Oetam.*] Notandum eſt hoc iter, nam ad locorum hic obſcure poſitorum notitiam conducit. Inter Heracleam atque Naupactum Coraca ait interiectum: inter eandem autem & Amphiſſam Oetam. Amphiſſa ſane Locrorum Ozolarum oppidum eſt, auctoribus Strabone ac Stephano. *Ab Heraclea* autem ait, pro *ab Lamia* propter propinquitatem vrbium: niſi ſit menda in codicibus, vt ſuſpicor.

Cap. VI. *Iam in ſinum Maliacum venerat.*] Conſiderandum etiam atque etiam toto hoc loco, num aliquid omiſſum ſit. Nam ſi Apolloniæ exercitus expoſitus erat, perque Epirum ac Theſſaliam veniebat Cos. nouus, oportuit certe prius Hypatam venire quam in ſinum Maliacum. Niſi quis tria hæc millia peditum, & quingentos equites, vnà cum Cos. mari veniſſe contendat, reliquum vero exercitum terra, quod equidem neſcio quam probem.

Cap. VII. *Ab Amphiſſa inde Elim eſt dimiſſus die ter. Pellam.*] Apud neminem auctorem hoc quidem tractu *Elim* inuenio: quare videndum num vel *Lilæam*, vel *Lamiam* legendum. Quidam pro *Elim* legunt *enim*, & in parentheſi hæc verba (*unde enim eſt dimiſſus*) atque id placet.

Cap. VIII. *Ipſe in Phrygia hybernauit.*] Cum duæ ſint Phrygiæ, altera in qua Troia, altera ſupra Piſidiam, conueniebat vt adiiceret in vtra fuiſſet Antiochus: nam de vtraque intelligi poteſt.

Cap. X. *Panormum Samia terra petit.*] Strabo lib. 14. hunc Panormum locat in litore Epheſiorum, quamquam Samiorum agro ex permutatione. Videntur itaque hæc in litore Epheſiorum geſta, ſed Samiorum tamen terra: etiamſi Liuius poſtea dicat ad Samum oppreſſam claſſem.

Cap. XI. *Remigium omne Magneſiam miſſum, ad Sipylum perpau.*] Quidam quod adiicitur, *Sipylum*, de Magneſia ad Sipylum montem intelligi putarunt: ſed ea vrbs plus æquo abeſt. Alij itaque de Magneſia ad Mæandrum intelligunt, & Sipylũ oppidum non longe à Smyrna, ex Strabone & Plinio item lib. 5. c. 29. Quamquam Plinius mediterraneum id facit, Liuius maritimum. Hæc & ſimilia nobis notantur, ne temere mutentur: neque enim commentarium ſcribimus.

Eod. *Paulinurum iuſſo petere.*] Videndum quis locus hic, nam mihi plane ſuſpectus, quippe quem apud nullum vſquam inuenerim auctorem, quod equidem ſciam.

Cap. XII. *Romani & Eumenes rex in Erythram.*] *Erythras* legendum puto pluratiuo numero. Hoc etiam lectori conſiderandum quod ſubnectitur: *Medio in curſu aquilone in ſeptentrionem verſo.* quid faciat hæc ventorum commutatio ad impediendam nauigationem in Samum. Neque vero ſeptentrionis ac aquilonis ventorum diſtinctionem facile inuenias, præter apud vnum Ptolemæum, & ad hunc locum etiam non multum facientem.

Cap. XIII. *Ad Myonneſum ſtetit, inde ad Macrin quam vocant inſ.*] *Myonneſus* inſula eſt inter Teon ac Lebedum, Ioniæ maritimas vrbes, auctore Strabone: quãquam Liuius poſtea inter Teium ac Samum dicit. Plinius autem *Macrin* inſulam lib. 5. c. 31. primum non lõge à Rhodo ponit, ſed nihil adhũc locum: deinde eodem capite in Chio ponere videtur, aut ipſam Chium *Macrin* vocatam: quamquam is locus corruptus videtur. Liuius poſtea ad Myonneſum, eius inſulæ rurſus facit mentionem ante memorabilem illam pugnam naualem.

Eod. *Ad Etaliam inſulam traiecit.*] Plin. in eodem loco ait, Ephorum dicere, Chium olim *Etaliam* dictam, quamquam codices Plinij plerique falſo, vt puto, *Italiam* habent. Ego ſane de *Etalia* inſula hoc in tractu apud auctores nihil inuenio. Nam quod Strabo memorat *Aethaliam* è regione Thuſciæ lib. 5. nihil huc pertinere certum eſt.

Cap. XVI. *Portum Phœnicum minus duum millium ſpatio.*] Vide num *Phœnicunta* legendum: nam Græcos accuſatiuos etiam Liuius vſurpat. Strabo lib. 14. *Phœnicunta* montem facit ad Olympum Lyciæ vrbem, *Phœnica* autem à nominatiuo Phœnix, & montem & oppidum in Rhodiorum regione. Ita etiam Ptolemæus. Ad Pataram non memini me legere huiuſmodi portum, quamquam hic eleganter deſcriptus eſt.

Eod. *Ii dum miſſilib. primo & aduerſus paucos.*] Qui verba quædam huic loco adiecerunt, vno &, abundant poſt verbum, *paucos*. legendum enim eſt, *Ii dum miſſilib. primo & aduerſus paucos lenibus excurſionibus*, &c.

Eod. *Inde in Telmeſſicum profecti ſinum qui latere vno Cariam, al. Ly.*] Τελμισσὸς legitur apud Strab. per *i* in ſecunda ſyllaba, pro vrbe Lyciæ. Ceterũ quomodo hic ſinus Cariam Lyciamque contingat, etiam atque etiam conſiderandum eſt. Quamquam Strabo lib. 14. nomen Carum ac Lyciorum à poetis, præcipue Tragicis, confuſum dicit, quemadmodum Troum, Myſorum ac Lydorum: ab eis enim communiter Phrygas vocari. Et Plin. item lib. 5. c. 29. ait *Telmeſſum* finem eſſe Lyciæ.

Cap. XVII. *In Bargyliam & Iaſon deſcenſionem ad Iaſſum fecerunt.*] Quidam *Bargyllam*, quidam *Bargyliam* ſcribunt. Strabo pluratiuo numero Βαργύλια appellat. Porro qui pro duabus vocib. *Bargylia & Iaſo, in Bargyletico ſinu* legunt, placent.

Cap. XXI. *Theream inde coloniam Mitylenorum expugnauit, Cor.*] Hæc nomina ſunt oppidorum in Æolide inter Adramitium ac Thyatira, vt ex his Liuij verbis colligitur, quamquam ea non facile reperias apud auctores, quod vel corrupta ſint nomina, vel oppida conciſa, vel denique alioqui obſcura. Pro *Priene*, quod Ioniæ oppidũ eſt, *Pitane* libentius legerim: quamquam quidam *Aphrodiſias Crene* legant. Et Plinius lib. 5. cap. 30. vbi Æolidos vrbes numerat *Aphrodiſias* regionis nomen facit.

Eod. *Ad inſulam quam Bacchium vocant.*] Plin. lib. 5. c. 31. iuxta Smyrnam enumerans inſula *Bacchinam* ponit, de qua & hic loqui puto Liuium.

Cap. XXII. *Ad portum quem Megiſten vocant.*] *Megiſten* omnes ſcriptores inſulam faciunt, non portum: quamquam inſula haud dubie portum habuit. Ptolemæi interpres Latinè hanc *Maximam* vocat, quod extuliſſe non erat neceſſe.

Cap. XXIII. *Audiunt ad Aſpendum iam hoſtes eſſe.*] Ita quidam hunc locum emendarunt, cum in aliis legatur, *ab Aſpendio*. Ceterum cum Aſpendus mediterranea ſit vrbs, auctore Ptolem. & LX. ſtadiis ab oſtiis Eurymedontis diſtet, vt fatetur Strabo lib. 14. dunque claſſis hoſtium non flumine, ſed mari vo-

Google

niſſe videtur, quippe Hannibal antea in Phœniciam à rege Antiocho miſſus dicitur, non video quomodo ad Aſpendum hoſtes nauali certamine pugnaturi adeſſe potuerint. Quod ideo admonemus, vt exemplaria diligentius inſpiciantur: quamquam excuſationem accipit, *ad Aſpendum*, quaſi dicat, *è Regione Aſpendi.* ſed tamen in mari. Quidam *ab Aſpendiis ad Sidam* emendarunt, nihilo clariore ſenſu.

Cap. xxvi. *Et ipſam vrbem ſua poteſtatis volebat.*] Nonhij deſcriptionem ita ponit Liuius, tamquam Antiochus ipſum oppugnare adornarit, cum tamen ipſam vrbem Colophonem adoriturus videatur. Quam propinqua autem ſit Epheſo, vt omnia terra mariue acta ſub oculis eius fuerint, non apparet ex Ptolemæi pictura, ſed hæc fallere poſſunt.

Cap. xxvii. *Circumuecti ab vrbe aduerſa inſula.*] Ex Samo nauigantes, Chium à dextris habuiſſe videntur, cum à ſiniſtris facilius fuiſſet Chium venire. Ergo *auerſa inſula*, & deinde aquiloni (quantum ad Chium) obiecta circumuecti, non venere Chium, ſed Erythras traiicere in animo habebant. In medio itinere certior factus Æmylius de Teiorum defectione, primum Myonneſum, deinde Teium profectus eſt. Ibi vero aduerſus Polyxenidam Antiochi præfectum pugnans, victor nauali certamine euaſit. Deinde rurſus Chium, direptis ante Epheſi portum nauibus, venit, naueiſque in prœlio quaſſatas refecit. Hæc paulo lõgioribus verbis egimus, quod hic locus mihi corruptus videatur in pleriſq. exemplaribus. diſtinguendum enim mihi videtur poſt, *ad Chium*, & verbum *ſunt*, neutiquam poſt *Erythras* ponendum: ſed legendum continuatim, *& Erythras cum pararent traiicere.*

Eod. *Myonneſus promontorium inter Teium Samúmq; eſt.*] Straho lib. 14. ait Myonneſum eſſe inter Teon ac Lebedum, quod veriſimilius eſt: quapropter hoc in loco pro *Samum* fortaſſis *Lebedum* reponendum, alioqui enim vix intelligitur quod hic ait Liuius.

Cap. xxx. *Tractu anchorali & implicitum remis latus.*] Quidam codices ita habebant. Alij mutarunt ad hunc modum: *Tracta anchora & implicita remis latus alterum deterſit.* Alij legunt: *tractum anchorale & implicitum*, &c. Sed eſt locus meo iudicio perquam obſcurus.

Cap. xxxi. *Totidem ex vtraque parte in arctiorem velut cu.*] Illud *totidem*, quid referat, fateor me non intelligere: ſicut nec quæ ſequuntur verba proximo verſu, *Ibi latitudo patet.* Pro *totidem* quidam legunt, *Coit deinde*: ſed nihilo clariore ſenſu, quod ad poſteriora attinet. Vehementer ſuſpicor in hac deſcriptione aliquid corruptum: quod ideo admonemus (vt in aliis iam ſæpe) vt diligentius vetuſtiores inſpiciantur codices.

Cap. xxxiv. *A Chalcide Oreum petentem.*] Oreos vrbs in Eubœa inſula, de qua & ſuperioris decados lib. 8. mentio eſt, Quidam codices falſo legunt *Oricum*. Ceterum cum ab omnibus, quos ego ſciam, auctoribus hic Scipionis filius vocetur *Publius*, in Val. tamen Max. lib. 4. cap. 5. *Cneius* (ſi codices non fallunt, quod ſuſpicor) dicitur.

Cap. xxxviii. *Maxima pars Gallograci erant & Daca.*] *Dae* legendum puto abſque *c*. Sunt autem Medis vicini ad mare Caſpium, vt libro quinto huius decad. ſub finem annotauimus. Ceterum *Thyatira* apud Strab. libro decimoquarto, plurali numero profertur, hic ſingulariter, ſi codex non errat. *Campi* vero *Hircani* idem Strabo meminit libro decimotertio ad finem, aitque à Perſis ita nominatum. *Phrygium* denique *amnem* olim *Hyllum* dictum, & Hermum influere, vt Pactolum, idem auctor eſt. *Hylli* meminit etiam Homerus Iliados 20. lib. & Herodotus li. 1. quamquam in Herodoto menda eſt etiam in Græcis codicib. Ἔλλος pro Ὕλλος. Hæc ad auctorum codices emendandos obiter diximus, non enim ſcribimus commentarium.

Eod. *Romanorum ex propinquo caſtris facile.*] Ego adiicerem ad *Romanorum*, coniunctionem *que*, propter verbũ *creſceret*, quod ſequitur, meliuſq; cõſtabit Latinitas. Sed hoc minutum. Poteſt tamen & ἀσύνδετον eſſe, vt ſæpius apud hunc auctorem.


Eod. *Aliquanto pauciores in ſtatione erant, duo tamen mil.*] Si *tantum* pro *tamen* legeretur, explicatior mihi videretur ſenſus. Et facilis eſt error in abbreuiationibus, *tantum* & *tamen*, quæ vtinam non eſſent, aut non peiores his, vt *prius* pro *primus* ac *patrius*, quem non decepit? Quidam *duo millia* ſuſtulerunt, & locum ſic legunt: *Et tamen per ſe*, &c.

Cap. xxxix. *Quina millia & quadragenos ſingula hab.*] *Quadringenos* legendum puto: quamquam non me fugit legiones non ſemper æqualem militum habuiſſe numerum, vt in primæ decados librum ſeptimum diximus. Id tamen certum eſt, nuſquam tam paruum numerum millibus legionum adiectum. Aut enim *ducentos*, aut *trecentos*, aut *quadringentos*, aut plureis reperias: *quadragenos* non reperias, certum habeo.

Eod. *Achaorum cetratis immixtos auxil. Eumenis.*] Quid ſibi hoc *cetratis immixtos* velit, etiam atq; etiam conſideret lector. Achęi Eumenis erant auxiliares, mille pedites, ac centum equites, vt ſupra habitum eſt. Cetrati igitur Pergamenſes erant, qui numerum trium millium explebant. Sed omnino verborum contextus claudicat, meo quidem iudicatu.

Eod. *Extremos Trallos & Cretenſes.*] *Triballos* legendum puto: etenim & lib. 7. ſecundi belli Punici eo modo codices errabant. Et hoc loco error inde etiam apparet, quod hic ſecunda declinatione *Trallos*, codices habent, paulo poſt autem *Tralles* tertia declinatione. Sed ita res habet: *Triballi* gens Illyrica eſt, quæ hoc tempore cum Romanis erat, nempe antea cum Philippo. *Tralles* autem gens & oppidum ad Mæandrum fluuium, penitus ſub Antiochi ditione. Nec obſtant Cretenſes etiam in acie Antiochi. hi enim ſæpe etiam apud hunc auctorem, in diuerſis erant exercitibus, vt lib. 5. huius decados, & pro Nabide Lacedæmoniorum tyranno, & pro Achæis illius hoſtibus: quod idem eodem etiam loco de Tarentinis ſcribit Liuius, & de Germanis Cæſar. Quoniam autem quæ oculis ſubiiciuntur picturæ magis iuuant memoriam, explicantq; nonnumquam quod implicatum videtur, operæ pretiũ exiſtimaui me facturum, ſi huius pugnæ typum ſaltem rudi minerua depingerem, neq. alia de cauſa, quam vt lector vno noſceret intuitu huius deſcriptionis errores, quos iniuria temporum accidiſſe nemo inficias ire poterit. Eos tamen locos paulo poſt ſingillatim recenſebimus: nunc ipſam picturam intuebimur, qua haud ſum neſcius non omnibus ſatis me facturum, quippe qui mihi ipſi non ſatisfacio: dabimus tamen aliis cogitandi occaſionem, ac velut anſam ad intentius ea perquirenda, quæ nos fortaſſis latuere, id quod non vno dumtaxat loco iam fecimus. In Romanorum quidem acie non tantum negotij eſt, atque in altera. erat enim ea ſimplex, & vnius prope formæ, vt Liuius inquit, & hominum & armorum genere. Id vero magnopere hic mirandum, cũm Romani tertiam iam orbis partem inuaderent, ac in alterum velut mundum concederent aduerſus potentiſſimum regem bellaturi, non tamen habuiſſe eos vltra quatuor legiones: vt veriſimile videatur quod Vegetius lib. 2. c. 5. in hæc ait verba: *In omnibus auctoribus inuenitur, ſingulos* Coss. *aduerſus hoſteis copioſiſſimos, non amplius quam binas duxiſſe legiones, additis auxiliis ſociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, vt cuius bello dua legiones crederentur poſſe ſufficere.* Hæc ille. Sociorum auxilia vel æquabant, vel plura erant.

ROMANA ACIES.



ANTIOCHI REGIS ACIES.

Cap. xi. *Regia acies variæ magis multis gentibus.*] Elegantiſſime ordinata hæc videtur fuiſſe acies: primum quidem vt robur phalangis, qua olim Macedones vſi orbem terrarum breui tempore ſubegere, in medio locaretur, extrema autem cornua clauderent & funditores Cyrtæi, & Elymæi ſagittarij. Proxime phalangem auxiliaria ex vtroque latere duplicia, non multo diſſimili modo ordinata, elephanti ſenideni in ſubſidiis, & præter elephantos phalangitis intermixtos, camelorum ac falcatarum quadrigarum terriculamentum ante aciem ingens poſitum. Hæc ita breuiter à nobis recitata, ſi quis memoria habebit, comparationemque laterum inter ſe fecerit, facile videbit inſignes hic eſſe codicum omnium errorem. Nam qui fieri poſſit vt non altero loco ſit error, cum cataphracti equitatus in dextero Antiochi cornu fiat mentio, quando ipſe rex quatuor illas turmas ſiniſtri Romanorum cornu à ripa Phrygij amnis deturbat, cuius hic cum idem hoc dextrum Antiochi cornu diligenter deſcriberet Liuius prorſus non meminit. *Pedites* quidem *loricatos cataphractos* ab Aſiaticis vocatos ponit, ſed id ego corruptum puto. quis enim vnquam *pedites cataphractos* legit? Item in fuga læui Antiochi cornu enumerat poſtea equites Phalangitas, quorum antea in deſcriptione eiuſdem cornu non meminit. De numero idem dicimus. Si enim in vnum qui hic ponuntur numeri & equitum & peditum coaccruentur, non explent *ſexaginta*, ſuperant autem L. *millia*, cum Liuius paulo ante ſolius peditatus LX. *millia* in Antiochi exercitu fuiſſe ſcribat, equitum autem plus XII. *millia*. Hos igitur errores, ſi exemplariorum fides nobis defuerit, non vlla alia ex re melius deprehendere licebit, quam ex laterum collatione. Veriſimile eſt enim Antiochum vtrumque cornu æque firmum inſtruxiſſe. Ita cum proxime phalangitas vtrinque ſint Gallogræci pedites milleni quingenteni, propius vero eſt in reliquis eorumdem ordinum auxiliis æqualem fuiſſe numerum, aut ſaltem non minorem, vbi rex ſtabat. At in ſiniſtro quidem latere poſt pedites Gallogræcos ponuntur & Cappadoces, & alij auxiliares, deinde vero ſequuntur cataphracti, & alii equites mille, in dextro vero vbi rex erat, continuo peditibus Gallogræcis ſubiciuntur cataphracti ſiue loricati pedites, & ala equitum, *Gemea*, ſiue vt alii legunt, *agema* vocata. Duo igitur populi aut potius ordines in ea parte omiſſi videntur, & numerus etiam plus quatuor millib. deficit. Idem de continuo ſequentibus vtroque in latere ordinibus dico, ſi Argyraſpidas Tarentinis comparabis (quibus neutra in parte adeſt numerus, quod equidem miror) ac deinde Gallogræcos equites Dais equitibus conferes, reliquorum deinde ſequentium comparatio eadem erit, quæ in prioribus fuit, clauda. Quamquam fieri potuit, vt aduerſus dextrum Romanorum cornu, in quo & Eumenes fuiſſe videtur, maiores copias oppoſuerit Antiochus: at id hæc vulnera non ſanat. Si quis igitur facta comparatione hæc ſingula perpenderit, inueniet nos haud temere dubitaſſe. Sed nunc ipſa deſcriptionis loca ſingillatim proſequemur.

Eod. *His tria millia peditum loricatorum (cataphractos ipſi appellant) adiunxit.*] Hi plane videntur quædam omiſſa. Nam in altero cornu poſt Gallogræcos pedites ponuntur Cappadoces & auxiliares, tertio autem loco cataphracti equites. ita hoc in loco poſt Gallogræcos pedites non continuo cataphracti ſequentur, vt puto, ſed alii, quos omiſit: & ſuſpicionem dat verbum *cataphractus*, quod pediti loricato attribuerunt quicumque hæc corruperunt, cum tertio deinde ordini tribuendum erat. Idem ſuſpicor de numero 3000. vt ex comparatione laterum intelligitur.

Eod. *Medi erant lecti viri, & eiuſdem regionis mixti multarum gentium equites.*] Vel poſt *regionis* verbum diſtinguendum, vel per diuerſas gentes intelligit Medorum diuerſos populos. Et vide quod de elephantis continuo ſubiungit, vt cum alterius cornu ordine conueniat.

Eod. *Dacæ inde equites ſagittariorum mille ducenti.*] *Daæ* lego, non *Dacæ*, quod iam ſæpe admonuimus. Totus autem hic locus mutilus eſt, & incertæ diſtinctionis. Neſcias enim Daas ne equites etiam ſagittarios faciat, an ſeorſum ſagittarii intelligendi. Ita continuo poſt, leuis ne armatura trium millium ſeorſum accipienda, ac deinde Tralles ac Cretenſes pari numero, hoc eſt, etiam trium millium: an Tralles ac Cretenſes fuerint ea tria millia, pari numero, hoc eſt, milleni quingenteni. Et illud, *duo millia*, ad Myſos referendum, legendumq; *ſagittarij*, vt vetuſtiores habent codices, in nominandi caſu, non in dandi: vt Myſos ſagittarios intelligamus.

Eod. *Mixti Cirtæi funditores & Elymæi ſagit.*] *Cirtios* inuenio apud Strabonem populus Perſidis, vicinos Medis: ſicut *Elymæos* Mediæ populum, vicinum Babyloniis, vtramque gentem latrociniis aſſuetam, vt non vno in loco ſcribit idem Strabo.

Eodem: *Regia ala leuioribus tegumentis ſuis.*] Quæ ſit illa *regia ala* plerique dubitant, atque adeo etiam ego. Sed magis hoc obſcurum, cum inquit: *Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ*, &c. quemnam equitatum intellexerit, cum cataphractos ac alios equites præcederent Gallogræci pedites, Cappadoces, ac auxiliarij, quibus omnibus in typo eos præpoſuimus.

Eodem: *Inde alia multitudo par ei quæ in dextro cor.*] Si par ei, ergo Tarentinis comparabimus Argyraſpides, & Gallogræcis equitibus Daas equites, quos in eodem dextro cornu ſequuntur ſagittarij, quibus Neocretes comparabuntur: deinde reliqua erit comparatio aliquo pacto æqua, videlicet trium millium Cretenſium, ac Trallium in dextro cornu, ad mille quingentos Caras ac Cilicas in ſiniſtro cornu, totidemque Tralles eodem in cornu.

Cap. XLI. *Rex ipſe in dextro cornu erat.*] Vel ex hoc loco ſatis liquet huius ordinis deſcriptionem temporum iniuria corruptam. Hannibal enim omiſſus eſt, quem P. Cornelius Scipio Naſica ad finem libri ſequentis affuiſſe fatetur. Innuit & Aul. Gel. lib. 5. c. 5.

Eodem: *Et humor toto fere graui armatu.*] *Armatu* pro *armatura*, paulo ſuperius dixit de Caribus ac Cilicibus, quo modo & hic accipi puto, vt ſit, *toto fere graui armatu*: id eſt, cum Romanorum armatura tota fere grauis eſſet. eſt tamen dura compoſitio.

Cap. XLII. *Qui inter equites, quos appellant Phalangitas, erant.*] Phalangitarum peditum antea mentio in aciei deſcriptione, equitum nulla, & mediam aciem haud dubie Phalangitas pedites intelligit. Fortaſſis autem *Cataphractos* legendum pro *phalangitis*. Sed iudicet lector.

Cap. XLIV. *Legati ab Thyatira & Magneſia, & ab Sipylo.*] *Thyatira* vt ante quoque diximus, genere feminino dicere videtur, ſi codex non errat, cum apud Strabonem ſit generis neutri, lib. 14. vbi de Ariſtonico loquens, [illegible] (inquit) [illegible] εἰς Θυάτειρα, id eſt, *primum quidem Thyatira aggreſſus eſt*. Niſi quis Θυάτειραν legendum exiſtimet. Verum apud Ptolemæum ac Plinium vtrius ſit generis, non facile diſcernas. Porro etſi *Sipylus* oppidum eſt non ita longe à Smyrna, vt paulo ſuperius ex Plinio oſtendimus, tamen hoc in loco malim legere *Magneſia quæ ad Sypilum*, vt paulo inferius, *à Magneſia quæ ſuper Mæandrum eſt*.

Cap. XLV. *Mille deinde talentûm per XII. annos.*] *Millena deinde talenta* legendum, vt docte emendauit Budæus libro 3. de Aſſe. Conuincit hoc & Latinitas, & ſummæ diuiſio.

Cap. XLVI. *Ciſtophori CCXLVIII.*] *Ciſtophorûm* legendum puto, & *millia* ex antecedentibus repetendum. Habet autem hic nummus rationem ad denarium ſubſeſquiquartam, vt 4. ad 5. quemadmodum ex Feſto Pomp. colligit idem Budæus, lib. 2. de Aſſe.

Eod. *L. Æmilij proconſulis apud op. Lyconem.*] De L. Æmilio Paulo intelligit, vt poſteriora indicant. Hic vlteriorem Hiſpaniam ſortitus ab initio lib. 6. huius decados, & prorogatum poſteriore tum anno imperium erat. Ceterum *prætor* erat, non *proconſul*, ideoque hic proprætor fuit. Sed neque *Lyconem*, neque *Vaſcetanos* in Luſitanis apud vllum inuenio auctorem. Potuit autem periiſſe videri oppidum, ſi non vbique locorum nomina in Hiſpaniis male conſtarent apud hunc auctorem, vt ſæpe antea conqueſti ſumus.

Cap. XLVII. *Aduerſa omnium fama, quod prouinciam Siciliam petendi cauſa.*] Hic prætor Siciliæ fuit factus biennio ante vt initio lib. 6. huius decadis refertur. Deinde ſequenti ſtatim anno iuſſus erat ab ſenatu vt exercitum traderet C. Antiſtio Labeoni nouo prætori, vt initio huius libri tradit Liuius. Qui igitur fieri potuit, vt iam tertio anno inuito ſenatu è prouincia, quæ ſua non erat, aduerſa omnium fama ceſſerit Æmylius.

Eod. *Cum ceteri centuriæ non expleſſent.*] Id verbi ſæpe eſt apud hunc auctorem, nec ex eo ſatis notum: ideoque conſiderandum lectori eſt, nam ego adhuc quæro.

Cap. XLIX. *Et M. Tutio proprætori in Brutiis & Ap.*] Initio huius libri non *M. Tutius*, ſed *Cn. Fuluius* prætor ſortitus eſt (vt quidam habent codices) Apuliam ac Brutios, vt hoc anno idem *Fuluius* non *Tutius*, ſit proprætor Apuliæ ac Brutiorum, cui prorogatum imperium ſit: niſi Fuluio mortuo priore anno ſubrogatum hunc *Tutium* (ſiue *Tuccium*) intelligamus, quod mihi vix veriſimile videtur. Quidam vtrubique in loco legunt. *M. Tuccium*.

Cap. LII. *Quod obſidione ſe ac fratrem exemiſſent.*] Hoc loco *fratrem* ſingulari inquit numero, cum paulo poſt ter dicturus ſit fratres pluratiuo numero. Et libro octauo huius decados præter Attalum etiam Athenæum Eumenis fratrem Liuius nominat. Quamquam hunc locum adiuuare poteſt locus ille cuius mentionem libro tertio huius decados fecimus, vbi de Attalo huius Eumenis parente, *vxorem* (inquit Liuius) *ac liberos duos ſuperſtites habuit*. Sed cum locum, vt hunc, corruptum puto. *Tres* item *Attali*, & *duo Eumenes*, multum negotij faceſſunt lectori in horum regum genealogia, de quibus obiter in Horatium diximus libro primo Carm. Ode 1.

Cap. LIII. *Quoniam dicere vtique volentibus vobis parendum eſt.*] Niſi ſit figura Græca *dicere*, pro *vt dicam*, quam non vſque adeo refugere plerique Latinorum, ego hunc quoque locum corruptum puto.

Cap. LIV. *Quæque circumiacent Europæ.*] Sed neque hoc plane intelligo. Sunt qui intelligant, *inſulæ*, quamquam obſcurum eſt de quibusnam loquatur: vt obſcurius, ſi abſque additione intelligamus.

Eod. *Quæque ciuitas & conditoribus ſuis.*] Quæ precedunt verba, ſatis lucida, at hæc non item. Credo illum velle dicere, quamque ciuitatem cum ſuis conditoribus contendere audere pro certamine cuiuſlibet bonæ artis ac virtutis, quaſi dicat, metropoles non ſuperant colonias.

Cap. LV. *Cn. Cornelium Merulam, &c. L. Æmylium Paulum.*] L. Cornelius Merula, non Cn. Cos. fuit anno octauo huius belli. Itaque cum alij plerique conſulares ſint, fortaſſis pro *Cn.* legendum *L.* quamquam nihil aſſeuero. At de L. Æmilio Paulo id demum admirandum, quomodo in Aſiam legatus mitti potuerit, qui in Hiſpaniis erat, vt & ante, & paulo poſt patebit. Niſi quis duos L. Æmylios Paulos faciat, aut corrupta eſſe nomina credat. quod veriſimile eſt, & nimium ſæpe apud hunc auctorem contingit.

Cap. LVI. *Lycaoniam omnem, & Phrygiam vtramque, & Myſiam.*] Plerique ex *Myſias* pluratiuo, fecerunt *Myſiam* ſingulare. Atqui Ptolemæus etiam in Aſia *duas* facit *Myſias*. Sed hoc magis turbat lectorem, cum hic *Lycaoniam* nominet, & haud dubie *Phrygiam*, quæ Piſidiæ proxima: quænam ſit hæc *Myſia* cuius hic fit mentio: vix enim ea erit quæ ad Troadem. Adeo obſcure hæc diſtincta ſunt apud Liuium, vt nihil ego definiam.

Eod. *Et Cariam, quæ Hydrela appellant.* Strabo libro decimo quarto. Vbi de Niſſa vicina Trallibus, ita habet: [illegible] ad eſt: *Memoria proditum eſt tres fratres, Athymbrum, Athymbradum & Hydrelum è Lacedemone profectos, de ſuis nominibus condidiſſe vrbes.* Hæc ille. Pauca alioqui de *Hydrelis* reperias. Nam *Niſſam* poſtea omnes hi conceſſere habitatum, vt idem auctor eſt Strabo eodem in loco. Ceterum potius me vrget quod Liuius ſubiungit, *agrumque Hydreletanum ad Phrygiam vergentem*. De qua enim Phrygia loquatur non admodum certum, vt de Myſiis quoque iam diximus.

Eod. *Thelmeſſum tem nominatim & caſtra Thelmeſſium.*] *Telmiſſus* abſque aſpiratione, & *i* in media ſyllaba, vrbs eſt Lyciæ. *Termeſſus* vero per *e* in medio, & *r* in prima ſyllaba, Τερμησσὸς Piſidiæ eſt ciuitas, vt auctor eſt Strab. lib. 12. item 13. ad finem. Hic igitur lector diſpiciat quid legendum putet. nam non minus hæc confuſa ſunt, quam priora.

Cap. LVII. *M. Claudius Gelo, M. Atilius Glabrio.*] Hunc *Claudium* perpetuo poſt *M. Claudium Marcellum* vocat. *Gelonis* cognomen in *Claudiorum* familia haud ſcio an vſpiam legerim: ergo *M. Claudius Marcellus* legendum, huius filius anno ſequenti fit prætor, Coss. autem anno ab Vrbe condita 571.

Quod ideo admonemus, quia in Chronologia noſtra olim hoc neglectum fuerat.

Eodem: *Ideoque nouus competitor inæſtimabili periurio inceſſeret.*] Ita quidam vltimum verbum emendarunt pro *interceſſerit*, vt alij codices habebant. Puto autem Glabrionem loqui de Catone: verum ſenſus obſcurſus eſt, propter verbum, *inæſtimabili periurio.*

Cap. LVIII. *Triumphauit menſe intercalario pridie Calendas Martias.*] Coſs. belli Macedonici anni primi atque ſecundi, Idibus Martiis dicuntur iniſſe magiſtratum: quod veriſimile eſt, & hic obſeruatum. Recte ergo poſtea de L. Scipione dictum eſt, *Triumphauit anno fere poſt, quam conſulatu abiit.* Conuenit autem & hæc ſupputatio in annis cum Plinio, qui libro trigeſimo tertio, capite vndecimo, hunc triumphaſſe ait anno ab vrbe condita 565. eo enim anno fuere Coſs. M. Fuluius Nobilior, C. Manlius Volſo, quanquam iam abituri magiſtratu.

Eodem: *Ciſtophori* CCCXXXI. *millia & ſeptuaginta.*] Budæus libro ſecundo, de Aſſe *ciſtophorum* legendum putat hoc in loco, etiamſi in præcedenti Æmilii triumpho, *ciſtophori* in nominandi caſu legendum. Ex feſto autem idem colligit, quod paulo ante etiam admonuimus, denarium Romanum ad ciſtophorum habere rationem ſeſquiquartam, vt 5. ad 4. quarta enim parte ſuperabat. Vt igitur denos denarios in coronatum ſupputamus, ita duodenos cum dimidio ciſtophoros. Budæus autem toto illo de Aſſe opere, quantum memini, de Philippæis nullum habet verbum, quod equidem miror. Eſt apud me Alexandri illius magni Philippi filij aureus nummus, ſed circumciſus cum genio alato, & ab ea parte hac inſcriptione, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΩΣ. quamuis in vtroque nomine vltima terminatio vix legi queat. Ab altera parte ipſius Alexandri facies, cum galea ſurſum inclinat, & criſtis in tergum pendentibus nullis inſignita literis. Eum nummum olim d. d. nobis D. Eraſmus Roterodamus parens ac præceptor noſter, cum diui Traiani altero aureo numiſmate. Memini eximium virum D. D. Bonifacium Amerbachium, præter iuris vtriuſque prudentiam, abſolutum omnis eruditionis exemplar mihi dicere, vidiſſe ſe Philippæum apud inclytum virum D. Iacobum Sadoletum, Epiſcopum Carpentoracti, ingens ſeculi huius ornamentum, quem ipſe Sadoletus tribus ducatis, vt nunc vocant, æſtimarit: quod videtur veriſimile: nam eius ponderis propemodum eſt numiſma meum. Videbatur enim (ſiquidem conciſum non eſſet) tres æquare poſſe ducatos. Id etiam vero non abſimile, filium neutiquam cedere patri magnificentia voluiſſe, alio ſane, atque nunc ſunt quidam principes, ingenio. Nomen tamen his aureis à patre primum datum, manſit, vt hac quoque ætate ſeruari videmus.

Eodem: *Vaſorum arg. (omnia cælata erant) mille pondo &* CCCCXXIIII. *aur. mil. pond.* XXIIII.] Plinius libro trigeſimotertio, capite vndecimo, ita habet: *Siquidem L. Scipio tranſtulit in triumpho argenti cælati pondo millia quadringenta L. & vaſorum aureorum pondo C. millia.* Hæc ille. Sed lector iudicet vtrum ex altero emendandum putet locum. Ingens enim diſcrimen eſt *millia* & *mille pondo.* Sed ex numerorum characteribus hæc omnia acciderunt, quod optimo iure in Plinii codice queritur Budæus. Non minus autem in aliis euenit auctoribus, vt id nunc multis oſtendimus locis. At in hunc librum ſatis ineptiuimus, nunc ad alia properamus.

FINIS.

IN T. LIVII LIBRVM XXXVIII.

HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. I. *Pars vna Heracleam, altera Tetraphyliam.*] Hæc omnia nomina gentis videntur eſſe Athamanum, nec ea temere apud alios inuenias auctores, quemquam de Heraclea, cum ſint tot eius nominis vrbes, admonuiſſe oportuit. Plinius quidem meminit. Et Ætolorum etiam non longe abeſt, de qua libro ſexto huius decados. Eam Romani ceperant diripuerantque, nec vſquam Philippo data memoratur. De *Theio* item ac *Erbopia* admonemus lectorem, vt vetuſta exemplaria diligentius inſpiciat.

Cap. III. *Principes gentis ad tentandam vltimam ſpem Rom. miſ.*] Priore libro denunciatum Ætolis ait Liuius: *Si qua inde legatio ex Ætolis, niſi permiſſu imperatoris, qui eam prouinciam obtineret, & cum legato Romano veniſſet Romam, pro hoſtibus omneis futuros. ita dimiſſi Ætoli.* Atqui hoc loco contrarium Liuius ſcribere videtur.

Cap. IV. *Et Arethontem nauigabilem amnem.*] Ptolemæus libro tertio, ac Plinius libro quarto, capite primo, hunc fluuium *Arachthum* vocare videntur: quanquam Ptolemaica pictura non ad muros, ſed ad occaſum aliquot ſtadiis ſummotum oſtendit. Liuius etiam campum hic ponit. Sed ſi amnis vrbem Ambraciam munit, vt hic ait Liuius, oportet hunc campum aliquantum ad ſeptentrionem intelligi: nam alioqui hæc deſcriptio claudicabit. Epirotæ enim ad occaſum intelliguntur, Coſ. in campo interfluente flumine.

Capite V. *Quinque ſimul locis mœnia eſt aggreſſus, tria par.*] Non abſque cauſa mutatum eſt dicendi genus. Cum præmiſiſſet ablatiuum, *quinque locis*, ſubiungit accuſatiuum, *tria*, ſed eodem intellecto participio *aggreſſus*: perinde atque dicat, tria quidem aggreſſus loca à campo, vnum è regione Æſculapii, vnum aduerſus arcem, ita enim ſunt quinque.

Eodem: *In arietes tollenonibus libramenta plumbi.*] Quo pacto per tollenones libramenta plumbi iecerint in arietes, aut alia item quæ enumerat, vix intelligo: etiamſi quid tollenonem dicat, non eſt obſcurum ex Vegetii libro quarto, Budæus attigit paululum libro tertio, de aſſe circa initium.

Cap. VI. *Adiunctis Achæorum quæ partis erant, nauibus.*] Ita ferme habent, quæ nos vidimus exemplaria: ſed legendum puto *Patris*, pro *partis*. *Patræ* enim oppidum Achæorum ad ſinum Corinthiacum. Non eſt hoc neglectum in vltima Frobenii editione.

Eod. *Suſpenſo furculis ab hoſtibus muro*] Hæc verba in pleriſq; codicibus recentibus, & anteriore parte & poſteriore diſtinctione munita leguntur, ſed nihilominus obſcuro manente ſenſu. Suſpicor mendam ſubeſſe. Quidam pro *furculis* legunt *fulturis*, quod ego non intelligo.

Cap. X. *Ab Aſia Theas & Dicearchus, ab Europa Meneſtas & D.*] Quatuor hic enumerantur, quorum tres poſuit lib. 5. non ita

longo

longe ab initio: Thoanta prætorem gentis Ætolorum, fratrem autem eius Dicæarchum ad Antiochum miſſum, quamquam ad eundem eodem in li. Liuius poſtea Thoanta miſſum dicit, atque adeo Menippum regis legatum ſecum adduxiſſe, vt ibidem annotauimus. Porro Democritum ad Nabim Lacedæmoniorum tyrannum miſſe legatum. Et præter hos treis Nicandrum ad Philippum. *Meneſta*, ſiue vt quidam ſcribunt, *Meaete*, nulla quod ſciam vſpiam mentio. Videat igitur lector collatis locis, quid legendum cenſeat.

Cap. xi. *Dum pro argenteis decem vnus valeret.*] Multi de hoc numero dubitant, de verbis etiam magis. At ego puto Liuium, neque per argenteos, denarios, neque per aureos Romanos, qui centum valebant nummis, ſignificare voluiſſe, ſed rationem auri ad argentum, qua ratione Romani multum lucrabantur, quando analogia auri & argenti requireret in ſingulos aureos vt minimum xii. argenteos. Verum hæc non ſunt huius negocij. Sequente ſtatim verſu legendum *L. Quintio*, non *T. Quintio*, Lucius enim cum Domitio fit Coſs. anno 9. decados huius, Titus autem iii. cum Ælio.

Cap. xiii. *Tranſgreſſi Mæandrum, Phileram, Comen Perue.*] Ita emendarunt quidam, id quod antea erat *ad Comanen*: verum quo moti auctore, nondum ſcire potui. Quidam *Hieram Comen* emendarunt.

Eod. *Noua vr. Apamea nomen inditum ab Apam. ſorore Seleuci.*] Strabo libro 12. non ita longe à fine ait, Antiochum Sotera ex Celænis homines in Apamiam tranſtuliſſe, vrbemque appellaſſe de nomine matris Apamæ, Artabazi filiæ, quæ Seleuco Nicatori nupta fuit. Liuius in his barbarorum nominibus non admodum ſolicitus fuiſſe videtur, aut forte alios ſecutus.

Eod. *Inde ad Gordiuticos, quos vocant, proceſſum eſt.*] Qui ſint illi populi, fateor me ignorare: nam quod de *Gordio* ac *Iuliogordio* auctores ſcribunt, nihil huc pertinere puto. Fortaſſis autem *Orcaorcos* legendum, quorum Strabo meminit libr. 12. poſtquam de Peſſinunte dixit. Quidam legunt *Gordiutichos*, quod tolerabilius, quamquam locus obſcurus eſt. Item quod continue ſubnectit, *ad Tabas*, idem Strabo in eodem libro *Tabes* vocare videtur, proximas Peltis. Rurſus eum Liuius ſubiungit, *quæ vergit ad Pamphylium mare*, id neutiquam intelligo. Et illud *equites* amphibolon, ſitne nominatiui caſus, an accuſatiui.

Cap. xiv. *Tertio inde die ad Chaum amnem peruentum.*] Neque *Chaum*, neque *Eriſan*, ſed neque *Thabuſſion* facile inuenias. *Indus* quoque hoc loco fluuius ni fallor, à Plin. *Ninus* dicitur lib. 5. c. 28. Quod de *Chao* dicimus, idem poſtea de *Muleo* (quod quidam *Sylaum* vocant) ac *Alimne*, ſed Cibyrenſis regionis ſunt ad Mæandrum.

Cap. xv. *A Cibyra per agros Idenſium exercitus ductus.*] Quidam *Sidenſium* emendarunt, ſed *Sida* Pamphyliæ maritimum eſt oppidum longe ab hoc tractu. Strabo libr. 12. inter Piſidiæ vrbes & *Sindam* nominat, & libr. 13. ad finem rurſus eius meminit, vbi & *Cibyra* & *Cabaleſium*. Plin. libr. 5. cap. 27. *Sindam* ait eſſe in confinibus Galatiæ atque Capadociæ, *Calaurem* amnem *Calaritenque* paludem haud ſcio an vſquam legerim. Strabo lib. 12. *Tatta* paludis meminit in hoc tractu. At ego nihil definio.

Eod. *Ad Mæandrum manſerunt, inde prog. ab Lago.*] *Ad Mæandrum* legendum puto, reclamantibus omnibus exemplaribus: neque enim adhuc ab hoc flumine declinauit. Manlius. *Lagum* vrbem apud neminem inuenio. Quidam pro *Mæandrum* ſubſtituerunt *Mandrupyum*, quod ego neſcio.

Eod. *Inde ab Lyſis flu. fonte poſtero die ad Cobul.*] *Ab Lyci fluminis fonte* legendum puto, cuius in hoc tractu omnes meminerunt: *Cobulati* autem, quod equidem ſciam, nemo.

Eod. *Telmenſes eo tempore Iſindenſium arcem vrbe captr.*] Vtrumque nomen corruptum exiſtimo. *Telmiſſus* per *l* in prima ſyllaba, & *i* in ſecunda (vt ante diximus) Lyciæ eſt vrbs: *Termeſſus* vero per *r* in prima ſyllaba, ac *e* in ſecunda, Piſidiæ. Cum igitur Piſidia ſupra Pamphyliam, vbi Coſs. Manlius iam piſcabatur, ego *Thermeſſenſes* legendum puto. Sed pro *Iſiodenſium*, legam ex Plinio lib. 5. c. 27. *Hyerienſium*.

Eod. *Ad flumen Tauram primo die, poſtero ad Sile.*] Videtur Liuius hoc loco hiſtoriam valde accidiſſe, tædio vt puto, tot in eorum in longinqua natione, at interim obſcuritas in aliis manſit locis. Itinera enim diligenter perſcripta locis, multum lucis adferunt: quod in Herodoto clarum eſt, & in C. Cæſare. Tauri fluminis hoc tractu nemo, quod equidem ſciam, meminit. *Silenu come* quæ ſit, æque ignotum. Quidam *Xylinen Comen* emendarunt, quod neſcio quam probe.

Eod. *Ad Cormaſam vrbem peruenit. Darſa prox. vrbs.*] *Cormaſam* Ptolemæus in Piſidia ponit. *Darſam* nemo quod ſciam. *Derba* & *Perga* videntur ab hac piſcatione nimis diſtantes. Pro *Lyſione* ego *Lyſiniam* ex Ptolemæo legerem, quam quidam *Lyſinoen* vocant.

Eod. *Inde in agrum Agalaſſenum.*] *In agrum Sagaleſſenum* legendum puto, vt etiam quidam emendarunt. *Sagalaſſus* enim Piſidiæ vrbs, vt teſtatur Plin. libr. 5. c. 27. & Strabo libr. 12. ait ab Apamea itinere vnius diſtare. Ptolemæus in Lycia ponit, longe ab hoc tractu.

Eod. *Progreſſus inde ad Rhyrinos fonteis.*] Fortaſſis legendum *ad Obrimæ fonteis*, ex Plin. lib. 5. cap. 29. Nam inter cetera flumina in Mæandrum labentia, & *Obrimæ* meminit: *Rhotrinos fonteis* nemo, quod ſciam, memorat.

Eod. *Poſtero die Dymas Phrygia proceſſit.*] Et quæ præcedit vrbs Metropolis, & quæ ſequitur *Synada*, aut potius *Synnada*, in magna Phrygia à Ptolemæo numerantur. Ceterum *Dymas* haud ſcio an vſpiam reperias. *Didymus* mons non longe inde à Ptolemæo locatur. Sed iudicet lector.

Eod. *Ad Beudos, quod vetus appellant, peruenit.*] Quidam libri *Beundos* legunt. Sed Ptolemæus vocat. [Greek] vocat. Quamquam in Piſidis nimis ad meridiem huic itineri, vt Synadam nimis ad Septentrionem. *Antibura* nuſquam quod ſciam, legitur. *Anabura* apud Strabonem lib. 12. inter Piſidarum ciuitates numeratur ex Artemidoro. Quod autem ſubiungitur, *ad Mæandri fonteis*, puto corruptum, legendamque *ad Mæandri fonteis*. Denique *Abaſſum* quod ſequitur oppidum, non puto facile reperiri.

Eod. *Quia peruentum erat ad Toliſtobogiorum fineis.*] Galatas in Aſia treis in populos diuiſos, omnes ferè conſentiunt. Atqui operæprecium eſt videre, quam differentibus nominibus varient. *Toliſtobogi* & *Toliſtobogij* reperias & in Græcis & Latinis. Quidam etiam, ſed corrupte, per *o* in ſecunda ſyllaba. Codices quidam Ptolemæi corruptius *Toliboſti* legunt. *Tectoſages* Plinius ac Strabo, ſi codices non fallunt, per *g* & in tertia declinatione ponunt, vt C. Cæſar libr. 6. comment. Ptolemæus per *c* & in prima. Liuius, niſi & eius codices errare quis dicat, in ſecunda: omnes tamen pluraliter. Eodem modo *Trogmi* Plinius per *g*, Ptolemæus per *c*, Τρῶκμοι, vterque diſyllabon. In Strabonis codice vero *Trogini* per *g* triſyllabon, & in multis Liuij codicibus *Trocini* per *c*, etiam triſyllabon reperias errore, vt puto, librariorum. In Græcis Τεκτόσαγες καὶ Τεκτόσαγας [illegible] καὶ Τεκτόσαγας [illegible] paſſim inuenias. Is error vnde in codices veniat, non eſt difficile coniectu. Idem differentiæ accidit in oppidis illorum. Nam quod Plinius ac Strabo *Tauium* Trocmorum oppidum per quintam vocalem, ſed conſonantam factam *u* vocant, in aliis per *n*, *Tanium* legas. Et quod Strabo [Greek], alij [Greek] corruperunt. Itaque de his omnibus cauere perdifficile eſt.

Cap. xvi. *Cum Lonnorio ac Lutario regulis.*] Strabo *Leonorium* vocat. *Lutarium* etiam nomen eſſe Gallicum Cæſar libro 7. ſatis indicat, quamquam in codicibus Cæſaris *Luctarium* legas.

Cap xviii. *Primo die ad Alandrum flumen, &c.*] Neque *Alandrum* flumen, neque *Tyſcon* vicum vſquam inuenio. Quod vero proximo verſu, *legati Orondenſium* legitur, errore trium nominum accidit, vt opinor. Nam Plin. lib. 5. c. 27. *Orondas* vrbem in Piſidiæ montanis ponit. Sed idem lib. eodem, cap. vltimo, *Oeandenſes* Galatiæ populum ponit: ergo hic abſque dubio *Oeandenſium* legendum. Tertium nomen eſt *Oenonda* Cabaliæ oppidum, vt idem Plinius meminit, lib. eodem, cap. 27. Strabo lib. 13. ad finem *Oenoandrum* vocat. Ex his igitur nominibus error ille facile naſci potuit.

Eod. *Ad Plitendum deinde ad Haliartos caſtra po.*] Hæc nomina corrupta eſſe, etiam ante nos quidam conqueſti ſunt: ſed neque à nobis, neq; ab illis reſtituta. Porro de *Avylo*, haud ſcio an vſquam meminerint auctores, ſicut nec de *Euballo*, quod

quidam *Cuballum* legunt. Sed tam minuta videntur neglectui merito fuiſſe.

Eod. *Sangarius ex Adoro monte per Phrigiam flu.*] *Sangarium* Plin. libro 6. cap. 1. in Phrygia oriri ait, Ptolemæus non longe à Didymo monte: Strabo apud *Sangiam* vicum. Gallum autem ſuſcipere fluuium & Strabo & Plin. perhibent. Addit Plin. *Tembrogiam*, Liuius *Tymbram*, quidam *Tymbretum*. Sed mendam puto in Liuio, ſicut & hoc, cum in Propontidem illum ſe effundere ait, quod apud neminem auctorem reperias, opinor.

Cap. xix. *Poſtero die ad Gordium peruenit.*] Gordium olim Galatiæ caput fuiſſe Plin. auctor eſt libro 5. cap. vltimo. Strabo autem ſuo tempore in vicum redactum ſcribit. Apparet non longe à Peſſiounte abfuiſſe. Ceterum quomodo tria maria pari ferme diſtantiæ interuallo habeat, ad Helleſpontum, ad Synopen, & alterius oræ litora qua Cilices maritimi colunt, id in Ptolemæi pictura non apparet. Adiicit Strabo Cleonem quendam ex Gordio rurſus vrbem feciſſe, & Iuliopolim appellaſſe. Plin. libro iam dicto ait Gordium Comen poſtea Iuliopolim dictam. Ptolemæus ſane Iuliogordum ad Sipylum montem: duas autem Iuliopoleis, alteram in Bithynia ad Sangarium, alteram in Phrygia magna Galatis finitimam ponit, vt planum non ſit quid in his potiſſimum ſequendum. Quamquam de toto hoc Coss. Manlij itinere non opus eſt vſque adeo eſſe ſolicitum quemquam, cum ille nec proxima iuerit, nec nomina conſtent, vt multis iam demonſtrauimus locis.

Eod. *Olympum montem petere.*] Nuſquam in Galatis *Olympum* inuenias, neque eum facile credo fuiſſe, qui in Myſiæ eſt Propontidi imminens, vt Strabo ait li. 12. etiamſi ea regio quæ ad Helleſpontum eſt, Trocmis vectigalis fuerit. quare hoc nomen corruptum puto, maxime quod paulo poſt Coss. Ancyram veniſſe dicatur tertius caſtris. Ego plane *Didymum*, quem ita Ptolemæus vocat, deſcribi exiſtimo.

Eod. *Diuerſos Tectoſagas alium montem qui Magana dic. pe.*] Nec hic mons apud vllum, quod ſciam, auctorem inuenitur. Ego ex itinere deſcripto conicio eum eſſe quem Ptolem. *Giganta* vocat. quamquam apud eum codices varient: quidam enim *Olyſanta*, quidam *Oiganta* nominant: ſed variationem eam accidiſſe puto ex articulo Græco maſculini generis, ὁ: deinde vna aut altera immutata litera, vt nimis ſæpe vſu veniſſe videmus.

Cap. xxi. *Et Tralli Thraces.*] Ego *Triballi* legendum exiſtimo, quos Ptolem. in inferiori ponit Myſia Thracibus vicinos. *Tralles* autem ad Mæandrum fluuium non ita longe à Sardibus idem collocat, quod in ſuperioribus iam ſæpe admonuimus. Niſi quis exiſtimet & in Aſia quoque *Triballos* habitaſſe, vt *Tralles* ac *Myſos*, quod tamen abſque auctore non facile dixerim.

Cap. xxiv. Coss. *tertiis caſtris Angyram nobilem in.*] *Ancyram* omnes alij vocant, ſed hoc fecit mutarum cognatio γ & κ. Valerius autem Maximus libro 6. c. 1. hunc *Oriſgontem*, ſi codices non errant, vocat *Orgiagontem*, vbi eandem recenſet hiſtoriam.

Eod. *Et ne eam quidem, vt amans gratuito, certo au. pon. pact.*] Et ne eam ſpem gratuito, vt amans, fecit, ſed certo auri, inquit, pondere pactus. Ideoque alij hæc non recte emendarunt ad hunc modum: *Et ne eam quidem vt gratuitam amans. Eam* enim, *ſpem* refert, non *mulierem*.

Eod. *Aliaque (vt traditur) & ſanctitate, & integ.*] Illud *alia*, meo quidem iudicio, corruptum eſt: quamquam aliquo pacto intelligitur, ſi cum *ſanctitate* connectas: vnde &, coniunctionem quidam ſuſtulerunt, ſed non ſatis fit cordati lectoris animo, quapropter exemplaria vetuſta diligentius inſpicienda.

Cap. xxvi. *Et Morzi auxiliares.*] Puſillum quidem hoc, tamen conſideratione non indignum viſum, ſitne *Morzi* reguli nomen potius, quam populi: mihi reguli videtur, vt Ariarathis.

Cap. xxviii. *Subſtructionem ſuper æquimelium in Capit.*] Ad quid illa ſubſtructio, & quo pacto facta ſuper æquimelium, vix à quoquam intelligi puto: cum alioqui, quid ſit ſubſtructio, ex Vitruuij lib. 1 ſatis ſit clarum. De *æquimelio* item ex lib. 4. Liuij ab vrbe condita. Suſpicor itaque, vt quod ſentio, ingenue fatear, hunc locum mutilum.

Eod. *Vicenos autem Cranonij, & Phalenſes, & Samei dederunt.*] Quidam *Granonij* & *Samij* emendarunt. Scholiaſtes vero in Thucydidis librum ſecundum Σάμιος (inquit) ὁ ἀπὸ Σάμου, Σαμαῖος ὁ ἀπὸ Σάμης. Ipſe autem Thucydides, κεῖται δὲ (inquit) ἡ Κεφαλληνία κατ' ἀκαρνανίαν καὶ Λευκάδα τετράπολις οὖσα, Παλλῆς, Κράνιοι, Σαμαῖοι, Προνναῖοι. id eſt, *Sita autem eſt Cephallenia ad Acarnaniam & Leucadem, cui quatuor ſunt ciuitates, Pallenſes, Cranij, Samai, Pronnas.* Quare perperam hi Liuij codicem emendarunt: legendumque *Vicenos autem Cranij, & Pallenſes, & Samai dederunt.* Niſi forſitan quis putet hæc ne Liuio quidem admodum nota fuiſſe, quod mihi tamen non ſit veriſimile. Pro *Pronnas* quidam ante *Granios* poſuerunt *Neſiote*, atque ita legunt: *Vicenos Neſiote, Cranonij, Pallenſes & Samai dederunt.*

Cap. xxix. *Sed triplex ſcutale crebris ſuturis duratum.*] Quidam *triplices ſcytales* legunt, & ad *duratum* referunt *telum*, quod præceſſit. Tolerabilius eſſet ſi *triplex ſcytale* legeretur, ſed *durata* oportebat ſequi. Alij putant *ſcutale* in neutro prolatum genere. Ego puto Liuium deſcribere lanceam, cui imponitur lapis ad quam lora dependent. Ceterum quod mox ſequitur, *Coronas modici circuli magno ex interuallo loci aſſueti traijcere* niſi expreſſus ſit iacientis & geſtus, & ad ſcopum certitudo, ego quid ſibi ea verba velint, haud aſſequor.

Cap. xxx. *Nocte adorti vicum maritimum nomine Lamin.*] Huiuſmodi vicum nemo, quod equidem ſciam nominatim in Laconica: ſuſpicor legendum, *nomine Laan*, ſiue contractim, *Lân*, tribus à Gytheo ſtadiis diſtans oppido, vt auctor eſt Pauſanias libro 3. Meminit & Strabo libro 8. Item alij, vt Ptolemæus.

Cap. xxxiv. *Et ager Belbinatis.*] Huius agri mentio, ni fallor, eſt apud Strabonem libro 8. ac 9. Opinor autem inſulæ eius quæ Salamini proxima: quamquam quibuſdam haud immerito dubium videri poteſt, quomodo tanto à Lacedæmone ſpacio agrum eum tyranni poſſidere potuerint. Deinde quod Liuius ſubnectit, *eidem ciuitati*, de Megalopoli intelligo. *Belbinam* inſulam Plinius libro 4. cap. 12. ait eſſe contra Trœzeniam.

Eod. *Cui per octingentos annos aſſeuerant.*] In Chronicis Euſebij inuenies *ſeptingentos annos*, aut 690. Tu vide quid legendum.

Cap. xxxv. Coss. *dediſſe inſcriptum eſt.*] Nec Coss. nomen expreſſit, nec annum, itaque hoc totum dubium.

Cap. xxxvi. *Quina dena mil. ped. imperarent, & mille ducentos equi.*] Si priore loco diſtributiua ſunt nomina in peditibus, erunt & in equitibus. Sed ego xv. *millia peditum* libentius legam ſine diſtributione. Item paulo poſt: *Vt terna millia peditum ducentos equites*: lego *ducenos equites*.

Cap. xxxvii. *Cum* IIII *millibus militum Oronda.*] *Oronda* Piſidiæ vrbs, vt paulo ante ex Plinio oſtendimus. Hic autem genere neutro ac pluratiuo profert numero, vt in ſequentib. rurſus. In Plinio certum videri non poteſt cuius ſit generis. Nam ſæpe ita ponuntur neutra, vt *Patara*. Quidam etiam *Oroanda* ſcribunt.

Cap. xxxviii. *Cis Taurum montem vſque ad Tanaim amnem*] *Tanais* amnis in his locis nemo, quod ſciam, meminit. De Tanai autem Aſiæ ac Europæ termino intelligere, abſurdum. Vide ſitne legendum *Lalaſim amnem*, cuius Plinius mentionem facit li. 5. c. 27. vbi de gente Iſaurica. Niſi quis de Mela antiquo fine Ciliciæ. vt eodem loco notat idem, intelligere malit, aut Cataracten Pamphyliæ amnem.

Eod. *Neue minorem ex belli cauſa, quod ipſe illatu. erit.*] Qui *monerem* pro *minorem*, hoc loco legunt. bene legunt, ſed quod ſtatim ſubiungitur *citra Calicandium*, legendum *Calycandrum*, ex Plinio. Ptolemæo. ac Strabone, quamquam in Ptolemæi pleriſque codicibus *Calydnus* legitur. Fluuius eſt Ciliciæ. *Sarpedonem* item legendum, non *Sarpedonium*, ex iiſdem auctoribus.

Eod. *Argenti probi* XII. *millia Attica talenta dato.*] Priore libro, vbi Antiocho pacis conditiones à Scipione dicuntur xv. millia talentum Euboicorum nominantur. erant autem iam tria millia perſoluta: quæ igitur reſtant, ſunt xii. millia talentum. Sed enim hic nunc Attica atque ea octogenarum librarum poſtulantur, vbi antea Euboica. Euboica autem ſunt quinquagenarium ſeptenarum librarum cum ſingulis trienta-

bus fere, vt Budæus ſupputat. Ingens igitur hic eſſet acceſſio. Itaque vel Euboicum talentum maius fuit, aut Liuius duobus his locis diuerſos ſecutus videtur auctores: nam lapſu hoc factum non videtur veriſimile. Sed neque placet quod quidam excuſant decem legatos auxiſſe ſummam. Budæus hæc verba Liuij inuerſa eſſe recte ſcripſit: nemo enim Latine dixerit, *millia talenta*. Quare ipſe legendum putat, *argenti probi Attica talenta XII. millia*, vel *Atticum talentum*.

Eod. *Et Lyſimacho Acarnane, & Chalcidenſibus Eubulo.*] *Mnaſimacho* legendum, & *Eubulo*, vt ſuperiore libro à Scipione petuntur. De his tamen duobus Chalcidenſibus dubito. Nam libro 5. huius decad. vbi Chalcis ab Ætolis tentatur, Euthymidas princeps ac exul, & Herodotus mercator ſimiliter exules nominantur, non Eubulus, non Plulon. Verum id iudicet lector.

Cap. XXXIX. *Et Ilienſibus Rhœteum & Gergithum addiderunt.*] Qui pro *Gergithio*, *Gargarum* legendum exiſtimarunt, errant. Strabonis Græcus codex quem Aldus exhibuit, *Gergethium* per ε in medio identidem habet, cum Herodotus per ι ſcribat. Interpres Strabonis videtur melius habuiſſe exemplar, quam ſit Aldinum, per ι enim ſcribit, vt Herodotus. Facit etiam nonnihil ad hunc errorem vulgi abuſus, qui ι & ε eodem pronunciant ſono. Paulo poſt etiam *Phocœenſibus* legendum, vt ſit à *Phocæa* Æolidis vrbe adiectiuum φωκαιεύς. Nihil enim hic de Phocide Græciæ regione.

Eod. *Et Lycaonium & Mytiadem & Lydiam.*] Antonius Sabellicus hoc loco pro *Mytiadem* putat reponendum *Myſiam*, cum Liuius priore verſu *Myſiam* poſt duas Phrygias numerarit. Ego *Miliada* reſtituẽdum cenſeo, cuius in Pamphylia multi meminerunt auctores. Præterea *Telmiſſum* hic Lyciæ vrbem deſignari, non *Termeſſum* Pamphyliæ, quod Strabo lib. 13. de Eumene fatetur, vbi de Lyciæ vrbibus.

Eod. *Quia pars eius citra pars eius vltra Taurum eſt.*] Vix definire queas, qui huius diuiſionis termini fuerint, ita ſuperius Tanaim flumen nominauit, cum cis Taurum ditionem definire vellet. Hic ipſam Pamphyliam in duas diuidit parteis, idque per Taurum montem. Ceterum ſi idem mons Chelidonio promontorio diſterminatur, vt Plinius inquit libro 5. cap. 27. aut potius Tauri initium montes dicuntur, qui ſupra Chelidonias inſulas ſunt in Pamphyliæ ac Lyciæ confinibus, vt Strabo aſſeuerat libro 14. non video quomodo Ptolemæi pictura, vel ipſi auctores iam citati, cum Liuij hac deſcriptione conueniant. Mihi ſane in codice Liuij multa ſuſpecta: ſed iudicent doctiores.

Cap. XL. *Inde poſtero die ad Cypſelas peruenit.*] Hic genere fœmininõ *Cypſelas* quidam legunt, cum lib. 1. huius decados *Cypſela* neutro genere dixerit. Strabo lib. 7. *Cypſelon*, vocat ſingulari numero. Eſt autem locus inter Hebrum ac Melana Thraciæ flumina.

Eod. *Aſtij & Cœni, & Maduateni, & Coreli.*] Aſtios puto, à quibus apud Ptolemæum Ἀστικὴ præfectura, vt à Cœnis Καινική. Plinius *Cænicos* vocat eos populos libr. 4. c. 11. *Corelos* non ſane reperio. Ptolemæus Κοιλητικὴν vocat præfecturam. Item Plinius dicto loco *Coletas*. Ex his lector diſpiciat quid reſtituendum. De *Maduatenis* nihil inuenio.

Cap. XLI. *Circa templum Mendidium caſtra loco aperto.*] *Vendidium* habebant quidam codices. Vnde quidam *Bendidium* emendarunt, ſed non placet. Nam *Mendidia* inter multa alia Thracum ſacra Strabo numerat lib. 10.

Eod. *Alia anguſtia circa Timpira excipiunt.*] Herodotus lib. 7. *Strymam*, oppidum hoc tractu ponit. *Timpira*, quid ſit, non reperio. Quidam *Tempyra* legunt, quod mihi æque ignotum.

Eod. *Tranſi, gens & ipſa Thracum.*] Idem Herodotus libro 5. ab initio *Trauſos* vocat, apud alios auctores rara illorũ mentio. Quidam codices *Tranſi* per *n* legunt, ſed perperam. Apud Herodotum etiam per τ prima, non θ ſcribitur.

Eod. *Priaticus campus eos excepit.*] *Priatici* qui ſint, nuſquam inuenio. Ceterum Herodotus lib. 7. vbi Xerxis à Dorisco iter deſcribit, hoc in loco *Briantica* regionis meminit. Plin. etiam lib. 4. c. 11. *Priantarum*, variatum in *p*, & *b*, haud magno diſcrimine. At litera *n*, omitti non debuit.

Eod. *Ab ſtatiuis dici via Apollonia fuit.*] Hanc vrbem auctor noſter, vt ex deſcriptione liquet, inter Maroneiam ac Abdiram ponit. At Plinius loco iam dicto inter Strymonem ac Ocſymnem memorat. Eſt autem longe alia ab ea quæ ſequitur paulo poſt ad Ionium mare.

Eod. *Donec in Macedoniam peruenerunt.*] Ptolemæus Macedoniam longius ad Septentrionẽm extendit quam alij auctores: quod antea etiam alicubi admonuimus. Itaque Neapolis quæ Ptolemæo eſt in Macedonia, Liuio & Plinio eſt in Thracia.

Cap. XLVIII. *Sed ego in ea ciuitate, quæ ideo omnibus rebus.*] Alij legunt, *ſed ſi ego*. quod vetuſti codices non habent. Sequitur enim ſtatim poſt, *ſi nollem, ſi graue ac ſuperbum exiſtimarem*, &c. Niſi quis repetitam coniunctionem *ſi*, putet ob longum quod interpoſitum erat Hyperbaton, quod mihi non probatur.

Cap. XLIX. *Aut nobis videri velint hoſtem.*] Vobis haud dubio legendum, non *nobis*. Eſt autem ſyllogiſmus ἀντιστρέφων, tamquam ſi Manlii aduerſarii obieciſſent: Si hoſtis fuit terribilis, temere cum eo congreſſus es: ſin fuit effeminatus, non meruiſti triumphum. Ille contra obiectionem hanc in eos conuertit; Si hoſtis fuit terribilis, merui triumphum: ſin effeminatus ac emollitus, non temere eos inuaſi. Nota etiam id genus locutionis, *detrectare virtutes*, pro *laudi detrahere*.

Cap. LII. *Tribunus plebis eo tempore T. Sempronius Gracchus erat.*] Aulus Gellius li. 7. c 19. hæc ita recitat, perinde atque P. Scipio pro fratre Lucio hæc egiſſet, quæ hic Gracchus pro P. Scipione egiſſe narratur. Valerius Maximus li. 4. c. 1. tamquam Gracchus pro Lucio, non Publio, hæc egerit, narrat. Liuius paulo poſt omnium narrat opiniones.

Cap. LIII. *Nec prabita eſt materia ingenio quo ad primum conſ.*] Verba hæc in pleriſque codicibus aſteriſco notata ſunt, quia ſunt oppido obſcura. at in vltima Frobenii editione ex veteribus codicibus recte emendata. Priore quidem conſulatu magis in Africam apparauit exercitum quam res vllas geſſerit: ſecundo Italiam numquam egreſſus eſt. Ergo prima vitæ pars memorabilior quam poſtrema.

Cap. LV. *In L. Scipione malim equidem librarij mendum.*] Hoc ego ita intelligo, vt Liuius dicat legi debere apud Antiatem, *Scipione ſex millia pondo argenti, & quadringenta octoginta auri plus accepiſſe, quam in ærarium retulerit.* Quæ deinde ita Liuius comparat, vt ſex millia pondo auri, & quadringenta octoginta argenti, vt librarii corruperant Liuii opinionem æquent ducenties quadragies H. S. Rurſus ſex millia pondo (vt Liuius vult apud Antiatem legi debere) argenti & quadringenta octoginta auri. æquent quadragies H. S. quæ ratio non admodum differt à Budæi ſupputatione. Oſtendit autem aurum eo tempore non tanta in æſtimatione fuiſſe Romæ, vt poſterioribus inde annis: quod etiam ipſe Budæus multis locis aſſeuerat. Ceterum huius hiſtoriæ Gellius meminit lib. 4. c. 18. & Valerius Maximus lib. 3. cap. 6.

Cap. LVII. *Senatum eo die forte cœnantem in Cap. conſurre.*] Cui aſſurrexit ſenatus, ambiguum. Gracchóne tam bene merito de republica, an P. Scipioni, quicum ſtatim verba fiunt, Æmiliæ item reſponſio niſi eam Graccho vel affinem vel valde fauentem intelligamus, quid ſibi velit, non plane capio.

Cap. LIX. *Hanc regionem dierum plus triginta in longi.*] *Viginti* legendum, pro *triginta*, vt ſit dupla ratio longitudinis ad latitudinem: quamquam ne hoc quidem verum eſt. Siquidem Herodotus Aſiæ huius latitudinem à Cilicio mari ad Pontum Euxinum, quinq; dierum iter expedito facit libris primo ac ſecũdo. Verum P. Scipio Naſica, hic omnia exaggerat.

FINIS.

IN T. LIVII LIB. XXIX. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAp. II. *Tranſlatum deinde ad Apuanos Ligures.*] *Apua* oppidum eſt ad fonteis Maciæ fluuij, vt quidam dicunt, ex fragmento Catonis de originibus quibus quantum credere debeamus, iudicent alij. Certe Sempronius Coſs. poſterioribus annis Apuanos Ligures viciſſe dicitur, vbi etiam ad Macram habitatio eorum refertur. *Friſinates* autem Ligures, deinde montes *Anginum, Balliſtam* atque *Suiſmontium*, non temere reperias apud auctores, quod ideo admonemus, vt vetuſtiora eo diligentius inſpiciantur exemplaria.

Cap. IV. *Frimum temporis ſaſluram facere.*] Verba ſunt adhuc Amhuſij tribuni pleb. At illud, *Marcus Fuluius* ἀντέλεγε poſitum videtur, intelligitur enim vel *contradicebat*, vel quid ſimile. Niſi quis locum corruptum putet, cuius gratia & nos locum notauimus.

Cap. V. *Dum ne ſummam octoginta millia excederet.*] Quidam admonuerunt *octoginta* legendum, non *octingenta*, & recte, Sed quare hoc ita, cum nihil adijceretur, dicere non potuere. At ego H. S. intelligo aut nummum. Nam æris ſi intelligamus, videtur nimis parua ſumma, pro ea quam Fuluius paratus erat in eam rem expendere. Quamquam libro 10. huius decad. M. Æmilio Lepido Cenſori & pontifici maximo ad ludos non amplius decretum, quam viginti millia æris, quę ſumma quadruplo minor eſt octoginta millibus æris. quare cum nemine ea de re pugnauero, quicquid adijciatur.

Cap. VI. *Inde primum lectos æratos, veſtem ſtragul.*] Vide vt acceperit *lectum*, cum ait, *lectos æratos*. Nam *veſtis ſtragula* etiam mentio lib. 4. huius decad. in oratione Catonis.

Cap. VII. *Intriumphatulit Cn. Manlius Cor. au. CCXII.*] Quidam codices x. habent pro XII. Ceterum hic numerus librarum eſt, non coronarum, ſicut ſuperius in M. Fuluij triumpho aureæ coronæ CXII. pondo.

Eod. *Stipendium collatum à populo in publicum, quod eius.*] De quo ſtipendio loquatur non eſt certum. Nam qui ſecundo Punico bello in publicum dederant pecuniam, iis tertia ac vltima penſio ſoluta fuit, lib. 3. huius decad. deinde vicenos quinos & ſemiſſes in millia æris datos: intelligo aſſes, vt exceptis ſemiſſibus ſit vſura ſemiquincunciaria, quam nunc vulnus iuriſperitorum ex ſemiſſe vocat, cum vſura ex ſemiſſe in mille eſſent ſexaginta. Sed hæc alterius ſunt negocij.

Eod. *Et ex duabus Hiſpanijs cum literis C. Atinij, & C. Manlij.*] Superiore libro, Coſs. M. Valerio Meſſala, C. Liuio Salinatore, anno vero ab Vrbe cond. 566. leguntur horum prætorum nomina, C. Catinius, & L. Manlius. Hic Manlius ad finem huius libri. triumuir creator cum Naſica & Flaminio ad coloniam Aquileiam deducendam.

Eod. *Malus in circumſtabilis in ſignum Pollentia.*] Cuius rei ille *malus* fuerit, explicatum vellem. Tum *Pollentia* qualis fuerit Dea. Feſtus *Potentiam* interpretatur, quæ merito Romæ, ſi vſpiam alibi, templum habere debuit.

Cap. IX. *Vna via corruptelæ Bacchanalia erant.*] Ita habebant plerique codices, vt *corruptela* ſingularis eſſet numeri. Alij pro nominatiuo *Bacchanalia*, genitiuum ſubſtituerunt, vt *corruptelæ* pluralis ſit numeri, hoc ſenſu: Corruptelæ Bacchanalium erant vna via ad corrumpendum pupillum. Sed vtrumque intelligitur. At magis de hac, quæ mox ſequitur locutione dubito, quid ſibi velit, *Bacchis eum ſe initiaturum*, & rurſus toties poſt, *Bacchis initiari velle*, de qua iudicet lector.

Cap. XII. *Vt Hiſpalensi itidem ex Auentino libertidam.*] Pro *itidem* quidam repoſuerunt *identidem*. quod mihi diſplicet. Veteres ſane codices *indidem* habent, & ſignificatio magis hic congruit, & verbum ipſum apud hunc auctorem frequens eſt.

Cap. XVII. *Datam operam eſſe vt primo quoque tempore compr.*] Ita habent vetuſtiores codices quidam, in alijs tamen aſteriſco notata. Quidam emendarunt, *data opera eſt.* Quod ſi ex vetuſto codice fecerunt, perplacet. Sin, qua nunc plerique omnia audent, propria temeritate, male eis precandum, ingentem enim feneſtram aperiunt ad audacter corrumpendos auctores, cum alioqui diligentius inſpecta fuiſſent vetera exemplaria.

Cap. XVIII. *Qui ſtupris ac cædibus violati erant.*] Vide vt id verbi *violati*, acceptat, quaſi dicas *inquinati*, & qui alios violarint, niſi quis corruptum putet locum. Sed ſunt talia etiam apud Salluſtium.

Eod. *Extra quam ſicubi vetuſta ara.*] Quidam emendarunt hunc locum, pro *ſicubi*, ponentes *ſi qua ibi*. quod mihi quidem placeret, ſi *vbi* non *ibi* repoſuiſſent, quamquam cum nemine ea de re contendero.

Cap. XX. *Cum Luſitanis in agro Haſtenſi ſig. coll. pug.*] Ita plerique habent codices, ſed hoc alij emendarunt. *Aſtam* enim abſque aſpiratione Ptolemæus in Bætica ponit, vt & alij, quo Luſitani facile peruenire poterant. At in Luſitanis nemo ponit neque *Aſtam* neque *Haſtam*.

Cap. XXI. *Cum Celtiberis acie conflixit.*] Hic locus oſtendit Celtiberos in citeriore Hiſpania eſſe, qui tamen ſunt trans Iberum, niſi quis dicat eos Iberum transgreſſos in Romanorum citeriorem prouinciam. Atqui de citerioris vlterioriſque Hiſpaniæ veris terminis vix certum eſt definire. Annixus eſt hoc Plin. libro 3. cap 1. ſed obſcure admodum. Imo paulo poſt cap. 3. fatetur veterem citerioris formam mutatam. Primum quidem, meo iudicio, amnis Iberus fuit limes vtriuſque prouinciæ, at poſterioribus deinde annis multum adiectum fuit citeriori.

Cap. XXII. *Galli tranſalpini tranſgreſſi in Venetiam.*] *In Venetiam* dicit, quod auctores *in Venetos* frequentius dicunt: niſi quis locum corruptum putet, quod ego tamen non exiſtimo.

Cap. XXIII. *Poſtero die prætores facti P. Cornelius Cethegus.*] Hoc *Cethegus* nuper eſt additum. Sed & anno ſequenti P. Cornelius Cethegus fit prætor. quare hoc mihi ſuſpectum, vt multa alia hoc loco, maxime quod prætorum ſors omiſſa eſt hoc anno, & prouinciarum ordinatio, præter huius decados & morem & conſuetudinem.

Cap. XXV. *Perrhæbiæ Connocondilum.*] Neque hoc oppidum, nec quæ ſequuntur, *Mallæam Certinium, Menelaida, Petram, Xinias ac Paracheloida* facile reperias. *Citinium* oppidum Doridos nihil ad hunc locum. *Ximarum* etiam libro 2. huius decados mentio, non item apud alios.

Cap. XXVII. *Direxiſſe finem Philippo veterem viam regiam, qua ad Thraciæ Paroreiam ſubeat.*] In noua Frobenij editione bene habent hæc loca. Ceterum *Parorei* qui ſint, non admodũ conſtat. Plin. tamen lib. 4. c. 10. vbi de Axio: *Ab hoc* (inquit) *amne Pæoniæ gentes Parorei Heordenſes, Almopij,* &c. Quidam codices Plinian. *Parocei* habebant. Videri etiam poteſt appellatiuum nomen *Parorei*, quaſi dicas montibus vicini, quod intelligitur quidem, obſcurum tamen eſt.

Cap. XXIX. *Tulit coronas aureas quinquaginta duas, auri præterea pondo.*] Initio huius libri duorum imperatorum. M. Fuluij & Cn. Manlij triumphi memorantur, in quibus numerus non eſt ipſarũ coronarum, quot numero eæ fuerint, ſed potius pondo, quot in vniuerſum eæ coronæ habuerint auri libras, etiamſi in Fuluij triumpho poſt eum numerum, & poſt argenti pondo, auri quoq; pondo ſubijciuntur. In Cn. Manlij triumpho poſt coronarum pondo, nulla deinde auri pondo numerantur. At hoc in triumpho L. Manlij coronarum eſt numerus, non pondo, niſi codex erret. Deinde auri ac argenti numerus ſubiectus eſt. Hæc à nobis notata ſunt, vt lectori ſuum ſit iudicium. Neque enim ego eam rem valde vrgeo, ſed exemplaria vetuſta conſpicienda ſunt.

Cap. XXX. *Haud procul Hippone & Toleto vrbibus.*] Nemo, quod ſciam, in Carpetanis *Hippones* meminit, Quidam codices *Dippone* habuerunt, vnde *Hippone* factum. Ptolemæus Carpetanorum *Liboram* & *Hiſpinon* numerat. Tu vide quid ſequaris.

Cap. XXXII. *In Liguribus Ingaunis.*] Strabo *Albigaunum Ingaunorum* oppidum nominat, ſimiliter & Ptolemæus, quamquam plerique eius codices habent *Albitaunum*, facili permutatione γ in τ.

Eod. *C. Decimus Flaccus, P. Sempronius Longus, P. Cor. Ceth.*] Hunc *Decimum*, alij *Deciminm*, & *Flaunum*, quin etiam *Flanum* cognominant. Hoc autem mirum quo pacto P. Cornelius Cethegus hic rurſus ſit factus prætor, cum priore anno fuerit. Sed hoc antea admonuimus.

Cap. XXXVI. *His Clitora in Arcadia datum eſt concilium.*] Κλείτωρ eſt apud Strabonem lib. 8. ad finem. Nomen fuit Arcadis nepotis, à quo & oppidum nomen accepit, auctore Pauſania lib. 8. Et vide ſi ab accuſatiuo Græco Κλείτορα, factus ſit nominatiuus fœmininus *Clitora*, vnde hic genitiuus *Clitoræ*, quod ſæpe Latini feciſſe videntur, quamquam ſunt qui abſque diphthongo in ablatiuo *Clitore* legendum putant, vt Carthagine.

Cap. XXXVII. *Specie, inquit, æquum eſt fœdus apud Achæos.*] Ita quidam diſtingunt poſt *Achæos*. Ego poſt *fœdus* diſtinguendum puto. Ceterum quid argutiæ habeant hæc verba, *Sentio Appi, & ſi non oportet, non indignor*, lector diſpiciat.

Cap. XL. *Scripſitque nonageſimo anno.*] Cicero in Lælio mentionem faciens dialogi de Senectute, ſub perſona Lælij ita ait: *vt memini Catonem vno anno antequam mortuus eſt, mecum & cum Scipione diſſerere.* Porro ille annus eodem auctore erat Coss. L. Quintio Flaminio, M. Acilio Balbo, noſtra ſupputatione ab Vrbe condita 604. quo tempore Cato annum quartum ac octogeſimum agebat, vt apud eundem ipſe Cato in eodem de Senectute dialogo fatetur, paulo poſt vbi de Neſtore. Quapropter ſi poſteriore anno mortuus eſt, vt Lælius affirmat, non exceſſit quintum ac octogeſimum annum, cum hic nonageſimo anno ſcripſiſſe memoretur. Sed diuerſum auctores tradidiſſe apparet. Quod ſi vllus in his numeris ſuſpectus eſt, in Lælio videtur emendandus, legendumque, aut *ſexto* aut *ſeptimo anno* antequam mortuus eſt, quamquam lectoris iudicio hæc committo: nobis ideo annotata, vt occaſionem ſtudioſis daremus & emendandi auctores, & iudicandi diligentius. Nec hoc quoque planum eſt, quo Catonis anno Liuius voluerit Sergium Galbam (qui Seruius Sulpicius Galba vere nominabatur;) ab ipſo Catone in iudicium ductum: niſi quis diſtinguat, poſt *ſcripſeritque*, & *nonageſimo anno* referat ad ſequentia. Vide Florum libr. 49. ac confer tempora, videbiſque non omnino friuolam hanc noſtram dubitationem.

Cap. XLI. *Coierant apud prætorem L. Flaccum, qui collega.*] Valerius Flaccus Catonis in conſulatu collega, hoc anno non fuit prætor, neque videtur alicui ſubrogatus. Itaque lego *apud competitorem L. Flaccum.* Quidam locum ita emendarunt, *Conſenſeramque præter L. Flaccum.*

Cap. XLII. *Coronas aureas tulit* LXXIII. *&* XII. *pon. argenti.* Paulo ante teſtati ſumus hos ac ſimiles locos nobis ſuſpectos eſſe. Nam nimis nudus hic eſt triumphus, & Criſpini etiam nullo ſenſu. *Tandundem, inquit, auri, quantum argenti in eo triumpho tranſlatum*: at quantum auri, hoc enimuero omiſſum eſt, quod & in aliis accidiſſe mihi fit veriſimile. Quidam pro LXXIII. legunt LXXXIII. & XII. *M.* pondo. Item, *tantundem auri atque argenti*, vt Criſpina ſumma referatur ad Calpurnij, quæ procedit, ſummam.

Cap. LXIII. *Et fabula tantum ſine auctore edita credidit.*] Si Valerius fabulæ credidit, certe Cicero quoque in Catone fabulam narrat, quippe qui eandem eius rei geſtæ adfert cauſam. Hoc etiam obiter notandum, cum ante ſeptennium L. Flaminius Coss. ſiue proximo deinde anno procoſ. hoc in Gallia facinus commiſerit, cur illis tum Cenſoribus non fuit notatus? Titus enim frater biennio poſt factus eſt Cenſor, vt non videatur quibuſdam locum habere ea apud Ciceronem ratio in Catone, vbi ita inquit: *Tunc hic Tito fratre ſuo Cenſore, qui proximus fuerat, elapſus eſt. Mihi vero & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa & tam perdita libido*, &c. Sed ſciendum, hoc exemplum eſſe, Cenſores maxime inito iam magiſtratu nouo ſenatum legere conſueſſe: ideoque Flaminium non ſtatim vt magiſtratu abijt, è ſenatu pulſum, ſed ad hoc vſque tempus impune illi fuiſſe. quare Ciceronis ratio bene procedit.

Cap. XLIV. *Et his rebus omnibus terni in millia æris.*] Hoc obſcurum eſt. Non ita longe ab initio huius libri, viceni quini & ſemiſſes in millia æris à quæſtoribus ſoluti referuntur. Quamquam haud ſcio ſintne hi loci comparandi: nam à me in hoc citantur, vt ſi quid lectorem iuuare queant, occaſionem neglexiſſe non arguamur.

Eod. *Moliem ad Neptunias aquas.*] Quæ ſint illæ *Neptuniæ aquæ*, certo ſcire non potui: ſed puto locum ad mare Latinum, vt & Formianus ille muni. Atque Cauoatria in Latomius emit, ea in vrbe aut prope fuiſſe exiſtimo. Verba autem de vectigalibus locatis, & à ſenatu obliteratis (nam hoc ſonat verbum *induci*) indigent etiam attento lectore, vtinamque omnia bene haheant.

Eod. *Iidem triumuiri Q. Fabius Labeo, & M. & Q. Fuluius.*] Neque hoc ſcire poſſum cur dicat *iidem triumuiri*, cum nuſquam antea, quod ſciam, horum triumuirorum ſit mentio, quamquam alios quidem magiſtratus geſſerunt.

Cap. XLV. *Id eos vt prohiberet, quoad eius ſine bello poſſet.*] Notandum etiam hoc locutionis genus: omnia ſane quæ nos vidimus, ita habent exemplaria.

Cap. XLVIII. *Et Meſſene deſciuerat à concilio Achaico.*] Quidam mutarunt, *Meſſenij deſciuerant*: ſed non erat opus, cum poſt Philopœmenis mortem Liuius de multitudine Meſſeniorum ita quoque loquatur, *Victa namque* (inquit) *Meſſeno bello, expaueſcentibus Achæis dedit noxios.* Ego tam temere non mutarim auctorum verba abſque vetuſto exemplari.

Cap. XLIX. *Ad præoccupandam Coroneam.*] Strabo libro 8. & Pauſanias libr. 4. ad Pamiſum amnem *Coronem* Meſſeniæ ponunt. *Coronea* vero Bœotiæ eſt oppidum ad Heliconem montem, vt idem Strabo libro 9. teſtatur. Meminere & Plinius & Ptolemæus vtriuſque oppidi. Ceterum ex Strabone lib. 9. colligitur, à Coronea Coronæus tetraſyllabon dici, à Corone vero Coronæus triſyllabon: tametſi Plinius Coroneum ſinum vocat eum, qui ad Coronem Meſſeniæ eſt. Ego Liuium hoc loco *Coronem* ſcripſiſſe puto, non *Coroneam*, niſi quis eius rei differentiam parum eum curaſſe putet.

Cap. LII. *Ego neque his, neque Valerio aſſentior.*] Quia in re Valerio antiati (nam de hoc haud dubie loquitur) non aſſentiatur, comminiſci non poſſum. Nam quod de tribuno Næuio ſubiungit, nihil ad Antiatẽ, qui duos Petilios P. Scipioni diem dixiſſe ſcribit, non M. Næuium, vt ipſe Liuius ſuperiore libro fatetur. Ad rationem autem, contra Polybium atque Rutilium obijci fortaſſis poterat Scipionis exilium, quod ipſe ſibi non patria fecerat, in cauſa eſſe potuiſſe, vt L. Valerius princeps ſenatus crearetur, nulla Scipionis nota. Magis me mouet Ciceronis auctoritas, apud quem Cato ita de Scipione Africano loquitur: *Anno ante me Cenſorem mortuus eſt, nouem annis poſt meum conſulatum, cum Coss. iterum me Coss. creatus eſſet.* Hæc ille. Fuit autem hic annus tertius ante hunc quo Hannibal mortuus dicitur. Obiter etiam hoc loco notandum, quod paulo poſt hic ait Liuius, tribunos plebis tribus menſibus ante Coss. iniſſe magiſtratum, quamquam haud ſcio, an perpetuo obſeruatum.

Cap. LIII. *Exercitum in Odryſas & Denteletos & Beſſos du.*] Quidam *Dendelechos* emendarunt. Apud Plin. li. 4. cap. 11. tum *Denſeleta*, tum *Dendeleta* in codicibus vetuſtioribus legas, vbi & Beſſorum meminit. Ptolemæus vero inter Thraciæ præfecturas & *Danthelelicen* & *Beſſiten* enumerat. Strabo item lib. 7. *Danthelotas* vocat & *Beſſos*: itaque hoc & Græcis & Latinis variatum eſt codicibus quare quid ſequendum, lector ipſe deſpiciat. *Philippopolim* vero antea Trimõtium dictam. & Plinius & Ptolemæus perhibent. Plinius etiam *Poneropolim* olim; Ptolemæus *Hadrianopolim* ſuo tempore.

Eod. *Oppidum in Derriopo condere inſtituit.*] *Deuriopus* nomen loci apud Strabonem libr. 7. prope Lynceſtas (vt ipſe vocat) & Pelagones. *Derriopum* nuſquam inuenio. Thucydides li. 2. *Doberum* Pæoniæ facit oppidum, quod Ptolemæi codices inuerſis literis vocant *Deborum*. *Stobos* autem Pelagonum oppidum Ptolemæus facit, non ita prope Pæonias. Quamquam ex Liuij verbis non plane conſtat, duaſne vrbes condere inſtituerit Philippus, an vnam duntaxat, vt continuata ſit lectio, diſtinctionibus non colis interciſa, quod videtur veriſimile. Et hic lectoris eſto iudicium

Cap. LV. *Et Saturnia colonia ciuium Romanorum in agrum Caletra.*] Ptolemæus (ſi codices non errant) *Saturnianam* coloniam vocat, vt puto, in Thuſcia, vbi & Plinius *Saturninos* populos ponit, *agrumque Caletranum*. Sed nihil mutem.

Cap. LVI. *Eod. in anno A. Terentius proprætor.*] Quidam etiam

libri *procoſ.* habebant, ſed non placet. Quidam libri etiam *C.* non *A.* habebant, & hic & in ſuperioribus, ſed neque hoc placet: nam ſequentis anni prætor Terentius id prænominis habet.

Eod. *Citerior Hiſpania in pace fuit eo anno.*] *Vlterior* legendum non *citerior*, vt tertio antea anno in prætorum ſorte liquere poteſt, & ſequente item ſtatim libro duobus locis.

Eod. *P. Æmilius iterum.*] Ita habebant quidam vetuſtiores codices, ſed errant, quod initio libri ſtatim ſequentis paret. Quamquam in prioribus neque P. Æmilium, neque P. Manlium inter prætores inuenio, Lucios vtrumq;. Certe anno XIII. huius decad. M. Valerio Meſſala, & C. Liuio Salinatore Coſſ. prætor Hiſpaniæ citerioris dicitur *L. Manlius Acidinus.* tametſi rurſus anno XV. huius decados non ita longe ab initio huius libri *C. Manlius* legitur, errore vt puto omnium codicum. Hoc igitur loco legam, *L. Manlius*, iterum, non *P. Manlius*, etiamſi poſt orationē Demetrij libro ſequente repetatur *P. Mālius*. At ibidem quoq;, vt initio ſequentis libri, vlterioris Hiſpaniæ dicitur fuiſſe prætor, qui anno XIII. vt paulo ante diximus, citorioris dictus eſt. Fortaſſis autem & hoc hiſtoria variatū eſt, aut auctor lapſus memoria in re non magni admodum momenti.

F I N I S.

IN T. LIVII LIB. XL. HENRICI GLAREANI LORITI ANNOTATIONES.

CAP II. *Et Rhodiorum querentium de Sinopenſium clade.*] Quæ hæc fuerit clades, ne verbo quidem antea, quod ſciam meminit Liuius: hic vero quaſi rem notam introducit.

Cap. III. *In Emathiam, quæ nunc dicitur, quondam appellata Pæonia.* Plin. lib. 4. c. 10. ait *Macedoniam* antea dictam *Emathiam*, cuius partem ſeptentrionalem *Pæonia* ac *Pelagonia* protegi ſubiungit. Sed ob vicinitatem hæc confuſa videntur ab hiſtoriographis, quando ne geographis quidem omnia ad amuſſim diſcriminata viſuntur. Porro huius loci compoſitio mihi non admodum placet.

Cap. 5. *Ex compoſito ſermones ad ſpretionem Romanorum.*] Ita plerique habebant libri. Alius *ſpretio* vox inſolens viſa, *ſpem* repoſuerunt: ſed compoſitionem fecere, quam ego plane non intelligo.

Eod. *Redierant quos forte miſerat in Baſtarnas.*] *Baſternas* per *e* pleriq; habent codices in ſecunda ſyllaba, at Græci per *a* primam vocalem in ſecunda, vt Strabo atque Ptolemæus. Plin. li. 4. cap. 14. vicinos Peucinis ac Dacis facit. Idem Ptolemæus in Sarmatiæ Europææ deſcriptione.

Cap. VII. *Demetrius per vim, quod excluderetur, pauliſper vociſe.*] *Per vinum* quidam emendarunt: at mihi legendum videtur, *per viam*: ſic enim facere ſolent adoleſcentes, & viæ paulo ante mentio.

Cap. VIII. *Sociabilem conſortionem inter binos Laced. reg.*] Rara vox *conſortio*, ſed apta tamen. Loquitur autem de iis qui ab Ariſtodemi gemellis geniti, per multa deinceps tempora Rempub. Lacedæmoniorum concordi rexere imperio. Ariſtodemus enim quintus ab Hercule, Proclen ac Euryſthenem genuit gemelos, à quibus deinde regum Spartanorum duplex deſcendit genus. Vide ea de Herodotum lib. 6. ac duobus ſequentibus, ac Pauſan. lib. 3.

Cap. X. *Noxium huic eſſe caput.*] Cum præcedens oratio, ac item ſequentes duæ, bina habeant membra, miror quid ſibi hæc verba velut mutila velint. Fieri autem poteſt vt quid deſit: quicquid id eſt, admonendus fuit lector.

Cap. XIV. *Miſeria hæc & meus crapulam facile exeuſ.*] Quid ſibi velit vox hæc *miſeria*, neſcio. Fortaſſis fratris inuidiam intelligit, & patrem ſcire vult quæ domi ſuæ ſint acta, quæ item in domo Perſei. Totum autem malum inde ortum, quod Perſeus ad Demetrij domum ſpeculatores mittere non dubitauerit. Sed iudicet lector.

Cap. XV. *Id enim vitiis meis non cedendo, cui ius faſque eſt.*] Sed ne hæc quidem verba intelligo. Duo propoſuit: alterum, nunc non ſperandum regnum, quod minor ſit, quod maiori cedendum dicat pater: alterum, nec ambigendum vnquam de eo forſitan. Nunc lector videat vt hæc verba ſequantur, & vt intelligenda, denique an putet in codice mendam eſſe.

Eod. *Ne inuidia conflagrem, cum crimine non poſſim.*] Bene habent hæc verba, ſed non tam clara ſunt, quam certam habent arguitam, & vide an crimen acceperit pro coniuncta culpa.

Cap. XVI. *Vt omnibus appareret noſtis pro.cri.fa.vnictum.*] Hoc vnictam, vt ingenue fatear, me male habet: videri poterat in vtramque dictum partem, vt vter peccauerit, conuictus diceretur, niſi ſequeretur mox, *ſuſpectam nimiam cum Romanis Demetrij gratiam eſſe.* Itaque non videntur eſſe reſponſi verba, ſed auctoris, qui obiter populi de reſponſo regio iudicium narrat.

Eod. *Tum quoque non placet ſibi.*] Totus hic locus de recipiendis armatis Liguribus obſcurus eſt: neque enim explicatur quomodo recipiendi: deinde num *verius* pro *melius* acceperit. Et quid hic ſenatui non placeat, obſcurum eſt. Denique *ad* Coſs. pro *ad* Coſs. poſitum videtur.

Eod. *Tranſlatum argenti pondo millia.* CCCXX.] Pro *millia* legendum puto *mille*, nec ad CCCXX. referendum, alioqui auctor dixiſſet CCCXX. *millia*, quæ fieret immenſa ſumma. Senſus itaque eſt, mille pondo argenti tranſlatum, ac præterea CCCXX. Atque ita facile conueniet cum aliis triumphantium de ea regione imperatorum ſummis. Quidam legunt IX. *millia* CCCXX.

Cap. XVIII. *Qui ſeruitutem ſeruiſſent.*] Vide, libertinæ ne conditionis homines, an eos qui poſtliminio redierint, dicere velit: nam ſeruos vix credo, etiamſi continuo ingenuos ſubiungit. Porro ſtatim poſt vbi promontorij Mineruæ meminit de eo intelligo quod in Picentinis inter Surrentum ac Salernum è regione Procliteæ inſulæ à Ptolem. ponitur. *Barium* eodem auctore non longe à Salapia ad oſtia Aufidi amnis. Meminit eius Horat. lib. 1. Serm. ſatyr. 5. *Via peior aduſque Bari mœnia piſcoſi.*

Cap. XIX. *Bellumque à Bilienſibus concitatum in Sardi.*] Quidam emendarunt, *ab Ilienſibus*: At ego legendum puto ex Strabonis li. 5. *Iolenſibus*: niſi quis potius *Iluenſibus*, per *u*. in ſecunda ſyllaba, legere velit. *Ilue* duæ eius nominis apud Ptolemæum ſunt inſulæ, altera è regione Populoniæ, altera inter Corſicam ac Sardiniam.

Eod. *Apud L. Puppium pretorem.*] Quidam codices *T.* habebant, ſed *L.* legendum, Coſs. enim M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labeone, L. Puppius fit prætor Apuliæ: Proximo autem ante eum anno Bacchanalium quæſtiones cum omni cura executus erat L. Poſthumius Tempſanus. De huius autem Puppij executione nihil, quod ſciam, meminit Liuius.

Eod. *Et leges de ambitu* Coſs. *ex auctori.*] In pleriſque codicibus hæc verba mutila erant, quamquam ne nunc quidem ſatis clara: quippe ea ita narrat, quaſi ex prioribus nota ſint, cum nuſquam earum legum antea, quod quidem ſciam, ſit mentio.

Cap. XXI. *Primum quærit ab eo.*] Hic *quærit*, nemo reſpondet, itaque quidam ſuſpicantur defectam eſſe orationem, at ego nihil definio, multa enim ſimilia paſſim in hoc libro reperias.

Cap. XXII. *Septimis demum caſtris ad radices montis.*] Non ita longe Æmus mons à Medica abeſt, ſed parua regem feciſſe itinera, veriſimile eſt.

Eod. *Vrbem, quam Petram appellant, oppugna.*] Id nominis hoc loco apud neminem inuenio, ſed fieri poteſt, vt cum re nomen quoque vetuſtate abolitum ſit.

Cap. XXIV. *Ad Aſtraum Pæoniæ Demetrium mittit.*] Ptolemæi codices *Æſtreum* cum *æ* dipthongo in vtraque habent ſyllaba. Αἴστραιον. Heracleam autem puto Lynceſtidos, quæ eſt ad Erignnem amnem.

C. p. XXV. *Duos equites ad M. Bebium* Coſs. *cum literis Piſas.*] Paulo ante in ordinādis huius anni exercitib. de M. Pinario qui exercitū in Sardiniam ducturus erat, Liuius hæc ſcribit, *Sumere à Cn. Bebio proconſule, qui Piſis hybernabat, iuſſus prætor.* Quare hoc loco legendum: *Duos equites ad C. Bebium proconſulem cum*

Google

literis Piſas miſit. M. Bebius enim huius anni Cos. nondum erat Piſis, vt ex paulo poſt ſequenti contentione ſenatus ac Cos. clarum euadit.

Cap. xxvi. *Duumuiri nauales creati Macienus & C. Lucretius.*] Bis poſtea alter duumuirorum *L. Cornelius Dolabella* proditur quare videndum, hic locus quam bene habeat.

Cap. xxix. *Eodem anno in agro L. Petilij ſcribæ.*] Operæ precium fuerit videre quæ Plinius lib. 13. cap. 13. ſcribit, vt lector comparatione facta iudicet vter veriſimiliora ſcribat: nam neque nomina propria, neque arcarum aut librorum numerus conſonant. Sed eſt hoc quoque, vt pleraque alia, apud auctores variatum. Meminit & Valerius lib. 1. cap. 1. ſed obiter.

Cap. xxx. *Principio veris exercitum in Carpetaniam.*] Cum Q. Fuluius citerioris Hiſpaniæ prætor eſſet, Carpetani autem Luſitanis vicinit, non video, quo pacto hæc diuiſio habeat, quod antea etiam teſtati ſumus. *Eburam* vero oppidum Ptolemæus in Luſitanis ponit, *Eboram* in Edetanis. *Eburiam* vbi reperias, neſcio.

Cap. xxxi. *Vbi quinque millium armatorum, non amp. reli.*] Cum L. Acilio miſſi erant ſex millia auxiliariorum, & ſiniſtra ala. Hoſtium vero in caſtris relictorum quinque millia hic produntur, qui certe intra vallum ac foſſam facile ſex millia Rom. arcere poterant, nec memorabilis erat paucitas ad Romanos caſtra oppugnanteis. Quare ego corruptum hunc numerum puto, & legendum, *vbi quingenti armati, non amplius relicti*: aut *quingentorum armatorum, non amplius, relictum erat præſidium.* quare exemplaria vetuſta hic inſpicienda. neque enim veriſimilis videtur narratio.

Cap. xxxiii. *Ad Contrebiam deducta legiones.*] Haud temere id nominis reperias. *Contributam* autem Ptolemæus ponit ad Anam fluuium, non ita longe ab Ebura. Meminere & alij.

Cap. xxxiv. *L. Manlius Acidinus.*] Huius cum aliis duobus triumuiris etiam mentio eſt ad præcedentis libri finem. Ceterum aut duo fuêre L. Manlij Acidini, vt paulo poſt duo M. Atilij Glabriones: aut qui in Hiſpania vlteriore hoc anno prætor fuit, non *Lucius*, ſed vel *Caius* vel *Publius* dictus eſt: vt ſit error vel anno 13. huius decados, vbi in omnibus codicibus *Lucius* dicitur, vel ad finem præcedentis libri initioque huius, vbi *P. Manlius* iterum prætor dicitur. Difficultatem facit nobis hoc *iterum*, quod ad finem prioris libri etiam admonuimus.

Eod. *Voſa erat ab* Cos. *L. Porcio Liguſtino.*] atqui Liuius præcedenti libro ab his Coss. nihil memorabile geſtum ſcribit, nec licuit temere ædem vouere. Alij hunc locum aſteriſco notarunt, fortaſſis quod illud, *aurata ſtatua*, his repetitur: quod tamen ego ideo factum puto, ne videatur dicere illam primam fuiſſe ſtatuam, ſed primam auratam.

Eod. *Et cum Bilienſibus gente, ne nunc quidem omni parte.*] Quidam, vt antea admonuimus, *Ilienſibus* emẽdarunt. quod neſcio quam probem. Strabo vero lib. 5. *Iolenſium* (vt diximus) prædonum in Sardinia meminit, de quibus profecto hic Liuius. Ceterum quare Liuij quoque ætate, cum Romana potentia omnia armis domita haberet, in alios latrocinando ſæuirent, rationem eodem exhibet loco Strabo, cum de iis, tum de aliis eius inſulæ montanis.

Cap. xxxvii. *Q. Fuluius Flaccus in locum vitrici* Cos.] Aut error eſt in prænomine, aut duo fuêre vno tempore Q. Fuluij Flacci: alter huius anni Cos. Calpurnio ſubrogatus: alter ſequentis, quod mihi non ſit veriſimile. Niſi quis dicat, quod hodie quoq. in quibuſdam vrbibus obſeruatur, vt qui ſubrogatus fuerit, ſequenti anno fiat Cos.

Cap. xxxviii. *Qui Tauriſanorum traducere Ligures.*] Hæc verba in nullo exemplari bene habent. Vide num de *Teleſinorum* agro locatur. *Tauraſinos* enim in Samnitibus non memini me legere.

Eod. *Argenti data centum & quinquaginta millia.*] Adiiciendum puto *H.S.* Nam ſi pondo intelligamus, nimis magna erit ſumma, quam in ablegatos Ligures erogare voluiſſe Romanos, non eſt veriſimile.

Cap. xxxix. *Hac nona allata res, omiſſiſque.*] Quidam hunc locum ſanatum putarunt, ſi *que* coniunctionem ſuſtulerint. At ego miror ſi Liuius ita loqui voluerit: recipit tamen excuſationem.

Cap. xl. *Infractis omnibus haſtis transfur.*] Vix apud me definio. vt illud *infractis*, explicandum. Nec id mirum cuiquam videri debet, cum Grammatici etiam apud Virg. hæſitent:

Turnus vt infractos aduerſo marte Latinos. Et in 7.
nec noſter honos infractaue cedat Fama loco.

quamquam diuerſum videtur.

Cap. xli. *In menſibus ſuis dimiſit legionem.*] Obſcurus ſane locus & præterea corruptus cum ſequentibus aliquot verſibus. Nam modo de M. Fulio Tribuno, mox de Cos. Fuluio loquitur, *iterum* Cos. *certiorem facit*: ſed quis, & vtrum neſcio.

Cap. xlii. *Quintius ad ea dediſſet Duronius.*] Et hic locus corruptus erat, in nouiſſimo Frobenij codice egregie reſtitutus. Narratur Duronij reſponſio. At illud *Corcyræ*, lectorem turbat: niſi in gentij poteſtate eam fuiſſe tum inſulam exiſtimemus, quod dubito.

Eod. *Recuſante quod ſibi faceret.*] Et hæc verba non minus recte in eodem emendata ſunt. Sed paulo poſt, *Ultimum de calo, quod comitia turbaret.* hoc inquam *vltimum*, mihi ſuſpectum. Quod ſi vel *fulmen*, vel *monſtrum*, vel *portentum* legeretur, melius intelligeretur. ſed lectoris eſto iudicium.

Eod. *Q. Fuluius Flaccus ante pontificem max.* Et hæc verba eodem in codice optime ſunt reſtituta. Nam L. Acilius pontifex quidem factus eſt, ſed non maximus: Æmilius autem factus eſt pontifex maximus, vt ex ſequentibus liquido patebit.

Cap. xliii. *Aut prouinciam dimittendam.*] C. Menij prouincia erat Sardinia: dubium igitur de eane loquatur, an negotium veneficij prouinciam vocet: ſed iudicet lector.

Eod. *Et ſignati Oſcenſis nummum centum ſep.*] Haud dubie hic locus corruptus eſt. Nam poſt auri numerum ſequi debebat & argenti & nummorum ſumma, quæ hic temere confunduntur, vt taceam quod in immenſum ſumma, hæc excreſceret. Et ſignati Oſcenſis nummûm cẽtum ſeptuaginta tria millia. Porro argenti Oſcenſis mentio cum alias ſæpe, tum lib. 4. huius decad. in M. Ælij & Q. Minutij prætorum triumphis. Illud quod continuo adiectitur, *Militib. de præda quingenos denarios dedit*: corrupte pro *quinquagenos* legitur nimia enim eſſet ſumma, ſi ad dona aliorum imperatorum compares, quemadmodum ex prioribus ſatis liquet.

Cap. xliv. *Lege Bebia creari, qui alternis ad quatern.*] De hac lege nulla in anterioribus, quod equidem ſciam, mentio, ſicut nec eius ſenatuſconſulti quod paulo poſt ſequitur de ludis factum, L. Æmylio, Cn. Bebio Coss. Vbi obiter etiam notandum, *Cn.* legendum, non C. vt falſo in codicibus ſcriptum eſt.

Cap. xlvi. *Aut certemen ſtum malit.*] Quidam *malint*, emendarunt, ſed haud ſcio itáne auctores caſuum regimen, quod vocant, in verbis mutare conſueuerint. Paulo poſt, *ambo* in accuſatiuo legitur, pro *ambos*: vt Vigilius *duo* pro *duos* dixit 11. Æneid.

Si duo præterea taleis Idæa tuliſſet.
Terra viros. Quamquam maior neceſſitas Virgilium vrgebat. Et poterat etiam hoc in Liuio corruptum videri, ſi non adeo frequens eſſet in vetuſtioribus codicibus.

Eod. *Niſi forte implacabiles fueritis implacauerint animos veſtr.*] Legendum puto, *implacabiles veſtra ira implacauerint animos veſtros.*

Eod. *Et in probrum ſuum ſponſionem fac.*] De hac ſponſione nihil in ſuperioribus, quod ſciam, dixit, cum duobus præcedentibus libris harum inimicitiarum multis ſæpe meminerit verbis.

Cap. xlvii. *Vt in vacceos per Luſitaniam iret Albinus.*] Hæc verba per aliquot verſus male habent, & egregie confuſa videntur. Albino in Vacceos eundem erat, Graccho in Celtiberos. Ceterum Munda oppidum Bæticæ eſt, vlterioris Hiſpaniæ, hic tamen à Graccho oppugnatur, quapropter & loca quoq. corrupta videntur. *Certima* nomen apud nullum auctorem inuenio.

Eod. *Nummum quater & vicies.*] Ita legebatur in quibuſdam codicibus, at alij adiecerunt *ſeſtertium*, quaſi non idem ſit *ſeſtertius* qui nummus.

Cap. xlix. *Et primum quæſiuit abeóne ſibi liceret.*] Lego: *Et*

primum quæſiuit ab eo, liceretne ſibi ac ſuis viuere? Sic enim minus dura erit compoſitio, ſenſuſq; dilucidior.

Eod. *Quoniam illos ad me propiunt ſuſpicere.*] Quidam emendandum putant, *prodeunt ſuſpicere*, ſed non placet. Quidam, *pignit ſuſpicere*, ſed nec illud omnibus placet. locus à nobis relinquitur dubius.

Cap. l. *Ergania inde nobilis & potens ciuitas.* Ptolemæus *Erganicam* nominat in Celtiberis, hanc vt opinor vrbem: quamquam idem in Vaſconibus *Erganiam* ponit (vt Græcum noſtrum habet exemplar) Ilergetibus vicinam. Res non magni momenti.

Eod. *Veramq; pacem, non fluxa vt ante fide Cel.*] Si conſtruendum, veram pacem fuiſſe, pro *non fluxa* legam *nec fluxa*: alioqui addenda erat coniunctio, vt diligenter expendenti facile patebit.

Eod. *Bis cum Bracharis egregie pugnaſſe ſcr.*] Plin. libro 4. cap. 20. ait Durium amnem Turdulos à Bracharis diſcernere. Ceterum Liuius hic de Albino, *Propius* (inquit) *vero eſt ſerius in prouinciam perueniſſe, quam vt ea æſtate potuerit res gerere.* Superius vero ait collegam T. Sempronium eunti in vlteriorem Hiſpaniam Albino mandaſſe, vt Q. Fuluium certiorem faceret, Tarraconem exercitum duceret, &c. Si igitur hac æſtate T. Sempronius tot ac tanta egit, potuit & Albinus, prægreſſus Sempronium, ea æſtates res gerere. Diuerſos auctores opinor ſecutum Liuium.

Cap. LI. *Quæ incommode oppoſita videbantur ſigna.*] *Appoſita* legendum puto. quamquam id parui momenti. Hoc magis miror, quod paulo poſt in omnibus fere codicibus legatur, *L. Nummius* pro *L. Mummius*. Is eſt qui Corinthum cepit bello Achaio, vnde ipſe quoq; Achaicus dictus eſt, Cos. cum L. Cornelio Lentulo poſt primum Scipionis Æmiliani conſulatum.

Cap. LII. *Item dedicauit ædem Larium permarinum.*] Hic locus magnam habet difficultatem: Primum quidem, qui ſint *Lares permarini*, quod adhuc quæro, nec vſpiam me legere memini. Deinde quod ait. *Vouerat eam annis quadraginta ante L. Æmylius Regillus*: id non ita habet: nam hic Æmilius claſſe aduerſus Antiochum pugnauit anno XI. huius decados, L. Cornelio Scipione, & C. Lælio Coss. vt ipſe Liuius auctor eſt li. 7. huius decad. videlicet ante magnam illam pugnam apud Magneſiam ad Sipylum montem. Quapropter pro *quadraginta* legendum XII. Et ipſi numeri in codicibus arcnſi, facile errorem præbere poterant, XL. & XII. Talia ſæpe negligunt, qui alia optime emendare ſolent.

Eod. *Duello magno regib. dirimendo.*] Hæc alia huius loci difficultas inuincibilis abſq; vetuſti codicis fide. *Inter Epheſum Camuchumque*, inquit, *Camuchus* quid ſit, nemo opinor nouit. Forte dicere voluit, *inter Epheſum Samumque*. Quamquam Myonneſium inſulam inter Teium ac Samum lib. 7. depinxerit Liuius, quam Strabo lib. 14. ait inter Teon ac Lebedum. Porro id magis corruptum, *inſpectante* Cos. *ipſ.* Cos. enim longe aberat in Thracia, tranſitum parans per Helleſpontum: niſi diuerſos ſecutus ſit auctores, vt ſolet, Liuius. Quæ deinde ſequuntur verba, æque obſcura ſunt, præcipue de nauibus, quas hic ait captas ſexaginta duas, cum lib. 7. huius decados quadraginta duas dicat captas, qui error haud dubie etiam ex numerorum tranſpoſitione ortus eſt, LXII. pro XLII.

Cap. LIV. *Cum eo Antigonus Echecratis filius.*] Philippi pater fuit Demetrius, qui decem regnauit annis, cui in regno ſucceſſit Antigonus Echecratis frater, Philippi tutor, de quo multa Polybius lib. ſecundo ad finem. Hic igitur Antigonus, quicum Philippus hic loquitur, nepos ex fratre tutoris Antigoni fuit.

Cap. LV. *Forte Xychus obuius ſit Antigono.*] De hoc Xychone ne vno quidem verbo vlla in ſuperiorib. fit mentio, cum alios Perſei fautores nominarit, vt Philoclem & Apellem.

Cap. LVI. *Si haud ſtatim palam facta eſſet mors regis.*] Videtur altera parte defecta oratio, & *aut* legendum, pro *haud*. nam alioqui nullus ſenſus eſt, Neq. enim haud ſtatim palam facta eſt mors regis.

Cap. LVII. *Ea res Antigonus ſæpe inuitus cum ipſo.*] Locus eſt mire corruptus, quem nos ſanare non poſſumus. Ceterum etiam hoc dubium; de eodemne Antigono loquatur, an de alio: ſed videtur de eodem Echecratis filio loqui, quaſi dicat, ſi aut ſtatim palam facta eſſet mors regis, aut Antigonus domi fuiſſe cum patre, ſi modo ille adhuc viuebat, admoneri potuiſſet. Sed ea omnia mihi ſuſpecta ſunt. Scio quoſdam emendare conatos, ſed mihi non ſatisfecere.

Cap. LVIII. *M. Attilius Volſo, prætorum inde tribus.*] Caſſiodori catalogus habet *Cn. Manlius Volſo*. Sane Manliorum cognomen Volſo fuit, alij *A. Manlium* vocatum putant. Omnino *Attilius* nomen non placet, vtut fuerit prænomen. Hoc etiam mirum, trium prætorum nomina omiſſa. At in fragmentis decados ſequentis, huius anni prætores T. Ebutius, & P. Ælius Tubero iterum nominantur prætores, ſi forte ea vera ſint omiſſorum prætorum nomina, quod equidem indiſcuſſum relinquo. Veteres codices etiam *C. Claudium* habebant, non *T.* quod mihi placet. Nam *T. Claudius* prætor fuerat anno ab vrbe condita 573. Hic igitur C. legendum.

FINIS.

CAROLI SIGONII

SCHOLIA, QVIBVS TITI LIVII PATAVINI HISTORIAE, ET EARVM EPITOMAE, PARTIM EMENDANTVR, PARTIM ETIAM EXPLANANTVR.

EIVSDEM IN EODEM LIBROS CHRONOLOGIA, ipſorummet auctorum verbis confirmata.

D. IOHANNI HERVAGIO, TYPOGRAPHO AC CIVI BASILIENSI, GLAREANVS S. D.

PERHVMANITER atque benigniter mecum egiſti, ſuauiſſime D. Heruagi, quod ad me miſeris illius Glareanomaſtigis Annotationes. De quo iudicium meum audire cupis. Atqui valde vereor, ne quis mox exclamet: Nullum eſſe verum ab hoſte expectandum iudicium; prædominari affectum, auerſam à vero mentem. Quid multis? οὐδὲν ἴσως. Ad hæc ego dico: poſſe fieri, vt ſe poſito omni affectu, etiam læſi indigne, recte tamen iudicent. De me quidem id promittere fortaſſis ſuperbum fuerit, ſed certe hominis cordati fuerit, non ad cuiuſuis impudentiam moueri. De Sigonio iſto breuiter audi iudicium meum: Mihi videtur homo multæ lectionis, & velut librorum belluo, vt eſt apud Ciceronem, ſed iudicij iuuenilis, non addam maligni, qui de bene merito iudicat æque, vt de male merito, ne dicam inimico. Annotationibus noſtris plus ſexcentis locis adiutus, egregie diſſimulat, & pro gratia conuitia ingerit, imo de me ita contemptim locis aliquot loquitur, perinde atque domi ipſius natus ſim verna. Nullum maius in me habet telum declamandi, quàm quod nonnunquam in temporum ſupputatione vno, aliquando duobus annis ratio noſtra ab eo diſcrepat, cum Dionyſij a Liuij ac Polibij ratione in totum fere duobus annis diſtet, quod toties in annotationibus noſtris clamo. Et in vno anno cum nemine me certaturum vbique profiteor. Tandem ad IIII. annos deuenit, & vt Hercules Antæum prorſus conficiat, vltima illa pulchella annotatione, quæ eſt de anno, quando Liuius finierit Romanam hiſtoriam, ad XVII. annos me iugulat, cum ſint etiam confeſſione mea XXVIII. in quibus tamen nihil negotij eſt. Quis enim certo ſcire poteſt, quod ediderit libros Liuius? aut quos adijcere voluerit? cum Euſebius eum vixiſſe in Chronicis ſcribat ad quartum vſque Tiberij annum. Sed audi ingenioſas illius technas, quibus me ſubdole illaqueat: In annotationibus noſtris aliquoties deploro, quod Polybij ac Dionyſij Græca exemplaria non habuerim. vnde facile erat aliquot eruere locos. Noſter, vbi hoc legit, nactus hoc feliciori tempore ea exemplaria, ac inſpectis locis, vbi hærebam, cum occaſionem habuiſſet laudandi me, quod candido Lectori oſtenderim hulcera, tum quomodo ſanari poſſint, indicauerim; hic bonus vir id ad contumeliam trahit: Glareanus non legit Polybium Græcum clamitans, neque Dionyſij Græcum exemplar habuit: quod ipſe egò deploro, hoc vitio vertit. Sed quod impudentius eſt, cum videt me loci alicuius nomen, quod non eſt prorſus vulgare, non tenere memoria, ipſe vero de hoc me indicante monitus, ibi ad Indices conuerſus, inuento nomine mox Thyados more clamat, Glareanus non legit Stephanum de Vrbibus: Quaſi vero quis omnium nominum meminiſſe queat, quæ vſpiam ſint apud auctores, etiamſi eos legerit. Ter clamat me non legiſſe Priſcianum, quem ego conijcio me legiſſe, antequam ille Cuculus naſceretur. Potuiſſet, ſi quid pudoris in eo eſſet, modeſte dicere, Glareanus non animaduertit, quod apud Priſcianum eſt, vel quod Stephanus ſcribit: quod equidem moleſte non tuliſſem, nihil enim offendor candida admonitione, exemplo D. Eraſmi Roterodami præceptoris noſtri diſertiſſimi. Quis autem ei dixit, nec Stephanum, nec Priſcianum legiſſe me? Quia, inquit, de loco dubitas, qui eſt apud Stephanum. Elegans ratio, hic vide dialecticum acumen. Sed hoc pulchrius eſt, quod ait, me nulla antiqua exemplaria habuiſſe. Vnde hoc ſcire potuit? nempe vnde priora. Ac nihil hunc etiam mentiri pudet, ipſe adiutus exemplaribus antiquis, ſibi hanc impudenter adſcribit gloriam. Ego, qui ex collatione multorum exemplarium tot locos emendarim, audire debeo, Glareanus non habuit antiqua exemplaria. Quid ſi quis in auctore egregie exercitatus, ex locorum collatione, item ex aliorum auctorum lectione, ac comparatione multa egregie reſtituere potuit, non ille etiam laudem meretur? Saxa quædam Capitolina, ac numiſmata obiicit, quaſi illa ſint oracula Delphica, cum in his ſæpe mire erretur. Ante annos XX. tumultuario ſtudio haſce Annotationes mihi collegeram, ac poſtea publicaui. Verum nunc nactus exemplaria Græca, ipſe ego in meo adeo opere ſi modo alijs negotijs non fuiſſem occupatus, longe plures locos emendare potuiſſem, quam plagoſus ille Orbilius. In pleriſq.

CAROLI SIGONII
SCHOLIA, QVIBVS TITI LIVII PATAVINI HISTORIAE, ET EARVM EPITOMAE, PARTIM EMENDANTVR, PARTIM ETIAM EXPLANANTVR.

De germano Liuianorum librorum indice.

GERMANVM non eſſe Liuianorum librorum in diem illum, qui vulgo fertur, verum à Grammatico aliquo parum ſcite fuiſſe affictum, cum multis aliis ſummis ſuperioris memoriæ viris aſſentior, tum maxime Franciſco Petrarchæ, qui in primo libro rerum memorandarum, & in epiſtola ad Ioannem Certaldenſem non obſcure quid ipſe de eiuſmodi re ſentiat, edit his verbis: *Sed heu quantum ætatis noſtræ maculam! Huius tam ingentis, tamque egregij operis vix portio ſubeſt exigua quidem: cum in Decades vel ab ipſo conditor, vel, quod magis reor, à faſtidioſis poſtmodum lectoribus, lectum foret, ex quatuordecim niſi tres Decades ſuperſunt.* Item: *Quod niſi fallit exiſtimatio, fruſtraturque memoria, prope ad eandem literarum congeriem videtur accedere vel T. Liuij Romanorum rerum liber ingens, quem in partes, quas Decades vocant, non ipſe, qui ſcripſit, ſed faſtidioſa legentium ſcidit ignauia.* Hæc ille. Id autem ita eſſe, ex Grammaticis etiam veteribus, vt Priſciano, Diomede, Cenſorino, & eo demum qui ſingulorum horum librorum Epitomas ſcripſit, facile intelligi poteſt. apud quos animaduertere licet in hac hiſtoria nominanda nullam Decadum, perpetuam librorum, in quos ipſa deſcripta erat, fieri mentionem. Quod facturos eos aliquando fuiſſe credendum eſt, niſi iam mortuis illis eiuſmodi index celebrari cœpiſſet. Decadum autem nomen probabile rediddiſſe videtur, numerus librorum, qui à T. Liuio ſcripti eſſe dicuntur: cum xiiii. Decades in cxl. libros (tot enim ab eo editos eſſe vulgo creditur) rotundo quodam numero diuidantur. Verum & hæc falſa opinio eſt. Idem enim Petrarcha cxlii. ab eo ſcriptos eſſe tradit. idque nos ita eſſe in ſcholis Epitomæ libri cxxxvi. oſtendemus. His igitur adducti rationibus, germanam horum librorum inſcriptionem reſtituendam eſſe putamus hanc: T. LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA LIBRI CXLII. Ex quibus tamen cum ſuperiorum ſæculorum incuria cvii. interciderint, cogimur eos xxxv. tantummodo nominare. Hiſtorias autem eum credo idcirco inſcripſiſſe, vt hic liber diſtingueretur ab iis, qui annales appellabantur. ſiquidem aliud erat Annales, aliud Hiſtorias ſcribere. Nam Annales (vt à veteribus accepimus) tantummodo quod factum, quoque anno factum eſſe demonſtrabant: Hiſtoriæ vero non ſolum id, quod geſtum eſt, ſed etiam quo conſilio, quaque ratione geſtum eſſet, indicabant. cum autem primis temporibus omnes, qui de rebus Romanis ſcriberent, Annales conficerent, vt Pictor, vt Piſo, vt Fannius, vt Libo: poſtremo etiam hiſtoriæ ſcribi cœptæ ſunt vt à Cœlio, à Tuberone, ab Aſellione, à Siſenna, à Salluſtio, à Liuio. Itaque cum qui hiſtorias ſcriberent, alij aliunde ſcribendi initium facerent, Liuius vt & ipſe ſcriptionis ſuæ & genus, & initium indicaret, HISTORIAS AB VRBE CONDITA nominauit: nimirum intelligi cupiens, ſe à primordio vrbis (quemadmodum ipſe in principio profitetur) Res Romanas eſſe ſcripturum. Atque hoc quidem etiam conſilio Salluſtius vſus, libros hiſtoriarum complures edidit, quibus res (vt opinor) populi R. Quibus ipſe interfuit, ſe perſcripturum eſſe teſtatus eſt. Initium certe ſcribendi à Sullæ morte Catulo, Lepidoq; conſulibus fecit. Quod ex verbis eius quibuſdam, quamquam diuulſis, quæ à Priſciano libro xv. ex primo hiſtoriarum libro Salluſtij proferuntur, intelligi poteſt. Ea vero ſunt hæc: *Res populi Romani M. Lepido, Q. Catulo conſulibus, ac deinde militia, & domi geſtas compoſui.*

DE EPITOMIS.

EPITOMAS porro, id eſt, vt ego interpretor, breuia ſingulorum librorum argumenta, vnicuique libro præfixi: vt quiſque breuiter ac facile, quid in quoque libro contineretur, cognoſcere, ac qui Liuiani libri intercidiſſent, & quantum in iis amiſſis acceptum detrimenti eſſet, intelligere poſſet. Nam ſiue à Liuio, ſiue à Floro, ſiue ab alio quo ſcripta ſunt (hæc n. omnia traduntur) ad Romanas certe res illuſtrandas accõmodatiſſimæ ſunt; præſertim vero vbi Liuiana hiſtoria excidit. Qua in parte Liuianam apud quemque obtinere debent auctoritatem.

IN EPITOMEN LIBRI PRIMI.

SYLVII, Item, *Tyberis.*] *Siluij*, & *Tiberis* ſcribendum eſſe ex manu ſcriptis exemplaribus, Græciſque libris conſtat, apud quos eſt [illegible], & [illegible].

In centurias populum diuiſus.] Lego *in curias.* Nam Liuius ita loquitur: *Cum populum in curias xxx. diuideret, nomina Sabinarum curiis impoſuit.*

Metij Suffetij.] *Fufetij*, vt poſt dicam.

Ancus Martius.] *Marcius*, vt poſt dicam.

Tentanda ſcientiæ cauſa.] Veteres libri, *Hic tentandæ ſcientiæ cauſa.*

Oſtiam condidit. Tarquinius.] Manoſcripti libri pleniores ſunt, ita: *Oſtiam condidit, Regnauit annos* XXXII. *Eo regnante Lucumo Damarati Corinthij filius à Tarquinijs Etruriæ ciuitate Romam venit, & in amicitiam Anci receptus, Tarquinij nomen ſerre cœpit. & poſt mortem Anci regnum excepit. centum addidit*, &c. Quam lectionem probo.

Idq; protinus factum.] Veteres libri, *Idq; portinus ab Attio factum.*

Cloacas fecit Ser. Tullius.] Veteres libri vberiores, ita, *Cloacas fecit. occiſus eſt ab Anci filiis, cum regnaſſet annos* XXXVIII. *ſucceſſit ei Ser. Tullius, natus ex capiua nobili Corniculana, cui puero adhuc in cunis poſito, caput arſiſſe traditum eſt. Is Veientes*, &c.

Luſtrum condidit. Claſſes.] *Plenior antiqua eſt lectio ſic. Luſtrum condidit, quo cenſa* LXXM. *eſſe dicuntur. Claſſes.* Eſt autem hic numerus etiam apud Liuium: & is, qui Epitomas ſcripſit, eiuſmodi ſummas diligentiſſime ponere ſolitus eſt.

In Auentino fecit L. Tarquinius.] Plenior eſt vetuſta manoſcriptorum librorum lectio, hoc modo: *In Auentino fecit. Interfectus eſt à Tarquinio Priſci filio conſilio filiæ ſuæ Tulliæ, cum regnaſſet annos* XXXIV. *Poſt hunc L. Tarquinius Superbus, neq; patrum, neq; populi iuſſu regnū inuaſit. Quo die*, &c. *Filius Sex. Tarquinius dolo.*] Vet. libri, *Filij Sex. Tarquinij dolo.* loquitur autem de rebus geſtis Tarquinij Superbi regis. Itaque præter alia, *Sex. etiam Tarquinij filij dolo*, inquit, *Gabios in ſuam poteſtatem redegit.*

IN PRIMVM LIBRVM.

PRÆF. *Velut diſſidentes primo mores ſequatur animo, deinde vt magis magiſque lapſi ſint, tum vt ire cœperint præcipites.*] Probo doctorum quorundam hominum coniecturam, qui, *Deſidentes* legunt. etenim ſubſequitur, *vt magis magiſque lapſi ſint: tum vt ire cœperint præcipites.* Videtur enim eadē ſemper trāſlatione res magis creſcere. quam tranſlationem, quia primo duriorem eſſe putauit, adhibita particula *Velut*, molliorem fecit. Quod in proprio, *Diſſidentes*, faciundum non fuiſſet. Eſt autem *deſidere* leni quodam motu in ſemet concidere. † Robortellus hoc loco reprehendit Sigonium lib. 2. Emendat. cap. 55. ac *Diſſidentes* legendum putat. Vocat enim Liuius *diſſidentes mores* in diuerſa euntes: nec æqualitatem ſeruantes. † Porro autem his verbis mutationes omnes Romani imperij breuiſſime complexus eſt. Nam cum *Partum imperium*, ait, interuallum illud totum indicat, quod à Romulo ad Ap. Claudium intercedit, qui primus bellum extra Italiam Carthaginenſib. fecit: Cum, *Actum*, tempus inde ad Carthaginem euerſam notat. *Deſediſſe* præterea *mores* intelligit, Gracchianis temporibus, *Lapſos* magis, eſſe, Sullanis, *Præcipites iſſe*, Cæſarianis. Reliqua inde tempora, Auguſti imperium poſt deuictum ad actium Antonium, quibus hæc ſcribere aggreſſus eſt, ſignificat. Itaque lib. 9. ait: *modo ſit perpetuus huius, qua viuimus pacis amor, & ciuilis cura concordia.*

Cap. I. *Rege Philemene.*] *Pylamene* legendum eſſe apparet ex verſu Homeri: Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ Ἐξ Ἑνετῶν. † Hoc ex Sabellico & Glareano habet, licet neutrius meminerit. †

Eod. *In quem egreſſi ſunt locum, Troia vocatur, Pagoque inde Troia nomen eſt.*] Malim, *Pagoque inde Troiano nomen eſt*, vt no ſyllaba repetenda ſit, vt ſæpe infra faciundum eſſe docebimus.

Cap. II. *Hetruſcorum opes.*] *Etruſci & Etruria* ſcribendum eſt ſine aſpiratione manuſcriptis libris auctoribus, iiſque qui lapides Triumphales, qui in Capitolio Romæ ſunt deſcripſerunt.

Eod. *Numicum flumen.*] Probo ea, quæ à Glareano dicta ſunt cur *Numicium*, & non *Numicum* flumen dicendum ſit. Addo etiam Dionyſium Halicarnaſſ. lib. 1. ποταμὸν Νομίκιον appellare.

Cap. III. *Authorem nominis ſui.*] *Auctor & auctoritas* ſcribendum. ita & manuſcriptis libris, & vetuſtis lapidibus atteſtantibus & Dione tradente, qui declarans, quid *auctoritas ſenatus* ſit, αὐκτώριτας ſcribit. poſtremo ex vocis etiam ipſius ratione à veteribus Grammaticis tradita.

Eod. *Atys. Capys.*] *Atis* ex iis nominibus eſt, quæ literam Y reſpuunt, quod vetera exemplaria habent. & deriuatiuum nomen *Atius*. De quo ita Virgilius: *Alter Atis, genus vnde Atij duxere Latini. Capys* etiam cum Græcorum more flectitur, *Capyos* amat literam Y, cum Latinorum, *Capis*, *I*.

Eod. *Capeto Tiberinus, qui traiectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit.*] *Tiberius* legendum eſſe, auctoritate veterum Hiſtoricorum, & maxime Dionis, Euſtathius in Dionyſium confirmat; qui Tiberim, cum Albula diceretur, à Tiberio vocatum eſſe ſcribit, non ab eo, qui Auguſtos ſucceſſit, ſed à quodam alio, qui raptus à flumine nomen ei reliquit. Verba etiam illius placuit apponere: Ὅτι ὁ Τίβερις Ἄλβουλα ποτὲ καλούμενος οὕτω μετεκλήθη, ὡς Τιβερίου τινὸς ἐν αὐτῷ βαπτισθέντος, ἀλλ' ἐς ποταμὸν ... Τιβέριος δὲ ἐνταῦθα ... ἕτερον ... ὃς φησὶν, ἐν μάχῃ πεσών ... καὶ ὑπὸ τοῦ ῥεύματος παρενεχθεὶς ἐπώνυμον ἑαυτοῦ τὸν ποταμὸν ἀφῆκε.

Cap. IV. *Laurentiæ vxori.*] Veteres libri. *Larentiæ*. Item Plutarchus in Romulo, & Dionyſius lib. 1. Ἄκκαν Λαρεντίαν.

Cap. V. *Et à Palanteo vrbe Arcadiæ Palantium, deinde Palatinum montem appellatum.*] Euſtathius docet *Pallantium* duobus ll. *Palatium* vno ſcribendum eſſe, his verbis: τοῦ τῶν ... ἱδρύσας, καὶ λόφον ... ὃν Παλλάντιον ὀνόματι ἀπὸ ... Πάλλαντος. ὅθεν καὶ νῦν οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς βασιλεῖς πρέποντας τόπους αὐτῶν καλοῦσι Παλάτια, καθ' ὑφαίρεσιν ἀμεταβόλου τοῦ λ, καὶ τοῦ ν.

Cap. VII. *Palatinum Romulus, Remus auentinum.*] Vet. lib. *Palatium Romulus* Recte. Nam *Palatinum* non eſt perinde atq; *Auentinum*, ſubſtantiuum nomen, ſed adiectiuum. Itaque niſi vbi *collem* addimus, *Palatinum* dicere non debemus, vt infra. *Inter Palatinum Capitolinumque collem*. Ex *Palatio* autem *Palatinus*, ex *Auentino Auentinenſis* orta nomina ſunt. Ita paulo poſt: *Palatium primum, in quo ipſe educatus erat*, non *Palatinum* lege.

Cap. VIII. *Locum qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, Aſylum aperit.*] Quidam veteres libri habent: *Qui tunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos erat.* Quod non probo. Nam Dionyſius, ita vt Liuius, loquitur: τὸ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον μεθόριον δυοῖν δρυμῶν.

Eod. *Centum Creat patres, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent.*] Sane legendum eſſe videtur: *Qui ciere patres poſſent.* ſic enim ſcribit lib. 10. *Qui patrem ciere poſſent, eos patricios eſſe appellatos.* Dionyſius etiam ac Plutarchus, vbi exponunt cauſas, cur centum potiſſimum ſenatores, quos patres appellauerit, Romulus crearit, ita aiunt: ὅτι πατέρας εἶχον ἀποδεῖξαι μόνοι, id eſt: *quod patres nominare ſoli centum poſſent*, quaſi vero alij terræ filij eſſent. † Hunc locum reprehendit Robortellus lib. 2. Emendat. cap. 55. Eſto enim patricios ita dictos: non tamen patres, nec eade cauſa primum ita appellati. Dionyſius lib. 2. multa de hac re ſcribit, & refellit eos nominatim, qui patricios dictos aſſerebant, quia patrem ciere poſſent. Cur itaque lectio mutatur contra fidem omnium antiquorum librorum †?

Cap. IX. *A pleriſque rogitantibus dimiſſi, ecquod feminis quoque Aſylum aperuiſſent.*] Veteres libri: *ecquod non feminis quoque.*

Eod. *Ceninenſes.*] Dionyſius & Stephanus de vrbibus vrbem Καίνινα ſcribunt cum diphthongo. ex quo apparet *Caeninenſes* eſſe ſcribendum.

Eod. *Thalaſij cuiuſdam.*] Veteres libri, *Talaſſij Itemq;* Græci, Ταλάσιον.

Cap. X. *Ceninenſis, Cruſtuminiq; et Antemnates.*] Vet. lib. *Caeninenſis, Cruſtomini & Antemnates.*

Eod. *Quantem Romulum Herſilia coniunx precibus raptarum fatigat, orat.*] Vet. lib. *Precibus raptarum fatigata, orat.* Perſpicue verum. Sic loquitur alibi Liuius.

Cap. XI. *Quod alienis cladibus ceciderant animi*] Vet. lib. *Quod iam alienis cladibus ceciderant animi.*

Eod.

Eod. *In Cruſtiminium nomina darent.*] Legendum, *in Cruſtuminum*, vt ſubaudiatur agrum.

Eod. *Additur fabula.*] Probo ſuſpicionem Glareani, qui legit: *Additur fabula*, vt non ea, quæ expoſita ſunt, ſed, quæ exponenda ſunt, fabula dicantur. Addo illud, Liuium ita lib. 5. eſſe locutum: *Inſeritur huic loco fabula.* Et lib. 10. *Id credo cognomen errorem in ædilibus feciſſe, ſecutamque fabulam miſtam ex ædilitiis, & conſularibus comitiis conuenientem errori.*

Cap. XII. *Hoſtius Hoſtilius.*] Alio libro oſtendi ex auctoritate lapidum Capitolinorum, & Valerij & Macrobij, *Hoſtum* eſſe prænomen tum in hoc rege, tum in Hoſto Lucretio conſule, de quo infra dicam, non *Hoſtium*.

Eod. *Hic in Palatino.*] Vet. lib. *Palatio*, vt ante.

Eod. *Ab arce decurrerat.*] Vet. lib. *decurrerat.* oſtendit porro Priſcianus bonos auctores compoſitum, *cucurri*, vſurpaſſe, vt Liuius in 2. *Et ſi ferocius procurriſſent.* idemque feciſſe Catonem, Plautum & Terentium.

Eod. *Equus Curtium in vado ſtatuit.*] Hanc lectionem laudat Glareanus iniuſte. † Glareanus legit: *Equum Curtius*, de verbo *ſtatuit*, dicere, quando omnes codices ita habebant, ſuperſedit. Sabellicus de verbo, *ſtatuit*, loquitur. At Sabellicum omittit, Glareanum carpit. cum Glareanus loquatur ex Gellij auctoritate lib. 18. cap. 5. Robortellus mire hic increpat Sigonium de mutatione huius loci, lib. 2. emendat. cap. 51. horum verborum hanc ſententiam eſſe ſcribens: Equum emerſiſſe ex palude illa, & ſtatuiſſe Curtium in vado, id eſt: In loco tuto ac minime profundo. Ita vt legendum ſit: *Equus Curtium in vado ſtatuit.* Et ita omnes vetuſti libri habent. Nec commode Liuij verba ad Plutarchi ſententiam accommodari poſſunt, cum vterque diuerſos fuerit ſecutus auctores. Nam id, quod narratur de eo vario modo prolatum eſt ab Hiſtoricis. Dionyſius peditem illum pugnaſſe ait †. Veteres enim libri habent: *Equum Curtium in vado ſtatuit.* Ex quo intelligi poteſt, legendum eſſe: *Equum Curtius in vado deſtituit.* Nam Plutarchus hanc ſententiam ita vertit: καὶ λιπὼν τὸν ἵππον, ἑαυτὸν ἔσωσεν, id eſt: *Deſtituto equo ſemet ſeruauit.* Errori locum dederunt finitimæ illæ ſyllabæ, *do, de*.

Cap. XIII. *Ab T. Tatio Titienſes appellati.*] Quamquam Feſtus à prænomine *Tatij* ait *Titienſes* eſſe dictos, tamen *Tatienſes* potius legendum puto, à *Tatio*. Ità enim veteres libri, ita Varro, ita Plutarchus: ἀπὸ Τατίου Τατιένσεις.

Eod. *Lucerum nominis, & originis cauſa incerta eſt.*] Idem *Lucerenſes*, etiam à Feſto & Plutarcho dicti ſunt. Horum originem incertum eſſe ait Liuius, non quia nulla tradita ſit, ſed quia aliam alij tradentes rem in dubium adduxerunt. Alij enim à *luco*, alij à *Lucomone*, alij à *Lucero* Ardeæ rege nominatos voluerunt, auctor Plutarchus, Feſtus, Pædianus.

Cap. XIV. *Vt tamen expiarentur legatorum iniuria, regiſque cædes, fœdus inter Romam, Lauiniumque vrbes renouatum eſt.*] Si locus hic attente ſpectetur, facile, vt ait Glareanus, intelligetur aliquid deeſſe. deeſt autem ratio, qua expiatio facta eſt. De qua Dionyſius ita: τό τι ἄγος ἀφοσιοῦται τὸ περὶ τοὺς πρέσβεις γενόμενον. Et Plutarchus in Romulo: καὶ καθαρμοῖς ὁ Ῥωμύλος ἥγνισε τὰς πόλεις, οὓς ἔτι νῦν ἱστοροῦσιν ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πύλης συντελεῖσθαι. Aut igitur ſacrimentio deeſt, aut voce illa, *Fœdus* continetur, atque expreſſa eſt. Ceterum renouatio fœderis cum Laurentibus ſolennis erat. Libro enim 8. ait: *Cum Laurentib. renouari fœdus iuſſum. renouaturque ex eo quotannis poſt diem decimam Latinarum.* † Glareanus non dicit quicquam deeſſe, ſed ſcire cupit, quomodo inter Romanos & Lauinium ſit expiatum ſcelus cædis †.

Cap. XV. *Quos Celeres appellauit.*] Rationem affert nominis Plutarchus: ἀπὸ τῆς περὶ τὰς ὑπουργίας ὀξύτητος.

Cap. XVI. *Ad Capræ paludem.*] Suſpectum ſe habere hoc nomen ait Glareanus, neque alibi ſe legiſſe. At Plutarchus tamen in Romulo ita ait: ἡ δ' ἡμέρα ἐν ᾗ μετήλλαξεν ὄχλου φυγὴ καλεῖται, καὶ νῶναι Καπρατῖναι διὰ τὸ θύειν εἰς τὸ τῆς αἰγὸς ἕλος ἐκ τῆς πόλεως κατιόντας, τὴν γὰρ αἶγα κάπραν ὀνομάζουσιν. Et Feſtus lib. 3. *Capralia appellatur ager, qui vulgo ad Capræ paludem dicitur.* † Glareanus admonet duntaxat, nihil definit, vt aliis cogitandi anſam præberet, quod cum laudabile erat, non erat in contumeliam trahendum †.

Eod. *Abi, nuncia, inquit, Romanis, &c. proinde rem militarem colant, &c.*] Hæc ſic vertit Plutarchus: χαῖρε, καὶ φράζε Ῥωμαίοις ὅτι σωφροσύνῃ μετ' ἀνδρείας ἀσκοῦντες ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρωπίνης ἀφίξονται δυνάμεως.

Cap. XVII. *Decreuerunt enim, vt cum populus regem iuſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent. Hodieque in legibus magiſtratibuſque rogandis vſurpatur idem ius vi ademptum, priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertũ comitiorum euentum patres auctores fiunt.*] Difficilis & lubricus locus hic eſt. In veteribus libris eſt: *Vi adempta*, non: *Vi ademptum*, quam lectionem aliorum ingenio partam probat Glareanus his verbis: *Quidam emendarunt*, Vi ademptum, & *ad* Vſurpatur, *verbum coniungunt, quod placet, &* Vi ademptum *fortaſſis ad Iulium Cæſarem retulit, quem tamen propter Auguſtum nominare non audebat, niſi quis malit ad eius ſeculi ſeditiones referre, quæ Cæſarem præceſſerunt.* Hæc ille. † Glareanus ingenue fatetur, hoc ab aliis erutum, nec ſibi adſcribit. † Mihi vero neque hæc lectio, neque hæc ſententia probatur, neque .n. hoc ius vi aut à Cæſare ademptum eſt, aut ante Cæſarem ab alio. De Cæſare teſtis eſt Suetonius, qui ſcribit de eo: *Comitia cum populo partitus eſt, vt exceptis conſulatus competitoribus de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarẽtur, pro parte altera, quos ipſe dediſſet, & edebat per libellos circum tribũ miſſos ſcriptura breui.* † Hæc Suetonij verba ſatis declarãt comitiorum rationem mutatam, etſi non omnino abrogatam, non igitur ſine cauſa dubitauit Glareanus †. CÆSAR DICTATOR ILLI TRIBVI. *Commendo vobis illum, & illum, vt veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant.* De aliis auctor eſt Liuius qui ſæpius hoc inſtitutum relatum eſſe, & lege ſancitum noua, cum quaſi vetuſtate obſoleuiſſet, ſcribit, vt lib. 6. *Quia patricij ſe auctores futuros negabant, prope ad ſeceſſionem plebis res venit.* Item *S. C. factum eſt, vt duos viros ædiles ex patribus dictator populum rogaret, patres auctores omnibus eius anni comitiis fierent.* Et libro octauo, *Lata lex eſt, vt legum, quæ centuriatis comitiis ferrentur, ante initium ſuffragium patres auctores fierent.* Præterea hunc eundem morem temporis vetuſtate obliteratum à L. Sulla conſule renouatum fuiſſe ſcribit Appianus libro primo his verbis: εἰσηγοῦντο τὸ μηδὲν ἔτι ἀπροβούλευτον ἐς τὸν δῆμον ἐσφέρεσθαι νενομισμένον μὲν οὕτω καὶ πάλαι, παραλελυμένον δὲ ἐκ πολλοῦ. Accedit, quod Cicero in oratione pro Plancio, quam poſt Sullæ mortem ante Cæſaris dictaturam dixit, ne hoc quidem obſeruatum fuiſſe ſignificat, cum ait: *Apud maiores noſtros magiſtratum non gerebat is, qui ceperat, ſi patres auctores non erant facti.* Quæ cum ita ſint, probo magis veterem lectionem, *Vi adempta*, vt ſit ſenſus. Hodie quoque vſurpatur idem ius, vt patres comitiorum ſint auctores, niſi fortaſſe vis aliqua fiat à tribuno plebis aliquo, qui ſine auctoritate ſenatus cum populo agat. quod ſæpiſſime ante Cæſarem factum eſſe, omnia Romanorum monumenta loquuntur. Quod autem, inquit, *Vi adempta*, Cicero dixit ad Lentulum, *Vi excepta. Ego tibi à vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum, præſtare nihil poſſum, vi excepta, poſſum confirmare te et ſenatus, & populi Romani ſummo ſtudio amplitudinem tuam retenturum.*

Cap. XVIII. *Ser. Tullo.*] *Ser. Tullio* perſpicue.

Eod. *Quæ fama in Sabinos, aut quo lingua commercio.*] Vet. lib. *Qua fama.*

Eod. *Augur ad lauam, eius capite velato, ſedem cepit.*] Hunc in modum diſtinguendum eſſe hunc locum Rhodigino placuit, Plutarchi auctoritate adducto. qui ſcribit in Numa: Ἐνταῦθα τῶν μάντεων ὁ πρωτεύων τὴν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παραστὰς ἐξόπισθεν, &c. Videtur enim Plutarchus, ſi modo recte eſt apud illum vox illa ἐγκεκαλυμμένον, caput regis velatum fuiſſe, non auguris ſignificare. † Non diſſentit Plutarchus à Liuio, vt oſtendit Robortellus libro ſecundo emendat. capite vltimo. nam verba Plutarchi ſic debent interpungi ex vetuſto codice, τὴν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας, ἐγκεκαλυμμένος αὐτὸς καὶ παραστὰς ἐξόπισθεν †. Me autem iuuat eorum eſſe ſententiæ, qui *ad lauam eius* ſcribunt, & *caput velatum* auguris intelligunt. quod infra dicat, *Statua Attij capite velato in comitio fuit.* Et lib. 10. *Si augur capite velato victimam cædat, auguriumve ex arce capiat.*

Cap. XIX. *Dea Ægeria.*] Vet. lib. *Egeria.* Probo. Dionyſius enim & Plutarchus Ἠγερίαν edunt, aut Ἐγερίαν. Feſtus ab *egerendo* dictam eſſe ſcribit.

Eod. *Atque omnium primum ad curſum Lunæ in 12. menſes deſcri-*

bit annum, quem, quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſumtque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſibus interponendo, ita diſpenſauit, vt viceſimo quarto quoque anno ad metam eandem ſolis, vnde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.] M. Antonius Sabellicus huius loci obſcuritatem primus, vt opinor, & ſenſit, & vt ipſe ſibi viſus eſt, ſuſtulit. cuius viri auctoritas tantum valuit, vt poſt eum Glareanus, & cæteri qui hunc locum attigerunt, ¶ eundem ita vt ille oſtenderat, expoſuerint. † Glareanus Macrobij traditionem explicauit, non ſuam; in illum igitur clames oportet, non Glareanum †. Quorum interpretationem cur hoc demum tempore vnus ipſe repudiem, paucis, vt inſtitui, explicabo. ſic igitur exponit Sabellicus: Cum Lunarem annum Numa XII. menſium, & CCCLV. dierum primus inſtituiſſet, quia cum ſolari eum anno non conuenire reperiebat, qui diebus CCCLXV. & quadrante conficitur, dies qui quotannis ad ſolaris anni rationem deerant, quorum ſumma vigeſimo quoque quarto anno erat CCLXIIII. ita diſpenſauiſſe, vt octauo quoque anno XC. interponeret, tertio autem octennio, id eſt, viceſimo quarto quoque anno non XC. ſed LX. qui ſuperabant, atque ita effeciſſe, vt eo demum anno dies Lunaris & Solaris anni, à quo orſi eſſent, congruerent. Hunc autem ſenſum vt eliceret, contra omnium librorum auctoritatem legit, *viceſimo quoque quarto anno*, cum vbique, *viceſimo*, legatur. Ego autem ita ſentio, Lunarem annum Numam inſtituiſſe non CCCLV. ſed CCCLIV. dierum. Cum autem Solaris Lunarem ſuperaret quotannis XI. diebus & quadrante, inuenit viceſimo anno Lunarem à Solari victum eſſe diebus omnino CCXXV. vt ergo illo demum anno ſolaris cum lunari congrueret, atque ad eandem metam ſolis, vnde orſi eſſent, dies conuenirent, hos dies ita diſpenſauit, vt non octauo, ſed ſecundo quoque anno alternatim modo dies XXII. modo XXIII. interponeret. Qua ratione fiebat, vt cum perueniſſet ad annum XX. lunaris annus à ſolari nec vinceretur, nec eum vinceret. Quod vnuſquiſque intelliget, qui ſummam annorum hoc modo concipiet. nam cum quarto quoque anno XLV. dies intercalentur, ſi quinquies quadraginta quinque ſumpſeris, eos CCXXV. reddideris. Hanc autem ſententiam, quamquam obſcurius, edit Plutarchus in Numa, ita: Τῆς δὲ γινομένης ἀνωμαλίας περὶ τὴν σελήνην. καὶ τὸν ἥλιον ἔτυχεν οὐκ ἔχοντος ἀλλ' ἐν μὲν φυλάττοντος μῆνας, ὅπως ἑξήκοντα, καὶ τριακοσίων ἡμερῶν, ὁ ἐνιαυτὸς ἦν. Νουμᾶς δὲ τὸ παράλλαγμα τῆς ἀνωμαλίας ἡμερῶν ἕνδεκα γινόμενον λογιζόμενος. ὡς τοῦ μὲν σεληνιακοῦ τριακοσίας πεντήκοντα τέσσαρας ἡμέρας ἔχοντος, τοῦ δὲ ἡλιακοῦ τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε, τὰς ἕνδεκα ταύτας ἡμέρας διπλασιάζων ὑπόγαγε παρ' ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ φεβρουαρίῳ μηνὶ τὸν ἐμβόλιμον εἴκοσι καὶ δυοῖν ἡμερῶν ὄντα. Et Cenſorinus ita: *Cum intercalario menſi* XXII. *dies, vel* XXIII. *alternis annis addi placuiſſet, vt ciuilis annus ad naturalem exæquaretur, in menſe potiſſimum Februario inter Terminalia, & Regifugium intercalatum eſt.* Hoc tantum inter hos intereſt, quod Plutarchus quadrantis diei rationem non habet. Itaque ſecundo quoque anno XXII. dies interpoſitos eſſe cenſet. Cenſorinus autem habet. Itaque modo XXII. modo XXIII. intercalatos eſſe ait, vt quinque dierum, qui ex quadrante diei vicies ſumpto oriuntur, ratio haberetur. Hæc cum ſummorum ſcriptorum auctoritate firmentur, neminem non probaturum, illa altera non omnino repudiaturum eſſe confido. ¶ † Improbat hanc Sigonij ſententiam Robortellus in diſputatione de oratione corrigendi, quod aduerſetur Macrobio & Cenſorino, qui imparis numeri habitam rationem à Numa docent, in anno inſtituendo †.

Cap. XX. *Pontificem deinde Numa Marcium Marci filium ex patrib. legit.*] Nemo animaduertit hunc locum eſſe mendoſe, cum ſit tamen. Nominatus enim, *Numa*, vacat, cum tota oratio altius repetenda ſit, & ſuum habeat nominatiuum quem ſpectet. inquit enim: Declaratus rex Numa Ianum indicem pacis, bellique fecit, annum deſcripſit, Flaminem Ioui aſſiduum creauit, virgines Veſtæ legit, Salios legit, Pontificem deinde Numa Marcium Marci F. legit. Hic ego dico, non eſſe neceſſe nominatiuum, Numa, iterare, placere autem, *Numam Marcium* legi. Fuit enim *Numa* prænomen Sabinum. Itaque Pompilij, & Marcij id tulerunt. Marcus autem Marcius is eſt, credo, qui Numam Pompilium ad regnum Romæ accipiendum, vt ait Plutarchus hortatus, cum eo Romam ex Sabinis commigrauit. Hic cum ab eodem rege in patriciorum numerum relatus eſſet, poſt eius obitum cum Tullo Hoſtilio de regno contendit, ab eoque victus ſibi mortem conſciuit. Huius filius Pompiliam Numæ Pompilij regis filiam in matrimonio habuit, & ex ea Ancum Marcium regem ſuſcepit, quem tuliſſe Numæ prænomen appareat lib. 5. Taciti, vbi ait, *Numam Marcium præpoſitum vrbi fuiſſe à Tullo Hoſtilio rege.* Quod autem ratione confirmaui, id etiam in quibuſdam manuſcriptis libris inueni.

M. Marcius Sabinus
à Numa rege in ſenatum lectus.
à Tullo Hoſtilio victus ſibi mortem conſciuit.
Numa Marcius
Numæ regis gener. primus Pont. Max. ab eo factus
à Tullo rege vrbi præfectus.
Ancus Marcius rex IV.
Numæ regis ex filio nepos.
Plut. in Numa.

Cap. XXI. *Et ſoli Fidei ſolenne inſtituit.*] Vox, *Soli*, habet ſine controuerſia mendum. Dionyſius Δημοσίαν πίστιν vocat, id eſt, *publicam fidem.* ſi autem in quibuſdam manuſcriptis eſt, vt aodio, *Et ſimul, Fidei*, non improbo. ¶ † At improbat Robortellus lib. 2. emendationum cap. 56. & *ſoli* legendum affirmat, quia non inſtituerat alijs dijs ſolenne ſacrum, id eſt anniuerſarium, vt vocat Varro in libro de lingua Latina, & Verg. libr. 3. vbi ait *Solennes tum forte dapes.* Et Liuius lib. 1. *Solenne notum erat.* Et lib. 5. *Solenne gentis* de anniuerſariis ſacris loquens, quæ ſemel quotannis fiebant ſtatis diebus †.

Cap. XXII. *Imperitabat tum C. Cluilius Alba.*] Legendum eſt, *C. Clœlius.* Quod hac ratione confirmo. Nominat hoc in loco Liuius C. Cluilium Albæ Dictatorem, & foſſam Cluiliam ab ipſo C. Cluilio procul ab vrbe V. millia paſſuum factam. Dionyſius lib. 3. hunc ducem Κοίλιον, & foſſam Κοιλίαν vocat. at lib. VIII. itemque Plutarchus in Coriolano Κλοιλίαν. Ex quo intelligi poteſt apud Liuium, & Dionyſium libro III. legendum eſſe *Clœlium & Clœliam.* præſertim vero cum Feſtus ſcribat, *Clœlias foſſas à Clœlio Albanorum rege* eſſe dictas. Fuit autem *Clœlia gens Albana*, poſt à Tullo Hoſtilio Alba euerſa Romam tranſlata. Dionyſius auctor, itemque Liuius.

Eod. *Et neganti Albano, bellum in trigeſimum diem indixerunt.*] trigeſimum tertium legendum, ex eo quod infra ſcriptum eſt: *ſi non deduntur quos expoſcit, diebus tribus & triginta, tot enim ſolennes ſunt, peractis, bellum ita indicit.*

Cap. XXIII. *Albani Metium Suffetium creant.*] Lege *Fufetium*, nam Dionyſius habet Φουφέττιον. Et Plutarchus in libr. τῶν παραλλήλων Μέττιον Φουφέττιον appellat. Eodem modo *Q. Fufius Galenus*, non *Fuſius*, vt vulgo, vocandus eſt. Quod ex Capitolino eius conſulatu, & Græco Dionis libro intelligi poteſt. ¶ † Glareanus credit Græcos Latina nomina ſæpe ſcriptura corrupiſſe. aut poſtea à librariis male deſcripta, quod hic in duobus nominibus ſatis claret Κοίλιος Κλοίλιος, Φουφέτιος καὶ φουφέττιος. Robortellus hoc loco magnifice ridet Sigonium. lib. 2. emendat. cap. 52. †

Eod. *Ea res à ſtatiuis eximit Metium. ducit quam proxime ad hoſtem poteſt.*] Vet. lib. *Is ducit quam proxime.*

Cap. XXIV. *Fœcialis.*] *Fetialis* ſcribendum arbitror ſine diphthongo. Ita enim lib. veteres, ita Græci: φετιάλεις καὶ φετιάλεις: ita demum nominis ratio poſtulat. *Fetiales* enim *à feriendo dictos eſſe ſcribit Feſtus, quod pacis facienda eſſent auctores.*

Eod. *Sagmina, inquit, te rex poſco. Rex ait, puram tollito.*] Vet. lib. *Pura*, vt ad *Sagmina* referatur.

Eod. *Si prior defexit publico conſilio dolo malo: tu illo die Iupiter populum R. ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam.*] Vet. lib. plerique: *Tum ille dies Iupiter* Ex quo coniicio legendum eſſe, *tumne Dieſpiter.* Verba enim ſolennia ſunt, eaque antiquiſſima, vt ait Feſtus lib. 10. his verbis: *Silicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes, Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalua vrbe arceque bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem.* Eſt autem apud Liuium, *Dolo malo*, idem, quod, *Si ſciens fallo. Dieſpiter* autem Iupiter dictus eſt, quaſi *Diei pater*, Varro:

Cap.xxv. *Eo maiore cum gaudio, quo prop. metum res fuerat.*] Vet.lib. *quo propius metum.* placet.

Cap.xxvi. *Sic eat, quæcumque Romana lugebit hoſtem.* Vet.libr. *quæcumque Romanum lugebit hoſtem.* placet.

Eod. *Lex horrendi criminis erat. Duumuiri perduellionem iudicent.*] Vet.lib. *Horrendi carmine erat.* Vere. Carmen enim appellat verba legis, quæ ſequuntur: *Duumuiri perduellionem,* &c. Sic lib 3. *Recitabatque rogationis carmen. Si quis tribunos plebis decem,* &c. † Hoc ante multos annos Sabellicus notauit, quare ſua laude priuandus non fuiſſet †.

Eod. *Exempli parum memoris legum humanarum.*] Emendat Beatus Rhenanus, *Romanarum*, pro *Humanarum*, quod non placet. nam & à vet.lib. diſſidet, & à Varrone, qui ita ſcribit lib. 1. de vita populi R. vt eſt apud Nonium: *Metium Fufetium propter perfidiam interfecit pene imperioſius, quam humanius.*

Cap.xxx. *Principes Albanorum in patres legit, Tullios, Seruilios, Quintios.*] Mendoſe *Tullia* gens inter Albanas Romam à Tullo Hoſtilio tranſlatas, numeratur pro *Iulia*. Id indicat Dionyſius, qui eodem ordine commemorans has gentes, inquit, Ἰουλίους, Σερουιλίους. Adde, quod gens *Tullia* non Albana fuit, ſed Corniculana: & quod *Tullus*, & *Tullius* pro *Iulo* & *Iulio* infra ſæpiſſime eſt mendoſe. † Et hoc quoque notauit Sabellicus †.

Eod. *Quintios.*] *Quinctium, Quinctium, Quinctilium, & Quinctilianum* ſcribendum eſſe facile omnes intelligent, qui Capitolinorum lapidum ſcripturam obſeruauerint. Eadem ſcriptura ſeruatur etiam in quibuſdam libris manuſcriptis Diodori Siculi, quos mihi commodauit vir omni & virtutis, & laudis genere præſtantiſſimus, Ludouicus Beccatellus, tum cum Venetiis Pontificiæ legationis munus obiret, qui libri cum hactenus impreſſi non ſint, plurimũ mihi, vt poſt idoneo loco oſtendam, ad Liuianam hiſtoriam emendandam ſæpiſſime profuerunt. in iis ergo eſt Κοίγκτιος, & Κοίγκτιον. itemque eſt cum in aliis lapidibus, tum in quodam peruetuſto, qui in agro Regienſi eſt, apud ornatiſſimum iuuenem, Horatium Malegutium, eiuſmodi.

QVINCTÆ NONIÆ
RVFÆ ET
NONIÆ Q. F. QVINCTVLÆ.

Quid plura? in ipſis etiam Liuianis libris manuſcriptis ita demum ſæpe eſſe, quamquam inconſtanter, comperi:

Eod. *Pugna atrox ad ſiluam Malyenſam fuit.*] Cum vetuſti libri omnes habeant, *ad ſyluam Malitioſam*, ſatis mirari non poſſum, cur iſti emendatores *Malyenſam* malint, quam *Malitioſam*, quam germanam eſſe huius loci lectionem probatur ex Dionyſio, qui hanc ſiluam appellat τὴν ὕλην καλουμένην κακοῦργον. Eſt autem κακοῦργος *malitioſus*.

Eod. *Nec pugna deinde illa conſtare nec fuga explicari.*] Vet. libr. *Nec pugna deinde illis conſtare.* vere.

Fulmine ipſum cum domo conflagraſſe.] In omnibus Vet. libr. eſt: *Fulmine ictum cum domo conflagraſſe*, quod probo. Sic Cicero lib.2. de Off. *Phaetontem ictu fulminis conflagraſſe.* Et Liuius lib 34. *duas naues fulmine ictas conflagraſſe.* Et Lactantius lib.3. *Capitolium ſæpius fulmine ictum conflagraſſe.*

Cap.xxxi. *Ancus Martius.*] *Martia* gentis nomen ſcribi debere litera *c*, non *t*, quod imperitorum conſuetudo inuexerat, docent Capitolina marmora, Græcorum libri, & manuſcripti Latini, & ipſius denique nominis ratio: aut .n. à *Marco*, aut, quod quidam tradiderunt, à *Mamerco*, manauit. Etenim ſcribit Plutarchus in Numa, placuiſſe quibuſdam à *Mamerco Marcios* eſſe appellatos, qui Numæ regis filius fuit, eoſque propterea cognomine Regis eſſe vſos. Nam *Marciorum* Regum familia Romæ fuit, quam tamen non à *Mamerco* Numæ filio, ſed ab Anco *Marcio* Rege origionem traxiſſe intelligi ex Suetonio in Cæſare poteſt: apud Plutarchum autem mendoſe legitur: ἀπὸ δὲ τοῦ Μαμέρκου Μαμερκίους, pro Μαρκίους. Nam *Mamercia* gentis nulla vſquam mentio fit.

Eod. *Numa Pompily nepos filia erat Ancus Marcius erat.*] Hic locus oſtendit vitioſe legi apud Plutarchum in principio Coriolani, cum ait: ὧν καὶ Μάρκιος ἦν Γάϊος ὄνομα θυγατριδοῦς, καὶ μετὰ Τύλλον Ὁστίλιον βασιλεὺς γενόμενος. legendum autem eſſe, ὧν καὶ Μάρκιος ἦν Ἄγκος ὁ Νομᾶ θυγατριδοῦς, id eſt, *ex qua gente fuit etiam Marcius Ancus Numa ex filia nepos.*

Cap.xxxii. *Ius ab antiqua gente Aequicolis, quod nunc fetiales habent, deſcripſit.*] Hinc Valerius in Epitome de prænominibus: *Ab Æquicolis Seitorem Roſium, qui primus ius Fetiale inſtituit.*

Eod. *Haſtam ferratam, ſanguineam aut præuſtam.*] Lege ex Vet.lib. *aut ſanguineam præuſtam.*

Eod. *Quod populi Priſcorum Latinorum, homineſue Priſci Latini.*] Lege *homineſque*, quia haud ita multo poſt ait: *Populis Priſcorum Latinorum, hominibuſque Priſcis Latinis.* Et Gellius libr. 17. ex Cincio, *Quod populus Hermundulus, homineſque populi Hermunduli.* Vbi eadem verba, quæ hic vſurpantur.

Cap.xxxiii. *Auentinum noua multitudini datum.*] Neſcio cur Glareanus miretur Auentinum neutro genere à Liuio eſſe dictum, cum Dionyſius paſſim, τὸ Ἀβεντῖνον, τὸν Ἀβεντῖνον λόφον dicat. † Glareanus dubitat, vt ſolet, in quo laudem quærit. Fecere hoc homines docti ante eum, quorum negligentiam mauult imitari, quam inuidioſam aliorum induſtriam †.

Eod. *Tellenis, Ficanaque.*] Dionyſius Τελλήνην, & Φιλλιναίων πόλιν vocat, libri vitio, pro Φικανέων. Nam paulo poſt addit de defectione Fidenatium.

Eod. *Ponte ſublicio tum primum in Tiberi facto.*] Vet.lib. *in Tiberim.* Itemque in epitome: *pontem ſublicium in Tiberim fecit.* Sublicium porro pontem ξυλίνην γέφυραν Græci vocant, id eſt, *ligneum*.

Eod. *Quiritium quoque foſſa.*] Feſtus. *Quiritium foſſa, quib. Ancus Marcius vrbem circumdedit.*

Eod. *In ore Tiberis Hoſtia vrbs condita.*] *Oſtia* ſcribendum. Nam Dionyſius dictam eſſe ait, quaſi θύραν. id eſt, *oſtium*.

Ad Murtia data ſedes.] *Murcia* videtur ſcribendum ex Feſto, qui ait: *Murcia Dea ſacellum erat ſub monte Auentino, qui ante Murcus vocabatur.* Et Plutarch. in libr. τῶν ῥωμαϊκῶν τοῦ Μυρκίας ἱερὸν Ἀφροδίτης καλοῦσι Μυρτίαν τὸ παλαιὸν, ὥς ἔοικεν, ὀνομαζόν.

Cap.xxxiv. *Demarathi Corinthy.*] Ità libri omnes Latini, Græci Δημάρατος: at Capitolina monumenta *Damarati* edunt: qua ratione lib.38. *Nicodamus*, & *Damoteles*, & alibi *Damocritus* dixit, cum tamen Græce litera *ε* ſcribantur. † Doorum lingua pro *ε* vſurpat *α*, vt τὰν μαῦσαν pro τὴν μοῦσαν, ita in hoc loco, quod tamen non aduertit Sigonius. †

Domicilioque ibi comparato L. Tarquinium Priſcum edidere nomen.] Puto vocem, *Priſcum*, inducendam eſſe, neque enim *Priſci* cognomen tulit, niſi poſtquam L. Tarquinius Superbus florere cœpit. Nam (vt ait Dionyſios) *Priſcus* eſt appellatus, quia maior natu erat, quam Superbus. Non eſt autem veriſimile ab ipſo L. Tarquinio, *Priſci* cognomen editum eſſe, verum multis poſt annis florente iam Superbo illud vulgo inoleuiſſe. comprobat hanc meam coniecturam, quod in veteribus libris luxatæ hæ voces ſunt. *L. Tarquinium edidere Priſcum*, vt gloſſema alicuius eſſe videatur in verba auctoris ex margine libri, vt fit, temere à librario tranſlatum.

Cap.xxxv. *Statua Accij capite velato, quo in loco acta res eſt in comitio in gradibus ipſis ad lauam Curiæ fuit.*] Vet.li. *Statua Atty poſita capite velato*: ſic libro tertio de Statua Clœliæ. *In ſumma ſacra via fuit poſita, virgo inſidens equo.*

Eod. *Poſteriore modo ſub iiſdem nominibus qui additi erant, appellati ſunt.*] Vet.libr. *Poſteriores.* Recte. vt ſit poſteriores equites, qui additi erant, appellati ſunt ſub iiſdem nominib. id eſt, idem nomen, atque priores tenuerunt, vt poſt apertius dicam.

Cap.xxxvii. *Pontem incendunt.*] Vet.lib. *Succendunt*, aptius: nam inquit accenſa ligna in flumen eſſe coniecta, quib. pons conflagrauit.

Eod. *Dedităs ne vos, populumque Collatinum, vrbem, agros.*] Vet.lib. *Populum Collatinum*: *Vos* enim vocandi caſus eſt, non nominandi, vt intelligunt ij, qui *populumque Collatinum* emendarunt. Quod ex deditione Campanorum colligi poteſt libr. 7. vbi ait: *Itaque populum Campanum, vrbemque Capuam, agros delubra deum, diuina, humanaque omnia in veſtram P. C. populique Romani ditionem dedimus*, non: *Nos populumque Campanum.* † Sed cuius caſus eſt *Vos* in præcedente verſiculo, vbi inquit, *Ve vos populumque Collatinum dederetis?* Quæ hæc diligentia? †

Cap. XXXVIII. *Ficulnea vetus, Cameria.*] Dionyſius etiam hoc loco mendoſe habet Φιδοῦλα, pro Φικουλέα, vt ſupra: ita vt *Ficanam*, & *Ficulneam* eandem eſſe ciuitatem intelligere videatur. Varro quidem in libro de lingua Lat. *Fidenates* & *Ficulneates* ſuburbanos populos vocat.

Cap. XL. *Tum quia Seruio occiſo.*] Vet. lib. *Et qui Seruio occiſo*, atque ita ſine controuerſia legendum eſt: nam hæc eſt altera ratio, quæ priorem ſubſequitur, quæ erat. *Et quia grauior vltor tedis.* Itaque apte altera alteri nunc reſpondet.

Cap. XLI. *Tum demum palam factum. Et comploratione in regia orta.*] Neſcio cur veterem lectionem immutauerit Rhenanus: *Tum demum palam facta ex comploratione in regia orta*, cum ſit ſenſus: Seruius celata morte regis opes ſuas firmauit, tum demum palam facta ex comploratione in regia orta regnauit.

Cap. XLIII. *Cornicines, tibicineſque.*] Veter. lib. *Tubicineſque*: Egregie. Dionyſius enim vbi hac de re agit, vertit, σαλπικτάς.

Eod. *In tres centurias diſtributi.*] Malim, *in duas*, vt ſcribit Dionyſius, vt centuriæ omnes ſint CXCIII. numero impari, vt concipit Dionyſius, non CXCIV.

Eod. *Equitum ex primoribus ciuitatis XII. ſcripſit centurias: ſex item alias centurias tribus ab Romulo inſtitutis, ſub iiſdem quibus inaugurata erant, nominibus fecit.*] Ex his verbis centurias colligit Glareanus XV. cum ſint XVIII. tres enim veteres tantum auctas eſſe putare videtur, cum ex tribus ſex factas eſſe Liuius intelligat. † Vide annotationes Glareani, eique iniuriam manifeſtam fieri dices †: Hac enim de re ſic ait in Priſco: *Tarquinius equitem maxime ſuis deeſſe viribus ratus, ad Ramnenſes, Tatienſes, Luceres, quas centurias Romulus ſcripſerat, addere alias conſtituit, ſuoque inſignes relinquere nomine.* & paulo poſt: *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutauit, numero tantum alterum adiecit, vt mille DCCC. equites in tribus centuriis eſſent: poſteriores modo ſub iiſdem nominibus, qui additi erant appellati ſunt, quos nunc, quia geminatæ ſunt, ſex vocant centurias.* Hęc ibi. Geminauit autem eas Tullius, ita vt ex tribus ſex faceret, ſed ſub iiſdem nominibus. Quo efficiebatur, vt primi eſſent, & ſecundi Ramnenſes, primi & ſecundi Tatienſes, & Luceres. Quod Feſtus etiam docet, qui libro 17. ait ita: *Ciuitas Romana in ſex diſtributa erat partes, in primos, ſecundos Tatienſes, Ramnenſes, & Luceres.* Dionyſius item decem & octo centurias, à Tullio factas ſcribit, non quindecim.

Eod. *Equites enim vocabantur primi, octoginta inde primæ claſſis centuriæ primum peditum vocabantur.*] Voces hæ, *Primum peditum vocabātur*, perſpicue gloſſema ſunt eius, qui locum hunc in margine libri interpretatus eſt: id quod non ſolum ſuperuacanea repetitio vocis, *Vocabantur*, ſed etiam veterum aliquot librorum auctoritas comprobat, à quibus abſunt eiuſmodi voces. Accedit, quod ſi tollantur, multo venuſtior ipſa oratio redditur.

Eod. *Ibi ſi variaret, quod raro incidebat, vt ſecunda claſſis vocarentur, nec fere vnquam infra ita deſcenderent, vt ad infimos peruenirent.*] Glareanus de hoc loco deſiderari aliquid cenſet, quaſi vero hęc ſententia futura fuerit. Ibi ſi variaret, tum efficiebatur, vt ſecundæ claſſis centuriæ vocarentur, neque intelligit totam hanc orationem altius initium ducere inquit enim: *Gradus facti, vt neque excluſus quiſquam ſuffragio videretur, & vis omnis penes primores ciuitatis eſſet: equites enim vocabantur primi, octoginta inde primæ claſſis centuriæ. Ibi ſi variaret, quod raro incidebat, alter gradus nimirum fuit, vt ſecundæ claſſis centuriæ vocarentur.* Hunc ſenſum cum vetuſtiores, aut librarij, aut emendatores, non percepiſſent, deinde, *Deſcenderent*, pro *Deſcenderunt*, ſcripſere. Eſt autem noua quaſi res addenda ita: † Sed quis dedit tibi, ô Sigoni, addendi poteſtatem Liuio verba? non putas Glareanum etiam potuiſſe addere verba, ſi id eſſet emendare auctores, & non potius corrumpere †? *Quod ad tertiam & reliquas claſſes attinet, numquam ita infra deſcenderunt, vt ad infimos peruenirent.* Id quod Dionyſius prope ἀδύνατον fuiſſe ſcribit ita: τοῦτο δὲ ἦν σπάνιον καὶ οὐ μακρὰν ἀπεῖχε τοῦ ἀδυνάτου.

Eod. *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc eſt, poſt expletis quinque & triginta tribus, duplicato earum numero centuriis iuniorum, ſeniorumque ad inſtitutam ab Ser. Tullio ſummam non conuenire.*] Senſus eſt, Seruius Tullius omnem populum in IV. tribus deſcripſit, idem eūdem in centurias exerit. Subſequentibus autem temporibus, inquit, cum populus ita creuerit, vt XXXV. tribus expletæ ſint, centuriarum etiam numerus duplicatus eſt. Quare mirādum non eſt, hunc ordinem centuriarum, qui nunc eſt, ad ſummam Ser. Tullij inſtitutam non conuenire.

Eod. *Quadrifariam enim vrbe diuiſa regionibus, collibuſque qua habitabantur partes, tribus eas appellauit.*] Quia meminit tribuū XXXV. in quas poſt populus eſt coniectus, quæ cauſa mutationis centuriarum fuit, quod eſſent hoc tempore tribus, exponit. Quatuor igitur fuiſſe à partibus vrbis quatuor, in quas diuiſa vrbs à Tullio fuit, nominatas ait. Hæ fuerunt Palatina, Eſquilina, Suburrana, Collina, quæ ruſticis tribubus accedentibus vrbanæ ſunt dictæ. Dionyſius autem Tullium eundem & vrbanarum, & ruſticarū tribuum auctorum fuiſſe, ſcribit. Quod præterit, vt alia, Liuius. ſed eas XV. fuiſſe, intelligitur ex iis quæ poſtea ſcribit.

Cap. XLIV. *Cenſu perfecto, quem maturauerat metu legis de incenſis latæ.*] Senſus eſt: Regem mature perfeciſſe cenſum, quia populus metuit legem de incenſis ab eo latam, quos ſe & bonis, & libertate multaturum eſſe dixerat, ſic enim Dionyſius ſcribit: τῷ δὲ μὴ τιμησαμένῳ τιμωρίαν, ὥρισεν τήν τε οὐσίαν στέρεσθαι, καὶ αὐτὸν μαστιγωθέντα πραθῆναι

Eod. *Idque conditum luſtrum appellatum eſt, quia in cenſendo finis factus eſt.*] Rhenanus ambigit de hac lectione, neque enim videri ſe ait, cur dicat Liuius icirco luſtrum appellatum eſſe, quia in cenſendo finis factus eſt. Iuſta autem eius dubitatio eſt. Ego autem vel repugnantibus veteribus libris, legendum puto: *Qui in cenſendo finis factus eſt*, vt ſit; Inſtitutum eſt, vt luſtrum cenſionis finis eſſet: ſic enim Dionyſius vſque ad memoriam ſuam obſeruatum eſſe tradit. τοῦτον καθαρμὸν αὐτὸν ἕως τοῦ κατ' ἐμὲ χρόνου Ῥωμαῖοι καθαίρονται μετὰ τὴν συντέλειαν τῶν τιμήσεων, ὑπὸ τῶν ἐχόντων τὴν ἱερωτάτην ἀρχὴν, λοῦστρον ὀνομάζοντες.

Eod. *Pomærium, vim verbi ſolam intuentes Poſtmœrium interpretantur.*] In Vet. lib. *Poſtmœrium*, & recte: nam antiquitus *mœri* pro *muris* dicti ſunt. Varro etiam libr. 4. de lingua Lat. *Principium inquit, quod erat poſt murum, pomœrium dictum.*

Cap. XLV. *Ea erat confeſſio caput rerum Romam eſſe.*] Quia quærit Glareanus, ſi ea confeſſio erat, caput rerum Romam eſſe, cur bouem Romam Sabinis adduxerit, huius loci ſententiam aperiemus. Templum, inquit, Dianæ à Latinis conditum, eam confeſſionem Latinorum extorſerat, Romam ipſam imperij caput eſſe, de quo toties armis certatum fuerat. Quæ res quamquam omni ex omnium cura Latinorum ob tot clades acceptas erat, ſubij tamen cogitatio Sabino cuidam imperij priſtini priuato conſilio recuperandi, ſi ipſe bouem Dianæ ſacrificaſſet eam, de qua vates cecinerant, cuius ciuitatis ciuis Dianæ immolaſſet, apud eam imperium fore. Ergo bouem Romam deduxit, vt imperium recuperaret. Sabinos autem inter Latinos numerat. † Male aperit: & æque manet dubitatio. Liuium enim Sabinos inter Latinos numerare etiam Glareanus fatetur, ſed nondum liquet cur Romam duxerit bouem: Fortaſſis vel quia nullum Dianæ templum erat in Sabinis, vel potius quia commune templum præferendum eſſe putarit †. Paulo poſt, *Infima valle præfluit Tiberis*: verba ſunt Romani antiſtitis, non Hiſtorici. porro autem antiſtitem fani Cornelium; Sabinum Antronem Curatium nominat Plutarchus in libro τῶν ῥωμαϊκῶν.

Cap. XLVII. *Etiam de Seruio actum rati.*] Vet. libr. *& iam de Seruio.* Vere.

Eod. *Flectento carpentum dextra in Virbium cliuum, vt in collem.*] Vide quid ſit, quod omnes manuſcripti libri ita habent, *Flectere carpentum in dextram iuſſit aurigam, vt in collem.* Ceterum ſupra Vrbicum cliuum habitaſſe Ser. Tullium regem ſcribit Solinus cap. a.

Eod. *Collem Eſquiliarium.*] *Eſquiliarium* habent veteres libri: *Perueniſſetque ad ſummum Cyprium vicum.* Et paulo poſt: *Monumentoque locus eſt: Sceleratum vicum vocant.* Dionyſius hunc vicum primum *Beatum*, poſt *Sceleratum* appellatū eſſe tradit: οὗτος ὁ στενωπὸς Ὄλβιος καλούμενος πρότερον,

ἐξ ἐκείνου τοῦ ἄγους, καὶ [illegible] ὑπὸ Ῥωμαίων, κατὰ τὴν πάτριον γλῶτταν καλούμενος. Recte. Nam *Cyprum*, *Bonum* ſignificat auctore Varrone de lingua Latina. *Vicus Cyprius*, inquit, *a Cypro, quod ibi Sabini ciues additi conſederunt, qui à bono nomine id appellarunt. Nam Cyprum Sabinè Bonum, prope hunc vicus Sceleratus dictus à Tullia Tarquinij Superbi vxore, &c.*

Cap. XLIX. *Octauio Mamilio Tuſculano.*] Si nomen gentis huius eſt *Mamilius*, vt Dionyſius & Feſtus ſcribunt, ergo *Octauius* prænomen eſt, quod alias *Octauia* gentis eſt nomen: quia vero nuſquam prænomina loco nominum vſurpata ſunt, propterea ſuſpicor, ne *Octauio Mamilio* ſit legendum, vt *Octauius* ſit prænomen, perinde ac in viris *Quintus, Sextus, Decimus*, & in feminis, *Prima, Secunda, Tertia, Quarta, & Quinta*, auctore Varrone. Liuius etiam poſt libro tertio; *L. Mamilio Tuſculano*, datam ciuitatem ſcribit. † Hunc locum irridet Ro-
¶ bortellus libro primo cap. 31. †

Cap. LI. *Ne id quidem ab Tarno tuliſſe taciturni ferunt, dixiſſe enim.*] Vet. li. *ne id quidem Turnum tuliſſe tacitum ferunt, dixiſſe enim.* Recte. nam in priore lectione *tuliſſe* ad Superbum, in hac ad Turnum refertur. quo ſit oratio rectior. nam addit: *Dixiſſe enim.* Sic lib. 7. *Non patientibus tacitum tribunis.*

Eod. *Quod morando ſpem deſtituerit.*] Vet. lib. *ſpes deſtituerit.* Videat autem eruditus lector, an rectius dicatur, *ſpem deſtituo*, an, *me ſpes deſtituit.* Liuius quidem. libr. 29. ait: *Scipio magna ſpe, deſtitutus erat.*

Cap. LII. *Miſcuit manipulos ex Latinis, Romaniſque, vt ex binis ſingulos faceret, binoſque ex ſingulis.*] *Manipulus* teſte Vegetio, *decem continet milites.* Ex binis ergo ſingulos fecit, cum ex duobus manipulis altero Latinorum, Romanorum altero quinos ex hoc, & ex illo quinos milites ſumeret, & vnum militũ componeret. Ex ſingulis porro binos, cum duas vnius manipuli partes in duos diuideret. Quos geminauit cum eundem manipulum ex Latinis, Romaniſque miſcuiſſet.

Cap. LIII. *Ni degeneratum in aliis huic quoque decori offeciſſet.*] Quærit Glareanus quo referatur vox illa *degeneratum.* is ergo accipiat, referri ad verbum, *offeciſſet.* eſt autem hic modus dicendi Liuio vſitatus. Sic lib. 7. *Diu non perlitatum tenuerat Dictatorem.* Item: *Tentatum domi per dictatorem, vt ambo patricij conſules crearentur, rem ad interregnum perduxit.* Et illud Virgilij: *Notumque furens quid femina poſſit.* Sumitur autem ſententia pro nomine vno, & caſu recto. † Hoc recte explicat &
¶ docet Glareanum, qui doceri cupit, non irrideri †.

Eod. *Pererraturum ſe omne Latium, Volſcoſque ſe inde, & Æquos, & Hernicos petiturum.*] Vet. lib. pleniores. *Pererraturum ſe omne Latium, pulſumque ſe inde Volſcos, & Æquos.*

Cap. LIV. *Ipſe identidem belli auctor eſſet.*] Lege, *Eſſe*, ex vet. lib. vt eadem ſit forma dicendi, atque ea, quæ ſequitur: *In eo ſibi præcipuam ſcientiam aſſumere.*

Cap. LV. *Quam ſummam pecuniæ neque ex vnius tum vrbis præda ſperandam, & nullius ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exſuperaturam.*] Rhenanus ex fide vetuſti libri corrigit, *Quia ſummam pecuniæ.* hoc ſenſu, ſe credere potius Fabio, quam Piſoni, quia ſummam pecuniæ ſcribit, neque ex vnius tum vrbis præda ſperandam. Itaque verbum, *Scribit*, ſubaudiendum putat. Nos autem in vet. lib. inuenimus ita legi: *Quia ſumma pecunia.* & cetera in recto caſu, vt ſit hæc ſententia ſe credere potius Fabio, quam Piſoni de XL. millibus pondo argenti, quia ſumma pecunia ea ſit, neque ex vnius tum vrbis præda ſperanda.

Cap. LVI. *Qui cum haud paruus & ipſi militia adderetur labor.*] Vet. libr. *Qui cum haud paruus & ipſi militiæ.* id eſt, cum ædificandi labor haud paruus & ipſi militiæ adderetur.

Cap. LVIII. *P. Valerio Voleſi filio.*] *Voluſi* ſcribendum, ex Capit. conſulibus.

Cap. LIX. *Ferro, igni, quacumque dehinc vi poſſim exacturum.*] Vet. lib. *& quacumque dehinc vi poſſim.* vt lib. 2. *Pontem ferro igni & quacumque vi poſſent, interrumpant.* Itaque Cicero pro domo ait: *Deinde cum ille ſaxis & ignibus, & ferro vaſtitatem meis ædibus intuliſſet.* Et pro Plancio. *Quorum vidiſti toto illo anno ferrum in foro, flammam in ædibus, vim in tota vrbe verſari.*

Eod. *Præco ad tribunum Celerum, in quo tum magiſtratu forte erat Brutus, populum aduocauit.*] Hoc addit, quia niſi magiſtratui populum conuocare non licebat, vt ait Dionyſius libr. 4. ſic enim quærit à Bruto Valerius: πρὶν δέ σε ἐκκλησίας [illegible] μαθεῖν, τίς ὁ καλῶν ἔσται αὐτὴν κατὰ νόμους, καὶ τὴν ψῆφον ἀναδώσων ταῖς φράτραις. ἄρχοντι γὰρ ἀποδέδοται τοῦτο πράττειν. ὁ δὲ ὑπολαβών, ἐγώ, ἔφη, Βαλέριε, τῶν γὰρ κελερίων ἄρχων εἰμί, καὶ ἀποδέδοταί μοι κατὰ νόμους ἐκκλησίαν, ὅταν βούλωμαι, συγκαλεῖν.

Cap. LX. *Duo conſules inde comitiis centuriatis à præfecto vrbis ex commentariis Ser. Tullij creati ſunt.*] Ita prope Dionyſius, præterquam quod comitia à Sp. Lucretio patre Lucretiæ Interrege non præfecto habita fuiſſe ſcribit. Quod autem ex commentariis Ser. Tullij ait, ad Centuriata comitia pertinet; quorum ille rationem habendorum primus tradidit.

IN EPITOMEN LIB. II.

SVos *quoque & fratris filios.*] Lege, *& ſororis filios*, ſic enim lib. 4. locutus eſt. intelligit autem Aquilios, Vitelioſque natos ex ſororibus duabus Collatini collegæ ſui.

Contractis Veientium, & Tarquinienſium copiis. Vetuſti libri habẽt, *Tarquinienſium*, quod placet, nam, vt à *Veiis, Veientes*, ſic à *Tarquiniis Tarquinienſes* dicti ſunt.

Et cum reddita eſſet à Porſena honorifice remiſſa, equeſtrique ſtatua donata eſt.] Lege, & interpunge ita ex Vet. libr. *Et cum reddita eſſet Porſenæ, honorifice remiſſa, equeſtri ſtatua donata eſt.*

Numerus tribuum ampliatus eſt, vt eſſent triginta vna.] Ex fide vetuſtorum librorum ſcribendum eſt, *viginti vna*, vt paulo poſt oſtendam.

Cn. Martius] *Cn. Martiu*, ſcribe. eſt enim apud Dionyſium, & Plutarchum Γάϊος Μάρκιος. Item in quibuſdam etiam veterib. libris. *C. Marcius.* Et præterea genti *Marciæ* familiare prænomen *Caij*, non *Cnei.*

T. Latinus.] *T. Latinius* ſcribendum eſt ex Vet. libr. accedit, quod Lactantius Firmianus libr. 2 *Ti. Atinium*, Macrob. libr. 1. *Aninium* vocant errore non admodum à veritate alieno.

Cum Cn. Martius Coriolanus, qui in exilium pulſus, dux Volſcorum factus exercitum hoſtium vrbi primo admonuiſſet.] Lege ad fidem veteris lectionis: *Cum C. Marcius Coriolanus, qui in exilium erat pulſus, dux Volſcorum factus exercitum hoſtium vrbi Romæ admonuiſſet.*

IN LIBRVM II.

CAP. I. *Quas nouas ipſi ſedes ab ſe auctæ multitudinis addiderant.*] Diſſentio à Rhenano: qui legendum putat, *Multitudinis* cum vetuſti omnes libri habeant, *Multitudini.*

Eod. *Tribunitiis procellis.*] *Tribunicium c*, litera non *t*, ſcribendum eſſe ex Capitolinis lapidibus intelligitur.

Eod. *Inde fertur, vt in ſenatum vocarentur, qui patres, quique conſcripti eſſent, conſcriptos videlicet nouum ſenatum appellabant lectos.*] Lege ex antiquæ lectionis fide: *Conſcriptos videlicet in nouum ſenatum appellabant lectos*, id eſt, qui in nouum ſenatum lecti erant, ij conſcripti vocabantur. Sic ſupra dixit: *In patres legere* Hic idem locus tractatur apud Feſtum libr. 15. ſed mendoſe. Legendum eſt autem ita: *Qui patres, quique conſcripti, vocati ſunt in curiam, quo tempore regibus vrbe expulſis P. Valerius conſul propter inopiam patriciorum ex plebe adlegit in numerum ſenatorum centum ſexaginta & quatuor, vt expleret numerum trecentorum.* ſic duo genera appellauere.

Cap. II. *Necubi ibi regum deſiderium eſſet.*] Rhenanus quia incidit in vnum librum, in quo erat, forte per incuriam librarij ſcriptum: *Necubi ibi*, vt ille ait: correxit. *Necubi ibi*, id eſt. vt ne in eo miniſterio regem deſideraret populus. ego autem probo magis, vt legatur, *Necubi regum*, quomodo legitur in omnibus antiquis libris, vt ſit hic ſenſus. Ne quo in munere deſideraretur.

Eod. *Regem ſacrificulum creant.*] Non improbo hanc lectionem. Illud tantum admoneo, in veteribus libris legi, *Regem ſacrificiorum*, quo modo alibi etiam Liuius loquutus eſt. Quanquam ſæpius, *ſacrorum* ait: Itaque Plut. in Problematis inquit, à Romanis appellari ῥῆγα σακρώρουμ. Dion. βασιλέα τῶν ἱερῶν. Alias etiam *Rex ſacrificus*.

Eod. *Vt omnes Tarquiniæ gentes exules eſſent.*] Ita Varro rerum Romanarum li. 20. auctore Marcello: *Omnes Tarquinios eiecerunt, ne quam reditionis per gentilitatem ſpem haberent.*

Eod. *Vindicio ipſi nomen fuiſſe.*] *Vindici* lego, quia Plutarchus in problemat. ait οὐίνδικι τῷ ὄνομα. Et Dionyſius: Nominabatur inquit, Οὐίνδικος.

Cap. IV. *Vitellios, Aquiliſque.*] *Aquillij* duobus *ll* ſcribendi, ſic eſt enim in Capitolinis monumentis. Ceterum ne quis putet Dionyſium diſſentire à Liuio, qui pro *Vitellijs*, Γελλίους nominet. nam mendum eſt in voce Γελλίους pro Οὐιτελλίους, vt eſt etiam apud Plutarchum, in cuius Coriolano eſt etiam vitioſe. Οὐεργίνιος pro Λαρκίνιος eadem ratione mendi.

Cap. VI. *Ne ſe ortum eiuſdem ſanguinis, exſortem, egentem.*] Rhenanus cenſet legendum eſſe, *ortu*. Verum & quia ſine auctoritate vetuſtorum codicum ita ſentit, & quia durum genus dicendi vtrumque eſt, vtramque lectionem mendum ſuſpicor continere. Vereor autem ne legendum ſit hoc modo: *Ne ſe ortum ab iis eiuſdem ſanguinis.* Nam infra de eodem ita loquitur. *Ne ſe ortum ab Etruſcis, eiuſdem ſanguinis, nominiſque egentes*, &c.

Cap. VII. *Arſia ſilua.*] Sic etiam Valerius cap. de Miraculis. at Plutar. οὐρσοὺς ἄλσος appellat.

Eod. *Vno plus Etruſcorum cecidiſſe in acie.*] Plutarch. apertius in Poblicola: ὡς ἑνὶ πλείους ἐν τῇ μάχῃ τεθνήκασι Τυῤῥηνῶν ἢ Ῥωμαίων, id eſt, *Vno plures obiiſſe Tuſcos, quam Romanos.* Idem Dionyſius.

Eod. *Vbi nunc vicus publicus eſt.*] Miror Rhenanum corrigendum putaſſe, *Viriplaca*, cum vnum tantum librum inuenerit in quo eſſet, *Vbi nunc vica poca*. Quos quidem ego legi, ij habent: *Vbi nunc via publica eſt*: verum vitioſe vtrumque. Nam Plu. in Poplic. ait: ὅπου νῦν ἱερόν ἐστιν οἶκος πόπλικος ὀνομαζόμενος. Front. de aquæduct. 2. meminit *vici Publicij*, vt verear, ne legendum ſit, *vicus Publicius*.

Cap. VIII. *Publicolæ.*] Scribe *Poblicolæ*, ex fide Capitolinorum marmorum, & Græcorum librorum Dionyſij, Plutarchi Dionis, præterea ex etymologia vocis. eſt enim *Poplicola*, vt ait Dionyſius, δημοκηδής, id eſt, *populum colens*, quamquam Priſcianus ait à vetuſtiſſimis Latinis *Poblicum* eſſe dictum.

Cap. X. *Vt pontem ferro, igni, quacumque vi poſſent, interrumpant.*] Vet. lect. *& quacumque vi poſſent.*

Eod. *Sp. Largium.*] Glareanus vbique *Largium* ſcribendum cenſet: nos *Lartium* partim antiquorum librorum auctoritate, partim etymologia vocis. *Lartius* enim à *Larte* prænomine dictus eſt. Græcorum tamen codices vbique Λάρκιον habent.

Eod. *Tiberine pater, inquit, te ſancte precor & arma & hunc militem propitio flumine accipias.*] Tiberinum Deum loci videtur intelligere, de quo etiam Virgil. libr. 8. *Hic Deus ipſe loci fluuio Tiberinus amœno, Populeas inter ſenior ſe attollere frondes Viſus.* Quo in loco docet Seruius in ſacris *Tiberinum*, in communi loquendi ſermone *Tiberim*, in carmine *Tibrim* vocari.

Cap. XI. *Nauibus vndique accitis, & ad cuſtodiam, ne quid Romam frumenti ſubuehi ſineret.*] Deſideratur vox, *Poſitis*, quæ eſt in Vet. lib. *& ad cuſtodiam poſitis.*

Eod. *Conſulum alter.*] Vet. lib. *Conſul alter.*

Eod. *Verbiſque in Lucretium Etruſcis.*] Probo coniecturam Glareani, legendum eſſe, *in Valerium* propter ea quæ ſequuntur, *Dextra, laeuaque hinc à porta Collina illinc ab Næuia redditus clamor*: nimirum ab Lartio, & Lucretio; quorum ille Collina, hic Næuia porta egreſſus erat.

Cap. XII. *Iuberem macte virtute eſſe.*] Vetus lectio. *Iuberem te macte virtute eſſe.* Modus eſt autem iubendiis, de quo Liuius lib. 4. *Tum Dictator, Macte virtute, inquit, C. Seruili, eſto.* Vt autem ibi, *Macte* pro *Mactus*, ponitur, auctore Priſciano, ſic hic *Macte* pro *Mactum*.

Cap. XIII. *Sceuolæ.*] Cap. lapid. edunt; *Sceuulæ*:

Cap. XIV. *Huic tam pacatæ profectioni ab vrbe regis Etruſci abhorrens mos traditus ab antiquis, vſque ad noſtram ætatem inter cetera ſolennia manet, bona Porſenæ regis vendendi.*] In omnibus Vet. lib. duæ amplius voces ſunt, *Bonis vendendis*, quas eximit Rhenanus, quod in vno quem ipſe legit libro non reperit, ex quo ſuſpicatus eſt, eas eſſe interpretis alicuius gloſſema. Videndum eſt tamen an ita ſit. Etenim Cic. in Ver. 3. *Vbi illa conſuetudo in bonis, prædiis, prædibuſque vendendis Conſulum, Cenſorum, Prætorum, Quæſtorum, vt optima conditione ſit is, cuia res ſit, cuium periculum.*

Cap. XV. *Pax fida cum Porſena fuit Conſules deinde.*] Ego aſteriſcum ponendum cenſeo inter *fuit* & *Conſules*, vt intelligatur deeſſe aliquid: deſunt autem nomina Conſulum Sp. Lartij & T. Herminij. Quorum meminit Dionyſ. & Caſſiodorus, qui tabulas ſuas conſulares ex Liuiana hiſtoria concinnaſſe videtur. puto autem deeſſe non Liuij, ſed librariorum vitio, vt aperte infra in Chronologia oſtendam. † Hoc ex Glareano habet, qui primus id aperuit, ſed Sigonius id diſſimulat †.

Cap. XVI. P. *Poſthumius.*] *Poſtumus* & *Poſtumius* ſcribendum eſt ſine aſpiratione, nam ita & in manuſcriptis lib. eſt, & in vet. lapid. præſertim vero iis, qui in Capitolio ſunt.

Eod. *Ap. Clauſus, cui poſtea App. Claudio fuit Romæ cognomen.*] Nemo miretur me & hoc loco, & infra in IX. vbi ait: *Siue Ap. Clauſum, ſiue Ap. Claudium mauultis*, legere *Actium Clauſum.* Hæc enim eſt lectio vetuſtorum librorum. Quæ auctoritate etiam Valerij confirmatur, qui ſcribit *Appium* prænomen ab *Actio* Sabinorum prænomine ortum eſſe. Ex quo intelligere poſſumus *Actium Clauſum Sabinum*, vbi Romam commigrauit, vtrumque nomen immutaſſe, perinde atque Lucumo Tarquinienſis, qui ſe L. Tarquinium appellari voluit. Quod cum ita ſit, non eſt dubium, quin mendoſe Suetonius in Tiberio hunc *Tatium* vocet, pro *Actio*. Et Dionyſius Τίτον Κλαύδιον mendoſe habeat pro Ἄττιον Κλαῦσον, vt Plutarchus in Poplicola. † Vide Robortellum libr. 2. emendationum cap. 31 †. Præterea pro voce *cognomen*, reſtitue, *Nomen*. nam hæc vox, & aptior eſt huic loco, & eſt in vet. libris.

Eod. *Ab Regillo.*] *Regillum* vrbs eſt hoc in loco, non lacus, ad quem cum Latinis poſt debellatum eſt. Nam Stephanus ait: Ῥήγιλλος πόλις Σαβίνων. Hoc dixi, quia Glareanus incertus eſſe ſententiæ videtur, cum tamen vrbs ſit in Sabinis, lacus in agro Tuſculano, vt ait Liuius. † Glareanus & vrbem & lacum eſſe fatetur, ſed dubitat vtro in loco vrbs, vtro lacus intelligendum †.

Eod. *Aruncos.*] Dionyſ. Ἀρύγχους vocat. Cap. Fragm. *Auruncos.*

Cap. XVII. *Iam in eo eſſet, vt in muros miles euaderet.* Vet. lectio melior. *Iam in eo res eſſet, vt.*

Cap. XVIII. *Poſtumium Cominium.*] Glareanus vehementer hoc loco errat, qui *Poſtumium* hoc in loco gentis eſſe nomen putat, & C. *Poſtumium* dici vult: eſt enim ſcribendum. *Poſtumium Cominium*, vt ſit prænomen, quemadmodum oſtendi in Prænominibus à me editis. † Glareanus ſecutus eſt Dionyſium, vbi etiam in Græco Codice legitur Ποστούμιον Κομίνιον, poteſt autem fieri vt etiam Græcus codex erret: Nil igitur temere fecit Glareanus, imo admonuit quoſdam legere triſyllabum †.

Eod. *M. Valerium M. F. Voleſi nepotem.*] Hunc primum Dictatorem creatum eſſe, contra, atque tradit Liuius, eundemque *Voluſi*, non *Voleſi* nepotem fuiſſe, quemadmodum etiam ſcriptum eſt in Capitolinis lapidibus, docet Feſtus libr. 13. cuius verba ſubiungam, partim quia vulgo mendoſe leguntur, partim etiam, quia digna ſunt, quæ recenſeantur: inquit autem: *Optima lex cum nominabatur in magiſtro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet ius eſſe ſignificabatur. Vt fuit M. Valerij Marci filij Voluſi nepotis, qui primus magiſter populi creatus eſt: poſtquam vero prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ antea non erat, deſitum eſt dici, vt optima lege, vtpote imminuto iure poſteriorum magiſtratuum*. Errauit porro Rhenanus, qui *M. Voleſi nepotem* correxit, nam *Voluſus* prænomen eſt *Valeriorum*, ita vt *Marcus* ſit ſupernacaneum.

Eod. *Tacitæ induciæ quietum annum tenuere.* Vet. libr. *Datæ*

Digitized by Google

indutia. Quamquam hic extremo ait: *Velut tacitis indutiis quiete vtrimque ſumpta.*

Cap. xix. *Ser. Sulpitius, M. Manlius Tullus.*] Fœdè erratum eſt in altero horum conſulum nominandum: eſt enim ſcribendum *Ser. Sulpicius, M'. Tullius,* id eſt, *Manius Tullius.* Huius lectionis auctore eſt Dionyſius, qui inquit, Σέρουιος Σουλπίκιος, Μάνιος Τύλλιος Λόγγος. Et Cicero in Bruto, qui ait: *M'. Tullium* cum *Ser. Sulpicio* Conſulem fuiſſe anno x. poſt reges exactos. Quod Glareanus non vidit. † Glareanus etiam hos conſules prodidit x. anno. Sed illud M' cum apoſtropho non vidit, magnum ſcilicet erratum. Sed quæſo, Cicero vocatus eſt ne *Manius* an *Marcus*? Lege verba Ciceronis diligentius, non enim ad ſolum nomen *Tullius*, ſed etiam ad prænomen alluſiſſe videtur. † *Manius* autem apud antiquos ita ſcribebatur, *M'.* vt in Capitolinis conſulibus: aut ita *M*, vt eſt in nummis argenteis multis, quos cum apud alios, tum maxime apud patrem tuum virum clariſſimum legi, vt *M. Sergius. M. Cordius.*

Eod. *T. Ebutius.*] Dipthongus non negligenda eſt, quam affert Dionyſius Τίτος Αἰβούτιος.

Cap. xxi. *Romæ tribus vna, & triginta factæ.*] Hic numerus eſt mendoſe non ſolum apud Liuium, ſed etiam in Epitome. Non enim *triginta vna,* ſed *viginti vna* ſcribendum eſt. † Hunc locum Glareanus ante xx. annos annotauerat. Quare æque eius hic mentio atque alias facienda fuiſſet, ſi Sigonius ad vituperium magis quam laudem promor videri nollet †. Id quod & vetuſta exemplaria habent omnia, & Dionyſius confirmat, qui in explicando iudicio Coriolani habito paulo poſt hunc annum, non niſi xxi. tribus fuiſſe aperte oſtendit. Idem error fœdauit etiam ſextum Liuij librum, vbi ait, Quatuor tribus additas eſſe, Stellatinam, Tromentinam, Sabbatinam, Arnienſem, atque *triginta quinque* numerum repleuiſſe. Non enim *triginta quinque*, ſed *viginti quinque* legendum eſt, quomodo in vetuſtis exemplaribus legitur. Quæ vero triginta quinque numerum expleuerint, eæ in ſubſequentibus libris nominantur à Liuio. Præſtat autem, vt quo facilior huius quæſtionis explicatio ſit, quæ quoque tempore tribus additæ ſunt, ex ſententia Liuij exponamus. Primum igitur tres à Romulo rege tribus factæ ſunt, Tatienſium, Ramnenſium, & Lucerum. Hæ deinde à Ser. Tullio Rege quatuor additæ, à regionibus Vrbis appellatæ ſunt, & vrbanæ propterea nominatæ, Suburrana, Eſquilina, Pallatina, Collina. Idem rex, Dionyſio auctore, agro Romano diuiſo ruſticas alias tribus fecit. Earum ne certum ipſe quidem numerum affert. Liuius vi. poſt R. E. anno, veterem tribum Claudiam appellatam, quod in eam clientes Ap. Claudij coniecti eſſent, ait. Poſt autem anno CCLIX. tribus xxi. Romæ factas ſcribit, quem numerum Dionyſius etiam tradit in iudicio Coriolani à tribubus facto anno CCLXIII. Liuio autem auctore decennio poſt quatuor additæ ſunt, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnienſis, eæque xxv. numerum expleuerunt. Hinc decem aliæ acceſſerunt: duæ quidem anno CCCXCVII. Pontina, & Poblitia. Item duæ anno CDXXIII. Mæcia & Scaptia. Itemque duæ anno CDXXXVI. Vfentina, & Falerina. Et duæ anno CDLXII. Anienſis & Terentina. Poſtremo etiam duæ circa annum DX. Velina & Quirina.

Cap. xxii. *Sed recens ad Regillum lacum accepta clades Latinos ira, adeoque eum, quicumque arma ſuaderet, ne ab legatis quidem violandis abſtinuit.*] Probo magis hanc lectionem, quam eam, quæ eſt in quibuſdam libris manuſcriptis, *Sed recens ad Regillum lacum accepta clade Latinos:* præſertim vero cum hæc forma loquendi ſit frequens.

Cap. xxiii. *Nexu vincti, ſolutique ſe vndique in publicum proripiunt.*] Non vereor ne legẽdum ſit, *Nexi, vincti, ſolutiq;* ſic enim locutus eſt lib. 8. *Ita nexi ſoluti, cautumq; in poſterum ne necterentur.* Item, *Eo anno initium libertatis factum eſt, quod ligati nexi deſierunt.* † Reprehendit hanc emendationem Robortellus libro ſecundo emendationum, capite 35. vbi ait: Sigonium plus quam mille & ſexcentis locis corrupiſſe Liuium, quia dum ait Liuius *Nexu vinctos, & ſolutos in publicum concurriſſe:* intelligit & eos, quorum corpus ob æs alienum traditum erat creditori in ſeruitium, & eos qui ſoluti fuerant nexu concutiſſe. Nam qui obligati erant nexu, poterant ſolui diſſoluto ære alieno. Hos igitur ſolutos vocat Liuius nexu, qui ſcilicet ante mancipio & nexu in ſeruitutem ducti erãt à creditoribus. Erant vtique ſub exprobrati mala teterrimæ illius ſeruitutis ideo vna cum nexu obligatis in publicum proſiluerunt. Nec quem ex libro octauo allegat locum Sigonius eius ſententiam comprobare poteſt. Ait enim ibi Liuius nexos fuiſſe ſolutos, id eſt, liberatos nexu, & cautum lege, ne poſtea necterentur, id eſt, ne quis liber operam ſuam pro pecunia creditorib. præſtaret †. *Nexos enim vocatos ait Varro liberos, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia quam debebant, domino, dum ſoluerent præſtarent:* Itaque Liuius libro octauo. *Cui cum C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dediſſet.*

Eod. *Curiamque ipſi futuri arbitri moderatoreſque publici conſilij, circumſiſtunt.*] Ver. lectio, *Circumſiſtere,* magis placet: ita enim fit, vt ſeruetur ſuperior forma dicendi, *Dicere, Poſtulare, Circumſiſtere.*

Cap. xxvii. *Aleo in alteram cauſam non collega ſolum præceperat, ſed omnis factio nobilium.*] Locus proculdubio mendoſus. Rhenanus legit, *A leo vi alteram cauſam.* quam lectionem non probo. Veteres libri alij *ſteterat*, alij *præſtiterat* habent. Quæ lectio ſuſpicionem mihi affert, ne ſit legendum, *præceps erat:* nam & ſententiæ congruit, & locutio eſt Liuio familiaris: ſic enim loquitur lib. 23. *Quamquam præceps ingenio in iram erat.* † Hoc adiounet, quaſi Sabellicus ea non ante annotauerit †.

Eod. *M. Lectori.*] *Laetorius, & Pletorius* ſcribi debet. Quod Capitolinis lapidibus, & nummis argenteis comprobatur.

Eod. *Periculum libertatis in creditores debitoribus verterant.*] Multo melior priſca lectio, *Verterat.* Quo verbo ſæpe vtitur Liuius pro ſuo paſſiuo. Ita enim fiet, vt ſuperiori formæ reſpondeat, *Vi agebatur.*

Cap. xxx. *Multis, vt erat horrida & atrox Appij ſententia videbatur, rurſus Virginij, Largijq; exemplo haud ſalubres, vtiq; Largij putabant ſententiam, quæ totam fidem tolleret, medium maxime, & moderatũ vtroque conſilium Virginij habebatur.*] Cum hunc locum mendoſe legi animaduerteret Rhenanus, homo de T. Liuio optime meritus, hunc in modum demum emendauit, & interpunxit, hoc ſenſu: Appij atrox ſententia videbatur, Virginij, Lartijque ſententiæ exemplo haud ſalubres erant. Lartij ſententia totam fidem tollebat. Moderatum erat Virginij conſilium. Non intellexit autem Virginij ſententiam, ſi ita legatur, modo probari, modo improbari. Melior igitur lectio eſt ea, quam ipſe in vetuſtis exemplaribus reperi, quæ eſt eiuſmodi: *Multis, vt erat horrida, & atrox Appij ſententia videbatur, rurſus virginij, Largijque exemplo pernicioſa, haud ſalubrem vtique Largij putabant ſententiam, quæ totam fidem tolleret.* † Hic Robortellus increpat Sigoniũ libro ſecundo emendat. capite 34. interpunctũ ponens ante illam dictionem *exemplo,* & præter fidem omnium exemplarium nomen *Vetuſij* additum affirmans † Quamquam non *Virginij, Largijque exemplo,* legendum eſt, ſed *Virginij, Vetuſijque.* Hic enim hoc anno conſules cum coercendæ plebis cauſa ſeuere delectum haberent, maiorem ſeditionem fecerunt. Qua de cauſa ait, Appij ſententiam partim atrocem, partim pernicioſam eſſe viſam, Virginij Vetuſijque exemplo, quibus eadem ſeueritate vſis, quæ Appij ſententia continebatur, male res ceſſit. Tollebat autem totam fidem Lartius, quia omnibus ſatis fieri oportere cenſebat, vt Appius nemini.

Eod. *M. Valerium dictatorem Voleſi filium.*] Non eſt hic M. Valerius Voluſi filius, qui paulo ante mortuus eſt, ſed frater eius prænomine *Manius,* vt Dionyſius & Capitolina fragmenta oſtendunt. Quæ res valde torſit Glareanum. † Torſit, & non iniuria †. Quare. *M'. Valerium* ſcribe.

Cap. xxxiii. *C. Licinius, et L. Albinus.*] Hi primi tribuni plebis creati ſunt ex Liuij ſententia. Porro autem aſſentior quibuſdam libris manuſcriptis, qui non hunc ſolum, ſed etiam alium *L. Albinum,* & *M. Albinum* de plebe homines, quos infra commemorabit Liuius *Albinios* vocant. Eſt enim veriſimile, ſi qui duo nomina ferrent, caruiſſe eos cognomine, prænomen autem, & nomen tuliſſe, id quod Liuius deſinit: *Albinus* autem *Poſtumiorum,* qui patricij ſunt, eſt cognomen. Idem de *Latinio* ante dictum eſt. Diſſentit autem à ceteris ſcriptorib. omnibus. Liuius in horum tribunorum nominib. recitandis Dionyſius enim Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον, Γάιον Σικίνιον Βελλοῦτον. Itemque Plu. in Poplicola, & Suidas in voce δήμαρχοι, tradiderunt parique ratione Pedianus in Corneliana, *C. Sicinium. L. F. Bellu-*

Digitized by Google

tum. L. Iunium C. F. Paterculum edit. † Si Liuium citat auctorem Pædianus, & nomina à Pædiano illa proferuntur ex Liuio, quomodo diſſentire poteſt Liuius ab eo? Potius itaque exiſtimandum corrupta fuiſſe hæc nomina apud Liuium. Robortellus lib. 2. emendationum cap. 29. ex *Sicinio* per erratum ſcriptum *Licinium*, & ex *L. Iunio Albinum*. † Quanquam apud eum mendum eſſe puto. Legitur enim, *L. Siciniam Velutum*, cum ex Græcorum auctoritate *C. Sicinium Bellutum* legendum eſſe videatur. *Bellutus* autem belluæ ſimilem ſignificare docet Feſtus. De duobus tribunis pleb. primum creatis citat auctorem Liuium Pædianus.

Eod. *Poſthumius Cominius.*] Lege *Poſthumus Cominius*, vt ante docui.

Eod. *Antiates Volſcos fundit, fugatque, compulſos in oppidum Longulam perſecutus, mœnibus potitur, inde protinus Mucamitem Volſcorum capit, tum magna vi adortus eſt Coriolos.*] Mirari ſatis non poſſum neminem adhuc vocis huius *Mucamitem* nouitate offenſum eſſe, neque fœdiſſimum mendum ſenſiſſe: Eſt enim legendum ita: *Inde Poluſcam item Volſcorum capit.* Nam paulo poſt Liuius, vbi hæc tria oppida Romanis adempta ſcribit, ait: *Longulam, Poluſcam Coriolos nouella hæc oppida Romanis ademit.* Quanquam eo in loco vitioſe legitur etiam *Polluſtiam*, pro *Poluſcam*. Huic autem lectioni fidem afferunt manuſcripti libri, qui hoc in loco, *protinus Vlſcamitem*: & paulo poſt, *Poluſcam, Coriolos*, aperte habent. Itemque Dionyſius, qui priore loco Πωλίσκαν posteriore Πολυσκανῶν πόλιν, habet. Quanquam priore quidem loco mendum etiam eſt, inquit enim ἐξάγων τὴν δύναμιν ἐφ' ἑτέραν πόλιν ᾤχετο, ἣ καλεῖται πόλις κατὰ διάστημα δ' οὐ πολὺ τῆς Λογγύλας ἀπέχει. Legendum eſt enim Πωλύσκα, κατὰ διάστημα, id eſt, *Adduxit autem exercitum ad alteram ciuitatem Volſcorum, quæ Poluſca vocatur, ſpacio autem non longè à Longula diſtat.*

Eod. *Cn. Martius.*] *C. Martius* vt ante dixi, in Coriolano, legendum eſt.

P. Minutium.] *Minucios* ſcribe, non *Minutios*, auctoritatem ſequutus Capitolinæ ſcripturæ, & Græcorum librorum, & veterum Latinorum.

Cap. XXXIV. *In Volſcis, Pomptinoq;*] Dionyſius Πωμεντῖνον πεδίον vocat. Vet. lib. *In Pontino* habent.

Cap. XXXV. *Quæ ſola alimenta ex inſperato fortuna dederat.*] Melior priſca lectio, *dederit.*

Eod. *Ibi ira eſt ſuppreſſa.*] Lege ex fide Vet. lib. *Vbi ira eſt.*

Eod. *Sed adeo coorta erat infenſa plebs.*] Luxatæ ſunt voces hæ, ex vet. lib. ita ordinandæ, *ſed adeo infenſa erat coorta plebs.*

Eod. *Accij Tully, longe is tam princeps Volſci nominis erat.*] Hic vir *Attius Tullius* dictus eſt, ita vt *Tullius* prænomen, *Attius* nomen gentis eſſet, vt in Tullo Hoſtilio. Quod autem dico, ex fide veterum librorum dico, & Græci exemplaris Dionyſij, à quo Τύλλος Ἄττιος dicitur vbique, ſemel per mendum Τύλλος Ἀττίδιος, vt à Plutarcho in Coriolano Τύλλος Ἀμφίδιος. Maior autem etiam labes inſidet in principio vitæ Ciceronis, vbi Τύλλιος Ἄππιος nominatur, pro Τύλλος Ἄττιος. † Reprehendit hoc Robortellus lib. 2. emendat. cap. 31. †

Cap. XXXVI. *Verecundia tamen magiſtratuum timorem vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret.*] Vetus lectio, pro, *timorem vicit*, habet, *timorem iniecit.*

Eod. *Viſus Iupiter dicere, ſibi ludis præſultatorem diſplicuiſſe.*] Quanquam legitur in veteribus libris, *Ludi*, probatur tamen magis, *Ludis*. Nam Dionyſius ſic ait: ὅτι μοι τῆς τελευταίας πομπῆς τῶν ἀγώνων ὀρχηστὴν οὐκ ἀγαθὸν ἔδωκαν, id eſt, *nuncia mihi proximis ludis præſultatorem haud bellum eos dediſſe.* Præſultatorem autem vocat eum, qui quaſi ludorum prima pars fuerit, qui antequam ludi committerentur, ſaltauerit. Itaque Plut. in Coriolano ait: τὸν ὀρχηστὴν πρὸ τῆς πομπῆς. Cicero de Diu. primo, *præſultorem ſibi non placuiſſe ludis.*

Cap. XXXVII. *Vrbem excederent.*] Vet. lib. *Vrbe excederent.*

Cap. XXXVIII. *Querendo, indignandoque.* Vet. lib. *querendo.*

Eod. *Ad caput Ferentinum.*] Priore libro, *caput aquæ Ferentinæ* dixit, ad quod Turnum Herdonium deiectum fuiſſe narrauit. Eodemque libro *Lucum Ferentinæ* nominauit, ad quem conueniſſe Latinos ſcribit, pari quæ ratione lib. 7. ad *lucum Ferentinæ* Latinorum concilium tradit eſſe habitum. † Hæc omnia in annotationibus Glareani inueniuntur, quare diſſimulanda ita non fuiſſent †. Quod concilium Dionyſius τὴν ἐν Φερεντίνῳ ἀγορὰν vbi de Superbo Rege agit, vocat: Plutarchus autem in Romulo quorundam ſacrorum meminit, quæ fiebant à Latinis ἐπὶ Φερεντίνῃ πύλῃ. Vt autem ad lucum Ferentinæ Latinorum, ſic ad Fanum Voltumnæ Etruſcorum populorum concilia habebantur.

Eod. *Quæ per noſtram ignominiam ludos commiſere.*] Vet. lib. *Qui*, vt referatur non ad contumeliam, ſed ad populi Romani.

Cap. XXXIX. *Quem ſpes nequaquam fefellit.*] Vet. lib. *Quæ ſpes nequaquam fefellit*, quod probo.

Eod. *Longulam, Polluſtiam, Coriolos nouella hæc Romanis oppida ademit.*] Paulo ante docui *Poluſcam* legendum eſſe. *Nouella* autem hæc oppida vocat, quia triennio ante in poteſtatem populi R. venerant.

Eod. *Labicos.*] Nec Græci, nec Latini libri ſibi conſtant in hoc oppido nominando, modo enim *Labicos* & *Labicanos*: modo *Lauicos* & *Lauicanos*: modo Λαβίκους & Λαβικανούς: modo Λαουίκους, & Λαουικανούς edunt.

Eod. *Trebiam.*] Seruius exponens Virgilij locum in VII. *Oliuiferaque Mutiſcæ. Hæc, inquit, Trebula poſtea dicta eſt, quam modo Trebulam dicunt.*

Eod. *Ad vrbem à Pedo ducit.* Vet. lib. *ab Pedo.*

Eod. *Foſſas Cluilias.*] *Foſſas Clœlias* legendum ex Dionyſio & Feſto, vt ante docui.

Cap. XL. *Templum Fortunæ Muliebri ædificatum, dedicatumq; eſt.*] Plut. in lib. de Fort. Romanorum, primum templum Fortunę Virili ab Anco Marcio rege Romæ dicatum ait: alterum Fortunæ Muliebri hoc tempore.

Cap. XLI. *Id modo non conueniebat.*] Vet. lib. *Id modo, ſicut alias, non cõueniebat*: ſic infra. *Extremo anno pacis aliquid fuit, ſed, vt ſemper alias, ſolicita certamine patrum & plebis.*

Eod. *Caſone Fabio.*] *Cæſonem* prænomen eſſe, & ſingulari litera *K.* notari ſolitum eſſe ab antiquis, docui in prænominibus à me editis ex Capitolinis lapidibus. In libris etiam eiuſmodi notam vſurpatam eſſe, id eſſe argumento poteſt, quod *C. Fabius* pro *K. Fabio* ſit ſæpe vitioſe, vt ſigillatim ſuo loco oſtendam. Itaque antiquam prænominis notam hoc loco reſtituendam cenſeo: ſic paulo poſt, *Cæſo Fabius*, *K. Fabius.*

Cap. XLII. *L. Valerium conſulem dedit.*] Antiqua lectio habet, *Conſules*, & recte, vt & *M. Fabium*, & *L. Valerium* conſules datos, à patribus eſſe intelligamus.

Eod. *Cum tribunis.*] Vet. lib. *cum tribunis plebis.*

Cap. XLIII. *Q. Fabius inde, et C. Tullius conſules.*] Vt ſupra *Tullios* pro *Iulijs* eſſe vitioſe monuimus, ſic hoc loco *Tullius* pro *Iulius*: Quod ex Caſſiodoro & Dionyſio intelligi poteſt, & ex ipſomet etiam Liuio, qui infra *C. Iulium* decemuirum factum eſſe, cum conſularis eſſet, ſcribit.

Eod. *Artenam Latinam vrbem.*] Legẽdum puto *Ortonam*: me in hanc ſententiam ducunt cum Liuius ipſe, tum Dionyſius. Sic enim eſt in veteribus libris Liuianis, atque Dionyſius ipſe, quanquam mendoſe, tamen ita aperte, vt veſtigia veræ ſcripturæ inſideant, idem ſcripſiſſe videtur: inquit enim hoc in loco πόλιν ὀρεινὴν κατ' ἄκρας αἱρεῖσθαι. Libro autem X. Βορτῶνα, inquit, τῶν Λατίνων πόλιν. Quam vrbem vulgati Liuij libri *Hortanam* vocant, manuſcripti *Hortonam*. Quibus ex locis illud conijci poteſt, vbique *Ortonam* eſſe legendum. Quanquam ſi aut Dionyſium, aut fragmenta quædam, quæ dicuntur eſſe Catonis originum ſequimur, *Ortonem* legendum eſt. in quibus ita legitur: *In Pelignis Corfinium, Orton & Sulmo. Artenam* autem vnam ſtatuit Liuius in Volſco agro: alteram *Coretum* fuiſſet ait libro quarto extremo.

Eod. *Sp. Licinius tribunus plebis.*] Dionyſius in hunc annum edit tribunum plebis *Sp. Icilium*, quanquam mendoſe eſt apud eum Σπόριος Σικίλιος pro Ἰκίλιος. Quare & hoc loco ita legendum: mouet enim me maxime gens *Icilia* ex qua multi per hæc tempora tribuni fuerunt, infeſtiſſimi patribus: mouet etiam prænomen *Spurius*, quod nuſquam alias in gente *Licinia* fuiſſe reperio, in *Icilia* [illegible]em ſæpe, ita vt decem ab hinc annis *Sp.* item *Icilius* tribunus plebis à Liuio memoretur, & in annum CCCXLVI. tres *Icilij* tribuni plebis prodantur, ſic enim ait Liuius: *auctores fuiſſe tam liberi populo ſuffragij Icilios accipio ex*

familia infeſtiſſima partibus, tres in eum annum tribunos plebis creatos.

Eod. *Ad duo ſimul bella exercitus ſcribitur, Fabio in Vientes, in Æquos Furio datur. Et in Æquis quid nihil dignum memoria geſtū eſt. Fabio aliquanto plus negotij cum ciuibus, quā cum hoſtibus fuit.*] Hic locus eſt, in quo primum Sabellicus, deinde etiam Glareanus ſe valde iactarunt, & Liuium duobus verbis ſui oblitum eſſe contenderunt. † Vtrique iniuria fit, & Sabellico & Glareano. Vterque ſuam ſententiam dixit abſque iactantia, non itaque viri de literis bene meriti ita notandi erant. † Mouet enim eos, quod *Fabiam* primum ſcribit cum *Veientibus* pugnantem ab exercitu deſertum eſſe, in *Æquis* à *Furio* nihil geſtum, deinde vero haud ita multo poſt, contraria ſuggerit, *Fabium* nimirum cum *Æquis* pugnantem fuiſſe deſertum. ait enim: *Proximo bello in ipſa acie, in ipſo certamine, cōſenſu exercitus traditam vltro victoriam victus Æquitis.* Item, *Non magis ſecum pugnatur, quam pugnauerint cum Æquis.* Omnis autem eiuſmodi reprehenſio tollitur, ſi legamus, quemadmodum legitur in antiquo exemplari. † Glareanus valde veretur hunc verum dicere. Nam Robortellus id quoque ſæpius facit. † *Fabio in Æquos, in Veientes Furio datur. Et in Veientibus quidem nihil dignum memoria geſtum eſt.* Quod enim opponit Glareanus, Liuium ita, vt vulgata lectio eſt, ſcriptum reliquiſſe, quia idem à Dionyſio traditum ſit, id mihi leuiſſimum eſſe videtur. quaſi vero nunc primum Liuius à Dionyſio in hac hiſtoria explicanda diſſentiat. Eſt enim multo magis ferendum, duos inter ſe diſſidere, qui raro conueniunt, quam vnum non ſibi conſtare, & duobus verbis repugnantia dicere.

Cap. XLIV. *Tib. Pontificius.*] Cum ante legeretur *T. Pontificius*, recte Rhenanus emendauit ad vetuſti codicis fidem *Tiberius Pontificius.* nam eo prænomine affecit eum etiam Dionyſius. Id autem prænomen duabus literis, vt ab antiquis accepimus ſcribebatur, *Ti.* non *Tib.*

Eod. *Sp. Licinio.*] *Sp. Icilio*, vt dixi.

Eod. *Nouumq; tribunorum aduerſus vnum moratorem publici commodi auxilio delectum conſules habent.*] Mendum eſt in voce, *Nouum*, quam vocem inuexit Rhenanus, cum antea *Nouem*, legeretur: neque enim *Nouem* tribunos vni reſiſtere potuiſſe putauit quia his temporibus non *decem*, vt poſtea, ſed *quinque* tantum tribuni crearentur, Liuio ipſo auctore. Itaque *Nouam*, ad vocem, *Delectum*, referendum cenſuit. Qua lectione nihil eſſe durius poteſt. Ego autem lego libenter, quomodo legi animaduerti in vetuſto libro: *Quatuorque tribunorum.* præſertim vero cum Dionyſius eundem edat numerum, inquiens, τέτταρας ἐκ τῶν δημάρχων. lib. 9. Mendi cauſa ex notis numerorum, vt ſæpe fit, orta eſt, IV. & IX. ſæpe enim X. pro V. mendoſe eſt.

Cap. XLVI. *Præceps Fabius in vulnus abij.*] Vet. codices, obiit.

Cap. XLVII. *Conſul mortifero ictus vulnere cadit.*] Vet. lib. *Demum conſul.*

Cap. XLVIII. *Eo cum exercitu Cæſo miſſus in ipſorum Æquorum agrum depopulandum tranſit.*] Vet. lib. *depopulandus tranſit*: ſic lib. 3. *Cum populabundus iſſet.*

Cap. XLIX. *L. Aemilius.*] Reſpuunt Latini literam *y.* in vocibus Latinis, quæ neſcio quomodo temere inuaſit in multa nomina Romanorum, vt in *Aemilios* & *Papirios.* Quod ex Græcis & manuſcriptis libris, & ex antiquis lapidibus præſertim Capitolinis, & argenteis nummis, percipitur.

Eod. *Thuſcus ager.*] *Tuſcus* ſine aſpiratione ſcribitur in tabulis Capitolinis, in veteribus Latinis & in vulgatis Græcis libris.

Cap. L. *Multiplicatis in arcto ordinibus.*] Hoc quid velit, Glareanus homo ingenuus profitetur ſe neſcire. Eſt autem ſenſus: Aciem quo breuiore in ſpacio cogitur, & orbem colligit, eo pauciores ordines habere, quo maiore in ſpacio explicatur eo plures. † Tractat hunc locum Robortellus lib. 2. emendat. cap. 30. confitens ſe non percipere quid Sigonius velit, & exiſtimat Liuium cum *Multiplicatis* dixit, idem intellexiſſe, ac ſi dixiſſet, *condenſatis.* †

Cap. LI. *Poſt acceptam proximam pugna cladem.*] Vet. lib. *Proxima pugna.*

Eod. *Quod inopia frumenti quamuis in præcipitia, dum celeriora eſſent, agebat conſilia.*] Vetus lectio eſt, *quamuis præcipitia*, quod placet, vt reddatur trita illa locutio, *Agere præcipitem.*

Cap. LII. *Q. Conſidius, & T. Genutius.*] Ne quis moueatur Dionyſij lectione velim, qui Κοΐντιον pro Κονσίδιον habet: diſpicet autem *Quintij* nomen in tribuno plebis hoc tempore, quia *Quintilia* gens patricia eſt. Porro autem *Genucius* ſcribe ad fidem Græcæ, & Capitolinæ ſcripturæ. Idem *Genucius* in Vet. libris non *Titus* ſed *Caius*, Apud Dionyſium modo Τίτος modo Γαΐος nominatur.

Eod. *Eum oppreſſit.*] Vet. lib. *Eam oppreſſerunt*, vt ſit Q. Conſidius, & T. Genucius trib. pleb. Menenium oppreſſerunt.

Eod. *Cum & patres haud minus, quam pro Coriolano annixi eſſent.*] Vet. lib. *Pro Coriolano ante annixi eſſent.*

Eod. *L. Cediſio.*] *Cadicio* ſcribe, Græcum librorum, & Capitolinorum marmorum auctoritatem ſequutus.

Cap. LIV. *L. Furius inde, & C. Manlius*] Dionyſius Αὖλον Μάλλιον nominat, cui aſſentior: eſt enim idem *Manlius*, qui paulo poſt in decemuiratu, & à Dionyſio, & ab ipſo Liuio *Auli* prænomine afficitur.

Eod. *Suadent, monent.*] Vet. lib. *Monentque.*

Eod. *Ita animum nunc iam induunt.*] Luxatæ & deprauatæ voces ita leguntur in antiquis lib. *Iam nunc in animum inducunt.* Qui dicendi modus olet vndique Liuianam formam.

Eod. *Conſilia inde non publica, ſed in priuato ſeductaq; à plurium conſcientia haberi.*] Vet. lib. *Seducta à plurium conſcientia habere*, vt ſi dicendi modus ille frequentiſſimus, qui Infinitiuo profertur.

Eod. *Adeoque neminem noxiæ pænitebat.*] Vet. lib. *Noxæ.*

Eod. *Vt etiam inſontes feciſſe videri vellent, palamque ferretur.*] Vet. lectio, *Palamq; ferrent.*

Cap. LV. *Voleronem Publium de plebe hominem.*] *Volero* prænomen eſt, vt ait Valerius. *Publius* item prænomen: itaque ne duo prænomina coniungantur, *Publilium* lege, quod plebeium nomen gentis eſt. Quæ ſcriptura extat etiam in Capitolinis fragmentis.

Cap. LVI. *Res tamen ſuo ipſa molimine grauis certaminibus in alteram annum extrahitur.*] Vet. codex plenior, *grauis magnis certaminibus.* & recte.

Eod. *Conſul lictorem ad tribunum, priuatum eſſe clamitans, ſine imperio, ſine magiſtratu.*] Hunc locum, in quo tribunum pl. priuatum, non magiſtratum eſſe traditur, ne quem forte Romanæ antiquitatis ignarum perturbaret, verbis Plutarchi prolatis viſum eſt explanare. Ea ſunt in libro τῶν αἰτιῶν, in hanc ſententiam: *Cur cum purpura alij magiſtratus vtuntur, tribun. pl. non vtitur? an quia tribunus pl. magiſtratus non eſt: neque enim ex ſella tribuni ius dicunt, neque principio anni, vt reliqui magiſtratus, ineunt, neq; creato dictatore ſe abdicant: verum omni tranſlato ad Dictatorem imperio, ipſi tamen poteſtatē ſuam retinent, quaſi magiſtratus non ſint: quemadmodum autem tranſlationem iudicium eſſe rhetores quidem negant, ſic tribunatus impedimento potius eſt magiſtratui, quam magiſtratus. Etenim reſiſtere potentia magiſtratus, & nimiam eius licentiam coercere ad eius auctoritatem pertinet.* † Errat Sigonius cum purpuram vertit. Nam περιπόρφυρον habet Plutarchi liber, & ſatis notum eſt hanc à Plutarcho dici, quam prætextam Latini vocant. Robort. lib. 1. emendat. cap. 28. Et vt in hoc, ſic quoque in illo errat, quod ait creato dictatore conſules ſe abdicare ſolitos. Nam Plutarchus ait τοῦτο quod non abdicare ſe, ſed interim deſiſtere vti poteſtate & iure ſuo dum dictatoris eſt, vt ibidem annotat Robortellus. †

Cap. LVII. *Tribuniq; conſuleſq;.*] Non probo hanc lectionem Rhenani, quæ antiquis libris, quos vidi repugnat, ſed *tribuni, conſuleſque.*

Cap. LVIII. *Piſo auctor eſt, nominat quoque tribunos, Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duilium, Sp. Icilium, L. Mecilium.* Hos tribunos nominat Diodorus lib. 10. Μάρκον Δουίλλιον, Σπόριον Ἰκίλλιον, Γάϊον, Σικίνιον, Λεύκιον Νουμιτώριον. Scribe igitur *Duilius*, non *Duellius* partim Græcis, partim Græcis, partim Capitolinis monumentis auctoribus. Quamquam Cicero in Oratore *Duellium* videtur defendere, inquit enim: *vt Duellum bellum, ſic Duellium, qui Pœnos claſſe deuicit Bellium nominarunt.* Præterea *C. Sicinium*, non *Cn. Siccium*, partim Diodori ſcriptura motus, partim etiam Liuij, qui paulo poſt *C. Sicinium* cum *M. Duilio* tribunum prodit. De C. autem *Sicinio*, & *Sp. Icilio* tribunis pl. ſupra etiam dictum eſt.

Eod. *Volſci tum Aequique inter ſeditionem Romanam & bellum coortum vaſtauerant agros.*] Hic locus fœde legebatur ante ita: *Volſcum, Aequicumque inter ſeditionem.* Quam lectionem etſi valde probo, moueor tamen cum in vetuſtis libris omnibus ita lego: *Ex S. C. bellum indictum contra Volſcum, Aequumque, qui inter ſeditionem, & bellum coortum vaſtauerant agros.*

Eod. *Se vnico conſule obiecto.*] Vet. lect. *Et ſe vnico conſule obiecto.*

Eod. *Quam minore conatu, nequaquam tanto patrum ſuperiores impedierint conſules.*] Vet. li. omnes: *Nequaquam tanta patrum ſpe priores impedierint conſules.*

Eod. *Nec vlla vi domari poterat, tantum certamen animis imbiberant.*] Vet. lib. *Poterant.* Quo fit vt numerus congruat cum eo, qui ſequitur, *Imbiberant.* Alij, *poterat* & *imbiberat.* Quod magis probo.

Eod. *Ut inuictus ille odio plebeio animus interdum moueretur, omni nequiquam acerbitate prompta: nihil iam cum ciuibus ageret à centurionibus corruptum exercitum diceret, tribunos plebeios cauillans interdum & Volerones vocaret.*] Ex manuſcriptis libris ita interpunge & lege, *Interdum moueretur. Omni nequiquam acerbitate prompta nihil iam cum ciuibus agere,* &c. item paulo poſt, *dicere*, item, *vocare.*

Cap. LIX. *Quandoquidem nihil præter tempus noxa lucrarentur.*] Vet. lib. *Rixa lucrarentur.*

Cap. LXI. *T. Aemilio.*] Lege *Ti. Aemilio* ex Dionyſio, qui Τιβέριον Αἰμίλιον hunc vbique nominat. Fuiſſe autem *Aemiliis* familiare hoc prænomen Tiberij, facile Capitolinæ tabulæ demonſtrare poſſunt.

Eod. *M. Duellius, & Cn. Siccius.*] *M. Duilius*, vt ante dixi: itemque *C. Sicinius* ex vetuſtis libris, atque ex Diodori auctoritate, de quo etiam ante dictum eſt, lego.

Cap. LXIII. *T. Numitius.*] *Numicius*, vt *Minucius*, videtur c. litera eſſe ſcribendum: nam Græci Νουμίκιον.

Cap. LXIV. *Cenonem oppidum.*] Dionyſius non ponit nomen, ſed oppidulum maritimum vocat. Vet. lib. *Ceionem.*

Eod. *In Volſcis reſpublica egregie geſta.*] Lego *res egregie geſta*, ea Vet. lib. De quo dicendi genere dicam infra. Sic etiam lib. 3. *Ab altero conſule res geſta egregie eſt.*

Eod. *Cum cædes & incendium circa Anienem flumen feciſſent.*] Vet. lib. *Incendia.*

Eod. *Ingens vis hominum ex omnibus Volſcis, Aequiſque populis in caſtra venit.*] Vox *populis*, abeſt à Vet. lib. neque neceſſaria eſt.

Eod. *Cornicines, ſubicineſque in equos impoſitos.*] Vet. lib. *in equis*: ſic lib. 1. dictum eſt, *dextra in capite impoſita.*

Cap. LXV. *Deinde vi obtinentes locum vires ferebant, audent vltro gradum inferre.*] Lege ex vetuſtis exemplaribus, *Deinde vt in obtinentes locum.*

IN EPITOMEN LIB. III.

A*D bellum gerendum miſſus eſt.*] Vet. lib. *Ad id bellum.*

Cum modeſte ſe in honore geſſiſſem.] Vet. lib. *Se in eo honore.*

Cum complura impotenter feciſſent.] Ex veſtigiis depravatæ antiquæ lectionis, & ex Liuianis verbis, ita hæc verba legenda ſunt, *Duabus tabulis ad decem adiectis, cum complura impotenter feciſſent.*

In tertium annum detinuerunt.] Vetus lectio, *Retinuerunt.*

IN LIBRVM III.

CAP. III. *Conſules inde Poſtumius Albus, Sp. Furius.*] Legendum *A. Poſtumius Albus, Sp. Furius Fuſus*, prætermiſſum eſt enim prænomen prioris conſulis, quod & apud Dionyſium eſt, & in Capitolinis conſulibus, & ab ipſo infra aſſertur. Veteres autem libri in poſteriore conſule habent, *Sp. Furius Fuſcus*, mendoſe, pro *Fuſus* Quod fuit *Furiorum* cognomen, vt *Iulus* Iuliorum. Quod ex Capitolinis fragmentis intelligi poteſt.

Eod. *Cenſa ſunt ciuium capita centum quatuor, & viginti millia CCXIV.*] Hic numerus eſt in omnibus libris, & bene habet. Hoc admoneo, ne quis Rhenanum ſequatur, qui putat legendum *quater centena millia* CCXIV. non intelligens hanc ſummam ciuium his temporibus non conuenire: nam per multos annos CC. & CCC. millia cenſa ſunt: ſero autem CCCC. millia, vt infra oſtendam.

Cap. IV. *Proconſulem T. Quintium ſubſidio caſtris cum ſociali exercitu mitti.*] Vet. lib. *proconſule.* Proconſulatus autem non eſt magiſtratus, ſed imperium, quod aut extra ordinem priuato datum eſt, vt hoc loco T. Quinctio, aut ex conſulatu prorogatum eſt, vt Q. Publilio Philoni, de quo Liuius poſtea lib. 8. ita: *Actum cum tribunis plebis eſt, ad populum ferrent, vt cum Publilius Philo conſulatu abiſſet, pro conſule rem gereret.* Et paolo poſt: *Duo ſingularia hæc ei viro contigere, prorogatio imperij non ante in vllo facta, & acto honore triumphus.* In Capitolinis etiam triumphis, *Q. Publilius Philo* primus *pro conſule* fuiſſe traditur.

Cap. V. *Romanos ceciſſe in Hernico agro V. millia.*] Hæc ſumma ſuperat fidem, id quod ex Dionyſio intelligi poteſt. Itaq; placet magis vetus lectio: *Duo millia.* & paolo poſt, non *duo millia*, ſed *tria.*

Eod. *Pro triſti nuncio triſtiorem domum referentes.*] Vet. lib. *triſtiora.*

Eod. *Inde Romam reditum eſt: Iuſtitium remiſſum eſt.*] Vet. lib. *Iuſtitium remiſſum*: Qood placet, ne bis ponatur, *eſt.*

Cap. VI. *Comitia inde habita.*] Vet. lib. *deinde.*

Eod. *Calendis.*] In antiquis & libris & lapidibus *Kalendæ* ſcribuntur, non *Calendæ.*

Cap. VII. *Labicanos agros.*] Vet. lib. *Lauicanos.*

Eod. *Eo vis omnis tempeſtaſq; belli conuerſa eſt.*] Vet. lib. *obuerſa eſt.* Sic lib. 6. *Obuerti aciem* dixit.

Eod. *A Tuſculano.*] Vet. lib. *Ab Tuſculano.*

Eod. *T. Virginius Rutilus.*] *Rutilius* nomen eſt gentis, vt in P. *Rutilio Lupo.* Hic autem cognomen quæritur. Ergo *Rutilus* ſcribendum, quod in Capitolinis fragmentis eſt. *Rutilius* quidem ea de cauſa reſpuitur, quod cognomina in *ius* non deſinant ea terminatione, quæ patronymicum ſignificat. Itaque *Rutilius, Flauius, Flaminius, Licinius, Pacilius* & eiuſmodi alia, quæ in vulgatis libris pro cognominibus vſurpantur, ſunt corrigenda, *Rutilus, Flauus, Flaminus, Licinus, Pacilus.*

Cap. VIII. *Cum exitus haud in facili eſſent.*] Vet. lib. *Cum exitus haud inde faciles eſſent.*

Cap. IX. *C. Terentillus Arſa.*] Vet. lib. *Terentilus*. Legendū eſt *Terentius.* Et paulo poſt, *Lex terentia*, ex Dionyſio, & ratione legentium, & legum Romanarum.

Eod. *Immoderata, infinitu poteſtate.*] Vet. lib. *Infinitaque poteſtate.*

Cap. X. *Anno deinde in ſequenti.*] Vet. lib. *Sequenti.*

Eod. *Sparſum ita iacuiſſe per aliquot dies.*] Vet. lib. *Sparſum humi*: Ita Valerius vbi hac de re agit cap. de omnibus. *Reliquum humi per aliquot dies proſtratum iacuit.* Et Dionyſ. τὸ δὲ ἐπὶ γῆς ἀπεχθέντα.

Eod. *Sparſum humi ita iacuiſſe per aliquot dies, vt nihil odor mutaret.*] Puto legendum *odore*, quia Valerius ait: *Reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neq; deformi aſpectu mutatum iacuit.* Et Dionyſ. οὔτε χροιὰν μεταβαλόντα οὔτε ὀσμὴν δυσώδη ἀφιέντα ἀπ' αὐτοῦ ὥσπερ νεκροῖς. niſi ſi, *mutaret*, paſſiue accipiamus, vt apud Græcos μεταβάλλειν.

Cap. XI. *Ecquid ſentitis iam vos Quirites.*] Vet. lib. *Ecquid ſentitis, inquit iam vos Quirites.*

Cap. XII. *Inſtructus natura, fortuna omnibus bonis.* Vet. lib. *Fortunaque.*

Eod. *Sinerent tantum virum ſenem in ciuitate fieri.*] Vet. lib. *in ciuitate ſeneſcere.*

Cap. XIII. *Appellati tribuni medio decreto ius auxilij ſui expediunt.*] Vet. lib. *Protinus ius auxilij ſui expediunt.*

Eod. *Iuſſu conſulum in Tuſcos in exilium abijt.*] Vet. lib. *Inſciis conſulibus.*

Eod. *In Tuſcos.*] Vet. lib. *Tuſculum*, ſed placet magis, *in Tuſcos*, quia Dionyſius habet εἰς Τυῤῥηνίαν.

Eod. *Vt diuenditis omnibus bonis aliquandiu trans Tiberim veluti relegatus deuio quodam in tugurio viueret.*] Vet. lib. *Vt is diuenditis, &c: relegatus vili quodam in tugurio habitaret*: vocem autem *deuio*, intexerat temere Rhenanus leuiſſima coniectura fretus: probatur autem, *vili*, quia inquit Dionyſius, ἐν ᾧ τι πρὸς τὸ ... , id eſt, *in quo agro humile quoddam erat tugurium.*

Cap. xvi. *Tumq. eſſe peregrino.*] Deme vocem, *Que*, ex Vet. lib.

Cap. xvii. *Tam felix vobis corrumpendis fuit, qui ſeruitia non commonuit auctor.*] Vet. lib. *qui ſeruitia veſtra.*

Eod. *At vos veremini deos veſtros.* Vet. lib. *Deos patrios.*

Eod. *Ne Sabini, ne Veiens hoſtis moueretur.* Vet. li. *Ne Sabinus.*

Cap. xx. *In peragendis conſularis officij partē ad ſe vindicabant.*] Vet. lectio. *In peragendis conſularijs conſularem officij partē.* Hinc ego ſuſpicatus ſum eſſe legendū, *In peragendis conſiliis conſularis officij partem*: vt ſit ſenſus, Conſul alter comes animoſior erat, quam auctor, ita vt ille conſiliorū eſſet princeps, hic conſilia ipſa exequeretur, & conſulari officio in ea re non deeſſet.

Cap. xxi. *Senatuſconſulta fiunt, neque tribuni plebis legem eo anno ferrent.*] Vet. lib. *Senatuſconſultum fit, vt neque tribuni plebis.*

Eod. *Aliorum exemplo peccetis.*] Vet. lib. *Peccatis.*

Cap. xxii. *Fabio vt Antium legiones duceret, datum Cornelius, vt Romæ præſidio eſſet.*] Vet. lib. *Cornelio*, quo pacto ſine controuerſia legendum eſt.

Cap. xxiii. *Vi unquam eo ſubire potuit.*] Vet. lib. *Subiri.*

Cap. xxiv. *Hand dubio.*] Vet. lib. *Hand dubie.*

Eod. *Multorumque tabe menſium.*] Vet. lib. *Multorumque tabe menſium mortuum.*

Eod. *Secum enim tum frequentemque ad ſigna, ſine vllo commeatu fuiſſe.*] Vet. lib. *frequentem ad ſigna.*

Cap. xxv. *L. Minutius inde, & L. Nautius conſules.*] Ego ſequutus Dionyſij, Diodori. & Capitolinorum lapidum auctoritatem, *C. Nautius* lego. † Hoc ante Sigonium etiam annotauit Glareanus. †

Eod. *M. Valerio Valerij filio Voleſi nepote.*] Supra duos Marcos Valerios mortuos legimus, vnum ad lacum Regillum alterum augurem in peſtilentia: Quorum vnos pater, alter filius fuit. Qui vero nunc Quæſtor eſſe dicitur, is eſt proculdubio, qui biennio poſt Conſul in Capitolinis tabulis *Manij filius, Voluſi nepos* dicitur. Itaque hoc loco lego, *M. Valerio M'. F. Voluſi nepote.* Neque enim cum qois nominabatur, à patris nomine gentilitio, ſed à prænomine oſtendebatur. Horum autem ſtemma eſt eiuſmodi.

Voluſus Valerius.

P. Valerius Poplicola quater conſul. anno 245. 246. 247. 250.	M. Valerios conſul. an. 249. ad lacum Regillum periit.	M. Valerius dictator. anno 260.
P. Valerius Poplicola cos. anno 292. in prœlio contra Herdonium occidit.	M. Valerios, quem quidam aiunt dictatorē fuiſſe ann. 235. augur mortuus anno 289.	M' Valerios quæſtor an. 294. cos. an. 296.

Cap. xxv. *Grachum Cluilium*] Veteres libri omnes conſtantiſſime habent, *Clœlium.* Quamquam Dionyſij liber Κοίλιον edit, vt puto mendoſe.

Eod. *Queſtum iniurias, & ex eo fæ lere res repetitum.*] Vox, *eo*, ſupervacanea eſt. Id & veteres declarant libri, & Liuiana forma dicendi. Sic enim etiam lib. 1. *Iniurias & non redditas res ex fæ dere, quæ repetita ſunt.*

Cap. xxvi. *Munitiones circumdant.*] Hoc expreſſit Dionyſius his verbis: ... id eſt, *foſſa valloq; caſtra Romana circumdedit*, vel *muniſiones caſtris obiecit*: ſicut autem etiam paulo poſt. *Exercitum omnem longo agmine circumdat hoſtium caſtris.*

Eod. *Vallo obiecta.*] *obiecto.* ex Vet. lib.

Eod. *Tantus pauor, tanta trepidatio fuit.*] Vet. lib. *Tantaque trepidatio.*

Eod. *Bipalio innixus.*] Veteres libri omnes, *Palo.* Quod etiam ante me Rhenanus docuit.

Eod. *Dictatorem eum gratulantes conſalutant.*] Vet. lib. *Legati gratulantes.*

Cap. xxvii. *L. Tarquini im patriciæ gentis*] In tabulis Capitolinis eſt, *L. Tarquitius*, quibus danda fides eſt. Nam *Tarquinij* ex vrbe exacti omnes fuerant: Et de *Tarquinio* non dixiſſet patriciæ gentis, cum id ſatis conſtaret.

Cap. xxix. *Fabius ſucceſſor.*] Vet. lib. *Q. Fabius ſucceſſor.*

Q. Minucius. M. Horatius.] Emendo, *C. Horatius*, partim quia Dionyſius & Capitolini ſcriptores eo prænomine hunc afficiunt, partim etiam, quia poſt Liuios idem facit, vbi de *C. Horatio* augure mortuo loquitur.

Cap. xxx *Hortanam.*] Supra oſtendi, quid de hoc loco ſentirem: *Ortonam* enim credere legendum eſſe.

Cap. xxxi. *T. Romulio, & C. Veturio conſulibus.*] Dionyſius & Diodorus auctor eſt *Romilium* eſſe ſcribendum. Quæ eadem ſcriptura eſt in Capitolinis tabulis. *Veturius* autem vna cum *T. Romilio* collega eius poſt fit decemuir. Quo in magiſtratu Diodorus & Capitolini ſcriptores prænomine *Spurij* eum afficiunt. In vulgatis autem Liuij libris *L. Veturius* ſcribitur: itaque vt vterque locus ſibi conſtet *Sp. Veturium* vtrobique vocandum cenſeo. Si quidem, qui decemuir factus eſt, idem conſularis erat.

Eod. *Sp. Tarpeio, A. Æternio.*] Variant omnes omnium auctorum libri in altero horum conſulum nominando. Plin. li. 7. cap. 18. *Æternium.* Caſſiodorus *Aternium*, Diodorus Ἀτέριον. Gellius lib 2. cap. 11. *Thermum.* Dionyſius Τερμίνιον. Vetuſti Liuiani libri *Tercinium.* Ego, ſi coniecturæ locus dandus eſt, *Aterium*, maxime, vt eſt apud Diodorum, probo. alia enim nomina gentium nomquam legi.

Eod. *C. Claudio Cicerone.*] Pro hoc tribuno C. Siccium Dentatum edit Dionyſius.

Eod. *A. Manlius, P. Sulpicius.*] Dionyſios legatos hos viros conſulares fuiſſe tradit: Itaque Sulpicius idem eſt, qui conſul fuit anno ccxci. poſt autem decemvir erit. Quod cum ita ſit profecto, cum in conſulatu *Sex. Sulpicius* nominetur, etiam in legatione, & poſt in decemuiratu *Seruius* appelletur neceſſe eſt.

Cap. xxxii. *In cuius locum C. Veturium.*] Vt dixi, lege *Sp. Veturium.*

Eod. *C. Menenius.*] Diodorus & Feſtus hunc *T. Menenium* vocant: placet autem vt ſit *T. Menenij* ante conſulis filius.

Eod. *P. Sextius.*] Dionyſius & Diodorus, Σήστιον, auctores Capitolini *Seſtium* hunc nominant. *Seſtij* autem patricij, *Sextij* plebei fuerunt, ex quibus is extitit, qui primus è plebe conſulatum cepit.

Eod. *Lex atilia de Auentino.* Hæc lex à *L. Icilio* tribuno plebis lata eſt, anno cccxcvii. vt ait Dionyſius. Itaque legendum proculdubio, *Icilia.*

Cap. xxxiii. *T. Genutius, P. Sextius, L. Veturius.*] *T. Genucius, P. Seſtius, Sp. Veturius*, ex tabulis Capitolinis, vt ante dixi.

Eod. *Sulpicius, P. Curiatius, T. Romulius.*] *Ser. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius*, vt ante dixi.

Eod. *Sp. Poſthumius.*] Vet. lib. *Poſtumius Albus.*

Cap. xxxiv. *Eas leges habiturum populum Rom. quas conſenſus omnium inuaſiſſe videri poſſet.*] Nuſquam alias legi hoc genus dicendi, *Inuadere*, pro *Inferre* & *Iuncbere.* Itaque pro certo habeo, legendum eſſe, *innexiſſe.*

Cap. xxxv. *Prehenſarent homines.*] Vet. lib. *prenſarent.*

Eod. *Ea ætate, hiſq. honoribus.*] Vet. lib. *iiſque.*

Eod. *Duellios.*] *Duilios.* vt ante.

Eod. *Deiectiſque honore per concionem duobus Quintiis.*] Lego vel repugnantibus libris omnibus, *per coitionem*: nam lib. 9. ait: *Coitiones honorum adipiſcendorum cauſa factas aduerſus remp. eſſe.* Et lib. 39. *Coieram que candidati omnes ad deyciēdum honore eum.* Et pæd. in toga. *Coierant ambo, vt Ciceronem conſulatu deijcerent.*

Eod. *Q. Petilius.*] Veteres quidam libri habent, *Q. Pœtilius*, Dionyſ. Πετίλιος. Capitolinæ tabulæ, *Pœtelius*: ergo ita ſcribendum.

Eod. *M. Rabuleius.*] Hic à Dionyſio Μάνιος vocatur. Quare *M'. Rabuleius* caſtigo.

Eod. *Comitia decemuiris creandis in trinum nundinum indicta ſunt.*] Recte *trinum nundinum*, quamquam plerique libri habent, *trinundinum.* Id enim ſignificat, *in tertias nundinas*,

Quod Græci dicunt, *εἰς τρίτην ἀγορὰν*, vt Dionyſ. lib. 7. *προθέντες δὲ πολλοὶ τῶν δημάρχων εἰς τρίτην ἀγορὰν τὴν περὶ τοῦ νόμου διάγνωσιν.* Plutar. in Coriolano, *οἱ δὲ Μάρκιον προσκαλεσάμενοι εἰς τρίτην ἀγορὰν παρῆσαν.* Et poſt, *ἐν δὲ τῷ μεταξὺ χρόνῳ ἢ τρίτης ἀγορᾶς. ἀγορὰς δὲ ποιοῦσι Ῥωμαῖοι δι' ἡμέρας ἐνάτης νουνδίνας καλοῦντες.* Denondinis copioſius Macrob. lib. 1. Saturn. Quod autem dixit Cicero pro Cornelio *ex prorogatione trinundinum*, Priſcianus interpretatur dictum eſſe pro *trinundinarum*, li. 7.

Cap. XXXVIII. *Recepto ad Eretum, quod paſſim vagatum erat, agmine.*] Dionyſius pro *Ereto* habet mendoſe, vt puto, *ἐν Ῥεήτῳ*.

Eod. *Caſtra in Algido locant.*] Eutropius montem *Algidum* vocat. Dionyſius modo ait: *ἐν Ἀλγιδῶνι πόλει*, modo *ἐν Ἀλγίδῳ*.

Eod. *Conſenſu inuiſum imperium.*] Vet. lib. *Inuiſum conſenſu imperium.*

Eod. *Iam caput fieri libertatem repetentium, ſi ſe plebi comitem ſenatui det.*] Vet. lib. *libertatis repetendæ.*

Eod. *Suarum quæ rerum erant, ſolicitis, amiſſa publica.*] Vetus lectio, *Suarumque rerum erant, amiſſa publica*, id eſt, ſuis rebus operam dabant. Quam formam dicendi, qui non agnouerunt mutarunt addendo de ſuo, *Solicitis*. Sic lib. 6. *Plebs cum iam vnius hominis eſſet*. Sic hoc libro paulo ante: *Hominum non cauſarum toti erant.*

Cap. XXXIX. *Experirentur quanto ferocior dolor in libertate ſua vindicanda, quam cupiditas id iniuſta dominatione eſſet.*] Rhenanus, qui putat particulas duas, *In*, tollendas eſſe, idem non ſenſit vocem huic ſententiæ deeſſe, quæ eſt in Vet. libris, *In iniuſta dominatione retinenda eſſet.*

Eod. *Quod vnum exequenda ſit libertatis.*] Lege *exequandæ*, ex Vet. lib.

Cap. XLI. *Cornelius complexus Appiam, non qui ſimulabant, conſulendo.*] Vet. lib. *ſimulabat.*

Eod. *Poſſe in obliuionem tribunorum adduci.*] Vet. lib addunt vocem ita: *Poſſe in obliuionem tribunorum plebem adduci.*

Eod. *M. Rabuleio, Q. Pætilio.*] *M'. Rabuleio, Q. Pætelio.*] vt dixi.

Eod. *Cæſone Duellio.*] *K. Duilio*, vt ſupra.

Cap. XLII. *Tuſculum ſe fide, miſericordiaque victurus hoſpitum, quæ tamen non fefellerunt, contulerant.*] Vet. lib. *Hoſpitum, qui tum non fefellerunt, contulerat.*

Cap. XLIV. *Perinde vxor instituta fuerat, liberique inſtituebantur.*] Vet. lib. *Liberi quoque inſtituebantur.*

Eod. *Deſponderant filiam L. Icilio.*] Lege ex Vet. lectione, *Deſponderat*, vt ad patrem L. Virginium referatur, non ad matrem, quam multis ante annis mortuam eſſe tradit Dionyſius.

Cap. XLIV. *Auctoribus, qui aderant, vt ſequeretur.*] Vide quid ſit, quod quidam libri veteres habent, *Adiutoribus, qui aderant, aſſequentibus.*

Cap. XLV. *In his enim quæ aſſerantur in libertatem.*] Vet. lib. *In iis enim qui aſſerantur.*

Eod. *P. Numitorius puellæ auunculus.*] Libri veteres habent, *Auus*, ſed placet magis *auunculus*.] quia Dionyſius inquit: *πρὸς μητρὸς θεῖος ἢ παρθένου.*

Eod. *Placitum quoque ingenium, tam atrox iniuria accendiſſet.*] Vet. lib. *Cum placidum quoque, &c.*

Nuptamq., pudicam habiturus.] Vetus lectio, *Nuptam, pudicamque habiturus.*

Cap. XLVI. *Cum inſtaret aſſertor puellæ, vt vindicaret, ſponſoresq; daret.*] Aſſertorem vocat puellæ non L. Icilium, vt putat Glareanus, ſed M. Claudium, qui inſtabat, vt Icilius Virginiam vindicaret vſq; in poſterum diem, datis ſponſoribus; fore, vt ea poſtridie ſiſteretur. Sic etiam ſupra eum vocauit. † ¶ „ Glareanus hunc locum dubium reliquit, nihil definiuit. Sed „ Sigonius non explicat vt Icilius vindicarit: Nam ibi eſt diffi- „ cultatis nodus. †

Eod. *Improbum conſilium ſerum, vt debuit, fuit, & iam commeatu ſumpto.*] Lege ex fide Vet. lib. *Iam enim commeatu ſumpto.*

Cap. XLVII. *Prehenſare.*] Vet. lib. *Prenſare.*

Eod. *Decreſſe vindicias ſecundum libertatem.*] Vet. lib. *dediſſe*. Ego, *dare ſe*, legendum puto: nam tempus præſens quæritur. Hoc genere dicendi ſæpius vſus eſt in hac re, numquam autem *decernere* inquit enim ſupra: *Vindicias det ſecundum libertatem*. Et infra: *Iudicem te ab libertate in ſeruitutem, vindicias non dediſſe*. Item: *Vindicias ne ab libertate in ſeruitutem dederit*. Dicitur autem, *Dare vindicias ab libertate*, vel *ſecundum ſeruitutem*, aliquem ſeruum eſſe iudicare: at, *ab ſeruitute*, vel *ſecundum libertatem*, liberum eſſe decernere. Quibus dicendi generibus vſus eſt hoc loco Liuius, ac Pædianus pro Cornel. *Quis fuerit ille ex decemuiris qui cõtra libertatem vindicias dederit.* Eſt autem *dare vindicias ab libertate*, vel *ſecundum ſeruitutem*, dare poſſeſſionem ei qui ſeruum eſſe adſerit. *Dare vindicias ab ſeruitute*, vel, *ſecundum libertatem*, date poſſeſſionem ei, qui liberum eſſe adſerit.

Cap. XLVIII. *Decemuir alienato ad libidinem animo.*] Cur placeat Rhenano, *Alienatus*, neſcio. Mihi *alienato* magis probatur vt & in Vet. lib. eſt, & in 7. lib. dixit, *Milites alienatis ab memoria periculi animis.*

Eod. *Si inclementius in te ſum inuectus.*] Lib. Vet. *Si quid inclementius.*

Eod. *Prope Cloacinæ.*] Plinius *Cluacinam* legit lib. 16. cap. 29. eum ait: *Quippe ita traditur, myrtea verbena Romanos, Sabinesque cum propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos in eo loco, qui nũc ſigna Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* At Lactant. lib. 1. de Falſa relig. *Cloacinam* agnoſcit. Verba eius ſunt: *Cloacinæ ſimulacrum in Cloaca maxima repertum Tatius conſecrauit, & quia cuius eſſet effigies, ignorabat, ex loco illi nomen impoſuit.*

Cap. XLIX. *Agitatus deinde conſiliis, atq; ex omni parte aſſentiendo.*] Pro certo habeo legendum, *agitatis deinde conſiliis*, vt eſt in Vet. lib. Nam 4. libro ait, *Conſilia ad mouenda bella ad Fanum Voltumnæ agitata*. Et poſt etiam: *Secreta agitare conſilia*. Itemq; ſæpius, *agitare conſilia.*

Eod. *Strictum etiam telum reſperſuſque ipſe cruore tota in ſe caſtra conuertit.*] Nemo animaduertit hic vocem vnam deeſſe; ſine qua ſenſus eſſe nullus aptus poteſt: ea vero eſt in libris antiquis, ſic: *Strictum etiam telum tenens, reſperſuſque*. Quam eandem affert etiam Dionyſius in eadem re explicanda, *τὴν μαχαιρίδα διὰ χειρὸς ἔχων, αἵματι πεφυρμένος ὤν*, id eſt, *lanij cultrum manu tenens, totus ſanguine fœdatus.* † Hunc locum reprehendit Robortellus lib. 2. emendat. ca. 54. dictionem *tenens* ablegandam cenſens: Duo enim admirationem militib. iniecerunt, primo telum ſtrictum, deinde ipſe Virginius reſperſus cruore, nec ad rem facit quod apud Dionyſium ſit *ἔχων*, nec enim is totidem verbis vertit locum Liuij: Imo omnes veteres libri dictionem *habens*, non habent. † ¶ „ „ „ „ „

Cap. L. *Sibi vitam filiæ ſuæ cariorem fuiſſe, ſi libere ac pudicæ viuere licitum fuiſſet.*] Mallem legi hoc loco, *Cariorem futuram fuiſſe*. Ceterum Veter. lib. habent, *libere ac pudice*, ſine dihthongo.

Eod. *Miſeram, ſed honeſtam mortem occubuiſſe.* Vet. lect. *Miſera ſed honeſta morte.*

Eod. *C. Iulius, P. Sulpicius.*] Hic *Sulpicius* conſularis eſſe traditur. At in conſulatu *Ser. Sulpicius* nominatus eſt. Ergo & hic *Ser.* etiam *Sulpicius* ſcribendum. *P.* tamen *Sulpicium* conſulatem legatum nominat etiam Pædianus pro Cornelio, verum reclamant Græci.

Cap. LII. *Via Nomentana, cui tum Ficulenſi ſuit nomen.*] Lego, *Ficulnenſi*, ab oppido *Ficulnea*: quaſi vero euerſa *Ficulnea*, mutauerit nomen.

Eod. *Togatorum aliorum.*] Vet. lib. *Togatorum, aliorumque.*

Cap. LIV. *Q. Furius pontifex maximus.* Hunc in oratione pro Cornelio vocat Pædianus ex Liuij, & aliorum ſententia *M. Papirium*. Cuius ſcripturæ aſſentior magis, quam Liuianæ. Nam de *Q. Furio* nulla nec per hos, nec alios annos eſt mentio. De *M.* autem *Papirio*, magna: Qui autem Pontificatum maximum gereret, eum par eſt alios etiam magiſtratus, qui magni habebantur, cepiſſe. Vltimæ autem vtriuſq; nominis literæ erratum ineſſe in dicant, cum ſint eædem.

Eod. *A. Virginium inde L. Icilium, & P. Numitorium auunculum Virginiæ.*] *Virginius* hic pater Virginiæ fuit, vt *Icilius*, ſponſus, auctore Dionyſio. Ergo *L. Virginius* nominandos non *A.* ex iis, quæ ſupra à Liuio & Dionyſio, & à Pædiano pro Cornelio dicta ſunt.

Eod. *C. Sicinium progeniem eius, quem primum tribunum plebis creatum.*] Neſcio cur placeat magis hoc loco Rhenano, *progenie*, quam *progeniem*, cum ita loquatur Cicero in epiſtola ad Octauium: *Populum, quem ipſe primo, poſt progenies eius à regibus liberauit.*

Eod. *Ap. Iulius.*] *Appij* prænomen non probo niſi in *Sabinis*

viris,

viris, vt in *Claudiis*, vt in *Ap. Herdonio Sabino*, qui Capitolium occupauit. *Iulia* gens cum patricia eſt, tum nunquam *Appio* vel *Publio* prænomine vſa eſt: Itaque legendum puto in hoc tribuno plebis, *P. Villius*. Eſt enim gens *Villia* plebeia, vbique in vulgaris libris pro *Iulia* habita, eaque vſa eſt prænomine *Publio*.

Cap. LV. *Vt quod tributim plebes iuſſiſſet, populum teneret.*] Vet. lib. *vt quod tribunus plebis iuſſiſſet*. placet tamen magis, *Tributim plebes*, id eſt, *tributis comitiis*. Sic enim ait Dionyſius lib. 11. καὶ τὸν κελεύοντα τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου τεθέντας ἐν ταῖς φυλετικαῖς ἐκκλησίαις νόμους, ἅπασι κεῖσθαι Ῥωμαίοις ἐξ ἴσου τὴν αὐτὴν ἔχοντας δύναμιν τοῖς ἐν ταῖς λοχίτισιν ἐκκλησίαις τεθησομένοις, id eſt, *leges tributis comitiis latas omnibus Romanis eſſe latas, eandemque vim habere atque eas, quæ centuriatis comitiis latæ ſunt*. Sic lib. 8. *Legem tributim de viceſima eorum, qui manumitterentur, tulit*. Sic alibi *centuriatim*.

Eodem: *Sanciendo nouam legem neque*.] Leg. ex vet. lib. *noua lege*.

Eodem: *Ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuiſſet*.] Vox *decemuiris*, abeſt à veteribus libris, nec videtur neceſſaria. Eſt enim ridiculum, plebem cauiſſe decemuiris, quos peroſa iudicio etiam eſt perſequuta.

Eod. *Ad ædem Cereris, Liberi, Liberaque*.] Vide ne quis *ædem* de ſuo addiderit. Nam lib. 41. ait: *Supplicatio ad Cereris, Liberi, Liberæque fuit*.

Eod. *Sed eum, qui eorum cuiquam nocuerit ſacrum ſanciri*.] Antea multo fœdius legebatur: *Sed eam qui deorum cuiquam nocuerit id ad ſacrum ſanciri*. Nos autem meliorem, vt cenſur, hac vtraque lectionem reperimus in vetuſtis libris, quæ eſt hæc: *Sed caput eius, qui eorum cuiquam nocuerit ſacrum eſſe, id ſanciri*. recte. Sic enim Cicero pro Cornelio: *Sacroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus plebſve ſanxiſſet. Sanctiones autem ſacrandæ ſunt aut genere ipſo, aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœnæ, cum caput eius qui contra facit, conſecratur*.

Cap. LVI. *Voſmet ipſi armis vindicaſtis*.] Vetus lectio: *Voſmetipſos*.

Eod. *Vnius tantum criminis niſi vindices iudicem te*.] Vet. lib. *niſi iudicem vindices te*. Senſus, niſi te à iudicio vnius criminis liberes, id eſt, ab libertate in ſeruitutem contra leges vindicias non dediſſe te niſi probes.

Eod. *Si hoc indemnato, indicta cauſa non liceat*.] Vet. lib. *Si huic indemnato*.

Cap. LVII. *Iudicem illi ferre, ni vindicias ab ſeruitute in libertatem dederit*.] Lege procul dubio, pro, *ni vindicias*: *Vindicias ne*: Senſus eſt, Se ferre illi iudicem, qui videat vindicias ille, decemuir cum eſſet, contra libertatem dederit, nec ne.

Eod. *Valerio Æquis euenere*.] Deeſt vox, vt ſit, *Æqui, Volſcique euenere*. Eam vocem habent veteres libri, eandem paulo infra Liuius repetit: eandem habet Dionyſ. ἐπὶ Αἰκανοὺς καὶ Οὐολούσκους.

Cap. LVIII. *Sed neceſſariorum Virginia trium tribunorum preces audirent*.] Vetus lectio: *Et trium tribunorum*, ita vt altera ratio videatur, cur eorum preces ſint audiendæ, & quod neceſſarij, & quod tribuni eſſent.

Eod. *Tibur*.] *Tibur* & *Tiburtes* inuenio ſcribi in antiquis libris, & in triumphis Capitolinis.

Cap. LX. *Reſponſum Romanus nemo reddebat*.] Vet. lib. *Romanorum nemo*.

Eod. *Arma tegerent*.] Vet. lib. *contegerent*.

Eod. *Nec omnes dum eductos*.] Vet. lib. *Nec dum omnes eductos*.

Cap. LXI. *Procurſantes pauci, recurrenteſque*.] Vet. lib. *Recurſanteſque*.

Cap. LXII. *Veteris, perpetuæque alterum gloria, alterum nuper noua victoria elatum*.] Mirum eſt neminem ſenſiſſe, hîc deeſſe vocem, ſine qua vix conſtare oratio poteſt: quæ eſt in vet. lib. *gloriæ auidum, alterum*, &c.

Eod. *Sexcenti fere ex equis deſiliunt*.] Vet. lib. habent vocem vnam præterea. *Sexcenti fere propere ex equis deſiliunt*.

Cap. LXIII. *Populus iniuſſu & altero die frequens iis ſupplicatum*.] Sic lib. 7. *Si quis iniuſſu in hoſtem pugnaſſet*. Et lib. 10. *Nec tamen iniuſſu mouere ſe auderent*.

Eod. *In prata Flaminia, vbi nunc ædes Apollinis eſt, circum iam tum Apollinarem vocabant*.] Paulo ante ſic, *In pratis Flaminiis, quem nunc circum Flaminium appellant*.

Cap. LXIV. *Forte quadam vtili ad tempus*.] Vet. lib. *Ad id tempus*.

Eod. *Cum præſtudiis aperte petenſium nouem tribunorum alij candidati trib. non explerent*.] *Tribus non explere*, eſt non poſſe legitimum, ac neceſſarium ſuffragiorum numerum ferre. Hoc dixi, quia Glareanus *tribum* pro *claſſe* accipiendum ait: cum tribuni plebis tributis comitiis fierent. Alibi legitima ſuffragia non confixere dixit. † Glareanus non definit, ſed dubitat vt lectorem excitet. Hoc Sigonius in calumniam trahere videtur. †

Eod. *Si quos vos m... hodie decem tribunos plebis fecerint*.] Vetus lectio: *Si quos minus hodie decem tribunis*, &c.

Eod. *Hi tum vtique quos ſibi collegas cooptaſſent, vt illi legitimi*.] Veteres libri, *Hi tum, quos ſibi*, & pro, *vt illi legitimi*, *vt a illi legitimi*. Porro autem pro *cooptaſſent*, apparet legendum eſſe, *cooptaſſint*, antiquè dictum, pro *cooptauerint*.

Cap. LXV. *A. Æternum*.] *A. Aterium*, vt ſupra.

Eod. *Sp. Herminius. T. Virginius*.] *Sp. Herminium* conſulem, Dionyſius Λάρτον Ἑρμήνιον vocat. Diodotus Λάρτον Ἑρμήνιον, Valerius in prænominib. *Lartem Herminium*. Ergo non *Sp.* ſed *Lar. Herminius* hoc loco reſtituendum eſt, vt etiam dixi in prænominibus à me editis multo latius.

Eod. *Cælimontanus*.] *Cælimontanus*, quia *Cœlius*, non *Cælius* ſcribitur.

Eod. *Dum x. tribunos plebis faceret*.] Vet. lib. *Plebi*.

Eod. *M. Geganius Macrinus*.] Græci, & Capitolini ſcriptores *Macerinum* cognomen addunt *Geganiis*: non *Macrinum*.

Eod. *Conciones tribunorum aduerſus nobilium iuuentutem ortas ſedauere*.] Quid eſt *ſedare conciones ortas*? Quãdo vnquam aliàs dixit, *Oriri conciones*? Quis eſt qui non videat, aut *coitiones*, aut *contentiones* eſſe legendum? vel repugnantibus antiquis exemplaribus.

Eod. *Deinde ne ipſi quidem inuiolati erant, vtique poſtremis menſibus cum & per coitiones potentiorũ iniuria fieret*, &c.] Hic ſenſus miſere laceratur ab iis qui eius ignari, verba inſcite diſpunxerunt, facile reſtituetur in integrum, ſi ita interpunxeris, vt, *vtique poſtremis menſibus*, cum, *inuiolati erant*, iungas ſic, *Ne inuiolati quidem erant vtique poſtremis menſibus*, id eſt, *præſertim poſtremis menſibus*, cui orationi cauſas ſubnectit ſtatim duas.

Cap. LXX. *Legatum alterum P. Sulpicium*.] *Ser. Sulpicium*, vt ſupra dixi.

Cap. LXXI. *Conſurgit P. Scaptius de plebe magno natu: Et ſi licet, inquit, Cõſules de rep. dicere, errare ego populum in hac cauſa non patiar*.] Inconſequens oratio videatur, ſi ita legas, neque enim vox ſubſequitur, quæ illi præcedenti, *Et ſi*, reddatur. Intelligendum eſt autem orationem incipere à voce, *Si licet*: Vocem autem *Et*, eſſe hiſtorici, qui ait: P. Scaptius conſurgit, & inquit, *Si licet conſules*, &c. quare ita diſpunge, *magno natu, &, Si licet inquit, conſules*.

Eod. *Annum ſe tertium, & octogeſimum agere*.] Neſcio cur in mentem venerit Glareano probare, *tertium & nonageſimum*, potius, quam *tertium, & octogeſimum*: præſertim vero cum hunc numerum & libri veteres habeant, & diligens annorum ſumma cum poſtulet. Nam ab hoc anno, qui eſt ab Vrbe condita CCCVIII. ad annum CCLXI. quo Corioli capti ſunt, numerantur anni XLVII. Quibus ſi addantur anni XX. quos ſe ante militaſſe Scaptius ait, erunt anni LXVII. à quo anno vſque ad annum LXXXIII. numerantur anni XVI. quo anno ætatis tyrocinium de more depoſuit Scaptius. Ita vt anno ætatis XVI. militare cœperit, poſt annos XX. ad Coriolos fuerit anno ab Vrbe cõd. CCLXI. anno vero CCCVIII. hæc loquatur, annos natus LXXXIII. † Glareanus nihil prorſus hoc loco aſſerit, ſed ſcrupulum inijcit. Ait autem tantum de lana caprina eſſe. †

Eod. *Cum ad Coriolos ſit bellatum*.] Vet. lib. *debellatum*, quod placet: quia tum Corioli in poteſtatem populi Romani venerunt.

Eod. *Scaptione hoc concionali ſene*.] Senem concionalem ad contumeliam dixit. quomodo autem *concionalis*, ignominiam adferre poſſit, nemo tradit. puto *coemptionali ſene*, legendum. cæterum ſenes, vt inquit Cicero, in ſecũdo de legibus, qui filios ſuſcipere non poterant, coemptiones faciebant, ne ſacra priuata interirent. ex quo Curius ad Ciceronem, *ſenes coemptionales* ſcripſit. habet autem ignominiam quandam, adeo decrepita ætate eſſe, vt ſuſcipere liberos non poſſit.

O

Google

IN EPITOMEN LIB. IV.

LEx de connubiorum patr. & plebis contentione magna.] Lege ex vet. lib. *à tribunis contentione magna.* Tribunorum autem princeps fuit C. Canuleius.

Perlata eſt à tribunis plebis aliquot anni res populi Romani domi, militiæque per hoc genus magiſtratus adminiſtrata ſunt.] Veteres libri ita: *Perlata eſt. Tribuni aliquot annos.* Eſt autem locus mancus, cuius hæc erat ſententia: Tribuni militum conſulari poteſtate creati, aliquot annos res populi Romani, &c. Rem autem ita habere docet Liuius. Quare ſtellula addenda eſt.

Sp. Melius.] *Mælius* ſcribe, addita diphthongo ex Capitolinis tabulis, & Græcis monumentis.

Seruilio Hala.] *Ahala* vbique ſcribendum eſt. Documento ſunt huius ſcripturæ libri aliquot manuſcripti, lapides Capitolini, & nummi argentei.

Volſcos & Veientes.] Adde ex vet. lib. & ex ipſo Liuio: *Volſcos & Veientes, Fidenates & Faliſcos.*

Eoque coloni miſſi ſunt.] Addendum *Noui*: Nam Liuius *nouos colonos* vocat, & alio loco numerum additum colonorum ait: primum enim deducta colonia eſt à Romulo rege.

IN LIBRVM IV.

CAP. I. *M. Genucius, & P. Curiatius cõſules.*] Liuius paulo poſt *C. Curiatium* vocat. Dionyſius Γάιον Κόρτιον. Diodorus Ἀγρίππας Κόρτιον. Ergo *C. Curtius*, non *P. Curiatius* legẽdum. Accedit etiam Varro, qui lacum Curtium ab hoc cõſule Curtio dictum eſſe ait. Verba eius hæc ſunt libro quarto, de lingua Latina. *Cornelius et Lucius ſcribunt eum locum eſſe fulguratum, & ex S.C. ſeptum eſſe, idque factum eſſe à Curtio conſule, cui M. Genucius fuit collega, Curtium lacum appellatum.*

Eod. *Confundique iura gentium rebantur.*] Paulo poſt, *Colluuionem gentium* ait: *Gentem* autem genus, ac gentilitatem intelligit, quam ſe ſolos habere patricij ipſe gloriabantur, vt ſcribit libro decimo. Quid autem ſit *gens*, ac *familia*, quoniam non idem ſunt, verum magno inter ſe interuallo diſiuncta ſunt, contra atque ſummi huius memoriæ viri, qui vtroque nomine promiſcue vtuntur, ſentire videntur, paucis oſtendam. Illud igitur intereſt, quod *Gens*, ad *Nomen*, *Familia* ad *Cognomen* refertur. Itaque illa tamquam totum continere videtur, hæc quodammodo partem: exempli cauſa: Cornelij omnes vnius gentis eſſe dicuntur, quia vno nomine continentur omnes, at vero partes gentis huius ſunt plures, quæ ex cognominum varietate diſtinctæ ſunt, eæque familiæ dicuntur. vt Cornelij Dolabellæ, Cornelij Cethegi, Cornelij Scipiones, Cornelij Lentuli: itemque in ceteris. At vero Cornelij omnes vnius exiſtunt gentis. Itaque recte Feſtus libro 7. *Gentem* definit, *quæ ex multis familijs conficiatur.* Quod autem dixi de *gente* & *familia*, idem iudicandum eſt de *genere*, & *ſtirpe*, quorum item alterum ad *Nomen*, alterum ad *Cognomen* pertinet. Id autem ita eſſe ex his ſcriptorum verbis apparet. Suetonius in Galba, *Imagines*, inquit, *& elogia vniuerſi generis exequi lõgum eſt, familiæ breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, aut vnde traxerit, ambigitur.* Hoc loco Suetonius *genus* appellat *omnes Sulpicios*, familiam vero, *Sulpicios Galbas*. Liuius libro trigeſimooctauo, *Scipio Naſica orationem habuit pro imaginibus decoribus non communiter Corneliæ gentis, ſed propriæ familiæ ſuæ.* Et libro ſeptimo ſic loquitur Valerius Coruus: *Nunc ſi mihi nouum hoc Corui cognomen dij auctoribus homines dediſtis, Poplicolarum vetuſtum noſtræ familiæ cognomẽ memoria exceſſit.* Et libro primo *Iulia gens Iulum auctorem nominis ſui nuncupat*: Et libro 40. *Inde cognomen familiæ inditum, vt Annales appellarentur.* Rurſus apud Suetonium ſic loquitur Iulius Cæſar: *Ab Anco Marcio ſunt Marcij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia eſt noſtra.* & in Auguſto: *Gens Octauia à Tarquinio Priſco rege inter Romanas gentes allecta, mox à Ser. Tullio inter patricias traducta. Primus ex hac magiſtratum cepit C. Rufus: is quæſtorius Gnaium, & Caium procreauit, à quibus duplex Octauiorum familia defluxit conditione diuerſa.* Et Cicero in Bruto: *Funebres orationes ipſa familiæ quaſi ornamẽta ſeruabãt ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet.* Et Liuius libro nono: *Duodecim familiæ Potitiorum fuerũt, cum gens Potitia tota interiit.* Quæ adhuc protuli exempla, ea ſatis valere arbitror ad explicandam vim *gentis*, *generis*, & *familiæ*. Nunc de ſtirpe dicam. Loquitur Cicero pro Rabirio ſic: *Quain familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſime perſequuntur.* Et de Legib. primo: *Hic orti ſtirpe antiquiſſima ſumus.* Et in Lælio: *Qui aliquam diu propter ignorantiam ſtirpis, & generis in famulatu fuerunt.* Et Suetonius in Claudio: *Claudius Cn. Pompeio antiquiſſimæ ſtirpis Magni cognomen ademit.* Quæ ſi ita ſunt, iam apparet, qui ſit ſenſus loci illius apud Ciceronem lib. de Oratore primo. *Quid? qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumuiri iudicarunt? cum Marcelli ab liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hereditate gente ad ſe rediſſe dicerẽt, nõnne in ea cauſa fuit de toto ſtirpis, & gẽtilitatis iure dicendũ?* Senſus enim eſt: Claudios patricios gente pugnaſſe, quia ille Claudiorum liberti filius fuit, Marcellos, ſtirpe, quia Marcellorũ Claudiorũ. Itaq. illi generis, hi familiæ iure contẽdebant. Hinc *gentilitia ſacra* dicta, quæ erant cõmunia *toti genti* ac *generi*. Et Suetonius Cæſarem *gentilicijs hereditatibus multatum* ſcribit, id eſt, *bonis, quo gentis Iuliæ ante fuerant.* Atque hæc quidem hactenus: Iam vero an alius ſit *Gentis* ipſius vſus, infra alio loco dicemus.

Eod. *Et mentio primo ſenſim illata à tribunis.*] Lege, *A tribuno*, cum ex vet. lib. auctoritate, tum quia ſtatim infertur *vt rogationem nouam tribuni promulgareat.* Tribunum autem intelligit C. *Canuleium*.

Eodem: *Vt rogationem nouem tribuni promulgarent.*] Quamquam ſenſus optimus eſt, ſi legatur, *Nouem*, tamen placet magis *Nouam*, quæ vox eſt in vet. libris, hoc ſenſu: Mentio illata primo ſenſim à C. Canuleio, vt alterum ex plebe conſulem liceret fieri, eo deinde proceſſit, vt tribuni reliqui nouam rogationem promulgarent, vt promiſcue conſules ſeu de plebe, ſeu de patribus poſſent pro populi arbitrio creari. *Nouem* autem ſi legamus, omnes accipiamus tribunos præter C. Furnium, quem excipit Dionyſius.

Cap. II. *Et quemadmodum plebs gloriari poſſet, auctiorem, ampliorem que eſſe.*] Vetus lectio, *Se auctiorem.*

Eod. *Finem non poſſe fieri in eadem ciuitate tribunos plebis et patres eſſe.*] Quamquam Rhenanus ita legerit in vetuſtis libris, miror tamen hãc lectionem ei probari potuiſſe. Quid eſt enim hoc loco, *Finem fieri poſſe?* &c. Locus eſt igitur adhuc deprauatus: Quos ego libros veteres legi, ij ita habent: *Finem fieri non poſſe.* Quamobrem partim ex vulgata, partim ex antiqua lectione legendum puto: *Finem ergo non fieri. Non poſſe in eadem*, &c. Nam ſunt etiam quidam libri, qui habent, *Sinere non poſſe.* Ex quo conicio legendum, *Finem ergo*: præſertim verò cum ſupra dixerit Liuius, *Finem ergo non fieri, nec futurum vnquam.*

Eod. *Illinc vt impune.*] Tolle *vt*, ex vet. lib. fide.

Eod. *Se proditurum patriam, oppugnari atque capi paſſurum.*] Venuſtior antiqua lectio: *Se proditurum patriam, oppugnari atque capi paſſurum.*

Eod. *Demarati.*] *Damarati*, vt ſupra.

Cap. IV. *Quid? hoc ſi polluit nobilitatem iſtam veſtram, quam plerique*, &c.] Hunc locum, atque adeo etiam hanc ſententiam vituperat Glareanus. quæ ornatiſſima atque apertiſſima eſt, ſi ita intelligatur: Si connubia plebis contaminant veſtram nobilitatem, nonne poteratis priuatis potius conſilijs eam ſynceram ſeruare, aut nullam plebeiam ducendo, aut nullam è patribus enubere ſinendo, quam lege cauere, ne connubia inter plebem, & patres eſſent, quam legem decemuiri tulerunt? † Glareanus non vituperat ſed ait implicatam eſſe. †

Eod. *Itaque ad bella iſta.*] Lege ex vet. lib. *Ita ad bella iſta.*

Eodem: *Si hac impediet aliquis.*] Legendum, *Sin hac impediet aliquis.*

Cap. V. *Quod nemo plebeius auſpicia haberet.*] Hoc ait, quod lege Romuli Regis ſacra ſolis patricius erant cõmiſſa, auctore Dionyſ. lib. 2. ἐνομοθέτει τοὺς μὲν εὐπατρίδας ἱερᾶσθαί τε, καὶ ἄρχειν καὶ δικάζειν, καὶ τὰ κατὰ πόλιν, τοὺς δὲ δημοτικοὺς τούτων μὲν ἀπολελύσθαι τῶν πραγμάτων. Et Liuius li. 6. *Penes quos ſunt auſpicia more maiorũ? nẽpe penes patres: nã plebeius quidẽ magiſtratus nullus auſpicato creatur, nobis adeo propria ſunt auſpicia vt nõ ſolũ, quos populus creat patricios magiſtratus, aliter, quã auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine

ſuffragio populi auſpicato interregem prodamus, & pri tatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent.

Eod. *Apparebat aut hoſtibus, aut ciuibus.*] Lege ex vet. lib. *Apparebat autem aut.*

Cap. VI. *Quib. indictis extemplo quicūque aliquid ſeditioſe dixerat aut fecerat, quam maxime tribunicij & prehenſare homines, & concurſare toto foro candidati cœpere.*] Veter. libri, pro *quam maxime*, habent, *hunc quam maxime*, ex quo intelligi poteſt legendum eſſe, *hinc quam maxime*, id eſt, inter eos, qui ſeditioſe dixerant, aut fecerant quam maxime tribunicij prenſabant.

Eod. *L. Atilius, T. Cæcilius.*] *Cæcilia* gens plebeia fuit: Itaque *Cæcilius* tribunos militaris patricius eſſe nequit. Dionyſius hunc Τίτον Κλόιλιον Σικελὸν vocat. Cognomen *Siculi* facit vt mendoſe eſſe Κλόιλιον pro Καιλίλιον putem. *T.* autem *Clœlium Siculum* paulo poſt commemorat etiam Liuius triumuirum coloniæ dedocendæ: in quibuſdam manuſcriptis libris eſt, *T. Celius.*

Eod. *C. Curiatius.*] *C. Curtius*, vt ante dictum.

Eod. *Legati ab Ardeatibus Romam venerunt.*] Lege ex vet. lib. *ab Ardea.*

Cap. VII. *L. Papirium Mugilanū.*] Ex Capit. lap. *L. Papirium Mugillanum*: menda eſt fœda apod Dionyſium: Ὕπατοι Μαύκιος ποτεῖνος Μογιλλάνος, pro, ὕπατοι μὲν Λεύκιος Παπείριος.

Eod. *Admoneta iuuentos.*] Vet. lib. *Iuuenta*, vt referatur ad *nomina conſulum*, quæ prætermiſſa dixit.

Cap. VIII. *Publicorum ius, priuatorumque locorum, vectigalia.*] Lego ex vet. lib. *& vectigalia.*

Cap. IX. *Æquo Cluilio.*] *Clœlio*, vt ante ſæpe dixi de *Cluiliis.*

Eod. *Et alia parte.*] Vet. lib. *Ex alia parte.*

Eod. *Muro Ardea brachium iniunxerat.*] Vet. lib. *Immiſerat.*

Cap. X. *Volſci exiguam ſpem in armis, alia vndique abſciſſa cum tentaſſent.*] Vox deeſt, quæ eſt in manuſcriptis, *volſci exiguam ſpem in armis ponentes*, id eſt, Volſci exigua ſpe in armis poſita, cum alia tentaſſent, id eſt, an per colloquium res componere poſſent, nec quicquam profeciſſent, hoc eſt enim, *vndique abſciſſa.*

Eod. *Vix nunciis cadis relictis.*] Vet. lib. *Cladis.*

Eod. *Romanus conſul Ardea turbatas.*] *Conſul* non eſt in veteribus lib.

Cap. XI. *Qua concordia pacisque.*] Veter. lib. *Qui*, nam ad *Quintium* refertur.

Eod. *Poſtumium Ebutium.*] *Poſtumam Æbutium*, hoc loco quidam habent libri, quemadmodum ante docui etiam ſcribendum eſſe Idem docet Valerius in prænominibus.

Eod. *Qui præter minime populare miniſterium agro aſſignando ſociis.*] Vetus lectio: *Per minime populare*, recte. Hæc enim cauſa eſt, cur plebem offenderint, quia minime populare munus ſuſceperint.

Cap. XII. *C. Furio Pacilio.*] *Pacilum* eſſe cognomen *Furiorum*, qui Capitolinos conſules legerit, facile inuenerit. Quare, *Pacilo legendum.*

Eod. *M. Papyrio Craſſo.*] Diodorus Siculus hunc conſulem Μάνιον Παπίριον vocat. Fuiſſe autem *Papiriis* familiare prænomen *Many*, Dionyſ. oſtendit, qui primum Regem Sacrificulum *Manium Papirium* nominat lib. 5.

Eod. *Cauſa certaminum nequiquam à Petilio quæſita qui tribunus pl. ea ipſa denunciando factus.*] *Pœtelio*, vt ante, lege. Cum autem de priore eius tribunatune verbum quidem ante fecerit, hoc loco, vt alibi ſæpe, tribunum etiam ante fuiſſe tacite intelligendum eſt. *Ea* vero *ipſa*, intelligit legem agrariam, & delectus impedimentum.

Eod. *Poſtremo perpulere plebem haud aduerſante ſenatu, vt.*] Lege, *perpulere plebej.* nam id & ſenſus poſtulat, & veteres libri habent.

Eod. *Et nullum momētum annonæ feciſſet.*] Dele particulam: *Et*, ex vet. libris.

Cap. XIII. *Sp. Melius.*] *Mælius* ſcribe ex fragmentis Capitolinis, Græcorum libris, & quibuſdam etiam manuſcriptis Latinis.

Eod. *Plebemq́; hoc munere delinitam, quacumque incederet, conſpectus, elatuſque ſupra modum hominis priuati ſecum trahere.*] Fœda inſidet menda in voce *Conſpectus.* Si quibuſdam veterib. libris credimus, in quib. eſt *Conſulis pectus gerens.* Error ex compendioſa ſcriptura natus eſt: *Conſ. pectus*, quas voces cum quidam coniunxiſſet, tertiam *gerens*, alius vt ſuperuacaneam prætermiſit. Eſt autem *conſulis pectus gerens*, conſularem ſpiritum habens, aut ad conſulatum aſpirans, qui ipſi à plebe deſponderetur, vt ſupra lib. 2. *Velut omnes dictaturas conſulatuſque gerens in voce ac viribus ſuis.* Et alibi: *Tribunatum ſpirans.* Ego tamen, *Conſpectus* etiam probo.

Eod. *Conſulatum fauore, at ſpe deſpondentem.*] Vet lib. *Conſulatum ei fauore.*

Eod. *Nec dum compoſitis, maturiſue ſatis conſiliis.*] Dura loquutio eſt, *Componere conſilia.* Itaque ſequamur auctoritatem veterum librorum, qui habent: *Nec dum compoſitis rebus, maturiſue ſatis conſiliis.*

Eod. *Hic Minutius eandem Reip. curam agens, quam Melius priuatim agendam ſuſceperat.*] Vet. lib. *Quam Sp. Mælius.* Ceterum Antonius Florebellus, Epiſcopus Lauellinus, vir doctrinæ atque ingenij laude præſtantiſſimus, legit, *eandem publicè curationem agens*; vt *publicè* ſit aduerbium, cui reſpondeat *priuatim.* erat autem curatio frumentaria.

Cap. XV. *Eodemque anno ſororis filios regis, & liberos conſulis.*] Vox, *Regis*, inducenda eſt, quia abeſt à quibuſdam vet. libris, & quia hiſtoriæ veritatem peruertit. non enim Collatinus, de quo intelligit, Rex fuit: Intelligit enim Vitellios, Aquilioſque, natus ex duabus ſororibus Collatini conſulis, & Iunios liberos Bruti conſulis, ita; vt *conſulis*, bis accipiendum ſit. Cur enim Collatinum regem appellet, quem ſequenti verſu conſulem nominat.

Eod. *Vilibus farris libris ſperaſſe libertatem ciuium ſuorum emiſſe.*] In omnibus antiquis libris legitur, *Bilibre farris.* Quam lectionem immutauit Rhenanus. Eſt autem optima ſententia, ſi binas libras pro vili pretio ponat, quippe eum ſic etiam locutus ſit in VI. *Selibris ne farris gratiam ſeruatori rettulerunt.* *Bilibrem* autem & *Trilibrem*, dici docet Priſcianus de menſuris.
† In aliis legitur *bilibra farris.* Nam *bilibris* eſt adiectiuum, vt apud Martialem, *Nullum ve bilibrem.* Sed conſiderandum erat, qua ratione hîc dicatur *bilibre farris*, quod ſi legeretur in ablatiuo *bilibri farris* melius fortaſſe intelligeretur, nec malè *bilibra farris*: Sed *bilibre farris* non ita clare. †

Cap. XVI. *Æquimelium.*] Vet. lib. *Aquimælium.*

Eod. *L. Minucius boue aurato extra portam Tergeminam eſt donatus*, &c. *Hunc Minucium apud quoſdam auctores tranſiſſe à patribus ad plebem, vndecimumque tribunum pl. cooptatum.*] Eadem tradit Plinius lib. 18. cap. 3. *Minucius Augurinus, qui Sp. Mælium coarguerat; farris pretium in trinis nundinis ad aſſem redegit, vndecimus plebei tribunus. Qua de cauſa ſtatua ei extra portam Tergeminam à populo ſtipe collata ſtatuta eſt.*

Eod. *Sed ante omnia refellis falſum imaginis titulum.*] Imagini domeſticæ L. Minucij falſo tribuni plebis nomen aſfictum fuiſſe ſignificat ab iis, qui laudem familiæ ex eo magiſtratu titulоque quærebant. Sic lib. 8. *Vitiatam memoriam falſis imaginum titulis reor, dum familia ad ſe quæq; famam rerum geſtarum, honorumque fallente mendacio trahunt.* Sic lib. 3. *Ap. Claudium decemuirum virum honoratiſſimæ imaginis futurum ad poſteros legumlatorem, conditoremque Romani iuris.*

Eod. *Titinnius.*] *Titinnius* ſcribe ex Græcis & manuſcriptis Latinis libris, itemque nummis argenteis.

Eod. *Haud dubij quin.*] Vet. lib. *Haud dubia ſpe, quin.*

Eod. *Mamercus Æmilius.*] *Mamerci* prænomen tribus literis notatur in lapidibus Capitolinis, *Mam. Æmilius.*

Cap. XVII. C. *Iulium Tullum, Sp. Nautium.*] Horum legatorum meminit etiam Cicero Philip. 9. *Tulli Cluuij, Sp. Ancij*, neque manuſcripti libri à vulgatis diſſident. Veteres libri Liuiani habent, *Clœlium Tullum, Sp. Ancium.* Itaque ſatis mirari non poſſum, cur antiqua lectio immutata ſit, & C. *Iulium Tullum, Sp. Nautium*, factum ſit. *Tullus* autem in *Clœlio* prænomen eſt, vt in *Tullo Hoſtilio*, & *Tullo Attio*: *Ancia* vero gens Romę fuit, ex qua *Ancius Briſo* tribunus plebis, de quo Cicero in Bruto, ab *Anco* prænomine deducta.

Eod. *Cauſam mortis legatis fuiſſe, rem incredibilem, &c. nec deinde in horrorem verſum facinus.*] Vet. lib. *Ac deinde in errorem verſum facinus.* Cuius lectionis hic eſt ſenſus. Ambiguam regis vocem à Fidenatibus exceptam, mortē attuliſſe legatis. poſt autem cauſam facinoris in errorem eſſe coniectam. Qui ſenſus optimus cum ſit, idem admonet reliqua omnia à *Rem incredibilem*, ad, *Luſus animum*, parentheſi eſſe includenda.

Eod. *L. Quintium.*] Quidam vt dixi, manuſcripti libri ſemper *Quinctium* habent vnà cum tabulis Capit. & Diodoro.

Eod. *Colleſque inter Fidenas atque Anienem ceperunt referentes caſtra.*] Non eſt dubium, quin ita intelligendus hic locus ſit, Dictator trans Anienem ſubmouit hoſtes, qui cum caſtra referrent, colles inter Fidenas atque Anienem ceperunt.

Eod. *Nec ante in campos digreſſi ſunt.*] *Degreſſi*: loquitur enim de deſcenſu ex collibus in campos, & vt ante dixi, & poſt dicam, nam ſæpius hoc mendum eſt apud Liuium.

Cap. XVIII. *Ne longinquam militiam non paterentur Faliſci.*] Vet. libri non habent, *Non*.

¶ Cap. XX. *Romuli ſpolia, quæ prima opima appellata ſola ea tempeſtate erant.*] Vox, *Prima*, redundat. neque enim tum prima appellari poterant, cum adhuc ſecunda non eſſent relata: abeſt certe ab antiquis libris. † Primus reſpicit antecedentia non ſequentia: vt, Maria, primogenitum Chriſtum peperit, nullum poſtea. Sigonius hîc non ſatis circumſpectus. †

Eod. *Prope ſacrilegium ratus ſum, Coſſum ſpoliorum ſuorum, Cæſaremque ipſius templi auctorem ſubtrahere teſtem.*] Probo magis antiquam lectionem: *Coſſo ſpoliorum ſuorum Cæſarem ipſius templi auctorem ſubtrahere teſtem.* Nam quæ dixit omnia Cæſaris teſtimonio nituntur.

Eod. *Septimo poſt demùm anno.*] *Nono* legendum, habita diligenti annorum omnium ratione: error ex notis manauit, IX. & VII.

Eod. *T. Quintio Pæno.*] *Quinctiorum* cognomen eſt *Pennus*, non *Pænus*: ſi antiquis & librorum, & lapidum monumentis credimus.

Eod. *Nam etiam illud accedit.*] Vet. lib. *Nam et illud.*

Cap. XXI. *Dictatorem dici A. Seruilium.*] Hic in ſecunda dictatura quam cepit anno CCCXXXV. & apud Liuium, & in Capitolinis tabulis, *Q. Seruilius*, dicitur.

Eod. *Cuique Priſco alij.*] Vet. lib. non habent, *Que*.

Eod. *Poſthumium Ebutium.*] *Poſthumum Æbutium*, vt ante.

¶ Cap. XXIII. *Cenſores villam publicam in campo Martio probauerunt. ibique primum cenſus populi actus eſt.*] Quærit Glareanus, quid ſit, *Probauerunt*, & *Primum*, cum ſenſus in campo Martio à Ser. Tullio rege primum ſit actus, non ab his cenſoribus. Reſpondeo *Probauerunt*, ex vetere Romano more dictum eſſe, quomodo adhuc in antiquis lapidibus Romæ viſitur. † Non dubitat Glareanus ex veteri Romano more dictum eſſe, *Probauerunt*: ſed explicatum voluit, quod Sigonius non facit. †

L. FABRICIVS C. F. CVR. VIAR.
FACIVNDVM COERAVIT.
Q. LEPI. M. F. M. LOLIVS M. F. COS. PROBAVERVNT. Item,
P. LENTVLVS CN. F. SCIPIO. T. QVINTIVS CRISPINVS VALERIANVS COS.
EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERE. IIDEMQVE COMPROBAVERE.

Sin autem cenſus actus eſt aliàs in campo Martio, at non in villa publica, quæ hoc primum anno probata eſt. Qua de re ſic Varro lib. 3. de re ruſt. *Villa publica ad remp. adminiſtrandam eſt vtilis, vbi cohortes ad delectum conſuli adducta conſidant, vbi arma oſtendant, id eſt, vbi cenſores cenſu admittant populum.*

Eod. *C. Furius Pacilius.*] *Pacilus*, vt dixi.

Cap. XXIV. *Depoſito ſuo magiſtratu, modo aliorum magiſtratui impoſito fine alteri.*] Voces duæ, *fine alteri*, non ſunt in veterib. multis libris, nec videntur neceſſariæ. neque enim quis ille ſit magiſtratus, apparet. Siquidem depoſuit dictaturam, cenſuræ modum impoſuit. Niſi magiſterium equitum intelligere velimus, at in *ſuo*, id eſt, in Dictatura includitur.

Eod. *Quamquam deminutum cenſura ius voluiſſent.*] Florebellus, de quo dixi, Epiſcopus, eodem ingenio vſus, legit *noluiſſent*. hoc ſenſu. Mamercus, qui dictator cenſuram ex quinquennio annuam & ſemeſtrem fecerat, ærarius factus à proximis cenſoribus, ingenti animo tulit eam rem, cauſam potius ignominiæ reſpiciens, quam ipſam ignominiam. Patres quamquam Mamerco inimici erant, quod noluiſſent cenſuræ ius ab eo imminutum; quia facta annua & ſemeſtri cenſura, ſæpius ſe quiſque cenſoribus ſubiectum fore videbat, quam cenſuram geſturum; tamen exemplo acerbitatis cenſoriæ offenſi ſunt, id eſt, quod Mamercus ea de cauſa ærarius à Cenſoribus factus ſit.

Cap. XXV. *M. Folius.*] Capitolini lapides, *M. Foſlius* habent. Quorum auctoritas ſumma mihi ſemper viſa eſt.

Eod. *Aut patricios habendos fuiſſe tribunos plebis.*] Vet. libr. *alioquin patricios habendos fuiſſe tribunos plebi.* Quod placet.

Cap. XXVI. *Cn. Iulius Mento.*] Diod. Γάιον Ἰούλιον vocat. Itemque in quibuſdam Vet. lib. *C. Iulius*, quod probo. Nam *Cnæi* prænomen numquam aliàs in *Iulia* gente reperi, *Caij* vero ſæpiſſime.

Eod. *Quia etſi ſæpe victi populi, maiore tamen conatu quam aliàs vmquam rebellarunt.*] Vet. lib. *Rebellarant.*

Eod. *Ante omnia prauitas conſulum, diſcordiaque inter ipſos.*] Longe ſecus, & melius veteres libri. *Ante omnia priuata conſulum diſcordia, quæ inter ipſos erat.*

Eod. *Si quidem cogi aliquid pro poteſtate ab tribuno conſules.*] Vet. lib. *Cogi aliquando*: quod placet.

Cap. XXVII. *Cn. Iulio.*] *C. Iulio* vt dixi.

Cap. XXVIII. *Vectius Meſſius.*] Vtrumq; nomen vitium continere ſuſpicor, ſcribendumque *Vettius Metius*. Eſt autem *Metius* prænomẽ, vt in *Fufetio*, & *Curtio*, & aliis. *Vettius* autem non *Vectius* ſcribendum, vt *Attius* non *Actius*. Cuius ſcripturæ extat Mutinæ in Monumento marmoreo peruetuſto inſigne teſtimonium eiuſmodi:

P. VETTIO.
P. FIL. CAM. SABINO.
EQ. P. IIII VIR.
AED. POT.
ET MAG. MVN. RAVEN.
CORNELIA MAXIMINA.
MARITO INCOMPARABILI
ET SIBI VIVA POSVIT.

Item apud Appianum lib. 1. Οὐέττιος Κάτων.

Cap. XXX. *Hoſtius Lucretius Tricipitinus.*] *Hoſtius* huic prænomen eſt. Quare *Hoſtus* ſcribendum, quemadmodum etiam ante diximus.

Eod. *Siccitate eo anno plurimũ laboratũ eſt.*] Vet. lib. *Et ſiccitate.*

Eod. *Nouos ritus ſacrificando, vaticinando inferentibus in domos.*] Vet. lib. *Nouos ritus ſacrificandi vaticinando.* Hac de re ſic Liuius lib. 39. *Quoties hoc patrum, maiorumque ætate negotium eſt magiſtratibus datum, vt ſacra externa fieri vetarent? ſacrificulos, vateſque, foro, circo, vrbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent, comburerentque? omnem diſciplinam ſacrificãdi præterquam more Romano abolerent?*

Eod. *Vtrum populi iuſſu indiceretur bellum, an ſatis eſſet ſenatuſconſultum.*] Placet, vt legatur, *ſenatuſconſulto*, vt eſt in antiquis quibuſdam libris.

Eod. *Vt Quintius conſul de bello ad populum ferret.*] *Quintius* habet mendum: non enim hoc anno conſul erat, ſed priore. In Vet. certe libris multis abeſt. Quare non dubito quin legendum ſit, *Vt conſules de bello ad populum ferrent.*

Cap. XXXI. *T. Quintius Pennus ex conſulatu.*] In quibuſdam libris aliena manu notatum eſt ſuper, *ex conſulatu ter conſul*, ſed temere. Iam enim non niſi bis conſul fuerat. Intelligendum autem anno poſtquam conſul fuit, factum eſſe tribunum militum conſulari poteſtate, habetque rationem eius anni, quo Quintius petiuit, non quo geſſit.

Eod. *Cum ibi quoque religio obſtaret, ne poſſet niſi ab conſule dici dictator.*] Vet. lib. *ne non poſſet.*

Eod. *Adeo ſimul fortuna ciuitatis virtute vera eguit: nihil cenſoria animaduerſio effecit, quominus.*] Legendum vt in manuſcriptis: *vt nihil cenſoria animaduerſio effecerit.*

Eod. *Ad ſpem prædæ adſciuerunt.*] Repone, *adſciuerant*, ex Vet. lib.

Eod. *Placuit. & tanquam.*] Vet. lib. plerique habent, *Et qui tanquam.* Suſpicor igitur legendum, *Itaque tanquam*, vt ex is & qui, fiat *itaque.*

Eod. *Romæ terror ingens erat, accito exercitu ab Veiis, hoſtib. poſitis ad fidenas, eoque ipſo ab re male geſta perculſa caſtra locantur ante portam Collinam.*] Ex his verbis alia luxata ſunt. alia temere inculcata. Germana lectio in veterib. libris reperitur. *Accito exercitu ab Veiis, eoque ipſo ab re male geſta perculſo caſtra locantur ante portam Collinam.* Neque vero verba illa, *Hoſtibus poſitis ad Fidenas* neceſſaria ſunt, cum præſertim dixerit: *Traiecto Tiberi Veientes Fidenas tranſtulerunt bellum.*

Cap. XXXII. *Veientem hoſtem ſexies victum.*] Quid ſi legatur

toties, vt in pleriſque antiquis libris legitur, præſertim cum ſæpius, quam ſexies victi Veientes ſint?

Eod. *Cum Etruſci pleni animorum, ac priſtini diei meliore occaſione, quam pugna.*] Lege vel repugnantibus omnibus teſtimoniis veteribus *ab priſtini*, vt ſit dictum: *pleni animorum ab priſtini diei occaſione meliore, quam pugna* quomodo dictum eſt etiam: *exercitum perculſum ab malere geſta*, & *moeſtam ciuitatem ab male re geſta*, & eiuſmodi alia multa.

Cap.XXXIII. *Quod incendio ſimilius, quam prœlio territum ceſſerat flammis.*] *Similius* dictum videtur, pro *veriſimilius*.

Eod. *Effreno equo.*] Vet.lib. *Effreni equo*.

Eod. *Ruina igitur ſimilem ſtragem eques quacumque peruaſerat dedit.*] Placet magis, *Peruaſit*, quod eſt in antiquis libris.

Eod. *Infert pauidos fuga in mediam cædem, obtruncãtur in ripis.*] Neſcio quomodo placet magis priſca quorundam librorum lectio, *Reſidui pauidi fuga in medium cædem obtrũcantur in ripis*, & recte. nam inquit: *Veientium maxima pars Tiberim effuſi petunt, Fidenatium, qui ſuperſunt ad vrbem Fidenas tendunt. Reliqui cum pauidi in mediam cædem fugerent, obtruncantur in ripis.*

Cap.XXXIV. *Claſſib. quoque ad Fidenas pugnatum.*] Vet. libri alij *Claſſi*. alij *Claſſe* habent. *Claſſi* autem pro *Claſſe* vſus eſt etiam Virg.lib.8. *Aduectum Aeneam Claſſi*. Priſc.lib.7.

Eodem: *Cl.Craſſus.*] Lege *Ap.Claudius Craſſus*: Neque enim Liuius prætermittere ſolet prænomen in iis nominandis, quorum tunc primum mentionem faciat: deinde vero alio loco id ipſum afferre, vt infra, cum ait: *Ap. Claudium filium decemuiri præfectum vrbi relinquunt.*

Eod. *Sp. Nautius Rutilius.*] Lege *Rutilus*, ex tabulis Capitolinis.

Eod. *T. Sergius.*] Legendum eſt *L.Sergius*. Nam in priore tribunatu, & in tertio, quem cepit ann. CCCXXXVII. *L.* appellatur à Liuio, itemque ab iis, qui Capitolinos tribunatus deſcripſerunt. Accedit quod Diodorus etiam in huius anni magiſtratibus exponendis Λεύκιον Σέργιον nominat, corrupte tamen pro Σέργιον.

Eod. *Sex. Iulius Tullus.*] Ex Capitolinis lapidibus, itemque ex Dionyſio, & Diodoro intelligi aperte poteſt, Iuliorum cognomen eſſe *Iulum*, non *Tullum*.

Cap.XXXVII. *Granatos ſomno epuliſque.*] Vet.lib. *graues ſomno, epuliſque.*

Eod. *Ab Romanis diſſonus, impar, ſegnis, ſæpe iteratus. incerto clamore prodidit pauorem animorum.*] Suſpectum habeo hanc dicendi formam: *Clamor diſſonus incerto clamore prodidit pauorem*. Malimque legi, *incerto tenore*. vt ſupra, *Quinque conſulatus eodem tenore geſti*. Et lib.8. *Fremitus æqualis, tenorque idem pugnæ.*

Cap.XXXIX. *Cum quo tegumen modo omnis exercitus fuerat, nuſquam viderent.*] Malim vt in vet.libris eſt: *Cum quid tegumen modo*, &c.

Cap.XLII. *Sex.Tempanium, A.Sellium, & Antiſtium, & Spurilium fecit.*] In duobus poſterioribus tribunis puto eſſe mendum, mouet enim me noua nominãdi ratio, quod *Tempanium*, de quo ante locutus eſt, prænomine ſuo afficiat, ignotos homines *Antiſtium*, & *Spurilium*, ſuo ſpoliet. Suſpicor autem prænomina horum latere in illis [illegible] vocibus, *Et, Et*. legẽdumque eſſe, *Sex. Tempanium*, *A. Sellium*, *Sex. Antiſtium*, & *Sex. Pompilium*: Nam *Sex. Pompilium* hoc anno cum *Antiſtio* tribunum poſt tradit Liuius, cum [illegible] quit: *Petentibuſque inter aliquot plebeios filio Antiſtij tribuni pl.* [illegible], & *fratre alterius tribuni Sex. Pompilij*. Noſtrã porro conie[c]tu[ram] adiuuat etiam Vetus lectio, quæ pro *Spurilio*, *Sex. Polium* ha[b]et. Errorem inde ortum puto, quod qui *Sex. Pompilium* ſcripſ[erat] [illegible]tus erat, *S. Pompilium* ſcripſit inde alius *Spurilium*.

Eod. *L. Papirius Mugillanus.*] Hic deeſt nom[en] quarti tribuni: Is eſt, *L.Seruilius Structus*: quem Liuius ann. CCCXXXVII. iterum fuiſſe tradit, nec tamen apparet quo anno primum fuerit, niſi hoc anno fuiſſe dicamus, quo tres tantum videmus tribunos militum nominari, cum iam quatuor quotannis cœpiſſent fieri. Multos autem etiam alios in vulgatis libris deſiderari infra oſtendam.

Eod. *Cn.Fabio Vibulano.*] *Numerius*, quod prænomen litera *N.* notatur, erat *Fabiis* familiare, vt oſtendi in prænominibus ex Feſti ſententia. Hic autem *Fabius Numerius* dictus eſt, auctoribus ſcriptoribus Capitolinis. Nota autem *Numerij, N.* vbique fere eſt per mendum in *Cn.* conuerſa.

Cap.XLIV. *L.Quintius Cincinnatus*, III. *Sex.Furius Medullinus iterum.*] Legendum eſt, *L.Furius Medullinus iterum*. Neque enim aut ante, aut poſt fit mentio *Sexti* eumſquam *Furij* tribuni militum, vt nunc iterum, aut primum eſſe poſſit. Fauent etiam coniecturæ noſtræ libri manuſcripti, qui, *L.Sex.Furius Medullinus*, habent. Sed quoniam tres per hos annos *L. Furij Medullini* tribunatum ceperunt, de quibus Liuio cum Capitolinis ſcriptoribus non conuenit, ne quis in errorem inducatur, omnes eos ordine explicabo; vt quiſque cauſam errandi agnoſcat, de qua Glareanus deſperauit. † Glareanus has nugas, non tanti facit, vt propterea deſperare velit. †

An.322. L.Furius Medullinus.
329. L.Furius Medullinus.
335. L.Furius Medullinus II. is qui vulgo Sex. dicitur.
348. L. Furius Medullin. II.
350. L. Furius Medullio. III.
355. L. Furius Medullinus.
357. L. Furius Medullin. III.
358. L. Forios Medullur. IIII.
360. L. Furius Medullio. V.
361. L. Furius Medullin. VI.
364. L. Furius Medullin. VII.

Eod. *A. Sempronius Atratinus.*] Glareanus legendum eſſe docet, *L.Papyrius*. Mouet eum, quod Liuius in ann.CCCXXXIX. *A. Sempronium Atratinum tertium*, ſcribit fuiſſe. cum tamen, *Quartum* fuerit ſcribendum, ſi idem hi nunc eſſet, *Tertium*. Verum errat. Nam qui fuit anno trecenteſimo decimo non eſt idem cum hoc. Id quod ex ſequenti ſtemmate Atratinorum intelligitur.

A. Sempronius Atratinus Cos.
ann. 257. & 263.

A.Sempronius Atratinus. Tr.mil.ann.310 — L.Sempronius Atratinus frater Auli. Cos.310. Dionyſ.

C.Sempronius Atratinus. ex Dionyſ. patruelis Auli. Cos. ann.331. male re in Volſcis geſta damnatus. — A.Sempronius L.F.A.N. Atratinus. Tr. mil. ann. 329. 335. 339.

Eod. *Pontifex Max. iocis abſtinere iuſſit.*] Nomen huius Pont.Maximi fuit *Sp. Minucius*, vt ait Plut. de vtilitate ex inimico capienda.

Cap.XLV. *Sp.Nautium annus.*] Lego *Sp.Nautium*, & *C.Seruilium*. Deſideratur enim nomen quarti tribuni militum *C. Seruilij*, qui eſt in tabulis Capitolinis.

Eod. *Nec tunc bellum parari.*] Vet.lib. *Nec dum bellum parari.*

Eod. *C.Seruilium Q.Seruilij Priſci filium.*] Lege, *C.Seruilium Priſci filium*: nam vbi patris cognomen illuſtre eſt, ſolet Liuius fere à cognomine patris filium indicare, vt ſupra, *T. Quintius Capitolini filius*. Item, *T. Quintius Cincinnati filius*. & infra, *Q.Fabius Maximi filius*. Huic etiam obſeruationi fauet hoc loco Vetus lectio, quæ ita, vt dixi, habet.

Cap.XLVI. *Halam Seruilium.*] Ex veteribus lapid. nummis, itemque ex aliquot manuſcriptis libris, *Ahalam* ſcribendum.

Cap.XLVII. *Capitis Lauici, ac deinde tribunis militum conſulari poteſtate Agrippa.*] Veteres plerique libri: *Ac deinde tribunis militum conſulari poteſtate creatis Agrippa*, &c.

Eod. *Et Sp.Rutilio Craſſo.*] Lege *Sp.Veturio*, ex Diodoro, qui Σπόριον Οὐετούριον habet, non Ῥουτίλιον. & recte. Nam *Rutilia* gens plebeia eſt: hic patricium tribunum mil. quærimus. Et vero *Craſſus* cognomen *Veturiorum*, non *Rutiliorum*.

Eod. *Sp. Nautio Rutilio. biennium.*] Hoc item anno deſideratur nomen quarti tribuni mil. Itaque lege *Sp. Nautio Rutilio, & Q. Fabio Vibulano, biennium.* Hic enim ab auctoribus Capitolinis, & à Diodoro in hunc annum editur. Intercidit autem, vt alij ſuperiores, librariorum vitio, non Liuij: quod ex eo intelligi poteſt, quod Liuius biennio poſt Q. Fabium Vibulanum iterum tribunatum accepiſſe, cum tamen, quando primum cepeit, numquam tradiderit, niſi hoc anno dicamus. Hæc autem quæſtio quantopere torſerit Glareanum, ex ſcriptis eius intelligi poteſt.

Cap. XLVIII. *Sp. Metilius quartum, & Metilius tertium.*] Puto legendum eſſe, *Spurij Metilius*, vt intelligatur ambos eos prænomine *Spurij* præditos.

Eod. *Prehenſantur à principibus.*] Vet. lib. *Prenſantur.*

Eod. *Ap. Claudius nepos eius, qui decemuir legibus ſcribendis fuit.*] Hoc loco nihil eram dicturus, niſi me ad hanc orationem ſuſcipiendam Glareanus impuliſſet, qui inquit, legendum eſſe: *Ap. Claudius filius eius, qui decemuir.* Mouetur autem Glareanus, quod auum ſuum hic memoret Ap. Claudium illum, qui primus ex Sabinis venit, quem abauum fuiſſet dicturus: ſi hic vere nepos decemuiri fuiſſet. Errat autem, quia non intelligit proauum ſæpe improprie poni, & Ciceronem ad Ap. Pulchrum, cum ſcriberet, Ap. Claudium Cæcum proauum eius vocaſſe, qui ne atauus quidem proprie dici poſſet. Quoniam autem is multos alios Liuij locos in his Claudijs malè habere putat, & ſine ratione, vt vno loco occurram omnibus, Claudiorum gentem hic vſque ad Ap. Claudium Cæcum exponam. † Glareanus de proprietate linguæ recte iudicauit. quod ſi auctor improprie locutus eſt, nil ad Glareanum. Sed vnde hic ingenium Sigonij, qui cum maiorem huius Genealogiæ partem ex Glareano habuerit, gratiam ſcilicet rependit conuitiis. †

Actius Clauſus.
Qui poſt Ap. Claudius. ex Sabini venit: auctor interceſſionis per tribunos pl. Cos. ann. 259.

Ap. Claudius Sabinus Cos. an. 281. — C. Claudius Sabinus Ap. F. Xuiri patruus, Cos. an. 292.

↓

Ap. Claudius Ap. F. Ap. N. Craſſinus Xuir an. 301. 302. 303. mortuus.

↓

Ap. Claudius Craſſus Tr. mil. 330. Idemq; Xuiri Filius & iuuenis à Liuio dicitur.

Ap. Claudius Craſſus Sabinus Regillenſis. Tr. mil. 332. Dictar. 393. Idem à Liuio dicitur ann. 339. minimus natu ex patrum concilio, & Xuiri nepos. Itemque in ann. 352. & 387. — P. Claudius Craſſus, de quo nihil accepimus.

↓ — ↓

C. Claudius Regillenſis Dictator ann. 418. — P. Claudius P. F. Craſſus, cos. an. 406.

Ap. Claudius C. F. Ap. N. Cæcus, cenſor ann. 442. Cos. an. 446. 456. — Ap. Claudius C. F. Ap. N. Caudex. Cos. 486. Cæci frater. Gell.

Cap. XLIX. *Duo bella inſequens annus habuiſſet.*] Vet. libri aliquot: *Duo aſſidua bella.*

Eod. *Quintius Cincinnatus, M. Fabius Vibulanus.*] Intercidit prænomen *Quinctij* culpa librariorum. neque enim probare poſſum id ipſum à Liuio fuiſſe omiſſum, cum reliquorum tribunorum prænomina non prætermiſerit. Porro autem *N. Fabius* ex tabulis Capitolinis legendum eſt.

Eod. *Volanis ſuæ gentis populo.*] Quod docui ante de *Lauicis*: idem dico de *Volis*. Nam modo *Bolas*, modo *Volas* apud auctorem hunc, ceteroſque ſcribi inuenio. Virgilius illud præterea affert, quod ſingulari numero hoc nomen prodidit, cum dixit: *Coramque, Bolamque.* Fuerunt autem oppida duo non admodum, vt videtur inter ſe diſtantia, *Bola & Bouilla*, quibus in nominandis mirum in modum deprauati Græcorum libri ſunt, vt Dionyſij & Plutarchi. Vterque enim eorum in bello Coriolani explicando, duo ab eo oppida Latinorum euerſa ſcribit, quorum prius Βολανῶν πόλιν, alterum Βῶλας vocant, non longe à Lauicis, & ipſi capti ab eo ſunt. Eſt autem mendum in voce Βῶλας, pro Βώλλας: Siquidem Stephanus ait, Βώλλαι oppidum Latinorum. Gentile nomen eſt Βωλλανὸν, vt tradit Dionyſ. lib. 8. Romanæ antiquitatis. Quod ipſum in eo libro non eſt, niſi Βώλλας non Βῶλας legamus. Idem mendum eſt etiam lib. 5. vbi populos nominat Latinos, qui in populum Rom. coniurauerant; inquit enim Ἀλκανῶν Βωλανῶν pro Βωλλανῶν. Quod ex Floro intelligi poteſt, qui in eius belli expoſitione ait, *De Bouillis etiam triumphatum.* Eandem vicinitatem agnoſcit etiam Cicero pro Plancio, cum ait: *Lauicana, aut Bouillana vicinitas.* De *Bola* autem ſic Stephan. Βῶλα πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Βωλανός.

Eod. *Volis in ſequente anno receptis Aequi, coloniaque eo deducta, nouis viribus oppidum firmarunt.*] Vox *Aequi* non ſuum videtur tenere locum, ſi pleriſque manuſcriptis libris credimus, verum hoc ordine legenda: *Volis in ſequente anno receptis, coloniaque eo deducta Aequi nouis, &c.*

Eod. *M. Poſtumio Regillenſi.*] Capitolina monumenta vna cum veteribus libris, *P. Poſtumio edunt.*

Eod. *Praua mentis homini, quantum victoria magis, quam bellum oſtendit.*] Vet. lib. *Quam tum*, diuiſis vocibus habent.

Eod. *Incipite deinde mirari.*] Venuſtior antique lectio: *Incipite demum mirari.*

Cap. L. *P. Sextius.*] *P. Seſtius* legendum: eſt enim patricius; *Sextij* autem plebei, vt diximus.

Cap. LI. *Iacere tam diu irritas actiones, quæ de ſuis commodis ferrentur.*] Placet magis vox, *ſanctiones*, quæ reprobata eſt à Rhenano. dictum eſt enim ferre *ſanctionem*, vt *legē* non *actionem*.

Eod. *Quos vt teneret pertinacem nobilitatem eſſe.*] Placet etiam magis huius loci priſca lectio: *Quos vt teneret.*

Eod. *Oppidum reliquerunt.*] Lege *reliquerant*, ex Vet. lib.

Cap. LII. *C. Furio Pacilio.*] *Paculo*, vt dixi.

Eod. *M. Papirio Atratino, C. Nautio Rutilio conſulibus.*] Legendum eſt, *M. Papirio, C. Nautio Rutilo.* Diodorus enim in hunc annum Μάρκον Παπίριον. Caſſiodorus *M. Papirium* edit. Quod autem cognomen *Atratino* delendum ſit, intelligi poteſt partim ex eo, quod *Atratinus* non *Papiriorum*, ſed *Semproniorum* cognomen eſt: partim ex eo, quod in veteribus libris *P. Atratinus* pro *M. Papirio* legitur, vitioſe. fuit autem hæc cauſa vitij. Qui enim *M. Papirius* erat ſcripturus, *M. Patratinus* ſcripſit, quomodo apud Dionyſium eſt etiam ἀτράτινον pro παπίριον: Quem errorem cum alij tollere vellent, *M. P. Atratinus* ſcripſerunt. Ne autem duo prænomina vni tribuerentur, demum *P. Atratinus* manſit. Fuiſſe autem huius conſulis cognomen *Mugillanum*, non *Atratinum*, oſtendit etiam tabula quædam antiqua, in qua bini conſules in ſingulos annos ſuis tantum cognominibus nominati ſunt: cuius ſæpe teſtimonium profert Cuſpinianus. Ea enim ita hos conſules edit, *Mugillano & Rutilio.* Quorum illud eſt *Papirij*, hoc *Nautij* conſulis, *M.* autem *Papirius Mugillanus* ante trib. mil. fuit.

Eod. *Cum in legationes non plus ſingulis ſenatoribus inuenientes, coacti ſunt binos equites adiicere.*] Veteres aliquot libri; *non plus ſingulis ſenatoribus miſſis inuenientes*, recte nam paulo ante dixit, *Dimiſſis circa omnes populos legatis.*

Cap. LIII. *M. Aemilio, C. Valerio.*] Scribe *M' Aemilio*, ex Capitolinis tabulis, & Diodoro, qui Μάνιον Αἰμίλιον nominat.

Eod. *M. Menenius tribunus pleb.*] Scribe *M. Menius*. Gens enim *Menenia* patricia eſt, *Menia* plebeia. Infra autem ita e-tius oſtendam pro *Menio Menenium* in plebeio Dictatore eſſe mendoſe. Hæc cum ita emendaſſem, inſpexi librum etiam veterem ita habentem.

Eod. *Arcem Caruentanam.*] Stepb. Καρουεντανῶν Ἀκτίων. τὸ ἐθνικόν, Καρουεντανός.

Eod. *Detrectantibus militiam inhibenti.*] Pro *inhibenti*, quidam libri habent, *ferenti*, & recte. Verba autem ſic ordinantur: Nouem tribuni ex collegij ſententia pronunciauerunt ſe auxilio futuros aduerſus interceſſionem collegæ C. Valerio conſuli damnum aliamque coërcitionem ferenti detractantibus delectus cauſa militiam.

Cap. LIV. *Vni patricio C. Fabio Ambuſto.*] ex Capitolino huius tribunatu *N. Fabio* eſt ſcribendum.

Eod. *Auctores ſuiſſe tam liberi populo ſuffragij Icilios accipio &c. his multarum magnarumque rerum.*] Aut oratio inconſequens eſt, aut tollenda eſt vox, *Hi*, quæ non eſt in quibuſdam libris.

Eod. *Pro ingenti itaque victoria id plebi fuit, quæſturarumque, non honoris ipſius finem æſtimabant.*] Melior antiqua lectio, *Quæſturam namque non honoris.*

Cap. LV. *Neue quis reficeretur in annum tribunus pleb.*] Vet. aliquot lib. *reficeretur in annum ſequentem.*

Eod. *Conſules ambo.*] Vet. libri quidam, *Ceterum conſules ambo.*

Eod. *Verruginem in Volſcis eodem exercitu receptam.*] *Verrugo* Volſcorum arx, *Caruentana* Æquorum fuit. Ceterum non apparet, quando amiſſa *Verrugo* ſit, cum tamen receptam eſſe eam hoc anno ſcribat. Valerius Maximus C. Sempronium conſulem malè rem geſſiſſe in Volſcis apud *Verruginem*, ſcribit, de qua clade etiam loquitur ſupra Liuius.

Eod. *C. Iulius Tullus.*] *Iulius Iulus*, vt dixi.

Eod. *Cn. Cornelius Coſſus.*] Libri omnes veteres, præterea Diodorus *P. Cornelium* edunt, non *Cn. Cornelium*.

Eod. *Tædio ſordium in quibuſdam inſignium populum à plebeis auertiſſent.*] Alij libri ita habent. alij pro *inſignium* habent *inſcium*. Ego autem vtramque vocem retinendam eſſe puto, vt legatur, *Tædio ſordium in quibuſdam inſignium inſcium populum à plebeiis auertiſſent.*

Cap. LVII. *Et ſi maneat in ſententia ſenatus, dictatorem nocte proxima dicturum, ac ſi quis intercedat, Senatuſconſulti auctoritate ſe fore contentum.* Neſcio an locus alius aut pulchrior ſit aut obſcurior, cuius quæ ſit ſententia, iure ſe ignorare Glareanus profitetur. † Glareanus fatendo ingenue quod ignorabat, bene fecit, ac ſignoio cogitandi occaſionem dedit. quare humanis cum eo agendum erat. † Quis enim ſenſus ex tam nodoſis & malè interpunctis verbis elici poſſet? Sic igitur lege: *At ſi quis intercedat Senatuſconſulto, auctoritate ſe fore contentum.* Particulam: *At*, habent veteres libri: reliqua Romani moris obſeruatione ſunt comparata. Nam inter *ſenatus conſultum* & *ſenatus auctoritatem*, illud intereſſe comperio; quod *conſultum decretum* ſit ratum magis, quam *auctoritas*. Nam ſi forte ſenatores omnes, qui vocati erant, non conueniſſent, habebatur ſenatus ille quidem, & quod decretum erat ſcribebatur, at ſcitum tamen id pro imperfecto, nec rato habebatur: verum auctoritas ſcribebatur tantummodo, vt ſenatorum voluntas, atque iudicium de re extaret. Quoties autem nec legitimo in loco, nec die idoneo, nec edicto legitimo, ſed ambitioſè conuocatus ſenatus eſſet, aut tribunus pleb. interdixiſſet, tum vero conſultum ſenatus non poterat fieri, ſed ea auctoritas dicebatur. Quæ vero dico, ea ex Dionis ſententia dico, lib. 55. Εἰ δὲ δή ποτε ἐν συντυχίᾳ τινὶ μὴ συλλεχθεῖεν, ἐβουλεύοντο μέν, καὶ ἡ γνώμη συνεγράφετο. οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλ' αὐκτώριτας ἐγίγνετο ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα ᾖ. τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος δηλοῖ. ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπαξ ἀδύνατόν ἐστι. τὸ δὲ αὐτὸ τοῦτο καὶ εἴ ποτε ἐν τόπῳ μὴ νενομισμένῳ ἢ ἡμέρᾳ μὴ καθηκούσῃ, ἢ καὶ ἔξω νομίμου παραγγέλματος συνεδρεύσειαν ἠθροισμένοι, ἢ καὶ ἐναντιωθέντων τινῶν δημάρχων. τὸ μὲν δόγμα ἐκ τοῦ αὐτοῦ τελεσθῆναι, τὴν δὲ γνώμην σφῶν οὐκ ἠβούλοντο ἀποκρυφθῆναι. ἐγίγνετο καὶ αὐτὴ μετὰ τοῦτο ἡ κύρωσις κατὰ τὰ πάτρια ἐπηγάγετο. καὶ ἡ ἐπίκλησις τοῦ δόγματος ἐπεφέρετο. Hic idem mos explicatur etiam in epiſtola Cœli. *Quod e M. Marcellus v. f. de prouinciis.* D. E. R. I. C. *Senatum exiſtimare, neminem eorum, qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi moram afferre opportere, quo minus de rep. quam primum ad ſenatum referri.* S. Q. C. *fieri poſſit. Qui impedierint* [...] *ſenatum exiſtimare contra remp. feciſſe: ſi quis huic* S. C. *interceſſerit; ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum populumque referri.* De ſenatus autem conſulto faciendo, idem ita: *Senatuſconſultum factum eſt. auctoritates perſcriptæ prid. Kal. Octob. in æde Apollinis, ſcribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, &c.* Et ad Lentulum Cicero lib. I. *De his rebus ſenatus auctoritas grauiſſima interceſſerat, cui cum Cato & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta.* Hinc legimus etiam apud Liuium, dictatorem modò factum ex ſenatuſconſulto modo ex auctoritate ſenatus, cum tamen non ſit idem. His verbis ſatis & Liuij locum emendatum, & quid ſit *ſenatus* cum, *auctoritas*, tum *conſultum*, declaratum puto.

Eod. *Felicitate, quam gloria maior in vrbem rediit.*] Vet. lib. *Felicitate, quam gloria maiore*, Quæ locutio vetuſta eſt, & bonis ſcriptoribus vſitata.

Eod. *Cn. Fabius Vibulanus.*] Lege *N. Fabius Vibulanus* ex monumentis Capitolinis, & ex Diodoro, qui Νεμέριον Φάβιον edit.

Cap. LVIII. *In ſenatu magis, quam tribunis.*] Vet. lib. *quam in tribunis.*

Eod. *Cn. Fabio Ambuſto.*] Scribe item *N. Fabio Ambuſto*, ſecutus & marmora Capitolina, & Diodorum. Vixerunt autem hoc tempore duo Numerij Fabij, alter Vibolanus Q. F. alter Ambuſtus M. F. Quod vt omnes ita eſſe intelligant, Fabiorum ſtemma ſubiungam, ex Liuij, Dionyſij, Diodori, auctorumq; Capitolinorum ſententia vſque ad Q. Fabium Maximum Rullianum:

K. Fabius Vibulanus.

K. Fabius K. F. Vibolan. Cos. 268. 271. 273. — M. Fabius K. F. Vibulan. Cos. 269. 272. — Q. Fabius K. Vibulan. Cos. 267. 270.

Q. Fabius M. F. K. N. Vibulan. qui puer ad Cremeram ſuperfuit CCCVI. Fabiis interfectis. Cos. 285. 287. 294. Xuir. 302. 303.

Q. Fabius Q. F. M. N. Vibulan. Cos. 331. Tr. mil. 339. 341. — M. Fabius Vibulanus Cos. 312. Tr. mil. 321. — N. Fabius Q. F. M. N. Vibulan. Cos. 333. Tr. mil. 340. 348.

M. Fabius Ambuſtus, de quo nihil. — Q. Fabius Ambuſtus. Cos. 343. — N. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus. quæſt. 346. Tr. mil. 349. — K. Fabius M. F. Q. N. Ambuſtus Tr. mil. 351. 354. 360.

Q. Fabius cum duobus Fabijs Fratribus M. Amboſti F. legati ad Gallos, Tr. mil. 365. (ſon of M. Fabius Ambuſtus)

M. Fabius N. F. M. N. Ambuſtus Cos. 395. 399. 401. Dict. 409. (ſon of N. Fabius Ambuſtus)

Q. Fabius M. F. N. N. Maximus Rullianus Cos. 431.

M. Fabius K. F. M. N. Ambuſtus Tr. mil. 375. 386. Pont. Max. ſocer Stolonis. (ſon of K. Fabius Ambuſtus)

M. Fabius Ambuſtus mag. eq. 432.

Eod. *Lars Tolumnius.*] *Lar Tolumnius* eſt in veteribus libris, atque ita ſcribendum eſſe ex Chariſij, Priſciani & Seruij nobilium Grammaticorum auctoritate doceri, in Prænominibus.

Eod. *Prehenſantesq; veteranos.*] Vet. lib. *Prenſantesq;*

Eod. *Profertur tempus ferundæ legis, quam ſi ſubiecta inuidiæ eſſet, antiquari apparebat.*] Legem intelligit, non de conſule ex plebe creando, quæ poſt tribunos mil. creatos refrixit, relataque poſtea eſt à L. Sextio, & C. Licinio tribunis pl. verùm legem de bello Veientibus indicendo.

Cap. LX. *Cum commoditas iuuaret rem familiarem, ſaltem acquieſcere eo tempore, quo corpus addictū atq; operatum reipub. eſſet.*] Suſpectum habet verbum, *Acquieſcere*, Glareanus, quaſi vero non lib. 5. ita locutus ſit Liuius: *Vt feſſa diutino bello acquieſceret ciuitas*, id eſt, *quieſceret*. Quid † dicis Sigoni? Non exponit etiam Glareanus *acquieſcere* pro *quieſcere*? Imo vero facit. †

Eod. *Neque id etiam ſi ceteri ferant, paſſuros eos.*] Vet. lib. *Neque enim id.* Quod placet.

Eod. C. *Iulius Tullus.*] *Iulius Iulus*, vt dixi.

Eod. *A. Manilius.*] *A. Manlius* ex tribunatu huius Capitolino: præterea *Manlij* plebeij, hic patricium quærimus. Item *Aulus* prænomen eſt *Manliorum* non, *Maniliorum*.

Eod. *M. Æmylius Mamercus.*] *M' Æmylius Mamercinus* ex tribunatu huius Capitolino.

Cap. LXI. *M. Sergium Fidenatem.*] Scribe *M' Sergium* ex tribunatu eius Capitol. & ex Diodoro, qui Μάνιον Σέργιον hunc vocat: præterea ex veteribus libris, qui *Manlium Sergium* habent. Fuiſſe autem *Sergiorum* prænomen *Manium*, argentei nummi indicant, qui multi cum apud alios, tum apud clariſſimum patrem tuum ſunt, cum his literis, *M' Sergi. Silus.*

Eod. C. *Fabium Ambuſtum.*] Diodorus hunc Καίσωνα Φάβιον vocat, id eſt, *Cæſonem Fabium*, itemque Capitolini ſcriptores, apud quos eſt hoc anno *K. Fabius*. Quare ita legendum eſt.

Eod. *Seruius Romanus vocitatus.*] Vet. lib. *Seruus.*

Eod. *Sed eam reges Romani deleuere.*] Vet. lib. *Diruere*: vt lib. *Reſtitutaq; vrbs quam Latini diruerant.*

IN EPITOMEN LIB. V.

C*Vm inundatio in lacu Albano facta eſſet.*] Vet. lib. *Ex lacu Albano.*

Ab hoſtibus captus eſt.] Vet. lib. *de hoſtibus*, præclare: erat enim vates ille vnus ex hoſtibus.

Cum alter ex cenſoribus Iulius deceſſiſſet.] Vet. lib. *C. Iulius*. itemque Liuius.

L. Apuleo.] *Appuleius*, duobus *pp.* ſcribi debet, ſi ſequimur nummos argenteos, & lapides Capitolinus.

Ad Alliam.] *Aliam* ſcribendum vno *l*, & *Dies Alienſis*. Hanc enim habent ſcripturā plerique veteres libri, item Græci ſcriptores: περὶ Ἀλίαν ποταμὸν, & Ἀλιάδα ἡμέραν, vt Plutarchus. Seruius etiam in 7. Æneidos docet à Poetis *Alliam* duobus *ll*, dici metri cauſa: vt *Relliquias*.

In quod ſe iuuenes contulerant.] Veteres libri, *In quod ſe iuuentus contulerat.*

Inter pendendum aurum.] Vet. lib. *Inter ipſum colloquium, quo de pacis conditionibus agebatur.*

Ædes loquutio facta.] Liuiani libri veteres *Alloquutio* habēt. Hunc Deum Gellius lib. 16. c. 17. *Aium* vocat. Cicero de Diuin. *Aium loquentem*. ex quo ego ſuſpicatus ſum, *Aioloquuto* & hic, & apud Liuium eſſe legendum. Verba Ciceronis ſunt hæc, lib. 2. *At paulo poſt audita vox eſt monentis, vt prouiderent ne a Gallis Roma caperetur, ex eo Aio Loquenti aram in noua via conſecratam. quid ergo? Aius iſte Loquens, quando eum nemo norat, aiebat, & loquebatur, & ex eo nomen inuenit, poſteaquam & ſedem, & aram, & nomen inuenit, obmutuit?* Plutarchus in Camillo Φήμην καὶ Κληδόνα vertit.

IN LIBRVM V.

C*Ap. I. M. Æmilius Mamercus iterum.*] Lege *M' Æmilius Mamercinus iterum*: ſic enim ſcriptum eſt in primo & tertio huius tribunatu Capitolino, & apud Diodorum.

Eod. *M. Iulius Tullus.*] Scriptores Capitolinorū tribunatuū *L. Iulium Iulum* vocant Diodorus item Λεύκιον Ἰούλιον Ἴουλον.

Eod. *M. Furius Camillus. M. Poſthumius Albinus.*] Nemo eſt, qui non *M. Furium Camillum* tribunum militum hunc eſſe putet, qui poſt Dictator Gallos vrbe expulit. Ita eos ſentire, argumento eſt, quod & tertium, & ſeptimum tribunum hunc poſthac contra auctoritatem veterum librorum ſcripſere, huic annum numerantes. Errare autem eos oſtendam, ſi prius tribunatus Camilli, prout in vulgatis habent libris, appoſuero.

An. 352. M. Furius Camillus cum M. Poſtumio Albino vnus ex octo.

354. M. Furius Camillus iterum.

357. M. Furius Camillus tertium.

361. M. Furius Camillus ſine nota numeri, Faliſcos vicit.

370. M. Furius Camillus, ſine nota numeri, Sutrium recepit.

372. M. Furius Camillus quintum.

375. M. Furius Camillus ſeptimum.

Quæ, malum, eſt iſta emendatorum inſcitia, qui, ſi ſeptem tribunatus Camilli numerarunt, non anno CCCLXXII. *ſextum* correxerint, pro *quintum*? Itaque quoniam Camillus in libris veteribus inuenitur eſſe tribu. mil. ann. CCCLVII. *iterum*, non *tertium*, & CCCLXXV. *ſextum* non *ſeptimum*: quoniam item Plutarchus, CCCLVII. cum capenatibus cum pugnaſſe tribunum mil. τὸ δεύτερον, non τὸ τρίτον ait, quo anno vterque prodigium Albani lacus exponit. & anno CCCLXXV. eundem Camillum *ſextum* tribunatum geſſiſſe narrat, non *ſeptimum*: quo anno L. Furium collegam infeſtum habuiſſe vterque tradit. præterea vero quoniam inter Capitolinos huius anni tribunos non *M. Furius Camillus* numeratur, ſed *M. Furius Fuſus Camillus* autem cum *M. Poſthumio Albino* cenſuram hoc anno geſſiſſe ſcribitur, propterea non videtur eſſe dubitandum, quin principium tribunatuum Camilli non ab hoc anno, ſed ab an. CCCLIV. ducamus, quo anno aperte apparet, inſignem illum Camillum in magiſtratu fuiſſe, hoc autem anno non illum, ſed alium *M. Camillum* minus ſtrenuum tribunatum geſſiſſe dicamus, quippe qui nihil in magiſtratu geſſiſſe traditur. Quare ita diſpone & corrige:

An. 352. M. Furius Camillus alius à Dictatore.

354. M. Furius Camillus, qui poſt Dictat.

357. M Furius Camillus II.

361. M. Furius Camillus, ſine nota numeri.

370. M. Furius Camillus ſine nota numeri.

372. M. Furius Camillus V.

375. M. Furius Camillus VI.

Eod. *Alia frons in Etruriam ſpectans.*] Glareanus notat hunc locum, vt vitioſum, ſine cauſa: Nihil enim habet mēdi, quamquam obſcuritatis non parum. Glareanus † non dicit locum vitioſum, ſed mutatum dicendi genus, id quod verum eſt; nec mendi vllam facit mentionem: Imo Sigonius hic fatetur obſcuritatis non parum huic adeſſe loco. † Romanis, inquit, cum ad Veios caſtra haberent, etſi nunciabantur quietæ res ex Etruria, ita vt ſubſidio eos ab Etruſcis adiutum iri non timerent, tamen muniebant ita, vt vna munimenti fronte Veientium eruptionem ex vrbe impedirent, altera auxiliis, ſi qua ab Etruſcis forte venirent, aditum obſtruerent. ſic enim poſt Appius loquitur: *Munitiones non in vrbē modo, ſed in Etruriam etiam ſpectantes, ſi qua inde auxilia veniant, oppoſuere.* Ergo recte ait: *ancipitia munimenta erant, alia erant in vrbem verſa, alia frons ſpectans in Etruriam opponebatur auxiliis, ſi qua forte inde venirent.*

Cap. II. *Sub pellibus durare ne hyemis quidem ſpatio, qua omniū bellorum terra mariq; ſit quies, arma deponētem.*] Liuius libro trigeſimo ſeptimo. *Aut ſub pellibus habēdos milites eſſe, aut ſi concederent hyberna velleus, differendum eſſe in æſtatem bellū.* Et Cicero in Lucullo: *Vt non multum imperatori ſub ipſis pellibus otij relinquatur.* His Hybernacula, vel tabernacula pellibus contecta

Digitized by Google

ſignificantur. Siquidem tecta caſtrenſia *Tabernacula* vocantur, licet tentoriis, aut pellibus contegantur aut fiant. Vnde *contubernales* vocati ſunt, auctore Feſto. Ex hoc loco *Hyberna*, & *hybernacula* inter ſe differre, & quid differant, intelligitur.

Cap. III. *Quam diſſoluendæ maxime tribuniciæ poteſtati rentur eſſe.*] In vetuſtis pleriſque libris legitur, *poteſtatis*, in caſu gignendi, non *poteſtati*. Quam lectionem probat Rhenanus, non intelligens viſitatam hanc lectionem hiſtoricis eſſe, vt dicant: *Eſſe alicuius rei faciendæ*, pro pertine ad rem illam faciendam. Sic loquitur Liuius lib. 3. *Quod vnum exæquandæ libertatis eſſet*. Et libr. 39. *Nihil æque diſſoluendæ religionis eſſe*. Et Saluſtius in concione Lepidi: *Et omnia retinendæ dominationis honeſta æſtimet*. Et Liuius lib. 27. *Eu prodendi imperij Romani, tradendæ Annibali victoriæ eſſe*: Ergo *poteſtatis* retinendum.

Cap. IV. *Nos tanquam cum ciuibus agere volumus.*] Vet. lib. *At nos tanquam cum.*

Cap. VI. *Adeo quicquid tribunus plebis loquitur, & ſi prodendæ patriæ, diſſoluendæq; reipub. eſt, aſſuetis audire, & dulcedine poteſtatis eius captis qualibet ſub ea ſcelera latere ſinitis.*] Veteres libri alij habēt, *aſſueſtis qui audire, & dulcedine*. Alij, *aſſueſtis quippe audire, dulcedine*. Ex quo intellexi legendum eſſe, *aſſueſtis audire quippe dulcedine poteſtatis eius captis*. Quod enim dixit: *Et ſi prodendæ patriæ*, pro *quamuis* accipiendum eſt.

Cap. VII. *Et equis certus numerus æris eſt aſſignatus.*] Veteres libri *Equiti*.

Eod. *C. Seruilium Halam.*] *Ahalam*, vt dixi.

Eod. *M. Sergium iterum.*] *M' Sergium iterum*, vt ſupra.

Cap. VIII. *Q. Seruilium, P. Virginium.*] Veteres libri aliquot habent, *P. L. Virginium*. Diodorus Λεύκιον Οὐεργίνιον. Ex quo *L. Virginium* puto legendum, præſertim vero, cum nuſquam aliàs *Publij* prænomen in *Virginia* gente repetiatur, *Lucij* autem frequentiſſime. Accedit, quod ſequenti anno inquit Liuius: *Fortunaſq; L. Virginij, ac M' Sergij ſit execratus*, cum de hoc loquatur.

Eod. *Nec ſuis munimentis arcere iam vim.*] Vox, *iam*, non eſt neque in iis, quos ego legi libris, neque in iis, quos ſe legiſſe Rhenanus profitetur.

Eod. *Vt quoſq; ſtudium aut gratia occupauerunt, adſunt.*] Vet. lib. *occupauerat*.

Cap. IX. *M. Furio Camillo iterum.*] Tolle vocem *iterum*: nam, vt dixi ante, hic eſt primus tribunatus Camilli Dictatoris.

Eod. *M. Æmilio Mamerco tertium.*] Lege *M' Æmilio Mamercino tertium*, ex tertio huius tribunatu Capitolino.

Eod. *C. Fabio Ambuſto.*] Diodorus Καίσωνα Φάβιον Capitolini auctores *K. Fabium* ſcribunt. Eos igitur ſequuti *K. Fabio Ambuſto* corrigimus.

Eod. *L. Iulio Tullo.*] *L. Iulio Iulo*, ex capitolinis lapidibus.

Cap. X. *Romæ ſimul delectu, ſimul tributo conferendo laboratum eſt.*] Lege ex Vet. lib. *Simul de delecta*.

Eod. *Vnum bellum annum iam tertium trahi.*] *Annum quintum* emendandum eſſe cenſet Glareanus, quia *quinto* ante *anno* Veij obſideri cœpti ſint. Non intelligit autem tribunos plebis, quorum hæc oratio eſt, non habere rationem eius anni, verùm anni ante tertij quo primum Veiorum obſidendorum cauſa hibernacula facta ſunt, quod plebs indigniſſimè tulit. Itaque ab eo anno trahi bellum inquiunt.

Eod. *Poſtquam obtineri non poterat, tamen labefactanda legis tribuni: ie cauſa effectum eſt.*] Veteres libri: *Tum labefactandæ.*

Cap. XI. *Tribuni pl. C. Lacerius.*] Pleri que libri habent *C. Lacerius* aliquot etiam *C. Lucretius*. *Lucretios* autem conſtat & patricios, & plebeios fuiſſe.

Eod. *Is quod petiſſent patres.*] Pendet oratio à *Vociferans*, vſq; ad *Arguere*: eſt autem *Vociferans arguebat*.

Eod. *Tamen tribunos militum expugnaſſe.*] Vet. lib. *Tum tamen tribunos militum*.

Eod. *P. Curatius.*] Vet. lib. Omnes, *Curatius*. Fuit autem *Curatia* gens & patricia & plebeia. Itaque & hic & alius. *P. Curatius*, Naſica & Bruto conſulibus tribuni pl. fuerunt. Epit. lib. 55.

Eod. *Compacto eam rem, & communi fraude patriciorum actum.* Aliquot libri, *Conſpecto*. Alij, quibus aſſentior *ex compoſito* habent, pro *compacto*, ſic infra: *Clariſſimus virus ex compoſito præparatus ad petendum.*

Eod. *L. Virginij, ac M. Sergij.*] *M' Sergij*, vt dixi.

Eod. *Minime conuenire, quibus iratos quiſque deos precatus ſit, in iis ſua poteſtate cum liceat & oporteat, non vti.*] Veteres libri habent, *Summa poteſtate*, atque ita ſine dubio legendum eſt.

Cap. XII. *M' Æmilius & Q. Fabius*] Lege, *M' Æmilius, & K. Fabius*. Hic eſt enim qui in comitiis huius anni deſcribendis à Liuio *C. Fabius* vulgo dictus eſt, itaque ſatis mirari non poſſum, cur hos locos emendatores iſti non cōcordarint. Nos autem ſupra huius correctionis rationem reddidimus.

Eod. *P. Manlius, & P. Titinius, P. Melius, L. Furius Medullinus, L. Popilius Volſcus.*] Nomina horum tribunorum pleraq; vitioſe habēt. Quod ex Diodoro, & ex Capitolinis tribunatibus intelligi poteſt. Nam veteres libri nulla in re alia diſſentiunt à vulgatis, niſi quod quidam habent *P. Manlius, P. Titinius*, ſine particula. *Et*, quod etiam placet. Diodorus autem ita habet: Πόπλιον. Μάλλιον, Μαίνιον, Σπόριον, Φούριον Λεύκιον, καὶ Τιτίνιον τρεῖς in ſecundo horum tribunatu Λεύκιον, Τιτίνιον, Πόπλιον: Λικίνιος, Πόπλιος Μαίλιος Κοίντος Μαίνιος, Γναῖος Γενύκιος, Λεύκιος Ατίλιος. Ergo legendum eſt *P. Manius L. Titinius, P. Melius, L. Furius Medullinus*. Cum autem Diodori liber Μαίνιον, modo Σπόριον, modo Κοίντον nominet, nos tamen *P.* retinendum eſſe putamus, quod prænomen *Mænius* familiare eſſe reperimus: Porro autem *L. Publilius* non *Popilius* legendum eſt: Quod & tribunatus eius Capitolinus oſtēdit, & *Vulſci* cognomen quod *Publiliorum* eſt, non *Popilliorum*. Cum autem Liuius dicat vno *P. Licinio* excepto, reliquos ex his tribunos militum patricios eſſe, *Titinium* etiam, & *Manium*, & *Mænium*, & *Publilium* patricios eſſe intelligamus neceſſe eſt, cum tamen nuſquam aliàs patricios eos eſſe apparet.

Eod. *Alij Cn. Cornelij fratris.*] *P. Licinius* ex plebe vir, nō erat frater *Cn. Cornelij* patricij ex eadem matre, quod eadem nupſiſſet primum plebeio, poſt patricio poſt communicata plebis & patrum connubia, vt tradit Glareanus. Qui enim potuit *P. Licinius* iam extrema ſenectute vir ex eadem matre natus, quo *Cn. Cornelius*, poſtquam plebi patriciorum ſunt impertita connubia, cum hoc niſi annos ante XLV. conceſſum ſit. Verum frater erat *P. Licinij Cn. Cornelius*, ita vt ex iiſdem parentibus natus eſſet ille quidem, ſed in *Corneliam* gentem eſſet adoptatus, adeo vt modo *Cn. Cornelius Coſſus*, modo *Licinius Coſſus* diceretur, perinde atque *M. Brutus M.* etiam *Brutus Cæpio* dicebatur, quod à *Cæpione* adoptatus eſſet. Hoc autem ita eſſe, ex Plutarcho didici, qui in Camillo legatos tres Delphos miſſos ait, *Licinium Coſſum, Valerium Potitum, & Fabium Ambuſtum*, eoſdem prope qui collegæ etiam in tribunatu mil. fuiſſe à Liuio traduntur.

Cap. XIII. *P. Licinius, vt cœperat, haud tumultuoſa magiſtratum maiore gaudio plebis, quam indignatione patrum, ita etiam geſſit.*] *Ceperat*, à *capio*, non à *cœpi* legendum eſt: & *ceperat haud tumultuoſe magiſtratum*, ſcribendum eſt ſublato commate.

Eod. *L. Titinium, P. Menenium Racilium, C. Genutium, L. Atiliam.*] Hoc anno *M. Veturium* patricium reliquos ex plebe tribunos militum creatos eſſe ſcribit Liuius, *L. Titinium, P. Menenium Racilium, Cn. Genutium, L. Attilium*. Pro his autem nominibus in omnibus vetuſtis libris hæc inuenio: *M. Veturius, M. Pomponius, C. Duilius, Volero Publilius, Cn. Genucius, L. Attilius.* Itemque apud Diodorum: Γναῖος Γενύκιος, Λεύκιος Ἀτίλιος, Μάρκος Πομπώνιος Γάιος Δυίλλιος, Μάρκος Οὐετούριος, Οὐολέρων Πουπλίλιος. Quapropter ego ſatis mirari non poſſum, cur hic locus contra auctoritatem omnium monumentorum ſit vitiatus, & alij tribuni ſint inuecti, qui nunquam fuerunt. Sequamur igitur antiquam lectionem, vulgatam autem, in qua ne omnium quidem tribunorum nomina exprimuntur reijciamus. De *Volerone Publilio* extat etiam fragmenti Capitolini teſtimonium. Porro autem *Atilios* vno *t*, ſcribi oportere docent & veteres libri, & Græci ſcriptores, & Capitolini lapides, & etymologia vocis. Ab *Atiis* enim orti ſunt. *Atij* autem ab *Ati*. Vnde Virgilius: *Alter Atis, genus vnde Atij duxere Latini.*

Cap. XIV. *M. Furium Camillum tertium.*] Vet. lib. *Iterum*: Plutarchus etiam hoc anno, quo lacus Albanus inundauit agros, Camillum fuiſſe τὸ δεύτερον ait, vt ſupra oſtendi.

Cap. XV. *Prodigia interim multa nanciari.*] Pleri que libri veteres *Nunciata*.

Cap. XVI. *L. Iulius Tullus.*] *Iulus*, vt ante.

Eod. *A. Manilius.*] *A. Manlius*, ex Capitolinis tribunatibus.

Eod. *Magiſtratum inierunt.*] *Ineunt.* Vet. lib.

Eod. *Cetera bella, maximeq́; Veiens incerti exitus erant.*] Vet. lib. *In cetera bella.*

Cap. XVIII. *P. Licinium Caluum prærogatiua tribunũ militum non petentem creant.*] Vet. lib. habent, *Tribunum milit. conſulari poteſtate non petentem.* Ceterum *prærogatiuæ*, non *prærogatiua* legendum eſt. Nam quæ primæ tribus ſuffragium inibant, *prærogatiuæ* dicebantur, quod primæ *rogarentur*, quos vellent conſules fieri, ſecundæ iure vocatæ, quod in his ſequente populo, vt ſæpe contigit, prærogatiuarum voluntatem, iure omnia complerẽtur, vt ſcribit Pædianus in ſecundam Verrinam, ſic lib. 10. *Eumq́; prærogatiua, & primò vocata omnes centuriæ conſulem dicebant.* Erat autem vna iuniorum prærogatiua, altera ſeniorum. Quod ex alijs locis intelligi poteſt. Prærogatiuæ autem ſorte educabantur.

Eod. *Omneſq́; deinceps ex collegio eiuſdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genucium, L. Atilium.*] Veteres libri nihil diſſentiunt à vulgatis, niſi quod non *P. Menenium*, ſed *P. Manium* habent. Diodorus autem, vt ante dixi, hæc edit nomina Λεύκιον Τιτίνιον, Πόπλιον Λικίνιον, Πόπλιον Μαίλιον, Κοΐντον, Μάλλιον, Γναῖον Γενύκιον, Λεύκιον Ἀτίλιον. Quare cum quinq; tantum tribunorum nomina ſint in libris Liuij: pro *P. Menenio, P. Manium, P. Malium* reponendum eſt, præſertim vero cum ſcribat: *Omneſq́; deinceps ex collegio eiuſdem anni refici apparebat.* Sunt enim *omnes ex eodem collegio* præter *Cn. Genucium, & L. Atilium*, & rectè: non enim ait *omnes refectos eſſe eius collegij*, ſed *apparebat omnes refici.* Atque hic locus cauſam dedit Gla-
¶ reano, vt in Liuium acerbe inueheretur. † Glareanus non in-
„ uehitur in Liuium, ſed ait, fieri poſſe, vt codices Liuij ſint
„ deprauati, aut Liuius lapſus memoria †.

Eod. *Qui priuſquam renunciarentur, iure vocatis tribub. permiſſu interregis P. Licinius Caluus, ita verba fecit.*] Si ſenſum explicauero quemadmodum interpungi verba oportet, apparebit. P. Licinium, inquit, non petentem prærogatiuæ tribunum militum creant, omneſque deinceps eo collegio eiuſdem anni refici apparebat, qui priuſquam renunciarentur à iure vocatis tribubus, P. Licinius permiſſu interregis ita loquutus eſt.

Eod. *Omen concordiæ Quirites rei maximæ in hoc tempus vtilis.*] Vet. aliquot libri habent, *vtili*, vt *concordia* ſit caſus dandi non gignendi. Ceterum obſcuriſſimi loci hic ſenſus eſt. Vos video, Quirites, dum me, collegáſque meos tribunos plebis reficitis memoria prioris magiſtratus noſtri in inſequentem annum, omen concordiæ petere rei maxime in hoc tempus vtili, id eſt, ominari concordiam anni futuri. Quod ſi collegas eoſdem reficitis, me certe præterire debetis.

Eod. *Præcipitauere ſe in inſidias.*] Vox, ſe, abeſt à Veteribus libris: Ita autem locutus eſt etiam in ſexto: *Ipſi præcipitauere in inſidias.*

Cap. XIX. *Efficitq́; ne hoſtis.*] Vet. lib. *Effecitq́;.*

Cap. XX. *Suis conſilijs, patientia militum.*] Vet. libri, *Et patientia militum.*

Eod. *Duæ Senatum diſtinebant ſententiæ, ſenis P. Licinij, &c. altera Ap. Claudij.*] Quis eſt qui non ſentiat huic ſentẽtiæ explicandæ vocem vnam maxime neceſſariam deeſſe? quæ eſt in veteribus libris: *Duæ ſenatum diſtinebant ſententiæ, vna ſenis P. Licinij.*

Eod. *Vt ſegnior ſit prædator, vt fortiſſimus quiſq; laboris periculiq́; præcipuam petere partem ſoleat.*] Refellit Ap. Claudius ſententiam P. Licinij, quæ fuerat, vt qui particeps eſſe prædæ vellet, in caſtra Veios iret, cuius rei cauſam affert his verbis. Quod ita ferme eueniat, vt qui ſegnior ſit prædæ, fortiſſimus quiſque laboris, periculique præcipuam petere partem ſoleat, quæ lectio ex coniectura antiquæ lectionis eruitur, quæ eſt, *vbi ſegnior ſit prædator, fortiſſimus quiſque. &c.* Quorum verborum ſententiam elicere nequiuit Rhenanus.

Eod. *Seditionum inde, ac legum nouarum.*] Veteres libri, *Seditionumq́; inde, ac legum.*

Cap. XXI. *Precatus eſſe, vt ſicuti deorum, hominumq́; nimia ſua fortuna populiq́; Romani videretur, vt eam inuidiam leniri quam minimo ſuo priuato incommodo, publicoq́; Romani populi liceret.*] Vet. libri, *Populi Romani*, habent. Ceterum quod Glareanus contra omnium librorum fidem legendum putat, *Lenire ſuo priuato incommodo, quam minimo Romani populi liceret*, non procedit: Nam Plutarchus hanc ſententiam ita vertit in Camillo: Εἰ δέ τις καὶ ἡμῖν ὀφείλεται τῆς παρούσης νεμέσεως ἀντίστροφος, εὔχομαι ταύτην ὑπέρ τε πόλεως, καὶ στρατοῦ Ῥωμαίων εἰς ἐμαυτὸν ἐλαχίστῳ κακῷ τελευτῆσαι. Et Valerius libro primo: *Si cui deorum nimia felicitas populi Rom. videretur, eius inuidia ſuo aliquo incommodo ſatiaretur.* †
Id minus ſincere ſcribis Sigoni. cum libri ad manus ſint, quos ¶
Glareanus ſecutus eſt: Ac Plutarchi verba & Valerij pro Gla- „
reano ſunt. † „

Eod. *Atque ille dies cæde hoſtium, ac direptione vrbis opulentiſſimæ conſumptus eſt.*] Vet. lib. *Itaque ille dies.*

Cap. XXII. *Pure lautis corporibus.*] Vet. lib. *Pure lotis.*

Eod. *Gratias dijs agentium.*] Vet. lib. *Grates dijs agentium.*

Cap. XXIV. *C. Fabium Ambuſtum iterum.*] Vet. lib. *Cæſonem, Fabium Ambuſtum iterum* habet. Diodorus item Καίσωνα Φάβιον nominat. Quoniam autem *Cæſo Fabius Ambuſtus* bis ante tribunus militum fuit, Liuio ipſo & Capitolinis ſcriptoribus, & Diodoro teſtibus, propterea hoc anno *tertium* ſit neceſſe eſt, non *iterum*.

Cap. XXV. *Craterem auream.*] Vet. lib. *Crateram.*

Eod. *Simul extrahi rem ex eo anno viderunt.*] Vet. lib. *Simul vt extrahi.*

* Eod. *Tribunos plebis latores legis in annum eoſdem reficiunt.*] Vet. lib. *In eum annum eoſdem.*

Cap. XXVI. *Sed timor lõgius progredi prohibuit mille fere paſſuum ab oppido caſtra locant.*] Vet. lib. *Sed timore longius progredi prohibente, mille ferè paſſuum, &c.*

Cap. XXVII. *Veientium exitum pene, quam Capenatium pacem mallent.*] Vet. lib. *Exitum.*

Cap. XXVIII. *In conſpectu erant poſita in plano.*] Vet. lib. *Et in conſpectu erant poſita in plano.*

Cap. XXX. *His adhortationibus principis concitati, patres, ſenes, iuueneſq́; cum ferretur lex, in forum venerunt.*] Scribe ex auctoritate veterum librorum: *His adhortationibus patres concitati, principes, ſenes, iuueneſq́;.*

Eod. *Prehenſantes.*] Vet. lib. *prenſantes.*

Eod. *Et legem vnam plures tribus antiquarunt, quam iuſſerunt.*] Cur vnam? quaſi vero multæ leges promulgatæ, vna tantum antiquata eſſet, reliquæ latæ. Lex hæc eſt promulgata de commigrando Veios. Quare legendum eſt, *Et legem vna plures tribus*, id eſt, vno conſenſu. Sic ſupra de hac lege. *Senatum vero incitare aduerſus legem haud deſiſtebat.* Item *cum dies ferendæ legis veniſſet.*

Cap. XXXI. *Quod perſeuerantior cædendis in fuga fuit.*] Vet. lib. *Cædendis hoſtibus in fuga.*

Cap. XXXII. *Cum Volſinienſibus.*] *Vulſinij*, & *Vulſinienſes* ſcribendum eſt, ex lapidibus Capitolinis. Porro autem *Salpinatium*, de quibus ambigit Glareanus, meminit Fabius Pictor in vulgatis eius fragmentis.

Eod. *M. Cædicius.*] *Cæditius* ex capitolinis tabulis, & Græcorum monumentis ſcribendum. Plutarchus de Fortuna Romanorum Μάρκον Λαιδίκιον vocat, vbi de hac re agit.

Eod. *L. Appuleio.*] *Apuleio*, vt dixi.

Eod. *Precatum ab dijs immortalibus ſi innoxio ſibi ea iniuria fieret, primo quoque tempore deſiderium ſui ciuitati ingratæ facerent.*] Has preces ſic expreſſit Suidas: ὁ Κάμιλλος εὔξατο τὴν ἀχάριστον ψυχὴν, ἐπιποθῆσαι Ῥωμαίους Κάμιλλον ἐν χρόνῳ. ἀπέβη δὲ αὐτῷ οὐ πολὺ ὕστερον.

Cap. XXXIII. *Aruntem Cluſinum ira corruptæ vxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipſe, præpotente iuuene.*] Glareanus intelligit Lucumonem aut Arunti, aut vxori Aruntis ab ſe corruptæ tutorem fuiſſe, cum tamen intelligendum ſit, Lucumoni Aruntem tutorem puero fuiſſe. Id enim aperte ſcribit Plutarchus in Camillo his verbis: Ἄῤῥων Τυῤῥηνὸς ἀνὴρ ἐπίτροπος ἐγένετο παιδὸς ὀρφανοῦ πλούτῳ τε πρώτου τῶν πολιτῶν, καὶ θαυμαζομένου κατ' εἶδος, ὄνομα Λουκούμωνος. Et paulo poſt: οὗτος πολὺν χρόνον ἐκείνην διέφθειρεν αὐτοῦ τὴν γυναῖκα, καὶ διεφθαρμένος ὑπ' ἐκείνης, Glareanus ¶
† dubitauit, & Sigonio anſam dedit inquirendi. Sed nulla
apud eum eſt gratiarum actio. †

Cap. XXXIV. *Is quod eis ex populis abundabat.*] Quis vnquam Latine dixit: *Abundare ex populis*, niſi Liuius hoc in loco? imo vero ne Liuius quidem, ſi emendatè locus legatur, prout in veteribus libris legitur, ſic: *is, quod ea gens populis abundabat.*

Eod. *Nulla dum via quod quidem continens memoria ſit, niſi de Hercule fabulis credere libet, ſuperatas.*] Ego germanam huius

loci lectionem eam eſſe exiſtimo, quæ in priſcis aliquot exemplaribus eſt eiuſmodi: *Nulla dum via (quod quidem continens vlla memoria ſit) niſi ab Hercule (ſi fabulis credere libet) ſuperatas*: ita vt hanc totam ſententiam duæ parentheſes includant. Præterea malim etiam, *Quod quidem continens*, quam, *Quod quidem* vt ſit elegans & vſitata verborum tranſgreſſio.

Eod. *Maſſilienſes erant hi, nauibus à Phocide profecti.*] *Phocæa* legendum eſt, non ſolum propter rationes, quas alij afferunt, quia ita emẽdandum duxerunt, ſed etiam quia ita eſt in exemplaribus priſcis.

Eod. *Senones, Æduos.*] Vox, *Senones*, olet mendum: Ita enim fiet, vt Senones & primi, & vltimi alpes tranſcenderint, ſi quidem ſubiicit: *Tum Senones recentiſſimi aduenarum*, fortè, *Santones*, reponendi pro *Senonibus* ſunt.

Eod. *Ipſi per Taurinos ſaltuſq; Iulia alpis tranſcenderunt.*] Itaq; aſſentior Rhenano acutiſſimo viro, qui locum hunc ita legit: *Ipſi Taurino ſaltu inuias alpis tranſcenderunt*: Si quidem ſubiicit Liuius. *Alia ſubinde manus Cenomanorum veſtigia primorum ſequuta eodem ſaltu cum tranſcendiſſet alpes. Iulia* autem *alpes* aut nullæ vmquam aut per ea certe tempora non fuerunt.

Cap. XXXV. *Cum tranſcendiſſet alpes.*] Vet. lib. *Tranſcendiſſent*, quod probo, quia ſequitur etiam, *Conſidunt* Cænomani, inquit, tum tanſcendiſſent alpes, vbi nunc Brixia & Verona ſunt (eos locos ante Lebui tenuere) conſidunt.

Eod. *Poſt hos Saluuij, qui prope antiquam gentem Læuos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem, petiere Appenninum: deinde Boij, Lingoneſq; tranſgreſſi.*] Dici non poteſt, quam hic locus mendoſe legatur, ita vt nec ſententiæ ſanitas extet, neque verborum. His autem incommodis ope vnius veteris libri, longe omnium quos legi, optimi ſubuenimus; in quo ita eſt: *Poſt hos Saluij, qui præter antiquam gentem Læuos Ligures incolentes citra Ticinum amnem expulere, Pænino deinde Boij, lingoneſq; tranſgreſſi.* Senſus eſt. Poſt Cænomanos Saluij alpes tranſgreſſi ſunt, qui omnes citra Ticinum amnem incolentes præter antiquam gentem Læuos Ligures expulere. Poſt hos Boij, Lingoneſque alpes Pænino tranſgreſſi, &c. Eſt enim propoſitum auctori oſtendere, qui Galli qua parte Alpium tranſgreſſi ſint, & quibus populis pulſis, qua in parte Italiæ conſederint. Itaque Bituriges, inquit, & Auerni Taurino ſaltu alpes tranſgreſſi agrum Inſubrium tenuerunt. Eodemque ſaltu Cænomani cum tranſcendiſſent alpes, Lebuorum loca occuparunt. Poſt hos Saluij tranſgreſſi præter Læuos, Ligures reliquos, qui citra Ticinum amnem incolunt, expulerunt. Deinde Boij, lingoneſque Pænino tranſgreſſi Etruſcos, Vmbroſque agro pellunt, ita tamen, vt ſe intra Apenninum continerent. Quod ad ſingulas voces pertinet in Vet. lib. eſt modo *Saluuij*, modo *Saluuij*, qui idem à Plinio *Salyj*, ab aliis *Salyes* nominantur. *Leui Ligures* etiam cum diphthongo ſunt in veteribus libris, de quibus Plin. lib. 3. ca. 17. *Ex Liguribus Laui, ac Marici cõdidere Ticinum non procul à Pado, ſicut Boij trans alpes profecti Laudem Pompeiam.* Porro autem alij habent *Pæninon*, alij *Pænino*, quas voces inducendas eſſe cenſet Rhenanus. Ego autem probo magis *Pænino*, vt duas vias, quibus Galli in Italiam venerint, oſtendat; *Taurino ſaltu & Pænino iugo.* De quo Liuius lib. 21. ſic: *Miror ambigi quanam Annibal alpes tranſierit, et volgo credere Pænino, atque inde nomen & iugo alpium inditum, tranſgreſſum*: Et poſt: *Neque certe montibus his ab tranſitu Pænonorum vllo Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum, ſed ab eo quem in ſummo ſacratum vertice Peninum montani appellant. Lauos Lebuoſque* Polybius Λάοι & Λεβέκιοι vocat libro 2.

Eod. *Tum Senones recentiſſimi aduenarum ab Vſente flumine vſque ad Athaſim fines habuere.*] De Senonum finibus loquitur. Eſt autem mendum in nomine vtriuſque fluminis. Nam *Vſens* eſt in ora Campaniæ ad Tarracinam, vt ait Plinius, *Athesis* ad Veronam, quæ nihil ad Senonum fines attinent. Mihi autem dubium non eſt, quin ſit legendum, pro. *Athesim Aeſim*. Etenim li. 5. Strabo ſic ait: *Antea Aeſim flumen Galliæ terminum faciebant, rurſus Rubiconem. Aeſis inter Anconem labitur, et Senogalliam, at Rubicon inter Ariminum, & Rauennam: vterque in Adriaticum influit pelagus.* Idem fere Plinius, & Ptolemæus. De *Vſente* in iis locis flumine nihil adhuc comperi. Veteres libri habent, *Vtente*, mira inter ſe conſenſione.

Eod. *Cum multitudinem, tum formae hominum inuſitatas cernerent.*] Lege ex veterum librorum fide: *Cum multitudinem, cum formas.*

Cap. XXXVI. *Ecquid in Etruria rei Gallis eſſet.*] Vet. lib. *Et quid*, quod probo.

Cap. XXXVII. *P. Sulpicius Longus.*] Lege. *Q. Sulpicius Longus*: ita enim hic vocatur tum in veteribus libris, tum apud Diodorum, tum etiam apud Macrobium lib. 1. Satur. tum apud Gellium lib. 5. cap. 17.

Eod. *P. Seruilius Maluginenſis.*] In vocibus *P. Seruilius* fœde erratum eſt, neque enim *Maluginenſis* eſt *Seruiliorum* cognomen, ſed *Corneliorum*. Errauit autem librarius, quia cum *Seruius Cornelius* eſſet ſcriptutus, *Seruilius* ſcripſit. Quo errore nihil eſt in libris manuſcriptis frequentius. Emendandum eſt autem, *Ser. Cornelius Maluginenſis*: primum quia Diodorus in hunc annum nominat tribunum militum Σέρουιον Κορνήλιον Μαλούγινον, deinde quia *Ser. Cornelium Maluginenſem* per hæc tempora tribunum militum ſepties fuiſſe inuenio in tabulis Capitolinis: qui numerus ex Liuio colligi non poteſt, niſi hunc annum numerus. Id autem ex ſequenti deſcriptione cognoſci poterit.

An. 385. Ser. Cornelius, lapides Capitolini addunt, Maluginenſ. VII.

385. Ser. Cornelius, lapides Capitolini addunt, Malugienſ. VI.

376. Ser. Cornelius Maluginenſis.

374. Ser. Cornelius Maluginenſis IIII.

372. Cornelius Maluginenſis III. mendoſe tamen II. legitur.

370. Ser. Cornelius.

365. Ser. Cornelius Maluginenſis, qui mendoſe P. Seruilius Maluginenſis dicitur. Quando igitur nullus alius annus inuenitur, quo *Seru. Cornelius Maluginenſis* primum tribunatum geſſerit, eum hoc anno geſſiſſe dicendum eſt.

Cap. XXXVIII. *Flumen Allia.*] *Alia* ſcribe vt dixi.

Cap. XXXIX. *Romani, cum pars maior ex acie Veios petiſſet, quam Romam, nemo ſupereſſe quemquam præter eos, qui Romam refugerant, credere, comploratis omnes pariter viui, mortuiq; totam prope vrbem lamentis repleuerunt.*] Quamquam ferri hæc lectio poteſt, neſcio tamen, cur non antiqua, quæ multo rectior eſt, reſtituatur, quæ eſt: *Romani, cum pars maior ex acie Veios petiſſet, nec ſupereſſe quemquam, præter eos, qui Romam refugerant, crederent, comploratis omnibus pariter viuis, mortuiſq; totam prope vrbem lamentis repleuerunt.*

Eod. *In arcem Capitoliumq; concedere.*] Veteres libri, *Conſcendere.*

Cap. XL. *Vrbis per trecentos ſexaginta annos omnibus bellis victricis.*] Hunc numerum Glareanus putat eſſe mendoſe, quod hic annus non ſit ab vrbe condita CCCLX. verum CCCLXV. vt Liuius ait paulo poſt in Oratione Camilli, neque intelligit Romam dici hoc anno per CCCLX. *annos omnibus bellis victricem fuiſſe*, & recte dici. Nam à primo bello, quod anno quarto ab Vrbe condita geſſit Romulus, vt ait Dionyſius, cum Sabinis ad hunc anni numerantur CCCLX. poſt autem Camillum, cum Romam captam anno CCCLXV. ait, annos ab origine vrbis, non à prima victoria numerare, quamquam lib. 7. rhetoricè ait, *condita vrbi æqualem victoriam eſſe.* † Glareanus non dicit mendoſe, ſed dicit, non rotundam ſupputationem. †

Eod. *L. Albinus de plebe.*] Vet. lib. *L. Albinius*. Valerius item Maximus, vt eſt in manuſcriptis, *Albinius* recte. Eſt enim nomen gentis plebeiæ, non cognomen patriciæ *Poſtumia*.

Eod. *Irreligioſum ratus ſacerdotes publicos, ſacraq; populi Romani pedibus ire ferriq; ſe ac ſuos in vehiculo conſpici.*] Diſtinguenda verba ita: *Pedibus ire, ferrique*, inde, *ſe, ac ſuos in vehiculo conſpici.* Nam *ire* ad *ſacerdotes*, *ferri* ad *ſacra refertur.*

Cap. XLI. *M. Papirius vnus ex his.*] Hunc vocat in Camillo Μάρκον Παπείριον Plut. credo vitioſe pro Μάνιον Παπείριον, vt ſit *M' Papirius Craſſus*, qui conſul & tribunus mil. fuit ante annos triginta, ex quo merito eum vocat ſenem honoribus perfunctum.

Cap. XLII. *Caritate ædium ſuarum.*] Vet. lib. *Sedum*, quo pacto veteres locutos eſſe docet Priſcianus lib. 6. *Frequentius* inquit *in Es terminantia vbiq; I. inueniũtur, vt vatum pro vatiũ. Virgilius*

Digitized by Google

in 4. *Multaq́; præterea vatum prædicta priorum.* Cicero pro Sextio: *Veſtrarum ſedum templorumq́; cauſa.* Eſt autem locus pro Sextio mendoſiſſimus. Nam vulgo legitur: *Te patria obteſtor, & vos penates patrij, dij, me veſtrarum ſedium, temporumq́; cauſa,* &c. tum & *Teſto,* &, *Sedum,* & *Templorum* legendum ſic.

Eod. *Quocumque clamor, ſonitus hoſtium, mulierum, puerorumq́; ploratus, ſonitus flammæ, & fragor tectorum.*] Vox prior, *Sonitus,* redūdat, neq. enim proprie *ſonitus hoſtium* dicitur, ſed *flammæ.* Recte autem habebit res ſi ſua cuique reddantur, *clamor hoſtium, ploratus mulierum, ſonitus flammæ.* Quod etiam veteres comprobant libri.

Cap. XLV. *A Ceditio.*] Vet. lib. *Ab Q. Cædicio.*

Eod. *Ad Salinas.*] *Romanas Salinas* vocat lib. 7.

Cap. XLVI. C. *Fabius Dorſuo:*] *Dorſo,* vt *Mento,* vt *Labeo,* ſcribendū, ex veteribus libris, & Valerio Maximo, & Velleio libro primo, qui inquit, *Fabio Dorſone conſule Pæſtum colonia deducta.*

Eod. *Gabino cinctu, ſacra manibus gerens.* Libri quidam ſcripti habent. *Gabinorum ritu cinctus:* Quam lectionem habet etiam Valerius Maximus libro primo *C. Fabius Dorſo,* inquit, *Gabino ritu, cinctus manibus, humeriſq́; ſacra gerens.* Et Liuius libro decimo: *Incinctum Gabino cultu ſuper telum ſtantem.* Ego tamen nihil mutandum cenſeo. Nam idem Liuius libro octauo de Decio ait: *Ipſe incinctus cinctu Gabino.* Et Virgilius: *Ipſe Quirinali trabea, cinctúq; Gabino Inſignis.* Et Feſtus: *Procincta claſſis dicebatur, cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu.*

Eod. *Cuius haudquaquam negligens eſt.*] Veteres libri, *eſt gens.*

Eod. *Pontius Cominius.*] *Cominus.* Vet. lib. & Front. lib. 3. cap. 13. Quod probo. Plutarchus de Fortuna Romanorum, Γαιον Ποντιον vocat.

Eod. *Eadem digreſſus nuncius Veios contendit.*] Eandem ſententiam de eodem loquens expreſſit his verbis Quadrigarius, vt eſt apud Gellium lib. 17. cap. 2. *Cominius,* inquit, *qua aſcenderat, deſcendit, atque verba Gallis dedit,* id eſt, latuit Gallos. Itaque *degreſſus,* non *digreſſus,* legendum. Quam vocem ſæpe deprauatam apud Liuium ſæpe oſtendam. Eſt autem *Degredi, Deſcendere.* Item legendum paulo poſt, *degreſſus ex arce.*

Cap. XLVII. *Carmentis ſaxum.* Id eſt, quod Carmentali portæ imminet, vt Plutarchus in Camillo ait, & Dionyſius libro decimo, vbi de Capitolio ab App. Herdonio capto tradit.

Eod. *Cum primos ſterneret.*] Veteres libri, *Cum proximos ſterneret.*

Eod. *Selibras farris, & quartarios vini.*] Repudianda eſt antiqua quorundam librorum lectio, qui habent: *Sex libras farris, ſex quartarios vini.* Etenim Plutarchus in Camillo ita vertit: σεμιδάλεως ἡμιλίτριον, οἴνου δὲ κοτύλας Ἑλληνικὰς τέταρτον. Eodem modo lib. 7. Liuius: *Libras farris ſextarios vini contulerunt.*

Eod. *P. Sulpicius tribunus militum.*] *Q. Sulpicius,* vt ante dixi.

Eod. *Ob nocturni periculi memoriam.*] Vet. lib. *Nocturni periculi memoria.*

Cap. XLIII. *Humoriq;, ac frigori aſſueta.*] Vet. lib. *Humeri ac frigori aſſueta.*

Eod. *Tum æſtu, & angore vexati, vulgatis velut in pecora morbis morerentur.*] Vet. lib. *Cum æſtu, & algore vexata vulgatis velut in pecua morbis moreretur.*] Hæc enim omnia referuntur ad vocem illam, *Gens.* Alij libri *languore,* non *algore* habent.

Eod. *Et cum ſtationes procederent.*] Vet. lib. aliquot, *Et cum in ſtationes procederent.*

Eod. *Inter P. Sulpicium.*] Legendum inter *Q. Sulpicium,* vt dixi.

Eod. *Auditáq; intoleranda Romanis, vox Væ victis eſſe.*] Feſtus hunc locum ſic expreſſit: *Væ victis in prouerbium veniſſe exiſtimatur, cum Roma capta Senonibus Gallis aurum ex conuentione & pacto penſum, vt recederent, quod de iniquis ponderibus vno ex tribunis quereretur, Brennus dux Gallorum ad pondera adiecit gladium, & dixit, Væ victis: quem poſtea Furius Camillus cum inſidiis circumuentum concideret, & quereretur contra fœdus fieri, eadem voce remunerasse dicitur.*

Cap. XLIX. *Sed diiq; homines prohibuere.*] Veteres plerique libri, *Sed dij, & homines.*

Cap. L. *Retulit, & Senatusconſultum facit.*] Vet. lib. *Retulit, Senatuſconſultum fit.*

Eod. *Cum Cæretibus publice hoſpitium fieret.*] Gellius libro decimoſexto, capite decimotertio, Cæretibus hoc tempore ciuitatem datam ſine ſuffragio ait, ob conſeruatorum ſacrorum meritorum.

Eod. *Locutio.*] *Aio locuto,* vt ante dixi.

Eod. *In Iouis ſellam collatum.*] Repone, *cellam,* vt lib. 6. *In Iouis cella conſtat ante pedes Iunonis poſitas fuiſſe.*

Cap. LIII. *Non malitis hanc ſolitudinem veſtram, quam vrbem hoſtium eſſe?*] Senſus, quem ſe percipere non poſſe Glareanus ex his verbis fatetur, hic eſt: Si Æqui, Volſcique Romam commigrent à vobis relictam, nonne malitis Romæ ſolitudinem hanc veſtram eſſe, quam vrbem hoſtium Veios? Solitudinem autem iccirco ait, quia vaſtatam à Gallis Romam plebs deſerere cupiebat, & Veios tranſmigrare. Hoc autem vultis: *Nonne relictis ſuis Veiis ad Romam occupādam recurretis?* † Docere Glareanum nititur, ſed is æque intelligit, ac antea, hoc eſt, dicit ſe non intelligere, & vix credit Sigonium quid diceret, intellexiſſe †.

Cap. LIV. *Et quidem fatebor vobis.*] Veteres libri, *Equidem fatebor vobis.*

Eod. *Fortuna certe loci huius transferri non poſſit.*] Vet. libri, *Transferri hinc non poſſit.*

IN EPITOMEN LIB. VI.

R*Es aduerſus Æquos & Volſcos, & Hetruſcos proſpere geſtas continet.*]Pro *Hetruſcos* repone *Præneſtinos.* Nam hæc vox in Vet. lib. Et de prænestinis ſubactis agit hoc in libro pluribus Liuius.

Sabbatina.] *Sabatina* vno *b,* ſcribendum. *Eſt enim,* vt ait Feſtus, *à Sabate lacu appellata.*

Promentina, Arnienſis.] *Tromentina arnienſis,* ſcribendum ex Feſto, qui *à campo Tromento tribum Tromentinam inueniſſe nomen* ait. Item ex veteribus libris, oratione prima contra Rullum, & lib. 29. Liuij.

Ne cui de Manlia gente Marco cognomen eſſet.] Perſpicue mendoſum, *Marco cognomen. Prænomen* enim potius ſcribendum eſſet, vt ait Quintilianus lib. 3. *M. Manlij prænomen è familia in poſterum exemptum eſt:* At legēdum tamen puto *nomen.* Errauit autem librarius, quia *Marco cognomen* ſcripſit ſyllaba, vt ſit, repetita, ſine cauſa. Itaq; recte Plutarchus in lib. τῶν παλαιῶν. τὸ Μάρκον ἀπειρῆσθαί φασιν εἶναι τῷ γένει μηδενὶ Μαλλίων ὄνομα Μάρκον ... † Huic emendationi Robortellus lib. 1. emendat. cap. 23. opponit locum ex Valerio Max. lib. 3. cap. 4. †

Vt conſules etiam ex plebe fierent.] Vet. libri, non habent *etiam.*

Eam legem.] Vet. lib. *Eámq; legem.*

Primus omnium ex plebe factus eſt.] Indue vocem, *Omnium* ex Vet. lib.

Ne cuiquam.] Vet. lib. *Ne cui.*

IN LIBRVM VI.

C*Ap. I. Tum quod perrara per eadem tempora literæ fuere.*] Vet. lib. *Tum quod & rara per eadem.* Nam ſequitur pars altera: *& quod etiam.*

Eod. *Et, quod etiam ſi quæ in commentariis pontificum, aliiſq; publicis, priuatiſq; erant monumētis incenſa vrbe pleraq; interiere, clariora deinceps, certioráq;,* &c.] Plutarchus de fortuna Romanorum hæc verba ex Liuio vertit, citato eius nomine. Ita, ἀλλὰ τί δεῖ περὶ τούτων διατείνεσθαι, ὅπου γε Λίβιος διεξιὼν ἔχει, τοῦ καὶ τὰ ἀρχαῖα διαφθαρῆναι τῶν Ῥωμαίων, καὶ συγχυθῆναι τοῖς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμοῖς, ὡς Λίβιος ἱστορεῖ. τὰ γὰρ ὕστερον μᾶλλον ὄντα δῆλα καὶ παρὰ ... τῆς τύχης ...

Eod. *Ceterum primo quo adminiculo erecta erat, eodem innixa ſtetit.*] Lege ex veteribus libris: *Ceterum quo primo adminiculo.*

Eod. *A Valerium Publicolam iterum.*] Ex quatuor reliquis eius tribunatibus mil. apparet non *A.* ſed *L. Valerium Publicolam* legendum. *Auli* etiam prænomen non tulerunt, quod memoriæ traditum ſit, *Valerij,* niſi in mēdoſis perſpicue libris.

Eod. *Ii ex interregno.*] Vet lib. *Hi ex interregno.*

Eod. *Erant autem ex duodecim tabulæ.*] Vet. lib. *Erant autem ærea duodecim tabulæ.*

Eod. *Alia ex eis edita etiam in vulgus.*] *Ex eis*, id eſt, præter ea. vt in principio lib. 59.

Eod. *Diemque a.d. xv. Cal. Sextiles.*] Legendum puto, *Diemq́; a.d. xv. Kal. Sex.* Qua de re infra dicam.

Eod. *Non litaſſe Sulpicius.*] Vet. lib. *Non litaſſet P. Sulpicius*, at ego ſupra oſtendi, *Q. Sulpicius* legendum.

Eod. *Inde vt poſtridie Calendas quoque ac Nonas eadem religio eſſet traditum putant.*] Miratur Glareanus Liuium dixiſſe, *Traditum putant*, pro *Tradunt*, eumque quaſi parum Latinè loquutum arguit: verum immerito. non enim interpuncta ſcite hæc verba ſunt, verum ita debent diſtingui. *Inde, vt poſtridie Kal. quoque ac Nonas eadem religio eſſet, traditum putãt*, hoc ſenſu; Inde putant traditum atque inſtitutũ eſſe, vt poſtridie Kal. & Nonas ater dies haberetur. Id enim ita eſſe docet Macrobius lib. 1. Saturnalium. *Tum patres iuſſiſſe, vt ad collegium Pontificum de his religionibus referretur, pontificeſque ſtatuiſſe, poſtridie omnes Kal. Nonas: Idus atros dies habendos.* Idem tradit etiam Gellius lib. 5. cap. 17. & Plutarchos in libro τῶν κεφαλαίων,

¶ citato etiam Liuij teſtimonio. † Glareanus ait ſe ſyntaxin non „ intelligere. ex quo non ſequitur Liuium non loqui ſatis Lati- „ ne, vt hic falſo ſyllogizat. †.

Cap. II. *Ad Meciam is locus dicitur.*] Plutarchus in Camillo in expoſitione huius belli bis ait: πρὸς τὸ Μάρκιον ὄρος, id eſt, *ad Marciam montem*, vt intelligi ex eo poſſit hoc etiam in loco legendum eſſe diuiſis vocibus, *ad Marcium.* Eiuſmodi loquendi forma eſt apud Feſtum lib. 4. *Capralia appellatur ager, qui vulgo ad Capræ paludem dicitur.* Item ſcribit Diodorus lib. 14. Verba eius omnia apponam, quia liber ille adhuc vulgatus non eſt. πταισάντων δ' ὄντων Ῥωμαίων διὰ τὴν προειρημένην συμφορὰν, οἱ Οὐολοῦσκοι πρὸς αὐτοὺς πόλεμον ἐξήνεγκαν, οἱ μὲν οὖν χιλίαρχοι τῶν Ῥωμαίων καταγράψαντες στρατιὰς, καὶ προαγαγόντες τὴν δύναμιν εἰς ὕπαιθρον, ἐν τῷ καλουμένῳ Μαρκίῳ κατεστρατοπέδευσαν, ἀπέχοντες ἀπὸ Ῥώμης σταδίους διακοσίους. τῶν δὲ Οὐολούσκων μετὰ μείζονος στρατιᾶς ἀντικαθημένων, καὶ τῇ παρεμβολῇ προσβαλόντων οἱ κατὰ τὴν Ῥώμην φοβηθέντες ὑπὲρ τῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ κατέστησαν δικτάτορα μὲν Μάρκον Φούριον: quo loco legendum eſt Μακίῳ, ex Vet. lapidibus & hoc loco legendum, *ad Macium.* vnde *tribus Macia.*

Eod. *Cum caſtra impetu cepiſſet dictator.*] Sine dubio deeſt vox *primo*; vt ſit, *primo impetu cepiſſet.* Sic de eodem loquens infra: Qui adueniens caſtra vrbeſque primo impetu capere ſit ſolitus.

Eod. Cuius ſpei moram cùm pati fortuna non potuiſſet.] *Poſſet*, requirit ſenſus, & manu ſcripti habent.

Eod. *Quominus ſperatam minime largitore duce.*] Vet. lib *Speratam à minime largitore duce.*

Eod. *Victor ex Volſcis in Equos tranſiit, exercitum eorum ad Bolas oppreſſit.*] Hanc rem his verbis complexus eſt Diodorus lib. 13. μετὰ δὲ μάχην Αἰκίους ἀντιταξαμένους πορθήσας πόλιν Βώλας ὑπὸ Αἴγλων τῶν νῦν Αἰκικλων καλουμένων, &c.

Eod. *Ad deditionem Volſcos ſeptuageſimo demum anno ſubegit.*] Mouet me numerus *ſeptuageſimus.* Etenim Volſci bellum renouarunt Liuio auctore anno CCLIX. hoc autem demum anno qui eſt CCCLXVII. ad deditionem ſubacti ſunt. Quæ ſumma annos continet *centum ac ſeptem*, vt mendoſe locus eſſe videatur, ac pro *ſeptuageſimo ſeptimo ac centeſimo* ſit reponendum.

¶ Hunc † locum Glareanus ante Sigonium tractauit, ſed Sigo- „ nius egregie diſſimulat †.

Cap. III. *Etruria prope omnis armata Sutrium ſocios populi Romani obſidebat.*] Quos his *ſocios Sutrinos* vocat Liuius, *colonos* nominat Diodorus eodem libro: ἐπειδὴ δ' αἰχμαλώτους Συτριανῶν οὖσαν ἀποικίαν, ἣν Τυρρηνοὶ βίᾳ κατειλήφεσαν.

Eod. *Multitudo in cuſtodias diuiſa.*] Vet. lib. *Dimiſſa.*

Cap. IV. *Dies præſtituta, capitaliſque pœna, qui non remigraſſet Romam.*] Vet. lib. *Niſi remigraſſent Romam.* placet.

Eod. *Iulius Tullus.*] Lege, *L. Iulius Iulus*, ex Diodoro.

Eod. *Sulpicius Ruffus.*] *Sulpicius Rufus*, ex Vet. lib. & argenteis nummis.

Eod *Ad Cortuoſam.*] *Cort Noſſam* legendum ex fragmentis originum Catonis.

Eod. *Contenebra.*] *Cort Enebra*, ex iiſdem.

Cap. V. *L. Papirium, C. Sergium, L. Æmylium iterum, L. Licinium. M. Menenium, L. Valerium Publicolam tertium.*] Ita propè etiam veteres libri, præterquam quod pro *L. Licinium. M. Menenium*, habent *Licinium Menenium.* Nam cum animaduertiſſent quidam non niſi quinque tribunos militum memorari, *Licinium, Meneniumque* duos fecerunt, quam inconſulto autem id egerint, vnus Diodorus oſtendere poteſt, apud quem huius anni tribuni his nominibus eduntur: Λεύκιος Παπίριος, Γάιος Κορνήλιος, Λεύκιος Μενένιος, Γάιος Σερουίλιος, Οὐαλέριος Αὖλος, Κόιντος Φάβιος. Ita pro *Ca. Sergio* eſt, *C. Seruilius*, pro *L. Æmilio*, *Q. Fabius.* Additur poſtremo ſextus tribunus, vitio librariorum apud Liuium omiſſus, *Cn. Cornelius.* Erroris cauſam præbuit librarius, quod cum ſcripturi eſſent, *C. Cornelius, C. Sergius*, *C. Sergium* tantum ſcripſerunt, alterum reliquerunt, Puto autem legendum eſſe, *C. Sergius*: nam Liuius poſt etiam *C. Sergium* ter. tribunum edit. Non ergo *Licinius Menenius*, ſed *L. Menenius* legendum, vt Diodorus ait: Nam prænomen huic quærimus. *Licinius* autem genus nomen eſt.

Eod. *Pomtina, Subutina.*] *Tromentina, Sabatina*, ex Vet. lib. vt ante dixi.

Eod. *Eoque triginta quinque numeram explenere.*] Lege *viginti quinque*, ex Vet. lib. vt ante.

Cap. VI. *Populos iuuentutem ſuam miſiſſe ad id bellum.*] Vet. lib. *Iuuentutem ſummiſiſſe.*

Eod. *Tam honoratorum collegarum obſequio.*] Vet. lib. *Tam honorato collegarum obſequio.*

Eod. *Te Sergi Corneli.*] Vet. lib. *Te Serui Corneli.*

Eod. *Ducibus pluribus, & exercitibus adminiſtrandam remp. eſſe.*] Veteres libri, *adminiſtrandam remp. opus eſſe.* Ex quo intellexi legendum *ad adminiſtrandam rempublicam opus eſſe.*

Eod. *Arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poſcent.*] Veteres lib. *Arma, tela, frumentumque, quæ bellica tempora poſcent.*

Cap. IX. *Ab Nepete ac Sutrio.*] Reprehendit Liuium Glareanus, quod *Nepete* dixerit in caſu auferendi, cum *Nepeti* fuerit dicendum, quippe cum in recto caſu *Nepete* dicatur: ſed facit iniuſte. non enim Liuius ſcripſit vllo in loco *Nepete*, ſed *Nepet*, vt eſt in vetuſtis libris. Docent autem Grammatici, Chariſius & Priſcianus, *Gu*, & *Nepet*, oppidi Italici nomen *t*, litera terminari, eaque flecti non poſſe. Quamquam ne ſi *Nepete* quidam in recto caſu dicerent, *Nepeti* tamen eſſet ei in ablatiuo edendum. Nam propria in *e* deſinentia eiuſdem terminationis habent nominatiuum cum ablatiuo, vt *Præneſte.* Dixit enim Virgilius: *Qui que altum Præneſte viri.* Et: *Qualis eram cum primum aciem Præneſte ſub ipſa.* Hæc Priſcianus. Sic etiam infra corrigendum eſt, *Nepet exercitus ductus*, pro *Nepete.*

¶ † Glareanus non reprehendit Liuium, ſed ad „ honorem eius ait, eum non curaſſe rancidas Grammaticorum leges †.

Eod. *Itaque diuiſo exercitu.*] Vet. lib. *Ita diuiſo exercitu.*

Eod. *Oppidanis iam oppugnando feſſis.*] Veteres libri, *Pugnando.*

Cap. XI. *T. & L. Quintiis Capitolinis, L. Papyrio Curſore tribunis conſulari poteſtate.*] Hoc habent boni veteres libri, quod in iis eſt, *L. Papyrio Curſore II. tribunis militum conſulari poteſtate.* Quoniam autem non niſi quinque tribunorum nomina eduntur, *C.* autem *Sergius*, & ante ſemel, & poſt tertium tribunus militum fuiſſe à Liuio traditur, quo autem anno iterum fuerit, niſi hoc dicamus, ne colligi quidem coniectura poteſt, propterea videtur eſſe legendum, *L. Papyrio Curſore II. C. Sergio II. tribunis militum conſulari poteſtate.*

¶ † De *C. Sergio* admonuit „ quoque ante Glareanus: hic autem quaſi primum hoc vide- „ rit narrat †.

Eod. *Et non contentus agrariis legibus, quæ materia ſemper tribunis plebis ſeditionum fuiſſet, idem moliri cœpit. Acriores quippe æris alieni ſtimulos eſſe, qui non egeſtatem modo, atque ignominiam minentur, ſed æruus ac vinculis corpus liberum territent, & eras ... alieno magna vis, res damnoſiſſima etiam diuitibus ædificando contracta.*] Huius loci obſcuritatem cum ſentiret Glareanus ita de eo tradidit: *Colon ponendum puto poſt verbum Stimulos: Quæ vero deinde ſequuntur, verba ſunt M. ... ſeditioſe conquerentis de patribus, ... meneniſque ſenatus inuidiam.* Quam in re laudandum Glareani ingenium, quod difficultatem ſenſit: irridendum, quod por-

tenta dixit, neque quæ verba vitium continerent, intellexit. † Glareanus non ait portenta, quare ea illi affingenda non erant †. Vitioſe autem habent illa, *Idem moliri.* Neque enim intelligi poteſt, quid velit Liuius, cum ait: *Non contentus agrariis legibus idem moliri cœpit:* Neque enim Manlius, de quo nunc loquitur agris dandis, vt Sp. Caſſius, neque frumento, vt Sp. Mælius, ſed pecunia condonanda, vt nemo ante, plebem ad ſe alliciebat. Cum autem eos, qui æs alienum fecerant, quia ſoluendo non eſſent addictos duci ægrè pateretur, atque id fieret ſua ſe pecunia prohibiturum eſſe profiteretur, propterea rectè dici poteſt, *fidem moliri cepiſſe:* Ita vt legatur non, *Idem moliri,* ſed *fidem moliri cœpit.* Eſt autem *fidem moliri* prohibere ne, qui debent, ea quæ debent, ſoluant. Sic autem ſupra accepit, *Fidem,* lib. 3. *Haud ſalubrem vtique Larty ſententiam putabant, quæ fidem tolleret.* Et Cicero pro lege Manilia: *Scimus Romæ ſolutione impedita fidem conciſiſſe.* Et paulo poſt: *Hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro verſatur implicita eſt cum illis pecuniis Aſiaticis, ruere illa non poſſunt, vt hæc non eodem labefactata motu concidant.* Et Cæſar lib. 3. Bellorum ciuilium. *Cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditæ pecuniæ ſoluerentur.* Et Liuius hoc libro haud ita multo poſt: *Spem factam à te ciuitati fide incolumi ex theſauris Gallicis, quos primores patrum occultent, creditum ſolui poſſe.* Sic lib. 9. *Montes ſua ſede moliri,* pro *demoliri.* Et alio loco, *Fores moliri.*

Cap. XII. *Quæ nunc vix ſeminario militum relicto ſeruitia Romana ab ſolitudine vindicant.*] Huius loci, quod ſe non intelligere Glareanus fatetur, hic eſt ſenſus: Ea tum loca frequentiſſima fuiſſe, quæ nunc propè deſerta eſſent, niſi à ſeruis Romanis, qui ea ſolitudine vindicant, colerentur, præſertim cum ibi pauci admodum ſint, qui militent, vix militum exiguo ſeminario relicto.

Eod. *Gladius tantum dextram armemus.*] Veteres libri, *Dexteras.*

Eod. *Tu Quinti.*] Vet. lib. *Tu T. Quinti.*

Cap. XIII. *Fluctuantis ſimilis acies.*] Veteres libri, *Fluctuanti ſimilis.*

Eod. *Illi de mouere.*] Vet. lib. *Illi ſe denouere.*

Cap. XIV. *Siue vt & ipſe in parte prædæ ſit, ſiue quia vanum indicium eſt.*] Vet. libri, *Siue quod & ipſe in parte præda ſit, ſiue quod vanum indicium eſt.*

Cap. XV. *Vereor ne abſi ulceritis obſeruantibus etiam oculos.*] Vet. lib. *Oculis.*

Cap. XVI. *Satricum coloniam duo millia ciuium Romanorum.*] Non dubito, quin apud Velleium lib. 1. vbi ait: *Sutrium poſt annos VII. quam capta Roma eſt, deductam eſſe coloniam:* legendum ſit ex huius loci auctoritate, *Satricum.* Satrici etiam *coloniæ* meminit lib. 9. Liuius. Nam *coloniæ Sutrij* meminit Diodorus anno poſt Romam captam.

Cap. XVII. *Colonis Circeienſibus, & Velitris purgantibus ſe.*] *A Velitris* dixit, vt primo lib. *Turnus ab Aricia.* Et Virgilius in Georgicis: *Paſtor ab Amphryſo.*

Cap. XVIII. *Creatique tribuni militum conſulari poteſtate, Sergius Cornelius Maluginenſis ſecundum, P. Valerius, Potitus iterum.* Antiqui libri ita: *Creatique tribuni militum conſulari poteſtate ex patribus Seruius Cornelius Maluginenſis II. Ex patribus* autem iccirco dictum eſt, quia aliquando per hæc tempora fiebant etiam ex plebe. Ceterum non *Maluginenſis* II. ſed III. ſcribe: Nam proximè infra IV. fuiſſe dicitur, & iam bis ante fuiſſe eundem docuimus.

Eod. *Tempus eſt etiam maiora conari.*] Vet. lib. *Unde tempus eſt etiam maiora conari*

Cap. XIX. *Tribuni conſulari poteſtate, tribunique plebis.*] Vet. libri, *Tribuni militum conſulari poteſtate.*

Eod. *M. Menenius, et Q. Publius tribuni plebis.*] Lege, *M. Manius, & Q. Publilius. Manius,* quia *Menenij* patricij, & ſæpe in hoc nomine erratum eſt. *Publilius,* ne duo prænomina coeant. Quod in hac gente fit vbique, vt ante etiam admonui.

Eod. *Quid cum plebe aggredimur.*] Videtur legendum, *Quin cum plebe.*

Cap. XX. *Ad hoc ſeruatoq.*] Vet. lib. *Ad hæc.*

Eod. Peſtilentiam, inopiam frugum.] Mſſ. *Peſtilentiam, inopia frugum,* ſubaudi, *excepit.* & rectè.

Eod. *Quem inſidiis inſtruentem locum?*] Manuſcripti, *ingruentem.* ex quin legendum videtur, *congruentem,* id eſt aptum inſidiis locum.

Cap. XXI. *Nepete colonia deducendo.* Vet. lib. & ratio, quam ante attuli docent, *Nepet,* legendum eſſe.

Eod. *Labicanis.* Vet. lib. *Lauicanis.*

Cap. XXII. *Fœdeque in captis exercuere victoriam.*] Vet. lib. *Fœdamque in captiuis exercuere victoriam.*

Eod. *M. Furium Camillum VI. tribunum militum.*] Vet. lib. VI. vt ante oſtendi, & recte.

Cap. XXIV. *Verſus itaque in victoriam terror, & nouo hoſte, & ſupina valle Romanam inclinauit aciem.*] Duas cauſas affert, quibus Romana acies exterrita inclinata eſt. Nouum hoſtem & ſupinam vallem, quam paulo ante lenem à tergo cliuum appellauit. Itaque locum integrum eſſe cenſeo, contra atque cenſet Glareanus. † Glareanus non ait corruptum locum, ſed obſcurum ac ſuſpectum †.

Eod. *Et, quod ductu meo ſoletis, vincite.*] Vet. lib. *Et vt ductu meo ſoletis, vincite.*

Eod. *Niſi victorem receptatura ſunt.* Veteres libri, *Receptura.*

Eod. *Inde vt circumagi ſigna obuertique aciem viderunt in hoſtem.*] Deeſt vox vna ad ſententiam complendam, quæ eſt in veteribus libris, in quibus ita legitur: *Vt circumagi ſigna, obuertique aciem viderunt, ruunt in hoſtem.*

Cap. XXVI. *Verbis confutare nihil attinet.*] Vet. lib. *Nil attinet.*

Eod. *Ab Tuſculo legiones reductæ.*] Vet. lib. *deducta.*

Cap. XXVII. *Creatis militaribus trib.*] Vet. lib. *Creatis tribunis militaribus.*

Eod. *Licinio Menenio* II.] Miror eos, qui ſupra *Licinium Menenium* in *L. Licinium & M. Menenium* commutarunt, huius loci rationem non habuiſſe. Alioquin fruſtra quæras, quo primum anno *Licinius* hic *Menenius* tribunus militum fuerit: opus eſt igitur in emendando diligentia ſumma, vt omnes omnibus locis certiſſima ratione reſpondeant. *L.* autem *Menenio* II. eſſe legendum, apparet ex priore tribunatu, vt docui ex Diodoro.

• Eod. *Raptim agmine facto.*] *Acto,* videtur legendum, quo genere loquendi ſæpe vtitur Liuius.

Cap. XXVIII. *Quin ipſi Galli ſi offerātur, illo loco ſe ita pugnaturos.*] Vetuſta lectio veſtigia certa continet germanæ lectionis: in veteribus enim libris aliquot eſt: *Quin ipſi ſibi Galli ſe offerant.* Puto autem legendum: *Quin ipſi ſi ibi Galli ſe offerant. Ibi* autem intelligit *ad Aliam.*

Cap. XXIX. *Præter caſtra prælati.*] *Perlati* legendum eſt potius. alioquin *præter* vacat. vt in libro 5. *Effuſa fuga caſtra ſua prælati.*

Cap. XXX. *Die XX. quam creatus erat dictatura ſe abdicauit.*] Nihil emendatius hac eſſe oratione videtur, eam tamen ſi veteres libros attendamus, turpiſſime deprauata ſit, in quibus ita eſt: *Duodeuiceſimo quam creatus fuerat dictatura ſe abdicauit.* Item: *duodeuiceſimo quam creatus fuerat die dictatura ſe abdicauit.* Quod magis probatur: prior enim ſyllaba vocis, *Dictaturæ,* in errorem impulſiſſe librarium videtur, vt vocem *Die,* omiſerit. Hæc autem ſi germana lectio eſt, accipiendum eſt dictum eſſe, *duodeuiceſimo die,* pro XXII. *die:* ſic enim antiquos locutos eſſe docet Nonius his verbis. *Duodeuiceſimo, ita vt, Duodecimo. Varro humanarum rerum libro 16. Mortuus eſt anno duodeuiceſimo rex fuit* XXI. *Cato quarto originum. Inde duodeuiceſimo anno poſt dimiſſum bellum, quod* IV. *&* XX. *annos fuit.* Quamquam Gellius libro quinto, capite quarto. Superius exemplum ex Fabij annalibus profert ita: *Mortuus eſt anno duo & viceſimo, Rex fuit anno viceſimo primo.* † Næ hic Sigonius oſtendit ſe quoque errare poſſe, cum Liuius libro primo, de Tarquinio Priſco dicat duodequadrageſimo ferme anno, ex quo regnare cœpit Tarquinius. Quis neſcit pro XXXVIII. anno dictum? †.

Eod. *Plebs C. Sextilium, M. Albinum.*] Vet. lib. *M. Albinium,* optime: eſt enim è plebe.

Eod. *Cuius & ipſos poſt modo & patres, qui dederant, pœnituit.*] Vet. lib. *Poſtmodum.*

Eod. *Vtrobique prodita temeritate, atque inſcitia res.*] Veteres libr. *prodita.*

Eod. *Eodem anno etiam ipſis querentibus penuriam hominum, noui coloni adſcripti.*] Deſideratur coloniæ nomen. Nam de Prænestinis ipſis rebellantibus intelligi non poteſt, nec de Satrico quidem, & Velitris, neque enim ſyllabas habent, quæ erroris cauſam tribuere librario potuerint. Itaque ego ſine dubio legendum puto, *Eodem anno Setiam ipſis querentibus.* Setiæ enim coloniæ poſt Satricum deductæ meminit Velleius lib. I. Et Liuius lib. 7. extremo Norbam, & Setiam finitimas colonias vocat, cum tamen quo anno deducta Setia ſit, nuſquam apud eum extet. Quod autem *Noui coloni* dicat de iis, qui tum primum deducti ſint, non eſt mirum. Etenim ſic loquutus eſt ſupra: *Norba in montes nouam coloniam miſerunt.* Et Pædian. in Piſon. *Pompeius non nouis incolis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij.* Item; *Placentiam noui coloni deducti ſunt.*

Cap. XXXI. *Q. Seruilio II. Licinio Menenio III.*] Pro *Licinio Menenio III.* legendum puto, *C. Licinio.* me in hanc ſententiam ducit Diodorus, qui quatuor huius anni tribunos militum his nominibus edit: Λεύκιος Φούριος, Κόϊντος Σερουίλιος, Γάϊος Λικίνιος, Πόπλιος Κλαίλιος. Item Liuius, qui poſtea *C. Licinium* eum, qui primus è plebe magiſter equitum fuit, tribunum militum ſcribit fuiſſe, neque tamen quo anno fuerit, extat, niſi hoc anno dicamus. Item quod idem ſequenti anno tribunos militum patricios omnes à plebe inuita factos ſcribit, quaſi vero hoc ipſo non omnes fuerint, ſiquidem *C. Licinius* è plebe fuit. Quod vero in veteribus etiam libris legatur, *Licinio Menenio III.* cauſam attulerunt imperiti illi emendatores veteres Nicomachus & Victorianus, qui quia ſcripſerant, bis Licinium Menenium ante tribunum, hoc etiam loco inſcitè ſcripſerũt. vbi in *Licinium* inciderunt, & de ſuo III. addiderunt, itemque *Menenium.*

Cap. XXXII. *Duobus millibus inde aberat.*] Vet. lib. *Duo millia paſſuum inde aberat.*

Cap. XXXIV. *Quam nec honos, nec gratia intrare poſſet.*] Vet. lib. *In quam nec.*

Cap. XXXV. *Alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri poſſideret.*] Huius legis meminit his verbis Varro lib. I. de re ruſt. *Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus quingenta iugera habere ciuem Romanum.*

Eod. *Tertiam ne tribunorum militum comitia fierent conſulumque vtique alter ex plebe crearetur.*] Repone, vt eſt in veteribus libris, *Ne tribunorum militum comitia fierent, ſed conſulum, et vt vtique alter ex plebe crearetur.* Ita enim fit, vt huius legis duo capita eſſent: vnum quo tribuni militares abrogarentur: alterum, quo conſulatus plebeius conſtitueretur.

Cap. XXXVI. *A. & C. Valerij.*] Legendum eſt, *P. & C. Valerij.* Id docent Capitolina fragmenta in quibus eſt POPLICOLA V. Ex quo apparet, *P. Valerium Poplicolam* eſſe, qui *quater* ante tribunus militum fuit, & poſt etiam VI. traditur eſſe à Liuio. Quæ res in magnum errorem Glareanum induxit, vt annum ibi ſine cauſa interiiciendum eſſe putarit. † Glareanus alias adducit rationes, quæ non diluuntur, vt fieri oportebat †.

Eod. *C. Veturius A. & M. Cornelij.*] Quia antea legebatur *C. Veturius, M. Autus, & M. Cornelius*: propterea probo coniecturam Glareani, quæ eſt vt legatur, *C. Veturius II. A. & M. Cornelij.* Nam *C. Veturius* ſemel ante fuit, *A.* autem & *M. Cornelij* infra iterum eſſe dicuntur, quorum alter *Coſſus* eſt, alter *Maluginenſis.*

Eod. *An placeret fœnore circumuentam plebem, ni potius quam ſortem creditam ſoluat, corpus in neruum ac ſupplicia dare.*] Glareanus tollendam vocem putat illam, *Ni*, & immerito: Senſus enim eſt, Placeretne plebem ni prius vſuram, quam ſortem ſoluat vinculis aſtringi? † Glareanus non ſimpliciter aſſerit hoc, ſed ſibi videri abeſſe poſſe clariore ſenſu †.

Eod. *Repleri vinctis nobiles domos.*] Vet. lib. *Nobilium domos.*

Cap. XXXVII. *An iam memoria exiſſe.*] Hic locus, quem alij aliter interpungunt, ſic mihi videtur legendus, atque interpungendus: *An iam memoria exiſſe, cum tribunos militum idcirco potius, quam conſules creari placuiſſet, vt & plebeis pateret ſummus honos IIII. & XL. annis neminem ex plebe tribunum militum creatum eſſe? Quis crederet duobuſne in locis ſua voluntate imperituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare ſoliti ſint?*

Eod. *IV. & XL. annis neminem ex plebe tribunum militum creatum eſſe.*] Reprehendit hunc numerum Glareanus, vt alios multos, quod à primis tribunis militum vſque ab hunc annum multo plures numerentur anni, quam XLIV. itemque, quod ſæpius quam quater & quadragies fieri ex plebe tribuni militum potuerint. Verum iniuſta accuſatio eſt. Mens enim auctoris eſt hæc. Quater & quadragies tribunos militum ex patriciis ſolis factos eſſe nullo admiſſu plebeio. Hinc error natus eſt Sex. Rufi, qui ſcribit Romam ſub tribunis militum conſulari poteſtate fuiſſe annos XLIII. Quamquam re diligenter inſpecta, ne patricios quidem ſolos in hoc magiſtratu fuiſſe, reperire poſſum, niſi annos duos & quadraginta.

Eod. *Ex plebe cœptos creari?*] Tolle notam interrogationis.

Eod. *Et vt rogaſſent, primæ tribus dicerent.*] Veteres libri habent, *Vti rogas*, non ſolum hoc in loco, ſed etiam lib. 10. vbi ait Liuius: *Hanc legem vti rogaſtis iubendam cenſeo*, & recte: fuit enim *Vti Rogas*, vox, aut tabella, qua populus rogatus iubendo, ſciſcendoque aliquid, vtebatur, de qua Cicero libro ſecundo de Legibus: *Suade igitur iſtam ipſam legem, vt ego, Vti rogas poſſim dicere* (ſic enim legendum eſt, non vt legitur *edicere*) Idem ad Atticum, libro primo, *Tabellæ miniſtrabantur ita, vt nulla daretur, Vti rogas.* Itaque apud Liuium libro trigeſimo, *De pace vt rogaſſent omnes tribus iuſſerunt*: legendum eſt, *Vti rogas.* Et libro trigeſimo primo, *In ſuffragium miſſi vti rogarat, bellum iuſſerunt. Vti rogas.* Has autem voces cùm mendosè eſſe animaduerterent ij, qui ante me Liuium emendarunt, *Uti rogata eſt, Vti rogata eſſent, Vti rogati eſtis*, corrigendum ſine ratione putarunt.

Eod *Et interceſſionem ſeceſſione quondam plebis partam, nobis eadem vi, etc.*] *Vobis* habent mſſ. & rectè.

Cap. XXXVIII. *Dictator interceſſioni adero.*] Veteres libri, *Interceſſioni veſtra adero.*

Eod. *Sacramento omnes iuniores adacturum, exercitum extemplo, ex vrbe deducturum.*] Vet. lib. *Exercitumque extemplo educturum.*

Eod. *Et quod vſque ad memoriam noſtram tribuniciis, conſularibuſque certatum viribus eſt, dictaturo ſemper altius faſtigium fuit.*] Deſideratur vox vna, ſine qua ſtare hæc ſententia non poteſt, quamdiu à me quæſitam vix in vno tandem manuſcripto libro reperi: *Et quod quotiens vſque ad*: at malim illam poſtponi, ſic: *Et quod vſque ad memoriam noſtram quoties tribuniciis.*

Eod. *De plebeio conſulatu antiquabant.*] Vet. libri, *De plebeio conſule.*

Eod. *Ni tribuni ſe.*] Vet. lib. *Ni tribuni plebis ſe.*

Cap. XXXIX. *C. Licinio, qui tribunus militum fuerat, magiſtro equitum de plebe.*] Hic non eſt C. Licinius, qui tribunatus plebis nouem per hos annos geſſit cum L. Sextio, vt tradit Plutarchus in Camillo. Nam de eo vel hoc etiam anno tribuno plebis ita ſuggerit Liuius: *Licinius, Sextiuſque cum tribunorum plebis creandorum indicta comitia eſſent, ita ſe gerere, vt negando iam ſibi velle continuari honorem acerrime accenderunt ad id, quod diſſimulando petebant, plebem.* Pauloque poſt iidem loquuntur: *Iam nec collegas, nec bellum, nec dictatorẽ obſtare, quippe qui etiam omen plebeio conſuli magiſtro equitum ex plebe dicendo dederit.* Cum autem non extaret annus apud Liuium, quo tribunatum hic militum cepiſſet, cum ipſum ſupra ex Diodori auctoritate tradidi. Eſt autem veriſimile, ſi Liuius Licinium tribunum plebis intellexiſſet, non qui tribunus militum fuerat, ſed qui tribunus plebis erat, dicturum fuiſſe. Quod ne animaduertit quidem etiam Glareanus.

Eod. *Deinde comitiis tribuniciis declararent voluntatem.*] Tribunicia vocat comitia, quibus plebs mandare tribunatum plebis Licinio, Sextioque cupiebat. Quare non eſt, cur *Tributis* legamus, vt placet Glareano.

Cap. XL. *Succlamare bona venia veſtra liceat.*] Hæc verba ita interpungenda, vt appareat: *Bona venia veſtra*, &c. eſſe Appij ſucclamantis, ſic: *ſucclamare, Bona venia.*

Eod. *Non, inquit, licebit tu de fœnore atque agris.*] Fœdata pulcherrima ſententia eſt ab iis, qui eam non percipientes, non recte diſtinxerunt: ſic enim accipiendum eſt, vt illæ voces: *Non, inquit, licebit*: ſint Licinij reſpondentis Appio ſucclamanti.

Eod. *Ut Sextium.*] Vet. lib. *Vel Sextium*: ex quo colligi poteſt legendum, *vt L. Sextium.*

Eod. *Videas, aut omnia accipe, aut nihil fero, vt ſi quis ei, quẽ vrgeat*

Digitized by Google

…aet.] Adde notã interrogationis voci *Videas*? Quæ ſequuntur verba: *aut omnia accipi, aut nihil fero*, verba ſunt Licinij tribuni pl. ab Appio recitata per *μίμησιν*, perinde atque illa: *Non, inquit, licebit*. Iam vero illa, *Vt ſi quis ei, quem vrgeat fames*: ſunt Appij coarguentis Licinij ſententiam illam: *Aut omnia accipe, aut nihil fero*.

Eod. *Rogationibus tuis*.] Adde notam interrogationis.

Eod. *Quid eſt dicere aliud, quam indignos veſtra volũtate*.] Vet. libri, *Quid eſt dicere aliud, niſi qoia indignos*, &c.

Cap. XII. *Eſt aliquis qui ſe inſpici, qui æſtimari faſtidiat?*] Et hæc, & quæ ſequuntur verba ſine interrogatione legẽda ſunt.

Cap. XIII. *De decemuiris ſacrorum ex parte de plebe creandis pertulere*.] Vet. lib. *Legem pertulere*.

Eod. *T. Quintium Pœnum*.] *Pĕnum*, ex Capitolinis lapidibus.

Eod. *Cum quo prouocatus munus conſerait*.] Vet. lib. *munum*.

Eod. *Hoc autem anno in Albano agro cum Gallis dictatore M. Furio ſignu collata*.] Hac de re ſic Polybius lib. 2. παρεμβαλόντων δὲ πάλιν τῶ Κελτῶ εἰς Ἄλβαν στρατεύματι μεγάλῳ μετὰ τὴν τῆς πόλεως κατάληψιν ἔτει τριακοστῷ. Hoc tamen à Liuio diſcrepat. nam à Roma capta ad hunc annum non XXX. ſed XXIII. apud Liuium numerantur.

Eod. *Prope ſeceſſionem plebis, terribileſque alias minas ciuilium certaminum venit*.] Veteres libri, *Propè ad ſeceſſionem*. Probo. Nam libro octauo ait: *Propè ad vltimum dimicationis ventum eſt*. Et libro 10. *Quam propè ad vltimum diſcrimen nuper ventum foret*.

IN EPITOMEN LIB. VII.

Duo noui magiſtratus adjecti ſunt.] In Vet. lib. non eſt vox, *noui*, & ſine ea ſenſus ſtare poteſt.

A. M. Pompeio tribuno pl.] Lege *M. Pomponio*, ex Liuio & Cicerone.

Propter dilectum acerbe factum.] Vet. lib. *Actum*.

Filium relegatum.] Vet. lib. *Filium rus relegatum*, recte ſic enim Liuius.

Tunc omnia pernicioſa omiſſa ſunt. In patentem voraginem vrbis Romæ Curtius armatus equo, &c.] Hic locus ita legendus: Tunc omnia pretioſa miſſa ſunt in patentem voraginem vrbis Romæ. In eam Curtius armi. Sic quam lectionem veteribus in libris ſe recepiſſe mihi affirmauit iuuenis eruditiſſimus Claudius Puteanus: & Liuius ipſe comprobat, cum ſcribit: *Donaque ac fruges ſuper eum à multitudine virorum ac mulierum congeſta*.

Manlius adoleſcens.] Vet. lib. *T. Manlius*.

Plus quingentorum iugerum.] Aut lege, *plus quingenta iugera*, vt Liuius: aut *Plus quingentis iugeribus*, vt in epit. lib. 6.

Coruini nomen.] *Corui nomen*, vt poſt dicam.

P. Decij tribuni.] Vet. lib. *P. Decij Muris tribuni*.

Id iugum, in quo Samnites ſederant.] Veteres libri *conſederant*.

Milites, qui Capua in præſidio erant relicti, cum de ea occupanda vrbe conſpiraſſent.] Vet. lib. *Cum milites Romani, qui Capua in præſidio erant relicti, de ea occupanda vrbe conſpiraſſent*.

Coruinum dictatorem.] *Coruum*, vt dicam.

Patriæ reſtituti ſunt.] Præter hæc adde: *Res præterea contra Hernicos, & Gallos, & Tiburtes, & Priuernates, & Tarquinienſes, & Samnites, et Volſcos proſpere geſtas continet*: ſic enim eſt in Veteribus libris, atque ita eſt apud Liuium.

IN LIBRVM VII.

Cap. I. *Annus hic erit inſignis noui hominis conſulatu*.] *Nouus homo* apud Liuium dicitur, & is, qui magiſtratum capit, quem non antea geſſit, & qui primus ex familia ſua curulẽ magiſtratum cepit. Priore modo locutus eſt lib. 22. *Nec cuiquam eorum præter Terentium conſulem, erat mandatus honos, quem non antea geſſiſſet. præteritis aliquot fortibus ac ſtrenuis viris, quia in tali tempore nullus nouus magiſtratus videbatur mandandus*. Poſteriore hoc loco: Hominem eum nouum L. Sextium plebeium vocat, qui primus è gente ſua curulem magiſtratum conſulatum ceperit. *Nouis* autem *hominibus*, *Nobiles* opponuntur, & *Nouitati Nobilitas*. *Nobiles* autem ij dicti, qui maiorum ſuorum habent imagines. *Imagines* autem ſui ponere, ac poſteris tradere non poſſunt, niſi qui curulem magiſtratum geſſerunt, quorum primus erat ædilitas. Qui magiſtratus quoniam ſolis patriciis primũ patuerunt, idcirco ſoli patricij nobiles primum appellati. Vbi vero plebi honores etiam curules ſunt communicati, tum plebei etiam nobiles nominati ij, qui maiorum ſuorum imagines haberent. Eſt autem *imago* (auctore Polybio lib. 6.) *ſimulacrum oris ſimilitudinem affabre, miroque artificio effictam coloribus, pigmentiſque adumbratam referens, quam in inſigniori ac celebriori domus parte collocabant*. De iure autem ponendarum imaginum ſic Cicero in Verrem: *Ego me ob ædilitatem mihi delatum adeptum eſſe intelligo antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius, imagines ad memoriam, poſteritatemque prodendam*. Et contra Rullum, *Eſt hoc in more poſitum, Quirites, vt ij qui beneficio veſtro imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungant*. *Eſt autem conſequi imagines familiæ, magiſtratus curules à maioribus ſuis item geſtos capere*. Et poſt: *Me hominem nouum conſulem feciſtis*. Item: *Mihi apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint, quales nos illorum ſanguine creatos, diſciplinisque inſtitutos videtis, ſed quod laude populari, atque honoris veſtri luce caruerũt*. Item: *Quemadmodum cum petebam nulli me vobis auctores generis mei commendarant, ſic ſi quid deliquero, nulla ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur*. Et in Piſonem: *Commendatio fumoſarum imaginum*. Et Liuius lib. 1. *Ancus Marcius nobilis vna imagine Numæ*. Et Pædianus in oratione in Toga. *Cicero competitores quatuor plebeios habuit, ex quibus duo nobiles, duos qui tantũ non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant*.

Et Liuius lib. 22. *Nec finem ante belli habituros, quam conſulem verè plebeium, id eſt, hominem nouum feciſſent*, *Nam plebeios nobiles iam iiſdem initiatos eſſe ſacris & contemnere plebem, ex quo contemni deſierint à patribus*.

Eod. *Patres præturam Sp. Furio M. Filio Camillo dederunt*.] Hic M. Camilli quinquies Dictatoris filius fuit, auctore Suida, qui ita ſcribit in voce, Πραίτωρ. πρῶτος στρατηγὸς ἀπεδείχθη Φούριος Κάμιλλος παῖς Καμίλλου τοῦ πολλάκις μοναρχήσαντος, ὃν πραίτωρα τῇ ἰδίᾳ γλώττῃ οἱ Ῥωμαῖοι ὀνόμαζον.

Eod. *Suarum gentium viris gratia campeſtri ceperunt*.] Vet. lib. omnes, *Dederunt*. Sic poſt: *ab patribus L. Cornelius Scipio conſul datus*.

Eod. *Collegam conſulibus*.] *Prætor collega conſulum* dicebatur, quod iiſdem auſpiciis crearetur, auctore Meſſala apud Gellium lib. 13. cap. 14.

Eod. *Cenſorem, &c. mortuos ferant*.] Nomina cenſorum per hos annos edit nulla Liuius: in Capitolinis tabulis eſt, *Poſthumius Albinus Regillenſis, & C. Sulpicius Peticus*. *Albinus* procul dubio mortuus. Nam de *Petico* poſt magna mentio fit.

Eod. *Par deinde per quinque & triginta annos*.] Libri veteres, *viginti quinque*, egregie. tot enim à Roma capta ad hunc vſque annum numerantur, id eſt, ab anno CCCLXV. ad annum CCCXC. Hoc † Glareanus ante Sigonium notauit, ſed hoc obticet †.

Cap. II. *T. Sulpicio Petico*.] Lege, *C. Sulpicio Petico*, ex lapidibus Capitolinis, ex Diodoro, Caſſiodoro, omnibus. † Et hoc quoque Glareanus annotauit †.

Eod. *Nam Circi modo ſpectaculum fuerat*.] Hoc quid ſit declarat Valerius lib. II. cum ait: *Itaque placandi cæleſtis numinis gratia compoſitis carminibus vacuas aures præbuit, ad id tẽpus Circenſi ſpectaculo contenta, quod primus Romulus raptis virginibus Sabinis Conſualium nomine celebrauit*.

Eod. *Quia hiſter Tuſco verbo ludio vocabatur*.] Quidam libri *Hiſtrio* habent: at Plutarchus etiam in Problematis à Tuſcis ἴστρον vocatum ſcribit, vt recte *Hiſter* legatur.

Eod. *Non ſicut ante Feſcennio verſu ſimilem incõpoſitum temere, ac rudem alternis iaciebant*.] Hic locus partim librariorum vitio, partim antiquitatis ignoratione obſcuriſſimus eſt. Habent tamen libri veteres impreſſa aliqua veſtigia veræ lectionis. Nam in quibuſdam eſt *Feſcennino ſimilem verſu incompoſitum*

temere. Quibus adductus ſum, vt credam legendum eſſe: *Feſcennino ſimilem verſum, compoſitum temere.* ita vt prima ſyllaba vocis, *incompoſitum*, ſit vltima litera vocis *Verſum*. Quid enim ſignificat *verſus incompoſitus temere*? Eſt autem ſenſus: Primum ludiones ex Etruria acciti ſine carmine ad tibicinis modos ſaltarunt: poſt verſus ſed inconditi, & motus à voce non abſoni acceſſerunt, tum diligentia quoque maior adhibita eſt. Non enim feſcennino ſimilis verſus, temere compoſitus ac rudis, vt ante allatus eſt, verum deſcripto ad tibicinem cantu, ſaltuque congruenti ſatyras peregerunt. Quo fit, vt unus ille explicetur, qui ab Ariſtotele in Poëticis recitatur. Veteres enim unum hiſtriones imitatos eſſe ῥυθμῷ ἁρμονίᾳ καὶ λόγῳ. id eſt, *ſaltu ,concentu & verſu.* † Hunc locum reprehendit Robortellus libr. 2. emendationum, cap. 33. concedens ea quidem ſe ita habere quæ ab Ariſtotele exponuntur, at ſimul oſtendens aliud eſſe quod ab Andronico factum Liuius ſcribit. Cum enim vnus eſſet qui imitaretur cantu & ſermone, ſeparare is cœpit, quia impediri illum qui duo ſimul faceret, videbat. Ariſtoteles vero hiſtriones tres fuiſſe introductos, primum à Sophocle, qui ſermone imitarentur, vt hic eſſet primarum partium, alter ſecundarum, tertius tertiarum. †

Eod. *Qui ab Satyris auſus eſt primus argumentum fabulam ſerere.*] hanc ſententiam his verbis tradidit Valerius lib. 2. *Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarum modos perrexit, à quibus omnium primus poeta Liuius ad Fabularum argumenta ſpectantium oculos et animos tranſtulit: Iſque ſui operis actor, cum ſæpius à populo reuocatus vocem obtudiſſet, adhibitis pueri & tibicinis concentu geſticulationem tacitus peregit.*

Eod. *Diuerbiaque tantum ipſorum voci relicta.*] Hinc eſt quod ait Donatus in Andr. Diuerbia à ſolis hiſtrionibus fuiſſe pronunciata. Hiſtriones enim videtur vocare eos tantum, qui canerent, non qui item ſaltarent, aut tibias inflarent. Quaſi vero intelligendum ſit, in Canticis rem actam eſſe tribus, ſaltu & verſu, in diuerbiis autem verſu tantummodo, id quod veteres Latini, aſſa voce dixerunt. *Diuerbia partes comœdiarum ſunt*, auctore Diomede, *in quibus plures perſonæ verſantur. Cantica, in quibus vna tantum.*

Eod. *Quæ in exodia poſtea appellata.*] *Exodia* idem ſunt, atque apud Ariſtotelem in Poëticis, Epiſodia, hæc quod extra rem ſint, illa quod rei inſerantur appellata. Etenim Suidas ait: Ἐπεισόδιον τὸ εἰς τὰ δράματα εἰσαγόμενον κατὰ σχεδιασμόν τινά, καὶ αὔξησιν τοῦ δράματος: Item Ἐξόδιον τὸ εἰσαγόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν ἔξω τῆς ὑποθέσεως ὄν, κατακλειστικόν δὲ τὸ ἐξόδιον ἆσμα [illegible]. Sic Liuius vocat: *Ridicula intexta verſibus: Conſertaque fabellis potiſſimum Atellanis.* Nonius Marcellus exempla ſæpe profert ex fabula Nonij poëtæ comici, *Exodio.*

Cap. III. *C. Genucio.*] *Cn. Genucio*, ex tabolis Capitolinis, & Diodoro, qui Γναῖον Γενύκιον edit.

Eod. *Repetitum ex ſeniorum memoria dicitur.*] Hac de re nihil ante tradidit.

Eod. *Notam numeri fuiſſe ferunt.*] Scilicet, vt quot anni, tot claui numerarentur. Qood Glareano obſcurum videtur, cum tamen ſcribat Feſtus: *Clauus annalis appellatur qui figebatur in parietibus ſacrarum ædium per annos ſingulos, vt per eos colligeretur numerus annorum.*

Eod. *Quia numerus Mineruæ inuentum ſit.*] Vet. lib. *A Minerua inuentus ſit.*

Eod. *Volſiniis.*] *Vulſiniis*, ex veteribus lib. & Capitolinis lapidibus.

Eod. *Perinde ac reipublica gerenda, ac non ſoluenda religione gratia creatus eſſet.*] Non poſſum non vehementer diſſentire à Sigiſmundo Gelenio, qui cum antea legeretur, *Rei gerendæ, ac non ſoluendæ religionis gratia*, & recte legeretur, emendauit, *Reipub. gerendæ, ac non ſoluendæ religionis gratia.* Diſſentio autem ab eo non ſolum, quod à veterum aoctoritate librorũ, ſed etiam quod ab ipſa ratione alienam attulit lectionem. Neque enim dictatorem vnquam traditum eſt creatum eſſe *Reipub. gerendæ cauſa*, ſed *Rei. Rem* autem *gerere* eſt bellum Reip. cauſa gerere. Itaque cum aliis multis de cauſis dictator creari ſolitus fuerit, hæ tamen duæ præcipuæ ſemper habitæ ſunt, pacis & foris, & domi præſtandæ. Quorum illud *Rei gerendæ*, dixerunt, hoc *Seditionis ſedandæ*, quemadmodum ex Capitolinis dictaturis intelligi poteſt. Neque vero ſolum *Rei*, ſed etiam *belli gerendi cauſa* inquit Liuius, vt lib. 8. extremo. *Id ambigitur belli ne gerendi ca cauſa creatus ſit.* Et lib. 34. *Nouumque Imperatorem rei gerendæ cauſa ex Italia veniſſe. Soluere autem Religione, & Religionem*, non ſunt idem: Nam illud eſt liberare eo officio, quæ per religionem tenemur, hoc præſtare illud, quod ipſi vt faciamus noſtra nos, religio admonet.

Cap. IV. *Sanguine ipſo ſuo exerceret.*] Veteres libri, *Sanguine ipſe ſuo.*

Eod. *Quod naturæ damnum vtrum nutriendum patri, ſi quicquam in eo humani eſſet, an caſtigandum, ac vexatione inſigne faciendum.*] Glareanus ſine veterum librorum auctoritate ita legendum putat: *vtrum nutriendum patri, ac vexatione inſigne faciendum, an caſtigandum potius, ſi in eo quicquam humani fuiſſet?* Quæ lectio alienam edit ſententiam ab ea quæ vulgata continetur, quæque germana videtur. Induxit autem eum in hunc errorem, quod ignorauit, quemadmodum filiorum vitia à patribus nutrirentur. Qua de re Horat. lib. 1. Satyr. 3.

At pater vt gnati, ſic nos debemus amici
Si quod ſit vitium, non faſtidere. ſtrabonem
Appellat pætum pater, & pullum male paruus
Si cui filius eſt. vt abortiuus fuit olim
Siſyphus. hunc varum diſtortis cruribus, illum
Balbutit, ſcaurum prauis fultum male talis.

Eſt igitur ſenſus: Nutriendum potius fuiſſe patri vitium filij pro humanitate eius, quam relegatione caſtigandum, atque inſigne faciendum. *Nutrire* autem dixit Liuius, quod Horatius *non faſtidere.*

Cap. V. *Ad M. Pomponium tribunum pergit.*] Vet. lib. *Tribunum plebis pergit.*

Eod. *Ad cõciliandũ gratiam.*] Vet. lib. *ad cõciliandã gratiam.*

Eod. *Cum eo anno primum placuiſſet tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri.*] Eo modo dixit *tribunos militum ad legiones*, quo Cicero; *Cum in Africam veniſſem tribunus militum ad quartam legionem*, lib. 6. de Republicã.

Eod. *Nam & antea ſicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ſibi faciebant.*] Feſtus item, *Rufuli appellabantur tribuni militum à conſule facti, non à populo, de quorum iure, quod Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli ac poſt Rutuli ſunt appellati.*

Cap. VI. *Nunc famæ rerum ſtandũ eſt.*] Corrige *Fama.* Etenim cum dicimus, *ſtare pactis, ſtare promiſſis*, & eiuſmodi, caſum auc ferendi vſurpamus, non dandi. Sic Liuius in extremo octaui: *Nec quiſquam æqualis temporibus illis ſcriptor extat, quo ſatis certo auctore ſtetur.*

Eod. *Deinde vt eueniret res, ita cõmunicatos honores proſpere aut ſecus conſulto habituros.*] Vet. libri, *Perinde vt eueniret.* Item: *Probè aut ſecus.*

Eod. *Ab inſciis quem interfeciſſent, occideretur.*] Vet. libri, *Quem interficerent.*

Eod. *Crearent conſules ex plebe.*] Vet. lib. *Conſulem*: Siquidem lata lex erat, vt alter vtique ex plebe conſul crearetur.

Eod. *Quia diſſuaſerat legem.*] Vet. lib. *Legem in concione.*

Cap. VII. *Neque ſegnius ad hoſtes bellum apparatur.*] Vet. lib. alij habent: *Neque ſegnius apud hoſtes bellum apparatur*: alij, *Neque ſegnius & hoſtes bellum apparant.* Vtrumque probè magis, quam quod volgo legitur.

Eod. *Clamore prouolant ante ſigna.*] Scribe ex veteribus libris: *Clamore ingenti prouolant ante ſigna.*

Cap. VIII. *Quicquid hinc aut illinc communis Mars bello aufert.*] Quamquam veteres omnes libri habent, *bello*, corrigo tamen, *belli.* Eſt enim hæc locutio Liuio familiariſſima, cuius ex plurimis pauca exempla ſubiiciam. lib. 8. *Affirmando, communem vere Martem belli, vtramque aciem pari cæde proſtraniſſe.* Et li. 10. *Quamquam cõmunis adhuc Mars belli erat.* Et lib. 28. *Quid quod in Africa quoque Mars communis belli erit?* Et lib. 30. *Martem belli communem propone animo.* Et lib. 42. *Quam incertus fortunæ euentus, communiſque Mars belli ſit.*

Cap. VIII. *Agmenque fugientium ab ſignis, cum præter mœnia eorum infrequentia ſigna conſpecta eſſent, fuſum ac per agros trepida fuga palatum eſt.*] Nullum habet vitium hic locus, contra atque cenſet Glareanus: cenſus eſt, cum ſigna Hernicorum prope mœnia oppidi conſpecta eſſent deſerta ab ſuis, agmen eorum, qui ab ſignis fugerant, fuſum, fugatumque eſt. *Signa* autem *infrequentia* vocat, quæ militum frequentia non eſſent ſtipata ſic lib. 9. locutus eſt. † Glareanus nullum vitium hic eſſe ait, ſed locum obſcurum, vt eſt †.

Cap.IX. *Cum L. Sulpitius.*] C. *Sulpicius* legendum, ex priore huius conſolatu, partim Liuiano, partim Capitolino: Item ex Diodoro, & Caſſiodoro, & cæteris.

Eod. *Tyburtes.*] *Tibur & Tiburtes*, ſcribendum litera *i*, ex veteribus libris, & lapidibus Capitolinis, & Græcorum monumentis.

Eod. *Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis.*] Glareanus *Falaria* legit, his verbis: *Falariēſiū meminit Plinius lib. 3. cap. 13. in Picenis, quod melius quadrat, quā Salaria via, vt quidam habent codices.* Quæ autem affert Glareanus, portenti ſimilia ſunt: Nam de *Salaria via* ita Feſtus lib. 17. *Salaria via Romæ eſt appellata, quia per eam Sabini ſalam mari deferebant.* Et lib. 10. *Lucaria feſta in luco colebant Romani, qui magnus inter viā Salariā & Tiberim fuit, pro eo, quod victi à Gallis fugientes è prælio ibi ſe occultauerunt.* Hinc tertium Gallorum motum nominat Appianus in Celtica T. Quintio duce compreſſum.

Eod. *Sergium Cornelium.*] *Ser. Cornelium* perſpicuè.

Cap.X. *Recipiunt ſe inde ad ſtationem.*] Melius in Vet. lib. *recipiunt ſe inde ad ſtationem cæteri.*

Eod. *Et quoniam id quoque memoria dignum antiquis viſum eſt, linguam etiam ab irriſu exerētem.*] Inter antiquos fuit etiam Q. Claudius Quadrigarius, qui in primo annalium, teſte Gellio, hanc pugnam deſcribens, ita ait: *Deinde Gallus irridere cœpit, atque linguam exertare.*

Eod. *Tot circa mortalium animis ſpe, metuque pendentibus.*] *Animi*, non *animis* legi oportere, exiſtimat idem quem ingenio dixi excellere, Florebellus, vt ſit. *Tot mortalibus pendētibus animi ſpe metuque*; & illud exprimatur, quod eſt libro 8. *Tot populos inter ſpem metumque ſuſpenſos animi habetis.*

Eod. *Cum ſcuto ſcutum imum perculiſſet, totóque corpore interior periculo vulneris factus inſinuaſſet ſe inter corpus, armaque vno alterove ſubinde ictu ventrem atque inguina hauſit.*] Obſcurum quia cenſet eſſe hunc locum Glareanus, eius ſenſum exponam. † Sigonius quidem exponit, res tamen nihilominus manet in obſcuro: diſcutiat lector locum, & videbit Liuiū ipſum ex Quadrigarij imitatione hanc commiſiſſe obſcuritatē †. Manlium ait, cum ſcuto ſcutum imum Galli percuſſiſſet, toto corpore, ne à Gallo vulneraretur, Gallum ipſum ſubiiſſe, & proxime ad eum acceſſiſſe, ita vt ſe inter corpus Galli & ſcutum eius implicaret. Sic enim Q. etiam Quadrigarius in primo annalium auctore Gellio, à quo huius pugnæ deſcriptio ſumpta à Liuio eſt. *Manlius iterum ſcuto ſcutum percutit, atque de loco hominem iterum deiecit: eo pacto ei ſub Gallicum gladium ſucceſſit, atque Hiſpanico pectus hauſit.*

Eod. *Torquatis nomen auditum.*] Lege; *Additum* ex Veteribus libris.

Eod. *Celebratum deinde poſteris etiam, familiaque honori fuit.*] Vet. lib. *Poſteris, & familia honori fuit.*

Cap.XI. *C. Petilius Balbus.*] Capitolini lapides hunc *C. Pœtelium Libonem vocant.*

Eod. *Fuga Tibur ſicut arcem belli Gallici petunt: palati à conſule Pœtelio haud procul Tiburo excepti.*] Suſpicor legendū eſſe, *Fugati Tibur*: nam ſubſequitur *Palati*. Syllaba quidem prima vocis *Tibur* errorem probabiliorem mihi reddit.

Eod. *Egregie cum ab Dictatore, tum ab conſule geſta eſt res.*] Vet. lib. *Egregie tam ab Dictatore, tam ab conſule res geſta eſt.*

Eod. *Hernicos deuincit.*] Vet. lib. *Deuicit.*

Eod. *Recepiſſe ſe in vrbem.*] Vet. libri, *Intra vrbem.*

Eod. *Tumultum exciere in hoſtium portis.*] Quidam legunt *excire*: at *Exciere* infinitiuus verbi *Excieo*, eſt in veterib. lib.

Cap.XII. *M. Popilio Lenate.*] Ex Capitolinis tabulis *M. Popillio Lanate* ſcribendum eſt. Diodorus item Μάρκον Ποπίλλιον Λαινᾶτον conſulem vocat. Duxit autem cognomen à *lena*, vt ait Cicero in Bruto. *M. Popillius Lenas conſul cum eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum lana faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & ſeditione nunciata, vt erat laena amictus, ita venit in concionem, ſeditionemq; cum auctoritate, tum oratione ſedauit.* Liuius item hoc anno orientem ſeditionem inter patres, & plebem metu Tiburtini belli compreſſam ſcribit.

Eod. *Ad hoc multorum inſcitia.*] Vet. lib. *Ad hæc.*

Eod. *Tarquinienſes fines Romanos, maxime qua ex parte Etruriam adiacent, peragrauere.*] Veteres libri, *Qua ex parte Etruria adiacet*, probo.

Eod. *Conſules C. Fabius, & C. Plautius.*] Diodorus Μάρκον Φάβιον, & Γάιον Πλαύτιον edit.

Eod. *Ex fœdere vetuſto.*] Quod ictum cum Latinis erat victis ad lacum Regillum. Liuius lib. 2.

Eod. *Gallos mox Præneſte veniſſe, & dictatorem dici C. Sulpicium placuit.*] Hic eſt quartus Gallorum in Romanos impetus C. Sulpicio dictatore repreſſus: de quo ſic Appia. in Celtica: μετὰ δὲ Βοιοὶ Κελτικὸν ἔθνος ... Ῥωμαίοις, καὶ αὐτοῖς Γάιος Σουλπίκιος δικτάτωρ μετὰ στρατιᾶς ἀπήντα.

Eod. *Si quis iniuſſu in hoſtem pugnaſſet.*] Vet. libri, *Iniuſſu.* Probè. ſic enim & lib. 3. *Populus iniuſſu et altero die frequens ſupplicatum iit.*

Eod. *Nec in circulis modo fremere ſed iam in principiis.*] Veget. libro 2. *Principia principales milites ait fuiſſe, qui priuilegiis muniebantur, vt tribuni, ordinarij, aquiliferi.* Hoc loco *in principiis*, eſt in *cœtu principalium militum.*

Cap.XIII. *Obedientiſſimum militum.*] Vet. lib. *Militem.*

Cap.XIV. *Noſtra quoque quidam ætate vſi ſunt.*] Inter cæteros C. Marium nominat Frontinus lib. 2. qui contra Theutonas dimicaturus, iumentorum magnam partem inſtruxit, eaque agaſones, lixaſque conſcendere iuſſit, vt per id facies equitatus obiiceretur. Idem eodem in loco C. Sulpicij etiam meminit.

Eod. *Mulis ſtrata detrahi iubet, binisque tātum centunculis relictis agaſones partim captiuis, partim ægrorum armis ornatos imponit.*] Sic Frontinus lib. 2. de Mario. *Agaſones lixaſque armatos ſimul ire iuſſit, iumentorumque magnam partem inſtructorum cum centunculis, vt per hoc equitatus ſpecies obiiceretur.* Ex his locis *centunculus* videtur fuiſſe pannus, quo equi inſternebantur. Nam mulis & Sulpicius, & Marius *centunculos* addiderunt, vt ſpeciem equorum præberent.

Eod. *Vbi digreſſos repente viderunt.*] *Degreſſos*: nam paulo ante dixit: *Euadere in montes iubet.* Item, *non deſcenſuros in æquum Romanos.*

Eod. *A fallaci equitum ſpecie, agaſonibuſque.*] Vet. libr. non habent vocem, *que*: ita vt, *Agaſonibus*, appoſitiue dictum ſit. Fallax enim equitum ſpecies, nihil aliud erat, quam agaſones mulis impoſiti.

Cap.XV. *A C. Petilio tribuno plebis.*] *Pœtelio*, ex Capitolinis lapidibus.

Eod. *Ignominia populi Rom. inſignior fuit.*] Vet. lib. *Inſignior.*

Cap.XVI. *M. Duellio, L. Menenio tribunis pl.*] *M. Duilio, L. Manio*, vt ante.

Eod. *Ad bella noua priore anno deſtinata Faliſci quoque hoſtes exorti.*] Veteres quidam libri habent, *Faliſci quoque noui hoſtes exorti.* Verum non ſine menda. Non enim *noui hoſtes* Faliſci erant, quos ante domuerat Camillus. Suſpicor legendum, *Noti hoſtes*, ita vt vox *Noti* reſpondeat vocibus illis, *Ad bella noua.* De hoc bello Faliſcorum ſic Diodorus libr. 16. Ῥωμαῖοι δὲ πρὸς Φαλίσκους συνέστησαν πόλεμον, καὶ μέγα μὲν οὐδὲν, οὐδ' ἄξιον μνήμης ἐπετέλεσαν.

Eod. *Nihil enim non per milites iuratos in conſulis verba, quamuis pernicioſum populo, ſi id liceret, fieri poſſe.*] Lego, *Ferri poſſe*, quia de militibus, qui legem novo exemplo in caſtris tulerant, loquitur.

Cap.XVII. *Inde terror maximus fuit, quod ſacerdotes eorum facibus ardētibus anguibuſque prælatis inceſſu furiali militem Romanum inſueta turbauerunt ſpecie.*] Obſcure hoc à Liuio dictum eſſe, ait Glareanus: at Frontinus lib. 2. cap. 4. iiſdem ferè vtitur verbis: *Faliſci & Tarquinienſes compluribus ſuorum in habitu ſacerdotum ſubornatis faces & angues furiali habitu præferentibus aciem Romanorum turbauerunt. Idem Veientes & Fidenates facibus arreptis fecerunt.* De his autem ſic ſcribit Florus, quaſi rem exponens: *Fidenæ, quia impares erant ferro ad terrorem mouendum facibus armatæ, & diſcoloribus ſerpentum in modum vittis furiali more proceſſerunt.* Quod autem ait Florus de anguibus Fidenatum, id non eſt apud Liuium, qui ſic loquitur lib. 4. *Ignibus armata, ingens multitudo facibuſque ardentibus tota collucens velut phanatico inſtincta curſu in hoſtem ruit.*

Eod. *Concitatur deinde nomen Etruſcum.*] Sic Diodorus lib. 16. Τυῤῥηνοὶ δὲ διαπολεμοῦντες Ῥωμαίοις ἐπόρθησαν πολλὴν τῆς πολεμίας χώρας, καὶ μέχρι τοῦ Τιβέρεως καταδραμόντες ἐπανῆλθον εἰς τὴν οἰκείαν.

Eod. *Quia nec per dictatorem.*] Vet. lib. *Et quia nec per dictatorem.*

Eod. *Intercedentibuſque tribunis.*] Vet. lib. *Tribunis plebis.*

Digitized by Google

Cap. xviii. *Quinto triceſimo.*] Vet. lib. *Quinto & tric· imo*

Eod. *Ablato poſt nonum annum è plebe conſulatu.*] xi. Corrigendum eſt, id eſt, *vndecimum*: tot enim anni ſunt, ex quo plebeius patuit conſulatus. Error ex notis natus eſt, ix. & xi. † Hęc Glareanus de verbo ad verbum, Sigonius vero quod is prior correxit, quaſi ipſe primus hoc inueniſſet, adducit. †

Eod. *Si plebeius iam magiſtratus fiat conſulatus, aut poſſidendum totum.*] Vet. lib. *Si plebeius iam magiſtratus conſulatus fiat, aut totum poſſidendum.*

Eod. *Pro T. Quintio M. Popillium conſulem inuenio.*] Diodorus etiam *T. Quintium* edit conſulem.

Cap. xix. *Medio in foro omnes virgis caſi.* cccLviii. Tarquinienſes in foro Romæ cæſos ſcribit: ait Diodorus cccLx. ſic enim lib. 16. Ταρκυνιῆται δὲ ἄνδρας σ. καὶ ξ. δημοσίᾳ ἐθανάτωσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ.

Eod. *Vt Samnites quoq; amicitiam peterent.*] Diodorus his item conſulib. fœdus inter Samnites & Romanos factum ſcribit.

Eod. *Nexumq; inibant.*] Id eſt, operas in ſeruitute pro pecunia quam, debebant, præbebant, auctore Varrone.

Cap. xx. *Verus belli terror inuaſit.*] Vet. lib. *Etiam verus belli terror inuaſit.*

Eod. *Eane meritos crederet quiſquam hoſtes repente ſine cauſa factos?*] Senteotia, quæ obſcuriſſima Glareano viſa eſt, hæc eſt: Credibilene eſſet, eos qui tam magna beneficia popul. Rom. dediſſent, hoſtes eius repente ſine cauſa factos? Inde transfertur culpa aut in temeritatem eorum, qui feciſſent, aut in neceſſitatem.

Cap. xxi. *Q. Publius, & T. Æmilius.*] *Q. Publius, & Ti. Æmilius.* De *Publilio* ſupra dictum eſt. De *Æmilio* dicam haud ita multo poſt.

Eod. *Cui Magiſter equitum adiectus L. Æmilius.*] Vet. lib. *Magiſter equitum ei adiectus eſt L. Æmilius.*

Cap. xxii. *Tentatum domi per dictatorem, vt ambo patricij conſules crearentur, rem ad interregnum perduxit.*] Rectus huius orationis caſus eſt, *tentatum*. Eiuſmodi forma dicendi vſus eſt ſupra. *Diu non perlitatum tenuerat dictatorem.*

Eod. *Quidam Cæſonem, alij C. cognomen Quintio adiiciunt.*] *Caſo*, & *Caius* prænomina ſunt, non cognomina. Neq; quiſquam qui Latine locutus ſit, alio vnquam modo loqoutus eſt, niſi fortaſſe vitiatæ voces ſint, vt hoc loco. In antiquis enim libris legitur: *Quidam, Cæſonem, alij cognomen Quintio adijciunt.* Quæ lectio veſtigia germanæ lectionis oſtēdit, quæ eſt, *alij C. nomen Quintio adijciunt.* Deprauatum eſt enim *C. nomen*, mutatumq; primom in *conomen*, poſt in *cognomen*. *Nomen* autem & prænomini, & cognomini congruit. † Errare hoc loco Sigonium demonſtrat Robortellus li. 1. emendat. c. 19. aſſerens *nomen* prænomen numquam appellari itidem, cap. 23. †

Eod. *Quin cum Manlio Nauio cenſor Marcius crearetur.*] Si *Marcius* hic è plebe primus cenſor factus eſt, vt ait Liuius, profecto *Manlius Nauius* hic patricius ſit neceſſe eſt. Nam ambo ex plebe cenſores ſerò admodum fieri cœpti ſunt, cum autem cenſores niſi ex conſularibus ferè crearentur, non eſt dubium, quin hic *Manlius Cneus Imperioſus ſit*, qui conſul ante fuit. Erroris autem cauſam attulit prænomen *Cneus*, quod antiqui *Neum* dixerunt.

Eod. *Nullo terrore belli, ſed ne Licinia lex comitiis conſularibus obſeruaretur.*] M. Fabium non rei gerendæ, ſed comitiorum habendorum cauſa creatum eſſe ſignificat, ne conſul alter ex plebe ex lege Licinia fieret, ſed vterque patricius. Qua de lege lib. priore tradidit.

Cap. xxiii. *Gallicum bellum Popilio extra ordinem datum.*] *Popillium* item Appianus in Celtica egregie rem poſt Sulpicium geſſiſſe cum Gallis auctor eſt.

Eod. *Poſtquam neq; in æquum dimitti agmen vidit.*] *Demitti* legendum eſt, vt lib. 27. *In inferiorem campum equites. Numidas Aſdrubal demiſit.* Et hoc libro paulo poſt: *Quod totum in vallem infimam demitteret agmen.* Idem error eſt, qui eſt in *Digredi*: Nam vbi de *deſcenſu* verba fiunt, *Degredi*, ſic non *Dimitti*, ſed *Demitti*.

Eodem: *Triarij erant*, De *Triariis, principibus & Haſtatis*, Polybios lib. 6. Liuius lib. 8. Suidas in voce Πείλωμα. nos etiam infra.

Cap. xxiv. *In campum digreſſis.*] *Digreſſis*, vt ante dixi.

Eod. *Reddidit patribus poſſeſſionem priſtinam cōſulatus.*] Id eſt, nomen nullius plebeij comitiis conſularibus acceſſit, ac neminem plebeium conſulem fieri paſſus eſt, contra quam M. Fabius dictator fecerat.

Cap. xxv. *Collegam Ap. Claudium Craſſum dixit.*] *L. Camillus* eſt. qui collegam Ap. Claudium dixit. Eſt autem legendum, *P. Claudium.* ex veteribus libris Ciceronis de Senectute, vbi ait: *Platonem veniſſe Tarentum L. Æmilio Ap. Claudio* Coſs. cum in veteribus libris legatur: *L. Camillo, ac Pu. Claudio.* Confirmant hanc lectionem Capitolina quoq; fragmenta, in quibus hic *Claudius P. F.* vocatur. Maximus enim natu filius ferme patris prænomen ferebat.

Eod. *Inter hos longe maximus extitit terror.* Vet. lib. *Inter hæc.*

Eod. *Conſul alter Ap. Claudius.*] *P. Claudius*, vt ante. De eius obitu ſcriptum eſt & in fragmento Capitolino.

Eod. *Ob omen fauſtum ad Gallicum tumultum cognominis.*] Hoc ait, quia pater eius Camillus Gallos prælio victos vrbe exegerat: patrem autem L. Furij M. Camillum fuiſſe docet ipſe poſt, cum ait: *Paternæ virtutis memor.* Itemque Appianus in Celtica, vbi poſt Popilium à L. Furio Camilli filio Gallos deuictos eſſe ſcribit.

Eod. *Cum in agrum Pomptinum deſcendiſſet.* Gallos itera in agro *Pontino* conceſſiſſe his conſulibus tradit Gellius libro 9. cap. 11.

Cap. xxvi. *Quatienſq; ſcutum haſta.*] Gellius eodem in loco dixit *manu telum reciprocans*, nimirum ex antiquo aliquo Annali totam hanc Galli, & Valerij pugnam ſumens.

Eod. *Inde Apuliam ac mare inferum petierunt.*] Malim & ipſe, *ſuperum*, vt Glareanus, Volſci enim ad inferum, Apuli ad ſuperum mare ſunt.

Eod. *Æmulumq; decoris ſui.*] Quia *T. Manlius*, qui comitia habebat Gallum & ipſe ſingulari in certamine obtruncarat.

Eod. *M. Valerium Coruinum, id enim illi deinde cognominis fuit*] Scribe *Coruum*, non *Coruinum*: ſic enim eſt in Capitolinis tabulis, & veteribus pleriſq; libris. Egregie. Vt enim *Albus, Rufus, Craſſus, Luſcus, Longus*, cognomina primum inuenta ſunt, poſt autem *Albinus, Rufinus, Craſſinus. Luſcinus, Longinus* ſubſequuta ſunt, ſic qui primus cognomen hoc tulit, *Coruus*, poſteri *Coruini* appellati ſunt.

Eod. *Cuius populi ea, cuiuſq; gentis claſſis fuerit, nihil certi eſt, maxime Siciliæ fuiſſe tyrannos crediderim.*] Vereor ne claſſis ea Timoleontis Corinthij fuerit, qui priore anno Dionyſium tyrannum Syracuſanum vicit, & regno exegit, legeſque Siciliæ victor dedit, vt ſcribit lib. 16. Diodorus, qui idē fortaſſe Italiæ quoq; oram tanta elatus victoria claſſe tentauerit. Idem tamen poſt Poſtumij tyranni prædonis, aliorumq; quorundam, quos idem Timoleon ſuſtulit, meminit.

Cap. xxvii. *In penſiones æquas triennij.*] Vet. lib. *In triennium.*

Eod. *M. Fabius Dorſuo.*] *Dorſo.* vt ſupra dixit.

Eod. *Quid illis nos ſollicitis ac pendentibus animis, renumerare iubeatis.*] Et hoc etiam in loco *animi*, recte reponit Florebellus.

Cap. xxviii. *T. Manlio Torquato, C. Plautio ſecundum conſulibus.*] In veteribus libris, nota iterati honoris eſt adiuncta *Torquato*: at abeſſe tamen ab vtroque debet. Nam nec Caſſiodoros eam affert, & Torquatus in Capitolinis tabulis ea caret, quia nunquam ante conſulatum cepit, cum tamen bis dictaturam geſſerit. Et poſt *iterum, tertiumque conſul eſſe*, non *tertium, quartumq; traditur.* Neque vero Plautius ea nota affici debet, quia non eſt idem cum eo, qui paulo ante conſul fuit, ille enim *Proculi* cognomen tulit, hic, vt opinor, *Hypſæi*, Qua de re dicam in ſecundo huius conſulatu.

Eod. *Ad eandem ædem.*] Vet. lib. *ad eam ædem.*

Eod. *Simili vetuſto montis Albani prodigio.*] Hoc prodigium factum eſt Tullo Hoſtilio regnante, vt ſcripſit lib. 1.

Eod. *Ambo patricij conſules creati ſunt.*] Priore etiam anno ambo patricij conſoles fuerunt, cuius tamen rei non meminit; Fabius inquam & Sulpicius.

Cap. xxx. *Populus nos Campanus legatos.*] Hæc petitio Campanorum expreſſa eſt ex 1. lib. Thucydidis, quo in loco Corcyræi auxilium ab Athenienſibus petunt. Quod quiſque intelliget, qui vtraſq; orationes comparabit.

Eod. *Non loquor apud recuſantem iuſta bella populum. Sed tamen ſi oſtenderitis auxilia veſtra, ne bello quidē arbitror vobis opus fore.*] Glarean. mendosè habere putat illas voces, *ſed tamen*, legendumque, *ſed tantum*: neque intelligit correctionem hanc eſſe

oratoriam, ita; quamquam quid dixi bella? neque enim ſi oſtenderitis auxilia veſtra, bello vllo opus fore arbitror. † Mendoſe aduerbium non dixit Glareanus. Locum autem lectoris iudicio committit.

Cap. XXXII. *Montem Gaurum.*] Huius montis meminit Florus, Cicero contra Rullum, Plin. lib. 3. cap. 5.

Eodem: *Ad Satriculam.*] *Saticulam,* ſic enim libri veteres, ſic Velleius libro primo, ſic Diodorus, ſic Stephanus, vterq; enim Σατίκολαν edit.

Eod. *Mollitiaque ſua, quam vi hoſtium victos eſſe.*] Vet. lib. *quam virtute hoſtium.*

Eod. *Virum qui audiendus magnificus dumtaxat adhortator ſit.*] Glareanus legendum putat, *Virum audiendus, qui magnificus dumtaxat adhortator ſit.* quaſi vero non optimus ſenſus eliciatur ex hac lectione, id eſt, vtrum, qui imperat, & cui obediendum eſt, ſit tantum magnificus adhortator. ſic paulo poſt. *Hoc ſilentium in me audiendo ſeruandum eſt:*

Eod. *Non factionibus modo, nec per conciones vſitatas nobilibus, ſed hac dextra mihi tres cõſulatus, ſummamq; laudem peperi.*] Glareanus tollendam vocem, *modo*, putat: quia eadem quoque præceſſerit. *Nec diſciplinam modo, ſed exemplum etiam a me petere*, neq; videt illam *ſolum*, ſignificare, hanc vero *nuper*, atque ita vtramque locum habere. Ceterum legendum eſt *per coitiones*, non *conciones*. Quid autem ſit in petendo magiſtratu coitio, ſupra oſtendi, cum alia loca emendaui:

Cap. XXXIII. *Factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ quam ſuæ dignitatis memor.*] Senſus huius loci, quem ſe ignorare Glareanus fatetur, eſt, Factis, inquit, habita perſonæ, & temporis ratione liberalis erat, dictis ita cautos, vt non minus aliorum libertatis, quam ſuæ dignitatis rationem haberet. *Dicta* autem Latini vocant, quæ Græci ἀποφθέγματα. + Glareanus inquit, non admodum patet: Sigonius dicit Glareanum fateri ſe ignorare, ita vbique inuertit verba. †

Eod. *Quadringentorum annorũ decora.*] Hic annus eſt CDXII. ab vrbe cõdita, non enim vbique rotundi poſtulantur numeri.

Cap. XXXIV. *Cacumen illud ſupra hoſtes.*] Aſperum editumque locum intelligit, quem *verrucam* appellat Cato, vbi de ſimili facto Calpurnij Flammæ tribuni mil. bello Punico primo agebat in originibus, auctore Gellio lib. 3. c. 7.

Eod. *Digreſſos in vallem.*] *Degreſſos*, vt ante.

Eod. *Quenam illa inſcitia belli ac pigritia eſt, quónam modo iſti ex Sidicinis.*] Vet. lib. *Aut quónam modo.*

Cap. XXXV. *Quæ pars maior erit, eo ſtabitur conſilio.*] Vet. lib. *Eius ſtabitur conſilio.*

Eod. *Ecce hoc aliud minus dubium.*] Vet lib. *Ecce autem aliud.*

Cap. XXXVI. *Decius cum non fallerent, clamorem tollere iuſſis militibus.*] Vet. lib. *Quando non fallerent.* alij, *quoniam non fallerent.*

Cap. XXXVII. *Centum bobus, eximioq; uno albo:*] *Eximium* ſacrificale verbum, *de hoſtiis dictum, quæ ad ſacrificium deſtinata eximantur è grege*, auctor Macrob. lib. 3.

Eod. *Gramineam coronam obſidionalem.*] De hac corona Gell. lib. 5. c. 6. itemq; de ceteris.

Eod. *Ad Sueſſulam.*] *Sueſſulani,* vt ex hoc loco apparet, *Campani* erant.

Eod. *Quam in exiguum orbem contracta caſtra eſſent, paucitatem inde militum colligentes.*] Vet. lib. *Quod in exiguum* probo.

Cap. XXXVIII. *Campanorum deinde Sueſſanorumque.*] Legendum *Sueſſulanorum*, à *Sueſſula*, ad quam pugnatum eſt: non à *Sueſſa*, quod alia quam *Sueſſula* ſit.

Eod. *Iam tum minime ſalubris militari diſciplina Capua.*] Huc dictum eſt propter hyberna Annibalis, cuius Capuæ corruptus exercitus eſt.

Eodem ſcelere adimenda Campanis Capua, per quod illi eam antiquis cultoribus ademiſſēt. Hac de re libro quarto *Capuam Etruſcorum vrbem Samnites cepere prius bello fatigatis Etruſcis in ſocietatem urbis, agrorumq; accepti: deinde feſto die grauatos ſomno epuliſq; incolas veteres noui coloni nocturna cæde adorti.* Idem Strabo lib. 5.

Eod. *In vrbe inſidentem labem creſcentis indies fœnoris pati.*] Vet. lib. *Tabem.*

Eod. *Per tribunos comperta & ætate haberet, & vſu doctus.*] Vet. lib. *Comperta haberet, & ætate, & vſu doctus.*

Cap. XXXIX. *Iam valida admodum numero manus erat.*] Vet. lib. *Valida.*

Cap. XL. *In Sacrum montem.*] In ſacrum montem ſeceſſio facta, pro libertate plebis, & in Auentinum pro pudicitia. Liuius lib. 2. & 3.

Eod. *Quamquam vel iniquis ſtandum eſt potius.*] Id eſt, vel quantumuis iniqua conditio accipienda eſt.

Eod. *Orauit, vt cauſam.*] Vet. lib. *Orauitq; vt cauſam.*

Cap. XLI. *In luco Petilino.*] Lib. 6. *Petelinum lucum* appellauit. Plutarchus etiam in Camillo Πετηλῖνον ἄλσος apud Varronem de lingua Latina libro 4. eſt *Petilius*, pro *Petelinus*, per mendum.

Eod. *Orauit etiam bona venia Quirites.*] Sic ſupra lib. 6. *Paſſa me ex media concione vnum ciuium ſuccla mare: Bona venia veſtra liceat ex his rogationibus legere, quas ſalubres nobis cenſemus eſſe.*

Eod. *Et ne particeps eorum eſſet.*] Vet. lib. *Nec particeps eorum eſſet.* placet.

Cap. XLII. *Romæ eorum multitudinem coniuratorum ad arma conſternatam eſſe.*] *Conſternari* eſt erigi & concitari, hoc loco, vt libro octauo, *Tumultu ſanos etiam conſternante animos.* Et libro trigeſimoquarto, *Conſternatio muliebris*, pro *ſeditione mulierum.* Sic Marcellus.

IN EPITOMEN LIB. VIII.

Laborantibus Romanis, P. Decius tunc cum Manlio deuouit ſe.] Vet. lib. *P. Decius deuouit ſe.* Malim *P. Decius tunc cum Manlio conſul deuouit ſe.*

Auſonibus victis in oppidum Cales colonia deducta eſt.] Vet. lib. *In oppidum ex iis captum Cales.*

Victi bello & obſidione.] Vet. lib. *Bello & obſidione victi.*

Q. Publio, qui eos obſederat primum imperium prolatum, & per conſules ei decretus triumphus.] Ex Capit. Triũphis & ipſius Liuij verbis legendũ eſt: *Q. Publilio, qui eos obſederat primo & imperiũ prolatum eſt, & pro conſule decretus triumphus.* Senſus eſt: Q. Publilius primus fuit, cui in inſequentem annum prorogaretur imperium, & qui non conſul, ſed pro conſule triumpharet.

C. Publio.] *C. Publilio.*

Contra editum eius præliatus eſt, qui proſpere aduerſus Samnites pugnauit.] Vet. lib. *Contra editum eius proſpere aduerſus Samnites pugnauit.*

IN LIBRVM VIII.

Cap. I. *Conſules erant C. Plautius iterum.*] Glareanus *C. Plautium tertium* legit, atq; hunc C. *Plautium venorem* eſſe cenſet, in quo multiplex error eſt. Primum quod *C. Plautij Proculi* conſulatum, quem ille geſſit anno CCCXCVII. huic C. *Plautio* tribuit: deinde quod hunc *Venocis* cognomine afficit, cum *Hypſæus*, potius appellandus ſit. De *Proculo* ſcriptum eſt in Capitolinis tabulis. De *Hipſæo* in nummis argenteis. Hic enim C. *Plautius* Priuernum in hoc cõſulatu cepit, auctore Liuio. Itaq; eſt apud And. Lauredanum nummus cum his literis:

Ab vna parte,
C. YPSÆVS COS.
PRIV. CEPIT.

Ab altera,
P. YPSÆVS S. C.

Videtur autem *P. Hypſæus* is fuiſſe, qui nummum cudendum curarit, qui nobilitandæ familiæ cauſa vnum ex ſuis maioribus clariſſimi tituli virum ab altera, vt fiebat, parte nummi inciderit.

Eod. *Prius ad Priuernũ profectus.*] Vet. lib. *Prius Priuernum.*

Eod. *Recenſentibus, quos viros in acie amiſiſſent.*] Vet. lib. *Quot viros.*

Cap. II. *T. Æmilius prætor.*] *Ti. Æmilius.* Nam Diodorus hunc in conſulatu Τιβέριον nominat. ſupra etiam alius *Ti. Æmilij* meminimus ex Dionyſio.

Eod. *Quo minus perpetua amicitia eſſet.*] Vet.lib. *Perpetua eum eis amicitia.*

Eod. *Inde exercitus Romanus ductus.*] Vet.lib. *Deductus*: ſic paulo poſt, *Reducta Romam legiones*. vt fortaſſe recte, *Romam deductus*, legi poſſit.

Eod. *Ex his tot populis ingens exercitus.*] Vet. lib. *Vnus ingens exercitus.*

Cap. III. *Duo interreges fuerunt, M. Valerius, ac M. Fabius, creauere conſules.*] Vet. lib. *Is creauit conſules.* Recte, vt de poſteriore interrege Fabio intelligatur.

Eod. *In Italiam claſſe appuliſſe.*] Vet.lib. *Claſſem*, probo non enim *appellare naui*, ſed *nauim*, Latinè dicitur. ſic libro decimo, *Claſſis Romana cum appulſa Pompeios eſſet.* Hunc Alexandrum Moloſſum vocat Gell. lib.17. vbi de hoc eius in Italiam aduentu ait.

Eod. *In alio tractu orbis.*] In Aſia ad orientem. Adhuc tamen Philippus Alexandri pater viuebat, nec in Aſia res gerebantur, ſed in Græcia, auctor Diodorus.

Eod. *L. Numitium.*] *Numicium.* Græci enim Νουμίκιον.

Eod. *Euocatos ſe ab ſenatu docēt Romano.*] Quid ſi *Romā* legas?

Cap. IIII. *Cum plus ducentorum annorum morem ſolueremus.*] Elatoriè loquuntur Latini, non enim niſi CLX. anni numerantur à pugna ad lacum Regillum, qua victi à Romanis leges acceperunt, ad hunc annum, niſi à fœdere cum L. Tarquinio icto initium ſumas.

Cap. V. *Quoniam vires quoq; æquari diis immortalibus placuit.*] Vet.lib. *Quando vires.*

Cap. VI. *Eſt cæleſte numen, es magne Iupiter.*] Sic lib. 3. *Dum pro ſe quiſque deos eſſe, & non negligere humana fremunt.*

Eod. *Agitatum etiam in concilio eſt, vt ſi quando vnquam ſeuero vllum imperio bellum adminiſtratum eſſet, tunc vti diſciplina militaris ad priſtinos redigeretur mores.*] Malim, *tunc vtique*, quod eſt, *tunc omnino, tunc maxime*, alioquin vacet neceſſe eſt aut *Vt*, aut *Vti*.

Cap. VII. *Præerat Geminius Metius.*] Meminit huius etiam Valerius: ſic vet.lib.

Eod. *Hic quoq; efficiemus profecto, ne nimis acies vobis, & collata ſigna nobiſcum, cordi ſint.*] Vet.lib. *Ne quid minus, quam acies vobis*, &c.

Eod. *Ignarus facti, futuriq; laus an pœna merita eſſet.*] Sic vet. lib. At *Fati*, malim hoc ſenſu: Ignarus fatalis futuri ſupplicij, ſiue laus, ſiue pœna à ſe merita eſſet. ſic etiam ante: *Præceps ad id certamen agitur, quo vinceret, an vinceretur, haud multum intereſſet.* Et, *Mouet iuuenis animum inexſuperabilis vis fati.*

Cap. VIII. *Fuit enim ciuili maxime bello pugna ſimilis.*] Vet. lib. *Fuit autem ciuili*, & recte. Eſt enim nouæ narrationis initium.

Eod. *Clypeis Romanis.*] Quales Romani *clypei* fuerint exponit pluribus lib. 6. Polybius. Eum enim credo eſſe *clypeum*, quem πάρμην vocat, *ſcutum* vero quod θυρεόν.

Eod. *Prima acies haſtati erant*, &c.] Secus de Romana militia Polybius, quam hoc loco Liuius agit: ita tamen, vt quid ille ſentiat facilius, quam quid Liuius, intelligi poſſit. Legionem enim quatuor millium peditum fuiſſe ſcribit. Eam vero in quatuor partes diuidit: *Velites* quos γροσφομάχους appellat, *Haſtatos, Principes, & Triarios*, primos natu minimos, extremos maximos, medios inter vtroſque interiectos fuiſſe: præterea *Triarios* ſexcentos, *Principes*, itemq; *Haſtatos* ſingulos mille & ducentos, *Velites* inde mille. Sin autem legio maior fuerit, tum præter *haſtatos* reliquarum trium partium numerum pro portione auctum fuiſſe. *Haſtatos* præterea in X. partes diſtributos, ac ſingulis earum *Centuriones duos* præfuiſſe, itemq; in *Principibus* ac *Triariis*. *Velites* porro in partes æquales diuiſiſſe: iiſq; ſeparatim *centuriones duos* præfeciſſe, partes has σπείρας, τάγματα, σημαίας, præfectos ταξιάρχους, κεντυρίωνας nominat. Hæc ille. Liuius autem primam aciem *Haſtatos* facit, id eſt, leues milites, ac *ſcutatos*, in eamque pubeſcentes ad militiam omnes conicit, alteram *Principes* vna cum ſcutatis, quos *antepilanos* vocabant. Tertiam ex XV. ordinibus conſtituit, quorum vnuſquiſq; tres partes haberet, earum vnamquamq; *primum pilum* vocabant: ex tribus vexillis conſtabat, *Triariorum, Rorariorum & Accenſorum*. In nominibus autem *Ordo* & *Manipulus*, atque in ſumma militum ex verbis eius concipienda mira obſcuritas eſt.

Eod. *Quatuor fere legiones quinis millibus peditum.*] Mallem legi, *legiones fere quinis*. non enim de numero legionum ambigit, ſed de numero militum cuiuſque legionis. Libro autē priore, *quaternum millium & ducenorum peditum* fuiſſe legionem ſcribit. Et lib. 22. auctam eſſe vſque ad *quina millia*. ſic enim ait: *Numero quoque peditum equitumque legiones auctas, millibus peditum, & centenis equitibus in ſingulas adiectis, vt quina millia peditum, treceni equites eſſent.* Quo ex loco apparet ante tempus illud, non niſi *quaternum millium* eam fuiſſe, quemadmodum aperte quoque ibi Polybius ait. Eadem dubitatio de *equitibus* incidit, quos hoc tempore *trecenos* vocat, cum ſecundo bello Punico centum adiectis *primum trecenos* factos eſſe ſcribat. Fortaſſe autem hæc non ad hoc, ſed ad illud tempus accommodauit.

Eod. *Duo primipili.*] Nomina horum centurionum omiſit, Romani & Latini.

Eod. *Pares ordines duxerunt.*] Malim, *duxerant*.

Cap. IX. *Haud procul radicibus Veſuuij montis.*] Ad eaſdem radices caſtra poſita fuiſſe ſcribit Valerius lib. 1. c. 5.

Eod. *Decio caput iecinoris à familiari parte cæſum aruſpex oſtendiſſe dicitur.*] Feſtus *Peſtifera auſpicia* fuiſſe ait, *vbi caput in iecinore non fuiſſet.* Foiſſe autem & fiſſum, & caput iecoris apparet ex lib. 2. Ciceronis de Diuinatione. *Fiſſum*, inquit, *familiare tractant, & vitale caput iecoris ex omni parte diligentiſſime conſiderant.* Vnde Lucanus in primo Pharſaliæ.

Ecce videt capiti fibrarum increſcere molem,
Alterius capitis pars ægra, & marcida pendet,
Pars micat.

Quod autem Cicero *familiare fiſſum*, & Liuius *caput à familiari parte cæſum* aiunt, eo pertinet, quod pars vna *hoſtis*, altera *familiaris* dicebatur. Vnde Lucanus i *Venasq; minaces Hoſtili de parte videt.*

Eod. *Si ab collega litatum eſt.*] Vet.lib. *Si ab collega proſpere litatum eſt.*

Eod. *Precor, veneror, veniam peto.*] Solennia in eiuſmodi deuotionibus verba. Quæ adhibet etiam Macrobius, lib. 3. vbi de ratione vrbium, & exercituum deuouendorum agit.

Cap. X. *Signum ſeptem pedes altum.*] Signum opinor vocare imaginem eius hominis, qui deuotus non eſt mortuus: mortem enim eius defoſſione imaginis & hoſtiæ cæde repræſentari voluerunt.

Eod. *Et piaculum hoſtia cædi.*] Niſi quid vitij ineſt: *Piaculum cædi*, dixit pro *fieri*. Nam paulo poſt ait: *Marti Suouetaurilibus piaculum fieri.*

Eod. *Suouetaurilibus.*] Olim *Solitaurilib.* legebatur. At Feſtus docet rationem, cur & *Solitaurilia, & Suouetaurilia* defendi poſſint.

Cap. XI. *Veſcia vrbs eius receptaculum fuit.*] Stephanus Βεσκία πόλις Αὐσόνων. Hoc dixi, quia Glareanus ſe nuſquam alibi legiſſe hoc nomen ait. † Hoc non dicit Glareanus, ſed ſe, quod de hac vrbe dicat, nihil habere. † ¶

Eod. *Inter Sinueſſam Minturnaſq; is locus eſt.*] Hinc Diodorus lib. 16. ait Latinos, Campanoſq; ad Sueſſam hoc anno victos: vitioſè pro ad Sinueſſam. Ῥωμαῖοι δὲ πρὸς Λατίνους, καὶ Καμπανοὺς, παραταξάμενοι περὶ Σύεσσαν πόλιν ἐνίκησαν, καὶ τῶν ἡττηθέντων μέρος τῆς χώρας ἀφείλαντο. ὁ κατωρθωκὼς τὴν μάχην Μάλλιος ὁ ὕπατος ἐθριάμβευσεν.

Eodem: *Latium, Capuaq; agro multari.*] Vet. lib. *Latini Capuaque.*

Eod. *Poſt diem decimum Latinarum.*] Vet.lib. *Decimum.* Latinæ feriæ per quatuor dies agebantur, poſt x. Diem, quam actæ erant renouabatur hoc fœdus.

Eod. *Fuere autem mille, & ſexcenti.*] Ne quis de hac lectione dubitet, ita etiam in lib. vet. eſſe ſcito.

Cap. XII. *T. Æmilius Mamercus.*] *Ti. Æmilius Mamercinus.* Diodorus & vet.lib.

Eod. *Q. Publius Philo.*] *Publilius*, vt ante.

Eod. *Ab Lanuuio, Antioq;*.] *Lanuuio* ex vet.lib. vt poſt dicam.

Eod. *Qua cupiditate offenſus patribus, negantibuſq;*.] Procul dubio legendum eſt, *offenſis patribus*: præſertim cum ſubſequatur, *Negantibuſq;*.

Eod. *Æmilius cuius tum faſces erat.*] Vet.lib. *Cui*, vt lib. 2. *Brutus prior concedente collega faſces habuit.* Et alibi de eadem re: *Penes quem ſumma imperij erat.* † Hæc non probant, *cui* pro *cuius* legendum. † ¶

Eodem: *Dictatura popularis.*] Lego *Dictator popularis.* nam ſequitur, *leges tulit*, alioquin fiet, vt dicamus: *Dictatura leges tulit*, ſic vet. lib.

Eod. *Magiſter equitum Iunius Brutus.*] Hic eſt *D. Junius Brutus Seaua*, qui poſt conſul erit.

Eod. *Vt plebiſcita omnes quirites tenerent.*] Contra alij, vt Plinius, Gellius, & Iuriſconſulti, qui hanc legem primum latam eſſe à Q. Hortenſio Dictatore ſcribunt, vt poſt dicam in epitoma lib. 11.

Eod. *Tertiam, vt alter vtiq; ex plebe, cum eo ventum ſit, vt vtrumque plebeium fieri liceret, cenſor crearetur.*] Miror non hoc loco notatum eſſe à Glareano Liuium, qui ſcripſerit eo ventum eſſe, vt vtrumq; cenſorem fieri liceret, cuius rei nihil ante meminerit. Nam de altero tantum occupato à plebe cenſuræ loco egit. Hoc tamen ſi quis fecerit, iniuſte faciet. legitur enim mendosè in vulgatis libris, rectè autem in manuſcriptis, ſic: *cum eo ventum ſit, vt vtrumque plebeium conſulem fieri liceret:* ſenſus eſt, Vt, quoniam quod grauius erat, conceſſum eſt à patribus, vtrumq; conſulem ex plebe fieri, côcedant id etiam, quod leuius eſſe videtur, vt alter vtique cenſor ex plebe fiat. De vtroque autem conſule plebeio lata lex eſt anno CDXII. vt ait Liuius lib. 7. extremo.

Cap. XIII. *L. Furio Camillo, C. Manio conſulibus.*] Plinius libro 34. capite 5. *C. Manium* cum Liuio conſules edet. Diodorus Λεύκιον Φούριον, Γάϊον Μάνιον, *C. Manius P. F. P. N.* in cenſura, & Dictatura eius Capitolina dicitur: At collega *L. Furius, Sp. F. M. N. Camillus.* Ex quo apparet errare Glareanum, qui hunc *iterum* conſulem eſſe ſcribendum putat, quaſi vero idem ſit, atque ille qui ante & conſul & dictator fuit, cum ille *M. F.* hic *Sp. F. M. N.* ſit, hoc modo.

M. Furius Camillus. Tr. mil. an. 352.

M. Furius Camillus Tr. mil. ann. 354. 357. 361. 370. 372. 375. Dictator. 359. 365. 367. 387. 388.

- M. Furius Camillus mortuus in damnatione patris. Liuius, Plutarchus.
- Sp. Furius Camilli dictat. F. prætor primus 389.
  - L. Furius Sp. F. M. N. Camillus Cos. 417. 430.
- L. Furius Camillus Dictatoris F. Dict. 405. 410. Cos. 406.

Eod. *Inſignitius omiſſares.*] Vet. lib. *Inſignius.*

Eod. *Aricinos, Lanuuinoſq; & Veliternos Antiatibus Volſcis ſe coniungêtes ad Aſtura flumen Manius improuiſo adortus fudit.*] Quemadmodum paulo ante *ab Antio, Laninioq;* dixit, ſic hoc loco, *Aricinos, Lanuuioſq;* legendum puto. Me in hanc ſententiam adducût cum libri veteres, tum maxime Capitolini lapides, in quibus hic *C. Menij* triumphus his verbis deſcriptus eſt:

C. MÆNIVS P. F. P. N. COS. DE ANTIATIBVS AN. CDXV. LAVINIEIS, VELITERNEIS PRIDIE K. OCT.

Quoniam autem in his duorum oppidorum nominib. tanti erroris implicant non Latinorum, ſed etiam Græcorum auctorum, vt vix *Lauinium* à *Lanuuio* diſtinguere, vel diuturna attentione queas, non alienum ab hoc inſtituto eſſe duxi, notas quaſdam afferre, quibus alterum ab altero prudens lector internoſcere poſſit. Eſt autem illa vna, quod *Lauinium* ab Ænea, vt omnes, *Lanuuium* à Diomede, vt Appianus lib. 2. ait, conditum eſt. Altera quod *Lauinium* colonia, *Lanuuium*, municipium fuiſſe traditur. De *Lauinio* ſcriptum eſt in Epitome libro ſeptuageſimo, *Marius, Antium, & Ariciam, & Lauinium colonias deuaſtauit.* De Lanuuio in oratione pro Milone, pro Murena, & apud Pædianum. Tertia quod *Lauinij* conſules Veſtæ, & penatibus ſacra peregerint, *Lanuuij* vero Soſpitæ Iunoni. Illius hiſtoriæ auctor eſt Dionyſius libro 1. Et Macrobius lib. 3. cum ait: *Conſules & prætores, & dictatores cum ineunt magiſtratum, Lauinij rem diuinam faciunt penatibus pariter, & Veſtæ.* Huius Cicero pro Murena: *Nolite*, inquit, *à ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, domeſticum, & ſuum conſulem potiſſimum auellere.* Erat autem Murena è municipio, vt ipſe paulo ante ait. Quarta quod *Lauinium* longius abeſt à Roma, quam *Lanuuium*. Diſtat enim à mari quatuor ſtadia, vt ait Dionyſius lib. 1. ſitum inter Oſtiam & Antium, auctore Strabone lib. 5. At *Lanuuiū* abeſt à Roma ſtadia CL. vt ait Appia. lib. 2. ita vt auctore Strabone ab eo mare, & Antium proſpici poſſit, haud procul ab Aricia, quæ CLX. ſtadia abeſt in Appia via ſita. Ipſa tamen inter ſe non admodum diſtantia videntur fuiſſe. Quæ res maiorem etiam erroris cauſam præbuiſſe videtur. Horum etiam oppidorum populos commemorat Dionyſius lib. 5. Λαυρεντίνους Λαουινίους, Λαβινιάτας, id eſt, *Laurentes, Lanuuinos, et Lauinos.* Ac Stephanus quidem etiam Λαβίνιον κτίσμα τοῦ Αἰνείου populos edere Λαβινιάτας ait. Vbi vero ait: Λανούιον μητρόπολις τῶν Λατίνων, τὸ ἐθνικὸν Λανουϊνος, Λανουῖνοι ὑπὸ Ῥωμαίων λέγονται, dubitationem affert, quia Dionyſij ex 5. lib. teſtimonium profert, ne mendosè pro *Laurento*, aut pro *Lanuuio* ſit. Apud Dionyſ. etiam vox illa Λαουινίους vitiosè videtur eſſe, pro Λαβινιάτας. Verum vt dixi mira horum nominum deprauatio eſt.

Eod. *Ad Aſtura flumen.*] Vet. lib. *Saturam flumen.* Ego tamen legendum puto: *Ad Sturam flumen.* Nam Feſtus in vocab. incipientibus à litera S. ait: *Stura fluuius eſt in agro Laurẽti.* Item Strabo lib. 5. eundem in his locis fluuium Στόραν vocat.

Eod. *Maxime valido exercitu, maiore mole.*] *Maiore mole*, quod Glareanus ait neſcire vt intelligatur, eſt *maiore apparatu*. Nam quia de Mænio dixit: *Aricinos improuiſo adortus fudit* hinc opponit, *at Camillus Tiburtes, maiore mole, quãquã æque proſpero euẽtu.*

Eod. *Oppida Latina omnia, & Antiũ ex Volſcis aut vi capta, aut recepta in deditionem.*] Quamquam Volſci Latini erant, tamen Latinorum numero haud habiti eſſe videntur. Captũ ergo ait Antium Camillus, quod tamen nominatim ſupra non eſt expreſſum à Liuio, niſi cũ dixit: *Nec quieuere ante, quã expugnãdo, aut in deditionem accipiendo ſingulas vrbes Latium omne ſubegere.*

Eod. *Et veſtram itaq; de eis.*] Placet antiqua quorundẽ librorum lectio, *& veſtram vtiq;*. Quæ lectio deſiderare videtur, vt verba illa: *Tot populos*, &c. parentheſi includãtur, atq; hoc modo tota ſententia colligatur: *Sed maturato opus eſt, quicquid ſtatuere placet (tot populos inter ſpem, metumq; ſuſpẽſos animi habetis) & veſtram vtique de eis curã quamprimũ abſolui, & illorũ animos dum expectatione ſtupẽt, ſeu pœna, ſeu beneficio præoccupari oportet.*

Cap. XIV. *Lanuuinis ciuitas data, ſacraque ſua reddita, cum eo, vt ædes, lucuſque Soſpitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Rom. eſſet.*] Quamquam in quibuſdam libris eſt *Lauinis*, tamen *Lanuuinis* legendum eſt. Nam de *Municipio*, deq; ſacris *Iunonis ſoſpitæ* mentio fit. Hoc autem primum tempore *Lanuuini municipes* facti ſunt vna cũ aliis Latinis multis, quos numerat Liuius. Hac de re Cicero pro Cornelio, ſic: *Itaq; ex Latio multi & Tuſculani, & Lanuuini, & ex ceteris generib. gentes vniuerſæ in ciuitatem ſunt receptæ, vt Sabinorũ, Volſcorum, Hernicorum.* Neq; vero moueat quẽquam, quod *Lanuuinis* ciuitatem datam ſcribat, quos ne victos quidẽ ante tradiderit. Nam vt dixi, ſatis habuit dicere: *Neq; ante quieuere, quam expugnãdo, aut in deditionem accipiendo ſingulas vrbes, Latium omne ſubegere.*

Eod. *Tuſculanis ſeruata ciuitas, quam habebãt.*] Data eſt ciuitas Tuſculanis auctore Liuio an. ab vrb. cond. CCCLXXV. vt merito Cic. pro Plancio municipium antiquiſſimũ vocet Tuſculum.

Eod. *Veliternos veteres ciues Romanos.*] Velitræ colonia deducta eſt anno ab vrb. cond. CCLX. lib. 2.

Eod. *Et antium noua colonia miſſa.*] Ea primum deducta fuit anno ab vrb. cond. CCLXXXV.

Eod. *Arma quondam.*] Hac de re libro priore dictum eſt.

Eod. *Cuius Capuam.*] *Capuam* agro mulctatam tantum dixit ſupra. *Latinis Capuaque agro mulctatis.*

Eod. *Roſtriſq; earũ ſuggeſtũ in foro extructum adornari placuit: Roſtraq; id templum appellatũ.*] Hinc Plin. lib. 16. c. 4. *Ante roſtra nauiũ tribunali præfixa fori decus, erãt, velut populo Rom. ipſi corona impoſita.* Et Cic. in Vatin. *In roſtris, in illo inquã augurato templo, ac loco.* Et pro lege Manlia: *In eum ipſum locũ aſcendere, quem maiores exuuiis nauticis, & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent.*

Cap. xv. *P. Ælio Peto.*] *Peto* ex capitolinis lapidibus, & nummis argenteis.

Eod. *Sueſſam communiſſe.*] Vet. lib. *Commeaſſe.* Recte. Nam inquit, Auruncos oppidum antiquum ſuum deſeruiſſe ac profugiſſe. Nomen autem eius oppidi Aurunca fortaſſe fuit, quo deinde nomine Sueſſa ipſa etiam affecta eſt. Sic Auſonum fuit oppidum auſona.

Eod. *Via ſub terram ad portam Collinam dextra via ſtrata defoſſa eſt.*] Curſa terram ſtratam dicat, exponit Plutar. in Numa, vbi de Pœna Veſtalium agit: ἐνταῦθα κατασκευάζεται κατάγειος οἶκος ὁ μέγας. κεῖται δὲ ἐν αὐτῷ κλίνη τε ὑπεστρωμένη id eſt, *Eo in loco*, ad portam Collinam, *preparatur ſub terram domus haud admodum magna, in ea vero lectus eſt ſtratus.*

Eod. *Scelerato cãpo, credo ab inceſto, id ei loco nomẽ factũ.* Vet. li. *Ab inceſtu.* Ac feſtus: *Sceleratus cãpus appellatur proxime portã Collinam, in quo Virgines Veſtales, quæ inceſtũ fecerãt, defoſſa ſunt.*

Eod. *Qui negabat rationem eius ſe habiturum.*] Id eſt nomen eius candidati non recepturum, conſules enim prætoria comitia habebant.

Eod. *Minus in pretura intendente.*] Vet. lib. *Tendente*, quod ſæpe vſurpat Liuius.

Cap. xvi. *Ceſone Duellio.*] *K. Duilio*, vt ſupra. nota huius prænominis mendum peperit in epiſt. Cic. ad pætum, cum ait: *L. Papirius Craſſus quadriennio poſtquam Dictator fuit, conſul factus eſt cum* C. *Duilio*, cum ſit legendum *K. Duilio.*

Eod. *L. Æmilium Mamercum.*] *Mamercinum*, ex vet. lib. Quo prænomine multi Æmilij vſi ſunt.

Eod. *T. Veturius. Sp. Poſtumius.*] *Caluinus* ille, hic *Albinus*, vocatus eſt: Liuius auctor lib. 9. Plutar. in Parallelis.

Cap. xvii. *L. Cornelius iterum.*] *A. Cornelius* eſt ſcribendum, Caſſiodoro, Diodoro, & vet. lib. atteſtantibus. Eſt autem is, qui conſul ante fuit anno CDXII.

Eod. *Aduerſus regem exſcenſionem à Paſto facientem.*] Vet. lib. omnes *Exſceſionẽ* habẽt, quomodo alio loco locutus eſt Liuius, vt li. 22. *Eſcẽſa è nauib. in terram facta.* Et lib. 28. *Ad Erythras exſcenſionẽ fecit:* Quæ lectio placet, ſi *ad Paſtã*, legamus. At placet aliis, *excaſſionẽ* legi. Quod etiam probatur, cũ paucis ante annis idem Alexãder appuliſſe claſſem in Italiã ſupra dicatur.

Cap. xviii. *T. Valerio conſulibus.*] Nuſquam alias *Titi* prænomen in gente *Valeria* comperi. Quare aſſentior Diodoro & caſſiodoro, qui hunc conſulem *C. Valerium* vocant.

Eod. *Q. Fabium Maximum ædilem.*] Adhuc *Maximus* non ¶ dicebatur. nam poſt in cenſura id cognomen inuenit. † Et hoc Glareanus annotauit. †

Eod. *In ſeceſſione quadã plebis.*] Hac de re ante nihil Liuius, ſeceſſit primũ plebs in montem ſacrum, eius ſedãdæ cauſa dictator M' Valer. creatus eſt, iterũ in Auentinũ, per cõſules reducta eſt: deniq; ſeceſſit exercitus, per M. Valer. Coruum Dictat. res compoſita eſt, Liu. li. 2. 3. & 7. nuſquã autẽ claui figendi mẽtio facta eſt. † Hæc rurſus ex Glareani annotationibus habet. †

¶ Cap. xix. *L. Plautius Venox.*] *Venno* ſcribendum eſt ex ſecundo huius cõſulatu Cap. Nam qui *Venox* eſt dictus, is & *Caij* prænomen tulit, & multis poſt annis in cenſura illud cognomen inuenit: ſunt autem cognomina duo *Venno* & *Venox*, vtrumq; *Plautiorum*: verum librariorum incuria alterum prope ex hominum memoria euulſum eſt, & à ſcriptoribus Capit. modo reſtitutum.

Eod. *Ex Volſcis Fabraterni, et Lucani Romã venerũt orantes, vt in fidẽ reciperẽtur.*] Vox, *Lucani*, mendũ habet. † Et hęc ex Glar. notat nulla eius mentione. † Neq; n. *Lucani* aut *Volſci* ſunt, aut ¶ *Volſcis* vicini, neque ita per ſe inualidi, vt à Samnitibus quicquam timere poſſent, quibus paulo ante erant amici. præſertim vero cũ dicat haud ita multo poſt, *Lucani atq. Apuli, quib. gentib. nihil ad eam diem cum populo Rom. fuerat, in fidem venerũt.*

Eod. *Quæ Vacci, prata diruto ædificio, publicatoq; ſolo appellata.*] Hinc Cicero pro domo: *In vacci pratis domus fuit M. Vacci quæ publicata eſt, & euerſa.*

Eod. *Sana coaſtare mens.*] Vet. lib. *Sane.*

Eod. *Fundanis pacem eſſe.*] Vet. lib. *Fundis*, quod placet: dixit enim *Priuerni hoſtes eſſe.*

Eod. *Carceres eo anno in circo primum ſtatuti.*] Varro lib. 4. de lingua Latina. *In circo primo, vnde mittuntur equi, Carceres dicuntur, dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant ante, quam magiſtratus ſignum miſit.*

Cap. xx. *Conſules noui L. Æmilius Mamercus, & Ca. Plautius.*] Scribe *L. Æmilius Mamercinus, &* C. *Plautius. De Mamercino* teſtantur & vetera, & Capitolina monumenta. De Plautio triumphus eius Capitolinus, in quo ipſe ita deſcribitur: C. PLAVTIVS P. F. P. N. DECIANVS. Sunt enim multi per hæc tempora illuſtres Plautij, ſed diuerſis cognominibus prædicti, *Proculo, Hypſæo, Vennone, Venoce, Deciano.* Hunc tamen adoptionis cognomine vti cenſeo, non familiæ.

Eod. *In Sacello Sangi verſus ædẽ Quirini.* Vet. li. *Aduerſus ædẽ.*

Cap. xxi. *Si bonam dederitis.*] Idem tradit Valerius li. 6. c. 2.

Eod. *P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula.*] Pro *Plautio* Diodorus edit *A. Poſtumium: ſic enim eſt apud eum*, Αὖλος Ποστόμιος, Πόπλιος Κορνήλιος.

Eod. *Fregellas Signinorum ſi ager, deinde Volſcorum fuerat.*] Satis apparet ex locorum deſcriptione, *Sidicinorum* legendum, qui populi fuerunt inter Volcos & Campanos, non *Signinorum*, quæ vrbs fuit in Latio.

Cap. xxii. *Proximis comitiis abſens præſentib. præfertur.*] Vet. lib. omnes, *abſens petentibus.* Glareanus *præſentibus* mauult, quaſi vero non alio loco Liuius opponat, *abſentes petentibus*, quippe abſens non ſolum dicatur is, qui non adeſt in vrbe, ſed etiam qui ne in campo quidem, vt alio loco oſtendam. † Quid ¶ ergo tu in tuo codice habes *præſentibus* non *petentibus.* †

Eod. *Cumani ab Chalcide Euboica.*] Idem Strabo lib. 5.

Eod. *In inſulas Æuariam, & Pythecuſas egreſſi.*] Plinius duas inſulas vnam facit, at Mela duas, cum inquit: *Pythecuſa, Leucothea, Æuaria, Sinonia, &c. Italico lateri citra Tiberina oſtia obiacent.* Hoc torſit valde Glareanum.

Eod. *Samnitium infida aduerſus Romanos ſocietati freta.*] Vet. lib. *Infida ſocietate.* Quod Latina locutio etiam poſtulat.

Eod. *Recepta Palæpoli miſerat.*] Vet. lib. *Receptis Palæpolim miſerat.* Vtrumque recte. Dixit enim Cicero pro Archia: *Luculli eum domum ſuam receperunt.* Et Liuius: *Oppido, ac tecti receperunt*; eſt enim ſenſus: Publius ad ſenatum miſerat, duo millia Nolanorum. & quatuor millia Samnitium Palæpolim hoſtium oppidum eſſe recepta.

Eod. *Romæ compertum eſt, delectum.*] Vet. lib. alij habent: *Romæ compertum eſt. Cornelius delectum.* alij omnino vocãt vocib. his: *Romæ compertum eſt*, habent vero vocẽ, *Cornelius* Quorum lectionẽ valde probo. Nam cum ab vtroque cõſule de Samnitium bello certiorẽ ſenatum factũ dixiſſet, poſt ſubdidit, quid Publius nunciaſſet: hoc vero loco, quid Cornelius, ita: *Ab vtroq; conſule exiguam ſpem pacis eam Samnitibus eſſe, certior fit ſenatus. Publilius duo millia Nolanorum militum, & quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus, quam voluntate Græcorum recepta Palæpolim miſerat. Cornelius, delectum indictum à magiſtratibus, vniuerſam Samnium erectum, ac vicinos populos Priuernatem, Fundanumq; & Formianum haud ambigue ſollicitari.* egregie. Nam publilius in Græcos ierat, Cornelius in Samnites.

Cap. xxiii. *Quid perplexè agimus, inquit.*] Subaudiẽdum eſt, *Samnis.* Sequitur enim: *Et Samnis, Romanus ne imperium Italiam regat decernamus.*

Eod. *Proconſulem gereret.*] Vet. lib. *Proconſule.*

Eod. *Oriente nocte.*] Vet. lib. *Ineunte.*

Eod. *Conſules creat C. Pætelium.*] *C. pætelium tertium* ſcribendum eſſe cenſet Glareanus. putat enim eundem eſſe cum eo, qui conſul fuit an. CCCXCV. in quo decipitur: ille enim pater, hic filius eſt. Quod ex conſulatu eius, & ex dictatura huius Capitolina cognoſcitur, in quibus ille C. *Pætelius, C. F. Q. N. Vibo Viſolus*, hic *C. Pætelius C. F. C. N. Libo Viſolus* appellatur. Eſt igitur C. hic *Pætelius* conſul II. non III. nam *primum* fuit ¶ anno CDIX. † Glareanus in hoc ſecutus eſt Caſſiodorum, quem reprehendere debebat, ſed Glareanum maluit. †

Eod. *L. Papyrium Mugillanum Curſorem in aliis annalibus inuenio.*] Quamquam ambigere de cognomine *Papirij* conſulis videtur, *Curſorem* tamen probat magis, quod ex eo intelligi poteſt, quod cum II. poſt conſulem profitetur, hunc annum enumerans. Idem faciunt Capitolini ſcriptores.

Cap xxiv. *Eodem anno Alexandriam in Ægypto proditum conditam.*] Sic Solinus cap. 35. L. *Papirio Sp. F. C. Pætelio C. F.* cos. *Alexandria condita eſt*: Idem Caſſiodorus.

Eod. *Accito ab Tarẽtinis in Italiã data dictio erat cauerET Acheruſiam aquam, Pandoſiamq; vrbem, ibi fatis eius terminum dari.*] Oraculum hoc his duobus Græcis verſibus expreſſum eſt:

Αἰακίδη προφύλαξο μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ
Πανδοσίαν τε, ὅτι τοι θάνατος πέπρωτ' ἐκεῖ.

Eandem rem tradit etiam Strab. lib. 6. his verbis, περὶ Πανδοσίαν Ἀλέξανδρον ὁ Μολοττὸς ἀπώλετο. Ἐξηπάτησε δὲ καὶ τοῦτον ὁ ἐν Δωδώνῃ χρησμός, φυλάττεσθαι κελεύων τὸν Ἀχέροντα καὶ τὴν Πανδοσίαν. δεικνυμένων γὰρ ἐν τῇ Θεσπρωτίᾳ ὁμωνύμων ἐνταῦθα κατέστρεψε τὸν βίον.

Eod. *Brutiorum coloniam Acerinam.* Merito ſuſpectam habet vocem *Acerinā* Glareanus, neq; enim eius oppidi apud quemquam vlla mentio eſt. Quo fit vt ſuſpicer, pro *Acerinam*, *Terinam* eſſe legendum, quod oppidum Brutiorum fuiſſe ſcribit aperte Strabo lib. 6. Τεμέσης δὲ συνεχὴς Τερινά, ἣν Ἀννίβας κατέσκαψεν οὐ δυνάμενος φυλάττειν, ὅτε δὴ εἰς αὐτὴν κατέφυγε τὴν Βρεττίαν. εἶτα Κωσεντία μητρόπολις Βρεττίων. Eandem Stephanus vocat κτίσμα Κροτωνιατῶν. Itaq; ſubdit, alias inde Meſapiorum ac Lucanorum vrbes. *Terinæ* Plinius etiam & Mela meminerunt.

Eod. *Haud procul Pandoſia vrbe imminente Lucanis, ac Brutiis finib. tres tumulos aliquantum inter ſe diſtantes inſedit.*] Eorūdem tumulorum meminit etiam Strabo, & alterius oraculi, à quo Alexander deceptus ſit, ait enim: Τεθρύλητο δ' ἐπὶ τὸ φρούριον, καὶ προσφυὴς ποταμὸς Ἀχέρων. προσεπίπτει δὲ καὶ ἄλλο λόγιον, Πανδοσία τρικόλωνε, πολύν ποτε λαὸν ὀλέσσεις. ἔδοξε γὰρ πολεμίων φθορὰν οὐ οἰκείων δηλοῦσθαι.

Eod. *Corpore regio vtcumq; multato.*] Glareanus Eraſmo præceptori ſuo placuiſſe ait: hoc in loco pro *multato*, legendum eſſe *mutilato*. At Cicero ita quoque locutus eſt pro Milone: *Quaia turba C. Vibienus ita eſt multatus, vt vitam amiſerit.*

Cap. xxv. *Fœdere ergo in amicitiam accepit.*] Recte. Nam aut fœdere, aut deditione in amicitiam veniebant. Sic enim ſupra: *Campanorum aliam conditionem, eſſe qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent.*

Eod. *Tarentinorum iuuentutem, Græci Græcos.*] Tarentinos Græcos Palæpolitani Græci expectabant. Tarentum enim Lacedæmoniorum colonia fuit, Iuſtin. lib. 3.

Eod. *Ad Philonem venit.*] Vet. lib. ad *Publilium Philonem.*

End. *Quod bonum, fauſtum, felix.*] Vet. lib. *Felixq;.*

Eod. *Haud ignarus opinionis alterius, qua hæc proditio à Samnitib. facta traditur, &c.*] Senſus eſt, Proditionem Palæpolis ab aliis Palæpolitanis auctorib. ab aliis Samnitib. auctorib. factam eſſe traditum eſt, me, vt Palæpolitanis ducibus factam eſſe credam, cum ſcriptorū auctoritas mouet, quid tradiderunt, tum fœdus Neapolitanum. Nam Græcorum rei ſumma à Palæpoli Neapolim deinde trāſlata eſt. Videtur autem fœdus Neapolitanum vocare id, quod Græci cum Romanis victorib. Neapoli icerunt. nam ſi cum Samnitib. ictum eſſet, non Neapoli fœdus, quæ Græcorum erat, ſed in Samnio factum eſſet.

Cap. xxvi. *Duo ſingularia hæc ei viro primū contigere, prorogatio imperij: non ante in vllo facta, & acto honore triūphus.*] Glareanus legendū cēſet, *Aucto honore.* Quid tamē ſit aut, *Acto* aut *Aucto honore*, ſe ignorare profitetur. † Glareanus ingenue fatetur ſibi non cōſtare vt aliis cogitādi daret anſam. † Mihi vero hæc eſſe videtur mēs auctoris. Duo hæc ſingularia Publilio cōtigiſſe, & quod primus protogato vltra conſulatū imperio procōſule rē geſſerit, & quod primus exactu cōſulatu pro conſule triūphaſit. Eſt enim *acto honore*, pro eo, quod eſt, *poſtquā honore abiit*: ſic lib. 3. *Ea ætate, iiſq; honorib. actis.* Et Epitome lib. 61. *Gracchus ſeditioſo tribunatu acto interemptus eſt* ſic in Capitolinis lapidib.

Q. PVBLILIVS Q. F. Q. N. PHILO II. PRIMVS PRO COS. DE SAMNITIBVS PALÆPOLITANEIS.

Cap. xxvii. *Cum corpora nuda iatuliſſent.*] Vet. lib. *Nudata.*

Cap. xxviii. *Initium libertatis factum eſt, quod necti deſierunt.*] Vet. li. *Quod ligari nexi deſierū.* Recte. Nam paulo poſt ſubdit, *ita nexi ſoluti: cautumq; in poſterū ne necterētur.* Et Epit. li. 6. *Cum obſtrictos ære alieno liberaret, nexos exolueret.* Et Varro lib. 2. de lingua Latina: *Liber, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quam debebat, præbet, nexus vocatur, vt ab ære obæratus. Hoc C. Pœtelio Viſolo Dictatore inſtitutum ne fieret.* Quæ verba quāquam mendoſa ſunt, tamen ad hunc locum pertinere perſpicuum eſt. Et Suidas in voce [illegible] Καὶ δὴ ἐκεῖνος τὸ παῖδα ἄχρι τούτου δανείσαντες ... τὰ χρέα Ῥωμαίων νόμῳ κωλυθέντα ἀρχαίαν ἐλευθερίαν ἀπέλαβον.

Cap. xxix. *L. Furio Camillo iterum.*] Quam vehementer erret Glareanus, qui *L. Furio Camillo tertium* legit, ſupra oſtendi.

Eod. *Fortes fortunam iuuare.*] Eodem prouerbio vtitur li. 34. Et Cicero Tuſc. 2. *Fortes non modo fortuna adiuuat, vt eſt, in veteri prouerbio ſed multo magis ratio.*

Eod. *Q. Fabius Maximus Rutilianus.*] Ex Capit. tabulis apparet *Rullianum*, non *Rutilianum* eſſe legēdum. Mendoſè etiam apud Valerium lib. 2. c. 2. At apud Pliniū recte: *Q. Fabius Rullianus* Liuius eundem poſt Rullum nominat. Plutarchus in Pompeio Ῥοῦλλον in Fabio Ῥουλλιανόν, appellat, vt puto vitioſè.

Cap. xxx. *Profectus ad Imbrinium.*] Hermol. Barbarus in 3. lib. Plinij, meminit huius loci, idq; etiā *Simpriniū* dictū ſcribit. Vnde Tacitus *ad ſtagna Simpriuina.* Et Silius: *Gelidoq; rigātur Simprinio.* Et iterū Tac. *Fōteis ſub Imbriuinus collib. deductos vrbi intulit.*

Eod. *Seu credere libet Fabio auctore factum ac.*] Vet. lib. *Seu, ſi credere libet, Fabio,* &c.

Eod. *Spolia in triumphum ferret.*] Vet. lib. *in triumpho.*

Eod. *T. Mālij facta laudantē.*] vet. li. *Factā*, probo. Seueritatē. n. in eius filium, qui iniuſſu imperatoris pugnauerat, intelligit.

Cap. xxxi. *Quod ſe abſente reſpu. egregie geſta eſſet.* Vet. lib. *Res egregie*, vt ante: ſic paulo poſt *Ad rem gerendam.*

Cap. xxxii. *Conſules, regia poteſtas.*] Recte, quod pro rege, duo conſules creati ſunt iiſdem inſignibus, & eadem fere poteſtate, prætetquam quod annua hæc, illa perpetua erat, lib. 2.

Eod. *Quo tu imperio meo ſpreto.*] *Quo*, eſt pro eo, quod Græci dicunt, πρὸς τί & τί δή. Vt Cicero ad Fabium: *Martis vero ſignum quo mihi pacis auctori?*

Eod. *Lacerantibus veſtem lictoribus.*] Vet. quidam lib. *Lacerantibus fœde lictoribus.*

Cap. xxxiii. *Patre auctore M. Fabio, qui ter iam conſul, dictatorque fuerat.*] M. Fabius Ambuſtus pater fuit cos. an. cccxcv. cccxcix. cci. Dictator an. cdv. Liuius & Plu. auctores.

Eod. *Iterata deinde contentio.*] Vet. lib. *Contentio eſt.*

Eod. *Tribunos plebis appello, & prouoco ad populum.*] Hinc intelligi poteſt à Dictatore ad populum prouocationem fuiſſe. Qua de re ſic Feſtus: *Optima lege cum dicebatur in magiſtro populi faciendo, qui vulgo dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet ius eſſe ſignificabatur, vt fuit M. Valerij M. F. Voluſi N. qui primus magiſter populi creatus eſt, poſtquam vero prouocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, quæ ante non erat, deſitum eſt dici, Vt optima lege, vt pote imminuto iure poſteriorum magiſtrorum.*

Eod. *Bene agis, cum eo nos deduci iuſſiſti, vnde & priuati vocem mittere poſſemus.* Hoc ait, quia M. Fabius in cōcione pro roſtris ad populum loqui non potuiſſet, quod eſſet priuatus, ex inferiore autem loco, quo eum deduci Dictator iuſſerat, licebat. Non enim niſi magiſtratus, & qui à magiſtratibus producti erant, in concionem aſcendere poterant.

Eod. *Non tam perpetuæ orationes, quā altercatio exaudiebātur.*] Quidam libri, *altercationes audiebantur*, quod non probo. Nam li. 4. inquit: *Cum res à perpetuis orationib. in altercationē vertiſſet.*

Eod. *Dictatorem Quintium Cincinnatum in L. Minucium.*] Hac de re lib. 3.

Eod. *M. Furium Camillum in L. Furio.*] Hoc fecit Camillus trib. mil. vi. an. ccclxxv. Liuius lib. 6.

Eod. *Ne irā quidē ſatiſſe atrociorē in eos, qui temeritate, atq; inſcitia exercitū amiſiſſēt, quā vt pecunia eos multaret.*] Li. 4. *Mæſta ciuitati abre male geſta, & irata ducib. M. Poſtumius reus obiectus, qui tribunus mil. procos. ad Veios fuerat; x. millibus æris grauis dānatur.*

Eod. *Propter Q. Fabium ciuitatem in lætitia, victoria, ſupplicationib. ac gratulationib. eſſe.*] Vet. lib. *Propter Q. Fabij victoriam ciuitatem in lætitia, ſupplicationibus, ac gratulationibus eſſe.*

Cap. xxxv. *Cum ſe nihil morari magiſtrū equitum pronunciaſſet.*] Genus dicendi, quo vtebantur in abſoluendo: ſic ſupra lib. 4. Tribunus plebis. *Sempronium nihil moror.* Et Philip 13. in epiſt. Antonij: *Nihil moror eos ſaluos eſſe, & ire quo lubet.*

Eod. *Digreſſum eum tēplo.*] *Templum*, non curiam Hoſtiliam intelligendum eſſe puto, vt ait Glareanus quibuſdam placere, ſed *Roſtra*, quæ ſummoto magiſtro equitum Dictator aſcenderat, & ex eis verba ad populum fecerat: ſupra autem *Roſtra templum* dici monuimus.

Eod. *Adoleſcenti Manlij.*] Vet. lib. *T. Manlij*, recte, præceſſit enim *Q. Fabij.*

Cap. xxxvii. *Q. Æmilium Cæretanū.*] *Cerretanū* ex Cap conſulibus & Vet. lib.

Eod. *Q. Æmilio.*] *Aulium* quidam annales habent. Quæſtio eſt an alter Cos. *Q. Æmilius*, an *Q. Aulius Cerretanus* fuerit. *Aulium* vocandum eſſe, & Liuius & Capitolini ſcriptores conſentiunt: eſt enim is qui poſt magiſter equitum in prælio occiſus eſt: Liuius lib. 9. & Capitolinæ tabulæ.

Eod. *Æmilio ſorte euenerunt.*] Malim, *Aulio*, vt dixi. Accedit quod

quo pro *Æmilio* Diodorus *Αἰλίαν*, Caſſiodotus *Æliam* vocant, mendoſe.

Eod. *Socios eius gentis populos.*] Id eſt ſocios populi Romani Apuliæ populos: in amicitiam enim paulo ante venerant vna cum Lucanis.

Eod. *Clamatumque ad arma.*] Vet. lib. *Conclamatumque ad arma.*

Eod. *Vt in Tuſculanos animaduerteretur, quorum ope ac conſilio, Veliterni, Priuernateſque populo Rom. bellum feciſſent.* De Tuſculanis nihil ante li. 7. vbi de Priuernatibus & Veliternis ita ait: *Acceſſit ad eam cladem vaſtatio Romani agri, quam Priuernates, Veliterni deinde incurſione repentina fecerunt.*

Eod. *Nec quemquam ferme ex Pollia tribu cādidatum Papiriam ferre ſolitum.*] Locus non eſt, vt cenſet Glareanus, mancus ac debilis. Quod ipſum ſenſus oſtendit, qui eſt hic: Cum Pollia tribus vna Tuſculanos condemnaſſet, memoriam iræ Tuſculani in Polliam tribum vſque ad patrum memoriam conſeruarunt, neque enim quiſquam ex tribu Pollia candidatus Papiriam ferre ſolitus erat, in quam præſertim comecti Tuſculani ciues fuerant, & in qua ſuffragia ferebant. Autor Valerius li. 9. quanquam ibi *Popilia* eſt, pro *Papiria*. † Explicare debebat quid ſit *Papiriam ferre*, ſic enim ſatis feciſſet lectori Ego credo *Papiriam ferre, ſuffragium à Papiria tribu ferre.* †

Cap. XXXVIII. *Q. Fabio.*] *Rullianum* intelligit, ex triumpho Capit. hoc anno acto.

Eod. *L. Fuluio.*] Fuluij cognomen *Curuus*, ex Capitol. eius triumpho.

Eod. *M. Fabius Ambuſtus.*] Magiſter equit. erat *Ambuſtus*, *Rullianus* conſul. *Ambuſtum Rulliani* patruelem fuiſſe ſcot *M. Ambuſti Pont. Max. F.*

Eod. *Nec pedeſtres quidem copiæ.*] Vet. lib. *Ne pedeſtres quidem.* Samnitium autem copias intelligit.

Eod. *Locum caſtris dimetari iuſſit.*] Vet. lib. *communiri iuſſit.*

Eod. *Id vero, circumfuſo vndique equitatu, vt vallum peteretur, opuſque inciperet, fieri non poterat.* Senſus eſt: Dictator, vbi vltra progredi ſe non ſine ſummo incommodo poſſe vidit, locum caſtris communiri iuſſit: cum autem hoſtium equitatus circumfuſus eſſet, ne id quidem fieri poterat, vt vallum poneretur, & opus inciperet. In quibuſdam enim libris eſt pro, *peteretur poneretur.*

Eod. *At Hercule iſto die.* Vet. lib.] *Et hercule.*

Cap. XXXIX. *Impio bello, & contra fœdus ſuſcepto.* Hoc ait, quia paulo ante dixerat: *Samnites inducias annuas ab vrbe retulerunt, nec earum ipſarum ſancta fides fuit*, &c. Itaque ſubdit: *Brutulus Papius haud dubie erat proximarum induciarum ruptor.*

Eod. *Brutulus Papius.*] *Papia* gens Italica fuit. Itaque bello Italico *Papius Mutilus* inter eius belli duces inſignis eſt. Appianus, alij.

Eod. *Ceterarum rerum irrita fuit deditio.*] Id eſt, non acceptæ res ceteræ, quæ debebantur, nec ex eo pax conſequuta eſt.

Cap. XL. *Hoc bellum à conſulibus bellatum quidam auctores ſunt.*] Inter ceteros ſunt Capitolini ſcriptores, qui *Q. Fabium L. Fuluium* huius anni conſules de Samnitibus triumphaſſe, non *Dictatorem A. Cornelium* tradiderunt.

Eod. *Fabium etiam in Apuliam proceſſiſſe.*] Hinc apud eum, qui ſcripſit de viris illuſtribus ſcriptum eſt, *Q. Fabium* cos. primum de Apulis, & Lucerinis triumphaſſe. Quod idem extat etiam in Capitolino triumpho.

Eod. *Signum mittendis quadrigis daret.*] Inter ceteras cauſas Dictatoris creandi hæc etiam fuit, ludorum Rom. cauſa, quod eſt, vt ſignum mittendis quadrigis daret. *Signum* autem dediſſe *Dictatorem & prætorem*, hic locus docet, *conſulem*, lib. 45.

Eod. *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falſiſque imaginum titulis, dum familiæ ad ſe quæque famam rerum geſtarū, honorum fallente mendacio trahunt, inde certe & ſingulorum geſta, etiam publica monumenta rerum confuſa.*] Hunc locum à Cicerone accepiſſe videtur in Bruto: *Niſi quem nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant, & hercule hæ quidem extant, ipſæ enim familiæ ſua quaſi ornamenta, ac monumenta ſeruabant, & ad vſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam. quanquam his laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum facta eſt mendoſior: multa enim ſcripta ſunt in eis, quæ facta non ſunt, falſi triumphi, plures conſulatus, genera etiam falſa, & à plebe tranſitiones, cum homines humiliores in alienum eiuſdem nominis infunderentur genus.*

IN EPITOMEN LIB. IX.

OMNIBVS, *qui per fœdus ſpoponderunt.*] Vet. lib. *Qui fœdus ſpoponderant.*

Nec etiam multo poſt.] Vet. lib. *Nec multo poſt.*

Libertinorum filios in ſenatum legit. Vet. lib. *In ſenatum.*

Eaque res Fabio Maximo nomen dedit.] Vet. lib. *Maximi.* id eſt, ex ea re Maximus appellatus eſt, ſic Liuius. Porro autem adde hæc verba ex manuſcriptis libris. † Badius hæc habet in exemplari ſuo. † *In hoc libro mentionem habet Alexādri, qui temporibus his fuit, & æſtimatis populi Rom. viribus, quæ tunc erant, colligit: ſi Alexander in Italiam traieciſſet, non tam facilem ei victoriam de populo Rom. fore, quam de gentibus, quas ad Orientem imperio ſuo ſubiecerat.*

IN LIBRVM IX.

CAp. I. *Auctores belli, quia viuos non potuimus.*] *Brutulum Papium* intelligit, cuius exanime corpus deditum erat.

Cap. II. *Legiones Samnitium in Apulia eſſe, Luceriam omnibus circumſederi.*] Apuli quadriennio ante ſocietate iuncta in fidem populi Romani venerāt. Ea de cauſa Romani hoc tempore Luceriæ, quam à Samnitibus circumſederi nunciabatur, opem ferunt. ait enim: *Haud erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus ſocijs*, iidem tamen poſt cladem Caudinam ad Samnites defeciſſe videntur. Itaq; Luceria poſt à Romanis recipitur, iterumque cum defeciſſet, capta, colonia deducitur. Neq; enim probare videtur Liuius eorum auctoritatem, qui Fabium prioris anni conſulem de Apulis & Lucerinis triumphaſſe ſcripſerunt.

Eod. *Montibus circa ſe perpetuis inter ſe iuncti.* Vet. lib. *Montibus perpetuis inter ſe iuncti.*

Eod. *Per alium ſaltum arctiorem, impeditioremque.*] Vet. lib. *Altiorem impeditioremque.* Recte. Nam paulo ante dixit: *Saltus duo alti, anguſti.*

Eod. *Cum ad alias anguſtias protinus pergerent, ſeptas deiectu arborum ſaxorūque ingentium obiacentem molem inuenerūt.*] Malim, obiacēte mole. vt ſit, *ſeptas deiectu arborū, & ſaxorū obiacente mole.*

Cap. III. *Alius per obices viarum, alius per diuerſa montium.*] Vet. lib. *Per aduerſa montium.*

Eod. *Quem annos iam prope XXX. vincimus.*] De Samnite loquitur, qui vinci cœptus eſt anno vrb. cond. CDXII. Quoniam autem ab eo ad hunc annum niſi XXIII. anni numerantur Glareanus hunc numerum reprehendit, & XX. non XXX. legendum cenſet. Ego contra: Nam ſi XX. dixiſſet, particulam, *prope*, non addiſſet, quæ ſolet addi, cum numerus re vera minor eſt, quam dicitur. † Badij codex habet XX. & propius id eſt vero quidquid hic argutetur Sigonius. †

Eod. *Iam ingrauior anni.*] Vet. libris. *Grauis annis.*

Eod. *Quicquid iſtuc præſens neceſſitas inuenerit.*] Vet. lib. *iſtinc.* Malim, ergo *iſtic.*

Eod. *Herennius domum è caſtris auectus.*] Vet. lib. *Reuectus.* Egregie. Inde enim in caſtra vectus fuerat.

Cap. IV. *Suis deinde legibus.*] Vet lib. *Suis inde legibus.*

Eod. *In medios me mittere hoſtes paratus ſum.*] Vet. lib. *Immittere.*

Eod. *Produntur magis omnia.*] Vet. lib. *Ea omnia.*

Cap. VI. *Omnium egenu corpora humi proſtrauerunt.*] Vet. lib. *Egem.*

Eod. *Super mœrorem pudor quidam effugere colloquia, & cœtus hominum cogebat.*] Vet. lib. *cogebat.*

Eod. *Ad finem Campanum proſequerentur.*] Vet. lib. *Ad finem vſque Campani agri.* Dixi tamen alibi: *Finem Piſanum.*

Eod. *Multo ſibi mœſtiores & abiectiores animi viſos.*] Vet.lib. *Mœſtiores & abiectioris animi.*

Cap. VII. *Offilius Calauius Ouij filius.*] Vet.lib. *Oui.*

Eod. *Sine vlla publica auctoritate conceſſum in omnem formam luctus eſt.*] Vet.lib. *Sine vlla publica auctoritate conſenſuque in omnem formam luctus populus verſus eſt.* Ego tamen nihil muto.

Eod. *M. Æmilius Pappus.*] Scribe *M. Æmilius Papus*, auctorib. Capitolinis lapidibus,& libris vet.

Cap. VIII. *Quo die creati ſunt, eo, ſic enim placuerat patribus, magiſtratum inierunt.*] Ante ſolennem ineundi conſulatus diem iniſſe ſignificat, qui per bellum Punicum II. & reliqua inſequentia fuit idus Mart. His autem X. primis libris res hæc tota inconſtantiſſima eſt. Nam modo K. Sept. modo K. Sext. modo Idibus Maiis, modo Id. Decembr. modo K. Octobr. modo K. Quintilis iniiſſe conſules à Dionyſio, Liuioque traduntur.

Eod. *Solennibuſque ſenatuſconſultis perfectis, de pace Caudina retulerant.*] Vet. lib. *Solennibuſque ſacris.* Probo tamen magis, *Senatuſconſultis.* Erant enim quædam *ſolennia ſenatuſconſulta*, quæ ad religionem & ceremonias pertinebant. Nam quemadmodum ſcriptū eſt apud Gellium, ante de rebus diuinis, quam de humanis referebatur. Itaque Cicero ait ad Quirites poſt reditum: *P. Lentulus conſul ſimulatque de ſolenni religione retulit, nihil humanarum rerum ſibi prius, quam de me agendum iudicauit.*

Cap. IX. *L. Liuio, & Q. Mælio tribunus pl.*] *Mælio* ſcribe. Mendoſe autem ſunt apud Ciceronem hæc nomina. *Numicio*, & *Æmilio.* in Catone. Ceterum tribunatum pl. ceperunt, poſtquam ſub iugum ad Caudium miſſi fuerant. Neque enim tribunos pleb. in caſtris fuiſſe conſentaneum eſt, & ſi fuiſſent, & ſpopondiſſent, eorum ſupra meminiſſet Liuius, cum dixit: *Spoponderunt conſules, legati, quæſtores, tribuni militum.*

Cap. X. *Poſthumius in ore erat.*] Vet.lib. *In ore omnium erat.*

Eod. *Piacula que pro populo dare Romano.*] Vet.lib. *Romano dare.*

Eod. *Noxam nocuerunt.*] Vet.lib. *Noxa nocuerunt.*

Eod. *Eo iuſtius bellum geſturos.*] Vet.lib. *Romanos eo iuſtius bellum geſturos*, quod placet.

Cap. XI. *Qui te captum victori cum qua potes fide reſtituis.*] Vet. lib. *Qui te nunc captum victori.*

Eod. *Numquam nec cauſa deſiet.*] Vet.lib. *Deficiet.*

Cap. XII. *Quod nec ad Luceriam ire.*] Hoc loco Luceria Samnitium eſt, quod forte ad eos, vt dixi, poſt Claudinam cladem defecerit, quemadmodum tacite intelligi vult Liuius.

Eod. *Publilius in Samnio ſubſiſtit aduerſus Caudinas legiones.*] Si, *aduerſus*, legas, Caudinas legiones Samnitium exercitum ad Caudium victorem intelligas: ſi, vt malim, & eſt in quibuſdam libris Veter. *Adducens*, Romanorum exercitum ad Caudium ſub iugum miſſum, accipias neceſſe eſt. Ita vero accipiendum eſſe, docet Liuius lib. 25. *Caudinæ legiones, quæ ſine armis redierant Romam, armatæ remiſſa in Samnium, eundem illum hoſtem ſub iugum miſerunt, qui hac ſua ignominia lætatus fuerat.* Idem autem tradit hoc loco Liuius. Ex quo intelligi debet, Publilium cum Caudino exercitu in Samnium eſſe profectum, Papirium cum nouo in Apuliam.

Cap. XIII. *Samnites ea tempeſtate in montibus vicatim habitantes campeſtria, & maritima loca contempto cultorum molliore, atque vt euenit fere, locis ſimili genere, ipſi montani, atque agreſtes depopulabantur.*] Glareanus merito obſcuritatem huius loci iactat, non enim ſolum obſcurus eſt, ſed etiam vitioſus. Lege autem ex veterum librorum fide. *Contempto cultu molliore*, vt ſit: Samnites montani campeſtria loca depopulabantur contempto cultu molliore, & locis eiuſmodi, vt fieri ſolet.

Eod. *Tum quoque profectos inde.*] Veteres libri, *Tum vero profectos.*

Cap. XIV. *Auctoribus diis, vt videtis, ad rem agendam proficiſcimur.*] Vet.lib. *Rem gerendam.*

Cap. XV. *Conſulere quid victis patiendum cenſeret.*] Vet.lib. *Paciſcendum*, probe. agitur enim de coditionibus pacis.

Eod. *Id magis mirabile eſt, ambigi Luciusne Cornelius Dictator cum M. Papirio Curſore magiſtro equitum eas res ad Caudium, atque inde Luceriam geſſerit.*] Scriptores Capitolini *L. Cornelium Dictat.* cum *L. Papirio mag. equit.* aſcribentes has res ab eo geſtas eſſe ſentire videtur. Puto autem hunc eſſe *L. Cornelium Lentulum*, qui ante conſul fuit, qui ob res bene geſtas ad Caudium *Caudinus* appellatus ſit: ſi quidem *Caudinus* poſt fuit *Lentulorum* cognomen.

Eod. *Sequitur hunc errorem alius error, Curſorne Papirius proximis comitiis cum Q. Aemilio Caretano iterum ob rem bene geſtam Luceriæ continuato magiſtratu conſul tertium creatus ſit, an L. Papirius Mugillanus, & in cognomine erratum ſit.*] *L. Papirium Curſorem* Coss. III. & Capitolini triumphi eius ſcriptores & Liuius ipſe, qui poſt hunc eundem IV. *conſulem* nominat, ſentiunt. Quod autem ad *Q. Aemilium Caretanum* attinet, cum ne de hoc quidem nomine inter auctores conueniat, an *Aemilius* an *Aulius* ſit, vt ait Liuius, intelligendum eſt *Aulium* à Liuio, & ſcriptoribus Capitolinis magis probari. nam in Vet.lib. apud Liuium & hoc loco, & infra *Aulius* eſt, non *Aemilius*. Ceterum *Cerretano* ex Capitolinis lapidibus & veterib. aliquot libris legendum eſt, non *Caretano*.

Eod. *Cum Ferentanis vno ſecundo prælio debellauit, vrbemque ipſam quo ſe ipſa contulerat acies, obſidibus imperatis, in deditionem accepit.*] Oppidum intelligit nomine *Ferentum*: de quo Horatius Oda 4. lib. 4. *Et aruum pingue tenent Humilis Ferenti*, quo loco ait Acro: *Ferentum oppidum eſt Apuliæ Venuſinæ ciuitati vicinum in valle ſitum.* Itaque Diodorus lib. 20. hanc victoriam ſic deſcribit, Ῥωμαῖοι δὲ διαπολεμοῦντες Σαμνίταις Φερεντὸν πόλιν τῆς Ἀπουλίας κατὰ κράτος εἷλον. Fuit autem Ferentum, quod & Ferentinum eſt dictum, in Samnitibus, de quo ſic Stephanus. Φερεντῖνος, λέγεται καὶ Φερέντιος πόλις Σαμνιτῶν ἐν Ἰταλίᾳ, τὸ ἐθνικὸν Φερεντῖνος. Huius meminit Liuius libr. 10. Idque oppugnatum eſſe vna cum Romulca ſcribit anno vrb. cond. CDLVI. Porro autem Ferentinum alterum in Volſcis, ſiue in Latio fuiſſe ſatis conſtat. Quod ipſum Volſcis ademptum, Hernicis donatum eſſe à Romanis Liuius ſcribit lib. 4. Itaque lib. 7. Ferentinum Hernicorum vrbem vi captam eſſe ab iiſdem ait, & Ptolemæus Ferentinum inter mediterraneas vrbes Latinorum ſtatuit. Ab hoc ciues Ferentinates appellati ſunt, vt hoc libro Liuius. *Præter Aletrinatem, Ferentinatemque & Verulanum omnes Hernici nominis populi populo Roman. bellum indixerunt.* Et Plinius lib. 4. cap. 5. *Ex agro Falerno Ferentinates.* Hinc concilia Latinorum ad lucum Ferentinæ habita eſſe ſcribit Liuius libr. 1. & 8. Quod, vt ſupra dixi, concilium Dionyſius τῶν ἐν Φερεντίνῳ ἀγορὰν vocat. Hinc etiam idem Liuius lib. I. meminit aquæ Ferentinæ. & 2. capitis Ferentini. Poſtremo Ferentiam oppidum collocat in Tuſcis Ptolemæus, quam Ferentinum etiam nominat Plinius lib. 3. cap. 5. cum ait: *Feſulæ, Ferentinum.* Præter hæc ſunt etiam populi quidam nomine Frentani Apulis finitimi. De quibus Mela, *Picentes, Frentani, Apuli.* Et Plin. *Peligni, Frentani, Marrucini, Veſtini.* Et poſt. *Infra Frentanorum.* Item, *Anxani, Frentani.* Ptolemæus item poſt Apulos ſtatuit Frentanos, Polignos, & Marrucinos. Et Polybius lib. 3. Μαρρουκίνων, καὶ Φρεντανῶν χώραν. Quæ cum ita ſint, non eſt dubium, quin libro hoc extremo ſit legendum, *Frentani*, vbi vulgo legitur, *Marrucini, Marſi, Peligni, Frentini.* Hæc dixi, vt intelligerent omnes quanto cum ſtudio atque iudicio in veterum auctorum lectione verſandum eſſet.

Cap. XVI. *Cum ad mœnia Satrici admotus eſſet exercitus.*] Vet. lib. *Satrica*, per mendum. Intelligit enim Satricum coloniam Romanam in Latio, quippe cum ſubiiciat: *Plus ea voce, quam armis illatis terroris colonis iniectum.*

Eod. *Qua noctis hora, quamquam per portam, & quam in viam egreſſurus hoſtis foret.*] Vet.lib. *Quaque porta.*

Eod. *Præcipua pedum pernicitas inerat, quæ cognomen etiam dedit.*] Vet.lib. alij, *Quæ cognomen via dederat.* alij, *Quæ cognomini viam dedit.* Hinc ego ſuſpicor legendum. *Quæ cognomen auo iam dedit.* † Liuius hunc à curſu laudat, non auum: Nihil igitur hic agit Sigonius. † Vt intelligamus, quemadmodum neceſſario intelligendum eſt, non hunc primum inueniſſe hoc Curſoris cognomen, ſed auum eius ante. Auus autem eius fuit *L. Papirius Curſor*, qui cenſor fuit anno vrb. cond. CCCLXI. & poſt etiam tribunis militum conſulari poteſtate. Hic enim de quo non loquitur Liuius in lapidibus Capitolinis *L. Papirius Sp. F. L. N. Curſor* dicitur.

Cap. XVII. *Quod vnus fuit, quod adoleſcens in incremento rerum.*] Scribe ex Vet.lib. *Quod adoleſcens, quod in incremento rerum*, vt tertia eſſe cauſa videatur.

Eod. *M. Curium.*] *M' Curium*, Capitolini lapides: item alij.

Eod. *Si Punicum Romano prævertiſſet bellum, ſeniorq; in Italiam traieciſſet.*] Senſus: Si Alexander ante intuliſſet Romano bellum, quam Pœni: Quod futurum erat, ſi ſenior in Italiam traieciſſet: niſi malimus legere pro *Punicum*, *Iudicum*, nam ſequitur: *Longe alius Italia, quam India viſus illi habitus fuiſſet.* † Hinc inſcitiam Hiſtoriæ Alexandri Sigonius prodit: Alexander enim cum ex India Babylonem rediiſſet, iam claſſem deſtinarat in Carthaginenſes non in Romanos: etſi tum rebus humanis ereptus non eſſet, ac in Africam veniſſet, aliquot annis ibi bellandum erat. poſito x. iamque Alexander erat XLIII. annorum, ſic ſenex, non tamen valde, veniſſet in Italiam. Senſus igitur eſt: Si Alexander præuertiſſet bellum Africanum quam Romanum, hoc eſt, prius Africam aggreſſus quam Italiam, id enim in eius ſenectute futurum erat. †

Eod. *Quem iuuenes duos.*] *T. Manlius Torquatus, & M. Valerius Coruus.* de quibus paulo poſt: *Ceſſiſſet videlicet in acie oblatus par Manlius Torquatus, aut Valerius Coruus.* † Hæc ex Glareano habet. †

Eod. *Quem qui ex regibus conſtare dixit.*] Cyneas hic fuit legatus Pyrrhi bello Tarentino. Plut. in Pyrrho.

Eod. *Inter purpuram atque aurum eneruatum fortunæ ſuæ apparatibus.*] Vet. lib. *Oneratum.* Quod placet: ſubdit enim *prædam verius quam hoſtem*, & præceſſit, *Mulierum, ac ſpadonum agmen trahentem.*

Cap. XVIII. *Non intelligunt ſe hominis res geſtas, & eius iuuenis cum populi iam octingenteſimum bellantis annum conferre.*] Scribe ex Vet. lib. *Se vnius hominis.* Opponuntur enim hæc inter ſe. Vnus homo, idemque iuuenis, & populus idemq; iam octingenteſimum annum bellans. Paulo ante dixit: *quod vnus fuit, quod adoleſcens* Elatoris autem dixit, *Octingenteſimum.*

Cap. XIX. *Impedimentum maius, quam auxilium traheret.*] Vet. lib. *Impedimentum magis.*

Eod. *Cum & fœderibus vetuſtis iuncta Punica res Romanæ eſſet.*] Fœdera hæc renouata iterum atque iterum, & quo tempore, late tradit Polybius lib. 3.

Eod. *Abſit inuidia verbo.*] Vet. lib. *Vero.*

Cap. XX. *M. Follius Flaccina.*] *M. Foſlius Flaccinator*, ex conſulatu Capitolino.

Eod. *L. Plautius Venox.*] *Venno*, ex conſul. Capitol. vt dixi.

Eod. *Induciæ bienny, cum per aliquot dies fatigaſſent ſingulos, precibus impetrata.*] Diſpunge ita, vt ſit, *fatigaſſent ſingulos, precibus* non autem *precibus impetrata.* Nihil eſt enim tam familiare Liuio, quam *fatigare precibus*, vt lib. I. *Precibus raptorum fatigata.*

Eod. *Ex Apulia Theanenſes.*] *Teanenſes* ſine aſpiratione, ex Vet. lib. & Græcis Τιανοί.

Eod. *Ex apulia Teanenſes, Canuſinique populationibus feſſi, obſidibus L. Plautio conſuli datis in deditionem venerunt.*] Hac de re ſic Diodorus lib 20. ἐπέμψαντο δὲ καὶ τῆς Ἀπουλίας τὴν Δαυνίαν πᾶσαν, καὶ προσηγάγοντο Κανυσίνους ὁμήρους παρ' αὐτῶν ἔλαβον.

Eod. *Et duæ Romanæ additæ tribus Vfentina, ac Falerina.*] Earundem meminit Diodorus: προσετέθησαν δὲ καὶ δύο φυλαὶ ταῖς προϋπαρχούσαις, ἥ τε Φαλερῖνα, καὶ ἡ Ὠφεντίνα.

Eod. *Iuclinatis ſemel in Apulia rebus, Theates quoque Apuli ad nouos conſules C. Iunium Bubulcum, Q. Æmilium Barbulam, petitum fœdus venerunt.*] Parum conſtat, qui ſint *Theates Apuli.* Nam *Theate Theatinos* edit, vt *Reate Reatinos*, quos tamen non inter Apulos, ſed inter Marrucinos collocat Plinius. De *Teanenſibus* autem dixit paucis ante verſibus, *Teanenſes, Canuſiniq; populationibus feſſi obſidibus L. Plautio conſuli datis in deditionem venerunt*, vt ſuperuacaneum fuiſſe videatur eoſdem ad nouos conſules fœdus petitum veniſſe, niſi ſi, quia pacis per omnem Apuliam præſtandæ auctores venerant, audacter id petentes impetrauerint. Ceterum *Teana* duo fuiſſe, auctor eſſe Strabo, vnum cognomine *Sidicinum*, alterum *Apulum.* Et Plinius lib. 3. cap. II. *Apulorum*, inquit, *tria genera ſunt, Teani à duci Gares, Lucani ſubacti à Calchante. & Dauny.* Vet. lib. *Teates habent.* Stephanus populos, & ciues *Teani* vocat Τεανῖτ. Polybius tamen lib. 3. nominat *Calenos, Teanitas, Daunios, Nolanos*, vt Campaniæ mediterraneam incolentes, Καληνά, Τεανῖται, Δαύνιοι, Νωλανοί.

Eod. *Neq; vt æquo tamẽ fœdere, ſed in ditione populi Rom. eſſent.*] Vet. lib. *Sed vt in ditione.* Eſt autem hoc vnum è tribus generibus ſocietatis ineundæ, de quibus Liuius lib. 35. *aut enim victis leges dantur, aut pares bello paciſcuntur, aut cum numquam hoſtes fuerint, fœdere iunguntur.*

Eod. *Apulia perdomita, nam Tarento quoque valido oppido Iunius potitus erat.*] Quid ſit hoc loco *Tarentum* ambigitur, neq; enim Tarentum Apuliæ eſt, neque à Romanis hoc tempore captum eſt. Neque vero *Ferentum* habere locum poteſt, quod quibuſdam placuit, eſt enim biennio ante captum. Vet. lib. alij *Acronto*, alij *Acerronto* cum habeant, me in hanc ſententiam trahunt, vt putem legendum eſſe *Acheronto*, quod oppidum erat in Apulia, vt ait Horatius, & eius interpres Acro: quamquam Horatius *Acherontiam* vocat Oda 4. lib. 3.

--mirum quod foret omnibus,
Quicumque celſæ nidum Acherontiæ,
Saltuſque Bantinos, & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti.

Eod. *Qui ſine legibus certis, ſine magiſtratibus agere querebãtur.*] Vet. lib. *Sine legibus certiſq; magiſtratibus.*

Cap. XXI. *Satriculam oppugnare.*] *Saticulam*, vt ante.

Eod. *Satricani magno cum tumultu.*] De *Saticulæ* ciuibus cum agatur, *Saticulani* certe ſcribendum eſt. Nam Stephanus Σατίκολα πόλις. τὸ ἐθνικὸν Σατικολανός. Et Diodorus lib. 19. vbi *Saticulæ* meminit à Romanis obſeſſæ, ait: Ῥωμαῖοι Σατίκολαν πολιορκοῦντες Σαμνῖται ἐπῆλθον μετὰ δυνάμεως ἀδρᾶς σπεύδοντες λῦσαι τὴν πολιορκίαν.

Eod. *Pliſtiam ipſi ſocios Romanorum circumſidunt.* Diodorus lib. 19. *Pliſticam* vocat, cum ait hac de re ita: Πλιστικὴν μὲν ἔχοντα φρουρὰν Ῥωμαίων ἐξεπολιόρκησαν.

Cap. XXII. *Bellum deinceps ab Q. Fabio dictatore geſtum eſt.* Glareanus hunc dictatorem hoc anno fuiſſe ſine conſulibus exiſtimat, verum errat. Fuit enim *Q. Publilio, & L. Papirio quartum conſulibus*, teſte Diodoro, qui in horum conſulatu ait: εἰωθότες δὲ ἐν τοῖς κινδύνοις αὐτοκράτορα τοῦ πολέμου καθιστᾶν τινα τῶν ἀξιολόγων ἀνδρῶν, προεχειρίσαντο τότε Κόιντον Φάβιον καὶ μετ' αὐτοῦ Κόιντον Αὔλιον ἵππαρχον. οὗτοι τὰς δυνάμεις ἀναλαβόντες παρετάξαντο πρὸς τοὺς Σαμνίτας περὶ τὰς καλουμένας Λαυτούλας. Narrat deinde Romanorum item, vt Liuius, fugam, & *Q. Aulij* magiſt. equit. necem. eſt enim apud Diodorum Αὔλιον, pro *Aulium*, vt cum dicimus *Clodius*, pro *Claudius.*

Eod. *Conſules noui ſicut ſuperiores Romæ manſerunt.*] Deſunt nomina nouorum conſulum, ſine dubio librariorum vitio; neque enim alias vmquam ea ſtudioſe Liuius prætermiſit. Sunt autem apud Caſſiodorum *L. Papirius, Q. Publilius.* Itemque in Capitolinis tabulis. *L. Papirius Curſor* IIII. & *Q. Publilius Philo* IIII. Et apud Diodorum libro 19. Λεύκιος Παπίριος, τὸ τέταρτον, καὶ Κόιντος Ποπλίλιος τὸ δεύτερον. Atque ita reſtituendum eſſe apud Liuium puto, vt eſt in Capitolinis lapidibus. Nam in horum temporum conſulibus nominandis mire diligẽs eſt, ita vt neque cognomina, neque multiplicatorum honorum notas vllas prætereat, & *L. Papirium* biennio poſt *conſulem quintum* tradit. Quod non faceret, niſi hoc anno eum conſulem quartum nominaſſet. Hoc ipſum, vt dixi, cum Glareanus non intelligeret, annum vnum ſine conſulibus interſeruit: *L.* autem. *Papirium.* & *Q. Publilium* in inſequentem annum tranſtulit, ita vt vno anno Liuium antecedat contra omnium monumentorum auctoritatem. † Glareanus vbique teſtatur ſe pro vno anno cum nemine certaturum. At hic ita nunc clamat, quaſi id non legerit apud eum. †

Eod. *Eo intentius Dictator in mœnia hoſtium verſus, id bellum tanti ducere, quod vrbem oppugnabat: ſecurior ab Samnitibus agere: ſtationibus modo oppoſitis, ne qua in caſtra vis fieret. Eo ferocius adequitare Samnites vallo, neque ocium pati.*] Huius loci ſenſus, quem ſibi ignotum eſſe Glareanus ait, hic eſt: Dictator ad oppugnationem vrbis conuerſus, id opus tãtum pro bello habebat, quatenus oppugnabat, ac ceteris in rebus nulla belli ſpecies erat. Nam à Samnitibus ſecurus, ſtationibus tantum, ne qua vis in caſtra fieret, oppoſitis erat. Quo fiebat, vt Samnites, cum ſe contemni putarent, ferocius obequitarent vallo caſtrorum, neque quietem agere poſſent. In veteribus enim libris *obequitare* legitur, non *adequitare.* Poſt hæc nouæ orationis principium fieri debet. *Et cum iam prope.*

Eod. *Nec, vt fit, adducis caſam perculſa magis, quam irritata eſt*

multitudo omnis, qui circa erant in Atilium temere inuectum.] Vet. lib. *Omnes qui circa erant.*

Cap. XXII. *Sora ad Samnites defecerat interfectis colonis Romanorum.*] Sic Diodorus libro 19. Σωρανοί τε ἱκέτας κατασφάξαι τοὺς παρ᾽ αὐτοῖς Ῥωμαίων, συμμαχίαν δὲ πρὸς Σαμνίτας συνέθεντο.

Eod. *Et ſi hominos innare velint, iniqua loca ſunt.*] Vet. lib. *Omnes.*

Eod. *Ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum eſt.*] παρετάξαντο πρὸς τοὺς Σαμνίτας περὶ τὰς καλουμένας Λαυτούλας.

Cap. XXIV. *Conſules M. Petelius, C. Sulpicius.*] *Pœtelius* ex conſulatu Capitolino. Diodorus, Μάρκος Πόπλιος, Γάϊος Σολπίκιος: at Πόπλιος mendoſe.

Eod. *Arx ab hoſtibus capta eſt, defendite, ite.*] Vet. lib. *Ite, defendite*: ſic ſupra, *Ite conſules, redimite ciuitatem.* Et lib. 7. *Irent, crearent conſulem ex plebe.*

Eod. *Concurſantes per viam.*] Vet. lib. *Per vias.*

Eod. *Ex his* CCXXV.] Vet. lib. CCXXXV.

Cap. XXV. *Auſonia, & Minturna, & Veſtina vrbes.*] Vet. lib. alij *Veſtinia*, alij *Veſtia*. Ego *Veſcia* legendum puto. Nam *Veſcia*, vt lib. 8. dixi, Auſonum erat, auctore Stephano.

Eod. *Vicit tamen ſententia, vt mitterentur coloni.*] De Luceria colonia deducta in Apulia loquitur, De qua ſic Diodorus in conſulatu priore: οἱ δὲ Ῥωμαῖοι φρουροῦντες μὲν κατὰ τὴν Ἀπουλίαν ... ἀποικίαν ἐξέπεμψαν εἰς Λουκερίαν πόλιν ... ἐν ταύτῃ τόπῳ.

Eod. *Dictatoremq́; quæſtionibus exercendis dici placuit, C. Marius dictus, is M. Fuluium magiſtrum equitum dicit.*] Hos iterum ambos factos eſſe ſcriptum eſt in tabulis Capitolinis. De quibus ſic Diodorus libro 19. ὁ δὲ δῆμος ... ἐξέπεμψεν ἐπ᾽ αὐτούς, καὶ στρατηγὸν αὐτοκράτορα Γάϊον Μαίνιον καὶ μετ᾽ αὐτοῦ κατὰ τὸ πάτριον ἔθος Μάνιον Φούλβιον ἱππάρχην. τούτων δὲ τὰ πλησίον Καπύης καταστρατοπεδευόντων, οἱ Καμπανοὶ τὸ μὲν πρῶτον ἐπεχείρουν ἀγωνίζεσθαι. Ergo Diodorus Dictatorem creatum rei in Campanos gerendæ, non quæſtionis in eos exercendæ cauſa ait.

Cap. XXVI. *Calauios Ouium, Nouiumque.*] Vet. lib. *Ouum, Nouumque*: ſunt autem hæc Calauiæ gentis pronomina.

Eod. *Qui vſquam coiſſent, coniuraſſentve aduerſus Romanum populum.*] Pro certo habeo legendum eſſe, *aduerſus remp.* nam ſubdit, *coitiones honorum adipiſcendorum cauſa factas, aduerſus remp. eſſe.* Et hæc eſt trita loquendi forma. Error ex notis ortus. R. P.

Eod. *Quæſtores idoneos eius criminis.*] Vet. lib. *Quæſitores.* vt Virgil. *Quæſitor Minos vrnam mouet.*

Eod. *Tutos à criminibus iſtis eſſe.*] Veter. libri, *Criminatio ibat.*

Eod. *Jis enim à ſenatu mandata res eſt.*] Vet. lib. *Erat.*

Cap. XXVIII. *Cum audiſſet arcem Fregellanam à Samnitibus captam.*] *Q. Fabium Dictatorem bis* Coſs. ad arcem Fregellanam rem geſſiſſe, non *C. Pœtelium* ſcribit Diodorus. De C. tamen *Pœtelio* auctores ſunt ſcriptores Capitolini. Diodorus ſic libro 19 τὰ δὲ λοιπὰ στρατόπεδα ἀναλαβὼν Κοΐντος Φάβιος, ὃς ἦν αὐτοκράτωρ ὁ ᾑρημένος, τήν τε Φρεγελλανῶν πόλιν εἷλε καὶ τῶν αἰτιωτάτους διὰ κειμένους πρὸς τὴν Ῥώμην τοὺς συνηρτηκότας ἐξήγαγεν.

Eod. *Et frequenter ibi habitatur.*] Vet. lib. *Habitabatur.*

Eod. *Sueſſa, & Pontia colonia deducta ſunt.*] Vet. lib. *Sueſſam, & Pontiam*: ſic lib. 10 *Soram atque Albam coloniæ deductæ.* Sic Diodorus, ὁ δὲ δῆμος κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ... ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὴν νῆσον Ποντίας καλουμένην.

Cap. XXIX. *Et in tertiam Caſſinum vt deducerentur coloni S. C. factum eſt.*] Vet. lib. alij habent, *Et Minturna, & Caſinum vt deducerentur coloniæ.* alij *Veternam & Caſinum*, alij *Internam, et Caſinum.* Quæ voces in eam Gelenium traxerũt ſuſpicionem, vt: *Et in tertiam Caſſinum*, affirmarit eſſe legendum, & pro *deducerentur coloniæ*, *De lucerentur coloni*, ſubiecerit. Ego autem reſtituendum puto ita: *Et vt interamnam, et Caſinum deducentur coloniæ.* Etenim Velleius lib. 1. poſt Sueſſam Aroncam coloniam deductam, cuius hoc loco meminit. Liuius: Interamnam deductam eſſe ſcribit. Et Liuius lib. 10. anno CDLVIII. ait: *Samnites Interamnam coloniam Romanam, quæ via Latina eſt occupare conati*, neque tamen quo anno deducta colonia ſit ante dixit, niſi hoc loco tradiderit. Mouet etiam me loquendi forma, *Deducere colonias*, vel *colonos in Caſinum tertiam coloniam.*

Eod. *Conſules M. Valerius, P. Decius.*] *M. Valerius* hic non eſt *Coruus*, ſed *M. Valerius Maximus*, vt eſt in Capitolinorum conſulatu.

Eod. *Dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit.*] Lege ex auctoritate Capitolinarum tabularum: *Dictatorem C. Sulpicium Longum, is magiſtrum equitum C. Junium Bubulcum dixit.* Etenim ſatis apparet, errore librarij C. *Sulpicij* nomen deſiderari, neque enim Liuius magiſtros equitum prætermittere ſolet.

Eod. *Cenſura clara eo anno Ap. Claudij, et C. Plautij.*] Pro *C. Plautio, L. Claudium* edit Diodorus libro 20. *C. Fabium* Frontinus de aquæductibus, *C. Plautium* Capitolini ſcriptores.

Eod. *Ob infamem atque inuidioſam ſenatus lectionem.*] Vet. lib. *Atque ignominioſam.* Egregie. Nam libertinorum filij lecti erant.

Eod. *Poticia gens.*] *Poticia.* Græci enim Πιτίνιοι.

Cap. XXX. *In plauſtra ſomno victos conijciunt.*] Veteres libri, *Vinctos.* probe. Etenim niſi ſomno vincti fuiſſent, vinculis conſtringendi fuerant, quod Romam inuiti perducerentur.

Cap. XXXI. *Pentrorum Samnitium.*] De *Pentris Samnitibus* item lib. 22.

Eod. *Sed quem eſſe iam virtuti Romanæ inexpugnabilem locum?*] Lege. *Ecquem eſſe*, & cum priore membro iunge ita: *dummodo coniiterentur vno animo inuadere hoſtem victum acie, caſtris exutum, ecquem eſſe iam virtuti Romanæ inexpugnabilem locum?*

Eod. *Sed loca difficilia hoſti quæſita ipſos cum ſua fraude impediebant.*] Vet. lib. *Sed loca difficilia ab hoſte quæſita ipſos cum ſua fraude impediebant.*

Cap. XXXII. *Ab oppugnando Sutrio, quæ vrbs ſocia Romanis velut clauſtra Etruriæ erat.*] *Sutrium* coloniam deductam à Romanis poſt annos VII. quam Roma à Gallis capta eſt, ſcribit Velleius. Eandem Ἄτουρον hoc anno vocat Diodorus, præterea Liuius lib. 27. inter colonias numerat.

Eod. *Nec quicquam eo anno rei memoria digna apud Sutrium geſtum eſt.*] Vet. lib. *Memoria dignum.*

Cap. XXXIII. *Inter patricios magiſtratus, tribunoſque.*] Vet. lib. *Tribunoſque plebis.*

Eod. *Nam etſi tenuerit lex Aemilia eos cenſores, quorum in magiſtratu lata eſſet, quia poſt illos cenſores creatos eam legem, populus iuſſiſſet quoque poſtremum iuſſiſſet, id iuſratumque eſſet, non tamen aut ſe, aut eorum quemquam, qui poſt eam legem latam creati cenſores teneri ea lege potuiſſe.*] Hæc cauillatio hanc habet vim: Legem Æmiliam de annua & ſemeſtri cenſura tenuiſſe tantum cenſores eos, quorum in magiſtratu lata eſt, quia bis de illorum magiſtratu ſciuit populus, primum comitiis cenſoriis, vt cenſuram in quinquennium obtinerent: deinde legem ferente Æmilio Dictatore, vt obtinerent in XVIII. menſes. Itaq; videri latam legem illam in eos tantum cenſores, qui tum erant, non in eos, qui futuri erant. Hunc ſenſum non percipiens Glareanus hic aliquot verba intercidiſſe ſine cauſa exiſtimat.

Cap. XXXIV. *Cum centeſimus iam annus ſit.*] Vox illa. *Jam*, habet hanc vim vt centeſimum annum iam præteriiſſe ſignificet. ſic enim res habet. Quod intelliget, qui ſummam annorum concipiet.

Eod. *Vbi duæ contrariæ leges ſunt, ſemper antiquæ abrogat noua.*] Alij in manuſcriptis libris legi aiunt, vt Ferrarius: *Antiquam abrogat noua.* At ego legi: *Antiquæ obrogat noua.* Eſt autem *obrogare* legi, non tollere legem latam, id enim *abrogare* dicitur: ſed nouam legem ferre veteris infirmandæ cauſa.

Eod. *Interregno quinque diebus contentam fore.*] Vet. lib. *Quinque dierum.*

Eod. *Gens antiquior originibus huius vrbis.*] *Potitiam* intelligit, quæ ante aduentum Æneæ Herculis ſacrum faciebat, vt ait lib. 1.

Eod. *Niſi Aemiliæ legi parueris, in vincula duci iubebo.*] Vet. li. *Te in vincula.*

Cap. XXXV. *Quoſdam etiam pedem referentes, fluctuanteſque, & inſtabilem.*] Vet. lib. *Fluctuantemq́, & inſtabilem aciem.*

Cap.xxxvi. *Silua erat Ciminia, magis tum inuia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici ſaltus.*] Cæſarem intelligit, qui vt ait Florus. *Germanos hoſtes Hercyniis quaſiuit in ſiluis, ſed in ſaltus et paludes omne genus diffugerat.* Et de bello Etruſco: *Ciminius interim ſaltus in medio ante inuius plane quaſi Calydonius, vel Hercinius.*

Cap.xxxvii. *Eos ipſos non ſignum certum, non ducem ſequentes fundit Romanus, fugatoſque perſequitur.*] Vet.lib. *Fugatos eques perſequitur.*

Eod. *Coortis vndique Tuſcis, Vmbiſque opprimeretur.*] Vet. lib. *Vndique ab Tuſcis.*

Cap.xxxviii. *Cum hæc in Etruria geruntur.*] Vet.lib. *Dum hæc.*

Eod. *Fabius infeſtus priuatim Papirio erat.*] Vet.lib. *Infenſus.*

Eod. *Sine reſponſo ac mentione facta ſui, legatos dimiſit, vt appareat.*] Vet.lib. *Ita legatos dimiſit, vt appareret.*

Eod. *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium.*] Curiatis comitiis mandari conſueuiſſe imperium, ex eo intelligi poteſt, quod Liuius ait lib.6. *Curiata comitia rem militarem continent.* Et *curiatam legem* latam de imperio Camillo abſenti tradendo. Et Cicero contra Rullum: *Conſuli ſi legem curiatam non habet, attingere rem militarem, non licet.* Et ad Lentulum: *Appius legem curiatam ferre vult.* Erant autem *comitia Curiata*, cum populus deſcriptus in curias ſuffragabatur. Nomina xxx. curiarum interciderunt, Feſtus *Tifata*, & *Titia* meminit, Liuius nunc *Fauciæ*, quam prærogatiuam fuiſſe ſignificat in imperio Papirio mandando. Me vt hæc dicerem, coëgit Glareanus, qui ſe non ſatis intelligere hunc locum inquit. † Non veretur dicere Glareanus ſe non omnia intelligere. Sigonio vero omnia inuia ſunt peruia ſcilicet. †

Cap.xxxix. *Cum ab neutris prælium inciperetur.*] Vet.lib. *Inciperet.*

Eod. *Nam & cum Vmbrorum exercitu acie depugnatum eſt.*] Tranſit à bello Samnitium, ad res in Etruria cum Vmbris & Etruſcis geſtas, adhibita particula, *Nam*. quod mirabile mihi cum videretur, inſpexi veteres libros diligentius, quorum alios ita habere inueni, vt vulgo legitur, alios ita: *Nam & cum Vmbrorum exercitu acie depugnatum eſt, fuſi tamen magis, quam cæſi hoſtes, quia cœptam acriter non tolerarunt pugnam. Interea res in Etruria geſta. et ad Vadimonis lacum Etruſci.* Tum intellexi cauſam admirationis meæ probabilem eſſe. Deeſſe enim huic tranſitioni hæc verba: *Interea res in Etruria geſta*, quæ in veteribus libris luxata erant. Itaque ita lege; *Interea res in Etruria geſta. nam & cum Vmbrorum exercitu acie depugnatum eſt, &c. Et ad Vadimonis lacum Etruſci*, coniungit enim Vmbrorum, Etruſcorumque, vt ante, bellum. Hinc temere Glareanus mendum eſſe putauit in voce *Vmbrorum*, quos Samnitium populos eſſe voluit, & ad Samnitium bellum referenda hæc eſſe. † Glareanus non eſt Geographiæ tam imperitus, vt Vmbros Samnites credat, nec hoc dixit, ſed hoc loco putat aliud nomen ſubſtituendum. †

Eod. *Ad Vadimonis lacum.* Polybius libro 2. Οὐάδμονα λίμνην vocat.

Cap.xl. *Campani ab ſuperbia & odio Samnitium, gladiatores, qui ſpectaculum inter epulas erant, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.*] Hinc Cicero dixit pro Sextio: *Ex ergaſtulis emptos nominibus gladiatoriis ornauit, & ſortito alios Samnites, alios prouocatores fecit.* Et Lucilius, vt eſt apud Marcellum.

Æſerninus fuit flacco ore vna equidem
Samnis, ſpurcus homo, vita illa dignus, locoque
Cum Pacidiano componier, optimus multo
Poſt homines natos, gladiator, qui fuit vnus.

Erant etiam alia gladiatorum nomina, vt *Thrax, Mirmillo, Retiarius*, de quibus alij.

Eod. *Praſtantiore, quam Dictator victoria.*] Vet.lib. *Præſtantiore etiam quam.* † Ita Badius. †

Cap.xli. *Is profectus ad Nuceriam Allifates iam tum pacem petentes, quod vti ea cum daretur noluiſſent, aſpernatus, oppugnando ſubegit.*] Vet.lib. *Is profectus ad Nuceriam Alphaternam, iam tum pacem petentes, quod vti ea cum daretur, noluiſſent, aſpernatus, eam oppugnando ſubegit.* Ita autem legendum eſſe aperte etiam docet Diodorus, qui ſcribit. Sp.Nautio. & M. Popillio conſulibus, ita: οἱ δὲ Νουκερίαν τὴν Ἀλφατέρνην καλουμένην οἰκοῦντες, πεισθέντες ὑπό τινων, τῆς Ῥωμαίων φιλίας ἀπέστησαν. Id eſt, *Qui Nuceriam Alphaternam incolunt, à Romanis defecerunt.* Itaque paulo ante Liuius dixit: *Claſſis Romana à P. Cornelio in Campaniam acta, cum appulſa Pompeios eſſet, ſocij inde nauales ad depopulandum agrum Nucerinũ profecti.* Eſt autem *Nuceria* in Campania ix. millia paſſuum diſtans à mari, auctore Plinio, qui idem de Alphaternis populis mentionem facit. Neque vero hic *Aliſæ* locum habent, quas ſupra captas tradidit, neque poſtea defeciſſe adſcripſit. Glareanus tamen *Luceriam* ſine cauſa emendat.

Eod. *Volſinienſium.*] *Vulſinienſium*, ex Capitolinis triumphis.

Eod. *In agro Pipinienſi.*] Scribe *Pupinienſi*, id eſt, qui erat *in Pupinia*, de qua dicam poſt, quod quid ea ſit, ſe dicat Glareanus ignorare.

Eod. *Vrbem Romanam oppugnaturos minati ſunt.*] Vet. lib. *Expugnaturos.*

Eod. *Mirabilia dictu.*] Vet.lib. *Mirabile dictu.* † Ita Badius. †

Eod. *Vmbonibus, incuſſaque ala.*] Vet.lib. *Vmbonibus incuſſa ala.*

Cap.xliv. *L. Poſthumius, T. Minutius.*] *Ti. Minucius*, tum ex fragmento conſulatus Capitolini, tum etiam apertius ex Diodoro, qui Τιβέριον Μινύκιον edit.

Eod. *Tifernum Paſtumius.*] *Tifernum* cum ſit in Vmbria oppidum, miratur Glareanus hoc loco in Samnio poni, quod idem fit etiam ſequenti libro. Ego vero vtroque in libro *Trifernum* in omnibus veteribus libris legi reperio.

Eod. *Alij haud dubie Samnites victos, ac triginta inde millia hominum capta tradunt, alij æquo Marte diſceſſum.*] Malim in dubia inter auctores victoria *duo millia*, quam *triginta*, vt Diodorus ſcribit: στρατιῶται δὲ ἑάλωσαν ὑπὲρ τοὺς δισχιλίους.

Eod. *Samnitium imperator Statius Gellius.*] Diodorus vocat Γέλλιον Γάϊον.

Eod. *Bouianum vbi poſtero die cœptum oppugnari, breui capitur.*] Miratur hoc etiam loco Glareanus. *Bouianum*, quod anno cdxliii. ſupra expugnatum traditur, idem hoc anno iterum, ſine vlla defectionis mentione, captum à Liuio ſcribi, ne miretur, Diodorus admonet, qui *Bolam*, non *Bouianum* captum ait, libro vigeſimo, vbi res geſtas his conſulibus edit: Τῶν δ' ὑπάτων ἑκάτερος ἑλόντες πόλιν Βώλαν Γέλλιον Γάϊον ὁ τῶν Σαμνιτῶν ἡγεμὼν ἑάλω μετὰ στρατιωτῶν ἑξακισχιλίων. † Glareanus hic tibi occaſionem præbuit inſpiciendi locum apud alios auctores: Quare pro gratia non erat reddendum conuitium. †

Eod. *Sora, Arpinum, Conſentia recepta ad Samnitibus.*] Vet. lib. *Cenſennia.* Diodorus *Serenniam* edit, libro vigeſimo: οἱ δὲ ὕπατοι τῶν συμμαχίδων πόλεων τὰς ἀλλοίας ἀνεκτήσαντο Σώραν, Ἄρπινας, καὶ Σερεννίαν. *Conſentia* certe locum non habet. Qua de re laborat Glareanus.

Cap.xlv. *P.Sulpicio Auerrione.*] *Sauerrione* ex tabulis Capitolinis.

Eod. *Vnum & quadraginta oppida intra dies triginta omnia oppugnando ceperunt.*] Vet. lib. *Dies quinquaginta*: atque ita etiam Diodorus libro vigeſimo: ἐχειρώσαντο μὲν πόλεις ἐν ἡμέραις πεντήκοντα.

Eod. *Marrucini, Marſi, Peligni, Ferentini.*] Supra oſtendi legendum eſſe *Frentani.* Eadem menda eſt apud Cæſarem libro primo de bello ciuili. *Per fines Marrucinorum, Ferentinorum, Larinatium in Apuliam peruenit.* Diodorus item libro vigeſimo: Cum Marrucinis, Marſis, Pelignis amicitiam & ſocietatem initam pariter ſcribit.

Eod. *Cum appareret ædilibus, fierique ſe pro tribu ædilem videret, neque eius accipi nomẽ, quod ſcriptum faceret.*] Vox *Eius*, non eſt in veteribus libris: Sic Piſo apud Gellium de eodem: *Cn. Flauius patre libertino natus ſcriptum faciebat, iſque in eo tempore ædili curuli apparebat quo tempore ædiles ſubrogãtur. Eumque prima tribus ædilem curulem renunciauerunt: at ædilis qui comitia habebat, negat accipere, neque ſibi placere, qui ſcriptũ faceret, curulẽ ædilẽ fieri. Cn. Flauius dicitur tabulas poſuiſſe, ſcripto ſeſe abdicaſſe. Iſque ædilis curulis factus eſt.* Factum porro eſſe cum Q. Anicio Prænestino ſcribit Plinius libro trigeſimo tertio, capite primo. Hic autem non C. *Flauius*, vt vulgo, ſed *Cn.* dicitur in veteribus li-

ſtras apud Diodorũ, apud Ciceronem in epiſtolis ad Atticum, & apud Piſonem: ex quo perſpici poteſt, etiam hoc loco *Cn. Flauium* eſſe ſcribendum. Porro autem *pro tribu ædilem fieri.* eſt *à prima tribu ædilem renunciari*, vt ait Piſo.

Eod. *Ab eodem inſtitutum dicitur, vt equites Idibus Quintilibus tranſueherentur.*] Idem iiſdem verbis tradit Valerios. Ceterum id ſignificare videtur, de quo Plutarchus in Pompeio, ad ſedentes in foro cenſores, vnumquemque equitem equum ſuum adduxiſſe, & de ſtipendiis legitimis confectis interrogatos rationem iis reddidiſſe, ita: τότε ἐκαθέζοντο μὲν οἱ τιμηταὶ Γέλλιος, καὶ Λέντλος ἐν κόσμῳ, καὶ πάροδος ἦν τῶν ἱππέων ἐξεταζομένων. ὤφθη δὲ Πομπήιος ἄνωθεν ἐπ' ἀγορὰν κατερχόμενος τὰ μὲν ἄλλα παράσημα τῆς ἀρχῆς ἔχων, αὐτὸς δὲ διὰ χειρὸς ἄγων τὸν ἵππον, εἶτα ὁ πρεσβύτερος ἠρώτησε, πυνθάνομαί σου ὦ Πομπήιε, εἰ πάσας ἐστράτευσαι τὰς κατὰ νόμον στρατείας. Ceterum de cenſura Ap. Claudij huius copioſe Diodorus lib. 20.

IN EPITOMEN LIB. X.

Lex *de prouocatione ad populum à Valerio conſule tunc primum lata eſt.*] Turpem mendam tolle ex veteris libri fide; & *à Valerio conſule tunc tertium lata eſt*, reſtitue: id enim ſcribit Liuius. Primus autem legem de prouocatione tulit ann. ccxLv. P. Valerius Poplicola, deinde ann. cccív. L. Valerius Potitus, nunc demum tertium M. Valerius Coruus.

Anienſis & Terentiana.] *Terentina.*

Q. Fabio ducibus.] Vet. lib. *Q. Fabio conſulibus ducibus.*

Qui iureiurando adſtrictus fuerat, quo majore conſtantia virtutis in aciem deſcenderet.] Veter. libr. *Qui iureiurando obſtrictus, quo maiore conſtantia virtutis pugnaret, in aciem deſcenderat*, probe.

IN LIBRVM X.

Cap. I. *Soram, atque Albam colonia deducta.*] *Soram, atque Albam* colonias duas deductas eſſe decennio poſt Interamnam tradit etiam Velleius. Itaque videndum eſt, quid ſit, quod Liuius anno cdxxxix. libr. priore *Sora* coloniæ meminerit, vbi ait: *Sora ad Samnites defecerat interfectis colonis Romanorum.* Et poſt de eadem: *ad recuperandam coloniam.*

Eod. *M. Liuio Dentre, & C. Æmilio conſulibus.*] Scribe *M. Æmilio*, ex Diodoro, & ipſomet Liuio, qui hunc eundem magiſtrum equitum hoc anno *M. Æmilium* vocat.

Eod. *Vt tumultus eius cauſa dictator diceretur C. Iunius Bubulcus cum M. Titinio magiſtro equitum profectus primo cõgreſſu Æquos ſubegit.* Vet. lib. *Dictator diceretur C. Iunius Bubulcus. is cum M. Titinio magiſtro equitum profectus.*

Cap. II. *Turias vrbem in Salentinis, vi cepit.*] Vet. lib. *Thurios*, oppidum eſt in Salentinis, quod auctore Stephano *Thury, Thuriæ, & Thurium*, dicitur. Itaque Liuius paulo poſt *Thuria reddita. Salentini* duob. ll. ſcribendi, vt poſt dicam.

Eod. *Illyrici.*] Vet. lib. & Capitolini triumphi, *Illyrij.*

Eod. *Ibi expoſitis paucis, qui loca explorarent, cum audiſſent tenue pretentum littus eſſe, quod tranſgreſſis ſtagna ab tergo ſint irrigua maritimis æſtibus, agros haud procul campeſtres cerni, vlteriora colles videri eſſe, oſtium fluminis prealti, quo circumagi naues in ſtationem tutam vidiſſe, Meduacus amnis erat, eo inuectam claſſem ſubire aduerſo flumine iuſſit.*] Hoc in loco valde laborat Glareanus, vt aliquorum verborum ordinem reperiat, neque ſeſe explicare poteſt. Eſt autem locus valde memorabilis, propter ſitum vrbis huius, quæ poſt in æſtuario, de quo loquitur, condita eſt. Interpũgitur autem, & legitur in veterib. libris hoc modo: *Ibi expoſitis paucis qui loca explorarent, cum audiſſet tenue pratentum litus eſſe quod tranſgreſſis ſtagna ab tergo ſint irrigua, æſtibus maritimis, agros haud procul proximos campeſtres cerni, vlteriora colles, inde eſſe oſtium fluminis prealti, quo circumagi naues cum in ſtatione tutam vidiſſet (Meduacus amnis erat) eo inuectam claſſem ſubire aduerſo flumine iuſſit.*† In Venetis facile conceſſerit Sigonio Glareanus, tamen occaſionem diſcutiendi loci ei dedit. † Eſt autem ita accipiendum: Cleonymus cum audiſſet hæc ab exploratoribus, itemque cum alia vidiſſet, ita fieri iuſſit.

Cap. III. *Simul Marſos agrum vi turri, in quem colonia Carſeoli deducta erat.* Aliquot libri habent. *Simum à Marſis.* Quo fit, vt putem legendum eſſe: *Simul à Marſis agrum vi teneri.* Nam ſequitur: *Prælio vno Marſos fundit.* Carſeolos coloniam biennio poſt Albam, & Soram, deductam ſcribit Velleius. Cur autem Liuius hanc deductam quadriennio poſt etiam repetat, vt de Sora ante admonui, cauſa incerta eſt.

Eod. *M. Aemilium Paulum.*] *Paullum* ſcribi duobus ll, Capitolini lapides, & nummi argentei docent.

Eod. *Millioniam, Pleſtinam.*] Glareanus, miratur *Milioniam*, & *Pleſtinam* hic Marſorum oppida dici, quorũ illud paulo poſt Samnitium eſſe traditur, hoc vero libro 9. inter Samnitium etiam oppida numeratum eſt, nec iuſte miratur. Nam Samnitium oppida ſunt *Milionia*, & *Pliſtia*. Marſorum vero *Milionia* & *Pleſtinia*, vt poſt etiam dicam ex veterũ librorum, & Stephani auctoritate.† Glareanus accuſat codices, quos ſæpe etiam reprehendit Sigonius: Verum id quod ſibi laudi dat, in alio carpit. †

Cap. IV. *Eo & hoſtes ſequuti, quamquam ex re bene geſta.*] Vet. lib. *Et quamquam.*

Cap. V. *Quo magis feſtinantes videt dictator.*] Vet. lib. *Feſtinantes ire videt.*

Eod. *Et ſuper alios alij nunciant.* De Romanis intelligendum, non de Etruſcis. Itaque noua periodus inſtituenda eſt.

Eod. *Ceterum ſatis fretus eſſe etiam nunc tolerando certamini legatum.*] Vet. lib. *Ceterum fretus ſatis eſſe etiam nunc.*

Eod. *Agger pondere ſupraſtantium in foſſam procubuit.*] Vet. lib. *Superſtantium.*

Eod. *Per interregem ea comitia facta.*] Probo magis, *habita*, quod eſt in Vet. lib.

Cap. VI. *Q. Apuleio.*] *Apuleio*, ex Capitolinis tabolis.

Eod. *Qua non infimam plebem accederent, ſed ipſa capita plebis.*] Vet. lib. *Qua non infimam modo plebem.*

Eod. *Rogationem promulgarunt.*] Vet. lib. *Rogationem ergo promulgarunt.*

Eod. *Vt tres antiquæ tribus Ramnenſes, Tatienſes, & Luceres.*] Has libro primo vocauit *centurias*, quas nunc *tribus* nominat. Eaſdem tamen & Plutarchus in Romulo, & Pædianus, & Feſtus *tribus vocant.*

Cap. VII. *Pro lege Licinia quondã.*] De hac, libro ſexto tradidit.

Cap. VIII. *Seu Ap. Clauſum ſeu Ap. Claudium maualtis.*] Supra oſtendi legendum, ſeu *Attium Clauſum.*

Eod. *Semper iſta audita ſunt eadem, penes vos auſpicia eſſe vos ſolos gentem habere.*] De patriciis loquitur, qui ſoli ſe gentem habere gloriabantur, quod eſt idem, atque gentiles eſſe. ſic enim definit gentiles in Topicis Cicero ex Scæuolæ ſententia, *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt, qui ab ingenuis oriũdi ſunt, quorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, neque capite diminutus eſt.* Eiuſmodi vero eſſe ſe patricij profitebantur, quod Romulus tales legiſſet, id eſt, qui patrem gentemque haberẽt. nam paulo poſt patricios interpretatur, *qui patrem ciere poſſent*, id eſt, *nihil vltra quam ingenuos.* Itaque libro 6 Ap. Claudios ita loquitur: *An hoc ſi Claudiæ familiæ non ſim, ſed vnus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & viuere in libera ciuitate ſciam, reticere poſſim?* Poſt autem hæc laus gẽtilitatis cum plebeius etiam communicata eſt, vt hoc loco Decius argumentatur.

Eod. *En vmquam fando audiſtis.*] Vet. lib. *En Roma vmquam fando audiſtis.*

Eod. *Qui patrem ciere auumque poſſent.*] Voces, *Auumque* inducendæ ſunt, neque enim reperiuntur in veterib. li. neque vero deſiderantur. *Patriciorum* enim tradit etymologiam, eoſque dictos ait, *qui patrẽ ciere poſſent.* Quod etiam Dionyſius & Plutarchus in Romulo prodidit. Qui vero *auum* addiderunt, id credo ea motiratione fecerunt, quod ſubdit: *Conſulem iam patrem ciere poſſum, auumque iam poterit filius meus.* Cuius orationis hic eſt ſenſus: Si patricij ſunt, qui patrem ciere poſſent, ego certe patricius, qui patrem conſulem, multoque magis filius meus, qui patrem & auum ciere conſulem poteſt.

Eod. *Vti rogatis iubendam cenſeo.*] Supra oſtendi, *Vti rogat* legendum eſſe.

Cap. IX. *Porcia tamen lex ſola.*] Vet. lib. *Porcia inde lex.*

Eod. *Nunc vix ſeruo ita minetur quiſquam.*] Quidam legunt, *ſerio.* quod non probo. ſignificat enim, cum ſeruis minantur, grauius minari, quam vt dicant *improbe feciſſe.* malum enim minabantur. vt lib. 4. *Audiſtis, Quirites, ſicut ſeruis, malum minantem militibus.*

Cap. IX. *Sulpicio Auerrione.*] *Sulpicio Sauerrione,* ex Capitolinis lapidibus.

Cap. X. *Eodem anno ab Etruſcis aduerſus inducias paratum bellum.*] Induciæ data fuerant in biennium Liuio, & Æmilio conſulibus extremo anno CDLI. At hoc anno, qui eſt CDLIV. aduerſus inducias parant bellum. recte non enim biennium completum eſt, neque enim annus quo datæ ſunt numeratur. Hoc dixi, vt defenderem à Glareani calumnia Liuium.
¶ † Magna vero calumnia, ſi quis dicat aliquem memoria lapſum! †

Eod. *Pecuniam ingentem ſine labore, ac periculo paratam.*] Vet. lib. *Partam.*

Cap. XI. *M. Valerium conſulem omnes ſententia.*] Hic eſt *M. Valerius Coruus,* qui anno priore V. hoc vero VI. conſul creatus eſt Plutarcho, Liuio, & Cicerone, & Suetonio auctoribus.

Eod. *Vt nemo extra munimenta progredi auderet.*] Vet. lib. *Munitiones.*

Cap. XII. *In agrum Æquicolorum deducta.*] Vet. lib. *In agro Æquicolarum.* Recte vtrumque. ſic enim in Epitoma libr. 19. *Colonia deducta in agro Sallentino Brunduſium.* Et lib. 20. *Coloniæ deductæ in agro de Gallis capto, Cremona, & Placentia. Æquicolarum* autem ab *Æquicola* ſcribendum vnde Virgilius: *Duris Aequicola glebis.* Neque enim audiendus eſt Gelenius, qui Plinium ſcribentem *Carſeolanos* eſſe *Aequicolarum, Aequicolorum* emendat, atque diminutiuum eſſe ait.

Cap. XIII. *Legem recitari iuſſit, qua intra decem annos eundem refici conſulem non liceret.*] Hæc lex lata eſt anno CDXIII. C. Marcio, Q. Seruilio conſulibus, vt ait Liuius lib. 7. extremo. Ea vero nunc tenetur Q. Fabius: nam tertium conſul fuerat anno CDXLV. Hic autem annus, quo quartus ei defertur conſulatus eſt CDLIV. Legis autem hæc erat ſententia, vt nemo poſtquam conſul fuiſſet niſi exactis decem annis reficeretur, ita vt inter duos conſulatus anni X. intereſſent, qui inter tertium & quartum Fabij conſulatum numerari non poſſunt. Quod cum ita ſit, ergo merito contemnenda ſunt ea, quæ à Glareano contra Liuium hoc in loco ſunt dicta. De Scipione enim quod ille opponit, ſuo loco reſpondebo.
¶ † Glareanus carpitur iniuſte, nec enim reſpondet ad alteram partem, quando hæc lex toties neglecta eſt. †

Cap. XIV. *Ab Sutrio, & Nepete.*] *Nepet,* vt ante dixi.

Eod. *Non fefellere ad Tifernum.*] *Trifernam,* vt ante.

Eod. *Siue quia ex omnium.*] Vet. lib. *Seu quia ex omnium:* ſequitur enim alterum membrum: *Seu quia diſcrimen.*

Eod. *Et ipſos nominatim iuuenes pari comitate vtrumque nunc laudibus, nunc promiſſis onerat.*] Vet. lib. *Vtcumque.*

Eod. *Auerſoque hoſti ab tergo repente ſe oſtendere.*] Vet. lib. *Et aduerſo hoſti.*

Eod. *Ni ſecunda acies iuſſu conſulis in primum ſucceſſiſſet.*] Veter. libr. *In primam.*

Eod. *Non vero tantum metu terruêre.*] Vet. lib. *Non vero metu tantum.*

Eod. *Capti trecenti ferme & viginti.*] Vet. lib. *Capti ad trecentos ferme, & triginta.*

Cap. XV. *Ni P. Decius conſul.*] Vet. lib. *Ni P. Decius conſul alter.*

Eod. *Nec valli tantum, ac foſſarum veſtigia relicta, ſed multa illis inſigniora monumenta vaſtitatis circa, regionumque depopulatarum.*] Vet. lib. *Sed multo illis inſigniora monumenta vaſtatis circa regionibus, depopulatiſque.*

Eod. *Cum primo vocatæ Q. Fabium dicerent omnes centuriæ.*] *Primo vocatæ centuriæ* dicebantur, quæ primo poſt *prærogatiuas* vocarentur. Nam ſic paulo poſt loquitur: *Eumque & prærogatiuæ, & primo vocatæ omnes centuriæ conſulem cum L. Volumnio dicebant.* Ex quo conuincitur in veteribus libris eſſe mendoſe, *Cum primo vocatum Q. Fabium.*

Eod. *Fabius primo de ſe eadem fere.*] Vox, *primo,* non eſt in veteribus libris, nec deſiderari videtur.

Eod. *Maieſtatemque priſtinam tum honori, tum patriciis gentibus redderet.*] Id fore putabat nobilitas ſi duo, vt ante, patricij conſules facti fuiſſent.

Cap. XVII. *Ad Murgantiam, validam vrbem.*] Stephanus: Μοργάντιον πόλις Ἰταλίας. λέγεται καὶ Μοργεντία. τὸ ἐθνικὸν, Μοργεντῖνος.

Eod. *Ad Romuleam vrbem.*] De hac ſic Stephanus: Ῥωμυλία τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Σαμνιτῶν πόλις, τὸ ἐθνικὸν Ῥωμυλιάτης.

Eod. *Ceterum ibi plus laboris ac periculi fuit, & defenſa ſumma vi mœnia ſunt.*] Vet. lib. *Nam & defenſa.*

Cap. XVIII. *Sed alterius P. Volumnij.*] *L. Volumnij,* ex ipſomet Liuio & Capitolinis tabulis.

Eod. *Ceterum magis eo profectum eſt, quod.*] Vet. lib. *Eo magis.*

Cap. XIX. *Ibi longiores orationes habitæ in eandem ferme ſententiam, in qua inter paucos certatum verbis fuerat.*] Veter. lib. *In quam paucis ante certatum verbis fuerat,* recte: idcirco enim ait, longiores nunc orationes habitas.

Cap. XX. *In Campaniam, Falernumque agrum tranſcendunt.*] Vet. lib. *In Campanum, Falernumque agrum.*

Eod. *Per Veſtinos in Campanum, Falernumque agrum tranſcendunt.*] *Veſcinos* legendum eſt, à *Veſcia* oppido in his locis, vt alibi dixi: nam Veſtini Sabinos attigerunt, non Campanos: ſic paulo poſt, *Veſtinum & Falernum agrum:* item, *in ſaltis Veſtino Falernum contingente,* lege *Veſcinum.* & *Veſcino.*

Eod. *Calænum agrum.*] *Calenum* ſine diphthongo ex Capitolinis triumphis, & Græcis Καληνόν.

Eod. *Prædam, prædæque cuſtodes exire, ignobile agmen.*] Vet. lib. *Immobile agmen.* Vere: nam ſubdit, *Samnites præda impediti.*

Eod. *Statium Egnatium ducem.*] Vet. lib. *Statiam Minatium.*

Cap. XXI. *Quod fuerat dies decem octo.*] Vet. lib. *Per dies decem, & octo.*

Eod. *Aduerſus quatuor populos duces conſules illo die deligi meminiſſent.*] Vet. lib. *Duos conſules,* optime. Quatuor enim populos duobus conſulibus opponit.

Eod. *Qui haud dubietum primus omnium ductor habeatur, dictatorem fuiſſe exemplo dicturum.*] Ludit in vocibus *Ductor* & *Dictator.*

Cap. XXII. *Ad collegam P. Decium poſcendum, id ſenectuti ſuæ adminiculum fore.*] Vet. lib. *Hunc ſenectuti ſuæ.*

Eod. *Eſſe præterea viros natos militiæ.*] Vet. lib. *Gnaros militiæ.* Vere: nam ſequitur oppoſitum, *ad verborum linguæque certamina rudes.* ſic ſupra, *Gnaros Oſcæ linguæ.*

Eod. *Conſules creati Q. Fabius, & P. Decius, Ap. Claudius prætor, omnes abſentes.*] Non eſt prætereundum hoc in loco, quin dicendi genus hoc, quod multos ſæpe, in primis autem Glareanum torſit, explicetur. Id eſt, quid ſit apud Liuium, *Abſentem conſulem* aut *prætorem creari:* non enim eum ſignificat tantum, qui abeſt ab vrbe, ſed etiam, qui cum in vrbe ſit, abeſt à campo, in quo tamen comitia creandi magiſtratus cauſa habeantur: Sic loquitur lib. 4. *Plebs tribunos plebis Sex. Tempanium, A. Sellium abſentes fecit,* hos vero ex caſtris in vrbem cum conſule reuerſos paucis ante verſibus tradidit & hoc libro ſupra: *Conſul ex dictatura factus M. Valerius. Non petentem, atque adeo abſentem creatum tradidere quidam.* ſic hoc loco, Q. Fabius & P. Decius facti conſules ſunt, cum in campo non adeſſent, Ap. Claudius prætor, cum non ſolum in campo, ſed ne in vrbe quidem tum, ſed in Etruria verſaretur. Hoc autem ita eſſe aperte docet Dionyſius lib. 9. de Ap. Claudio conſule abſente facto, id eſt, vt ipſe interpretatur qui in campum non deſcenderat. Ἄππιον Κλαύδιον πολλὰ ἀντειπόντα, καὶ οὐδὲ εἰς τὸ πεδίον ἐλθεῖν βουληθέντα ἕνεκα τῶν ἀρχαιρεσιῶν οὐδὲν ἧττον αἱρεθῆναι ὕπατον.
† Abſentes hos dici æque Glareanus atque Sigonius ſciuit †. ¶

Cap. XXIII. *Publice vinum, ac thus præbitum.*] Vet. libri, *Ac thus ſacrificiis præbitum.*

Cap. XXIV. *Quam arborem conſeruiſſet.*] Vet. lib. *Seruiſſet.*

Eod. *Vt quod populi ſit, populus iubeat potius, quam gratificentur.*] Sic locutus eſt Pædianus in oratione pro Cornelio: *promulgauit legem, ne quis, niſi per populum legibus ſolueretur, eamque tulit inuitis optimatibus, qui vel pauci gratificari ſolebant:* ſic enim legendum eſt, non *paucos,* vt vulgo legitur, nam ante præceſſit, *eaque ipſa ſenatuſconſulta per pauculos admodum fiebant.*

Cap.xxv. *Qui nomina dederitis mecum ducam.*] Vet.lib. *Dederint.*

Eod. *Ad oppidum Abarnam.*] Vet.lib. *Adbarnabam.*

Eod. *Ad clusium, quod Camars olim appellabant.*] Hinc Polybius lib.2. Σαμνῖται καὶ Γαλάται παρετάξαντο Ῥωμαίοις ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ. Quos Polybius *Camartinos* vocat, eos *Clusinos* eſſe intelligendum eſt.

Eod. *Minus quinque millia peditum, equitumque cum Fabio veniſſe.*] Vet.lib. *Equitumq́; mille cum Fabio.* Recte: minor enim numerus equitum debet eſſe, quam peditum.

Cap.xxvi. *L. Poſtumius Megillus.*] Vet.lib. & lapides Capitolini, *L. Poſtumius Megellus.*

Cap.xxvii. *Samniti, Galliſq; delegata pugna.*] Vet.libri, *Samnitibus, Galliſque.*

Eod. *Etruſcos ex agro Sentinate ad ſuos fines tuendos monit.*] Polybius li.2. vbi de hac re loquitur: καὶ συμβαλόντες πᾶσι τοῖς στρατοπέδοις ἐν τῇ τῶν Σεντίνων χώρᾳ πρὸς τοὺς προειρημένους, τοὺς μὲν πλείστους ἀπέκτειναν. † Conueniebat vt diceret vbi & quis eſſet ille ager, ſed neſciebat: in Vmbris eſt. †

Cap.xxviii. *Cæleſtium infernorumq́; iras.*] Vet. lib. *Infernorumq́;.*

Cap.xxix. *Cornelius Scipio, & C. Marcius.*] Vet.lib. *L. Cornelius Scipio.*

Cap.xxx. *Et in etruria per eos dies.*] Vet.lib. *Per eoſdem dies.*

Eod. *Res ex ſententia geſta, & præter ingentem.*] Vet.lib. *Nam præter ingentem.*

Eod. *Peditum quadraginta millia cccxxx. equitum ſex, & quadraginta millia.*] In quibuſdam libris eſt, *equitum ſex millia.* Recte: non enim equitum numerus numerum peditum ſuperare debet.

Eod. *L. Voluminum proconſulem ducem conſulibus, exercitumq́; eius legionibus conſulum adiiciunt.*] Vox, *Ducem*, non eſt in pleriſque libris veteribus, & inducenda eſt. Nam ſine ea præclare ſtat ἀντίθεσις. adiiciunt proconſulem conſulibus, & exercitum proconſulis legionibus conſulum.

Eod. *In Tiſernum montem.*] *Triſernum*, vt ante.

Cap.xxxi. *Et parte alia in Eſernium, quæq́; Vulturno adiacent flumini deſcendere.*] Vet.lib. *Et parte alia in Æſerniacum, quæ Vulturno adiacet flumini*, vt agrum Æſerniæ intelligat oppidi Samnitium.

Eod. *Agrum Veſtinum Formianumq́;.*] Lege, vt ſupra, *Veſcinum.*

Eod. *L. Volumnius proconſul ſequeretur.*] Vet.lib. *Pro conſule.*

Eod. *Superſunt etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum iam volumen, annumque ſextum, & quadrageſimum à M. Valerio, A. Cornelio conſulibus qui primi Samnio arma intulerũt, agimus.*] Rotundus numerus erit, ſi annus conſulum Valerij, Cornelijq; numerabitur, id eſt, ſi anni extremi non negligentur, neque vero aliter loqui poteſt, cum dicat: Bella agimus per annum xlvi. alibi, vt oſtendam, primum annum non numerat.

Cap.xxxii. *L. Poſtumius Megillus.*] *L. Poſtumius Megellus*, vt ante.

Eod. *Attilius.*] *Atilius* Vet. libri, & Capitolini lapides.

Eod. *Velut ex compoſito ibi obuium habuere hoſtem.*] Vet.lib. plerique *habuit*, & recte: refertur enim ad vocem. *Atilius.*

Eod. *Samnites prohiberentur.*] Venuſtior eſt priſca lectio, *Samnii eum prohiberent.* Cuius hic eſt ſenſus: Romani ibi obuium habuerunt hoſtem Samnitem, vbi & intrare, nedum vaſtare Samnitum agrum ipſi prohiberentur, & egredi in fines populi Rom. Samnitem prohiberent. Deinde nouæ periodi faciendum eſt initium. *Cum caſtra caſtris.*

Cap.xxxiii. *Quam ædilis curulis ex multatitia pecunia faciendam curauerat, dedicauit.*] De L. Poſtumio Megello conſule loquitur, quem in ædilitate ædem Victoriæ faciendam curaſſe ait: cum ſupra tamen huius ædilitatis nulla mentio ſit, neque hoc librorum vitio. Eſt enim hoc Liuio familiare, vt magiſtratus alicuius, aut legis, aut rei, non anno illo, quo de ea actum eſt, verum multos poſt annos mentionem inferat. Quæ res ſæpe angit Glareanum, vt in lege Oppia abroganda, quam nomquam ante latam eſſe ſcripſerat lib.34. † Glareanus non fruſtra clamat in hoc πρότερον ὕστερον. †

Cap.xxxiv. *Poſtumius Miloniam oppugnare adortus.*] Vet.lib. *Miloniam.* Item Stephanus Μιλωνίαν, vrbem eſſe ſamnitium clariſſimam ſcribit.

Eod. *Ab hora quarta vſque ad octauam ferme horam.*] Vet.lib. *ab hora quarta diei ad octauam.*

Cap.xxxv. *Hoſtem in caſtra venturum, niſi illi extra exiſſent.*] Vet. lib. *Niſi ipſi.*

Armatis ac dimicantibus dubiam victoriam eſſe.] Turpe mendum ſenſum attendentes tollimus, ita, *haud dubiam victoriam eſſe.* ſiquidem altera, quæ ſequitur pars ἀντίθεσις id oſtendit. *Qui nudus atq; inermis hoſtem maneat, ei aut mortem, aut ſeruitutem patiendam.*

Eod. *Tunc vero conſul indignum facinus eſſe vociferari.*] Vet.lib. *Tum enimuero, conſul, indignum facinus eſſe vociferari.* Eſt autem, *enim vero*, vox indignationis, & dolori exprimendo aptiſſima. Sic lib. 6. *Enim vero indignum facinus videri.* & lib.21. *Tum Metilius; id enim vero ferendum eſſe negat.* & lib.38. *Enim vero, inquit conſul, ferri iam ludificatio iſta non poteſt.*

Eod. *Procedunt aduerſus hoſtem nec ſpe, nec animo certiorem.*] Vet.lib. *Fortiorem.* Egregie. Nam de Romanis dixit, *mæſti ac prope victi.*

Cap.xxxvi. *Procurrerant Samnites.*] Vet. lib. *Procurrerunt.*

Eod. *Numerus fuit ſeptem millia ccc.*] Vet.lib. *Septem millium ac ducentorum.*

Numerus relatus ſeptem millia trecenti.] Vet. lib. *Septem millium & ducentorum.*

Cap.xxxvii. *L. Horatium M. Valerium conſules.*] *M. Horatium, L. Valerium*, fuerunt enim anno ccciii. ab vrbe condita. Liuius, Dionyſ. Caſſiod.

Cap.xxxviii. *Noua lege, vt qui iuniorum non conueniſſet ad imperatorium edictum, quiq; iniuſſu abiſſet, caput Ioui ſacratum erat.*] Vet.lib. *Sacratum eſſet.*

Eod. *Ibi ex libro vetere linteo lecto ſacrificatum ſacerdote Ouio Paccio quodam.*] Sunt qui ambigant, *lecto*, ad librumne an ad ſacerdotem referendum ſit. Mihi non eſt dubium quin ad librum referatur: hic enim eſt ſenſus, In eo linteis contecto loco ex veteris libri lintei lectione ſacrificatum eſt, Ouio Paccio quodam ſacerdote rem diuinam faciente.

Eod. *Tum in loco circa omni contecto ara in medio.*] Paulo ante hunc locum linteis contectum dixit. In hoc ergo loco tam vndique clauſo erant *ara* in medio, vel, vt Feſtus ait. *ara.*

Eod. *Eis dictum, vt vir virum legeret.*] Vet. lib. *Eis editum:* ſic ſupra lib. 9. *Etruſci lege ſacrata coacto exercitu, cum vir virum legiſſet.* Et Virgil. 11. *Legitque virum vir.*

Eod. *Ea legio linteata ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat appellata.*] Vt *Septum*, ſic *conſeptum* dicitur, qua voce vſus eſt & Varro, & Columella. Vocat autem *cõſeptum* locum vndiq; ſeptum cratibus, qui quod linteis erat contectus, linteatæ legioni dedit nomen, quæ ibi conſcripta eſt. Quare Feſtus ait: *Legio Samnitium linteata appellata eſt, quod Samnites intrantes ſinguli ad aram velis linteis circundatam, non ceſſuros Romano militi iurauerunt.*

Cap.xxxix. *Papirius nouo exercitu, ita decretum fuerat, ſcripto.*] Vet. lib. *Ita enim decretum fuerat.*

Eod. *Auream olim, atque argenteam Samnitium aciem à parente ſuo occidione occiſam.*] De hac re libro nono, *Duo exercitus erant. Scuta alterius auro, alterius argento calauerunt.*

Eod. *Datum hoc nomini.*] Vet. lib. *Datum hoc forſam nomini.*

Cap.xl. *Exeunti iam in aciem.*] Vet.lib. *Iam forte in aciem.*

Eod. *C. Ceduium & Trebonium.*] Vet.lib. *C. Cadicium, & C. Trebonium.*

Eod. *Premouent & Samnites ſigna, inſequitur acies ornata, armataq́;.*] *Ornatam* vocat linteatam legionem, cui dixit arma fuiſſe inſignia data, vt inter ceteros eminerent, ea fuit xvi. millium. *Armatam* alteram vocat xx. millium, quam poſt linteatam conſcriptam eſſe dixit.

Cap.xlv. *Vt paruo admodum plures caperentur.*] Vet.lib. *Paruo admodum numero plures.*

Eod. *Neq; obſidio, neq; bellum ex æquo erat.*] Papirius inquit ad Sepinum difficilius bellum geſſit. *Etenim ſæpe in acie, ſæpe in agmine, ſæpe circa ipſam vrbem aduerſus eruptiones hoſtiũ pugnauit. neq; vero aut obſidendi, aut dimicãdi facilis, & expedita ratio erat, quod Sãnites non minus acriter armis mœnia ſua defenderent, quam ipſi ſe muris tutarentur.* Quod autem ait, *In agmine*, in itinere faciendo intelligit. Hæc dixi, quia Glareanus vitium ſubeſſe

ſuſpicatur ſine cauſa. † Glareanus dubitat: at apud Sigonium ne dubitare quidem oportet. †

Cap. XLVI. *Traſimere, ne tranſuecti.*] Vet. lib. *Tranſuecti ſunt.*

Eod. *Æris grauis tranſuecta vicies centum millia, & quingenta triginta millia.*] Vet. libri, *Æris grauis magna vis tranſuecta, vicies centies millies, & quingenta triginta millia.* Sic etiam lib. 26. *Et auri argentique relata ad imperatorem magna vis.*

Eod. *Minus duo millia capta.*] Vet. lib. *Capta.*

Eod. *In Etruria Troſſulum.*] *Troſſulum* Plin lib. 33. cap. 2.

Eod. *Seruilio Tullo.*] *Ser. Tullio.* Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, cum multarum ædium Fortunæ à Ser. Tullio dedicatarum meminerit, *Fortis*, tamen *Fortunæ* ab eo dicatæ non meminit. De ea tamen ſcriptum eſt apud Varronem lib. 5. de lingua Latina.

Cap XLVII. *Cenſa captiuum millia ducenta ſexaginta duo.*] Et Liuiani, & epitomarum manuſcripti libri, *ſeptuaginta*, habent.

Eod. *Cenſores viceſimi ſexti à primis cenſoribus, luſtrum vndeuiceſimum fuit.*] In Capitolinis fragmentis hoc *luſtrum triceſimum* eſſe, ſcriptum eſt. Varietatis cauſa eſt, quod Liuius decem luſtra ante cenſores creatos acta præterire videtur. Numerus etiam hic cenſorum negligentiam eius arguit in tradendis ante cenſoribus, neque enim qui ab eo ſupra editi ſunt hanc ſummam conficere poſſunt.

IN EPITOMEN LIB. XI.

EO QVA *inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ſedes Æſculapij conſtituta eſt.*] Caſtiga ex fide Vet. lib. *Ædes Æſculapio conſecrata eſt.* Nam feſtus etiam lib. 9. inquit. *In inſula Aſculapio facta ædes fuit, quod ægroti à medicis aqua maxime ſuſtentantur.* Et Valerius lib. 1. *At in ripam Tiberis egreſſis legatis, in inſulam, vbi templum dicatum eſt, tranſnauit.*

Plebs propter æs alienum, & graues & longas ſeditiones ad vltimum ſeceſſit in Ianiculum.] Vet. lib. *Poſt graues & longas ſeditiones.* Nam Auguſtinus etiam lib. 3. cap. 17. de ciuitate Dei ita loquitur: *Poſt graues & longas Romanas ſeditiones ad vltimum plebs in Ianiculum hoſtili diremptione ſeceſſit.*

Vnde à Q. Hortenſio Dictatore deducta eſt.] De hoc dictatore ſic Plin. lib. 16. cap. 10. *Q. Hortenſius Dictator, cum plebs ſeceſſiſſet in Ianiculum, legem in Æſculeto tulit, vt quod ea iuſſiſſet, omnes Quirites teneret.* Idem ſcribit Gellius libro 15. cap. 27. Idem eſt in lib. 1. Inſtitutionum Iuſtiniani. Hac de re ſupra dixi in librum octauum.

Coloniæ deductæ ſunt Caſtrum, Sena, Adria.] De *Sena* per hos anno in agro Gallorum deducta, Polybius libro ſecundo.

Volſinienſes.] *Vulſinienſes*, lapides Capitolini.

IN EPITOMEN LIB. XII.

L. *Cæcilius prætor.*] Hunc Cæcilium prætorem Oroſius & Auguſtinus lib 3. cap. 17. vocant. Polybius libro 2. Λεύκιον στρατηγὸν nominat, in eiuſque occiſi locum ſuffectum eſſe M' Curium.

Duce, qui præerat claſſi occiſo.] Vet. lib. *Duumuiro, qui præerat claſſi. Duumuiri* autem nauales creari primum cœpti ſunt anno ab vrbe condita CDXLIII.

Brutios.] *Brutij* duobus *tt*, in Capitolinis lapidib. ſcribontur, itemq in nummis argenteis, quos per antiquos pater habet tuus, cum his literis ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Præterea Euſtathius in Dionyſium docet, omnino Βρέττιος διὰ δύο τ̄ eſſe ſcribendos.

Cum in præſidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio miſſa eſſet.] Polybius lib. 1. hunc Δέκιον Καμπανὸν vocat.

IN EPITOMEN LIB. XIII.

VALERIVS *Leuinus.*] *Læuinus*, ex Capitolinis lapidibus à *Læuo*. vt *Craſſinus* à *Craſſo*, *Albinus* ab *Albo*. Plutarchus in Pyrrho mendoſe Λαβῖνον habet, pro Λαιβῖνον.

C. *Fabricius miſſus ad eum, vt.*] Vet. lib. *Miſſus ad eum à ſenatu, vt.*

Cyneas legatus.] *Cineas*: ſic enim Plutarchus in Pyrrho: ſic Suidas Κινέας.

Iam diu a conſiliis publicis abſtinuerat.] Vet. lib *Conſiliis publicis ſe abſtinuerat.*

P. Domitius cenſor primus ex plebe luſtrum condidit.] Vet. lib. *Cn. Domitius.* Quod placet: eſt enim *Cn. Domitius*, qui per hæc tempora cum P. Dolabella conſul fuit: præterea *Publij* prænomen nuſquam alias in *Domitia* gente reperi. vt autem *C. Marcius Rutilus* primus è plebe cenſor fuit, auctore Liuio, ſic *Cn. Domitius* primus è plebe cenſor luſtrum condidit.

Cum Carthagienſibus quarto fœdus renouatum eſt.] Huius fœderis meminit Polybius lib. 3 τελευταίας ποιοῦνται συνθήκας Ῥωμαῖοι κατὰ τὴν Πύῤῥου διάβασιν πρὸ τοῦ συστήσασθαι τοὺς Καρχηδονίους τὸν περὶ Σικελίας πόλεμον.

Is qui ad eum à Pyrrho transfugerat.] Hunc alij *Timocharem*, alij *Niciam* appellarunt, auctor Gellius lib. 3. cap. 8.

IN EPITOMEN LIB. XIV.

CVRIVS *Dentatus, cum delectum haberet, eius, qui citatus non reſponderat, bona vendidit.*] Vet. lib. *Bona primus vendidit.* Hac de re ſi Varro, vt eſt apud Marcellum. *Manius Curius conſul in Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu ciuis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.* Valerius & bona, & ipſum, qui citatus erat veniſſe à Curio ſcribit lib. 6. cap. 3.

Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiã reuerſum vicit.] Vet. lib. *Iterum Pyrrhum.* præclare: eſt enim aliud *iterum reuerſum*, & *iterum vicit*, eſt autem *iterum vicit* intelligendum.

Cenſa ſunt capita ciuium CCLXXII. *millia.*] Placet legi CCLXXXI. *millia*, vt ſingulis luſtris numerus ciuium augeatur. Nam tertio ante luſtro cẽſa ſunt CCLXXII. *millia*, altero vero CCLXXVIII. hoc CCLXXXI proximo inſequenti CCXCII.

Coloniæ deductæ ſunt Poſidonia & Conſa.] *Coſa* legendum eſt, Velleius lib. 1. *Coſſam* & *Paſtam* colonias deductas ait, *Fabio Dorſone, Claudio Canina conſulibus.*] Et Plin. lib. 3. cap. 5. *Coſſam Vulcientium coloniam* deductam ait: Ita enim lib. vet.

Carthaginenſium claſſis auxilio Tarentinis venit, quo facto ab iis fœdus violatum eſt.] Primum intelligendum eſt placere antiquis Grammaticis, *Carthaginienſium* dici, quod à caſu dandi eiuſmodi nomina edantur additis ſyllabis *enſi*, idque præceptũ verſu Ennij cõfirmari, *Hoſtem qui feriet mihi erit Carthaginienſis*: deinde vero vocem, *Mamertinis*, mendũ continere, neq; enim de *Mamertinis* adhuc dicendi locus eſt, verum initio belli Punici: & *Mamertinis*, quidem etiam tum non Pœni, ſed Romani venerunt auxilio. *Tarentinis* autem reponendum eſt, non ſolum quia ita habẽt manuſcripti libri, ſed etiam quia Anno Carthaginenſis apud Liuium lib. 21. id factum eſſe ſignificat. cum ait: *ſed vt Tarento tum, & Italia non abſtinueramus ex fœdere, ſic nunc Sagunto non abſtinemus.* ſic Oroſius, vt ibi dicam.

Pyrrhi mortem.] Vet. lib. *Pyrrhi regis mortem.*

IN EPITOMEN LIB. XV.

SALENTINI.] *Sallentini* duobus *ll*, ſcribi debent, ex fide Capitolinorum marmorum, & Græcis ſcriptoribus: ſic enim Stephanus, Σαλλεντία πόλις Μεσσαπίων, τὸ ἐθνικὸν Σαλλεντῖνοι.

Digitized by Google

Tūc primum populus Romanus argento vti cœpit.] Plin. lib. 33. capite tertio. *Q. Fabio conſule argentum ſignatum eſt annos quinq; ante primum Punicum bellum captum.*

Quæſtorum numerus ampliatus eſt.] In veteribus libris eſt, *Quæſtorum numerus ampliatus eſt, vt eſſent.* Deſideratur autem numerus: ſic enim in epitoma lib. 5. *Numerus tribunum ampliatus eſt, vt eſſent XXI.* & libri decimi *Collegium augurum ampliatum eſt, vt eſſent nouem.* Et libri 20. *Prætorum numerus ampliatus eſt, vt eſſent quatuor.* Puto legendum hic eſſe, *vt eſſent octo.* Quæſtores enim primum duos creatos eſſe anno primo poſt reges exactos ſcribit Plutarchus in Poplicola. Duos deinde his additos eſſe, vt eſſent quatuor, duos qui vrbanas, duos qui militares res curarent, anno ab vrbe condita CCCXXXIII. tradit Liuius lib. 4. & lib. 6. & Tacitus lib. 11. cum autem Tacitus ſubſequatur his verbis: *Mox duplicatus quæſtorum numerus ſtipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus,* eos profecto octo eos factos eſſe hoc tempore ſignificare videtur.

IN EPITOMEN LIB. XVI.

ORIGO *Cartaginenſium, & primordia vrbis referuntur.*] Vet. lib. *Vrbis eorum referuntur.*

Cenſa ſunt ciuium capita CCCLXXXII. millia.] Melius Eutropius, qui, CCXCII. *millia* edit. Etenim tertio ante luſtro cenſa ſunt CCLXXVIII. millia, neq; interea clades vlla accepta eſt, vt tantopere ciuium numerus imminutus ſit.

Edidit primus.] Vet. lib. *Primus edidit.*

Eſernia.] Vet. lib. & Græci *Æſernia.*

Res præterea contra Pœnos & Volſcos proſpere geſtas continet.] Dum boni quid hoc tempore rei Romanis cum Volſcis erat toties victis? certe nihil. Ergo non *Volſcos* ſed *Vulſinios* ſcribe, vt eſt in Vet. libris. Cum quibus hoc tempore bellatum eſſe docent hiſtorici, & maxime Capitolinus M. Fuluij Flacci conſulis triumphus de *Vulſinienſibus*, primo anno primi belli Punici actos.

IN EPITOMEN LIB. XVII.

CN. *Duilius* Cos.] *C. Duillius.* vet. li. lapid. Capit. & reliqui.

Ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt, vt reuertenti à cœna tibicines canerent, & funale præferretur.] Vet. libris. *Perpetuus quoque honos habitus eſt, vt reuertenti à cœna tibicine canente funale præferretur.* Sic Valerius lib. 3. capite 6. *Ad funalem cereum præeunte tibicine, & fidicine à cœna domum reuerti ſolitus eſt.*

M. Calpurnij tribuni militum virtute.] Hunc libro 21. *Calpurnium Flammam* nominat Liuius: eundem *Q. Cædicium* Cato, alij *Laberium* appellarunt, auctor Gellius lib. 3. cap. 7.

IN EPITOMEN LIB. XVIII.

ATTILIUS *Regulus in Africa.*] Vet. lib. *Atilius Regulus conſul in Africa.*

Serpentem portentoſæ magnitudinis.] Hanc hiſtoriam à T. Liuio curioſe pariter, ac facunde relatam ſcribit Valerius libro 1. Quam eandem recitat etiam ex Ælio Tuberone Gellius lib. 6. cap. 3.

Cum aliquot prælijs aduerſum Carthaginienſes pugnaſſet.] Vet. li. *Cum aliquot prælijs bene aduerſus Carthaginēſes pugnaſſet.*

Inter cauſas petendi ſucceſſoris erat, quod agellus eius à mercenarijs deuaſtaretur.] Vet. lib. *A mercenarijs deſertus eſſet.* Sic Valer. lib. 4. cap. 4. *Conſulibus ſcripſit villicum in agello, quem ſeptem iugerum in Pupinia habebat, mortuum eſſe, occaſionemque nactum mercenarium amoto inde ruſtico inſtrumento, diſceſſiſſe: ideoque petere, vt ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro non eſſet, unde vxor & liberi ſui alerentur.*

T. Coruncanus.] *Ti. Coruncanius.* Vet. lib. Triumphi Capitolini, Polybius, Pomponius De origine iuris.

M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus cenſores.] *P. Sempronius Sophus, M. Valerius Maximus cenſores.* ex Capit. lapid.

Cenſa ſunt ciuium capita CCCXVI. millia CCXVII.] Vet. libris. CCXCVII. *millia* DCCXCVII. recte. nam priore luſtro ex Eutropij ſententia cenſa ſunt CCXCII. *millia.*

Et ſi ea minime impetraret.] Vet. libr. *Et ſi eam non poſſet impetrare.*

Iureiurando adſtrictus eſt rediturum.] Vet. lib. *Iureiurando adſtrictus rediturum.*

IN EPITOMEN LIB. XIX.

C. *Glaucian dixit.*] Et hic & apud Suetonium in Tiberio legendum eſt, *Claudium Gliciam*, ex Capitolina huius Dictatura, apud Suetonium enim eſt *Iliciam.*

Coloniæ deductæ ſunt Fregellæ.] Vet. lib. *Fregene*, optime. Fregellæ enim coloniæ deductæ ſunt anno CCCXXVII. in agro Volſcorum, auctore Liuio lib. 8. Idem etiam *Fregenarum* meminit maritimæ coloniæ lib. 31. *Alſij* porro, & *Fregenarum* meminit Cato in fragmentis Originum, & Plin. lib. 3 cap. 5. Eadem menda eſt apud Velleium lib. 2 vbi ait: *Poſt que XII. annos Æſculum, & Alſium, Fregellaque poſt biennium, proximoq; anno Torquato, Sempronioq; conſulibus Brunduſium,* legendum eſt enim *Fregena.*

Cenſa ſunt Ciuium capita CCLI. millia.] Priore luſtro cenſa ſunt CCXCVII. *millia*, hoc autem CCLI. minore multo ſumma. Hic autem numerus, ſi probe habet, idcirco imminutus eſt, quia maxima pars eum P. Claudius conſul rem nauali prælio male geſſiſſet, interijt.

Aludis diuertens.] Vet. lib. *Reuertens.* Gellius lib. 10. cap. 6. de hac eadem Claudia, à ludis exeunte.

Ob eadem cauſa multata eſt.] Veteres libri, *Multa ei dicta eſt:* Sic loco citato Gellius, *ob hæc mulieris verba tam improba, ac tam inciuilia C. Fundanius, & Ti. Sempronius ædiles pl. multam dixerunt ei æris grauis XXV. millia.* Id factum Fabio Licinio, Otacilio Craſſo conſulibus. De eadem Suetonius in Tiberio.

Rebus aduerſus Pœnos pluribus ducibus geſtis.] Vet. lib. *A pluribus ducibus proſpere geſtis.*

Duatribus adiectæ ſunt Velina, & Exquilina.] Turpis menda eſt in voce *Exquilina*, hæc enim trib. vna fuit ex vrbanis quatuor à Ser. Tullio Rege factis, vt ſupra diximus. Itaque non *Exquilina*, ſed *Quirina* reſtituendum eſt manuſcriptis præſertim libris ita admonentibus.

IN EPITOMEN LIB. XX.

SPOLITIUM.] Vet. lib. *Spoletum.* Priſcianus etiam ita dicendum eſſe contendit.

Tutia virgo.] Vet. libri, *Tuccia.* Sic alibi *Tuccia* gentis mentio.

Quin Italiam eruperant.] Vet. lib. *irruperant.*

Eo bello populus Rom. ſociorum, Latiniq; nominis trecenta millia armatorum habuiſſe dicitur.] Vet. libri, *ad trecenta millia.* Eadem ſumma colligitur etiam ex Polybij lib. 2. qui quot quiq; ſocij pedites, quot equites dederint, exponit. In ſumma tamen concipienda ineſt apud eum labes: inquit enim omnem

exercitum tam Romanorum quam ſociorum fuiſſe, pedites [illegible], cum ſit legendum [illegible]: equites autem fuiſſe [illegible], cum ſit legendum [illegible] aperte ex verbis eiuſdem.

Bellum Illyriis propter vnum ex legatis, qui ad eos miſſi erant, occiſum indictum eſt.] Legatos duos miſſos ſcribit Polybius lib. 2. *C. & L. Coruncanios*: ex iis alterum Teutæ reginæ iuſſu fuiſſe interfectum, qui liberius in eam inuectus fuerat. [illegible]

M. Claudius Marcellus conſul occiſo Inſubrium Gallorum duce Virdumaro opima ſpolia retulit.] Lege *Virdumaro*. Sic enim Propertius lib. 4. *Virdumari genus hic Rheno iactabat ab ipſo.* Et in lapidib. Capit. M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS COS. DE GALLEIS INSVBRIBVS ET GERMAN. ISQVE SPOLIA OPIMA RETVLIT DVCE HOSTIVM VIRDVMARO AD CLASTIDIVM INTERFECTO.

Iſtrorum Illyrii cum rebellaſſent: domiti in deditionem venerunt.] De Illyriis priore bello triumphauit Cn. Fuluius Centumalus Cos. vt eſt in Capit. triumphis. De iiſdem hoc tempore L. Æmilius Paulus Polybio auctore lib. 3. Eius belli initium intulit Teuta regina, huius Demetrius Pharius Rex.

Cum ante diſperſi fuiſſent.] Vet. lib. *Cum ante per omnes diſperſi fuiſſent.*

Muniuit, & circum Flaminium extruxit.] Locus, vt omnes ſentiunt, mancus, ita reſtitui debet: *C. Flaminius cenſor viam Flaminiam muniuit, et circum Flaminium extruxit.* De via, & circo à C. Flaminio hoc anno cenſore factis, auctor eſt Caſſiodorus & Feſtus. De luſtro condito C. Flaminio, & L. Æmilio cenſoribus Liuius lib. 22. & 23. vt de hac lectione omnino dubitandum non eſſe videatur. Caſſiodorus ita: *L. Veturio, C. Lutatio conſulibus, via Flaminia munita, & circus Flaminius factus eſt.* Feſtus autem ita: *Flaminius circus, & Flaminia via dicta eſt à Flaminio cenſore qui interfectus eſt ad lacum Thraſimenum. Circus Flaminius*, quondam *prata Flaminia* dictus Liuius lib. 3.

IN EPITOMEN LIB. XXI.

IN *Italia belli ſecundi Punici acta narrantur.*] Malim, vt alibi, *Initia narrantur.*

Pyrenæo ſaltu.] *Pyrenæo* ſic Græci [illegible].

Fuſis, qui obſiſtere ei conati erant.] Vet. lib. *Fuſis Volſcis, qui.* Sic autem tradit de Volſcis Liuius.

IN LIBRVM XXI.

CAp. 1. *Perfecto Africo bello.*] Hoc bellum cum mercenariis militibus per quinquennium in Africa Carthaginienſes geſſerunt poſt bellum primum Punicum, auctor Polybius lib. 1.

Eod. *Talibus ſacris iureiurando adactum.*] Hoc narrat Antiocho Annibal apud Polybium lib. 3.

Eod. *Sicilia, Sardiniaq; amiſſa.*] Sicilia amiſſa eſt primo Punico bello: Sardinia inter primum & ſecundum, auctor Polyb.

Eod. *Nimis celeri deſperatione rerum.*] Vet. lib. *rerum deſperatione.* Hæc ſententia ſumpta eſt à Polybio: [illegible] mille autem ducenta talenta impoſita tradit.

Cap. 11. *Per quinque annos.*] Malim *per quatuor.* Nam Polybius lib. primo extremo ſcribit tribus annis, & quatuor menſibus hoc bellum eſſe confectum: [illegible]

Eod. *Vt appareret, maius eum, quam quod gereret.*] Vet. lib. *Vt appareret ... maius eum.*

Eod. *Flore ætatis, vti aiunt, primo Amilcari conciliatus.*] Hac de re Polybius nihil. Paulo tamen poſt Anno. *florem ætatis,* inquit, *Aſdrubal quem ipſe patri Amilcari fruendam dedit.*

Eod. *Gener inde ob altam indolem profectus animi adſcitus.*] Vet. lib. *Ob altam indolem animi profecto adſcitus.* In quibuſdam etiam li. *profecto* vacat.

Eod. *In imperio poſitus.*] Vet. lib. *Imperio petitus.*

Eod. *Cum hoc Aſdrubale, &c. fœdus renouauerat populus Romanus, vt finis vtriuſq; imperij eſſet amnis Iberus.*] Hoc ſextum fuit fœdus cum Pœnis ictum Aſdrubale duce. itaque recte Cato lib. 4. Originum dixit: *Carthaginienſes ſextum de fœdere deceſſere.* Tertij fœderis meminit Liuius li. 9. P. Cornelio Aruina, Q. Marcio Tremulo conſulibus. Quarti in epitome lib. 13. dum cum Tarentinis, & Pyrrho bellabatur. Quinti Polybius libro tertio confecto primo Punico bello. Sexti cum Aſdrubale icti, & Polybius lib. 3. & hoc libro ſæpius Liuius.

Cap. 111. *Annibal intra prætorium delatus.*] Veteres lib. *in prætorium.*

Eod. *Prærogatiuam militarem.*] Polybius [illegible]

Eod. *Hunc vix dum puberem Aſdrubal literis ad ſe acceſſierat.*] Vix dum puberem appellat iuuenem natum annos ad XXII. Id ita eſſe apparet ex eo, quod Probus tradit, imperium Annibali mortuo Aſdrubale eſſe delatum, cum eſſet minus XXV. annis natus, per triennium autem ante ſub imperatore Aſdrubale militaſſe ſcribit hoc loco Liuius. Atque hoc idem alia etiam confirmari ratione poteſt, Annibal enim anno ætatis nono cum patre Amilcare in Hiſpaniam venit qui per annos nouem in ea prouincia fuit. His annis, qui XVII. eſſe conficiuntur, ſi VIII. quib. ſucceſſor Amilcaris Aſdrubal in Hiſpania rem geſſit, adiunxeris, annorum XXV. ſummam effeceris, ex quibus triennio detracto, relinquuntur anni XXII. quus natus Annibal Carthagine in Hiſpaniam ad Aſdrubalem miles venit. Hæc ex Liuij, & Polybij verbis omnia collecta ſunt. † Hic vide quam nititur defendere Liuium, & primam Glareani annotationem conuellere, ſed nihil facit. †

Cap. IV. *Deinde breui effecit, vt patri in ſe minimum momentum ad fauorem conciliandum eſſet.*] Vet. lib. *vt pater in ſe.*

Eod. *Veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur.*] *Conſpiciebantur*, conſpicua erant, intellexit: veſtitu non differebat à ceteris, armis, & equis differebat: ſic alio loco, *conſpectum eſſe*, pro excellere dixit. Hoc non intelligens Glareanus interpretatur, ſi quando arma & equi conſpiciebantur equitum peditumque idem primus erat, quo nihil abſurdius. † Glareanus dubitauit, nihil aſſeruit, idq; ea de cauſa vt aliis eſſet cogitandi occaſio: hanc ſanam Glareani curam diſſimulans, aſſertiue accipit, quæ dubia relicta ſunt, vt lector videret illum carpendi ſtudioſiorem, quam vt ingenue doceret. Doceri petit Glareanus, conuitiis aſpergiodit. †

Eod. *Vltimus conſerto prælio excedebat.*] Vet. lib. *confecto.*

Eod. *Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus deum metus.*] Sæpe, vt dixi ſententiam pro nomine ponit, vt Saluſtius de Catilina, *Animus audax, ſubdolus, varius, cuiuſlibet rei ſimulator ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus, ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum.*

Cap. V. *Quibus oppugnandis haud dubie Romana arma mouebantur, in Olcadum fines prius induxit exercitum.*] Vox vna deeſt, quæ maxime ſententiam ſuſtinet, ea ex vet. lib. reuocanda eſt. *Quibus oppugnandis, quia haud dubie Romana arma mouebantur.* De Olcadibus Polyb. & Stephanus.

Eod. *Vt non petiiſſe Saguntinos, ſed rerum ſerie finitimis domitis gentib. iungendoq; tractus ad id bellu videri poſſet.*] Vet. lib. *Iungendiſq;*. Sic paulo ante. *Solicitandis gentib. imperioq; iungendis ſuo.*

Eod. *Carteiam vrbem caput gentis eius.*] Carteiam Olcadum caput eſſe ait: cum ſit vrbs Baſtulorum ad Calpen montem auctore Ptolemæo, Plinio, & præter cæteros ipſomet libro 28. *Ad Carteiam claſſe acceſſit, vrbs ea in ora Oceani eſt.* Quare ſequutus Polybium lego *Altheiam*, in eo enim eſt Ἀλθαίαν. Eſt autem Olcadum vrbs, teſte Stephano: Ἀλθαία πόλις Ὀλκάδων. οἱ δὲ Ὀλκάδες ἔθνος Ἰβηρίας πλησιόχωρον Καρχηδόνος, ἣν καλοῦσι καὶ καινήν, τὸ ἐθνικὸν Ἀλθαῖος.

Digitized by Google

Eod. *Cunctis ciuium ſuorum, ſociorumq́; animis in ſe firmatis.*] Vox *ſuorum*, abeſt à vet. lib.

Eod. *Hermandica.*] Polybius: Ἐλμάντικα: Stephanus Ἐρμαντικὴ πόλις Ἰβηρίας ἐντὸς Ἴβηρος ποταμοῦ. Πολύβιος γ. Itaque *Helmandica* lego.

Eod. *Arboc Lu.*] Vet. lib. *Arbocala.* Polybius Ἀρβουκάλη.

Eod. *Cartheiorum vrbs vi capta.*] Vet. lib. *Carthorum.* Polybius *Vaccaeorum.* Itaque eandem vocem repono: dixit enim, *in Vaccaeos promotum bellum.*

Eod. *Concitant Carpetanos.*] Hos vbiq; Καρπησίους vocat Polybius.

Eod. *In ripa elephantos ante quadraginta diſpoſuit.* Non vereor ne vox, *ante*, mendoſe ſit, pro *ad*: ſiquidem Polybius ait: καὶ τοὺς θηρίους οὓς εἶχε περὶ τετταράκοντα τὸν ἀριθμόν. Id eſt, *& Elephantis, quos ad quadraginta habuit.* Sic alibi docebo ex *ad ante* factum eſſe.

Eod. *Olcadum Vaccaeorum centum millia fuere.*] Polybius item: πλείους ἢ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων.

Eod. *Vel inermi equite equo temere acto peruerti poſſet.*] Vet. lib. *Vel ab inermi equite.*

Eod. *Poſtremi quibus ingreſſus in ſuam ripam tutior fuit.*] Vet. lib. *Poſtremi, quibus regreſſus in ſuam ripam tutior fuit.* Egregie: vt ſit, poſtremis Annibal fugam ex ripa fecit.

Eod. *Quos cum adiſſet idem, qui litis erat ſator, nec certamen iuris, ſed vim quaeri appareret.*] Vet. lib. *Quibus cum adeſſet idem, qui litis erat ſator.* Senſus eſt, Annibalem qui litem inter Turdenatos & Saguntinos ſerebat, Turdenatis affuiſſe contra Saguntinos.

Cap. VI. *Legati à Saguntinis Romam miſſi auxilium ad bellum iam haud dubie imminens orantes, Conſules tunc erant, P. Cornelius Scipio, & T. Sempronius Longus.*] Diſſentit Liuius à Polybio, quem maxime tamen hoc in bello tradendo ſequitur, de rebus ab Annibale in Hiſpania geſtis, de anno, quo Saguntus oppugnata eſt, & quo legati ad Annibalem miſſi ſunt. Qua vero multo veriſimilius & planius haec omnia Polybius explicat, ea quemadmodum apud ipſum diſpoſita ſint, prius demonſtrabo, tum demum, quae Liuius tradiderit, ſubiungam. Sic igitur Polybius: *P. Cornelio. M. Minucio cõſulibus, Annibal mortuo Aſdrubale Imperator in Hiſpania declaratus in Olcadũ fines trãſgreſſus, Altheiam capit, & Carthaginem in hyberna recedit. L. Veturio. C. Lutatio conſulibus, Annibal vere primo in Vaccaeos ducit, Arbocalum & Helmandicam eorum vrbes capit. Carpetanos in deditionem accipit. Quo terrore finitimi Saguntini compulſi, Romam legatos ad bis nunciatum mittunt. Legati Romani in Hiſpaniam venientes ab Annibale Carthagine Noua, dum in hybernis eſſet, auditi ſunt. Bellum Annibali indictum, niſi Sagunto abſtineret, ab iiſdem idem Carthagine factum. M. Liuio, L. Aemilio cõſulibus, Annibal Carthagine Noua profectus Saguntum oppugnat, & intra octo menſes capit, & in hyberna reuerſus omnes milites domum ad ſuos reuiſendos miſit. Legati alteri Carthaginem miſſi ad depoſcendum Annibalem rupti foederis auctorem, & niſi traderetur, ad bellum aperte indicendum, indictum eſt. P. Cornelio Scipione, Ti. Sempronio Longo conſulibus, Annibal motis Carthagine Noua caſtris traiecto Ibero Ilergetes, Barguſios, Auſetanos, et ceteros Hiſpaniae populos vſque ad Pyrenaeos montes ſubigit, iiſque ſuperatis, per Galliam ad alpes venit, & in Italiam quinto menſe, quam Carthagine mouerat tranſgreſſus, P. Cornelium conſulem ad Ticinum, Ti. Sempronium conſulem ad Trebiam fundit.* Haec Polybius, & cui aſſentiri videtur Probus, qui per triennium res in Hiſpania ab Annibale geſtas ſcribit. Liuius autem ita: L. Veturio C. Catulo conſulibus, Annibal Altheiam Olcadum capit, & in hyberna Carthaginem Nouam reuertitur. M. Liuio, L. Aemilio conſulibus, Arbocala & Hermandica Vaccaeorum, & Carpetani ſubacti, Saguntus oppugnari coepta. P. Scipione. Ti. Longo conſulibus, Legati Saguntini, qui antequam Saguntus oppugnaretur profecti erant his conſulibus Romam perueniunt. Legati Romam P. Valerius Flaccus, Q. Baebius Tamphilus in Hiſpaniam ad Annibalem Saguntum oppugnantem cum veniſſent, & ab eo non admiſſi Carthaginem profecti: Saguntum octauo menſe, quam coeptum erat opugnari, captum inde in hyberna Annibal receſſit. quinto deinde menſe, quam ex hybernis profectus eſt, in Italiam venit. Quae ſi ita ſunt, inquit, fieri non potuit, vt P. Cornelius, & Ti. Sempronius conſules fuerint, ad quos, & in principio oppugnationis legati Saguntini miſſi ſint, & qui in ſuo magiſtratu cum Annibale, alter ad Ticinum amnem, ambo aliquanto poſt ad Trebiam pugnauerint, aut Saguntum principio anni quo P. Cornelius, & T. Sempronius conſules fuerunt, non coeptum oppugnari eſt, ſed captum. Haec Liuius. Non intelligit autem ſi capto Sagunto Annibal in hyberna conceſſit, & primo vere in Italiam ſuperatis Alpibus venit, Saguntum ne initio quidem conſulatus Scipionis, & Longi potuiſſe capi. ſiquidem inierunt Idibus Martiis, quo tempore illum ex hybernis mouentem tranſitum in Italiam paraſſe veriſimile eſt, ſed captum eſſe Liuio, Aemilioque conſulibus. Quod ſi ita eſt, ne legati quidem Saguntini, qui aut antequam Saguntum oppugnaretur, aut initio oppugnationis profecti ſunt, Scipione & Longo conſulibus Romam peruenire potuerunt, praeſertim vero cum Legati Romani, quos ſerius miſerunt Annibalem Saguntum etiam oppugnantem inuenerint. Habet igitur incommoda multa haec Liuiana tractatio, in quae miror illum incidiſſe, Polybio praeſertim hoc omnia diligentiſſime explicante.

Eod. *T. Sempronius Longus.*] Polybius Τιβέριον Σεμπρώνιον nominat Eutropius *Tiberium*, itemque Probus, & pleriq; vetuſti libri. Filius etiam huius in Capitolinis tabulis *Ti. F. Ti. N. Longus* ſcribitur.

Eod. *Legatos ad res ſociorum inſpiciendas.*] Sic Polybius πρεσβευτὰς τοὺς ἐπισκεψομένους ὑπὲρ τῶν προσπιπτόντων.

Eod. *Q. Baebius Pamphilus.*] Vet. aliquot lib. *Q. Baebius Tamphilus*: Ita Capitolini vbique lapides, nummi argentei *Baebius Tampilus.*

Cap. VII. *Mille ferme paſſus à mari.*] Sic Polybius ὡς ἑπτὰ σταδίους.

Eod. *Et iuuentus delecta vbi plurimum periculi ac laboris oſtendebatur, ibi vi maiore obſiſtebant.* Vet. lib. *obſiſtebat.*

Cap. VIII. *Ad centum enim quinquaginta.*] Vet. lib. *Ad centum enim & quinquaginta.*

Eod. *Falarica erat Saguntinis miſſile telum.*] Feſtus: *Fallarica genus teli miſſile, quo vtuntur ex falis, id eſt, locis extructis*, vel, vt ait Nonius: *ex turribus ligneis dimicantes.*

Cap. IX. *Nec tuto eos adituros inter tot effrenatarum gentium arma.*] Vet. lib. *efferatarum.* probo: Porro autem Polybius hanc legationem admiſſam eſſe ab Annibale ait.

Cap. X. *Aegates inſulas, Erycemque ante oculos proponite.*] Vet. lib. *inſulam.* Sic Polybius τὴν Αἴγουσαν, καὶ τὰς Αἰγάς appellat: Ad Aegates autem inſulam priore bello nauali praelio victus eſt Amilcar idemque in foederibus iungendis Erycem, quem tenebat in Sicilia, praeſidia deducere iuſſus eſt, auctor Polybius.

Eod. *Sed Tarento tum in Italia non abſtinueramus ex foedere.*] Vet. lib. *Sed tunc Tarento & Italia.* Caeterum hic eſt locus, quem Glareanus male habere credidit, quia Tarentinis Poenos auxilio veniſſe numquam accepit. At ſupra in epit. lib. 14. *Carthaginenſium claſſis auxilio Tarentinis venit: quo facto ab iis foedus violatum eſt.* Item Oroſius: *Tarentini Pyrrhi morte comperta noua arma ſollicitant aduerſus Romanos, Carthaginenſium auxilia poſcunt, atque accipiunt.*

Cap. XII. *Nec ignoretis.*] Vet. lib. *Ne ignoraretis.*

Cap. XV. *Octauo menſe, quam coeptum oppugnari, captum Saguntum.*] Polybius: τέλος ἐν ὀκτὼ μησὶ κατὰ κράτος εἷλε τὴν πόλιν.

Eod. *Quinto deinde menſe, quam à Carthagine profectus ſit in Italiam perueniſſe.*] Polybius item: τὴν μὲν πᾶσαν πορείαν ἐκ Καινῆς πόλεως ἐν πέντε μησὶ ποιησάμενος.

Cap. XVI. *Trepidarent magis, quam conſulerent.*] Vet. lib. *Conſultarent.*

Eod. *Hiſtros atque Illyrios.*] *Iſtros atq. Illyrios*: Capit. Triumphi. Nominat bella inter primum, & ſecundum Punicum bellum geſta cum Sardis, Corſis, Iſtris, Illyris & Gallis. De quibus triumphi aliquot acti ſunt.

Eod. *Poenum hoſtem veteranum trium & viginti annorum militia duriſſima inter Hiſpanas gẽtes ſemper victorẽ primum Amilcare deinde Aſdrubale, nunc Annibale duce acerrimo aſſuetum.*] Lege XVIII. *annorum*, non XXIII. † Hic omittit V. annos belli Africi pudendo errore, recte igitur legitur XXIII. non XVIII. † ¶
Amilcar enim nouem imperauit annos, Aſdrubal octo, vnum Annibal auctore Liuio: ſi quidem intelligendum eſt octauum

annum

Digitized by Google

annum Aſdrubalis primum eſſe Annibalis. error ex notis natus v. enim in x. mutatum eſt.

Cap. xvii. *L. Manlius prætor.*] Meminit huius prætoris etiam Polybius, ceterum hoc anno L. Manlius, C. Terentius Varro M. Æmilius, C. Atilius Serranus prætores à Liuio memorantur, L. Manlius Galliam, C. Atilius Ligures. M. Æmilius Siciliam, C. Terentius vrbanam iuriſdictionem obtinuiſſe videtur.

Eod. *Aut ea parte belli dimicaturum hoſtem credebant.*] Aliquot libri Veteres non habent vocem, *belli*, nec neceſſaria ea eſt.

Cap. xviii. *M. Liuium.*] Hic *M. Liuius*, is qui poſtea *Salinator* dictus eſt, eſſe non poteſt, quod conſul eſſet, tum cum hæc legatio miſſa eſt, aut ſi poſteriore anno miſſa eſt, vel reus, vel damnatus vt lib. 29. apparet. † Glareanus omnino putat Salinatorem fuiſſe.

Eod. *Luctatio conſule.*] *Lutatio* ſcribe: ſic enim lapid. Capit. ſic Græci, ſic pleri que veteres libri.

Eod. *Niſi ex auctoritate aut iuſſu icta.*] Vet. lib. *Niſi aut ex auctoritate aut iuſſo veſtro icta.* Hæc autem de fœdere diſceptatio apud Polybium eſt multis verbis.

Eod. *Et quod diu parturit animus veſter, aliquando pariat.*] Hoc à Cicerone ſumptum, qui dixit in Antonium: *Vtinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit.*

Eod. *Tum Romanus ſinu ex toga facto: Hic, inquit, vobis bellum, & pacem portamus.*] Sic Polyb. ὁ δὲ πρεσβύτατος αὐτῶν δείξας τοῖς ἐν τῷ συνεδρίῳ τὸν κόλπον, ἐν τούτῳ καὶ τὸν πόλεμον αὐτοῖς ἔφη καὶ τὴν εἰρήνην φέρειν.

Cap. xix. *Itaque aliud de integro fœdus publico conſilio ictum eſt.*] Senatus Rom. non ſtetit conditionibus iis pacis, de quibus inter Lutatium imperatorem, & Amilcarem conuenerat, verum x. legatos in Siciliam miſit, ex quorum ſententia, auctoritateque aliud ictum fœdus, ac confirmatum eſt, auctor Polybius.

Eod. *Ita nequiquam peragrata Hiſpania in Galliam tranſeunt. In his noua terribiliſque ſpecies viſa eſt, quod armati, ita mos gentis erat, in concilium venerunt.*] Excidit hoc loco nomen eius populi, quem primum in Gallia legati Romani adierunt, vt enim in Hiſpania *Barguſios* & *Volſcianos* aditos dixit, ſic in Gallia præcipuos quoſdam nominabat populos, præſertim vero cum dicat: *In his noua terribiliſque ſpecies viſa, quod armati, ita mos gentis erat, in concilium venerunt.* Non enim totius Galliæ hic erat mos, ſed præcipue eorum, quos primum adierunt, & poſt ſubiungat: *Eadem ferme in ceteris Galliæ conciliis dicta, audita-que.* Qui vero populi fuerint, ne diuinare quidem poſſum. Ita tamen legendum exiſtimo. *Ita nequiquam peragrata Hiſpania in Galliam ad ...... tranſeunt. In his noua,* &c. Idem ſentit etiam Glareanus.

Cap. xxi *Si cetera proſpera eueniſſent.*] Vet. lib. *Proſpere.*

Eod. *Tredecim millia octingentos quinquaginta pedites.*] Sic Polybius: πεζοὶ μύριοι τρισχίλιοι ὀκτακόσιοι πεντήκοντα, ἱππεῖς δὲ χίλιοι διακόσιοι.

Cap. xxii. *Firmatque eum Africis maxime præſidiis peditum Afrorum xi. millibus, octingentis quinquaginta Liguribus, trecentis Balearibus ad hæc peditum auxilia.*] Harum copiarum ſumma ad verbum ſumpta eſt à Polybio, qui ita ait: πεζοὺς Λιβύων μυρίους χιλίους ὀκτακοσίους πεντήκοντα, Λιγυστίνους τριακοσίους, Βαλιαρεῖς πεντακοσίους. Ex cuius verbis perſpicue apparet in Liuianis libris deeſſe vocem, *quingentis*, vt ſit, *Balearibus quingentis*, atque ita hunc locum eſſe legendum & diſtinguendum. *Peditum Afrorum* xi. *millibus* DCCCL. *Liguribus* CCC. *Balearibus* D. *Ad hæc*: Nota numeri D. creauit errorem, præſertim vero cum ſequeretur A D. eaque excidit.

Eod. *Elephanti* xiiii.] Vereor vt legendum ſit xxi. Nam Polyb. edit: ἐλέφαντας εἴκοσι καὶ ἕνα.

Eod. *Apta inſtructaque remigio.*] Hoc ait Polybius: πληρώματα ἔχουσαι. Ceterum in numero nauium non diſcrepant.

Eod. *Præter Etoniſſam vrbem.*] Ptolemæus nominat Ἠτοβήσαν, ſtatuitque inter Ἐδητανούς.

Cap. xxiii. *Nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Iberum traduxit.*] Sic Polybius: πεζοὺς μὲν ἔχων εἰς ἐννέα μυριάδας, ἱππεῖς δὲ περὶ μυρίους, καὶ δισχιλίους, καὶ διέβαινε τὸν Ἴβηρα ποταμόν.

Eod. *Ilergetes, inde Barguſioſque & Auſetanos, & Aquitaniam.*] Sic Polyb. τό τε τῶν Ἰλουργητῶν ἔθνος, καὶ Βαργουσίων, ἔτι δὲ τοὺς Αἰρηνοσίους καὶ τοὺς Ἀνδοσίνους. Quos vocat Liuius *Auſetanos*, eos Ptolemæus Αὐσητανούς nominat.

Eod. *Aquitaniam, quæ ſubiecta Pyreneis montibus eſt.*] *Aquitania* pars eſt Galliæ citra Pyrenæos montes. Hiſpaniæ autem oram Liuius nominat, neque enim adhuc Annibal in Galliam traiecerat. Vox autem corrupta eſt. Hanc oram Ptolemæus vocat Λακετανίαν: Plutarchus Λακκητανίαν. Strabo Ἰακκητανίαν. Sic enim inquit: συνοικεῖται δ' ὑπὸ πλειόνων ἐθνῶν ἡ χώρα, γνωριμώτατον δὲ τὸ τῶν Ἰακκητανῶν λεγόμενον. τοῦτο δὲ ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς παρωρείας τῆς κατὰ τὴν Πυρήνην εἰς τὰ πεδία πλατύνεται. id eſt, *Hæc ora compluribus incolitur gentibus, è quibus nobiliſſima Iaccetana dicitur. Hæc à Pyrenes radicibus inchoans in campos latius extenditur.* Et poſt Liuius, *C. Scipio cum Pyrenæos montes circumuectus Emporiis appuliſſet claſſem, orſus à Lacetanis omnem oram vſque ad Iberum flumen Romanæ ditionis fecit.* Et Saluſtius in epiſtola Pompeii: *Recepi Galliam Pyrenæum, Lacetaniam.*

Eod. *Pyrenæum tranſgreditur, & ad oppidum Illiberim caſtra locat.*] *Illibirrim.* vocat Strabo lib. 4. ἐκ μὲν τῆς Πυρήνης ἡ, ἡ Ῥουσκίνων καὶ ἡ Ἰλλίβιρις πόλεις ἔχουσιν ὁμωνύμους ἑκάτερος αὐτῶν. De *Ruſcinone* paulo poſt Liuius.

Cap. xxv. *Nuper circa Padum Placentiam, Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur.*] Hæ coloniæ deductæ ſunt hoc anno P. Cornelio, Ti. Sempronio Coss. prid. K. Ianuarij, auctore Pædiano in Piſonianam, nec diſſentit Polybius. Hac de re etiam in epitome libri vigeſimi.

Eod. *C. Lutatius, C. Seruilius. T. Annius, Lutatij nomen haud dubium eſt, pro C. Seruilio, & T. Annio, Q. Acilium, & C. Herennium habent quidam annales: alij, P. Cornelium Aſinam, & C. Papirium Maſonem.*] De his ita Pædianus: *Deduxerunt triumuiri P. Cornelius Aſina, C. Papirius Maſo, Cn. Pompeius, ſiue Cn. Cornelius Scipio.* Porro autem in vulgatis Liuiani libris erat *A. Seruilius.* Scripſi tamẽ *C. Seruilius*, quia hic pater eſt *C. Seruilij* conſulis anno DLVII. auctore Liuio, qui in conſulatu Capitolino *C. F.* ſcribitur. Polybius *C. Lutatium* conſularem, & duos prętorios nominat.

Eod. *Siluæ tunc circa viam erant, pleriſque incultis.*] Vet. libri, *Pleriſque locis incultis.* Polybius: τοὺς ὑλώδεις τόπους vocat.

Eod. *Nec dum per patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hoſtis.*] Senſus docet legendum eſſe: *Nec dum per patentia loca ducebatur agmen, apparuit hoſtis, vbi rurſus ſiluæ intratæ, tum poſtremos adorti*, vt ſit, hoſtes non apparuiſſe interea dum exercitus Romanus patentibus campis iter faceret, vbi ſiluas intrauerit, extremum agmen eſſe adortos: poteſt etiam vulgata lectio teneri, hoc ſenſu: neque adhuc per ſatis patentia loca ducebatur agmen, cum apparuit hoſtis, vbi ſiluæ intratæ ſunt vehementius ſe intulit.

Eod. *Finis, & Gallis territandi.*] Vet. libr. *Finis inde et Gallis territandi.*

Eod. *Cunnetum vicum.*] Vet. lib. *Tannetum.* Polyb. lib. 3. τὴν Τάννητιν καλουμένην κώμην Ptolemæus Τάννητον. Liuius libro 30. vbi de eadem hac re loquitur, *Tanetum* edit.

Cap. xxvi. *C. Atilium prætorem.*] Nomen prætoris non afferre Polyb. cetera ab eo ſumpta ſunt.

Eod. *Tranſcripta legione noua.*] Polyb. ἄλλο δὲ στρατόπεδον συνάγειν καὶ καταγράφειν.

Eod. *Sexaginta longis nauibus.*] Polybius: ἑξήκοντα ναυσὶ tantum dixit.

Eod. *Mox peruenit Maſſiliam.*] Hoc quid ſit exponit Polyb. πεμπταῖος. id eſt, *quinto die.*

Eod. *Ad proximum oſtium Rhodani.*] Polyb. περὶ τὸ πρῶτον στόμα τοῦ Ῥοδανοῦ, τὸ Μασσαλιωτικὸν προσαγορευόμενον.

Eod. *Metu aut precio pacatis.*] Polyb. τοὺς μὲν χρήμασι πείσας, τοὺς δὲ βιασάμενος.

Eod. *Et diſſiſi citeriore agro.*] Vet. lib. *Sed diſſiſi.*

Eod. *Ceteros accolas fluminis Annibal, & eos ipſos, qui ipſas ſedes tenuerunt, ſimul pellicit donis.*] Vet lib. *Et eos ipſos, quorum ſedes tenuerat.* Polyb. ἐξωνησάμενος τοὺς παροικοῦντας τὸν ποταμόν. Recte autem: *Quorum ſedes tenuerat*, quia ſubdit: *Simul & ipſi traiici exercitum leuarique quamprimum regionem ſuam tanta vrgente hominum multitudine cupiebant.*

Eod. *Itaque ingens coacta vis nauium eſt, lintriumque temere ad vicinalem vſum paratarum.*] *Vicinalem* dixiſſe videtur Liuius,

pro vicinitatis. Hoc ſic expreſſit Polybius: ἐξηγόρασε παρ' αὐτῶν τά τε μονόξυλα πλοῖα πάντα καὶ τοὺς λέμβους ὄντας ἱκανοὺς τῷ πλήθει διὰ τὸ τοὺς ἐν τῇ θαλάττῃ ἐμπορίαις πολλοὺς χρῆσθαι τῶν παροικούντων τὸν Ῥοδανόν. Vſum viciniæ expreſſit in mercibus vltro citroque deuehendis.

Eod. *Nouaſque alias primum Galli inchoantes cauabant ex ſingulis arboribus.*] His verbis vocem expreſſit Polybij μονόξυλα.

Cap. XXVII. *Millia quinque et viginti ferme.*] Polyb. ἐπὶ διακόσια σταδία.

Eod. *Supra parua inſula circumfuſum amnem.*] Polyb. πρός τινι τόπῳ ἐν ᾧ συνέβαινε περί τι νησίον μεσάζον μερίζεσθαι.

Eod. *Hiſpani ſine vlla mole in vtres veſtimentis coniectis, ipſi cetris ſuperpoſitis incubantes flumen tranſnatauere.*] Veter. libri habent *Suppoſitis*. Quam vocem ſententia quoque deſiderat.

Eod. *Eques fere propter equos nantes nauium agmen ad excipiendum aduerſi impetum fluminis parte ſuperiore tranſmittens tranquillitatem infra traiicientibus lintribus præbebat.*] *Equites* habent Vet. lib. Hinc ego legendum ſuſpicor: *Equites fere prater equos nantes*. Eſt enim hic ſenſus: Nauium agmen ad excipiendum aduerſi fluminis impetum equites præter equos nantes ſuperiore fluminis parte tranſmittens tranquilitatem lintribus, quib. pedites inferiore parte traiiciebantur, præbebat. Inquit autem, *prater equos nantes*: nam non omnes equi in naues impoſiti fuerant, verum magna pars loris à puppibus trahebantur. Sic prope etiam Polybius. † Recte quidem Polybius, at vide quæ hic ſit conſtructio. *equites tranſmittens* †.

Eod. *Impoſuerunt in naues.*] Veteres libri, *Impoſuerant*.

Cap. XXVIII. *Cum variis vlulatibus, cantuque.*] Polybius, τῶν βαρβάρων παιανιζόντων.

Eod. *Certe variata memoria eſt.*] Veteres libri, *Certe varia memoria eſt*.

Eod. *Tradunt ferociſſimum ex iis irritatum à rectore ſuo, cum refugientem in aquam natantem ſequeretur.*] Vet. lib. *Cum refugientem eum in aquam*: Rectorem autem intelligit.

Eod. *Vt quemque timendum altitudinem deſtituerat vadum, impetu ipſo fluminis in alteram ripam rapiente.*] Senſus, quem elicere Glareanus non potuit, hic eſt: Elephantem à rectore ſuo irritatum, cum eundem refugientem in aquam ſequeretur, traxiſſe gregem impetu ipſo fluminis in alteram ripam rapiente, prout quiſque eorum altitudinem aquæ timens, à vado deſtituebatur.

Cap. XXIX. *Nec Scipionis ſtare ſententia poterat, niſi vt.*] lego, *Scipiom.* Hoc enim Latina locutio poſtulat, ſic paulo poſt *Annibal, poſtquam ipſi ſententia ſtetit pergere ire.* Et lib. 30. *Proinde ſeu ipſi ſtaret iam ſententia, ſeu conſulendus Aſdrubal eſſet.* Et libro 44. *Interim conſuli ſententia ſtetit eo ſaltus ducere.*

Eod. *Reguli Magali aduentu.*] *Magili*, ex Polybio, τοὺς βασιλέας περὶ τὸν Μάγιλον.

Cap. XXX. *Ab occaſu ſolis ad exortus.*] Vet. lib. *Ad ortum*.

Eod. *Alpes quidem habitari, coli, gignere atque alere animantes, peruias paucis eſſe, exercitibus inuias.*] Malim, *peruias paucis, eſſe exercitibus inuias*, id eſt, quas pauci legati Gallorum ſuperauerint, eas hic exercitus non traiiciet.

Eod. *Has alpes ingentibus ſæpe agminibus.*] Quoties Galli alpes ſuperauerint ante hoc tempus, tradidit ſupra lib. 6. & Polybius lib. 2.

Eod. *Nec maiores quidem eorum.*] Vet. lib. *Ne maiores quidem eorum*.

Eod. *Tuto tranſmiſiſſe.*] Vet. lib. *Tuto tranſiſſe*.

Eod. *Cepiſſe quondam Gallos ea.*] Romam intelligit.

Cap. XXXI. *Ad inſulam peruenit, ibi Arar, Rhodanuſque amnis diuerſis ex Alpibus decurrentes, agri aliquantulum amplexi confluunt in vnum.*] Polybius: ἧκε πρὸς τὴν καλουμένην νῆσον, ἔχουσαν δὲ τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ συμπτώματος. τῇ μὲν γὰρ ὁ Ῥοδανός, τῇ δὲ Σκώρας προσαγορευόμενος, ῥέοντες παρ' ἑκατέραν τὴν πλευρὰν συμπίπτουσι. mendum tamen puto eſſe in voce ὁ Σκώρας pro ὁ Ἄραρ.

Eod. *Ad Leuam in Tricaſtinos flexit, inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios, haud vſquam impedita via priuſquam ad Druentiam flumen peruenit.*] Hoc de itinere nihil Polybius: at Ammianus libro 15. *Annibal Taurinis ducentibus accolis per Tricaſtinos, & oram Vocontiorum extremam, ad ſaltus Tricorios venit. indeq; exorſus aliud iter ante hac inſuperabile fecit, exciſaque rupe in immenſam elata per Druentiam flumen gurgitibus vagis in totum regiones occupauit Etruſcas.*

Eod. *Saxa glareoſa voluens.*] Veteres libri, *glomeroſa*, recte. Subdit enim, *nihil ſtabilis, nec tuti ingredientibus præbet.*

Cap. XXXII. *Genuam repetit.*] Antea *Placentiam*. at *Genuam* habent & veteres libri, & Ammianus loco citato. Supra autem dixit eum præter oram Ligurum perueniſſe Maſſiliam.

Eod. *Galliſque ad viſenda loca præmiſſis.*] Legatos Boiorum intelligit, qui ſe huius itineris duces futuros eſſe profeſſi fuerant.

Cap. XXXIII. *Cum repente conſpiciunt alios arce occupata ſua ſuper caput imminentes.*] Vet. lib. *ſua ſupra capita*.

Eod. *Quoſdam & armatos, inde ruinæ maxime modo iumenta cum oneribus deuoluebantur.*] Vet. lib. *Quidam & armati in ruinas maxime, modo iumenta cum oneribus deuoluebantur.*

Eod. *Caſtellum inde, quod caput eius regionis erat, vicoſque circumiectos capit.*] Hanc πόλιν vocat Polybius, id eſt, *vrbem* eam, ex qua Allobrogum incurſiones in exercitum Annibalis fiebant.

Cap. XXXIV. *Frequentem cultoribus alium, vt inter montana populum.*] *Populum* dixit, æque ac Græci δῆμον vſurpant. Qui & *populum* ſignificat & *caſtellum*.

Eod. *Occurſantes per obliqua montani erupto medio agmine viam inſedere.*] Vet. lib. *perrupto medio agmine*. Recte.

Cap. XXXV. *Nono die in iugum alpium peruentum eſt.*] Polyb. ἐνναταῖος δὲ διανύσας εἰς τὰς ὑπερβολάς, αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσε, καὶ δύο μέρας ἔμενε.

Eod. *Occidente iam ſidere Vergiliarum.*] Polyb. διὰ τὸ συνάπτειν τὴν τῆς Πλειάδος δύσιν.

Eod. *Circumpadanos campos.*] Polyb. τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία.

Cap. XXXVI. *Natura locus iam ante præceps recenti terra lapſu in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat.*] Ita emendauit olim Valla, cum ante legeretur: *Natura locus iam ante præceps, recenti terra lapſu impeditus. tum ille admodum altitudinem abruptus erat*: Vtramque autem lectionem mendoſam eſſe ſenſus ipſe docet. Deſcribit enim Liuius locū anguſtum & abruptum. Nam paulo ante dixit: *Ventum eſt ad multo anguſtiorem rupem, atque ita rectis ſaxis, vt*, &c. Ex emendatione autem Vallenſi nihil elici de anguſtia poteſt. Quamobrem ex veterum libris aliquot fidedignis ita legendum eſt: *Natura locus iam ante præceps recenti terræ lapſu impeditus in miram admodum altitudinem abruptus erat.* Duo enim ſignificat incommoda naturalib. incommodis acceſſiſſe, quod cum natura locus iam ante præceps eſſet, nunc deiectu terræ impeditus erat & in magnam admodum altitudinem abruptus. Quo ſit, expreſſerit cauſam, cur dixerit: Multo anguſtiorem rupem, atque ita rectis ſaxis, ita etiam Polyb. ὄντι γὰρ ὑπάρχοντος ὑπῆρχε ὑποστάσης στενῆς, ... κρημνώδους ... Et paulo ante dixerat. οὔσης γὰρ στενῆς, καὶ κατωφεροῦς τῆς καταβάσεως.

Eod. *Haud dubia res viſa, quin per inuia circa, nec trita antea, quamuis longo ambitu circumduceret agmen.*] Senſus eſt. Digreſſus ad rupem inuiſendam Annibal ſenſit, ſe per inuia loca, nec trita antea agmen ducere, neque ea re quicquā profeciſſe quod longo ambitu exercitum circumduxiſſet, quo facilius & expeditius iter haberet. Polybius ait, Annibalem inſpecta rupe conatum eſſe eam ſuperare, verum noua accedente niue deterritum eſſe, atque ad ſaxum illud cædēdum ſe conuertiſſe, in quo nihil ab eo diſſidet Liuius.

Eod. *Itaque inter iter tantum glacie, tabidaque niue voluntabantur iumenta, ſecabantur interdum, etiam tum infirmam ingredientia niuem & prolapſa iactandis grauius in continendo vngulis, penitus perfringebant, vt pleraque velut pedica capta hærerent indurata & alte concreta glacie.*] Primum dicam, quæ in his verbis emendanda arbitror, deinde qui ſit eorum ſenſus. Nam cum Glareanus homo ingenuus plane ſe ignorare profiteatur, in vet. lib. eſt, pro, *Itaque*, *ita*, pro *infirmam*, *infimam*, pro *ſecabantur* *vecabantur*, pro *interdum etiam tum*, *interdum etiam dum* pro *alta concreta* *alte concreta* †. Glareanus libenter fatetur ſe neſcire quædam, uno plurima exemplo D. Eraſmi præceptoris ſui, Angeli Politiani, ac aliorum doctiſſimorum virorum

At Sigonio omnia ſunt peruia †. Ea vero omnia probè habere ſenſus ipſe demonſtrat, qui eſt eiuſmodi: In ſuperanda rupe duplex labor ſuſceptus eſt, vnus propter recentem niuem modicam, alter propter veterem intactam niuem. Nam cum ſuperior illa hominum iumentorumque inceſſu dilapſa eſſet, & per nudam infra glaciem, fluentemque labem liqueſcentis niuis ingrederentur. terra ibi luctatio erat, vt ab lubrica glacie non recipiente veſtigium, & in prono citius pede ſe fallente. Et ſeu manibus in aſſurgendo. ſeu genu ſe adiuuiſſent, ipſis adminiculis prolapſi, ſi iterum corruiſſent, nec ſtirpes circa, radicesve, ad quas pede aut manu quiſquam eniti poſſet, erant. *Atque hunc*, inquit, *in modum in leni glacie, ſabidaque niue iumenta volutabantur*, adde deinde: *Necabantur interdum etiam, dum infimam ingredientia niuem, et prolapſa iactandis granius, vt ſe cõtinerent, vngulis perfringebant, vt pleruque velut pedica capta hærerent indurata, & altè concreta glacie.* Quam poſteriorem ſententiam ſic expreſſit Polybius: τὰ δ' ὑποζύγια διέκοπτεν, ὅτε πέσοι, τὴν κάτω χιόνα κατὰ τὴν ἐξανάστασιν. διακόψαντα δ' ἔμενε μετὰ τῶν φορτίων. Id eſt, *iumenta vero perfringabant, vbi prolapſa erant, infimam niuem in aſſurgendo. qua fracta hærebant vna cum oneribus.*

Cap. XXXVIII. *Quinto decimo die Alpibus ſuperatis.*] Polybius: τὴν τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις πεντεκαίδεκα κατατρίψας τολμηρῶς.

Eod. *Inferiora vallis.*] Vet. lib. *Inferiores valles.*

Eod. *L. Cincius Alimentus, qui captum ſe ab Annibale ſcribit, maxime auctor moueret me.*] Vet. libri, *Alimentus*, non hic ſolum, ſed etiam in epiſtolis ad Atticum. Quod probo. Cognomen enim eſt *Cinciorum*, vt *Rutilus Marciorum*, non, vt vulgo, *Rutilius*, In iiſdem libris eſt, *Maximus auctor*, & hoc quoque placet. *Maximum* enim *auctorem* vocat *locupletiſſimum*, quippe qui rebus ipſis gerendis interfuerit.

Eod. *Poſt quam Rhodanum tranſierit, triginta ſex millia hominum.*] Polyb. 38. *millia* edit. πεζοὺς εἰς ὀκτακισχιλίους καὶ τρισμυρίους. eorum vero dimidiam partem in Alpibus ſuperandis amiſiſſe.

Eod. *Ingentemque numerum equorum & aliorum iumentorum amiſiſſe in Taurinis quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digreſſo.*] Ne in id incommodum incidamus, vt dicendum ſit Annibalem in Taurinis, id eſt, in Italia ea amiſiſſe, quæ in alpibus traiciendis amiſerat, legendum eſt. *in Taurinos*: Itemque *Degreſſo*, non *digreſſo*. Eſt autem verbum Liuio familiare, vbi de *deſcenſu* loquitur, idque ſæpiſſime vitiatum vt infra oſtendam: Senſus autem erit, ſe audiſſe, ipſe in Taurinos, quæ Gallis proxima gens erat in Italia, degreſſo. triginta ſex millia poſtquam
¶ Rhodanum tranſierit amiſiſſe Taurinos ſcribit Polybius ad radices Alpium fuiſſe. † *In Taurinos* etiam Glareanus legendum ante admonuerat †.

Cap. XXXIX. *Otium etenim ex labore.*] Vet. libri, *Otium enim ex labore.*

Eod. *Ea P. Cornelio conſuli cauſa fuit, cum Piſas nauib. veniſſet, exercitu à Manlio Atilioque accepto tirone. & in nouis ignominiis, trepido ad Padum feſtinandi.*] Sic Polybius: Πόπλιος δὲ κατέπλευσεν εἰς Πίσας. ποιησάμενος δὲ τὴν πορείαν διὰ Τυρρηνίας, καὶ παραλαβὼν τὰ παρὰ τῶν ἑξαπελέκεων στρατόπεδα τὰ προκαθήμενα καὶ προσπολεμοῦντα τοῖς Βοΐοις ἧκε πρὸς τὰ περὶ Πάδον πεδία. Intelligendum autem eſt Genua Piſas veniſſe. Liuius porro nomine *Piſarum* prouinciam Liguriam, vt Arimini citeriorem Galliam ſignificare ſolet L. Manlius Galliam, C. Atilius, opinor, Ligures prouinciam obtinebat, vt ante dixi.

Eod. *Taurinorumque vrbem vnum caput gentis eius, quia volẽs in amicitiam non veniebat, vi expugnarat.*] οὐχ' ὑπακουόντων δὲ μετὰ στρατοπεδεύσας τὴν βαρυτάτην πόλιν ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐξεπολιόρκησε.

Cap. XL. *Confeſſionem ſedentis ac detrectantis certamen.*] Vet. lib. *Cedentis.*

Eod. *Quaſſata fractaque* [illegible]*.*] Vet. lib. *Confractaque.*

Eod. *Ac nihil magis vereor ne antequam vos.*] Vet. lib. *Quam ne antequam vos.*

Cap. XLI. *Licuit in Hiſpaniam prouinciam meam ire.*] Vet. lib. *Licuit mihi in Hiſpaniam.*

Eod. *Pœnorum agmen, quod in modum fugienti. [illegible] raptim agebatur, quia aſſequi terra non poteram, neque regreſſus ad naues erat, qua [illegible] maxima celeritate potui, tanto maris, terrarumque circuitu in [illegible] Alpium obuius fui.*] Hoc loco illud admirationem mo[illegible] potest, qui factum ſit, vt ſi regreſſus ad naues non erat, tãto maris, terratumque circuitu obuius fuerit. Hoc enim dicere vult, ſe quia hoſtem aſſequi terra non poterat, naues conſcendiſſe. Quod cum ita ſit, ergo rectè legitur in veteribus libris: *Quia aſſequi terra non potui, regreſſus ad naues, quanta maxima celeritate*, &c.

Eod. *Annibal hic ſi æmulus itinerum Herculis.*] *Herculem fama erat vnum ante Annibalem cum exercitus alpes tranſmiſiſſe. cum à Geryonis bello recederet*, Probus in Annibale, Ammianus libr. 15. Hinc *Graiæ Alpes* ab illo dictæ.

Eod. *Reſpiceret profecto, ſi non patriam victam, domum certe, pacemque & fœdera Amilcaris ſcripta manu.*] Vet. lib. *Domum certe patremque* probo.

Eod. *Pacem cum victis fecimus, tutela noſtra deinde duximus, cum Africo bello vrgerentur.*] Commemorat beneficia populi Romani erga Pœnos, maxime, quod eos auxilio iuuit bello Africo, De qua re ſic Polybius lib. 1. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ῥωμαῖοι τηροῦντες τὰ κατὰ τὰς συνθήκας δίκαια προθυμίας οὐδὲν ἀπέλειπον. Itaque ſuſpicor hoc loco legendum eſſe: *tutelæ noſtræ deinde addiximus*, aut quid tale.

Eod. *Vnuſquiſque ſe non corpus ſuum, ſed coniugem ac liberos.*] Vet. lib. *Non corpus ſuum ſolum ſed*, &c. Porro autem ſumma huius orationis eſt apud Polybium, vt etiam eius quæ ſequitur Annibalis.

Cap. XLIII. *Vt viginti annorum militiam veſtram.*] Elatorie XX. *annorum militiam* vocat Annibal, quam ſupra XVIII. Liuius verius appellarat: vt ſeruit cauſæ Annibal.

Eod. *Caſo, victo, circum ſeſſo à Gallis.*] Veteres libri, *Circumſeſſoque.*

Eod. *Tum laudaſtis me milites.*] Vet. lib. *Collaudaſtis me milites.*

Cap. XLV. *Traductus Romanus exercitus in agrum Inſubrium, quinque millia paſſuum à vico tumulis conſedit.*] Probo Glareani ſuſpicionem, vici nomen deſiderari: Probus hanc pugnam pugnatam ad Claſtidium ait, cuius vici poſt meminit Liuius.

Eod. *Mutatam ſecum fortunam.*] Vet. lib. *immutatam.*

Eod. *Seruis quoque dominos proſecutis libertatem proponit.*] Vet. lib. *Promittit.*

Cap. XLVI. *Scipio iaculatores, & Gallos equites in fronte locat, Romanos ſocios umque quod roboris fuit in ſubſidiis.*] Polyb. ὁ μὲν οὖν Πόπλιος προθέμενος τοὺς ἀκοντιστὰς καὶ τοὺς ἅμα τούτοις Γαλατικοὺς ἱππεῖς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐν μετώπῳ τάξας.

Eod. *Annibal frenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat.*] Polib. ὁ δ' Ἀννίβας τὴν μὲν κεχαλινωμένην ἵππον καὶ πᾶν τὸ σταθερὸν αὐτῆς κατὰ πρόσωπον τάξας, ἀπήντα τοῖς πολεμίοις. τοὺς δὲ Νομαδικοὺς ἱππεῖς ἀφ' ἑκατέρου μέρους ἡτοίμαζε πρὸς κύκλωσιν.

Cap. XLVII. *Tranſire non potuit pontem, vt extrema reſoluta erant.*] Vet. libri, *Quod extrema.*

Cap. XLVIII. *Circa flumen interceptos.*] Vet. libri, *Citra flumen.*

Eod. *Ad Claſtidium vicum.*] Polyb. Κλαστίδιον πόλιν vocat: mentio Claſtidij eſt in triumpho Marcelli Capitolino.

Cap. XLIX. *Hæc ſicut audita erant, rex Meſſanæ Æmilio prætori, cuius Sicilia erat prouincia, perſcribit.*] Lege ex veteribus libris: *Hæc, ſicut annciata erant Meſſana, rex Æmilio prætori*, Hiero enim Syracuſarum rex fuit, non Meſſanæ, niſi intelligas, Rex Meſſana, vbi tum forte erat, perſcribit. Æmilius hic eſt tertius huius anni prætor.

Eod. *Nequid moram conſcendendi facerent.*] Vet. lib. *Ne quis moram conſcendendi faceret.* Malim tamen: *Nequid.*

Eod. *Extemplo & circa prætorem ad ciuitates miſſi legati.*] *Circa prætorem*, dixit, pro, *à prætore.* Ego malim, *circa à prætore.*

Eod. *Sublatis ornamentis veniebant.*] *Sublatis*, intelligit in altum elatis, vt procul conſpici poſſent. Itaque ſubſequitur oppoſitum, *Demendis armamentis eo tempore conſumpto.*

Cap. L. *Nam vt ſociis naualibus affatim inſtructam claſſem, ita inopem milite habebat.*] Socios nauales hoc loco remiges vocat, eoſque demum, qui nautica minuteria aliqua in naui obeunt, vt lib. 6. *De remigum ſupplemento agi cœptum eſt iaquam rem cum neque hominum ſatis erat ex quo pararentur ſtipendiumque acciperẽt, pecunia quicquam ea tempeſtate in publico eſſet, edixerant conſules, vt priuati ex cenſu, ordinibuſque ſicut antea, remiges darent. Nam, vnde cum pecunia in ærario non eſſet, paratos ſocios nauales:*

paulo poſt ait: *Milites, nautaſque.* Item: *legiones ſocioſque nauales.* Item: *Claſſicos milites, naualeſque ſocios.*

Eod. *Fugam cetera ceperunt.*] Vet. lib. *Cetera fugam ceperunt.*

Eod. *Ei fretum intranti.*] Vet. lib. *Ei fretum intranti.*

Eod. *Quibuſdam volentibus res nouas.*] Veteres libri, *Et quibuſdam.*

Cap. LII. *Conſul alter equeſtri prælio uno, & vulnere ſuo minutus.*] Quid ſi legas, *una.*

Eod. *Duo millia peditum, & mille equites, Numidas pleroſque, miſtos quoſdam & Gallos.*] Polyb. ἑξακισχιλίους πεζοὺς μὲν ἀθροίσας, ἱππεῖς δὲ Κελτοὺς καὶ Νομάδας εἰς χιλίους.

Cap. LIII. *Ultra differri, ac teri tempus.*] Vet. lib. aut teri.

Eod. *Fama prius, deinde recognisum.*] Lege, *recognitum.*

Cap. LIV. *Prandere omnes iuberent.*] Polyb. πᾶσιν ἀριστοποιεῖσθαι παρήγγειλε.

Eod. *Annibal prima luce.*] Polyb. ἅμα τῷ φωτί.

Eod. *Erat forte brumæ tempus, & niualis dies.*] Polyb. οὔσης δὲ τῆς ὥρας περὶ χειμερινὰς τροπὰς καὶ τῆς ἡμέρας νιφετώδους καὶ ψυχρᾶς.

Eod. *Pectoribus tenus.*] ἕως τῶν μαστῶν, Polybius.

Cap. LV. *Balearos locat ante ſigna, leuem armaturam.*] Vet. lib. *Leuemque armaturam.* Sic lib. 22. *Baleares, ceteramque leuem armaturam poſt montes circumducit.* Et Polyb. τοὺς λογχοφόρους, καὶ Βαλιαρεῖς, ὄντας εἰς ὀκτακισχιλίους.

Eod. *Duodeuiginti millia Romanorum erant ſocium, nominiſque Latini XX.*] Polib. *Romanorum XVI. millia* tradit: τοὺς μὲν Ῥωμαίους ἑξακισχιλίους, τοὺς δὲ συμμάχους εἰς δισμυρίους.

Eod. *Nam cum vix per ſe reſiſterent X. millibus equitum quatuor millia, & feſſi Romani pleriſque integris Pœnis.*] Voces *Romani,* & *Pœnis,* abſunt à Vet. lib. & gloſſema ſunt alicuius, qui verba illa, vt ſit, interpretatus eſt.

Cap. LVI. *Veſtigia cedentes ſequentis agminis.*] Vet. li. *Veſtigia ſedentis ſequentis agminis.*

Eod. *Elephantes prope omnes abſumpſit.*] Polyb. ὥστε τὰ μὲν θηρία διαφθαρῆναι πλὴν ἑνός. *abſumpſit.* repoſui ex Vet. lib. cum ante, *conſumpſit*, legeretur.

Cap. LVII. *Emporium prope Placentiam fuit, & opere valido & magno munitum præſidio.*] Vet. lib. *Et opere magno munitum, & valido firmatum præſidio,* valde probo: ſic paulo poſt, *ad firmandum præſidio ſaltum.*

Eod. *Ceterum ne hyberna quidem Romanis quieta erant, vagantibus paſſim Numidis equitibus, & quà his impeditiora erant, Celtiberis, Luſitaniſque.*] Glareanus, *Celtiberos, & Luſitanos* impeditiores, quam Numidus fuiſſe intelligit, in quo vehementer, vt opinor, errat. Senſus enim eſt: Hyberna & Romanis inquieta erant, vagantibus paſſim Numidis equitibus, & eadem his equitibus erant impeditiora, quam Celtiberi, Luſitanique in Hiſpania fuerant. Nam paulo ante dicebat Annibal ad milites: *Satis adhuc in vaſtis Luſitaniæ Celtiberiæque montibus pecora conſectando nullum emolumentum tot laborum vidiſtis.* Cauſam deinde ſubdit, quod omnes vndique clauſi commeatus erant. In Vet. lib. eſt: *Æqueque his impeditiora erant.* vt ſit ſenſus & æque hic hiberna erant impedita propter Luſitanos & Celtiberos vagantes. † Glareanus hic nihil definit, Sigonius autem non eſt auſus in contextum hoc ponere, cum dubitet †.

Eod. *Tranſeuntem Appenninum.*] Vet. lib. *Tranſeuntem autem Appenninum.*

Cap. LIX. *Quo magis ratam fore cum his pacem ſocietatemque crederet, traduntur.*] Senſus eſt: Venienti in Ligures Annibali quæſtores, tribunique Rom. intercepti à Liguribus traduntur, quo ipſe ratam magis ſocietatẽ cum Liguribus crederet contra Romanos, quos tanta iniuria affeciſſent.

Eod. *Sed perculſos hoſtes in caſtra perſequerentur.*] Veteres lib. *Pulſos hoſtes.*

Eod. *Et ſicut æquata ferme pugna erat, ita clade diſceſſum eſt.*] Veteres libri, *Ita pari clade diſceſſum.*

Cap. LX. *Emporiis appuliſſent claſſem.*] Emporium vocat Polibius: περὶ τοὺς κατὰ τὸ καλούμενον Ἐμπόριον τόπους. Item Strabo lib. tertio.

Eod. *Orſus à Lacetanis vſque ad Iberum flumen.*] Vet. lib. *Orſus à Lacetanis omnem oram vſque ad Iberum flumen,* &c.

Eod. *Anno non inſcius erat, eum reliquerat Annibal ad regionis eius præſidium.*] Nemo eſt qui non ſit quæſiturus nomen huius regionis, in qua Anno erat: quod ipſum librariorum vitio prætermiſſum eſt, illud eſt in Vet. libr. *Anno non inſcius in Iberi prouincia erat.* Idque hiſtoriæ veritas quærit. † Badius ita habet, *Hannonis cis Iberum prouincia erat:* Non eſt igitur nomen vllum omiſſum vt imaginatur Sigonius †.

Eod. *Et Stiſſum propinquum caſtris oppidum expugnatur.*] Ciſſam vocat Polyb. ἀποστρατοπεδεύσαντος αὐτοῖς περὶ πόλιν προσαγορευομένην Κίσσαν. Veteres libri, habent, *Sciſſum.*

Eod. *Circa Pyrenæum relictis.*] Vet. lib. *Citra.*

Cap. LXI. *Scipio raptim ad famam nouorum hoſtium agmine acto.*] Vet. libri, *Accito*, acciuit autem agmen Scipio claſſicorum militum, & naualium ſociorum, quos vagos, palanteſque per agros Aſdrubal oppreſſerat, vt in paucos præfectos animaduerteret.

Eod. *Excito deinde Scipione hybernis, hoſtis cis Iberum Tarraconem verſus cedit. Agros Scipio relictos ab auctore defectionis, & Ilergetum gentem cum infeſto exercitu inuaſiſſet.*] Hunc locum, vt vitioſum notat Glareanus, probatque vt ita legatur: *Hoſtis cis Tarraconem Iberum rurſus cedit,* neque Liuij ſententiam aſſequitur, quæ vetuſta in lectione continetur, ita. *Excito deinde Scipione hybernis, toto cis Iberum rurſus cedit agro. Scipio relictam ab auctore defectionis Ilergetum gentem cum infeſto exercitu inuaſiſſet,* &c. Quod enim ait: *Toto cis Iberum rurſus cedit agro,* rectè ait: quia paulo ante idem Aſdrubal trans Iberum ſe receperat: poſt autem digreſſo ab Tarracone Scipione reuerſus eſt: tum excito hybernis Scipione, toto rurſus ceſſit agro. Quia vero trans Iberum Aſdrubal ſe receperat, propterea ait: Ilergetum gentem, quam ad defectionem ſolicitauerat, ab auctore defectionis Aſdrubale relictam fuiſſe. Nam Ilergetes cis Iberum ſunt. † Recte hic Glareanus dubitauit, quod ex vetuſto exemplari Sigonius oſtendit †.

Cap. LXII. *Hominum ſpecies procul candida veſte viſas, nec tamen illis congreſſos.*] Vet. lib. alij: *nec tamen cum illis congreſſos,* alij *nec tamen cum vllo congreſſos.*

Eod. *Subinde aliis procurandis prope ciuitas operata fuit.* Veteres lib. *Prope tota ciuitas.*

Cap. LXIII. *Vt is exercitus Idibus Martiis Arimini eſſet in caſtris.*] Vet. lib. *Adeſſet.*

Eod. *Memori veterum certaminum cum patribus, quæ tribunus plebis, & quæ poſtea conſul, prius de conſulatu, qui abrogabatur, deinde triumpho abuerat.*] De C. Flaminij tribunatu ſic Cicero in Catone: *Q. Fabius Max. Cos. iterum Sp. Caruilio collega quieſcente, quod potuit C. Flaminio tribuno plebis reſtitit agrum Picenum, & Gallicum viritim contra ſenatus auctoritatem diuidendi.* Et Valerius libro quinto, *Cum Flaminius tribunus plebis legem de Gallico agro viritim diuidendo promulgaſſet inuito ſenatu precibus, minisque eius reſiſtens, ac ne exercitu quidem aduerſus ſe conſcripto, ſi in eadem ſententia perſeueraret, abſterritus, poſtquam pro roſtris eã legem iam ferenti pater manum iniecit, priuato fractus imperio deſcendit è roſtris.* Idem Polybius libro ſecundo, Cicero de Iuuent. De conſulatu & triumpho C. Flaminij ſcribit Plutarchus in Marcello: Cum augures vitio creatos eſſe cõſules Flaminium, Furiumque dixiſſent, ſenatum eos extemplo ab exercitu literis emiſſis reuocaſſe: receptas autem literas Flaminium non ante aperuiſſe, quam hoſtes fuderit. Itaque ei redeunti triumphum vix conceſſum eſſe, ipſum priuatum triumphaſſe, atque conſulatu ſe abdicare coactum eſſe. Triumphauit de Gallis.

Eod. *Ob hoc ratus auſpiciis ementiendis, Latinarumque feriarum mora.*] Olim *emendis*, inde *ementiendis*, factum eſt: in quo verbo ſenſus eſt ille quidem, verum non germanus. Quis enim erat, cuius intereſſet *ementiendi*: conſulto auſpiciis C. Flaminium conſulem retinere, ne aduerſus ferociſſimum hoſtem exiret? Malim ego *petendis*, aut *repetendis*, vt eſt in Vet. aliquot libris, id eſt, cum ſecunda non apparuerunt iterum atque iterum vſque ad perlitationem petendis. Quam rem ſæpiſſime conſules ne extemplo in prouincias ire poſſent, moratam eſſe alibi tradit, vt lib. 41. Cn. Cornelio, & Q. Petilio conſulibus.

Eod. *Conſulem ante in auſpicato factum, reuocantibus ex ipſa acie dis atque hominibus non paruiſſe, & nunc comitia prætorum & Capitolium & ſolennem votorum nuncupationem fugiſſe.*] C. Flaminium vt dixi, vitio conſulem factum à ſenatu à bello

quod cum Gallis gerebat, reuocatum non paruiſſe tradit Plutarchus. Quod cum ita ſit, ſane intelligi poteſt, cum in veteribus libris *Conſcientias pratorum*, inueniatur, *conſcientia prateritorum*, eſſe emendandum. Nam quo modo vulgo legitur; *Comitia pratorum*, nihil ad rem pertinet, neque enim initio conſulatus habebantur comitia prætoribus creandis, ſed eodem fere tempore, quo conſulibus. Hanc autem lectionem excogitauit Paulus Manutius, qui in eiuſmodi veterum auctorum mendis, & dignoſcendis, & emendandis maxima cum ingenij & doctrinæ laude iam per multos annos verſatur.

Eod. *Ne ſenatum inuiſus ipſe, & ſibi vni inuiſum.*] Vet. lib. *inuiſus ipſi.*

IN EPITOMEN LIB. XXII.

CVm in iniquo loco conflixiſſet.] Veteres libri, *Cum iniquo.*

Idemque milites facere commilitionibus iuſſit.] Veteres libri non habent vocem, *commilitionibus.*

Effecitque vt omne minime relictum iri à ſe Italiam.] Vet. lib. *Vt omnes non relictum iri.*

IN LIBRVM XXII.

CAP. I. *Iam ver appetebat.*] Polyb. ἐνισταμένης δὲ τῆς ἐαρινῆς ὥρας.

Eod. *Cum Annibal ex hybernis mouit.*] Annibalem in Gallia hybernaſſe tradit Polybius, itaq; tacite intelligendum eſt apud Liuium, eundem ex Liguribus, in quos profectum eſſe ante dixit, in Galliam in hyberna ſe recepiſſe.

Eod. *Viderent hybernis.*] Vet. lib. *Hybernis viderent. Duos ſe conſules creaſſe, vnum habere, quod enim illi iuſtum imperium, quod auſpiciū eſſe magiſtratus, id à domo, publicis, priuatiſque penatibus, Latinis feriis actis, ſacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, ſecum ferre, nec priuatum auſpicia ſequi, nec ſine auſpiciis profectum in externo ea ſolo noua, atque integra concipere poſſe.*] Nihil erat cauſæ, cur hoc loco verbum facerem, niſi Glareanus admoneret nos, vt videremus, quemadmodum Liuius paucis verbis pugnantia diceret. Nam paulo ante dixiſſe, Flaminium Capitolium & ſolemnem votorum nuncupationem fugiſſe, ne Latinas indiceret, ne Ioui Latiali ſolenne ſacrum in monte Albano faceret, nunc autem dicere: Eundem feriis Latinis actis, ſacrificio in monte perfecto, votis in Capitolio rite nuncupatis, ab domo iuſtum imperium, atque auſpicium ferre. Quamobrem cogor ego quoque te, ceteroſque admonere, vt videant, ne temere Glareano aſſentiantur, neque enim ipſum vt alias Liuianam ſententiam percepiſſe. Hoc enim ait Liuius: Quæſtum eſſe ſenatum, duos conſules creaſſe, vnum habere: conſulem enim eum demū eſſe, qui iuſtum imperium & auſpicium habeat: Iuſtum autem imperium & auſpicium à domo & à priuatis, publiciſq; penatibus ſecum in prouinciam ferri Latinis feriis actis, ſacrificio in monte Albano perfecto, votis in Capitolio nuncupatis. Quæ quia non fecit Flaminius, propterea conſulem non eſſe habendum, ſed priuatum. Auſpicia enim non ſequi priuatum, qui autem ſine auſpiciis ſit profectus, vt Flaminius, ea in externo ſola noua, atque integre ipſum non poſſe concipere.

Eod. *Scuta duo ſanguinem ſudaſſe.*] Hæc eadem prodigia tradit Plutarchus in Fabio: θυρεούς τε ἀφ' αὐτῶν αἷμα τι ἱδρῶσι διαβρόχους. Et quod ait: *Ardentes lapides cælo cecidiſſe*, ille vertit: καὶ λίθους ἐκ τοῦ ἀέρος διαπύρους, καὶ φλεγομένους εἰρέθη. Et quod ait: *Antij metentib. cruentas in corbem ſpicas cecidiſſe*, ille vertit: καὶ θεριζόντων περὶ Ἄντιον κεῖρεσθαι. In veteribus autem libris eſt, *Et in Antij agro metentibus.*

Eod. *Faleriis cælum findi viſum, velut magno hiatu, quaque patuerit ingens lumen effulſiſſe: ſortes ſua ſponte attenuatas, vnamque excidiſſe ita ſcriptam. Mauors telum ſuum concutit.*] Sic libro vigeſimo primo, *Cære ſua ſponte ſortes extenuatas.* Præneſtinæ autem quædam ſortes inter ceteras fuerunt, quæ Perfracto quodam ſaxo erupiſſe dicuntur: id eſt, in robore inſculptæ, priſcarum literarum notæ, auctor Cicero libro ſecundo, de Diuin. Plutarchus autem vbi hoc prodigium tradat; tabulas quaſdam cælo decidiſſe ait, quarum vna has literas haberet, ſic enim ait: τῷ δὲ ὑπὲρ Φαλερίων οὐρανοῦ ῥαγῆναι δόξαντος, ἐκπεσεῖν καὶ διασπαρῆναι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ τούτων ἐν ἑνὶ γεγραμμένον ἦν τοῦτο κατὰ λέξιν. Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει.

Eod. *Lunaque inter imbrem cadentis.*] lego, *candentis*, id eſt, ſplendentis, præceſſit enim *ſpeciem cæli ardentis.*

Eod. *Decemuiri ardea in foro maioribus hoſtiis ſacrificarunt.*] Mirum Glareano videtur, Decemuiros Ardeæ ſacrificaſſe cum ibi prodigium nullum extitiſſet, neque videt idem cum alias factum, tum libro 42. *Nam cum columna roſtrata Romæ fulmine diſcuſſa eſſet, Decemuiri luſtrandum oppidum, ſupplicationem, obſecrationemque habendam victimis majoribus ſacrificandum & in Capitolio Romæ, & in Campania ad Mineruæ promontorium renunciarunt.*

Eod. *Decembri iam menſe ad ædem Saturni Romæ immolatum eſt, &c. ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatam, populuſque eum diem feſtum habere; ac ſeruare in perpetuum iuſſus.*] Hic dies ad XIV. Kal. Ianuar. fuit, auctore Macrobio lib. 1.

Cap. XI. *Maxime Gallos, ſi tædio labori, longaque viæ, vt eſt mollis ad talia gens, dilaberentur cohibeatem.*] Succenſere ſolet Liuio Glareanus, vt falſam Gallis molliciem adſcribenti, idq; immerito. † Non ſolum hoc loco male Gallis loquitur Liuius, ſed & in prima Decade multis in locis. † Hæc enim ille ab aliis ſumpſit, vt à Polybio, καὶ μάλιστα τῆς τῶν Κελτῶν μαλακίας καὶ φυγοπονίας, ἵν' ἐὰν κακοπαθοῦντες τρέψωνται πάλιν εἰς τὰ οἴκοι, κωλύῃ. Et paulo poſt: *Galli neque ſuſtinere ſe prolapſi, neque aſſurgere ex voraginibus poterant*, &c. Polybius: οἱ δὲ Κελτοὶ δυσχερῶς μὲν εἰς τοὔμπροσθεν προύβαινον διατεταραγμένοι, καὶ διαπεπτωκότες εἰς βάθη τῶν ἰλύων, ἀπείρως δὲ καὶ ταλαιπώρως ὑπέφερον τὴν κακοπάθειαν. §

Eod. *Maximeque omnium vigiliæ conficiebant, per quatriduū iam & tres noctes toleratæ.* Polyb. πάντες μὲν οὖν ἐταλαιπώρουν καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἀγρυπνίαν ἕως ἂν ἑξῆς ἡμέρας τέτταρας, καὶ τρεῖς νύκτας συνεχῶς δι' ὕδατος ποιούμενοι τὴν πορείαν.

Eod. *Iumentorum itinere toto proſtratorum paſſim acerui, tantum quod extaret aqua quærentibus ad quietem parui temporis neceſſarium cubile dabant.* Hoc ita Polybius: τὰ δὲ ὑποζύγια αὐτοῦ τὰ πλεῖστα πίπτοντα διὰ τοὺς πηλοὺς ἀπώλλυτο, μίαν παρεχόμενα χρείαν ἐν τῷ πεσεῖν τοῖς ἀνθρώποις. καθεζόμενοι γὰρ ἐπ' αὐτῶν, καὶ τῶν σκευῶν σωρηδὸν, ὑπὲρ τὸ ὑγρὸν ὑπερεῖχον καὶ τῷ τοιούτῳ τρόπῳ βραχὺ μέρος τῆς νυκτὸς ἀπεκοιμῶντο.

Eod. *Ipſe Annibal æger oculis, &c. elephanto, qui vnus ſuperfuerat, quod altius ex aqua extaret, vectus.*] Veteres libri, *Ab aqua.* Ceterum hoc ſic Polybius: Ἀννίβας δὲ μόνος ἐπὶ τοῦ περιλειφθέντος θηρίου διεσώθη μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας περιαλγὴς ὢν διὰ τὴν βαρύτητα τῆς ἐπενεχθείσης ὀφθαλμίας αὐτῷ. δι' ἣν καὶ τέλος ἐστερήθη τῆς μιᾶς ὄψεως.

Cap. III. *Feſulæ.*] Polyb. & ceteri, Φαισόλας. vocant. Quare non eſt omittenda diphthongus.

Eod. *Sicut olim Camillum ab Veiis.*] Hac de re lib. 6.

Eod. *Conſulem ſuper caput, lapſum effudit.*] Plutarchus in Fabio: Φλαμίνιος ἐξέπεσε κατενεχθεὶς εἰς κεφαλήν.

Cap. V. *Annibal quod agri eſt inter Cortonam vrbem, Tharaſymenumque lacum.*] Polybius Κορτώνιον vocat, quam Liuius *Cortonam*, neque eſſe in Polybio menda poteſt, cum Stephanus ſcribat, Κορτώνιος πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Κορτωνῖνος, ὡς Σατορνῖνος. Πολύβ. γ. Et alio loco ſcribat Κόρτωνα vrbem eſſe Etruriæ. Thraſimenum, Græci Ταρσιμένην λίμνην appellant.

Eod. *Baleares, ceteramque leuem armaturam.*] Polybius, vt ante. τοὺς δὲ βαλιαρεῖς, καὶ λογχοφόρους.

Eod. *Non illa ordinata per principes, haſtatoſque ac triarios.*] De hoc loco dicam in 30. librum.

Eod. *Vt cum terramotum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes proſtrauit.*] Hæc verba vertit Plutarchus in Fabio, vbi huius terræmotus meminit.

Cap. VI. *Circa conſulem tamen acrior, infeſtiorque pugna eſt.*] Vet. lib. *Pugna erat.*

Eod. *Donec Inſuber equum. Ducario nomen erat, faciemque noſcitans.*] Probo magis antiquam lectionem, quam alij reſpue-

runt: *Donec Inſuber eques, Ducario nomen erat, faciem noſcitans.* Cur probem, hæc cauſa eſt, quod in *Eques*, dicturus Liuius fuiſſet, *Inſuber quidam*, dixiſſet: præterea, *faciem equumque*, potius dixiſſet. ſi modo veriſimile eſt, Flaminium, ex quo cum Gallis Inſubribus bellauit per annos VII. eodem ſemper equo eſſe viſum. Polybius à quibuſdam Gallis eum interfectum tantummodo ſcribit. Equitem certe eum fuiſſe, appatet ex eo, quod ſubdit: *Subditiſque calcaribus equo, per confertiſſimā hoſtium turbam impetum facit.*

Eod. *Triarij obiectis clypeis arcuere.*] Vet. lib. *Scutis.* Recte, eſt enim ſcutum Triariorum. libro 8. *Triarij ſub vexillis conſidebant, ſcuta innixa humeris tenentes.*

Cum in tumulo quodam conſtitiſſent.] Polyb. ἀποχωρήσαντες εἰς τινα λόφον τοῦ ...

Eod. *Neque perſpicere præ caligine poterant.*] Vet. libri, *Proſpicere.*

Eod. *Cum caleſcente ſole depulſa nebula aperuiſſet diem.*] Vet. lib. *Diſpulſa.*

Cap. VII. *Quindecim millia Romanorum in acie cæſa ſunt.*] Polybius: ἔπεσον τῶν Ῥωμαίων εἰς μυρίους καὶ πεντακισχιλίους.

Eod. *M. Pomponius prætor, Pugna, inquit, magna victi ſumus.*] Polybius: διόπερ ἅμα τῷ τὸν στρατηγὸν εἰπεῖν τοῖς ὄχλοις ἀπὸ τῶν ἐμβόλων, ὅτι λειπόμεθα μάχῃ μεγάλῃ. Plutarchus autem ſic: εἰς ταὐτὸ ἐλθὼν ὁ στρατηγὸς Πομπώνιος, ... νενικήμεθα ὦ ἄνδρες Ῥωμαῖοι μεγάλῃ μάχῃ.

Cap. VIII. *Cum C. Centonio proprætore.*] Vet. lib. quidam *Centronio.* Polyb. Γάιον Κεντήνιον vocat, & *C. Centenium* Probus. Paulo poſt, C. Centenij Penulæ etiam meminit, vt dubitandū non ſit, quin *C. Centenio* ſit legendum.

Eod. *Ac cum pro penatibus, pro vrbe dimicandum eſſe quando Italiam tueri nequiuiſſent.*] Reſtituenda eſt priſca lectio. *Cum pœnis pro vrbe dimicandum eſſe.* Vrbis enim tantum mentio facienda eſt, quia dixit: *Negotium ab ſenatu datum, vt muros, turreſque vrbis firmarent.* Si penatum autem mentionem facturus fuiſſet, *pro vrbe, pro penatibus*, dixiſſet, vt oratio rhetorice creſceret.

Cap. IX. *Per vmbriam vſque ad Spoletum venit. inde, &c. in agrū Picenum auertit iter.*] Vmbriæ tantum, & Piceni meminit Polybius: διανύσας δὲ τὴν τῶν Ὄμβρων καλουμένην χώραν καὶ τὴν τῶν Πικέντων ἧκε δεκαταῖος πρὸς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν τόπους.

Eod. *Prætutianum, Adrianumque agrum: Marſos inde Marucinoſque & Pelignos deuaſtat, circaque Arpos, & Luceriam proximam Apuliæ regionem.*] Polybius ita: ἀναζεύξας τε, καὶ καταφθείρας τήν τε Πραιτεττιανὴν καὶ τὴν Ἀδριανὴν ἔτι δὲ τὴν Μαρρουκίνην καὶ Φρεντανὴν χώραν, ὥρμησε ποιούμενος τὴν πορείαν, ὡς ἐπὶ τὴν Ἰαπυγίαν. Ἀρξάμενος δὲ ταύτης ἀπὸ Λουκερίας οὔσης ἀποικίας Ῥωμαίων ἐπόρθει τὴν χώραν· μετὰ δὲ ταῦτα στρατοπεδεύσας περὶ τὸ καλούμενον Ἰβώνιον, ἐπέτρεχε τὴν Ἀργυριππανὴν, καὶ πᾶσαν ἀδεῶς ἐλεηλάτει τὴν Δαυνίαν.

Eod. *Q. Fabius Maximus Dictator, quo die magiſtratum iniit.*] In quibuſdam Vet. lib. inueni, *Dictator iterum.* Quam vocem credo conſulto ab iſtis emendatoribus eſſe omiſſam, quod neſcirent Fabium ante alteram dictatura eſſe functum: itaque exſtare inſcriptionem quandam in libro Epigrammatum Antiq. vrbis eiuſmodi: Q. FABIVS MAXIMVS DICTATOR BIS COSS. V. CENSOR INTER REX II. ÆD. CVR. &c. Fuit autem dictator paulo ante hoc bellum cum C. Flaminio magiſtro equitum. vt ait Valerius lib. 1. cap. 1. *Occentus ſoricis auditus Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magiſterium equitum deponendi cauſam præbuit.* † Liuius ſane hic fatetur vetuſtate prope oblitos homines eius imperij. quid ad hoc dicis †?

Eod. *Plus negligentia ceremoniarum, auſpiciorumque temeritate, quam inſcitia peccatum.*] Corrige ex Veter. libr. *Plus negligentia ceremoniarum, auſpiciorumque quam temeritate atque inſcitia peccatum.* *Negligentia* dixit, id eſt. *deſpicientia*, atque *neglectu.* Plutarchus: ὀλιγωρίᾳ καὶ περιφρονήσει τοῦ στρατηγοῦ περὶ τὸ δαιμόνιον. Et Liuius infra: *Clades per temeritatem atque inſcitiam ducum acceptas.*

Eod. *Ver ſacrum vouendū.*] Feſtus: *Ver ſacrum vouendi mos fuit Italis. magnis enim periculis adducti vouebant, quæcūque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia, immulaturos. Sed cum crudele videretur, pueros ac puellas innocentes interficere. perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant*, & Siſenna hiſt. libr. 4. ait: *Quondam Sabini feruntur voviſſe ſi res communis melioribus locis conſtitiſſet, ſe ver ſacrum facturos*: ex Nonio Plutarchus votas eſſe capras, ſues, oues, boues. quotquot vere proximo orirentur, ait: itemque Liuius. Itaq; quoniam in Vet. libri, legi. *Suillo, ouillo, caprino, ouillo grege*, ſuſpicor legendum: *ſuillo, ouillo, caprino, bouillo grege*: nam Plutarchus vertit. αἰγῶν, συῶν, προβάτων, βοῶν. Extremam enim vocem, *ouillo*, quia temere iteratam eſſe emendatores duxerunt omnino repudiandam eſſe duxerunt.

Eod. *M. Æmilium prætorem ex collegij pontificum ſententia, omnia ea, vt mature fiant, curare iubet.*] Hoc loco *ver ſacrum* iuſſu ponrificum votum eſſe ait à *M. Æmilio* prætore. At lib. 33. vbi de hoc tempore, & de hac re loquitur à *Mammula*, vt aut vitium ſit librarij, aut auctoris. *Ver*, inquit, *ſacrum ex pontificum iuſſu facere, quod A. Cornelius Mammula prætor vouerat*: fuiſſe autem hoc anno Mammulam prætorem hunc intelligi poteſt, quod anno inſequenti Sardiniam pro prætore obtinuiſſe tradiiut.

Cap. X. *L. Cornelius Pont. Max.*] Hic eſt *L. Cornel. Lentulus Caudinus*, qui conſul cum *Q. Fuluio Flacco* fuit inter primum & ſecundum bellum Punicum: ante hunc fuerat *L. Cæcilius Metellus*, is qui Palladium ex incendio rapuit: ante Metellum *Ti. Coruncanius*, qui primus è plebe factus eſt.

Eod. *Datum donum duit populus Rom.*] Quid ſi, *votum donum duit?*

Eod. *Eiuſdem rei cauſa ludi magni voti.*] Veteres libri. *Et eiuſdem rei cauſa.*

Eod. *Æris* CCCXXXIII. *millibus triente.* Hoc ſi vertit Plutarchus: ἐπὶ σεστερτίοις τριακοσίοις τριάκοντα τρισὶ, καὶ δηναρίοις τριακοσίοις τριάκοντα τρισὶ, ἔτι τριτημόριον προσόντος.

End. *Tum ædes vota Veneri Erycinæ, ædem Q. Fabius Maximus Dictator vouit.*] Caſtiga ad fidem optimi cuiuſque libri. *Tum ædes vota. Veneri Erycinæ ædem Q. Fabius Maximus Dictator vouit.* Nam ſequitur: *Menti ædem Attilius prætor vouit.*

Eod. *Menti ædem Attilius prætor vouit.*] Satis conſtat *T. Otacilium Craſſum* prętorem hoc anno fuiſſe. Itaque anno ſequenti Liuius *T. Otacilium* proprætorem vocat. Eundem etiam *T. Otacilium Craſſum Mentis ædem dedicaſſe* idem tradit li. 23. Quare dubium non eſt, quin & hic, & infra alibi mendoſe ſit *Attilius*, pro *T. Otacilius.*

Cap. XI. *Tum de bello reque publica.*] Vet. lib. *deque rep.*

Eod. *Viatorem miſit. qui conſuli nuntiaret, vt ſine lictoribus ad dictatorem veniret.*] Idem tradit Plutarchus in Fabio.

Eod. *Vetuſtate iam prope oblitos eius imperij.*] Paucis ante annis idem *Fabius Dictator* primum fuerat & ante eum *L. Cæcilius Metellus*, ante Metellum *C. Duilius*, ante Duilium, *Ti. Coruncanius*, ante Coruncanium, *A. Atilius Calatinus*, qui ante annos XXXIII. fuit itaque minor eum, ciues, ſocioſque vetuſtate oblitos fuiſſe Dictatorij imperij, ſcribere, niſi forte intelligendum eſt oblitos fuiſſe *Dictatoris rei gerendæ cauſa* creati. Nam poſt *A. Attilium Calatinum* omnes comitiorum habendorum cauſa vſq; ad *Q. Fabium Maximum Dictatorem iterum* creati ſunt: ex Capi. tabulis.

Cap. XII. *Annibal ex Arpis in Samnium tranſit.*] Vet. libr. *ex Arpinis.* Sunt autem *Arpini Arporum populi.*

Eod. *Teleſiam vrbem capit.*] Polyb. Οὐετασίαν. Ego tamen nihil mutandum puto.

Cap. XIII. *Vt ſe in agrum Caſinatem ducat.*] Sic Plutarchus: ἠξίωσε πρὸς τὸ Κασινᾶτον.

Cap. XIV. *Per æſtiuos ſaltus devioſque colles.*] Vet. lib. *Calles.* Sic paulo poſt: *Prope inuiis callibus ad Dictatorem profugerunt.*

Eod. *Dictator vnicus in rebus aſſlictis quæſitus.*] Veter. lib. *Afflictis.*

Eod. *Modo conſuli Lutatio quæ res aliqua quam vel celeritas victoriam dedit.*] *Lutatio* ex Græcis & Capito. tabulis. Malim etiam ita legi: *Modo C. Lutatio.* Sic enim paulo ante dixit. *L. Papirius Curſor*, abſque nomine magiſtratus, quem, magiſtratum ſi nominaſſet *C. Lutatio conſuli* potius dixiſſet, vt ſemper alias. Sic alibi oſtendam *proconſul Scipio*, pro *P. Scipio* eſſe mendoſe, neque vero in hac re conſulatus nomen momentum aliquod ad augendum habet. *C. Lutatium Catulum* intelligit, qui bello Punico primo confecto triumphauit.

Succeſſit tamen Pœnus cum expeditis equitibus, atque ad laceſſen-

dam hoſtem raptim, & procurſando recipiendoq; ſeſe pugnauere.] Vet.lib. *Cum expeditis equitibus ad laceſſendum hoſtem carptim:* vt ſi ſentiis: Pœnus cum equitibus ad laceſſendum carptim hoſtem paratis ſucceſſit. Itaque procurſando, recipiendoque ſeſe pugnarunt.

Cap xvi. *Linterni.*] Vet.lib. & Græci, *Literni.*

Eod. *Maxime ſi poſſet, ſuper ſaltus ab hoſte inſeſſos.*] Vet.lib. *Super ſaltu ab hoſte inſeſſo.* Recte. Nam paulo ante dixit: *Minucius ſe coniunxerat Fabio ad firmandum præſidio ſaltum.* Item. *Qui ad tranſitus ſaltus inſidendos locati erant.* Saltum vocat Polybius: τὰ στενὰ, id eſt, *anguſtias.*

Cap.xviii. *Gerionem peruenit.*] Polybius Γερούνιον vocat Stephanus: Γερουνίον πόλις Ἰταλίας Καρχηδόνιοι δὲ χειμῶνα πεντήκοντα ἡμερῶν τὸ ἐθνικὸν Γερουνῖνος. In Vet.lib. ſæpe eſt *Gerionum.*

Eod. *Extracta prope æſtate per ludificationem hoſtis.*] Vet. lib. *Exacta,* Sic paulo poſt: *Per variam fortunam dici maiore parte exacta.*

Eod. *Sacrorum cauſa Romam reuocatus.*] Plutarchus τῶν ἱερῶν καλούντων αὐτὸν εἰς Ῥώμην ἐπί τινας θυσίας.

Eod. *In Hiſpania, terra marique cœptum bellum eſt.*] Vet.lib. *Pugnari cœptum.*

Cap. xix. *Quadraginta nauium claſſem Himilconi tradit.*] Polybius: Ἀσδρούβας ἀνάχθη τετταράκοντα ναυσὶ καταφράκτοις ἐκ Καρχηδόνος, προχειρισάμενος Ἀμίλκαν ἐπὶ τοῦ ναυάρχου. Ex his verbis *Amilcarem* præfectum eſſe, non *Imilconem* apparet, niſi vitium ſit apud Polybium.

Eod. *Deinde minus terra propter ingentem famam nouorum auxiliorum concurrere auſus.*] Vet.lib. *Occurrere.* Verè. Sic enim Polybius: τὸ μὲν κατὰ γῆν ἀπαντᾶν ἀπεδειλίασε.

Eod. *Quinque & triginta nauium claſſe.*] Polybius: συμπληρώσας δὲ πέντε καὶ τριάκοντα ναῦς.

Eod. *Altero ab Tarracone die ad ſtationem xx. millia paſſuum diſtantem ab oſtio Iberi amnis peruenit.*] Legendum x. *millia,* ex Vet.lib. & ex Polybio, qui lxxx. ſtadia ait: καὶ κατῆρε δευτεραῖος ἐκ Ταρράκωνος, εἰς τοὺς περὶ τὸν Ἴβηρα ποταμὸν τόπους. καθορμισθεὶς δὲ τοῦ ποταμοῦ ἐν ἀποστάσει περὶ τοὺς ὀγδοήκοντα σταδίους.

Eod. *Cum alij reſoluunt oras, aut ancoram vellunt, alij ne quid,* &c.] Vet.lib. *Cum alij reſolutis loris ancoram vellunt,* &c.

Eod. *Duæ tamen primo concurſu captæ erant.*] Vet.lib. *primo occurſu.*

Cap.xx. *Proræ littore illiſæ.*] Vet.lib. *Littori.*

Eod. *Adv. & x. naues ex xxx. cepere.*] Puto legendum. *ex* xl. tot nauium claſſis Aſdrubali fuit, vt ante ſcripſit. xxv. captas item tradit Polybius. † Hæc à Glareano ante annotata fuerunt. †

Eod. *Tecta quoque coniuncta muro.*] Vet.lib. *Iuncta.*

Cap. xxii. *Magnoque commeatu aduecto.*] Vet.lib. *Aduecto.*

Eod. *Abelux erat Sagunti nobilis Hiſpanus.*] Hic à Polybio dicitur Ἀβίλυξ, conſtantiſſima librisfide, vt *Abilux* vocandus eſſe videatur.

Cap.xxiii. *Argenti pondo bina et ſelibras.*] Plutarch. vertit: δραχμὰς πεντήκοντα καὶ διακοσίας.

Eod. ccxlvii. *cum plures Romanos, quam Pœnos recepiſſet.*] Plutarchus, *ducentos quadraginta* vertit. Vereor ne ſcriptum fuerit, ccxlii.

Eod. *Argentumq; pro eis debitum, &c. tardius rogaretur.*] *Rogaretur*, pro *erogaretur*, dictum videtur.

Eod. *Cum vrbs capta atque incenſa ab ſe vſum horreorum pauca reliquerat tecta.*] Vet.lib. *In vſum horreorum*, Polybius: βουλόμενος σιτοβολεῖα χρήσασθαι πρὸς τὴν παραχειμασίαν.

Cap.xxiv. *Duo ferme à Gerione millia.*] Polybius.: ἀπὸ δὲ τῆς πόλεως διακοσίους σταδίους.

Eod. *Numerij Decimi Samnitis deinde aduentu prœlium reſtitutum.*] Vet.lib. eſt, *interuentu.* Porro autem *Decimij* legendum eſt. Nam *Numerius* prænomen eſt. *Decimorum* autem ſæpe mentio ſit.

Cap. xxv. *Cum læta ciuitate dictator vnus, nihil nec famæ, nec literis crederet, vt ſi vera omnia eſſent, ſecunda ſe magis, quam aduerſa timere diceret.* Vet.lib. *Et, vt vera omnia eſſent.*

Eod. *M. Metellus tribunus plebis.*] Hic à Plutarcho Μετίλιος dicitur. Fuit autem etiam gens *Metilia*, è qua tribuni pleb. multi, atque ita puto legendum. Nam *M. Catilius Metellus* dixiſſet, vt infra *L. Catilium Metellum* deſerendæ Italiæ auctorem nominabit. Huius *M. Metilij* legati cum *C. Latorio* meminit etiam libro 25.

Eod. *Id vnum enimuero ferendum eſſe negat.*] *Vnum* abeſt à veteribus libris.

Eod. *Duos prætores Siciliæ atque Sardiniæ occupatos.*] *T. Otacilius Craſſus Siciliam. A. Cornelius Mammula Sardiniam* obtinuiſſe videtur. *Cornelius* quidem ſequenti anno in ea pro prætore fuit, & *Craſſus* claſſem hoc anno obtinuit. Reliqui duo prætores fuerunt, *M. Æmilius.* qui vrbanam. *M. Pomponius Matho* qui peregrinam prouinciam obtinuit.

Eod. *Sed Campanum, Calenumq;.*] Vet.lib. *Et campanum, Calenumque.*

Eod. *Exercitum cupientem pugnare.*] Vet. lib. *Verum etiam exercitum cupientem pugnare.*

Eod. *Se ſano tempore, & ſine ignominia ſeruaſſe exercitum.*] Vet. lib. *Se in tempore, & ſine ignominia.* Eſt autem, *in tempore,* idoneo tempore, vbi tempus tulit ac poſtulauit. Quod qui ignorarunt, *ſano* addiderunt.

Cap.xxvi. *Conſule Creato M. Atilio Regulo.* Polybius. Μάρκον Ῥηγοῦλον. vocat. Iterum creatum eſſe poſt ſcribit Liuius: Fuerat enim ante conſul cum P. Valerio Flacco.

Eod. *C. Terentius Varro, qui priore anno prætor fuerat.*] Huius prætoris priore anno non meminit. Vrbanus autem prætor fuit.

Cap. xxvii. *Quod nulla memoria habeat annalium.*] Sic Plutarchus: πρᾶγμα μήπω πρότερον ἐν Ῥώμῃ γεγονός. Id eſt, vt magiſter equitum æquo eſſet cum dictatore imperio. Item Polybius: ὃ πρότερον οὐδέ ποτε συνεβεβήκει κατὰ Ῥωμαίους.

Eod. *Sibi communicatum cum illo, ſed non ademptum imperium eſſe.*] *Sed*, vacat, vt ex Vet.lib.

Cap. xxviii. *Tumulus erat inter caſtra Minucij, Pœnorumque: eum, qui occupaſſet, haud dubie iniquiorem erat hoſti locum facturum*] Vet.lib. *Minucij, et Pœnorum, quem qui occupaſſet* Plutarchus ad verbum ita: ἦν δέ λόφος κατὰ μέσον, καταληφθῆναι μὲν οὐ χαλεπὸς, &c.

Eod. *Prima et quarta Minucio, ſecunda & tertia Fabio euenerunt.*] Plutarchus primam & quartam legionem Fabio, ſecundam & tertiam Minucio eueniſſe tradit.

Eod. *Principio leuem armaturam dimittit, deinde conſerto agmine mittit equites.*] Plutarchus ſic vertit: πρῶτον μὲν ἀπέστειλε τὴν κούφην στρατιὰν ἔπειτα τοὺς ἱππεῖς. τέλος δ' ὁρῶν τὸν Ἀννίβαν παραβοηθοῦντα τοῖς ἑαυτοῦ, πάσῃ δυνάμει κατέβαινε συντεταγμένος.

Cap.xxix. *Ita eſt, inquit, non celerius quam timui deprehendit fortuna temeritatem.*] Hic Plutarch. ὦ Ἡράκλεις, θᾶττον μὲν ἢ ἐγὼ προσεδόκων, βράδιον δ' ἢ αὐτὸς ἔσπευδεν ἑαυτὸν ἀπολώλεκε.

Eod. *Sæpe ego inquit, audiui milites eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit, ſecundum eum, qui bene monenti obediat, qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenii.* Hanc ſententiam expreſſit ex Heſiodo, qui ait:

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ,
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήτ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Hanc eandem ſententiam ſic vertit Cicero pro Cluentio: *Sapientiſſimum eſſe dicunt eum, cui quod opus ſit ipſi, veniat in mentem, proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperat. In ſtultitia contra eſt. Minus enim ſtultus eſt is, cui nihil in mentem venit, quam ille, qui quod ſtulte alteri venit in mentem, comprobat.* Eandem ita adumbrauit Plutarchus: τὸ μὲν ἁμαρτεῖν μηδὲν ἐν πράγμασι μεγάλοις, μεῖζον ἢ κατ' ἄνθρωπόν ἐστι, τὸ δ' ἁμαρτάνοντα χρήσασθαι τοῖς πταίσμασι διδάγμασι πρὸς τὸ λοιπὸν ἀνδρὸς ἀγαθοῦ καὶ νοῦν ἔχοντος.

Cap.xxx. *Tandem eam nubem, quæ ſederet in iugis montium ſollicitatam procella imbrem dediſſe.*] Plutarchus: τὴν ἐπὶ τῶν ἄκρων ταύτην καθημένην νεφέλην ὅτι μετὰ ζάλης ποτὲ, καὶ καταιγίδων ὄμβρον ἐκρήξει.

Cap.xxxi. *Meninge inſula vaſtata, & ab incolis, ne eius circa eam ne & ipſorum vreretur, diriperetur[illegible], ager, decem talentis argenti acceptis.*] Hanc inſulam *Cercinam* vocat Polybius: μετὰ δὲ ταῦτα καταπλεύσας τῆς Λιβύης εἰς τὴν τῶν Κερκιναιῶν νῆσον, καὶ λαβὼν παρ' αὐτῶν χρήματα ἐφ' ᾧ μὴ πορθῆσαι τὴν χώραν ἀπηλλάγη. In veter.lib. *Menia* inſula eſt: duæ hæ finitimæ inſulæ ſunt ad Sirtim.

Eod. *Cum à ſequentibus palantes.*] Malim, vt ante, *frequentib.* quia præceſſit, *Inſulae cultorum egenteis.* & poſt: *Littoribus hoſtium plenis.*

Eod. *Sempronio Bleſo.*] *Blaſo*, ex Capitol. lapidibus & Græcis libris.

Eod. *Traditaque Lilybæi tota Atilio prætori.*] Iam oſtendi hoc anno *Atilium* nullum prætorem fuiſſe, *T. Otacilium* fuiſſe. Ea res me admonuit, vt turpe mendum delerem, & pro *tota Atilio*, *T. Otacilio* ſcriberem.

Eod. *Litteriſque Fabij accitus.*] Lege *Literis Q. Fabij*. perſpicuè.

Cap. XXXIII. *Ad depoſcendum Demetrium Pharium.*] Hic rex Illyriorum fuit paulo ante hoc bellum à Romanis bello ſuperatus: auctor Polybius lib. 3. qui item eundem ad Philippum ex acie confugiſſe ait.

Eod. *Biennio ante L. Manlius prætor in Gallia voniſſet.*] Miror dixiſſe, *Biennio ante*, de eo qui anno ante prætor in Gallia fuerit, vt lib. 21. tradidit.

Eod. *Cæſo Quintius Flamininus.*] Lege *K. Quintius Flamininus*. Sic enim & antiqua prænominis nota, & nominis, cognominiſque huius vera ſcriptura cuſtodietur. vt enim *Augurinus Minuciorum*, *Cenſorinus Marciorum* cognomen eſt, ſic *Flamininus Quinctiorum*, lapidibus Capitolinis, & quibuſdam etiam Vet. lib. teſtibus.

Eod. *M. Pomponium Mathonem.*] Scribe *M'. Pomponium Mathonem*, ob cauſam, quam poſt dicam.

Cap. XXXIV. *Cn. Claudius Appij filius Cento.*] Scribe, C. *Claudius Ap. F. Centho*, ex Capitolinis conſulibus.

Eod. *Bæbius Herennius tribunus plebis.*] *Herennius* hoc loco cognominis eſt, vt lib. 9. prænominis, in *Herennio Pontio* C. Pontij patre, alio loco pro nomine eſt, vt in *M. Herennio* conſule. Vereor tamen ne & in prænomine, & in cognomine vitij aliquid ſit. Hoc autem loco ſuſpicor, ne *Vibius terentius* ſit legendum. eſt enim *Vibius* cognomen, vt in *Vibo Sextio*, & *Vibio Virio*. Hic autem cognatus fuiſſe C. Terentij à Liuio dicitur.

Eod. *In Italia abductum.*] Vet. lib. *adductum*.

Cap. XXXV. *Volſone.*] *Vulſone*, ex conſulibus Capitolin. & veter. ſæpe libris.

Eod. *L. Æmilium Paulum, qui cum M. Lælio conſul. fuerat.*] Vet. lib. *M. Liuio* Recte. Sic enim eſt apud Caſſiodorum, & apud Plin. lib. 39. conſules autem fuerunt biennio ante.

Eod. *Damnatione collegæ.*] De *M. Liuio Salinatore* agit, qui conſularis damnatus eſt à populo, quod prædam non æqualiter diuiſerat militibus: Auctor Frontinus lib. 4. cap. 2.

Eod. *Inter ciues, et inter peregrinos.*] Vet. lib. *Inter ciues, & peregrinos*, ſic alia vbique.

Eod. *Quia in tali tempore nullus nouus magiſtratus videbatur mandandus.*] *Nouum hominem* hic intelligit, non vt paulo ante C. Terentium appellauit, id eſt, eum qui primus ex familia ſua magiſtratum curulem cepiſſet, ſed eum qui non antea magiſtratum eundem geſſiſſet, quique nouus ad munus illud tractandum veniret, id eſt, qui tum primum præturam caperet.

Eod. *Is proximo comitiali die.*] Vet. lib. *Ita is proximo*.

Eod. *Parque magis in aduerſando.*] Vet. lib. *Par magis*.

Cap. XXXVI. *Alij nouas quatuor legiones quinque legionibus additas, vt nouem legionibus rem gererent.*] Veteres legiones *quatuor* fuiſſe, non *quinque* apparet ex eo, quod Fabio prima & quarta, Minucio ſecunda & tertia euenerunt. Polybius quidem hoc loco octo legionibus rem geſtam ait, non nouem: *ϖροέθεντο δὲ στρατοπέδοις ὀκτὼ διακινδυνεύειν, ὃ ϖρότερον οὐδέποτε ἐγεγόνει ϖαρὰ Ῥωμαίοις.* Hæc autem ſumit à Polybio Liuius.

Eod. *Numero quoque peditum, equitumque legiones auctas, millibus peditum & centenis equitibus in ſingulas adiectis, vt quina millia peditum, treceni equites eſſent.*] Romulus primus legiones conſtituit ex *tribus millibus peditum* ſingulas, vt vnaquæque tribus, tum cum tres erant, tria millia daret. Poſt *quatuor millium* facta eſt, vnde quadrata dicta, *equitum ducentorum*. Hoc autem primum tempore, *quinque millium peditum* reddita eſt, & *trecentorum equitum* Liuio, & Polybio auctoribus. Poſtremo C. Marius *ſex millium* vt eſſet, inſtituit, vt ait Feſtus. Itaque alius alijs temporibus fuit militum legionis numerus.

Eod. *Septem, & octoginta millia armatorum, & ducentos.*] Plutarchus ſummam confecit, *octo et octoginta*. Sic enim ait: *μυριάδες ὀκτὼ δισχίλιοι ἀϖὸ ϖῶν ὅϖλων.* At Polybius: *ϖεζῶν μὲν εἰς ὀκτὼ μυριάδας, ἱππεῖς δὲ μικρῷ ϖλείους τῶν ἑξακισχιλίων.*

Cap. XXXVII. *Ab Hierone claſſis hoſtiam cum mago commeatu acceſſit.*] Vet. lib. *Cum magno apparatu*. Quod placet, vt non commeatum ſolum, ſed etiam ſagittareos, & funditores ab Hierone miſſos intelligat.

Eod. *Legati in ſenatum introducti.*] Vet. lib. *Legati Syracuſani in ſenatum.* † Ita Badius. †

Eod. *Cadem C. Flaminij conſulis, exercituſque allatam adeo ægre tuliſſe regem.*] Vet. lib. *Adeo affeciſſe regem*, quod probo: quia rectior oratio eſt. & quia ſequitur, *vt nulla ſui propria, regniq; ſui clade moueri magis potuerit.*

Eod. *Quantum præterea opus eſſet, quo inſiſſent, ſubuecturum.*] Vet. lib. *& quo inſiſſent*.

Cap. XXXVIII. *Nam ad eam diem nihil præter ſacramentum fuerat, & vbi ad decuriatum, aut centuriatum conueniſſent, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites coniurabant.*] Quod hoc loco ait intereſſe Liuius inter *ſacramentum* & *iuſiurandum*, id tradit Seruius in VIII. Æneid. intereſſe inter *coniurationem* & *ſacramentum*. † Sigonius oſtendere debebat *coniurationem* & *iuſiurandum* eſſe quod non facit. † Nam *cum ipſi qui conuenerant, ſimul iurabant, coniuratio, cum ſinguli iureiurando adigebantur ſacramentum erat*, auctore Seruio, *Coniurationem* autem & *ſacramentum* idem eſſe apparet ex eo, quod Liuius in *ſacramento* explicando *coniurandi* verbum adhibuit. *Sacramentum* ergo voluntarium, *iuſiurandum* neceſſarium, & legitimum ait fuiſſe.

Cap. XXXIX. *Pro Gerionis Caſtelli Apuliæ inopis, tamquam pro Carthaginis mœnibus.*] Vet. lib. *Gerioni*, vt vere ita legendum eſſe videatur, quia Polybius *Γηρούνιον* edit.

Eod. *Cn. Seruilius atque Atilius.*] Vet. lib. *Atque M. Atilius*.

Eod. *A veritate laborare nimis ius ſæpe aiunt, extingui nunquam.*] Vox, *ius*, non eſt in Vet. lib. hoc ſenſu: tritum illud prouerbium eſt, *Hominem veritatis cauſa nimis ſæpe laborare, nunquam vero extingui.* Hæc autem vox, *ius*, ex ingenio à Valla allata eſt.

Eod. *Nec ego, vt nihil agatur, ſed vt agentem te ratio ducat non fortuna.*] Vox vna, *Moneo*, ex veteribus libris repetenda eſt ita: *Nec ego, vt nihil agatur, moneo, ſed vt agentem.*

Cap. XL. *Quid conſilij aduerſus collegam ſeditioſum, ac temerarium virum, atq; auctoritatis fore?*] Vet. lib. Non *virum* habent, ſed *virium*: Florebellus ingenioſe, pro *conſilij*, *conſulis* reponit: recte. vtrumque argumentatur enim, ſi Minucius magiſter equitum dictatori Fabio gratus fuit; quas vires & auctoritatem habebit Paulus conſul aduerſus collegam ſuam Varronem?

Cap. XLI. *Claudijq; conſules primo Punico bello memoria naualis clades.*] *P. Claudium Pulchrum* intelligit, qui pullos paſcere nolentes, in mare proijci iuſſit, vt biberent: auctor Cicero de Diuinatione. Valerius de contempta religione.

... *Si maturitas temporum expectata foret.*] Veteres lib. *Temporis*.

Cap. XLIV. *Cum vtriuſq; conſulis eadem, quæ ſemper ante fuiſſet, ſententia.*] Vet. lib. *Cum vtriuſq; conſulis eadem eſſet, quæ ſemper ante fuiſſet ſententia.*

Eod. *Quod Annibal iam veluti ſuam cepiſſet Italiam.*] Et hoc quoque debetur ingenio Florebelli. *vſucepiſſet*. Iam enim tertius agebatur annus, cùm Annibal in Italiam profectus, eam quaſi iure vſucapionis tenebat. Sic. lib. 6. *Nec hoc natura inſitum vobis eſt, ſed vſu poſſidemini.*

Cap. XLV. *Numidas ad inuadendos ex minoribus caſtris.*] Polyb. *τοὺς δὲ Νομάδας ἐπιχεῖν τοῖς ὑδρευομένοις ἀπὸ τῆς ἐλάττονος παρεμβολῆς.*

Eod. *Nihil conſulto collega ſignum propoſuit.*] Vet. lib. *Signum pugnæ propoſuit*. *Signum* autem eſt, vt ait Plutarchus *χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς διατεινόμενος.*

Eod. *Cn. Seruilio media pugna tuenda data.*] Polybius, *Seruilio M.* etiam *Atilium* priore anno *Seruilij* collegam addit, quem tamen ætatem excuſantem Romam à conſulib. miſſum fuiſſe ante, Liuius ſcripſit.

Cap. XLVI. *Balearibus, leuique alia armatura præmiſſa.*] Polybius ante ait: *τοὺς μὲν Βαλιαρεῖς καὶ λογχοφόρους.*

Eod. *Dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acie peditibus firmata.*] Vet. lib. *Media acies*.

Eod. *Galli ſuper vmbiculum erant nudi. Hiſpani linteis prætextis purpura tunicis.*] Polybius τῶν μὲν Κελτῶν γυμνῶν, τῶν δ' Ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων. Ex quo intelligi poteſt *prætextis purpura* dixiſſe Liuium, quod Polybius περιπορφύροις: & cum *prætexta toga* dicitur, præciſè dici, pro *prætexta purpura toga*.

Eod. *Numerum omnium, qui tum peditum, equitumque in acie ſtetere, illum ferunt, videlicet quadraginta peditum millia, decem equitum.*] Vox *illum*, aperte mendoſè eſt: neque enim intelligere potes quo referenda ſit: ſuſpicor, *millia*, pro ea ſcriptum fuiſſe, & *L. millia* eſſe legendum ita: *Numerum omnium, qui tum peditum, equitumque in acie ſtetere, L. millia fuerunt, videlicet quadraginta peditum millia, decem equitum.* De ſumma peditum, equitumque idem ſcribit Polybius. Placet autem, vt quemadmodum de Romanis dixit in vniuerſum affuiſſe VII. & LXXX. millia: ſic de Pœnis dicat, deinde vero diſtinguat.

Eod. *Dextrum tegebat Maharbal.*] Vet. lib. *Regebat.* Polybius pro *Maharbale*, edit *Annonem*: τὸ δὲ δεξιὸν Ἄννων.

Cap. XLVII. *Romani diu, ac ſæpe conſilio agitabant, qua fronte, &c.*] Malim, *conſilia.* Eſt enim hæc ei trita locutio, *Agitare conſilia. Agitare conſilio*, adhuc non legi.

Cap. XLVIII. *Aſdrubal, qui ea parte præerat, ſubductos ex media acie Numidas.*] *Aſdrubal* læuum cornu regebat, *Numidæ* in dextro erant. Itaque mirum videtur, Liuium ita loqui. Aſdrubal Numidas ad perſequendos hoſtes mittit, cum ea parte præeſſet. Ego certe malim: *Qui læua parte præerat.* Si quidem hoc loco Polybius ait: Aſdrubalem à læuo cornu ad Numidas ſubleuandos ſe contuliſſe: ἐπεὶ δ' οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν παραβοηθοῦντες ἀπὸ τῶν εὐωνύμων τοῖς Νομάσι.

Cap. XLIX. *Quam mallem vinctos mihi traderet.*] Plutarchus τοῦτο μᾶλλον ἐβουλόμην ἢ δεδεμένους παραλαβεῖν, id eſt, *Hoc mallem, quam ſi mihi vinctos traderet.*

Eod. *L. Æmilium præceptorum eius memorem extitiſſe, & vixiſſe, & adhuc mori.*] Florebellus tollit vocem, *extitiſſe*, vt ſuperuacaneam.

Eod. *Hæc exigentem.*] Cum legeretur: *Hæc exagentis*, Valla emendauit, *exigentem.* Malim ego, *Exequentem*, quo verbo vtitur ſæpe Liuius.

Eod. *Quadringinta millia peditum, duo millia ſeptingenti equites.*] Polybius item ad *ſeptuaginta millia* occiſa ait. Quod ſequitur: *Et tanta ciuium, ſociorumque pars*, expoſitionis vim habet eum enim numerum ciuium, ſociorumque parem prope fuiſſe ſignificat.

Eod. *Cum quinquaginta ferme equitibus Venuſiam profugit.*] Polybius *ſeptuaginta* edit: ἑβδομήκοντα μὲν εἰς Οὐενουσίαν μετὰ Γαΐου διέφυγον.

Eod. *Inter eos Cn. Seruilius, & C. Minutius Numatius, qui magiſter equitum priore anno aliquot diebus ante fuerat.*] In veteribus libris eſt, *M. Numatius*, mendoſè vtrobique. Fuit autem magiſter equitum aliquot ante dies *Manius Pomponius Matho*, is (vt reor) qui conſul fuit anno DXVII. quemadmodum ſcriptum eſt in conſulibus Capitolinis. Cum autem Liuius *M' Matho*, aut *Manius Matho* ſcripſiſſet, imperiti librarij *M. Numatius*, & *Minutius Numatius* fecerunt. Poſtremo imperitiores emendatores C. prænomen de ſuo addiderunt.

Eod. *Præterea ſenatores, aut qui eius magiſtratus geſſiſſent, vnde in ſenatum legi deberent.*] Eorum qui in ſenatum veniebant, alij ſenatores erant, quippe qui lecti à cenſoribus eſſent, alij iure magiſtratus, quem aut tum gerebant, aut ante geſſerant; ius quidem ſententiæ dicendæ habebant, verum ſententias non rogabantur, ſed quas ſenatores dixiſſent, in eas deſcendebant. Itaque de M. Liuio dixit Liuius lib. 27. *Sed cum quoque aut verbo aſſentiebatur, aut pedibus in ſententiam ibat.* Hinc cum ſenatores in curiam vocabantur, ita vocabantur, *Senatores, quibuſque ſententiam dicere licet.* Seminarium autem ſenatus, id eſt, eorum qui à cenſoribus legerentur, cum alij multi pro arbitrio cenſorum fuerunt, tum maxime ij, qui curules magiſtratus geſſiſſent. Hæc ferè ex Liuio & Gellio.

Cap. L. *Hæc eſt pugna Cannēſis clade nobilitata, par cetera Allienſi, vtq; hac illa eius, quæ poſt pugnam accidere leuior, quia ab hoſte ceſſatum eſt, ſic ſtrage exercitus grauior.*] Placet priſca lectio. *Hæc eſt pugna Cannenſis clade nobilitata, par alienſi. Ceterum, vt hæc illa, &c.* Sic Polybius, μάχη οὖν περὶ Κάνναν γενομένη μεταξὺ Ῥωμαίων καὶ Καρχηδονίων τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος.

Eod. *Qui in maioribus caſtris præerant.*] Vet. lib. *Qui maioribus caſtris præerant.*

Eod. *Vno agmine Canuſium abituros eſſe.*] *Canuſium* vno n. & veteres libri, & Græci ſcribunt. † Nam *Canuſi lapidoſus: aqua non ditior vrna.* Horat. lib. 1. Serm. Satyra 5. Hoc adducere debebat pro fide Sigonius. † In iiſdem vet. lib. eſt, *Vno agmine inde Canuſium abituros* ſic paulo poſt. *Atque vnde protinus Canuſium peruenerunt.*

Eod. *Et exquiri ab interrogantibus, Romanus ciuis ſit, an Latinus ſocius.*] Hæc interrogatio fiebat, vt in Romanos Annibal animaduerteret, ſocios conciliandæ eorum ſibi gratiæ cauſa dimitteret.

Eod. *Quamuis per confertos hoſtes.*] id eſt, *per quamuis confertos.*

Cap. LI. *Quietem & ipſe ſibi ſumeret.*] Veteres libri. *Et ipſe ſibimet.*

Eod. *Maharbal præfectus equitum.*] Hunc vocat Plutarchus in Fabio: Βάρκαν τὸν Καρχηδόνιον.

Eod. *Immo, vt quid hac pugna ſit actum ſcias, die quinta, inquit, in Capitolio epulaberis, ſequere cum equite.*] Vet. lib. alij *die quinto* habent. Ego legendum puto, *diequinti*, copulatè pro aduerbio. Nam vt Gellius & Macrobius tradiderunt, *diequarto & diequinto* de præterito dicitur, *diequarti & diequinti* de futuro, vt hoc loco. Accedit quod Cœlius, & Cato cum hunc eundem locum tractarent, *diequinti* dixerunt, à quibus Liuius hæc verba mutuatus eſt. Cato in Origini. *Igitur dictatorem Carthaginenſiū magiſter equitum monuit. Mitte mecū Romam equitatum, diequinti in Capitolio tibi cœna cocta erit.* Cœlius hiſtoriarum lib. 2. *Si vis mihi equitatum dare, & ipſe cum cetero exercitu me ſequi, diequinti Romæ in capitolio curabo, vt tibi cœna ſit cocta.* Plutarchus, πεμπταῖον γὰρ ἀπὸ τῆς ἐν Καπετωλίῳ δειπνήσεις.

Eod. *Præcedant, Annibal inquit, nuncij, læta res eſt, ſed via maior quam vt eam ſtatim capere animo poſſim.*] Ego neque hanc lectionem, neq; hunc ſenſum probare poſſum. in Vet. lib. eſt *Præcedant Annibal inimici letales & via maior, quam vt eam capere non poſſint.* Hinc ego hanc elicio, & lectionem & ſententiam: *Præcedant, Annibal inquit, nuncij letales eſt via maior, quam vt eam ſtatim capere nunc poſſint*, reſpondet enim ad id quod Maharbal dixerat, *ſequere cum equite, vt prius te veniſſe, quam venturum ſciant*, viam maiorem eſſe, quam vt ſtatim capere nunc equites prœlio defeſſi poſſint.

Eod. *Vincere ſcis Annibal, victoria vti neſcis.*] Plutarchus: σὺ νικᾶν οἶδας, νίκῃ δὲ χρῆσθαι οὐκ οἶδας.

Cap. LII. *Et omnium primam brachio fluminis obiecto eas excludit.*] Malim. *brachio, flumini obiecto.* ſenſus eſt enim, Annibalem brachio obiecto Romanis vſum fluminis, & aquationis eripuiſſe. ſic enim captiui ipſi poſt aiunt: *cum circumceſſi ab exercitu victore, aqua arceremur.* lib. 4. *Muro Ardeæ brachium immiſerat.* Item: Et *mœnibus hoſtium vallum obiecere.*

Eod. *Intra caſtra hoſtes acceperant.*] Veteres libri, *Receperunt.*

Eod. *Eos qui Canuſium perfugerant, mulier Paula nomine Buſa genere clara, ac diuitiis, mœnibus tantum, tectiſq; à Canuſinis receptos frumento, veſte, viatico etiam iuuit.*] Nemo eſt, qui non quærat, quid ſit, *mulier. Paula, nomine Buſa genere clara.* menda enim eſt in voce *Paula.* Nam de *Buſa* nomine ſatis conſtat, ipſe enim poſt ait: *ſed Canuſij grauius onus B[u]ſæ multitudo faciebat.* Et Valerius libro 4. de liberalitate. *Buſa nomine, regionis Apuliæ ditiſſima.* Suſpicor igitur legendum eſſe: *Muliercula Buſa nomine*, vt mulierculam appellet, eam comparans cum Canuſinis. Id enim fecit muliercula, inquit, quod cuncta ciuitas non fecit, vt veſte, frumento, & viatico Romanos iuuaret. Qua de cauſa Valerius eandem etiam, Feminam appellauit: & poſt Liuius: *Ne à muliere Canuſina populus Venuſinus beneficiis vinceretur.* Eſt autem hic mos Liuij, vt primum appellationis nomen afferat, deinde proprium, vt libro 23. *Cum præfecto nomine Iſalca.* Item libro hoc: *Eques, Ducario nomen erat.*

Cap. LIII. *L. Publicius.*] *L. Poblicius*, ex Capitolinis lapidibus & nummis argenteis.

Eod. *Cuſtodiendoſq; ſemetipſos contra Annibalem Scipioni tradunt.*] Vet. lib. *Annibalem contra.* Sic ſæpe alias præpoſitio poſtponitur.

Digitized by Google

Cap. LII. *Appiuſq́, & Scipio.*] Vet. lib. *Appius, & Scipio.*

Eod. *Occidione occiſum cum duobus exercitibus conſulem, deletaſque omnes copias, allatum fuerat.*] Suſpicor legi oportere: *occiſos cum duobus exercitibus conſules* ſubdit enim: *Conſule exercituq́, ad Thraſimenum priore anno amiſſo, nõ vulnus ſuper vulnus, ſed multiplex clades cum duobus conſulibus conſulares exercitibus amiſſi nunciabantur, nec vlla iam caſtra Romana, nec ducem, nec militem eſſe.* Non enim inquit, conſul cum exercitu amiſſus, quod vulnus ſuper vulnus fuiſſet, ſed duo conſules cum duobus exercitibus periſſe: ideo multiplex clades accepta nunciabatur.

Eod. *Amiſſi annunciabantur.*] Vet. lib. *nunciabantur.*

Cap. LV. *P. Furius Philus, & M. Pomponius prætores.*] Horum alter vrbanam, alter peregrinam iuriſdictionem habebat.

Eod. *Percontarentur aliquos præfectos ex fuga, paſſim diſſipatos, forte referant.*] Vet. lib. *Si forte referant.*

Cap. LVI. *Canuſiſq́, ſeſſe.*] *Que*, vacat in aliquot Vet. lib.

Eod. *Sed Annibalem nunc ſedere.*] *Sed*, vacat in aliquot Veter. lib.

Eod. *Senatusconſulto diebus XXX. luctus eſt finitus.*] Sic Plutarchus: πένθους δὲ καὶ τέλος. καὶ χρόνον ὥρισεν, κατ' οἰκίαν ἀποθρηνεῖν κελεύσας εἰς ἡμέρας τριάκοντα τὸν βουλόμενον.

Eod. *T. Octacilio.*] *Otacilio*, ex Græcis & Capitolinis monumentis.

Cap. LVII. *M. Claudium, qui claſſi ad Oſtiam ſtanti præeſſet, Canuſium ad exercitum mittendum.*] ſubaudienda ſunt verba, *cenſuerũt patres*, vel *decreuerũt*. Sic enim Plutarchus in Marcello: δόγμα τῆς βουλῆς δεξάμενος εἰς Κανύσιον περιῆλθε, καὶ τοὺς ἐκεῖ συλλελεγμένους παραλαβὼν ἐξῆγε τῶν ἐρυμάτων.

Eod. *Sciſcitatum quibus precibus, ſupplicationibuſque deos poſſent placare.* Vet. lib. *Quibus precibus ſupplices deos poſſent placare.*

Eod. *Ipſe legione claſſis, ea tertia legio erat, cum tribuno militum Teano Sidicinio præmiſſa.*] Vet. lib. *Cum tribunis militum Teanum Sidicinum* recte. Hanc enim legionem ex claſſe Canuſium adductutus, Teanum præmiſit.

Eod. *T. Sempronius magiſter equitum.*] Hic eſt, qui poſt ab Annibale occiſus eſt in Lucania, quem Valerius lib. 5. cap. 1. *Tiberium Gracchum* vocat. Quare *Ti. Sempronius* ſcribendum eſt. Eſt autem *Tiberij* prænomen *Sempronius* familiariſſimum.

Eod. *Ad milites ex formula accipiendos.*] De hac formula ſcribit lib. 8. vbi de fœdere cum Latinis icto agit.

Cap. LVIII. *Trecenos pedites, ſeruo centum.*] Vet. lib. *Centenos.*

Eod. *Ad Heracleam cum Pyrrho.*] Plutarchus in Pyrrho.

Eod. *Si tam duriores eſſe velitis.*] Veteres lib. *Si duriores eſſe velitis.*

Cap. LIX. *Vix exiſtimari poteſt.*] Vet. lib. *æſtimari.*

Cap. LX. *Priori Punico bello Calpurnius Flamma.*] Liuius lib. 17. vt eſt ſcriptum in epitoma.

Eod. *Diminuti capite.*] Hoc eſt amiſſa ciuitate & libertate. Sic enim poſt ait: *abalienati iure ciuium, ſerui Carthaginienſium facti.*

Eod. *Neque iis quadraginta millia hoſtium obſtitere.*] Supra *quinquaginta millia* edidit. in Vet. autem libris eſt hoc loco: *Sexcenta millia*, vt videantur opponi, *ſexcentis armatis*, ita: Ex millib. ſeptem armatorum ſexcenti extiterunt, qui erumpere auderent, ne que iis ſexcenta millia hoſtium obſtitere. Eſt autem hic numerus vſitatus etiam Ciceroni pro magno quodam & immenſo numero.

Cap. LXI. *Vnus ex iis domũ abijt, quod fallaci reditu in caſtra iureiurando ſe exoluiſſet.*] Hæc Polybij ſententia fuit, vt ait Cicero lib. 3. de offic. *Polybius bonus auctor in primis ſcribit ex decẽ nobiliſſimis, qui tunc erant miſſi nonẽ reuertiſſe, à ſenatu re non impetrata, vnũ ex decẽ, qui paulo poſt quã egreſſus erat è caſtris, rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, remanſiſſe.* Polybij liber ille, vbi hoc tradebat interceedit. Eadem hiſtoria eſt apud Gellium li. 7. c. 8.

Eod. *Eſt et alia de captiuis fama, decẽ primos veniſſe, &c.*] Acilij hæc opinio fuit eodem Cicerone teſte. Acilius autem ille, qui Græce ſcripſit hiſtoriam plures ait fuiſſe, qui in caſtra reuertiſſent eadem fraude, vt iureiurando liberarentur.

Eod. *Ab cognato Scribonij tribuni plebis de redimendis captiuis relatum eſſe.*] Legendum *tribuno plebis*, id eſt, ab Scribonio tribuno pl. L. Scribonij captiui legati cognato relatum eſſe.

Eod. *Omnium notis, ignominiiſq́, confectos eſſe.*] Vet. lib. *Affectos.* Cicero lib. 3. de Offic. eoſdem à cenſoribus omnibus ignominijs notatos eſſe ſcribit. Et Gellius libro 7. cap. 8. de iiſdem *omnium notarum eos damnis & ignominiis affecerunt.*

Eod. *Apulorum pars.*] Ἀργυριππανοὺς defeciſſe ex Apulis ſcribit Polybius.

Eod. *Samnites præter Petellinos.*] Nec *Petellini* inter Samnites ſed inter Bruttios, neque iidem hoc tempore ab Annibale defecerunt, cum ſequenti libro vni in Bruttiis in amicitia Romana manſiſſe dicantur. Quid ergo? obloquimur ſæpe bonis auctoribus, eoſque aut inconſtantiæ, aut imprudentiæ, aut negligentiæ, arguimus, ſed ſine cauſa, vt hoc loco Glareanus Liuio, quem iccirco temeratiæ confuſionis arguit. † Glareanus dicit Liuio multa commixta, quod ſatis notum eſt. Sententia itaque in alios à Sigonio contorta, in eius caput recidit. † Quam iuſte ipſe videat, non enim hoc loco *Petellinos*, legendum eſt, ſed *Pentros*, quod ille didiciſſet, ſi accuratius manuſcriptos libros, quos ne adiſſe quidem videtor, legiſſet. *Pentrorum* Samnitium meminit in lib. 9. *Inde victor exercitus Bouianum ductus: caput hoc erat Pentrorum Samnitium longe ditiſſimum.* Poſſis etiam legere: *præter Petellinos Brutij omnes.*

Eod. *Et Græcorum omnis ferme ora, Tarentini, Metapontini.*] Polyb. Καρχηδόνιοι παραχρῆμα τῆς μὲν αὐτῆς πάσης σχεδὸν ἐγένοντο, καὶ μεγάλης καλουμένης Ἑλλάδος ὅσοι ἐκράτουν Ταραντῖνοι τε γὰρ εὐθέως ἐνεχείριζον αὐτούς. Polybius ſtatim hos populos defeciſſe ait, quod tamen non ita eſſe, infra apparebit, niſi, *Statim* intelligamos, *Vt primum potuerunt.* Ceterum quatuor hi populi Græci vocabantur, quod Græcorum coloniæ eſſent.

Eod. *Crotonẽſes.*] *Croto Crotonienſes* edit, at *Cortona Cortonenſes*, Priſcianus: Accedit quod *Croto Crotoniatas* quoque edit, vt omnino *Crotonienſes* videatur eſſe legendum.

Eod. *Neq́, ante conſulis Romani aduentum, nec poſtquam is rediſſet.*] Ex vet. lib. *Neq́, ante conſulis aduentum Roman.* In iis enim eſt: *ante conſulis aduentum Romani.*

Eod. *Obuiam itum frequenter omnibus ordinibus ſit.*] Plutarchus in Fabio: ἀπήντων αὐτῷ πρὸς τὰς πύλας ἡ πόλις, καὶ τὰ πλήθη ὥσπερ ἀσπαζόμενοι.

IN LIBRVM XXIII.

ANNIBAL *poſt Cannenſem pugnam caſtra capta, ac direpta confeſtim ex Apulia in Samnium mouerat.*] Glareanus putat legendum: *Caſtris captis ac direptis, neque enim*, inquit, *Annibal Romanorum caſtra capta ac direpta mouit, neque ſua cepit, ac diripuit, verum contra.* Errat autem, non enim ea eſt mens ſcriptoris, ſed hæc: Annibal poſt Cannenſem pugnam confectam, & poſt Romanorum caſtra capta, ac direpta, in Samnium mouerat, ita vt verbum, *mouerat*, abſolute accipiamus. vt ſæpe alias. non ad caſtra referamos. † Hic recte Glareanum carpit, ſed Glareanus ante ſuum errorem agnouerat quam hîc admonuit. †

Eod. *Accitus in Hirpinos.*] *Irpini* Samnitium ſunt auctore Strabone libro 5. dicti: ἀπὸ τοῦ ἵρπου, id eſt, *lupo*, qui dux eis in deducẽda colonia fuit. Græcè autẽ ſine aſpiratione ſcribũtur.

Eod. *Pollicente ſe Coſſam traditurum.*] Vet. lib. *Compſam & Compſanum.* Plinius lib. 3. cap. 11. *Compſam in Irpinis* ſtatuit, de qua nunc Liuius.

Eod. *Quacumque arte poterat, diſpoſuit.*] Vet. lib. *Potuit.*

Cap. II. *Pacuuius Calauius.*] *Calauium* gentis Campanæ nomen, eſſe conſtat. Ergo *Pacuuius* hoc in loco prænomen eſt. Vereor tamen ne Pacullus ſit legendum. Nam Silius Italicus hunc *Pactulonem* vocat. Et Liuius 39. *Pacullæ Miniæ Campanæ* ſacerdotis meminit. Et in hoc libro haud ita multo poſt: *Minios Celeres Stenium, Pacuuiumq́,* nominat. In veteribus etiam libris eſt *Pacinus.*

Eod. *Filiamq; Romam nuptum Liuio dediſſet.*] Vet. lib. *Romæ.*

Cap. III. *Video quæ ſententia de hoc ſit data.*] Quid ſi legamus *lata:* ſenſus enim eſt. Video hunc à vobis condemnatum eſſe.

Eod. *Hoc multo magis in ſecundo, ac tertio ſenatore eſt factum.*] Vet. lib. *Ac tertio citato ſenatorem.*

Digitized by Google

Cap. IV. *Si plebis ibi eſſet concilium.*] Vet. lib. *Adeſſet.*

Cap. V. *Ad Satriculam.*] *Saticulam*, vt in libro ſeptimo dixi, & ſæpe alias.

Eod. *Captumq́, propter vos cum Samnitibus bellum, per centum prope annos variante fortuna euentum, tulerimus.*] Elatorie dixit Terentius, *per centum prope annos*. Verius autem legatus Romanus in concilio Ætolorum lib. 31. qui *per annos ſeptuaginta* bellatum eſſe cum Samnitibus ait. Etenim cœptum eſt anno ab vrbe condita CDXII. M. Valerio, A Cornelio coss. finitum ann. CDLXXIX. C. Fabricio, C. Claudio coss. De his enim C. Claudius cos. triomphauit, vt extat in Capitolinis triumphorum fragmentis. † Hæc omnia diligenter à Glareano notata, tamquam ipſe primus inuenerit, narrat. †

Eod. *Quod fœdus æquum dedimus, quod leges noſtras.*] Hoc factum M. Foſſio, L. Plautio conſulibus, vt ait lib. 9. *Eodem anno primum præfecti Capuæ creari cœpti, legibus ab L. Furio prætore datis.*

Eod. *Pœnus ne Africa quidem indigena ab vltimis terrarum oris freto Oceani Herculisque columnis, expertem omnis iuris, & conditionis, & linguæ prope humanæ militem trahit.*] Veteres libri habent: *Indigenam*, quam lectionem probo, vt non Annibalem, ſed militem eius Africæ indigenam eſſe neget, quippe quem ex vltimis terrarum oris extraxiſſet. Etenim lib. 28. ſic ait, cum de exercitu Romano loquatur: *Romana arma, & exercitum alienigenam.* † Et hæc quoque à Glareano notata ſunt. †

Eod. *Veſci humanis corporibus docendo.*] De Annibalis crudelitate loquitur, qui adeo efferauerat animos militum, vt eos etiam veſci carnibus humanis docuerit. Hoc autem falſum eſſe tradit Porphyrius lib. 2. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων.

Cap. VI. *Sabius Virius.*] Vet. lib. *Vibius Virius*: puto legendum *Vibius Virius* Eſt enim *Vibius*, prænomen, vt in *P. Seſtio Q. F. Vibi N.* Capitolino conſule.

Eod. *Latinorum quondam poſtulationis.*] De qua ſupra lib. 8.

Cap. VII. *Balneum includi iuſſit, vbi feruore atque æſtu anima interclusa.*] Vet. lib. *Færuore atque æſtu.*

Eod. *Decius Magius.*] *Magios* item gentem Campanam eſſe, & hic Liuius, & contra Rullum Cicero oſtendit, cum inquit: *Magios, Bloſios mihi videbar illos videre, ac Iubellios.* Quare *Decius*, quod alias nomen eſt gentis, in hoc viro prænomen eſt, mendosè. vt ſolet, Pro *Decimus*.

Eod. *Marium Bloſſium.*] *Bloſios* pariter gentem eſſe Campanam idem Ciceronis locus docet: vnde *C. Bloſius* genus traxit, is qui cum Ti. Graccho tribunus pl. fuit. De quo Cicero in Lælio, & contra Rullum. Quod ſi ita eſt, ergo corruptè *Marius* pro *Marco*, vel *Manio*. Sic. n. prænomen neceſſe eſt.

Cap. VIII. *Munios Celeres.*] Vet. lib. *Minios*, recte nam *Paculla Minia Campana* lib. 39. meminit.

Eod. *Conuiuium non ex more punico, aut militari diſciplina eſſe, ſed vt in ciuitate atque etiam domo diu ad varias omnium voluptatum illecebras inſtructam.*] Malim pro *diu*, *diuite*: vt in ciuitate, & domo diuite. Nam *Calauios*, quorum domi erat Annibal inclytos nobilitate, ac diuitiis paulo ante nominault. In Veter. lib. eſt *interdiu*, loxatis fortaſſe ſyllabis. Hoc certè ſententia poſtulat, vt recta ſit [illegible].

Cap. IX. *Annibalem pater filio meo potui placare.*] Vet. lib. *Annibalem modo.*

Eod. *Sed ſi nihil ſancti, non fides non religio, non pietas, audeantur infanda, ſi non perniciem nobis cum ſcelere afferunt, vnus et aggreſſurus Annibalem.*] Longe alter hæc oratio, & legitur & interpungitur in vet. li. & proculdubio melius: *Sed ſi nihil ſancti, non fides, non religio, non pietas audiantur, infanda ſi non perniciem nobis cum ſcelere afferunt, vnus et aggreſſurus Annibalem.* Duo enim argumenta ſunt, quibus deterret filiũ pater ab impetu in Annibalem faciẽdo, vnum ἀπὸ τ̃ αἰσχρ̃, alterũ ἀπὸ τ̃ ἀδυνάτου.

Eod. *Quid tot dextra? torpeſcent ne in amentia illa? vultũ ipſius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, horret populus Rom. tu ſuſtinebis?* Et hic etiam locus caſtigatior, ac ſyncerior eſt in manuſcriptis exemplaribus, ſic: *Quid tot dextra? torpeſcent ne? in amentia illa vultum ipſius Annibalis*, &c. quaſi vero velit intelligi, aliis temporibus eum poſſe, in amentia illa fore, vt non poſſit.

Eod. *O patria, ferrum, &c. recipe.*] Vet. lib. *Accipe.*

Cap. X. *Senatus frequens datur Annibali.*] Vet. lib. *Datus.*

Eod. *Iuraq, inde cum ceteris populis Romanum etiam petiturum.*] Vet. lib. *Cum ceteris populum Rom. etiam petiturum.*

Eod. *Haud paruo initio minus videbatur ius libertatis.*] Vet. lib. *Iudicio.* Iudicium enim intelligitur, quod parabatur in Magium ex S. C.

End. *Extemploq. impoſitus in nauium, & Carthaginem miſſus.*] Malim, *eſt Carthaginem miſſus.*

Eod. *Habetis libertatem Campani.*] Vet. lib. *Habetis en libertatem Campani.*

Eod. *Transfuga magis, quam hoſpitis fore domicilium.*] Vet. lib. *domiciliam.*

Cap. XI. *Q. Fabius Pictor legatus à Delphis Romam rediit.*] Eiuſdem legati meminit Plutarchus in Fabio. Hunc eundem illum eſſe, qui res Romanas ſcripſit tradit Appianus in Annibalis hiſtoria, quam manuſcriptam ſæpius apud eum, quem ante etiam nominaui, omni & literarum, & humanitatis, genere ornatiſſimum Ludouicum Beccatellum, legi, cuius hiſtorici, vt horum temporum æqualis, ſæpe & in hoc bello, & in aliis meminit Liuius.

Eod. *Veſtræ res meliores, facilioresq́, erunt.*] Vet. lib. *Felicioreſque.*

Eod. *Cum ſex imperatoribus eum.*] Præteritus eſt *Ti. Sempronius*, quem Annibal ad Trebiam vicit, non librarij vitio ſed auctoris. Quod ex verbis ipſis intelligi perſpicue poteſt. Nam dictatorem & magiſtrum equitum nominat. Q. Fabium, & M. Minucium & duos conſules occiſos, C. Flaminium, & C. Paullum: & duos, quorum alter ſaucius fuerit, P. Cornelius Scipio, alter vix cum L. hominibus euaſerit, C. Terentius Varro.

Eod. *Probis tantis totq́, victoriis verum ſacrum diis immortalib. agi.*] vet. lib. non habent vocem, *verum*: & pro *tantis, totq.* habent *tot tantiſq́*. Quidam libri olim habebant, *rerum*: non *verum*. Itaque in ſuſpicionem venio, ne quoniam huic ſententiæ ſubaudiendum eſt verbum, *petere*, ne pro *rerum* voce perſpicue deprauata, *petere*. ſit ſubſtituendum. Quod tamen non affirmo.

Cap. XII. *Dimidium ſuper treis modios expleſſe.*] Hinc Plinius lib. 33. cap. 50. *Annulorum aureorum promiſcuus fuit ſecundo bello Punico, neque enim aliter potuiſſent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Annibale mitti.*

Eod. *Etiam nunc pœnitet belli ſuſcepti.*] Vet. lib. *Etiam nunc tepenitet.*

Eod. *Nunc interroganti ſenatori, &c. ſireticeam.*] Videtur legendum, *interrogante ſenatore.*

Eod. *Reſpondeam, inquit, Himilconi.*] Vet. lib. *Reſpondeam igitur Imilconi*, & recte. Cur enim vox *inquit*, in media oratione inculcetur, quæ initio ſolet collocari? apta autem eſt huic loco particula, *igitur*, qua concludit, ſibi potius reſpondendum eſſe, quam recitendum.

Cap. XIII. *Quam nunc vicimus dat nemo.*] Legendum perſpicue: *Quam nunc cum vicimus.*

Eod. *Dictatorque cum Magone in Hiſpaniam, &c.*] Miratur Glareanus Liuium Dictatoris Carthaginiẽſis meminiſſe. Iam nunc mirari deſinat. † Glareanus quærit duo, nihil de admiratione: Sigonius ad vnum reſpondet, alterum omittit. † Nam Gellius libro 10. capite 24. hæc verba profert ex Catonis origine: *Dictatorem Carthaginienſium magiſter equitum monuit. mitte mecum Romam equitatum, die quinta in Capitolio tibi cœna cocta erit.* Dictatorem. autem Cato vocat imperatorem Annibalem.

Cap. XIV. *Atque, vt ſolet, ad populum, vt equum aſcendere liceret.*] De hoc more, de quo ambigit apud Liuium Glareanus, agit etiam Plutarchus in Fabio, id eſt cur Dictator peteret, vt ſibi equum aſcendere liceret: πρῶτον μὲν ᾐτήσατο τὴν σύγκλητον, ἵππῳ χρῆσθαι παρὰ τὰς στρατείας· οὐ γὰρ ἐξῆν, ἀλλ' ἀπείρητο κατά τινα νόμον παλαιόν. εἴτε τὸ πλεῖστον ἐν τῷ πεζῷ τιθεμένων, καὶ διὰ τοῦτο τὸν στρατηγὸν οἰομένων δεῖν παραμένειν τῇ φάλαγγι καὶ μὴ προλείπειν, εἴθ᾽ ὅτι τυραννικὸν εἰς ἅπαντα τὰ ἄλλα καὶ μέγα τὸ τῆς ἀρχῆς κράτος ἐστίν, ἔν γε τούτῳ βουλόμενοι τὸν δικτάτορα τοῦ δήμου φαίνεσθαι δεόμενον.

Eod. *Et ſex millia hominum Gallicis ſpoliis.*] Vet. lib. *Ea ſex millia hominum.* Eos enim intelligit, quos ſe noxa, pecunia illique exſoluturum Dictator promiſerat.

Eod. *Itaque cum xv. millibus armatorum ab vrbe proficiſcitur.*] Vet. lib. *Ita cum.*

Legatos propere ad prætorem Romanum Marcellum Claudium, qui Canuſij cum exercitu erat, mittunt. Vet. lib. *Caſilini*, quam lectionem probat Glareanus. Ego contra probo magis, *Canuſij*, quod & primo libro Marcellum magnis itineribus Canuſium contendiſſe dixerit, & quod Plutarchus in Marcello, Canuſio item Marcellum ad tutandos ſocios eſſe profectum, tradidit. ὕστερον δεῖμα τῆς βουλῆς δεξάμενος εἰς Κανύσιον παρῆλθεν. καὶ τοὺς ἐκεῖ συμπεφευγότας περιελθὼν ἐξῆγαγε τῶν ἐρυμάτων ὡς οὐ προησόμενος τὴν χώραν.

Eod. *Perque agrum Satriculanum.*] Vet. lib. *Satriculanum*, recte, vt ante dixi.

Cap. xv. *L. Bantius.*] Hunc Λεύκιον Βάνδιον vocat Plutarchus in Marcello.

Eod. *Seminecem eum ad Cannas in aceruo cæſorum corporum inuentum.*] Eadem ad verbum ſcribit Plutarchus in Marcello.

Eod. *Equum eximium dono dat, bigatoſque quingentos quæſtorem numerare iubet.* Plutarchus ita. ἵππον τε δωρεῖται πολεμιστὴν αὐτῷ, καὶ δραχμὰς ἀργυρίου πεντακοσίας.

Cap. xvi. *In hac comitiaria duorum exercituum ſtatione.*] Vet lib. *In hac continua duorum.*

Eod. *Priuſquam aliquis motus in muris oriretur.*] Vet. lib. *Intus oriretur.*

Eod. *Vix equidem auſim affirmare, quod quidam auctoris ſunt, duo millia, & ccc. hoſtium cæſos, non plus vno Romanos amiſiſſe.*] Supra quinque millia hoſtium cæſa, haud plures quam quingentos Romanos cecidiſſe tradit Plutarchus, hoc tamen à Liuio reprobari ait: λέγουσι δ' ὑπὲρ πεντακισχιλίους ἀποθανεῖν, ἀποθανεῖν δὲ Ῥωμαίων οὐ πλείους ἢ πεντακοσίους. ὁ δὲ Λίβιος οὕτω μὲν οὐ διαβεβαιοῦται γενέσθαι μεγάλην ἥτταν, οὔτε πεσεῖν νεκροὺς τοσούτους τῶν πολεμίων.

Eod. *Ingens eo dieres, ac neſcio an maxima in bello geſta ſit.*] Hinc Cicero in Bruto ait: *Poſt Cannenſem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio populus Romanus ſe erexit.*

Cap. xvii. *Cum à Caſilino dictatorem Romanum, legioneſque nancy accipi nunciaſſent.*] Vet. lib. *Legioneſque minus accipi nunciatum eſſet.* Pro his repoſitum eſt, *nancy accipi nunciaſſent.* recte: quod ad ſententiam pertinet, quod autem ad verba, malim legi, auctore Valla: *Legioneſque nouas accipi nunciatum eſſet.* Nam de his legionibus paulo ante ſcripſit.

Eod. *Caſilinum quingenti Prænestini habebant.*] In Vet. libris. Nullus numerus eſt Prænestinorum. Paulo poſt Liuius eos quingentos ſeptuaginta fuiſſe ſcribit: at Strabo lib. 5. quingentos quadraginta: ἐν τῷ Κασιλίνῳ πολιορκούμενοι Πραινεστῖνοι ἄνδρες φμ΄ πρὸς ἀκμάζοντα Ἀννίβαν ἐπὶ τοσοῦτον ἀντέσχον, &c. Vt ergo de Perusinis ait, cccc. & lx. ſic de Prænestinis, d. & lxx. ſcribendum videtur.

Eod. *Cum dies aliquot ſuſpecti Campanis, &c. traduxiſſent, iamq; de Capuæ defectione agi, accipique Annibalem ſatis pro certo habuere.*] Tempus *habuere*, non eſt ſententiæ huic aptum. *Haberent*, ſenſus poſtulat. In veteribus certe libris eſt, *habere*, reliquæ duæ literæ *nt*, ex principio inſequentis vocis, *interfectis*, ſunt repetendæ.

Cap. xix. *T. Sempronius præerat.*] *Ti. Sempronius*, vt ante: magiſtrum enim equitum intelligit.

Eod. *Quia prædictum erat dictatoris.*] Vet. lib. *Quia edictum erat dictatoris.*

Eod. *Nocte & mittebantur, et præueniebant.*] Florebellus probat magis *perueniebant.*

Eod. *Nuces in deſenſæ ab Romanis.*] Hinc Feſtus, *Prænestinos Nuculas dictos eſſe ait, quod incluſi à Pœnis Caſilini famem nucibus ſuſtentarint.*

Eod. *Et cum hoſtes obaraſſent, quicquid herbidi terreni extra murum erat, raporum ſemen iniecerunt.*] Glareanus credit eam hoc loco fuiſſe Liuij ſententiam, vt ijdem Pœni, qui herbidum terrenum extramuros obaraſſent, raporum ſemen iniecerint, cum rapos, non Pœni, ſed Caſilinates iniecerint, ac fructum ex Pœnorum obaratione illa ſe capturos eſſe indicauerint, neque vero aliter Liuius tradit, atque Strabo libro quinto. ὁ δ' Ἀννίβας ἰδὼν αὐτοὺς πλησίον τοῦ τείχους σπείροντας γογγύλην ἐθαύμαζεν. Quod autem ait Strabo πλησίον τοῦ τείχους, id eſt, *prope muros*, Glareanus *intra muros* interpretatur, quaſi vero Pœni ad terrenum obarandum Caſilinum accepti ſint. † Quid hoc loco in Liuio reprehendat Glareanus, non intellexit Sigonius. †

Eod. *Eone vſque dum ea naſcantur ad Caſilinum ſeſſurus ſum?*] Vet. lib. *Seſſuri ſumus.*

Cap. xx. *Cum obſiſtere malis nequirent Petellini.*] Vet. lib. *Quibus cum reſiſtere malis nequirent Petellini.*

Eod. *Conſultique iterum à M. Æmilio prætore patres.*] Hoc anno M. Pomponius prætor, vrbanam. P. Furius peregrinam ſortem, M. Marcellus Siciliam, L. Poſtumius Galliam ſortiti ſunt. Quod cum ita ſit, certe mendoſè legitur hoc in loco, *M. Æmilio*, pro *M. Pomponio*. Quod inde etiam intelligi poteſt, cum ait: *Conſulti iterum:* tum enim conſulti ſunt primum, cum C. Iunius. & *M.* Pomponius prætores ſenatum in Curiam Hoſtiliam vocauerunt. Germanam autem lectionem, & quæ deprauando nomini cauſam dederit, fuit, puto, quod ſcriptum erat, *conſultique iterum à Manio prætore.* Nam Pomponium hoc prænomen tuliſſe ſupra oſtendi. Quam vocem qui deprauatam eſſe duxerunt *Mamilio* fortaſſe, atque inde *M. Æmilio* fecerunt.

Eod. *Relaxata poſtero die per minorem trepidationem retinuerunt optimates.*] Vet. lib. *Relaxata poſtero die per minorem trepidationem retinuerunt optimates.*

L. Furium prætorem cum claſſe.] lege *P. Furium*. Sic enim alias vbique hunc Liuius vocat.

Cap. xxi. *L. Æmilius qui, conſul cenſorq; fuerat.*] *L. Æmilium Papum* conſulem cum C. Atilio Regulo, cenſorem eum C. Flaminio intelligit. Glareanus inſcite *L. Æmilium Paullum* qui ad Cannas ceciderat interpretatur.

M. Atilius Regulus, qui bis conſul fuerat.] *M.* hic *Atilius Regulus* conſul primum fuit cum P. Valerio Flacco, iterum ſuffectus in locum C. Flaminij ad Traſimenum occiſi cum Cn. Seruilio Gemino.

Eod. *Qui ceciderant pugna Cannenſi.*] Vet. lib. *In pugna Cannenſi.*

Eod. *L. Æmilium, C. Flaminium cenſores.*] De his cenſoribus dixi in epitoma libri 20.

Cap. xxii. *Cum de ea re M. Æmilius prætor.*] Lego *Manius prætor*, vt ante dixi, vt ſit *M. Pomponius.*

Eod. *Vt ex ſingulis populis Latinorum binis ſenatoribus, ſi patres Romani cenſuiſſent, ciuitas daretur.*] Vet. lib. *quos patres Romani cenſuiſſent.*

Eod. *M. Fabium Buteonem ex S.C. ſine magiſtro equitum dictatorem.*] *N. Fabium* ſcribi oportere exiſtimo, qui inquit, hũc, vetuſtiſſimum ex cenſoriis, qui viuerent fuiſſe. Cenſor autem, vt opinor, fuit anno dxii. cum C. Aurelio Cotta, cum conſul fuiſſet anno dvi. vt eſt in Capitolinis tabulis.

Cap. xxiii. *Neque dictatorem ſe ſine magiſtro equitum.*] Vet. lib. *Neque dictatorem ſe ſine magiſtro equitum*, probè. res enim eum non perſona offendebat.

Eod. *Neq; duos dictatores tempore vno.*] Horum dictatorum M. Iunij, & Fabij Buteonis, quorum alter rei gerendæ cauſa creatus aberat, alter ſenatus legendi cauſa dictus erat, meminit quoque Plutarchus in Fabio.

Eod. *Ita in demortuorum locum ſublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur.*] Senſus eſt: Dictator ne in legendo ſenatu ignominia quemquam afficeret, ex veteribus cenſoriis tabulis ſenatores eo ordine quo in illas relati erant recitauit: demortuorum autem locum alios ita ſublegit, vt ſi quem alteri præferret, is eum ordinis, non hominis dignitate adductus, prætuliſſe videri poſſet. Nam primum legit eos, qui curulem magiſtratum, deinde qui tribunatum ædilitatemque plebis, & quæſturam geſſiſſent. tum ex iis, qui magiſtratum non cepiſſent, qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi haberent aut coronam ciuicam accepiſſent. In legendis autem iis qui magiſtratus geſſerant, quo quiſque eorum ordine magiſtratum ceperant, eos ita legebat ac recitabat.

Eod. *In demortuorum locum legit, qui poſt L. Æmilium, C. Flaminium cenſores curulem magiſtratum cepiſſent, nec dum in ſenatum lecti eſſent, vt quiſque eorum ſenator primus creatus erat.*] Vox *ſenator*, redundat. † Nec Badius habet, & ante Sigonium notauerat Glareanus. † Hic enim ſenſus eſt: Qui poſt priores cenſores curulem magiſtratum ceperant, quo quiſque illum ordine ceperat, lectum ſo ſenatum eſſe.

Eod.

Eod. *Tum legit, qui ædiles tribuni, prætores quæſtoreſque fuerant.*] Paulus Manutius, vir, vt ſupradixi, ſummo iudicio proditus, legendum exiſtimat: *ædiles tribuni plebis, quæſtoreſque*, & rectè nam prætura inter curules magiſtratus erat, quos ſuperiore verſu complexus eſt. Errorem attulit, vt ſolet compendioſa ſcriptura: *Trib. pr. & Trib. pl.*

Eod. *Tum ex iis, qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi haberent.*] In manuſcriptis omnibus & pleriſque etiam impreſſis legitur: *Tum ex iis, qui magiſtratus cepiſſent, qui ſpolia ex Romano*, &c. Quod cum emendatores neſcio qui non intelligerent, omnino tollendum putarunt. Eſt autem ita legendum: *Tum ex iis qui magiſtratus non cepiſſent, qui ſpolia*, &c. Nam ex iis qui magiſtratus ceperant, legit primum, qui curulem, deinde, qui plebeium ceperant magiſtratum. Ex iis autem, qui omnino nullum ceperant magiſtratum, legit, qui ſpolia ex Romano hoſte haberent.

Eod. *Tempus hoc ſeduloterent.*] Vet lib. *hic*, id eſt, *in foro*. Sic etiam reddit Plutarchus in Fabio, vbi eandem rem his verbis perſequitur: ὥσπερ ἰδιώτης ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς ἀνεστρέφετο.

Cap. XXIV. *Conſultus à M. Pomponio prætore ſenatus.*] Ita lib. vet. Ex hoc loco conuincitur etiam ſupra bis mendosè eſſe *M. Æmilio prætore*.

Eod. *Quo ſtatu reſpublica eſſent.*] Vet. lib. *reſpub. eſſet*.

Eod. *Comitiaque edixit, quibus L. Poſtumius III. abſens, qui tum Galliā prouinciam obtinebat, & Ti. Sempronius Gracchus, qui tum Magiſter equitū, & eo accurrerat, conſules crearentur.*] Vet. lib. *qui tum Magiſter equitum, & ea accurrerat*. Suſpicor legendum, *ad ea*, vt comitia intelligamus: opponit enim hunc Poſtumio, ille enim abſens in Gallia, hic cum ad comitia accurriſſet, conſul eſt creatus: ſic Paulo ante. *Qui tum Galliam prouinciam obtinebat.* L. autem Poſtumius Albinus primum cum Sp. Caruilio Maximo, iterum cum Cn. Fuluio Centumalo conſul fuerat.

Eod. *Alia ſupra alia cumulante in eum annum fortuna.*] Vet. lib. *Super aliam*.

Eod. *Noua clades nunciata.*] Huius Poſtumianæ cladis auctor eſt etiam Polyb. lib. 3. extremo.

Eod. *Litanam Galli vocant.*] Huius ſiluæ, & harū inſidiarum meminit etiam Frontinus lib. 1. cap. 6.

Eod. *Poculumque idem ſacerdotis eſſe, ac templi antiſtibus.*] Vet. lib. *Sacerdoti*.

Cap. XXV. *Mæſtitia ſpeciem publica.*] Vet. lib. *Mæſtitia publica ſpeciem*.

Eod. *Duo ne conſulares exercitus ſatis firmati tanto bello ſufficerent.*] Vet. lib. *Ne ſecundo conſulares exercitus ſatis firmi ad tantum bellum efficerētur, inibatur ratio.* Quod cum ita ſit, aptior eſt certe ad ſententiam emendatio Vallæ, qui pro, *ne ſecundo*, legit, *nec quomodo*. Sequitur enim: *Itaq; Galliam omitti eo anno placuit.*

Cap. XXVI. *Fecerant & transfugæ motum in Carpeſiorum gente.*] Glareanus nuſquam ſe legiſſe *Carpeſios* populos ait, itaq; *Tarteſios* mauult, à *Tarteſo* oppido ad Calpen ſito. *Carpeſiorum* tamen ad Iberum meminit Polybios lib. 3. & Stephanus ita: Καρπήσιοι ἔθνος Ἰβηρικὸν τῶν ἐντὸς Ἴβηρος ποταμοῦ.

Cap. XXVII. *Urbem Aſenam.*] Vet. lib. *Aſcuam*.

Eod. *Digreſſus colle.*] *Degreſſus*, vt aliàs.

Cap. XXIX. *Itaque duo diuerſa prælia erant.*] Vet. lib. *Ita duo*.

Cap. XXX. *Recepta Petelia Pœnus ad Conſentiam copias traducit.*] Si *Conſentia* in Brutiis pro Romanis ſtabat, profecto non *Petelini* vni inter Brutios in fide Romanorum poſt Cannenſem cladem manſiſſe videntur, quod ante dixit, præſertim vero cum Conſentia Bruttiorum metropolis ſit, auctore Strabone lib. 6.

Eod. *Itaque vrbe defenſoribus vaſtata facile potiti ſunt hoſtes.*] Magna menda eſt in voce, *vaſtata*, quæ ex priſca lectione deletur quæ eſt *defenſoribus vacua*. ſi quidem opulentiſſimam olim vrbem eo redactam, vt omnis ætatis minus viginti millia ciuium ſupereſſent, ſcribit. Sic lib. 42. *Vacua defenſoribus mœnia.*

Eod. *Senatus decreuit, vt Ti. Sempronius conſul deſignatus, cum primum magiſtratū iniſſet, ad populum ferret.*] Videndum etiam atque etiam, quid ſit, quod in omnibus vet. lib. legitur: *Vt Ti. Sempronius* Coſs. *des. cum in bono iniſſet.* Nam qui emendarunt, *cum primum magiſtratum iniſſet*, mentem potius attendiſſe videntur auctoris, quam verba. Valla olim legendum putauit: *Cum bono omine ad populum ferret*: quod non probo, quia nullam habet rationem vocis *iniſſet*. Ego malim, *cum magiſtratum iniſſet*. Sic enim Cicero prima Philip. *Vti C. Panſa, A. Hirtius conſules deſignati, cum magiſtratum inierint.* Et Cœlius ad Ciceronem O. E. R. I. C. *vti C. Paulus, C. Marcellus, cū magiſtratū iniſſēt.*

Eod. *Vt Fabium duumuirum eſſe iuberent ædis dedicandæ cauſa.*] Miror hoc loco neglectam eſſe Vallæ correctionem, quæ veterum librorum auctoritate confirmatur. *Ut duumuiros eſſe iuberent*: miror item ſpretam eſſe alteram Glareani, *ædium dedicandarum cauſa*. Duæ enim erant ædes dedicandæ, quarum cauſa duumuiri creandi erant. Quare paulo poſt ita loquitur: *Interea duumuiri creati ſunt, Q. Fabius Maximus, & T. Otacilius Craſſus ædibus dedicandis, Menti Otacilius, Fabius Veneri Ericinæ.*

Eod. *M. Æmilio Lepido, qui bis conſul augurq; fuerat.*] M. Æmilium Lepidū, & M. Valerium Læuinū bis cōſules nominat Liuius, quos tamē neque in Capitolinis tabulis, neq; apud Caſſiodorum inuenias niſi ſemel fuiſſe. Hinc ego ſuſpicor, ne ſuffecti fuerint L. Veturio, & C. Lutatio conſulibus, Lepidus iterum, Læuinus primum. Quoniam autē ea pars in Capitolinis Conſulatibus deſideratur, & Caſſiodoros eorū tātum cōſulum, qui primum facti ſunt, qui ordinarij nominantur, meminit, in neutro horum monumentorum hæc nomina inueniri. Sed de hac re accuratius in Faſtorum conſularium commētariis. me enim mouet, quod duo patricij conſules comparantur.

Eod. *C. Lectorius, & T. Sempronius.*] *C. Lætorius, & Ti. Sempronius*, vt ſæpe dixi.

Eod. *Prætoreſque Fuluius Flaccus.*] Caſtiga: *Prætores, Q. Fuluius Flaccus*, perſpicue. Ceterum cōſul hic fuerat cum L. Cornelio Lentulo, cenſor cum T. Manlio Torquato.

Cap. XXXI. *Sex legiones in caſtra Claudiana ſupra Sueſſulam deducerētur.*] Hinc paulo ante dixit: *Claudius à Canuſio Calatiam petit, atque inde Vulturno amne traiecto, perque agrum Saticulanum, Trebianumque ſuper Sueſſulam per montes Nolam peruenit.* Et paulo poſt: *M. Claudius ad eum exercitum, qui ſupra Sueſſulam Nolæ præſideret miſſus.*

Eod. *Delatum ad populum, vt ciues Romani eſſent.*] Emendo. *Dein latum ad populum.* Hęc eſt enim vſitata in hac re loquendi forma: & ipſe ſubdit: *Maxime, vt hoc ferretur, mouerat.*

Eod. *Cui ineunti conſulatum cum tonuiſſet, vocati augures vitio creatum videri reſponderunt.*] Plutarchus idem in Marcello: ἀπεδείχθη οὕτως δὲ τὸ τρίτον, καὶ τοὺς ἱερέας οὐκ αἴσιον ποιουμένους τὸ σημεῖον, ἐμφανῶς δὲ κωλύειν ὀκνοῦντας καὶ δεδιότας τὸν δῆμον αὐτὸς ἐξωμόσατο τὴν ἀρχήν.

Eod. *Fabius Maximus tertiū.*] Primùm fuit cum M'. Pomponio Mathone: iterum cum Sp. Caruilio Maximo.

Eod. *Ti. Sempronius militibus Sinueſſam diem ad conueniendum edixit.*] Idem Sempronius paulo ante diem duabus legionibus vrbanis Cales ad conueniendum edixerat, ad quas accipiendas deinde M. Marcellus eſt miſſus: nunc Sinueſſam ad conueniendum diem edicit volonibus, & ſociorum XXV. millibus, quæ ſibi ſorte euenerant.

Cap. XXXII. *Ante calendas Iulias primus.*] Vet. lib. *Iunias*, quod placet: quia de hoc tempore locutus, *Quintiles* dixiſſet.

Eod. *Terentianum mitti cum aliquo legatorum.*] Senſus eſt: Terentianum exercitum in Siciliam mitti, legiones ex Sicilia reuocatas M. Valerio cum claſſe ad tutandam oram maritimam dari.

Cap. XXXIII. *Ad M. Valerium prætorem circa Nuceriam caſtra habentem.*] De legatis Philippi loquitur per Apuliam venientibus. Ex quo *Luceriam*, videtur eſſe legendum. Nam paulo poſt ait: *Ti. Gracchus à Cumis Luceriam in Apuliam legiones cum duxiſſet, M. Valerium inde prætorē Brunduſium cum eo, quem Luceriæ habuerat, exercitu miſit.* † Hæc de Luceria Glareanus ante Sigonium notauit, ſed ipſe ſubticet, quaſi ipſe primus hoc notaſſet. †

Eod. *Itineraque cum cura demonſtrent.*] *Que*, abeſt à vet. lib.

Cap. XXXIV. *Q. Fuluius Flaccus Corcyræos ad perſequendum.*] Caſtiga ex vet. li. *P. Valerius Flaccus.* Etenim Q. Fuluius Flaccus prætor vrbanus, cui ſuburbana littora cuſtodienda tradita erāt adhuc ab vrbe non mouerat. *P.* autem *Valerius Flaccus*, de quo poſt meminit etiam Liuius. M. Valerij Læuini prætoris, cui ora inter Brunduſium & Tarentum tuēda decreta fuerat, legatus erat. † Et hæc ex Glareani annotationibus habet. †

Eod. *T. Mālius Torquatus, qui bis cōſul, cenſorque fuerat.*] Conſul fuit cum Atilio Bulbo, quo in magiſtratu de Sardis trium-

phauit, iterum cum Q. Fuluio Flacco, quem eundem etiam in cenſura collegam habuit, auctoribus Cap. ſcriptoribus.

Cap. XXXV. *Linternum.*] Vet. lib. *Liternum.*

Eod. *Hominum eo tumultu nocturno caſa plus duo millia.*] Vox, *nocturno*, redundat. nam ex priore verſu ſatis intelligitur rem nocte actam eſſe: abeſt certe à Vet. lib.

Cap. XXXVII. *Exercituſque Cumas reductus.*] Miror, quod Cumas M. Valerius exercitum reduxerit, cum ipſe Luceriæ in Apulia præſideret. Cumis autem Ti. Sempronius in præſidio eſſet, præſertim vero cum ex Irpinis reduxiſſe dicatur.

Cap. XXXVIII. *Ad naues XXV. quib. Q. Fuluius Flaccus præfectus præerat.*] Legendum, vt ante dixi, *P. Valerius Flaccus.* Et paulo poſt: *Juſſuſque Q. Valerius.* Sic enim veteres libri.

Cap. XXXIX. *M. Marcellum pro prætore.*] Vet. lib. *Pro conſule.* ſic etiam paulo poſt: ſic Plutarchus ad Nolam ἀνθύπατον, vocat, id eſt, *pro conſule.*

Cap. XL. *Calares.*] *Carales*, Græci & Latini libri veteres auctores.

Cap. XLI. *T. Otacilius prætor quinquaginta nauium ab Lilybæo claſſe in Africam transfectus.*] Vet. lib. *Quinquaginta nauium claſſe ab Lilybæo in Africam transfectas.*

Cap. XLII. *Pyrrho regi non adiunximus.*] Samnites loquuntur. Eſt autem illud bellum Pyrrhi, Tarentinorum, Samnitum, Lucanorum & Brutiorum copiis, exercituque geſtum. Quod ex triumphis illorum annorum intelligi poteſt. M. quidem Curius non tam de Pyrrho rege, quam de Samnitibus triumphaſſe traditur.

Eod. *Aquo relicti, pacem neceſſariam accepimus, ſuimuſque in ea per annos prope quinquaginta ad id tempus, quo tu in Italiam veniſti.*] Pax data Samnitibus eſt anno ab vrbe cõdita CDLXXIX. quo anno C. Claudius Canina conſul de iis triumphauit, cum per annos LXX. geſtum bellum eſſet, vt ait Liuius libr. 31. in oratione legati Rom. in concilio Ætolorum. Quod ita eſſe inde facile intelligi poteſt, quod cœptum erat bellum M. Valerio, A. Cornelio conſulib. anno CDXII. ſi igitur anno CDLXXIX. victis Samnitibus pax data eſt, in pace autem fuerũt vſque ad aduentum Annibalis in Italiam, P. Scipione, & Ti. Longo conſulibus anno DXXXII. id eſt annis LIII. poſtquam pacem Samnites acceperant: ergo hoc loco legendum videtur, *In ea fuimus per annos prope LX.* Nam vox illa, *prope*, maiori numero non expleto adiicitur. In hac autem oratione omnia oratoriè in maius ornantur, vt cum ait: *per centum prope annos cum populo Rom. bellum geſſimus, nullo externo adiuti, nec duce, nec exercitu.*

Eod. *Non ego ſecundis noſtris regis gloriabor.*] Vet. lib. *Non ergo ſecundis noſtris rebus gloriabimur*, rectè. loquuntur enim legati Samnitum, Irpinorum, Claudinorumque. Sequitur autem: *Quæ aſpera, aduerſaque tunc acciderant, minore indignatione referre poſſumus.*

Eod. *Numidarum paucorum illi quidem præda erant, præſidiumque miſſum nobis erit, et Nola ademeris.*] Senſum aptum nullum elicere poſſum ex bis verbis: *& Nola ademeris.* Suſpicor autem, quia in veteribus libris legitur, *præſidiumque miſſum nobis & Nola ademeris*, ne ſit legendum: *præſidiumque miſſum nobis & Nolam ademerit.* Suadent enim Samnites, vt Annibal præſidium Numidarum ad ſe ab impetu militũ Romanorum, qui Nolæ erant, defendendos mittat, quod idem præſidium & ſe defenſurum ſit, & Nolam, cui maxime imminebat Annibal, Romanis adempturum ſit.

Cap. XLIII. *Herium Petrium.*] Vet. lib. *Hennum.*

Cap. XLV. *Legatum ne Roman. & legionis vnius, atque alæ magno certamine, vix toleratis pugnam?*] Vet. lib. *Legati ne Romani.*

Eod. *Marcellus tirone milite, ac Nolanis ſubſidiis ſaltus nos iam iterum laceſſit.*] Vet. lib. Pro *ſaltus, inultus* habẽt, id eſt, impunitus: innuit cladem à Marcello ante acceptam ad Nolam, quam adhuc Annibal non erat vltus, idcirco ait: *Inultus iterum nos iam laceſſit?*

Eod. *Ferrum nunc debet, an dextra terrent?*] Vet. lib. *Ferrumne hebet, an dextræ torpent?* Forte ita legẽdum: *Ferrũne nũc hebet?*

Eod. *Nunc paucis plures vix reſtatis.*] Vet. lib. *Reſiſtitis.*

Cap. XLVI. *Hoſtium plus mille caſi die, capti mille DC. & ſigna militaria vndeviginti. & duo elephanti, quatuor in acie occiſi.*] Veter. lib. *Hoſtium plus vel caſi, vel eo die viui capti V. millia.* Suſpicor autem legendum: *Hoſtium plus vel caſi eo die, vel viui capti quinque millia*: ſiquidem Plutarchus hunc numerum edit in Marcello, vbi hunc totum locum ita vertit: παρὰ μὲν ϖεντακισχιλίους, καὶ τῶν ἐλεφάντων τέσσαρας μὲν ἀπέκτεινε, δύο δὲ ζῶντας ἔλαβεν.

Eod. *Tertio poſt die mille CCLXXII. equites miſſi Numida, Hiſpanique ad Marcellum transfugerãt.*] Hoc ſic vertit Plutarchus: ἡμέρᾳ τρίτῃ μετὰ τὴν μάχην ἱππεῖς Ἴβηρες καὶ Νομάδων μιγάδες αὐτομολοῦσι ϖλείους τῶν τριακοσίων. Diſcrepat autem in numero, niſi forte legendum ϖλείους τῶν χιλίων τριακοσίων.

Cap. XLVII. *Dureque opima ſpolia victus.*] *Opima* propria dici ſpolia non potuerunt, ſiquidem ea *Opima* ſunt quæ dux duci detraxerit. Dux autem ſit, cuius auſpiciis bellum geratur, vt ſupra traditum eſt. Neuter enim eorum equitum dux erat.

Cap. XLVIII. *Niſi fide ſtaret reſp. opibus non ſtaturam.*] Ita Saluſtius in epiſtola Pompeij, voce, *Fide*, vtitur. *Ego non rem familiarem modo, ſed etiam fidem conſumpſi.* ſenſus eſt: Niſi reſp. pecunia mutuo ſumpta ſubleuetur præſenti ærarij pecunia ſe ſuſtinere non poſſe.

Conducerentque ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hiſpanienſem opus eſſent.] Nihil deſideratur, contra quam cenſet Glareanus. Lex enim quam requirit, hæc eſt, vt conducerent ea lege, vt cum primum pecunia in ærario eſſet, iis primis ſolueretur. Hinc ego malim legi, *conducerent qua ea lege.*

Eod. *Hæc prætor in concione edixit.*] Malim: *Hinc prætor.* Senſus eſt: *Hinc*, id eſt, ex S. C. prætor in concione edixit, qua die quæ exercitui Hiſpanienſi præbenda eſſent, eſſet locaturus.

Cap. XLIX. *Vt quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium, tempeſtatiſque publico periculo eſſent.*] Suſpicor ne vox deſit, legendumque ſit: *ab hoſtium, tempeſtatiſque vi publico periculo tuta eſſent.* poſtulat enim vt populus Rom. ſibi damnum præſtet, quod à tempeſtate, & hoſti afferri poſſit.

Eod. *Hi mores, eaque caritas patriæ per omnes ordines velut tenore vno pertinebat.*] Vitiatum eſſe ſuſpicatur hunc locum Glareanus, ob verbi *pertinebat*, vſum: neque intelligit eodem modo locutum etiam Ciceronem eſſe de natura deorum. *Ratio quadam pertinens per omnem rerum naturam,* † Glareanus non ait Vitiatum vt hic vertit verba, ſed hæret vt ſolet † ¶

Eod. *Illiturgi obſidione liberato ad Incibili oppugnandum Punici exercitus traducti.*] Glareanus legit *ab Indibili*, putatque viri nomen eſſe eius, de quo poſt ſæpius Liuius: verum errat. Nam ſiue *Incibili*, ſiue *Indibili* legas, oppidi nomẽ eſt. ſic enim Frontin. lib. 1. cap. 3. *Cn. Scipio in Hiſpania aduerſus Annonem ad oppidum Indibili cum animaduertiſſet Punicam aciem directam.* De huiuſmodi nominibus ſic Priſcianus lib. 6. *Inueniatur & barbara in Liuius vigeſimo tertio ab vrbe condita: Illiturgi oppidum oppugnabatur.* † Probat hanc correctionem Glareanus. † ¶

IN EPITOMEN LIB. XXIV.

SYPHAX *rex Numidarum in amicitiam aſcitus contra Maſſaniſſam regem Maſſæſulorum pro Carthaginienſibus pugnans victus.*] Syncera lectio, & ſententia huius loci eruitur partim ex ipſo Liuio, partim ex veteribus epitomæ libris, in quibus ita eſt. *& à Maſſaniſſa rege Maſſyliorum pro Carthaginienſibus pugnans victus.*

IN LIBRVM XXIV.

CAP. I. *Vt ex Campania in Bruttios reditum eſt, Anno adiutorib.*] Sic libro priore fere extremo: *Annibal ab Nola remiſſo in Bruttios Annone cum quibus venerat copiis.*

Eod. *Ducibus Bruttiis Græcas vrbes tentauit.*] Polybius libro 3. omnem fere magnam Græciam ad Annibalem poſt Cannenſem cladem defeciſſe ait: Sunt autem Græcæ vrbes Rhegium, Locri & Croto, quas à Bruttiis ſeparare videtur & hoc loco, & ſupra, cum vnos ex Bruttiis Petelinos in fide Romana manſiſſe dixit, alioquin & Rhegini, & Locrenſes, & Crotoniatæ etiam permanſerant.

Eod. *Interim Locrenſes frumentum.*] Hoc loco Locrẽſes à Pœnis oppugnantur, cum tamen priore libro antequam Anno

Digitized by Google

in Bruttios rediret, eos & ad Pœnos deſciuiſſe ſcripſerit, & Romanis portas clauſiſſe: neq. vero occurri poteſt, eos poſtquam ſe à Pœnis ad Romanos contuliſſent, à Pœnis inuadi. neque enim de iis ita hoc loco dixiſſet: *Pauci magis taciti probarent conſtantem fidem, quam probatam tueri auderent.* Quid ergo eſt? an priore libro rem ſtrictim ἐν παρέργῳ demonſtrauit, hic autem pluribus verbis ac conſulto expoſuit? ideo de Crotone iudicandum eſt, quod oppidum & priore libro captum eſſe à Bruttiis excepta arce dixit, & hoc loco repetit: verum ibi breuiter, hic vero pluribus verbis: Ita eſt profecto, vt etiam in principio lib. 25. oſtendam.

Cap. II. *Ab Annone nihil certi allatum.*] Vet. lib. *Ablatum.*

Eod. *Vt plebes ab optimatibus diſſentirët.*] Vet. lib. *Diſſentiret.*

Cap. IV. *Fidem erga populũ Rom. quinquaginta annos ab ſe cultam.*] De Hierone Rege loquitur, qui ſecundo anno primi belli Punici in ſocietatem venit Romanam M'. Valerio Maximo, M'. Otacilio Craſſo conſulibus, vt ſcribit Polybius, à quo anno ad hunc numerantur anni XLIX.

Cap. VI. *Legatique ad Annibalem miſſi, ac remiſſi ab eo cum Annibale nobili adoleſcentulo Hippocrates, & Epicides nati Carthagine, ſed oriundi ab Syracuſis.*] Duos legatos vbique nominat Liuius ad Annibalem ad Syracuſanis miſſos de fœdere contra Romanos iungendo Hippocratem & Epicidem, quia nati Carthagine erant, oriundi ab Syracuſis, Annibalis adoleſcentuli tertij legati nuſquam meminit niſi hoc loco. Quamobrem probo opinionem Henrici Glareani, qui legendum putat, *ac remiſſi ab eodem Annibale nobiles adoleſcentuli Hippocrates, Epicides*: ita vt mentio tollatur tertij legati Annibalis, & omnia ad imperatorem Annibalem referantur.

Cap. VII. *Tamque laxaret elatum pedum abſtricto nodo.*] Lego *ab ſtricto.* ita poſtulante ſenſu.

Cap. XIII. *Moram vllam offerret.*] Vet. lib. *afferret.*

Eod. *Vt tempora poſtulabunt belli.*] Vet. lib. *Vt belli tempora poſtulabunt.*

Eod. *Stantibus vobis in aciem armatis.*] Vet. lib. *In acie.*

Eod. *Lacus Thraſymenus, & Cannæ triſte ad recordationẽ exemplar, at ad præcauendum ſimile vtiles documenta ſunt.*] Vet. libr. *Vtilia documenta ſunt.* Quod magis placet. Sic enim inter ſe hæc reſpondebunt: Triſte exemplar ad recordationem, vtilia documenta ad ſimile præcauendum.

Cap. IX. *Cum ſecuribus ſibi faſces præferri.*] Minatur ſe in eum animaduerſurũ, quod ſecures ſibi præferantur, quas niſi extra vrbem conſul non præferebat.

Eod. *Prætor vnus refectus Q. Fuluius Flaccus nonum, alij creati T. Otacilius Craſſus iterum, Q. Fabius conſulis filius.*] Fœdam labem in his verbis inſidentem nemo adhuc non ſolum non exemit, ſed ne animaduertit quidem. Quid eſt enim, *Refectus nonum?* nonne qui nouies iam prætor factus eſt? certe. at hic honos memini vnquam habitus eſt, ne ipſi quidem. Sequamur igitur auctoritatem manuſcripti libri, in quo eſt: *Prætor vnus refectus Q. Fuluius Flaccus, noui alij creati T. Otacilius.* Intereſt autem an aliquis reficiatur an nouus fiat. Nam qui reficitur, continuat magiſtratum in annum ſequentem; qui nouus fit, is aut tum primum, aut certe interpoſito anno honorem illum rurſus capit.

Eod. *Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum Gallicum.*] Hi conſules fuerunt anno CDLVII. Q. Fabius Maximus Rullianus V. P. Decius Mus IV. lib. 10.

Eod. *Sic poſtea Papirium, & Caruilium aduerſus Samnites Bruttioſque & Lucanum cum Tarentino populum.*] L. Papirius Curſor II. Sp. Caruilius Maximus II. conſules fuerunt anno CDLXXX. atque ambo in magiſtratu de his populis triumpharunt vt extat in Fragmentis Capitolinis.

Eod. *Cum ſummo imperatore opus eſſe reip. ſciret, ſeque eum haud dubie eſſe.*] Vet. lib. *Quod cum ſummo imperatore opus eſſet reip. ſciretque eum haud dubie eſſe.*

Cap. X. *Ex prætoribus prioris anni proprætor Q. Mucius obtineret Sardiniam.*] Vet. lib. *Pro prætore.*

Cap. XV. *Fortiſſimus quiſque pugnator eſſe deſierat.*] Adde hæc verba ex vet. lib. fide, incuria librariorum omiſſa: *Segnibus, ac timidis tradita pugna erat.*

Cap. XVI. *Eadem num vox ita animos accẽdit, atque renouato clamore velut alij repente facti tanta vi ſe in hoſtem intulerant.*] Veteres libri, *Ita animos accendit, vt renouato clamore, velut alij repente facti tanta vi ſe in hoſtem intulerint.*

Eod. *Graccumque orabant, vt epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permiſit: in publico epularentur omnes.*] Malim legi, *ſi in publico epularentur omnes*, vt repetenda ſit vltima ſyllaba vocis præcedentis, *permiſit*. quanquam eodem genere hoc libro vſus eſt. *Permiſſum ipſi erat, faceret quod è rep. duceret eſſe.*

Cap. XVII. *Pomponio pro prætore cum eo exercitu, qui ſuper Sueſſulam in caſtris erat accito.*] M. Pomponium pro prætore in agro Gallico manere iuſſum paulo ante tradidit.

Eod. *Cum coortum prælium videret.*] Vet. lib. *Cum cœptum prælio videret.*

Eod. *Grauiter eſt ab conſule increpatus.*] Vet. lib. *Increpitus.*

Cap. XIX. *Præerat Statius Metius.*] Vet. lib. *Statius Minius*, probo, ne duo prænomina coeant: *Minij* autem gens Campana eſt, vt ſupra oſtendi. Hic autem Campanus fuit.

Cap. XX. *Haud multo minorem, quam à Beneuento acceperat reddidit hoſti cladem.*] Vet. lib. *Ad Beneuentum.*

Eod. *Teleſſia, Coſſa.*] Vet. lib. *Compſa.* Ita vero nominari Irpinorum vrbem quam nunc ſignificat, ante etiam docui.

Eod. *Statiuaque ad Ardoneas communita.*] Ptolemæus *Erdoneæ* in Apulis meminit, *Ardonearum* nemo. Strabo lib. 6. *Κερδωνίας* appellat, vt puto mendoſe.

Eod. *Non id modeſtia militum, aut ducis, niſi ad cõciliandos Tarentinorum animos fieri.*] Vet. lib. *Sed ad conciliandos.* Quod genus dicendi planius eſt.

Eod. *P. Valerius legatus miſſus.*] *P. Valerium Flaccum*, quem ſupra *Q. Fuluium Flaccum* bis per mendum, vocauit, ſignificat. Hoc autem loco vulgo *T. Valerius* legebatur: in Vet. lib. hoc nomen omiſſum eſt. Suſpicor autem ne *M. Liuius* potius reponendum ſit, præſertim quod eo præfecto Tarẽtum amiſſum ſit, Polybio, Liuio, & Plutarcho auctoribus, quamquam apud hunc mendoſe eſt *Μάρκος Λιβίνιος*, pro *Μάρκος Λίβιος*. † Hæc ex Glareani commentariis habet, omiſſo eius nomine. †

Eod. *Spe labefactandæ fidei haud abſiſtens Salapiam tendit.*] Vet. lib. *Haud aſſiſtens*, hoc ſenſu: Annibal vbi ſe à proditoribus Tarenti non excipi vidit, haud diu ad Tarentum aſſiſtens Salapiam tendit, quod celeritate diſceſſus ſperaret, ſe fidem hominum eſſe labefacturum, ſe Tarenti capiendi cauſa cum veniſſet, eluſum eſſe. ſi legas: *haud abſiſtens ſpe*, id erit æque ac ſi dicas: haud ſpe deſtitutus.

Cap. XXI. *Et inſulam & arcem, & alia quæ poterat, quæque opportuna erant, præſidiis firmarat.*] Inſulam, Syracuſarum quartam partem intelligit, non totam Siciliam, vt poſt dicam.

Eod. *Tranſuecti per Thicam.*] Vet. lib. *Ticam.* legendum eſt autem *Tycham* vel *Tychen*, pars vna & hæc Syracuſarum fuit quod ibi templum Fortunæ eſſet, ita appellata: auctor Cicero in Verrem.

Cap. XXII. *In Acradinam.*] Vet. lib. *Achradinam.* Sic Stephanus Ἀχραδίνη τόπος ἔχουσα τεῖχος [illegible] Μάρκελλος, καὶ Ἀχραδίνη μοῖρα Συρακουσῶν. Hanc partem etiam Syracuſarum fuiſſe ſcribit eodem in loco Cicero.

Eod. *Vtrum quod ſatis libertatis foret, contenti nece tyranni eſſent.*] Vet. lib. *libertati*, id eſt, quod ad libertatem recipiendam ſatis valeret.

Eod. *Periculumque ingens manet, niſi communi concordia conſulitis, ne libera efferatur res. Poſt hanc orationem.*] Nihil eſt obſcurius his verbis: *Ne libera efferatur res.* Qua de re nos etiam admonuit Glareanus. Dicam ipſe quid ſentiam: puto legendum eſſe, *Ne libera efferatur reſp.* Fecit enim litera prima ſequentis vocis, *Poſt*, vt librarius literam *p*, inconſulto præteriret. Verba autem ſunt ad tyrannicidas, quorum hic eſt ſenſus: Quæ egiſtis magna ſunt, ſed inchoata veſtra gloria nõdum perfecta eſt. Nam niſi ciuitatis concordiæ cõſulitis, timendum eſt, ne reſp. liberata intereat. quaſi dicat: non eſt ſatis ciuitatem tyrannido liberare, niſi inteſtina ſeditione liberetur, alioquin fiet, vt, quodammodo libera ſeruiat. Quod autem dixit, *efferatur*, verbo vſus eſt tranſlato. *Efferri* enim dicuntur cadauera. Sic libr. 28. *Meo vnius funere elata populi Rom. eſſet reſp.*

Cap. XXIII. *Sopatrum, ac Deomenem.*] Vet. lib. *Dinem.*

Eod. *Dein factio, & pauci auctores.*] Vet. lib. *Ac perpauci auctores.*

Cap. XXIV. *Themiſtio.*] Vet. lib. *Themiſto*, & ſic vbique.

Cap. XXV. *Sicut tum extemplo prætores rogationem promulgarunt.*] Vet. lib. *Sic tum extemplo.*

Fod. *Vt omnis regia ſtirps interficeretur.*] Vet.lib. *Vt omnes regia ſtirpis interficerentur.*

Eod. *Demaratam Hieronis, & Harmoniam Gelonis filiam.*] Vet.lib. *Demarata.* Itē *filias.* Stirps autē Hieronis regis hęc fuit.

Hiero Rex.

Demarata vxor. Androdonoti.	Gelo ante patrem mort.	N. vxor Zoili.	Heraclea vxor Soſippi.
Hieronymus Rex annorum xv. poſt Hieronem.			Harmonia vxor Themiſti.

CAP. XXVI. *Occurſu ſe è ſacrario proripuerunt, vt*] Florebellus vt eſt ſummo iudicio præditus legit, *Eo curſu.* quod laudo. ſic enim libro 26. *Ad fretum eo curſu contendit, vt prope repentino aduentu in cautos oppreſſerit.* & libr. 42. *In iugum Parnaſi refugerant, eo curſu, vt cum vnus &c.*

Eod. *Si alia alio trahat res.*] Probo magis, *ſi alius alio trahat res,* vt legit Florobellus.

Cap.XXVII. *Claſſem nauium centum Romanus habebat.*] De Ap. Claudio loquitur, de quo ita Polybius libr.8. Ἄππιος μὲν ἔχων τὴν πεζικὴν στρατιὰν, Μάρκος δὲ Κλαύδιος πεζικὰς ἔχων δυνάμεις, ἐπὶ δὲ [illegible] τοῖς κατὰ τὴν Σικελίαν.

Cap.XXVIII. *Vtra ſocietas ſit vtilior longe minoris adeo rem momenti conſultatione eſſe.*] Vet. lib. *conſultationem.* Hinc ego, *ad conſultationem* lego. Sic enim paulo poſt: *Eſſe etiam momenti aliquid ad conſilium.* Et Cicero de Fin. *Nõ memini quidem momenti ad ſummum bonum adipiſcendum.*

Eod. *Sed tamen Hieronis potius.*] Si recte attendas, nihil huic ſententiæ deeſſe reperias, contra quàm ſtatuit Glareanus, qui ſubaudit verbum *oſtendere.*† Glareanus hoc loco nihil ſtatuit, ſed Academicum agit, vt ſolet.†

Cap.XXX. *Vt Leontinos irent.*] Vet.lib *Vt in Leontinos irent.*

Eod. *Ducunt Megaram.*] Vrbs Siciliæ Megara, quæ ante Hybla dicebatur auctore Stephano. Hanc etiam *Megaras* vocat Liuius. Et Plutarchus in Marcello, Μεγαρέας πόλιν, forte pro Μέγαρα.

Cap.XXXIII. *Ad Olympium. Iouis id templum eſt.*] Thucydides Ὀλυμπιεῖον vocat libro 7. Huius templi Iouis Olympij Syracuſis meminit libro 16. Diodorus, ita: κατέσχε δὲ καὶ τὸν κατ' [illegible] ἐπιφανεστάτην ἀρχὴν, τὴν Ἀμφιπολίαν Διὸς Ὀλυμπίου οἱ Συρακούσιοι καλοῦσι.

Cap.XXXIV. *Iuncta aliæ binæ ad quinqueremes, &c. turres contabulatas, machinamentaque alia quatiendis muris portabant.* Hoc ſic Plutarchus in Marcello: ὑπὲρ δὲ μεγάλου ζεύγματος νεῶν ὀκτὼ πρὸς ἀλλήλας συνδεδεμένων μηχανὴν ἄρας ἐπέπλει πρὸς τὸ τεῖχος. Vterque horum à Polybio ſumpſit, qui libro 8. ita ſcribit: ἅμα δὲ τούτοις ὀκτὼ πεντήρεσι, παραλελυμέναις, ταῖς μὲν τοὺς δεξιοὺς, ταῖς δὲ τοὺς εὐωνύμους, καὶ συνεζευγμέναις πρὸς ἀλλήλας σύνδυο κατὰ τοὺς ἐξῃρημένους τοίχους, προσῆγε πρὸς τὸ τεῖχος διὰ τῆς τῶν ἐκτὸς τοίχων εἰρεσίας τὰς λεγομένας σαμβύκας. Quas Polybius σαμβύκας dixit, *turres contabulatas* vertit Liuius. Porro autem cum vterque Græcorum horum auctorum octo quinqueremes nominet: quæ binæ coniunctæ fuerint exemptis remis interioribus, ſuſpicor ne quid vitij ſit apud Liuium, preſertim vero cum Polybij locum hunc ad verbum verterit, ſitque legendum: *Iuncta alia bina ad octo quinqueremes.*

Eod. *Murum ab imo ad ſummum crebris cubitalibus fere cauis aperuit, &c.*] Polybius ſic: [illegible] δ' αὐτῶν [illegible] πρὸς τῇ γῇ, [illegible] πρὸς τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν ἀπὸ τοῦ πλείονος, ὡς ἀνθρωπίνου ὕψους κατετέτρησε τρήμασι τὸ τεῖχος, ὡς [illegible] τὸ μέγεθος κατὰ τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν ὡς [illegible] καὶ [illegible], ἐντὸς τοῦ τείχους καὶ βάλλων διὰ τούτων, ἀχρήστους ἐποίει τοὺς ἐπιβάτας.

Eod. *Quæ propius quidem ſubibant naues quo interiores ictibus tormentorum eſſent, in eas tollendas deſuper murum eminentem ferream manus firma catena illigata, cum iniecta proræ eſſet, grauique libramento recelleret ad ſolum ſuſpenſa prora nauim in puppim ſtatuebat.*] Pulcherrimus locus ita deformatus eſt, vt nulla neque ſententiæ neque Latinitatis adſit integritas. Deſcribit autem machinamenti rationem, quo Archimedes naualem belli apparatum, & oppugnationem Syracuſarum eluſit. Vitium vero eſt in his vocibus. *In eas tollendas deſuper murum eminentem.* Quæ quid ad rem pertineant, non ſatis apparet. Ego autem veſtigia germanæ lectionis ſequutus, quæ ſunt in Vet.lib. hoc modo: *In eas tollendo deſuper murum eminente ferrea manu.* Corrigendum puto: *In eas tollenone ſuper murum eminente ferrea manu.* Eſt autem tolleno machina quæ ferrea manu ſibi illigata naues in altum ſuſpendebat. De qua ſic Feſtus: *Tolleno dicitur machinæ genus, quo trahitur aqua in alteram partem prægrauante pondere.* Et Vitruuius in libro 4. cap. 21. *Tolleno dicitur quoties vna trabs in terrā prelata defigitur, cui in ſumme vertice alia tranſuerſa trabs longior dimenſa medietate connectitur eo libramento, vt ſi vnum caput depreſſeris, aliud erigatur.* Eſt autē vſus hac voce Liuius libro etiam 38. *In arietes tollenonibus libramenta plumbi, aut ſaxorum ſtipitesve robuſtos incutiebant.* Eſt autem hic horum verborum ordo. Tollenone ſuper murum emiſſo Archimedes prora nauis ſuſpenſa è ferrea manu firmæ catenæ illigata, cum eadem manus iniecta proræ eſſet, & graui libramento ad ſolum recelleret, ſtatuebat nauim ipſam in puppim. Hoc autem ſic Polybius libr.8. ἅμα δὲ καθῆκε χεῖρα σιδηρᾶν ἐξ ἁλύσεως δεδεμένην, ᾗ δραξάμενος ὁ τὴν κεραίαν οἰακίζων, ὅθεν ἐπελάβετο τῆς πρῴρας, κατῆγε τὴν πτέρναν τῆς μηχανῆς ἐντὸς τοῦ τείχους, ὅτε δὲ κουφίζων τὴν πρῷραν ὀρθὸν ποιήσει τὸ σκάφος ἐπὶ πρύμναν, τὰς μὲν πτέρνας τῶν ὀργάνων εἰς ἀκίνητον καθῆψε, τὴν δὲ χεῖρα καὶ τὴν ἅλυσιν ἐκ τῆς μηχανῆς ἐξέρραινε διά τινος [illegible], οὗ γινομένου τινὰ μὲν τῶν πλοίων πλάγια κατέπιπτε, τινὰ δὲ κατεστρέφετο, τὰ δὲ πλεῖστα τῆς πρῴρας ἀφ' ὕψους ῥιφθείσης βαπτιζόμενα πλήρη θαλάττης ἐγίνετο καὶ ταραχῆς. Et Plutarchus ita in Marcello: ταῖς δὲ ναυσὶν ἀπὸ τῶν τειχῶν ἄφνω ὑπεραιωρούμεναι κεραῖαι, τὰς μὲν ὑπὸ βρίθους στηρίζοντα ἄνωθεν ὤθοῦσαι κατέδυον εἰς βυθὸν, τὰς δὲ χερσὶ σιδηραῖς, ἢ στόμασιν εἰκασμένοις γεράνων ἀνασπῶσαι πρῴραθεν ὀρθὰς ἐπὶ πρύμναν ἐβάπτιζον. Hic ſenſus atque hæc lectio cum & Polybij, vnde Liuius, & Plutarchi, qui Liuio ſumpſit, verbis confirmetur, ſatis magnam apud quemque, vt reor, habebit auctoritatem.

Eod. *Dein remiſſa ſubito, velut ex muro cadente nauim cum ingenti trepidatione nautarum, ita vnde affligebant, vt etiamſi recta recideret aliquantum aquæ acciperet.*] Legendum puto, *affligebat,* vt vox *Vnde,* ſit caſus dandi, non nominandi, hoc ſenſu: Archimedes qui ſuſpenſa prora nauim in puppim ſtatuebat, eadem remiſſa eandem vndæ affligebat. Eſt autem dictum: *Affligere vndæ,* vt lib 44. *vaſa parietibus affligunt.* Et apud Ciceronem pro Rabirio: *Nec tuas vmquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titij afflictam nauim videres.* Hoc autem dixit Plutarchus: τοῖς ὑπὸ τὸ τεῖχος αἰ. [illegible] κρημνοῖς, καὶ σκοπέλοις προσήρασσον.

Eod. *Hieronis impenſis, Archimedis vnica arte.*] Polybius: ὡς Ἱέρωνος μὲν χορηγοῦ γεγονότος, ἀρχιτέκτονος δὲ καὶ δημιουργοῦ τῶν ἐπινοημάτων Ἀρχιμήδους.

Cap.XXXV. *Ad Heracleam, quam vocant Minoam.*] Vrbs Siciliæ de qua Stephanus in vtraque voce: & Suidas.

Eod. *Profectus Carthaginem, accitusque ibi, & ab legatis Hippocratis, & literis Annibalis, qui veniſſe tempus aiebat.*] Qui, *Accitus ibi,* ſcribit, vere portenta ſcribit. Vet.lib. habent, *Aditusque ibi.* Quid eſt, *literis Annibalis aditus?* nihil aliud niſi linguæ latinæ monſtrum. Legendum ergo: *alterisque* vt intelligamus, Imilconem ab legatis Hippocratis, & alteris Annibalis Carthagine eſſe aditū. nam in veteribus libris eſt, *& literiſque* prætet ea, *Qui veniſſe tempus aiebant,* non *aiebat,* vt ad vtrumque referatur.

Eod. *Circa Acillas vrbem.*] Vet.lib. *Acrillas* atque ita puto legendum. Nam Stephanus poſt Ἀκραγαντίας vrbem ſic ait: Ἀκρίλλαι πόλις Σικελίας οὐ πόῤῥω Συρακουσῶν. τὸ ἐθνικὸν Ἀκριλλαῖος. Idem mendum eſt apud Plutarchum in Marcello, qui inquit: ὅλας δὲ τὸν Ἱπποκράτη περὶ Ἀκίλας [illegible].

Cap.xxxvi. *Acras perfugit.*] Ἄκραι τῶν Συρακουσίων κτίσμα: Stephanus.

Eod. *Adeo vterque populus in Siciliam intentus fuiſſe videri poterat.*] Quid ſi legas, *optarat*, id eſt adeo Romanus Pœnuſque optarūt videri in Siciliam intentos eſſe, vt ab Italia in Siciliam verterint bellum.

Eod. *Murgantiam primum.*] Strabo Μοργάντιον vrbem in Sicilia nominat: Stephanus etiam Μοργαντίαν dici ſcribit.

Cap.xxxvii. *Aenna in excelſo loco.*] Vet.lib. *Enna*. Item Græci Ἔννα.

Eod. *Præſidio decedere apud Romanos capitale eſſe, & nec liberorum etiam ſuorum cauſa parentes ſanxiſſe.*] Vet.lib. *Eam ſanxiſſe*, vt videatur eſſe legendum: *et nece liberorum etiam ſuorum eam parentes ſanxiſſe*, vt cum ait: *Eam*, legem intelligamus, qua capitale factum erat, præſidio decedere, ita vt ad rem referatur, non ad verbum. placet autem, vt de Torquato, qui in filium animaduertit, intelligatur, vt Valla docuit.

Cap.xxxviii. *Cauete nequiſquam ex iis ſuperſit.*] Vet.lib. *Cauete quiſquam ex iis ſuperſit.*

Eod. *Si vitanda, non ferenda cauſa.*] Vet.lib. *Inferenda.*

Cap.xxxix. *Fugaque & cædes omnia tenet.*] Veter. libri, *Tenent.*

Eod. *Ita Enna, aut malo, aut neceſſario facinore retenta.*] Florebellus aptius ad ſententiam, & venuſtius ad ornatum legi poſſe putat: *Ita Enna malo at neceſſario facinore retenta.*

Cap.xli. *Ceſſero inde Romani propius pacata loca.*] Vet.libr. *Per prius pacata loca.*

Cap.xlii. *Saguntum oppidum, quod cauſa belli eſſet, octauum iam annum ſub hoſtium poteſtate eſſe.*] Si primo huius belli anno captum Saguntum eſt, hic autem annus eiuſdem belli eſt quintus, vt Liuius auctor eſt, profecto pro *octauo quintum annum* eſt reponendum. † Hæc ex Glareano habet, tacito eius nomine vt ſolet. †

Cap.xliii. *Cn. Fuluius Centimalus.*] Vet.lib. & lapid. Capitol. *Centumalus.*

Cap.xliv. *Quod in Coſſano agro eſt.*] Vet.lib. *Compſano.* Eſt autem *Coſſa* Etruſcorum, *Compſa* Samnitium.

Eod. *Pater filio legatus ad Sueſſulam in caſtra venit.*] Valerius eandem hiſtoriam recitat libr.2.cap.1. vbi eſt *Sueſſam* pro *Sueſſulam.*

Eod. *Et is, vt deſcenderet ex equo, inclamauit.*] Vet.lib. *Et vt is deſcenderet.*

Cap.xlv. *Claſſius Altinus Arpinas.*] Vet.lib. *Claſſius Altinus Arpinus*, recte. ab *Arpis* enim erat, vnde *Arpini*, non ab *Arpino*, vnde *Arpinates* dicti.

Eod. *Si ſibi præmio foret.*] Vet.lib. *præmium.*

Eod. *Cum eam tunc rem ad concilium retuliſſet Fabius, aliis pro transfuga verberandus, necandusque videri.*] Vet.lib. pro *aliis*, *Altinus* habent perſpicue verum.

Eod. *Vt proditio pro ſeptemuirali iudicio eſſet.*] Vet.lib. *Proditis pelli ſeptemuirali iudicio eſt.* Locus deprauatus eſt.

Eod. *Ad Valerium, Pyrrhiue proditorem.*] Faleriis ludi magiſter principum liberos Camillo tradidit, Nicias, vel Timochares ſe veneno ſublaturum eſſe Pyrrhum Fabricio pollicitus eſt, in vtrumque animaduerſum eſt. Liuius libr.5. Gellius lib.3.cap.8.

Eod. *Et non vocitent, documentum cæterum ducat.*] Vet.libr. *Et non nocentium documentum*: & hic locus inſanabilis eſt, niſi quis de ſuo addens diuinare velit.

Cap.xlviii. *Syphax erat rex Numidarum.*] Hunc eundem *Maſæſulorū* regē fuiſſe ſcribit lib.28. his verbis, *Syphacem primum regem ſtatuit tentare. Maſæſulorū is rex erat.* Et li.29. *Maſæſuloruq; fines, id Syphacis regnum erat*, Egregie. erant n. *Maſæſuli* & *Maſſyli* Numidię populi, vt eſt apud Dionyſiū de ſitu orbis.

Τοῖς δ' ἐπὶ ἐν Νομάδων περιναιετάουσιν ἄσπετα φῦλα,
Ἔνθα Μασαισυλιοί τε καὶ ἀγροῖ ὁμῶς Μασσυλῆες
Βόσκονται.

Et Appianus in Lybyco: Νομάδων δὲ τῶν ἐν Λιβύῃ δυνάσται μὲν ἦσαν κατὰ μέρη πολλοί. Σύφαξ δὲ ὑπὲρ ἅπαντας καὶ πολὺ ἦγε παρὰ τῶν ἄλλων ἐπιφανῶς. Quod autem *Maſſaniſſam Maſæſulorum* item regem vocat, mendoſe, pro *Maſſylorum* vocat: ſiquidem in hoc libro haud ita multo poſt ait: *Galam Maſſaniſſæ patrem in altera parte Numidiæ, Maſſylia ea gens vocatur, regnaſſe.* Et Appianus in Libyco ait: Μασσυλίων δ' αὖ γένους Ἀλκόμμενος ἦν τῆς βασιλείας Μασσανάσσης. De Maſæſulis autem ſic Stephanus: Μασαισυλία χώρα Λιβύης προσεχὴς τῇ τῶν Μαυρουσίων. τὸ ἐθνικὸν Μασαισυλιοί, καὶ Μασαισυλιεῖς καὶ Μασαισύλιοι. De Maſſylis autem ſic: Μάσσυλοι Λιβυκὸν γένος: Πολύβιος ἐν ἑβδόμῳ Μασσυλεῖς αὐτοὺς φησί. Et Euſtathius in Dionyſium. Μασσυλῆας δὲ Πολύβιος Μασσυλεῖς γράφει. Hoc autem ita eſſe tum demum credidi, cum veteribus libris Liuianis, & epitomarum diligenter inſpectis, *Maſæſulos Syphaci, Maſſylios Maſſaniſſæ* aperte attribui vidi. Cuius rei nodum implicuit magis, quam ſoluit Glareanus. † Glareanus neutiquam implicat. Tu implicas tuis allegationib. & recētia. Quin explicas in quib. nationibus, aut Africæ locis habitent *Maſſyli*, & in quib. *Maſæſyli*. †

Eod. *Cum duob. Romanis relata Numidia legatoſque Hiſpaniā miſit.*] Vet.lib. *Relata, Numidaſq; legatos*, vt præter Romanos legatos, quos remiſit, Numidas & ipſum miſiſſe intelligamus.

Eod. *Ad capiēdam fidem ab imperatoribus Romanis.*] Vet.lib. *Ad accipiendum.*

Eod. *Maſſyla ea gens vocatur.*] Vet.lib. *Maſſylia.*

Eod. *Maſaniſſam.*] *Maſſaniſſam*, Græci enim Μασσανάσσης, Vet.lib. *Maſſaniſſa.*

Eod. *Syphax cum paucis equitibus in Mauruſios ex acie Numidas. extremi prope Oceanum aduerſus Gades colunt, refugit.*] Legendum puto, *Numidis*, quaſi cum paucis equitibus Numidis refugerit. Hoc facio, ne Mauruſios in Numidia reponamus. Quo nihil poteſt eſſe ineptius.

IN EPITOMEN LIB. XXV.

Annibal *vrbem Tarentum præter arcem per Tarentinos iuuenes, qui ſe noctu venatum ire ſimulauerant, cepit.*] In Vet. lib. eſt. *Præter arcem, in quam præſidium Romanorum fugerat. per Tarentinos*, &c.

In inſidias ductus.] Vet.lib. *Deductus.*

Conflixit acie cum Annibale, qui cum exercitu eum cecidit.] Vet. lib. *Conflixit cum Annibale, & cum exercitu cæſus eſt.*

Ad triginta ſeptem millia cæſa ex mille octingentis. præda ingens capta.] Emenda ex veteribus libris & ipſomet Liuio. *Ad mille octingentos triginta capti. præda ingens parta.*

IN LIBRVM XXV.

Cap. i. *Salentinorum.*] *Sallentinorum*, vt ante dixi.

Eod. *Eodem tempore in Bruttiis ex xii. populis, qui anno priore ad Pœnos deſciuerant, Conſentini et Thurini in fidem populi Rom. redierant.* De Bruttiorum defectione ſæpius agit Liuius. Omnes loco nominabo, vt ſi quid in hac re difficultatis inſideat, leuemus. Anno dxxxiv. Varrone & Paullo conſulibus poſt Cannenſem cladem ita loquitur: *Defecere ad Pœnos Bruttii omnes, Lucani, præter hos Surrentini, & Græcorum omnis ferme ora Tarentini, Metapontini, Crotonienſes, Locrique.* Lib.22. Eodē anno lib.xxiii. ita: *Petillia in Bruttiis à Pœnis capta, poſt Conſentia. Tum Croto vrbs Græca à Bruttiis occupata. Poſtremo Locrēſes deſciuere ad Bruttios, Pœnoſque Rhegini tantummodo regionis eius in fide erga Romanos ad vltimum manſerunt.* Anno dxxxv. Ti. Sempronio conſule, & libr. 24. ſcribit Rhegium à Pœnis fruſtra tentatum. Locros ab eis captos. Croto à Bruttiis occupata, omnis Locros multitudo tranſlata. Anno dxxxvii. Q. Fabio, Ti. Sempronio conſulibus libr. 25. ita: *In Bruttiis ex xii. populis, qui anno priore deſciuerant, Conſentiai & Thurini in fidem populi Rom. redierant.* Hoc loco, priorem annum videtur intelligere, annum dxxxv. & reditum ad Romanos factum eſſe anno dxxxvi. quamquam de eo ſcribat in ann. dxxxvii. illo anno omnium Bruttiorum populorum, quos hoc loco xii. fuiſſe ait, defectionem factam eſſe accipere debemus: ita vt ter de hac re locutus ſit: primum breuiſſime, poſt aliquanto latius, idque non ſuo anno, ſed anno dxxxiv. ad Cannenſis cladis damna ingentia demonſtranda, qua conſternanti tot populi defecerunt: poſtremo latiſſime anno ſuo dxxxv. quamquam ibi nihil de Petelia, & Conſentia dixit, de quibus obi-

ter ante dixerat. Hæc mihi pluribus verbis expoenda fuerūt, vt quoquo modo poſſem Liuiū à Glareani obtrectatione mea interpretatione defenderem, paulo poſt oſtendam videri hoc loco legendum eſſe, *Terinai* non *Thurini*. † Glareanus ſecutus eſt codicum quos habere potuit fidem, pulchre occaſionem præbens aliis inquirendi meliores codices. Hic omnia putat eo animo à Glareano facta, quo animo ille vbicumque Glareani ſcripta vellicare conatur. Hoc etiam male habet hominem, quod Glareanus Liuium non vt deum colit, ſed vt alium hominem ſanæ mentis. †

Eod. *Præfectus ſociûm.*] Egregie: tales enim fuiſſe præfectos ſcribit Polybius libro 6. συνταχθέντων δώδεκα ἄρχοντας προσ-ςάλησαν ὑπὸ τῶν ὑπάτων, οἱ τοῖς ὑπάτοις τὸν ὅμοιον τρόπον τινὰ τὴν χρείαν ἐκ τῶν συναγομένων συμμάχων, ἐκ τούτων δὲ καὶ πεζοὺς ἐξέλεγον τοὺς ἐπιλέκτους ἐκπροσδιαιρέσεως, μεταπεμψάμενοι, ἐπίλεκτοι.

Eod. *Multa prælia parua, haud vllum dignum memoratu fecit.*] Vet. lib. *Haud vlla digna memoria fecit.*

Eod. *Sacrificuli ac vates ceperant hominum mentes.*] Eandem rem expreſſit ſic libro 4. *Animos multiplex religio, & pleraque externa inuaſit, nouos ritus ſacrificandi vaticinando inferentibus in domos, quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi.*

Eod. *Cum emoueri eam multitudinem.*] Vet. lib. *Emouere.*

Eod. *M. Æmilio prætori vrbis negotium datum eſt.*] Emendandum eſt, *M. Atilio prætori vrbano.* Nam hoc anno M. Atilius prætor fuit vrbanus, M. Æmilius peregrinus. Sic enim ſupra Liuius, *M. Æmilius prætor cuius peregrina ſors erat, iuriſdictionem Atilio collegæ prætori vrbano mandarat, vt Luceriam prouinciam haberet.* Item hoc libro infra: *Prætorum Fuluij Flacci, qua Luceria ſub Æmilio prætore eſſent.* In libris porro vet. eſt pro *vrbis*, *vrbano*, quomodo ſcribendum eſſe videtur.

Eod. *Edixit, vt quicūque libros vaticinios, precationeſve, aut artē conſcriptam ſacrificandi haberet, eos libros omnes, &c.*] Hinc li. 39. *Quoties hoc patrum maiorumque ætate negotiū eſt magiſtratib. datum, vt ſacra externa fieri vetarent? ſacrificulos, vateſque foro, circo, vrbe prohiberent? vaticinios libros conquirerent, comburerentque; omnem diſciplinam ſacrificādi præterquam more Romano abolerēt?*

Cap. 11. *C. Papirius C. F. Maſſo.*] *C. Papirius C. F. Maſo*, ex conſulatu eius Capitolino, in quo primus in monte Albano de Corſeis triumphauit.

Eod. *Cn. Seruilius Cepio.*] *Cæpio* ex Capitol. lapi. nummis argenteis. Græcis monumentis, in quibus eſt Καιπίων, & per mendum, Καπίων.

Eod. *L. Quintius Flamininus.*] *L. Quinctius Flamininus*, ex lapid. Capitol.

Eod. *Centonem.*] *Centhonem*, lapid. Capitolin. *C. Claudius* hic *Centho dictator* conſul ante fuerat cum M. Sempronio Tuditano.

Eod. *Primo comitiali die.*] Varro libro 5. *Comitiales dies dicti, quod tum iret populus ad ſuffragia ferenda, niſi ſi quæ feriæ conceptæ eſſent, propter quas non liceret, vt Compitalia & Larina.*

Eod. *Cn. Fuluius Flaccus, Claudius Nero.*] Vet. lib. *C. Claudius Nero.* Eodem poſt etiam prænomine in conſulatu afficitur.

Eod. *M. Iunius Syllanus.*] *Silanus*, ex Capitol. lapid. & Græcis libris Σιλανός.

Eod. *P. Cornelius Sylla.*] Lapid. Capito. *Sulla.* Ceterum *P.* hic *Cornelius Rufinus* dicebatur, in hoc autem magiſtratu *Sullæ* cognomen inuenit, vt poſt dicam.

Eod. *Ædilis Curulis fuit eo anno cum M. Cornelio Cethego. P. Cornelius Scipio, cui poſt Africanus fuit cognomen.*] Placuit hoc loco adſcribere Polybium lib. 10. auctorem eſſe, P. Scipionem cum L. Scipione fratre ædilem fuiſſe. Quod innuit etiam Velleius libro 2. cum ait: *Nam cenſura Metellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit, quod ſolis contigerat Scipionib.* Commemorat enim fratres collegas in aliquo magiſtratu.

Eod. *Ædilicia largitio hæc fuit.*] De largitionibus ædilium, Cicero lib. 2. de Officiis.

Eod. *M. Fundanius.*] Vet. lib. *M. Fundanius Fundulus.* Recte eſt enim *Fundulus Fundaniorum* cognomen. Quod ex conſulatu Capitolino *C. Fundanij Funduli* anno DX. intelligi poteſt.

Cap. 111. *Claudius Nero Sueſſulam.*] Vet. lib. *C. Claudius*, vt ante.

Eod. *M. Iunius Syllanus inter conſules.*] Aſſentior Vallæ & Glareano, quatenus voces illas, *inter conſules*, mendoſe eſſe dixerunt: diſſentio ab iiſdem, quatenus pro iis *Etruriam*, eſſe reſtituendum putarunt. Neque vero, nego, quin M. Iunius prætor Etruriam ſit ſortitus, ſiquidem in anno ſequenti ita ait: *Prætoribus prioris anni M. Iunio in Etruria, P. Sempronio in Gallia prorogatum imperium eſt*: ſed illud dico, non *Etruriam*, ſed *Tuſcos*, eſſe reponendum, non ſolum hoc in loco, ſed etiam infra, vbi ait: *M. Iunio inter cōſules legiones vrbanæ prioris anni data*, vbi, *in Tuſcos*, legēdū eſſe dico. Me autē vt ita ſentiam, adducit primū Liuius, qui ita loqui ſolitus eſt, vt in anno DLX. *Prætores prouincias ſortiti, L. Aurunculeius vrbanā, Cn. Fuluius peregrinam, L. Æmilius Regillus claſsē, P. Iunius Tuſcos*: & paulo poſt: *P. Iunius in Tuſcos exercitum ſcribere iuſſus*: deinde erroris veriſimilitudo. Nam pro *Tuſcos*, vel *in Tuſcos*: factum eſt à librariis *intus* Cos. & *inter* Cos. Quæ qui explicare omnibus literis voluerunt, *inter conſules*, & *intus conſuls*, & *creatus conſul.* hæc enim omnia in veterib. lib. aliis atq. aliis inueniuntur, ſcripſerunt.

Eod. *Hiſpaniæ P. Cn. Cornelius.*] Vet. lib. *P. & Cn. Cornelius.*

Eod. *Populantem temere agros in Lucanis.*] De eo ita huius libri initio: *Proſperis aliquot populationibus in agro Bruttio iuſti ducis ſpeciem nactus.*

Eod. *quia publicum periculum erat à vi tempeſtatis in iis, quæ portarentur ad exercitus.*] Hac de re ſic li. 24. extremo. *Alterum poſtulatum publicanorum fuit, vt quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatiſque vi publico periculo eſſent.*

Eod. *Ea fraus iudicata M. Æmilio prætori priore anno fuerat.*] Superiore anno, vt oſtendi, *M. Atilius* in vrbe manſit, quippe qui prætor eſſet vrbanus: reliqui prætores in prouincias profecti ſunt. Ergo *M. Atilio*, vt ante corrigendum.

Eod. *Quia patres ordinem publicanorum in tali tempore offenſum nolebant, populus ſeuerior vindex fraudis erat.*] Mirator Glareanus quid ſit, quod cum populū fraudis vindicem vocet Liuius, paulo poſt, plebis concilium habituros eſſe hac de re dicat, neque intelligit cum de tributis comitiis agitur, vt hoc loco, populum pro plebe accipi, præſertim vero cuos ab comitiis patres eſſent exempti. † Hoc ipſum vult Glareanus populum pro plebe accipi, ſed ſic non tollitur obſcuritas †. Quod Liuius tradidit libro ſecundo, *Inſignem annum maxime tributa comitia efficiunt res maior victoria ſuſcepti certaminis, quam vſu: plus enim dignitatis comitiis ipſis detractum eſt patribus ex concilio ſummouendis quam virium, aut plebi additum, aut demptum patribus.* & eodem libro, *Conſules nobilitaſque ad impediendam legem in concione Conſiſtunt, ſummoueri Lætorius iubet, præterquam qui ſuffragium ineant.* Gellius libro decimo quinto, capite vigeſimo ſeptimo: *Is qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt. Ita ne leges quidem propriæ ſed plebis ſcita appellantur. quæ tribunis plebis ferentibus accepta ſunt.* Sæpe autem populi voce Patres etiam continentur, vt eodem in loco ſignificat Liuius. *Conſul Appius negare ius eſſe tribuno in quemquam niſi plebeium, non enim populi, ſed plebis eum magiſtratum eſſe.*

Eod. *Tribuni plebis, &c. ducētum millium æris multā M. Poſtumio dixerunt, cuius certādæ cum dies aduenisſet.*] Magiſtratus mulctare quemquam non poterat, ſed multam pronunciare, quam deinde populus aut iuberet, aut remitteret. Illud erat *multam dicere*, hoc *multam certare*, Sic libro 3. de Legibus Cic. *Magiſtratus nec obedientem, & noxium ciuem multa, vinculis, verberibuſve coercento, ni par maiorve poteſtas prohibeſcit, ad quos prouocatio eſto. Cum magiſtratibus iudicaſſet, irrogaſſitve, per populum multæ, pœnæ certatio eſto.* Et Philipp. XI. *Craſſus conſul Pont. Max. Placco collegæ Flamini Martiali multam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet, quam multam populus Rom. remiſit.* Sic Liuius paulo poſt: *Tribuni plebis omiſſa multæ certatione rei capitalis diem Poſtumio dixerunt.*

Eod. *Teſtulis datis tribuni populum ſummouerūt, ciſtellaque allata eſt, vt ſortirentur, vbi Latini ſuffragium ferrent.*] Veteres libri habent, omnes, *Teſtibus datis.* Quæ lectio neglecta eſt ſine cauſa. In eiuſmodi enim re ſic loquitur Cicero in prætura vrbana: *Accuſabo, reſpondebis: teſtibus editis ita mittam in conſiliū, vt etiam ſi lex ampliandi faciat poteſtatem tamen iſti turpe ſibi exiſtiment, non primo iudicare*: & libro vigeſimo ſexto, Liuius, *Bis eſt accuſatus, pecuniaque anquiſitum, tertio teſtibus datis, cum iurati permulti*

diſcerent, fuge initium à prætore ortum, tanta ira accenſa eſt, vt expte anquirendum concio ſucclamaret: Sic hoc loco: Tribuni qui diem dixerant, datis teſtibus ſummouent populum, vt tribus ad ſuffragandum introuocent: quod eſt æque atque iudices in conſilium mittere, Præterea pro, *Ciſtella allata eſt*, Veteres libri habent, *Si te illaq; lata eſt*, vt *ſitella*, magis probem. Sic Cicero libro primo de Nat. deorum. *Vt igitur Ti. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre de M. Octauio deferentem ſitellam.* Idem tamen eſt, *ciſtula*, vt ad Herennium libro 1. *Ille nihilominus ciſtulam detulit.* Et paulo poſt: *pontes diſturbat, ciſtas deycit.* Has vocat ὑδρίας Plutarchus in Tiberio: καὶ τὸ δῆμον αὐτοῦ καλοῦντος ἐπὶ τὴν ψῆφον, ἡρπάσθησαν ὑπὸ τῶν πλουσίων αἱ ὑδρίαι. Sitellam autem tulerunt tribuni, vt ea ſorte tribus educerentur, in quibus Latini ciues Romani facti ſuffragium ferrent, quaſi vero in aliis tribubus cenſerentur, in aliis ſuffragerentur.

Eod. *Conſilio diem eximeret.*] Nota forma dicendi aliorum interpretatione facta eſt. Cicero de legibus. 3. *Diem tollere* dixit. Idemque ſæpius *eximere*. quod eſt, ne quid eo die conficiatur in populo, vel in ſenatu de re aliqua, vel dicendo, vel alia ratione impedire.

Eod. *Vos in ordinem coactos eſſe.*] Idem eſt *in ordinem redactus* quo de genere dicendi ſic Priſcianus libro decimo octauo, *in ordinem redactus eſt. id eſt, inter viles & abiectos connumeratus eſt.* Liuius libro 30. ab vrbe cõdita, *Tribuni plebis in ordinem redacti pro contemptiſſimis habiti ſunt.* Hinc etiam *extra ordinem redacti*, pro egregiis dicuntur. Attici ἐξεχειροτονήθησαν φασί. Ξενοφῶν Ἑλληνικῶν δ. ἦν δὲ οὗτος ὁ ἀνὴρ, οὐχ ἧττόν τι μᾶλλον δὲ συντεταγμένος καὶ ἐξεχειροτονήθη αὐτοῦ.

Cap. IV. *M. Furium Camillum.*] Hac de re lib. 5.

Eod. *Decemuiros ante eum.*] libro tertio.

Eod. *Tribuni plebis vocarũt, plebſq; ita ſciuit. Si M. Poſtumius.*] Hanc lectionem nobis olim reſtituit Valla, cum legeretur *Tribuni plebis vocarunt, plebeſq; ſciuit*, & ita: *Tribuni plebem vocarunt.* Nos autem germanam lectionem eſſe cenſemus, *Tribuni plebis plebem rogarunt, plebeſq; ſciuit.* Sic enim libro tertio. *M. Duilius tribunus plebis plebem rogauit plebeſq; ſciuit.* Et libro 26. *Vt M. Antiſtius tribunus plebis rogationẽ ferret, ſcire q; plebs.* Et libro 27. *Ex auctoritate patrum ad plebem latum plebemq; ſciuiſſe.* Et libro trigeſimo primo, *Tribuni ad plebem tulerunt, plebeſq; ſciuit.* Et Cicero Philipp. prima, *Hoc accepimus à maioribus ius rogandi. Conſules populum iure rogauerunt, populuſq; iure ſciuit.*

Cap. V. *Nouus Pontifex M. Cornelius Cethegus.*] L. Lentulus duobus ſacerdotiis præditus fuit Pontificatu, & Pontificatu maximo. In eius mortui locum M. Cornelius Cethegus Pontifex factus eſt, P. vero Craſſus Pont. Max.

Eod. *Et Licinium Craſſus.*] Vet. lib. *Et P. Licinius Craſſus*, quo eodem prænomine poſtea in conſulatu afficitur.

Eod. *Ante hunc intra centum annos, & viginti nemo præter P. Cornelium Caluſſam Pont. Max. creatus fuerat, qui ſella curuli non ſediſſet.*] Nuſquam alibi *Caluſſam* cognomen reperi. Puto autem legendum eſſe, *Scapulam*, vt *P. Cornelius Scapula* intelligatur, qui annos ante propè viginti conſul fuit.

Eod. *Vt qui minores ſeptem & decem annis ſacramento dixiſſent, iis perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & viginti annorum, aut maiores milites facti eſſent.*] Vet. lib. *Ac ſi ſeptem & decem annorum.* Hæc eſt enim ætas militaris legib. conſtituta.

Eod. *Qui cum P. Lentulo militabant.*] Hic anno DXXXVI. Siciliam prouinciam in prætura habuit, eandémq; biennio poſt prorogato imperio obtinuit.

Cap. VI. *Conſulem te M. Marcelle.*] Vet. lib. *Conſulem, inquit, te M. Marcelle.*

Eod. *Qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant.*] Hæc pugna pugnata eſt P. Valerio Læuino conſule duce. De qua Plutarchus in Pyrrho, Florus, Oroſius, qui ſcripſit de Viris illuſtribus.

Eod. *Imperatore eo, cui.*] C. Terentio Varrone lib. 22.

Ad Aliam prope omnis exercitus fugit.] lib. 5.

Eod. *Ad Furcas Caudinas.*] lib. 9.

Eod. *Vt vlla ignominia iis exercitibus inureretur.*] Valla reſtituit, *Inureretur*, cum in Vet. lib. legeretur: *Quæreretur*, vt hodie quoque legitur. Mihi vero vetuſta lectio placet, vt quemadmodum Cicero dixit, *Quærere alicui honores* ſic *Ignominiã quærere* dicamus. Quod verbum eò huic loco accommodatius eſt, quod genus ignominiæ, qua notati ſunt Cannenſes iſti milites, nouum & nunquam antea vſurpatum eſt, Cicero Philip. 9. *Vellem dij immortales feciſſent, vt viuo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus.*

Eod. *Apud patres noſtros captiui.*] Bello Pyrrhi.

Eod. *Ex Cannenſi acie.*] Vet. lib. *Pugna.*

Cap. VII. *Dum ne quis eorum munere vacaret.* Id eſt, dum ne quis excuſatus vacationem haberet militiæ. Sic enim libro 26. *Quibus ſenatus miſſionem, reditumq; in patriam negauerat ante finem belli.*

Eod. *Reficiendis ædibus Fortunæ, & matris Matutæ.*] Vet. lib. *Fortunæ & Martis*, vt ſuſpicandum ſit, ne vox, *Matutæ*, affricta ſit ab iis, qui *matris*, pro *Martis* legerunt.

Cap. VIII. *Ex iis tredecim ferè nobiles Tarentini coniurauerũt.*] Vet. lib. *nobiles iuuenes Tarentini*, egregie: nam paulo poſt ſubiungit: *Conſpectu eorum præda iuuenum eſt.* *Ex iis* autem quod ait, *ob ea*, intelligendum eſt, id eſt, ob ſupplicium de obſidibus Tarentinis ſumptum.

Eod. *Nico & Philomenes.*] Vet. libri, *Philomenus.* Polyb. lib. 8. Νίκων, καὶ Φιλήμενος.

Eod. *Nocte per ſpeciem venandi vrbe egreſſi ad eum proficiſcuntur.*] Ex hoc loco incipit fragmentum huius hiſtoriæ apud Polybium lib. 8. vnde hæc ad verbum ſumpſit Liuius: τὸ μὲν οὖν πρῶτον ὡς ἐπ' ἐξοδίαν ὁρμήσαντες ἐκ τῆς πόλεως καὶ συμμίξαντες τῇ παρεμβολῇ τῶν Καρχηδονίων νυκτός, ἄλλοι μὲν ἐνεδρεύσαντες εἴς τινα τόπον ὑλώδη, περὶ τὴν ὁδὸν ἔμειναν. ὁ δὲ Φιλήμενος, καὶ Νίκων προσῆλθον πρὸς τὴν παρεμβολήν. &c.

Eod. *Fidem ſanxerunt, liberos Tarentinos leges, ſuáq; omnia habituros.* Sic Polyb. αὐτοὶ τι λαβεῖν παρὰ τοῦ Ἀννίβα ἐδόκουν πίστιν, καὶ παρ' ἐκείνου ἔλαβον ἐπὶ τούτοις, ἐφ' ᾧ Ταραντίνους ἐλευθερώσειν, καὶ μήτε φόρους πράξασθαι κατὰ μηδένα τρόπον, &c.

Eod. *Donabat aut præfecto, aut cuſtodibus portarum.*] Polyb. διὸ τούτοις ἐπέταξαν ἐκδιδάσκεσθαι διὰ τῶν ἁλισκομένων θηρίων. πρῶτον μὲν τὸν ἐπὶ τῆς πύλης τεταγμένον Γάιον, Λίβιον, δεύτερον δὲ τοὺς μὲν φυλάττοντας τὸν πυλῶνα. Quo in loco *C. Liuium* præfectum appellat, quem poſtea Liuius *M. Liuium Macatum*, Cicero in Catone *M. Liuium Salinatorem.*

Eod. *Ægrum ſimulabat.*] Polyb. ὁ δὲ πάλαι προσεποιεῖτο ἀσθενεῖν, ὡς ἀρρωστῶν.

Eod. *Tridui via aberat.*] Sic Poly. ἀπεῖχε τῷ στρατοπέδῳ τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν τοῦ Τάραντος.

Cap. IX. *Decem millibus peditum atque equitum, quos in expeditione velocitate corporum, ac leuitate armorum aptiſſimos eſſe ratus eſt, electis.*] Polybios: παρασκευάσας ἐκ τε τῶν ἱππέων, καὶ τῶν πεζῶν τοὺς διαφέροντας εὐζωνίᾳ καὶ τόλμῃ περὶ μυρίους ὄντας τὸν ἀριθμόν.

Eod. *Quarta vigilia noctis.*] Polyb. ὑπὸ τὴν ἑωθινήν.

Eod. *Præmiſſiſque octuaginta ferè Numidis equitibus, &c.*] Polyb. τῶν δὲ Νομαδικῶν ἱππέων εἰς ὀγδοήκοντα προχειρισάμενος, ἐκέλευε προπορεύεσθαι, &c.

Eod. *Ipſe raptim agmine facto, quindecim fermè millium ſpacio caſtra ab Tarento poſuit.*] Malim *agmine acto*, quod eſt *moto.* Quod Liuius *quindecim millia*, Polybius: εἰς ἑκατὸν καὶ εἴκοσι σταδίους.

Eod. *Et ne ibi quidem nunciato, quo pergerent, tantum conuocatos milites monuit, via omnes irent, &c.*] Malim, *quo pergeret*: de Annibale enim loquitur, de quo ſic Polybius: καὶ συναθροίσας τοὺς ἡγεμόνας, κατὰ μὲν οὖν διεσάφει τὴν ἐπιβολήν. ἁπλῶς δὲ παρεκάλει ἀνδραγαθεῖν τῷ παρεῖναι τοὺς ὑφ' αὑτὸν τεταγμένους, &c. quo in loco legendum eſt ex Liuio: κοινῶς μὲν ὁδεύειν. Illud etiam intereſt, quod Liuius *milites*, Polyb. *duces conuocatos* ſcribit.

Eod. *Neu quid niſi ducum iuſſu facerent.*] Polyb. καὶ μηδὲν ἰδιοπραγεῖν, πλὴν τῶν παραγγελλομένων. Sic enim legendum, non autem: καὶ μηδενὶ διαπραγματεύειν, vt legitur vulgo.

Eod. *Interea adeo nihil obedienter curatum eſt. vt contra pro argumento fuerit illa procurſatio Numidarum, Annibalem exercitúmq; caſtris non moniſſe.*] Breuius Polybius: ἐκ γὰρ τῶν ἐκεῖ πράξεων διὰ ταῦτα καὶ μᾶλλον ἀνύποπτος ἦν ὁ Λίβιος. id eſt, *Ex his minus ſuſpecta tota actio Liuio præfecto erat.* Quod autem ait Liuius *Nihil obedienter curatum eſt*, ab equitibus intellige, quos ad arcendas populationes Numidarum præfectus emiſerat.

Eod. *Annibal concubia nocte mouit. Dux Philomenus erat cum ſolyto captu venationis onere.*] Polyb. ἐπεὶ τὴν προσυγκειμένην ὥραν ἀπὸ θήρας ἀναδέξαντες ἔπλευσαν τῷ τείχει περὶ μέσας νύκτας, καθηγεμόνα τὸν Φιλήμενον ἔχων, καὶ παρεσκευασμένον αὐτῷ πρὸς τὴν διατεταγμένην χρείαν.

Digitized by Google

Eod. *Parte alia portam Temenitidam adiret Annibal. Ea mediterranea regione Orientem ſpectabat, aliquantum intra mœnia includitur.*] Vet. lib. *Temenida*. Sic etiam Polybius: κτ̓ τὴν ἀπὸ ἀνατολῆς, πρὸς ἣν δὴ κειμένην πλατεῖαν ἐπὶ τὰς Τημενίδας προσαγορευομένας πύλας. Quod ait: *aliquantum intra mœnia includatur:* intelligendum eſt nihil eiuſmodi de porta à Polybio afferri, ſed de ſepolcris quibuſdam, ad quæ Nico, & ſocij eius venerunt, vnde ignem excitarunt, vt & Polybius & Liuius ait: *Editus ex compoſito ignis ab Annibale refulſit. Idem redditum ab Nicone ſignum.* Hæc autem ſepulchra intra mœnia atque intra portas fuiſſe ſcribit Polybius: ὄντων ἐπὶ τοὺς τάφους. τὸ γὰρ πρὸς ἕω μέρος τῆς τῶν Ταραντίνων πόλεως, μνημάτων ἐστὶ πλῆρες, διὰ τὸ τοὺς τελευτήσαντας θάπτεσθαι ἔτι καὶ νῦν ἐντός. Et poſt: διὰ ταῦτα θάπτειν ἐντὸς καὶ νῦν τοὺς μεταλλάξαντας ἐντὸς τῆς πύλης. In Vet. lib. eſt, *Aliquantum intra mœnia includuntur*, vt omnino locus hic totus videatur ita eſſe ſupplendus. *Conuenerat autem vt Philomenus portula aſſueta venationem inferens armatos induceret, parte alia portam Temenida adiret Annibal. Ea mediterranea regione Orientem ſpectabat. Nico cum ſociis ad monumenta eſſet. Ea aliquantum intra mœnia includuntur.* Nam niſi ita ſuppleas, vanum erit quod ſequitur: *Cum portæ appropinquaret, editus ex compoſito ignis ab Annibale refulſit, idem redditum ab Nicone ſignum:* Neque enim quid cum Nicone Annibali conueniſſet præceſſit.

Eod. *Editus ex compoſito ignis ab Annibale eſt, refulſitq́;*] Vet. lib. *Ab Annibale refulſit.*

Eod. *Annibal cum peditum agmine ingreditur, equites ſubſiſtere iubet, vt quo res poſtulet, occurrere libero campo poſſent.*] Polybius apertius, ait enim Annibalem in forum veniſſe, equites intra mœnia ſubſiſtere iuſſiſſe, quare paulo poſt Liuius: *Cum ſilentio in forum ducti Annibali ſe iunxerunt.*

Eod. *Portula parte alia.*] Vertit ex Polybio ῥινοπύλην & πυλίδα *portulam.*

Eod. *Vix ſuſtinere grandis beſtia onus.*] Polybius: εἰ μὴ τις ὑποβαστάσειεν), φέρειν γὰρ ὗν ἄγριον.

Eod. *Sequutus ipſe cum expedito venatore.*] Polyb. καὶ σὺν αὐτῷ Νομάδα ἔχων ἀκόλουθον ἕπεται.

Eod. *Ingreſſi deinde triginta fere armati.*] Polyb. Afros triginta fuiſſe ait.

Eod. *Tum duo millia Gallorum Pœnus in tres diuiſa partes per vrbem dimittit, Tarentinos, et Afros quam maxime frequentia occuparet iubet.*] Sæpe fit, vt qui locum ſe emendare exiſtimet, is non ſolum non emendet, ſed magis etiam deprauet, ac cuiuſdam ſenſus ſpecie ceteris facultatem cognoſcẽdæ labis omnem eripiat, vt hoc loco Valla, qui cum legatur in veteribus libris, *Tarentinos & infra*: putauit emendatum eſſe locum, ſi pro *infra. Afros*, repoſuiſſet. Ceterum Polybius docet non ita legendum, multo vero minus ita interpretandum hunc locum eſſe, neque enim aut Tarentini, aut Afri ab Annibale ad occupanda frequentia miſſi ſunt, ſed Galli ducibus iuuenibus Tarentinis, quod etiam addit Liuius: quamquam quid eſt, *Frequentia*? quis ſic Latine locutus eſt vmquam *occupare frequentia*? Polybius Gallis mandatum eſſe ab Aonibale ait, vt aptiſſimas quaſque in forum ferentes vias occuparent. Hinc ego voces, *Tarentinos*, & fœdiſſime deprauatas eſſe exiſtimo, pro, *& ferentes vias*, vocem autem, *infra, in fora*, legendam eſſe, vt ita ſit: *Tum duo millia Gallorum Pœnus in tres diuiſa partes per vrbem dimittit, & ferentes vias in fora quam maxime frequentia occupare iubet.* Atque ſenſum hunc eſſe exploratum habeo. Polybius: ἀπομερίσας δὲ τ̃ Κελτ̃ εἰς δισχιλίους, καὶ διελὼν εἰς τρία μέρη τούτους, ζυγίους τ̃ νεανίσκων δύο πρὸς ἕκαστον μέρος τ̃ τὰς χρησιμωτάτας πρόσοδος διαλαβεῖν τ̃ εἰς τὴν ἀγορὰν φερουσῶν ὁδῶν τοὺς ὑπηρετοῦντας & paulo poſt: παραγενομένων δὲ τῶν Ταραντίνων ἀθρόων, id eſt, *cum Tarentini in fora concurrerent*. Liuius paulo poſt: *Viam ferentem in agros.* & lib. 26. *Via qua Sueſſulam fert.*

Cap. x. *Præfectus primo excitatus tumultu.*] Polybius *C. Liuium* præfectum ad portam, atque inde in arcem perueniſſe, item ſcribit. Liuius nomen præfecti omittit, ne notam familiæ ſuæ nomini aliquam inureret, ſiquidem *C. Liuij præfecti* culpa, quem ebrium etiam tum fuiſſe ait Polybius, Tarentum amiſſum eſſe conſtat.

Eod. *Terrorem & tuba audita ex theatro faciebat. Nam & Romana erat à proditoribus ad hoc ipſum præparata, & inſcienter à Græco inflata quis, aut quib. ſignum daret incertum efficiebat.*] Vet. lib. *ſcienter*: idque recte: ſic enim Polyb. οἱ περὶ τ̃ Φιλήμενον ἀπομανθάνοντες σύνθημα Ῥωμαϊκόν, καὶ ποιοῦντες αὐτοὺς χρῆσθαι δυναμένοι διὰ τὴν συνήθειαν, συρίττειν περὶ τὸ διάλεκτον, ἐσάλπιζον.

Eod. *Poſtquam lux certior erat, &c. Tum Annibal Tarentinos ſine armis conuocare iubet.*] Polyb. ὄντες δὲ αὐτοὺς εὐδιαφορεῖν, ὁ μὲν Ἀννίβας ἐκήρυξε τοὺς Ταραντίνους ἄνευ τῶν ὅπλων ἀθροίζεσθαι πάντας εἰς τὴν ἀγοράν.

Eod. *Perſecuti fuerant.*] Vet. lib. *Proſecuti*: eſt enim officij verbum, quod huic loco conuenit. Polyb. ἀπεχώρησαν εἰς τὴν ἄκραν.

Eod. *Recipere ſe in domos ſuas quemque iuſſit, & foribus nomen ſuum inſcribere.*] Polyb. κατατάξας ἑκάστους εἰς τὰς ἰδίας οἰκίας ἐπιστάλθαι μετὰ ζωσθέντας ἐπὶ τὰς θύρας ἐπιγράψαι, Ταραντίνου. Inde τοῖς δὲ ἐπὶ τὰς Ῥωμαίων καταλύσεις ἐπιγράψαντι ταυτὸ τοῦτο, θάνατον ὥρισε τὴν ζημίαν. Liuius: *Si quis in hoſpitio ciuis Romani nomen inſcripſiſſet, eum ſe pro hoſte habiturum.* Idem affert rationem, quæ non eſt apud Polybium. *Vacuas autem cernebat domos.*

Cap. xi. *Quam cum & mari, quo in peninſula modum pars maior circumluitur, & prealtis rupibus, & ab ipſa vrbe muro, & foſſa ingenti ſeptam videret.*] *Et præaltis rupibus. Et*, vacat, ex vet. li. & ſenſu ipſo. Intelligit enim arcem à mari præaltis rupibus ſeptam fuiſſe, ab vrbe muro & foſſa. Itaque quod Glareanus hunc locum ſequenti repugnare ait: *Et eſt non altitudine, vt cetera, tuta, ſed loco plano poſita*, non procedit: hic enim de altitudine, quæ mare ſpectat, poſt de ea, quæ terram, loquitur, ſiquidem in plano poſitam eſſe ait.

Eod. *Vallo vrbem ab arce interſepire ſtatuit.*] Polyb. ἔκρινε διατειχίζειν τὴν πόλιν ἀπὸ τῆς ἄκρας.

Eod. *Et ſi ferocius procurriſſent.*] Priſcianus Liuium ait hoc loco ſcripſiſſe *procucurriſſent*, vt Cato dixit: *Concucurriſſe*. Polybius: θρασέως τ̃ Ῥωμαίων καὶ τεταγμένως ἐγχειρούντων τοῖς ὑπεναντίοις

Eod. *Loci anguſtia eos, impedimentaq́; alia opere iam cœpto alia apparatu operis morabantur.*] Placet veteris lectio, *Impeditaq́; alia*, vt ſit; alia loca impedita opere iam cœpto, alia impedita apparatu operis.

Eod. *Vt ſimul in faciendo muro adiuuaret.*] Vet. lib. *infaciendo.*

Eod. *Ad Galeſum flumen, quinque millia ab vrbe abeſt, poſuit caſtra.*] Polybios: κατεστρατοπέδευσαν περὶ τετταράκοντα σταδίους ἀπέχοντες τ̃ πόλεως παρὰ τ̃ ποταμόν, παρὰ μὲν τοῖς Γαλαισόν, παρὰ δὲ τοῖς πλείστοις προσαγορευόμενον εὐρώταν.

Eod. *Miſſum à Metaponto præſidium Romanis fecit animum.*] Polybius: παραγενομένης ἐκ Μεταποντίου βοηθείας εἰς τὴν ἄκραν κατὰ θάλατταν ἔσχε τι ταῖς ψυχαῖς ἀναθαρρήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι νυκτὸς ἐπέθεντο τοῖς ἔργοις.

Eod. *Annibal conuocatis principibus Tarentinis, omnes præſentes difficultates expoſuit.*] Polybios: ἀθροίσας τοὺς Ταραντίνους, ἀπέδειξε διότι κυριώτατόν ἐστι πρὸς τοὺς ἐνεστῶτας καιροὺς τὸ τ̃ θαλάττης ἀντιλαμβάνεσθαι. Et paulo poſt: ἐδίδαξε τοὺς Ταραντίνους, ὡς ἐὰν ἀποκλεισθῶσι τ̃ κατὰ θάλατταν ἐλπίδος οἱ τὴν ἄκραν τηροῦντες, ταχέως αὐτοὶ δι᾽ αὑτῶν εἴξαντες, λείψουσι ταύτην, καὶ παραδώσουσι τ̃ τόπον.

Eod. *Quod ſi naues ſint.*] Vet. lib. *Quod ſi naues ſint.*

Eod. *Aſſentiebamur Tarentini. &c.*] Polyb. ὧν ἀκούσαντες οἱ Ταραντῖνοι, τοῖς μὲν λεγομένοις συγκατετίθεντο, &c.

Eod. *Punicas enim naues ex Sicilia accitas id poſſe facere.*] Polybius addit, fieri hoc per ea tempora non potuiſſe.

Eod. *Euadent, inquit, Annibal.*] Facta à Liuio verba, quæ non ſunt apud Polybium.

Eod. *Via, qua in portum per mediam vrbem ad mare transfiniſſa eſt, transuehebam naues.*] Polybius: ὁ δὲ συνεχὴς τὴν πλατεῖαν οὖσαν διανενεμημένων, τὴν ἐπ᾽ ἀρχὴν μὲν ἐντὸς τοῦ διατειχίσματος, φέρουσαν δὲ παρὰ τὸ διατείχισμα ἐκ τοῦ λιμένος εἰς τὴν ἔξω θάλατταν ταύτῃ διεκόμιζε τὰς ναῦς ἐκ τοῦ λιμένος εἰς τὴν νότιον ... ὑπερβιβάζων. Ex his apparet legendum eſſe apud Liuium, *ex portu*, non *in portum*. Vet. quidam libri, *in portu*, habent. Tranſtulit enim plauſtris naues è portu per vrbem ad mare, quod ad meridiem ſpectat.

Eod. *Contracta extemplo vndique plauſtra.*] Latius rationem exponit Liuius, qua tranſuectæ naues ſint, quam Polybius qui breuiſſime eam eſt complexus.

Eod. *Hunc ſtatum rerum Annibal Tarenti reliquit, regreſſus ipſe in hyberna.*] Polyb. Ἀννίβας δ᾽ ἐνταῦθα ἀπολιπὼν τ̃ πόλεως, ἀνέζευξε μετ̓ τ̃ δυνάμεως, καὶ παρεγένετο τριταῖος ἐπὶ τ̃ ... χάρακα καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ χειμῶνος ἐν ταύταις διατρίβων ἦγε κατὰ χώραν.

Cap. xii. *In M. Aemilij prætoris vrbis.*] Iam bis admonui priore anno *M. Atilium* prætorem vrbanũ fuiſſe, non *M. Aemiliũ*.

qui ad Luceriam cum exercitu fuit. Quare & hic *M. Atilij prætoris vrbani*, legendum.

Eod. *Ex huius Marcij duobus carminibus alterius poſtea aucta declarata auctoritas euenta, alteri quoque, cuius nondum tempus venerat, afferebat fidem.*] Valla ſic legit: *alterius poſt rem actam editi eum rata auctoritas euenta*: at ex fide antiqui exemplaris ita legendum: *alterius poſt ea acta editi certo auctoritas euenta*. quamquam malim: *poſt acta*. Duo enim Marcij vatis carmina erant, inquit, quorum priore Cannenſis clades iam accepta prædicta erat, poſteriore Pœnorum fugatio ex ludis Apollini deo vouendis. Factum eſt autem, vt auctorita prioris verſus, qui poſt acta editus fuerat, ex certo rei euentu comparata fidem quoque alteri, qui ante remeditus erat, attulerit.

Eod. *Iis fiat eſca caro tua.*] Vet. lib. *Fluat*. Ego, *Fuat*. Feſtus: *Fuam ſim, vel ſiam*. Virgil. *Tros, Rutulusue fuat*: verbum antiquum eſt, hæc autem carmina redolent antiquitatem.

Eod. *Diomedis Argiui campos.*] Strabo lib. 6. λέγε) δὲ ἀμφότερα Διομήδους κτίσμα. καὶ τὸ πεδίον, καὶ ἄλλα πολλὰ δείκνυ) τῆς Διομήδους ἐν τούτοις τοῖς τόποις δυναστείας σημεῖα.

Hoſtes Romani expellere vultis.] Hic totus locus tractatur iiſdem verbis à Macrobio lib. 1. Satur. quo in loco legitur: *Hoſtem Romani ſi ex agro pellere vultis.*

Eod. *Qui quotannis comiter Apollini fiant.*] Vet. lib. & Macrobius communiter, quod eſt ſumptibus populi, & priuatorum, vt ſe exponens ſubdit.

Eod. *Priuati vti conferant pro ſe ſuiſque.*] Malim, *pro ſe quiſque*.

Eod. *Iis ludis faciendis.*] Vet. lib. & Macrob. *His ludis*.

Eod. *Nam is diuus extinguet*. Vet. lib. & Macrob. *is diuus*.

Eod. *Perduelles veſtros, qui veſtros campos paſcit placide.*] Vet. lib. & Macrob. *Paſcunt*.

Eod. *Ad id carmen explanandum vnum diem ſumpſerunt.*] Fecit Macrobius, vt putem, mendum eſſe in voce, *Explanandum*: inquit enim, *Ex hoc carmine cum procurandi gratia dies vnus rebus diuinis eſſet impenſus*. Puto autem apud Liuium legendum eſſe, *Expiandum*. Eſt enim idem *Expiare*, quo *procurare*. Eadem macula multos etiam Ciceronis locos fœdauit, à nemine, quod ſciam, adhuc notatos. Nam in oratione de reſponſis, *Religionis explanatio vel ab vno pontifice perito recte fieri poteſt*. vbi legendum eſt, *Expiatio*. Nam in eadem ait: *Expiabo religionem ædium mearum*. Et in Philippica prima: *Vt inexpiabiles religiones in Rempublicam inducerentur*. Item in eadem de reſponſis, cum ait: *Portentorum explanationes Etruſcorum diſciplina contineri voluerunt*: *Expiationes*, reſtituendum. Enim Valerius, qui iiſdem ferè verbis eundem locum libro primo, capite primo tractat, ait: *Portentorum depulſus Etruſca diſciplina expiari voluerunt*. Ac vereor etiam, ne cum Cicero ait de Diuinat. libro ſecundo. *Si ea dij nobis obijciunt, quorum neque ſcientiam, neque explanationem habeamus*: legendum ſit, *expiationem*.

Eod. *Sacra Græco ritu facerent, iiſque hoſtiis.*] Ex Macrobio legendum, *hiſce hoſtiis*.

Eod. *Ludos prætoria Circo Maximo cum facturus eſſet, edixit.*] Prætor erat vrbanus P. Cornelius Sulla, idémque Apollinares hos ludos, qui deinde ſolennes prætorum vrbanorum fuerunt, primus fecit. Eundem Decemuirum vocat Macrobius, ſic: *Bello Punico ſecundo ludi Apollinares ex libris Sibyllinis primum ſunt inſtituti ſuadente Cornelio Rufo decemuiro, qui propterea Sibylla cognominatus eſt, & poſtea corrupto nomine primus Sylla cœpit vocitari*. Hunc etiam Velleius libro 2. *L. Cornelium Sullam*, ſic enim eſt in lapidib. Capitol. non *Syllam*, Dictatorem, ſextum eſſe à P. Cornelio Rufino, qui Pyrrhi bello floruit, ait: Quod ita eſſe cum diuturna Romanarum familiarum obſeruatione compererim, placuit etiam hoc loco ſubtexere.

P. Cornelius Rufinus Dictator. 421.

I P. Cornelius Rufinus Cos. 462. 475. Dict. 476. bello Pyrrhi floruit.

II P. Cornelius Rufinus, de quo nihil comperi.

III P. Cornelius Rufus, præt. 538. Sibylla, pòſt Sulla dictus. Macrob.

IIII P. Cornelius Sulla. præt. 164. — Ser. Cornelius Sulla legatus in Maced. 583.

V L. Cornelius Sulla de quo nihil.

VI L. Cornelius L. F. P. N. Sulla cos. 662. 671. Dict. 668. Sextus à Cornelio Rufino. Vell. lap. Cap. — Ser. Cornelius Sulla.

L. Cornelius Sulla. Fauſtus Pæd. — Fauſta Cornelia.

P. Corn. Sulla. cos. abdic. 585. pro quo Cicero. — Ser. Cornelius Sulla.

Hi Seruij Sullæ Dictatoris fratris filij dicuntur à Saluſtio in coniuratione Piſonis.

Cap. XIII. *Id pro cetera ſocordia, negligẽtiaq; à campanis actum. Nam paulo plus* CCCC. *vehicula miſſa, & pauca præterea iumenta.*] Vet. libri, *quadraginta*, habent, non *quadringenta*: quod ad ſocordiam Campanorum demonſtrandam magis valet, de qua caſtigati ab Annone ſunt, atque ita perfecto legendum.

Eod. *Alia prædicta dies.*] Veteres libri, *Prodita*, Feſtus, *Referri diem proditam*.

Cap. XIV. *Collegam quoque, & exercitum eius ſe acciturum, totumq; eò verſuros bellum.*] Vet. lib. *Verſuram*.

Eod. *Manipulares ſui primum traſcendentem foſſam, dein legio tota ſequuta eſt.*] Vet. lib. *Primum tranſcenderunt foſſam*.

Eod. *Capta itaque momento temporis, velut in plano ſita, nec permunita caſtra.*] Paulo ante negauit Pœnorum caſtra in plano eſſe, cum dixit: *Tantum pauoris iniecerũt, vt ſi in plano caſtra poſita eſſent, haud dubiè primo impetu capi potuerint, altitudo loci, & munimenta defenderunt*. Nunc ait, *Ea caſtra momento capta, eque, atq; ſi in plano ſita, nec permunita fuiſsẽt*. Itaq; non ſibi repugnat.

Cap. XV. *Itaq. Metapontini extemplò metu, quo tenebantur, liberati ad Annibalem defecere. Hoc idem eadem ora maris & Thurini fecerant.*] Anno DXXIII. poſt Cannenſem cladem acceptam, ad Pœnos Græcorum omnem fermè oram, Tarentinos, Metapontinos, Crotonienſes, Locróſque defeciſſe ſcripſit libro 22. Quod dixi ita intelligendum eſſe, vt non ſtatim eos defeciſſe accipiamus, ſed ſequentib. deinceps annis, vt cuique populo facultas oblata eſt. Nam Locrenſes Crotonienſeſq; defecerunt anno DXXXV. Nunc demum vero anno

DXXXVII. Tarentini, & Metapontini, Thurini, & Conſentini priore anno à Pœnis ad Romanos redierant, vt initio huius libri dixit. ergo Thurini iterom hoc anno deficiunt ad Pœnos. Itaque quoniam mirabile videri poteſt, eoſdem quotannis deficere, neque ſuſpectam eorum, à quibus ſemel defecerint, fidem haberi: in altero horum locorum mendum eſſe ſuſpicor, duóſque popolos eſſe *Terinnos, & Thurinos*, ſupra autem, *Terinas, & Conſentini*, hoc loco, *Metapontini & Thurini* legendum. Nam & Strabo, & Plinius *Conſentia Terinam*, Ptolemæus *Thurio Metapontam*, adnectunt. De *Terina* quidem Bruttiorum vrbe ab Annibale hoc bello euerſa, quod ſe eam tueri poſſe deſperaret, Strabo libro ſexto.

Eod. *M. Atinius Thurinis cum modico præſidio præerat.*] Vet. lib. *Thuriis*. Recte. *Thuria* enim etiam dicuntur.

Eod. *Atinius tamen cum paucis receptus.*] Vet. lib. *Cum paucis ſe recepit*. malim tamen, *receptus* : à Thurinis enim primum receptum, poſt ad naues deductum Atinium ait.

Eod. *Quod vrbi tam propinquæ tertium annum impunita defectio eſſet.*] Capua defecit anno DXXXIV. Ex quo apparet, cum, *tertiũ annum*, dixit, annos medios intelligere, extremos imperfectos non numerare. Alioquin *quintam* erat ſcribendum.

Cap. XVI. *Ad exta ſacrificio perpetrato, angues duo.*] De eodem prodigio Valerius cap. de prodigiis.

Eod. *Fideq́, ab eo accepta, ſi Romanum is imperatorem tradidiſſet liberos cum ſuis legibus venturos in amicitiam Lucanos, deducit Pœnum in locum pacis Gracchum adducturus.*] Puto legendum eſſe, *ſi Romanum ſibi imperatorem*. In vet. enim lib. ſæpe eſt *ſi* pro *ſui*, quod imperiti eius ſcripturæ fecerunt, *is*. Ceterum verba illa: *Deducit Pœnum in locum pacis*, deprauata ſunt valde: Vet. lib. *Dedit Pœnus*. Hinc hanc ego lectionem elicio. *Fideq́, ab eo accepta ſi Romanum ſibi imperatorem tradidiſſet, liberos cum ſuis legibus venturos in amicitiam Lucanos, dein edit, quem ſit in locum cum paucis Gracchum adducturus*. Valer. lib. 1. *Gracchus hoſpitis inſidiis in eum locum deductus, in quo Pœnorum dux Mago cum armata manu delituerat.* Hunc tamen locum quouſq; melior lectio inueniatur, ſignandum eſſe aſteriſco puto.

Cap. XVII. *Ad Cn. Cornelium quæſtorem.*] Ipſius Gracchi imperatoris.

Cap. XVIII. *Tum Badius progreſſus ante ſtationes.*] Hanc totam rem aliis tamen verbis expreſſit Valerius cap. de humanitate.

Cap. XIX. *Itaque equeſtre prælium erat.*] Vet. lib. *Ita equeſtre prælium erat.*

Eod. *Pugnatum tamen vt in nulla pari re duas amplius horas, concitata etiam donec dux ſtetiſſet Romana acie.*] Huius lectionis auctor fuit Laurentius Valla, cum antea legeretur: *Pugnatum tamen vt in nulla parte duabus amplius horis concitata donec dux ſtetiſſet Romanam aciem*. Ex quibus verbis melior & ſententiæ aptior lectio mihi videtur elici poſſe, quam quæ à Valla collecta eſt, hoc modo: *pugnatum tamen duabus amplius horis vt in nullam partem concitatu, donec dux ſtetit Romana acie*. Sic loquitur etiam lib. 27. *pugnatum amplius duabus horis eſt, cedere inde cœpere*, & lib. 42. *pugnatum eſt, amplius tres horas, ita vt neutrò inclinarent ſpes*. Senſus eſt: Quamquam pugnæ haud dubius euentus erat, quod & imperator, & exercitus apud Romanos deterior multo erat, pugnatum eſt tamen per duas amplius horas ita egregiè, vt in nullam partem Romana acies inclinari poſſet, donec dux eorum ſtetit, poſtquam autem cecidit, fuſa eſt extemplo Romana acies.

Cap. XX. *Caſilinum frumentum conuectum, ad Vulturni oſtium vbi nunc vrbs eſt, caſtellum communitum ante Fabius Maximus munierat, præſidium impoſitum.*] Quod dicat, *Vbi nunc vrbs eſt*, non eſt, quod deſiderari quicquam putet Glareanus. *Vulturnum* enim oppidum intelligit, quod ad ipſius Vulturni fluminis oſtium fuit, vt Strabo libro 5. tradit. duo autem maritima caſtella hoc loco nominat, *Vulturnum*, quod in ore fluminis, & *Caſilinum*, quod ad flumen ipſum Vulturnum fuit. Quod autem inquit, Vulturnum ante à Fabio Maximo communitum fuiſſe, κατ' συνεκδοχήν intelligendum eſt: non enim ſupra Vulturnum, ſed Puteolos communitos eſſe à Fabio ſcripſit lib. 24. Tria autem fuiſſe caſtella hoc bello communita, Vulturnum, Caſilinum, Puteolos, ipſe paulo poſt tradit: ita Ap. Claudius conſul D. Iunio ad oſtium Vulturni, M. Aurelio Cotta Puteolis præpoſito, ipſe Capuam regreſſus Q. Fuluium collegam inuenit Caſilino omnia comportantem, molientémque ad oppugnandam Capuam.

Eod. *Quoq, Mutius prætor ex Etruria coemerat.*] Vet. lib. alij *Minutius*, alij *Muninius* habent. Ego *M. Iunius.* † Hinc vide annotationes Glareani, & an Sigonius, vel ipſe hunc locum emendarit, cognoſces. † Eſt enim M. Iunius Silanus is, cui Tuſci, vt ſupra diximus, euenerunt: neque enim *Minucius* vllos per hæc tempora prætor fuit, & *Q. Mucius* triennio ante in Sardinia, non in Etruria fuit, & nunc in eadem prouincia prorogato imperio erat. Error natus eſt ex *M. Iunius, Miunius, Minucius, Mucius*.

Cap. XXI. *Circa Herdoneam Romana legiones, & prætor Fuluius erant.*] Supra, *Ardoneas* dixit, vt puto, per mendum, dum de Q. Fabio prætore Apuliæ loqueretur, in qua nunc eſt Cn. Fuluius.

Eod. *Annibal quidem haud quaquam ſimili exercitu, neque ita inſtructo aderat.*] Liber Vallæ habuit ita: *Haudquaquam ſimili ſua, neque ſimili exercitu*. Ex quo ille correxit: *Haud quaquam ſimili vi*. Ego vero reperi in veteribus libris, *Haudquaquam ſimili ſententia, neque ſimili exercitu*: Idque probo.

Cap. XXII. C. *Lectorium.*] *C. Latorium*, lap. Cap. nummi argentei.

Eod. *P. Cornelio.*] *Sulla* præt. vrbano.

Eod. *De exercitu volonum.*] Feſtus, *Volones dicti ſunt milites, qui poſt Cannenſem cladem vſque ad octo millia cum eſſent: ſerui voluntariè ſe ad militiam obtulere.*

Eod. *Ne per metum, & deſperationem hoſti ſe dederent.*] Vet. lib. *Ne qui per metum.*

Eod. *Ab ſueſſula ex Claudianis Caſtris.*] Claudiana caſtra ſupra ſueſſulam à M. Claudio Marcello communita intelligit, de quibus ſupra.

Cap. XXIII. *Liberos eos, ac ſuis legibus victuros.*] Suprà: *liberos cum ſuis legibus*. Græci vno verbo αὐτονόμους, vocant.

Eod. *Deinde in piſcatoria quadam naui.*] *In*, abeſt, à Vet. lib.

Eod. *Circumuectique ita ad caſtra Romana.*] *Ita*, abeſt à veteribus libris.

Eod. *Damaſippus quidam Lacedæmonius.*] Vet. lib. *Damippus*. Plutarchus etiam in Marcello: Δάμιππόν τινα Σπαρτιάτην vocat.

Eod. *Medius maxime atque vtrinſque opportunus locus ad portum Trogilorum, &c. viſus.*] Malim: *medius maximè vtrinſque opportunus locus viſus*. Vacat enim vox. *atque*.

Eod. *Ad portum Trogilorum.*] De hoc loco ſic Thucydides libro 6. οἱ δὲ λίθους, καὶ ξύλα ξυμφορήσαντες παρέβαλλον ἐπὶ τὸν Τρωγίλον καλούμενον ὅπῃ βραχύτατον ἐγίγνετο αὐτοῖς ἐκ τοῦ μεγάλου λιμένος ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλασσαν τὸ ἀποτείχισμα.

Eod. *Turrim, quam vocant Galeagrum.*] Plutarchus in Marcello, Πυργόν τινα vocat, omiſſo *turris* nomine.

Eod. *Qui ob id ipſum intentius cuſtodiebatur.*] Plutarchus vertit, *negligentius*, cum ait: φυλαττόμενον μὲν ἀμελῶς.

Eod. *Feſtam Dianæ.*] Eandem rem Plutarchus.

Eod. *Prope Hexapylon eſt portula, ea magna vi refringi cœpta.*] Plutarchus: καὶ τὰ Ἑξάπυλα διακόψας.

Cap. XXIV. *Epipolas frequentem cuſtodiis locum.*] Stephanus: Ἐπιπολαὶ χωρίον ἀποκρήμνον προσεχὲς Συρακούσαις. Θουκυδίδης ἐκτῃ. Thucydides autem libro 6. καὶ ὀνομάζεται ὑπὸ τῶν Συρακουσίων διὰ τὸ ἐπιπολῆς τοῦ ἄλλου εἶναι Ἐπιπολαί.

Eod. *Partium ſenſu non ſatis pertinente in omnia.*] Sic. Vet. lib. At Valla mauult, *pertingente*, Glareanus *pertendente*: quaſi vero Cicero non ita dixerit de natura deorum: *Venæ in omnes corporis partes pertinentes.*

Eod. *In Inſula, quam ipſi Naſon vocant.*] Partem Syracoſarum eo nomine intelligit.

Eod. *Illacrymaſſe dicitur.*] Plutarchus idem tradit.

Eod. *Athenienſium claſſes demerſa.*] Hanc hiſtoriam breuiter tangit Iuſtinus lib. 4. Plutarchus in Alcibiade, Thucidides.

Eod. *Tot bella cum Carthaginenſibus.*] His de rebus lib. 19. & 20. Diodorus agit.

Cap. XXV. *Ad Euryalum ſigna referri iuſſit.*] Stephanus: Εὐρύηλος ὁ μακρόπολις τῶν Ἐπιπολῶν πλησίον δὲ τῷ τῶν Συρακουσῶν ἀπόκειμενον.

Eod. *Inter Neapolim & Thicam nomina partium vrbis, & inſtar vrbium ſunt.*] Sic Plutarchus: πρὸς τὴν Ἑξάπολιν, ὧν τὴν μὲν Νέαν, τὴν δὲ Τύχην ὀνομάζουσι. Cicero etiam in Verr. 6. *Vnam Syracuſarũ partem, Inſulam, alterã Achradinam, tertiam, quod ibi fanum For-*

tunaeſſet, Tychen, quartam, quod poſtremò ædificata ſit, Neapolim nominatam eſſe tradit: ergo *Tyhen*, hoc etiam loco ſcribendum.

Eod. *Precantes, vt à cædibus & ab incendiis parceretur.*] Vet. lib. *Vt cædibus & incendiis parceretur.*

Eod. *Nequis liberum corpus violaret.*] Plutarchus: τ δ' ἐλευ-θέρων σωμάτων ἀπέχεσθαι.

Eod. *Portis regione plutearum patentibus.*] Portæ, inquit, caſtrorum patentes partem & regionem eam, quæ in plateas ferebat, ſpectabant. Sic paulo poſt, *exponitq; milites regione portæ quæ prope fontem Arethuſa eſt forte* dictũ pro, *E regione*, vt Cæſar: *Cum vterque vtriq; eſſet exercitui in conſpectu, fereque regione caſtris caſtra poneret.*

Cap. xxvi. *Vt non modo non lachrymis.*] Vet. lib. *Vt non modo lachrimis.* Hoc modo ſæpius Ciceronem eſſe locutum, alij collectis multis exemplis docuerunt.

Eod. *Et vt ferro potius morerentur, quidam innadebant ſoli hoſtiũ ſtationes.*] Vet. li. *Ferro quidã inuadebunt*, vt vox, *Ferro*, iteretur.

Eod. *Multo tamen maior vis peſtis Pœnorum caſtra, quum Romana, diu circumſedendo Syracuſas, cæde aquiſq; affecerat magis.*] Vet. lib. *Cæde, aquiſq; afferatur magis etiam hoſtium exercitu.* Corruptiſſimus locus ſine aut meliorum exemplarium, aut Polybij, apud quem hæc hiſtoria intercidit, ope ſanari non poteſt. Itaque ſignandus eſt aſteriſco. † Idem Glareanus habet. †

Cap xxvii. *Haud in magna oppida, cæterum et ſita, & munientis ſtatu tria millia alterum ab Syracuſis, alterũ quindecim ab oſtio.*] Suſpectas habeo voces *ab oſtio*: neque enim oſtij ſupra vlla mentio: vereor ne corrupta vox ſit, pro diſtantia, quod oppida illa, alterum tria, alterum quindecim millia ab Syracuſis abfuerint. † Et hic etiam hæſit Glareanus. †

Eod. *Miſſiq; nunciis Heracleam.*] Siciliæ Heracleã intelligit.

Cap. xxviii. *prope iterum Romanis traditam.*] Id eſt, vt primo bello Punico primum traderent.

Eod. *Multitudine ad concionem conuocata.*] Vet. lib. Vocata.

Cap. xxix. *Nobiliſſima, pulcherrimaque vrbs Græcarum.*] Verba ſunt Ciceronis de Syracuſis in vi. Verrina, Archias autem eam coloniam, vt Strabo ait libro octauo, deduxit ex Corintho profectus.

Eod. *Famane credi malis.*] Id eſt, Rogamus re ne malis poſteros fama accipere, quam aſpectu, quanta vrbs Syracuſæ fuerint, ne glorioſiorem tibi putes Syracuſarum euerſionem, quam incolumitatem.

Eod. *Incolumeſq; Syracuſæ.*] Aut nihil, aut aliquid eiuſmodi deſideratur, *Sed ſaluas, incolumeſq; Syracuſas*, Glarean. abique vndiq; vitioſam eſſe ſuſpicati ſunt, credo ob dicendi genus, ſubauditur. n. *Oramus*, vt alibi, ſic etiam Liuius, vt lib. 29. *Quibus per vos, fidemq; veſtram P.C. priuſquam eorum ſcelus expietis, neque in Italia, neque in Africa quicquã geſſeritis.* De Siculis autem Marcellorum clientibus Pædianus in Diuinationem.

Cap. xxx. *Nauim onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad Acradinam iuſſit.*] Onerarias naues non conſueuiſſe remis agi indicat hic idem auctor lib. 27. *Onerarias quoque non eas ſolam, quæ remis agerẽtur.* Remis autem agi, non ſcapharum vt Glareanus cenſet, ſed aliarum nauium ſolitas fuiſſe intelligi poteſt ex primo Polybij: ἐπὶ δὲ τίνας ἐπίκουρον καὶ ἐκ τῆς φυγῆς ... Et libro 20. Diodori: ... Ergo recte Liuius, Remolco quadriremis trahi onerariam dixit, id eſt, impetu quadriremis, quæ remis agebatur. Sic etiam libro 37. *Contemplatas Eudemus hoſtes claudas, mutilataſque naues, apertis nauibus remulco trahentes.* † Glareanus „ ait Grammaticos ita exponere, vt ſanè facit Badius. ipſe nihil „ definit, ſed Signmus vbique quærit carpendi occaſionem, vbi „ non erat locus. †

Cap xxxi. *Se quidem tertiam annum circumſedere Syracuſas, non ne populus reſeruatam ciuitatem haberet, ſed ut transfugarum duces, captum & oppreſſam tenerent.*] Emenda ad fidem Vet. lib. *Nonne populus Rom. ſeruam ciuitatem haberet.* Erroris cauſa nota eſt.

Eod. *Qui inter præſidia Romana fuerant.*] Vet. lib. *Intra.*

Eod. *Cum multa ira, multa inuidia, auaritiaque fœda exempla ederentur.*] Vox *inuidia*, vacat. neque eam veteres habent libri, neque ſenſus poſtulat: ſic ergo lege. *cum multa ira, multa auaritia fœda exempla.*

Eod. *Archimedem memoria proditum eſt.*] Multas huius caſus recitat ſententias Plutarchus, quarum vna contentus fuit Liuius.

Cap. xxxiv. *Et quocumq; occurriſſent loco.*] *Ocurriſſet* ex Vet. lib. de Indibili enim loquitur.

Eod. *Cum obuiis hoſtibus manus conſeruit.*] Vet. lib. *Manum.*

Eod. *Duces Pœni.*] Aſdrubal Giſgonis & Mago, contra quos P. Scipio ierat.

Cap. xxxv. *Niſi defuncto ſuo fratre ſuo bello.*] Vet. lib. *Niſi defuncto fratre ſuo bello.* Vox certè, *ſuo*, cum *bello* iungenda eſt, non cum *fratre*.

Eod. *Nunc ab tergo, nunc in latera concurſantes.*] Vet. lib. *Incurſantes.* Sic paulo poſt: *Impetus incurſantium Numidarum.*

Cap. xxxvi. *Circumſpectare atque agitare dux cœpit.*] Vet. lib. *Ac cogitare.*

Eod. *Nec moliri onera obiecta, nec cadere ſtipatas clitellas.*] *Moliri* dictum pro *amoliri*, vt poſt: *moliri obiecta onera*, & poſt: *Fores nulla moliri potuerunt vi.*

Eod. *In propinquam caſtris turrim.*] Appianus in Hiſpanica, Cn. Scipionem cum ſociis in turri incluſum crematum fuiſſe ſcribit.

Eod. *Anno ſeptimo poſtquam in Hiſpaniam venerat Cn. Scipio.*] Venit in Hiſpaniam Cn. Scipio Ti. Longo P. Scipione conſulibus, vt ait Liuius lib. 21. *Ne nuda auxiliis Romanis Hiſpania eſſet, quam prouinciam ſortitus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum aduerſus Aſdrubalem miſit.* Ab illo autem anno ad hunc ſex anni numerantur, non *octo*, vt eſt in Vet. lib. nec *ſeptem*, vt emendauit Glareanus † Glareanus de vno anno cum nemine ſe certaturum ſæpe clamat. hic ſcit ſed ſedulo diſſimulat, atque hoc loco rectius *ſeptem* annos legitur. † „ Nam in hoc loquendi genere primus annus non numeratur, „ vt poſt ſæpe dicam, ſic paulo poſt: *Inuictos per octo annos milites ſuos.* Lego, *ſeptem*, tot enim ſunt, ſi primus numeretur.

Eod. *Primus dederat.*] Paulo ante, *prior*. Eſt autem accipiendum *Priorem* ad *fratrem* referri, *primum* ad *omnes*. Primus enim omnium Romanorum in Hiſpaniam venit Cn. Scipio.

Cap. xxxvii. *Cum deletus exercitus, amiſſaq; Hiſpania viderentur, vir vnus res perditas reſtituit.*] Vet. lib. *Vir vnus has reſtituit*, vt ad Hiſpanias referatur.

Eod. *L. Martius Septimi filius.*] Hic alio loco *L. Marcius Septimius* dicitur. Ex quo puto legendum, *L. Marcius Septimi filius*, partim quia ita quidam lib. vet. habent, partim vt cognomen familiæ ſit. Quomodo dictum eſt, *Q. Fabius Maximi filius.*

Eod. *Ipſo minitante & increpante Martio.*] Vet. lib. *Ipſo mulcente & increpante Marcio*, vt duobus contrariis remediis mœrorem militum ſuſtuliſſe Marcium intelligamus, modo conſolando, modo increpando. Sic etiam libro vigeſimo ſexto. *Militum animos nunc conſolando, nunc caſtigando ſedauit.*

Eod. *Ad hæc tot iam nec opinata.*] Lege, *tot, tam necopinata.* Vtuntur enim Latini, *necopinatas* pro *inopinato*. Liuius autem omnium maxime. Cicero pro Plancio: *Tu me ignaro, nec opinante inſcio.* Res non eget exemplis: paulò poſt: *ad necopinatum tumultum.*

Cap. xxxviii. *Ne tamen ſubita res, & nocturnus error etiamnum ſuæ fortuna conſilium perturbaret.*] Vet. lib: *Nocturnus terror.*

Eod. *Sed in rebus aſperis, et tenuibus fortiſſima quoq; conſilia tutiſſima ſunt.*] Voces, *et tenuibus*: vacant. Ex Vet. lib. & ex ſenſu.

Eod. *Ad id, quod ne timeatur, fortuna facit, minime tuti ſunt homines.*] Vet. lib. *Minime cauti ſunt homines*, id eſt, non cauent homines ea pericula, quæ fortunæ beneficio non videntur eſſe timenda.

Eod. *Nequicquam mox omiſſam quæraris.*] Vet. lib. *Quæras.*

Eod. *In huius ſilua medio ferè ſtadio.*] Malim *ſpatio.*

Cap. xxxix. *Hic terror in fugam auertit omnes.*] Vet. lib. *vertit.*

Eod. *Ita nocte & die.*] Vet. lib. *Atque ita nocte & die.*

Eod. *Auctor eſt Claudius, qui Annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertit.*] Vet. lib. *Ex Græco ſermone vertit.* C. Acilij Græci ſcriptoris meminit Plutarchus in Romulo, Dionyſius libro tertio. Cicero de officiis libro 3. *Claudium* eum eſſe puto, qui *Clodius Licinius* à Liuio dicitur lib. 29. Alius *Q. Claudius Quadrigarius fuit*, cuius & ipſe ſæpe meminit.

Eod. *Septem millia cæſa hoſtium.*] Vet. lib. *ſeptem millia fermè cæſa hoſtium.*

Eod. *Flammam ei concionanti fuſam è capite.*] De eadem flamma Valerius capite de prodigiis.

Cap. 2. *Quæ poſtremo in Romanos deos.*] Signa, tabulaſq. & ſpolia Siculorum intelligit.

Eod. *Libyphœnicum generis Hipponiates, Mutinem populares vocabant.*] Hipponiates non eſt proprium viri nomen, ſed patriæ, id eſt, ab *Hippone* vrbe Lybiæ, vt enim à *Crotone Crotoniates*, ſic ab *Hippone Hipponiates*. Viri autem nomen eſſe cenſet Glareanus. Ceterum Pædianus in Piſon. ex Varone tradit huic *Mutini*, quod in Silicia cum equitatu ſuo transfierat ad Romanos ciuitatem datam, ædesq; & pecuniam ex ærario.

Eod. *Heracleam Minoam.*] Minoæ vrbis Siculæ meminit Stephanus.

Eod. *Degenerem Afrum.*] quia Libyphænicum generis erat.

Cap. 21. *Ne ab ſuo ipſi equiti oppugnarentur.*] Vet. lib. *Ne ab ſuo & ipſi.*

Eod. *Centimalum.*] *Centumalum*, ex lapid. Capit.

Eod. *L. Cornelius Lentulus, Cornelius Cethegus.*] Vet. lib. *M. Cornelius Cethegus.* Sic enim poſt Liuius. Sic tabulæ Capitolinæ in conſulatu eius.

Eod. *Sulpicio Gallia, Cethego Apulia.*] Emendo, *Sulpicio Apulia, Cethego Sicilia.* Hic eſt enim M. Cornelius Cethegus. de quo poſt ait: *Id enim M. Cornelio mandatum, vt vbi ei videretur, vrbem eis, agrumq; in Silicia aſſignaret*, & poſt: *Inter has difficultates M. Cornelius prætor.* Item, *Ex Sicilia exercitum cui M. Cornelius præeſſet, vbi conſul in prouinciam veniſſet, dimitti iuſſit.* Quibus ex locis ſatis probatur Siliciā Cornelio Cethego, non Apuliam obtigiſſe. Neque vero procedit, quod Glareanus aſſert, hunc eſſe *P. Cornelium Lentulum*, qui proprætor in Sicilia eſſet. Nam Silicia per hæc tempora duplex prouincia erat. † Idem dicit Glareanus lib. ſequēte. † Vna quæ vetus prouincia erat, quam P. Cornelius in prætura ſortitus fuerat, altera, qua regnum Hieronis patebat, quam poſt M. Marcellum M. hic Cornelius Cethegus obtinuit. Itaq; lib. ſequēte de Sulpicio, vbi loquitur, ita emendo: *C. Sulpicio, cui apulia euenerat.*

IN LIBRVM XXVI.

Cap. 1. *Vt proconſul in Silicia reliquias belli perficeret.*] Vet. lib. *Proconſule.*

Eod. *C. Sulpicio, cui Sicilia euenerat.*] Lego *Apulia*, cum ob eas rationes, quas priore libro attuli, tum quia Liuius ſubdit hoc loco. *Huic ſupplemētum de exercitu Cn. Fuluij, qui priore anno in Apulia fœde cæſus, fugatuſque erat decretum.*

Cap. 2. *Proprætor ſenatus ſcripſerat.*] Vet. lib. *Pro prætore.*

Eod. *Solenne auſpicatorum comitiorum.*] Id eſt, ſolemne inſtitutum. quo comitia auſpicatò habebantur. Eſt enim ſubſtantiuum, vt aliàs.

Eod. *Bleſus.*] *Blæſus*, lap. Capit. & Græci.

Eod. *Ob exercitum in Apulia amiſſum.*] Priore anno lib. 25.

Eod. *Quid interfuiſſe inter Ti. Sempronium.*] Id eſt, inter Cn. Fuluium, & Ti. Sempronium: ἔμφασις notanda.

Eod. *Cum ad Beneuentum eos.*] Hæc de ſeruis etiam à Ti. Sempronio ſeruatis, ait ſupra.

Eod. *C. Flaminium, &c*] Flaminius ad Traſimenum, Paulus ad Cannas, Poſtumius in Gallia, Scipiones in Hiſpania ceciderunt.

Cap. 3. *Pecuniaq; anquiſitum, &c. cum tribunus plebis bis pecunia anquiſiſſet, tertio capitis ſe anquirere diceret.*] *Anquirere pecunia, & anquirere capite*, eſt id quod ſupra de Poſtumio Pyrgenſi dixit: *Multam dicere, & diem rei capitalis dicere*, id eſt, ad populum ferre de multa, vel de capite alterius, vt ea populus vel accipiat, vel antiquet. In Vet. lib. eſt: *Capi. ſe anquirere diceret.* Quod tam *capite*, quam *capitis* legi poteſt: Qui *capitis* voluerunt à ſyllaba, *ſe* proxima decepti ſunt.

Eod. *Perduellionis.*] Genus iudicij capitalis quod continetur iudicio de maieſtate. Minuit enim maieſtatem populi Rom. qui exercitum eius hoſtibus ſua culpa cædendum præbuit, & qui turpi fuga ſibi ſalutem peperit, vt poſt Q. Cæpio contra Cimbros Cicero lib. 2. de Oratore.

Eod. *Quo ad vel capitis, vel pecuniæ, iudicaſſet priuato.*] *Iudicare capitis vel pecuniæ*, eſt diem rei capitalis, & multam dicere, vel capitis, & pecuniæ anquirere.

Cap. 4. *Quidam Numida*] Vet. lib. *Numida quidam.*

Eod. *Equeſtria prœlia ferme proſpera faciebant.*] De Campanis intelligendum eſt, qui prœlio equeſtri ſuperiores erat.

Eod. *Inita tādem ratio eſt, vt quod virib. deerat, arte æquaretur.*] De Romanis accipiendum, qui quomodo equeſtri prælio victores eſſe poſſent, rationē inierunt: cōcludit enim inde equitatu quoque ſuperior Romana acies fuit. Frontinus lib. 4. c. 7. *Cum Romani Campanis equitibus nullo modo pares eſſent, &c.*

Eod. *Q. Nauium.*] *Q. Næuium* Frontinus vocat loco citato.

Cap. 5. *Rex nec explorata.*] Eodem modo dictum eſt, quo *nec opinata*, pro *Inopinata* & *Inexplorata.*

Eod. *Claudius Nero.*] Vet. lib. *C. Nero.*

Eod. *Campanos facile in vallo Appius arcebat.*] Vet. li. *à vallo.*

Cap. 6. *Legatus primi principis.*] Vet. lib. *primi pili*, vt L. Marcius centurio primi pili apud Ciceronem pro Balbo.

Eod. *L. Porius Licinius.*] *L. portius Licinus*, ex vet. lib. & Capit. conſulibus.

Eod. *Conuertere agmen peditum.*] Vet. lib. *Conuertere agmen retro peditum.*

Cap. 7. *Ceterum Annibal, vt nec hoſtes elici amplius ad pugnam vidit, nec per caſtra eorum perrumpi ad Capuam poſſe, &c.*] Polyb. lib. 9. ſic: Ἀννίβας δὲ δυσχρηστούμενος τοῖς ὅλοις, διὰ τὸ μήτε παρακαλοῦντι εἰς τὴν μάχην δύνασθαι τοὺς Ῥωμαίους, ἐβουλεύετο περὶ τοῦ ἐνεστῶτος τί χρὴ ποιεῖν. Et poſt aliquot verſus. ὑπέλαβε γὰρ ἀνδραίαν ποιησάμενος τὴν πορείαν, αἰφνιδίως ἐπιφανεὶς τοῖς κατὰ τὴν Ῥώμην τόποις, ἴσως μὲν ἄν τι καὶ περὶ τὴν πόλιν ἀνύσασθαι τι καὶ τῶν χρησίμων, ἐκπλήξας τῷ παραδόξῳ τοὺς ἐνοικοῦντας, εἰ δὲ μὴ τοῦτο, τούς γε περὶ τὸν Ἄππιον ἀναγκάσειν ἢ λύειν τὴν πολιορκίαν, σπεύδοντας τῇ πατρίδι βοηθεῖν ἢ διαιρεθέντας τὴν δύναμιν εὐχειρώτους ὑπάρξειν καὶ τοῖς βοηθοῦσι, καὶ τοῖς ἀπολειπομένοις αὐτῶν.

Eod *Si Roma in diſcrimine eſſet.*] Vet. lib. *Eo ſi Roma in diſcrimine eſſet.*

Eod. *Vna ea cura angebat, ne vbi abſceſſiſſet, extemplo dederentur Campani.*] Polyb. πάνυ ἠγωνία μὴ διαγνόντες αὐτὸν ἀπαλλαττόμενον οἱ Καπυανοὶ ... διὰ ..., ὡς ἀπηλπισμένοι, παραδῶσι τοῖς Ῥωμαίοις ἑαυτούς.

Eod. *Numidam donis pellicit, vt literis acceptis ſpecie tranſfugæ caſtra Romana ingreſſus altera parte Capuam clam peruadat.* Polyb. γραμματοφόρον εἰς τὴν Καπύην ἔπεμψε, πείσας τινὰ τῶν Λιβύων αὐτομολῆσαι πρὸς τοὺς Ῥωμαίους, κἀκεῖθεν εἰς τὴν πόλιν. προνοηθεὶς περὶ τῆς τῶν γραμμάτων ἀσφαλείας.

Eod. *Naues in flumine Vulturno comprehenſas duci Caſilinum, quod iam ante præſidij cauſa fecerat, caſtellum iuſſit.*] In Veteribus libris omnibus eſt, *duci Gladio, quod*, pro qua voce alij *Caſilinum* alij, *Galatiam* reponendum cenſent. *Caſilinum*, quod ad Vulturnum flumen ſit, *Galatiam*, quod paulo ante de eodem Annibale Liuius dixerit. *Adueniens cum Caſtellum Galatiam præſidio inde vi pulſo cepiſſet, in circumſedentes Capuam ſe vertit.* Verum neutra lectio procedit. *Caſilinum*, quod Romanorum caſtellum ſemper fuerit, non Annibalis; *Galatiam*, quod ad Vulturnum non fuerit. Itaq; incerta loci lectione, probo magis Vallæ opinionem, qui legendum putauit: *Duci ad id, quod*, vt caſtellum notet occultato nomine eius.

Cap. 8. *P. Cornelius cui Aſina cognomen erat.*] Conſul hic fuerat an. DXIX.

Eod. *P. Valerij Flacci.*] Conſul fuerat an. DXXIV.

Eod. *Setiam, Soram, Lauinium prætereuntes.*] Hæc oppida nunc *Municipia* dicuntur, at ſupra *Coloniæ* nominatæ ſunt, ſic Cicero in Piſonem, Placentiam coloniam vocat municipium.

Cap. 9. *Per Sueſſulam, Alifanumque & Caſinatem agrum via Latina ducit.*] Polybius per Samnitium agrum profectum eſſe Annibalem ait. Aliſæ autem & Caſinum Samnitium ſunt: at Sueſſula Campaniæ, vt ſupra diximus. Porro autem legendum puto, *Per Sueſſulanum, Alifanumq; & Caſinatem agrum.*

Eod. *Interamnam, Nequinumq;.*] *Aquinumq;* ex Vet. lib.

Eod. *Matronæ in publicum effuſæ circa deum delubra diſcurrūt, crinibus paſſis aras verrentes.*] Hunc eſſe mulierum Romanarum morem ſcribit Polybius: αἱ δὲ γυναῖκες περιπορευόμεναι τοὺς ναοὺς, ἱκέτευον τοὺς θεοὺς πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. τοῦτο γὰρ ἔθος αὐταῖς ἐστι ποιεῖν, ὅταν τις ὁλοσχερὴς τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος.

Eod.

Eod. *Cui ne minaeretur imperium, ſi in vrbem veniſſet.*] In vrbe enim pro conſule nemo habebat imperium, ſed ad vrbem.

Eod. *Inde in Pupiniam exercitu demiſſo.*] Meminit huius agri Varro de lingua Latina. Valerius Maximus libr. 4. cap. 4. cum ait: *M. Atilium Regulam agellum in Pupinia* habuiſſe. Et Liuius lib. 9. *In agro Pupinienſi ad famam hoſtium conſedit.* Eſt autem nomen *tribus*, per quam tum venit Annibal, vt libr. 33. *Conſul per tribum Sappiniam in Boios venit.* Hoc adſcripſi, quia Glareanus huius agri mentionem à nemine fieri ait: qua de re ante dictum eſt.

Cap. x. *Annibal ad Anienem fluuium tria millia paſſuum ab vrbe caſtra admouit.*] Polyb. διαβὰς τ᾽ Ἀνίωνα ποταμὸν ἐστρατοπέδευσεν οὐ πλεῖον τετταράκοντα σταδίων ἀπέχων τῆς Ῥώμης.

Eod. *Ad portam Collinam vſque ad Herculis templum eſt progreſſus.*] Vet. lib. *à porta Collina vſque ad.*

Cap. xi. *Alia parua magnaque res.*] Vet. lib. *Alia magna, paruaque res.*

Eod. *His motus ad Turiam fluuium caſtra retulit ſex millia paſſuum ab vrbe.*] Quid ſit, *Turia fluuius ſex millia paſſuum ab vrbe* diſtans, merito mihi quærere Glareanus videtur: neque enim eiuſmodi nominis flumen apud quemquam extat. In vet. libris legitur *Tutiam*, & recte: meminit enim eius Silius vbi de hoc Annibalis itinere loquitur.

Eod. *Ad lucum Feroniæ pergit ire templum, ea tempeſtate inclytum diuitiis.*] De oppido Feroniæ deq; Feroniæ deæ templo ſic Strabo lib. 5. ὑπὸ δὲ Σωράκτῳ ὄρει Φερωνία πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ δαίμονι τιμωμένῃ σφόδρ᾽ ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιίαν ἔχον. &c.

Eod. *Capenates aliqui accolæ eius erant.*] Sic libro 27. *In agro Capenate ad lucum Feroniæ.*

Eod. *Cælius Romam euntem ab Ereto diuertiſſe eo Annibalem tradit, iterque eius ab Reate, Cutiliſque, & ab Amiterno orditur, &c. & hinc Amiternum, Foruloſque vicum veniſſe.*] Miratur Glareanus, quomodo Cælius ordiatur iter Annibalis ab Amiterno, cum eundem addat, Amiternum tandem, Foruloſq; vicum veniſſe. Magna quidem quæſtio, atque difficilis hæc videatur, niſi Liuiana verba attente legantur. Eſt enim hæc ſententia: Cœlius ordinatur Annibalis iter à Reate, Cutilis & Amiterno. Si quis autem quærat, quanam à Capua Amiternum idem venerit, reſpondet, altius iter eius repetendo: Ex Campania in Samnium, inde in Pelignos, poſt in Marrucinos, poſtremo in Marſos, atque inde Amiternum, Foruloſque veniſſe. Strabo autem libro 5. Sabinos vſque ad Veſtinos pertendit, vrbeſque eorum nominat Νώμεντον, Ἀμίτερνον, Ἰντεραμνίας, Ῥεάτε, Κωτισκολίας, Φόρουλοι, Κύρεις, Ἤρητον. Ex quo apparet nullam eſſe in verbis auctoris, quam ille arguit inconſtantiam.

Cap. xii. *Namque ex Lucanis in Bruttium agrum ad fretum vero ac Rhegium eo curſu contendit, vt prope repentino aduentu incautos oppreſſerit.*] Polyb. ποιησάμενος δὲ τὴν πορείαν διὰ τῆς Δαυνίας καὶ τῆς Βρεττίας ἐπέστη τοῖς κατὰ τὸ Ῥήγιον τόποις αἰφνιδίως, ὥστε παρ᾽ ὀλίγον μὲν καὶ τῆς πόλεως κρατῆσαι.

Eod. *Fameſque, quæ tam diu Capuæ erat.*] Malim, *Iamdiu.*

Cap. xiii. *Vibius Virius.*] *Vibius Virius.* vt ante.

Eod. *Quorum ploratus hic quoque prope exaudiebantur.*] Vet. lib. *his quoque.*

Eod. *Ne ſtirpis, ne memoria originum ſuarum extaret.*] Veter. lib. *Ne ſtirps.*

Cap. xiv. *Quo cum veniſſent.*] Vet. lib. *veniſſet*: præceſſit autem ſenatus.

Cap. xv. *Literaſque à C. Calpurnio populóque Rom. Fuluio cum reddidiſſet*] Voces, *populóque Rom.* mendoſiſſimæ ſunt, neque enim literas à populo Rom. accepit Fuluius, ſed à ſenatu potius, immo vero à ſenatu quidem ſed à C. Calpurnio prætore, qui ſenatuſconſultum miſit. Itaque haud dubie legendum eſt, *C. Calpurnio prætore.* Erroris cauſam attulit, quod iiſdem literis *prætor & populus Rom.* ſcribūtur ita: P. R. PR. ſic paulo poſt ait: *Referente Calpurnio prætore ſenatus decreuit.*

Eod. *Et cum mirabundus, quidnam ſeſe vellet, reſediſſet Flaccus.*] Vet. lib. *& cum mirabundus quidnam ſeſe vellet, inquireret, reſidens Flaccus.*

Cap. xvi. *Præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis miſſurus.*] De Capuæ loquitur præfectura. Fuiſſe autem Italiæ oppida alias colonias, alia municipia, alia præfecturas, ſatis conſtat. De Præfecturis autem ſic Feſtus: *Præfecturæ eæ appellabantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum reſp. neque tamen magiſtratus ſuos habebant, in quas legibus præfecti mittebantur quotannis qui ius dicerēt, quarum duo fuerūt genera alterum, in quas ſolebant ire præfecti quatuor* VI. VIR. *qui populi ſuffragio creati erant. in hæc oppida Capuam, Cumas, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Sueſſulam, Atellam, Calatiam: alterum, quos prætor vrbanus quotannis in quæque loca mittebat legibus, vt Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Aliſas, Priuernum, Anagniam, Fruſinonem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaque complura.*

Cap. xvii. *Claudio Neroni.*] Vet. lib. *C. Neroni*, vt ante.

Eod. *Inter oppida Illiturgim, & Mentiſſam.*] Scribe, *Illiturgi.* Numerat enim Priſcianus *Illiturgi* inter nomina neutra quę deſinunt in *i*, & ſunt aptota.

Cap. xviii. *Iuſſi deinde inire ſuffragium.*] Vet. lib. *Inire confiſſam ſuffragium*, quod quid ſit, quærēdum eſt. † Badius legit *confuſum ſuffragium*, atque ita Budæus in annotationibus in Pandectas. † Quod ait: *omnes centuriæ*: mallem *Curiæ*, qui curiatis comitiis imperium mandabatur, non centuriatis.

Eod. *P. Scipioni imperium eſſe in Hiſpaniam iuſſerūt.*] Egregie: non enim magiſtratus mandatus eſt Scipioni, cum proconſule miſſus eſt, ſed imperium, vt poſt etiam dicam.

Cap. xix. *Ut iam reſiderant impetus.*] Veteres libri, *reſederat.*

Eod. *Ardorem eum, qui reſiderat.*] Vet. lib. *reſederat.*

Eod. *Nullo die prius nullam publicam, priuatamque rem egit quam.*] Vet. lib. *Vllam publicam.*

Eod. *Quam in Capitolium iret.*] Idem eſt apud eum, qui ſcripſit de Vir. Illuſtr.

Eod. *Emptoris, Græca vrbe.*] Vet. lib. *Emporiis.* Liuius *Emporias* vocat. Strabo lib. 3. *Emporiam.* Sic enim ait: Ἐμπόριον Μασσαλιωτῶν ἐστι κτίσμα, ὅσον δὲ τετρακισχιλίους διέχον τῆς Πυρήνης σταδίους.

Cap. xx. *Aſdrubal Giſgonis vſque ad Oceanum, & Gadeis, Mago in mediterranea maxime ſupra Caſtulonenſem ſaltum, Aſdrubal Amilcaris filius proximus Ibero circa Saguntum hybernauit.*] Pol. lib. 10. Μάγωνα μὲν ἐπυνθάνετο διατρίβειν ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἐν τοῖς Κονίοις προσαγορευομένοις, Ἀσδρούβαν δὲ τὸν Γέσκωνος περὶ τὸ τοῦ Ταγοῦ ποταμοῦ στόμα κατὰ τὴν Λυσιτανίαν. τὸν δ᾽ ἕτερον Ἀσδρούβαν πολιορκεῖν τινὰ πόλιν ἐν τοῖς Καρπητανοῖς, οὐδένα δὲ τῶν προειρημένων ἔλαττον δέχ᾽ ἡμερῶν ὁδὸν ἀπέχειν τῆς Καινῆς πόλεως.

Cap. xxi. *Ad populum tulerunt, vt Marco Marcello, quo die vrbem ouans iniret, imperium eſſet.*] Miratur Glareanus quaſi inconſtantiam Liuij, qui ſcribat, Negatum eſſe Marcello triumphum, permiſſum eſſe, vt ouans iniret: deinde per tribunos pl. ad populum ex ſenatus auctoritate latum, vt Marcello, quo die ouans iniret, imperium eſſet, poſtremo in monte Albano triumphaſſe: verum nihil eſt inconſtantiæ. Nam Marcellus ex S. C. ouans iniit, ex ſua ſententia ſine S. C. (quod fieri poſt C. Papyrium Maſonem, qui primus id fecit, cœptum erat) triumphauit, quoniam vero ſine imperio triumphare non poterat, nec imperium niſi extra vrbem pro conſule erat, propterea latum eſt apud populum, vt ei quo die ouans vrbem iniret, imperium eſſet. Idem autem de L. Æmilio Paullo ſcribit lib. 45.

Eod. *In monte Albano triumphauit.*] Plutarchus in Marcello: ἐπεὶ δ᾽ οὐκ ἔτυχεν ὁ τοῦ τελείου θριάμβου, ζωγραφήσας αὐτὸς, τὸν μὲν ἐντελῆ καὶ μέγαν εἰς τὸ Ἀλβανὸν ὄρος ἤλασε, τὸν δ᾽ ἔλαττον κατήγαγεν εἰς τὴν πόλιν, ὃν Ὄβαν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν.

Eod. *Id M. Cornelio mandatum.*] M. Cornelius Cethegus, vt ſupra dixi, prætor erat Siciliæ. Glareanus *P. Cornelio* legit, & *P. Cornelium Lentulum* intelligit, qui prætor ante fuerat.

Cap. xxii. *Prærogatiua centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum.*] Vt hoc loco in vet. lib. eſt, pro *Centuria, Veturia*: ſic infra: *Redire in ſuffragium Veturiam iuniorum.* Item. *Veturiam ſeniorum citaret*: Item: *citatis Veturia ſenioribus*: idque, vt ego cenſeo recte. Eſt enim *Veturia*, centuriæ nomen, vt *Galeria*, cuius meminit libro 27. his verbis: *Galeria iuniorum, quæ ſorte prærogatiua erat, Q. Fuluium & Q. Fabium conſules dixerat.* Quod qui non intellexerunt, *Centuria* ibi quoque repoſuerunt. † Robortellus libro ſecundo emend. cap. 31. vehementer hoc loco increpat Sigonium, oſtendens centurias quæ erant claſſium partes illarum vt nomina non habuiſſe vlla quibus vocarentur, ſicuti tribus illæ xxxv. Atqui nonaginta tres erant, nec tamen vllum nomen habebant centuriæ, vt docet

Halicarnaſſeus. Et vt in hoc erroris conuincit Sigonium, ſic
» nullibi *Veturium* legendum, ſed *centuria* vocem retinendam
» aſſerit, lib.2.cap.32.†.

» Eod. *Datum ſecreto in ouili cum iis colloquendi tempus.*] Ouile locus in campo Martio, quod etiam *ſepta* dicitur. Lucanus: *Et miſera maculauit ouilia Roma.*

Eod. *M. Claudium Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium abſentes conſules dixerunt.*] Sic lib. vet. *abſentes*, id eſt, non petentes, intelligit: alioquin *M. Claudius*, qui paulo ante triumphauerat, in vrbe erat, ſed non in campo.

Eod. *Quam docti fingunt magis, quam norunt.*] Platonem intelligit in libris de rep.

Cap. XXIII. *P. Manlius Volſo.*] *Vulſo* ex lap. Cap.

Eod. *L. Cincius Alimentius.*] *Alimentus*, vt ſupra.

Eod. *C. Lectorius.*] *Letorius* vt ſupra.

Eod. *Ludi Apollinares, & priore anno fuerant, & eo an. vt fierent repente Calpurnio pratore ſenatus decreuit.*] placet Paulo Manut. legi, *Referente Calpurnio*, & recte, Calpurnius enim prætor vrbanus, cuius ea cura erat ad ſenatum de ludis retulit.

Eod. *Ad victorias qua in anse fixa erant.*] *Anses quadratura, & quadra columna*: Marcellus.

Eod. *In locum M. Æmily Numida Decemuiri ſacrorum.*] Emendo *M' Æmilij*. Nam inuenio in tab. Cap. vbi de tertiis ludis ſecularibus fit mentio, huius Decemuiri, vt reor, fieri mentionem, ſic:

LVDI SECVLARES. TERT.
M' ÆMILIO M' F. MAO. XVIR.
M. LIVIO M. F. M. N. SALINATORES.

Cap. XXIV. *Pleuratus & Scerdiletus.*] Vet. lib. *Scerdilendus*. Polyb. Σκερδιλαΐδου.

Eod. *Olympia, Ætolis, in Capitolio ab Romanis.*] Vet. lib. *Olympia ab Ætolis*. Recte.

Eod. *Et Oleniadu, Naxumque Acarnanum, &c. Iam mœnia Oleniadon, Naxumque.*] Vet. lib. *Etholoniadas*. Item: *Meniadas*. Quæ lectio etſi ex omni parte recta non eſt, habet tamen veſtigia aliqua germanæ integritatis. Eſt enim legendum: *Et Oeniadas*. Item, *Iam Oeniadas*. Eſt enim vrbs Acarnanum hoc nomine: de qua ita Stephanus: Οἰνιάδαι πόλις Ἀκαρνανίας πρὸς τῷ Ἀχελῴῳ, ἡ καὶ Τρικίη καλουμένη. Et Polybius libro 10. in oratione Lycisci. ἤδη παρῄρηνται μὲν Ἀκαρνάνων Οἰνιάδας, καὶ Νᾶσον. vbi de lus ademptis loquitur.

Eod. *Per Pelagoniam, & Nympheum, & Boteam in Theſſaliam deſcendis.*] Veter. libr. *Bœotiam*, quæ vox aperte mendoſa eſt. Proho igitur coniecturam Glareani, qui legendum putat. *Bœream*. De hac enim vrbe & Plinius & Strabo & Stephanus ea tradunt, quæ ſuſpicionem Glareani corroborare maxime
¶ poſſe videantur. † Hic ſemel probat Glareanum, cum plus
» quam ſexcentos locos ab illo repurgatos habeat, ſicut pro-
» xime *Oeniadas* pro *Oleniadas* idem Glareanus emendarat, ip-
» ſe quaſi ex Stephano primus emendatit, obticet nomen Gla-
» reani. †

Eod. *Relicto ad fauces Theſſalia Perſeo.*] Philippi regis filius Perſeus fuit.

Eod. *In Thraciam exercitum, ac Medos eduxis.*] *Mædos* ſcribe ex 11. libr. Polyb. Μαιδούς. Et Stephanus Μαιδοι ἔθνος Θρᾳκῶν πλησίον Μακεδονίας. Alij ſunt *Mædi* Aſiani.

Eod. *Incurrere eu gẽs Macedoniam.*] Vet. lib. *In Macedoniam.*

Eod. *Vrbem Iumpharniam.*] Vet. lib. *Iumpharinam.*

Eod. *Arcemque Medica.*] *Medica*, vt ſupra.

Eod. *Es iam mœnia Oleniado.*] *Et iam Oeniadas*, vt dixi.

Eod. *Caſtra in extremis finibus ſuis obuiam hoſti poſuerunt.*] Vet. lib. *Obuia.*

Cap. XXVI. *Præda ex pacto Romanis ceſſit*] De Anticyra capta loquitur eadem Lyciſcus Acarnanum legatus apud Polybium libro 9.

Cap. XXVII. *Pridie Quinquatrus.*] *Quinquatrus* accuſatiuus caſus eſt, vt pridie Kalend. Cuius rectus eſt, *Quinquatrus*. Cicero ad Cœlium, *Moleſta quinquatrus*. Cariſius ſic: *Quinquatrus*, non *Quinquatria*, *non enim dicta ſunt quinque dies atri, ſed quod Quinquatus antiqui dicebant, ſiue a quinquando, id eſt luſtrando, quod eo die armu ancilia luſtrari ſint ſolita.*

Eod. *Comprehenſa Latumia.*] Feſtus: *Latumias ex Graco & maxime a Syracuſanis, qui Lasomias, & appellant, et habens ad inſtar carceris ex quibus locis exciſi ſunt lapides ad extruendam vrbem.*

Eod. *Quo ad eo animo in populum Romanum eſſe ſciret.*] Vet. li. *Quo ad alieno animo a populo Rom. eſſe ſciret.*

Eod. *Hac circumfuſus multitudine ſimul Siculis obuiam egreſſis poteſtatem Romam adeundi fecit, clariſſimarum vrbium excidio celeberrimis viris victos bello accuſatores in vrbem adducens.*] Hic locus Vallæ tempore in manuſcriptis libris ita legebatur: *Hac circumfuſus multitudine ſimul Siculis obuiam egreſſis Romam prabuit, clariſſimarum, &c.* atque ita nunc etiam legitur: Valla autem multa hic verba deſiderari ſuſpicatus, ita ex ingenio legit: *Hac circumfuſus multitudine ſimul Siculis obuiam egreſſis, poteſtatem Romam adeundi fecit, & nonnullis vel amulis querimoniam prabuit, clariſſimarum, &c.* Quam lectionem nemo iure probare poteſt, quia nimis multa de ſuo infercit, haud ſatis auctoris ſententiæ congruentia. Ego igitur veterem lectionem tueor, vno paululum immutato verbo, & pro, *prabuit*, *peruenit*, reſtituo ſic: *Hac circumfuſus multitudine ſimul Siculis obuiam egreſſis Romam peruenit, clariſſimarũ, &c.* hoc ſenſu: Læuinus Campanorum multitudine, & Siculis obuiam egreſſis circumfuſus Romam peruenit, accuſatores bello victos Campanos, & Siculos in vrbem adducens Fuluio, & Marcello viris celeberrimis excidio clariſſimarum vrbium Capuæ, & Syracuſarum. Hinc Suidas: Ἐπιχείρουν δὲ καὶ Καμπανοὶ τῷ Φλάκκῳ, καὶ οἱ Συρακούσιοι τῷ Μαρκέλλῳ κατηγορεῖν. Sic paulo poſt: *Vt victos armis accuſatores habeamus.*

Cap. XXVIII. *Acarnanes Locrique.*] In Acarnania Geniadæ, Naſus captæ, in Locride Anticyra fuerat.

Eod. *Vrbana dua ſuperioris anni.*] Aliæ hæ legiones ſunt à quatuor iis, quas ante nominauit.

Cap. XXIX. *Obrui ab Ætna ignibus.*] Veter. lib. *Obrui Ætna ignibus.*

Eod. *Ha Siculorum querela domos primum nobilium circumlata.*] Vet. lib. *Per domos.*

Eod. *Aliam forſitan futurum fuiſſe ſententiam ſuam dicere.*] *Suam*, de quo ambigit Glareanus, procul dubio ad *Marcellum* referendum eſt.

Eod. *Deprecari ſenatus praiudicium.*] Senſus, precari ne permutatio prouinciæ à ſenatu permiſſa ſibi in contumeliam vertat.

Eod. *Rapiente fato Marcellum ad Annibalem.*] Hoc ait, quia poſt v. conſulatu Marcellus ab Annibale interfectus eſt.

Cap. XXX. *Excedere templo.*] Curiam intelligit. Nam ſenatus non niſi ſacrato haberi loco poterat. Inde paulo poſt. *Reductis in curiam legatis.*

Cap. XXXI. *Si ab inferiis exiſtat.*] Vet. lib. *Si ab inferis.*

Cap. XXXII. *In fidem & clientelam, ſe vrbemque Syracuſas acciperet.*] Vet. lib. *Reciperet.*

Eod. *Poſt hac conſul clementer appellatos eos dimiſit.*] Plutarchus qui totam hanc eandem hiſtoriam narrat, hoc ſic exprimit: ἀσπασάμενος οὖν ὁ Μάρκελλος τότε τοὺς πρέσβεις, καὶ τοὺς ἄλλους Συρακουσίους ἀεί τι πράττων ἀγαθὸν διετέλει.

Qui omnibus gerendis rebus affuerunt.] Veteres libri, *Interfuerat.*

Cap. XXXIII. *Mortuus enim poſt captum Claudius conſul erat.*] Legendum *proconſule*, quod eo anno quo Capua capta eſt P. Sulpicius, & Cn. Fuluius conſules fuerint. Q. autem Fuluius, & Ap. Claudius ad Capuam cum proconſulari imperio. Itaque paulo poſt ait: *Fuluio proconſuli*. Niſi ſi accipias, *conſul*, pro eo qui conſulare gerat imperium. vt paulo poſt: *In conſilio arbitror me fuiſſe conſulibus Capua capta.*

Eod. *Idque & apud maiores noſtros factum eſt in Sutrianis, cum defeciſſent.*] Veter. libr. *In Satricanis*, & recte. *Satricanos* enim ad Samnites defeciſſe anno ab v. c. CDXXXIIII. tradit Liuius lib. 9. De *Sutrinis* autem, ſic enim legendum eſſet, nihil eſt traditum.

Eod. *Quod ſenatus maxima pars iubeat, qui aſsidens, id volumus, iubemuſque.*] Solennia hæc verba eſſe videntur, quibus plebs in ſenatus conſulto comprobando vtebatur. Veter. lib. *Qui aſsideris.*

Cap. XXXIV. *Extra filias qua nupſiſſent priuſquam in populi Rom. poteſtatem veniſſent.*] Vet. lib. *Enupſiſſent*, egregie, quaſi quæ à paterno domo in mariti tranſiiſſent, vt enim *Innubere* eſt in mariti domum tranſire, ſic *Enubere* è patris domo exire. Liuius lib. 1. *Ea cum innupſiſſet.* & lib. 10. *Virginiam quod è patribus enupſiſſet, ſacris arcuerant.*

Digitized by Google

Cap.xxxv. *Tantus fremitus hominum, tanta indignatio fuit.*] Vet.libri, *Tantaque indignatio fuit.*

Eod. *Tecta hoſtes incendiſſe: ſeruos agricultores rempublicam abduxiſſe, nunc ad militiam paruo ære emendo, nunc remiges imperando.*] Integra lectio, ſiquidem ex hac nullus ſenſus percipitur, eſt in vet.lib. *ſeruos agricultores populi Romani abduxiſſe.* Quanquam ſuſpicor etiam, ne pro, *populi Rom.* legendum ſit, *prætores.* Eſt enim lapſus, vt dixi, quotidianus. Querela autem plebis hæc eſt, quæ ſuas calamitates aperit, & ait tecta ab hoſtibus incenſa, ſeruos qui agros colebant à prætoribus abductos partim ad militiam paruo ære emendo, partim remiges imperando. Intelligit autem eos, qui poſt Cannēſem pugnam à Ti. Graccho proconſ. armati fuerant. Itaq. lib.34. ait L. Valerius loquens de hac re & tempore, ita: *Serui quibus armata darentur, ita vt precium pro iis bello perfecto dominis ſolueretur, emebantur.* Glareanus hoc loco hæret. † Quid mirum ſi Glareanus hæreat, cum & Sigonius eius Doctor hæreat? †

Eod. *Spatium deinde his tribuere ſe, dareque ad cogitandum dixerunt.*] Nemo hunc locum mendoſe eſſe animaduertiſſet, niſi veteres libri id docuiſſent, in quibus eſt: *Spatium deinde tridui ſe dare ad cogitandum dixerunt.* Eſt enim veriſimile certum dierum ſpatium eſſe datum.

Cap.xxxv. *Vt claſſem habet, quā ornare volumus, populus Rom.*] Malim *Reſpubl.* errore ex præpoſteris literis orto, P. R. & R. P. ſic enim paulo poſt: *Nec remigem in ſupplementum, nec ſtipendio reſp. eget.*

Eod. *Aurum, argentum, æs ſignatum.*] Quia fœde vitiatus hic locus multis in partibus eſt, ipſum, quomodo legendum eſſe cenſeo, recitabo: deinde cur ita legam, exponam. Loquitur ita Lævinus conſul de ratione auri, argentique in publicum conferendi. *Aurum, argentum, æs ſignatum omnes ſenatores craſtino die in publicum conferamus, ita vt annulos ſibi quiſque & coniugi, & liberis, & filio bullam, & quibus vxor filiæve ſunt vnicas, pondo relinquat auri, argenti, qui curuli ſella ſederunt equi ornamenta, & libras pondo, vt ſalinum, patellamque deorum cauſa habere poſſit. Ceteri ſenatores libram argenti tantum, æris ſignati quina millia in ſingulos patresfamiliæ relinquamus.* Ex eiuſmodi verborum interpunctione & lectione ſatis commode ſenſum colligi puto, qui ex vulgata lectione nullus eliciebatur. Quod autem antea legebatur: *Singulas vnicas auri pondo relinquant, argenti, qui ſellam.* Inueni in vet. lib. legi: *Singulas vnicas pondo relinquant auri, argenti*, ita vt aliud deinceps ſequatur membrum. *Qui ſella curuli ſederunt, vt ſibi relinquant equi ornamenta & libras pondo auri, argenti, ita vt ſalinum, patellamque habere poſſint. Ceteri ſenatores nihil auri ſibi relinquant, ac libram argenti tantū. Porro autem æris ſignati quinque millia in ſingulos patres familiæ relinquamus.* Quod autem ait: *Vncias pondo auri*: & *libras pondo*, recte ait: ſic enim loquebantur antiqui, cum *libram ponderalem*, non *menſuralem* ſignificabant, vt Plautus in Pſeudolo: *Eo laſerpicij libram pondo diluunt*, & in Rudente: *Neque piſcium libram vnam iam hodie pondo cepi.* Et Liuius hoc libro paulo poſt: *Pateræ aureæ fuerunt* CCLXXVII *librales ferme omnes pondo.* Et libro quarto: *Coronam aureā libræ pondo.* Itaque libro 34. de hoc decreto ſic ſcriptum eſt. *Cautum erat, quo ne plus auri, & argenti facti, quo ne plus ſignati argēti et æris domi haberemus.* Hic locus torſit Vallam & Glareanum. † Locus Glareanum torſit, ſed eius obiectiones non diluuntur: maxime quæ ad rem pecuniariam intelligendam facere videbantur †.

Eod. *Ceterum omne aurum argentum.*] *Ceterum* nomen eſt, non aduerbium intelligit enim reliquum aurum, argentumque in publicum conferendum, præter id, quod ſibi quiſque ex ſenatus auctoritate reliquerit. Itaque accentus tollendus eſt.

Eod. *Publica prodendo tua nequicquam ſerues.*] Vet.lib. *Perdendo*, recte.

Cap.xxxviii. *Daſius, & Blattius.*] Vet.lib. *Platius.* Valerius Max. libro tertio, capite quarto: *Blaſium*, vbi de eadem re agit, vocat. Quæ eadem ſcriptura eſt in vetuſtiſſimo, quem apud ingenioſiſſimum, humaniſſimumque Ioan. Baptiſtam Pignam legi, libro eſt.

Eod. *Blaſius de proditione Daſium appellabat.*] Hoc item exponit Valerius: *Blaſius vultu diſſimulante, ac voce ſummiſſa monere Daſium cœpit, vt Romanorum potius, quam Carthaginenſium partes foueret.*

Eod. *Vt præſidium Punicum hi autem Numidæ erant, Salapiaque traderetur Marcello.*] Solet in eiuſmodi re Liuius numerum eorum, qui ſunt in præſidio nominare. Quare non dubito quin vox, *hi*, mendoſe ſit, pro D. nam quingentos fuiſſe Numulas, qui traditi Marcello à Blaſio ſunt, eodem loco Valerius ſcribit, qui cetera à Liuio mutuatus eſt. Hoc autem tanto verius puto, quod ſubdit: *Nec plus quinquaginta ex his in poteſtatem hoſtium viui venerunt.*

Cap.xxxix. *Præfectuſque præſidij atque arcis M. Liuius.*] Supra nomen, vt dixi huius præfecti reticuit, quem *C. Liuium* Polybius nominauit.

Eod. *A Velia & Peſto.*] Vet.lib. *& à Peſto.*

Eod. *Vt ad componenda armamenta, expediendumque remigem, ac militem ad imminens certamen ſatis temporis eſſet.*] Addo vocem ex vet.lib. *vix ſatis temporis eſſet.*

Eod. *Tarentini, vt recuperata vrbe ab Romanis, poſt centeſimum prope annum arcem etiam liberarent.*] LXXX. anni numerantur à L. Papirio, Sp. Caruilio Coss. quibus de Tarentinis debellatis triumphatum eſt anno ab vrbe condita CDLXXX. ad hunc annum, qui eſt DXL.

Cap. XLI. *Nemo ante me nouus Imperator.*] Capita huius orationis Scipionis ſumpta ſunt à Polybio, qui ita ſcribit libr. 10. οὐ μὴν ἀλλὰ τότε συναθροίσας τὰς δυνάμεις, παρήγγελλε μὴ καταπεπλῆχθαι τὴν προγεγενημένην περιπέτειαν. οὐ γὰρ ταῖς ἀρεταῖς ἡττῆσθαι Ῥωμαίους ὑπὸ Καρχηδονίων οὐδέποτε, &c.

Eod. *Per nocturnos etiam viſus omnia læta, ac proſpera portendunt.*] Polybius eum ſe à Neptuno in quiete monitum, vt vrbem eam inuaderet, dixiſſe ait.

Eod. *Sed vt vltro tranſeamus.*] Veteres libri, *Sed vt vltro tranſeamus.*

Eod. *Iam quid hoc bello memorem.*] Vet.lib. *Iam quid hoc de bello memorem.*

Eod. *Italiæ, Siciliæ, maioris patris Sardiniæ.*] *Maioris partis Siciliæ*, intelligendum.

Eod. *Nihil tam maius precatur deos.*] Veteres libri, *Nihil iam magis.*

Eod. *Nam & deſeruntur ab ſociis, & diduxere exercitus.*] Polybius: χωρὶς γὰρ ἀπ' ἀλλήλων πολὺ διεσπασμένως στρατοπεδεύειν, τοὺς τε συμμάχους ὑβριστικῶς κεχρημένους ἅπαντας ἀπηλλοτριῶσθαι.

Eod. *Breui faciam.*] Malim *breue* ſic enim Cicero.

Cap.XLII. *Hac oratione accenſis militum animis relicto ad præſidium regionis eius M. Silano cum tribus millibus peditum, & trecentis equitibus.*] Poly. ταῦτα εἰπὼν, τρισχιλίους μὲν ἔχοντα πεζοὺς, καὶ πεντακοσίους ἱππεῖς Μάρκον ἀπέλιπε τὸν συνάρχοντα περὶ τὴν διάβασιν, ἐφεδρεύοντα τοῖς ἐντὸς τοῦ ποταμοῦ συμμάχοις, αὐτὸς δὲ τὴν ἄλλην διεβίβαζε δύναμιν. Polybius *quingentos* equites pro *trecentis* affert. Numerus copiarum Scipionis idem eſt apud Polybium.

Eod. *Quoniam in tres tam diuerſas regiones diſceſſiſſent Punici exercitus.*] Aſdrubal Giſgonis ad Gades. Mago ſupra Caſtulonenſem ſaltum. Aſdrubal Amilcaris proximus Ibero circa Saguntum, Liuius ſupra.

Eod. *Si iam præterea cum opportune ad traiiciendum in Africam, tum ſuper portum ſatis amplum quantæuis claſſi, & neſcio an vnum in Hiſpaniæ ora, quæ noſtro adiacet mari.*] Verba Polybii: ἔκρινε δὲ πρῶτον μὲν, ὅτι λιμένας ἔχει στόλῳ καὶ ναυτικῇ δυνάμει, μόνη σχεδὸν τῶν κατὰ τὴν Ἰβηρίαν, ἅμα δὲ καὶ διότι πρὸς τὸν ἀπὸ Λιβύης πλοῦν καὶ πελάγιον δίαρμα λίαν εὐφυῶς κεῖται τοῖς Καρχηδονίοις. Ex quo apparet legendum: *& neſcio vnam*, quia dixit μόνη Polybius. Et ad *Carthaginem*, non ad *portum* referendum eſſe, vt ante legebatur, quam Rhenanus, *Vnum* emendaret.

Eod. *Nemo omnium, quo iretur ſciebat, præter C. Lælium. Is claſſe circummiſſus ita moderari curſum nauium iuſſus erat, &c.*] Polyb. πλὴν ὅτι τῷ μὲν ἐπὶ τοῦ στόλου Γαΐῳ Λαιλίῳ δι' ἀπορρήτων ἐντειλάμενος παρήγγειλε πλεῖν ἐπὶ τὴν προειρημένην πόλιν. μόνος γὰρ οὗτος αὐτῷ συνῄδει τὴν ἐπιβολὴν, αὐτὸς δὲ τὰς πεζικὰς δυνάμεις ἀναλαβὼν ἐποιεῖτο τὴν πορείαν μετὰ σπουδῆς.

Eod. *Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum eſt, ſimul terra marique caſtra ab regione vrbis, quā in ſeptentrionem verſa eſt poſita. his ab tergo, nam frons natura tuta erat, vallum obiectum.*] Vet. lib. *Nullum vallum obiectum*: Polybius duplum vallum exteriori caſtrorum parti obiectum ait: ἀφυλάκτως δὲ ἱδρυμένοι, κατεστρατοπέδευσαν κατὰ τὸ πρὸς ἄρκτον μέρος τῆς πόλεως καὶ περιέβαλλον κατὰ μὲν τὴν ἐκ τῆς ἐπιφανείας τῆς στρατοπεδείας, τάφρον καὶ χάρακα διπλοῦν ἐκ

θαλάττης. κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὴν πόλιν πλευρὰν οὐδέν. αὐτὴ γὰρ ἡ τοῦ τόπου φύσις, ἱκανῶς ἀσφαλῆ αὐτῷ παρεσκεύαζε. Quod *tergum* vocat Liuius *caſtrorum*, id *exteriorem partem* nominat Polybius: quam *frontem* Liuius, eam *ad vrbem verſam* Polybius.

Eod. *Etenim ſita Carthago ſic eſt.*] Vet. lib. *Ceterum ſita Carthago ſic eſt.* Polyb. κεῖται μὲν οὖν.

Eod. *Sinus ex maris media fere Hiſpania maxime Africo vento oppoſitus, & quingentos paſſus introrſus retractus, paululo plus paſſuum in latitudinem patens.*] Ex Polybio legendum eſt, *Ad duo millia & quingentos paſſus*: ipſe enim ad viginti ſtadia, habet: κεῖται μὲν οὖν τῆς Ἰβηρίας κατὰ μέσην τὴν παραλίαν ἐν κόλπῳ νεύοντι πρὸς ἄνεμον Λίβα. οὗ τὸ μὲν βάθος ἐστὶν ὡς εἰκοσισταδίων. τὸ δὲ πλάτος ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὡς δέκα.

Eod. *Huius in oſtio ſinus parua inſula obiecta ab alto portum ab omnib. ventis, præterquam Africo tutum facit.*] Polyb. νῆσος ἐπὶ τοῦ στόματος αὐτοῦ κεῖται, βραχὺν δ' ἑκατέρου τοῦ μέρους εἴσπλουν εἰς αὐτὸν ἀπολείπουσα. ταύτης ἀποδεχομένης τὸ πελάγιον κῦμα, συμβαίνει τὸν κόλπον ὅλον εὐδίαν ἴσχειν. πλὴν ἐφ' ὅσον οἱ λίβες καθ' ἑκάτερον τὸν εἴσπλουν παρεισπίπτοντες, κλύδωνας ἀποτελοῦσι. τῶν γε μὴν ἄλλων πνευμάτων ἀκλυδώνιστος ὢν τυγχάνει διὰ τὴν περιέχουσαν αὐτὸν ἤπειρον.

Eod. *Ab intimo ſinu peninſula excurrit, tumulus is ipſe, in quo condita vrbs eſt, ab ortu ſolis, & à meridie cincta mari, ab occaſu ſtagnum claudit, paulum etiam ad ſeptentrionem fuſum, incertæ altitudinis vtcumque exæſtuat, aut deficit mare, continenti vrbem iugum ducentos fere & quinquaginta paſſus patens coniungit.*] Polybius: ἐν δὲ τῷ μυχῷ τοῦ κόλπου προπέπτωκε χερρονησίζον ὄρος, ἐφ' οὗ κεῖσθαι συμβαίνει τὴν πόλιν περιεχομένην θαλάττῃ μὲν ἀπ' ἀνατολῶν, καὶ μεσημβρίας, ἀπὸ δὲ τῶν δύσεων λίμνῃ προσεπιλαμβανούσῃ καὶ τοῦ πρὸς ἄρκτον μέρους, ὥστε τὸν ἀναπληροῦντα τόπον μέχρι τῆς ἐπὶ θάτερα θαλάττης, ὃς καὶ συνάπτει τὴν πόλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, μὴ πλέον ὑπάρχειν ἢ δυοῖν σταδίων. Seruius Virgilium primo hunc portum deſcripſiſſe ait, eum inquit:

Eſt in ſeceſſu longo locus. Inſula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.

Nam quod ſequitur, de ſcopulis, prætermiſſum eſt à Liuio cum tamen apud Polybium ſit: ἡ δὲ πόλις αὐτὴ μεσόκοιλός ἐστι, κατὰ δὲ τὴν ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰν ἐπίπεδον ἔχει τὴν ἀπὸ θαλάττης πρόσοδον. τὰ δὲ λοιπὰ περιέχεται λόφοις, δυσὶ μὲν ὀρεινοῖς καὶ τραχέσιν, ἄλλοις δὲ τρισί, πολὺ μὲν χθαμαλωτέροις, σπιλώδεσι δὲ καὶ δυσβάτοις. Et Virgilius:

Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli, quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent.

Eod. *Vnde cum tam parui operis munitio eſſet, non obierit vallum Imperator Romanus.*] Polybius. τὸ δὲ μεταξὺ τούτων διάστημα τὸ συνάπτον τὴν πόλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, ἀχαράκωτον εἴασε κατὰ μέσον ὑπάρχειν τὴν αὐτοῦ στρατοπεδείαν.

Eod. *Siue fiduciam hoſti ſuperbe oſtentans, ſiue vt ſubeunti ſæpe ad mœnia vrbis recurſus pateret.*] Polybius: εἴτε καὶ καταπλήξεως χάριν, εἴτε καὶ πρὸς τὴν ἐπιβολὴν ἁρμοζόμενος, ὅπως ἀνεμποδίστους ἔχῃ καὶ τὰς ἐξαγωγὰς καὶ τὰς ἀναχωρήσεις εἰς τὴν παρεμβολήν.

Cap. XLIII. *Ad vrbem vnam oppugnandum*] Vet. lib. *Oppugnandam.* Summa huius orationis eſt etiam apud Polybium, quamquam Liuius non omnia illa expreſſit.

Eod. *Terra, mari inſtrui.*] Vet. libri, *Terra, marique inſtrui.*

Cap. XLIV. *Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua caſtra Romana erant, opponit, quingentis militib. arcem inſedit, quingentos tumulo vrbis in orientem verſo imponit, multitudinem aliam, quo clamor, quo ſubita vis aduocaſſet, reſiſtentem ad omnia, occurrere iubet.*] Polyb. ὁ δὲ Μάγων ὁ τεταγμένος ἐπὶ τῆς πόλεως, τὸ μὲν τῶν χιλίων σύνταγμα διεῖλε, τοὺς μὲν ἡμίσεις ἐπὶ τῆς ἄκρας ἀπέλιπε, τοὺς δὲ ἄλλους ἐπὶ τοῦ πρὸς ἀνατολὰς λόφου παρενέβαλε. τῶν δὲ λοιπῶν τοὺς εὐρωστοτάτους περὶ δισχιλίους καθοπλίσας τοῖς ὑπάρχουσιν ἐν τῇ πόλει ὅπλοις, ἐπέστησε κατὰ τὴν πύλην τὴν φέρουσαν ἐπὶ τὸν ἰσθμὸν ἐπὶ τὴν τῶν πολεμίων στρατοπεδείαν. τοῖς δὲ λοιποῖς παρήγγειλε βοηθεῖν κατὰ δύναμιν πρὸς πάντα τὰ μέρη τοῦ τείχους. Quod ἰσθμὸν voca. Polyb. vertit *iugum* Liuius.

Eod. *Et primo haud impari ſtetere acie, ſubſidia deinde identidem ſummiſſa è caſtris non auerterunt ſolum in fugam hoſtes, &c.*] Omnia è Polyb. verſa ſunt, οἱ μὲν ἀλλ' ἕως μέν τινος ἐφάμιλλον συνέβαινε γίγνεσθαι τὴν μάχην. τέλος δὲ ἐξωθούμενοι τῷ βάρει, &c.

Eod. *Ipſe trium prope iuuenum validorum ſcutis oppoſitis.*] Poly. ὁ δὲ Πόπλιος ἐδίδου μὲν αὑτὸν εἰς τὸν κίνδυνον, ἐποίει δὲ τοῦτο κατὰ δύναμιν ἀσφαλῶς. εἶχε γὰρ μεθ' ἑαυτοῦ τρεῖς ἄνδρας θυρεοφοροῦντας, οἳ παρατιθέντες τοὺς θυρεοὺς, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ τείχους ἐπιφάνειαν σκεπάζοντες ἀσφάλειαν αὐτῷ παρεσκεύαζον.

Cap. XLV. *Quidam ſtantibus ſcalis cum altitudo caliginem oculis offudiſſet, ad terram delati ſunt.*] Polyb. ἐφ' αἷς δὲ οἱ πρῶτοι προσβαίνοντες ἐσκοτοῦντο διὰ τὴν τοῦ ὕψους ἀνάγκην, καὶ βραχείας προσδεόμενοι τῆς ἐκ τῶν ἀμυνομένων ἀντιπράξεως, ἐρρίπτουν σφᾶς αὐτοὺς ἀπὸ τῶν κλιμάκων.

Cap. XLVI. *Sed quod euntes.*] Subaudiendum *Pœni*, vt ſit: *Pœni Romanos ſubeuntes ad ancipites vtrimque ictus ſubiectos habebant. Ancipites vtrimque ictus* à lateribus intelligit, vt poſt: *Ancipitem vtrimque hoſtem*, à fronte & à tergo intelligit.

Eod. *Confractis, ne iter impediretur, foribus.*] Vet. lib. *Confractis, ac diſtractis ne iter impediretur foribus.*

Tumulus primo impetu eſt captus.] Polyb. τὸν δὲ λόφον οἱ διὰ τῆς πύλης εἰσπορευόμενοι κατελάμβανον τὸν πρὸς τὰς ἀνατολὰς, τρεψάμενοι τοὺς φυλάττοντας.

Eod. *Mago conatus arcem defendere, cum omnia hoſtium plena videret, neque ſpem vllam eſſe, ſe arcemque & præſidium dedidit.*] Polybius: Πόπλιος δὲ περὶ χιλίους ἔχων, ὥρμησε πρὸς τὴν ἄκραν, ἐγγίσαντος δὲ αὐτοῦ τὸ μὲν πρῶτον ἐπεβάλετο Μάγων ἀμύνεσθαι. μετὰ δὲ ταῦτα συννοήσας βεβαίως ἤδη κατειλημμένην τὴν πόλιν, διεπέμψατο περὶ τῆς ἀσφαλείας αὐτοῦ καὶ παρέδωκε τὴν ἄκραν.

Cap. XLVII. *Eos publicos fore populo Rom. edixit.*] Vet. lib. *populum Rom.* Ita Polyb. τοὺς δὲ χειροτέχνας κατὰ τὸ παρὸν ἔφη, διότι δημόσιοι τῆς Ῥώμης εἰσίν.

Eod. *Ceteram multitudinem incolarum iuuenum, ac validorum ſeruorum in claſſem ad ſupplementum remigum dedit.*] Polybius: ἐκ δὲ τῶν λοιπῶν αἰχμαλώτων ἐκλέξας τοὺς εὐρωστοτάτους, καὶ τοῖς εἴδεσι καὶ ταῖς ἡλικίαις ἀκμαιοτάτους, προσέμιξε τοῖς αὐτοῦ πληρώμασι.

Eod. *Et auxerat nauibus octo captiuis claſſem.*] Polybius: καὶ ποιήσας ἡμιολίους τοὺς πάντας ναύτας, ὧν προῆγε, συνεπλήρωσε καὶ τὰς αἰχμαλώτους ναῦς, ὥστε τοὺς ἄνδρας ἑκάστῃ ναῒ βραχύ τι λείπειν τοῦ διπλασίους εἶναι τῶν ὑπαρχόντων. τῶν προσγινομένων αἱ μὲν γὰρ αἰχμαλωτίδες ἦσαν ὀκτωκαίδεκα τὸν ἀριθμὸν, αἱ δὲ ἐξ ἀρχῆς πέντε καὶ τριάκοντα. Ex his verbis apparet legendum eſſe apud Liuium: *Nauibus decem & octo captiuis.* Quamquam poſt ait Liuius, *Non de numero captarum nauium conuenit.*

Eod. *Catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores CCLXXXI.*] Veteres libri. *Catapultæ maxime ferme centum viginti.*

Eod. XL. *millia modiorum.*] Vet. lib. *Modium.*

Eod. *Inter tantas opes belli captas.*] Vet. lib. *Inter tantas opes bellicas.*

Eod. *Et capienda vrbe tantum laboris periculique adiſſent.*] Vet. lib. *Et in capienda.*

Eod. *Sex. Digitius ſocius naualis.*] *Socium naualem* appellat, quicunque naualem operam nauat hoc loco.

Eod. *P. Cornelium Caudinum.*] *Caudinus* cognomen *Corneliorum Lentulorum* fuit, vt ſupra diximus.

Eod. *Quippe cum alibi CCC. ferme.*] Polybius: πλείους ὄντας τῶν τριακοσίων ὁμήρους, ait.

Cap. XLIX. *E media turba obſidum mulier magno natu, Mandonij vxor, quæ frater Indibilis Ilergetum reguli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit, obteſtarique cœpit vt curam, cultumque fœminarum impenſius cuſtodibus commendaret.*] Polyb. ἐκ δὲ τῶν αἰχμαλωτίδων τῆς Μανδονίου γυναικὸς, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἀνδοβάλου τοῦ τῶν Ἰλεργητῶν βασιλέως, προσπεσούσης αὐτῷ καὶ δεομένης μετὰ δακρύων ἐπιστροφὴν ποιήσασθαι τῆς αὐτῶν εὐσχημοσύνης κρεῖττον Καρχηδονίων.

Eod. *Cum Scipio nihil profecto defuturum iis diceret, tum rurſus mulier, haud magni iſta facimus, inquit, quid enim huic fortunæ non ſatis eſt?*] Polyb. συμπαθὴς γενόμενος, ἤρετο τί λείπεται τῶν ἐπιτηδείων αὐταῖς, καὶ γὰρ ἦν ἡ γυνὴ πρεσβυτέρα, καί τινα προστασίαν ἀξιωματικὴν ἐπιφαίνουσα. ὁ δὲ Πόπλιος δοκῶν ἐκάλει τὰς γυναῖκας. αὐτὸς γὰρ ἐπιμελῶς ἐπείσθη προνοοῦντας ἵνα μηδὲν αὐταῖς ἐλλείπῃ τῶν ἐπιτηδείων. ἡ δὲ ἐπισχοῦσα μικρὸν, οὐκ ὀρθῶς, ἔφη, στρατηγὲ τὸν ἡμέτερον ἐκδέχῃ λόγον, εἰ νομίζεις ἡμᾶς ὑπὲρ τῆς γαστρὸς δεδιέναι νῦν. Quibus ex verbis intelligi poteſt, nihil hinc Liuianę ſententiæ deſiderari, contra quam cenſet Glareanus. Scipio victus ſe conſulturum feminarum reſpondit, mulier pudicitiæ eum vt conſulat, rogat.† Glareanus recte dubitauit. Nam ex his Polybij verbis hæc Liuij verba: *Quid enim huic fortunæ non ſatis eſt?* non eruuntur. Qui Græce ſcit hoc facile videbit.†

Eod. *Aliam me angit cura ætatem harum intuentem, nam ipſa iam extra periculum muliebris iniuriæ ſum, ſimul ætate, & forma florentes circa eam Indibilis filiæ erant.*] Veteres libri, non habent

vocem, *Angit*, & pro *ſimul*, habent *ſtimulat*. Quam lectionem probo. Polybius: καὶ τότε λαβὼν ὁ Πόπλιος ἐκ τοῦ τὸ βούλημα τῆς γυναικὸς, καὶ θεωρῶν τὴν ὄψιν τὴν ἀκμὴν τῶν ἀνδιλόγου θυγατέρων, καὶ πλειόνων ἄλλων δυναστῶν, ἠναγκάσθη δακρῦσαι, τῆς γυναικὸς ἐν ὀλίγῳ τὴν τῆς περιστάσεως ἔμφασιν ὑποδεικνυούσης.

Eod. *Ne quid quod ſanctum vſquam eſſet.*] Virgnum deditarum pudicitia.

Eod. *Qua nec malis quidem.*] Vet.lib. *Ne in malis quidem.*

Cap.2. *Captiua deinde à militib. adducitur ad eum adulta virgo, &c.*] Polyb. κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον νεανίσκοι τινὲς τῶν Ῥωμαίων ἐπιτυχόντες παρθένῳ κατὰ τὴν ἀκμὴν, καὶ κατὰ τὸ κάλλος διαφερούσῃ τῶν ἄλλων γυναικῶν, καὶ συνιδόντες φιλογύνην ὄντα τὸν Πόπλιον, ἧκον αὐτὴν ἄγοντες.

Eod. *Quia ipſi, ſe frui liceret ludo ætatis, præſertim recto, & legitimo amore, & non reſpublica animum noſtrum occupaſſet, veniam mihi dari ſponſam impenſius amanti vellem.*] Vet.lib. *Præſertim illecto, recto legitimo amore*, vt ſit: ſi mihi liceret frui ludo ætatis, præſertim illecto, recto, & legitimo amore.

Cap. 11. *Quindecim fere ſenatoribus, qui cum eo capti erant.*] Polyb. ἦσαν μὲν γὰρ ἤδη κατειλημμένοι τῶν ἐκ τῆς γερουσίας, πέντε δὲ καὶ δέκα τῶν ἐκ τῆς συγκλήτου.

Eod. *In naui impoſitis.*] Vet.lib. *In nauem.*

Eod. *Ipſe paucos dies, quibus morari Carthagine ſtatuerat, exercendis naualibus, pedeſtribuſque copiis abſumpſit.*] Polyb. αὐτὸς δὲ χρόνον μέν τινα ἐν τῇ Καρχηδόνι τὰς ναυτικὰς δυνάμεις ἐγύμναζε συνεχῶς, καὶ τοῖς χιλιάρχοις ὑπέδειξε τοιοῦτόν τινα τρόπον τῆς τῶν πεζικῶν στρατοπέδων γυμνασίας.

Eod. *Primo die legiones in armis quatuor millium ſpacio decurrerunt.*] πρώτην μὲν ἡμέραν ἐπέταξε διατροχάζειν ἐπὶ τριάκοντα σταδίους ἐν τοῖς ὅπλοις.

Eod. *Secundo die arma curare, & tergere ante tentoria iuſſit.*] τὴν δὲ δευτέραν πάντας ἐκέλευσε καὶ διαψῆσαι, καὶ κατασκευάζειν ἐν τῷ φανερῷ τὰς πανοπλίας.

Eod. *Tertio die ſudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrerunt, præpilatiſque miſſilibus iaculati ſunt, quarto die quies data.*] Polyb. hæc præpoſterè narrat: τῇ δὲ ἑξῆς ἀνάπαυσιν καὶ ῥᾳθυμίαν. τῇ δὲ μετὰ ταύτην, τοὺς μὲν μαχαιροφοροῦντας ξυλίναις ἐσκυτωμέναις μετ' ἐπισφαιρώσεως μάχαις, ἐπὶ δὲ τούτοις ἐσφαιρωμένοις γρόσφοις ἀκοντίζειν.

Eod. *Quinto iterum in armis decurſum eſt.*] τῇ δὲ πέμπτῃ πάλιν ἐπὶ τοὺς αὐτοὺς δρόμους κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐπανῆγεν.

Eod. *Refectis quæ quaſſata erant muri.*] Vet.lib. *Refectiſque, quos quaſſauerant muris.*

Eod. *Diſpoſitiſque præſidiis ad cuſtodiam vrbis Tarraconem eſt profectus.*] Polybius: μετὰ ταῦτα ταῖς τε φυλακαῖς, καὶ ταῖς τῶν τειχῶν ἐπισκευαῖς ἱκανῶς ἠσφαλισμένος τὰ κατὰ τὴν πόλιν, ἀναζεύξας καὶ ταῖς πεζικαῖς καὶ ναυτικαῖς δυνάμεσι, καὶ ποιησάμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ Ταρράκωνος ἦγε μεθ' αὑτοῦ καὶ τοὺς ὁμήρους.

IN EPITOMEN LIB. XXVII.

CN. Fuluius procoſ. cum exercitu ab Annibale cæſus eſt.*] Veteres libri, *Cæſus ad Herdoneam eſt*: recte. ita enim quoque Liuius.

Subinde cedentem preſſit, donec effugeret.] Vet.lib. *donec confugeret.*

Fabius Maximus pater conſulis.] Emenda: *pater conſul*, vt infra: *Maximus filius.*

Tarentinos per deditionem accepit.] Vet.lib. *per proditionem recepit*, egregie: vt enim admiſſum fuerat: ſic receptum proditione Tarentum eſt. Plutarch. in Fabio: τὴν δὲ Ταραντίνων πόλιν ἔσχεν ἁλοῦσαν ἐκ προδοσίας.

Ita vt inimicum falleret, electa manu profectus.] Vet.lib. *Ita vt hoſtem falleret, cum electa manu profectus.*

IN LIBRVM XXVII.

CAP. 1. *In Italia cõſul Marcellus.*] Vet.li. *In Italia autẽ cõſul Marcellus*, quæ lectio neſcio cur à Rhenano reiiciatur.

Eod. *Salapia per proditionẽ recepta.*] Vet.lib. *Per deditionem.*

Eod. *Maroneam & Meles de Samnitibus vi cepit.*] Nomina horum oppidorum reticet Plutarch. in Marcello, cum ait: καὶ Σαμνιτικὰς πόλεις μεγάλας ἀφεστώσας εἷλεν. Item quod ait Liuius: *Ad tria millia militum, Annibalis*, Plutarch. inquit: Ἀννίβου στρατιώτας τρισχιλίους ὄντας.

Eod. *Prædæ aliquantum eius militi fuit conceſſum.*] Placet coniectura Beati Rhenani, quam miror ab aliis eſſe repudiatam. *Prædæ aliquantum, vſui militum conceſſa.* Nam libro 25. ait: *Ad diripienda hoſpitia Romana paſſim diſcurſum eſt, & fuit prædæ aliquantum.*

Eod. *Cn. Fuluius proconſul.*] *Cn. Fuluius Centumalus.* Nam *Cn. Fuluium Flaccum* prætorem biennio ante in iiſdem locis deuicerat.

Eod. *Ita vt famam prope præueniret.*] Vet.lib. *Famam quoq;.*

Eod. *Quinta legio & ſexta alacriter pugnam inierunt.*] Veteres lib. *Quinta legio, & ſiniſtra alacriter pugnam inierant*, recte. Nam paulo poſt ait: *Prima legio, & dextra ala.* Item: *Primæ legioni tertia, dextera alæ ſiniſtra ſubit.* Item multo poſt: *peditum prima legio, & dextera ala prœlium inibant.*

Eod. *Multi cecidiſſẽt Romanorũ.*] Vet.li. *Romanorũ cecidiſſent.*

Eod. *C. Fuluius cum duodecim tribunis militum cecidit.*] Vet.li. habent *cum vndecim*: quod placet. Nam Plutarchus in Marcello ſic ait: ἔπειτα τοῦ Ἀννίβου Φούλβιον Γνάιον ἀνθύπατον ἐν Ἀπουλίᾳ καταπολεμήσαντος μετ' αὐτοῦ σὺν ἕνδεκα χιλιάρχοις.

Cap. 11. *Marcellus nihil admodum tanta clade territus literas Romam ad ſenatum de duce & exercitu ad Herdoneam amiſſo ſcribit. Ceterum eundem, &c. ire aduerſus eum, breuem illi lætitiam qua exultet facturum.*] Hæc verba vertit Plutarch. in Marcello, & Liuium auctorem profitetur, ita: χαλεπῶς φέρων δὲ τῆς στρατιᾶς τὸ πταῖσμα, ἔπεμψεν εἰς Ῥώμην γράμματα, τοὺς πολίτας παρακελεύων θαρρεῖν. αὐτὸς γὰρ ἤδη βαδίζειν, ὡς ἀφέλοιτο τὴν χαρὰν Ἀννίβου. καὶ ταῦτα μὲν ὁ Λίβιος φησὶν ἀναγνωσθέντα, τὰ γράμματα μὴ λύπης ἀφελεῖν, ἀλλὰ προσθεῖναι φόβον, ὡς τῶν Ῥωμαίων μεῖζον ἡγουμένων τοῦ γεγονότος τὸ κινδυνευόμενον, ὅσῳ Φουλβίου κρείττων ἦν ὁ Μάρκελλος. ὁ δὲ ὥσπερ ἔγραψεν εὐθὺς Ἀννίβαν διώκων, εἰς τὴν Λευκανίαν ἐνέβαλε, καὶ περὶ πόλιν Νομίστρωνα καθήμενον, &c.

Eod. *Ab hora tertia cum ad noctem pugnam extendiſſent, &c.*] Plutarch. ἀπὸ γὰρ ὥρας τρίτης συμπεσόντες οὐδὲ σκότους μόλις διέλυσαν.

Eod. *Poſtero die à ſolis ortu in multum diem ſtetere in acie.*] Plutarchus: ἡμέρᾳ προαγαγὼν αὖθις τὸ στράτευμα παρέταξε διὰ τῶν νεκρῶν, &c.

Eod. *L. Furio Purpurione.*] *Purpureone* ex Capitolinis tabulis.

Cap. iv. *Valerium potius conſulem ex Sicilia reuocari.*] Plutarc. διὸ καὶ ἀρχαιρεσιῶν ἐπιγενομένων ἔδοξε τῇ βουλῇ μᾶλλον ἐκ Σικελίας τὸν ὕπατον ἀνακαλεῖν, ἢ Μάρκελλον συμπεπλεγμένον Ἀννίβᾳ κινεῖν.

Eod. *L. Manlio prætore vrbis.*] *Vrbano.* Vet.lib.

Eod. *Legati ab rege Syphace Romam venerunt, quæ is proſpera prælia rex cum Carthaginenſibus feciſſet, memorantes.*] Vox, *Rex*, abeſt à vet.lib. neque certe eſt neceſſaria.

Eod. *M. Atilius, & M'. Acilius.*] Scribe, *M'. Acilius.* eſt enim *M'. Acilius Glabrio*, de quo infra magna fit mentio.

Eod. *Multa æſtate, qua hæc facta ſunt.*] Vet.lib. *Ea æſtate, qua.*

Eod. *Laſciuientium piſcium more exultaſſe.*] Vet.libr. *Piſcium modo exultaſſe.*

Cap. v. *Prope annos LX. in Sicilia.*] ab Ap. Claudio conſule, qui primus bellum in Siciliam tranſtulit, adhunc numerantur anni LV.

Eod. *Improuiſo in agro Vticenſi excurſione fecit.*] Vet.lib. *In agrum Vticenſem.*

Eod. *Q. Fuluius dictator dictus.*] Plutarchus in Marcello: ἐκέλευε δὲ ἀναγορεῦσαι δικτάτορα Κόιντον Φούλβιον. ἐπεὶ δὲ ἐλθὼν ἀπὸ τῆς Σικελίας, ὁ τοῦ Μαρκέλλου συνάρχων ἕτερον ἐβούλετο λαβεῖν δικτάτορα, ἡ βουλὴ ... νυκτὸς εἰς Σικελίαν, &c.

Cap. vi. *Galeria iuniorum, quæ forte prærogatiua erat.*] Vet.lib. *quæ ſorte.* Quanquam *ſorte*, probatur vt lib. 24. *Eo die cum ſors prærogatiuæ ante iuniorum exiſſet.* & Cicero Philipp. 2. *Sortitio prærogatiuæ.* *Galeria* autem nomen eſt *centuriæ*, vt *Veturia*, de qua ſupra.

Eod. *Eodemque iure vocatæ reliquæ inclinaſſent.*] Vox, *reliquæ*, vacat, vt veteres indicant libri. opponit autem, iure vocatas centurias prærogatiuis. *iudicium autem*, inquit, *prærogatiuæ ſecutæ eſſent eæ quæ iure vocatæ dicuntur*, de quibus nos ſupra.

Eod. *Magiſtratum continuari.*] Ex dictatore conſulem fieri.

Cum Flaminius alter conſul.] Veteres libri, *Cum C. Flaminius.*

Eod. *L. Poſtumii Megelli.*] *L. Poſtumij Megelli*, ex Capit. Conſulibus, & vet.lib.

Eod. *Conſul cum Cn. Junio Rabuculo.*] Lege, *cum C. Junio*, ex Caſſiodoro, & tabulis Capitol. conſules fuerunt anno v.c. cdlxi.

Eod. *Prætores creati.*] Vet.lib. *Prætores inde creati.*

Eod. *P. Manlius Volſo.*] *Vulſo*, ex Capit. tabulis

Eod. *T. Sempronij T.F. Longi T. Sempronius C.F. Longus.*] Lege *Ti. Sempronij Ti. P. Longi, Ti. Sempronius.* Eſt enim *Tiberius Semproniorum* cognomen.

Eod. *M. Æmilius Pappus.*] *Papus* ex Capitolinis tabulis.

Eod. *L. Portius Licinius.*] *Licinus*, ex Cap. tab.

Cap. vii. *C. Calpurnius eidem præeſſet prouinciæ, exercituique, quem Q. Fuluius habuiſſet, Capuam exercitumque T. Quintius obtineret.*] Et veterib. lib. legit Rhenanus: *Capuam, exercitumque, quem Q. Fuluius habuiſſet. T. Quintius obtineret*, & recte. nam paulo poſt ait: *Conſulum alter T. Quintius Criſpinus ad exercitum, quem Q. Fuluius Flaccus habuerat, profectus.*

Cap. viii. *C. Manlij Attelij, qui vnus ex plebe petebat.*] Hunc eundem lib. 41. vbi de morte eius agit, *C. Attelium Æmilium* nominat. Eſt autem vtrobique legendum *C. Mamilius Vitulus.* Nam alibi etiam pro *Mamilio, Æmilius*, & *Manlius* eſt vitioſe. *Mamilij* autem plebei fuit, ex quibus *Q. Mamilius Vitulus* conſul fuit ann. cdxci. in tabulis Capitolinis. Vet. lib. hoc habent. varietatis, quod *Atellus* habent.

Cap. ix. *C. Lectorius.*] *Latorius*, vt ante.

Eod. *Cum L. Licinius prætor inde elaxiſſet.*] Nemo hoc anno *Licinius* prætor fuit, at ſequenti duo *Publij Licinij Varus*, & *Craſſus*, ille vrbanus, hic peregrinus, vrbanum autem intelligit. Itaque *P.* eſt ſcribendum non *L.*

Cap. xi. *Triginta tum coloniæ populi Rom. erant.*] Hic locus eſt, quo colonias populi Rom. enumeremus, quas hoc tempore triginta fuiſſe ſcribit Liuius, quarũ duodecim negaſſe opem Romanis, duodeuiginti benigne præſtitiſſe. Nomina xii. Liuius edit hæc: Ardeam, Nepet, Sutrium, Circeios, Albam, Carſeolos, Sueſſam, Soram, Setiam, Cales, Narniam, Interamnam. xviii. autem, hæc: Signiam, Norbam, Saticulam, Brunduſium, Fregellas, Luceriam, Venuſiam, Adriam, Firmum, Ariminum, Pontiam, Peſtum, Coſſam, Beneuentum, Æſerniam, Spoletum, Placentiam & Cremonam. Placet autem omnes colonias, quæ huc vſque Liuio auctore deductæ ſunt, & quo quæque anno deducta ſit exponere, vt multo plures, quam triginta deductas fuiſſe probemus.

i. Medullo à Romulo rege deducta. Dionyſius.
ii. Cametia à Romulo rege. Dionyſius.
iii. Fidenas à Romulo deductas ſcribit Dionyſius, eidem colonos additos eſſe anno cccxvi. ſcribit Liuius.
iv. Antemnæ à Romulo Rege.
v. Cruſtomeria à Romulo Rege.
vi. Oſtia ab Anco rege. Plin. libr. 4. cap. 5. Huius poſt meminit Liuius ann. dxliii. & ann. dlix.
vii. Signia à Superbo Rege.
viii. Circeij à Superbo Rege.
ix. Cora
x. Pometia. } Harum meminit anno ccli. Liuius, quo autem anno deductæ ſint non exponit.
xi. Velitræ deductæ anno cclx.
xii. Norba vt in Pomptino arx eſſet anno cclxii.
xiii. Antium in Volſcis, an. cclxxxv. Eodem noua colonia miſſa, anno ccccxiii. Huius poſt meminit Liuius anno dxliii. & an. dlix.
xiv. Ardea anno cccxii.
xv. Lauici anno cccxxxvii.
xvi. Vitella. Huius meminit anno ccclxii. quo anno deducta ſit non ait.
xvii. Sutrium. Liuius nuſquam coloniæ huius meminit niſi hoc loco. & libr. 29. vbi xii. harum etiam coloniarum nomina profert. at meminit Sutrij coloniæ Diodorus anno poſtquam Roma capta eſt. Velleius ſeptem poſt Rom. captam annos deductam tradit.
xviii. Nepet anno ccclxviii.
xix. Satricum. Huius meminit Liuius anno ccclxxiv. quo anno expugnatam à Præneſtinis ait. Item poſt etiam anno ccccxxxv. quo tamen anno deducta ſit, non exprimit. Velleius annos ſeptem poſt Romam captam deductam ſcribit. quamquam ibi vulgo *Sutrium*, non Satricum ſcribitur.
xx. Setia, Norbæ finitima, anno ccclxxvii.
xxi. Cales anno cccxxi.
xxii. Anxur, anno ccccxxvi. eadem Terracina dicitur anno ccccLviii. & dlix.
xxiii. Fregellæ. anno ccccxxvii.
xxiv. Luceria, anno ccccxl.
xxv. Sueſſa Auruncorum, anno ccccxli.
xxvi. Pontia, anno ccccxli.
xxvii. Saticula hanc eodem anno conditam quo Sueſſam ſcribit Velleius, cuius rei nihil meminit Liuius, Saticulanos tamen inter xviii. fidos colonos hoc loco numerat.
xxviii. Caſſinum, anno ccccxlii.
xxix. Interamna, anno ccccxlii.
xxx. Sora Volſcorum, anno ccccl. deducta. Soræ tamen coloniæ meminit ante in ann. ccccxxxix.
xxxi. Alba Æquorum anno ccccl.
xxxii. Carſeoli. anno ccccli.
xxxiii. Nequinum, ſiue Narnia in Vmbria, anno ccccliii.
xxxiv. Minturnæ. anno cccclvi.
xxxv. Sinueſſa, anno cccclvi.
xxxvi. Venuſia. hanc deductam eſſe ſcribit Velleius quadriennio poſt Sinueſſam, id eſt, anno ccccLx cuius ne verbum quidem Liuius, quia periit ille annus Nominat tamen hoc loco Venuſinos inter fidos colonos.
xxxvii. Caſtrum
xxxviii. Sena
xxxix. Adria } Hæ coloniæ deductæ ſunt poſt annum cccclxii. quantum diuinari ex epitoma libri xi. poſſum. Velleius Caſtrum deductam ait initio belli Punici, id eſt, ann. cccclxxxvi. Caſtri noui coloniæ maritimæ meminit Liuius, anno dlix. Senæ meminit Polyb. lib. 2.
xl. Coſſa
xli. Pæſtum. } Has deductas eſſe ſcribit Velleius Fabio, & Canina Coss. id eſt, anno cccclxxix. In Epitom. libr. xiiii. Poſidonia, & Coſſa.
xlii. Ariminum,
xliii. Beneuentum } deductæ, vt ait Vellius Sempronio Sopho, & Ap. Claud. Coss. id eſt. ann. cccclxxiii. item epit. lib. 15. huius meminit Ptol. lib. 2.
xliv. Firmum in belli Punici cum Caſtro deductam ait Vell. id eſt, cccclxxxvi. & Firmiani inter fidos colonos nunc à Liuio referuntur.
xlv. Æſernia poſt annum, quam Firmium deducta, vt ait Velleius. item eſt in epitoma libr. 16. id eſt, cccclxxxvii.
xlvi. Æſulum
xlvii. Alſium } deductæ poſt annum xvii. quam Æſerna, vt ait Velleius, apud quem eſt xxii. mendoſe pro xvii. id eſt, anno diii.
xlviii. Fregenæ. poſt biennium quam Æſulum vt ait Velleius, id eſt, anno dv. Fregenæ coloniæ maritimæ meminit Liuius an. dlix.
xlix. Brunduſium proximo anno, quam Fregenæ Torquato, & Sempronio Coss. vt ſcribit Velleius, id eſt, anno dvi.
l. Spoletum triennio poſt Brunduſium ex Velleio, & epit. lib. 20 id eſt, anno dix.
li. Valentia poſt biennium quam Spoletum. Velleius id eſt, anno dxi.
lii. Cremona
liii. Placentia } Sub aduentum Annibalis, vt ait Velleius. & epit lib. 20. Pæd. in Piſonem, Scipione, & Longo Coss. deductas ſcribit primo anno ii. belli Punici, id eſt, anno dxxxii Placentiam autem vocat coloniam à populo Rom. deductam liii.

Eod. *Nepete.*] *Nepet*, vt ſupra ſæpius.

Digitized by Google

Eod. *Cum alternis hac conſules diu iactaſſent.*] Vet.lib. *Conſules demorſtraſſent.*

Eod. *Vbi tantus pauor animis hominum eſt iniectus.*] Vet. lib. *omnium.*

Eod. *Vt magna pars actum de imperio diceret.*] Vet.li. *Dicereat.*

Cap.xii. *Satriculaniq;.*] Supra oſtendi ex Velleio, Stephanoque legendum eſſe *Saticulam*, addo etiam ex vet.libr. auctoritate.

Eod. *Eſſerneni.*] *Æſſernini*, vt ſupra etiam oſtendi.

Eod. *Spoletini.*] Vet.lib. *Spoletani*, itemque Priſc.lib.2.docet eſſe loquendum, vt *Spoletum Spoletanus*, vt *Beneuentum Beneuentanus.*

Cap.xiii. *Vt C. Hoſtilius Pr. ludos Apollinis, ſicut his annis voti, factique erant, voueret, faceretq;.*] Vet. lib. *Apollini* & recte.

Eod. *Creati cenſores ambo, qui nondum conſules fuerant, M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius tutidanus, duo cenſores, vt agrum Campanum fruendum locarent latum ad plebem eſt.*] Vox *duo*, ni fallor, habet mendum. Cur enim *duo*, quando ſic locutus eſt Liuius? vereor ne *hi*, legendum ſit, idque erroris cauſam librario tribuerit, quod *hi* pro *ii*, duorum nota acceperit.

Eod. *T. Manlius Torquatus erat.*] Is anno DXIX. cenſor fuerat Capitol. lapid.

Eod. *Ex iis, qui principio eius belli ſexdecim annos nati fuerant, neque militauerant, ærarios fecerunt.*] Vet. lib. *Decem & ſeptem annos*, recte. Sic enim & ipſe ait li.25. *Tribuni pl. ad populum ferrent, vt qui minores ſeptem, & decem annis ſacramento dixiſſent, iis perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & decem annorum, aut maiores milites facti fuiſſent.*

Cap. xiv. *Et audacia, & audendi omnia neceſſitatib. pares.*] Vet.lib. *Et audacia, & ad audendum omnia.*

Eod. *Marcellus, & conſulis literis excitatus.*] Vet. lib. *excitus.*

Eod. *Paucos poſt dies conſecutus Fabius, qui & collegam coram obteſtatus, & per literas Marcellum, vt quam acerrimo bello detineret Annibalem, dum ipſe Tarentum oppugnaret: Marcellus literis conſulis, excitus, ad Canuſium Annibali occurrit.*] Hæc ita vertit Plutarchus in Marcello. συνθέμενος δὲ πρὸς Φάβιον Μάξιμον, ὅπως ἐκεῖνος μὲν ἐπιχειρῇ Ταραντίνοις, αὐτὸς δὲ συμπλεκόμενος, καὶ περιέλκων Ἀννίβαν ἐμποδὼν ᾖ τοῦ βοηθεῖν πρὸς ἐκεῖνον, ἐπιβάλλει περὶ Κανύσιον.

Eod. *Nocte progreſſum aſſequitur.*] Vet. lib. *Nocte progreſſum eum aſſequitur.*

Eod. *Cedere inde Romanis dextra ala, & extraordinarij cœpere.*] Plutarchus, τοῦ δεξιοῦ κλίνοντος. Qui ſint *extraordinarij*, docet Polybius lib. 6. στρατιῶται δὲ ἄρχοντες προχειρισθέντες ὑπὸ τῶν ὑπάτων, οἱ δὲ καλοῦνται τοὺς ἐπιτηδειοτάτους πρὸς τὴν ἀληθινὴν χρείαν ἐκ τῶν παραγεγονότων συμμάχων ἱππεῖς τε, καὶ πεζοὺς ἐκλέγουσι τοὺς ἐπιλεκτοτάτους ἐξτραορδιναρίους ὃ μεθερμηνευόμενον, ἐπίλεκτοι.

Eod. *Cecidereque in pugna ad duo millia & ſeptingenti.*] Plutarchus: ἑπτακοσίων ὁπλιτῶν Ῥωμαίων πεσόντων.

Cap.xv. *Quos leuibus prœliis fugaſtis.*] Vet.lib. *Fatigaſtis.*

Eod. *Corpora tantum, atque arma eadem ſunt.* Plutarchus: ὁρῶν ἤδη Ῥωμαίων ὅπλα πολλά, καὶ σώματα Ῥωμαίων διὰ μέσου ὁρῶν.

Eod. *Ne prius heſterna fuga, quam hodierna victoria fama, Romam perueniat.*] Plutarchus: ὅπως οἱ πολῖται τὴν νίκην πρότερον, ἢ τὴν φυγὴν ἀκούσωσι.

Eod. *Cohortibus, quæ ſigna amiſerant, hordeum dari iuſſit.*] Plutarchus: προσέταξε τὰς ἐγκλιθείσας σπείρας ἀντὶ πυρῶν κριθὰς μετρῆσαι.

Cap.xvi. *Cum eo nimirum, inquit, hoſte res eſt, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam poteſt*, &c.] Plutarchus: ὦ Ἡράκλεις, εἶπε, τί χρήσεταί τις ἀνθρώπῳ, μήτε τὴν χείρονα τύχην, μήτε τὴν βελτίονα φέρειν εἰδότι. μόνος γὰρ οὗτος οὔτε νικῶν δίδωσιν ἀνάπαυσιν, οὔτε λαμβάνει νικώμενος.

Eod. *Annibal elephantos in primam aciem induci iuſſit.*] Plutarchus: ἐκέλευσεν Ἀννίβας τὰ θηρία κατασείσαντας εἰς πρώτην τάξιν ἐπάγειν τοῖς ὅπλοις τῶν Ῥωμαίων.

Eod. *Ni C. Decimius Flauus tribunus militum ſigno arrepto primi haſtati.*] Plutarchus: εἷς τῶν χιλιάρχων ὄνομα Φλάβιος ἁρπάσας σημαίαν ὑπεκώπαξεν.

Eod. *Vt eſſe genus anceps.*] Quod elephantiam in ſuos, quam in hoſtes ruant.

Eod. *Ceſa ad octo millia hominum.*] Plutarchus: λέγονται γὰρ ὀκτακισχίλιοι ἀποθανεῖν. Quod autem de Romanis ait *mille* ferme *& ſeptingentos* interfectos, Plutarchus ait aliter: Ῥωμαίων δὲ νεκροὶ μὲν ἐγένοντο τετρακόσιοι.

Cap. xvii. *Oppidum in Salentinis Mandurium.*] Stephanus *Mandurium* vocat: Μανδύριον πόλις Ἰαπυγίας, ὁ πολίτης Μανδυρῖνος.

Eod. *Præſidij præfectus deperibat amore mulierculæ.*] Plutarchus & hanc opinionem, & alteram de muliere à præfecto amata recitat, quam quidam Fabij pallacam fuiſſe tradiderunt.

Eod. *Proditionis conciliator nunciauerat.*] Vet. lib. *pronunciauerat.*

Cap.xviii. *Ad proditionis famam extinguendam.*] Plutarch. ὡς μὴ προδοσίᾳ τὴν πόλιν ἔχων φανερὸς γένοιτο.

Eod. *Brutij quoque multi interfecti.*] Vet. lib. *paſſim interfecti.*

Eod. *Qui interroganti ſcribæ, quid fieri de ſignis vellet, deos iratos Tarentinis relinqui iuſſit.*] Plutarchus: λέγεται δὲ γραμματέως πυθομένου τοῦ Φαβίου περὶ τῶν θεῶν τί κελεύει ποιεῖν, γραφὰς οὕτω προσαγορεύοντος, καὶ τοὺς ἀνδριάντας, τὸν οὖν Φάβιον εἰπεῖν, ἀπολείπωμεν τοὺς θεοὺς Ταραντίνοις κεχολωμένους.

Eod. *Iis qui Cauloniam obſidebant.*] Obſeſſæ Cauloniæ meminit etiam Plutarchus in Fabio: καὶ Καυλωνίας ἐξελεῖν κατακράτος.

Eod. *Et Romani inquit ſuum Annibalem habent.*] Plutarchus: καὶ γελάσαι μὲν εἰπεῖν, ὡς ἄρα καὶ Ῥωμαῖοι Ἀννίβαν τινὰ ἔχουσιν, ἀποβάλλομεν γὰρ τὴν Ταραντίνων πόλιν, ὥσπερ ἐλάβομεν.

Eod. *Quinque millia ferme ab vrbe.*] Plutarchus: πεντήκοντα σταδίοις.

Eod. *Inde duos Metapontinos cum literis principum eius ciuitatis ad Fabium Tarentum mittit.*] Plutarchus: συνθεὶς ἐπιστολὰς παρὰ τῶν ἐν Μεταποντίῳ δυνατῶν ἔπεμψε πρὸς τὸν Φάβιον, &c.

Cap.xix. *P. Scipio in Hiſpania.*] Hinc etiam Polybius perſequitur res geſtas P. Scipionis in Hiſpania lib. 10. κατὰ δὲ τὴν Ἰβηρίαν ὁ Πόπλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγός, ποιούμενος τὴν παραχειμασίαν ἐν Ταρράκωνι.

Eod. *Edeſco ad eum clarus inter duces Hiſpanos venit.*] Polyb. *Edeco.* λαβὼν συναγωνιστὴν Ἐδεκῶνα τὸν δυνάστην.

Eod. *Eadem cauſa Indibili Mandonioque fuit.*] Polyb. Ἀνδοβάλης δὲ καὶ Μανδόνιος, μέγιστοι μὲν ὄντες δυνάσται τότε κατ' Ἰβηρίαν, &c.

Eod. *Nauales ſocios terreſtribus copiis addidit.*] Polybius: συνέζευξε τὰς ναυτικὰς δυνάμεις ταῖς πεζικαῖς δυνάμεσι.

Eod. *Et iam Lælius redierat ab Roma.*] Polybius: Πόπλιος δὲ προσδεξάμενος Γάϊον Λαίλιον καὶ διακούσας τῶν παραγγελλομένων ὑπὸ τῆς συγκλήτου, προῆγε τὰς δυνάμεις ἀναλαβὼν ἐκ τῆς παραχειμασίας.

Cap.xx. *Prope vrbem Batulam.*] Polyb. *Becula* nominat, ἐγγίσας δὲ τῆς Κασταλῶνος, καὶ τοῖς περὶ Βαίκυλα τόποις. & Liuius paulo poſt. *Paucis prœlium factum ad Batulam diebus, cum Scipio rediens Taracone m ſaltu Caſtalonenſi iam exceſſiſſet.* Stephanus item: Βαίκυλα πόλις Ἰβηρίας. τὸ ἐθνικὸν Βαικυλεύς. Item Ptolemæus.

Eod. *Ipſe expeditos ad leuem armaturam infimo ſtantem ſupercilio ducit.*] Polybius: τοὺς δὲ γροσφομάχους, καὶ τῶν πεζῶν τοὺς ἐπιλέκτους ἐξάγων, ἐκέλευε προσβάλλειν πρὸς τὴν ὀφρύν, καὶ καταπειράζειν τῆς τῶν πολεμίων ἐφεδρείας.

Eod. *Et aſſuetudine ſuccedendi.*] Vet.lib. *Aſſuetudine tamen ſuccedendi.*

Eod. *Ipſe ab læua, circuitu haud magno, in tranſuerſos hoſtes incurrit.*] Polybius: τοὺς δὲ λοιποὺς ἑτοίμους ἔχων, αὐτὸς περιελθὼν τὴν ὀφρὺν κατὰ τὸ λαιὸν τῶν ὑπεναντίων, προσέβαλλε τοῖς Καρχηδονίοις.

Cap. xxi. *Aſdrubal iam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantiſque præmiſſis quam plurimos poterat de fuga excipiens præter Tagum flumen ad Pyrenæum tendit.*] Polybius: Ἀσδρούβας δὲ κατὰ τοὺς ἐξ ἀρχῆς διαλογισμοὺς θεωρῶν κλινούσας καὶ διατετραμμένας τὰς αὐτοῦ δυνάμεις, τὸ μὲν ψυχομαχεῖν μέχρι τῆς ἐσχάτης ἐλπίδος ἀπεδοκίμασε, λαβὼν δὲ τά τε χρήματα καὶ τὰ θηρία, καὶ τῶν φευγόντων ὅσους ἠδύνατο πλείστους ἐπισυναγόμενος, ἐποιεῖτο τὴν ἀναχώρησιν παρὰ τὸν Τάγον ποταμόν, ὡς ἐπὶ τὰς Πυρήνης ὑπερβολάς.

Eod. *In recenſendis captiuis decem millia peditum, duo millia*

equitatum iruenit.] Polybius: *Συναθροίσας τὰ τῶν αἰχμαλώτων πλήθη, ὧν ὄντων πεζοὶ μὲν εἰς μυρίους ἱππεῖς δὲ καὶ πλείους δισχιλίων.*

Eod. *Regem eam ingenti conſenſu appellant.*] Polybius: *μετὰ δὲ ταῦτ' ἐπιτυχὼν βασιλέα προσφωνούντων ὁ Πόπλιος.* Et poſt: *μετὰ δὲ μακρὰν ἐπιπολὺ βασιλέα προσφωνούντων.*

Eod. *Sibi maximum nomen imperatoris eſſe dixit.*] Polybius: *παρήγγειλε στρατηγὸν αὐτὸν προσφωνεῖν.*

Eod. *Tacite indicarent.* Vet. lib.] *Taciti indicarent.*

Eod. *Numidam ſeeſſe ait.*] Vet. lib. *Numidam ſe lacrymans eſſe ait.*

Cap. XXII. *Præſidio tantum ad inſidendum Pyrenæum miſſo.*] Polybius: *ἐπὶ δὲ τὰς ὑπερβολὰς τῶν Πυρηναίων ὀρῶν ἐξαπέστειλε τοὺς τηρήσοντας τὸν Ἀσδρούβαν.*

Eod. *Cum Scipio rediens iam Taraconem ſaltu Caſtulonenſi exceſſiſſet.* Vet. lib. *Cum Scipio rediens Taraconem ſaltu Caſtulonenſi iam exceſſiſſet.*] Polybius: *ἀνεχώρησε μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Ταρράκωνα ἐν τούτοις ἤδη τοῖς τόποις περὶ τὴν παραχειμασίαν.*

Eod. *Media æſtate Venuſiam in tecta milites abduxiſſet.*] Plutarchus *Sinueſſam* edit pro *Venuſia.* *ἀλλὰ κατὰ χειμῶνα εἰς Καμπανίαν ἀναζεύξας, ἐν τῷ Σινοέσσῃ διατρίβων ...* [illegible]

Eod. *Inimicus erat ei C. Publicius Bibulus tribunus pl.*] Plutarchus: *ὁ δ' ἐχθρὸς Πουβλίκιος Βίβλος ὢν τῶν δημάρχων ἀνίσταται ἐπὶ τὴν κατηγορίαν αὐτοῦ.* Lapides Capitolini, *Publicius.*

Eod. *Cum tamen neceſſarij Claudij obtinuerunt.*] Vet. lib. *Tum tamen.*

Eod. *Nec ab imperio eius abrogando.*] Vet. lib. *Nec de imperio eius.* Malim tamen, *Ei.* Nam *abrogare alteri imperium* dicitur, & magiſtratum.

Cap. XXIII. *Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio eſt.*] Plutarchus: *τοῦ δήμου συνελθόντος εἰς τὸν Φλαμίνιον ἱππόδρομον.*

Eod. *Q. Claudius Flamen.*] Vet. lib. *Q. Claudius Flaminius.* Suſpicor, *Flamininus* legendum, eumque eſſe, de quo priore libro dixit, *C. Claudius Flamen dialis, quod exta perperam dederat, Flaminio abijt*, atque inde cognomen inueniſſe, quod *Quintij* etiam tulerunt.

Cap. XXV. *Mures in æde Iouis aurum roſiſſe.*] Plutarch. in Marcello: *καὶ μύες τὸν ἐν Διὸς χρυσὸν κατατρώξαντες.*

Eod. *Singulos dies inſtaurat.*] Vet. lib. *In ſingulos dies.* recte. ſic enim ſemper alibi loquitur, non eſt opus exemplis.

Eod. *Ex Campania nunciata erant.*] Vet. lib. *Et ex Campania nunciata erant.*

Eod. *Peſtilentia grauis incidit per vrbem, agroſque.*] Redde ſuam vocem, *incidit in vrbem.* ſic enim veteres, quos legi, habent libri.

Eod. *Fecitq́, ad III. Nonas Quintiles.*] Scribe ex omnium librorum veterum auctoritate, *ante diem tertiam Nonas Quintiles*, cuius locutionis vim non intelligens Rhenanus mutauit, & deprauauit. Eſt autem *ante diem tertium Nonas*, idem atque III. *Nonas*, id eſt, tertio die ante Nonas. integram hanc fuiſſe Latinam dicendi formam indicat etiam Plutarchus in Numa, qui ſcribit Romam conditam *πρὸ ἕνδεκα μιᾶς καλανδῶν Μαΐων*, id eſt, *ante diem vndecimum Kalendas Maias*, & in Poplicola pugnatum cum Tarquiniis eſſe *πρὸ μιᾶς καλανδῶν Μαρτίων*, id eſt, *ante vnum Kalendas Martij*, id eſt, pridie K. Martij. Et Dionyſius libro ſexto creatos ait tribunos plebis: *τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων.* quod poſt Liuius lib. 34 ait, *ante diem quartum Idus Decembres.* Itaq. cum dicimus, *Ad III. ad IIII.* puto mendoſe dici, diuidendaſque literas eſſe, ita: A. D. id eſt, *ante diem.*

Cap. XXVI. *Varro imperio miſſus.*] Caſtiga, *cum imperio.*

Cap. XXVII. *In ſententiam M. Acilij.*] *M'. Acilij*, vt ſupra de eodem admonui.

Eod. *Alijs ſententiis vocantibus præfectum, quod eius ſocordia Tarentum proditum hoſti eſſet, alijs præmia decernentibus, quod*, &c.] Vox, *ſententiis*, ſine dubio mendoſa eſt. Rhenanus, quia libros veteres, *ſociis* pro *ſententiis* habere legit, in eam opinionem venit, vt *ocij*, putarit eſſe legendum, quam lectionem adeo probauit, vt eius etiam in Taciti caſtigationibus meminerit. Nos autem quia ſæpe mendoſe, *ſociis* pro S. C. id eſt, *ſenatuſconſulto* eſſe inuenimus, & quia librum etiam vnum, *ſenatuſconſulto* aperte habere comperimus, *ſenatuſconſulto*, repoſuimus. Nam & ſenſus eſt optimus, & locutio Liuio vſitata: vt libro vigeſimo quinto. *Ac per eum delata ad ſenatum, nec vllo ſenatuſconſulto notata.*

Eod. *Adiecit tamen fateri ſe, opera Liuij Tarentum receptam.*] Cicero idem ſcribit in Catone, praue tamen *M. Liuium Salinatorem* hunc vocat. Idem Plutarchus in Fabio.

Eod. *Quod eum in bello Gallico ad Claſtidium ædem Honori & Virtuti vouiſſet, dedicatio eius à pontificibus impediebatur.*] De bello Gallico, & prœlio à Marcello ad Claſtidium in primo eius conſulatu commiſſo ſcribit Polybius libro 2. & Plutarchus in Marcello. De ædibus autem his idem Plutarchus ſic: *ὕστερα ναὸν ἐκ τῶν Σικελικῶν λαφύρων οἰκοδομησάμενον Τιμῆς καὶ Ἀρετῆς ...* [illegible]

Eod. *Vni Deo recte dedicari.*] Vet. lib. *Rite.*

Eod. *Inter venuſiam, Brutiamq́.*] *Bantiamq́,* Ego, *Bantiam.* ſic enim Plutarchus: *μεταξὺ Βαντίας πόλεως, καὶ Βενουσίας.* Et Stephanus: *Βαντία πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Βαντινός.*

Cap. XXVIII. *Partem exercitus quæ in præſidio erat.*] Vet. lib. *Qui ibi.*

Eod. *Sub tumulto Petellia.*] Vet. lib. *Petelia.* Stephanus: *Πετηλία πόλις Ἰταλική, τὸ ἐθνικὸν Πετηλῖνος.* Plutarchus: *τῆς περὶ Πετηλίαν* ait, pro *Petelia.*

Eod. *Ad duo millia armatorum cæſa.*] Plutarchus: *ἑξήκοντα πεντακοσίους καὶ πεντακοσίους ἀπέκτεινε.*

Eod. *Tumulus erat ſylueſtris inter punica & Romana caſtra.*] Plutarchus: *ἦν δὲ μεταξὺ τῶν στρατοπέδων λόφος ἐπιεικῶς μὲν εὐερκής, ὕλης δὲ παντοδαπῆς ἀνάπλεως.*

Eod. *Fremebant vulgo in caſtris Romanis, occupandum eum tumulum eſſe.*] Plutarchus: *ἦν πολὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ τῶν Ῥωμαίων λόγος, ὡς χρὴ τὸ χωρίον καταλαμβάνειν.*

Eod. *Prima hoſtia cæſa iecur ſine capite inuentum.*] Plutarchus: *καὶ τοῦ πρώτου πεσόντος ἱερείου δείκνυσι μὲν τὸ ἧπαρ οὐκ ἔχον κεφαλὴν ὁ μάντις.*

Eod. *Auctum etiam viſum in capite.*] Plutarchus: *ὅτι κεφαλὴν μεγέθει ὑπερφυῆ εἶχεν.* De eadem re Valerius lib. primo de prodigiis.

Eod. *Nec id ſane aruſpici placuiſſe, quod ſecundum trunca, & turpia exta, nimis læta apparuiſſent.*] Plutarchus: *οἱ δὲ μάντεις ταῦτα μᾶλλον ἔφασαν δεδιέναι καὶ ταράττεσθαι. λαμπροτάτων γὰρ ἐπ' αἰσχίστοις, καὶ σκυθρωποτάτοις ἱερῶν φανέντων, ὕποπτον εἶναι τὸ τῆς μεταβολῆς τὴν ἀτοπίαν.*

Cap. XXIX. *Marcellum tanta cupiditas tenebat dimicandi, vt nunquam ſatis caſtra caſtris collata diceret.*] Vet. lib. pro, *cupiditas*, habent *cupido*, & pro *diceret*, *duceret.*

Eod. *Diſerti ab Etruſcis Fregellani.*] Ducentos & viginti equites ſecum eduxerat Marcellus, quorum nemo Romanus, ſed aut Etruſci erant omnes, aut Fregellani, vt ait Plutarchus: *ἦγε οὖν τὸν τε συνάρχοντα Κρισπῖνον παραλαβών, καὶ τὸν υἱὸν χιλιαρχοῦντα τοὺς σύμπαντας ἱππεῖς εἴκοσι, καὶ διακοσίους ὧν Ῥωμαῖος οὐδεὶς ἦν, ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι Τυρρηνοί, τεσσαράκοντα δὲ Φρεγελλανοί, τεῖραν ἀρετῆς καὶ πίστεως ἀεὶ τῷ Μαρκέλλῳ δεδωκότες.*

Eod. *Marcellum etiam transfixum lancea.*] Plutarchus: *Μάρκελλον δέ τις λόγχῃ πλατείᾳ διὰ τῶν πλευρῶν διήλασεν, ἣν λαγκίαν καλοῦσι.*

Eod. *Interfectus A. Manlius.*] Ita vet. lib. Mouet quoſdam, quod legerint, *Interfecti*, ſuſpicanturque deeſſe nomen alterum, ſine cauſa.

Eod. *Lictores conſulum quinq́, viui in poteſtatem hoſtium venerunt.*] Plutarchus: *αἰχμαλωτοὶ δὲ καὶ τῶν μὲν ῥαβδούχων πέντε.*

Eod. *Equites duodeuiginti viui capti.*] *τῶν δὲ ἱππέων εἴκοσι δυοῖν δέοντες.*

Eod. *L. Cœlius triplicem geſtæ rei ordinem edit.*] Vet. lib. Alij *C. Lelius*, alij *Lelius Cœlius.* Aut igitur *L. Celius Antipater* eſt, cuius ſæpe meminit, aut *C. Lelius*, quem hiſtorias ſcripſiſſe tradere videtur Polybius lib. 10.

Cap. XXX. *Ibi iacentem Marcelli corpus ſepelit.*] Hac in re citat auctorem Liuium Plutarchus: *Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστός, κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι, καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.*

Eod. *Paulo ante hic nuncius conſulis Salapiam venerat, cum litera.*] Vet. lib. *Quam litera.*

Eod. *Quam Cincius.*] Vet. lib. *Quam L. Cincius.*

Cap. XXXI. *M. Marcellum tribunum militum.*] *M. Marcelli conſulis interfecti filium.* Plutarchus.

Eod. *Q. Fabium filium.*] Virum conſularem, de quo ante dictum eſt.

Eod. *L. Cincius alimentius.*] *Alimentus*, vt ante. Idem de quo paulo ante.

Cap. XXXII. *Phaleram.*] Vet.lib. *Thalaram.* ſic Stephanus: φαλάρα πόλις Θετταλίας πλησίον Λαμίας, τὸ ἐθνικὸν φαλαρεύς.

Eod. *Rhion profectus eſt.*] Stephanus: Ῥίον πόλις Μεσσήνης ἢ Ἀχαΐας, καὶ ἄλλη Αἰτωλίας, Achaicum oppidum intelligit, vbi concilium agabatur Achæorum.

Eod. *Quæſiti ſunt quædam.*] Vet. lib. *Parua quædam.*

Eod. *Sitionis reſtitueretur Athamanis.*] Suſpectum habeo locum, vt Glareanus.

Eod. *Ipſe ab eo concilio Argos regreſſus.*] Vet. lib. *Ipſe habito concilio.*

Cap. XXXIII. *Iuſſis ſubſequi peditibus.*] Vet.lib. *iuſſis ſe ſubſequi.*

Eod. *Qui Eleum agrum ab Dymeo dirimit.*] Polybius & Stephanus: Δυμαῖον ſcribunt. Itaque *Dymæo*, ſcribe.

Cap. XXXIV. *Triballos, Illyriorum id eſt genus.*] Vet.lib. *Trallos.* Recte. *Tralli* Tralli enim ſunt populi Illyrij, auctore Stephano, de quibus Liuius etiam lib. 37.

Eod. *Lycnidum.*] Græci Λύχνιδον. ergo *Lychnidum.*

Eod. *Daſſareciorum.*] *Duſſaritiorum*, ex Stephano, Δασσαρῆται ἔθνος Ἰλλυρίας, λέγεται καὶ Δασσαρίται.

Cap. XXXV. *Dardanos in Macedoniam effuſos Oreſtidem iam tenere, ac deſcendiſſe in Argeſtæum campum.*] Suſpicor *Ægeſtæum* campum eſſe *Theſprotium*, qui affinis eſt *Oreſtidi*. Nam Stephanus. Αἰγεσταῖοι Θεσπρωτοὶ ἀπὸ τοῦ Αἰγέσου στρατηγοῦ. Nam qui ſit *Argeſtæus* campus quærit merito Glareanus.

Eod. *T. Quintius conſul.*] Veteres libri, *Quintius Criſpinus conſul.*

Eod. *Dicto L. Manlio Torquato.*] *T. Manlio.* eſt enim is, cuius ſæpius ante memini.

Eod. *C. Seruilium, tum ædilis curulis erat, dixit.*] Vet.lib. *C. Seruilium, qui tum ædilis curulis erat, dixit.*

Eod. *M. Æmilius præt. vrban. C. Flaminio.*] M. Æmilium Regillum, qui poſt fuit flamen Quirinalis, fuiſſe puto.

Cap. XXXVI. *Ex conſulatu populi iudicio damnatus.*] Quod prædam Illyricam maligne diuiſiſſet, vt ante dixi.

Eod. *In ſenatum veniret.*] Non legerant eum in ſenatum, ſed auctores ei fuerant, vt in ſenatum veniret, non tanquam ſenator, ſed tanquam pedarius: nam ſequitur: *Sed tum quoque aut verbo aſſentiebatur, aut pedibus in ſententiam ibat.* Ex iis enim erat, quibus ius erat in ſenatu ſententiam dicere, non tamen ſenatores erant Gellius.

Eod. *Quia duos patricios creari non liceret.*] Per hæc tempora numquam duo patricij conſules comparati, duo vero plebeij in collegio Gracchi & Marcelli comparati ſunt.

Eod. *M. Furium.*] Camillum, de quo lib. 5.

Cap. XXXVII. *L. Portius Licinius.*] *L. Porcius Licinus* ex Capit. lap.

Eod. *C. Manlius.*] *C. Mamilius.* Sic enim vet.lib. plerique, *Caius* certe non eſt prænomen *Manliorum.* Hunc puto eſſe *C. Mamilium Vitulum*, de quo ſupra.

Eod. *Et praſciſſere.*] Vet. lib. *Et praſcire.*

Eod. *Inimicitia autem nobiles inter eos erant.*] Vet. lib. *Inimicitia ante nobiles inter eos.* De his inimicitiis, & de reditu in gratiam, etiam Valerius.

Eod. *Quem Alpib. appropinquare fama erat.*] Vet. lib. *Quem iam Alpibus.*

Cap. XXXVIII. *L. Aquilius Pætus augur creatus.*] Vet.lib. *Præfectus Aquilius Pætus*, mendoſè certè, ſed ita vt ex obſeruatione diuturna eiuſmodi mendorum veſtigia veritatis elicias, ſæpe enim eſt, *præfectus*, pro *Publio*, in manuſcriptis. Itaque legendum puto, *P. Ælius Pætus.* Primum enim cognomen *Pæti*, non erat *Aquiliorum* ſed *Æliorum*, deinde hic eſt *P. Ælius Pætus*, qui nunc fit augur, & anno DLXXIX. augur apud eundem Liuium moritur, lib. 42.

Eod. *Ab Q. Manlio, & M. Cæcilio.*] Lege *ab Q. Mamilio*, vt infra probabitur.

Eod. *C. Manlio Siciliæ.*] *C. Mamilio*, vt ante.

Eod. *Ita per prouincias diuiſa, bina conſulum eſſent.*] Vet. lib. *Vt bina.*

Cap. XXXIX. *Cliuum Publicium.*] Vet. lib. *Cliuum publicum*, vt lib. 30.

Annus inſignis incendio ingenti, quo Cliuus publicus ad ſolum exuſtus eſt. Et lib. 26. *Quos cum ex arce, Capitolioque cliuo publico in equis decurrentes quidam vidiſſet.*

Eod. *Vt Sinueſſa biennio ante.*] Supra hoc eodem libro.

Eod. *Ab Liuio Poeta.*] Liuius Andronicus, Liuius à Liuio Salinatore, vt ait Euſebius, appellatus.

Eod. *Sonum vocis pulſu pedum modulantes.*] Id eſt, λόγῳ καὶ ῥυθμῷ. vt ait Ariſtoteles in Poëtica.

Cap. XL. *Auxurat.*] *Taracinas.*

Eod. *A ſupero mari Senenſis.*] *Senenſes* à *Sena* colonia vrbe ad Adriam eſt, non à *Senis* Etruriæ.

Eod. *Earum coloniarum iuniores iureiurando adacti ſupra dies triginta non pernoctaturos extra mœnia coloniæ ſuæ.*] Veter. lib. non habent vocẽ *dies*, & pro *triginta*, habent *quadraginta*, ſenſu multo præſtantiore, *Iuniores cuiuſque coloniæ vltra quadraginta non pernoctaturos extra mœnia coloniæ ſuæ.* eadem ſententia eſt lib. 26. *Ne ne vno tempore quinque ſenatores ab vrbe Roma abeſſent.*

Eod. *Ne emergeret ex Bruttiis, atque obuiam fratri ire poſſet.*] Vet.lib. *Emergere.*

Eod. *Duo millia de legionib. militum.*] Vet.lib. *Ad duo millia.*

Cap. XLII. *Præcipitaſſet Romana Reſp.*] Vet. lib. *Præcipitaſſet. Reſp.*

Eod. *Secunda in Italia.*] Vet.lib. *Multa ſecunda in Italia.*

Cap. XLIII. *T. Claudiũ Aſellum.*] Vet.li. *Ti. Claudium Aſellum.*

Cap. XLIV. *Marrucinum Ferentinum.*] Vet. lib. *Ferentanum*: Supra oſtendi legendum eſſe, *Frentanum.*

Eod. *Flexit in Picenum.*] Id eſt, vt in Picenum tenderet.

Eod. *Q. Tatio legato.*] Vet. lib. Q. *Catio*, quod probo. ſupra enim *Q. Catium* quoque ædilem curulem nominauit.

Cap. XLVI. *Biennio ante, cum caſtra Punica obiecta Romanis mœnibus portiſq; fuerant.*] *Quadriennio* legendum eſſet, niſi extremos annos omiſſos eſſe intelligeremus, id enim factum eſt an. DXXIX.

Eod. *Sine imperio, ſine auſpicio.*] quia imperium, auſpiciumque conſulis erat, qui diſceſſerat.

Eod. *Gemina victoria inſignem.*] P. & Cn. Corneliis interfectis in Hiſpania.

Eod. *Concitatis ad arma Gallicis.*] Vet.lib. *Et cõcitatis ab arma*

Eod. *Haud eum ignoto duce C. Nerone.*] Hac de re ſcripſit libro priore.

Cap. XLVII. *Flagitare precibus, vt qua.*] Vet. lib. *Fatigare precibus*, quod placet. eſt enim genus dicendi Liuio familiare.

Eod. *Nocte clam ingredi viſum eſt.*] Vet.lib. *Melius viſum eſt.*

Cap. XLVIII. *Teſſera per caſtra ab Liuio conſule data erat, vt tribunum tribunus, centurio centurionem, eques equitem, pedes peditem acciperet.*] Sic lib. 7. *Vigiliis deinde diſpoſitis ceteris omnibus teſſeram dari iubet, vbi ſecunda vigilia buccina datum ſignum eſſet, armati cum ſilentio ad ſe conuenirent.* Polybius item *teſſera* quam ξύνθημα & σύνθημα vocat, lib. 6. agit, id eſt, de ſigno nocturnis excubiis dando. Nam Liuius his locis pro quocumque ſigno accipere *teſſeram* videtur.

Eod. *Ad Senam.*] Coloniam, de qua ſupra. Vnde in Bruto *Salinatorem* ait Cicero *Senenſi prælio ludos vouiſſe.*

Cap. XLIX. *Strigoſiores equos.*] Sic Front. lib. 1. cap. 2.

Cap. LII. *Vt adire nuncius non poſſet, præcunctantibus, vociferantibuſq;.*] Vet. lib. quos legi omnes, *Vt adire nuncius non poſſet, traheretur q; a percunctantibus.*

Cap. LIII. *Inde traducti in concionem legati.*] Vet.lib. *Introducti in concionem.* Hinc ergo: *Inde producti.* Eſt enim hæc conſuetudo Latini ſermonis, vt cum non omnibus pateret aditus vel in ſenatum, vel in concionem, à magiſtratibus tamen quorum id ius erat, in curiam quidam introduci, ad populum vero (ſic enim loquebantur) produci poſſent. Sic lib. 7. *Legati introducti in ſenatum maxime in hanc ſententiam locuti ſunt.* Et lib. 28. *Tum Saguntinorum legatos in ſenatum introduxit.* Et paulo poſt: *Legationes deinde ceteræ in ſenatum introductæ.* Et hoc lib. *Mandat conſulibus, vt eos quoque ad populum producent.* Item *productus in concionem Lælius eadẽ diſſeruit.* Et lib. 41. *Eum enim in ſenatu fatigaſſent interrogationibus in concionem quoque produxerunt.* Cic. poſt reditum ad Quirites. *Deinde omnes, qui veſtris maxime beneficiis, honoribuſque ſunt ornati, producti ad vos eodem.* Et ad Att. lib. 1. *Q. Fuſius in concionem produxit Pompeium.*

Eod. *L. Veturius literis recitatis omnia, quæ acta erant expoſuit.*] Vet. lib. *Planius omnia* egregie.

Eod. *Eam ſupplicationem C. Hoſtilius prætor pro concione edixit, celebrataque à viris, feminiſque, omniáq; templa per totum triduum æqualem turbam habuere.*] Vet.lib. *Celebrata à viris, feminiſque eſt, omnia templa*, &c.

Digitized by Google

Eod. *Mutuam dando, argentum creditum ſoluendo.*] Vet. lib. *Mutuum dando argentum, creditumq́; ſoluendo.*

Eod. *Caſtriſq́; inde motis, vt omnia.*] Vet. lib. non habent, *vt*, & pro voce, *Contraheret*, habent, *Contrahit*, quod placet.

IN EPITOMEN LIB. XXVIII.

ET *in hoc habita plus gloria, reuerentiaq́; habuit.*] Vet. lib. *Et in hoc acta.*

Carthagini Noua.] *Carthagine Noua* legendum.

Occiderunt, ſe inſuper præcipitauerunt.] Vet. lib. *Et ſe iaſuper.*

Et amicitia facta eſt cum Maſſaniſſa.] Tolle vocem, *eſt*. Vt vno ambitu orationis hæc tota ſententia comprehendatur. Sic vet. lib.

Si ex rep. eſſe cognoſceret.] Vet. lib. *Si e rep.*

IN LIBRVM XXVIII.

CVM *tranſitu Aſdrubalis quantum in Italiam inundauerat belli, tantum leuata Hiſpania videretur.*] Rhenanus leuiſſimi vnius libri coniectura motus legit, *Inundauerat*, pro *inclinauerat*, à quo ipſo diſſentio, non ſolum, quia contra librorum omnium auctoritatem facit, ſed etiam, quia pulcherrimam ſententiam deprauat, quæ ex vocibus, *Inclinauerat*, & *Leuata*. elicitur, quæ tranſlatione à lance ſumpta nituntur. Nam quo grauiori pondere lanx altera premitur, eo magis contraria eleuari videtur. Quod idem de Italia quoque & Hiſpania intelligendum eſt.

Cap. II. *Subſidunt Hiſpani aduerſus emiſſa tela ab hoſte inde ad emittenda ipſi conſurgunt.*] Vet. lib. *Ad remittenda.* probe.

Eod. *Quod ad fugam impedimento hoſtibus erat, & ad cædem eos.*] Vet. lib. *Id ad cædem eos.*

Eod. *Duo haud amplius millia peditum.*] Vet. lib. *Haud amplius tria millia peditum.*

Eod. *Scipio ſpem debellandi, ſi nihil iam etiam ipſe cunctando moratus eſſet, natus.*] Vet. lib *Si nihil eam ipſe cunctando.*

Eod. *Betica.*] Græcè Βαίτις, & Βαιτικὴ. Ergo *Bætica.*

Eod. *Ceterum, quod aciem renuiſſet, exercitum omnem paſſim in ciuitates diuiſit.*] Lectionem exagitatam à Rhenano reponendam cenſeo. Eſt enim in omnibus vet. quos legi libris, ſic: *Ceterum quoad continuiſſet exercitum, propoſitum bello ſe fore ratus, antequam freto Gades traiiceret, exercitum omnem paſſim in ciuitates dimiſit.* Senſus eſt: Aſdrubalem timuiſſe ſibi magis, ſi exercitum continuiſſet, quàm ſi dimiſiſſet. Eſt autem ſententia illa, quæ eſt in epiſtola Cœlij lib. 8. *Nam de vita, ſi paratior ab exercitu eſſet, timuiſſem. nunc hæc exiguitas copiarum receſſum, non dimicationem mihi tuam præſagiebat.*

Cap. III. *Ad oppugnandam opulentiſſimam in iis locis vrbē, quam Orongin barbari appellabant mittit.*] Vet. lib. *Vrbem (Origin barbari appellabant) mittit.* Huius meminit Plinius lib. 3. cap. 1.

Eod. *Arx fuit Aſdrubalis ad excurſiones circa in mediterraneos populos faciendas.*] Vet. lib. *Aſdrubali, quod magis* probo.

Eod. *Etiam eo ſuperare hoſtem.*] Vet. lib. *Et iam.*

Cap. IV. *Eodem anno claſſis Romana cum M. Valerio Læuino proconſule ex Sicilia Africam tranſmiſſa.*] Tolle particulam, *Cum*, ex Vet. lib.

Cap. V. *Suſtulerunt enim animos Ætoli cum ob Romanam ſocietatem, tum poſt Attali aduentum.*] Vet. lib. *ab Romana ſocietate*: nota dicendi forma eſt. Polybius autem hoc ſic expreſſit: οἱ μὲν Αἰτωλοὶ θρασέως ἐπήρθησαν ταῖς ἐλπίσιν ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων, καὶ τῇ τοῦ βασιλέως Ἀττάλου παρουσίᾳ.

Eod. *Et Thracum maxime Medos.*] *Mædos.* Polybius: ἔπη δὲ τοὺς προσορίζοντας τῇ Μακεδονίᾳ Θρᾷκας, καὶ μάλιστα τοὺς Μαίδους.

Eod. *Boeti quidem, &c.*] Vet. lib. *Bœoti quidem ipſi &c.*

Eod. *Tum præſidium vrbi mittis, vnde allatum erat.*] Deeſt hic non vrbis nomen, ſed inſulæ, in qua vrbs erat. Fuit autem *Peparethus*, vt ex Polybio, vnde hæc ad verbum tranſlata ſunt, intelligi poteſt, cuius hæc verba ſunt: καὶ προσαγγελθέντος τοῖς τῶν Πεπαρηθίων καταφθείρειν τὴν χώραν. τούτοις μὲν ἐξαπέστειλε τοὺς παραφυλάξοντας τὴν πόλιν. Itaque legendum apud Liuium puto: *Tum Peparethum præſidium vbi mittit.* Vox enim *Præſidium*, affinis quodammodo voci, *Peparethum*, illam è loco ſuo eiecit. Eſt autem vrbs in inſula eodem n. mine, vt ait Stephanus: Πεπάρηθος νῆσος μία τῶν Κυκλάδων ὁμώνυμον ἔχουσα πόλιν.

Eod. *Addit quingentos Ænianum.*] Si Polybium ſequamur, quem neſcio cur non maxime ſequamur, *Agrianum*, pro *Ænianum*, eſt reſtituendum. Is enim hac de re ita: εἰς δὲ Χαλκίδα καὶ τὴν ἄλλην Εὔβοιαν Μένιππον ἔχοντα πελταστὰς χιλίους, Ἀγριᾶνας πεντακοσίους. de quibus Stephanus: Ἀγριᾶνες ἔθνος Παιονίας μεταξὺ Αἵμου καὶ Ῥοδόπης. λέγονται καὶ Ἀγριεῖς καὶ Ἀγριᾶνες, καὶ Ἀγριανεῖς. *Agrianum* horum meminit poſt etiam ſæpe Liuius lib. 44.

Eod. *Segetibus tamen, quæ iam prope maturitatem erant, maxime in ſinu Æniano euaſtatis, Scotuſam copias reducit.*] Qui ſit ſinus *Ænianus*, vt multa alia quærit Glareanus. is eſt autem, de quo Polybius lib. 11. his verbis: τὸν δὲ σῖτον φθείρας, καὶ παραδίδωσι τὸν περὶ τὸν Αἰνιάνων κόλπον κατεσπειρμένον ἐπιπολῆς & Stephanus: Αἰνία πόλις Περραιβῶν καὶ Αἰνιᾶνες οἱ οἰκοῦντες καὶ τὸ κτητικὸν Αἰνιακὸς κόλπος. † In Polybio eſt Αἰνιακὸν, non *Ænianus*, non immerito igitur dubitat Glareanus: Imo quæ Glareanus adducit, hîc omittit Sigonius. †

Eod. *Ipſe in Ciſſeo, mons eſt in altitudinem ingentis cacuminis editi.*] Quod Glareanus quærit *Ciſſeum* montem, imperite facit: etenim nullus eſt. *Tiſeum* autem inuenio apud Polybium lib. 11. vbi de hac re loquitur: καὶ παρήγγειλε διατηρεῖν αὐτῷ πάντα τὰ γινόμενα διὰ τῶν πυρσῶν ἐπὶ τὸ Τίσαιον. τοῦτο δ' ἐστὶν ὄρος τῆς Θετταλίας. Veteres etiam Liuiani libri habent *Thiſeo*, non *Ciſſeo*. † Glareanus recte dubitauit, & recte iudicauit de re, nomen ignorauit. †

Eod. *Niceam.*] *Nicæam*, Græci enim Νίκαιαν edunt.

Cap. VI. *Demetriam Phthiotidis.*] Sic veteres libri, & recte. nam duo fuerunt oppida hoc nomine, vt Stephanus: Δημήτριον τόπος Θετταλίας κείμενος περὶ τὸν Ἄμφρυσον. ἔστι καὶ πόλις Αἰολίδος.

Eod. *Fretum ipſum Euripi non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat.*] Vet. lib. *Septies in die.*

Eod. *Ad Cynum Locridis, emporium eſt Opuntiorum.*] Sic Stephanus: Κῦνος ἐπίνειον Ὀπούντος. ὡς Φίλων καὶ Παυσανίας, Ἐπικνημῖδος δὲ πόλιν αὐτὴν φησί.

Cap. VII. *Philippum et & ignes ab Oreo editi mouerant.*] Placet magis, vt eſt in vet. lib. *mouerunt*, vt ſit ignes ab vrbe Oreo editi, mouerunt Philippum obſideri Oreum.

Phocidis Elatiam. Recte addidit, *Phocidis.* Nam ait Stephanus: Ἐλάτεια πόλις Φωκίδος, καὶ Θετταλίας. καὶ Θεσπρωτίας.

Eod. *Molientibus ab terra naues Philippus aduenit.*] Vet. lib. *Superuenit.*

Eod. *Compoſitis circa Opuntem reb. Toronem eſt profectus.*] *Torone* ad ſinum Toronæum eſt procul ab Opunte. *Thronium* pariter eſt Locrorum, atque Opus non procul à Thebis Phthiotidos. Itaque veriſimilius eſt Philippum ab Opūte *Thronium*, quam *Toronem* veniſſe, præſertim vero cum à Thronio in Doridem finitimam regionem veniſſe ſubdat. Itaque his de cauſis *Thronium* puto legendum, de quo & Stephanus, & Strabo, & ceteri. Idem placet etiam Glareano.

Eod. *Tritonon et Drymas Doridis parua, atque ignobilia oppida.*] De his Stephanus: Τρίτωνος πολίχνιον Μακεδονίας Δρυμία πόλις Φωκίδος. Veteres etiam libri edunt *Dramias*, ex quo apparet ita eſſe legendum.

Eod. *Deſerta priore quidem Philippi bello.*] Vet. lib. *Priore eiuſdem Philippi.*

Eod. *Cum Ercam veniſſet.*] Vet. lib. *Hæream*, & recte, inquit & Stephanus: Ἡραία ἔστι καὶ πόλις Ἀρκαδίας, κεῖται δὲ κατὰ Μαντινέαν Πελοποννήσου.

Cap. VIII. *Triphiliam, Alipheram.*] Stephanus: Τριφυλία ἡ Ἦλις, Ἀλίφειρα πόλις Ἀρκαδίας.

Eod. *Eo quanta maxime poſſet celeritate tenderet.*] Vet. lib. *Contenderet.*

Eod. *Ad Erythras Ætolorum, quæ prope Eupalium ſunt.*] Stephanus: Ἐρυθραὶ πόλις Ἰώνων καὶ Λιβύης καὶ Λοκρίδος, καὶ Βοιωτίας, καὶ Κύπρου. Εὐπάλιον πόλις Λοκρίδος, ἣν Εὐπάλιαν Ἀρτεμίδωρος φησί.

Eod. *Poſidania.* Stephanus: Ποσειδωνία πόλις Αἰτωλίας, τρίτη Ἰταλίας.

Eod. *Ipſe à Cenchreis.*] Stephanus: Κεγχρέαι πόλις Τρωάδος· δευτέρα πόλις ἣ ὀνομάζεται Κεγχρεαί. Hoc loco Cenchreas, quæ ad Corinthum ſunt, intelligit, vt ſuperuacanea ſit huius loci emendatio, quæ à Glareano affertur, qui contra fidem veterum librorum legendum putat, *ab Oenoa.*

Eod. *Oreatorum, atque Opuntiorum.*] Vet. lib. *Oritanorum*, & recte. Nam Stephanus: Ὠρεὸς πόλις Εὐβοίας. τὸ ἐθνικὸν, Ὠρείτης.

Eod. *Ab Chalcide Oreum aduigat, principumq; iis.*] Cuſtodiam Orei concedit Philippus principibus vrbis, quod ab Attalo & Romanis paulo ante expugnatum, relictum deinde fuiſſe Philippi in Eubœam aduentum intelligendum eſt.

Cap. IX. *Q. Fabius Maximus prætor legatus ab M. Liuio conſule Romam ad ſenatum miſſus.*] Duo Quinti Fabij Maximi per hoc tempus celebres fuerunt, pater & filius, vterque conſularis. Quorum neuter hoc anno præturam geſſit: Itaque quoniam vox *prætor*, non habet locum, *pater* legendum eſt. ſic enim ipſi inter ſe diſtinguuntur, vt alter *pater* alter *filius* nominetur, in Epitoma prioris libri. *Fabius Maximus pater, conſul Tarentinos per proditionē recepit*, Liuius libro priore, *Q. Fabium filium ad exercitum Venuſianum miſerant.* Errādi cauſa profecta eſt à breui ſcripturæ genere PR. & *pr.* quarum altera *prætorem*, altera *patrem* ſignificamus. Sic apud Pæd. in Diuinatione: *Hic eſt igitur Lentuli Suræ pater in carcere ſtrangulati propter coniurationem.* puto enim legendum: *Hic eſt auus Lentuli Suræ prætoris in carcere.* etenim *P. Lentulus* vere *Suræ* non *pater*, ſed auus fuit, auctore Cicerone, & Sura in coniuratione iterum *prætor* erat, teſte Dione. † Hanc animaduerſionem ſibi vendicat Robortellus lib. I. Emendationum, cap. 34. furti accuſans Sigonium.

Eod. *Vno animo remp. geſſiſſent.*] Vet. lib. *Rem geſſiſſent.* ſic infra: *quoniam in prouincia M. Liuij res geſta eſſet.* Hac de loquendi forma etiam dictum eſt ſupra.

Eod. *Non ſalutabant modo vniuerſi, ſed.*] Vet. lib. *Non ſalutabant modo vniuerſi circumfuſi, ſed.*

Eod. *Et ſupplicatione amborum nomine, & triumpho vtriq; decreto.*] Vet. lib. *Et ſupplicationem amborum nomine, & triumphum vtriq; decreuerunt*, quod valde probo.

Cap. X. *T. Claudius Aſellus, Q. Manlius Thurinus.*] Lege *T. Claudius Aſellus, Q. Mamilius Thurinus*, ex Vet. lib. & lap. Capitol. atque ita in his vbique.

Eod. *Brutij ambobus, vt cum Annibale bellum gererent prouincia decreta.*] Vet. lib. *Brutij ambobus, & vt cum Annibale.*

Eod. *Sicut P. Manlius tenuerat.*] Hic eſt ille, quem lib. 27. *C. Mamilium* nominauimus ex veteribus libris, cum *C. Manlius* vulgo legeretur. In iiſdem libris hoc in loco eſt, *P. Mamilius*, in quo ineſt veſtigium veritatis.

Cap. XI. *Supplicationem vnum diem habere.*] Vet. lib. *In vnum diem.*

Eod. *Caſa flagro eſt Veſtalis.*] Vet. lib. *Flagris.*

[Eod. *A Brutiis, iaculatoribuſque diſturbati.*] Rhenanus reſtituit. *A Brutiis iaculatoribus diſturbati.*

Eod. *Incolumes legiones in loca culta euaſere.*] Vet. lib. *in loca tuta euaſere.*

Cap. XII. *Prima Romanis initia prouinciarum, quæ quidem continentis ſint.*] Hoc ait propter Sardiniam & Siciliam, quæ primæ prouinciæ fuerunt, Velleio auctore, & ceteris, ſed non ſunt in continente.

Eod. *Peditum LXX. millia quidam adducta ad Silipiam vrbem ſcribunt. Ibi ſuper campos patentes duo Pœni duces, &c.*] Intelligit Polybium, qui ſic ait lib. II. ὁ δὲ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν κατεστρατοπέδευσαν οὐ μακρὰν ἀπὸ τῆς πόλεως, τῆς προσαγορευομένης Ἰλίγγας, βαλλόμενοι τὸν χάρακα. καὶ πρὸς τοῖς ὑπωρείοις, καὶ προθέμενοι πεδία πρὸς ἀγῶνα καὶ πρὸς μάχην εὐφυῆ. πλῆθος δὲ πεζῶν μὲν εἶχον εἰς ἑπτὰ μυριάδας, ἱππεῖς δὲ τετρακισχιλίους.

Cap. XIII. *Tantaſo parem multitudini ratus.*] Vet. lib. *Parem fore multitudini.*

Eod. *Præmiſſo Silano ad Colcam, duodetriginta oppidis regnantem.*] Polybios: Πόπλιος δὲ Μάρκον μὲν Ἰούνιον ἐξαπέστειλε πρὸς Κολίχαντα παραληψόμενον τὰς ἑτοιμασθείσας αὐτῷ παρὰ τούτου δυνάμεις.

Eod. *Eo adducta ab Silano auxilia tria millia peditum, & quingenti equites.*] αὐτὸς δὲ οἱ πεζοὶ μὲν τρισχίλιοι, ἱππεῖς δὲ πεντακόσιοι.

Eod. *Inde ad Betulam vrbem proceſſum cum omni exercitu.*] Polybius: ἐξῄει δὲ κατὰ λόγον, καὶ τοῖς περὶ Βαίκυλα τόποις, καὶ συμμίξας ἐνθάδε τῷ Μάρκῳ καὶ τοῖς παρὰ τοῦ Κολίχαντος δυνάμεσι, &c.

Eod. *Peditum, equitumque V. & XL. millibus.*] εἶχον πεζοὺς μὲν εἰς τετρακισμυρίους καὶ πεντακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ περὶ τρισχιλίους. Id eſt, *peditum V. & XL. millib. equitum tribus millib.* vt vere hanc ſummam non reddidiſſe Liuius videatur, niſi quid vitij ſubſit.

Eod. *Caſtra ponentes eos Mago, & Maſſaniſa cum omni equitatu aggreſſi ſunt.*] Polybius: Μάγων ἀναλαβὼν τὸ πλεῖστον μέρος τῶν ἰδίων ἱππέων, καὶ Μασαννάσης μετὰ τῶν Νομάδων, ἧκεν περὶ τὴν παρεμβολήν.

Eod. *Ne abditi poſt tumultum, opportune ad id poſiti à Scipione equites.*] Polybius: ὁ δὲ πάλαι προορώμενος τὸ μέλλον ὑπό τινα βουνὸν ὑπέστειλε τοὺς ἱππεῖς ἴσους τῶν Καρχηδονίων.

Eod. *Et primo turmatim abibant, nihil propter pauorem feſtinationemve confuſis ordinibus, deinde poſtquam acrius vltimis incidebat Romanus, neque ſuſtineri impetus poterat, nihil iam ordinum memores.*] Polyb. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἐν τάξει τὴν ἀναχώρησιν ἐποιοῦντο, τῶν δὲ Ῥωμαίων ἐπικειμένων αὐτοῖς, λύσαντες τὰς ἴλας κατέφυγον ὑπὸ τὴν αὐτῶν παρεμβολήν.

Eod. *Et quamquam eo prœlio aliquantum & Romanis aucti, & diminuti hoſtibus animi erant, tamen per aliquot inſequentes dies numquam ab excurſionibus equitum, leuiſq; armaturæ ceſſatū eſt.*] Polyb. οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι τούτῳ τῷ προτερήματι θαρραλεώτεροι διέκειντο πρὸς τὸν κίνδυνον, οἱ δὲ Καρχηδόνιοι τοὐναντίον. οὐ μὴν ἀλλὰ τὰς ἑξῆς ἐπί τινας ἡμέρας τάς τε δυνάμεις ἐκτάξαντες ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ, διά τε τῶν ἱππέων καὶ τῶν εὐζώνων ἀκροβολισμοὺς ποιούμενοι, καὶ καταπειράζοντες ἀλλήλων, ὥρμησαν ἐπὶ τὸ κρῖναι τὰ ὅλα.

Cap. XIV. *Mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienſes miſti Afris. ante Punicam aciem elephanti.* Polybius: μέσους Λίβυας, τὰ δὲ θηρία προτιθέμενος ἑκατέρων τῶν κεράτων.

Eod. *Teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri quique pranſi eſſent.*] Polybius: ἅμα γὰρ ὡς φωτὶ διαπεμψάμενος τοὺς ὑπηρέτας, παρήγγελλε πᾶσι τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς στρατιώταις ἀριστοποιησαμένους καὶ καθοπλισαμένους ἐξάγειν πρὸ τοῦ χάρακος.

Eod. *Aſdrubal equitatum omnem extemplo in equites emittit, ipſe cum peditum agmine caſtris egreditur.*] Polybius: οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἐξανεστάμενοι ἀπὸ τῶν ἐν τῷ χωρίῳ τοὺς μὲν ἱππεῖς, καὶ τοὺς εὐζώνους ἐπαφιέντας τοῖς ἱππεῦσι τῶν ἐναντίων εἰς τὰ πεδία· τὰς δὲ πεζικὰς δυνάμεις παρενέβαλλε οὐ πολὺ τῆς παρωρείας.

Eod. *Patefactiſq; ordinibus, equitatum omnem, leuemq; armaturam in medium acceptam, diuiſamque in partes duas in ſubſidiis poſt cornua locat.*] Polybius: διὰ τῶν διαστημάτων ἐν ταῖς σημαίαις εἴσω τοὺς ἀκροβολιζομένους, καὶ μερίσας ἐφ' ἑκάτερον κέρας ὄπισθεν τῆς παρατάξεως, πρῶτον μὲν τοὺς γροσφομάχους, ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς ἱππεῖς, &c.

Eod. *Ad Silanum, & M. Martium.*] Polyb. Λεύκιος Μάρκιος, καὶ Μάρκος Ἰούνιος.

Eod. *Cum ternis peditum cohortibus, terniſq; equitum turmis.*] Polyb. ſic: τρεῖς ἴλας ἱππέων, καὶ τρεῖς σπείρας. τοῦτο δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν παρὰ Ῥωμαίοις κοόρτις.

Cap. XV. *Procedens etiam die.*] Vet. libri. *Et procedente iam die.*

Eod. *Nam ſuper cetera elephanti etiam tumultuoſo genere pugnæ equitum, velitumque, & leuis armaturæ conſternati.*] Polybius: ἐν δὲ τῷ τούτων συμπλοκῇ τὰ μὲν θηρία διὰ τῶν γροσφομάχων, καὶ τῶν ἱππέων ἀκοντιζόμενα, καὶ διαταραττόμενα πανταχόθεν ὑπ' αὐτῶν κακῶς, ἔβλαπτε δ' οὐδὲν ἧττον τοὺς φίλους, ἢ τοὺς πολεμίους.

Eod. *Cepiſſetque tanto impetu caſtra, ni ex vehementi ſole, qualis inter graues imbre nubes effulget, tanta vis aquæ deiecta eſſet, vt vix in caſtra ſua reciperis ſe victor.*] Scribe: *Niſi ſe ex vehementi ſole, &c. tanta vis aquæ deieciſſet.* ſic enim veteres libri. at Polybius: εἰ μὲν οὖν μὴ θεός αὐτοῖς τις συνεπελάβετο τῆς σωτηρίας, παραχρῆμα ἂν ἐξέπεσον ἐκ τῆς παρεμβολῆς. ἐπιγενομένης δὲ κατὰ τὸν ἀέρα συστροφῆς ἐξαισίου, καὶ καταρραγέντος ὄμβρου λάβρου, καὶ συνεχοῦς, μόλις εἰς τὴν αὐτῶν στρατοπεδείαν ἀνεκομίσθησαν οἱ Ῥωμαῖοι. Reliqua deſiderantur apud Polybium, quæ ad hanc rem pertinent.

Eod. *Quoſdam etiam religio ceperat.*] Vet. lib. *Ceperit.* Quod laudo. congruit enim cum priore verbo, *receperit.*

Cap. XVI. *Tertio decimo anno poſt bellum initū, quinto poſt quam P. Scipio prouinciam, & exercitū accepit.*] In veteribus libris eſt *quarto decimo*, non *tertio decimo*, vt emendauit Glareanus. Legendum eſt tamen, *duodecimo.* Forma autem eſt loquendi,

Eod. *Mutuum dando, argentum creditum ſoluendo.*] Vet. lib. *Mutuum dando argentum, creditumq́; ſoluendo.*

Eod. *Caſtriſſi, inde motis, vt omnia.*] Vet. lib. non habent, *vt*, & pro voce, *Contraheret*, habent, *Contrahit*, quod placet.

IN EPITOMEN LIB. XXVIII.

ET in hoc habitu plus gloria, reuerentiæq́; habuit.] Vet. lib. *Et in hoc actu.*

Carthagini Noua.] *Carthagine Noua* legendum.

Occiderunt, ſe inſuper præcipitauerunt.] Vet. lib. *Et ſe inſuper.*

Et amicitia facta eſt cum Maſſaniſa.] Tolle vocem, *eſt*. Vt vno ambitu orationis hæc tota ſententia comprehendatur. Sic vet. lib.

Si ex rep. eſſe cognoſceret.] Vet. lib. *Si e rep.*

IN LIBRVM XXVIII.

CVM *transitu Aſdrubalis quantum in Italiam inundauerat belli, tantum leuata Hiſpania viderentur.*] Rhenanus leuiſſima vnius libri coniectura motus legit, *Inundauerat*, pro *inclinauerat*, à quo ipſo diſſentio, non ſolum, quia contra librorum omnium auctoritatem facit, ſed etiam, quia pulcherrimam ſententiam deprauat. quæ ex vocibus, *Inclinauerat*, & *Leuata*, elicitur, quæ tranſlatione à lance ſumpta nituntur. Nam quo grauiori pondere lanx altera premitur, eo magis contraria leuari videtur, Quod idem de Italia quoque & Hiſpania intelligendum eſt.

Cap. II. *Subſidunt Hiſpani aduerſus emiſſa tela ab hoſte inde ad emittenda ipſi conſurgunt.*] Vet. lib. *Ad remittenda.* probe.

Eod. *Quod ad fugam impedimento hoſtibus erat, & ad cædem eos.*] Vet. lib. *Id ad cædem eos.*

Eod. *Duo haud amplius millia peditum.*] Vet. lib. *Haud amplius tria millia peditum.*

Eod. *Scipio ſpem debellandi. ſi nihil iam etiam ipſe cunctando moratus eſſet, natus.*] Vet. lib. *Si nihil eam ipſe cunctando.*

Eod. *Betica.*] Græcè Βαιτις, & Βαιτική. Ergo *Betica.*

Eod. *Ceterum, quod autem rennuiſſet, exercitum omnem paſſim in ciuitates dimiſit.*] Lectionem exagitatam à Rhenano reponendam cenſeo. Eſt enim in omnibus vet. quos legi libris, ſic: *Ceterum quoad continuiſſet exercitum, propoſitum bello ſe fore ratus, antequam freto Gadeis traiiceret, exercitum omnem paſſim in ciuitates dimiſit.* Senſus eſt: Aſdrubalem timuiſſe ſibi magis, ſi exercitum continuiſſet, quàm ſi dimiſiſſet. Eſt autem ſententia illa, quæ eſt in epiſtola Cœlij lib. 8. *Nam de vita, ſi paratior ab exercitu eſſes, timuiſſem. nunc hæc exiguitas copiarum receſſum, non dimicationem mihi tuam præſagiebat.*

Cap. III. *Ad oppugnandam opulentiſſimam in iis locis vrbē, quam Oringin barbari appellabant mittit.*] Vet. lib. *Vrbem (Origin barbari appellabant) mittit.* Huius meminit Plinius lib. 3. cap. 1.

Eod. *Arx fuit Aſdrubalis ad excurſiones circa in mediterraneos populos faciendas.*] Vet. lib. *Aſdrubali*, quod magis probo.

Eod. *Etiam eo ſuperare hoſtem.*] Vet. lib. *Et iam.*

Cap. IV. *Eodem anno claſſis Romana cum M. Valerio Læuino proconſule ex Sicilia Africam tranſmiſſa.*] Tulle particulam, *Cum*, ex Vet. lib.

Cap. V. *Suſtulerunt enim animos Ætoli cum ob Romanam ſocietatem, tum poſt Attali aduentum.*] Vet. lib. *ab Romana ſocietate*: nota dicendi forma eſt. Polybius autem hoc ſic expreſſit: οἱ μὲν Αἰτωλοὶ θαρρήσαντες ἐπηρμένοι τῇ ἐλπίδι ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων, καὶ τῇ τοῦ βασιλέως Ἀττάλου παρουσίᾳ.

Eod. *Et Thracum maxime Medos.*] *Mædos.* Polybius: ἐπὶ δὲ τοὺς παρορμῶντας τῇ Μακεδονίᾳ Θρᾶκας, καὶ μάλιστα τοὺς Μαίδους.

Eod. *Bœoti quidem, &c.*] Vet. lib. *Bœoti quidem ipſi &c.*

Eod. *Tum præſidium vrbi mittit, vnde allatum erat.*] Deſt hic non vrbis nomen, ſed inſulæ, in qua vrbs erat. Fuit autem *Peparethus*, vt ex Polybio, vnde hæc ad verbum tranſlata ſunt, intelligi poteſt, cuius hæc verba ſunt: καὶ προσπεμψάντων τινῶν τῶν Πεπαρηθίων καὶ καταφθείρειν τὴν χώραν. τούτοις μὲν ἐξέπεμψε τοὺς παραφυλάξοντας τὴν πόλιν. Itaque legendum apud Liuium puto: *Tum Peparethum præſidium vrbi mittit.* Vox enim *Præſidium* affinis quodammodo voci, *Peparethum*, illam è loco ſuo eiecit. Eſt autem vrbs in inſula eodem nomine, vt ait Stephanus: Πεπάρηθος νῆσος μία τῶν Κυκλάδων ὁμώνυμος ἔχουσα πόλιν.

Eod. *Adduxit agentis Ænianum.*] Si Polybium ſequamur, quem neſcio cur non maxime ſequamur, *Agrianum*, pro *Ænianum*, eſt reſtituendum. Is enim hac de re ita: οἱ δὲ Χαλκιδεῖς καὶ τῶν ἄλλων Λοκρῶν Μυσταγοὶ ἔχοντα παντοίας χεῖρας, Ἀγριᾶνας παρόντας. de quibus Stephanus: Ἀγριαι ἔθνος Παιονίας μεταξὺ Αἵμου καὶ Ῥοδόπης. λέγονται καὶ Ἀγριᾶνες καὶ Ἀγριεῖς, καὶ Ἀγριᾶνες. *Agrianum* horum meminit poſt etiam ſæpe Liuius lib. 44.

Eod. *Segetibus tamen, quæ iam prope maturitatem erant, maxime in ſinu Æniano euaſtatis, Scotuſam copias reducit.*] Qui ſit *ſinus Ænianus*, vt multa alia quærit Glareanus. is eſt autem, de quo Polybius lib. 11. his verbis: τὰ δὲ σῖτα ἐθέριζε, καὶ παρελάμβανε τὸν περὶ τὸν Αἰνιᾶνα κόλπον κατασυρόντων ἐπιπολῆς. & Stephanus: Αἰνία πόλις Περραιβῶν καὶ Αἰνιᾶδες οἱ οἰκοῦντες καὶ τὸ κτητικὸν Αἰνιακὸς κόλπος. † In Polybio eſt Αἰνιακὸς, non *Ænianus*, non immerito igitur dubitat Glareanus: Imo quæ Glareanus adducit, hic omittit Sigonius. †

Eod. *Ipſe in Ciſſeo, mons eſt in altitudinem ingentis cacuminis editi.*] Quod Glareanus quærit *Ciſſeum* montem, imperite facit; etenim nullus eſt. *Tiſeum* autem inuenio apud Polybium lib. 11. vbi de hac re loquitur: καὶ παρήγγελε διακατέχειν αὐτῷ πάντα τὰ γενόμενα διὰ τῶν Πυρσῶν ἐπὶ τὸ Τίσαιον. ἔστι δὲ ὄρος τῆς Θετταλίας ὑψηλόν. Veteres etiam Liuiani libri habent *Thiſeo*, non *Ciſſeo*. † Glareanus recte dubitauit, & recte iudicauit de re, nomen ignorauit. †

Eod. *Niceam.*] *Nicæam*, Græci enim Νίκαιαν edunt.

Cap. VI. *Demetrium Phthiotidis.*] Sic veteres libri, & recte. nam duo fuerunt oppida hoc nomine, vt Stephanus: Δημήτριον πόλις Θετταλίας κειμένη περὶ τὸν Ἄμβρυσον. ἔστι καὶ πόλις Αἰολίδος.

Eod. *Fretum ipſum Euripi non ſepties die, ſicut fama fert, temporibus ſtatis reciprocat.*] Vet. lib. *Septies in die.*

Eod. *Ad Cynum Locridis, emporium eſt Opuntiorum.*] Sic Stephanus: Κῦνος ἐπίνειον Ὀπούντος. ὡς Φίλων καὶ Πausanias, Ἑκαταῖος δὲ πόλιν αὐτὴν φησί.

Cap. VII. *Philippum et & ignes ab Oreo editi mouerant.*] Placet magis, vt eſt in vet. lib. *mouerunt*, vt ſit ignes ab vrbe Oreo editi, mouerunt Philippum obſideri Oreum.

Phocidis Elatiam. Recte addidit, *Phocidis*. Nam ait Stephanus: Ἐλάτεια πόλις Φωκίδος, καὶ Θετταλίας. καὶ Θεσσαλίας.

Eod. *Abſcentibus ab terra naues Philippus aduenit.*] Vet. lib. *Superuenit.*

Eod. *Compoſitis circa Opuntem reb. Toronem eſt profectus.*] *Torone* ad ſinum Toronæum eſt procul ab Opunte. *Thronium* pariter eſt Locrorum, atque Opus non procul à Thebis Phthiotidos. Itaque veriſimilius eſt Philippum ab Opūte *Thronium*, quam *Toronem* veniſſe. præſertim vero cum à Thronio in Doridem finitimam regionem veniſſe ſubdat. Itaque his de cauſis *Thronium* puto legendum, de quo & Stephanus, & Strabo, & ceteri. Idem placet etiam Glareano.

Eod. *Tritonon et Drymias Doridis parua, atque ignobilia oppida.*] De his Stephanus: Τρίτωνος πολίχνιον Μακεδονίας. Δρυμία πόλις Φωκίδος. Veteres etiam libri edunt *Dramias*, ex quo apparet ita eſſe legendum.

Eod. *Deſerta priore quidem Philippi bello.*] Vet. lib. *Priore eiuſdem Philippi.*

Eod. *Cum Eream veniſſet.*] Vet. lib. *Heream*, & recte, inquit & Stephanus: Ἡραία ἔστι καὶ πόλις Ἀρκαδίας, κεῖται δὲ κατὰ Μεσσήνην Πελοποννήσου.

Cap. VIII. *Triphiliam. Alpheram.*] Stephanus: Τριφυλία ἡ Ἦλις, Ἀλίφειρα πόλις Ἀρκαδίας.

Eod. *Eo quanta maxime poſſet celeritate tenderet.*] Vet. lib. *Contenderet.*

Eod. *Ad Erythras Ætolorum, quæ prope Eupalium ſunt.*] Stephanus: Ἐρυθραὶ πόλις Ἰώνων καὶ Αἰθίων καὶ Λοκρίδος, καὶ Βοιωτίας, καὶ Κύπρου. Εὐπάλιον πόλις Λοκρίδος, ἐν ᾗ Εὐπάλιον Ἀρτεμίδωρος φησί.

Eod. *Poſidania.* Stephanus: Ποσειδανία πόλις Αἰτωλίας, τοῖτ' Ἰταλίας.

Eod. *Ipſe à Cenchreis.*] Stephanus: Κεγχρέαι πόλις Τρῳάδος ἐν ᾗ ὤκησεν Ὅμηρος, ὡς ἱστορεῖ Κρίτων. Hoc loco Cenchreas, quæ ad Corinthum ſunt, intelligit, vt ſuperuacanea ſit huius loci emendatio, quæ à Glareano affertur, qui contra fidem veterum librorum legendum putat, *ab Oenoa.*

Eod. *Oreanorum, atque Opuntiorum.*] Vet. lib. *Oritanoram*, & rectè. Nam Stephanus: Ὠρεὸς πόλις Εὐβοίας. τὸ ἐθνικὸν, Ὠρείτης.

Eod. *Ab Chalcide Oreum nauigat, principemq; iis.*] Cuſtodiam Orei conceſſit Philippus principibus vrbis, quod ab Attalo & Romanis paulo ante expugnatum, relictum deinde fuiſſe Philippi in Euboæam aduentum intelligendum eſt.

Cap. IX. *Q. Fabius Maximus prætor legatus ab M. Liuio conſule Romam ad ſenatum miſſus.*] Duo Quinti Fabij Maximi per hoc tempus celebres fuerunt, pater & filius, vterque conſularis. Quorum neuter hoc anno præturam geſſit: Itaque quoniam vox *prætor*, non habet locum, *pater* legendum eſt. ſic enim ipſi inter ſe diſtinguuntur, vt alter *pater* alter *filius* nominetur, in Epitoma prioris libri. *Fabius Maximus pater, conſul Tarentinos per proditionē recepit*, Liuius libro priore, *Q. Fabium filium ad exercitum Venuſianum miſerunt.* Errādi cauſa profecta eſt à breui ſcripturæ genere PR. & *pr.* quarum altera *prætorem*, altera *patrem* ſignificamus. Sic apud Pæd. in Diuinatione: *Hic eſt igitur Lentuli Suræ pater in carcere ſtrangulati propter coniurationem.* puto enim legendum: *Hic eſt auus Lentuli Suræ prætoris in carcere.* etenim *P. Lentulus* vere *Suræ* non *pater*, ſed auus fuit, auctore Cicerone, & Sura in coniuratione iterum *prætor* erat, teſte Dione. † Hanc animaduerſionem ſibi vendicat Robortellus lib. I. Emendationum, cap. 34. furti accuſans Sigonium.

Eod. *Vno animo remp. geſſiſſent.*] Vet. lib. *Rem geſſiſſent.* ſic infra: *quoniam in prouincia M. Liuij res geſta eſſet.* Hac de loquendi forma etiam dictum eſt ſupra.

Eod. *Non ſalutabant modo vniuerſi, ſed.*] Vet. lib. *Non ſalutabant modo vniuerſi circumfuſi, ſed.*

Eod. *Et ſupplicatione amborum nomine, & triumpho vtriq; decreto.*] Vet. lib. *Et ſupplicationem amborum nomine, & triumphum vtriq; decreuerunt*, quod valde proho.

Cap. X. *T. Claudius Aſellus, Q. Manlius Thurinus.*] Lege *T. Claudius Aſellus, Q. Mamilius Thurinus*, ex Vet. lib. & lap. Capitol. atque ita in his vbique.

Eod. *Brutij ambobus, vt cum Annibale bellum gererent prouincia decreta.*] Vet. lib. *Brutij ambobus, & vt cum Annibale.*

Eod. *Sicut P. Manlius tenuerat.*] Hic eſt ille, quem lib. 27. *C. Mamilium* nominauimus ex veteribus libris, cum *C. Manlius* vulgo legeretur. Io iiſdem libris hoc in loco eſt, *P. Mamilius*, in quo ineſt veſtigium veritatis.

Cap. XI. *Supplicationem vnum diem habere.*] Vet. lib. *In vnum diem.*

Eod. *Ceſa flagro eſt Veſtalis.*] Vet. lib. *Flagris.*

[Eod. *A Brutiis, iaculatoribuſque diſturbati.*] Rhenanus reſtituit. *A Brutiis iaculatoribus diſturbati.*

Eod. *Incolumes legiones in loca culta euaſere.*] Vet. lib. *in loca euaſero.*

Cap. XII. *Prima Romanis inita prouinciarum, quæ quidem continentis ſint.*] Hoc ait propter Sardiniam & Siciliam, quæ primæ prouinciæ fuerunt, Velleio auctore, & ceteris, ſed non ſunt in continente.

Eod. *Peditum LXX. millia quidam adducta ad Silipiam vrbem ſcribunt. Ibi ſuper campos patentes duo Pœni duces*, &c.] Intelligit Polybium, qui ſic ait lib. II. οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν κατεστρατοπέδευσαν οὐ μακρὰν ἀπὸ τῆς πόλεως, τῆς προσαγορευομένης Ἠλίγγας, βαλλόμενοι τὸν χάρακα, καὶ πρὸς τοῖς ὑπωρείαις, καὶ προθέμενοι πεδία πρὸς ἀγῶνα καὶ πρὸς μάχην εὐφυῆ. πλῆθος δὲ πεζῶν μὲν εἶχον εἰς ἑπτὰ μυριάδας, ἱππεῖς δὲ τετρακισχιλίους.

Cap. XIII. *Tanta ſe parem multitudini ratus.*] Vet. lib. *Parem fore multitudini.*

Eod. *Præmiſſo Silano ad Colcam, duodetriginta oppidis regnantem.*] Polybius: Πόπλιος δὲ Μάρκον μὲν Ἰούνιον ἐξαπέστειλε πρὸς Κολίχαντα παραληψόμενον τὰς ἑτοιμασθείσας αὐτῷ παρὰ τούτου δυνάμεις.

Eod. *Eo adducta ab Silano auxilia tria millia peditum, & quingenti equites.*] αὐτοῦ δὲ οἱ πεζοὶ μὲν τρισχίλιοι, ἱππεῖς δὲ πεντακόσιοι.

Eod. *Inde ad Betulam vrbem proceſſum cum omni exercitu.*] Polybius: ἧκεν ἐς Κασταλῶνα, καὶ τοὺς περὶ Βαίκυλα τόπους, καὶ συμμίξας ἐνθάδε τῷ Μάρκῳ καὶ ταῖς παρὰ τοῦ Κολίχαντος δυνάμεσιν, &c.

Eod. *Peditum, equitumque V. & XL. millibus.*] ἔχων πεζοὺς μὲν εἰς τετρακισμυρίους καὶ πεντακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ περὶ τρισχιλίους. Id eſt, *peditum V. & XL. millib. equitum tribus millib.* vt vere hanc ſummam non reddidiſſe Liuius videatur, niſi quid vitij ſubſit.

Eod. *Caſtra ponentes eos Mago, & Maſſaniſſa cum omni equitatu aggreſſi ſunt.*] Polybius: Μάγων ἀναλαβὼν τὸ πλεῖστον μέρος τῶν ἰδίων ἱππέων, καὶ Μασαννάσσαν μετὰ τῶν Νομάδων, ὥρμησε πρὸς τὴν παρεμβολήν.

Eod. *Ne abditi poſt tumulum, opportune ad id poſiti à Scipione equites.*] Polybius: ὁ δὲ πάλαι προορώμενος τὸ μέλλον ὑπό τινα βουνὸν ὑπέστειλε τοὺς ἱππεῖς ἴσους τῶν Καρχηδονίων.

Eod. *Et primo turmatim abibant, nihil propter pauorem feſtinationem ve confuſis ordinibus, deinde poſtquam acrius vltimis incidebat Romanus, neque ſuſtineri impetus poterat, nihil iam ordinum memores.*] Polyb. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἐν τάξει τὴν ἀναχώρησιν ἐποιοῦντο, τῶν δὲ Ῥωμαίων ἐγκειμένων αὐτοῖς, λύσαντες τὰς ἴλας κατέφυγον ὑπὸ τὴν αὐτῶν παρεμβολήν.

Eod. *Et quamquam eo prælio aliquantum & Romanis aucti, & diminuti hoſtibus animi erant, tamen per aliquot inſequentes dies numquam ab excurſionibus equitum, leuiſq; armaturæ ceſſatū eſt.*] Polyb. οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι τούτῳ τῷ προτερήματι θαρραλεώτερον διέκειντο πρὸς τὸν κίνδυνον, οἱ δὲ Καρχηδόνιοι τοὐναντίον. οὐ μὴν ἀλλὰ τινὰς ἑξῆς ὀπτίμας ἡμέρας τάς τε δυνάμεις ἐκτάξαντες ἐν τῷ μεταξὺ πεδίῳ, διὰ τῶν ἱππέων καὶ τῶν εὐζώνων ἀκροβολισμοὺς ποιησάμενοι, καὶ καταπειράσαντες ἀλλήλων, ὥρμησαν ἐπὶ τὸ κρίνειν τὰ ὅλα.

Cap. XIV. *Mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienſes miſti Afris, ante Punicam aciem elephanti.* Polybius: μέσους Λίβυας, τὰ δὲ θηρία προτιθέμενοι ἑκατέρων τῶν κεράτων.

Eod. *Teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri quique pranſi eſſent.*] Polybius: ἅμα γὰρ ὡς φωτὶ διαπεμψάμενος τοὺς ὑπηρέτας, παρήγγειλε πᾶσι τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς στρατιώταις ἀριστοποιησαμένους καὶ καθοπλισαμένους ἐξάγειν πρὸ τοῦ χάρακος.

Eod. *Aſdrubal equitatum omnem extemplo in equites emittit, ipſe cum peditum agmine caſtris egreditur.*] Polybius: οἱ περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἐπαναστάντες ἀπροσδοκήτως ἐκ τοῦ καιροῦ τοὺς μὲν ἱππεῖς, καὶ τοὺς εὐζώνους ἐπαφιέντες τοῖς ἱππεῦσι τῶν ἐναντίων εἰς τὰ πεδία· τὰς δὲ πεζικὰς δυνάμεις παρενέβαλον οὐ πολὺ τῆς παρωρείας.

Eod. *Patefactiſq; ordinibus, equitatum omnem, leuemq; armaturam in medium acceptam, diuiſamque in partes duas in ſubſidiis poſt cornua locat.*] Polybius: διὰ τῶν διαστημάτων ἐν ταῖς σημαίαις ὑπεδέξατο τοὺς ἀκροβολιζομένους, καὶ μερίσας ἐφ' ἑκάτερον κέρας ὄπισθεν τῶν παρεστῶτων ταγμάτων, πρῶτον μὲν τοὺς γροσφομάχους, ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς ἱππεῖς, &c.

Eod. *Ad Silanum, & M. Martium.*] Polyb. Λεύκιος Μάρκιος, καὶ Μάρκος Ἰούνιος.

Eod. *Cum ternis peditum cohortibus, terniſq; equitum turmis.*] Polyb. ſic: τρεῖς ἴλας ἱππέων, καὶ τρεῖς σπείρας. τοῦτο δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν παρὰ Ῥωμαίοις κόορτις.

Cap. XV. *Procedente iam die.*] Vet. libri. *Et procedente iam die.*

Eod. *Nam ſuper ceteros elephanti etiam tumultuoſo genere pugnæ equitum, velitumque, & leuis armaturæ conſternati.*] Polybius: ἐν δὲ τῇ τούτων συμπλοκῇ τὰ μὲν θηρία διὰ τῶν γροσφομάχων, καὶ τῶν ἱππέων ἀκοντιζόμενα, καὶ διαταραττόμενα πανταχόθεν ἔπασχε μὲν κακῶς, ἔβλαπτε δ' οὐδὲν ἧττον τοὺς φίλους, ἢ τοὺς πολεμίους.

Eod. *Cepiſſetq; ae tumulto impetu caſtra, ni ex vehementi ſole, qualis inter graues imbre nubes effulget, tanta vis aquæ deiecta eſſet, vt vix in caſtra ſua receperit ſe victor.*] Scribe: *Niſi ſe ex vehementi ſole, &c. tanta vis aquæ deieciſſet.* ſic enim veteres libri. at Polybius: εἰ μὲν οὖν μὴ θεὸς αὐτοῖς τις συνεπελάβετο τῆς σωτηρίας, παραχρῆμα ἂν ἐξέπεσον ἐκ τῆς παρεμβολῆς, ἐπιγενομένης δ' ἐκ τοῦ ἀέρος συστροφῆς ἐξαισίου, καὶ καταρραγέντος ὄμβρου λάβρου, καὶ συνεχοῦς, μόλις εἰς τὴν αὐτῶν στρατοπεδείαν ἀπεχώρησαν οἱ Ῥωμαῖοι. Reliqua deſiderantur apud Polybium, quæ ad hanc rem pertinent.

Eod. *Quoſdam etiam religio ceperat.*] Vet. lib. *Ceperit.* Quod laudo. congruit enim cum priore verbo, *receperit.*

Cap. XVI. *Tertio decimo anno poſt bellum initū, quinto poſt quam P. Scipio prouinciam, & exercitū accepit.*] In veteribus libris eſt *quarto decimo*, non *tertio decimo*, vt emendauit Glareanus. Legendum eſt tamen, *duodecimo.* Forma autem eſt loquendi,

qua primus annus non comprehenditur, vt eum ait: *quinto anno poſtquam Scipio imperium accepit.* Etenim reuera hic eſt Punici belli annus *decimus & tertius.* & imperij Scipionis *ſextus*, at cum dicit *poſt initum bellum, poſt acceptam prouinciam*, annum primum excipit. Qua de ratione loquendi in libro trigeſimo extremo agemus.

Cap. xvII. *Quoniam fors eos ſub eodem tecto eſſe, atq; ad eodem penates voluiſſet.*] Non eſt mihi dubium, quin Liuius ſcripſerit, *atque in eodem penate voluiſſet.* Quod eſt in veteribus libris. De qua voce ſic Feſtus: *Penatis Labeo Antiſtius ſingulariter poſſe dici putat, quia pluraliter Penates dicantur, cum patiatur proportio etiam Penas dici, vt optimas, primas, Antias.* Hunc loquendi morem cum ignorarent qui ante me Liuium emendarunt, veteres libros temere deprauarunt.

Cap. xIx. *Ad Illiturgim.*] Scribe *ad Illiturgi.* eſt enim ἄκλιτον, vt ſupra dixi.

Eod. *Hinc & hortari milites Scipio orſus eſt.*] Vet. lib. *Hinc exhortari.*

Eod. *Admonebant alios.*] Vet. lib. *Admonebant alij alios.*

Cap. xx. *Terrorque inde, ac deſperatio inuaſerat.*] Vet. lib. *Inuaſerat omnes.*

Cap. xxI. *Gladiatorium ſpectaculum fuit, &c. Munuſque gladiatorij.*] Vet. lib. *gladiatorum*, quo pacto loquitur paulo poſt. *Huic gladiatorum ſpectacula ludi funebres additi.* Et Suet. in Cæſare: *Edidit ſpectacula varij generis, munus gladiatorum, ludos etiam regionatim vrbe tota.*

Cap. xxII. *Bætis amni, quem incolæ Circium appellant.*] Vet. lib. habent: *Circem appellant.* Corruptæ autem Stephanus, apud quem ita legitur: Βαῖτις ποταμὸς κατ' Ἰβηρίαν, ὡς Πίρκην λέγουσι ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων. Suſpicor autem eſſe legendum, ὃν Κίρκην. fecerunt enim errorem in librario ſyllabæ illæ finitimæ ων & κιρ. Itaque ſine dubio *Circem* non *Circium* legendum arbitror. Euſtathius in Dionyſium Ταρτησσὸν vocatum eſſe tradit.

Cap. xxIII. *Turbam feminarum, puerorumque, imbellem, inermem.*] Vet. lib. *Imbellem, inermemque.*

Eod. *Cum ſeptem triremibus quinqueremi vnà eſt miſſus.*] Vet. lib. *Et quinqueremi vna.*

Eod. *Iuuentate Celtiberorum excitata.*] Vet. lib. *excita.*

Cap. xxIv. *Agrum Sueſſitanum.*] *Seſſetanum*, vt ſupra.

Eod. *Licentia ex diutino ocio, vt fit collecta.*] Huic licentiæ maxime occurrendum eſſe prudenti imperatori ait Polybius li. 11. vbi de hac re agit.

Cap. xxv. *Et P. Scipionem deûm benignitate, & remp. eſſe gratia referenda.*] Malim pro *Remp. Populum Rom.* noto errore. Senſus: Quia milites dixerant ſuis recte factis gratiam qui referant, non eſſe: reſpondent tribuni, ſe lætari, & P. Scipionem deûm benignitate viuere, cuius mortis fama percrebuerat, & populum Romanum eſſe, ita vt gratiam militibus referre poſſint.

Eod. *Miſſis circa ſtipendiarias ciuitates exactoribus, ſtipendij ſpem propinquam facere.*] Polybius: χάριν δὲ τοῦ πιστευθῆναι τὴν ἐπαγγελίαν καὶ ὑποτεταγμένας εἰσφορὰς ταῖς πόλεσι προστάξας εἰς τὴν τοῦ παντὸς στρατοπέδου χορηγίαν ταῦτα νῦν ἀθροίζειν.

Cap. xxvI. *Erant autem hi numero haud plus, quam quinque & triginta.*] Polybius: οὗτοι δ' ἦσαν εἰς πέντε καὶ τριάκοντα τὸν ἀριθμόν.

Eod. *Expeditio aduerſus Mandonium, Indibilemque edicitur exercitui, qui Carthagine erat, & cibaria dierum aliquot parare iubentur.*] Polybius: τῷ δὲ μεθ' ἑαυτοῦ στρατοπέδῳ παρήγγελλε περὶ ἡμερῶν τινῶν ἐφόδια παρασκευάζεσθαι εἰς πλείω χρόνον ἐπὶ τὸν Ἀνδοβάλην.

Eod. *Tribunis ſeptem, qui & ante Sucronem ad leniendam ſeditionem ierant, obuiam exercitui miſſis, quina nomina principum ſeditionis edita ſunt, &c.*] Polybius: τοῖς μὲν χιλιάρχοις τοῖς προσβεβλημένοις συνέταξε δι' ἀπορρήτων ὁ Πόπλιος ἀπαντᾶν τοῖς ἀποστάταις, καὶ διελομένους πέντε τῶν ἀρχηγῶν τῆς στάσεως ἕκαστον ἰδίᾳ κατὰ τὴν ἀπάντησιν εἰσαγαγεῖν, καὶ καλεῖν ὡς αὑτούς, μάλιστα μὲν πρὸς κατασκήνωσιν, εἰ δ' ἂν μὴ δύνωνται τοῦτο, πρὸς συνδεῖπνον, καὶ τοιαύτην συνουσίαν.

Eod. *Reducti armati à portis inermi ſe concioni ab tergo circumfuderunt.*] Polybius: πρὸς μὲν τοὺς ἐπὶ τῶν πυλῶν χιλιάρχους ὁ Πόπλιος διεπέμψατο κελεύων αὐτοὺς ἔχειν τοὺς στρατιώτας ἐν τοῖς ὅπλοις, καὶ περιέχειν τὴν ἐκκλησίαν.

Eod. *Nihil aquè eos terruit, quam præter ſpem robur & color Imperatoris, quem affectum viſuros crediderant.*] Polyb. χάριτα παρὰ τὴν προσδοκίαν, αἰφνιδίως ἐρρωμένον θεασάμενοι κατὰ τὴν ὀπτασίαν κατεπλάγησαν.

Cap. xxvII. *Numquam mihi defuturam orationem.*] Summa huius orationis expreſſa etiam à Polybio eſt.

Eod. *Nec quo nomine quidem.*] Vet. lib. *Nequo.*

Eod. *Vmbrum Atrium, & Calenum Albinū.*] *Albiū*, vt ſupra.

Eod. *Nullum locum tota prouincia.*] Vet. lib. *In tota.*

Eod. *Sederunt in tribunali proconſulis Scipionis.*] Malim, *in tribunali P. Scipionis.* Nam in Veterib. libris paſſim eſt hæc mēda.

Eod. *Sed multitudo omnis, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, vt venti & auræ cient, aut tranquilli, aut procelloſi.*] Polybius planius hanc comparationem expreſſit: ταῦτα δ' ἐστί, διότι πᾶς ὄχλος εὐπαράγωγος ὑπάρχει, καὶ πρὸς πᾶν εὐάγωγος. ὅθεν ἀεὶ τὸ παραπλήσιον πάθος συμβαίνειν περί τε τοὺς ὄχλους, καὶ τὴν θάλατταν. καθάπερ γὰρ κἀκείνης ἡ μὲν ἰδία φύσις ἐστὶν ἀβλαβὴς τοῖς χρωμένοις, καὶ στάσιμος, ὅταν δ' εἰς αὐτὴν ἐμπέσῃ τὰ πνεύματα βίᾳ, τοιαύτη φαίνεται τοῖς χρωμένοις οἷοί τινες ἂν ὦσιν οἱ κινοῦντες αὐτὴν ἄνεμοι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ πλῆθος ἀεὶ καὶ φαίνεται γίνεται πρὸς τοὺς χρωμένους, οἵους ἂν ἔχῃ προστάτας καὶ συμβούλους.

Eod. *Faſces et ſecures prælata ſunt.*] Vet. lib. *Faſces cum ſecuribus prælati ſunt.*

Cap. xxvIII. *Rhegium quondam.*] Hac de re dictum in epitomen libri 12.

Eod. *Nec cum Pyrrho, nec Samnitibus.*] Vet. lib. *Nec cum Samnitibus.*

Eod. *Vos cum Mandonio, & Indibili conſilia communicaſtis, et arma conſociaturi fuiſtis.*] Vet. lib. *Vos cum mandonio, atque Indibili & conſilia.*

Eod. *Capuam Tuſcis veteribus ademptam.*] Vet. lib. *Veteribus cultoribus ademptam.* Hac de re ſupra etiam diximus.

Eod. *Quatuor imperatores.*] Aſdrubales duos, Amilcaris, & Giſgonis filios, Magonem Amilcaris, & Annonem, qui Aſdrubali in Italiam profecto ſuffectus erat.

Eod. *Poſtumio Albino, M. Marcello, T. Quintio Criſpino.*] Vet. lib. *T. Criſpino*: quod probo, vt & hic duobus nominibus afficiatur.

Eod. *Septimium Martium.*] *Septimum Marcium*, vt ſupra.

Eod. *Coriolanum quondam.*] Lib. 2.

Eod. *Quibus omnibus ſi ſuperiores eſſetis, arma contra patriam contra ciues veſtros ferretis.*] Vet. lib. *Arma tamen Pœnis contra patriam*: quod probo.

Cap. xxIx. *Auferat omnia irrita obliuio, ſi poteſt.*] Vet. lib. *Obliuio iſta, ſi poteſt.*

Eod. *De nullis enim quam de vobis infeſtius aut inimicius conſuluerunt.*] Vet. lib. *Iniquius conſuluerunt.*

Eod. *Exercitus, qui concionem circumdederat, gladiis ad ſcuta concrepuit.*] Polybius: καὶ πάλιν μὲν οἱ στρατιῶται περιεστῶτες ἐν τοῖς ὅπλοις ἀπὸ παραγγέλματος συνεψόφησαν ταῖς μαχαίραις τοὺς θυρεούς.

Eod. *Deligati ad palum, virgiſque caſi, et ſecuri percuſſi, adeo torpentibus metu qui aderant, vt non modo ferocior vox aduerſus atrocitatem pœnæ, ſed ne gemitus quidem exaudiretur.*] Polybius: ἅμα δὲ τούτοις δεδεμένοι γυμνοὶ οἱ τῆς στάσεως αἴτιοι γενόμενοι εἰσήγοντο. τοῦ δὲ πλήθους τοιοῦτον ὑποπεπτωκότος ὑπό τε τοῦ ὀφθέντος φόβου, καὶ τῆς κατὰ πρόσοψιν δεινῶν, ὥστε τῶν μὲν μαστιγουμένων, τῶν δὲ πελεκιζομένων, μήτε τὴν ὄψιν ἀλλοιοῦσθαι μήτε φωνὴν προΐεσθαι μηδένα, μένειν δὲ πάντας ἀχανεῖς ἐκπεπληγμένους πρὸς τὸ συμβαῖνον.

Eod. *Tracti inde de medio omnes purgatoque loco, citati milites nominatim apud tribunos militum in verba P. Scipionis iurarunt.*] Polybius: οἱ μὲν οὖν ἀρχηγοὶ τῶν κακῶν αἰκισθέντες εἵλκοντο διὰ μέσου ἀπηλλαγμένοι τοῦ ζῆν· οἱ δὲ λοιποὶ παρὰ μὲν τοῦ στρατηγοῦ καὶ τῶν ἄλλων ἀρχόντων κατὰ κοινοῦ ἔλαβον τὰς πίστεις, ἐφ' ᾧ μηδένα μηδενὶ μνησικακήσειν, αὐτοὶ δὲ καθ' ἕνα προσιόντες ὤμνυον τοῖς χιλιάρχοις, ἦ μὴν πειθαρχήσειν τοῖς παραγγελλομένοις ὑπὸ τῶν ἀρχόντων, καὶ μηδὲν ὑπεναντίον φρονήσειν τῇ Ῥώμῃ. Poſt deſunt quædam apud Polybium.

Cap. xxx. *Gades ſine certamine proditione recipiendi.*] Vet. lib. *Per proditionem.*

Cap. xxxI. *In fines ingreſſi.*] Vet. lib. *Regreſſi.*

Cap. xxxII. *Priuſquam caſtra à Carthagine moueret, concione aduocata, multis verbis in perfidiam rebellantium regulorum inuectus.*] Polybius: ὁ δὲ Πόπλιος συναθροίσας εὐθέως ἐν αὐτῇ τῇ Καρχηδόνι τὰς δυνάμεις εἰς ἐκκλησίαν ἔλεγε περί τε τῆς Ἀνδοβάλου τόλμης, καὶ τῆς εἰς αὐτοὺς ἀθεσίας.

Eod. *Triginta hominum capitibus.*] Vet. lib. *Quinque et triginta.* Recte. Si enim etiam ante Polyb. Et huius orationis capita apud Polyb. ſunt.

Cap. XXXIII. *Profectuſque decimis caſtris peruenit ad Iberum flumen, inde ſuperato amni die quarto in conſpectu hoſtium poſuit caſtra.*] Polyb. καὶ παραβαλὼν δεκαταῖος ἐπὶ τὸν Ἴβηρα ποταμὸν διαβαίνει, καὶ παραγενηθεὶς τῇ τετάρτῃ μετὰ ταῦτα πρὸς τοὺς ἐχθροὺς κατεστρατοπέδευσε.

Eod. *In eam vallem Scipio cum pecora rapta, &c.*] τῇ δ᾽ ἑξῆς εἰς τὸ μεταξὺ τῶν στρατοπέδων αὐλῶνα παρέβαλλε τινὰ θρέμματα τῶν παρεπομένων τῷ στρατοπέδῳ συντάξας ἐπιμελῶς ἔχειν τοὺς ἱππεῖς τῷ Γαΐῳ, τοὺς γεροφομάχους ἐπιτάξας τῷ χιλιάρχῳ περὶ τοῦ πυρσεύειν.

Eod. *Miſſis leuibus telis.*] Redde vocem veterem *Emiſſis*, quo dicendi genere vtitur in hac re ſemper Liuius. Hanc enim mutauit temere Rhenanus. Idem fecit paulo ante. *Libertatẽ* enim *agi* parum Latine dici exiſtimauit, *ledi*, autem reponendem cenſuit. Cum tamen Cicero pro lege Manilia dixerit. *Hoc bello agitur populi Rom. gloria, agitur ſalus ſociorum, aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, aguntur bona multorum ciuium.*

Cap. XXXIV. *Neque ex aduerſo tantum obuios obtinere.*] Veter. lib. *Neque ex aduerſo tantum illati obuios obtinere.*

Cap. XXXV. *Sed virilis vere ac militaris.*] Vet. lib. *Sed virilis, ac vere militaris.*

Cap. XXXVI. *Trahunt ſcalas, oraſque, & anchoras ne in moliendo mora eſſet, præcidunt.*] Vet. libr. *Trahunt ſcalas, ponteſque, & anchoras.* Suſpicor ne vtraque vox retinenda ſit hoc modo: *Trahunt ſcalas, ponteſque, oraſque & anchoras præcidunt.* De funibus enim aptius dicitur, *præcidi*, quam *trahi*, vt Virgil. *Tacitique incidere funem.*

Eod. *Incerto præ tenebris, quid aut peterent, aut vitarent.*] Vet. lib. *Incerti.*

Eod. *Ad duo millia armatorum inuenta.*] *Armorum* habent libri, quos ipſe legi, & quos ſe legiſſe Rhenanus profitetur.

Cap. XXXVII. *Purgantib. concurſu multitudinis factam.*] Veter. lib. *Purgantibus iis.*

Eod. *Viris armis haud æque validam.*] Veter. libr. *Viris, armiſque.*

Cap. XXXVIII. *Ob has res geſtas magis eſt tentata triumphi ſpes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eum diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat.*] Obtemperandum hoc loco Glareano videtur, vt & hunc & alios locos, quib. Liuius proconſulatum magiſtratum eſſe negat, attente cōſideremus. Quod eo libentius faciemus, quod id non ſine ſummo eorum, qui Romanæ antiquitatis ſtudio tenentur, fructu faciemus. Eſt igitur intelligendum magiſtratus omnes cum poteſtate fuiſſe, cum imperio vero non niſi eos, quibus nominatim mandatum eſſet imperium. auctore enim Feſto, *cum poteſtate eſſe dicebatur ille, qui alicui negotio præfectus eſſet: cum imperio, cui nominatim delatum imperium eſſet. Mandabatur autem imperium his dumtaxat magiſtratibus, cum vſus Reipublicæ poſtulabat, dictatori, conſuli, prætori.* Erat autem imperium rei militaris adminiſtrandæ facultas. Quare Cicero dixit in Philipp. 5. *Demus imperium C. Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt.* Neque vero eodem tempore mandabatur magiſtratus: & imperium, neque iiſdem comitiis. nam magiſtratus primum, deinde prouincia cum imperio deferebatur, & magiſtratos quidem vt conſulatus, ac prætura centuriatis comitiis, imperium vero curiatis. Sic enim Liuius lib. 5. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, centuriata quibus conſules, tribunoſque militum creatis.* Et libro 9. *Ei legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit, quod Fauciaa curia fuit principium duabus inſignis cladibus.* Et Cic. ad Appium: *Appius dixit, ſeſe, ſi licitum eſſet, legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega prouinciam, ſi lex curiata non eſſet, ſe comparaturum cum collega, ſibique ſucceſſurum, legem curiatam conſuli ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe. ſe quoniam ex s. c. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in vrbem introiſſet.* libro tamen 26. ait Liuius: *Iuſſi deinde inire ſuffragium ad vnum omnes non centuriæ modo, ſed etiam homines P. Scipioni imperium eſſe in Hiſpaniam iuſſerunt.* Atque hæc quidem ita: Inſtitutum eſt etiam, vt conſulibus & prætoribus poſtquam magiſtratu abiiſſent prorogaretur, ſi tempora Reipub. poſcerent, imperium, iique pro conſulibus, & proprætorib. rem gererent. Qui primus procoſ. rem geſſerit prorogato ex conſulatu imperio Q. Publilius Philo fuit, qui idem etiam primus procoſ. triumphauit, vt Liuius lib. 8. eſt auctor. Q. autem Valerium Faltonem proprætorem, primum ex Sicilia triumphaſſe inuenio in Triumphis Capitolinis. eundem vero prætoram etiam rem in Sicilia geſſiſſe ſcribit Valerius de iure triumphandi. Fieri autem poterat vt ex prætura pro conſule mitteretur, id eſt, cum imperio conſulari, & cum duodecim faſcibus, vt Coſs. non vi. vt prætor. vt L. Æmilius ex Plut. & L. Gellius, primo de legibus Cicero. Adde quod imperium etiam priuatis extra ordinem mandatum eſt, quibus autem mandatum erat, ij pariter procoſ. & proprӕt. rem geſſerunt. Primus, cui mandatum eſt hoc modo, T. Quintius fuit. de quo Liuius libro 3. ſcribit. *Viſum eſt pro conſule T. Quintium ſubſidio, caſtris cum ſociali exercitu mitti.* Pariter P. Scipio in Hiſpaniam priuatus cum imperio miſſus eſt, atque alij quidam poſt eum, donec eo prætores cum imperio mitti cœpti ſunt. Item Octauius, de quo XI. Philip. Cicero, *Imperium Cæſari extraordinarium mea ſententia dedi.* nam proprætor vt eſſet, decreuerat. Ex his intelligi poteſt, proconſules, aut proprætores, vel ſi cum prorogato ex magiſtratu, vel ſi cum extraordinario eſſent imperio, ſine magiſtratu fuiſſe, quod item ex Cicerone libro 2. de Diuinat. confirmatur. *Bellicam rem adminiſtrari maiores noſtri niſi auſpicato noluerunt, quam multi anni ſunt, cum bella à proprætoribus & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent?* Neque enim niſi magiſtratus habebant auſpicia vel maiora, ſi maiores, vel minora, ſi minores eſſent. Quia vero hactenus triumphus non erat decretus iis, qui priuati extra ordinem rem geſſiſſent, propterea P. Scipioni ex Hiſpania non eſt decretus, Primus L. Lentulus ex his, vt ouans vrbem iniret, obtinuit. poſt Pompeius etiam de Mithridate triumphauit. De L. autem Lentulo ſic Liuius libro 31. *Res triumpho dignas eſſe cenſebat ſenatus, ſed exemplum à maioribus non accepiſſe, vt qui neque Dictator, neque conſul, neque prætor res geſſiſſet, triumpharet. Pro conſule illum Hiſpaniam, non conſulem aut prætorem obtinuiſſe. decurrebatur tamen, eo vt ouans vrbem iniret intercedente T. Sempronio Longo tribuno plebis, qui nihil magis id more maiorum, aut vllo exemplo futurum dicebat: poſtremo victus conſenſu patrum tribunus ceſſit. Et ex s. c. L. Lentulus ouans vrbem ingreſſus eſt.* Eadem ratione Quæſtori aliquando imperium datum eſt, vt ait Saluſtius in Catil. *Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam quæſtor pro prætore miſſus eſt adnitente Craſſo.* Poſtremo inſtitutum eſt etiam, vt quotannis conſulares, & prætoriæ prouinciæ decernerentur, in quas conſules aut prætores poſt magiſtratum accepto imperio mitterentur, (quemadmodum ex oratione de proconſulibus intelligi poteſt) iidemque pariter proconſules, & prætores dicerentur. Factum eſt autem, vt aut proxime poſtquam magiſtratu abiiſſent, aut aliquot annis interpoſitis, in prouincias irent. Si autem ſubito ibant, vt P. Lentulus in Ciliciam, tum ordinario imperio vtebantur, ſi ſpatio annorum interpoſito, vt in eandem Cicero, extraordinario. Itaque ipſe de ſemetipſo ait ad Attic. libro 9. *Faciam vt ſumma modeſtia, & ſumma abſtinentia munus extraordinarium traducamus.* Idem de proprætoribus etiam iudicandum eſt. Quod Cœlius ad Ciceronem docet, his verbis: *Senatui placere in Ciliciam prouinciam, inque reliquas octo prouincias, quas prætorij pro prætore obtinuerunt, eos qui prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex s. c. cum imperio in prouincias mitti oporteret, eos ſortito in prouincias mitti oportere.* Ne autem mendum eſſe librorum quis putet, animaduertere oportet, *prætorem* ſæpe pro *proprætore* poni, vt C. Verres Siciliæ prætor, id eſt, cum prætorio imperio, poſtquam prætor vrbanus fuerat. Item, *prætorem* pro *proconſule*, vt C. Cæſar Galliæ prætor, P. Rupillius Siciliæ, in quas prouincias ex conſulatu miſſi ſunt. Item, *conſulem* pro *proconſule.* vt cum ait Liuius: *P. Scipionem conſulem in Africa bellum geſſiſſe*, & alia eiuſmodi, cum tamen Scipio in Africam poſt conſulatum venerit prorogato conſulari imperio. Hæc etſi magna exemplorum confirmare copia poteram, ſuperſedendum iis mihi tamen eſſe duxi, vt deiis ſuo cuiuſque loco agerem, & dubitanti Glareano reſponderem, vt cum paulo poſt ait: *Conſules cum exercitu in Hiſpaniam miſſus*, P. & Cn. Scipiones intelligens, quorum neuter conſul in Hiſpaniam profectus eſt, ſed tamen cum conſulari imperio.

Eod. *L. Æmilius Pappus.*] *L. Æmilius Papus* ex Capitolinis tabulis.

Digitized by Google

Cap. xxxix. *Cum in Italia tam atrox bellum, & Annibalem hoſtem haberetis, conſules cum exercitu in Hiſpaniam, velut ad colligendas reliquias naufragij noſtri miſiſtis.*] Quoniam capto Sagunto nemo conſul in Hiſpaniam miſſus eſt. Qui autem miſſi ſunt pro conſulibus miſſi ſunt: propterea videndum eſt, an *conſules* accipiat pro iis, qui cum conſulari imperio ſint.

Eod. *Ex captiuorum numero exceptos Saguntinos.*] Vet. libr. *Excretos.*

Eod. *Terrarum vltimus finis Oceanus.*] Vet. lib. *Vltima finis*, vt Virgilius: *Hæc finis Priami.*

Eod. *Si nos permitteretis.*] Vet. lib. *Si vos permitteretis.*

Cap. xl. *Duarum rerum ſubeundam opinationem eſſe.*] Vet. li. *Opinionem.*

Eod. *Inſita ingenio meo cunctationis.*] Vnde Ennius: *Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.* Inde ipſe *Cunctatoris* cognomen tulit.

Eod. *Dictatura cum quinque conſulatibus.*] Alteram dictaturam forte omittit, quod ea ſe abdicatat vitio creatus.

Cap. xli. *Cum vero Annibal hoſtis incolumi exercitu quartum decimum annum Italiam obſideat.*] Vet. lib. *poſſideat*. præclare. ſequitur enim: *Tu conſul Italia expuleris.*

Eod. *Auctore æque impigro ac nobili iuuene.*] Alcibiadem intelligit.

Cap. xlii. *Dux militari ſuffragio ad tempus electus.*] Vet. libr. *Ad tempus lectus*, vt alibi, *Lectus a plebe conſul.*

Eod. *Oſtende Romana arma.*] Vet. lib. *Oſtende illis Rom. arma.*

Eod. *Aduerſa caſibus, incertis belli, & fortunæ legare.*] Vet. lib. *allegare.*

Eod. *Pluresque conſilium ſenis, quam animum adoleſcentiæ ferocem laudarent.*] Vet. lib. *animum adoleſcentis ferocem.*

Cap. xliii. *Cuius rei non tam ipſe auſim tantum virum in ſimulare quam ea ſuſpicio vitio orationis, an rei, haud ſane purgata eſt.*] Vitium orationis huius ſenſit Glareanus, non correxit tamen. Emendatur autem ex vet. lib. in quibus eſt, *quam quod ea ſuſpicio.* † Glareano gratia debetur, qui occaſionem dedit inſpiciendi librum. Lector reliquum codici debet, non Sigonio.

Eod. *Sic ſenem ſe perfunctum.*] Reſtituenda vox eſt ex veterum librorum fide, *Se perfunctum honoribus.* Nam dixit Fabius. *Si me neque vita acta, & mores mei, neque dictatura cum quinque conſulatibus, tantumque gloriæ belli, domique parta vindicat.*

Eod. *Xantippum.*] Quo duce Regulus primo Punico bello captus eſt.

Cap. xliv. *Accidere animo certum habeo.*] Vet. lib. *Certum animo habeo.*

Cap. xlv. *Cum reſpondiſſet Scipio, ſe quod è rep. eſſet facturum.*] Vet. lib. *ſe quod è rep. credidiſſet, facturum.*

Eod. *Alteri Brutij, & bellum cum Annibale cum eo exercitu, quem L. Veturius, & Q. Cæcilius ſortirentur inter ſe, compararentve, vter in Bruttiis duab. legionibus, quas conſul reliquiſſet, rem gereret, imperiumque in annum ei prorogaretur: cui ea prouincia euenißet.*] Hoc loco laborat Glareanus, & iure. nam non mendoſus eſt ſolum, ſed etiam mancus. Quis enim ſenſus colligi ex illis verbis poteſt: *cum eo exercitu, quem L. Veturius, & Q. Cæcilius ſortirentur inter ſe,* &c. Demus igitur operam, vt quo ad poſſimus, germanam ſententiam, & ſynceram lectionem reſtituamus. Veteres libri ita habent, *cum eo exercitu, quem L. Veturius, aut Q. Cæcilius habuit,* optime hæc quidem, verum ad ſanandum locum non ſatis. Repete igitur duo illa nomina quæ librario parum diligenti cauſam dederunt errandi, ſic: *& vt L. Veturius. & Q. Cæcilius ſortirentur.* Iam nihil perfectius fingi poteſt. Senſus eſt: Conſulibus decretæ prouinciæ Scipioni Sicilia cum nauibus roſtratis, Craſſo Bruttij cum exercitu aut Veturij, aut Cæcilij. decretumque eſt, vt Veturius & Cæcilius ſortirentur, aut inter ſe compararent, vter cum Craſſo in Bruttiis bellum gereret cum legionibus duabus, quas Craſſus conſul reliquiſſet. Itaq; paulo poſt ait: *Q. Cæcilio ſorte euenit, vt cum conſule in Bruttiis aduerſus Annibalē bellū gereret.* Et Poſt: *P. Licinius in Bruttios ad duos exercitus cōſulares venit, ex eis eū ſibi ſūpſit, quē L. Veturius cōſul habuerat, Metello, vt quib. præfuiſſet legionibus præeſſet. facilius cum aſſuetis imperio rem geſturū ratus, permiſit.*

Eod. *Sortirentur inter ſe, compararentve.*] Emenda ex vet. lib. *Sortirentur, inter ſeve compararent,* cum poſſim ſexcentis Liuij locis hoc dicendi genus confirmare, paucis, tamen ero contentus. lib. 30. *Decreuerunt patres, vt conſules inter ſe compararent, ſortirenturve.* Et lib. 29. *Vt compararent inter ſe, aut ſorte legerent, qui duo cum prætore ac legatis irent.* Et libr. 32. *Decreuerunt patres, vt prouincias Macedoniam, atque Italiam conſules compararent inter ſe, ſortirenturve.* Et lib. 37. *Cum ſenatus aut ſortiri, aut comparare inter ſe prouincias cōſules iuſſiſſet,* ſic vbique. Quare apud Ciceronem ad Lentulum ita proculdubio legendum eſt: *Appius in ſermonibus antea dictabat, poſtea dixit etiam in ſenatu palam ſeſe, ſi licitum eſſet, legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega prouinciam, ſi curiata lex non eſſet, comparaturum cum collega, ſibique ſucceſſurum.* Vulgo enim legitur: *ſeparaturum cum collega.* Senatus enim prouincias decernebat, conſules eas aut ſortiebantur, aut inter ſe comparabāt. Raro iudicio ſenatus res permiſſa eſt: vt tradit Liuius lib. 37. primo.

Eod. *Et ceteris prætoribus conſulibusque qui exercitibus prouinciiſque præfuturi erant, prorogata imperia.*] Et hic æque, atque ſuperior deprauatus locus eſt. Non ſolum autem quia in vetere lib. ita eſt, ſed etiam quia ita ſententia fert, hoc modo legēdum eſt, *Et ceteris præter conſules prætoreſque qui exercitib. prouinciiſque præfuturi erant, prorogata imperia ſunt.* Senſus eſt: paulo ante locutus eſt de prouinciis, exercitibus tam prætoribus, quam conſulib. huius anni decretis, nunc ait: præter conſules & prætores eos, qui prouinciis præfuturi erant, ceteris quoque prorogata imperia. Dedit autem cauſam labendi librario vox, *præter*, quam in *prætorib.* temere commutauit.

Eod. *M. Pomponius Matho. Q. Catulus.*] Vet. libri, *Q. Catius*, quod probo. Nam ſupra: *Q. Catij* magna mentio, *Q. Catuli* nulla.

Eod. *Et quia impenſa negauerat Reip. futuram claſſem, vt qua ſociis darentur ad nouas fabricandas naues acciperet. Etruriæ primū populi,* &c.] In vet. libr. eſt: *Niſi qua à ſociis* ex quo intelligo legendum eſſe, *ſi qua à ſociis.* & cum ait: *Et quia impenſæ*, nouæ ſententiæ principium eſt faciendum cui altera pars iungitur, *Etruriæ primum populi.*

Eod. *Tritici centum & xx. millia modium & viaticum.*] Inducenda eſt vox, *&*, ex meis & ex Rhenani libris.

Cap. xlvii. *Ab C. Octauio.*] Vet. lib. *ab Cn. Octauio*: itemque ita ſupra vbique.

Eod. *Cælius.*] *Cœlius* ſcribendum ex nummis argenteis & Græcis libris.

IN EPITOMEN LIB. XXIX.

C*Onquerentis, quod non exercitum in Africam traieciſſet.*] Vet. lib. *Quod nondum exercitum.*

Qui in Galliam & Liguriam ierat.] Vet. lib. *Qui in Gallia & Liguribus erat.*

Peſinunte.] *Peſſinunte*, ex Græcis.

Maſaniſſa rex Maſæſulorum.] Vet. lib. *Maſſyliorum*, vt ſupra dixi. nam *Maſæſulorum rex* erat Syphax.

Dum pro Carthagine in Hiſpania militat.] Vet. lib. *Dum pro Carthaginenſibus.*

Cenſa ſunt ciuium capita ccxv. millia.] Veter. libr. *cclxv. millia.*

Minime bona fide.] *Non bona fide.*

IN LIBRVM XXIX.

E*X iis trecentes iuuenes.*] *Ex iis*, accipiendum eſt pro, *præter eos*, quos centuriatos habebat, trecentos iuuenes non centuriatos habebat: ſic lib. 6. *Alia ex eis edita etiam in vulgus: Ex eis*, id eſt, *præter regias leges*, & æneas tabulas. Vtroque in loco laborat Glareanus ſine cauſa.

Eod. *Eoque enixius bellum adiuuerunt.*] Vet. lib. *Ad bellum.*

Cap. ii. *Itaque omiſſa pugna equeſtri ad pedeſtrem Hiſpani equites deſcenderant.*] Vet. lib. *Ad pedes Hiſpani deſcenderunt.* Videtur autem vocare vox, *Equites.* nam priore verſu poſita eſt, & poſteriore repetita. *Equitibus ad pedes digreſſis.*

Digitized by Google

Eod. *Ni regulus ipſe Indibilis ipſe cum equitibus.*] Vet.lib. *Ni regulus Indibilis ipſe cum equitibus.* Item quod ait: *Equitibus ad pedes degreſſit*: *degreſſis*, legendum, vt alibi.

Eod. *Pulſi caſtris Hiſpani, aut qui ex prœlio effugerant ſparſi primo per vrbes, deinde in ſuas quiſque ciuitates redierunt.*] Vet.lib. *At qui ex prœlio.* Item: *Sparſi primo per agros.*

Cap.III. *Conqueſtique ibi clades ſuas.*] Vet.lib. *conteſtatique ibi clades ſuas.*

Cap.V. *Siſe Mago ex Liguribus propius vrbem moueat.*] Vet. lib. *Si Mago e.L.p.v. moueat.* Eſt autem genus dicendi ſimile ei, *Is quam proxime poteſt ad vrbem ducit.* abſolute enim vtrumque dicitur.

Cap.VI. *Quod latrocinis magis, quam iuſto bello in Bruttiis gerebantur res.*] Vet.lib. *Quod latrocinij magis more, quam iuſto bello in Bruttiis gerebatur res.* Placet. Subdit enim, *Promptis in eum morem.* Et libro 38. ait: *Latrocinij magis, quam prœlij modo.*

Eod. *Rhegyum.*] *Rhegium* ex vet.lib. Et Græcis Ῥήγιον.

Eod. *Scalas ad dictam altitudinem arcis fabricatas.*] Vet.libr. *Ad edictam.*

Eod. *Clamor abiis, qui extra arcem erant ſublatus, incertum vnde accidiſſet.*] Vet.lib. *Incertus vnde accidiſſet.*

Cap.VII. *Scipioni vt nunciatum eſt in maiore diſcrimine Locris rem verti, &c. & ipſe à Meſſana.*] Vet.lib. *Scipio vt nunciatum eſt.* Placet autem magis, ſi à recto incipiat periodus, quam ſi ab obliquo caſu.

Eod. *Naues mari ſecundo miſit.*] Merito nos de hoc dicendi genere Glareanus admonet, vt nouo. nam deprauate legitur, *miſit*, pro *tranſmiſit*, aut *commiſit*, Vtraque enim lectio in veteribus libris repetitur.

Cap.VIII. *Quam aſportauerant.*] Vet.lib. *aſportabant.*

Cap.X. *Cum à P. Liciniolitera Romam allata ſunt.*] Lege *à P. Licinio conſule*, ex veteribus lib.

Eod. *Itaque quo maturius fauſtis omnibus oraculiſque portanda Romam dea eſſet, nullas dum in Aſia ciuitates habebat populus Romanus.*] Rhenanus, qui vetere exploſa lectione hanc nouam intulit. non mihi ſatis fecit, conſiliique ſui cauſam probauit: neque enim vni libro magis eſt habenda fides, quam plurimis, iiſque inter ſe egregie conſentientib. in quibus: ita eſt: *Itaque quo maturius fatis omnibus, oraculiſq; portendentis ſe victoriæ compotes fierent, cogitare, qua ratio tranſportanda Romam dea eſſet. Nullus dum in Aſia.*

Cap.XI. *Æſculapium quoque ex Græcia quondam.*] Lib.10. & epitoma 11.

Eod. *M. Cæcilium Metellum prætorium, Sulpicium Galbam ædilitium.*] Lege ex vet.lib. *Ser. Sulpicium Galbam ædilitium.*

Eod. *M. Valerium Falconem.*] *Faltonem*, Ex lapidibus Capitolinis.

Eod. *Peſinuntem.*] *Peſſinuntem*, ex vet.libr.& Græcis.

Eod. *T. Claudius Nero*] *Ti. Claudius*, ex Capitolino cõſulatu.

Eod. *T. Claudius Aſellus.*] *Ti. Claudius*, vt ſupra dixi.

Eod. *M. Iunius Penus.*] *Pennus*, ex Capitol. conſul.

Cap.XII. *Mille equitibus, triginta quinque roſtratis nauibus.*] Vet.lib. *Et triginta quinque.*

Eod. *Lectorio legato.*] *Lætorio*, Græci & Capitolini ſcriptores.

Eod. *Phœnice vrbe eſt Epiri.*] Polybius lib. 2. πάνυ γὰρ ἡ Φοινίκη ... τῶν Ἠπειρωτῶν.

Eod. *Cum Eropo & Darda.*] Vet.lib. habent *Derda.*

Eod. *Vt Parthini & Dimallum.*] Glareanus negat ſe vſquam legiſſe hanc vocem *Dimallum.* Id autem oppidum eſt in Illyrio teſte Polyb.lib.3. Δημήτριος εἰς τὴν Δίμαλον ...

Eod. *Atintanas miſſit Romam legatis ab ſenatu impetraſſe, vt Macedoni accederent.*] Hunc locum olim quidam aſteriſco notarunt, quod verba deeſſe aliquot putarent. Itaque Glareanus videndum monet, quid ſibi velit vox, *Atintanas.* Huic ego quæſtioni reſpondeo, Atintanas Macedoniæ populos eſſe illos quidem, præſertim auctore Stephano: Ἀτιντανία μοῖρα Μακεδονίας, οἱ οἰκήτορες καὶ Ἀτιντᾶνες, καὶ Ἀτιντάνιοι. putare tamen hanc vocem adulterinam eſſe. neque huic loco conuenire. Nam ſi ita legatur, non expleta omni ex parte ſententia videtur. *P. Sempronius conditiones pacis dixit, vt Parthini, & Dimallum & Bargulum, & Eugenium Romanorum eſſent. Atintanas miſſis Romam legatis ab ſenatu impetraſſe; vt Macedoni accederent.* At vero ſi legas, vt eſt in veteribus libris, ſenſum elicies optimum & perfectiſſimum? *P. Sempronius conditiones pacis dixit, vt Parthini, & Dimallum & Bargulum, & Eugenium Romanorum eſſent. addito quod miſſis Romam legatis ab ſenatu impetraſſent, at Macedoni accederent.* Dixit autem, *Addito quod*, pro eo, quod quidam dicunt, *Dato quod*, & pro, *Quamuis.*

Cap.XIII. *Occultantibus id credo patribus, ne proſciſcerent Carthaginienſes.*] *Ne praſcirent.*

Eod. *Ea plura vulgabantur.*] Vet.lib. *Eo plura.*

Eod. *Sicut proditum memoria à primis temporum illorum ſcriptoribus.*] Vet.lib. *à proximis temporum.*

Eod. *Obuiam ire dea iuſſus, iſque eam de naue acciperet, & in terram elatam traderet ferendam matronis.*] Vet.lib. *Accipere, & tradere* habent, vt, *ire.*

Eod. *Claudia Quinta.*] *Claudia Quintia* legendum eſt ex oratione Ciceronis de aruſpicum reſponſis. eſt autem *Quinta* prænomen, vt in lapide perantiquo eſt apud Horatium Maleguttium in agro Regienſi.

SEPTIMIVS
C. L. NICEPOR.
SEPTIMIA
SP. F. QVINTA.

Eod. *Magaleſia appellata.*] Cicero de Aruſp. *Megalenſium ludorum tanta religio eſt, vt ex vltimis terris accerſita in hac vrbe conſederit. Qui vni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, vt vocabulo ipſo, & appetita religio externa, & matris Magnæ nomine ſuſcepta declaretur.*

Cap.XV. *Nepete.*] *Nepet*, vt ſupra.

Cap.XVI. *Altera itidem res.*] Vet.lib. *Item.*

Eod. *Se, ac M. Claudio conſule.*] Vet.lib. *Conſulibus.*

Cap.XVII. *Peſtis, ac bellua immanis, quale fretum quondam.*] Scyllam, de qua eſt in fabulis, intelligit.

Cap.XVIII. *Quibus per vos fidemque veſtram, &c. neque in Italia, neque in Africa quicquam geſſertis.*] Monet, ne militibus ſacrilegis vtantur in bello, Priuſquam ſcelere expiati ſint. Nihil autem vitij hic locus cõtinet, contra quam quidam exiſtimant.

Eod. *Dein verberatos ſeruilibuſque omnibus ſuppliciis cruciando occidit.*] Vet.lib. *cruciatos*, vt pro lege Manilia: *Vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necauit.*

Eod. *Qualis Sucrone.*] Lib. XXVIII.

Cap.XX. *Annibalem ex Italia retracturum.*] *Detracturum*, reſtitue, quod immutauit Rhenan. Ita vero loquitur paulo poſt. *Quod ad Annibalem detrahendum ex Italia ſe tranſire vulgauerat.* Et Cicero de prouinciis: *At hi non modo illum inimicum ex Gallia ſententiis ſuis non detrahebant.*

Eod. *Vt in exercitu Scipio maneret.*] Vet.lib. *Ad exercitum.* genus vſitatum dicendi eſt, cum de imperatore loquimur, illud, cum de militibus.

Eod. *M. Cincius Alimentius.*] *Alimentus*, vt ſupra.

Eod. *Comprehendere tribuni iuberent.*] Vet.li. *Prehendere.* Quæ vox propria huius facti & ſolennis eſt. Capitonis verba hæc ſunt: *Cum moribus maiorum tribuni plebis prehenſionem haberent. vocationem non haberent, poſſe igitur eos venire, & prehendi ſe iubere.* Item Varro: *Prehenſionem tribuni plebis habent*, hæc ex Gellij lib.13. cap.12.

Cap.XXI. *Alij ab ipſo Scipione legatum cum triginta nobiliſſimis equitum miſſum, qui Q. Pleminium in catenas, & cum eo ſeditionis principes conijceret.*] Vet.lib. *miſſum, Q. Pleminium in catenas, & cum eo ſeditionis principes coniectos.*

Eod. *Primam ſiculi mandatum erat, religionis curam habuere.*] Vet.lib. *primum*, probo ſequitur enim: *Tum Vocatos in concionem.*

Eod. *Rhegyum ſequeretur.*] Vet. lib. *Rhegium ſe ſequeretur*, vt lib.42. *Chalcidem ſe ſequi iuſſerunt.*

Eod. *Tot, tam nefanda.*] Vet.lib. *Tot, tamque nefanda.*

Eod. *Comperta oculis perferrent. Romam.*] Vet.lib. *referrent.*

Cap.XXIII. *Speculis per promontoria omnia poſitis.*] Vet.lib. *Per omnia promontoria.*

Eod. *Et ſunt ante omnes barbaros Numidæ effuſi in venerẽ.*] Vet. lib. *Vt ſunt.* ſic li.30. *vt eſt genus Numidarum in venerem præcept.*

Cap.XXIV. *Ipſum ad Lælium veniſſe.*] Vet.lib. *ad C. Lælium.*

Cap.XXV. *Alibi XV. millia peditum, mille & quingentos equites.*] Vet.lib. habent XVI. *millia*, quod probo: quia Appianus in Libyco hunc numerum edit: πεζὸν μὲν ἑξακισχιλίους ... ἱππέας δὲ χιλίους καὶ ἑξακοσίους. Itaque auctore eodem Appiano

malim legere apud Liuium *ſexcentos*, quam *quingentos*.

Eod. *Nauibus ante conſcendere coactos continuit.*] Vetus lectio melior: *in naues ante conſcendere.*

Eod. *Queſtor tum is erat.*] Vet.lib. *Quæſtor is tum erat.*

Cap.xxvi. *Præter xl. longas naues, quadringentis ferme onerariis exercitum transuexit.*] Vet.lib. *Præter l. longas naues.* probo. nam Appianus ita: καὶ ἐς Λιβύην ἐπέρα σὺν ναυσὶ μακραῖς ν΄ καὶ φορτίσι τετρακοσίαις. Et ipſe lib.30. *Scipio l. longas naues haberet, quas habuiſſet.*

Cap.xxvii. *Dij, deæque inquit.*] Vet.lib. *Diui, diuæque*, quod placet, quia olet magis antiquitatem, cui in hac precatione ſtuduit Liuius. Quamquam Virgilius lib.5. ait: *Dij quib. imperium eſt pelagi*, in eiuſmodi precatione, metri cauſa.

Eod. *Bene vertant, eaque vos omnia bene iuuetis.*] Quo pertineat tertia hæc perſona *vertant*, cum ad ſecondam oratio conuerſa ſit, *vos precor*, intelligi non poteſt. Hinc fit, vt placeat priſca lectio *bene vertendo*, & vt, pro *eaque*, putem reponendum eſſe, *eque*. hoc ſenſu: Vos precor, quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi, populo, plebique Romanæ, ſociis nominique Latino, qui populi Romani, quique meam ſectam, imperium, auſpiciumque, terra, mari, amnibuſque ſequuntur, bene vertendo, æque omnia bene iuuetis. Neque impedit, quod Rhenan. in quodam libro ait ſe legiſſe, *bene verruncent.*

Eod. *Quæque populus Carthaginienſis in ciuitatem noſtram facere molitus eſt, ea vt mihi, populoque Romano in ciuitatem Carthaginienſium exempla edendi facultatem detis.*] Vetus lectio breuior. *Ea vt mihi, populoque Romano in ciuitatem Carthaginenſium detis.* ſubauditur autem *facere*, ex priore membro orationis. Cuius lectionis venuſtatem qui non intellexerunt, de ſuo hæc verba addiderunt: *Exempla edendi facultatem.* Quas voces puto temere ab aliquo inſectas, tum quia ab iis, quos legi, libris abſunt, tum quia neceſſariæ non ſunt. Scio tamen Liuium lib.38. vti hac forma dicendi: *Omnia exempla belli edita in ſe cadibus, incendiis minis direptione vrbis.*

Eod. *Victores ſpoliis decoratus, præda onuſtos, triumphanteſque.*] Vet.lib. quos legi, æque atque ij, quos ſe legiſſe Rhenanus profitetur, vacant his vocibus, *præda onuſtos*, vt legatur: *Spoliis decoratos, triumphanteſque.* Quod ſequitur, *Domos reduces ſiſtatis.* Malim & ipſe cum Rhenano, *domo.*

Eod. *Cruda exta cæſa victima, vt mos eſt, in mare proiecit.*] Sacrificale verbum antiquum temere amouit Rhenanus. Quod feciſſe etiam quoſdam olim apud Virgilium tradit Macrobius libr.5. vbi ait: *Extaque ſalſos Porriciam in fluctus*, non *proyciam*, Si hoc loco *porricet*, non *proiecit.*

Eod. *Celeriter conſpectu terra ablati ſunt.*] Vet.lib. *E conſpectu*, vt Verg. *Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum Vela dabant.*

Eod. *Ita vt vix concurſus nauium inter ſe vitarent.*] Vet.lib. *occurſus.*

Eod. *Et ventus premente nebulacecidit.*] Immo lege, *Et vento premente nebula cecidit.* non enim ventus cecidit, ſed nebula premente vento. Nam ſubdit: *Ventus idem coortus nebula diſiecta aperuit omnia.*

Eod. *Cum Pulcri promontorium id vocari audiſſet.*] Polybius huius promōtorij meminit libro 3. in fœderibus Romanorum & Pœnorum, & τὸ Καλοῦ ἀκρωτήριον vocat.

Cap.xxviii. *Quibus excenſiones in agros maritimos factæ erant.*] Vet.lib. *Excurſiones.* quod probo.

Eod. *Vrbem etiam proximam Afrorum ſatis opulentam cepit.*] Hanc vrbem Appianus in Libyco vocat Λόχαν.

Cap.xxix. *Latiſſimus tamen Romanis.*] Vet.lib. *Latiſſimus tum Romanis.*

Pater eius moritur.] Vet.lib. *Pater ei moritur.*

Mezetullus.] *Mezetulus.* ſic enim vet.lib. & Apian. Μεζέτουλον vocat.

Non alienus ſanguine regibus, familiæ ſemper inimica.] Vet.lib. *Non alienus à ſanguine, Regibus familiæ ſemper inimicæ.*

Eod. *Gens Maſæſyliorum omnis.*] *Maſſyliorum* lege. Nam loquitur de populis, qui Maſſaniſæ poſt paruerunt. Maſæſuli enim Syphaci obediebāt. Qui autem ante me hos libros emendarunt, quod quid inter has gentes intereſſet, neſcirent, omnia perturbarunt, & vbique Maſæſulos ſcripſerunt, vt ſupra ex veteribus etiam libris admonui.

Cap.xxx. *Ad Tapſum.*] *Thapſum.* nam Græce Θάψος.

Eod. *In Carthaginenſium agrum perfugit.*] Vet.lib. *Refugit.*

Cap.xxxi. *Vtrum penes Lacumacem, an Maſſaniſam regnum Maſæſylorum eſſet.*] *Maſſyliorum*, ex vet.lib. Porro autem familiæ Maſſaniſæ ſtemma, cuius, hic Liuius, in Iugurtha Saluſtius meminit, huc eſt.

Gala rex Maſſyliorum.
- Galæ filia.
  - Maſſiua, cuius Gala maternus auus fuit
- Maſſaniſa rex poſt Lacumacen à ſe victum acie cum Mezetulo tutore.
  - Maſgaba de quo lib.45.
  - Miſcipſa rex poſt Maſſaniſam,
    - Adherbal rex poſt Micipſam.
    - Hiempſal.
  - Miſagenes de quo lib.43.
  - Geluſſa.
    - Maſſiua.
  - Manaſtabal
    - Iugurtha ex Gauda concubina poſt Adherbalem rex victus à Romanis.
  - Stemba quatuor ann. relictus à patre Suid.

Deſalces rex poſt Galam fratrem.
- Capuſa rex poſt Deſalcem patrem.
- Lacumaces rex poſt mortē Capuſæ fratris, auctore Mezetulo tutore.

Eod. *Vt exercitum ad fines Maſæſylorum admoueat.*] Cur Syphax exercitum admoueat finibus Maſæſulorum, qui in ſuo imperio erant? *Maſſyliorum*, ergo lege: & ita vbique, Sunt enim eodem errore plurimi deprauati loci.

Eod. *Infenſumque & ipſum ad reliquias belli perſequendas inſtigabant.*] Vet.lib. *Intentumque & ipſum.*

Cap. xxxii. *Maſæſylorumque fines, id Syphacis regnum erat.*] Recte legitur hic *Maſæſulorum*, non *Maſſyliorum.*

Cap.xxxiii. *Syphax tum interdium.*] Vet.lib. *Syphax autem interdiu.*

Eod. *Itaque ceteri pedites equiteſq; cæſi.*] Vet.lib. *Cæſi, aut capti.*

Cap.xxxiv. *Saleram nomine vrbem occupauit.*] Hanc vrbem captam à Syphace tradit Appianus, non ab Annone, vbi de Syphace loquens ait: πόλιν δ' ἐν μεσογείῳ Σαλεῦντα Ῥωμαίων στρατοπέδῳ, καὶ ὅτεν πολὺς ὁ χειμὼν ἐν στρατιώταις εἶχε.

Eod. *Eoque minus ſibi ceſſandum ratus.*] Vet.lib. *Eo minus igitur ceſſandum ratus.*

Eod. *Se in tempore pugna venturum.*] Vet.lib. *Obuenturum.*

Eod. *Cum timore ſimulato audaciam hoſti faceret.*] Veter. lib. *Cum timoris ſimulatio.*

Eod. *Fugientes per triginta millia paſſuū.*] Vet.li. *per tria millia.*

Cap.xxxv. *Duos eodem nomine Carthaginenſium duces duobus equeſtribus præliis interfectos, non omnes auctores ſunt.*] Hinc factum eſt, vt Appianus alterum horum Annonem, alterum Magonem vocet.

Eod. *Captum Annonem tradunt.*] Vet.libr. *Captum etiam Annonem.*

Cap.xxxvi. *M. Cornelius* Coſs. *altera parte Italia.*] Vet.li. *In altera parte.*

Cap.xxxvii. *Cenſum receperunt.*] Vet.lib. *Acceperunt*, Sic lib.43. *in cenſu accipiendo populi.*

Eod. *Paruum certamen notarum inter cenſores*] Malim, *prauum certamen.*

Eod. *Petilia.*] *Petelia*, vt ſupra.

Cap.xxxviii. *Conſules Cn.Seruilium Cepionem, & Cn. Seruilium Geminum.*] Veteres plerique libri, itemque Capitolinæ tabulæ edunt, *Cn. Seruilium Capionem, & C.Seruilium*, ſine cognomine, *Gemini*, quod placet. Nam Seruilij Gemini patricij fuerunt. Hic autem auctore Liuio ædilis, & tribunus plebis fuit, & cognomine caruit: præterea plebei conſulis locum obtinet, ſiquidem cum Cæpione patricio comparatus eſt.

Eod. *Creati P. Cornelius Lentulus.*] Hic prætor fit hoc anno, biennio autem poſt conſul, quo in magiſtratu Cneus vocatur. Quare & hic etiam *Cn.Cornelius* ſcribendum.

Eod. *T.Veturius Philo.*] In quodam vetere lib. eſt *Ti.Veturius*, quod placet. Nam quendam Capitolinum conſulem inuenio ita deſcribi *M.Veturius Ti.F.* ex quo intelligi poteſt, Tiberium Veturiæ gentis prænomen fuiſſe.

IN EPITOMEN LIB. XXX.

SYPHACEM *per C.Lelium cepit.*] Vet.lib. *per C.Lelium, & Maſſaniſam cepit*, atque ita Liuius.

Venenum ei tranſmiſit, quo quidem hauſto.] Vet.lib. *Venenum ei miſit, quo hauſto.*

Mago bello, quo in agro Inſubrium cum Romanis conflixerat.] Vet.lib. *Mago, qui bello in agro.*

Ex vulnere mortuus eſt.] Vet.lib.pleniores *Ex vulnere mortuus eſt. Maſſaniſſa regnum reſtitutum eſt.*

IN LIBRVM XXX.

CAP.I. *Cn.Seruilius Cepio, et Cn.Seruilius Geminus conſules.*] Ob eas cauſas, quas dixi lego, *Cn.Seruilius Cepio, & C.Seruilius conſules.*

Eod. *Exercitum à P.Sempronio acciperet.*] Vet.lib. *A P.Sempronio conſule.*

Eod. *Seruilio Gemino Etruria.*] Vet.lib. *Seruilio Etruria*, recte, vt dixi.

Eod. *Sardiniam P.Lentulus.*] *Cn.Lentulus*, vt dixi.

Cap.ii. *Conſulibus imperatum, vt priuſquam.*] *Vt*, abeſt à veteribus libris, venuſte.

Eod. *Et nouas religiones excitabant in animis hominum prodigia.*] Vet.lib. *Et nouas excitabant in animis hominum curas prodigia.*

Cap.iii. *Si forte iam ſatietas amoris in vxore ex multa copia cum cepiſſet.*] Vet.lib. *In vxorem.* Polyb.lib.14. οὐ γὰρ ἀπηρκώκει ἤδη τὰς παιδείας αὐτῶν ἤδη χάριν ἔχειν.

Cap.v. *Septem millia itineris erant.*] Vertit à Polybio, vnde hic totus locus ſumptus eſt: περὶ γὰρ ἑξήκοντα σταδίους ἀπεῖχον οἱ πολέμιοι. Quod ait: *Ad primam ferme vigiliam* Polyb. ἀφ᾽ ἧς ἀλλαγούσης τῆς πρώτης φυλακῆς. Quod autem inquit: *Media nocte*: Polybius, περὶ τὴν τρίτην φυλακὴν λήγουσαν.

Eod. *Vt quantum nox prouidentia adimat, tantum diligentia expleant, curaque.*] Ex Polybio ad verbum: σαφῶς εἰδότες ὅτι καθ᾽ ὅσον ἐμποδίζει ἡ νὺξ τὰ τῆς ὁράσεως τὸ σαφές, κατὰ τοσοῦτον δεῖ συναναπληροῦν τῇ διανοίᾳ καὶ τῇ τόλμῃ τὰς νυκτερινὰς ἐπιβολάς.

Cap.vi. *Multi in precipiti fuga ruentes ſuper alios alij.*] Vet.lib. *Multi precipiti fuga ruentes.*

Eod. *Ignibus in proxima tecta coniectis.*] Tecta Aſdrubalis intelligendum, quæ ſibi incendenda Scipio ſumpſerat: non ante tamen, quam ignem in caſtris Syphacis conſpexiſſet. Hoc iiſdem prope verbis Polyb. ὁ δὲ Σκιπίων ἐπιστὰς τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς, ὡς μὲν εἶδε τοὺς κατὰ τὸ πῦρ ἐμβάλλει ταῖς σκηναῖς. τοῦ γινομένου, παραχρῆμα συνέβαινε πάσχειν τινὰ φοβερὸν τοῖς περὶ τοὺς ἀρτὶ Νομάδας.

Eod. *Binaque caſtra clade vna deleta.*] Vet.lib. *Die vna deleta*: quod probo, quia Appianus ita: Ῥωμαῖοι διὰ τόλμης μιᾶς ἐν ὀλίγῳ μέρει νυκτὸς δύο στρατοπέδων ἐκράτησαν ὁμοῦ.

Cap.vii. *Aſdrubal ex fuga cum paucis Afrorum vrbem proximam petierat.*] Polybius item nomẽ vrbis non apponit, quod eſt tamen apud Appianum: Ἀσδρούβας δὲ ὁ στρατηγὸς καρχηδονίων ἐν μὲν τῇ νυκτομαχίᾳ μεθ᾽ ἱππέων πεντακοσίων τετρωμένος εἰς Ἄνδαν κατέφυγε.

Eod. *Due ſubinde vrbes captæ, direptæque.*] Item Polyb. δύο δὲ τὰς παρακειμένας πόλεις ἀξίας τοῖς στρατιώταις διαρπάζειν.

Eod. *Vt omiſſa Vtica Carthaginem crederent extemplo Scipionem oppreſſurum.*] Vet. lib. *Obſeſſurum*: belle autem reſpondet. Nam Vtica obſidebatur. Item quod paulo poſt in maiore vrbis periculo ait: *Carthaginem repente aggreſſurum credebant.*

Eod. *Suffetes, quod velut conſulare imperium apud eos erat.*] *Sufetes* legitur in veter. libris, & apud Feſtum, qui ita ſcribit: *Sufes conſul lingua Pœnorum.* Claudios: *Senatus cenſuit referentibus Sufetis.*

Eod. *Quatuor millia Celtiberorum circa vrbem nomine Olbam ab conquiſitoribus ſuis conducta in Hiſpania egregia iuuentutis ſibi occurriſſe.*] Olbam quærit fruſtra in Africa Glareanus. † Glareanus ait neminem Olbam ponere in Africa. Hic ait, Glareanum Olbam quærere in Africa, quę an eadem ſint prudens lector æſtimet, Polybius enim Abbam edit, ita ſcribens: τῶν δὲ Κελτιβήρων αὐτοῖς ἀπαντησάντων περὶ τὴν Ἄββαν, οἵτινες ἤγγισαν ὑπὸ τῶν Καρχηδονίων ἐξενολογημένοι πλείους τῶν τετρακισχιλίων. vt autem Aſdrubal Andam, ſic Syphax Abbam poſt nocturam cladem ſe contulerant, Appiano & Polybio auctoribus. Circa autem Abbam occurrerunt, non circa eam conducta ſunt, vt interpretatur Glareanus. †

Cap.viii. *Primo in tumulo quatuor ferme millia diſtante ab caſtris regiis conſedit poſtero die cum equitatu in Magnos, ita vocant campos ſubiectos ei tumulo degreſſus, &c.*] & ſic Polyb. ἀφικόμενος δὲ τριταῖος ἐπὶ τὰ μεγάλα πεδία καὶ συνεγγίσας τοῖς πολεμίοις, τὴν μὲν πρώτην ἡμέραν ἐπί τινος λόφου κατεστρατοπέδευσε, περὶ τριάκοντα σταδίους ἀπέχων τῶν πολεμίων. τῇ δὲ ἑξῆς καταβὰς εἰς τὰ πεδία καὶ προθέμενος ὑπὸ τοὺς ἱππέας παρενέβαλε. Hinc cum alia multa eliciuntur, tum illud Magno. Campos appellaſſe, quos μεγάλα πεδία vocet Polybius.

Eod. *Romanus poſt principes haſtatorum prima ſigna ſubſidiis triarios conſtituit.*] Magnum mendum leui labore deleri poteſt, ſi legas: *Romanus principes poſt haſtatorum prima ſigna.* Hic enim erat inſtruendę aciei mos Romanus, vt haſtatis principes ſuccederent, vt ait lib.8. *Prima acies haſtati erant, manipuli quindecim. Robuſtior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus eſt nomen.* Quem morem hoc tempore ſeruatum eſſe à Scipione ait Polybius hoc modo: ὁ μὲν οὖν Πόπλιος ἐπέταξε κατὰ τὸ παρ᾽ αὐτοῖς ἔθος ἔμπροσθεν μὲν τὰς τῶν ἁστάτων σημαίας. ἐπὶ δὲ ταύταις τῶν πριγκίπων. τελευταίας δ᾽ ἐπέστησε κατόπιν τὰς τῶν τριαρίων. Idem Liuius paulo poſt vbi de acie contra Annibalem inſtructa à Scipione ait: *Inſtruit deinde primos haſtatos, poſt eos Principes, Triariis poſtremam aciem clauſit.* Quibus verbis Græce ſic reſpondet Polyb. πρῶτον μὲν τοὺς ἁστάτους καὶ τὰς τούτων σημαίας ἐν διαστήμασι, ἐπὶ τούτοις τοὺς πρίγκιπας τιθείς. &c. Item Liuius lib.37. *Haſtatorum prima ſigna, deinde Principum erant. Triarij poſtremos claudebant.* Idem Suid. ἐπὶ τοῦ πρώτου τῶν ἁστάτων, εἶτα πριγκίπων. lib. tamen 22. ait: *Noua pugna exorta eſt, non illa ordinata per principes haſtatoſque ac triarios.*

Eod. *Celtiberos in mediam aciem in aduerſa ſigna legionum accipere.*] Sic Poly. τοὺς μὲν Κελτίβηρας μέσους ἔταξεν ἀντίους ταῖς τῶν Ῥωμαίων σπείραις.

Eod. *Maſſaniſſam receerti ſupra cetera victoria terribilem.*] Vet. lib. *ſuper cetera*, probo. ſic enim paulo ante. *Super hac bellica quoque laudis cumulatas compotem fecerat.*

Cap ix. *Occupat reliquum fuga cuſtodiam Tunetem, ab eſt à Carthagine xii. millia ferme paſſuum, locum cum operibus tum ſua natura tutum, & qui a Carthagine cõſpici, & prabere ipſe proſpectum cum ad vrbem, tum adcirca fuſum vrbi mare poſſet.*] Vet.lib. *Locus ſuus* dempta parentheſi, quo pacto etiam Polybius: ὁ δὲ Τύνης ἀπέχει μὲν τῆς Καρχηδόνος ὡς ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους. ὑπὸ δὲ συμπάντων σχεδὸν ἔξωθεν τῆς πόλεως. διαφέρει δὲ ὀχυρότητι καὶ φυσικῇ καὶ χειροποιήτῳ. Præterea quoniam centum viginti ſtadia abeſſe Carthagine Tunetem ait, propterea legendum apud Liuium, non xii. ſed xv. millia, ex v. enim ii. facta ſunt, per mendum.

Cap.x. *Contra atq; in nauali certamine ſolet, roſtratis, quæ præſidio aliis eſſe poterant, in poſtremã aciem receptis prope terrã, onerariarum quadruplicem ordinem pro muro aduerſus hoſtem oppoſuit.*]

Rhenanus is fuit, qui contra auctoritatem veterum librorum hanc lectionem inuexit. *Contra atque in nauali*, cum veteres libri habeant, *Vt in nauali*, hoc ſenſu: Scipionem roſtratos, vt in nauali certamine ſolet, in poſtremam aciem recepiſſe, quæ præſidio aliis eſſe poſſent. ipſe autem intellexit, eundem contra, atque in nauali prœlio ſolet onerarias inter ſe copulaſſe. Porro autem quid ſit, *Quadruplicem ordinem*: ex Polybio facilius intelligi poteſt, qui ita ait: *σωσφράξας δὲ τὰς καταφράκτους νῆας περιέστησε τούτους τὰς φορτηγοὺς ἐπὶ τρεῖς, καὶ τέτταρας τὸ βάθος.* Tres enim aut quatuor ordines factos eſſe iunctarum inter ſe onerariarum ſignificat. Quare poſt ait Liuius: *Et vix tranſiliendi in ſecundum ordinem nauium ſpacium propugnatoribus datum eſt.* Ceterum quas Polybius *καταφράκτους νῆας* vocat, Liuius *roſtratas* vertit.

Cap. XI. *Maſæſyli regnum paternum Maſſiniſſa.*] Satis oſtendi, *Maſſylij*, hic eſſe legendum. Quod autem ait: *Syphax vetere ſe continebat regno*, Maſæſulorum intelligit.

Eod. *Igitur omnibus, qui bello capti erant, in vnam coactis, equos, arma, tela, diuidit.*] Placet antiqua lectio *qui bello apti erant*. Nam præceſſit: *Viris, equiſque abundabat*: Deinde ſi ſuis abundabat, cur quos bello ceperat armaſſet?

Eod. *Ita tum à paucis prœlio accenſo omnes vtrimque poſtremo equitum certaminis ſtudium effudit.*] Probo magis, vt legatur, *omnem vtrimque poſtremo exercitum certaminis ſtudium effudit*, ſic enim in vet. libr.

Cap. XII. *Ad Lælium attrahitur.*] Vet. lib. *Pertrahitur.*

Eod. *Cirtha.*] Græci *Cirtan* ſine aſpiratione edunt.

Eod. *Quam victorem recuperatum tanto poſt interuallo inuiſere, receptum patrium regnum.*] Vet. lib. *Quam victorem tanto interuallo inuiſere*, egregie: vacat enim vox *Recuperatum*, cum ſubdatur, *Receptum*, quæ idem valet.

Eod. *Cum modo dextram amplectens.*] Vet. libri. *Cum diu dextram.*

Eod. *Nuptias in eum ipſum diem repente parare iubet.*] Vet. lib. *Parari.*

Cap. XIII. *Neque prudentiorem, neque conſtantiorem Maſſaniſſam, quam Syphacem eſſe, etiam ab iuuenta incautiorem, certe ſtultius illum, atque intēperātius eam, quam ſe duxiſſe.*] Quos legi libros veteres, & quos ſe legiſſe Gelenius profitetur, his vocibus carent, *Neque prudentiorem. illum atque in temperantius*, ſine quibus ſententia optime ſtat.

Cap. XIV. *Non hoſtili modo odio, ſed à nouis etiam ſtimulis.*] Vet. lib. *Amoris etiam ſtimulis*, egregie, oppoſuit enim hoſtili odio amoris ſtimulos, quam *ζηλοτυπίαν* Græci vocant: Itaque ſic vertit hunc locum Appianus: *πάντα, ὁ μὲν ὑπ᾽ ὀργῆς εἶτα ἀπάθειαν, εἶτα ζηλοτυπῶν, καὶ Μασσανάσσης ἐς τὰ μέγιστα ἐπίκαιρον.*

Eod. *Qui eas ſua temperantia frenauit, ac domuit, multo maius decus.*] Quam vocem Gelenius in *Ne*, ego in *Is* verti poſſe arbitror, quaſi ex *Is*, *Ie*, poſtremo *Vt* factum ſit incuria.

Cap. XV. *Æger animo ferox iuuenis.*] Vet. lib. *Æger animi.* Sic libro primo: *Conſulantur ægram animi.*

Eod. *Sella curuli, & ſcipione eburneo.*] Vet. aliquot libri: *Sella curuli eburnea, & ſcipione eburneo*, vt quemadmodum dixit, *aurea corona, aurea patera*, ſic bis dicat, *eburnea.* ſic etiam Appianus, quem credo multa à Liuio ſumpſiſſe, vt Liuius à Polybio: *σκίπωνα τὸν ἀπὸ χρυσοῦ, καὶ σφραγῖδα χρυσῆν ἔμπυρον, καὶ ἐλεφάντινον δίφρον.*

Cap. XVI. *Nullo auctore belli vltro audito.* Vet. lib.] *Vltra audito.*

Eod. *More adorantium procubuerunt.*] Vet. lib. *Adulantium*, quod diſplicet. Nam Polybius principio libr. 15. de his legatis ita ait: *οὐ μόνον τοὺς θεοὺς ἐσέβοντο καὶ τὴν γῆν προσεκύνησαν, καθάπερ ἔστιν ἔθος τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ πίπτοντες ἐπὶ τὴν γῆν ἀσχημόνως τοὺς πόδας κατεφίλουν ἐν τῷ συνεδρίῳ.*

Eod. *Naues longas præter viginti omnes tradunt.*] Puto legendum *præter* XXX. *οὐδὲ ναῦς ἔχων μακρὰς πλείους τριάκοντα.* Facilis eſt autem menda apud Liuium ex XXX. reddi XX. vt ſæpe alias.

Cap. XVII. *P. Æmilius prætor ſenatu miſſo.*] Vet. lib. *P. Ælius prætor*, quo nomine ſupra etiam à Liuio affectus eſt.

Eod. *Ad hoc ædes libera loca, lautia legatis decreta.*] Vet. lib. *Ædes libera loca lautia.* Sic libr. 28. *Locus inde lautiaque legatis præberi iuſſa.* Et lib. 43. *Conſulti patres ſtantib. in comitio legatis an locum, lautia ſenatumque darent.* Et lib. 33. *Macedones deducti extra vrbem in villam publicam, ibique locus, & lautia præbita.* Et lib. 42. *Vt ex inſtituto loca, lautia acciperent.* Et lib. 35. *Attalo ædes libera locus, lautia decreta.* Et lib. 42. *ædes libera hoſpitio data.* Ædes autem *liberæ* vacuæ dicuntur.

Cap. XVIII. *Vanum equeſtre prælium fecerunt.*] Vet. lib. *Equeſtre auxilium*, optime: nam cum lentior eſſet peditum pugna ad mouendos hoſtes, equites in aciem erant inducti, quorum tamen auxilium ab elephantorum ſtridore & odore vanum factum eſſe ait.

Eod. *Femine transfixo cadentem.*] Vet. lib. *Femore*, vt lib. 24. *Scipionis femur tragula confixum erat.*

Eod. *Ad millia hoſtium eo die cæſa.*] Veteres libri. *Ad quinque millia hoſtium.*

Cap. XIX. *Conſul Cn. Seruilius nulla memorabili.*] *C. Seruilius*, vt dixi.

Eod. *Patre Cn. Seruilio.*] *C. Seruilio.* Nam in Capitolino conſulatu dicitur *C. Seruilius C. F.* Capitolinis autem lapidibus fauent etiam manuſcripti libri. libro 21. pro *A. Seruilio*, *C. Seruilium* reſtituimus ex hoc loco.

Eod. *C. Lutatio.*] *Lutatio* ex Græc. & Capitol. auctoribus.

Eod. *In agro Crotonenſi.*] *Crotonienſi* ſcribendum. A Crotone etiam factum eſt. Vt autem *Carthago, Carthaginis, Carthaginienſem*, ſic *Croto, Crotonis, Crotonienſem* edit. *Crotona* autem *Crotonenſem*, at *Cremona Cremonenſem* Priſcianus.

Cap. XXIII. *M. Liuius Cn. Seruilium conſulem.*] *C. Seruilium* vt dixi.

Cap. XXIV. *Apollinis promontorium.*] Ἀπόλλωνος ἄκραν. Appianus.

Cap. XXV. *Legatos Carthaginem L. Bebium, M. Seruilium, L. Fabium extēplo miſit.*] Vet. lib. *M. Babium. L. Sergium, L. Fabium.* Poly. corrupte Λεύκιον Σέργιον, Λεύκιον Σαίβιον, Λεύκιον Φάβιον.

Eod. *Cum ad Bragadam flumen perueniſſent.*] Polybij codex habet τὸν Μακάραν ποταμόν. Quod autem Polybius ad Macram flumen, Appianus ad promōtorium Apollinis perueniſſe ſcribit: Idem Polyb. lib. 1. huius fluminis meminit.

Eod. *Ex ea tres quadrimeres.*] Quas Poly. τρεῖς vocat τετρήρεις. Liuius vertit *tres quadriremes.*

Eod. *Quinqueremem Romanam ſuperantem promontorium.*] Quia quærit Glareanus de promontorio hoc, & de quinquereme, propterea intelligendum eſt, Apollinis promontorium auctore Appiano fuiſſe, quod Polybius item non expreſſo nomine commemorauit.† Et Glareanus huius promontorij meminit, ſed nihil aſſeuerat †. ſic: ἀποπλεῖν ἐν τῷ ὅρμῳ τῶν πρεσβευτῶν. Ne autem de quinquereme diutius ipſe laboret, qua reuerſos legatos eſſe Liuius ait, cum qua ratione venerint non dixerit, is ſciat verba hæc omiſſa eſſe Polybij: καὶ παραβαλόντες τῇ Ῥωμαϊκῇ τετρήρει.

Cap. XXVI. *T. Claudius Nero.*] Vet. li. & Cap. tab. *Ti. Claudius.*

Eod. *C. Terentius Varro. C. Manlius.*] Vet. lib. *C. Mamilius.*

Eod. *M. Valerius Falco.*] Capit. tab. *Falto.*

Eod. *M. Seſtio Sabino*] Vet. lib. *M. Sextio Sabino.*

Eod. *An quia res in Etruria tenuerint.*] Vet. lib. *Tenuerit.*

Eod. *Quæſtiones ex ſociis de coniurationibus principum habentem.*] Neminem futurum eſſe arbitror, qui non interpretanda voce illa *ſociis* laboret, & merito. eſt enim mendoſiſſima, ego autem pro certo habeo, *ex s.c.* id eſt, *ex ſenatuſconſulto*, eſſe reſtituendum me in hanc ſententiam ducit ſimilis erroris, cuius ſupra memini obſeruatio. *Aliis præfectum notantibus*, pro *aliis s.c. præfectum notantibus.* Compendioſa enim ſcriptura huius vocis s.c. dici non poteſt quæ portenta ſæpe pepererit. De ſenſu autem huius lectionis nemo eſt, qui dubitare poſſit.

Eod. *Virum Cn. Seruilius conſul habuerit.*] C. Seruilius Vet. li. vt dixi.

Cap. XXVII. *M. Seruilius, T. Claudius.*] Vet. li. *M. Seruilius, & Ti. Claudius.*

Cap. XXVIII. *Cum Syphace incondita barbariæ rege. qui ſtatarios ſemilixas ducere exercitus ſolitus ſit.*] Veter. libr. *Qui ſtatarius ſemilixa ducere exercitum ſolitus ſit.* Ego, *qui ſtatarium ſemilixam ducere exercitum.* Nam ſtatarius, & ſemilixa militibus magis congruunt, quam imperatori & regi. Itaque vbi de Annibale loquitur, hæc opponit. *Ducere exercitum æqualem ſtipendiis ſuis*, i. qui tot ſtipendia confecerit, quod imperator, quem puerum militem factum eſſe dixit. Hæc quærenti Glareano.

Cap. XXIX. *Iam Adrumentū peruenerat Annibal.*] Vet. li. *Adru.*

metum, recte. Appianus enim Ἀδρύμητον. Polybius & Stephanus Ἀδρύμητα *edunt*.

Eod. *Zama quinque dierum iter ab Carthagine abeſt.*] Sic Polybius: μετ' ὀλίγας ἡμέρας ἀναζεύξας ἐκ τῶν περὶ τὴν Ἀδρύμητον τόπων προῆλθε καὶ κατεστρατοπέδευσε περὶ Ζάμαν, αὕτη δ' ἐστὶ πόλις ἀπέχουσα Καρχηδόνος ὡς πρὸς τὰς δύσεις ὁδὸν ἡμερῶν πέντε.

Eod. *Traditos eos tribunis militum.*] Vet. lib. *Tribuno militum.* nihil præſtantius: ſic enim Polib. συστήσας αὐτοὺς χιλιάρχῳ ἐπέταξε πάντα τὰ διαφέροντα ὑποδεῖξαι κατὰ τὴν παρεμβολήν.

Eod. *Ex compoſito duces caſtra protulerunt.*] Vet. lib. *Ambo ex compoſito duces.*

Eod. *Scipio haud procul Nadagra vrbe.*] Vet. lib. *Nargara.* Polybius: περὶ τὴν πόλιν Μάργαρον. Hanc vrbem Ptolomæus nominat Ναράγαρα.

Cap. xxx. *Si hoc ita fato datum fuerat.*] Huius orationis magna pars eſt apud Polyb. Incipit autem apud eum Annibal ab ea ſententia. *Optimum fuerat eam patribus noſtris mentem datam ab diis eſſe.*

Eod. *Hocquoque ludibrium fortunæ caſus ediderit.*] Nihil huic ſententiæ deeſt, contra quam putat Glareanus. Dictum eſt autem, vt illud: *Tibi non in vltimis laudum hoc fuerit.*

Eod. *Propter eandem vtilitatem te ebor eam, propter quam petiit.*] Vet. lib. *Peto.*

Cap. xxxi. *Tergiuerſantem in Africam traduxerim.*] Vet. lib. *Attraxerim.*

Eod. *Fruſtra verba pacata renunciant.*] Si ita legas nullum ſenſum, aut certè non commodum elicias. In Vet. lib. aliquot eſt: *Fruſtra verbis pacata renunciant.* Hinc ego ita: *Fruſtra verbis tentatam rem nunciant*, ideſt, de pace verbis fruſtra agitatum referunt. Annibal enim colloquium petierat Scipionis, quaſi fretus eloquentia ſua rem peracturus. Hanc lectionem tanto magis probo, quod ſubiungit ἀντίθετον, *armis decernendum eſſe.*

Cap. xxxii. *Ad hoc colloquium Annibalis in ſecreto habitum, ac liberum fingenti qua velit flecti, ominatur, quibus quondam auſpiciis patres eorum pugnauerint ad Aegates inſulas, ea illis exeuntibus in aciem portendiſſe deos, adeſſe finem belli ac laboris.*] Loci huius obſcuritas, quæ magna eſt, ſola verborum inter punctione non leuatur ſolum, ſed etiam tollitur. Quomodo autem ſit interpungendus, intelligetur, ſi ſenſus ante fuerit patefactus. Scipio, inquit, ſuis militibus referebat Hiſpanias victas, & recentia in Africa prœlia, & confeſſionem hoſtium, pacem petentium, ad hoc colloquium Annibalis in ſecreto habitum: ac quoniam liberum eſt fingenti quocunque velit, oratione deduci, ominatur finem huius belli adeſſe, quod quibus auſpiciis priore bello patres eorum pugnauerint ad Ægates inſulas, ea illis hoc tempore in aciem exeuntibus portendiſſent. Ex quo intelligi poteſt, verba illa, *liberum fingenti qua velit flecti*, item hæc: *quibus quondam auſpiciis*, vſque ad *portendiſſe deos*, dupliciparentheſi eſſe includenda. Continent enim cauſam, & cur ominaretur, & cur victoriam ominaretur. Glareanus adeo à vero ſenſo abhorruit, vt vox illa, *fingenti*, ad Scipionem, an ad Annibalem referretur dubitarit. † Glareanus nihil de tota oratione quam ad quid referatur, *fingenti*, ſe dubitare dicit, vt ſolet. †

Cap. xxxiii. *Tuba, cornuaq; ab Romanis cecinerunt.*] Polybius vtrinque increpuiſſe ait: ἅμα τοῦ συνταχθέντος σάλπιγξι καὶ ταῖς βουκάναις ἀναβοώντων. Et Appianus: Ἀννίβας μὲν σάλπιγγας κατῆρχε, Σκιπίων δὲ ἀντηχεῖν ἐκέλευσε.

Eod. *Vt elephanti in ſuos ſiniſtro maximè cornu verterent, Mauros, ac Numidas.*] At ex Vet. lib. *Verterentur* eſt legendum, aut *verterent*, pro verterentur, accipiendum. Sic enim Polybius: τινὰ μὲν διατραπέντα τῶν θηρίων, ὥρμησε παρὰ τοὺς βεβοηθηκότας τῶν Καρχηδονίων Νομάδας.

Cap. xxxiv. *Sed numero ſuperior Romanus erat. & animo.*] Vet. lib. *Sed & numero.*

Cap. xxxv. *Victores ad decem millia cecidere.*] Suſpicor legendum, *ad duo millia*. Hanc enim edit ſummam Polybius, quem in reliquis etiam ſequitur: ἔπεσον δὲ τῶν μὲν Ῥωμαίων ὑπὲρ τοὺς χιλίους πεντακοσίους. Idem autem prope poſt. *Supra mille quingentos, & ad duo millia.* Ita etiam Appianus.

Eod. *Simul primum ardorem hoſtium excipientes fatigarem.*] Veteres libri, *primum ardorem atque impetum hoſtium.*

Cap. xxxvi. *Miſſo Lælio Romam cum victoriæ nuncio.*] Appianus καὶ Λαίλιον ἐπὶ φανεῖς τῶν αἰχμαλώτων ἔπεμψε, καὶ Λαίλιον ἐξαγγέλλοντα τὰ γεγονότα ἐς Ῥώμην. Glareanus Liuium hoc loco ſui oblitum putat, quod Lælium Romam miſerit victoriam nunciaturum, cum paulo poſt tres legati mittantur.

Eod. *Turmalibus primis in agmine aggreſſa Numidas leui certamine fudit.*] Veteres libri, *Turmalibus primum agmen aggreſſa, Numidas.*

Cap. xxxvii. *Et naues roſtratas præter decem triremes traderent.*] Polyb. τὰ μακρὰ πλοῖα παραδοῦναι πάντα, πλὴν δέκα τριήρων. Vertit hoc loco Liuius, *Naues longas, roſtratas*, vt paulo poſt ait: *Naues longas, elephantos, perfugas, fugitiuos, captiuorum quatuor millia tradiderunt.*

Eod. *Obſides centum arbitratu Scipionis darent.*] Mallem, *centum quinquaginta*, vt ait Appianus δοῦναι δὲ ὁμήρους πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν παῖδας οὓς ἂν αὐτὸς ἐπιλέξηται. Cur malim, hæc cauſa eſt, quia lib. 32. ita ſcribit: *Petentibus Carthaginenſibus, vt ſi iam videretur ſenatui, obſides ſibi redderentur centum redditi obſides: de ceteris ſi in fide permanerent, ſpes facta.* Quib. verb. ſatis oſtenditur plures quam centum eſſe traditos. Quamquam hoc loco Pol. centum tantum & ipſe edit: ὁμήρους δοῦναι τοὺς ἑκατόν, οὓς ἂν προγράψῃ τῶν νέων ὁ στρατηγὸς τῶν Ῥωμαίων, μὴ νεωτέρους τεττάρων καὶ δέκα ἐτῶν μηδὲ πρεσβυτέρους τριάκοντα.

Eod. *Domum ferre iuſſit.*] Veteres libri, *Referre.*

Cap. xxxix. *Inter portus Coſſanum, Loretanumque.*] Coſſani meminit etiam lib. 22.

Eod. *Dictatore dicto Cn. Seruilio Gemino.*] *C. Seruilio* ſcribe abſque *Gemino*, ex vet. lib. & dictatura eius Capitolina.

Eod. *Itaque cum præter Idus Martias veteres magiſtratus abiſſent.*] Procul dubio, *pridie Idus*, legendum. Nam idus Martiæ ſolennes erant ineundis magiſtratibus, pridie idus abeundis compendioſa ſcriptura ſefellit librarium *pr. idus.*

Eod. *Ludi Romani tertio inſtaurati.*] Vet. lib. aliquot, *per toti inſtaurati*, optime. Sic enim loqui ſolitus eſt Liuius, vt libro 28. *Ludi Romani ter toti inſtaurati ab ædilibus curulibus.* Item: *Ludi plebeij ſemel toti inſtaurati ab ædilibus plebis.* Item hoc libro: *Ludi Romani diem vnum, plebeij ter toti inſtaurati ab ædilibus*, Et lib. 31. extremo. Et lib. 33. primo: *Totique ter inſtaurati.*

Cerealia ludos.] Vet. libri, *Cereales ludos*, non muto tamen vulgatam lectionem, nam in nummis aliquot argenteis, qui apud patrem tuum ſunt, ita legi *C. Memmius C. F. Quirinus Memmius æd. cerealia primus fecit.*

Cap. xl. *Adiecit Verminam etiam Syphacis filium.*] Id eſt, præter id, quod de victis bello Carthaginenſibus Lælius nunciauerat, adiecit etiam Verminam victum eſſe. Hoc vt dicerem, cauſam Glareanus dedit.

Eod. *Quæ parua bene geſtæ rei acceſſio erat.*] Veteres lib. *Quæ non parua bene geſtæ rei acceſſio fuerat.*

Eod. *M. Iunius Pænus.*] *Pennus*, ex Capit. tab.

Eod. *M. Acilius Glabrio.*] Hic poſt fit conſul, & in conſularu Capitolino *M'. Acilius* vocatur.

Eod. *P. Scipioni id imperium decreuiſſe.*] Vet. lib. *Decreſſe.*

Eod. *Legiones à Seſtio prætore acciperet.*] Vet. lib. *à M. Sextio prætore.*

Cap. xli. *Conſulicum ſuis duabus item legionibus in Hetruria prorogatum imperium eſt.*] Vet. lib. *In Etruriam.*

Eod. *Vt y conſules.*] Vet. lib. *Vt hi conſules.*

Cap. xlii. *Aſdrubalem at. Hædum cognomine populares vocabant.*] Recte *Hædum*. Nam Appianus etiam Ἔριφον appellatum ſcribit.

Cap. xliii. *De pace vti rogatæ omnes tribus erant, iuſſerunt.*] Vet. lib. *Vti rogaſſent.* Ego *vti rogas*, vt ante docui.

Eod. *Ita dimiſſi ab Roma.*] Vet. lib. *Ita dimiſſi Roma.*

Eod. *Inter quos Q. Terentius Culleo ſenator fuit.*] Plut. In Apophthegmatis non ante legatos de pace ſe auditurum eſſe Scipionem dixiſſe ait, quam Q. Terentium captiuum dimiſiſſent. Dimiſſo eo pacis conditiones Scipionem dixiſſe, Terentium porro ſequutum currum Scipionis pileatum eſſe.

Cap. xliv. *Finitum eſt decimo octauo anno Cn. Corn. P. Ælio Pæto conſulibus.*] Antea legebatur, *decimoſeptimo*, atque ita eſt in omnibus vet. lib. Quod quia corruptum eſſe credidit, correxit Glareanus, *& decimo octauo* fecit. † Vide Glareani verba, & aliter ſenties. † Eſt tamen ſciendum *decimo ſeptimo*

recte habere. Nam cum inquit Liuius, bellum finitum eſt xvii. annos poſtquam cœptum eſt, decimo octauo intelligit, verum annum primum non numerat, ſic autem etiam alibi *Anno ante xl. pax cum Carthaginienſibus facta eſt*, Item: *Tres & ſexaginta anni ſunt à primo Punico ad ſecundum bellum finitum*: neque enim alter extremorum annorum in hoc loquendi genere comprehenditur. At cum inquit in hoc eodem libro: *Patre, & patruo ex ſeruitute poſt ſextum decimum annum receptis.* Et paulo poſt: *Annibalem poſt ſextum decimum annum ex Italia deceſſiſſet* ambos extremos annos numerat. Pater. n. Seruilij captus eſt anno dxxxii. receptus eſt anno dxlvii. Annibal venit in Italiam anno dxxxii. diſceſſit anno dxlvii.

Eod. *Hunc regem in triampho ductum Polybius haudquaquam ſpernendus autor tradit.*] Verba quibus hoc tradit Polyb. ſunt in lib. 16. eiuſmodi: ὁ δὲ Σύφαξ ὁ τῶν Μασαισυλίων βασιλεὺς, ὑπαχθεὶς διὰ τὸ πλῆθος ἐν τῷ θριάμβῳ μετὰ τῶν αἰχμαλώτων, ὃς ἐν μετά τινα χρόνον ἐν τῇ φυλακῇ τὸν βίον μετήλλαξε.

IN EPITOMEN LIB. XXXI.

Cauſæ *feruntur hæ.*] Vet. lib. *Referuntur.*

In ſacrarium Ceteris cum altis pluribus ſuis intrauerunt.] *Cum altis popularibus ſuis*, legendum eſt.

Ad vindicandam illos.] Vet. lib. *Ad vindicandos illos.*

Quingenteſimo quadrageſimo anno ab vrbe condita.] Reſtituendum eſt, vt poſt oſtendam, *Quingenteſimo & quinquageſimo.*

IN LIBRVM XXXI.

Cap. i. *Quam occuparint quadringenti* lxxxvii. *anni à condita vrbe ad Ap. Claudium conſulem.*] In veter. lib. eſt, lxxviii. *anni*, mendoſe illud quidem, ſed ita tamen, vt veræ lectionis veſtigia appareant. Eſt enim v. in x. vertendum, & duo ii. in v. ita vt legas lxxxvi. ſiquidem Ap. Claudius anno ab vrbe cond. cccclxxxvi. conſul fuit, quemadmodum ex Liuij ſententia in Chronologia oſtendemus, quem numerum deprauauit, vt ſolet Glareanus. † Glareanus negat ſe deprauaſſe numerum †

Eod. *Claritate regum antiquorum.*] Vet. lib. *Sed claritate.*

Eod. *Quo multa quondam Europa, maiorem partem Aſia obtinuerant.*] Vet. lib. *Maioremq;.*

Cap. ii. *C. Appium præfectum.*] Vet. lib. *Cn. A. Popium.* Ego *C. Oppium. Oppius* enim gentis nomen eſt. *Appius* prænomen.

Eod. *Ipſe eodem aperto itinere per montes duxit.*] Vet. lib. *Per medios montes.*

Cap. iv. *Qui ductu atque auſpicio proconſulis Scipionis.*] In veteribus libris eſt ferè, *Proconſulis Scipionis*, pro *P. Scipionis*, idque non hoc loco ſolum, ſed paſſim. Itaque *P. Scipionis* reſtitue.

Eod. *P. Aelio conſulum comitia habente.*] Vet. lib. *Conſularia comitia*: placet tamen vt legatur, *P. Aelio conſule comitia habente conſules facti*: ſic enim alias.

Eod. *Aedilibus Curulibus L. Valerio Flacco, & T. Quintio Flaminio.*] Reſtituo *L. Quintio Flaminino. Lucio*, quia *T. Quintius* numquam ædilitatem cepiſſe poſt à Liuio & à Plutarcho traditur. *Flaminino* ex Capitolinis tabulis, & ex ratione cognominum, vt enim à *Cenſore Cenſorinus*, ab *Augure Augurinus*: ſic à *Flamine Flamininus* orta cognomina ſunt.

Eod. *Quod ex Africa proconſul Scipio miſerat.*] *P. Scipio*, vt dixi alioquin *Scipio proconſul* dixiſſet.

Cap. v. *Anno quingenteſimo quadrageſimo quarto ab vrbe condita.*] Vet. lib. *Anno quingenteſimo quadrageſimo.* Placuit autem Glareano, vt legeretur, *quingenteſimo quinquageſimo quarto*. Quod pro, *quadrageſimo*, reſtituat, *quinquageſimo*, laudo, quod addat, *quarto*, non poſſum non improbare. Cur ita ſentiam, cauſa extabit in Chronologiæ ſcholiis. Porro autem non *quingenteſimo quinquageſimo*, ſed *quingenteſimo quinquageſimo* legendum arbitror. Hac in re ducem ſequor Priſcianum, qui libro de Numeris *quingeſimum* pro *quingenteſimo* dictum eſſe ſcribit à Liuio lib. ab vrbe condita xxxi.

Eod. *Niſi quid in Romanis auxilij foret.*] Vet. lib. *Niſi quid Romani auxilij foret.*

Eod. *Precationi annuiſſe deos aruſpices reſpondere.*] Vet. lib. *Precationem admiſiſſe deos*, quod probo. Etenim in eodem genere lib. 4. ſic: *Vt ab auguribus, ſimul aues ritè admiſiſſent, ex compoſito tolleretur ſignum.*

Cap. vi. *Prætores exinde ſortiti ſunt, Cn. Sergius Plancus vrbanam.*] Vet. lib. *Prouincias prætores exinde ſortiti ſunt.*

Eod. *L. Furius Purpureo.*] *Purpureo*, ex Capitolino eius conſulatu.

Eod. *Q. Bebius.*] *Bæbius*, Capitolini, & Græci ſcriptores, nummiq; argentei.

Cap. vii. *Sicut expugnando Sagunto Annibalem paſſi ſumus.*] Vet. lib. *Sumus.*

Cap. viii. *Vti rogarat, bellum iuſſerunt.*] *Vti rogas*, vt iam ſæpe.

Eod. *Proconſul Scipio ex Africa deportaſſet.*] *P. Scipio*, vt dixi.

Eod. *Valerio Falconi.*] *Faltoni*, Capitol. tabulæ.

Eod. *In Sardiniam traiiceret, quoq; de exercitu.*] Vet. lib. *atq; de exercitu.*

Cap. x. *Excitis Salliis, Illuatibuſq;, & ceteris Liguſticis palit Liguſtinis*, habent vett. lib. & Græci Ἀργυσῖνοι edunt. Illuates Ligures etiam alibi nominat, vt lib. 32. *Inde in Liguſtinos Iluates legiones ducta*: non ſunt autem Iluates, qui Iluam inſulam colunt, vt putat Glareanus. † Glareanus dubitauit, non aſſeruit. † Quod ex his verbis Liuij cognoſcitur, lib. 32. *Et iam omnia cis Padum præter Gallorum Boios, Iluates Ligarum, ſub ditione erant.*

Eod. *Nunciosq; mitterent ad populum Rom. L. Furius Purpureo tum prouinciæ præerat.*] Satis conſtat, legendum eſſe, *ad prætorem Rom.* quo de mendi genere ſupra etiam dictum eſt: prætorem autem intelligit, L. Furium Purpureonem.

Eod. *Augeri hoſtium animos.*] Vet. lib. *Augere*: quod placet, quia dixit, *obiicere.*

Cap. xiii. *Trientius, Tabuliuſque is ager, quia pro tertia parte pecunia datus erat appellatus.*] Vet. lib. *Trientius, Tributumq;*. Ex quo conieci legendum eſſe, *Trientius, Tributuſq;*. Alioquin nulla cauſa extat, cur *Tabulius* is ager vocatus ſit: at quia pro tertia parte pecuniæ tributus erat *Trientius, Tributuſq;* eſt dictus.

Cap. xiv. *C. Claudius Cento.*] *Centho*, ex Cap. lap.

Cap. xv. *Commemoratio erat beneficiorum primum in ciuitatem ſuam.*] Vet. lib. *Ciuitatem ſociam*, Recte: loquitur enim Attalus, atq; Athenas ciuitatem ſociam appellat.

Eod. *Abhortatio, capeſcendum bellum.*] Vet. lib. *Abhortatio capeſcendi belli.*

Eod. *Rhodij Coam ab Aegina.*] Vet. lib. *Rhodij cam iam ab Aegina.* Item: *Rhodij etiam ab Aegina.* Hinc ego: *Rhodij Ceam ab Aegina*, Inſula autem eſt Cia oppoſita Eubœæ, Ptolemæo auctore.

Cap. xvi. *Claſſe tradita Heraclidi.*] De Heraclide hoc Philippi præfecto pluribus verbis ſcribit Polyb. lib. 13.

Eod. *Eleunta.*] *Elæunta* ſcribendum eſt. Eſt autem Elæus cum proximis oppidis ad Helleſpontum in Cherſoneſo, Alopeconeſus autem inſula eſt, Plinio auctore.

Eod. *Legatos ad regem de conditionibus tradendæ vrbis miſerunt.*] Legatorum nomina præter miſit, quæ ſunt apud Polybium libro 16. πέμπουσι πρεσβευτὰς Ἰφιάδην καὶ Παντάγνωτον ἐκέλευον παραλαμβάνειν τὴν πόλιν.

Cap. xvii. *Principes quibus atrocior pars facinoris delegata erat.*] Nomina eorum edit Polyb. Glaucidem, & Theognetum. Eſt enim in tota hac Abydi expugnatione explicanda aliquanto, quam Liuius vberior.

Cap. xviii. *Ex iis legatis Romanis, qui Alexandriam miſſi erant, M. Aemilius duorum conſenſu minimus natu.*] Suſpicor legendum eſſe: *Ex tribus legatis*: primum, quia tres antea nominauit huius lib. initio *Interim ad Ptolemæum Aegypti regem legati tres miſſi C. Claudius Nero, M. Aemilius Lepidus, P. Sempronius Tuditanus:*

deinde quia ait, *Deorum conſenſu, & Maximus natu*. Poſtremo, quia nihil tam facile eſt, quam ex III. i. tribus facere, IIS. Sic enim apud Velleium ex VII. factum eſt VTI. Verba eius ſunt libro ſecundo. *Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, & vt clariſſima, ita arctato numero felicitas, VII. ante hunc nobiliſſimæ ſimplicitatis iuuenem, Cn. Domitium fuere ſingulis omnino parentibus geniti, ſed omnes ad conſulatum, ſacerdotiaq; ad triumphi autem omnes penè peruenerunt inſignia.* Vulgo enim legitur: VTI *ante hunc*: Ita autem reſtituendum eſſe docet Suet. in principio Neronis, vbi de Domitiis agit.

Eod. *Num Abydeni quoque, inquit, vltro tibi intulerunt arma.*] Vberius reſpondet apud Polybium Æmilius: nam vltra Abydenos Athenienſes quoque, & Cianos nominat à Philippo vexatos: inquit autem ita, μεταλαβὼν ὁ Μάρκος ἤρετο, τί δὲ Ἀθηναίους, τί δὲ Κιανούς, τί νῦν Ἀβυδηνούς, καὶ τούτων τις, ἴσα σοι πρότερος ἐπέβαλε τὰς χεῖρας.

Eod. *Ætas, inquit, & forma, & ſuper omnia Romanum nomen te ferociorem facit, ego autem primum velim vos fœderum memores ſeruare mecum pacem, ſi bello laceſſitis, mihi quoque in animo eſſe facere, vt regnum Macedonum, nomenque haud minus, quam Romanum nobile bello ſentiatis.*] Placet quemadmodum hæc Græce dixerit Polyb. demonſtrare, vt libertas in vertendo Liuij pateſiat: ἔφησεν ὁ δὲ βασιλεὺς, διαπορήσας κατὰ τρεῖς τρόπους αὐτῷ συγγνώμην ἔχειν ὑπερβαίνοντος ὁμιλοῦντι. πρῶτον μὲν ὅτι νέος ἐστὶ καὶ πραγμάτων ἄπειρος, δεύτερον ὅτι κάλλιστος ὑπάρχει τῶν καθ' αὐτόν. καὶ γὰρ ἦν τοῦτο κατὰ τὴν ἀλήθειαν. μάλιστα μὲν ἀξιῶ Ῥωμαίους, ἔφη, μὴ παραβαίνειν τὰς συνθήκας μηδὲ πολεμεῖν ἡμῖν. ἐὰν δὲ μὴ οὕτω ποιῶσιν, ἀμυνούμεθα γενναίως παρακαλέσαντες τοὺς θεούς. Intelligendum eſt autem apud Polybium tertiam cauſam deſiderari, quæ eſt apud Liuium. *Super omnia Romanum nomen*. Quod autem ait: *Si bello laceſſitis*, Veteres libri habent, *Laceſſeritis*, quod placet. Polybius enim, ἐὰν δὲ μὴ οὕτω ποιῶσιν ait.

Eod. *Pugnantes mortem occubuiſſent.*] Vet. lib. *Morte*.

Eod. *Sic, ipſi per omnes vias lethi interficerent.*] Veter. lib. habent, *Lati*. Quod tamen non probo: Intelligendum eſt enim Abydenos quacumq; ratione ſibi mortem conſciuiſſe. Quod declarat Polybius cum alios ſe ferro, alios laqueo vita ſpoliaſſe ait. itémque alios ſe in ignem conieciſſe, alios ſe è tectis, alios in puteos præcipites dediſſe.

Cap. XIX. *Inde in Numidiam ad res profecti legati.*] Vet. lib. *Ad regem*. Maſaniſſam autem intelligit.

Cap. XX. *Proconſulem illum Hiſpaniam Prouinciam non conſulem aut prætorem obtinuiſſe.*] Vet. lib. *Pro conſule*. quem autem appellet *Pro conſule*, expoſuit, cum dixit: *Exemplum à maioribus non accepiſſe, vt qui neque Dictator, neque conſul, neque prætor res geſſiſſet, triumpharet*. Quod de Scipione dixit lib. 28. *ſine magiſtratu*: inquit enim: *Quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat*. Ex quo intelligi poteſt, eum, qui pro conſule eſt, eſſe quidem cum imperio, ſed ſine magiſtratu. Nunc autem pro conſule accipiamus, non qualis P. Scipio aut T. Quintius, qui prorogato vltra conſulatus annum imperio bellum Africanum & Macedonicum pro conſule confecerunt, & pro conſule triumpharunt, ſed qualis multis poſt annis aduerſus Mithridatem Cn. Pompeius extra ordinem miſſus eſt, cum neque prætor, neque conſul eam prouinciā contra exempla maiorum adeptus eſſet.

Eod. *T. Sempronio Longo.*] *Ti. Sempronio*, ex conſulatu huius Capitolino. Nam poſt cum Africano conſul fuit.

Cap. XXI. *Cn. Lectorium.*] *Lætorium*, vt ſupra ſæpius admonuimus.

Eod. *Ædemque deo Ioui vouit, ſi eo die hoſtes fudiſſet.*] Vox, *Deo*, mendoſa eſt. Quis enim de Ioue, quin Deus ſit, dubitare poteſt? ſi quid Ioui addi ſolet, epithetum aliquod additur, vt *Statori, Victori, Tonanti*: & quæ eiuſmodi multa ei affictа ſunt. Ego igitur ita legendum puto. *Ædeſque duas Ioui vouit*. Loquitur de L. Furio prætore cum Boiis Gallis pugnante, à quo prætore ædes duas Ioui bello Gallico, tertiam ab eodem conſule votas eſſe poſt ait: De vna ſcribit lib. 35. anno DLVI. *In Inſula Iouis ædem C. Seruilius duumuir dedicauit. vota erat ſex annis ante Gallico bello ab L. Furio Purpureone prætore*. De Duabus alteris poſt lib. eodem anno DLVIII. *Ædes duæ Ioui eo anno in Capitolio dedicatæ ſunt. Vouerat L. Furius Purpureo prætor Gallico bello vnam, alteram, conſul dedicauit Q. Marcius Ralla duumuir.*

Cap. XXIV. *Cynoſarges templum Herculis, gymnaſiumq; & lucus erat circumiectus.*] De hoc templo ſic Suidas: Κυνόσαργες τόπος τις ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις, καὶ ἱερὸν Ἡρακλέους κατ' αἰτίαν τοιαύτην. Διδύμου Ἀθηναίου θύοντος ἐν τῷ Ἑστίᾳ λευκὸς κύων παρὼν ἥρπασε τὸ ἱερεῖον. καὶ ἀπελθὼν εἴς τινα τόπον ἀπέθετο. ὁ δὲ περιδεὴς ἦν, ἔχρησε δὲ αὐτῷ ὁ θεὸς ὅπου εὑρίσκει τὸν τόπον, οὗ τὸ ἱερεῖον ἀπέθετο Ἡρακλεῖ βωμὸν ἱδρῦσαι ἱδρύσας, ὅθεν ἐκλήθη Κυνόσαργες. Ex his verbis apparet cur & Cynoſarges hic locus dictus ſit, & cur Herculi potiſſimum conſecratus ſit. At Stephanus: Κυνόσαργες γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ καὶ δῆμος.

Cap. XXVII. *Conſul Sulpicius eo tempore inter Apolloniam, & Dyrrachium ad ipſum flumen habebat caſtra.*] Hoc ſic Plutarchus in Quintio: καὶ τὸν Πόπλιον εὗρον μετὰ τῆς δυνάμεως ἀντιπαρατεταγμένον τῷ Φιλίππῳ περὶ τὰς τοῦ Ἄψου ποταμοῦ ἐμβολάς, καὶ τὰ στενὰ φυλάττοντι.

Eod. *T. Apuſtium legatum.*] *L. Apuſtium*, reponendum. ſic enim alibi, ſæpe eum vocat Liuius.

Eod. *Ilium nomen propter alteram in Aſia vrbem, quam oppidum notius.*] Huius nominis quinque oppida fuiſſe tradit Stephanus. Quorum tertium in Macedonia fuerit.

Cap. XXVIII. *Anguſtias, quæ ad Pelagoniam ſunt.*] Pelagonia pars eſt Macedoniæ non longe à regione Daſſaritiorum.

Eod. *Sciathum, & Peparhetum haud ignobiles vrbes.*] Inſulæ ſunt in Ægeo Pelago.

Cap. XXX. *Eodem Eleuſina Cereris templum, eodem Pirei Iouem.*] *Eleuſine* ſcribendum, vt ſit auferendi caſus, ſequitur enim *Peræi*.

Cap. XXXI. *Eadem Chios, Abydenos, Æneos.*] Nominat gentes à Philippo pauloante bello vexatas, inter quas *Chij* non fuerunt, verum vt ſupra dixi, *Ciani*. Itaque legatus Romanus abiicit Philippo Athenienſes, Cianos & Abydenos. Atque Liuius libro 33. ait. *De Cianorum libertate Quintius Pruſiæ Bithyniorum regi ſcriberet, quid ſenatui, & decem legatis placuiſſet*. Quare hoc etiam loco pro *Chios*, *Cianos*, Eſt reponendum.

Eod. *An bello proſecuti.*] Veteres libri, *Annon bello perſecuti*.

Eod. *Quo indignius eſſet.*] Veteres libri, *Quod indignius eſſet*.

Cap. XXXIII. *Perfecit Heraclidam.*] Vet. lib. *Heraclidem*.

Eod. *Daſſaretiorum.*] *Daſſaritiorum* ex Stephano & Euſtathio.

Eod. *Ad lingum ſtatiua poſuit prope flumen Beuum, inde frumentatum circa horrea Daſſaretiorum mittebat.*] Pro *Lingo* reponendum cenſet Glareanus *Lychnidum*, pro *Beuo*, *Haliacmona*, ſcilicet quia nuſquam hæc nomina legerit, at illa in *Daſſaritijs* legerit. Ego contra, pro *Lingo*, *Lycum* repono, pro *Haliacmone*, *Beuum* defendo. *Lycum* habent libri veteres, & Plutarchus in Quintio, vbi huius rei meminit: ἦσαν μὲν οὖν οἱ τὸν Τίτον ἄγειν κύκλῳ διὰ τῆς Δασσαρήτιδος κατὰ Λύκον κελεύοντες ὁδὸν καὶ ῥᾳδίαν ὑφηγούμενοι. De *Beuo* fluuio ſic Stephanus: Βεύη πόλις Μακεδονίας, καὶ περὶ αὐτὴν Βεύας ποταμός. † Glareanus de *Beuo* multa adducit, de *Haliacmone* nihil definit vt ſolet. †

Cap. XXXV. *Triballos, Illyriorum id ſicut alio loco diximus eſt genus & Cretenſes trecentos.*] Vet. lib. habent *Trallas*, quam vocem qui ignorarunt, *Triballos* fecerunt. Sunt autem *Tralles* Illyrici, vt ait Stephanus, populi, his verbis: Τράλλεια μοῖρα τῆς Ἰλλυρίας. λέγονται καὶ Τράλλοι, καὶ Τράλλεις παρὰ Θεοπόμπῳ. Itaque libro 8. in auxiliis Antiochi numerandis coniungit etiam Liuius Trallas, & Cretenſes. vt hoc loco, cum ait. *Tum leuis armatura trium millium pari ferme numero pars Cretenſes, pars Tralles.*

Cap. XXXIX. *Stuberam deinde petit.*] Suſpectum nomen habet hoc Glareanus, vt cetera nomina, quæ ſequuntur, eſſe autem oppidum Illyriorum, apparet ex verbis Liuij libro 44. cum ait: *Perſeus ratus ſi domuiſſet proximos, Illyriorum gentium quoque regem in ſocietatem perlicj poſſe, cum decem millibus Peditum Stuberam venit*. Meminit eius etiam Strabo libro ſeptimo ad Erigonem flumen, & Suidas & Στύβαραν vocant.

Eod. *Inde ad Pluinam eſt progreſſus.*] *Pluina* nemo meminit: *Pellina* omnes. Itaque *Pellinam* reſtituo auctore maxime Arriano, qui libro 1. ita ſcribit: ἄγων δὲ παρὰ τὴν Ἐορδαίαν τε καὶ τὴν Ἐλιμιῶτιν, καὶ παρὰ τὰ τῆς Στυμφαίας, καὶ Παρωραίας ἄκρα. Εὐδι-

μαιος ἀπὸ μιᾶς ἐς Πελλίναν τῆς Θετταλίας. Pellinam item ſtatuit Stephanus in Phthiotidem Theſſalia.

Eod. *Ad Bruannam ſtatiua habuiſſet.*] Strabo libro ſeptimo, vt Stuheræ, ſic Brianii meminit oppidorum ad Erigonem flumen. Quanquam Stephanus ait Βρυάνιον eſſe oppidum Theſprotiæ.

Eod. *Erigonum incolæ vocant.*] Ex Strabonis libro 7. & Arriani primo, *Erigonem* legendum. Quamquam Ptolemæus Ἐρίγωνον vocat.

Eod. *Erduaam petituros.*] Polybius lib. 17. ſatis indicat *Heordæam* eſſe legendum, vbi verba T. Quintij, quibus ad Cynoſcephalas pugnaturus milites accendit, exponit. Ea ſunt hæc: οὐχ οὗτοι Μακεδόνες εἰσὶν οὓς ὑμεῖς προκατεσχηκότας ἐν Μακεδονίᾳ τοὺς εἰς τὴν Ἐορδαίαν ὑπερβολὰς ἐκ τοῦ προφανοῦς μετὰ Σολπικίου βιασάμενοι πρὸς τόπον τὸν δεξιὸν ἐξεβάλετε πολλοὺς αὐτῶν ἀποκτείναντες. Et Stephanus: Ἐορδαῖαι δύο χῶραι Μακεδονίας. Et Plinius in Macedonia Heordenſium, & Arrianus libro primo meminit Ἐορδαίας.

Eod. *In Elimeam ſe recepit.*] Stephanus hanc vrbem Ἐλίμειαν. Ptolemæus Ἐλίμαν vocant Arrianus lib. 1. agrum eius Ἐλιμιώτιν nominat.

Cap. XL. *Ab Celetro in Daſſaretios proceſſit, vrbemq́; Pelium vi cepit.*] *Pelium* duplex tradit Stephanus, vnum in Theſſalia alterum in Illyrin. Nunc de Pelio Illyrico intelligendum eſt. Nam Daſſaritios inter Illyrios nominat Appianus in Illyrico.

Cap. XLI. *Bœben Paludem.*] Stephanus: Βοίβη λίμνη ἐν Μακεδονίᾳ.

Perrœbiam.] *Perrhæbiam* ſcribendum: ita enim Græci: pars Theſſaliæ eſt. Stephan.

Eod. *Cyretias.*] Χυρετίας ſtatuit Ptolemæus inter Eſtiotas Theſſaliæ populos.

Eod. *Gomphos petendi.*] Oppidum eſt Theſſaliæ: Stephan.

Eod. *Athamania:* Alij Illyrij, alij Theſſaliæ partem eſſe Athamaniam tardunt: Stephanus.

Cap. XLIV. *Malea ſuperata circa Scyllæum agri Hermionici.*] Malea & Scyllæum promontoria, Hermione oppidum eſt, omnia Peloponneſi: Stephanus, Strabo, Plinius, alij.

Cap. XLV. *Delium Bœotiæ.*] Steph. Δήλιον πολίχνιον Βοιωτίας ἐν Ταναγρᾳ, καὶ ἱερὸν Ἀπόλλωνος.

Eod. *Ab Andro Cythnum traiecerunt.*] Has inſulas ſupra Philippi teneri præſidio dixit, propterea nunc à Romanis vexantur.

Eod. *Ad Praſias, continentis Atticæ is locus eſt.*] Icciroo ait, quia, vt ait Stephanus alterum huius nominis oppidulum eſt in Peloponneſo, Πρασιαὶ δῆμος Ἀθήνησι Πανδιονίδος φυλῆς, ἔστι καὶ Λακωνικὸν πολίχνιον. Glareanus temere *Phalaſſiam* emendat. † Gla-
¶ reanus regionis ſitum declarat, de alus dubitat. †

Eod. *Iſſeorum lembi.*] Iſſa vna eſt oppidum in Lesbo inſula altera ipſa eſt inſula ad Illyrium, de qua Polybios libro 2. & Stephan. De qoa nunc Liuius.

Eod. *Ieum peruenere.*] Ieus inſula vna ex Cycladibus Eubœæ adhærens, Stephanus.

Eod. *Inde Caſandream petentes primo ad Mendim maritimum eius ciuitatis vicum.*] Steph. Κασσάνδρεια πόλις Μακεδονίας πρὸς τῇ Θρᾴκῃ. Item Μένδη πόλις Θρᾴκης, Ἀπολλόδωρος Μένδην αὐτήν φησίν.

Eod. *Canaſtrum Pallenes traiecere, inde ſuperato Toronæ promonterio.*] Canaſtrum promontorium, reliqua oppida Thraciæ ſunt: itemq; qui ſequitur Acanthus, Stephanus.

Eod. *Sinum Maliacum.*] Μαλιακὸν κόλπον Græci appellant.

Eod. *Heracleam venit.*] Innumeræ ſunt huius nominis vrbes. Hæc in Theſſalia ad ſinum Maliacum eſt.

Cap. XLVI. *Lariſſamq; non illam in Theſſalia nobilem vrbem, ſed alteram quam Cremaſten vocant.*] Ptolemæus & Stephanus: Κρεμαστὴν Λάρισαν hanc Pelaſgiorum eſſe tradunt.

Cap. XLIX. *Quos conſul in Africa voverat.*] *Conſul* hic accipiendum eſt pro eo, qui cum conſulari prorogato imperio eſſet, ſiquidem nunquam conſul in Africam venit Scipio.

Eod. *C. Terentius Varro, T. Quintius Flaminius, P. Cornelius Cn. F. Scipio ij colonos Venuſiam aſcripſerunt.*] *Flamininus*, vt dixi, ſcribendum eſt. Item Vet. lib. habent, *Hi colonos* pro *Venuſia* Plutarchus edit in Quintio, *Narniam*, & *Conſam*, διὸ καὶ συμπεμφθεὶς ἀποίκων εἰς δύο πόλεις Ναρνίαν τε καὶ Κόσσαν ὁ Τίτος ἄρχων ᾑρέθη, καὶ οἰκιστής. de quibus poſt Liuius.

Eod. *Non id, quod animis præceperat, queſtus eſt.*] Vet. lib. *præceperant*, id eſt, Romani.

Eod. *Vt virtutes rerum geſtarum eius, cuius tantus honos haberetur, publice viderentur.*] Vet. lib. *videret*. Ceterum vox *virtutes*, ineptum continet ſenſum. Itaque pro certe haben, *Veritas* eſſe reponendum, & pro *videret*, *videretur* eſſe legendum. Inſtituiſſe enim maiores ait, vt legati, tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adeſſent, vt veritas rerum geſtarum eius, cui tantus honos haberetur, publice videretur. Itaque ſubdit: *Neminem huic triumpho affuiſſe, quem percunctari ſenatus potuerit, quid veri prætor, vaniq; referret.* Et lib. 35. *Niſi quod aut prætores ex prouinciis ſcriberent, aut legati renunciarent, nihil ratum haberi debere.*

Eod. *C. Bebius Tamphilus.*] *Cn. Bebius Tamphilus.* ex conſulatu eius Capitolino.

Cap. L. *M. Acilius Glabrio.*] *M' Acilius*, ex conſulatu eius Capitolino.

Eod. *Comitiis ædiles curules creati ſunt ſorte ambo, qui ſtatim accipere magiſtratum non poſſent.*] *Occipere* legendum eſt, quod eſt idem, atque inire. Sic enim lib. 41. *Collegam qui extemplo magiſtratum occiperet, creauit.* Et libro 23. *Creatur Marcellus, qui extemplo magiſtratum occiperet.*

Eod. *Nam Cn. Cornelius abſens creatus erat, cum Hiſpaniam prouinciam obtineret.*] Multa affert hoc loco Glareanus, vt probet, aut huic libro partem deſſe, aut Liuium parum in ſcribendo vigilantem fuiſſe, quæ qoia tota re diligenter inſpecta vana eſſe animaduertimus, ne qois in errorem ab eo impellatur, operæ pretium me facturum eſſe duxi, ſi qui per hæc tempora in Hiſpania cum imperio deinceps fuerint, ex Liuij ſententia expoſuero. † Glareanus vt ſolet Academicum agit, nihil aſſe- ¶
uerans de hoc loco. †

Anno DXXXII.

P. Cornelius Scipio cos. Hiſpaniam ſortitus eſt, vt ait Liuius lib. 21. *Cornelio Hiſpania, Sempronio Africa cum Sicilia euenit.*

Eodem Anno Cn. Cornelius Scipio Publij frater in Hiſpaniam venit, ait enim: *Ne tamen nuda auxilijs Romanis Hiſpania eſſet, quam prouinciam ſortitus erat, Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum aduerſus Aſdrubalem miſit.*

Anno DXXXIII.

P. Scipio in Hiſpaniam venit prorogato poſt conſulatum imperio.

Anno DXXXVIII.

Ambo fratres interfecti ſunt, vt Liuius lib. 25. *Anno ſexto poſtquam in Hiſpaniam venerat Cn. Scipio, vndetrigeſimo die poſt fratris mortem eſt interfectus.*

Anno DXXXIX.

P. Scipio, P. F. qui poſt Africanus dictus eſt, cum imperio extra ordinem pro conſule miſſus eſt in Hiſpaniam, M. Iunius Silanus proprætor ei ad res gerendas adiutor datus.

Anoo DXLIIII.

P. Scipio L. Lentulo, & L. Manlio Acidino prouincia tradita, Romam redit, & quia ſine magiſtratu res geſſerat, triumphum non impetrat, Liuius lib. 28.

Anno DL.

L. Lentulus proconſul rediens ex Hiſpania ob res bene per multos annos geſtas, quia ſine magiſtratu eas geſſerat triumphare non poteſt, permiſſum eſt, vt ouans vrbem iniret. Hæc cum ſcripſerit Liuius lib. 31. dum anni DL. res geſtas exponit, tamen in eodem lib. poſt ſubdit, ita: *Eodem anno P. Cornelius Cethegus, qui procōſul Hiſpaniam obtinebat magnum hoſtium exercitum in agro Sedetano fudit.* Et paulo poſt ita: *Comitiis ædiles curules creati ſunt ſorte ambo, qui ſtatim occipere magiſtratum non poſſent. Nam P. Cornelius Cethegus abſens creatus erat, cum Hiſpaniam obtineret prouinciā.* Et paulo poſt: *Et de altero ædile plebiſcitum eſt factum, rogantibus tribunis, quos duos in Hiſpaniā cum imperio ad exercitus ire iuberent, vt P. Cornelius ædilis curulis ad magiſtratum gerendum veniret, & L. Manlius Acidinus de prouincia decederet multos poſt annos. Plebes Cn. Cornelio Lentulo, et L. Stertinio proconſulibus imperium eſſe in Hiſpania iuſſit.* Ex his verbis intelligi poteſt, L. Cornelio Lentulo, qui ouans ingreſſus eſt, P. Cornelium Cethegum, C. autem Cethego Cn. Cornelium Lentulum in citeriore Hiſpania ſucceſſiſſe, L. autem Manlio Acidino poſt multos annos L. Stertinium in vlteriore.

Anno DLIII.

Sex prætores creati ſunt, id eſt, cum quatuor ante crearentur, bini additi ſunt, quorum alter citeriorem, alter vlteriorem Hiſpaniam ſortiretur. M. Heluius L. Sertinio, Cn. Sempronius Tuditanus C. Lentulo ſuffectus eſt, atque ita deinde prætores quotannis in Hiſpaniam miſſi ſunt, niſi cum prouincia grauiore fortè vexata bello conſulare imperiũ deſiderauit.

Anno DLIIII.

Cn. Cornelius Lentulus, qui pro conſule obtinuit Hiſpaniam ante Cn. Sempronium Tuditanum ouans vrbem iniit. L. Sterrinius ne triumphi quidem ſpem tentauit, lib. trigeſimo tertio.

IN LIBRVM XXXII.

CAP. I. *C. Bæbio Ariminum.*] *Cn. Bæbio*, vt dixi.

Eod. *Succederet in Gallia.*] Veteres libri, *in Galliam*.

Cap. II. *Conceſſum vt Signiam, & Ferentinum tranſirent.*] Hoc anno, qui eſt ab vrbe condita DLI. conceſſum eſſe ait, vt obſides Carthaginienſium Signium transferentur Norba: at ſequenti anno hoc eodem in libro ait: *Carthaginienſium obſides obſides Setia cuſtodiebantur.* Puto ergo hoc loco *Setiam* pro *Signia* reponendum. Nam de Setia propter ſeditionem in eo oppido propter obſides excitatam dubitari non poteſt. De Signia non ita certa hiſtoria eſt.

Eod. *L. M. Septimio.*] Veteres libri, *L. Marcio Septimo*, vt ante dixi.

Eod. *Quod Narnienſibus datum erat, vt colonorum numerus augeretur, id Coſſani petentes non impetrauerant.*] Plutarch. vtramq; deductam coloniam à T. Quintio tradit, vt ante dixi. De Coſſanis ſequenti hoc anno perfectum ſcribit Liuius, verum non à Quinctio.

Cap. IV. *Thaumacos.*] Thaumacia oppidum ad Sinum Maliacum Stephan. & cæteri.

Eod. *Faucibus imminentes, quam Cœlen vocant.*] Veteres lib. *Quas Cœlen.*

Eod. *Simul qui redderent Achæis Orchomenon & Heræam et Triphyliam. Eleis Alipheram contendentibus numquam eam vrbem fuiſſe ex Triphylia, ſed ſibi debere reſtitui, quia vna eſſet, &c.*] Achæi Philippi, Elei Romanorum fœderi erant aſcripti, vt lib. 29. tradit. Itaque abſurdum eſt dictu Eleos à Philippo Alipheram contendiſſe. Hac ego ratione ductus pro *Eleis*, reſtituendum puto, *illis*, vt item Achæos intelligamus, hoc ſenſu: Cum fidem ſociorum ſuorum ſuſpectam haberet Philippus, miſit in Achaiam legatos, qui iuſiurandum exigerent, & Achæis Orchomenon, & Heræam & Triphyliam redderent. illis Alipheram poſtulantibus, reſponderi iuſſit, numquam eam vrbem ad Triphyliã attinuiſſe: proptereaq; non Achæis, ſed ſibi ipſi reſtituendam eſſe quod vna eſſet ex iis, quæ ad condendam Megalopolim ex concilio Arcadũ contributæ forent. Rem aũt ita eſſe oſtendit, cum addit: *Et enim Achæis quidem per hæc ſocietatem firmabat.* Hanc eandem ſententiam edidit etiam lib. 18. *Reddidit*, inquit, *Achæis Heræam, & Triphiliam. Alipheram autem Megalopolitis, quod ſuorũ eſſe finium ſatis probabant, reſtituit.* Vt mirer, cum ſatis aperte rem eo loco expreſſerit, cur eandem hoc etiam in loco iterauerit.

Cap. V. *Per Epirum ad occupandas, quæ ad Antigoniam fauces ſunt, Sthena vocant Græci.*] *Antigoniam* omnes in Epiro tradunt. *Stena* aut ſcribendum eſt. Plutarc. in Quint. ϗ τὰ Στενὰ φυλάττοντι πεδῶν ἰδὼν χώραν.

Cap. VI. *Per Charopum Epirotem.*] Plut. in Quint. ὃ Χάροπα vocat. Itémque is qui de viris illuſtribus ſcripſit. Vet. libri habent etiam *Charopem*.

Eod. *Vere primo in continentem trabeatus ad hoſtem ducere pergit.*] Vox *Trabeatus* prodigij ſimilis eſt. Veteres libri *Tralatus*, quod placet, vt ſit è Corcyra in continentem, id eſt, in Epirum cum tranſtuliſſet ſeſe. Paulo poſt: *Corcyram tranſuectus.*

Cap. VII. *Senatum ſine vllius nota legebant.*] Vet. lib. *Legerunt* recte: Sequitur enim *locarunt*.

Eod. *Portoria venalitium.*] Vet. lib. *Venalium*.

Eod. *M. Porcio Lecca.*] *Læca* ex vetuſtis argenteis nummis.

Eodem, *C. Bebius Pamphilus.*] *Cn. Bæbius Tamphilus*, vt ſupra.

Eod. *M. Fuluium et M. Curium tribunos plebis.*] *M'. Curium* lego, ex Plutarcho in Quintio: τοῦ δὲ περὶ Φούλβιον, ϗ Μάνιον δημάρχων ἐνισταμένων. quamquam vulgo mendoſe legitur Μάλλιον pro Μάνιον, vt ſæpe aliàs. *Manius* certe prænomen Curiis familiariſſimum eſt.

Eod. *Iam ædilitatem præturamq; faſtidiri.*] Plutarchus Quintium ad conſulatum perueniſſe ait, non ædilitate ſolum, prætura, ſed etiam tribunatu plebis omiſſis, neque intelligit Quintium quia patricius erat, tribunatum plebis ne petere quidem per leges potuiſſe, propterea de eo nihil Liuius. Ille autem ita: τὰς διὰ μέσου ϗ ἐνδόξους τῶν νέων ἀρχὰς ὑπερβάντα δημαρχίας, ϗ στρατηγίας ϗ ἀγορανομίας. Idem in Apophreg.

Eod. *Ser. Sulpitius & L. Galba pontifices.*] Lege *Ser. & C. Sulpicij Galbæ pontifices.* Seruius creatus pontifex fuerat anno CCCCLVII. Caius vero CCCCLIII.

Cap. IX. *Forum, & ædes Iouis Lanuuij.*] Veteres libri, *Lanuuij*.

Eod. *Per Daſſaretios potius, Lingumque.*] *Per Daſſaritios potius, Lycumque*, vt ſupra oſtendi ex Plutarcho, & veteribus libris.

Cap. X. *Quæ ciuitates liberandæ eſſent, Theſſalos primos omnium nominauit conſul.*] Veteres libri, *Theſſalonicam primam omnium.*

Eod. *Probis ordo & militaris diſciplina; & genus armorum erat aptum vrgendis regis.*] In Veteribus libris aliquot, *aptum prælium iungendis*, in aliis, *prælium gerendum*: ego, *aptum prælium gerentibus.* Nam duas illas voces *vrgendis regis* quas intulit Gelenius neipſe quidem certas habet, verum aſteriſco notandum locum cenſet.

Cap. XI. *Quatuor millia inde lecta peditum, & trecentos equites tribuno militum tradit.*] Hoc ſi Plutarch. in Quintio: ἐπιτάξας χιλιάρχῳ ἕνα πεζοὺς ἔχοντι τετρακισχιλίους, ϗ ἱππεῖς τριακοσίους.

Cap. XII. *Non plus duobus millibus hominum amiſſis.*] Plutarchus ſic ἔπεσον δὲ δισχίλιοι οὐ πλείους.

Cap. XIII. *Rex primo die ad caſtra Pyrrhi peruenit locus, quem ita vocat, eſt in Triphylia, terræ Melotidos inde poſtero die ingenti itinere agminis, & metus vrgebat, in montem Lingon perrexit. Ipſi montes Epiri ſunt interiecti Macedoniæ Theſſaliæque.*] Pyrrhi caſtra locum eſſe celeberrimũ non longe à Lacedæmone conſtat inter omnes. Nam & ipſe libro trigeſimo quinto ita ait: *Et Nabis recepto Gytheo cum expedito exercitu inde profectus, cum præter Lacedæmonem raptim duxiſſet, Pyrrhi, quæ vocant, caſtra occupauit.* Et Polybius libro quinto, vbi de alio Philippi bello ait ita: ὁ δὲ Φίλιππος τὸ μὲν πρῶτον κατεστρατοπέδευσε περὶ τὰς Ἀμύκλας. αἱ δὲ Ἀμύκλαι καλλιδενδρότατος τόπος τῆς Λακωνικῆς χώρας. ἀπέχει δὲ τῆς Λακεδαίμονος ὡς εἴκοσι στάδια. τῇ δὲ ἑπομένῃ προῆγεν ἅμα τὴν χώραν εἰς τὸν Πύρρου καλούμενον κατῆρε χάρακα. Quæ cum ita ſint, merito dubitari poterit, cur, cum de prœlio ad fauces Epiri facto Liuius ſcribat, primo die fugatum regem ad caſtra Pyrrhi in Triphyliam perueniſſe, eſt aũt Peloponneſi regio Triphylia, poſtero autem in montes Epiri Macedoniæ, Theſſaliæq; interiectos, dicat. Neq; n. hac oratione quicquam eſſe poteſt abſurdius. Difficilis, & magna hæc quæſtio eſt, nec niſi hæc verba tollantur, explicari poteſt. *Locus, quem ita vocant, eſt in Triphylia terra Melotidos.* Cur autem inducenda cenſeam, eſt, quod ea ex albo, vt ſæpe fit, in hiſtoriam coniecta ab inſcio librario puto. Qui autem ea in albo libri notarat, id interpretandi cauſa fecerat. Loci autem, qui in Peloponneſo eſt, ſplendor illum ipſum Liuiana verba non ſatis attendentem, decepit Neque enim dubitandum eſt, quin eius nominis locus alter in Epiro fuerit, in quo Pyrrhus regnauit, de quo hoc loco intelligendum ſit. Nam de eo, qui eſt ad Lacedæmonem intelligi nullo modo põt. Accedit, quod ſi hæc verba Liuij eſſent, libro trigeſimo quinto, vbi iterum Pyrrhi caſtra nominat, non dixiſſet. *Quæ vocant*, cum ſatis hic locũ eſſe huius nominis docuiſſet. Puto præterea legendum *in montem Lyncon*. Nam

Λύκιον oppidum eſt Epiri, auctore Stephano, quo nomine mons etiam forte præditus eſt. Vet. habent *Lyricon*.

Eod. *Fluctuatus animo eſt, vtrum protinus in regnum ſe reciperet an reuerti in Theſſaliam poſſet.*] Vox, *poſſet*, ineptam affert ſententiam. Mallem, *præſtaret*. Nam cum eſſet ſcriptum. *præſtet*, factum eſt ab inſcio, *poſſet*. *Præſtaret* autem pro *præſtantius eſſet*:

Eod. *Circa Sperchium.*] Ad ſinum Maliacum vrbs eſt, quæ *Σπερχεία* dicitur à Ptolemæo & Stephano.

Eod. *Xynia ſimili metu à cultorib. deſerta ſunt.*] Xynia, inquit, Stephanus, vrbs Theſſaliæ.

Cap. XIV. *Oppidum protinus nomine Phecam, ſitum inter Gomphos.*] Hoc oppidum libro priore Phecadum nominauit.

Eod. *In monte Cercetio.*] Plin. Montium Cercetorum meminit in Theſſalia. Ptolemæus montis Cercetesij. *Cerceticum* tamen eſſe legendum docet Stephanus, qui ait: Πιαλία πόλις Θεσσαλική ὑπὸ τ̀ Κερκετικὸν ὄρος. τὸ ἐθνικὸν Πιαλιεύς.

Cap. XV. *Primam vrbium Theſſaliæ Phaleriam.*] Vet. lib. *Phaleram*: ex Coſmographis, *Phalaram* ſcribendum eſt, vt ſupra etiam admonui.

Eod. *A Metropoli & à Piera*] Metropolis vna eſt in Theſſalia. Porro autem *Pialia* legendum, quæ vt ait Stephanus, eſt in Theſſalia, vt dixi paulo ante, non *Pieria*, quæ in Bœotia eſt.

Eod. *Inde Æginium petit.*] Hoc in Illyrio ſtatuit Stephanus.

Cap. XVI. *Cum ad Zamnam inſulam aſſequutus eſt.*] L. Quintiũ ſcribit Corcyra profectum claſſem ad Zamnam inſulam eſſe aſſequutum. Quæſtio exiſtit, quæ ſit hæc inſula, quæ à Corcyra ad Malcam nauigantibus occurrat. Glareanus mendoſe eſſe pro *Zacyntho* ait, ego pro *Same*. in veteribus enim libris eſt, ¶ *Zamam*, non *Zamnam*. † Glareanus mẽdoſe aduerbium non » ponit. hic idẽtidem addit, ac demit Glariani verbis quod vult, » quod non decet. † De hac inſula Pomponius: *In Ionio Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium, Ithaca.* Et Plinius libro quatto, capite duodecimo: *Cephalenia, Zacynthus, Ithaca, Dulichium, Same. Cephalenia quondam Melana dicta, Same diruta à Romanis adhuc tamen oppida tria habet.* Et Virgilius libro 3. *Dulichiumq́, Sameq́, & Neritos ardua ſaxis.* Alij Samem vrbem Cephaleniæ eſſe ſcripſerunt.

Cap. XVII. *Cenchreas Corinthiorum emporium.*] Stephanus oppidum, & nauale Corinthiorum eſſe ſcribit, itemque ceteri.

Cap. XVIII. *Phocidis primo impetu Panopeam.*] Phanoteam legendum eſſe, quemadmodum eſt in veteribus libris, oſtendit Stephanus: Φανοτεύς, inquit, πόλις Φωκίδος, λέγεται ϗ Φανότη ϗ Φανότεια. Glareano tamen placet *Panopea*.

Cap. XIX. *Ariſthenus, qui Romanis.* Polyb.] *Ariſtanum* ſcribit, Ἀρίσταινον.

Cap. XXI. *Achæi portus. et dant fiduciam poſtulantibus, & demunt.*] Obſcuriſſimi loci cẽſum Glareano vt profitetur, ignotum libet paucis exponere. Quod Romani, inquit, qui ſocij nobis non ſunt, plus petant à nobis, quam ſocius ipſe Philippus, id neque impudentia fit eorum, neque modeſtia huius: Achæi, inquit, portus fiduciam Romanis dant ad poſtulandum, qui claſſem habent victricem, Philippo vero demunt, cuius nihil præter legatum videmus. Ergo portus dant fiduciam claſſem habenti, demunt non habenti.

Eod. *Quæ Eleuntij, Abydeniq́, qui procul à nobis abſunt, paſſi ſunt.*] Antea legebatur *Cluny, Abydenique*. Sabellicus cuius in hac re ingenium admiratur Glareanus, reſtituendum putauit, *Eleuntij. Abydenique.* Quorum Sententiam ego vix ſatis pro- ¶ bare poſſum. † Glareanus Sabellico vt viro doctiſſimo ſub- » ſcribit, de eius vero laode οὐδὲ γρῦ. † Nam cum commemoret eos Ariſtænus, qui bello crudelia à Philippo paſſi ſunt, inter quos Athenienſes, & Abydeni fuerunt, neſcio cur potiſſimum Eleũtios nominare poſſit, quos ipſe per deditionem receperit. Etenim lib. priore ita Liuios ait: *Inde progreſſus ad Cherſoneſum Elæunta & Alopeconneſum tradentibus ipſis recipit.* Quamobrem ego reponendum puto, pro *Clunij. Ciani.* primum quia grauiſſime omnium vexati à Philippo ſunt, auctore Polybio, quorum excidij ſæpe etiam meminit per hos libros Liuius, vt paulo poſt. *Cum ſua ditionis vrbem funditus deleſſe.* Deinde quia vicinior eſt vox *Cluny Cianis*, quam *Eleuntiis*. Nam ſi *l*, in *i*, & *v*, in *a*, verteris, confecta vox erit. Cianos etiam cum Abydenis coniungit Polybius, vt ſupra oſtendi.

Eod. *Ciparißa Garitenem.*] Κυπαρισσία oppidum Miſſenæ Steph.

Cap. XXV. *Poſt pactam cum Romanis ſocietatem.*] Miratur Glareanos Liuium ſcribere Argiuos cum Romanis ſocietatem pactos eſſe, quod eoſdem ante ſcripſerit decreto non interfuiſſe, neque intelligit eom dixiſſe, quoſdam Argiuorum, non omnes.

Eod. *Lariſſam eam arcem vocant.*] Argorum arcem Lariſſam fuiſſe tradit etiam Stephanus: ϗ Ἀκρόπολις Ἄργους Λάρισσα.

Cap. XXVI. *Ælium prætorem præfecit.*] In comitiis prætoriis exponendis *C. Heluium* nominauit, eique Galliam obtigiſſe dixit: idem fecit in eius ædilitate explicanda. Quamobrem hoc quoque loco pro *C. Ælio C. Heluium* reponendum.

Eod. *Ad L. Cornelium Lentulum prætorem vrbanum.*] In comitiis prætoriis explicandis *L. Cornelium Merulam* prætorem vrbanum ſcripſit, quo pacto legendum eſſe oſtendit conſulatus eius, qui ſequitur, in quo *Merula*, non *Lentuli* cognomine afficitur non ſolum apud Liuium, ſed etiam in tabulis conſulum Capitolinis.

Cap. XXVII. Cos. Cn. *Cornelium Cethegum.*] *C. Cornelium* legendum eſt ex Cap. conſulatu.

Eod. *L. Manlius Volſo.*] *Vulſo*, Vet. lib. Cap. tab. & Appianus Syriaco, Μάλλιον etiam Βόλσωνα edit.

Eod. *M. Sergius Silus.*] *M'Sergius*, argentei nummi.

Eod. *Cn. Sempronius Tuditanus.*] Sequenti libro hic idem dicitur *T. Sempronius*. Ego *C. Sempronius* lego. Nam *Tuditanorum* hoc frequentiſſimum prænomen eſt, neutrum eorum contra. patrem, aut auum hunc eſſe reor *C. Sempronij C. F. C. N. Tuditani*, qui triumphauit de Iapudibus anno DCXXVI. ex lap. Cap.

Eod. *T. Sempronius Longus.*] *Ti. Sempronius*, ex conſulatu Capitolino, qui ſequitur.

Cap. XXIX. *Oppida Claſtidium, & Litubium, vtraq́ Ligurum.*] Hoc loco vbi *Claſtidium* deditur, *Ligurum* eſſe dicitur. paulo poſt, vbi incenditur, *Gallorum* eſt. Aut igitur duo *Claſtidia* ſunt, aut certe in *Claſtidio Ligurum*, eſt aliquid vitij. Nam de *Gallico Claſtidio* ad Ticinum dubitari non poteſt. De quo Polybius lib. 2. & cæteri qui de bello Inſubrum ſcripſerunt, quo confecto Marcellus tertia opima ſpolia retulit Virdumaro rege ad Claſtidium interfecto, quemadmodum etiam in triumpho Marcelli Capitolino ſcriptum eſt. apud Plutarchum tamen in Marcello eſt vitioſe Κλαστίδιον, pro Κλαστίδιον. Vereor autem, ne *Cariſtum* pro *Claſtidio* ſit reponendum quod eſt oppidum *Ligurum* in agro Statellati, Liuio auctore libro 42.

Cap. XXXI. *Liguſticos Ilvates.*] *Liguſtinos*, vt ante dixi.

Cap. XXXII. *Eo rex ab Demetriade cum quinque Lembis, & naue vna roſtrata venit.*] ſic Polyb lib. 17. παρῆν ὁ μὲν Φίλιππος ἐκ Δημητριάδος ἀναχθεὶς εἰς τ̀ Μηλιέα κόλπον, πέντε λέμβους ἔχων ϗ μίαν πρίστιν.

Eod. *Achæorum exul vir inſignis Cycliadas.*] Polybius: Ἀχαιῶν δ̀ Κυκλιάδας ἐκπεπτωκὼς ἐκ Πελοποννήσου.

Eod. *Dionyſodorus Attali legatus.*] Polybius: ϗ παρ' Ἀττάλου Διονυσόδωρος.

Eod. *Ageſimbrotus præfectus Rhodiæ claſſis.*] παρὰ δ̀ Ῥοδίων, Ἀκεσίμβροτος ὁ ναύαρχος. ex Polyb.

Eod. *Phaneas princeps Ætolorum.*] Polybius: παρὰ δὲ Αἰτωλῶν, Φαινέας ὁ στρατηγός.

Eod. *Romanus ad extremum littus progreſſus, cum rex in proram nauis in anchoris ſtantis proceſſiſſet.*] ὁ μὲν οὖν τ̀ Τίτον ἐπέστησε παρ' αὐτὸν αἰγιαλόν. ὁ δὲ Φίλιππος ἐγγίσας τῇ γῇ, μετέωρος ἔμενε.

Eod. *Ex propinquo dicamus inuicem, audiamusq́.*] Vet. lib. *Dicemus inuicem, audiemuſque.*

Eod. *Quem tandem inquit Quintius times? Ad hoc ille ſuperbo et regio animo: Neminem equidem timeo præter deos immortales.*] Polybius: τοῦ δὲ πάλιν ἐρομένου, τίνα φοβεῖται, φοβεῖσθαι μὲν ἔφησεν ὁ Φίλιππος οὐδένα πλὴν τοὺς θεούς. Aliter hanc hiſtoriam ſcribit Plutarchus in Apophthegmatibus.

Cap. XXXIII. *Deducenda ex omnibus Græciæ ciuitatibus regi præſidia eſſe.*] Has etiam pacis conditiones omnes quibus verbis explicuerit Polybius placet oſtendere, vt Liuij ſtudium in illo vertendo auctore facilius omnes intelligant: ὁ δὲ τ̃ Ῥωμαίων στρατηγὸς, αὐτοῦ μὲν ἁπλοῦν τινα λόγον ἔφη καθήκειν ϗ σαφῆ μένειν. κελεύειν δὲ αὐτὸν ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἁπάσης ἐκχωρεῖν, ἀποδόντα τὰς αἰχμαλώ-

Digitized by Google

αἰχμαλώτους, καὶ τοὺς αὐτομόλους ἐκδοῦναι, οὓς ἔχει. τὰς δὲ κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα τόπους παραδοῦναι Ῥωμαίοις, ὧν γέγονε κύριος μετὰ τὰς ἐν Ἠπείρῳ διαλύσεις. ὁμοίως δὲ καὶ Πτολεμαίῳ τὰς πόλεις ἀποκαταστῆσαι πάσας ἃς παρῄρηται μετὰ τὸν τοῦ Φιλοπάτορος θάνατον.

Eod. *Attali regis legatus naues, captiuoſque, quæ ad Chium naualí prælio capta eſſent, & Nicephorum, Veneriſque templum, quæ ſpoliaſſet, euaſtaſſetque, pro incorruptis reſtitui.*] Sic Polyb. πρῶτος δὲ Διονυσόδωρος ὁ παρ' Ἀττάλου μεταλαβὼν τὸν λόγον, τάς τε ναῦς, ἔφη δεῖν αὐτὸν ἀποδοῦναι τὰς τοῦ βασιλέως τὰς γενομένας αἰχμαλώτους ἐν τῇ περὶ Χίον ναυμαχίᾳ καὶ τοὺς ἅμα ταύταις ἄνδρας. ἀποκαταστῆσαι δὲ καὶ τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν ἀκέραιον, καὶ τὸ Νικηφόριον, ἃ κατέφθειρε.

Eod. *Rhodij Peræam, regis eſt continentis aduerſus inſulam vetuſtæ eorum ditionis repetebant, poſtulabantque præſidia deduci ab Iaſſo, et Bargyliis, et Euromenſium vrbe, & in Helleſponto Seſto atque Abydo, & Panopolim Byzantiis in antiquam formulam iuris reſtitui, et liberari omnia Aſiæ emporia, portuſque.*] *Peræam* ſe nuſquam legiſſe, ſuſpectumque habere nomen, itemque pro *Panopolim*, *Peneropolim* reponendam eſſe ait Glareanus, † Glareanus etiam hic agit Academicum. † Hoc loco, ſi vt inſtitui, verba Polybij recitauero, quæ vertiſſe ſtudioſe videtur Liuius, & *Peræam* recte legi, & pro *Panopolim*, *Perinthum* reſtituendum, præterea vero, *Iaſo*, & *Bargyliis*, vt in veteribus eſt libris ſcribendum eſſe facile omnibus apparebit. Ea ſunt hæc, μετὰ δὲ τοῦτον ὁ τῶν Ῥοδίων ναύαρχος ἀπῃτεῖτο τὴν μὲν Περαίαν ἐκλιπεῖν ἐκ χειρῶν τὸν Φίλιππον, ἣν αὐτῶν παρῄρηται. τὰς δὲ φρουρὰς ἐξάγειν ἐξ Ἰασοῦ, καὶ Βαργυλίων, καὶ τῆς Εὐρωμαίων πόλεως, ἀποκαταστῆσαι δὲ καὶ Περινθίους εἰς τὴν Βυζαντίων συμπολιτείαν, παραχωρεῖν δὲ καὶ Σηστοῦ καὶ Ἀβύδου, καὶ τῶν ἐμπορίων, καὶ λιμένων τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἁπάντων. In veteribus certe libris eſt pro *Perinthum*, *Perolum*, vt de ea lectione dubitare nemo debeat: præſertim vero cum libro ſequenti in aliis pacis conditionibus ſcribendis ita ſit. *Quæ earum ſub ditione Philippi fuiſſent, præſidia ex his Philippus deduceret his quæ in Aſia eſſent, Euromo, Pedaſiſque & Bargyliis, et Iaſo, & Murina, et Abydo, et Thaſſo, et Perintho.*

Eod. *Princeps Ætolorum Alexander vir, vt inter Ætolos facundus.*] Veteres libri, *Vir inter ceteros facundus.* atq; ita ſcripſiſſe Liuium puto, quia Polybius ait: Ἀλέξανδρος ὁ προσαγορευόμενος Ἴσιος ἀνὴρ δοκῶν πραγματικὸς εἶναι, καὶ λέγειν ἱκανός. *Inter ceteros* autem legatos, qui in concilio verba fecerant, intelligit.

Eod. *Nam de quorum poſſeſſione dimicetur tollentem, nihil ſibi præter bellum relinquere, quod concilium eſſe.*] Hoc loco Glareanus ita ſcribit: Pro *Tollentem*, ego *Volentem*, legendum puto, alioquin non video, quid ſenſus elicias. Hæc ille. Quã autem ſit ſtandum coniectura eius, Polybius ipſe, cuius hæc verba ſunt, docet. τὸ δ' ἀναιρεῖν περὶ ὧν ὁ πόλεμός ἐστι, τὸν πόλεμον αὐτὸν καταλιπεῖν. μανίας ἔργον εἶναι. id eſt, *ſollentem autem ea de quibus bellum eſt, bellum ſibi relinquere, ſtultitia opus eſſe.* Fortaſſe enim apud Polybium legit Liuius πόλεμον αὐτῷ, non αὐτὸν reprehendit enim Philippum, qui in captas vrbes ſæuiebat, excidens eas, quæ belli eſſe præmia poſſent, idque ſtulti, & amentis eſſe hominis ait.

Eod. *Lyſimachiam pulſo prætore, & præſidio Aetolorum occupaſſe eum.*] Lyſimachiam intelligit, quæ in Cherſoneſo eſt, non quæ in Ætolia. Quod apertius oſtendit hoc loco Polybius: ᾐτιῶντο γὰρ τὸν Φίλιππον, διότι Λυσιμάχειαν μετ' Αἰτωλῶν ταττομένην, καὶ στρατηγὸν ἔχουσαν παρ' αὐτῶν, ἐκβαλὼν τοῦτον κατέχει φρουρᾷ τὴν πόλιν.

Eod. *Chiam item ſuæ ditionis vrbem funditus euertiſſe.*] *Cium* legendum, non *Chium*, & *ſuæ ditionis*, Ætolorum, non Philippi intelligendum eſſe ſatis oſtendit Polybius, cuius hæc verba ſubſequuntur: διότι δὲ Κιανοὺς παραπλησίως μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους, ἐξανδραποδίσαιτο φίλος ὑπάρχων Αἰτωλοῖς. Factum eſt autem vt quemadmodum Philippus Cianorum mœnia quondam, ſic inſcij librarij eorum memoriam euertere hoc tempore, atque delere conati ſint. De Cio ſic Suidas: Κίος ἐμπορεῖον τι πόλεως. Μυσίας ἀπὸ Κίου τοῦ ἡγησαμένου τῆς ἀποικίας τῶν Μιλησίων, τὸ ἐθνικὸν Κιανός. Item: Κιανοὶ οἱ τῆς Κίου, οὓς Προυσίας παρασπονδήσας ἐδίωκεν.

Eod. *Eadem fraude habere cum Thebas Pthias, Echinum, Lariſſam, et Pharſalum.*] Polybius: τὸ δὲ λέγειν κατέχει νῦν Ἐχῖνον καὶ Θήβας τὰς Φθίας, καὶ Φάρσαλον, καὶ Λάρισαν.

Cap. xxxiv. *Apparet id quidem etiam cæco.*] Apud Polybium: τοῦτο μὲν φησὶν καὶ τυφλὸς ἂν ἴδοι.

Eod. *Indignari inde cœpit, Aetolos tamquam Romanos decedẽ Græcia iubere, qui, quibus finibus Græcia ſit, dicere non poſſint, ipſius enim Aetoliæ Agræos, Apodotasque, & Amphilochos, quæ per magna eorum pars ſit, Græciam non eſſe.*] *Agræos*, quos nuſquam ſe legiſſe ait Glareanus, *Apodotos* non *Apodeatas* legendum eſſe, Polybij verba hæc ſatis docent: τὸ δὲ δὴ πάντων δεινότατον οἱ ποιοῦντες ἑαυτοὺς ἐφαμίλλους Ῥωμαίοις, καὶ κελεύοντες ἐκχωρεῖν Μακεδόνας ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος. τοῦτο καὶ τὸ φθέγμα ὑπερήφανον μὲν ἐστιν ἀλλὰ Ῥωμαίων μὲν λεγόντων ἀνεκτὸν, Αἰτωλῶν δὲ οὐκ ἀνεκτόν. ποίας δὲ κελεύετε με φησὶν ἐκχωρεῖν Ἑλλάδος, καὶ πῶς ἀφορίζετε ταύτην, αὐτῶν γὰρ Αἰτωλῶν οὐκ εἰσὶν Ἕλληνες οἱ πλείους, τὸ γὰρ τῶν Ἀγραίων ἔθνος καὶ τὸ τῶν Ἀποδωτῶν, ἔτι δὲ τῶν Ἀμφιλόχων οὐκ ἔστιν Ἑλλάς. ἢ τούτων μὲν παραχωρεῖτέ μοι. Porro autem *Agræos* vicinos eſſe Acarnanibus populos ait Stephanus.

Eod. *Neque ego Chium expugnaui, ſed Pruſiam ſocium, & amicum oppugnantem adiuui.*] *Ciam*, reſtitue, non *Chium*, Sic enim Polybius: Κιανοὺς δὲ ἐγὼ μὲν οὐκ ἐπολιόρκησα Προυσίου δὲ πολεμοῦντος βοηθῶν ἐκείνῳ συνεξεῖλον αὐτοὺς ὑμῶν αἰτίων γενομένων. Itaque lib. ſequenti ait Liuius: *De Cianorum libertate Quintius Pruſiæ Bithynicorum regi ſcriberet, quid ſenatui, et decem legatis placuiſſet.* Item Suidas, vt dixi.

Eod. *Lyſimachiam ab Thracibus vindicaui, ſed quia me neceſſitas ad hoc bellum à cuſtodia eius auertit, Thraces habent.*] Polybius ita: ἐφρούρουν μὲν φησὶν Λυσιμάχειαν διὰ τὸ Λυσιμάχειαν παραδεδόσθαι, ἵνα μὴ διὰ τὴν ὑμετέραν ὀλιγωρίαν ἀνάστατος γένηται ὑπὸ Θρᾳκῶν, καθάπερ νῦν γέγονεν ὑμῶν ἀπαγαγόντων τοὺς στρατιώτας διὰ τοῦτον τὸν πόλεμον.

Eod. *Attalo autem Rhodiiſque nihil iure debeo, non enim à me, ſed ab illis principium belli ortum eſt. Romanorum autem honoris cauſa Peræam Rhodiis, et naues Attalo cum captiuis, quæ comparebunt, reſtituam. Nam quod ad Nicephorium, Veneriſque templi reſtitutionem attinet, quid ea reſtitui poſtulantibus reſpondeam? niſi quo vno modo luci, ſilueque cæſæ reſtitui poſſunt, curam, impenſamque ſatiouis me præſtaturum.*] Hæc Polybius in hunc modum: πρὸς δὲ Ῥοδίους, καὶ πρὸς Ἄτταλον ἐν μὲν ἴσῳ κριτῇ δικαιότερον ἂν νομισθείη τούτους, ἡμῖν ἀποδιδόναι τὰς αἰχμαλώτους ναῦς, καὶ τοὺς ἄνδρας ὑπὲρ ἡμᾶς τούτους. οὐ γὰρ ἡμεῖς Ἀττάλῳ πρότεροι καὶ Ῥοδίοις τὰς χεῖρας ἐπεβάλομεν. οὗτοι δὲ ἡμῖν ὁμολογουμένως, ὅμως δὲ ἀλλ' οὖν κελεύοντος, Ῥοδίοις μὲν ἀποδίδωμι τὴν Περαίαν, Ἀττάλῳ δὲ τὰς ναῦς καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς διασωζομένους. τὴν δὲ τοῦ Νικηφορίου καταφθορὰν, καὶ τοῦ τῆς Ἀφροδίτης τεμένους. ἄλλως μὲν οὐκ εἰμὶ δυνατὸς ἀποκαταστῆσαι. φυτὰ δὲ καὶ κηπουροὺς πέμψω τοὺς φροντιοῦντας θεραπείας τοῦ τόπου, καὶ τῆς αὐξήσεως τῶν ἐκκοπέντων δένδρων.

Eod. *Extrema eius oratio aduerſus Achæos fuit, in qua orſus ab Antigoni primum, ſuis deinde erga eam gentem meritis, recitari decreta eorum iuſſit, omnes diuinos, humanoſque honores complexa, atque ad ea adiecit recens de exercitu, quod ab ſe deſciuiſſet: inuectuſque grauiter in perfidiam eorum, Argos tamen ſe redditurum eis dixit, de Corintho cum imperatore Romano deliberaturum eſſe, quæſiturumque ſimul ab eo, vtrum iis ne vrbibus decedere ſe æquum cenſeat, quas à ſe ipſo captas iure belli habeat, an iis etiam, quas à maioribus ſuis accepiſſet.*] Polybij primum verba quæ his reſpondent, recitabo, deinde quod hoc in loco Glareano videtur eſſe obſcuritatis tollam. Polybius ita: μεταβὰς ὁ Φίλιππος ἐπὶ τοὺς Ἀχαιούς, πρῶτον μὲν τὰς εὐεργεσίας ἐξηριθμήσατο τὰς ἐξ Ἀντιγόνου γεγενημένας εἰς αὐτούς, εἶτα καὶ ἰδίας ἑξῆς δὲ τούτοις προσανελέγετο τὸ μέγεθος τῶν τιμῶν τῶν ἀπηντημένων αὐτοῖς παρὰ τῶν Ἀχαιῶν. τελευταῖον δὲ ἀνέγνω τό τε περὶ τῆς ἀποστάσεως ψήφισμα, καὶ τὸ τῆς πρὸς Ῥωμαίους μεταθέσεως, ᾧ χρησάμενος ἀφορμῇ πολλὰ κατὰ τῶν Ἀχαιῶν εἰς ἀθεσίαν εἶπε, καὶ ἀχαριστίαν. ὅμως δὲ ἔφη τὸ μὲν Ἄργος ἀποδώσειν, περὶ τοῦ Κορίνθου βουλεύσεσθαι μετὰ τοῦ Τίτου. ταῦτα δὲ διαλεχθεὶς πρὸς τοὺς ἄλλους, ἤρετο τὸν Τίτον φήσας πρὸς ἐκεῖνον αὐτῷ λέγειν τινά, καὶ πρὸς Ῥωμαίους, πότερον οἴεται δεῖν ἐκχωρεῖν, ὧν ἀκτήσατο πόλεων, καὶ τόπων ἐν τοῖς Ἕλλησιν, ἢ καὶ τούτων, ὅσα παρὰ τῶν γονέων εἴληφε. Hæc Polybius. Quærit autem apud Liuium Glareanus, quid ſit, *Recens* decretum *de exercitu*, *quod ab ſe deſciuiſſet.* Huic ego quæſtioni reſpondeo, primum in veteribus libris legi: *De exercitu, quo ab ſe deſciuiſſent*: deinde decretum illud intelligi, quo ſe Achæi relicto Philippo Romanorum ſocietati adiunxerunt; de quo paulo an-

Digitized by Google

te Liuius. *In præſentia tres legatos ad L. Quintium mitti placuit, & exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoneri, capta Cenchreis, iam vrbem ipſam Quintio oppugnatio.*

Cap. xxxv. *Quintius poſtero die Nicæam is enim locus placuerat, ad conſtitutum tempus venit. Philippi nullus.* & quę ſequuntur.] Apponam hoc etiam loco verba Polybij cum loci illuſtrandi cauſa, tum Liuianæ induſtriæ declarandæ. Καὶ τότε μὲν ἀπαντήσειν ἐγγυήσαντες, ταξάμενοι κατὰ τὴν ἐπιοῦσαν εἰς Νίκαιαν πάλιν ἀπαντήσειν. τῇ δ᾽ αὔριον μὲν οἱ περὶ τὸν Τίτον ἧκον ἐπὶ τὸν ταχθέντα τόπον, ἐν ὥρᾳ πάντες ὄντες, ὁ δὲ Φίλιππος οὐ παρεγίνετο. τῆς δὲ ἡμέρας ἤδη προαγούσης ἐπὶ πολὺ, καὶ σχεδὸν ἀπεγνωκότων τῶν περὶ τὸν Τίτον, παρῆν ὁ Φίλιππος δείλης ὀψίας ἐπιφαινόμενος, μεθ᾽ ὧν καὶ πρότερον κατατετριφὼς τὴν ἡμέραν, ὡς μὲν αὐτὸς ἔφη διὰ τὴν ἀπορίαν καὶ δυσχρηστίαν τῶν ἐπιταττομένων, ὡς δὲ τοῖς ἄλλοις ἐδόκει βουλόμενος ἐκκλεῖσαι τῷ καιρῷ τήν τε τῶν Ἀχαιῶν καὶ τὴν τῶν Αἰτωλῶν κατηγορίαν. ἑώρα γὰρ τῇ προτέρᾳ ἀπαλλαττομένους ἀμφοτέρους τούτους ἑτοίμους ὄντας πρὸς τὸ συμπλέκεσθαι, καὶ μεμψιμοιρεῖν αὐτῷ, διὸ καὶ τότε συνεγγίσας ἠξίου τὸν τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸν ἰδίᾳ πρὸς αὐτὸν διαλεχθῆναι περὶ τῶν ἐνεστώτων, ἵνα μὴ λόγοι λέγωνται μόνον ἐξ ἀμφοτέρων ἀψιμαχούντων, ἀλλὰ καὶ τέλος τι τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἐπιτεθῇ. πλεονάκις δὲ αὐτοῦ παρακαλοῦντος καὶ προσαξιοῦντος ἤρετο τοὺς συμπαρόντας ὁ Τίτος, τί δέον εἴη ποιεῖν, τῶν δὲ κελευόντων συνελθεῖν, καὶ διακοῦσαι τῶν λεγομένων· παραλαβὼν ὁ Τίτος Ἄππιον Κλαύδιον χιλίαρχον ὄντα τότε, τοὺς μὲν ἄλλους μικρὸν ἀπὸ τῆς θαλάττης ἀναχωρήσαντας αὐτοῦ ἀναδέχεσθαι, αὐτὸν δὲ τὸν Φίλιππον ἐκέλευσεν ἐκβαίνειν. ὁ δὲ βασιλεὺς παραλαβὼν Ἀπολλόδωρον, καὶ Δημοσθένην, ἀπέβη. συμμίξας δὲ Τίτῳ διελέγετο καὶ πλείω χρόνον. τίνα μὲν οὖν ἦν τὰ τότε ῥηθέντα παρ᾽ ἑκατέρων, δυσχερὲς εἰπεῖν. ἔφη δ᾽ οὖν Τίτος μετὰ τὸ χωρισθῆναι τὸν Φίλιππον διασαφῶν τοῖς ἄλλοις τὰ παρὰ τοῦ βασιλέως, Αἰτωλοῖς μὲν ἀποδοῦναι Φάρσαλον, καὶ Λάρισαν, Θήβας δ᾽ οὐκ ἀποδοῦναι. Ῥοδίοις δὲ τὴν μὲν Περαίαν παραχωρεῖν, Ἰασσοῦ δὲ καὶ Βαργυλιῶν οὐκ ἐκχωρεῖν. Ἀχαιοῖς δὲ παραδιδόναι, τὸν Κόρινθον καὶ τὴν τῶν Ἀργείων πόλιν. Ῥωμαίοις δὲ κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα φάναι παραδώσειν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους πάντας. Ἀττάλῳ δὲ τάς τε ναῦς ἀποκαταστήσειν, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐν ταῖς ναυμαχίαις ἁλόντων ὅσοι πάρεισι. πάντων δὲ τῶν παρόντων δυσαρεστούντων τῇ διαλύσει, καὶ φασκόντων δεῖν τὸ κοινὸν ἐπίταγμα πρῶτον ποιεῖν, τοῦτο δ᾽ ἦν ἁπάσης ἐκχωρεῖν τῆς Ἑλλάδος. εἰ δὲ μὴ, διότι τὰ κατὰ μέρος μάταια γίγνεται, καὶ πρὸς οὐδὲν, θεωρῶν ὁ Φίλιππος τὴν ἐν αὐτοῖς ἀμφισβήτησιν, καὶ δεδιὼς ἅμα τὰς κατηγορίας, ἠξίου τὸν Τίτον ὑπερθέσθαι τὴν σύνοδον εἰς τὴν αὔριον, διὰ τὸ καὶ τὴν ὥραν εἰς ὀψὲ συγκλείειν, ἢ γὰρ πείσειν, ἢ πεισθήσεσθαι τοῖς παρακαλουμένοις. τοῦ δὲ συγχωρήσαντος ταξάμενοι συμπορεύεσθαι πρὸς τὸν κατὰ Θρόνιον αἰγιαλὸν, τότε μὲν ἐχωρίσθησαν. τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ πάντες ἧκον ἐπὶ τὸν ταχθέντα τόπον ἐν ὥρᾳ, καὶ βραχέα διαλεχθεὶς ὁ Φίλιππος, ἠξίου πάντας, μάλιστα δὲ τὸν Τίτον μὴ διακόψαι τὴν διάλυσιν. τῶν γε δὴ πλείστων εἰς συμβατικὴν διάθεσιν ἠγμένων, ἀλλ᾽ εἰ μὲν ἐνδέχεται δι᾽ αὐτῶν συνθέσθαι χωρὶς περὶ τῶν ἀντιλεγομένων, εἰ δὲ μὴ πρεσβεύσειν ἔφη πρὸς τὴν σύγκλητον, κἀκείνην πείσειν περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, ἢ ποιήσειν ὅτι ποτ᾽ ἂν ἐπιτάττῃ. ταῦτα δὲ αὐτοῦ προτείνοντος, οἱ μὲν ἄλλοι πάντες ἔφασαν δεῖν πράττειν τὰ τοῦ πολέμου, καὶ μὴ προσέχειν τοῖς ἀξιουμένοις. ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς, οὐκ ἀγνοεῖν μὲν οὐδ᾽ αὐτὸς ἔφη, διότι τὸν Φίλιππον οὐκ εἰκὸς ἐστὶ ποιήσειν τῶν παρακαλουμένων οὐδέν. τοῦ δὲ ἁπλῶς μηδὲν ἐμποδίζειν τὰς σφετέρας πράξεις, τὴν αἰτουμένην χάριν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἐνδεχομένην εἶναι χαρίζεσθαι. κυρωθῆναι μὲν γὰρ οὐδ᾽ ὣς εἶναι δυνατὸν οὐδὲν τῶν νῦν λεγομένων ἄνευ τῆς συγκλήτου. πρὸς δὲ λαβεῖν πεῖραν τῆς ἐκείνων γνώμης εὐφυῶς ἔχειν τὸν ἐπιφερόμενον καιρόν. τῶν γὰρ στρατοπέδων οὐδ᾽ ὡς δυναμένων οὐδὲν πράττειν διὰ τὸν χειμῶνα, τοῦτον ἀποθέσθαι τὸν χρόνον εἰς τὸ προσαναφέρειν τῇ συγκλήτῳ περὶ τῶν προσπιπτόντων, οὐκ ἄθετον, ἀλλ᾽ οἰκεῖον εἶναι πᾶσι. ταχὺ δὲ συγκατατιθεμένων ἁπάντων διὰ τὸ θεωρεῖν τὸν Τίτον οὐκ ἀλλότριον ὄντα τῆς ἐπὶ τὴν σύγκλητον ἀναφορᾶς, ἔδοξε συγχωρεῖν τῷ Φιλίππῳ πρεσβεύειν εἰς τὴν Ῥώμην, ὁμοίως δὲ καὶ παρ᾽ αὐτῶν πέμπειν ἑκάστους πρεσβευτὰς τοὺς διαλεχθησομένους τῇ συγκλήτῳ, καὶ κατηγορήσοντας τοῦ Φιλίππου, τοῦ δὲ τὸ πρᾶγμα τῷ Τίτῳ τοῦ κατὰ τὸ σύλλογον κατὰ νοῦν καὶ κατὰ τοὺς ἐξαρχῆς διαλογισμοὺς προκεχωρηκότος πραγματικῶς τὸ συνεχὲς τῆς ἐπιβολῆς ἐξυφαίνετο, τά τε κατ᾽ αὐτὸν ἀσφαλιζόμενος ἐπιμελῶς, καὶ προλήμματος τοῦ Φιλίππου ποιῶν οὐδέν. δοὺς γὰρ ἀνοχὰς διμήνους αὐτῷ τὴν μὲν πρεσβείαν τὴν εἰς τὴν Ῥώμην ἐν τῷ χρόνῳ συντελεῖν ἐπέταξε, τὰς δὲ φρουρὰς ἐξάγειν παραχρῆμα τὰς ἐκ τῆς Φωκίδος καὶ Λοκρίδος ἐκέλευσεν. Ex hac verborum collatione cum ſingulare Liuij in vertendo Polybio ſtudium cognoſcitur: tum vero alia multa, quæ Liuianam patefacere ſententiam poſſunt. Quorum exempli cauſa vnum illud eſt: *Quintius poſtero die ad Nicæam venit*, quo loco ſubaudiendum eſt, *iterum*, vt recte Glareanus intellexit. habet enim Polybius πάλιν. Alterum quod cū ait: *Rex cum duobus, quos pridie adhibuerat.* Apollodorum & Demoſthenem intelligit, de quibus laborat Glareanus. Tertium, quod cum ait, *litus ad Thronium*, recte habet. Nam etiam κατὰ Θρόνιον αἰγιαλὸν edit Polybius, quamquam in veterib. libris eſt *Athonium*. Reliqua eiuſmodi ſunt, quæ ſi diligentius comparentur, cum voluptatem, tum vtilitatem afferre ei, quid id fecerit, incredibilem poſſint.

Cap. xxxvi. *Et ipſo Quintius cum ſociorū legatis Aminandrū Athamanum regem, vt que ſpeciem legationis adijceret Q. Fabiū, vxoris Quintij ſororis filius erat, et Q. Fuluium, & P. Claudium miſit.*] Veteres libri habent. *Ap. Claudium.* Polybius: *App. Claudium Neronem.* Verba eius ſunt: καὶ τὸν μὲν Ἀμύνανδρον εἰς τὴν Ῥώμην ἐξέπεμπε παραχρῆμα γνοὺς αὐτὸν εὐάγωγον ἐσόμενον, καὶ ῥᾳδίως ἐξακολουθήσοντα τοῖς ἐκεῖ φίλοις ἐφ᾽ ὁπότερ᾽ ἂν ἄγωσιν αὐτὸν, κατάπληξιν δὲ ποιήσοντα, καὶ προσδοκίαν διὰ τὸ τοῦ βασιλέως ὄνομα. μετὰ δὲ τοῦτον ἐξέπεμπε τοὺς παρ᾽ αὐτοῦ πρεσβευτὰς, Κόιντόν τε τὸν Φάβιον, ὃς ἦν αὐτῷ ἀπὸ γυναικὸς ἀδελφιδοῦς, καὶ Κόιντον Φόλβιον. σὺν δὲ τούτοις Ἄππιον Κλαύδιον ἐπικαλούμενον Νέρωνα. Eiuſdem Ap. Claudij Neronis meminit etiam poſt libro trigeſimo quarto Liuius.

Cap. xxxvii. *Vt ventum Romam eſt, prius ſociorum legati, quam regis auditi ſunt. cetera eorū oratio conuicijs regis conſumpta eſt, mouerunt eo maxime ſenatum demonſtrando maris, terrarumque regionis eius ſitum, vt omnibus appareret, ſi Demetriadem in Theſſalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia rex teneret, non poſſe liberam Græciam eſſe, et ipſum Philippum non contumelioſius, quam verius compedes eas Græciæ appellare.*] Hæc à Polybio quoque ſumpta ſunt, cuius hæc verba ſunt: εἰσελθόντες εἰς τὴν σύγκλητον πάντες κατηγόρουν ἀποτόμως τοῦ Φιλίππου. τὰ μὲν οὖν ἄλλα παραπλήσια τοῖς καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν βασιλέα πρότερον εἰρημένοις ἦν. τοῦτο δ᾽ ἐμφανῶς ἐπιστατικῶς ἐνεποίουν τῇ συγκλήτῳ πάντες, διότι τῆς Χαλκίδος, καὶ τοῦ Κορίνθου, καὶ τῆς Δημητριάδος ὑπὸ τῷ Μακεδόνι ταττομένων, οὐχ οἷόν τε εὔνοιαν λαβεῖν ἐλευθερίας. ὃ γὰρ αὐτὸς Φίλιππος εἶπε τοῦτο, καὶ λίαν ἀληθὲς ἔφασαν ὑπάρχειν, ὅς ἔφη τοὺς προειρημένους τόπους εἶναι πέδας Ἑλληνικάς. Idem fere de compedibus Græciæ, quas πέδας Græci vocant, Plutarchus in Quintio.

Eod. *Legati deinde regis intromiſſi, quibus longiorem orationem exorſis breuis interrogatio, ceſſurus ne iis tribus vrbibus eſſet, ſermonem incidit, cum mandatum ſibi de his nominatim negarent quicquam, ſic infecta pace regij dimiſſi. Quintio liberum arbitrium pacis, ac belli permiſſum.*] Polybius ſic: οἱ δὲ παρὰ τοῦ Φιλίππου παρεσκευάζοντο μὲν ἐπὶ πλεῖον τείνοντες τοὺς λόγους, ἐν ἀρχαῖς δὲ εὐθέως ἐκωλύθησαν, ἐρωτηθέντες γὰρ εἰ παραχωροῦσι τῆς Χαλκίδος, καὶ Κορίνθου, καὶ Δημητριάδος ἀπεῖπαν μηδεμίαν ἔχειν περὶ τούτων ἐντολήν. οὗτοι μὲν οὖν ἐπιτιμηθέντες, οὕτω κατέπαυσαν τὸν λόγον. ἡ δὲ σύγκλητος τοὺς μὲν ὑπάτους ἀμφοτέρους εἰς Γαλατίαν ἐξαπέστειλε, τὸν δὲ πρὸς Φίλιππον πόλεμον ἐψηφίσατο κατὰ νόμον εἶναι, δοῦσα τῷ Τίτῳ τὴν ἐπιτροπὴν περὶ τῶν Ἑλληνικῶν.

Cap. xxxviii. *Portaque clauſa.*] Vet. lib. *Porta clauſa.*

Cap. xxxix. *Poſteaquam in poteſtate Argiuorum ciuitas erat.*] Veteres libri, *Poſteaquam in poteſtate Nabidis Argiuorum ciuitas erat.*

IN EPITOMEN LIB. XXXIII.

ATtalus à Thebis ob ſubitam valetudinem tranſlatus deceſſit.] Veteres libri. *Pergamum tranſlatus*, recte. Liuius enim ita: *Attalus æger Thebis Pergamum aduectus moritur.*

L. Furius, & Claudius Marcellus.] Veteres libri, *L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus.*

IN LIBRUM XXXIII.

IN hoc libro emendando veterum manuſcriptorum librorum ope caruimus, iudicio tantummodo, ſi quid in-ſidere alicubi nobis vitij viſum eſt, vſi ſumus. Deeſt aūt huic libro expoſitio prœlij, quo Philippus ad Cynoſcephalas est

fugatus ac victus à T. Quintio, itemque magna pars eius, quo L. Quintius frater eius Leucadem expugnauit. Quod ex epitome libri intelligi poteſt, in qua hæc prima verba ſunt: *T. Quintius Flaminius pro conſul cum Philippo ad Cynoſcephalas in Theſſalia acie victo debellauit. L. Quintius Flaminius frater proconſulis Acarnanes Leucade vrbe, quæ caput eſt Arcanania expugnata, in deditionem accepit.* itaque ait Liuius: *Et poſt dies paucos audito prœlio, quod ad Cynoſcephalas pugnatum erat, omnes populi Acarnania in deditionem venerunt*: Legatum autem L. Flaminium intelligit. Et paulo poſt: *Hæc in Theſſalia, hæc in Achaia, hæc in Aſia per eoſdem dies ferme geſta.* Intelligit autem, quæ T. Quintius ad Cynoſcephalas, quæ Lucius in Acarnania, quæ Rhodij in Peræa geſſerunt, quæque ab iis geſta paulo ante ipſe expoſuerat. Prœlium ad Cynoſcephalas pugnatum extat adhuc apud Polybium diligentiſſime deſcriptum, reliqua apud eum interciderunt.

Cap. II. *Lano Agrianos.*] *Agrianas* puto legendum ex Stephano, qui cum multis modis hanc vocem editam doceat, *Agrianos* tamen nunquam *Agrianas* certe dictos affirmat. Fœdius apud Ciceronem in Piſonem legitur *Aggrinarum, & Dolopum*, pro *Agrianum.*

Eod. *Bargylas petentes.*] *Bargylia*, aut *Bargylias* legendum eſt. Quamquam Stephanus non niſi *Bargylia* neutro genere, & *Bargyliam* muliebri dici ait.

Cap. V. *Moritur altero, & ſeptuageſimo, cum quatuor, & quadraginta annos regnaſſet.*] Suidas in voce Ἄτταλος hunc locum vertit, ac duos & ſeptuaginta annos vixiſſe hunc ait. Quod autem ſequitur: *Vxorem ac liberos duos ſuperſtites habuit*, legendum eſt, *quatuor* Eumenem, Attalum, Athenæum, & Philetærum, quorum meminit Liuius libro 24. & Appian. in Syriaco.

Cap. VI. *Cum Culea decem & ſeptem oppida.*] Libr. 28. *Colcam* appellat duo de triginta oppidis regnantem. Idem à Polybio Κολιχᾶς dicitur. Soſpicor autem ne hoc etiam loco XXVIII. pro XVII. oppidis ex ſuperiore loco ſit reponendum. Verum libri deſunt, quos inſpiciamus.

Eod. *His literis à M. Sergio, cuius iuriſdictio inter ciues & peregrinos erat, recitatis.*] Opinor hæc verba inducenda eſſe: *Cuius iuriſdictio inter ciues, et peregrinos erat.* Cur ita opinor hæ cauſæ ſont: primum quod M'. hic Sergius prætor vrbanus erat, hæc autem verba, peregrinum deſcribunt. Deinde quia prætoris vrbani negotium erat literas recitare, non peregrini. Tertio loco, quia paulo ante libro ſoperiore idem M. Sergius prætor. vrb. hoc officium præſtitiſſe dicitur ab eodem Liuio cum ait: *M'. Sergius prætor vrb. in ſenatu eas recitauit.* Quarto, quia non ſolet Liuius, vbi ſemel prætorem vrbanum nominauit quemquam, ſi ſit iterum idem nominandus, niſi prætorem addere, vt paulo poſt: *Hæ literæ prius in ſenatu à Sergio prætore recitatæ*: prætermiſit autem, *vrbano*. puto autem ea verba eſſe ex albo libri deſumpta, vbi illuſtrandi loci cauſa ab inſcio aliquo fuerãt ſcripta. Significari autem prætorem peregrinum, cum ait: *Inter ciues, & peregrinos*, inferiora, quæ recitabo teſtimonia, demonſtrabunt. Eſt autem primom intelligendum, prætores duos creari conſueuiſſe, qui Romæ ius dicerent, alterum qui peregrinis. vt Liuius libro quadrageſimo ſecundo: *His prætorib. prouincia decreta dua iure Romæ dicundo.* Et lib. 43. *Deſignatis prætoribus præter duas vrbanas, quatuor prouinciæ ſuns decretæ.* Itaque plerumque ſolet vnam vrbanam, alteram peregrinam prouinciam nominare, alias vero vnam vrbanam iuriſdictionem, alteram vel inter peregrinos, vel inter ciues & peregrinos, vt lib. 40. *Iuriſdictio vrbana M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos M. Valerio euenit.* Et lib. 41. *Prætores L. Papyrius Maſo vrbanam, M. Aburius inter peregrinos ſortiti ſunt.* lib. 42. *Prætores deinde prouincias ſortiti ſunt: A. Atilius Serranus vrbanam, C. Cluuius Saxula inter ciues, & peregrinos.* lib. 33. *Prætores deinde prouincias ſortiti, L. Apuſtius Fullo vrbanam iuriſdictionem, M. Acilius Glabrio inter ciues & peregrinos.* Et libro vigeſimo ſecundo, *Romæ iuris dicendi vrbana ſors Pomponio, inter ciues Romanos & peregrinos P. Furio Philo euenit.* Hoc autem anno Q. Minucio peregrinam prouinciam obtigiſſe tradit idem Liuius in comitiis prætoriis exponendis.

Cap. X. *Dubios ſententia patres fecerat.*] Veteres libri, *Sententia.*

Eod. *Omnes quinque & triginta tribus Vti rogata iuſſerunt.*] *Vti rogas*, vt ſupra ſæpe admonui.

Eod. *T. Quinctius Flamininus cum duabus legionibus prouinciam eodem exercitu obtinere iuſſus, imperium ei prorogatum.*] Vetus vnum quod extat, exemplar huius libri, vt aiunt, habet: *Imperium ei prorogatum ſatis iam ante diuidere.* Quæ verba Gelenius profitetur ſe, vt ad rei ſenteotiam non pertinentia ſuſtuliſſe. Fecit autem iniuſte: nam ſententia optima eſt, ſi quod in is vitium eſt, tollas ita: *imperium ei prorogatum ſatis iam ante videri.* Cauſam enim affert, cur Quintio non prorogarunt imperium, quia, inquit, priore decreto ſatis prorogatum iudicabant. Hoc autem decretum ſcriptum eſt anoo ſuperiore, de quo ſic Liuius *T. Quintio prorogarunt imperium, donec ſucceſſor ei veniſſet.*

Eod. *M. Acilius Glabrio.*] *M'. Acilius*, ex conſulatu Capitol. & Plutarcho.

Eod. *T. Sempronius Longus.*] *Ti. Sempronius*, ex conſulatu Capitolino.

Eod. *Bellum in Hiſpania quinto poſt anno, quam ſecundum bellum Punicum, finitum eſt.*] In veteri illo vno exemplari, teſte Gelenio, ita eſt, *Bellum in Hiſpania quinto poſt anno exitum eſt, quam ſimul cum Punico bello fuerat finitum.* Quæ verba ſic legenda eſſe cenſet Glareanus: *Bellum in Hiſpania quinto ante anno, quam ſecundũ bellum Punicum finitum eſt.* Ego autem ita: *Bellum in Hiſpania quinto poſt anno exortum eſt, quam ſecundum bellum fuerat finitum.* Hanc lectionem ſi confirmauero nihil erit, quod quiſquam duas illas ſequatur. Bellum nouum in Hiſpania excitatum eſſe ſignificat annos quinque, poſtquam cum Pœnis debellatum erat. Finitum eſt enim anno DXLIX. Hoc declarat Liuius, cum ait paulo ante: *Ingens in Hiſpania vlteriore coortum eſt bellum.* & hoc loco exponit cauſam, cur nouum hoc bellum appellet, quia tum primum ſuo nomine nullo Punico exercitu, aut duce ad arma ierant. Neque vero bellum aliquando in Hiſpania finitum poteſt intelligere, quemadmodum duabus illis lectionibus ſignificatur, cum & ante, & poſt confectum Punicum bellum à proconſulibus in prouincia bellatum ſit, vt ſupra oſtendi.

Cap. XI. *Tuſco vico, atque inde Melio per portam Capenam.*] Quid ſit Romæ *Melium* nemo ſcit, *Æquimelium*, omnes. Itaque legendum puto, *ac Aequimelio.* Nam ante legebatur, *Atque Intemelio.* lib. 38. *Subſtructionem ſuper Aequimelium in Capitolio, & viam ſilice ſternendam à porta Capena ad Martis locauerunt.*

Cap. XII. *Iiſdem diebus Cn. Cornelius Lentulus, qui ante Sempronium Tuditanum citeriorem Hiſpaniam obtinuerat, cum ex S. C. vrbem eſſet ingreſſus, tulit præ ſe auri mille, & quingenta pondo.*] Hic eſt ille Cn. Lentulus, de quo ſupra lib. 31. extremo. *Plebes Cn. Cornelio Lentulo, & L. Stertinio proconſulibus imperium eſſe in Hiſpania iuſſit.* Probo autem valde coniecturam Glareani, qui ſuſpicatur legendum eſſe: *Ex S. conſulto ouans vrbem eſſet ingreſſus*: vel *ex S. C. triumphans vrbem eſſet ingreſſus.* Coniecturam autẽ ſuam ille recte inde ducit, quod de Stertinio collega ſubdit ita: *L. Stertinius ex vlteriore Hiſpania ne tentata quidẽ triumphi ſpe, quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit.* Egregie. Cur enim neceſſe erat dicere: *Ne tentata quidem triumphi ſpe*: niſi collegam eius Lentulum triumphaſſe dixiſſet? Puto tamen *ouantem* eum ingreſſum eſſe, non *triumphãtem.* Primum, quia vſitatior dicendi forma eſt, vt in Ouatione dicatur, *ingreſſus eſt*, aut *iniit Ouans vrbem.* Deinde quia ei, qui ſine magiſtratu res geſſerat adhuc, niſi vt Ouans iniret permiſſum fuerat, vt de L. Lentulo ſupra libro trigeſimo primo, *Decurrerunt eo, vt ouans vrbem iniret.*

Perinde atque id ipſi à Quintio & Romanis datum eſſet.] Ante legebatur: *Perinde atque ab ipſo id, & non à Quintio.* Quam lectionem probo in primis. Hæc enim à ſenſu aliena eſt.

Cap. XIII. *Barcillam quendam.*] Hanc in aliis libris nominat Liuius *Brachillam*, vt eſt in Manuſcriptis. Polybius Βραχύλλην itemque Plutarchus.

Cap. XV. *C. Claudio Aerephiam ire iuſſo.*] *Ap. Claudio*, vt ante ex Polybio.

Cap. XVI. *Bargyllis & Iaſſo*:] *Bargylliis & Iaſo*, vt ante.

Eod. *Eæ quoque enim placere liberas eſſe Decianorum libertate Quintius Pruſia Bithyniorum regi ſcriberet, quid ſenatui, & decem*

legatis placuiſſe.] Merito hæſitauit hoc loco Glareanus. Non eſt autem mentem auctoris, & veritatem lectionis aſſequutus, eum pro, *Decianorum*, *decem legatorum* ſupplendum eſſe cenſuit. Sunt enim duæ voces, *de Cianorum* quæ ſequenti ſententiæ annectendæ, ſunt modo: *De Cianorum libertate Quintius Pruſiæ Bithyniorum regi ſcriberet.* De Cianis & eorum clade ſupra ſæpius dictum eſt. Sic enim Philippus libro priore. *Neque ego Cium expugnaui, ſed Pruſiam ſocium, & amicum oppugnantem adiuui.* Et Polybius libro decimo quinto: φίλον γὰρ ὑπάρχοντα, καὶ σύμμαχον Αἰτωλῶν Λυσιμαχέων, Χαλκηδονίων, καὶ Κιανῶν πρῶτον μὲν προσηγάγετο τὴν Λυσιμαχέων πόλιν ἀποσπάσας ἀπὸ τῆς τῶν Αἰτωλῶν συμμαχίας, δευτέραν δὲ τὴν Χαλκηδονίων, τρίτην δὲ τὴν Κιανῶν ἐξηνδραποδίσατο, στρατηγοῦ παρ' Αἰτωλῶν ἐν αὐτῇ διατρίβοντος, καὶ προεστῶτος τῶν κοινῶν. Προυσίας δὲ καθὸ μὲν ἡ πρόθεσις αὐτοῦ συντελείας ἔτυχε, περιχαρὴς ἦν. καθὸ τὰ μὲν ἆθλα τῆς ἐπιβολῆς ἕτερος ἀπέφερε, αὐτὸς δὲ πόλεως οἰκόπεδον ἔρημον ἐκληρονόμει, δυσχερῶς διέκειτο. Et Suidas: Κιανοὶ οἱ τῆς Κίου, οὓς Προυσίας παρασπονδήσας ἐξέβαλε διά τινας αἰτίας.

Cap. XVII. *Si Ætolorum linguas retunderet.*] *Retundere*, perſpicue legendum eſt, vt ſit. *ſi Ætolorum linguas retundere vellet.*

Cap. XVIII. *Senatus Romanus, & T. Quintius imperator Philippo rege, Macedonibuſque deuictis liberos immunes, ſuis legibus eſſe iubet Corinthios, Phocenſes, Locreteſque omnes, & inſulam Eubœam, & Magnetas, Theſſalos, Perrabios. Acheos, Phthiotas. Percenſuerunt omnes gentes, quæ ſub ditione Philippi regis fuerunt.*] Glareanum non laudo, qui arbitratur hoc loco nomina aliquot populorum intercidiſſe: cur non laudem, Plutarchus in cauſa eſt, qui totidem pene verbis hanc rem in Flaminino exponit: προσελθὼν εἰς μέσον ὁ κῆρυξ ἀνεῖπεν, ὅτι Ῥωμαίων ἡ σύγκλητος καὶ Τίτος Κοίντιος στρατηγὸς ὕπατος καταπολεμήσαντες βασιλέα Φίλιππον, καὶ Μακεδόνας ἀφιᾶσιν ἀφρουρήτους καὶ ἐλευθέρους, καὶ ἀφορολογήτους, νόμοις χρωμένους τοῖς πατρίοις Κορινθίους, Λοκρούς, Φωκεῖς, Εὐβοέας, Ἀχαιούς, Φθιώτας, Μάγνητας, Θετταλούς, Περραιβούς. Cum igitur totidem apud Plutarchum ſint nomina populorum, quot apud Liuium, à quo hæc ſumpſit Plutarchus, profecto nihil hoc loco deſiderari iudicãdum eſt. Quod autem vocibus illis mouetur Glareanus, *percenſuerat omnes gentes, quæ ſub ditione Philippi regis fuerant*, intelligendum eſt eas vitioſe legi. placet autem vt legatur: *percenſuit inde omnes gentes*, id eſt, poſt Græcos, Macedoniæ etiam populos nominauit, vt Dolophas, Oreſtas, Lyeum, Parthinos, vtraque enim gens cum ſit Illyriorum, ſub ditione Philippi fuerat. Error ortus eſt ex compendioſa ſcriptura, ex *percenſuit in*, factum eſt, *percenſuerunt*. Porro autem apparet ex Plutarcho legendum eſſe *Perrebi*, non *Perrœbi*.

Cap. XIX. *Hoc ſpe concipi, audacis animi fuiſſe, ad effectum adducere virtutis, & fortuna gentis.*] Apertior erit locus, ſi ita legas: *Hoc ſpe concipere, audacis animi fuiſſe, ad effectum adducere virtutis, & fortunæ ingentis.*

Cap. XX. *Herea.*] *Heræa.* vt ſupra.

Eod. *Lingus, & Parthini.*] *Lycus, et Parthini*, Lycus in Daſſaritiis, vt ait Plutarchus in Quintio, quos eoſdem cum Parthinis Illyriorum populos facit Appianus in principio Illyrici: *Parthinos* etiam Capitolini lapides habent.

Cap. XXI. *P. Lentulus Bargyllas, L. Stertinius Hepheſthiam, & Thaſſum, & Thraciæ vrbes, P. Villius, & L. Terentius ad regem Antiochum, Cn. Cornelium ad Philippum.*] Hæc ſic Plutarch. ἅμα γὰρ ἐξέπεμψεν ὁ Τίτος Λέντυλον μὲν εἰς Ἀσίαν Βαργυλιήτας ἐλευθερώσοντα, Τιτίλλιον δὲ εἰς Θρᾴκην, τὰς αὐτόθι πόλεις, καὶ τὰς νήσους ἀπαλλάξοντα τῶν Φιλίππου φρουρῶν, Πόπλιος δὲ Οὐίλλιος ἔπλευσε διαλεξόμενος Ἀντιόχῳ περὶ τῆς τῶν ὑπ' αὐτῷ Ἑλλήνων ἐλευθερίας. Ex his apparet pro *Stertinio Titillium*, eſſe reſtituendum: ſiquidem ante etiam legebatur *L. Thermus*.

Eod. *Aduerſus ea reſpondere, ne altercationem excederet res, eum ſuperſediſſet Romanus.*] Perſpicue legendum eſt, *Ne in altercationem excederet res.* vt lib. 34. *Quæ ſtudiis in magnum certamen exceſſerit.*

Cap. XXII. *T. Sempronius Gracchus, M. Iunius Silanus.*] Ex Capitol. lapidibus.

Eod. *Marcellus Pado confeſtim traiecto in agrum Comenſem, vbi Inſubres Comenſibus ad arma excitis, caſtra habebant, ducit, legiones in ipſo itinere prœlium committunt, & primo adeo acriter inuaſerunt, vt anteſignanos impulerint.*] Vox, *ducit*, à Glareano addita eſt, quæ ante nulla erat. † Glareanus *induxit*, legit, non *ducit*. † Recte, quod loci vitium ſenſit, non ſat recte, quod multas alias voces deſiderari non ſenſit. Nam ſi dicamus legiones Romanorum in ipſo itinere prœlium commiſiſſe, eaſdem etiam intelligendum eſt adeo acriter inuaſiſſe, vt anteſignanos impulerint. Quod tamen de Gallis accipiendum eſt. Videntur autem hæc omnia deſiderari. *Marcellus Pado confeſtim traiecto, in agrũ Comenſem, vbi Inſubres Comenſibus ad arma excitis caſtra habebant, legiones induxit. Cuius aduentu audito, Galli confeſtim occurrunt, atque in ipſo itinere prœlium committunt, & primo adeo acriter inuaſerũt, vt anteſignanos impulerint. Quod vbi conſul animaduertit, veritus, &c.* Itaque aſteriſco, vt ante hunc locum ſignandum cenſeo, ſic *Legiones * in ipſo.*

Cap. XXIII. *Lenos Libuoſque.*] *Lenos Lebuoſque* legendum puto, vt lib. 5. Hos vocat lib. 2. Polyb. Λαοὶ & Λεβέκιοι.

Cap. XXIV. *Terreſtres copias ab Abydo traiecit Cherſoneſi vrbem.*] Ante legebatur, *ad Abydum.* Quia vero Abydus non eſt in Cherſoneſo, ſed in Helleſponto, placet Glareano legi *Madytum*, cuius vrbis etiam ſupra Cherſoneſo meminit Liuius, quod proho.

Cap. XXV. *Et decem legatorum P. Lentulus à Bargyllis, P. Villius, & L. Terentius à Thaſſo Lyſimachiam petierunt, eodem & à Selymbria L. Cornelius, & ex Thracia poſt paucos dies Antiochus conuenerunt.*] Hæc à Polybio verſa ſunt, qui ſi ait: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἧκον μετὰ τῶν δέκα Πόπλιος Λέντυλος ἐκ Βαργυλίων. Λεύκιος δὲ Τερέντιος καὶ Πόπλιος Οὐίλλιος ἐκ Θάσου. ταχὺ δὲ τῷ βασιλεῖ διασαφηθείσης τῆς τούτων παρουσίας, πάντες ἐν ὀλίγαις ἡμέραις ἠθροίσθησαν εἰς τὴν Λυσιμάχειαν.

Eod. *Primus congreſſus cum legatis, et deinceps inuitatio benigna, & hoſpitalis fuit, vt de mandatis, ſtatuque præſenti Aſiæ agi cœptum eſt, animi exaſperati ſunt.*] Polybius ita: αἱ μὲν οὖν κατ' ἰδίαν ἐντεύξεις τοῦ τε βασιλέως, καὶ τῶν Ῥωμαίων τελέως ἦσαν ἀφελεῖς, καὶ φιλάνθρωποι. μετὰ δὲ ταῦτα γενομένης συνεδρείας κοινῆς ὑπὲρ τῶν ὅλων ἀλλοιοτέραν ἔλαβε τὰ πράγματα διάθεσιν.

Eod. *Romani omnia acta eius ex quo tempore è Syria claſſe ſolniſſet, diſplicere ſenatui non diſſimulabant, reſtituique Ptolemæo ciuitates omnes, quæ ditionis eius fuiſſent, æquum cenſebant. Nam quod ad eas ciuitates attineret, quas à Philippo poſſeſſas Antiochus per occaſionem verſo Philippo in Romanum bellum, intercepiſſet: id vero ferendum non eſſe, Romanos per tot annos terra marique tanta pericula ac labores exhauſiſſe, Antiochum belli præmia habere.*] Polyb. ita: ὁ γὰρ Λεύκιος ὁ Κορνήλιος ἠξίου μὲν, καὶ τῶν ὑπὸ Πτολεμαῖον ταττομένων πόλεων, ὅσας νῦν εἴληφε κατὰ τὴν Ἀσίαν, παραχωρεῖν τὸν Ἀντίοχον. τῶν δ' ὑπὸ Φιλίππου διεμαρτύρετο ἐντόνως ἐξίστασθαι. γελοῖον γὰρ εἶναι Ῥωμαίων ἆθλα τοῦ γεγονότος αὐτοῖς πολέμου πρὸς Φίλιππον, Ἀντίοχον ἐπελθόντα παραλαμβάνειν.

Eod. *Sed vt in Aſiam aduentus eius diſſimulari ab Romanis, tamquam nihil ad eos pertinens, potuerit, quod iam etiam in Europam omnibus naualibus terreſtribuſque copiis tranſierit, quantum à bello aperto Romanis abeſſe?*] Hæc Polyb. multo apertius: καθόλου δ' ἔφη θαυμάζειν τίνι λόγῳ, τοσαύταις μὲν πεζικαῖς, τοσαύταις δὲ ναυτικαῖς δυνάμεσι πεποίηται τὴν εἰς Εὐρώπην διάβασιν. πλὴν γὰρ τοῦ προτίθεσθαι Ῥωμαίοις ἐγχειρεῖν αὐτὸν, οὐδ' ἕνα ἕτερον καταλείπεσθαι παρὰ τοῖς ὀρθῶς λογιζομένοις.

Cap. XXVI. *Ad ea rex, ſatis iam ante videre ſe, Romanos inquirere quid regi Antiocho faciendum: at quouſque terra marique progrediendum fuerit ipſis, non cogitare: Aſiam nihil ad populum Romanum pertinere, nec magis illis inquirendum eſſe, quid Antiochus in Aſia, quam Antiocho quid in Italia populus Rom. faciat.*] Polybius ita: ὁ δὲ βασιλεὺς πρῶτον μὲν διαπορεῖν ἔφη κατὰ τίνα λόγον ἀμφισβητοῦσι πρὸς αὐτὸν ὑπὲρ τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας πόλεων. πᾶσι γὰρ μᾶλλον ἐπιβάλλειν τοῦτο ποιεῖν, ἢ Ῥωμαίοις. δεύτερον δ' ἠξίου μηδὲν αὐτοὺς πολυπραγμονεῖν τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οὐδὲ γὰρ αὐτὸς περιεργάζεσθαι τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἁπλῶς οὐδέν.

Eod. *Nec ex Philippi quidem aduerſa fortuna ſpolia vlla ſe petiſſe, aut aduerſus Romanos in Europam traieciſſe † fuerit, quo victo omnia quæ illius fuiſſent, iure belli Seleuci facta ſint, exiſtimare ſuæ ditionis eſſe.*] Polybius ita: εἰς δὲ τὴν Εὐρώπην ἔφη διαβεβηκέναι μετὰ τῶν δυνάμεων ἀνακτησόμενος τὰ κατὰ τὴν Χερρόνησον καὶ τὰς ἐπὶ Θρᾴκης πόλεις. τὴν γὰρ τῶν τόπων τούτων ἀρχὴν μάλιστα πάντων αὐτῷ καθήκειν. εἶναι μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς τὴν δυναστείαν ταύτην Λυσι-

μέχρι Σελεύκου δὲ πολεμήσαντος πρὸς αὐτόν, καὶ κρατήσαντος τῷ πολέμῳ πᾶσαν τὴν Λυσιμάχου βασιλείαν δορίκτητον γενέσθαι Σελεύκου. Ex his verbis intelligi poteſt verſum vnum, aut alterum apud Liuium intercidiſſe. Eum autem ad Liuianam ſententiam ita reſtitui poſſe. *Nec ex Philippi quidem aduerſa fortuna ſpolia vlla ſe petiſſe, aut aduerſus Romanos in Europam traieciſſe ſed vt Cherſoneſi vrbes Thraciaque recuperaret. Eorum enim locorum imperium in primis ad ſe pertinere, quippe quod ab initio Lyſimachi regnum fuerit, quo victo omnia, quæ illius fuiſſent, quod iure belli Seleuci facta ſint, exiſtimare ſuæ ditionis eſſe.* Hanc autem hiſtoriam lib. 34. Liuius ita exponit: *Enimuero id auditu etiam dicere indignum eſſe Hegeſianax, Thracia & Cherſoneſi vrbibus arceri Antiochum, quæ Seleucus proauus eius Lyſimacho rege bello victo, & in acie cæſo per ſummum decus parta liquerit.* Idem etiam tradit Appianus initio libri, quo bellum Antiochinum expoſuit.

Eod. *Quod ad Ptolemæum attinet, cui ademptas ciuitates querãtur, ſibi cum Ptolemæo, & amicitiã eſſe, & id agere ſe, vt breui etiam affinitas iungatur.*] Polybius ita: τὰ δὲ πρὸς Πτολεμαῖον αὐτὸς ἔφη διεξάγειν εὐδοκουμένως ἐκείνῳ. κρίνειν γὰρ οὐ φιλίαν μόνον, ἀλλὰ μετὰ τῆς φιλίας ἀναγκαιότητα συντίθεσθαι πρὸς αὐτ.

Eod. *Occupatis maioribus ſuis rerum aliarum alia cum primo quadam ex his Ptolemæum, deinde & Philippum vſurpanda aliena poſſediſſe, ſicut quadam ex proxima Thracia quæ indubitate Lyſimachi fuerint, ad ea facienda in antiquum veniſſe, & Lyſimachiam deletam Thracum impetu, de integro condere, vt Seleucus filius eam ſedem regni habeat.*] Polyb. ita: κατὰ δὲ τοὺς τῶν αὐτοῦ προγόνων περισπασμοὺς ἐν τοῖς ἔξω χρόνοις, πρῶτον μὲν Πτολεμαῖον παρενοχλοῦντα σφετερίσασθαι τοὺς τόπους, δεύτερον δὲ Φίλιππον. αὐτὸς δὲ νῦν οὐ τοὺς Φιλίππου καιροὺς συνεπιτιθέμενος, ἀλλ' ἀνακτᾶσθαι τοῖς ἰδίοις καιροῖς συγχρώμενος. Λυσιμαχεῖς δὲ παραλόγως ἀνασπάστους γεγονότας ὑπὸ Θρᾳκῶν, οὐκ ἀδικεῖν Ῥωμαίους κατοικίζων, ἀλλὰ συνοικίζων. ποιεῖν γὰρ ταῦτ' οὐ βουλόμενος Ῥωμαίοις τὰς χεῖρας ἐπιβάλλειν, Σελεύκῳ δὲ οἰκητήριον ἑτοιμάζων.

Cap. XXVII. *Inde profectum cum ad capita, quæ vocant, Sari fluminis fœda tempeſtas oborta prope cum omni claſſe demerſit.* Hoc ſic Appianus in Syriaco: χειμῶνος δ' ἀμφὶ τὰς Σάρου ποταμοῦ συμπεσόντος, καὶ πολλὰς τῶν νεῶν ἀποβαλών.

Cap. XXVIII. *Romæ eo primum anno triumuiri epulones facti C. Licinius Lucullus T. Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Portius Læca.*] Pro *T. Romuleius*, reponendum puto, *P. Manlius*. primum, quia vna etiam paulo poſt fiunt prætores, P. Manlius & P. Porcius Læca, quorum P. Manlius Hiſpaniam citeriorem, P. Porcius Piſas ſortitur: deinde quia lib. 44. anno CDLXX. ait: Q. Foloiom triumuirum epulonem in locum P. Manlij, qui ex Hiſpania redierat eſſe factum: neminem autem factum eſſe poſt hos præter Q. Fuluium memoriæ tradidit, vt vbique claret. fuiſſe autem duplicem Manliam gentem oſtendit Cicero in prima Philippica, *Vt propter vnius M. Manlij ſcelus decreto gentis Manliæ neminem patriciũ M. Manlium vocari licet.* Adde quod *Romulus* non *Romuleius* eſſet ſcribendum, vt ex *P. Manlius*, *Romulius* factum ſit.

Eod. *P. Porcius Læca.*] *Læca*, ex numm. argenteis.

Eod. *C. Manlius Volſo.*] *C. Manlius Vulſo*, ex conſulatu Capitolino.

Eod. *T. Sempronij Tuditani, qui prætor in Hiſpania deceſſerat.*] Superiore libro *Cn.* dicitur. Dixi autem videri, C. Sempronium appellandum.

Eod. *L. Valerius in locum M. Cornelij Cethegi.*] Flaccum intelligit, nam anno DLXX. ait: *L. Valerius Flaccus pontifex mortuus eſt.*

Eod. *Cn. Domitius Ænobarbus.*] Lapides Capitolini, & nummi argentei & Græci annales ſatis oſtendunt *Ahenobarbum* eſſe ſcribendum. In Græcis enim Ἀηνόβαρβος eſt.

Eod. *Ædem in inſula Fauni fecerunt.*] Sic lib. 35. *In inſula Iouis ædem dedicauit.* De hac Fauni æde dedicata eodem in libro. Inſulam autem Tiberis intelligit.

Cap. XXX. *Ver ſacrum ex pontificum iuſſu fecere, quod C. Cornelius Mammula prætor vouerat.*] Hunc prætorem *M. Aemiliũ* lib. 22. vocauit, cum inquit: *Senatus, quoniam Fabium belli cura occupatura eſſet, M. Aemilium prætorem ex collegij pontificum ſententia omnia ea, vt mature, fiant curare iubet.* Fuiſſe autem eodem anno prætorem A. Cornelium Mammulam apparet ex eo, quod idem ab eodem libro 23. ſequenti anno pro prætore obtinuiſſe Sardiniam prouinciam traditur. Quare aut *M. Aemilius*, aut *A. Cornelius Mammula* hoc loco legendum eſt. nam anno etiam DLIX. alter A. Cornelius Mammula prætor, atque alio tempore alij nominantur. Niſi autem emendatorum vitium ſit, lapſus ſit memoriæ Liuianæ neceſſe eſt.

Cap. XXXIII. *Quia parum ex dignitate ſua ducebat ſubſcribere odijs, accuſationibuſq; Annibalis.*] Ante legebatur, *Quia parum expugnantes ſe ducebat.* Emendatum eſt deinde: *Ex dignitate ſua.* Quam emendationem non probat Paulus Manutius. Verum ita legendum eſſe aſſerit, *Quia parum ex P. R. dignitate eſſe ducebat.* Qua lectione nihil poteſt eſſe præſtãtius. Ita libro 30. *Non videri ſibi ſatis ex dignitate populi Rom. eſſe.*

Cap. XXXIV. *Inter Acyllam, & Thapſam.*] Ptolemæus, Strabo, Stephanus maximo inter ſe cõſenſu hoc oppidum Ἀχόλλας vocant. Quare & ipſe *Achollam* legendum cenſeo.

Eod. *Ad ſuam turrim peruenit.*] Iuſtinus ſuburbanum vocat libro trigeſimo primo, *Appropinquante veſpere equum conſcendit, & ſuburbanum, quod prope litus habebat, ignaris ſeruiis, iuſſiſq; ad portam diuertentem operiri contendit.*

Eod. *Ne his debere impune eſſe.*] Nihil huic loco deeſt, *his* intellige: Annibali & nuncijs ab eo ad Antiochum profectis: eiuſmodi autem dicendi genere vſus eſt libro quadrageſimo tertio, *Neque enim ne his cunctationem aperuerat ſuam* pro *ne his quidem.*

IN EPITOMEN LIB. XXXIV.

DE ſtringendis cultibus matronarum.] Veteres libri, *De fingendis cultibus.*

L. Cornelius Cethegus cenſores.] *C. Cornelius*, ex Capito. cenſura.

Coloniæ pleræque deductæ ſunt.] Veteres lib. *Coloniæ plures.*

Res præterea aduerſus Boios &, Inſubres.] Vet. libri, *Res præterea in Hiſpania, & aduerſus Boios, & Inſubres.*

Tentauerat autem per Ariſtonem Tyrium.] Vet. lib. *Tentauerat autem Annibal per Ariſtonem.*

IN LIBRVM XXXIV.

CAP. I. *Q. Fabio T. Sempronio* Coſs.] *Ti. Sempronio* vt ſupra

Eod. *Nam etiam ex oppidis, conciliabuliſque conueniebant.*] Vet. lib. *Conuenerant.*

Eod. *Qui pro lege, quæ abrogabatur, ita diſſeruit.*] Vet. lib. *Pro lege ne abrogaretur.* Quod placet. Citat enim Priſcianus hanc orationem cum hoc indice. Cato in oratione: *Ne lex Oppia abrogetur.* Item alibi: Cato Nepos de actionib. ad populum: *Ne lex ſua abrogaretur.* Item alibi: Æmilius Porcina in oratione: *Vt lex Aemilia abrogetur*, Feſtus, Cato in diſſuaſione, *Ne lex Bebia derogaretur.*

Eod. *Muliebri à ſtirpe.*] Vet. lib. *Ab ſtirpe.*

Cap. II. *Ab nullo genere non ſummum periculum eſt.*] Vet. libri, *Non æque ſummum.*

Eod. *Et foro prope & concionibus, & comitiis immiſceri.*] Veter. lib. *Et foro quoque, & concionibus.*

Cap. III. *Per quæque ſubiecerint viris.*] Hinc Cicero lib. 4. de repub. *Nec vero mulierib. præfectus reponatur, qui apud Græcos creari ſolet, ſed ſit cenſor qui viros doceat moderari vxoribus.*

Eod. *Vt carpentis, profeſtis quoque diebus velut triumphantes de lege victa.*] Vet. lib. *vt carpentis feſtis, profeſtiſque diebus.* Quod venuſtius & grauius eſt.

Cap. IV. *Et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes.*] *Antefixa* ſcribendum eſt, vt vna vox ſit tantum. Sic enim Feſtus. *Antefixa, quæ ex opere figlino tectis affiguntur ſub ſtillicidio.*

Eod. *Tamen nulla accepit.*] Hanc ſententiam ſic expreſſit Varro de vita populi Rom. II. auctore Nonio. *Qua abſtinen-*

ſia viri mulieresq; Rom. fuerint, apparet, quod à rege munera eorum noluerit nemo accipere.

Eod. *Legem Liciniam de quingentis iugeribus.*] Stolonis legem, lib. 6. & 7.

Cap. v. *In quos iecit magis conſul verbotenus, quam vt re inſimulaxet.*] Vet. lib. *In quos iecit magis hac conſul.*

Cap. vi. *Quid, vetus regia lex ſimul cum ipſa vrbe nata? aut, quod ſecundum eſt.*] Vet. lib. *An vetus regia lex ſimul cum ipſa vrbe nata, an, quod*, &c.

Eod. *Tali tempore.*] Vet. lib. *Tali eo tempore.*

Eod. *Cui non apparet inopiam, et miſeriam ciuitatis, q. o. p. p. i. v. p. v. o. iſtam legem ſcripſiſſe.*] Vet. lib. *Ob inopiam, & miſeriam*, &c. *eſtam legem ſcriptum.*

Cap. viii. *A Luna proficiſcens.*] Vet. lib. *ab Luna proficiſcens.*

Eod. *Praeteruecti Liguſtinos montes ſinumque Gallicum.*] Cato in oratione de conſulatu ſuo teſte Chariſio ita hanc rem expreſſit: *Poſt quam Maſſiliam praterimus, inde omnem claſſem ventus auſter lenis fert, mare velis florere videres vltra angulum Gallicum, inde noctu aura profecti ſumus.*

Cap. ix. *Millium paſſuum in circuitu murus erat.*] Vet. libr. *Trium millium.*

Cap. x. *Cum prouincia Q. Minucio ſucceſſori traditu.*] Q. Minucius ſucceſſiſſe dicitur M. Heluio, cum tamen Heluius vlteriorem Hiſpaniam, Minucius citeriorem ſit ſortitus, quia Heluius ex ſua prouincia decedens, in aliena rem bene geſſit, id eſt, in citeriore. Quia vero Minucius citeriorem obtinuit, idcirco ſucceſſor eius appellatur. Quare nihil mutandum eſt, contra ¶ atque cenſet Glareanus. † Glareanus non ait quicquam mu- " tandum, ſed dubitat vt ſolet. †

Cap. xii. *Sociis ſpem pro re oſtendendam cenſet.*] Vet. li. *Oſtentandam.* Sic paulo poſt: *Conſul vbi ſatis, quod in ſpeciem fuit, oſtentatum eſt.* Huius conſilij Catonis meminit Frontinus lib. 4.

Cap. xiii. *Iugum, quo exuit.*] Vet. lib. *Iugum, quo ſe exuit.*

Cap. xv. *Numerum non ſcribit.*] Vet. lib. *non adſcribit.*

Cap. xvii. *In Turdetaniam proficiſcitur.*] Loquitur de Catone Coſs. in Turdetaniam mouente. Qua de re ſic Cato in oratione de conſulatu ſuo auctore Chariſio. *Inde pergo porro ire Turtam.* Item: *Itaque porro in Turtum proficiſcor ſeruatum illos.* Dixit enim *Turtam*, pro *Turdetaniam*, ſiquidem *Turdetani, Turduli, & Turti* etiam appellati ſunt, auctore Stephano qui ita ſcribit: Τυρδιτανία χώρα τῆς Ἰβηρίας οἱ οἰκοῦντες Τυρδιτανοί. καὶ Τυρδοῦλοι. Ἀρτεμίδωρος δὲ Τυρτυτανίαν αὐτὴν καλεῖ, καὶ Τύρτους τοὺς οἰκήτορας καὶ Τυρτυτανούς.

Eod. *X. millia Celtiberum mercede Turduli conducunt.*] Veter. lib. *Turdetani conducunt.* vt paulo poſt, *Difficilius bellum in Turdetania pratori L. Manlio Celtiberi mercede exciti ab hoſtibus faciebant.*

Eod. *Non noſtra magis, inquit, quam veſtra refert, vos non rebellare.*] Vet. lib. *non bellare*, optime: quia ait poſt: *ſi effectum erit, ne poſſitis rebellare.*

Cap. xix. *Commeatus tamen haud ſecus, quam in pace ex agris caſtellisque hoſtium Romani portabāt, dein ſepe munimenta eorum velut communi pacto cōmercio priuatis induceis ingredientes.*] Glareanus ſuſpenſæ huic orationi deeſſe aliquid arbitratur, immerito, non enim vitium eſt in participio, *Ingredientes*, vt ſuſpicatur, ſed in voce *Dein*, quæ vitioſa eſt, pro *perinde*, hoc ſenſu, Romani portabāt commeatus ex agris hoſtium haud ſecus, quam in pace, perinde ſæpe munimenta eorum ingredientes, id eſt, æque ſæpe. Vitium ex compendioſa ſcriptura natum eſt *perinde*, quod, *dein* factum eſt.

Eod. *In caſtris pratoriunis.*] Vet. lib. *pratoriis.*

Cap. xx. *Lacetanos deuiam & ſylueſtrem gentem.*] Plut. in Catone: κατεστρέψατο μὲν τὸ Λακετανῶν ἔθνος.

Cap. xxi. *Princeps Vergiſtanus.*] *Vergitanus* lego. Nam vt ab Emporiis Emporitanus, ab Oreo Oritanus: ſic à Vergio, Vergitanos, non Vergiſtanus oritur.

Cap. xxviii. *Die altero ad Sellaſiam ſuper Oenunta fluuium peruenit, quo in loco Antigonus Macedonum rex cum Cleomene Lacedæmoniorum tyranno ſignis collatis dimicaſſe dicebatur.*] Hæc hiſtoria eſt apud Polybium libro 2. αὐτὸς δὲ κατὰ τὴν Σελλασίαν καλουμένην μετὰ τῆς δυνάμεως ἐστρατοπέδευσε. Et paulo poſt: τῆς δὲ ὁδοῦ μεταξὺ ταύτης παρὰ τὸν Οἰνοῦντα ποταμὸν φερούσης εἰς Σπάρτην. Glareanus autem negat Polybium Oenuntis fluminis meminiſſe. Legit enim interpretem qui profluens flumen imperite vertit. † Glareanus nulla re æque dolet, atque quod illi Græca ¶ defuerint exemplaria. ſie enim ipſe vidiſſet. nunc cum aliis " anſam inquirendi dedit, pro gratia refert conuitia. † Eodem " errore alij quidam ex noſtris ducti Q. Metellum Scipionem Pium, ex ſententia Dionis Aſiatici filium eſſe ſcripſerunt, cum Dio Naſicæ ſcribat. Aſiatici vero interpres, idque imperite.

Eod. *Prope flumen præter vrbem ſub ipſas Mænali montis radices.*] Vrbem Lacedæmonem, flumen Eurotam intelligit. Itaque quia Mænalus non in Laconica eſt, ſed in Arcadia, Glareanus peritiſſimus emendator, *Taygetum* ſubſtituendum putat. Ego autem nec *Mænalum*, nec *Taygetum* probo, ſed *Menelaium* legendum eſſe affirmo. Huius lectionis auctor eſt Polybius, qui libro quinto Eurotam flumen ad collis Menelai radicem fluere ſcribit, his verbis: τοῦ δὲ ποταμοῦ παρῤῥέοντος ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὰς αὐτῆς μερῶν, ὃν καλοῦσι μὲν Εὐρώταν, συμβαίνει τοὺς βουνούς, ἐφ' ὧν τὸ Μενελάϊον, ἔστι, πέραν μὲν εἶναι τοῦ ποταμοῦ, κεῖσθαι δὲ τῆς πόλεως κατὰ χειμερινὰς ἀνατολὰς ὄντας τραχεῖς, καὶ δυσβάτους καὶ ¶ διαφερόντως ὑψηλούς· ἐπικεῖσθαι δὲ τῷ πρὸς τὴν πόλιν τοῦ ποταμοῦ " διαστήματι πλεῖον δ' οὐ φέρεται μὲν ὁ προειρημένος ποταμὸς παρ' αὐτὴν " τὴν τοῦ λόφου ῥίζαν. Meminit autem ſæpius eius nominis, ita vt " Stephanus etiam ita ſcriptum reliquerit: ἔστι καὶ χωρίον Σπάρτης Μενελάϊον.

Cap. xxxi. *Iaſſo, & Bargyllis.*] *Iaſo, & Bargyliis*, vt ſupra.

Cap. xl. *Præfecerunt que ludis ipſum imperatorem.*] Plutarchus item: Ἀγωνοθέτης δὲ Νεμείων ἀποδειχθεὶς ἐν Ἄργει τὴν πανήγυριν ἄριστα διέθηκεν.

Eod. *Sunt qui non ex oppido proficiſcentem bellum geſſiſſe tyrannum tradans, ſed caſtris aduerſus Romana caſtra poſitis.*] Agam, vt ſoleo, paucis, nihil vitij hic locus continere videtur, contra atque tradit Glareanus: duas enim contrarias opiniones de ratione belli à tyranno geſti expoſiturus eſt: vnam, quam ipſe tueri videtur, alteram, quam alij tradiderunt. quid ſentit ipſe? tyrannum ex oppido Lacedæmone exeuntem pugnaſſe, ac in oppido ipſo caſtra habuiſſe. quid alij? eundem non ex oppido exeuntem pugnaſſe, ſed ex caſtris, quæ ante Romana caſtra poſuerit. Glareanus autem ſine cauſa de voce, *proficiſcentem*, laborauit.

Cap. xli. *T. Sempronium Longum.*] *Ti. Sempronium*, ex conſulatu eius Capitol.

Eod. *Ænobarbus.*] *Ahenobarbus*, vt ſupra.

Eod. *T. Iuuentius Talua.*] Vet. lib. *Alua.* legēdum eſt, *Thalna*, ex Capitol. tabulis.

Eod. *Nouum ius in eo anno à Ferentinatibus tentatum.*] Veter. lib. *Nouum ius eo anno.*

Cap. xliii. *Vt loca ſenatoria ſecernerentur à populo.*] Idem Pedianus in orat. pro Cornelio, cum ait: *Id autem eos feciſſe iuſſu cenſorum Sex. Ælij Pati, C. Cornelij Cethegi.*

Cap. xliv. *Bebius Pamphilus.*] *Bæbius Tamphilus*, vt ſupra.

Eod. *Tempſum L. Cornelius Merula & C. Salonius deduxerunt.*] *Deſideratur nomen tertij Triumuiri.*

Cap. xlv. *Q. Victorius.*] Vet. lib. *Q. Fictorius.*

Cap. xlix. *Mille enim ducentos ea ratione Achaia habuis.*] Sic Plutarch. in Quintio: ἐν δὲ τῇ Ἑλλάδι χίλιοι καὶ διακόσιοι τὸ πλῆθος ἦσαν.

Cap. l. *Per Epirum in Oricum vnde erat traiecturus venit.*] Vet. lib. *Per Epirum Oricum*, vt paulo ante, *per Theſſaliam atque Epirum ducere Oricum iubet.*

Cap. li. *Secundo die aurum.*] Vet. lib. *Secundo aurum*, recte, præceſſit enim paulo ante, *die primo.*

Eod. *Arma tela.*] Plutarchus accuratius: Ἑλληνικὰ κράνη καὶ πέλται Μακεδονικαὶ καὶ σάρισαι.

Eod. *Infecti argenti fuit decem, & octo millia pondo, &c.*] ἀργύρου δὲ τετρακισμυρίας τετρακισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα λίτρας.

Eod. *Auri pondo tria millia, &c.*] Plutarch. χρυσίου συγκεχωνευμένου λίτρας τετρακισχιλίας ἑπτακοσίας δέκα τρεῖς.

Eod. *Philippei nummi aurei quatuordecim millia, quingenti XIV.*] Plutarchus: φιλιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους πεντακοσίους δεκατέσσαρας.

Eod. *Præbuerunt ſpeciem triumpho.*] Non eſt audiendus Glareanus, qui *ſpecimen* legit. *Speciem* enim vertit Plutarchus cum ait: παρέσχεν ὄψιν.

Cap. lii. *A. Manlius P. Ælius, L. Apuſtius.*] Hos triūuiros in eadē colonia deducenda ſequēti anno vocat Cn. Mālium Vul-

ſonem, P. Ælium Tuberonem, L. Apuſtium Fulonem. Cum autem P. Ælius ſitis, vt ait, cuius lege deducebatur colonia, profectò *Q. Ælius* legendum eſt, is enim tribunus pl. legem tulit.

Eod. *Vna Iunonis Matutæ in foro olitorio vota locataque quadriennio ante à C. Cornelio conſule.*] Duæ cauſæ ſunt, cur legendum ſit *Iunonis Soſpitæ.* Vna, quod nuſquam alibi *Iuno Matuta* dicta eſt, ſed *Mater Matuta*, quæ Græcè Λευκοθέα eſt. altera, quod quadriennio ante C. Cornelius *Iunoni Soſpitæ* non *Matutæ* vouiſſe ædem traditur. verba ſunt Liuij lib. 32. *Conſul principio pugnæ ædem vouit Soſpitæ Iunoni, ſi eo die hoſtes fuſi, fugatiq; eſſent.* Idem etiam probè Glareano videtur.

Eod. *Vouerat eam decem annis ante Punico bello P. Sempronius Sophus. Locauerat idem cenſor.*] Hic P. Sempronius, & in conſulato, & in cenſura *Tuditanus*, non *Sophus* dicitur à Liuio. Quare cognomen *Sophus*, ex hoc loco delendum videtur puto tamen non eſſe reponendum, *Tuditanus*, vt cenſet Glareanus, ſed *conſul:* vt ita legatur, *vouerat eam P. Sempronius conſul, locauerat idem cenſor.* Sic enim libro 29. vbi de P. Sempronio vouente ait: *conſul principio pugnæ ædem fortunæ Primigeniæ vouit.* Errandi cauſam dedit compendioſa ſcribendi ratio eos. Sop. Ita autem locutus eſt paulo ante: *Vota, locataq; quadriennio ante à C. Cornelio conſule Gallico bello, cenſor idem dedicauit.*

Cap. LIII. *L. Porcius Licinus.*] *Licinius*, ex Capitol. tabulis.

Eod. *Megaleſia, ludos ſcenicos C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo ædiles curules primi fecerunt.*] Eoſdem ædilas in iiſdem ludis faciendis edit etiam Pædianus in Cornelianam.

Eod. *Concordiæ, & Libertati æque minuendæ eſſe.*] Vet. lib. *Libertatis.* Ita autem legendum eſſe alio loco, vbi de eius modi dicendi genere docui, oſtendi.

Eod. *Ad quinquageſimum octauum annum.*] *Quinquageſimum ſextum* legendum eſſe alio loco doceo, in Chronologia, in vet. lib. eſt CVIII. Menda ex notis eſt nata, cum debeat ſcribi DLVI. L. enim in V. verſum eſt, & V. in duo II. vt alias.

Cap. LV. *Tribunos plebeios adiſſent.*] Vet. lib. *Tribunos plebis.*

Eod. *Ligurum decem millia.*] Vet. lib. XV. *millia.*

Eod. *Ob eas res tumultum eſſe. Decernit ſenatus tribunos plebei non placere cauſas militares cognoſcere.*] Pulcherrimum ſenſum inepta verborum interpunctio deprauauit. Sic autem interpungendum cenſeo, *ob eas res tumultū eſſe decreuit ſenatus*, tum infer, *tribunos plebis*, &c. loquitur de tumultu Gallico, de quo ſic Cicero in 8. Philippica. *Poteſt eſſe bellum ſine tumultu, tumultus eſſe ſine bello non poteſt quid enim aliud eſt tumultus niſi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur? vnde etiam nomen ductum eſt tumultus. Itaq; maiores noſtri tumultum Italicum, quod erat domeſticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant. grauius autem eſſe tumultum, quam bellum hinc intelligi licet, quod bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent.* Et Phil. 5. *Tumultum decerni, iuſticium indici, ſaga ſumi dixi oportere.* Sic hoc loco ſenatus decreuit, vt tumultus eſſet quia Boij ad rebellionem ſpectabant.

Eod. *Tribunos plebey.*] *Plebis*, ex Vet. lib.

Eod. *Erat L. Cornelius cōſul.*] Vet. lib. *Erat L. Cornelius conſul.*

Cap. LVI. *Menippus, & Hegeſianax princeps regiæ legationis erant.*] Appianus meminit huius legationis in Syriaco, additq; Lyſiam his verbis: καὶ πρέσβεις ἐς Ῥώμην ἔπεμπε Λυσίαν τε καὶ Ἡγησιάνακτα καὶ Μένιππον.

Eod. *Eſſe autem tria genera fœderum, quibus integre paſciſcerentur amicitias ciuitates, regeſq;.*] Vet. lib. *Inter ſe paſciſcerentur*, non *integre*: optimè ſic paulo poſt: *amicitiam ſociali fœdere inter ſe iungendam.*

Cap. LVII. *Ita ab Antiocho.*] Vet. lib. *Ita et ab Antiocho.*

Cap. LX. *Ariſtonem quendam Tyrium.*] Mercatorem, fuiſſe ait Appianus in Syriaco: Ἀρίστωνα δ' ἔμπορον Τύριον ἐπὶ πραγμάτων ἐμπορείας πρὸς τοὺς φίλους.

Eod. *Suffetes.*] *Sufetes*, vt ſupra.

Eod. *Ipſe de tertia vigilia nauem conſcendit.*] Vet. lib. *Ipſe deinde tertia vigilia.*

Cap. LXI. *Præter indicium eiuſdē Ariſtonis.*] Vet. lib. *Iudicium.*

Eod. *Emporia vocant eam regionem, ora eſt minoris Syrtis.*] Horum Emporiorum meminit non ſolum Liuius lib. 29 ſed etiam Polyb. li. 1. ἅμα δὲ τούτοις καὶ τοὺς παρακομιζομένους ἀγορὰς ἐκ τῆς παρ' αὐτοῖς καλουμένων Ἐμπορείων ἐφ' οἷς εἶχον τὰς μεγίστας ἐλπίδας. Et li. 3. μέχρι τῆς. κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπους, ἃ καλοῦσιν Ἐμπόρεια διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας.

IN LIBRVM XXXV.

CAP. I. *P. Cornelius Cn. F. Scipio.*] Is qui vir optimus à ſenatu iudicatus fuerat.

Eod. *Idem proprætor Luſitanos.*] Vet. lib. *Idem pro prætore Luſitanos*, quod eſt prorogato vltra præturam prætorio imperio.

Eod. *In hoc diſcrimine ludos Ioui ſi vi fudiſſet, cecidiſſetque hoſtes, proprætor fouit.*] Vet. lib. *Si fudiſſet, cecidiſſetque hoſtes prætor vouit.* prætorem autem videtur vocare eum, qui cum prætorio, erat imperio, alioquin *pro prætore* legendum eſt.

Eod. *Pugnatum inde haud procul Ilipa vrbe eſt.*] Vox, *inde*, ſuperuacanea eſt, & à veteribus quos legi. libris abeſt.

Cap. V. *T. Sempronius prioris anni conſul.*] *Ti. Sēpronius*, vt ſup.

Cap. VI. *Hoſtium exercitum, cuius delendi oblata fortuna fuerat, non deletum.*] Vet. lib. *pro non deletum*, habent *elapſum.* Sequitur enim: *Hoſtes è manibus emiſſos.*

Eod. *Ita libero fœnore obruebant debitores. Cuius coercendi cum ratio quæreretur.*] Vet. lib. *Cernendi*, pro *coercendi*, quod placet: Sic enim lib. 6. *Quia nolunt conſpici ſummam æris alieni.* Item, *deinde inſpecto ære alieno, initaq; ratione minuendi eius.* Sic hoc loco, quærunt rationem cernendi fœnoris, propterea que profiteri cogunt eos, qui pecunias crediderint. Itaque ait: *Poſtquam detecta eſt magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti.*

Eod. *Feralia quæ proxime fuiſſent, diem finiri placuit.*] Ante legebatur *Fœneralia.* Gelenius, *Feralia* immutauit. Mihi placet magis prior lectio. Proxima enim *Fœneralia* vocat, diem, quo proxime de fœnore conſtringendo actum erat. Iuſſerunt ergo, vt omnes ſocij profiterentur pecunias, quas credidiſſent Romanis ab illo die, quo cautum erat ne ciuis ciuem fœnore opprimere poſſet. Cui legi fraus facta fuerat nomina in ſocios tranſcribendo.

Cap. IX. *Sex. Ælius Pætus, & Cn. Cornelius Cethegus.*] *C. Cornelius*, ex cenſura Capitolina.

Eod. *Eodem anno coloniam Latinam in agrum Ferentinū triumuiri deduxerunt Cn. Manlius Vulſo, L. Apuſtius Fullo, P. Ælius Tubero. cuius lege deducebātur tria millia peditum fere, ccc. equites, numerus exiguus pro copia agri.*] Vet. li. habent, pro *deducebātur. deducebatur.* Quæ lectio me admonuit locum hunc ita mendoſe legi, vt ſententiæ Liuianę ſanitas non cataret. Eatabit autem certe, ſi non ſolum, *deducebatur*, ſed pro *Fera, iere*, legerimus. Ita: *Ælius Tubero cuius lege deducebatur*, id eſt, colonia. *Tria millia peditum iere, ccc. equites.* Sic paulo poſt in alius coloniæ deductione: *Tria millia & ſeptingenti pedites ierant, trecenti equites.* Quod autem ſcriptum eſt *in agrum Ferentinum*, legendum eſt *in agrum Thurinum*: Primum quia Vet. lib. habent, *Trentinum.* Tum aūt quia ſuperiore anno dixit, *Exitu huius anni Q. Ælius Tubero tribunus pl. ex S. C. tulit ad plebem plebeſq; ſciuit, vt Latinæ duæ coloniæ, vna in Bruttios, altera in agrum Thurinum deduceretur. his deducendis triumuiri creati, quib. in triennium imperium eſſet, in Bruttio Q. N. M. Minucius Rufus, M. Furius Craſſipes. in Thurinum agrum Cn. Manlius, Q. Ælius. L. Apuſtius.* porro autem legendum eſt, *Q. Ælius Tubera*, quia ait: *Cuius lege deducebatur.* & Q. Tubero legem tulit, non P.

Cap. X. *Eo propior inuidiæ.*] Vet. lib. *Inuidiam.*

Eod. *Pro legato & participe adminiſtrādi belli.*] Vet. lib. *Adminiſtrati*, rectè nā dixit *L. Quintius qui Claſſi in Græcia præfuerat.*

Eod. *Vt præferetur candidato, quem Africanus frater deducebat.*] Vet. lib. *Quem Africanus, fraterq; ducebant.* Significat autem Cn. Scipionem à P. & L. Scipione Africano, & eo, qui poſt Aſiaticus dictus eſt, eſſe deductum.

Eod. *Aenobarbus.*] *Ahenobarbus*, vt ſupra.

Eod. *Fuluius Centemalus.*] *Centumalus*, vt ſupra.

Eod. *Atilius Seranus.*] *Atilius Serranus*, vt ſupra.

Eod. *Bebius Pamphilus.*] *Babius Tamphilus*, vt ſupra.

Cap. XIII. *Raphia in Phœnice.*] Stephanus: Ῥαφία πόλις Συρίας.

Eod. *Ad Piſidas, qui circa Selgam incolunt.*] Steph. Σέλγη πόλις Πισιδίας.

Cap. XIV. *Villius cum Piſidia bello occupatum eſſe regem audiſſet, Epheſum profectus.*] Hoc de P. Scipione ait Appianus: Ῥωμαίων δὲ πρέσβεις ἦσάν τε καὶ ὁ Σκιπίων ἐπὶ τὸν βασιλέα οὔπω αἰχμάλωτον ἐς Πισίδας ἐν Ἐφέσῳ περιέμενον.

Eod. *Reſpondiſſet Alexandrum.*] Vet. lib. *Reſpondiſſe*, ita paulo poſt: *Dixiſſe*, ſic Appianus: τὸ Σκιπίωνος ἐρομένου τίς δοκεῖ οἱ στρατηγὸς ἄριστος γενέσθαι, τὸν Ἀννίβαν εἰπεῖν, ὁ Μακεδὼν Ἀλέξανδρος.

Eod. *Tum riſum obortum Scipioni, Scipionem ſubieciſſe.*] Sic Appianus: ὡς αὐτὸν ὁ Σκιπίων εἶδεν ἀποσιωπῶντα τὴν σμικρολογίαν ὑπογελάσας.

Cap. XV. *Antiocho, quam ſimilem daret ſedem, vt procul ab ſe honorem eum quoque ablegaret, non habuiſſet.*] Perſpicue legendum eſt, *Per honorem*.

Cap. XIX. *Annibal non adhibitus eſt in concilium propter colloquia cum Villio ſuſpectus regi, & in nullo poſtea honore habitus.*

Eod. *Primo eam contumeliam tacitus tulit, deinde.*] Ex veteribus libris verbum *eſt*, tolli debet, vt omnia ad verbum *tulit* referantur.

Cap. XXII. *Proficiſci ambo in prouincias placuit.*] Vet. li. *Ambos*.

Cap. XXIII. *Ædes libera Attalo, ac lautia decreta.*] Vet. lib. *Ædes libera, locus, lautia decreta.* vt lib. 30. *Ædes libera, loca, lautia legatis decreta.*

Cap. XXVI. *Nauis erat quadriremis vetus capta annis octoginta ante.*] *Quadraginta*, legendum ex Plutarcho, qui meminit huius nauis in Philopœmene, his verbis: ἀλλὰ καὶ ναῦν τινὰ παλαιὰν μὲν, ἔνδοξον δὲ δι᾽ ἔτη τεσσαράκοντα κατασπάσας ἐπλήρωσεν.

Eod. *Putrem eam admodum.*] Vet. lib. *Putrem iam admodum.*

Actum prætoria naue præcedente claſſem.] Ex Vet. lib. legendum eſt. *Hac ſum.* Veterem enim nauem pro prætoria vſurpatam à Philopœmene ait.

Eod. *Ipſe Philopœmen in leui ſpeculatoria naue fuit, nec ante fugæ finem, quam patras ventum ſit fecit.*] Lege, *in leui piſcatoria naue fugit.* Ita enim maius periculum Philopœmenis oſtenditur.

Cap. XXVII. *Tertia parte copiarum ab obſidione Gythei abducta ad Pleias poſuit caſtra. Imminet is locus & Leucis, & Acris.*] Legendum eſt. *ad Eliam*, non *ad Pleias*, quas merito queritur Glareanus ſe in Laconica non reperire. Item *Acriis*, non *Acris*, id docet locus vnus Polybij, qui eſt libro 5. vbi horum oppidorum omnium meminit. Eius verba ſunt: μεταλαβόμενος δὲ αὖθις ἐποιεῖτο τὴν πορείαν παρὰ τὴν θάλατταν τῆς Λακεδαιμονίων. ὁ καλεῖται μὲν Γύθιον· ἔχει δὲ ὅρμον ἀσφαλῆ· τῆς δὲ πόλεως ἀπέχει τετταράκοντα στάδια. τοῦτο δὲ ἀπολιπὼν κατὰ πορείαν δεξιὸν κατεστρατοπέδευσε περὶ τὴν Ἑλίαν ὅπερ ἐστὶν ὡς πρὸς μέρος θεωρούμενον. πλείστη καὶ καλλίστη χώρα τῆς Λακωνικῆς. ἔνθεν ποιούμενος τὰς προνομὰς ἅπαντα τὸν τόπον τοῦτον κατεπυρπόλει, καὶ διέφθειρε τοὺς ἐν αὐτῇ καρπούς, ἀφικνεῖτο δὲ ταῖς προνομαῖς, καὶ πρὸς Ἀκρείας, καὶ Λευκάς.

Eod. *Vnum de auxiliaribus.*] Vet. lib. *Et auxiliaribus.*

Cap. XXIX. *Captiq; in ea fuga ſunt.*] Vet. lib. *Captiq; in fuga ſunt.*

Duarum portarum itineribus, quæ Pheras, quæque Barboſthenem erunt.] Pherras in agro Laconico non reperies, ſed *Pharim*, teſte Stephano, qui inquit: Φαρὶς πόλις τῆς Λακωνικῆς, οἱ πολῖται Φαρεῖται, ὡς Παυσανίας. Ὅμηρος· Φᾶρίν τε Σπάρτην τε. Pauſanias in Laconicis: Ἀμύκλας, καὶ Φαράς, coniungit.

Cap. XXX. *Magna cum hoc eleganter actam vitam auctoritatis, ſ: m.*] Vet. lib. *Magna tum cum ob*, id eſt, magnæ eo tempore auctoritatis alij: *Magnetum*, per vitium.

Cap. XXXII. *Eoq; ipſo tempore Thoas princeps gentis, quem miſerant, ad Antiochum, redierat.*] Videndum eſt etiam atque etiam quid ſit, quod paulo ante dixit hoc eodem libro. *Thoas Prætor Ætolorum legatos cenſuit circa reges mittendos. Democritus ad Nabin, Nicander ad Philippum, Dicæarchus frater prætoris ad Antiochum eſt miſſus.* nunc vero ab Antiocho Thoantem rediſſe ait. Appianus quidem Thoantem legatorum, qui miſſi ad Antiochum ſunt, principem facit, cum ait in Syriaco: Ἀντιόχῳ δὲ ὄντι Αἰτωλῶν πρέσβεις ὧν Θόας ἦρχεν. Qui locus me admonet, vt hoc loco legam, *Princeps legationis, quam miſerant ad Antiochum.*

Eod. *Nunc quoque inquit, Si modo vos quæ inchoaſtis.*] Quia ita interpungunt hæc verba, orationis initium à voce, *ſi*, ducant, cum ſit ducendum à voce, *nunc*. Sunt autem ita diſtinguenda verba, vt à voce, *ſi modo*, vſque ad vocem, *exitum*, parentheſi concludantur.

Cap. XXXIII. *Quam ſenatum Romanum cum Antiocho laniſtis Aetolis non ſine motu magno generis humani, & pernicie Græciæ dimicare.*] Antea legebatur, *cum Antiocho admiſtis Aetolis*, quo pacto legitur in veteribus libris. Quamobrem non video cur diſplicuerit hæc lectio Gelenio, & cur hoc loco metaphoram à gladiatoribus & laniſtis ductam tantopere adamarit.

Cap. XXXIV. *Omnia nouare vellet.*] Vet. lib. *Nouari.*

Eod. *Pro ſe quiſq; reuocare iubebant.*] Vet. lib. *Reuocari.*

Cap. XXXV. *Eum totius gratiam rei apud Lacedæmonios laturum.*] Vet. lib. *Eum potius*, hoc ſenſu: qui tyrannum interfeciſſet Lacedæmoniorum, tantum ab futurum, vt rem ingratam Lacedæmoniis faceret, vt gratiam potius ab illis iniret.

Eod. *Peditum, equitumque ac nauium.*] Vet. lib. *Peditum, equitum, nauimque.*

Eod. *Ponere haſtas, equites Alexamenus iubet, & ſe intueri.*] Miratur Glareanus Alexamenum iuſſiſſe, vt equites ponerent haſtas, cum tamen duobus poſt verſibus dicat, *iacentem equites confodiunt*. eſt autem accipiendum *ponere* non pro *abiicere*, ſed pro *reclinare*. Intellexit enim Alexamenus erectas haſtas conſpectum ſui equitibus eſſe intercepturas, quos ſe intueri iubebat, tamquam quid ipſe facturus eſſet ignaros. Sic libro primo: *Tullus Hoſtilius ſuos erigere haſtas iuſſit ne ſocios Albanos fugientes viderent.* Non ergo eos iuſſit haſtas abiicere, ſed inuadendi cauſa eas pectori apponentes ad ſe imitandum præſto eſſe.

Cap. XXXVI. *Nec mouiſſet ſe quiſquam, ſi extemplo poſitis armis vocata in concionem multitudo fuiſſet. et Oratio habita tempori conueniens. Frequentes inde retenti in armis Aetoli ſine iniuria cuiuſquam.*] Ne hæc quidem inter ſe repugnant, *poſitis armis*, & *retenti in armis*, vt videtur. Hoc enim vult Liuius: Nec ſe quiſquam Lacedæmoniorum mouiſſet, ſi Alexamenus interfecto eorum tyranno arma poſuiſſet, & vocata multitudine in concionem orationem tempori conuenientem habuiſſet. Retinuit ergo Ætolos in armis, ſed tamen ſine iniuria cuiuſquam. Itaque omnia in maturandam perniciem Alexameni, & ſociorum ſuorum acta.

Cap. XXXVII. *Occupata erat.*] *Fuerat.* ex Vet. lib.

Cap. XXXVIII. *Million.*] *Millio*, ex Vet. lib. Hic ab Appia. dicitur Μιλλίων.

Cap. XXXIX. *Cum Romanus vt integros increparet Magnetas.*] procul dubio *ingratos* legendum eſt. hoc elicitur ex ſuperior. verbis bis: *Quintius quidem adeo exarſit ira, vt manus ad cælum tendens, deos teſtes ingrati, ac perfidi animi Magnetum inuocaret.*

Cap. XL. *Diutius alter, ſed ſegnior.*] Vet. lib. *Diutior.*

Cap. XLI. *Sortes duæ vrbanaq; & inter ciues ac peregrinos.*] Vet. lib. *Urbana peregrinaq; & inter ciues ac peregrinos.* Ego, *vrbana, peregrinaq;* reliqua enim gloſſema ſunt.

Cap. XLII. *Minus quempiam e claſſi.*] Vet. lib. *quemquam.*

Cap. XLV. *Impetus relangueſcat regis.*] Vet. lib. *elangueſcat.* Sic paulo poſt: *Non eſſe elangueſcendum.*

Cap. XLVI. *Neq; vindice libertatis vllo indigere.*] Vet. lib. *egere.*

Cap. XLVII. *Iam inde à Barcilla morte, & quæ ſecata eā fuerant.*] Vet. lib. *Iam inde à Bracchilla morte, et quæ ſecata eam fuerant.*

Eod. *Aminander vxorem Apamiam Alexandri cuiuſdam Megalopolitani habebat.*] Iiſdem prope verbis hanc rem perſequitur Appianus in Syriaco, vxorem autem Ἀπαμίαν vocat.

Cap. XLVIII. *Maria, terras inani ſonitu verborū.*] Vet. l. *terraſq;.*

Eod. *Elymæos & Caduſios.*] *Cadduſios*, ſcribe. ſic enim Polybi. lib. 5. Ἐλυμαίους, καὶ Καδουσίους.

Cap. XLIX. *Ex legatorum ſermone potuiſſet apparere.*] Vet. lib. *potuiſſe.*

Eod. *Eſt autē res ſimillima cœnæ Chalcidenſis hoſpitis mei.*] Idem Plutarchus. in Flaminino, & in Apophthegmatis.

Eod. *Sed expertæ potius, ſpectatæque Romanorum fidei credere.*] Vet. lib. *Sed expertæ toties, ſpectatæque.*

Cap. LI. *Templum eſt Apollinis Delium.*] Appianus in Syriaco: Δηλίου δὲ ἱερὸν τὸ χωρίον Ἀπόλλωνος.

Eod. *Nihil immo tam alienum rebus veſtris eſt.*] Vet. lib. *Nihil tam vanum immo tam alienum rebus veſtris eſt.*

Digitized by Google

IN LIBRVM XXXVI.

CAp. I. *M. Acilium Glabrionem conſules.*] Plutarchus in Quintio. Μάνιον Ἀκίλιον. Appianus in Syriaca: Ἀκίλιον Μάνιον Γλαβρίωνα, Capitolini auctores *M'Acilium Glabrionem* vocant.

Cap. II. *L. Valerium, ſi ita videretur, proprætorem in prouincia retinere.*] Vet. lib. *pro prætore.*

Eod. *Duas decimas frumenti.*] Vet. lib. *decumas*: recte. Hinc enim *decumani* dicti, qui *decumas* redimunt. Pædianus.

Cap. III. *Qui ſenatores eſſent, quibuſque ſententiam in ſenatu dicere liceret.*] Sic locutus eſt lib. 33. *Conſules*, inquit, *edixerunt. quoties ſenatum vocaſſent, vti ſenatores, quibuſque in ſenatu ſententiam dicere liceret, ad portam Capenam conuenirent.* Quid autem interfuerit inter eos, quibus licebat in ſenatu ſentētiam dicere, & ſenatores, docet Feſtus his verbis. *Qui poſt luſtrum conditum ex iunioribus magiſtratum cepere, in ſenatu ſententiam dicunt, non tamen ſenatores vocantur, antequam in ſenioribus ſint cenſi.* Et Gellius bis: *Qui nondum à cenſoribus in ſenatum lecti erant, ſenatores non erant, ſed quia honoribus populi vſi erant, in ſenatum veniebant, & ſententia ius habebant. Nam & curulibus magiſtratibus functi, qui nondum à cenſoribus in ſenatum lecti erant, ſenatores non erant, et quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias dicere, ſed quas principes dixerant, in eas deſcendebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nunc quoque conſules, cum ſenatores in curiam vocant, ſeruandæ conſuetudinis cauſa tranſlatione vtuntur. Senatores, quibuſque in ſenatu ſententiam dicere licet.*

Cap. IV. *Carthaginienſes tritici modium mille. hordei quingenta millia.*] Summa tritici mēdoſe videtur eſſe. Nam lib. 43. iidem Carthaginienſes *tritici decies centum millia, hordei quingenta* pollicentur. Idem ex ſomma etiam oblata à Maſſaniſſa & hoc tempore & illo poteſt intelligi.

Cap. VI. *Barcilla.*] *Brachilla*, vt ante dixi.

Eod. *Per multa iam ſecula.*] *Sæcula*, cum diphtongo. In Capitolinis lapidibus, *Ludi ſeculares.*

Eod. *Labente egregia quondam diſciplina gentis & multorum eo ſtatu, qui diuturnus eſſe ſine mutatione rerum non poſſet.*] Ex hoc loco, quem deprauatum eſſe cenſet Glareanos, hunc ipſe eliein cenſum. Bœotiam cauſas in ſpeciem iræ aduerſus Romanos habuiſſe, Bracbillæ necem, & illatum Corone à Quinctio bellum reuera autem, quod per multa iam ſęcula publice. priuatimq. egregia quondam diſciplina gentis laheretur, atq; is reip. ſtatus qui in multorum poteſtate eſt, qui diu conſeruari non poteſt niſi nouatum ſæpe rerum mutationes exiſtant.

Cap. VII. *Ipſe cum omnibus terreſtribus copiis in Byllinum agrum procedes, inde Græciæ præſidebis, & ſpeciem Romanis traiecturi te præbens, & ſi res popoſcerit, traiecturus.*] Glareanus *Bullionum* legit. puto tamen *Byllinum* ferri poſſe. *Byllidis* enim agrum intelligit, quæ vrbs in Illyrio maritima eſt, auctore Stephano: Βύλλις πόλις Ἰλλυρίδος παραθαλασσία. Hæc autem verba Græce ſic expreſſit Appianus in Syriaca: αὐτὸς δὲ σὺν τῷ πεζῷ παντὶ περιελθὼν τῆς Ἑλλάδος ἄρχειν τῆς Ἰταλίας δόξαν ἐμφαίνειν ἐς Βουλλίδα, καὶ εἰ δέοι ποτὲ καὶ ἐπιβαλεῖν. Et Plutarchos in Broto: τὰς περὶ τὴν Βυλλίδα πόλεις. Idem Stephanus *Bullinos* populos eſſe ad Illyricum ait.

Cap. VIII. *Niſi quod ad claſſem, copiaſq; accercendas ex Aſia Plyxenidam miſit.*] Hoc ſic Appianus: πλὴν ὅτι Πολυξενίδας ἐπὶ τὴν στρατιὰν ἐς τὴν Ἀσίαν ἐπέμψεν.

Eod. *Itaque qui ad tempus fortunam eſſet in conſilio habiturus, is extemplo ad M. Babium proprætorem miſit.*] Hanc ſententiam ſic etiam vertit Appianus; ὧν πυθόμενος ὁ Φίλιππος ἐνδοιάζων ἔτι, καὶ πεισθεὶς ... αὐτίκα εἵλετο τὰ Ῥωμαίων, Βαιβίῳ τε στρατηγῷ αὐτῶν ἀρχέτω πρὸς τὸ πλησίον στρατοῦ καλέσας ἐλθεῖν ἐς τὸ χρεῖος, &c.

Cap. X. *Occupat Pellineum.*] Strabo lib. 9. Πελλιναῖον item vocat. Stephanus. Πελλίναν. Inquit enim: πελλίνα πόλις Θετταλίας ἐν τῇ Φθιώτιδι.

Eod. *M. Babius interim cum Philippo in Daſſaritiis congreſſus Claudium ex communi conſilio ad præſidium Lariſſæ miſit, qui per Macedoniam magnis itineribus.*] Appianus hæc ita: καὶ ὁ Βαίβιος συμβαλὼν αὐτίκα ἔπεμψε διὰ τῆς Μακεδονίας Ἄππιον Κλαύδιον μετὰ δισχιλίων πεζῶν εἰς Θεσσαλίαν.

Cap. XI. *Rex Chalcidem à Demetriade profectus amore captus virginis Chalcidenſis Cleoptolemi filiæ, cum patrem primo adlegando deinde coram orando fatigaſſet, inuitum ſe grauioris fortunæ conditioni illigantem, tandem impetrata re, tanquam in media pace nuptias celebrat, & reliquam hyemis oblitus quantas ſimul duas res ſuſcepiſſet, bellum Romanum, & Græciam liberandam, omiſſa omnium rerum cura in conuiuiis, & vinum ſequentibus voluptatibus, ac deinde ex fatigatione magis quam ſacietate earū in ſomno traduxit.*] Hęc ex Polybij lib. 20. ſumpta ſunt, ſi Athenęo credimus, qui lib. 10. ita ſcribit: Ἀντίοχος δὲ ὁ μέγας ἐπικληθείς, ὃν Ῥωμαῖοι καθεῖλον, ὥς φησι Πολύβιος ἐν τῇ εἰκοστῇ, παρελθὼν εἰς Χαλκίδα τῆς Εὐβοίας συνετέλει γάμους, πεντήκοντα μὲν ἔτη γεγονώς, καὶ δύο μέγιστα τῶν ἔργων ἀνειληφὼς τήν τε τῶν Ἑλλήνων ἐλευθέρωσιν, ὡς αὐτὸς ἐπηγγέλλετο, καὶ τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον. ἐρασθεὶς οὖν παρθένου Χαλκιδικῆς, κατὰ τὸν τοῦ πολέμου καιρὸν ἐφιλοτιμήσατο γῆμαι, οἰνοπότης ὤν, καὶ μέθαις χαίρων. ἦν δ' αὕτη Κλεοπτολέμου μὲν θυγάτηρ ἑνὸς τῶν ἐπιφανῶν, κάλλει δὲ πάσας ὑπερβάλλουσα, καὶ τοὺς γάμους συντελῶν ἐν τῇ Χαλκίδι αὐτόθι διέτριψε τὸν χειμῶνα, τῶν ἐνεστώτων, οὐδ' ἡντιναοῦν ποιούμενος πρόνοιαν. ἔθετο δὲ καὶ τῇ παιδὶ ὄνομα Εὔβοιαν. Eadem ſcribit Plutarchus in Flaminino. Porro autē quod ait Liuius. *Adlegādo fatigat*, id eſt per legatos ſolicitat.

Eod. *Itaque principio veris cum per Phocidem Cheroneam, quo conuenire omnem vndique exercitum iuſſerat, veniſſet, facile animaduertit nihilo ſeueriore diſciplina quam ducem hybernaſſe.*] Quærit Glareanus quo modo ex Chalcide per Phocidem Cheronæam Antiochus venerit, quam autem quæſtionem ponit, non recte explicat. Chalcidem enim accipit Ætoliæ, non Eubœæ, parum ſcite. Eſſe autem legendum, *per Phocidem in Acarnaniam* cum Liuius tum Appianus oſtendunt. Liuius paulo poſt ita: *Rex præſidio Medione impoſito, & in quibuſdam aliis Acarnaniæ oppidis Thyrium diſceſſit, & per Ætoliæ ac Phocidis vrbes Chalcidem rediit.* Appianus etiam apertius ſic: ἀρχομένου δ' ἔαρος ἐμβαλὼν ἐς Ἀκαρνανίαν ... ἀρχίας τοῦ στρατοῦ ... ὄντος. Item: ἐπαναγαγόμενος δὲ ὅμως τινὰς τῆς Ἀκαρνανίας, καὶ τὰ λοιπὰ πολιορκῶν, ἐπεὶ ἤκουσε Ῥωμαίους ἐπιέναι περὶ τὸν Ἰόνιον, ἐς Χαλκίδα ἀνεζεύγνυ. † Glareanus de Chalcide Ætoliæ dubitat, nihil aſſeuerans, imo reprehendens. †

Eod. *Stratum Ætoliæ.*] Stephanus: *Stratum Acarnaniæ* eſſe ait.

Eod. *Romana claſſis quæ cum Attalo.*] Lege, *Attilio*, Eſt enim A. Attilius claſſis Rom. præfectus.

Eod. *Medeonem, & Tyreum.*] *Medionem* habent lib. vet. & recte. eſt enim *Medion* oppidum ad Ætoliam, auctore Stephano: Μεδίων πόλις περὶ τὴν Αἰτωλίαν. Item *Thyrium* ſcribendum eſt, quod eſt Acarnaniæ oppidum, teſte eodem: ἔστι καὶ Θούριον Ἀκαρνανίας διὰ τοῦ ι, τὸ ἐθνικὸν Θουριεύς.

Cap. XII. *Peterentque ab eo, vt Medeonis ſuper tanta re conſultare in concilio Acarnanum pateretur.*] Vet. lib. *Medios* habent. Aperte tamen legendum eſt, *Medionios*. inquit enim Stephanus ciues Medionis oppidi eſſe Μεδιωνίους.

Eod. *In eam legationem Mneſilochus, et qui eius factionis erant collecti.*] Vet. lib. *Coniecti*. egregie. Sic eſt locutus libro 45. *Tribum ſortirentur, in quam omnes, qui ſeruitutem ſeruiſſent coniicerent.* Eodem modo legendum eſt apud Ciceronem in 5. Philippica, *Totum denique comeſſationis Antonianæ chorum in tertiam decuriam iudicum ſcitote eſſe coniectum*, non *collectum*, vt vulgo legitur.

Eod. *Thyrenſes.*] *Thyrienſes*, à Thyrio. Nam Stephanus ait gentem Θουριεῖς appellari.

Cap. XIII. *In Daſſaretiis congreſſi.*] *Daſſaritiis*, quippe qui auctore Stephano aut Δασσαρῆται, aut Δασσαρήτιοι vocantur.

Eod. *Babius Phacium eſt aggreſſus.*] Ante *Philacium*, legebatur. Eſt autem in veteribus libris *Phacium*, quod non probat Glareanus, quia nomen ſit æque, ac prius obſcurum. Stephanum enim non legit, apud quem eſt ita: Φάκιον πόλισμα Θεσσαλίας. Θουκυδίδης δ'. τὸ ἐθνικὸν, Φακιεύς.

Eod. *Pheſtum eadem celeritate capit.*] Φαιστὸς apud Ptolemæum. Itaque diphthongus apponenda eſt.

Eod. *Chyretius, hinc &c.*] *Eritium*, inquit Glareanus, vbi reperias, vix equidem ſcio. Optime, non enim *Eritium*, ſed *Fricium* eſt legendum, quod eſt ſupra Thermopylas, auctore Stephano: Φρίκιον ὄρος ὑπὲρ Θερμοπυλῶν Λοκρικόν, ἀφ' οὗ Φρίκιοι καὶ Φρικῶνες οἱ αὐτόθι οἰκοῦντες.

Cap. XIV. *Per eos forte dies M. Acilius conſul cum decem millibus peditum, duob. millibus equitem, XV. elephantis mari traiecto pedeſtres copias Lariſſam ducere delectos militum tribunos iuſſit.*] Hæc ſic vertit Græce Appianus: Ῥωμαῖοι δὲ ὑπὸ ἀποβάσει τῶν τότε ὑπάτων ἱππέων δισχιλίους, καὶ πεζοὺς δισμυρίους ἐλέφαντάς τινας ἐν Βρεντεσίῳ διαβαλόντες ἐπὶ Θετταλίας ἐξάγοντες, καὶ τὰς πόλεις ἐξῄλαυνον τῶν πολεμίων. Non eſt autem menda apud Liuium, qui non XX. *millia* peditum, vt Appianus, ſed X. *millia* ſcribat. Etenim & ante, & poſt etiam duas tantum legiones primam & tertiam adduxiſſe Acilium ait.

Eod. *Philippus Megalopolitanus.*] Sic Appianus: καὶ τὸν Μεγαλοπολίτην Φίλιππον αἰχμάλωτον ἔλαβον.

Eod. *Cetera multitudo Athamanum, aut militum Antiochi regis quæ in præſidiis deditorum per eos dies opidorum fuerat, Philippo tradita regi eſt. fuere autem ad tria millia hominum.*] Appianus ita: ἄλλον δὲ καὶ τῶν Ἀντιοχείων ἐς τρισχιλίους.

Eod. *In itinere ab Pieria, & Metropoli.*] Supra oſtendi *ab Pialia et Metropoli* eſſe legendum, auctore Stephano: vrbem enim in Theſſalia quærimus Metropoli finitimam.

Eod. *Ad ludibrium regium eum conſalutari iuſſit.*] *Regem*, ſine dubio poſcit ſententia.

Eod. *Ita Athamania omnis in ius ditionemque Philippi conceſſit.*] Appianus ita: καὶ ὁ Φίλιππος ἐς Ἀθαμανίαν ἐμβαλὼν πᾶσαν αὐτοῦ ὑπήκοον ἔλαβε Ἀμυνάνδρου φυγόντος ἐς Ἀμβρακίαν.

Eod. *Proernam inde recepit.*] Quia Strabo lib. 9. Πρόερναν edit, nihil muto, quamquam Stephanus *Proarna* neutro genere ſcribendum eſſe docet, Πρόαρνα πόλις Μηλιέων, οὐδετέρως. οἱ οἰκοῦντες Προαρνεῖς.

Cap. XV. *Iam & ipſe eò decem millia ferè peditum ex iis, qui poſtea venerat ex Aſia expleta, et equites quingentos duxit.*] Appianus ita: γενομένων δὲ τούτων, τῶν μὲν οἰκείων πεζῶν μυρίων, καὶ ἱππέων πεντακοσίων ὄντων δὲ τούτων διὰ τῶν συμμάχων Θερμοπύλας κατέλαβε.

Eod. *Ab Leucade.*] Vet. lib. *Ab Leucate.* Sic Virgil. *Feruere Leucatē.* Item: *Leucata nimboſa cacumina mōtis.* Sic alibi Liuius.

Eod. *Ante ſaltum Thermopylarum ſeptentrionem verſus Epirus & Perrabia.*] Epirum ante ſaltum Thermopylarum ad ſeptentrionem eſſe, recte dictum eſſe, & ſine librorum menda, contra quam tradidit Glareanus, inde intelligi poteſt, quod Atticam à tergo ad meridiem, & Eubœam inſulam collocat. Reliqua deſcriptio Thermopylarum, quatenus aut Occidentem ſpectant, aut Orientem ex Polymnia Herodoti ſumpta eſt, Thermopylarum enim, inquit, quæ pars montis Occidentem ſpectat, inuia, atque dirupta eſt vſque ad Oetam. Quæ autem Orientem, ea à mari excipitur. Ibi aquæ calidæ ſunt, quas Ollas indigenæ vocant, & ſupra ara Herculi extructa eſt. Et murus, ſupra quem olim πύλαι, id eſt, portæ erant perſequitur deinde Leonidæ, & comitum Lacedæmoniorum mortem, qua locus ille nobilitatus eſt, vt paulo poſt ait Liuius.

Cap. XVII. *M. Porcium Catonem, & L. Valerium Flaccum conſulares legatos.*] Appianus Plutarchus, & Cicero in Catone tribunos militum appellant. Appian. ita: καὶ δύο τῶν χιλιάρχων Μάρκον Κάτωνα καὶ Λεύκιον Βαλέριον. Plutarchus de Catone: Μάρκ καὶ Λευκίου χιλιαρχῶν. Cato apud Ciceronem. *Quadriennio poſt quam conſul fui, tribunus militum depugnaui apud Thermopylas M' Acilio Glabrioni conſuli.*

Cap. XVIII. *Inſtruxit aciem conſul arcta fronte ad naturam & anguſtias loci.*] Appianus ſic: ἤδη δὲ καὶ Μάνιος ἐπῆγε τὴν στρατιὰν Ἀντιόχῳ κατὰ μέτωπον ἐς λόχους ὀρθίους διῃρημένην.

Eod. *Leuis armaturæ partem ante vallum in primo locauit.*] Eodem modo inſtructam aciem fuiſſe ab Antiocho tradit Appianus, præterquam quod in dextro cornu iaculatores, in ſiniſtro elephantes collocatos fuiſſe ait, contra quam ſcribit hoc loco Liuius. De Macedonib. autem pro Antiocho militantibus, non eſt, quod Glareanus dubitet. Idem enim prodit

§ Appianus his verbis. † Glareanus non dubitat, ſed quoſdam

» mutatos eſſe ſcribit: † καὶ ὁ βασιλεὺς τοὺς μὲν ψιλοὺς καὶ πελταστὰς προμάχεσθαι τῆς φάλαγγος ἔταξεν αὐτὴν δ' ἔστησε πρὸ τοῦ στρατοπέδου, ἐπὶ δεξιᾷ δ' αὐτῆς τοὺς σφενδονήτας καὶ τοξότας ἐπὶ τῶν λόφων, τοὺς δ' ἐλέφαντας ἐν ἀριστερᾷ, καὶ τὸ στῖφος ὃ μετ' αὐτῶν ἀεὶ συνετάσσετο παρὰ τῇ θαλάσσῃ. Item: ἐπεὶ καὶ αὐτοὺς εἰκότως δεχόμενος τι καὶ ἀναχωρῶν, καὶ αὖθις ἐπιὼν ἐπέστρεφε τοὺς μὲν ψιλὰς ὁ φάλαγξ ἡ τῶν Μακεδόνων διαστᾶσα ἐς αὑτὴν ἐδέξατο.

Eod. *Vallum haſtis præ ſe obiectis fecerunt.*] Sariſſas Macedonicas intelligit. Sic enim Appianus: καὶ τὰς σαρίσας ἐν τάξει πυκνὰς προβάλλοντο.

Eod. *Rhodontiam.*] Vet. lib. *Rhoduntiam.* Græci item Ῥοδουντία.

Cap. XIX. *Lilaum tamen eo die perſequuti ſunt hoſtem.*] In Vet. lib. legitur *Carpeiam.* Glareanus autem repoſuit, *Lilaum*, quod vt ipſe ait, in eo itinere oppidum ſit, *Carpeia* nuſquam Inſcite autem ipſum feciſſet, Appianus oſtendit, qui pro *Carpeiam*, *Searphiam* edit his verbis: Μάνιος μὲν ἐπὶ Σκάρφειαν ἐδίωκεν αὐτούς. Eſt autem *Searphia* oppidum prope Thermopylas, vbi pugnatum erat, auctore Stephano: Σκάρφεια πόλις Λοκρίδος τῶν Θερμοπυλῶν ἐγγύς.

Eod. *Nec præter quingentos, qui circa regem fuerunt ex toto exercitu quiſquam effugit, et, ex X. millibus militum, quos Polybio auctore traieciſſe ſecum regem in Græciam ſcripſimus.*] Eadem ſumma eſt etiam apud Appianum. Ἀντιόχου δὲ ζωοὶ ἐσώθησαν ἀμφὶ τοὺς μυρίους. αὐτὸς δ' ὁ βασιλεὺς ἀπὸ μὲν τῆς πρώτης τροπῆς μετὰ πεντακοσίων ἱππέων εἰς Ἐλάτειαν διέδραμεν.

Eod. *Romanorum centum L. interfecti.*] Appianus item ait: prope ducentos: Ῥωμαίων δ' ἀμφὶ τοὺς διακοσίους.

Cap. XX. *Ceneum Eubœæ.*] Græci Κήναιον. Itaque diphthongus apponenda eſt.

Eod. *Quæ nouiſſima agminis erant.*] Vet. lib. *Nouiſſimi*, perſpicue verum.

Cap. XXI. *Atque ad Hydruntem Italiæ traiecit.*] Plutar. Brunduſium & Tarentum ait tranſmiſiſſe in Cat. καὶ διέπλευσε μὲν ἐν Βρεντεσίῳ εὐτυχῶς μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ ἐκεῖθεν εἰς Τάραντα καὶ τέσσαρας ἄλλας ὁδεύσας, πεμπταῖος εἰς Ῥώμην ἀπὸ θαλάσσης ἀφίκετο. Strabo aūt lib. 6. tranſmiſſiones in Italiā Græcia tres fuiſſe tradit, Tarentum, Brunduſium, & Rhegium. Plinius vero lib. 3. ab Hydrunte in Græciam tranſitum breuiorem ait eſſe, à Brunduſio vero longiorem illum quidem, ſed certiorem.

Cap. XXII. *A. flumine Aſoto.*] Ex Strabone, Herodoto, Sequeſtre, *Aſopo*, legendum eſt.

Cap. XXII. *Laqueis, vt ſolet, exceptos declinabant ictus.*] Vitruuius lib. III. cap. 23. *Alij laqueis captos arietes. per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & eum ipſis teſtudinibus euertunt.*

Eod. *Aſſiduo labore vrente.*] Vet. lib. *vrgente.*

Cap. XXV. *Traditus inter ceteros principes Aetolorum, & Democritus, qui principio belli decretum Aetolorum, quo accerſendum Antiochum cenſuerant, T. Quintio poſcenti reſponderat: In Italia daturum, cum caſtra ibi Aetoli poſuiſſent.* Idem Appia ita: Δαμόκριτόν τε τὸν στρατηγὸν τῶν Αἰτωλῶν ἐπιτυχὼν ὁ Μάνιος ἔλαβε ζωγρηθέντα. ὃς Φλαμινίῳ περὶ Τίβεριν ἔφη στρατοπεδεύσειν.

Eod. *Et quia Lamia compoſita in tumulo eſt, tum regionem eum maxime deſpectat oppidum, qua breue interuallum videtur.*] Vet. lib. *Poſita eſt.* Ceterum ſenſus, quem ex his verbis elicere Glareanus non poteſt, hic eſt. Et quia Lamia poſita eſt in tumulo, & oppidum deſpecta regionem maxime ea parte, qua breue interuallum eſt ad eam oppugnandam, & omnia ab illa parte in conſpectu ſunt, icirco cum Romani Heracleam, Philippus Lamiam oppugnaret, non pari labore afficiebantur. Romani enim ſupra terram opera agebant, Macedones ſubtus cuniculis oppugnabant.

Cap. *Ita receſſum ab Lamia eſt, & propinquæ cladi vrbis ipſi nequid ſimile paterentur, effugerunt.*] Lamia à Philippo oppugnata iuſſu conſulis liberatur, vt ipſa paulo poſt à conſule, & ab exercitu Romano capiatur, & præda Romanorum ſit, non Macedonum. Quem ſenſum non percepiſſe Glareanum valde miror.

Cap. XXVIII. *Phaneas legationis princeps.*] Græci Φανίας.

Eod. *Prope dicentem, interfatus Romanum. Non in ſeruitutem, inquit.*] Veter. libr. ſatis docent, vocem huic orationi deeſſe, ſine qua vix ipſa conſiſtere poteſt. Ibi enim ita eſt *Prope dicentem interfatus Romanum Phaneas, non in ſeruitutem, inquit.*

Cap. XXX. *Vt ad Coracem ventum, mons eſt altiſſimus inter Callipolin, & Naupactum.*] *Callipolin* in hoc tractu ſe legiſſe non meminit Glareanus. Itaque aut *Callidromum*, aut, *Chalcidem* pro ea reponendam putat. Quam autem recte putet, oſtendit Appian. qui ita inquit: ὁ μὲν δὴ Μάνιος ἐπὶ Καλλίπολιν διώδευε τὸ ὄρος ὃ καλοῦσι Κόρακα.

Cap. xxxi. *Auditis legatis exemplo profectus Quintius à Megalopoli ad Diaphanem prætorem Achæorum miſit.*] Merito videndum eſſe admonet Glareanus, quid ſit, quod eodem verſu Liuius Quintium Chalcidi fuiſſe, & à Megalopoli, ad prętorem miſiſſe dicat. Eſt enim intelligendum Chalcidem hanc non Eubœæ, aut Ætoliæ, ſed Corinthi oppidum fuiſſe. Quintium autem Megalopolim profectum ad prætorem Achæorum Meſſenem oppugnantem miſiſſe. Itaque, *Megalopolim* legendum eſt, non *à Megalopoli*. Siquidem ſubdit Liuius: *Prætor circa Andaniam paruum oppidum inter Megalopolim, Meſſenemq́; poſitum Quintio occurrit.* de Chalcide Corinthia ſcribit Stephanus: itaque paulo poſt ait Quintius: *Corinthum ad ſe venirent.*

Eod. *Diaphanem præt. Achæorum.*] *Diophanem.* Plutarch. in Quintio: Διοφάνη στρατηγοῦντα τῶν Ἀχαιῶν.

Eod. *Pecunia pactus inſuram Achæis tradidit.*] Vet. lib. *Pecuniam pactus.* perſpicue verum.

Cap. xxxii. *Ceterū ſicut teſtudinē.*] Apologus hic narratur itē à Plutarcho, & in Quint. & in Apophthegmatis Quintij.

Cap. xxxiii. *Dolopiam, Aperantiam, & Perrhæbiæ quaſdam ciuitates.*] *Aperantia* quę regio ſit, ſe ignorare fatetur ingenue Glareanus, ſuſpicari autem corruptum nomen eſſe. Videtur ¶ autem non legiſſe Stephanum, ſcribentem ita. † Hoc loco „ ait, Videri ſibi Glareanum non legiſſe, ſuperius autem aſſe- „ ueranter ait Glareanum non legiſſe Stephanum. Quid ſi „ Glareanus legit, aliquando non tamen meminit omnium, quæ in eo legit? † Ἀπεραντία χώρα Θετταλίας. Πολύβιος εἰκοστῷ. neque Plutarchum in Quintio, vbi huius facti meminit ita: ἀπέλυσεν δὲ καὶ Περραιβοὺς ὑπὸ τῶν Μακεδόνων τοὺς μὲν Δολόπων, καὶ Μαγνήτων, τοὺς δὲ Ἀθαμάνων, καὶ Ἀπεραντῶν. Ita paulo poſt Liuius: *Athamaniam, Perrhæbiam, Aperantiam, Dolopiam.* Eadē regio memoratur apud Thucydidem etiam, & Strabonē, & alios.

Cap. xxxiv. *Manu tamen annuit, quid in ſe opis eſſet.*] Vet. libr. *Abnuit*, id eſt, manu negauit, quicquam in ſe opis eſſe. Plutar. τότε μὲν οὐδὲν εἶπεν, ἀλλὰ στρεφεὶς καὶ δακρύσας ἀπῆλθεν.

Cap. xxxvi. *Ad ludos quos proprætor in Hiſpania inter ipſum diſcrimen pugnæ vouiſſet.*] Sic ſupra l. 35. *P. Scipio proprætor Luſitanos aggreſſus eſt. In diſcrimine pugnæ ludos Ioui, ſi fudiſſetque hoſtes, proprætor vouit.*

Eod. *Iuuentatis ædem in circo Maximo.*] *Iuuentatis* lego. Sic enim Cicero in Bruto: *Ludis Iuuentatis, quos Salinator Senenſi prælio vouerat.* *Deæ* etiam *Iuuentatis* meminit in primo Libro Liuius.

Eod. *M. Cornelio, T. Sempronio* Coſs.] *P. Sempronio* lege ex ipſomet Liuio, & Capitol. conſulatu.

Cap. xli. *Cherſoneſum petit, vt ea loca ſi forte terra venirent Romani præſidiis firmaret.*] Appianus ita: ἐς τὴν Χερρόνησον διαπλεύσας πάλιν αὐτὴν ὤχυρου, καὶ Ἄβυδον ὠχυροῦτο, δι᾽ ὧν ἔδει τὴν φάλαγγα τὴν Ῥωμαίων ἐς τὴν Ἀσίαν ἐσδῦναί τε, καὶ περᾶσαι.

Cap. xlii. *Samum, Zacynthum, quia partis Ætolorum maluerant eſſe, depopulatus.*] Veter. lib. *Tamen, Zacynthumque.* Ego, *Samen.* De Same inſula ſupra copioſe dictū eſt. Sic enim Virgilius etiam ex Homero: *Sameq́; et nemoroſa Zacynthos.* Liuius autem præfectus claſſis Zacynthum populatus eſt, forte quod neſciret eam ab Achæis Romano populo Quintio ipſo agēte cōceſſam, quod paulo ante factū eſſe ſcripſit.

Eod. *A Piræeo A. Atilius traditis ſucceſſori quinq́; & xx. nauibus tectis Romā eſt profectus. Liuius vna & xxx. roſtratis nauibus.*] Hæc ſic Appian. Λίβιος δὲ ὁ φύλαξ τῆς Ἰταλίας ἐπὶ τὴν ναυαρχίαν αἱρεθεὶς Ἀτιλίῳ διάδοχος ἀνήγαγε ταῖς τε ἰδίαις ναυσὶν, αἷς τὴν Ἰταλίαν ἐφύλαττεν, καὶ παρὰ Καρχηδονίων αὐτῷ πεμφθείσαις, καὶ συμμαχίσιν ἄλλαις ἐς Πειραιᾶ κατήχθη, καὶ τὰς ὑπ᾽ Ἀτιλίῳ σὺν αὐτῷ περιλαβὼν ἔπλει καταφράκτους ὀγδοήκοντα, καὶ μιᾷ, ἐπιπλεόντων μὲν Εὐμένους πεντήκοντα ἰδίαις καὶ ἣν κατάφρακτοι καὶ τούτων δὲ τὸ ἥμισυ.

Cap. xliii. *Tertio die c. nauibus, quarum lxx.*] Vereor ne ſit legendū, cc. *nauib.* quia ſcribit Appia. ἀντανήγετο δὲ αὐτοῖς ὁ ναύαρχος τοῦ Ἀντιόχου Πολυξενίδας διακοσίαις ναυσὶ κουφοτέραις πολύ.

Eod. *Phanas portum Chiorum.*] Promontorium ait eſſe Stephanus, Φάναι ἀκρωτήριον τῆς Χίου.

Cap. xlv. *Obuiæ fuere iis v. & xx. tectæ Rhodiæ naues cum Pauſiſtrato præfecto claſſis.*] Appianus vii. & xx. fuiſſe ait: ἔνθα αὐτοῖς Ῥοδίων νῆες συμμαχίδες ἦλθον ἑπτὰ καὶ εἴκοσι. Idem Pauſiſtratum vocat Πανσίμαχον.

Eod. *Ad Canas claſſis venit.*] Stephanus: Αἰγαῖος Αἰολίδος ἄκρα ὡς Στράβων, ἀπὸ τῶν Κανῶν, Κανοὶ λέγεται.

Eod. *Poſtero pr. creati.*] Vet. lib. *Poſtero prætores creati.*

IN EPITOMEN LIB. XXXVII.

E*Vmene rege Attali Pergameni filio.*] Vet. lib. *Eumene rege Pergami Attali filio.*

Qui cum Antiocho bellauerat.] Vet. lib. *Debellauerat*, recte.

Cognomine fratri coæquatus.] Libri veteres, *exæquatus.*

IN LIBRVM XXXVII.

CAp. iii. *Quod Laurentibus carnis, quæ dari deberet, data non fuerat.*] Dubitat Glareanus, ne quid vitij ſit in voce, *carnis*, neque enim legit Priſcianum, qui libro ſexto citatis his Liuij verbis libro hiſtoriarum ab vrbe cond. xxxvii. oſtendit, *carnis* in recto caſu etiam recte dici. præterea idem habet, *quæ dari debet*, non *deberet*, quæ lectio eſt etiam vetuſtorum librorum. † ¶ Hic rurſus ait Glareanum non legiſſe Priſcianum, cum tamen Glareanus ad- „ moneat hoc loco lectores ne quid mutetur: eſſe antiquum „ nominatiuum *carnis* pro *caro*. Hic Glareanus iuſtam cau- „ ſam inuehendi haberet, ſi non maioribus curis animum de- „ diſſet. †

Cap. v. *Medio ferme diei.*] Vet. lib. *Medio ferme die.*

Cap. vi. *Iam in ſinum Maliacum venerat.*] Si L. Scipio expoſito Apolloniæ exercitu per Epirum, atque Theſſaliam in Ætholiam venit, vt & ſuperiore verſu ait Liuius, & paulo poſt, cum inquit. *Ab Amphiſſa Theſſaliam repetit.* videndum eſt, quemadmodum in Maliacum ſinum venerit, atque ante in ſinum venerit, quam Hypatam, neque enim mari veniſſe in ſinum ex verbis Liuij intelligi poteſt, neque item ex Appiano, qui ita ait: Πόπλιον δὲ Σκιπίωνα ἀφικόμενον ἐς Αἰτωλίαν μετὰ τοῦ ὑπάτου, καὶ τοῦ Μανίου στρατὸν παραλαβόντα, τοὺς μὲν ἐν Αἰτωλίᾳ πολιορκίας ὑπεριδεῖν. Ex his autem locis, quæ hoc loco nominata ſunt, Sinus Maliacus eſt ſupra Eubœam inſulam. Hypata eſt oppidum Theſſaliæ, ſiquidem eſt in Perrhæbia Theſſaliæ regione. Amphiſſa Locrorum Ozolorum non longe à Naupacto. cum ergo Scipio per Epirum & Theſſaliam in Ætoliam veniret, nuncios Hypatam, vt ſe dederet, prætermiſit, & re infecta ducit Amphiſſam Ætolorum inde ab eius obſidione, inquit Theſſaliam repetit, vt per Macedoniam, & Thraciam duceret exercitum in Aſiam. Hęc cum ita ſint, apparet non *in ſinum Maliacum*, qui ſupra Eubœam eſt, Scipionem veniſſe, ſed *in finem Maliacum.* Eſt autem Malœa oppidum in Peræbia Theſſaliæ Liuio ipſo auctore. itaque l. 42. ait: *Per Theſſaliam & Melienſem agrum cum exercitu contra fœdus Delphos iſti.* Stephanus illos Μαλιεῖς, hos Μηλιεῖς, vocat. ſic enim ſcribit: Μαλιεὺς πόλις ἐπώνυμος τῶν Μαλιέων. ὁ πολίτης Μαλιεύς. ἔστι καὶ Μαλιακὸς κόλπος. λέγεται καὶ Μαλιαῖος. poſt autem. Μῆλος νῆσος μία τῶν Κυκλάδων, τὸ ἐθνικὸν οἱ Μήλιοι, οἱ δὲ ἐν Θετταλίᾳ Μηλιεῖς. καὶ διὰ τοῦ ἄλφα Δωριεῦσι Μαλιεῖς λέγονται καὶ ἀπὸ τοῦ Μῆλος Μηλιεὺς, καὶ Μηλιακὸς, καὶ Μηλὶς ἡ χώρα. Vt autem hic dixit *finem Maliacum*, pro *fines.* ſic l. 34. *Finem Piſanum.* Fecit autem illuſtris fama *ſinus Maliaci*, vt rudes librarij, *ſinum Maliacum*, pro *finem* ſcripſerint.

Eod. Cum tribus millibus peditum, & quingentis equitibus conſul veniebat.] In priore numero vitium eſt. Dixit enim paulo ante: Conſul in ſupplementum data eſſe ciuium Romanorum peditum tria millia, equites centum, ſociūm nominis Latini quinque millia, equites ducentos. Et poſt: *At quinque millia voluntariorum ex Romanis ſociiſque qui emerita ſtipendia ſub Imperatore P. Africano habebant, præſto fuere exeunti conſuli, & nomina dederunt.* Quo fit, vt non *tria*, ſed *tredecim millia* ſecum duxerit. Equitum etiam numerus auctus eſt, quod edixit, vt milites, qui in Bruttiis cum A. Cornelio proprætore eſſent, adeſſent. xii. etiam millia ſecum adduxiſſet M'. Acilium, qui ante ſe rem geſſerat, ſcripſit.

Cap.VIII. *Itaque & Annibalem in Syriam miſerat ad Phœnicum acceſſendas copias.*] Appianus ita: Ἀντίοχος δὲ περὶ τὴν ναυμαχίαν ἐπιδεδωκώς, Ἀννίβαν ἔστελλεν ἐπὶ Συρίας ναῦς ἄλλας ἐκ τε Φοινίκης, καὶ Κιλικίας, συναγαγεῖν.

Cap.IX. *In portum, quem vocant Achæorum.*] Sic Appianus: καὶ Σελευκὸς μετ' αὐτὸν καὶ Περγάμου, καὶ ὁ Ἀχαιῶν λιμένα καὶ πολλὰ ἄλλα περιεκάθητο.

Eod. *Eleunte.*] *Elaunte*, Sic enim Græci.

Cap.XI. *Tygela portũ tenuit.*] Stephanus: Πύγελα πόλις Ἰωνίας.

Eod. *Quinque tantum naues cum duabus Cois effugerunt, terrore flammæ micantis via ſibi inter confertas naues facta.*] *Septem* non *quinque* edit Appianus: καὶ τῶν νεῶν ἑπτὰ μετ' αὐτὸ τὸ πῦρ φυγεῖν, τοὺς ἀντίους διὰ τὴν φλόγα περιιόντες, ἔφυγον.

Eod. *Cyma. aliæque eiuſdem oræ vrbes.* Vet.lib. *Cyme.* Item Appianus: Κύμη· καὶ ἐπὶ τῆς γῆς φυγαδικῶς αὐτῆς, καὶ Σάμος, καὶ Κύμη πρὸς Ἀντίοχον μετετίθετο.

Cap.XII. *Eumenes Elææm venit.* Appianus: ὅθεν Εὐμένης ἐς Ἐλαίαν τὴν ἀρχῆς ἐπίνειον διέπλει.

Cap.XIII. *Inde ad Macrin, quam vocant, inſulam traiecit.* *Macrin Eubœam* dictum eſſe auctores ſunt Strabo, Stephanos, Dionyſios, ὁ περιηγητής. Eſſe præterea alteram inſulam *Macrin* inter Cycladas tradit Euſtathius in Dionyſium his verbis: λέγεται δὲ μάκρις καὶ Κυκλάδων μία ἡ Ἴκαρος, ἀφ' ἧς νομίζουσι τινὲς εἰρῆσθαι καὶ τὸ Ἰκάριον πέλαγος.

Cap. XIV. *Clauſamque iam mare commeatibus Italicis erat.* Vet. lib. *Id mare.*

Eod. *Obuiam à Liuio.* Vet.lib. *Ab Liuio.*

Cap. XV. *Sine enim abſcedant.* Veter. lib. *Si enim*, probo: Nam ſequitur, *Sin autem.*

Cap. XVI. *In Telmeſſicum profecti ſinum.* Vet. lib. *Telmiſſicum*, & Græci Τελμισσὸν oppidum vocant.

Cap. XVII. *In Bargylletico ſinu.* In vet. lib. eſt, *in Bargilyam, et Icoſon.* mendoſe illud quidem, verum ita tamen, vt appareat *Bargyliaco* eſſe legendum. Græci enim Βαργυλία, & Βαργυλιακὸν κόλπον vocant.

Cap. XVIII. *Arcemque regni Pergamum ducit oppugnandum.* Vet. lib. *Oppugnandam.*

Eod. *Quæ ad tranſitum Helleſponti eſſent.*] *Opus eſſent* malim. Sic ſopra: *Helleſpontum petebat, vt ad tranſitum exercitus præpararet quæ opus eſſent.* & infra: *Præparare quæ ad tranſitum Helleſponti opus eſſent.*

Cap. XIX. *Agrum opulentum, quem vocant Thebes campũ, carmine Homeri nobili actum.*] Homerus Iliados β. ἀρπαξάν ἱερὰν Θήβην, καὶ τείχεα Θήβης: & π. ᾠχόμεθ' ἐς Θήβην ἱερὴν πόλιν Ἠετίωνος. Multos alios verſus afferre poſſum, quibus Thebes Homerus ita meminit, vt vere Liuius nobilitatẽ ab eo fuiſſe dixerit.

Cap. XX. *Per eoſdem dies forte Elæam ex Achaia mille pedites cum centum equitibus Diophanes omnibus his copiis præpoſito, acceſſerunt.*] Appianus ita: ἦκον δὲ καὶ παρὰ τῶν Ἀχαιῶν Εὐμένει σύμμαχοι χίλιοι πεζοί, καὶ ἱππεῖς ἑκατὸν ἐπίλεκτοι, ὧν Διοφάνης ἡγεῖτο.

Eod. *Non ſtratos. non infrenatos magna pars habebant equos.*] Supra *infrenatum poſuit*, pro eo qui *careret freno*, cum ſcripſit l.21. *Equites frenatos et infrenatos*: vt hoc loco, *infrenatos* pro *frenatis* poſuit, vt paulo poſt *infrenare*, pro frenare: *Equos non ſternere, non infrenare, aut conſcendere facile poterant.*

Eod. *Secutus effuſos, quo ad tutum fuit.*] Legendum, *quoad tutum fuit.* Sic paulo poſt, *Inſequi, quo ad putarent tutum iuſſit.*

Cap. XXI. *Præſidium mille armatorum.*] Veter. libr. *Trium millium.*

Cap. XXV. *Philippum, & Nabin hoſtes & bello ſuperatos ab T. Quintio, tamen in regno relictos.*] Perſpicue apparet legendum eſſe, *Vt bello.* *Vt* autem pro, *quamuis* accipiendum, cum ſequatur, *Tamen.*

Cap. XXVI. *Vel victam ſemel claſſem vincere iterum.*] Veter. lib. *Iterum vincere.*

Eod. *A ſua parte belli.*] *Ab ſua.* & item cap. ſeq. *ab Samo.* ex veter. lib.

Eod. *Eudamus Rhodius.*] *Eudorum* hunc vocat Appianus.

Cap. XXVII. *Myoneſus promontoriũ eſt inter Teium, Samumque.*] *Teum* legendum eſt ex vet. li. & Græcis, Stephanus ita: Μυόννησος μεταξὺ Τέω καὶ Λεβέδου. Itẽ: Τέως πόλις Ἰωνίας ἐν νήσῳ τινι:

Cap. XXVIII. *Aptius viſum eſſet Romanis, in eum portum, qui ante vrbem eſt, claſſem tranſire.*] Ver. lib. *Claſſe.*

Cap. XXX. *Ab Romanis LXXX. naues pugnabant, ex quibus Rhodiæ duæ & XX. erant. Hoſtium claſſis vnde nonaginta nauium fuit.*] Appianus: ἐς ναυμαχίαν συνῄεσαν Πολυξενίδας μὲν ναυσὶν ἐνενήκοντα κατάφρακτοις, Αἰμίλιος δὲ ὁ Ῥωμαίων ναύαρχος ὀγδοήκοντα καὶ τρεῖς, καὶ τούτων ἦσαν ἐκ Ῥόδου πέντε, καὶ εἴκοσι. Quibus ex verbis apparet apud Liuium, *quinque & viginti* legendum. Qui error ex nota numeri emanauit, V. & II.

Eod. *Quadraginta duabus nauibus in ea pugna amiſſis, quarum tredecim captæ in poteſtatem hoſtium venerunt, cætera incenſæ aut demerſæ. Romanorum duæ naues fractæ ſunt, vulneratæ aliquot, Rhodia vna capta memorabili caſu.*] Hæc ſic Appianus: καὶ διεφθάρησαν Ἀντιόχου νῆες μὲν δύο καὶ τεσσαράκοντα ἐν πεντεκαίδεκα αὐτοῖς ἀνδράσιν ἐλήφθησαν. Ῥωμαίων δὲ ἀπώλοντο μόναι δύο, καὶ ὁ Πολυξενίδας τὴν Ῥοδίαν ναῦν ἐπιφερόμενος ἐς τὴν Ἔφεσον κατήχθη.

Eod. *Rhodia vna capta memorabili caſu. Nam cum roſtro percuſſiſſet Sidoniam nauem, anchora ictu ipſo excuſſa è naue ſua, vnco dente, velut manu ferrea iniecta, alligauit alterius proram inde tumultu iniecto, cum diuellere ſe ab hoſte cupientes inhiberent Rhodij, tractum anchorale, & implicitum remis latus alterum deterſit, debilitatem ea ipſa, quæ iſta cohæſerat, nauium cepit.*] Qui loci huius ſententiam aſſequuti non ſunt, quæ lectione vetere continebatur, ij dum emendare conati ſunt penitus deformarunt. alij autem: *Tractum anchorale*, alij *tracta anchora, & implicita remis*, ex ingenio repoſuerunt: Cum ſit in veter. libr. omnibus: *Tractu anchorali, & implicitum remis latus*: hoc ſenſu, Rhodia nauis, inquit, vna capta memorabili caſu. Nam cum ipſa roſtro percuſſiſſet Sidoniam nauem, anchora ictu ipſo è naue ſua Sidonia excuſſa, vnco dente, velut manu ferrea alligauit Rhodiæ proram, &, cum inde diuellere ſe tumultu iniecto cupientes Rhodij inhiberent, tractu anchorali latus alterum Rhodiæ nauis remis implicitum deterſit. Ita debilitatem Rhodiam nauem Sidonia, quæ ante à Rhodia percuſſa cohæſerat, cepit. Eſt igitur hæc tota oratio ſe referenda ad rectum illum caſum, *anchora*, quæ & alligauit proram Rhodiæ nauis & tractu anchorali latus eius alterum remis implicitum deterſit. Duo enim ſignificat incõmoda ab illa anchora eſſe illata, alterũ ab vnco dente, quo alligata Rhodiæ prora eſt, alterũ à loris, quibus anchora tenetur, à quibus remi alterius lateris eiuſdẽ nauis deterſi, atq; receſſi ſunt. Hunc etiam ſenſum expreſſit Appianus ita μέχρι Ῥοδίας νεὼς ἐς Σιδωνίαν ἐμβαλούσης, καὶ τῆς ἀγκύρας ἐκ τοῦ πληγέντος ἐς τὴν Ῥοδίαν ἐπιπεσούσης, καὶ συνδεθεισῶν ἅμα πρὸς ἀλλήλας.

Cap. XXXI. *Ariarnten.*] *Ariarathen*, Græci enim Ἀριαράθην.

Eod. *Direptis ante portum nauibus, cum confeſſionem conceſſi maris vltimam hoſti expreſſiſſet.*] Lege, *directis*: ea enim & veterum librorum lectio, & is fuit mos, vt victores in conſpectu eorum, qui victi eſſent, inſtruerentur, & ea re confeſſionem victoriæ ab hoſte elicerent. Itaque libro priore ait, *Iis adimmitis Epheſum hoſtem perſecuti, ante oſtium portus acie inſtructa ſteterunt. Poſteaquam confeſſionem victis ſatis expreſſerunt*, &c.

Eod. *Rhodias parte præda, & ſpoliis decoratas.*] Veter. lib. *Rhodios, & decoratos.*

Cap. XXXIV. *A Chalcide Oreum petentem.*] Appianus, *à Chalcide Demetriadem*, habet, ἐς Δημητριάδα ἐκ Χαλκίδος διαπλέοντα.

Cap. XXXV. *Alexandriam Troadem.*] Appianus: τὴν Ἀλεξάνδρειαν τὴν ἐπὶ Τρῳάδι. vocant.

Cap. XXXVI. *Non ſolum frenis, ſed etiam iugo accepto.*] Plutarchus aliter in Apophtegm. *non ſolũ freno, ſed etiam in ſeſſore.* alluſit autem ad apologum equi, de quo Ariſtoteles li. 2. Rhetoric. ſic. ἰδεῖν παρέσχεν, εἶπεν, ἀλλὰ μὴ νῦν. ὁ ποτὲ καὶ τὸν χαλινὸν, καὶ τὸν ἀναβάτην προσδέδεξαι.

Cap. XXXVII. *Receptus ſe tranſgreſſus Phrygium amnem, circaque Magneſiã, quæ ad Sipylum eſt poſuit caſtra.*] Appianus ita: μετεστρατοπέδευσεν ἀμφὶ τὸ ὄρος τὸ Σίπυλον, τεῖχός τι ἀγχοῦ τῷ στρατοπέδῳ περιτειχίσας, καὶ τὸν Φρύγιον ποταμὸν ἐν περιβολῇ τοῖς πολεμίοις ὑπέθετο.

Cap. XXXIX. *Cn. Domitius ad explorandum iter.*] Γάϊον Δομίτιον hunc appellat Plutarchus in Apophthegmatis. Si enim inquit, Γάϊος Δομίτιος, ὃν Σκιπίων ὁ μέγας ἀνθ' ἑαυτοῦ τῷ ἀδελφῷ Λευκίῳ παρακατέστησεν ἐν τῷ πρὸς Ἀντίοχον πολέμῳ.

Eod. *Conſul Achæorũ cetratis immiſtos auxiliares Eumenis tria millia ferme peditum æquata fronte inſtruxit.*] Glareanus hunc locum

locum, vt obſcurum notauit: idemque Achæos auxiliares, & cetratos Pergamenos interpretatur, quo ſenſu nullus fœdior eſſe poteſt: cum cetratos Achæos, Pergamenos Eumenis auxiliares accipere debeamus, interprete Appiano: ἐπὶ δὲ τοῖς ἱππεῦσιν, ὁ Εὐμενοῦς στρατὸς ἐτέτακτο, καὶ Ἀχαιῶν πελτασταὶ ἀμφὶ τρισχιλίους.

Eod. *Triballos & Cretenſes.*] Vet.lib. habent: *Tralles & Cretenſes.* Appianus: Κρῆτες, καὶ Τραλλιανοί. Glareanus tamen & hoc libro, & libro 27. pro *Trallos*, & *Trulles*, vtrobique, *Tribullos* reponit, ſcilicet, quia ignorat Stephanum ita ſcribere: Τράλλια χώρα τῆς Ἰλλυρίας. λέγονται καὶ Τράλλοι καὶ Τράλλεις παρὰ Θεοπόμπῳ. Puto autem apud Appianum eſſe mendoſe Τραλλιανοὶ pro Τράλλεις. Siquidem Tralliani ſunt è Trallibus oppido Lydiæ, eodem Stephano auctore. Ergo & hic & paulo poſt vetus lectio retinenda eſt, & *Tralles* legendum inuito Glareano.
¶ † Glareanus in acie *Tralles* legit, at in interpretamento dubitat, vt ſolet. †

Eod. *Sexdecim elephantos poſt triarios in ſubſidio locauerunt.*] Vet. lib. xv. Appianus certum numerum non apponit, paucos tamen, fuiſſe ait: τῶν δ᾽ ἐλεφάντων οὐ πολλοὶ ἦσαν ἐν Λίβυες... χρώμενοι ὀλιγωτέροις τε οὖσι καὶ βραχυτέροις, ὡς Λίβυες ἐπὶ πάσι ὄπισθεν ἐτάχθησαν.

Cap. xl. *X. & ſex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui Phalangitæ appellabantur. Hac media acies fuit in fronte, in decem partes diuiſa.*] Appianus: Ἀντιόχῳ δὲ ὁ μὲν στρατὸς εἶναι ἐπὶ ἑπτὰ μυριάδες. καὶ ἦν αὐτῷ τὸ κράτιστον ἡ φάλαγξ ἡ Μακεδόνων ἄνδρες ἑξακισχίλιοι καὶ μύριοι, ἐπὶ δὲ ... ἐν μέσῳ ... ἀνὰ χιλίους, καὶ ἑξακοσίους ἐς δεκαμερῆ.

Eod. *Ad latus dexterum Phalangitarum mille, & quingentos pedites Gallogræcorum oppoſuit. his tria millia peditum loricatorum, cataphractos ipſi appellant, adiunxit addita his ala mille ferme, equitum, agema eam vocabant.* Satis conſtat, ſi ſententiam ſequi auctoris volumus, *quingẽtos equites, et tria millia equitum*, eſſe legendum. Quin etiam equitibus ab vtraque parte Gallogræcis phalangem clauſam, atq; munitam fuiſſe tradit Appianus his verbis: Ἑκατέρωθεν μὲν ἦν τὸ πεζὸν Ἀντιόχου ἱππεῦσι δὲ ἑκατέρωθεν αὐτοῦ περιτετάχατο Γαλάται τε κατάφρακτοι, καὶ τὸ καλούμενον ἄγημα τῶν Μακεδόνων εἰσὶ δὲ καὶ οὗτοι ἱππεῖς ἐπίλεκτοι. καὶ παρ᾽ αὐτὸ ἄγημα λέγεται τὸ μὲν ἔξω τὴν φάλαγγα ἦν ἐκτεταμένον. Quæ eadem verba, & quid ſit *agema*, docent, & nihil huic loco deeſſe, contra quam cenſet Glareanus, probant.

Eod. *Agema eam vocant. Medii erant lecti viri.*] *De agemate* Arrianus, & Curtius, qui de rebus Alexandri ſcripſerunt. Item Suidas ita: Ἄγημα τὸ περὶ τὸν βασιλέως τάγμα ἐπιφανέστατον καὶ ἱππικὸν καὶ πεζόν. οἱ δὲ τὸ ἄριστον τῆς Μακεδονικῆς συντάξεως κρατιστεύον ὁ πλεῖον καὶ σωμάτων ἐκλογῇ. Liuius lib. 42. *Delecta et viribus, & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant agemata, hanc ipſi legionem vocabant.*

Eod. *Argyraſpides à genere armorum appellabantur.*] Appianus item: ἱππεῦσι Ἀργυράσπιδες. Diodorus tamen in Alexandro non equites, vt Appianus, ſed pedites nominat: τὸ τῶν Ἀργυρασπίδων τάγμα διαφέρον τῇ τε τῶν ὅπλων λαμπρότητι, καὶ τῇ τῶν ἀνδρῶν κράτει.

Eod. *Daba deinde equites ſagittary.*] Vet.lib. *Dacæ:* Appianus item: ἱπποτοξόται τε ἐπὶ τούτοις ἕτεροι Δάαι.

Eod. *Duo millia, et ſeptingenti Myſi ſagittariis adiuncti erant.*] Vet.lib. *Sagittary.* recte. Appianus enim Myſos ſagittarios vocat, æque atque Dacas. ἱπποτοξόται τε ἐπὶ τούτοις ἕτεροι Δάαι. καὶ Μυσοί, καὶ Ἐλυμαῖοι. At Elimæos etiam ſagittarios vocat Liuius.

Eod. *Ab læuo cornu phalangitis adiuncti erant pedites.*] *Equites* legendum, vt ſupra.

Eod. *Et ſimiliter his armati duo millia Cappadocum ab Ariarathe miſſu rege.*] Appianus: καὶ Καππαδόκαι τοῖς οὓς ἔπεμψεν Ἀριαράθης.

Eod. *Inde auxiliares mixti omnium generum.*] Appianus: καὶ μιγάδες ἀνάμιξ.

Eod. *Et tria millia cataphractorum equitum.*] Appianus: κατάφρακτοι ἵπποι ἐπὶ τοῖς καὶ ἕτεροι.

Eod. *Et mille alij equites regia ala leuioribus tegumentis ſuis, equorumque.*] *Regiam alam* ἑταιρικὴν, id eſt, *amicorum*, & *ſodalium* vocat Appianus. inquit enim, καὶ ἣν ἐκάλουν ἑταιρικὴν ἀφρακτόφυλον κοῦφοι. Arrianus libro primo vocat, τὴν ἑταίρων τὴν βασιλικὴν ἴλην.

Eod. *Ante hanc equitum falcatæ quadrigæ.*] Quærit Glareanus, quem equitatum intelligat Liuius hoc loco, Huic ego reſpondeo, equites omnes intelligi, quos paulo ante in læuo cornu rex collocauit, Gallogræcos, Cappadoces, Myſos, Cataphractos, regiam alam, hincque etiam perſpici, *Gallogræcos equites*, non *pedites* eſſe legendum.

Eod. *Cameli, quos appellabant Dromadas.*] Appianus: Ἄραβες οἱ καμήλους ὀξυτάτας ἐπικαθήμενοι τοξόται.

Eod. *Gladios habentes tenues, longos quaterna cubita.*] Appianus καὶ μαχαίρας ὅτι πλατείας ἐπιμήκεις, καὶ στενὰς χρῶνται.

Eod. *Inde Neocretes mille, & eodem armatu Cares, & Cilicies.*] Appianus: Κρητῶν τε Τραλλιανῶν, καὶ Κίλικες οἳ τῶν Κρητῶν τρόπον ἐσκευασμένοι.

Eod. *Primi Tarentini.*] Sic libro 35. *Et tum omnium primum agmen conſtituit, dein Cretenſes auxiliares et quos Tarentinos vocabant equites binos ſecum trahentes equos, ad prima ſigna miſit.* Deiiſdem Tarentinis equitibus meminit etiam Ælianus de inſtruendis aciebus.

Eod. xli. *Rex ipſe in dextro cornu erat. Seleucum filium, et Antipatrum fratris filium in læuo præpoſuit, media acies tribus permiſſa Minioni. & Zeuſidi, et Philippo magiſtro elephãtorum.*] Appianus: ἐστρατήγει δὲ τοῦ μὲν δεξιοῦ ἱππικοῦ Ἀντίοχος αὐτὸς, τοῦ δὲ ἑτέρου Σέλευκος ὁ υἱὸς Ἀντιόχου. τῆς δὲ φάλαγγος Φίλιππος ἐλεφαντάρχης, καὶ τῶν προμάχων Μενδὶς καὶ Ζεῦξις. Hinc ego *Mendi, Zeuxidi* lego.

Eod. *Et humor tot fere graui armatu.*] Hanc rem ſic expreſſit Frontinus lib. 4. Stratag. *L. Scipio in Lydia cum die, ac nocte imbre continuo vexatum exercitum Antiochi videret, nec homines tantum, vel equos deficere, verum arcus quoque madentib. neruis inhabiles factos, exhortatus eſt ſuos, vt poſtero quamuis religioſo die, committeretur prœlium quam ſententiam ſecuta victoria eſt.*

Eod. *Auxilia enim ſubſidiaria.*] Vet.lib. *Auxilia enim ſubſidiaque, quæ proxima.*

Cap. *Et pila inter turbas coniecere.*] Vet.lib. *Et pila in perturbatos*, recte. dixit. n. paulo ante: *Ibi ſimul perturbati ordines.*

Cap. xliii. *Cum ſolutis ordinibus velut caci ſuper alios alij ruerent et incurſu belluarum obtererentur.*] Vet.lib. *Super alios alij ruentes incurſu belluarum obtererentur.*

Cap. xliv. *Ad quinquaginta mill. peditum.*] Appian. περὶ πεντακισμυρίους.

Eod. *Romanorum aliquot vulnerati ſunt, ceciderunt non plus ccc. pedites, quatuor & viginti equites, & de Eumenis exercitu quinque & viginti.*] *Quinque decem* edit Appianus, ἐφάνησαν δὲ νεκροὶ Ῥωμαίων μὲν τῶν ἐξ ἄστεως ἱππεῖς εἴκοσι καὶ τέσσαρες, καὶ πεζοὶ τριακόσιοι μάλιστα, οὓς ὁ Ἀντίοχος ἔκτεινεν. Εὐμενοῦς δὲ ἱππεῖς πεντεκαίδεκα μόνοι.

Eod. *Ab Thyatira.*] Stephanus neutro genere efferri hanc vocem ait, eodemque modo Appianus & ceteri vſurparunt. Itaque *ab Thyatiris* legendum eſſe videretur, etſi Stephanus muliebri genere proferri poſſe ſubſignificaret.

Cap. xlv. *Cum S.P.Q.R. pacem comprobauerint.*] Vet. lib. *Comprobauerit.*

Cap. xlvi. *Aduerſa pugna in Vacetanis.*] Vet.lib. *in Vaſtetanis.* Strabo lib. 3, meminit etiam in Hiſpania τῆς Βαστητανίας.

Eod. *L. Æmilij proprætoris.*] Cum in omnibus libris legatur, *proconſulis*, emendauit tamen Glareanus, *proprætoris*, vt alias ſæpe ſine cauſa: ſiquidem ait Plutarchus in vita eius, hunc cum imperio conſulari in Hiſpaniam profectum eſſe, neque tamquam prætorem ſex faſces, ſed duodecim, vt conſulem attuliſſe: ἐπὶ τοῦτον τὸν πόλεμον ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς, οὐχ ἓξ ἔχων πελέκεις. ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα. Ita Cic. lib. 1. de Leg. *L. Gellius ex pretura procos. in Galliam miſſus eſt.*

Eod. *C. Valerius C.F. Tuppo.*] *Tappus* ex lap. Capitol.

Cap. xlvii. *Cum ceteri centurias non expleſſent,*] Non explere centurias eſt, quod ſe ignorare Glareanus fatetur, centuriarum legitima ſuffragia non conficere.

Cap. l. *Et tuum ſupplementum ſcriberet.*] Vet.lib. *Et in eius ſupplementum.*

Eod. *Et vt ſupplementum ſcriberet.*] Vet.lib. *Et vt in ſupplementum ſcriberet.* Sic vbique Liuius.

Eod. *L. Plautius Hypſeus.*] *Hypſæus* ex nummis argenteis & Græcis libris.

Eod. *L. Babius Diues Hiſpaniam vlteriorē.*] Vet.lib. *L. Babius Diues vlteriorem*, recte præceſſit enim, *Hiſpaniam citeriorem.*

Cap.LIII. *Spem magnam in poſterum amplificandi regni faciebat.*] Vet.lib. *ampliandi.*

Cap.LIV. *Certare pio certamine cuiuſlibet bonæ artis, ac virtutis auſi ſumus cum parentibus quæque ciuitas, & cōditoribus ſuis.*] Obſcurum hunc locum, & fere vitiatum eſſe non ſcripſiſſet Glareanus, ſi Priſcianum legiſſet, virtutem huius loci oſtendentem lib.17. Vbi de diuerſis perſonis agit, vt Virgil. *Diuellimur inde Iphitus, & Pelias mecum.*

Cap.LV. *L. Aurunculeium, L. Æmilium Paulum.*] Hic non eſt L. Æmilius Paullus L. F. in Hiſpania proconſul, ſed L. Æmilius Paullus M.F. de quo meminit in anno DXLIX.

Cap.LVI. *Extra eundem Telmiſſum, & agrum.*] Vet.lib. *Extra eundem Telmiſſum, & caſtra Telmiſſium, & agrum.*

Cap. LVII. *Id cum ægre paterentur tot nobiles, nouum ſibi hominem tantum præferri, P. Sempronius Gracchus.*] Vet.lib. *Nouum ſibi hominem præferri, tantum P. Sempronius*, hoc ſenſu: cum tot nobiles ægre ferrent honorem noui hominis, nemo tamen nisi tribuni pl. duo diem ei dixerunt.

Eod. *C. Sempronius Rutilus.*] *Rutilus*, ex ratione cognominū.

Cap. LVIII. *Cenſores T. Quintius Flamininus, M. Claudius Marcellus creati.*] Hunc Marcellum marcelli quinquies conſulis filium fuiſſe tradit Plutarchos in cenſura Quintij.

Eod. *Quod L. Æmilius in Hiſpania proſpere remp. geſſiſſet.*] Vet. lib. *Quod L. Æmilius Paulus in Hiſpania proſpere rem geſſiſſet.*

Cap.LIX. *Mare pacatum erat deuicto Antiocho, cogitantique Fabio cui rei potiſſimum inſiſteret, ne otioſam prouinciam habuiſſe videri poſſet, optimum viſum eſt in inſulam Cretam traijcere.*] Senſus poſtulat, vt legas: *Cogitanti itaque Fabio.* Cuius erroris cauſa perſpicua ſatis eſt. Sic ſæpe alias.

IN EPITOMEN LIB. XXXVIII.

T*Ectoſagos.*] *Tectoſagas*, vt poſt dicam.

Et cum eo loca, quæ tenent occupauerantque referuntur.] Vet.lib. *Et quando loca, quæ tenent occupauerint, referuntur.*

Acta per ſe cauſa.] Vet.lib. *pro ſe.*

A. Petilio Atteo tribunopl.] Vet.li. à *Q. Petillio tribuno plebis.*

Quod præda Antiocho capta ærarium fraudaſſet.] Vet.lib. *Prædæ ex Antiocho.*

Poſtquam is dies venit, euocatus in roſtra.] Vet. lib. *Poſtquam dies venit, is euocatus in roſtra.*

Qui antea Scipionibus inimicus erat.] Vet.lib. *Fuerat.*

Cum populus quæſtores in bona eius publice poſſidenda miſiſſet.] Lege, *Cum prætor quæſtores.* ſic enim Liuius: *In bona deinde L. Scipionis poſſeſſum publice quæſtores prætor miſit.*

Sed nequaquam tantum in ærarium redactum, quanta ſumma erat damnatus.] Voces illæ, *in ærarium*, delendæ ſunt, neque enim in veteribus libris reperiuntur, neque apud Liuium, cuius hæc verba ſunt libro hoc extremo.

Quæ neceſſitati ei erat ad cultum retenta.] Lege ex veteribus libris, & ex ipſomet Liuio, cuius hæc verba ſuot: *Quæ neceſſaria ei erant ad cultum, redempta.*

IN LIBRVM XXXVIII.

CAp. I. *Pars vna Heracleam.*] Arcananiæ Heracleam intelligit, cuios meminit Stephanus. Trachin dicta, Λακεδαιμονίων κτίσμα Strabo.

Cap.III. *Nihil ne bellum haberent, priuſquā pene in conſpectu hoſtis erat, præmeditati.*] Vitioſa ſententia eſt hæc ſine dubio. Quid enim ſibi vult: *Priuſquam pene in conſpectu erat.* Ergo mentem ſcriptoris ſequutus legendū cenſeo: *Nihil ne bellum haberent prius, (nam pene in conſpectu hoſtis erat) præmeditati*, hoc ſenſu: Miſerunt legatos ad tentandam pacem Romam, nihil præmeditati, ne bellum haberent prius, id eſt, priuſquam pax tentaretur. Quod ipſum imminebat: Nam hoſtis in cōſpecto pene erat, quod M. Fuluius in Epirum exercitum traiecerat.

Cap. V. *In arietes tollenonibus libramenta plumbi, aut ſaxorum, ſtipiteſque robuſtos incutiebant.*] Quo pacto tollenonibos libramenta plumbi, aut ſaxorum, aut ſtipitum iecerint in arietes vix ſe intelligere ait Glareanus. Non dubito vero, quin planiſſime intellecturus ſit, ſi quemadmodum aduerſum arietes proſint culcitræ, laquei, lupi, & columnæ grauiores, à Vitruuio didiciſſet. Et Liuius lib. 42. *Arietem admotum libramento plumbi grauatum ad terram vrgebant.*

Cap. VII. *Cumulus repente terra eminens.*] Vet.libr. *Tumulus repente terræ eminens.*

Cap. IX. *Quam diu rem traherent.*] Vet.lib. *Quod diu rem traherent.*

Eod. *Tyrreon.*] Vet.lib. *Tyrrheum.*

Eod. *Succedent murum.*] Vet. lib. *Muris.*

Cap. X. *Imperium, maieſtatemque populi Rom. gens Ætolorum conſeruato ſine dolo malo.*] Clauſula eſt hæc fœderum, de qua ſic Cicero pro Cornelio Balbo. *Adiunctum illud etiam eſt, quod non eſt in omnib. fœderibus: Maieſtatem populi Rom. comiter conſeruent, id habet hanc vim, vt ſit ille in fœdere inferior. Nam cum alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, de altero ſiletur, certe ille populus in ſuperiori conditione cauſaque ponitur, cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur.*

Cap. XI. *Obſides XL. arbitratu conſulis Romani dato.* Vet.lib. *Romanis*, quod placet, quia præceſſit, *Corcyræorum magiſtratibus ſine dolo malo tradantur.*

Eod. *T. Quintio, Cn. Domitio* coſs.] *L. Quintio*, lege ex ipſomet Liuio, & Capitolinis conſulibus.

Eod. *Aeniada.*] *Oeniadæ*, ex Thucydide, Stephano, vt ſupra.

Cap. XII. *Attalum igitur fratrem accerſit.*] Vet.lib. *fratrem eius*, id eſt, E. menis.

Cap. XIII. *Hieran comen.*] Stephanus: Ἱερακώμη, δῆμος Καρίας.

Eod. *Huius amnis fontes Celenis oriuntur. Celena vrbs, caput quondam Phrygiæ fuit.*] *Celenas*, addita diphthongo, ſcribendas eſſe, Græcorum ſcriptura oſtendit. Loquitur autem de fontibus Mæandri fluminis, de quo eadem Solinus cap. 43. *Ex arce Celanarum Meander amnis caput tollit, qui recurrentibus ripis flexuoſus inter Cariam & Joniam præcipitat in ſinum, qui Mileſum diuidit, & Prienem.*

Eod. *Et Marſyas haud procul à Mæandri fontibus oriens in Mæandrum cadit.*] De hoc flumine, quod ad hunc locum pertinet, egregie Q. Curtius lib. 3. *Mediam illa tempeſtate Celanarū mœnia interfluebat Marſyas amnis, fabuloſis Græcorum carminibus inclytus. Fons eius ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubiectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit. Ceterum quamdiu intra muros fluit, nomen ſuum retinet: at cum extra munimenta ſe euoluit, maiore vi ac mole agentem vndas Lycum appellant:* Eadem Strabo libro 12. de Marſya.

Eod. *Ad Gordiutichos.*] Stephanus: Γορδίου τεῖχος πόλις Μίδου κτίσμα ἀπὸ τοῦ παιδὸς Γορδίου, id eſt, *Gordiutichos vrbs Midæ condita à filio Gordio.* nam pater Gordius vrbem condidit. Quod cum ita ſit, ergo ineptiſſime Glareanus, qui *Gordiutichos* populos eſſe arbitratus eſt, & Orcaorcos emendandum eſſe cenſuit. † Imo Glareanus *Gordiutichos* probat, ſed *Gordiuticos* negat ſe intelligere. †

Eod. *Ad Tabas tertiis caſtris peruentum. In finibus Piſidarum poſita eſt vrbs, in ea parte, quæ vergit ad Pamphylium mare.*] *De Tabis* ſic Steph. Τάβαι πόλις Λυδίας, οἱ δὲ φασὶ τῆς Κιβύρας καὶ Μαρσύας ἀδελφούς, ἢ μετ' αὐτῶν Κιβύρα πόλις, ἣ δὲ Τάβαι.

Eod. *Tum quoque equites in agmen Romanum eruptione facta, haud modice primo impetu turbauere.*] *Equites* rectus eſt caſus. Tabenſium autem equites intelligit. Sic paulo poſt: *apparuere cum magno tumultu hoſtium equites, nec turbarunt tantum ſtationes Romanas repente inuecti.* Hoc dixi, quia hac de re laborare valde Glareanus videtur.

Cap. XIV. *Haud procul Cibyra erant, nec legatio vlla à Moagete tyranno ciuitatis eius.*] Moagetem tyrannum Cibyræ extremum fuiſſe ſcribit Strabo lib.13. ὁ Κιβύρας ἐτυράννευσεν ἀεὶ ὕστατος Μοαγέτης ὁ δὲ τυραννὶς τέλος ἔσχε.

Eod. *Præter Cibyram Syleum.*] Stephanus. Σύλλειον πόλις Φρυγίας, τινὲς δὲ Παμφυλίας.

Digitized by Google

A Cybira per agros Sidenſium.] *Sida* maritimum eſt Pamphyliæ oppidum. *Sinda* Piſidiæ mediterraneum, neque à Cibyra valde remotum auctore Strabone li. 12. & 13. Itaque *Sindenſium*, non *Sidenſium* legendum.

Cap. xv. *Præter Caralitin paludem.*] Huius paludis meminit Strabo libro 12. non longe ab Lieonio, quod eſt in Lycaonia, de qua tamen ſe nihil legiſſe ait Glareanus. † Glareanus non dixit ſe nihil de ea legiſſe, ſed haud ſcire ſi vnquam de ea quid legerit, ſæpe legimus, ſed non meminimus. †

Eod. *Ad Mandrupyum manſerunt.*] Vet. lib. *Mandropum.* Vereor ne *Mandropolis* ſit, de qua Stephanus: Μανδρόπολις Φρυγίας πόλις.

Eod. *Ad Lyci fluminis fontem.*] Cum antea legeretur, *Lyſis*, atque ita in omnibus manuſcriptis libris legatur, Glareanus tamen emendauit, *Lyci*, quam recte, ipſe viderit. Ego potius veterem ſcripturam retinendam cenſeo.

Eod. *Termeſenſes eo tempore.*] Antea legebatur *Thermenſes*, à *Termeſo* autem *Termeſenſes* correxit Glareanus. Ego autem veterem hoc etiam loco ſcripturam tueor. id autem vt faciam peruetuſtum quoddam decretum, quod Romæ viſitur, me impellit, in quo ita eſt: QVEI THERMENSES MAIORES PISIDÆ FVERVNT, QVEIQVE EORVM LEGIBVS THERMENSIVM MAIORVM PISIDARVM ANTE KAL. APRIL. QVÆ FVERVNT L. GELLIO, CN. LENTVLO COSS. THERMENSES MAIORES PISIDÆ FACTI SVNT, &c. Eſt autem *Termeſus*, vrbs Piſidiæ, Strabone, Stephano, Euſtathio, auctorib.

Eod. *In agrum Sagalaſſenum; &c. colunt Piſidæ.*] Stephanus item: Σαγαλασσὸς πόλις Πισιδίας. Contra Ptolemæus in Lycia ſtatuit: pro Liuio eſt Arrianus lib. primo: ἐπὶ δὲ Σαγαλασσὸν οὐ μεγάλη πόλις Πισίδαι δὲ καὶ ταύτην ᾤκουν.

Eod. *Ad Beudos, quod vetus appellant.*] *Beudos* legendum Ptolemæus enim Βεῦδος παλαιὸν vocat.

Eod. *Ad Mandri fontes.*] Vet. lib. *Ad Alexandri.* Glareanus *ad Mæandri* reſtituit. Ego *ad Alandri.* non enim vidit Glareanus, ſi *ad Meandri* fontes conſuleret, eum regreſſurum non progreſſurum fuiſſe. Iam autem finibus Toliſtoboiorum vicinus erat, inter quos paulo poſt meminit Liuius fluminis *Alandri.*

Eod. *Toliſtobogiorum.*] Vet. lib. *Toliſtoboiorum.* Recte. ſic Stephanus: Τολιστόβιοι ἔθνος Γαλατῶν Ἑσπερίων μετοικησάντων ἐκ τῆς Κελτογαλατίας εἰς Βιθυνίαν. Item Appianus in Syriaca: Γαλατῶν τε ἔθνη Τεκτοσάγας τε, καὶ Τρόκμους καὶ Τολιστόβιοι. Iidem tamen *Toliſtobogy* etiam dicti ſunt.

Cap. xvi. *Ad xx. millia ſeceſſione facta à Brenno in Thraciam iter auerterunt.*] Suidas eandem hiſtoriam recitat in voce, Γαλάται οἱ δὲ ἐπὶ Θρᾴκην, καὶ τὴν Ἀσίαν ἐτράποντο ἀμφὶ τοὺς δισ, καὶ μὰ ... [illegible] ... Βιθυνῶν τε καὶ Καππαδοκῶν κατέσχον.

Eod. *Cum Lomnorio, ac Lutario regulis.*] Vet. lib. *Lonorio.* Strabo: *Leonorio*, quo pacto legendum eſſe puto. Eius hæc verba ſunt, vbi de Aſiaticis Gallis loquitur lib. 12. ἀρχηγοὶ δὲ μάλιστα δοκεῖ τῆς περαιώσεως τῆς εἰς τὴν Ἀσίαν γενέσθαι Λεοννόριος.

Eod. *Tectoſagi.*] Apud Græcos hi populi modo *Tectoſage*, modo *Tectoſages* vocantur, vt Appianum & Strabonem. Item Steph. ait: Τεκτόσαξ, ἔθνος Γαλατικόν. εὕρηται Τεκτόσαγες, εὐθεῖα καὶ Τεκτοσάγαι. In vet. lib. etiã non *Tectoſagi*, legitur, ſed *Tectoſages.*

Cap. xvii. *Semel primo congreſſu ad Alliam eos olim fuderunt, maiores noſtri ex eo tempore per ducentos iam annos pecorum in modum conſternatos cædunt; fugantq.*] Loquitur de Allienſi clade. Itaque lege, vt eſt in vet. lib. *Semel primo congreſſu ad Aliam olim fuderunt maiores noſtros, ex eo tempore*, &c. In priore aũt membro ſubaudiuntur Galli, in poſteriore, Maiores noſtri.

Eod. *Magis vereor ne.*] Vet. lib. *Magis id vereor ne.*

Eod. *Generoſius in ſua quidquid ſede gignitur.*] Aſſentior Florebello legenti, *quidque.*

Cap. xviii. *Ad Alyatos caſtra poſita.*] Stephanus: Ἀλυάττα χωρίον Βιθυνίας.

Eod. *Eo miſſi ad Epaſſognatum redierunt, & legati compulſi reguli orarent.*] Vox *Compulſi*, non eſt in vet. lib. vt ſit: legati miſſi ad Epoſſognatum, & legati reguli Epoſſognati eo redierunt.

Eod. *Et ipſum in eam gentem iturum, & Epoſſognatum.*] Vet. lib. *Et ipſum in eam gentem iturum Epoſſognatum.*

Eod. *Tymbreti fluuio.*] Vet. lib. *Thymbri.* Græci etiam et Strabo, vt Stephanus Θύμβριον ποταμὸν, nominant.

Eod. *In Propontidem ſe effundit.*] Loquitur de Sangario flumine. Itaque malim legi *in Pontum*, quam *in Propontidem.* Sic enim Arrianus lib. 1. τοῦ δὲ Σαγγαρίου αἱ μὲν πηγαὶ ἐκ Φρυγίας εἰσίν. αὐτὸς δὲ διὰ τῆς τῶν Θρᾳκῶν τῶν Βιθυνῶν χώρας ἐξίησιν εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον. Ita Euſtathius in Dionyſium.

Cap. xix. *Tranſgreſſis ponte perfecto flumen, præter ripam euntibus Galli matris magnæ à Peſſinunte occurrere cum inſignibus ſuis, vaticinantes*, &c.] Hanc hiſtoriam ſic expreſſit Græce Suidas: Γάϊος ὁ ὕπατος Ῥωμαίων διεξελθὼν ἐγεφύρωσε τὸν Σαγγάριον ποταμὸν τελέως κοῖλον ὄντα καὶ δύσβατον, καὶ παρ᾽ αὐτὸν τὸν ποταμὸν στρατοπεδευσαμένῳ παρεγένοντο Γάλλοι παρ᾽ Ἄττιδος, καὶ Βαττάκου τοῦ ἐκ Πεσσινοῦντος ἱερέως τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ἔχοντες στήθη τε ἴδια καὶ τύπους, φάσκοντες προσημαίνειν τὴν θεὰν νίκην καὶ κράτος· οὓς ὁ Γάϊος φιλανθρώπως ἀπεδέξατο.

Eod. *Tria maria pari ferme diſtantia interuallo habet: Helleſpontum ad Sinopem, & alterius ore litora, quæ cilices maritimi colunt.*] De Gordio vrbe loquitur, de qua ſic Curtius libro 3. *Gordium Sangarius amnis interfluit pari interuallo Pontico & Cilicio mari diſtans.*

Eod. *Tectoſagos.*] *Tectoſagas*, vt ſupra.

Eod. *Orgiago et Colombolomanus.*] Legendum *Ortiagon*, ex vet. lib. Floro, eo, qui ſcripſit de viris illuſtribus. Et Suida, inquit enim Ὀρτιάγων Γαλάτης, &c.

Eod. *Olympum montem petere.*] Hoc in bello crebra eſt mentio *Olympi* montis, ad quem victi Toliſtobogij ſunt: pro quo *Didymum* reſtituendum eſſe cenſet Glareanus. Quam vere autem ita cenſeat, oſtendit Appianus in Syriaca, vbi huius belli meminit ita: Μάνλιος τοὺς Τολιστοβίους ἀναφυγόντας ἐς τὸν Μύσιον Ὄλυμπον ἐπιμόχθως τὸ ὄρος ἑλὼν, ἐπεδίωκε φεύγοντας ἕως ἀπέκτεινε.

Cap. xxi. *Et Triballi Thraces.*] Vet. lib. *Et Tralli, & Thraces*, recte. neque enim aſſentiendum eſt Glareano, qui pro *Trallis Triballos* inuexit, quos Illyriorum eſſe populos ſupra docuimus.

Cap. xxiii. *Nunc caci per vias, per inuia.*] Perſpicua menda eſt in voce, *nunc*, pro qua libri veteres habent, *ruunt.*

Cap. xxiv. *Ancyram nobilem in illis locis urbem.*] Sic Suidas in voce Γαλάται. οἱ Γαλάται ἐστρατεύσαντο Ῥωμαίων κατοικησάντων Ἀντιόχῳ τῷ ἐπὶ τῆς Σιπύλου μάχης, συμμαχοῦντες αὐτοῖς περὶ πόλιν Ἀγκύραν Μανλίου σφῶν ἡγουμένου μυρίους μὲν τῆς μάχης ... [illegible] καταβάλλουσι, &c.

Cap. xxv. *Acta ſunt pacis conditiones.*] In vet. lib. aliis *Icta*, aliis *facta.* Ego *dicta*: quia ſubiungit: *Finis rei, quia abſentibus ducibus imponi non poterat.* ſic paulo poſt: *Eo & ab Antiocho legati, & ab ipſis Gallis, vt pacis leges dicerentur.*

Cap. xxvi. *Tectoſagi, & Trocmi.*] Vet. lib. *Tectoſaga.*

Eod. *Ariaratis Cappadoces, et Morzis auxiliares.*] *Morzis*, videtur eſſe legendum, fuit autem *Morzes* rex Paphlagoniæ, & Ariarathes Cappadociæ. Quamobrem auxiliares Morzis Paphlagones intelligit. Sic libr. 37. *auxiliares Eumenis* Pergamenos intellexit, id eſt, auxilia, quæ ſecum ad bellum Romanum, aut Eumenes adduxit, aut Morzes: Hoc dico, quia vtroque in loco hæret Glareanus, hoc autem etiam turpius, quod Morzian populi ſint ambigit, cum tamen Strabo lib. 12. Paphlagonum fuiſſe regem, & eius regiam fuiſſe Gangra, cui Deiotarus ſucceſſerit, tradat his verbis: ἐκεῖνο δὲ τῆς Παφλαγονίας ἦρξε Δηιόταρος Κάστορος υἱὸς ὁ προσαγορευθεὶς Φιλάδελφος τὸ Μορζέου βασίλειον ἔχων τὰ Γάγγρα. † Glareanus ait, reguli nomen eſſe non populi. †

Cap. xxix. *Quatuor ſoli præteriti ſunt nemo curuli vſus honore.*] Hæc verba vertit ſic Plutarchus: in Quintio: ἐξέβαλε δὲ τῆς βουλῆς τῶν οὐκ ἐπιφανῶν τέσσαρες.

Eod. *In Cephaleniam.*] Duplicandum eſſe in hac voce literam *ll*, docet Euſtathius in Dionyſium his verbis: Ἰστέον δὲ Κεφαλλῆνας καὶ τὴν Κεφαλληνίαν ἐν δυσὶ λλ. ὁ παλαιὰ χρῆσις ἀπαιτεῖ ἔχει.

Eod. *Obſides inde imperatos pro viribus inopes populi vicenos Neſiota Cronenij, Palenſes et Samai dederunt.*] Cum in omnib. ante libris legeretur, *Vicenos ante n Cranonij*, emendarum eſt *Vicenos Neſiota, Cranonij*, vt quatuor qui fuiſſe dicuntur Cephalleniæ populi redderentur. Quorum tres communi conſenſu fuerunt, *Cranij, Pallenſes, Samai.* quartũ Thucydides lib. 2: Προνναίους, vocat Strabo lib. 10. Προνησους nominat, pro quibus

Neſiota reſtituti ſunt. *Cranij*, certe à *Cranio*, vt ait Stephanus, non *Crannonij* à *Crannone* legendum eſt.

Cap. XXIX. *Sed triplex ſcutale crebris ſuturis duratum.*] Hunc locũ citat Priſcian. lib. 6. ex libro T. Liuij ab vrb. cond. XXXVIII. iiſdem verbis. vt de hac lectione, de qua alij laborarunt, laborandum eſſe non videatur.

Cap. XXXIV. *Porticus ex ea pecunia Megalopoli permiſſu Achæorũ refecta eſt, quam Lacedæmonij diruerant.*] Vet. lib. *Porta* habent.

Eod. *Ager Belbinatis.*] *Belbinitis* ſcribendum auctore Steph. qui ita ſcribit: Βέλβινα πόλις Λακωνική, τὸ ἐθνικὸν Βελβινίτης ὡς Αἰγινίτης.

Eod. *Diſciplina Lycurgi, cui per octingentos annos aſſueraſ.*] Admonuit Glareanus videri legendum eſſe ex Chronicis Euſebij, *per ſeptingentos annos*, quam lectionem reperi qooque in vet. libris.

Cap. XXXV. *C. Catinius.*] *C. Atinius*, ex alijs Liuij locis, vt ſupra in tribunatu plebis eiuſdem.

Eod. *In prouinciã ad exercitũ redire.*] Vet. lib. *Et ad exercitum.*

Eod. *Eo anno in ædem Herculis ſignum Dei ipſius ex Decemuirorum reſponſo, & ſeiuges in Capitolio aurati ab Cn. Cornelio poſiti, conſulem dediſſe inſcriptum eſt.*] Hoc totom dubium eſſe ait Glareanus, quia nec conſulis nomen expreſſum eſt, nec annus: cum tamen vtrumqoe factum ſit, ſi quod omnino faciendum eſſe videtur, *à P. Cornelio*, legeris, vt intelligamus P. Cornelium Naſicam, qui biennio ante Coss. de Boijs triumphauit, hoc demum anno ſeiuges dedicaſſe: curaſſe tamen inſcribendum, à P. Cornelio Conſule eſſe datus, id eſt, dum conſul eſſet, non poſtquam conſulatu abierat. Cognomen autem reticuit, qoia eius conſulis recens memoria erat. Quod de alijs Cornelijs conſulib. multis ante annis non ita procederet, errandi etiam caoſa perſpicua eſt, à *P. ab.* inde duplicata litera *c*, vt prænominis nota exiſteret.

Cap. XXXVI. *Hiſpanis legiones ſingulæ.*] Lege *Hiſpaniis*, quia ſubdit, *quæ tum in iis prouinciis erant.*

Eod. *C. Valerius Tappo.*] *Tappus*, vt iam ſæpe, dixi ex Cap. lap.

Eod. *Ex Valerij plebiſcito.*] Vet. lib. *Ex Valerio*, qood placet. vt enim *lex Valeria*, ſic *Valeriũ plebiſcitum*. Ita apud Gellium: *Atinium plebiſcitum.*

Cap. XXXVII. *A Perga L. Manlio fratre cum IIII. millibus militum Oroanda & miſſo.* Et poſt: *Qui tum forte ab Oroandis rediis.*] *Oenoanda* vrbs eſt Pamphyliæ auctore Stephano. Strabo mendum habet libr. 13. extremo συγχωρηθεὶς δὲ τούτῳ πόλεων ὁμόρων Βουβώνων Βαλβούρων Οἰνανδέων †, cum ſit legendum, Οἰνοανδέων †, Appianus libr. 4. Οἰνοανδεῖς nominat, cum autem hic Pamphyliæ, alia, Lyciæque oppida nominentur, profecto *Oenoanda* legendum: non *Oroanda*, quæ inter Gallo græcos eſſe ſupra traditum eſt.

Cap. XXXVIII. *Neue nauigato citra Calycandrum, neue Sarpedonem promontoria.*] *Calycadnum* legendum eſt, ex Strabone, & Appiano in Syriaca, cuius in hoc fœdere narrando hæc verba ſunt: ὅρω μὲν Ἀντιόχῳ τῆς ἀρχῆς εἶναι δύο ἄκρας Καλυκαδνόν † καὶ Σαρπηδόνιον. καὶ ναῦς δὲ μὴ πλεῖν ἐπέκεινα Ἀντίοχον ἐπὶ πολέμῳ. De Sarpedone. idem Strabo.

Eod. *De Annibale Pœno, & Ætolo Thoante, & Mnaſimacho Acarnane, & Chalcidenſibus Eubulo, & Philone dedẽdis.*] Vet. lib. *Eubulida*. Egregie. ſic enim lib. priore. *Thoantem quoque Ætolum dedetis. & cum eo Mnaſimachum Acarnana. & Chalcidenſes Philonẽ & Eubulidam.* Quo in nomine laboranit Glareanus.

Cap. XLI. *Circa templum Bendidium.*] Vet. lib. *Mendidium*. At Strabo meminit ſacrorum Bendidiorum apud Thracas libr. 10. Ἀθηναῖοι πολλὰ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο. καὶ δὴ καὶ τὰ Θρᾴκια, καὶ τὰ Φρύγια: τῶν μὲν γὰρ Βενδιδείων πλάτων μέμνηται, τῶν δὲ Φρυγίων Δημοσθένης. Glareano tamen *Mendidium* placet.

Eod. *Thranſi gens & ipſa Thracum.*] Θραυσοὺς vocat Stephanos eoſdem, quos Ἀγαθύρσους.

Cap. XLIII. *Et ſupra cetera Aemilius.*] Vet. lib. *Super*, id eſt, vltra.

Eod. *Parietes, poſteſque nudatos quos adorent, ad quos precẽtur, et ſupplicent Ambracienſes, non ſupereſſe.*] Quæ lectio probatur, quia ſententiam Ciceronis reddit, quæ eſt in Diuinatiooe: *Seſe iam ne deos quidem in ſuis vrbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum ſimulachra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet.*

Cap. XLIV. *Ne conſule inimico Romam veniret.*] Vet. lib. *Rediret.*

Cap. XLV. *De omnibus his conſultum ſenatum, populumque iuſſiſſe.*] Particula *que*, vacat, ex vet. lib. Senſus eſt: Bella ſuperiora omnia auctoritate patrum iuſſu populi eſſe ſuſcepta, neque ea ante à populo ioſſa eſſe, quam patres auctores ſint facti.

Cap. XLVI. *Velut auium examina ad crepitum primum miſſilium euolauere.*] Vet. lib. *Velut apium examina*, vt lib. 4. *Fumone victi, velut examen apum inermi cedetis hoſti?*

Eod. *Obliuio deorum capiat pectora veſtra.*] Vet. lib. *noſtra.*

Cap. XLVII. *Sed cauſam apud vos P. C. accuſantibus meis ipſe legatis dico.*] Vet. lib. *Accuſantibus me his legatis*, quod probo. neqoe enim legatos decem ad conſtituendam prouinciam miſſos à ſenatu, imperator ſuos legatos appellauerit.

Eod. *Ea de illis quoque qui Aſiam incolunt exiſtimetis Gallis, remota vniuerſa gentis infamiã.*] Vet. lib. *Ea de illis quoque, qui Aſiam incolunt exiſtimetis. Gallos remota vniuerſæ gentis infamia, atque inuidia per ſe ipſos æſtimare.*

Cap. XLVIII. *In ſolennibus verbis habet.*] Malim *vrbis.*

Cap. L. *P. Scipioni Africano, vt Valerius Antias auctor eſt, duo Quintij Petilij idem dixerunt.*] Appianos item in Syriaca duos tribunos plebis tradit: καὶ δύο δήμαρχοι διωρθώσαντο αὐτὸν ἀδικεῖν, καὶ ἀσεβεῖν. Et Plutarchus in Catone, Πετίλλιος: ὡς ἐπὶ Σκιπίωνα τὸν περὶ Πετίλλιον. Et in libr. Apohtheg. Πετίλλιοι δὲ καὶ Κοΐντοι πολλὰ πρὸς τὸν δῆμον αὐτοῦ κατηγορούντων. ex quibus locis intelligi poteſt *Petilius* duobus *ll*, eſſe ſcribendum, vt eſt etiam in Capitolinis lapidib. alter enim eorum Q. Petilius Spurinus nono abhinc anno eſt prætor, & paulo poſt in conſulatu moritur.

Cap. LI. *Locris Pleminianum tumultum.*] De quo lib. 29.

Morientem iure eo ipſo loco ſepeliri ſe iuſſiſſe, ferunt.] Malim, *rure.*

Non qua ab Antiocho modo pecunia facta forent.] *capta* malim.

Cap. LIV. *Huic rogationi primo Q. & L. Nummij intercedebãt.*] *Primo*, abeſt à veteribus lib. Porro autem *Mummij*, lego, qoæ gens notiſſima eſt. *L.* quidem *Mummius* decem ab hinc annis prætor eſt,

Eod. *Omnes tribus vti rogaſſet, iuſſerunt.*] *Vti rogas*, vt iam ſæpe admonui.

Cap. LV. *Ceterum ad hunc nimis æquum, aut iniquum prætorem reus extemplo factus L. Scipio.*] *Fieri reum ad prætorem*, pro *apud prætorem* dictum eſt. Sueton. in Tiberio: *Fannium Capionem reum maieſtatis adiunenes fecit, & condemnauit.* Sic libr. 40. *Perſeum ad patrem accuſauit.*

Eod. *Et ad portam Capenam mulſum proſequutis funus dediſſe.*] Mulſum οἰνόμελι vocat Plutarchus, cum hanc eandem rem tradit in lib. Apohtheg. ἀποθανόντος δὲ τοῖς ἐπὶ τὴν ἐκφορὰν παραγενομένοις ἔδωκε πίνειν οἰνόμελι.

Eod. *Ab eadem fiducia animi, cum quæſtores pecuniam ex ærario contra legem promere non auderent, popoſciſſe claues. et ſe ærarium aperturum dixiſſe, qui vt clauderetur effeciſſet.*] Plutarchus ſic hoc in Apophtheg. χρήματα δὲ τῆς συγκλήτου λαβεῖν αὐτὸν ἐκ τοῦ ταμιείου ψηφισαμένης, τῶν δὲ ταμιῶν οὐ βουλομένων ἀνοῖξαι τὴν ἡμέραν ἐκείνην. αὐτὸς ἀνοίξειν ἔφη, καὶ γὰρ κλεῖσαι δι᾽ αὐτὸν πλήσαντα χρημάτων τὸ ταμιεῖον.

Cap. LVI. *Cum L. Scipio, & accuſatus damnatus ſit.*] Vet. lib. *Et accuſatus & damnatus ſit.*

Eod. *Cum à porta recte ad forum ſe contuliſſet.*] *Recta.* ex vet. lib.

Cap. LVII. *Hæc de tanto viro, quamquam & opinionibus, & monumentis literarum variarent, proponenda erant.*] Veteres libri, *quam & opinionibus*, id eſt, dicendom foit, quemadmodum de tanti viri rebus his ſcriptores inter ſe diſcordarent. Mirabile enim videri vult, auctores in tam illuſtris viri rebus prodendis non idem ſcripſiſſe.

Cap. LIX. *Vt in carcere inter fures nocturnos & latrones, vir clariſſimus includatur.*] Vet. lib. *in carcerem.*

Eod. *Et in robore, ac tenebris exſpiret.*] Valerius libr. 6. cap. 3. *Quinetiam familiares Gracchorum, ne quis reip. inimicis amicus eſſe vellet, de robore præcipitati ſunt.* Feſtus: *Robur quoque dictus eſt in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robuſteis includebatur.*

Cap. LX. *Non paſſurum inter hoſtes populi Rom. L. Scipionem in carcere, & in vinculis eſſe.*] Voces illæ, *L. Scipionem*, videntur

vacare, initio enim huius periodi poſitæ ſunt. *L. Scipionem, qui regem opulentiſſimum orbis terrarum deuicerit, qui plurimos duces hoſtium in triumpho ductos carcere incluſerit non paſſurum inter hoſtes pop. R. in carcere, & in vinculis eſſe.*

IN EPITOMEN LIB. XXXIX.

A *Cenſoribus L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone vir & belli, & pacis artibus maximus motus eſt ſenatu L. Quintius.*] Lege, *M. Porcio Catone, viro & belli, & pacis artibus maximo.* In has enim eius laudes digreditur hoc libro Liuius, vbi de cenſura eius loquitur, quę laudes L. Quintio nec tribuuntur, nec tribui iure poſſunt.

Quod cum Galliam prouinciam conſul obtinuerat rogatus à Philippo Pæno.] Vet. lib. *Rogatus in conuiuio à Philippo Pæno.*

Pollentia, & Piſaurum.] *Potentia*, vt poſt dicam.

Cuius origo inde venit.] Veteres lib. *Inde fluxit.*

IN LIBRVM XXXIX.

CAP. II. *Circumſeſſi & expugnati ſunt.*] *Et*, vacat ex vet. lib.

Eod. *Qui in agrum Piſanum, Bononienſemque ita incurſauerant, vt coli non poſſent.*] *Poſſet.* Vet. libri.

Eod. *Subactis cis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus, in his & Friſinates Ligures erãt, quos non adierat C. Flaminius.*] Vet. lib. *Friniates*, habent, non *Friſinates.* Legi tamen non poteſt, *Friniates*, quod ij & cis Apenninum fuerint, & à Flaminio ſubacti ſint, vt paulo ante ait Liuius. Quare puto legendum eſſe *Briniates.* Sunt enim tranſmontani teſte Liuio libr. 41. vbi de Liguribus populis verba facit, ita *Cis Apenninum Garuli, Lapicini, et Hercates, trans Apenninum Briniates fuerant.* Sunt autem hæc Ligurum populorum nomina apud Liuium: Apuani, Briniates, Celelates, Cerdiciates, Epanterij, Friniates, Garoli, Hercates, Iluates, Ingauni, Iotemelij, Lapicini, Statellates. Item: Montani, Alpini, Tranſmontani, Cis Apenninum, Trans Apenninum. De Apuanis & Montanis ita Cato in Fragmentis, quæ dicuntur eſſe Originium, *Ad Macra fontes eſt Apua oppidum, Apuanos Ligures vocant Montanos vero omnes Ligures qui à Macra in Nicaam effunduntur. Apuani ab Arno ad Macram.* Et C. Sempronius ita: *Pars Apennini à Nicaa ad fontes Macra Ligures montanos alit, à fontibus vero Macra ad fontes Tyberis Apenninum colunt Ligures Apuani.* Et paulo poſt: *Ab Nicaa ad Macram tenent Ligures Montani, à Macra ad Arnum & portã Ligurinũ Ligures Apuani, quos ſequuntur Ligures Etruſci Populonij, à quo ad Tyberim ſunt Etruſci, Ligures, Tyrrheni.* Et Liuius lib. 40. *Adortus à Piſis Apuanos Ligures, qui eorũ circa Macrã fluuiũ incolebant, in deditionẽ accepit.* Item: *Montanorũ Ligurũ vinea caſa.* De Ingaunis & Epanteriis li. 28. extremo ſic ait Liuius: *Inde ad oram Ligurum Alpinorũ claſſem admouit, Ingauni (Ligurum ea gens eſt) bellum ea tempeſtate gerebant cum Epanteriis montanis.* De Iluatibus autem libro 32. De Ingaunis, & Intemeliis lib. 40. De Celelatibus, & Cerdiciatibus libr. 32. De Statellatibus lib. 42. Poſtremo Sempronius omnem oram maritimam vſque ad Tyberim Liguriam dictam eſſe tradit.

Eod. *Viam à Bononia perduxit Arretium.*] Loquitur de conſulibus C. Flaminio, M. Æmilio; quorum illum viam à Bononia Arretium, hunc à Placentia Ariminum ait perduxiſſe. Cuius loci meminit, quia aliter Strabo prodidit libro 5. Flaminium à Roma per Etruriam Ariminum, Lepidum ab Arimino Bononiam atque inde in Aquileiam. verba eius hæc ſunt, ἄλλην δὲ ὁδὸν Αἰμιλίαν διαδέχεσθαι τὴν Φλαμινίαν. συνυπατεύσαντες γὰρ ἀλλήλοις Μάρκος Λέπιδος, καὶ Γάιος Φλαμίνιος, καθελόντες δὲ Λίγυας, ὁ μὲν τὴν Φλαμινίαν ἔστρωσεν ἐκ Ῥώμης διὰ Τυρρηνῶν, καὶ τῆς Ὀμβρικῆς μέχρι τῶν περὶ Ἀρίμινον τόπων. ὁ δὲ τὴν ἑξῆς μέχρι Βονωνίας κἀκεῖθεν εἰς Ἀκυληΐαν.

Cap. IV. *M. Fuluius: ſi ſimultas.*] Malim *Tum Fuluius: ſi aut ſimultas.* ſic libro 45. *Tum Seruilius: Quantus imperator etc.*

Cap. V. *Donis militaribus donauit.*] Gellius lib. 5. c. 6. *M. Cato obiecit, inquit, M. Fuluio Nobiliori, quod milites per ambitionem coronis leuiſſimis de cauſis donaſſet. Coronis autem donauerat, quia vallum curauerant, aut quia puteum ſtrenue foderant.*

Cap. VI. *Ij primum lectos æratos, veſtem ſtragulam pretioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnifica ſupellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam adduxerunt.*] Monet Glareanus, vt videamus, quemadmodum, *Lectos, æratos*, Liuius acceperit, putatque intellexiſſe Liuium, *lectos* in quibus dormirent, cum accipiendum ſit de iis, in quibus accumberent. Antiquos enim *tribus* ſtratis *lectis* epulati ſolitos, vnde *Triclinia* dicta ſunt, ſcribit Seruius. Vnde Virgil. *Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto*, & Heliogabalum tradit Lampridius ſolido argẽto *lectos triclinares* habuiſſe. Id autem ita eſſe docet Plinius, qui lib. 34. cap. 3. hunc locum tractans ait: *Triclinia ærata abacoſque & monopodia Cn. Manlium Aſia deuicta primum inuexiſſe triumpho ſuo.* Et Macrobius lib. 3. ex Indice Metelli. *Triclinia lectis eburneis ſtrata fuerunt.* † Iniuria afficit Glareanum, qui ita dicit conſiderandum, quomodo acceperit Liuius *lectos*, num *æratos* adiecerit, innuens pro *tricliniis* intelligi, deinde an non & *Triclinia* lecti ſunt? †

Eod. *Epulæ quoque ipſæ & cura, & ſumptu maiore apparari cœptæ, tum coquus viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione, & vſu in pretio eſſe.*] Hoc ſic Athenæus libro 6. extremo: Νῦν δὲ ὡς Θεόπομπος ἱστορεῖ ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Φιλιππικῶν οὐδείς ἐστι καὶ τῶν μετρίως εὐπορουμένων, ὃς οὐ πολυτελῆ τράπεζαν παρατίθεται, μαγείρους δὲ καὶ θεραπείαν ἄλλην πολλὴν κέκτηται.

Cap. VII. *C. Catinij, & L. Manlij.*] *C. Atinij.* Vet. lib. vt ſupra.

Eod. *M. Furio Luſco.*] *Furiorum* cognomen eſt *Fuſus*, vt eſt in Capitol. tabulis, non *Luſcus* aut *Fuſcus*, vt eſt in vulgatis & manuſcriptis libris.

Cap. VIII. *Qui aperta religione propalam & quæſtum, & diſciplinam profitendo animos errore imbueret.*] Veter. lib. *Horrore*, id eſt, metu religionis. ſequitur autem: *Sed occultorum antiſtes ſacrorum.* lib. 10. *Qui perfundere religione animum poſſet.*

Eod. *Falſa ſigna teſtimoniaque, & indicia ex eadem officina exibant.*] *Indicia*, lego, vt ſit: Falſi indices. Index autem eſt, qui facinoris, cuius ipſe eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſita. Pædian. *Hæc autem indicia falſis aliorum teſtimoniis confirmabantur.*

Cap. IX. *P. Ebutius.*] *Aebutius*, vt ſupra.

Bacchis enim ſe initiaturam.] Quia primo id ſacrarium fœminarum fuit, nec vir quiſquam eo admitti ſolitus fuit, propterea quaſi Baccharum ſacrum eſſet, Bacchis initiari, dixerunt, qui ſe ſacro illi committeret.

Cap. X. *Ne vox quiritantis, cum per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit.*] Vet. lib. *Cui per vim.*

Cap. XIII. *Hanc ſummam inter eos religionem eſſe.*] Vet. lib. *Religionis.*

Cap. XIV. *Adiutores triumuiris quinqueuiri, vti cis Tiberim ſua quiſque regionis ædificiis præeſſent.*] Non extat verbum, ad quod referatur vox illa, *Adiutores*, neque enim à ſuperiore, *mandatum eſt*, regi poteſt. Suſpicor igitur legendum ita: *Adiutores triumuiris quinque viri dati, vt cis Tiberim.* Creauit autem errorem librario vox, *vti*, quę ſequutura erat poſt *dati*, atque earum alteram ob ſimilitudinem, vt fit, prætermiſit, ſic libro 40. *Poſtulantibus tamen iis, quinqueuiri ab ſenatu dati.*

Cap. XV. *Maiores veſtri ne vos quidẽ niſi cum aut vexillo in arce poſito comitiorũ cauſa exercitus eductus eſſet, aut plebi conciliũ tribuni edixiſſent, aut aliquis ex magiſtratib. ad concionẽ vocaſſet, forte temere coire voluerũt.*] His verbis cẽturiata comitia deſcribit, & tributa & cõcionem. Hæc omnia aliorum auctoritate ſcriptorum comprobabo. Gell. lib. 15. c. 27. *Centuriata comitia intra pomœrium fieri nefas, quia exercitũ extra vrbem imperari oporteat, intra vrbem imperari ius non ſit: propterea centuriata in campo haberi exercitumque imperari præſidij cauſa ſolitum quoniam populus eſſet in ſuffragiis ferendis occupatus.* De vexillo in arce Ianiculi poſito, & Ianiculo ipſo dum centuriata haberentur comitia cuſtodito ſcribit Dion. lib. 47. in conſulatu Ciceronis, ita: πολλῶν τὸ ἀρχαῖον πολεμίων ἔτι τὴν πόλιν περιοικούντων, φοβηθέντες μή ποτε ἐκκλησιαζόντων σφῶν κατὰ λόχους ἐπιθῶνταί τινες τῇ πόλει τὸ Ἰανίκουλον καταλαβόντες, ἐνόμισαν μὴ πάντας ἅμα ψηφίζεσθαι, ἀλλ᾽ ἀεί τινας ἐν τοῖς ὅπλοις τὸ χωρίον ἐκεῖνο ἐκ διαδοχῆς φυλάττειν, καὶ αὐτὸ ἕως μὲν ἡ ἐκκλησία ἦν, ἐφρούρουν.

ἐχόντι διακλεῖσθαι ἔμελλε, τότε σημεῖον καθῃρεῖτο καὶ οἱ φύλακες ἀπηλλάσσοντο. οὐ γὰρ ἔξω μὴ τετμημένου τοῦ χωρίου ὁπόσου οὐδὲν ὅτι χρηματισθῆναι, ἅμα τε δὲ ἐν μέσαις κατὰ τοὺς λόχους ἀθροιζόμεναι ἐκκλησίαι ἐγίνοντο, ὅτι τὸ ἔξω τοῦ τείχους καὶ ὅτι πάντες οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες ἀναγκαῖον εἶχον εἰς αὐτὰς συνιέναι. De tributis comitiis, quod verius, plebis concilium dicitur, ſic Gellius eodem loco. *Qui non vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia, ſed concilium edicere debet. Tribuni autem neque aduocant patricios, neque ad eos referre de re vlla poſſunt.* De concione ita lib.13.cap.15. *Aliud eſt cum populo agere, aliud concionem habere. Nam cum populo agere, eſt rogare quid populum, quod ſuffragiis ſuis aut iubeat, aut vetet: Concionem habere, eſt verba facere ad populum ſine vlla rogatione.* Et Feſtus libro tertio, *Concio conuentus, quia magiſtratu, vel ſacerdote aliquo per præconem conuocatur.*

Cap.XVI. *Quoties hoc patrum, auorumque ætate.*] Hac de re ſcribit libro 4. & lib.25.

Cap.XVII. *M. & L. Catinios de plebe Romana.*] Vet.lib. *M. & Catinium.* Hinc ego, *M. & C. Atinios*, vt ſupra. *Plebeius* homo dicitur, qui è gente plebeia eſt, id eſt, non patricia. *De plebe* autem is, qui non eſt è ſenatorio ordine.

Cap.XX. *Socium ac Latini nominis.*] Vet.libr. *Socium Latini nominis.* Vtraque forma dicendi vſitata.

Eod. *Nec prius ſequendi Ligures, finem quam Romani fuga fecerunt.*] *Nec*, abeſt à Veter. lib. optimo ſenſu, id eſt, ante deſiiſſe inſequi Ligures, quam Romanos fugere, vt infra: *Nec inſtitere perculſis hoſtes.* Neque enim veriſimile eſt, Romanos, qui plerique, arma abiecerant, prœlium inſtauraſſe, nec Ligures compreſſa fuga Romanorum eſſe regreſſos. verum tantam fuiſſe Romanorum fugam ſignificat, vt ante Ligures defatigati ſint in ſequendo, quam Romani in fugiendo.

Cap.XXII. *Ludi Taurilia per biduum facti religionis cauſa, apparatos deinde ludos M. Fuluius, quos vouerat Ætolico bellico fecit.*] Vet.lib. habent. *Decem apparatos deinde ludos.* Ex quo ſuſpicor ſcripſiſſe Liuium: *Per dies decem apparatos*, vt ſit, *per dies decem fecit ludos.* Nam de Taurilibus dixerat per biduum. Sic autem de ludis eiuſmodi loquitur vbique, vt paulo poſt: *L. Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi vouiſſe ſeſe dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus, ciuitatibuſque per dies decem fecit.* Et lib.42. *Ludos per dies decem Ioui Opti. Max. primo quoque die faciendos.* Et lib.40. *Ludi votiui Q. Fuluij* Cos. *per dies decem magno apparatu facti.*

Eod. *In Venetia.*] Ambigit de hac voce Glareanus, quæ tamen eſt apud Paterculum libr.2. Florum de bello Cimbrico, Euſtathyum in Dionyſium, & Liuium lib.2. † Glareanus dicit frequentius dici *in Venetos*, quam *in Venetiam*, idq; verum eſt: non negat alterum non dici. †

Cap.XXIII. *Inchoata initia à Philippo ſunt.*] Vet.lib. *Ab ipſo Philippo ſunt.*

Eod. *Vna ea res cum victo leges imponerentur, maxime angebat.*] Vet.lib. *Vna eum res.*

Cap.XXV. *Perrebi Connocondylum.*] Nuſquam legiſſe ſe hoc oppidum ait Glareanus. Ego, *Gonnocondylum*, legendum puto, vocem iunctam ex duobus oppidorum nominib. quorum meminit Liuius lib.44. *Hic locus tam ſuapte natura infeſtus per quatuor diſtantia loca præſidiis regis fuit inſeſſus. vnum in primo aditu ad Gonnum erat, alterum Condylon caſtello in expugnabili.* De *Gonnis*, vel *Gonno* oppido Perræbiæ ſupra etiam meminit Liuius.† Glareanus ait, non facile inueniri hæc nomina, atque id quoque verum eſt.†

Eod. *Trica, Phaloria, & Eurymena.*] Tria Theſſaliæ oppida ſunt, auctore Stephano. De *Phaloria* autem ita ait: Φαλώρεια πόλις Θετταλίας ταύτην Ῥιανὸς Φαλωρείαν καλεῖ.

Cap.XXVI. *Petram in Pieria ab iiſdem Theſſalis, Perræbiſque captam.*] *Petram*, oppidum negat vſpiam reperiri Glareanus. at Plutarch. in Paullo ait: διὰ Περραιβίας παρὰ τὸ Πύθιον, καὶ τὴν Πέτραν.

Eod. *Xyniæ quidem haud dubie Ætolicum oppidum.*] *Xynia* quid ſint ſe neſcire ait Glareanus. at Stephanus ait tamen: Ξυνία Θετταλίας πόλις Πολύβιος εἰνάτῳ τὸ ἐθνικὸν Ξυνιεύς. † Glareanus dicit *Xyniarum* etiam huius ſecundæ Decados libro mentionem fieri, non item apud alios.†

Eod. *Et Paracheloida, quæ ſub Athamania eſſet.*] *Ne Paracheloida* quidem nouit Glareanus, cum *Paracheloitas* ſtatuat Strabo, & inter Theſſalos, & inter Ætolos. Sic enim libr. 9. Ἐρίνεαν ὁμώνυμον τῇ Εὐβοϊκῇ, Παραχελωΐτας, καὶ τούτους ὁμωνύμους τοῖς Αἰτωλικοῖς· καὶ γὰρ ἐνταῦθα ὑπὸ Ἀχελώου ποταμοῦ πλησίον Λαμίας ῥέοντος οἰκοῦσιν οἱ Παραχελωῖται. De Theſſalica hic loquitur.

Eod. *Alterum deridiculum eſſe.*] Vet.lib. *Alterum ridiculū eſſe.*

Cap.XXVII. *Viam regiam, quæ ad Thracia parereiam ſubeat.*] Quid ſit *Paroreia*, ſibi non conſtare ſcribit Glareanus. Duas tamen *Parereias* prodit Stephanus, vnam Arcadiæ, alteram Macedoniæ. Quæ cauſa effecit, vt Liuius dixerit, *Paroreiam Thraciæ*, vt eam ab Arcadia diſtingueret. † Glareanus primo fatetur non ſatis conſtare. ſed poſtea adducit Plinium de *Paroreis*. †

Cap.XXVIII. *Quo in numero eſſe velitis, refert.*] Vet.lib. *Referre*, quod placet, quia ſequitur: *Pergite vt cœpiſtis facere.*

Cap.XXXI. *L. Iuuentium Taluam.*] *Thaluam*, ex cōſulib. Capi.

Cap.XXXII. *L. Porcius Licianus.*] *Licinus* ex conſul. Cap.

Cap.XXXVI. *Excogitatio quam nox non ex æquo diſceptatio futura eſſet.*] *Nox*, vacat: ſic paulo poſt: *Et quam non ex æquo diſceptatum apud Cæcilium foret*, ex vet. lib. Ceterum Arei huius & Alcibiadis hiſtoriam multis verbis apud Pauſaniam inuenies in Achaicis expoſitam.

Cap.XL. *Cn. Manlius Volſco.*] *Vulſo*, ex tab. Cap.

Eod. *L. Furius Purpurio.*] *Purpureo*, ex tab. Cap.

Eod. *T. & M. Sempronij Longus, & Tuditanus.*] *Ti. & M.* ex tab. Cap.

Eod. *Nonageſimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium.*] *Seruium*, lege, quod eſt prænomen Sulpiciorum Galbarum. ſic Plutarchus Σερβίῳ Γάλβᾳ κατηγόρησεν ἐνενήκοντα γεγονὼς ἔτη. Cicero tamen ab vtroque diſſentit, quippe ex cuius verbis eliciatur ex lib. de Senectute Catonem non amplius, quam LXXXIIII. annos vixiſſe. ſiquidem natus eſt anno poſtquam Q. Fabius Maximus primum conſul fuit, mortuus Manlio, & Cenſorino conſulibus. Malim ego librarij erratum, quam Liuij, ſiquidem apud eum, qui ſcripſit de viris illuſtribus eſt, Galbam octogenarius accuſauit, vt *octogeſimo*, hic etiam ſit legendum. neque enim vitium eſt apud Ciceronem, vt cenſet Glareanus. † Glareanus ſatis luculenter ea de re diſſerit: hæc cur non potius refelluntur, quam liuido dente carpuntur? †.

Cap.XLI. *Conſenſerantque præter L. Flaccum, qui collega in conſulatu fuerat, candidati omnes ad deiiciendum honore.*] Vet.lib. habent, *Coierantque: &c. ad deiiciendum honore eum.* Miror autem Gelenium pro, *coierant, conſenſerant*, repoſuiſſe, cum *coire* in hac re proprium verbum ſit, vnde *coitiones* appellatæ. Sic Pædianus in toga cand. *Coierunt ambo, vt Ciceronem conſulatu deiicerent.* Quo de dicendi genere ſupra etiam diximus coire συμφρονεῖν vocat Plutarchus in Catone, Si igitur præter L. Flaccum candidati reliqui coierant, profecto recte Plutarchus, qui competitores ſeptem Catonis fuiſſe ait: quod Glareanus non vidit, qui, *apud competitorem L. Flaccum*, legit.

Cap.XLII. *Septem mouerunt ſenatu, ex quib. vnum inſignem & nobilitate & honorib. L. Quintium Flamininum conſularem.*] Plutarch. ſic vertit; ἐξέβαλε τῆς βουλῆς ἄλλους τε συχνοὺς καὶ Λεύκιον Κοίντιον ὕπατον μὲν ἑπτὰ πρότερον ἐνιαυτοῖς.

Eod. *Spectaculum gladiatorum.*] Vet.lib. *Gladiatorium.*

Eod. *Nobilem Boium cum liberis transfugam veniſſe.*] Citat hæc verba ex Liuio Plutarch. ὁ δὲ Λίβιος αὐτόμολον εἶναι φησὶ Γαλάτην τὸν ἀναιρεθέντα. τὸν δὲ Λεύκιον οὐ δι' ὑπηρέτου ποιήσασθαι τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' αὐτὸν ἰδίᾳ χειρὶ καὶ ταῦτα ἐν τῷ λόγῳ γεγράφθαι Κάτωνος, Idem ſcribit in Flaminino.

Cap.XLIII. *Fabula ſine auctore edita credidiſſet.*] Huius tamen hiſtoriæ auctor eſt Cic. in lib. de Senectute. Quod etiam notauit Plutarchus.

Eod. *Ad ſpectaculum ſcorti procacis in ſinu conſulis recubantis.*] Recubabat ſinu, quia vt ſupra dixit, *infra conſulem accumbebat*. quo modo de ſcorto Cytheride ait ad Papirium Cicero: *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Lecto enim accubuiſſe eodem (vt mos erat in tricliniis) ſignificat.

Cap.XLIV. *In cenſum referre viatores iuſſi.*] *Iuſſit*, eſt in veteribus libris. & id ſequens etiam membrum deſiderat.

Eod. *Item mancipia minora annis XX. quæ poſt proximum luſtrum X. millib. æris, aut eo pluris veniſſent, vti ea quoq; decē, tāto pluris, quā quanti eſſent æſtimarentur.*] Vet.lib. habent X. *millib. æris, aut pluris eo veniſſent.* Porro autem quod ait Gelenius, ſub audiendum eſſe, *Millib.* vt ſit: *Vti ea quoque decem millib. tāto pluris*

Digitized by Google

quam quanti eſſent: non procedit. Eſt enim intelligendum, & coniungendum, *decem tanto pluris*, id eſt, vt ait in hac re exponenda Plutarchus, decuplo pluris vel decies tanto pluris: ἀπετίμησε τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον. Sic lib. 1. dixit: *Alterum tantum*. Et Plautus in Bacch. *Sexcenta tanta*, & in Trinummo. *Tribus tantis*. Et Liuius lib. 40. *Armenta vel tribus tantis exercitibus in armenta mariti congeſſiſſe*. Niſi quis legere malit, *decies tanto pluris*, quomodo dixit in Verrem Cicero. *Quinquies tanto amplius*, vt nota numeri x. attulerit.

Eod. *Ex his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur.*] Dubium habet hunc locum Glareanus, quem tamen nihil vitij continere ex Plutarcho, qui totam hanc Catonis cenſuram Græce ex Liuio vertit, perſpicue intelligi poteſt ſic enim ait: ¶ † Glareanus ait locum obſcurum, non vitioſum. † ἀναλαβὼν ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας, καὶ πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν, ἀπετίμησε τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον, βουλόμενος ἀπὸ μειζόνων τιμημάτων αὐτοὺς μείζονας καὶ τὰς εἰσφορὰς εἶναι, καὶ προσετίμησε τρεῖς χαλκοῦς πρὸς τοῖς χιλίοις, id eſt, *vestis veſtimenta, vehicula mundum muliebrem, & familiarem ſupellectilem, ſi pluris quam mille, et quingentas drachmas æſtimatu eſſent, decuplo pluris æſtimari, quod vellet eos, quorum res pluris æſtimata eſſent, maiora etiam tributa conferre. Itaque ſingulis millibus ternos æneos attribuit.* Sic ſupra locutus eſt in triumpho Vulſonis. s.c. *factum eſt, vt ex pecunia, quæ in triumpho tranſlata eſſet, ſtipendium collatum à populo in publicum, quod eius ſolutum antea non eſſet, ſolueretur, vicenos quinos, & ſemiſſes in millia æris quæſtores vrbani ſoluerunt.*

Eod. *Et vectigalia ſummis pretiis, vltro tributa infimis locauerint.*] De integritate huius lectionis cur dubitet Glareanus neſcio: quid enim huic ſententiæ deeſt? cum ſcieris aliud eſſe vectigali, aliud vltro tributa. ſic enim lib. 43. *Qui publica vectigalia, aut vltro tributa conduxiſſent.* Plutarchus autem ita: τὰ δὲ τέλη τῶν δημοσίων ἐπὶ ταῖς ἐσχάταις ἐλαύνων τιμαῖς. ¶ † Glareanus ait ea verba indigere attento lectore, & optat vt omnia ſint integra. †

Eod. *Coloniæ duæ Pollentia in Picenum.*] Vet. lib. *Potentia*. Item Velleius, vbi de coloniis verba facit. Item Plinius, item Mela *Potentiæ* in Piceno meminerunt.

Eod. *Deduxerunt iidem triumuiri Q. Fabius Labeo.*] Triumuiri inquit, qui Piſaurum, iidem etiam Potentiam coloniam deduxerunt. Hoc vt dicerem Glareanus effecit, qui mendum ¶ ſubeſſe putat. † Glareanus, nihil dicit de menda ſed dubitat, vt ſolet. †

Cap. XLV. *P. Claudius, & M. Porcius.*] *L. Porcius*, ſic enim ante Liuius, & tabulæ Capitolinæ.

Cap. XLVI. *Pontifex Maximus eſt creatus. C. Seruilius Geminus.*] Hic in conſulatu, & decemuiratu ſacrorum caret cognomine *Gemini*, & recte. Cur autem ita ſit, ſupra expoſui. Quare ex hoc etiam loco, *Geminus*, eradendum eſt.

Cap. XLIX. *Ad præoccupandam Coronen, quam hoſtes petebant.*] *Colonem*, edit Plutarchus in Philopœmene. Vtraque autem in Meſſeniaco agro eſt. ὁ δὲ Μεσσήνην ἀπέστησεν τῶν Ἀχαιῶν, καὶ κώμην τὴν καλουμένην Κολωνίδα προσεδόκα μέλλειν καταλαμβάνειν.

Cap. L. *Admonent deinde quidum eſſe theſaurum publicum ſub terra ſaxo quadrato ſeptum, eo vinctus demittitur, & ſaxum ingens quo operitur, machina ſuper impoſitum eſt.*] Hæc Plutarchus ita vertit in Philopœmene, & quaſi interpretatur, οὐ μὴν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον Θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον οὔτε πνεῦμα λαμβάνον, οὔτε φῶς ἔξωθεν, οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ πελαζομένῳ κατακλειόμενον, ἐνταῦθα κατέθεντο, καὶ τὸν λίθον ἐπιρρίξαντες, ἄνδρας ὁπλίτας κύκλῳ περιέστησαν.

Eod. *Poculo impauidè exhauſto.*] Vet. lib. *Hauſto*.

Cap. LI. *Venenum quod multo ante præparatum ad tales habebat caſus, popoſcit, Liberemus, inquit.*] Lege, *& liberemus, inquit.* Verba hæc eadem vertit Plutarchus.

Eod. *Horum patres Pyrrho regi.*] Hanc hiſtoriam ſcribit Plutarchus in Pyrrho. Epiſtola etiam conſulum ad Pyrrhum miſſa extat apud Gellium.

Cap. LII. *Cum ſuperioribus duobus luſtris Africanus fuiſſet.*] Perſpicuè legẽdum eſt, *Tribus*, ter enim princeps ſenatus fuit Africanus. Nam ſupra lib. 34. ſcriptum eſt: *Cenſores Sex. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus P. Scipionem conſulem quem & priores cenſores legerunt, legerunt.* Et lib. 38. *Cenſores T. Quintius Flamininus, et M. Claudius Marcellus ſenatum perlegerunt. princeps in ſenatu tertium lectus P. Scipio Africanus.*

Eod. *Iniis tribunatum Ap. Claudio, M. Sempronio conſulibus ad quartum Idus Decembres.*] Lege, *A. D. quartum*, id eſt, *ante diem quartum*, Sic enim & Dionyſius Halicarnaſſeus, vbi ait primos tribunos pl. iniiſſe τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων. Quibus ex locis intelligi poteſt hunc diem ineundo tribunatui fuiſſe ſolennem, quemadmodum ad ſuam vſque ætatem factum eſſe ſcribit Dionyſius. Plutarchus etiam auctor eſt in lib. τῶν κεφαλαίων tribunos plebis contra atq; alij magiſtratus ante anni principium iniiſſe. Itaq. Q. Metellus nepos qui Silano, & Murena conſulibus tribunatum geſſit, Ciceronem conſulatu abeuntem prid. K. Ian. iam inito magiſtratu concione prohibuit. Qua de re ſe ambigere Glareanus ait. † Libenter hoc ¶ & ſæpe facit Glareanus. Satius enim eſt prudentes ambigere, quam temere aſſeuerare. †

Cap. LIII. *Denſeletas.*] Strabo lib. 7. *Danthelêtas*, & ceteri Græci vocant, Δανθηλήτας.

Eod. *Oppidum in Dertiopo condere inſtituit.*] *Deuriopo* legendum eſt ex Strabonis lib. 7. πρὸς δὲ λίβα Λυγκησταί τε, καὶ ὁ Δευρίοπος καὶ ἡ τριπολῖτις Πελαγονία. Et paulo poſt vbi de Erigone quoque, vt Liuius hîc, fluuio loquitur: ὁ δ' Ἐρίγων πολλὰ δεξάμενος ῥεύματα ἐκ τῶν Ἰλλυρικῶν ὀρῶν, καὶ Λυγκηστῶν, καὶ Βρυγῶν, καὶ Δευριόπων εἰς τὸν Ἀξιὸν ἐκδίδωσι. Item: ἐπὶ τῷ Ἐρίγωνι πᾶσαι αἱ τῶν Δευριόπων πόλεις ᾤκηντο.

Cap. LIV. *Orare ſe pro S. P. Q. R.*] Lege, *Orare ſe ſenatum, populumq; Rom.*

Eod. *Alpes prope inexſuperabilem finem in medio eſſe, non vtiq; iis melius fore, qui eas primi peruias feciſſent.*] Loquitur de Gallis, qui proxime alpibus ſuperatis in Italia deſcendiſſent. Sententia autem manca expleri videtur poſſe, vna addita particula, *Quam*: vt ſit, *non vtique iis melius fore, quam qui eas primi peruias feciſſent.* Oratio eſt terroris, & minarum plena, qua ſe Gallos eos, qui alpes, quæ in medio ſunt, in poſterum tranſcenderint non aliter caſtigaturos eſſe, denunciando, quam aut Senones, aut Annibalem, qui primi eas peruias fecerunt, caſtigauerint.

Cap. LVI. *M. Valerius Leuinus L. Manlius iterum.*] Hic prætor fuit primum anno DLV. Quo loco dicitur *P. Manlius* Glareanus autem inſcire hunc *L. Manlium Acidinum* eſſe putauit. † Magna inſcita ſcilicet. † Vet. li. *P. Manlium* & hoc ¶ loco, & in ſequenti libro edunt.

Eod. *L. Cæcilius Dentrix.*] Vet. lib. *Denter*. Cæciliorum etiam fuit cognomen *Denter* ex Liuio & Capit. tab. Liuius libro 42. *M. Cæcilius Denter.*

Eod. *Sanguinem per biduum pluiſſe.*] Vet. lib. *Sanguine.*

IN EPITOMEN LIB. XL.

L. *Petilij.*] *L. Petillij*, vt ſupra.

Falſis alterius filij.] Vet. lib. *Falſis Perſei alterius filij.*

Regnum Perſeus accepit.] Vet. lib. *Excepit.*

IN LIBRVM XL.

CAP. I. *P. Manlio vlterior.*] Hic eſt, qui extremo priore libro *L. Manlius* à Glareano ſine ratione dictus eſt.

Eod. *L. Cæcilio Dentrici.*] *Dentri*, legendum, à recto caſu *Denter*, vt dixi.

Cap. II. *Et à Formijs ædem Apollinis, ac Caietæ de cœlo tactam.*] *Ac*, vacat ex veteribus libris. Et libro Obſequentis de prodigiis, quem librum ex ipſius Liuij verbis contexuit. in eo ita eſt: *Ædes Apollinis Caietæ de cœlo icta.*

Cap. III. *Ingentem vares fremitum in tota Macedonia fecit.*] Vet. lib. non habent particulam, *In*.

Eod. *Poſtremo negare propalam cœpit, ſatis tutum ſibi quicquam eſſe, niſi liberos eorum, quos interfeciſſet, comprehenſos in cuſtodia haberet, & temporeulla, alio tolleret.*] Huius ſententiæ meminit Euripides in Andromacha: καὶ γὰρ ἀνοία μεγάλη λείπειν, ἐχθροὺς ἐχθρῶν ἐξὸν κτείνειν, καὶ φόβον οἴκων ἀφελέσθαι. Et Ariſtoteles in ſecundo

Rhetoricorum: καὶ ἐπὶ τὸ αἰωνεῖν τῶν ἐχθρῶν τὰ τέκνα καὶ μηδὲν ἀδικοῦντα. Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει.

Cap. IV. *Principi gentis Æniaaum*, & poſt: *Proficiſcuntur ab Theſſalonica Æniam ad ſtatum ſacrificium, quod cōditori Æneæ cum magna cæremonia quotannis faciant.*] Legendum eſt *Æneatum*, & *Æneam*. Vrbs enim in Thracia ab *Ænea* condita hoc nomine eſt. De qua ait Stephanus: Αἴνεια πόλις Θρᾴκης ἀπὸ Αἰνείου. Αἰνεάδες ταύτην κτίσαι. Αἰνείας δὲ μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν εἰς Θρᾴκην παραγενόμενος, καὶ ἔκτισε πόλιν Αἰνεάδας εἶναι, τὴν πατρίδα ἔδειξε. τὸ ἐθνικὸν Αἰνειεύς. Θεῖς καὶ Αἰνεάτης. Hinc Æneas apud Vergilium in 3. ait: *Æneadaſq; meo nomen de nomine fingo.*

Cap. V. *Ex compoſito ſermones ad ſpem Romanorum trahebant.*] *Spem*, habent etiam Veter. libri, pro qua voce malim *ſpeciem*, vt ſit ex compoſito, quidam de dignitate Romanorum ſermonem inſerebant, vt alij redarguendi eius ſermonis gratia, præſente Demetrio eos eluderent, atque vt à Demetrio defenſionem Romanorum qua ſoſpectior fieret, elicerent. Vox certe, *ſpem*, Glareano non probatur.

Cap. VIII. *De ludiero tibi, inquit, viuere me ſcio.*] Obſcura ſententia, &, vt puto, vitiata. Interrogauerat Perſeum pater, cum eum perturbato voltu tacitum procol conſpexiſſet, *ſatin ſalua, & quenam ea mœſtitia eſſet.* Reſpondet filius. *De ludicro tibi viuere me ſcio, iam non occultis petimur inſidiis.* Hoc autem quid ſit, vix intelligi poteſt. In veteribus libris nihil varietatis eſt, niſi quod legitur. *De ludrico ter inquit.* Ex quo ſuſpicor eſſe legendum: *De lucro pater, inquit, viuere me ſcio.* Eſt autem. *de lucro viuere*, vt iam ipſam in lucro ponere, quod ij facere ſolent, qui ſummo è periculo euaſerūt, ex quo ſeruatum ſe eſſe Perſeus patri narraturus eſt. Sic loquitur Cicero ad Papitium: *De lucro prope iam quadriennium viuimus, ſi aut hoc lucrum eſt, aut hæc vita ſuperſtitem reip. viuere.* Et Horat. Carminum primo: *Quid ſit futurum cras, fuge quærere, & Quem fors dierum cunque dabit lucro appone.* aptiſſima ergo ſententia hæc eſt: quæ expoſitioni factarum ſibi inſidiarum præponitur, cum ſe lucrum ait putare, qood viuat.

Cap. X. *Noxium huic eſſe caput.*] Aut hæc verba vacant, aut aliquid deſideratur, quemadmodum cenſet Glareanus. Locum non motaui, aſteriſco tantum ſignaui.

Cap. XV. *Id enim vitiis meis non cedendo, cui ius faſq; eſt, non modeſtia conſequar.*] Honc locum negat ſe intelligere Glareanus. Eſt autem ſenſus: Quemadmodum regnum ſperare, quia minor ſum, quia me maiori cedere vis, non debeo, ſic ne efficere quidem debeo, vt indignus te patre videar. Regnom enim vitiis meis, id eſt, non cedendo maiori fratri conſequar, vt autem te dignus videat, modeſtia. Quod cum ita ſit, ergo legendum eſt: *Id enim vitiis meis, non cedendo, cui ius, faſque eſt, hoc modeſtia conſequar.*

Cap. XVI. *Tum quoque non placere ſibi, ſi per deditionem Ligures reciperet, receptis arma adimi, atque eos ad conſulem mitti ſenatum æquum cenſere.*] Senſus huius lectionis vix intelligi poteſt, vt ait Glareanus. quare tueamur veterum librorum lectionem, quæ eſt: *Tum quoque non placere ſibi per deditionem Ligures recipi, & receptis arma adimi.* Inde verba: *Atque eos ad conſulem*, legamus: *Itaque eos ad conſules.* Repetita litera ex voce præcedente, *Adimi atque Adimi. Itaque.* Inde elicietur hic ſenſus: Senatus reſcribi iuſſit, æquius foiſſe, Marcellum conſules, quorum prouincia Ligures erat, de Liguribos, qoi ſe debebant, quam ſe conſulere. Tum quoque id ſibi non placere, vt per deditionem Ligures reciperentur, & receptis, arma adimerentur. Quamobrem eos ad conſules mitti, ſenatum æquum cenſere. Sic libro trigeſimo nono, *Neque ſenatui placere deditos ſpoliari. Itaq; ſecum iis legatos ad* COS. *miſſuros.* Quod autem ait ſenatus, non placere ſibi, vt receptis arma adimantur, id habet hanc vim, non videri ſibi eos, qui ſponte ſe dedunt armis ſuis eſſe ſpoliandos, perinde atque, qui ſubacti armis, ſe dediſſent, vt ſupra ſæpe dixit libro 39. *C. Flaminius* COS. *Ligures in deditionem accepit, & arma. ademit.* Item: *In deditionem Ligures conceſſerunt, tum conquiſita cum intentiore cura arma, et omnia adempta.* Item: *Ligures ſubegit Aemilius, armaq; ademit.* Quod autem paulo ante, *verius eſſe*, dixit pro, *æquius eſſe*, accipiendum eſt. Sic libro 39. *multo verius eſſe, quæ ſub Antiocho fuerint, præmia belli Eumenē, quam Philippū habere.*

Eod. *P. Manlius in vlteriorem Hiſpaniam quam & priore præturа prouinciam habuerat.*] Hunc P. Manlium in comitiis prætoris exponendis, prætorem iterum nominauit. fuit aotem primum anno DLV. Monet autem, quod ait priore prætura vlteriorem Hiſpaniam prooinciam obtinuiſſe, cum ſcripſerit eo loco in citeriorem eſſe conſuli M. Catoni adiutorem miſſum, neque vero de alio prætore intelligi poteſt. Quod vniuſquiſque probabit, qui prætores omnes, qui ante hunc annum Hiſpanias ſortiti fuerint, ſigillatim inſpexerit. Æquum præterea eſt videre an hic forte Manlius ille ſit, quem ſenatu motum eſſe à Catone cenſore ait Plotarchus, & quem opinio erat conſulatum eſſe adepturum: ἐξέβαλε τε ἄλλον ὑπατεύσειν ἐπίδοξον ὄντα Μανίλιον. me, vt ita ſuſpicer, impellit ſecunda, poſtquam ſenatu motus eſt, eius prætura, quam vt locum ſenatorium recuperaret, petiiſſe videtur, qood feciſſe P. Lētolum tradit Dio libro trigeſimo octauo, qui cuoi poſt præturam, & conſulatum à cenſoribus Gellio, & Lentulo ſenatu eſſet motos. alteram conſule Cicerooe repetendæ ſenatoriæ dignitatis cauſſa geſſit. Sic enim Dio: Λέντουλος ὁ Πούπλιος ὁ μετὰ τὴν ὑπατείαν ἐκ τῆς γερουσίας ἐκπεσών, ἐστρατήγει γὰρ ὅπως τὴν βουλείαν ἀναλάβῃ.

Cap. XVIII. *Creati P. Cornelius Lentulus, M. Bebius Pamphilus.*] Conſulares tabulæ quæ in Capitolio ſunt, quib. tantum tribuo, quantum non deprauatis alteris Romanorum monumentis eſt tribuendum, conſules edunt *P. Cornelium Cethegum, M. Babium Tamphilum.* Item Plin. libro decimo tertio, capite decimo tertio, ex Caſſij Heminæ annalibus. Ita vero legendum eſſe etiam apud Liuium apparet ex eo, quod *P. Cornelius Cethegus* biennio ante prætor fuit *Lentulus* nollus prætor editus eſt. Nemo autem per hæc tempora ad coonſulatum ferè niſi prætorius perueniebat.

Eod. *T. Claudius Nero.*] *Ti. Claudius*. vt ſæpe.

Eod. *Q. Petelius Spurinus.*] *Petillius*, vt libro XXXIX. in hoius tribunatu dixi.

Cap. XIX. *Bellumque ab Ilienſibus concitatum in Sardinia.*] Non recte *Iolenſibus* aut *Illuenſibus* reponendum cenſet Glareanus, cum *Ilienſes* Sardiniæ populi à Plinio & Solino commemorentur. † Lectio hæc apud auctores ambigua eſt. †

Eod. *L. Duronio prætori cui Apulia prouincia euenerat, adiecta de bacchanalibus quæſtio eſt, cuius reſidua quædam velut ſemina ex prioribus malis iam priore anno apparuerant, ſed magis inchoatæ apud L. Puppium prætorem erant, quam ad exitū vllum perducta.*] Prætoribus qui Apuliam ſortiebantur, quæſtionem de Bacchanalibus adiectam fuiſſe ſignificat. Sic enim de L. Poſtumio, qui triennio ante prætor fuerat. *Et L. Poſtumius prætor, cui Tarentum prouincia euenerat, reliquias bacchanalium quæſtionis cum omni executus eſt cura.* Hoc etiam loco *L. Puppium* priori anno, & *L. Duronium* ſequenti prætores com Apulia quæſtionem eandem obtinuiſſe ait. Hoc dixi ne quis *L. Poſtumium*, pro *L. Puppio* hoc loco reponendum eſſe cenſeret, vt quidam fecerunt.

Cap. XX. *Ariuratis.*] *Ariarathis*, vt ſupra.

Cap. XXI. *In Medicam.*] *Madicam*: Græci enim Μαιδική, vt ante.

Cap. XXII. *Denthelatas.*] *Danthelatas*, vt ſupra.

Eod. *Tertio die iter eſt ingreſſus.*] *Poſtero die*, legendum. Ex notis numerorum manauit error: II. & III. Ita legendum eſſe, verba Liuij indicant, qui ait: *ſeptimis demum caſtris ad radices montis peruenit. Ibi vnū moratus diem, tertio die iter eſt ingreſſus.* poſt autem: *Tertio demum die ad verticem peruentum.* Quis eſt qui non intelligat, ita accipiendum eſſe ad radices montis vnum diem regem eſſe moratum, poſtero die iter eſſe ingreſſum, tertio demum in verticem perueniſſe.

Eod. *Duabus aris ibi Ioui & Soli ſacratis cum immolaſſet (quatriduo aſcenderat) biduo digreſſus eſt.*] Quomodo *quatriduo aſcenderat, ſi tertio demum die in verticem* peruenerit? Hæc parit menda lectorum, atque librariorum incuria. pro certo habeo tollendam eſſe parentheſim & legendum: *cum immolaſſet, qui triduo aſcenderat, biduo digreſſus eſt.* Quamquam ne, *digreſſus*, quidem probo, oon enim *Aſcendere*, & *Digredi* contraria ſunt. ſed *Degredi*, qoo verbo vſus eſt alibi Liuius, vt lib. 29. *Cum quingentis peditibus degreſſum iugis Maſſaniſſam perſecutus.* Et lib. vigeſimo quinto, *Cum equitibus ad pedes degreſſit.* Deſcenſum enim ex alto hoc verbum ſignificat.

Cap. XXIV. *Demetrium iterum ad patrem accuſauit Perſeus. Fuga per Pæoniam præparata arguebatur, & corrupti quidā, vt comites*

itineris eſſent.]In Vet. lib. *Arguebant, & corrupti quidam.* Hinc ego ſenſum auctorem ſequutus legendum, & diſtinguendum puto. *Demetrium iterum ad patrem accuſauit Perſeus de praeparata per Pæoniam fuga. arguebant eum corrupti quidam.* Icirco autem ait: *Iterum*, quod primum de inſidiis ſibi factis accuſauerat, nunc de fuga cuius indicia & comites, & literas falſas T. Quintij afferebat.

Eod. *Ad Aſtræum Pæoniæ Demetrium miſit, & eum eodem comite Didu Perſeum ad Philippopolim ad obſides Thracum accipiendos.*] Præpoſiti *ad* nominibus harum Vrbium iuncta tollenda. Nam & Vet. lib. habent tantum, *Aſtraum Pæonia.* Et Priſcianus lib. 7. ex lib. 40. T. Liuij Hiſt. ab vrbe cond. citat hæc duo verba: *Perſeum Amphipolim*, non *ad Philippopolim.* Eſt autem Amphipolis oppidum item Thraciæ, quod in errorem inſcios librarios, aut imperitos, vel potius audaces emendatores impulit, vt *ad Philippopolim*, ſcripſerint, pro *Amphipolim. Aſterium* porro legendum eſt, non *Aſtræum* ex Vet. lib. Strabone & Stephano Ἀστέριον πόλις Θετταλίας.

Eod. *Thyrſis quidam Stuberæus.*] Vet. lib. *Stuberæus.* Recte. *Stuberra* enim & ante, poſt meminit Liuius, & Græci Στύβερρα. Quam tamen vocem ſpectam habet Glareanus. *Stuberæus* tamen ſcribendum: omnia enim nomina oppidorum in *ra* deſinentia eum edunt gentilis nominis finem auctore Stephano, in Αἴβυρα.

Eod. *Berræus Alexander.*] *Beræaus* ſcribendum ab oppido *Beræa.* Sic Stephanus: Βέροια πόλις Μακεδονίας. τὸ ἐθνικὸν Βεροιαῖος. mendoſius eſt in Piſoniana, *Berea*, pro *Beræa.*

Cap. xxv. *Ad M. Bubium conſulem cum literis Piſas mittit.*] Legendum, *ad Cn. Babium proconſulem.* Sic enim ſupra: *M. Pinarius prætor, quod deerat militum ſumere à Cn. Babio proconſule, qui Piſis hybernabat iuſſus.* Item hoc loco: *Pubius exercitum M. Pinario prætori eunti in Sardiniam tradiderat.* Errorem intulit *M. Babius*, qui hoc anno conſul eſt. De quo haud ita multo poſt ait: *Conſules niſi confecto delectu negare ſe ituros, nec ſuam ſegnitiam, ſed vim morbi in cauſa eſſe, quo ſerius perficeretur.*

Cap. xxviii. *Es à Matieno duumuiro.*] Vet. lib. *Es à C. Matieno duumuiro.*

Cap. xxix. *Qua titulum ſepulti regis habuerat, inanis inuenta ſine vllo veſtigio corporis humani, vt vllius per tabem tot annorum omnibus aſſumptis.* Suſpicor legendum eſſe: *oſſibus abſumptis.* Sic enim fere Plutarchus in Numa: ἡ μὲν ἑτέρα κενὴ παντάπασιν ὤφθη, καὶ μέρος οὐδὲν οὐδὲ λείψανον ἔχουσα τοῦ σώματος.

Eod. *Pleraque diſſoluendarum religionum eſſe.*] Hoc genus dicendi, de quo ſupra admonuimus, quam vim habeat ex Valerio, qui hæc eadem fere verba in primum ſuum librum tranſtulit, perſpici poteſt, cum ait: *Quia aliqua ex parte ad ſoluendam religionem pertinere videbantur.* Eandem hiſtoriam attigit Lactantius lib. 1. cap. 22.

Cap. xxx. *In Carpetaniam duxit, & caſtra locauit ad oppidum Eburam.*] *Æburam* ſcribo ex Stephan. Αἴβυρα πόλις Ἰβηρίας. ὡς Στράβων. ὁ πολίτης Αἰβυραῖος. δύναται καὶ Αἰβυρηνός.

Cap. xxxiii. *Per Carpetaniam ad Contrebium ducta legiones.*] Quid in mentem Glareano venerit negare, *Contrebia* oppidi nomen alibi extare; neſcio, cum & Velleius libro 2. & Valerius lib. 2 & 7. & Florus, & qui ſcripſit de viris illuſtribus. vbi de rebus Q. Metelli Macedonici in Hiſpania geſtis agũt, eius meminerint, apud Valerium tamen eſt mendoſe *Trebia*, pro *Contrebia.* At Glareanus *Contributam* reponendum putat.

Cap. xxxiv. *C. Flaminius. L. Manlius Acidinus.*] Hi triumuiri ſunt: Hæret autem hoc loco Glareanus, quia *L. Manlium Acidinum* eundem eſſe, cum eo putauit, quem nos *P. Manlium* prætorem ſcripſimus: nec quid ſequatur certi quicquam habet.

Eod. *Altera in foro Olitorio Pietatis, eum ædem dedicauit M'. Acilius Glabrio duumuir, ſtatuamq́; auratam, quæ prima omnium in Italia ſtatua aurata eſt, patris glabrionis poſuit.*] Valerius lib. 2. ita: *Statuam auratam nec in vrbe, nec in vlla parte Italiæ quiſquam prius aſpexit, quam à M'. Acilio Glabrione equeſtris patri poneretur in æde Pietatis.* Ex quibus verbis animaduertere licet, *patri Glabrioni*, apud Liuium, non *patris Glabrionis* eſſe legendum, quæ lectio in manoſcriptis etiam reperitur.

Cap. xxxv. *T. Minutius Melliculus.*] Vet. lib. *Ti. Minucius Molliculus.* Supra oſtendimus *Tiberij* prænomen fuiſſe etiam *Minuciorum.*

Cap. xxxvi. *Et mille præterea peditum Romanorum, quinquaginta equites.*] Vet. lib. *Peditum ciuium Romanorum.* Recte. Sic enim ſupra. *Quatuor millia peditum ciuium Romanorum, & ducenti equites.*

Eod. *Prorogatum in Galliam imperium.*] Vet. lib. *In Galliam.* Vtraque locutio Liuio vſitata.

Cap. xxxvii. *Q. Fuluius Flaccus in locum vitrici conſul eſt declaratus.*] Veriſimile non videtur Glareano duos Q. Fuluios Flaccos conſules fuiſſe, alterum hoc anno C. Calpurnio ſubrogatum, alterum cum L. Manlio inſequenti anno. & ne idem vtroque anno conſul ſi veretur, cum tamen duos eſſe eoſque patrueles appareat ex tabulis Capitolinis, in quib. ita eſt. † Recte tabulæ Capitolinæ: Veruntamen in re non admodum magna Glareanus nihil aſſeuerat, ſed hæſitat †.

A. POSTVMIVS. A. F. A. N. ALBINVS.
CALPVRNIVS. C. F. CN. N. PISO IN M. M. F. IN X. L. F.
L. MANLIVS L. F. L. N. AC IDINVS FVLVIAN.
Q. FVLVIVS CN. F. M. N. FLACCVS.
Q. FVLVIVS Q. F. M. N. FLACCVS.

Cap. xxxviii. *Ager publicus populi Rom. erat in Samnitibus, qui Taurasinorum fuerat, cum traducere Ligures Apuanos vellent.*] Huius extremi xl. libri niſi vnum (vt reor) manuſcriptum exemplar extat, quod in Germania eſt, vnde ad ceteros hæc pars tranſlata eſt. Cum igitur germani primum impreſſiſſent: *Qui Taurusinorum traducere Ligures*; deinde ab aliis emendatum eſt: *Qui Taurasinorum fuerat, cum traducere.* Recte (vt mihi videtur) verum ad exemplum hunc ſenſum, nimis præciſe. Plene autem ſic legetur: *Qui Taurusinorum fuerat. In eum cum traducere.* Sic paulo poſt ait: *In Samnium traducti, agerque his popularis datus. Taurusini* porro, qui ſint in Italia nemo prodit: *Tauraninos* edit Steph.

Eod. *Eduxerunt Ligures ab Anido montibus deſcendere.*] Neque hic locus perfectus eſt. deeſt enim alterius montis nomen quamquam ne *Anidi* quidem mentio eſt. Aſteriſcum iccirco apponendum cenſeo.

Eod. *Poſteaquam nihil impetrabant, neque vires ad rebellandum erant.*] In primo exemplari Germanico fuit, *ad bellãdum.* Quod magis huic loco conuenit.

Cap. xli. *Ad ſeptem millia hominum in naues impoſitos.*] In primo exemp. Germanico erat *impoſita*, quod magis probo.

Eod. *Priuſquam hi conſules ad exercitum venirent, qui Piſas inductus erat, præerant A. Poſtumius, & frater Q. Fuluij, M. Fuluius Nobilior.*] Legendum cenſeo, *Inductus erat.* Nam *inducere exercitum*, eſt in hoſtem adducere. at Piſæ pro Romanis ſtabant. Itaque paulo ante dixit: *Adortus à Piſis Apuanos Ligures Inductus* Ergo reſtituendum. Nam *Edicere & indicere exercitum* aliquo ad conueniendum eſt vſitatum, vt paulo ante: *Stobos Pæoniæ exercitu indicto.* Porro autem A. Poſtumius hic alius erat quam conſul, qui & ipſe A. Poſtumius dicebatur.

Eod. *Is menſibus ſuis dimiſit legionem.*] Nihil vitij inſidere in hoc loco puto, contraatq; cenſet Glareanus ſenſus eſt: Ante aduentum conſulum præfuiſſe exercitui, qui Piſas erat inductus, A. Poſtumium & M. Fuluium Nobiliorem fratrem Q. Fuluij Flacci conſolis: ita vt menſes, quibus ſinguli præeſſent, inter ſe diuiſerint, æque ac conſules faſces, & Fabius, ac Minucius Dictatores quondam imperium. M. autem Fuluios menſibus ſuis dimiſit legionem ſecundam, cuius ipſe erat tribunus militum. Hæc de re Valerius lib. 2. Frontin. lib. 4. ſic: *Fuluius Flaccus cenſor Fuluium fratrem ſuum, quia legionem in qua tribunus militũ erat iniuſſu conſulis dimiſerat, à ſenatu mouit.* Hinc Velleius libro 1. ait: *Aſpera cenſura Fuluij, Flacci & Poſtumij Albini. quippe Fuluij Cenſoris frater, & quidem conſors Cn. Fuluius ſenatu motus eſt ab iis cẽſoribus.* Et Liuius Lib. 41. *Creati cenſores Q. Fuluius Flaccus, A. Poſtumius Albinus legerunt ſenatũ. Inſignis notæ F. Fuluij, qui frater germanus, & (vt Valerius Antias tradit) conſors etiam cenſoris erat.* Qui autem cẽſor Fuluius Fuluiũ notauit, is non hoc anno, ſed ſequenti eſt conſul. Hic enim Cn. F. ille Q. F. eſt ex tabulis Cap. Neque Fuluius tribunus militum frater eſt germanus huius conſulis, ſed illius cenſoris. Credo autem hunc tribunum *Fuluium* recte, & *M.* & *Cn.* dici. at *L.* mendoſe. Quod ex ſequenti Fuluiorum ſtemmate intelligetur.

M. Fuluius Q. F. M. N. Flaccus Cos. an. 486.

C. Fuluius Flaccus frater Quinti. Legatus ann. 539.	Q. Fuluius M. F. Q. N. Flaccus. Coſ. 513. 526. 538. 541. Cenſor: Dictator Capuam cepit.			Cn. Fuluius Flaccus. frater Quinti, qui Capuam cepit. prætor an. 538.
Q. Fuluius Q. F. M. N. Flaccus præt. Hiſpan. an. 568. conſul. 571. cēſor 567. filius Quinti, qui capuam cepit Velleius.	M. Fuluius Flaccus frater Quinti. de eo Liu. in an. 570. cum fratre eſt in Hiſpania. — M. Fuluius M. F. Q. N. Flaccus Coſ. an. 625. interfectus cum C. Graccho.	Cn. Fuluius Flaccus frater germanus Quinti Cenſoris notatus ab eo, quia legio 1ē dimiſerit Q. Fuluij conſulis. an. 570. Idem adoptatus à M. Fuluio nobiliore, M. Fuluius. Nobilior dict	L. Manlius L. F. L. N. Acidinus Fuluianus Coſ. 571. cum fratre ſuo germano Q. Fuluio. Velleius.	Q. Fuluius Cn. F. M. N. Flaccus præt. Sardin. ann. 568. Cos. ann. 570. cuius conſulis legionem M. Fuluius Nobilior frater patruelis dimiſit.

Eod. *Hoc vbi Placentiam (nam eo forte profectus erat) Fuluio nunciatum eſt, cum expeditis equitib. ſequutus dimiſſos, quos eorum potuit aſſequi, deduxit caſtigatos Piſas. De cæteris conſulem certiorem fecit eo referente S.C. factum eſt.*] Duorum Fuluiorum hic fit mentio, *Q. Fului*j conſulis, & *M. Fului*j tribuni militum: cum autem *M. Fuluius*, antequam conſul veniret, ad exercitum iniuſſu eius dimiſiſſet legionem, mirum videtur, cur ſubdat Liuius: *Hoc vbi nunciatum Placentiam Fuluio eſt, nam eo forte profectus erat*. Nam ſi Fuluius conſul ad exercitum nondum venerat, quomodo forte Placentiam, quaſi ab exercitu erat profectus? deinde cum ait, *Certiorem conſulem fecit*. Quem conſulem? collegam dicet aliquis. at collegam erit dicēdum. perſpicuum eſt igitur, cum dicat, antequam conſules ad exercitum venirēt, præfuiſſe ei A. Poſtumium, & M. Fuluium: cumque addat, dimiſſam à M. Fuluio legionem, Fuluium, qui forte Placentiam profectus erat, perſequutum eſſe, deque ea re conſulem certiorem feciſſe, & conſule referente, S.C. factum eſſe, non Fuluium conſulem legionem perſequutum eſſe, qui adhuc Romæ erat, ſed A. Poſtumium, qui item exercitui cum præeſſet, Placentiam tum forte conceſſerat, ab ipſoq; Aulo Fuluium cōſulem certiorem factum eſſe, & Fuluio ipſo conſule S.C. factum eſſe. Quare pro *Fuluio* reponēdum eſt, *Aulo*, immutatis paulum literis, vt de *A. Poſtumio* intelligamus. Glareanus plures hic verſus mendoſe eſſe cenſuit, nos vno nomine reſtituto omnia patefecimus. Et ſunt tamen qui diligentem hanc nominum Romanorum emendationem, vt minime neceſſariam improbent. quaſi vero, & hoc loco, & aliis nihil interſit, quo quiſque nomine affectus fuerit, certo ſcire.

Eod. *Cauſa ignominiæ, vti ſemeſtre ſtipendium in eum annum eſſet ei legioni decretum.*] Hic mos exponitur apud Nonium. *Ære diruti*, inquit, *appellabantur milites, quibus propter ignominiam ſtipendium, id eſt, merces menſtrualis, aut annua, quæ eſſet in nummis æris ſubtrahebatur.* Varro de vita populi Rom. lib. 1. *Stipendium appellabatur, quod is militi ſemeſtre, aut annuum dabatur, cui datum non ſit propter ignominiam, ære dirutus eſſet.* Et Feſtus: *Dirutum ære militem dicebant antiqui cui ſtipendium ignominiæ cauſa non erat datum, quod æs diruebatur in Fiſcum, non in militis ſacculum.*

Cap. XLII. *De rege ſacrifico ſufficiendo in locum C. Cornelij Dolabellæ.*] Hæc anno DLXII. quo rex creatur, dicitur *Cn. Cornelius.* Itaque hoc etiam loco *Cn. Cornelij* lego. Quod prænomen tulerunt Dolabellæ, cum Caium non item.

Eod. *Vltimum de cælo, quod comitia turbaret interuenit.*] *Vltimum* mendoſe eſt. Glareanus *portentum* reſtituit, ut quo portenta loquitur. Ego: *Vitium*. Vnde *vitio creati*, & *vitioſi magiſtratus* dicuntur, qui contra auſpicia creati ſunt. Cicero de diuinatione: *Comitiorum ſolum vitium eſt fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus.*

Eod. *C. Seruilius Geminus Pont. Max. deceſſit.*] Paucis ante verſibus *C. Seruilium Pont. Max.* dixit, ſine cognomine *Gemini*. ita vero ſcribendum eſſe iam bis ſupra oſtendi.

Eod. *In Pontificem Maximum Aemilius Lepidus.*] In primo exemplari German. erat, *Ante Pontificem Maximum Aemilius*: inde emendatores fecerunt, *In Pontificem Maximum Aemilius*. Ego vero: *Ad Pon. Max. M. Aemilius*, vt ſit, Pontifex in locum eius à collegio cooptatus eſt Q. Fuluius Flaccus: at Pont. Max. M. Æmilius Lepidus, Me n. mouet hæc noua dicendi forma, *In Pontificem cooptari*: deinde agnoſco erroris cauſam: librarius n. *M.* prænominis Æmilij notam, cum voce præcedenti præciſa, *Max.* coniunxit, & *Maximum* fecit. Vnde coacti alij poſtea ſunt, pro AT. *ante* reponere. *M. Æmilij Pont. Max.* poſt in alijs libris magna eſt mentio.

Cap. XLIII. *Lenates.*] *Lenates* vt ante.

P. Scipionem filium Africani augures cooptarant.] Duo Africani filij fuiſſe traduntur, P. & N. Scipiones Publius hic eſt, qui Augur nunc cooptatur, quique Cicerone auctore in Bruto, & in Catone Æmilianum adoptauit, à quo ille P. Scipio dictus eſt, imbecilla valetudine ille quidem, ſed ſummo tamen ingenio præditus. Eundem ædilem Curulem fuiſſe arbitror L. Anicio, M. Cornelio conſulib. Eſt enim in indice Adelphorum Terentij ita ſcriptum: Acta ludis Q. Fabio Maximo, P. Cornelio Africano ædilibus curulibus, L. Anicio, M. Cornelio coſs. nec de alio poteſt intelligi. Cœcus is eſt, qui captus ab Antiocho rege in prælio fuit, quique ſordidam præturam geſſit, & à patris gloria degenerauit, Valerio auctore libro tertio, capite quinto, & libro 4. cap. 5.

Eod. *Aut eam ſibi defendendam, aut prouinciam dimittendam.*] Si ſententiam explicuero, neminem puto futurum, cui non probem, *Deſerendum*, pro *defendendum*, eſſe reponendum C. Mænio, inquit cum Sardinia prouincia eueniſſet, additum erat, vt quæreret de veneficiis longius ab vrbe x. millibus paſſuum. Ab hoc igitur allatæ litteræ, ſe iam tria millia hominum damnaſſe, & creſcere quæſtionem indiciis, propterea ſe cogi, vt aut veneficiorum quæſtionem inchoatam deſerat, aut prouinciam Sardiniam dimittat. Ergo ne hic quidem recte Glareanus, qui de prouinciæ nomine dubitat, an *Quæſtio*, an *Sardinia* intelligi debeat.

Eod. *Q. Fuluius Flaccus ex Hiſpania rediit Romam, &c. Conſul eſt creatus cum L. Manlio Acidino.*] Hos conſules Q. Fuluium, & L. Manlium fratres germanos fuiſſe ſcriptum eſt in tabulis Capitolini, ſic:

L. MANLIVS L. F. L. N. ACIDINVS. FVLVIAN.
Q. FVLVIVS Q. F. M. N. FLACCVS.
HEI FRATRES GERMANI FVERVNT.

Idem ſcribit Velleius lib. 1. *Non minus clarum exemplum, & adhuc vnicam Fuluij Flacci eius qui Capuam ceperat filiorum, ſed alterius in adoptionem dati, in collegio conſulum fuit adoptiuus in Acidini Manlij familiam datus* Hoc adſcripſit, vt Capitolinorum auctorum diligentiam & Vellei ſententiam, quæ vulgo corrupta eſt indicarem.

Cap. XLIV. *Eo anno rogatio primū lata eſt ab L. Iulio tribuno plebis, quot annos nati quemq; magiſtratum, peterēt, caperentq;.*] Miror hoc anno primum latam hanc rogationem ſcribi, cum libro 25. ita de Scipione tradiderit. *Hanc petenti ædilitatē cum obſiſterent tribuni plebis, negantes rationem eius habendam eſſe, quod nondum ad petendam legitima ætas eſſet.* poſt autem lib. 32. in conſulatu mandando T. Quintio Flaminio, quem nondum annos XXX. natum fuiſſe Plutarchus prodit, huius legis ne verbum quidem fecerit, imo vero ita ſcripſerit: *Patres cenſuerunt, qui honorem, quem ſibi per leges capere liceret, peteret, in eo populo creandi quem velit poteſtatem fieri æquam eſſe.* Nam quæ lex

Flaminium à conſulatu deiiciebat, ea erat, quod à quæſtura ad conſulatum tranſcendendo ædilitatem, & præturam tranſibat. Legitimam autem petendo conſulatui ætatem fuiſſe annum XLIV. ex Ciceronis Philippica 5. colligitur. Puto præterea, *L. Villio annali*, ſcribendum. nam in li. epiſtolarum Cœlij 8. pro *L. Iulio Annali*, in manuſcriptis eſt *L. Villio*. Et apud Valerium lib. 9. *L. Tullius Annalis*, pro *L. Villius*. Sic ante *L. Villius* Tappulus conſul, *L. Iulius* euaſerat neque *Villiæ* gentis vlla in libris impreſſis mentio relicta erat.

Eod. *Q. & M. Mucij Scæuola.*] In primo exemplari Germ. *Q. et P. Mucij, P. Filij Scæuola.* Optime. ſi *Q. Filij* legas ex Capit. eorum conſulatibus. Vterq. enim *Q. F. P. N.* proditur, vt germani fratres collegæ in prætura ſint.

Eod. *C. Cornelius Scipio.*] *Cn. Cornelius* ex conſulatu, quem biennio poſt gereret. Tabul. Capitol.

Eod. *L. Valerius Læuinus.*] *C. Valerius Læuinus* ex conſulatu, quem biennio poſt geret. Tabul. Cap. & ipſemet Liuius.

Eod. *T. Sempronij ædilis.*] *Ti. Sempronij* ex conſulatu. Cap.

Cap. XLV. *Hiems eo anno niue ſæua, & omni tempeſtatum genere fuit, arbores, quæ obnoxiæ frigoribus ſunt, decuſſit cunctas.*] In primo exemplari Germ. *deuſſit*, & recte. Sic enim Vergil. *penetrabile frigus adurit.* Et lib. 21. Liuius *peruſtos artus dixit frigore.* & lib. ſuperiore *M. Æmilius* Cos. *agros Ligurum deuſſit.*

Eod. *Ædem albam Capuæ.*] *Albam* Liuius lib. 32. *de cœlo tacta Capuæ ædes, quæ Alba dicitur.*

Cap. XLVI. *De quibus cauſis hoc timeamus, multa ſuccurrant quæ dicere eatur: niſi forte implacabiles veſtræ iræ implacauerint animos veſtros.*] In Germanico exemplari erat: *Niſi forte implicabiles fueritis implicauerint.* Glareanus autem pro *fueritis*, reſtituit, *ira veſtra.* Ego deſiderari alias voces puto, itaque aſteriſcum appoſui.

Eod. *Vt ea res mihi, collegæque meo bene & feliciter eueniat.*] Precatio ſolennis cenſorum hæc eſt, de qua ſic Varro lib. 5. de lingua Latina. *Vbi nocte in templo cenſor auſpicauerit, atque de cœlo nunciatum erit, præconi ſic imperat, vt viros vocet. Quod bonum, fortunatum, felixque, ſalutareque ſibi & populo Rom. Quiritum, reique publicæ populi Rom. Quiritium, mihique collegæque meo, fidei magiſtratuique noſtro: omnes Quirites, pedites, armatos, priuatoſque curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſiue pro altero dari rationem volet, vocat, indicium.*

Eod. *Bis à L. Fuluio ſe certo conſulatu deiectum.*] *M. Fuluio*, perſpicue.

Cap. XLVII. *In Hiſpania L. Poſtumius, & Ti. Sempronius proprætor comparauerunt.* Scribe, *proprætores*, quia ſupra dixit: *In Hiſpaniis duabus Ti. Sempronio, et L. Poſtumio cum iiſdem exercitibus, quos haberent, prorogatum imperium eſt.*

Cap. L. *Ergauia inde nobilis.*] *Ergauica*, Ex Ptolemæo, & primo exemplari German. in quo eſt paulo poſt: *Erbica*, pro *Ergauica.*

Eod. *Nec aliud magnopere victores fuiſſe Romanos.*] In primo exemplari German. eſt: *Nec aliud magnopere Erbica*, quam vocem, qui non intellexerunt, induxerunt. Ego, *Ergauica*, cuius quatuor ante verſibus deditæ meminit, puto legendum, præterea quod in eodem exemplari eſt: *Nec aliud magnopere Erbica crederes fuiſſe.* puto legendum: *Nec aliud magnopere Ergauica credere ſe feciſſe Romanos.* Etenim aliorum narrat opinionem, de rebus à Romanis ad Ergauicam geſtis & prœliis cum Celtiberis commiſſis.

Eod. *Niſi quod poſtero die manētes intra vallum prælio laceſſierint, ſpolia per totum diem legiſſe, tertio die prælio maiore iterum pugnatum.*] Has voces, *poſtero die* transferendas ad initium ſequentis membri puto, vt ſit: *poſtero die ſpolia per totum diem legiſſe.* primo enim die à prima luce ad ſextam horam diei Sempronium pugnaſſe, multos vtrimque cecidiſſe: poſtero ſpolia per totum diem legiſſe: tertio die maiore iterum prælio pugnatum eſſe. Reliqua parentheſi includenda eſſe exiſtimo, id eſt, *Nec aliud magnopere Ergauica credere ſe feciſſe Romanos, niſi quod manentes intra vallum prælio laceſſierint*, hoc modo: Ergauica nobilis ciuitas aliorum circa populorum cladibus territa portas aperuit Romanis. Eam deditionem oppidorum haud cum fide factam quidam auctores ſunt, è qua regione abduxiſſet legiones, extemplo inde rebellatum, magnoque poſtea prœlio eum ad montem Caunum cum Celtiberis à prima luce ad ſextam horam diei ſignis collatis pugnaſſe: multos vtrimque cecidiſſe (nec aliud magnopere Ergauicæ credere ſe feciſſe Romanos, niſi quod manentes, intra vallum prœlio laceſſierint) poſtero die ſpolia per totum diem legiſſe: tertio die prœlio maiore iterum pugnatum, & tum demum haud dubie victos Celtiberos, caſtraque eorum capta & direpta eſſe.

Eod. *Iade debellatam, veramq. pacem non ſicut ante, fide Celtiberos fuiſſe.*] Senſus & Latina ratio poſtulat, vt legamus, *feciſſe*, vt etiam paulo ante, *Feciſſe Romanos.*

Cap. LI. *Trigeminam.*] *Tergeminam.* Priſcianus de Numeris.

Eod. *Habuere & in promiſcuo prætores pecuniam.*] Loquitur de cenſoribus. Itaque vox, *Prætores*, perſpicue mendoſa eſt, & ſine vllo ſenſu: ſuſpicor legendum, *præterea.* Sic enim ait: *Cenſoribus poſtulantibus vt pecuniæ ſumma ſibi, quæ in opera publica vteretur, attribueretur, vectigal annuum decretum eſt.* Item: *Opera ex pecunia attributa diuiſaque inter ſe, hæc confecerunt.* Poſtremo: *Habuere, & in promiſcuo præterea pecuniam, ex ea communiter locarunt aquam adducendam*, id eſt, præter eam, quam inter ſe diuiſerant, habuerunt aliam promiſcuam.

Cap. LIII. *Idem dedicauit ædem Larium Permarinum in campo, vouerat eam annis duodecim ante L. Æmilius Regillus nauali prœlio aduerſus præfectos Antiochi.*] Meminit huius ædis Macrobius libro primo, 11. *Kal. Ian.* inquit, *feriæ ſunt Laribus dedicatæ, quibus ædem bello Antiochi L. Æmilius Regillus prætor in campo Martio curandum vouit.* Quod autem ſcriptum eſt, *annis duodecim*, intelligendum eſſe eſt legendum, *vndecim.* Cum enim ante legeretur, *quadraginta*, Glareanus vitio agnito, *duodecim* reſtituit. † Glareanus toties clamat, pro vno anno cum nemine ſe certaturum quod loquendi diuerſitas apud auctores hoc cogat. Et hic Sigonius id ſibi aſcribit, quaſi à nemine antea animaduerſum. † Error enim ex notis natus eſt XL. & XI. Docui autem in eiuſmodi loquendi genere, anni extremi, quo res geritur, rationem non haberi: ſic paulo ante dixit: *annis ante octo*, cum tamen *nouem*, niſi hanc formulam tueretur, fuiſſet ei dicendum. Quod item ait: *Præfectos regis*, ſupra, *Præfectum* dixit lib. 37. *L. Æmilio Regillo, qui claſſe præfectum Antiochi regis deuicerat.* Polixendam autem intelligit. affuiſſe autem etiam Annibalem tradit Florus de bello Syriaco, de quo in ea pugna nihil Liuius.

Eod. *Duello magno regibus dirimendo caput ſubigendis patrandæ pacis hac pugna exeūti L. Æmilio M. Æmilij filio auſpicio, imperio, felicitate, ductuq; eius inter Epheſum Camachumque inſpectante* Cos. *ipſo Antiocho, exercitu omni, equitatu, elephantiſq; claſſis regis Antiochi antea ſic victa, ſuſa contuſa fugataque eſt ibique eo die naues longæ cum omnibus ſociis captæ XLII. ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque eius rei ergo ædem Laribus Permarinis vouit.*] Miror hunc locum non deprauatum ſolum, ſed ex omni parte diuulſum, ac laceratum ne aſteriſco quidem in optimis Gallorum exemplaribus eſſe notatum. Quo de loco quid ſentiam dicam: nam omnino illum reſtituere non poſſum, præſertim vero cum veterum exemplarium auxilio deſtitutus ſim. Primum igitur dico ad explendum horum verborum, ſenſum (*Duello magno regibus dirimendo caput ſubigendis patrandæ pacis*) multa deſiderari, neque enim hæc aut inter ſe, aut cum inſequentibus vllo modo conſentiunt. Reges autem videtur intelligere Antiochum & Eumenem. Etenim cum Eumenes à Seleuco Antiochi filio obſideretur, L. Regillum aduocauit teſte Liuio & Appiano. Itaque hunc titulum pugnæ ſuæ prætuliſſe videtur Regillus, vt prælium regum dirimeret, & pacem componeret. Deinde ne hęc quidem (*Hac pugna exeunti L. Aemilio M. Aemilij filio*) congruūt cum iis quæ ſequuntur (*auſpicio imperio*) deſideratur n. verbum, cui vox *Pugna*, iungatur. præterquam quod & magiſtratus, & cognomen L. Æmilij intercidit, quæ in eiuſmodi re affingi accuratiſſime ſolent, vt in tabula Gracci lib. 41. *Ti. Sempronij Gracchi cōſulis auſpicio, imperioq;* &c. Præterea nec hęc inter ſe conueniūt (*auſpicio, imperio, felicitate, ductuq; eius inter Epheſum, Camachumq;*) niſi quod pro *Camachumque, Samum, Chiumque* legendum eſt ex verbis Liuij, vbi hanc pugnam deſcripſit. At vero hæc (*inſpectante* Cos. *ipſo Antiocho, exercitu omni equitatu, elephantiſq;*) luxata verba ſunt, & ex alio loco temere neſcio quo pacto in hunc tranſlata, neq. n. pugnatū eſt pręſente,

Digitized by Google

aut conſule, aut Antiocho: neque equitatus, neque elephanti ad pugnam naualem pertinent: ergo ſine controuerſia è medio tollenda, atque ita oratio connectenda: *Auſpicio, imperio, felicitate ductuq; eius claſſis regis Antiochi*, &c. Quod autem ſcriptum eſt, *claſſis regis Antiochi antea ſit ſicta, fuſa, contuſa*, vitioſe eſt. Legendum eſt n. *claſſis regis Antiochi ante D.XI. K. Ian. victa.* Etenim Macrobius hoc die in prœlio votam eſſe ædem à L. Regillo ait: & in notis facilis lapſus eſt *ante D.XLI. Kal. antea ſit*: & in tabula hac diei factam eſſe mentionem, quo pugnatum eſt, apparet ex verbis, quæ ſequuntur. *Ibique eo die naues longæ.* Hoc autem ita eſſe, ex eo etiam perſpici poteſt, quod L. Æmilius eodem anno Kal. Feb. triumphaſſe ob hanc victoriam à Liuio ipſo traditus ſit. Poſtremo ne hæc quidem verba (*ea pagna pagnata rex Antiochus regnumq;*) expletam continent ſententiam. Suſpicor autem librariũ cum ſcripſiſſet, (*Regnumq; eius*) oculis in ſequentia verba coniectis, *eius rei ergo*, verſum quo ſententia perficiebatur, per incuriam tranſcendiſſe. Nam vox, *eius*, his ſcribenda eſt, vt & *regnum eius*, dicamus, *et eius rei ergo*. Nam in extrema etiam Gracchi tabula hæc verba ſunt: *Cuius rei ergo hanc tabulam donum Ioui dedit.* Quamobrem ſic hunc locum deſcribendum cenſeo: *Duello magno regibus dirimendo * capue * ſubigendis * petrãda pacis * hac pagna exeunti L. Æmilio M. F. Regillo pratori, *** auſpicio, imperio, felicitate, ductuq; eius inter Epheſum, Samũ, Chiũq; claſſis regis Antiochi ante D.XI. K. Ian. victa, fuſa contuſa, fugataq; eſt: ibiq; eo die naues longæ cum omnibus ſociis capta XLII. Ea pugnata rex Antiochus regnumq; eius. *** eius rei ergo aedem Laribus permarinis vonis. Permarinos* autẽ *Lares* vocauit L. Æmilius, quia mari ſibi affuerãt. Nam Curius arã dicauerat K. Maiis. *Laribus Præſtitibus*, quod præfuiſſent mœnibus vrbis, auctore Ouidio lib. 5. Faſtorum.

Cap. LIV. *Regis vir maieſtatis.*] Malim: *regiæ vir maieſtatis.* Rex enim fuerat. Ita ante legebatur.

Eod. *Demetriade habitabat cum deſiderio anxius filij, tum pœnitentia crudelitatis ſuæ, qua ſtimulabat animum: & alter filius haud dubie et ſua, & aliorum opinione rex.*] Aſſentior Florebello ita legenti: *Cum deſiderio anxius filij, tum pœnitentia crudelitatis ſuæ. Stimulabat animum et alter filius.*

Eod. *Nobili etiam pugna aduerſus Cleomenem Lacedæmonium clarus. Tutorem eum Græci, vt cognomine à cæteris regibus diſtinguerent, appellarunt.*] Hunc Græci Euergetem, & Sotera vocarunt, auctore Suida: Ἀντίγονος Εὐεργέτης ὑπάκους μάχῃ Κλεομένην τὸν Λακεδαιμονίων βασιλέα, ἐκράτησε καὶ τῆς Σπάρτης, καὶ οὐ μόνον ἐπειδὴ παρ' αὐτοῖς χωρὶν Εὐεργέτης, ἀλλὰ καὶ μετ[illegible] αὐτῆς. Tutor autem Philippi pueri fuerat, vt Plutarchus quoque tradit in Paulo, qui hunc eundem Δώσωνα vocatum ſcribit. Et Pauſanias in Achaicis.

Cap. LV. *Forte vocatum, perductamque in Regiam vocari iuberet.*] Locũ aſteriſco notaui, quia ſentẽtia expleta non eſt. Quæ quidem hæc videtur fuiſſe. Hortatur inde, vt eum forte vocatum, &c. Hic autem Xychus ſcriba legatorum videtur fuiſſe, quia ſubdit, *ordinemque omnem facinoris legatorum, miniſterijq; ſui expoſuit.*

Eod. *Et infelicitatem ſuam in liberis grauiorem, quod alter periſſet.*] Melius *ſupereſſet*, vt referatur ad Perſeum, non ad Demetrium, quemadmodum placet Florebello.

Cap. LVI. *Curiſque et vigilijs, cum idẽtidem ſpecies & vmbra inſoatis interempti filij cum dirus agitarẽt, extinctum eſſe cum execrationibus alterius.*] Antea legebatur, *cum identidem ſpecies, & vmbræ inſoatis interempti filij cum diris agitarent extinctum eſſe execrationibus alterius.* Qui poſtea emendarunt, fecerunt recte: *Eum diris*, non ita autem recte, quod, *Extinctum eſſe eum execrationibus alterius*, ſcripſerunt. Quantum autem ipſe intelligere poſſum, ij germanum huius loci cenſum aſſequuti non ſunt, qui ex hac verborum diſpoſitione nullus percipi poteſt. Incredibile eſt enim, quam luxata fuerint verba huius extremi libri XL. in illo exemplari Germanico. Itaque niſi ſæpe ea in ordinẽ ſuum redigas, vix ſenſum inuenias. Quod qui ante me hunc librum emendarunt, & ſenſerunt etiam & fecerunt. Hæc igitur verba in hunc modum mihi videntur eſſe ordinanda. *Curiſq; & vigilijs, cum identidem ſpecies, & vmbra inſontis interempti filij eum diris execrationibus alterius agitarẽt, extinctum eſſe.* Sic locutus eſt libro 26. *Diram execrationem in populares, obteſtationemque quam ſanctiſſimam poterant aduerſus hoſpites compoſuerunt.* Et libro decimo, *Dira execratio, & furiale carmen.* Item libro 28. Et Plin. lib. 18. cap. 2. *Diras deprecationes* dixit. Senſus per ſe ex verbis ipſis perſpicuus eſt.

Eod. *Nuncios prædiſpoſitos, ita vt conuenerat, miſit ad Perſeum.*] Quid ſi legas, *nuncios per diſpoſitos equos.* vt libro 37. *Gracchus per diſpoſitos equos die tertio Pellam peruenit.*

Eod. *Si haud ſtatim palam facta eſſet mors regis.*] Glareanus ſic: Videtur altera parte defecta oratio, & *Aut* legendum, pro *Haud*. Nam alioqui ſenſus nullus eſt: neque enim haud ſtatim palam facta eſt mors regis, quod laudo. † Hic ſemel propitium habet Sigonium Glareanus: verum tot locis ante eum reſtitutis nulla eſt gratia. †

Cap. LVII. *Deeare Antigonus ſæpe inuitus cum ipſo Cottone legatus ad concitandos Baſtarnas miſſus.*] Ante legebatur: *ea res Antigonus.* Quidam fecerunt, *Deeare.* Ego malim: *Erat Antigonus.* Cur enim dicat: *Deeare*, cum addat: *Ad concitandos Baſtarnas.* Malim ergo: *Erat Antigonus perinuitus cum ipſo Cottone legatus.* Nam cum ſupra dicturus fuerit: Admoneri tamen potuiſſet Antigonus, ſi aut ſtatim palam facta eſſet mors regis, aut tum apud regem fuiſſet. Ne ſtatim pateſieret mors regis, Calligenes medicus cauſam attulit. Ne tum adeſſet Antigonus, incidit, quod per inuitus erat legatus cum Cottone ad Baſtarnas concitandos miſſus. Reddit ergo rationẽ cur vterque & Cotto, & Antigonus ad Baſtarnarum aduentum nunciandum regi, prægreſſus erat, alter quia Baſtarna erat, alter perinuitus. Quod autem ſupra ait etiam, *Nobilis erat Baſtarna*, malim: *Nobilis is erat Baſtarna*: ſic enim fere loqui ſolet Liuius, & lapſus facilis eſt & vſitatus, vt li. 41. *Caſtra ad lacum Timaui poſuit: Imminet mari is lacus* & 43. *Prætor nouus Iſmenias. Is erat vir nobilis, ac potens.* Item. *Leonides Lacedæmonius, regij is generis ferebatur.*

Eod. *Inde in omnem euentum conſilia commodabantur.*] Malim *accommodabantur*, a littera ex præcedenti voce, *Conſilia*, repetita ſic Cicero: *Id feciſſem, ad id meas literas accommodauiſſem*, & alibi *Vt iidem verſus alias in aliam rem accommodari poſſe viderentur.* Et Liuius libro quadrageſimo primo, & *Ad hæc quæ palam ſunt conſilia noſtra accommodare oportet.*

Eod *Quali tẽpeſtate Gallos ſpoliantes Delphos fama eſt perẽptos eſſe.*] Hanc hiſtoriam planiſſime ſcribit Pauſanias in Atticis.

Eod. *A. Manlius Vulſo.*] *Valſo*, vt ante.

Cap. LVIII. *Cloadico duce profecti erant.*] Ex epitome lib. 43. legendum eſt, *Elonico.*

Eod. *Cepione.*] *Capione*, vt ante.

Eod. *Centone.*] *Centhone*, vt ante.

Eod. *Lanaq; cum integumẽtis, quæ Ioui oppoſita fuit, decidit.*] *Appoſita*, legendum ex Obſequente in libro de prodigijs: *Lana cum integumentis, quæ Ioui appoſita erant, decidit.*

IN EPITOMEN LIB. XLI.

M*Onimentumque operum ſuorum Gracchurim oppidum in Hiſpania conſtituit.*] Recte: ſic enim Feſtus libro 7. *Gracchuris vrbs Hiberiæ regionis, dicta à Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.*

A. Poſtumio Albino.] Vet. lib. *Et à Poſtumio Albino.*

De vtriſque triumphauit.] Vet. lib. *Vterque triumphauit.* Recte: id eſt, Gracchus, & Albinus: ille de Celtiberis, hic de Luſitanis: Ita enim Liuius.

Q. Volamnius Saxa.] Emendo, *Q. Voconius*: ſic enim Cicero in Catone, vbi *legis Voconiæ* meminit, ſic in oratione pro Cornelio: ſic Auguſtinus de ciuitate Dei. ſic cæteri: eſt enim hæc *lex Voconia* celebris.

Templa magnifica multis locis erexit, Athenis, Iouis Olympij, & Antiochiæ.] Scribe *& Antiochiæ, Capitolini.* ſic enim Liuius hoc libro: alioquin imperfecta, & oratio, & hiſtoria erit.

IN LIBRVM XLI.

C*AP. I. A Patre in pace habitam.*] Reliquos quinque libros, quos nemo adhuc commentarius editis emendandos ſuſcepit, quamquam manuſcriptorum librorum ope deſtituti, dabimus operam, vt ex ingenio, aut corrigamus, aut vbi

cotre-

correctionis indigeant, demonſtremus. Atque hoc quidem loco multa deeſſe intelligendum eſt, vt ſortitionem prouinciarum & conſularium, & prætoriarum. Conſulibus A. Manlio Gallia, M. Iunio Ligures. Prætoribus M. Titinio Hiſpania citerior, T. Fonteio vlterior, Neroni Etruria, T. Æbutio Sardinia obtigerunt. præterea quæ de igne Veſtæ extincto, de rebus à Ti. Graccho, & L. Albino in Celtiberia, & Luſitania geſtis, de Antiocho, de luſtro à cenſoribus condito, de lege Q. Voconij in epitoma traduntur, poſtremo res à M. Iunio conſule in Liguribus geſtæ deſiderantur. Hoc autem principium eſt earum, quas A. Manlius conſul ex prouincia ſua Gallia in Iſtriam tranſgreſſus, cum Iſtris geſſit.

Eod. *Hiſtriæ fines.*] *Iſtriæ*, ſic enim Græci.

Eod. *Aduerſus Illyriorum claſſem creati duumuiri nauales erãt, qui tuendam viginti nauibus maris ſuperioris Anconam velut cardinem haberent.*] Mirum, qua felicitate reſtituerit hunc locum Florebellus, hoc modo; *qui tuenda viginti nauibus maris ſuperiori, Anconam velut cardinem hab.* probatur autem eo magis hæc coniectura, quod libro ſuperiore ita ſcripſit: *Inter duumuiros ita diuiſa tuenda denis nauibus maritimæ ora, vt promonterium iis Mineruæ, velut cardo in medio eſſet.*

Eod. *Carmelus proregulo erat tribus aut amplius millibus armatorum.*] *haud amplius*, legit Florebellus. Sic libro 29. *Cum ducentis haud amplius equitibus.* Et libro 45. *Triginta haud amplius dies.*

Cap. III. *Tunc demum nuncius ad tertiã legionem reuocandam, & Gallorum præſidiũ. Et ſimul ex omnibus locis ad caſtra recipienda, demendamq; ignominiam rediri cœptum eſt.*] Duæ voces, aut paulo plures huic ſententiæ deeſſe videntur, hæ: *opprimendum venit.* vt ſit: *Tum demum nuncius ad tertiam legionem reuocandã, & Gallorum præſidium opprimendum venit.* Sic enim ait paulo poſt: *Egregiam gloriam tertiæ legionis fore, ſi caſtra metu ſecundanorum amiſſa ſua virtute recipiant, & recipi facile eſſe, ſi in præda occupati barbari ſubitò opprimantur.*

Cap. VI. *Tribuni pl. Licinius Nerua, & C. Papirius Turdus.*] Omiſſum eſt à librariis prænomen Licinij. *A. Licinius Nerua.* ſic enim poſt in prætura vocatur: neque par eſt omiſiſſe id in Licinio Liuium, at non in Papirio. De *Papiriis Turdis* Cicero ad Papirium Pætum.

Eod. *Ilienſes adiunctis Balarorum auxiliis.*] *Balaros* Sardiniæ populos, æque atque *Ilienſes* commemorat etiam Strabo.

Eod. *Sed ſingulos iuſtum pati ſeruitium, iuſtos coniuges liberoſque vexari.*] *Iuſtos* mendoſe eſt. Suſpicor *iuxta ſe*, reponendum. Eſt autem *iuxta*, æquè ac *pariter*. ſic lib. 29. *Omnia ſcelera Pleminius in nos liberoſq; noſtros, coniugeſq; edidit.* Et lib. 43. *Domos ſuas plenas turba nautica eſſe, verſari inter ſe coniuges, liberoſque ſuos.*

Eod. *Motus is ſenatus.*] Lege, *motus is ſenatus.*

Cap. VIII. *C. Numiſius, C. Mummius.*] Hic poſt *L. Mummius* dicitur. Idem anno DLXIII. tribunus pl. fuit, quo loco *L. Nummius* dicebatur.

Eod. *Et quibus ſtirps deeſſet quum relinquerent, vt ciues Romani fiebant.*] Malim, *ij ciues Romani fiebant.*

Eod. *Ei ſi quis ita ciuis Rom. factus eſſet. Hæc impetrata ab ſenatu.*] Librarius tres voces tranſcendiſſe videtur. Nam hæc futura erat oratio: *Et ſi quis ita ciuis Rom. factus eſſet, ciuis non eſſe.* Vox *eſſet*, decepit librarium, vt ſæpe.

Cap. IX. *S.C. adiectum eſt, vt dictator, conſul interrex, cenſor, prætor, qui nunc eſſet apud forum, quem manumitteret in libertatẽ vindicaretur, iuſiurandum daret &c.*] Ne hæc quidẽ ſententia perfecta eſt, cum futura fuerit eiuſmodi. *Vt dictator, conſul, interrex, cenſor, prætor, qui tunc eſſet apud forum, darent operam, vt qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur, iuſiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandæ cauſa non manumittere.*

Eod. *In prouinciam æquè amplius præcipiti celeritate abit.*] Florebellus legit, *æquè ac prius.* egregiè nam paulò ante dixit: *In prouinciam vbi profectus præceps abiit.*

Cap. XIV. *Q. Petilius Spurinus.*] *Petillius*, ex conſulatu Capitolino.

Eod. *L. Aquillius Gallus.*] *Aquillius*, ex tabulis Capitolinis & Græcis.

Cap. XVI. *Quia non recte facta Latinæ eſſent.*] Malim, *Ritè*, vt ſemper alias.

Cap. XVII. *Comitia in diem III. non Sext. Latinas ad diem III. Idus Sext edixit.*] Lego vtrobique. *In* A. D. id eſt, *in ante diem.* ſic enim lib. 43. *In ante dies VIII. & VIII. Kalend. Octob. dicta dies.* Et lib. 45. *Latinæ edictæ à conſule ſunt in ante IIII. III. & prid. Idus Nouemb.* Sic igitur & hic *in* A. D. III. Nonas edicta erant.

Eod. *Creauit M. Valerium Leuinum.*] *C. Valerium Læuinum*, ex conſulatu eius Capit. & ipſomet Liuio infra.

Cap. XVIII. *Immemorem ambiguitatis verbi ominatum ferunt, ſe eo die Letum capturum eſſe.*] Valer. lib. I. ita: *Petillius conſul in Liguria bellum gerens, cum montem, cui Leto cognomen erat oppugnaret, interq; adhortationem militum dixiſſet: hodie ego Letum vtique capiam. inconſideratius præliando fortuitum iactum vocis leto ſuo confirmauit.*

Eod. *C. Valerius audita.*] Hoc loco hæc deſiderantur. Expoſitis rebus ab altero conſule, Q. Petillio in Liguribus geſtis, & morte eius, iam ordiebatur narrationem earum, quas collega eius C. Valeri⁹ geſſiſſet, his verbis: *C. Valerius audita morte collegæ.* Quæ res & ipſæ interciderunt, & comitia conſulum P. Mucij Scæuolæ, & M. Æmilij Lepidi. itemque prætorum, vna cum ſortitione prouinciarũ, præterea expoſitio rerum, quas in Gallia Liguribuſque conſules geſſerunt. Nam ait: *Ob eas res in Gallia Liguribuſque geſtas duorum conſulum ductu, auſpicioque ſenatus in triduum ſupplicationes decreuit.* Quod autem ad comitia conſulum pertinet, reperi ſententiam perbellam iacere apud Priſcianum lib. 17. quam ſuo loco interijciendam eſſe duxi. Ea eſt hæc, *Liuius ab vrbe condita lib. 41. Periti religionum, iuriſque publici, quando duo ordinarij conſules eius anni alter morbo, alter ferro periſſet, ſuffectum conſulem negabant comitia habere poſſe.* Ordinarios autem appellat conſules, qui primis comitiis ſint creati, neque in demortuorum locum ſuffecti. Fuerant autem Cn. Cornelius Scipio Hiſpalus, & Q. Petilius Spurinus, quorum ille morbo, hic ferro abſumptus fuerat, vt & Liuius, & Valerius tradunt. Suffectus autem in Scipionis locum C. Valerius Læuinus, quem religionum, inquit, periti negabant comitia rogandis conſulibus habere poſſe. Hac autem de re ſic ſcriptum eſt in tabulis Capitolinis.

CN. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO HISPALVS.
IN MAG. MORTVVS EST. IN EIVS L. F. E.
C. VALERIVS M. F. P. N. LÆVINVS.
Q. PETILIVS C. F. Q. N. SPVRINVS. IN.
MAG. POSTEAQVAM SIBI CONLEG.
SVBROG. OCCISVS EST.

Cap. XIX. *Q. Mucius cum iis.*] Scribe *P. Mucius*, ex conſulatu Cap. & Caſſiodoro: collegam enim M. Lepidi quærimus.

Cap. XX. *More ſella eburnea.*] Deſiderãtur pauca, quibus mores Perſei regis deſcribebat, de quo dicere cœperat. Itaq; ſubſequitur, *Perſeus regio more ſella eburnea poſita ius dicebat.*

Cap. XXI. *Scipio inter peregrinos.*] Hoc loco interciderunt comitia conſularia, quibus conſules creati ſunt Sp. Poſtumius Albinus, Q. Mucius Scæuola. Comitia item prætoria. De ſortitione autem prouinciarum prætorum ſubſequitur hoc modo: *Iam prætores ſortiti prouincias erant, C. Caſſius Longinus vrbanam, L. Cornelius Scipio inter peregrinos.*

Eod. *Quod peſtilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, eo verteret in hominum morbos, qui inciderant, haud facilè ſeptimum diem ſuperabant.*] Suſpicor ſic legendũ, *eo verteret in homines. In morbos qui inciderant, haud facile ſeptimum diem ſuperabant*, quamquam vſus eſt etiam eiuſmodi genere dicendi lib. 45. *Vt neglecti qui incidiſſent morerentur.* Et Cic. in Piſon. *Neque ſe recreare quiſquam poſſet, qui ſemel incidiſſet.*

Eod. *Tib. Sempronius T. F. Longus.*] Lege *Ti. Sempronius C. F. Longus.* Nam anno DLXI. ait *Decemuir ſacris faciundis in locum Ti. Sempronij Ti. F. Longi. Ti. Sempronius C. F. Longus ſuffectus.* Qui ergo creatur eo anno, hoc moritur. ibi autem idcirco prænomina appoſuit, vt internoſcerentur.

Eod. *C. Atilius Æmilius curio maximus.*] Vt dixi ſupra in eo anno, quo hic creatur curio, legendum eſt, *C. Mamilius Vitulus curio maximus.*

Eod. *C. Sulpicius Galba in locũ Tuditani. Augures ſuffecti ſunt.*] Excidit nomen Pontificis ſuffecti in locum Cn. Seruilij Cæpionis demortui. Ait enim Pontifices ſuffecti ſunt *C. Sulpicius Galba in locum Tuditani, ... in locum Cæpionis.* Neque enim ſi de Galba ſolum dixiſſet, *Pontifices ſuffecti*, ſed *Pontifex ſuffectus* dixiſſet.

Digitized by Google

Eod. *Curio maximus C. Scribonius Curio.*] Altera vox *Curio* cognomen eſt Scriboniorum. Itaque maiore litera notanda eſt, vt diſtinguatur à priore voce, quæ ſacerdotium ſignificat.

Eod. *Faces eadem nocte plures per cælum lapſæ ſunt in Lanuuino. Cæteriſque anguem in oppido ſuo iubatum aureis maculis ſparſum appariſſe affirmabant.*] Priſcianus lib. 4. citat hunc locum ſic. Liuius hiſtor. ab vrb. cond. lib. 41. *Lanuuini, Cæteriſque anguem iubatum nunciarant.* Itaque legendum eſt ita: *Lapſa ſunt. Lanuuini, Cæriteſq;.*

Cap. XXII. *Legati Nouis Italij.*] Vt dixi alio loco, ſi *Iulias Nouas* intelligeret, *Quinctiles* dixiſſet, quo modo ante Cæſarem Dictatorem loquebantur. Itaque *Iunias* repono, vt alibi ex veterum librorum auctoritate feci. Plutarchus ſæpe κυιντίλιος Κουντιλίας, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦμεν.

Eod. *Nec earum tantum ciuitatum, per quas iturus erat ſatis habuit animos ſibi conſiliare, aut legatos, aut literas dimiſit.*] Legendum eſt, *Sed aut legatos aut literas dimiſit.*

Cap. XXIII. *Id cum Perſeus animaduertiſſet comprenſis omnibus literas. Cæterum ne ſimilis.*] Poſt vocem *literas* exciderunt verba aliquot, quæ hunc ſenſum explerent. Comprenſis omnibus literas ad Achæos miſit, quibus ſe ſeruos eorum, qui ad ſe transfugerant benignè remittere illis ſcripſit. cæterum ne ſimilis fuga ſeruorum poſtea fieret, cogitandum & illis eſſe. Hæc ſententia elicitur ex ſequentibus Callicratis verbis: *Inde literas ad nos cum muneris ſpecie miſit, & cogitare iubet, quo modo in reliquum hoc munere non egeamus.*

Eod. *Nam qui regibus, Macedonibuſque ipſis finibus interdixiſſemus, maneret, id decretum, ſcilicet ne legatos, ne nuncios admitteremus regum.*] Præciſa ſententia, imo manca ſic expleri poſſit: *Maneret que id decretum voluimus, ſcilicet ne.* ſic paulo poſt: *Vt decretum, quo arcentur Peloponneſo Macedones tollamus.*

Eod. *Nec prouinciis de controuerſis ad diſceptationem P. R. audiuit.*] Excidit vox vna ad ſenſum complendum neceſſaria, ea eſt: *Reuocantem.* ſic enim ait: *Dolopiam armis ſubegit nec prouinciis de controuerſis ad diſceptationem populi Rom. reuocantem audiuit.* Hoc probatur ex eo quod paulo ante dixit: *Et de quibus ambigebatur rebus, ab rege ad Romanos reuocabant.*

Eod. *Immiſcemur Macedonibus armātibus ſe aduerſus Romanos.*] Procul dubio, *immiſceamur*, legendum eſt, pendetque & hoc membrum à ſuperioribus. Hoc eſt, vt decretum tollamus, vt legatos regios exercitus Macedonum, & mox ipſum à Delphis traiicientem in Peloponneſum videamus. immiſceamur Macedonibus armantibus ſe aduerſus Romanos.

Cap. XXIV. *Quamquam & illud dicere poteram tanta priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuiſſe, vt Philippi vnius iniurias, ſi quæ fortè fuerant, vtique poſt mortem.*] Senſus docet deeſſe verbum, *obliuiſceremur.* vt ſit: Si quę forte fuerunt, obliuiſceremur vtique poſt mortem.

Eod. *Cum Claſſis Rom. Cenchris ſtaret conſul cum exercitu Velatiæ eſſet.*] *Cenchreis*, & *Elatiæ* ſcribendum ſine dubio, ex libro 31.

Cap. XXV. *Ex alibus Hypateis.*] *Hypatais*, ex Stephano Ὕπατα Ὑπαταῖοι.

Cap. XXVII. *L. Fuluij, qui frater germanus, & vt Valerius Antias tradit, conſors etiam Cenſoris erat.*] Hunc Velleius *Cn. Fuluium* vocat: & rectè, vt libro priore docui. *Aſpera*, inquit, *cēſura Fuluij Flacci, & Poſtumij Albini fuit: quippe Fuluij cenſoris frater, & quidem conſors Cn. Fuluius ſenatu motus eſt ab iis cenſoribus.*

Eod. *Ex iis M. Æmilio ſenatus negotium dedit.*] Hoc nomen conſulis eſt mendoſè: non enim hoc anno, ſed priore M. Æmilius conſulatum geſſit. qui autem proximè ante L. Poſtumium Albinum, & M. Popilium Lænatem, qui ſubſequuntur, conſules fuerunt, ij Sp. Poſtumius Albinus, & Q. Mucius fuerunt. Neque vero de M. Æmilio intelligi poteſt, quia ille ſortitus Galliam eſt, hic autem Iſtros, nihil memorabile geſſit. P. Mucij res in Liguribus geſtæ apud Liuium omnino interciderunt. Illud enim tantum extat, ob eas res in Gallia Liguribuſque geſtas duorum conſulum ductu auſpicioque ſenatus in triduum ſupplicationes decreuit, & XL. hoſtiis ſacrificari iuſſit.

Eod. *Ferreis in monte Albano conſulibus.*] *Feriis*, puto legendū, vt de Latinis intelligatur, quæ agebantur in monte Albano. Ceterum hic locus ſanari ne coniectura quidem poteſt.

Eod. *Et alter ex iis Fuluius Flaccus, nā Poſtumius nihil niſi ſenatus Romani, populiue iuſſu ſe locaturum eſſe ipſorū pecunia, Iouis ædē Piſauri.*] Malim: *Nam Poſtumius nihil niſi Senatuſcōſulto, populiue iuſſu ſe locaturū ipſorum pecunia dicebat.* Sic enim loqui ſolet, vt Senatusconſultum, vel auctoritatē iuſſus populi opponat.

Eod. *Et Pollentia.*] *Potentia*, vt ſupra.

Eod. *In his & cloacam circumducendam & forum.*] Puto legendū: *cloacam in fluuium circumducendam, & forum.* Sic lib. 1. *cloacis è faſtigio in Tiberim ductis.*

Cap. XXVIII. *M. Popilius Lænates.*] *M. Popillius Lænas*, ex Capitolinis lapidibus.

Eod *Cn. Fabius Buteo.*] Alio loco oſtendi *N. Fabios, Cn. Fabios* mendoſe ſcribi. Eſt profecto N. Fabius Buteo conſul anno DV. in tab. Cap. Neminem autem Cn. Fabium reperi niſi mendoſe.

Eod. *In ædem Matris Matutæ poſita.*] Lege, *in æde.* Sic libr. 40. Eodem exemplo tabula in æde Iouis in Capitolio ſupra valuas fixa eſt.

Eod. *Atque liberatis vectigalibus reſtitutis.*] Deeſſe mihi vox aliqua videtur, vt: *utque liberatis vectigalibus, & reip. reſtitutis.*

Eod. *T. Flaminij.*] *Flaminini*, vt ſupra: eſt enim filius T. Quinctij Flaminini, qui de Philippo triumphauit.

IN LIBRVM XLII.

CAp. IV. *Cn. Fabius Maſſiliæ.*] *N. Fabius*, vt dixi.

Eod. *Senatus decreuit, vt P. Furius, Cn. Seruilius, quibus ſuccedebatur, inter ſe ſortirentur, vter citeriorem Hiſpaniam prorogato imperio obtineret.*] Locus ſine dubio Mancus. Quod ex diuturna obſeruatione Liuianæ orationis intelligi poteſt. Poſſum ſexcentos proferre locos, quibus Liuius ita locutus ſit: *Compararent inter ſe, aut ſortirentur.* verum paucis quibuſdam ero contentus, quę ſunt in extremis his libris. Lib. 41. *S. C. factum eſt, vt conſules inter ſe compararent, vter eorum ad comitia habenda Romam rediret*, & hoc libr. *S. C. inde factum eſt, vt conſules inter ſe prouincias compararent, ſortirenturue.* Et lib. 43. *primo quoque tempore prouincias, aut comparare eos inter ſe Italiam, & Macedoniā, aut ſortiri placuit.* & libr. 45. *aut compararent eos inter ſe aut ſortirentur.* Cum igitur & ex his locis, & ex iis, quæ ſupra à me collecta ſunt, ſatis conſter, non conſueuiſſe dicere Liuium, *ſortiri inter ſe*, ſed *comparare*, non eſt dubium, quin legendum ſit: *Inter ſe compararent, aut ſortirentur.* præſertim vero cum ſubſequatur: *Sors opportuna fuit.* quaſi dicat: ex duabus propoſitis rationibus, vna opportuna fuit.

Cap. VI. *Cn. Lutatius Cerco.*] Puto legendum, *C. Lutatius.* neque enim *Cnæum* prænomen eſſe Lutatiorum repperi. Supra in Capitolinis conſulibus eſt, *Q. Lutatius C. F. C. N. Cerco.*

Cap. VII. *Vouerat in ea pugna ædem Iunonis Monetæ.*] Caſus dandi requiritur. ſic enim ſemper loquitur. Res exemplis non eget. *Iunoni* ergo ſcribe.

Eod. *Arma quoque tēpore fieri.*] Corrige, *arma primo quoque tempore fieri.* Nam de cōſule paulo ante dixit: *At ille arma omnibus ademit.* Quæ ergo arma à conſule Liguribus adempta fuerant, ea primo quoque tempore fieri cenſuit ſenatus, & factum conſulis improbauit. Nota dicendi forma eſt.

Cap. VIII. *Quas ob res placere ſenatui, M. Popillium conſulem Ligures precio emptoribus reddito, ipſos reſtituere in libertatē.*] Suſpicor legendum: *Quam ob rem S. C. factum eſt, placere ſenatui*, &c. Dixit enim: *Atrox res viſa ſenatui eſt, Statellates Ligures deditos in fidē populi Romani, armis & libertate ſpoliatos eſſe. Quare S. C. factum eſt, placere ſenatui, M. Popillium conſulē Ligures in libertatem reſtituere*, &c. De hoc S. C. ita paulo poſt: *Poſtulare à patribus, vt S. C. in ſe factum tolli iuberent.* Hæc autem verba, *ob eas res placere ſenatui, vt*, &c. ſolennia eſſe Senatuſconſultorum, apparet ex S. conſultis Philippicarum apud Ciceronem.

Cap. IX. *Infeſtus prætorib. Romam rediit.*] Lege, *Prætori.* A. enim Attilium intelligit. Itaque addit: *Inuectus eſt in prætorem, qui aduerſus ſe pro hoſtibus Senatuſconſultum feciſſet.*

Eod. *M. Iunius Pænus.*] *Pennus*, vt ante.

Cap. X. *Cenſores erant Q. Fuluius Flaccus, et L. Poſtumius Albinus.*] *A. Poſtumius*, ex cenſura Capitolina, & Liuio ſupra.

Digitized by Google

Eod. *Neque ab altero notatam probauit.*] Corrigo: *Neque ab altero notatā alter probauit.* Sic lib. 45. *Neq; vllius, quem alter notaret, ab altero leuata ignominia.* Hac de ratione cenſoria ſic Cicero pro Cluentio. *Atque ipſi inter ſe cenſores ſua iudicia tanti eſſe arbitrantur, vt alter alterius iudicium non modo reprehendat, ſed etiam reſcindat, vt alter de ſenatu mouere velit, alter retineat, alter in ærarios referri, aut tribu moueri iubeat, alter vetet.*

Eod. *Incœpto perſtabant.*] Diuidendæ voces ſunt, *in cœpto.* Et lib. 45. *In bene cœpto perſeuerare* ait.

Cap. XII. *Altero ad Sidenum auguſtiſſimo, & celeberrimo in templo, tertio Delphis.*] Videtur legendum *ad Delum* ex Suida, qui de Perſo ait: καὶ τούτου ἰξετέλει, ἀφηγμένῳ εἰς τε Δῆλον, καὶ Δελφούς.

Eod. *Armis vel tribus tantum exercitibus in armamentaria congeſſiſſe.*] Corrigo, *vel tribus tantis,* quo de dicendi genere libro priore dictum eſt.

Cap. XVI. *Tamen in primo congreſſu non temperauit, quin vxoris petendæ prematuram feſtinationem fratri obiiceret.*] Sic Plutarchus in apophtheg. ὁ δ' Εὐμενὴς φιλοστόργως ἀσπασάμενος αὐτὸν, καὶ πρὸς τὸ οὖς εἰπὼν μὴ σπεῦδε γῆμαι, πρὶν τεκεῖν ἴδῃς.

Cap. XVIII. *Claſſem appellero tuto, & copias per commoda exponere poſſe.*] *Percommodè*: reſpondet enim voci, *tuto.*

Cap. XX. *Columna roſtrata in Capitolio bello Punico conſule, cui collega Ser. Fuluius fuit, tota ad imum fulmine diſcuſſa eſt.*] Et hic locus mancus ita ſanari fortaſſe poſſit. *Columna roſtrata in Capitolio bello Punico priore poſita à M. Æmilio conſule, cui collega Ser. Fuluius fuit.* Hi autem conſules fuerunt anno V.C. CDXCV. de quibus Caſſiodorus, & Capitolini auctores.

Eod. *Decemuiri luſtrandum oppidum.*] Sic libro 22. prodigiis aliis ex alio loco nunciatis, tamen Ardeæ ſacrificatum ait. *Decemuiri in foro Ardeæ maioribus hoſtiis ſacrificarunt.*

Cap. XXIII. *Qui re præſenti cognoſcerent.*] *In re præſenti,* legendum. Liu. lib. 34. *Miſſurot ſe in Africam, qui inter Carthaginienſes, & regem in re præſenti diſceptarent.* Legi etiam exemplum tabulæ cuiuſdā æneæ perantiquæ in agro Genuatæ repertæ. vbi ita eſt: De controuerſiis inter Genuateis & Veiturios in re præſente cognouerunt, & coram inter eos controuerſias compoſiuerunt.

Eod. Nec ſibi aut venientibus aut mouentibus quidquam hoſpitaliter aut benigne factum.] Placet lectio Florebelli; aut venientibus, aut manentibus.

Cap. XXIV. *Stratiq; humi non ſibi magis miſericordiam, quam regi. Interrogari Guluſſam placuit.*] Expleueris ſenſum ſi ita leges: *Non ſibi magis miſericordiam, quam regi inuidiam concitarunt. Deinde interrogari Guluſſam placuit.*

Eod. *Mittendi ſe Romam qui deprecarentur.*] *Deprecaretur,* perſpicue.

Cap. XXV. *Renunciandamq; amicitiam regis miſſi.*] *Regi* legendum eſt. Sic enim lib. 38. *Decreuerūt renunciare ſocietatē Achæis.* Et lib. 35. *Pudiam Campanum T. Quintio Criſpino Romano renunciare hoſpicium.* Suet. in Caligula. *Ac ne tum quidem vltra progreſſus eſt, quam vt amicitiam ei more maiorum renunciaret.*

Cap. XXVII. *L. Porcius Licinius.*] *Licinus,* vt ante.

Cap. XXXIII. *L. Iunius Anaulus.*] *L. Villius.* vt ante.

Cap. XXXIII. *Nihil recuſare tamen quo minus operā P. R. dent.*] Inuerſæ literæ ſunt, & *R. P.* ſcribendum eſt, vt ſit *Reip. non populo Romano.* Hæc enim vſitata locutio.

Eod. *Quod bellum ſenatus Perſeo iuſſiſſet.*] Malim, *cum Perſeo.*

Cap. XXXIV. *A. M. Cælio mihi primus princeps prioris centuria eſt aſſignatus.*] Lege *à M. Acilio.* Glabrionem enim intelligit apertè eum, qui cum Ætolis bellauit, & cum Antiocho.

Cap. XXXV. *Ligurum mille millia.*] Scribe, *Ligurum M. M.* id eſt, duo millia.

Eod. *C. Decium, A. Licinium Neruam.*] Emendo. *C. Decimiū.* vterque enim horum poſt prætor fit. Decios præterea hoc prænomine vſos non comperi.

Cap. XL. *Abrypolim ſocium, atque amicum populi Rom. regno expuliſti.*] Huius rei hiſtoria excidit apud Liuium. Priore autem libro, quo in loco de origine Perſici belli agebat, vt puto eam tradidit: præſertim vero cum in epitome eius libri hæc verba ſint: *Initia belli Macedonici cōtinet.* miſerat ad Carthaginiēſes legationem, & ab iis nocte audita erat. Sed & alias Græciæ ciuitates ſolicitabat, qui præter religionem, quod quam multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Iouis Olympij, & Antiochiæ Capitolini, viliſſimum regem egit. Narrat autem Pauſanias in Achaicis, eum Perſeus fœdus, quod ſibi cum Romanis erat, violandum eſſe decreuiſſet, Abrupolim Sapenſium Regem aggreſſum eſſe, & populi Rom. ſocios vexaſſe. Verba ſunt hæc: Περσεὺς γὰρ τοῦ Φιλίππου πρὸς Ῥωμαίους ἄγειν τὴν εἰρήνην κατὰ συνθήκας, ὡς ὁ πατὴρ, ὁ Φίλιππος ἐποιήσατο, ἐπέλθων ἐπιχειρήσας τοὺς ὅρκους, καὶ ἐπί τε Σαπαίων τὸν βασιλέα Ἀβρούπολιν στράτευμα ἀγαγὼν ἐποίησεν ἀνάστατον Ῥωμαίων σύμμαχον ὄντα.

Eod. *Ex quo regnum adeptus es, vnam rem te, quæ facienda fuerit, ſenatus feciſſe cenſet, quod legatos Romam ad renouandum iudicat potius, quam cum renouatum eſſet, violandum.*] Hoc modo perfici hęc ſententia videtur poſſe. *Quod legatos Romam ad renouandū fœdus miſeris: quod ipſum tamen tibi non fuiſſe renouandum iudicat potius, quàm cum renouatum eſſet violandum.* Fecit enim iteratio huius vocis *renouandum,* vt librarius à priore ad poſteriorem tranſierit, verbis mediis prætermiſſis.

Eod. *Pro paterno noſtro hoſpicio ſuaeo orationi tuæ.*] *Rationi* lego, id eſt, cauſæ. etenim ſic ſequitur: *& opto vt aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud ſenatum cauſæ.* Videtur autem litera o, ex fine vocis, *ſuaeo* repetita.

Cap. XLIII. *Legati Romani in Bœotiam comparati ſunt.*] *Comparare legatos* dixit, vt *comparare conſules & cenſores,* id eſt, vt alibi dixit, legere, & in legationem conicere.

Cap. XLVII. *Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum vitæ eius inſidiantem, eadem Faliſcis vinctum traditum proditorem liberorū regis.*] Alios ſequi videtur auctores, quam quos ſequutus eſt lib. 6. vbi de magiſtro proditore loquitur: non enim liberos eos fuiſſe regis ſignificat, ſed principum Faleriorum. Idem tradit Plutarchus.

Cap. XLIX. *Cuius imperio, conſilioq; ſummam P. R. tuendam permiſerant.* Inuerſæ literæ ſunt, *Reip.* legendum eſt, non *populi Romani.*

Cap. L. *Aliquam diuerſit ſententiis certatum eſt.*] *Aliquamdiu diuerſis.*

Eod. *Dum integræ res ſint apud animū ſuum Perſea debere, vtrum ſingula concedendo.*] Imperfectum ſenſum ita expleueris. *Dum integræ res ſint, cogitare apud animum ſuum Perſeu debere.*

Cap. LI. *Hippias Bereus.*] *Berœus,* vt ante.

Eod. *Antiphilus Ediſſaus.*] *Edeſſeus,* ab *Edeſſa* Stephanus.

Eod. *Ex Paroria.*] *Parorea,* Græce Παρόρεια, ſic ante.

Cap. LII. *Sextus & viceſimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat.*] Lege, *tertius & viceſimus.* Tot enim numerantur à P. Cornelio, Ti. Sempronio Cos. Error ex notis manauit, III. & VI. ex duobus enim II. V. factum eſt.

Eod. *Qui tricenos equites habeant.*] Corrigo *trecenos,* quod eſt æque, ac trecentenos, ſic paulo poſt: *Non plus quam CCC. equites erant in caſtris Romanis.* ſic libro priore: *Quina millia, & duceni pedites, et trecenti equites.*

Eod. *Incognitum fama aperuerint armis orbem terrarum.*] *Fama.* perſpicue.

Cap. LIII. *Tantum iuſſis ad iter parare.*] *Parari,* perſpicue.

Eod. *Pytaeum, & Dolychene.*] Πύθιον vocant Plutarchus in Paullo, & Stephanus. Quare lego, *Pythium.*

Cap. LIV. *Cyrethias oppugnare coactus.*] *Conatus,* perſpicue.

Eod. *Veluias & Connum.*] *Elatiam & Gonnum.* De vtriſque dictum eſt ante ex Stephano.

Cap. LV. *Philetero fratre relicto Pergami.*] *Philetaro,* de quo Appianus in Syriaca.

Cap. LVII. *Perſeus ferme diei quartu.*] Lego, *Perſeus hora ferme diei quarta*: neque enim in eiuſmodi ἐλλείψει adhuc apud Liuium incidi, paulo poſt *ante horam quartam.*

Cap. LVIII. *Midon Bereus.*] *Milo Berœus.* Plutarchus enim in Paullo Μίλωνα nominat.

Eod. *Equitibus & ſummæ partis eius Meno Antigonenſis præerat.*] Legendum *parti,* non *partis.*

Eod. *Patrocles Antigonenſis hic.*] Legendum *his,* id eſt, auxiliis gentium præerat.

Eod. *Proconſul intra vallum.*] Lege, *conſul* perſpicue.

Cap. LIV. *Vt vſa belli, & ingenio impauida gens turbaretur. Gladiis haſtas petere pedites. Nunc ſuccidere crura equis, nunc illa ſuffodere.*] Suſpicor coniungenda eſſe verba, *gladiis haſtas petere pedites, nunc ſuccidere,* nam hæc omnia peditum ſunt in equites opera, vt alij haſtas eorum gladiis peterent, alij crura equis ſuccidérent, alij ilia ſuffoderent.

Eod. *Cum erdinutis, & certo incidentibus grada.*] Lego, *inceſſu.*

tibus, vt lib. 22. *Cum ſignis prima luce motis ſegniter agmen incederet*. Et Ouidius lib. 2. Metamorph. *Incedere paſſu*, dixit.

Eod. *Si adiuuiſſet, Debellatum eſſet.*] *Debellaturus*, vt legatur, ſenſus poſtulat.

Eod. *Ne audaci cœpto deeſſet.*] *Deeſſent*. refertur enim ad Hippiam & Leonatum, non ad phalangem.

Cap. LX. *Concidere eo die ab Romanis ***cc.** *equites*, &c.] Summam colligit omnium Plutarchus in Apophthegmatibus, duo millia octingentos, qui aut cæſi aut capti ſint.

Cap. LXI. *Ad Mopſelum caſtra poſuit.*] Mopſium lego, ex Stephano: Μόψιον πόλις τῆς Πελασγίδος χώρας Θετταλίας Στεφάνων ἐνάτα.

Cap. LXII. *Agris locisq; quibus Philippus ceſſiſſet, ceſſurum primum.*] Pro *primum*, repono *Perſeam*, euidente ſenſu. nam dixit etiam: *Vectigal quantum Philippus pactus eſſet, daturum Perſea Romanis pollicentes.*

Eod. *Ita pacem dari, ſi de ſumma rerum liberi ſenatui permittat rex de ſe, deque vniuerſa Macedonia ſtatuendi ius.*] Eadem ſententia eſt apud Plutarchum in Apophtheg. P. Licinij conſulis.

Eod. *Ut incendio intercepti ab hoſte.*] Legit Florebellus, interſæpti. quod eſt melius.

Cap. LXIV. *Atq; ita media nocte profect⁹, vt prima luce aggreſſus falleret, nequicquam primæ ſtationes oppreſſo tumultu, ac terrore ſuo ceteros exciuerunt.*] Duas puto voces deeſſe huic ſententiæ quod apparebit, ſi ita legeris: *Atque ita media nocte profectus, vt prima luce aggreſſus falleret, nequicquam tentauit: nam primæ ſtationes oppreſſæ, tumultu ac terrore ſuo cæteros exciuerunt, ſignumq; datum eſt arma extemplo capiendi.* Aliter ſi legas, nullum elicies ſenſum.

Cap. LXV. *Phalanneum agrum.*] *Phalannæum*. Steph. Φάλαννα, Φαλανναῖος.

IN EPITOMEN LIB. XLIII.

PRætores nonnulli.] Vet. lib. *Prætores aliquot.*

Captiui, qui ab eo venierant.] Vet. lib. *Qui ab eo ſub corona venierant.*

Res præterea à Perſeo rege in Thracia proſpere geſtas continet, & victis Dardanis, & Illyrico cuius rex erat Gentius, motus, qui in Hiſpania ab Olonico factus erat ipſo interempto, conſedit.] Veteres lib. habent, *ab Elonico*. lib. 40. extremo *Cloadicus* dicitur; vt dixi mendoſe, dux enim Baſtarnarum fuit. qui in Dardaniam venerant, atque ibi manſerant, à Philippo rege excitati. Quare pro *Hiſpania*, *Pæonia* lego. Eſt enim *Pæonia* Dardaniæ continens, vt ait Liuius libro 45. in ea igitur cum bellum excitaret, interfectus à Perſeo rege ſignificatur.

A Præfectis claſſium.] Vet. lib. *Item à præfectis claſſium.*

IN LIBRVM XLIII.

CAp. I. *Legatus in Illyricũ à conſule miſſus.*] Puto deeſſe huius legati nomen, niſi intelligamus *Q. Mucium*, de quo paulo ante dixit lib. 42. extremo: *Q. Mucium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam miſit.* Quem tamen eodem libro tribunum militum appellauerat. *Duo conſulares*, inquit, *tribuni militum cum eo miſſi C. Claudius, Q. Mucius.*

Eod. *Ne duabus oppugnationibus nequicquã fatigatus miles eſſet, quam primus intactam vrbem reliquerat, diripuit.*] Corrigo, *quas primus intactas vrbes*. Nam dixit: *opulenta duo opida vi atque armis coegit in deditionem, omniaq; iis ſua conceſſit.* Item: *ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles eſſet.*

Eod. *Legati ij profecti M. Cornelius Cethegus, M. Fuluius, P. Marcius Rex.*] Corrigo, *Legati III. profecti*, id eſt, legati tres profecti. Sic lib. 41. *In Macedoniã quoque mittendos legatos ſenatus cẽſuit. Tres miſſi ſunt: C. Lælius, M. Valeri⁹ Meſſala, Sex. Digiti⁹.*

Cap. IV. *Tantum pauorem ingreſſi.*] Hoc loco deſiderantur comitia conſularia, quibus A. Hoſtilius Mancinus & A. Atilius Sarranus conſules facti ſunt. Hoſtilio Macedonia euenit: Atilio Italia. Item comitia prætoria cum ſortitione prouinciarum. Ad hæc vero deſunt res à P. Licinio proconſule in Macedonia geſtæ. Qua de re ſic in Epitoma: *P. Licinius Craſſus proconſul complures in Græcia vrbes expugnauit, & crudeliter diripuit.* quamquam ex Liuio videtur legendum *conſul*, non *proconſul*, quia ait paulo poſt: *Quo crudelius auariusque in Græcia bellatum, & ab conſule Licinio, & ab Lucretio prætore erat.* Accedit, quod prorogatio imperij in P. Licinio non fuit neceſſaria, cum A. Hoſtilius conſul hoc anno cum imperio in Macedoniam venerit, atque ibi hoc tempore eſſet. Loquitur hîc de quodam prætore, qui hoſtes ſiue ſanguine domuit. deinde qui à P. Licinio conſule in ſeruitutem adducti erant reſtituros in libertatem exponit. Qua de re ſic in Epitoma: *ob id captiui, qui ab eo ſub corona venierant poſtea reſtituti ſunt.* Poſt autem, quæ à L. Hortenſio prætore auare & crudeliter in ſocios facta ſint, exponit. de quibus ſic in opiroma: *Item à præfectis claſſium Romanorum multa impotenter in ſocios facta.* Si qua alia hoc loco deſiderentur, paulo poſt indicabo.

Eod. *Tritici decies centum millia, et hordei quinquaginta.*] *Quingenta*. corrige. Sic enim locutus eſt de iiſdem Cartaginienſibus lib. 36. *Hordei quingenta millia.*

Cap. V. *Hiſtrorum & Iapidum.*] Græci Ἰάποδες. Tabulæ Capitolinæ *Iapudes* edunt.

Cap. VII. *Miccion princeps eorum.*] *Mictio* ex Plutarcho in Paullo, vt ante.

Eod. *Qui excidiſſent, Emathiã, Amphipolim, Maroneam, Æneum, incolumes eſſe.*] Malim, *Quæ* ſunt enim hæc vrbiũ nomina.

Eod. *Quibus nihil dicere, neque penſi, neque facere.*] Malim, *neque penſi ſit*. vt lib. 42. *Id illi cui nihil penſi ſit, facile eſt.*

Cap. VIII. *M. iuuentius Talaa.*] *M. Iuuentius Thalna*, ex conſulatu Capitolino.

Eod. *Quem non poſſe exiſtimare.*] Niſi cum interrogatione legas, nullus erit ſenſus.

Cap. IX. *Milites duarum legionum intra dies LX. quam in prouinciam venit, dimiſit.*] *Dimiſit*, lego. Nam præcedit: *Satis explorata pace eius anni*, De conſule A. Atilio loquitur.

Eod. *Ad Lychnydam.*] Græci enim Λυχνιδόν.

Cap. XI. *M. Sulpicius Gallus.*] *C. Sulpicius* ex prætura conſulatu eius.

Eod. *Quod Marcius Philippus iterum, Q. Seruilius Cæpio.*] *Cn. Seruilius* ex conſulatu Cap. & Caſſiodoro.

Eod. *Sacerdotes intra eum annum mortui L. Flamininus, duo Põtifices deceſſerunt.*] Deeſt nomen ſacerdotij, quo præditus erat Flamininus: erat autem augur factus in locum P. Furij Phili anno DXXXVIII. quare *L. Flamininus augur* legendum.

Cap. XII. *Tribunos iis non permiſſum vt conſules facerent, populus creauit.*] Corrigo *Tribunos mil. non permiſſum.*

Cap. XIV. *P. Mucius Scæuola, C. Iunius Brutus.*] Scribe, *M. Iunius Brutus*. Qui enim cenſuram petebant, hoc tempore cõſulares erant. Conſul autem fuit. *M. Iunius Brutus*, non *Caius*, ex conſulatu eius Capitolino & Caſſiodoro.

Eod. *Id prætoribus magna patrum non ſine ſuggillatione conſulum mandatum eſt.*] Deeſt huic ſententiæ vox vna; vt *magna patrum conſenſione.*

Eod. *Quotieſcunque delectus erit, quem hic cenſores magiſtratum habebunt, ſi miles factus non eris, in delectu prodibis.*] Voces, *quem hic*, mendoſe ſunt. mihi reponendum pro iis videtur, *quicumque*. Errauit librarius, quia ſcriptum legit, *huic* & in *quem hic* mutauit. Reſpondent autem hæc inter ſe, *quotieſcumque*, & *quicumque*. Porro autem: *in delectum*, lego vt paulo ante, *ad delectum prodito.*

Cap. XV. *Quod ſine dolo malo facere poteris.*] Nota interrogationis addenda eſt.

Cap. XVI. *Tribunum pl. Rutilium.*] Ego: *Tribunum pl. P. Rutilium*. Sic enim etiam lib. ſequenti vocatur.

Eod. *Periculum Graccho non eſſe conceptis verbis iurauit.*] Diſtinguenda verba ita, vt intelligamus, plebe acclamãte periculum Graccho non eſſe, Gracchum conceptis verbis iuraſſe. Ita enim factum eſſe tradunt etiam cæteri.

Cap. XVII. *Eo anno poſtulantibus Aquileienſium legatis, vt numerum colonorum augeret, M. & D. familiæ ex S.C. ſcripta.*] Perſpicue: legendum eſt *poſtulantibus à ſenatu Aquileienſium legatis*. Nam ſequitur: *augeret, & ex S.C. ſcripta.*

Eod. *Tyrrei concilium legatis Acarnanes dederunt.*] Lege, *Thyrij*. Stephanus: Θύρειον πόλις Ἀκαρνανίας.

Cap. XVIII. *Cũ a Thracia pacẽ Coryt, ab Epiro Cephalus repẽtina*

Digitized by Google

defectione à Romanis præſtarent.] De Cotye rege Thraciæ, & vt ipſe ait, Odryſarum, alij multi. De Cephalo Acarnaniæ duce. Sic Strabo lib. 10. φασὶ τοὺς ταφίους, καὶ τοὺς Τηλεβόας λεγομένους οἰκεῖν τὴν Ἀκαρνανίαν πρότερον, καὶ τὸν ἡγεμόνα αὐτῶν Κέφαλον. Fuere autem hæc multorum regulorum nomina, non vnius duntaxat.

Eod. *Dardanos recens domuiſſet bello.*] Pars ea, quæ Perſeum domuiſſe Thracas, & Dardanos tradebat Liuius, deſideratur in ſuperiore huius libri fragmento. *Nam in epitoma etiam eſt: Res præterea à Perſeo rege in Thracia proſpere geſtas cõtinet, & victos Dardanos & Illyrico, cuius rex erat Gētius.* Reliqua igitur omnia de Thracia & Dardanis ibi tractabantur: nunc res Illyricas exorditur, cũ ait: *Solũ infeſtum eſſe Macedoniæ latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, neque ipſis quietis Illyriis, et aditũ præbentibus Romanis, ſi domuiſſet proximos Illyriorum, Gentium quoque regem iamdiu dubium in ſocietatem perlici poſſe.* Ex his autem, & quæ ſupra dixi intelligi poteſt, multas paginas eo loco intercidiſſe.

Eod. *Ad Vſcana.*] Infra ſemper *Vſcanam* edit.

Cap. XXI. *Phanotem Epiri caſtellum.*] Hoc oppidum Φανότια, Φανότη, καὶ Φανοτεὺς dictum eſt, auctore Stephano, quibus modis variauit etiam Liuius.

Cap. XXIII. *Nec tamen impetrare ab animo poſſet, vt impenſam in rem maximi ad omnia momenti faceret.*] Corrigo: *Nec tamen impetrare ab homine poſſet.* Loquitur de Perſeo rege, qui impetrare ab animo ſuo non poſſet, vt pecunia Gentium in ſocietatem ſuam alliceret. Cæterum quæ de Elonico traduntur in epitome à Perſeo facta eſſe, hîc deſiderantur. Itaque finis libri eſt aſteriſco ſignandus.

IN EPITOMEN LIB. XLIV.

P*Er ſaltus penetrauit.*] Vet. lib. *Per inuios ſaltus penetrauit.*

Paullus in concione precatus eſt, vt quicquid diri populo immineret, ſupra domũ ſuam conuerteretur, et in Macedoniam profectus Perſeum vicit.] Qui epitomam hanc ſcripſit, parum accuratè videtur Liuiana verba legiſſe: neque enim in concione, quam Paullus habet, antequam in prouinciam exeat, quicquam tale inuenitur. Immo Paullus ait, ſe tali vſum eſſe precatione, poſtquam Perſeum vicerat. Verba eius ſunt in oratione ad Quirites poſt triumphum lib. 45. Poſtquam omnia ſecundo nauium curſu in Italiam peruenerant, neque erat, quod vltra precarer, illud optaui, vt cum ex ſummo retro volui fortuna conſueſſet, mutationem eius domus mea potius, quam Reſp. ſentiret. Item Valerius lib. 5. cap. 10. Paullus, inquit, in oratione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit. Cum in maximo prouentu felicitatis veſtræ Quirites timerem, ne quid mali fortuna moliretur, Iouem Opti. Max. Iunonemque reginam & Mineruam precatus ſum, vt ſi aduerſi quid populo Rom. immineret, totum in meam domum conuerteretur. Ergo neque antequam in Macedoniam iret, neque in concione ita precatus eſt.

Antequã confligeret, dixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura eſſet.] Hæc nõ Paullum dixiſſe, ſed C. Sulpicium Gallum tribunum militum tradit Liuius, & Valerius lib. 8. cap. 11. Itaque legendum eſt: *Antequam confligeret C. Sulpicius Gallus tribunus mil. dixit.* In veteribus autem libris eſt *prædixit exercitui, ne miraretur, quod luna defectura erat.*

Quærentes de Antiocho rege, quod is bellum inferret.] Vet. libr. *His*, id eſt, Cleopatræ, & Ptolemæo.

IN LIBRVM XLIV.

CAp. I. *Cum arma, viros, equos, cum cura inexiſſet.*] Mantuanus, *inſpexiſſet.*

Eod. *Et primus eorum congreſſus ex dignitate eorum ipſorum, ac Romani nominis, & in rebus deinde gerẽdis. Proconſul enim ad exercitũ paucis poſt diebus conſul concionẽ apud milites habuit.*] Nonnulla hîc deeſſe vnuſquiſque ſentire poteſt, quorum hæc videtur fuiſſe ſententia: *Primus eorum congreſſus ex dignitate eorum ipſorũ, ac Romani nominis, & in rebus deinde gerẽdis ſummè vtilis Philippo conſuli fuit. Proconſul enim ad exercitum cõuerſus eum ad rem fortiter gerendam hortatus eſt, eoque conſuli tradito Romam reuerſus eſt. Paucis poſt diebus cõſul concionẽ apud milites habuit.* Locutum hîc eſſe de traditione exercitus apparet, cum ſubdit: *Profectus decimo die poſtquam exercitum acceperat, caſtra mouit.*

Cap. II. *Summotis iis quam potiſſimum peteret, retulit ad concilium.*] Legendum eſt *Qua*, vt: *Quà quiſque dicturus eſſet*, niſi *viã* addere malimus, vt paulo poſt, *quod iter petiturus eſſet, ignarus.*

Cap. III. *Interim conſuli ſententia ſtetit eo ſaltu ducere, vbi propter Octolopum diximus regis caſtra. Præmitti tamen.*] Locus mancus ita reſtitui poteſt: *vbi propter Octolophum diximus regis caſtra Philippi fuiſſe. Præmitti tamen.* Librarius enim oculos à Philippi tranſtulit ad præmitti, ob quãdam ſimilitudinem literarum: rem autem ita habuiſſe, intelligi poteſt ex lib. 31. vbi de rege Philippo cum Quintio dimicante agitur.

Cap. V. *Tertio inde die per æquè inuia.*] *Quarto* legendum, priore enim verſu dixit, *Tertio die coniunctis copiis eunt*, et ſupra: *poſteri dies* meminerat.

Eod. *Quod nec hoſtis vnquam apparebat.*] *Vſquam*; perſpicuè.

Eod. *Digreſſi in campos.*] *Degreſſi*: nam de deſcenſu loquitur, non diſceſſu, vt ſupra.

Cap. VI. *Et quæ temeritas conſulis videri potuiſſet, quod eò proceſſiſſet, vnde inuito hoſte regredi nequiret, eam non conſultam audaciam fecit.*] Legendum *Non inconſultam audaciam.* Nam contrarium temeritati quærimus, præterea ſupra eandem ſententiam protulit. Nec aliud reſtabat, quam audacter commiſſum pertinaci audaciæ, quæ prudens interdum in exitu eſt, corrigere. Quam ergo ibi *prudentem audaciam*, hîc *non inconſultam* vocauit.

Cap. X. *Perſeus tandem pauore, eo quo attonitus fuerat, recepto animo, mallet imperiis ſuis non obtemperatum eſſe.*] Malim, *à pauore recepto animo.* alibi, *collecto à pauore animo.* &, *Collectus ex nec opinato pauore animis.* Corrigo etiam *Malle*, pro *mallet*, iuxta notam figuram dicendi.

Cap. XI. *Canaſtreum.*] *Canaſtræum.* nam Græcè Καναστραῖον.

Eod. *Et M. Millia Peneſtarũ.*] *M. M.* ſcribe id eſt, *duo millia.*

Cap. XIII. *Per Cydantem Cretenſem.*] *Cydas, Cydam* edit. Itaque *Cydam Cretenſem* dixit Cicero Philip. 5.

Cap. XIV. *Et pene victoria vtique de Antiocho rege maiore parte à ſe vindicata.*] Corrige, *ad ſe vindicata.*

Cap. XV. *Literaſque ex templo ad vtrãque gentem ſcirent indicatum mitti.*] Scribe, *vt ſcirent indicatum.* Cauſam enim affert, cur ſenatus iuſſerit extemplo literas ad Caras, & Lycios de libertate mitti, vt Rhodij, inquit, legati qui id ægre laturi erant, ſcirent ſcriptum eſſe.

Cap. XVI. *Ibi & ex aliis locis commeatus rempublicã proſpectos in hyemem habere.*] Vox *Remp.* vitioſe eſt. Sæpe autem admonui, quam facile, & quam ſæpe lapſi ſint librarij in his vocibus *P.R.*, & *R.P.* & *PR.* id eſt, *Populus R. Reſp. Prætor*, inuerſis, aut disiũctis, aut coniunctis, contra quam opus erat, literis. Hoc ergo loco idem vitij eſt, pro Rempublicam reſtituendũ eſt, *à prætore*: prætorem autem intelligit C. Marcium Figulũ claſſis præfectum, cui commeatus cura erat tradita. Itaque paulo ante dixerat: conſuli poſtquam ex alto conſpecta claſſis ſpem fecit cum commeatu naueis venire.

Eod. *Equis CI͡C. fermè opus eſſe.*] CI͡C. numerus Manutio eſt ſuſpectus, & ∞ reponit; vt mille equis, opus eſſe ſcribat.

Eod. *Is pacis ſemper auctor regis fuerat.*] Scribe, *Regi.* Sic enim Latina locutio poſtulat.

Eod. *Qui tribunos pl. eos vehementer accuſaret.*] *Accuſarat*, perſpicuè.

Cap. XVII. *S. C. Sulpicius Pr. ad conſulem paucos poſt dies recitauit, quos ante diem in vrbem venturum, & conſul maturauit.*] Fœde corruptus locus eſt, & aſteriſco notandus. ſententia eſt: prætorem conſuli S. C. recitaſſe, conſulem ſe in vrbem ad certam diem venturum, & comitia habiturum edixiſſe, paucisque poſt diebus & ipſum maturaſſe, & comitia eo die, qui dictus erat, eſſe perfecta. Sic lib. 9. profectique ad Fabium conſulem legati, cum S. C. tradidiſſent.

Eod. *Conſules creati L. Æmilius Paullus iterum ſeptime decimo anno, poſt quam primo conſul fuerat.*] *Quarto decimo*, ſcribendum, tot enim anni numerantur à priore conſulatu Pauli ad poſteriorem. Error ex notis numerorum emanauit, xiv. & xvii. duo enim ii. in v. mutata ſunt. Præterea primum, non primo, in hoc genere dicendum eſt. ſic enim vbique alias.

Eod. *Cn. Bæbius Pamphilus.*] *Tamphilus*, vt ſupra.

Eod. *M. Æbutius Helua.*] *M. Æbutius Elua*, vt ſupra.

Eod. *Bis in exitu anni eius lapidatum eſſe, &c.*] Manutius ex ingenio reponit, *Semel.*

Eod. *Bis ex curſu Dyrrachium eiectos.*] Manutius legit, *reiectos.*

Cap. xviii. *Et comperta referenda, quid aut terreſtribus, aut nanalibus copiis opus eſt.*] *Opus eſſet*, aperte legendum.

Eod. *Cn. Domitius Ænobarbus.*] *Ahenobarbus*, vt ſupra.

Eod. *Et ne quid profectionem ſuam teneret. pridie Idus Aprilis Latinas eſſe conſtitutam diem.*] Paolo poſt autem ait: Latinas fuiſſe prid. K. Aprilis, ſic enim inquit: *Ab hac concione Latinis, qua pridie Kal. Aprilis fuerunt in monte ſacrificio ritè perpetrato.* Aut ergo mendum eſt, aut diem Latinis prætulit.

Cap. xix. *Sacrificio ritè perfecto, primi Alexandrini legati.*] Sacrificium hic non Latinarum intelligit, ſed ſolenne ſacrum, quod conſules ſuſcipiebant ineuntes, antequam de rep. referrent, aut agerent: at paulo ante cum dixit: *Sacrificio ritè perfecto, ſe, & Cn. Octauium ſimul ſenatus cenſuiſſet, exituros eſſe*, ſolenne Latinarum intelligit.

Eod. *C. Popilium Lanatem, & C. Decimium, C. Hoſtilium.* Scribe *Lanatem, C. Decimium, & C. Hoſtilium.* Sic enim loquitur paulo poſt iti iiſdem legatis nominandis.

Cap. xx. *In ocio militem ali, nec plus quam vi. frumentum habere.*] Suſpicor legendum eſſe: *nec plus quam ſex dierum frumentum habere:* ſiquidem iam hyems exacta erat, in quam commeatus parati fuerant à prætore. Iam enim conſulatum inierat Paulus Idibus Martus, omnia autem imminuunt legati.

Cap. xxii. *Rumores credulitate veſtra ne alatis.*] Hanc ſententiam pariter expreſſit Plutarchus in concione Pauli οἱ δὲ ποιεῖτ᾽ αὐτῷ, καὶ παραστρατηγεῖν μηδὲ λογοποιεῖν, ἀλλ᾽ ἡσυχῇ συνῇ τὸ δέοντα περὶ πόλεμον.

Eod. *Primũ a prudentibus, & proprie rei militaris peritis, & vſu doctis monendi imperatores ſunt, deinde ab iis, qui interſunt gerẽdis loco, qui hoſtem, qui temporum opportunitatem vident.*] Suſpectam habeo hanc lectionem, *qui inter ſunt gerendis loco, qui hoſtem.* Malim ita: *Qui interſunt gerendis rebus, qui loca, qui hoſtem.*

Cap. xxiii. *Medeone Labeatidis terræ.*] *Medione*, vt ante dixi ex Stephano. Quamquam Polybius lib. i. Μεδιωνίους vocat, non Μεδιωνίους.

Cap. xxiv. *Verùm occultiora quædam agebantur, quæ in præſentia inuiſum quidem, & ſuſpectum Romanis eumenem falſis grauioribus. Proditor enim.*] Manca ſententia eſt. Duas has voces aut his ſimiles intercidiſſe puto: *Falſis grauioribus criminibus onerarunt.* Quæ hæc crimina grauiora ſunt exponit. Proditor enim ac prope hoſtis habitus.

Cap. xxv. *Neque bello eum inuadere animo habuit.*] Lege, *in animo habuit.* ſic enim paulo ante: *Extrahere eius tempus æſtatis in animo habebat.*

Eod. *Nam modo ne iuuaret bello Romanos, modo pacis patrandacum Romanis paciſcebatur mercedem, ne bello intereſſet M. & D. in vtroque non fidem modo ſe. ſed obſides quoque dare paratum eſſe oſtendebat.*] Inſcite interpuncta verba deprauant omnem hanc ſententiam. Eſt autem ita diſtinguendum · *Paciſcebatur mercedem ne bello intereſſet, mille & quinquaginta talenta.* Inde: *In vtroque non fide modo ſe.* Vtrumque autem intelligit, ne Romanos bello iuuaturum, & pacem cum Romanis ei comparaturum. Sic paulo poſt ccc. talenta Gentio ob belli ſocietatem à Perſeo promiſſa ait.

Cap. xxvi. *Circa Deſudabam in Medica exercitus Gallorum conſederat, mercedem pactam opperiens.*] *Madica*, vt ante ex Græcis. Hac de re Plutarchus item in Paullo, vbi ait: οἱ δὲ περὶ τὴν Μαιδικὴν κατεστρατοπεδευκότες ἐμμισθοι τοῖς περὶ τὸν βασιλέα, &c.

Eod. *Ab Actio flumine.*] *Ab Axio.* Sic paulo ante: notum flumen eſt.

Eod. *Clondicus regulus eorum, abi renunciata ergo, inquit.*] Baſtarnæ, quos Philippus rex exciuerat, Clondico duce venerant, vt lib. 40. traditum eſt. Quem interfectum fuiſſe à Perſeo ſcriptum eſt in Epitoma lib. 43. Iterum nunc Clondico duce Baſtarnæ à Perſeo accerſiti veniunt. Ex quo intelligi poteſt, hoc nomen apud eos eſſe celebre. Quoniam autem ante diximus, Elonicum videri in eo eſſe legendum, idem de hoc etiam affirmamus.

Cap. xxvii. *Apparebat in omnib.*] Florebellus remouet vocem, *in.*

In ipſis quoque Romanis de ſe cogitandum fuiſſet, quando neque manere amiſſa Theſſalia, vnde exercitus alebatur potuiſſent. neque progredi, cum ex aduerſo caſtra Macedonum, qui ea pependerant ſpe, haud mediocriter debilitauit.] Nemo eſt, qui non ſentiat ſenſum hunc non expletum vndiq; eſſe, quod verba quædam interciderant, nunc quemadmodum expleri poſſit, accipiant: *Perſei regis auaritiam coarguit, qui innumerabiles copias Baſtarnarum, quibus facile Romanum exercitum opprimere potuiſſet, ne ſumptum faceret, dimiſit. Quod ni feciſſet*, inquit, *cogitandum ipſis Romanis de ſe fuiſſet, quando neque manere amiſſa Theſſalia potuiſſent. vnde alebatur exercitus eorum, neque progredi, cum ex aduerſo caſtra Macedonum eſſent. Quo facto Perſeus*, inquit, *Romanorum animos confirmauit, & Macedonum, qui ea pependerant ſpe haud mediocriter debilitauit.* Eadem ſententia iteratur etiam paulo poſt: *Quæ res Romanis auxit animos, Macedonibus, regiq; eorum haud mediocrem attulit terrorem.* Librarius in errorem inductus eſt à duabus illis vocibus *Macedonum*, ab vna enim ad alteram, mediis verbis præteritis, tranſiit.

Eod. *Cum aſſidue Pantauco ad laceſſendos hoſtili facto Romanos ſtimularetur.*] Legendum eſt, *a Pantauco.*

Eod. *M. Perpennam, & L. Petilium legatos, qui tum ad eum venerant, in cuſtodiam coniecit.*] *Perpernam & Petillium*, ex Capitolinis & Græcis monumentis eſt ſcribendum. De his legatis ſic Plutarchus in Paullo: πρέσβεις δὲ ἥκοντας Ῥωμαίων περὶ αὐτὸν συλλαβὼν ἐν φυλακῇ. Appianus in Illyrica hoc factum à Gentio ait, qui diceret, eos nõ legatos, ſed exploratores ad ſe veniſſe.

Eod. *In totum profecuit.*] *Intum* lege.

Cap. xxviii. *Ad Sigium.*] *Sigeum:* Græce enim Σίγειον.

Cap. xxx. *In Cauuiis Durnium oppidum.*] *Burnium.* Ptolemæus enim meminit oppidi Illyrici nomine Βούρνον. Et Plin. lib. 3. populorum Burniſtarum in Illyrico.

Eod. *Bullianorum, Appolloniatium.*] Lego *Bulinorum*, qui fuit auctore Stephano populi ad Illyrium. Βυλῖνοι, inquit, ἔθνος τῆς Ἰλλυρίας.

Eod. *Ad ea, quæ habebat auxilia Parthinorum iuuentutis duobus millibus peditum, & equitibus* cc.] Suſpicor adendam vocem ita. *Aſſumptis Parthinorum iuuentutis duobus millibus.* Sic enim paulo ante, *Aſſumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bulinorum auxiliis.*

Eod. *Tum claſſis.* De rebus ab Anicio prætore geſtis aduerſus Gentium regem Illyriorum dicere cœperat. Eas igitur hoc loco perſequebatur, maxime vero eas quas mari geſſerat, quas ita ordiebatur, *Tum claſſis.* Deſideratur etiam initium rerum earum, quas terra geſſit. nam de deditione vrbium loquitur, cum ait: *Die toto ei tradiderunt ſe.*

Cap. xxxi. *Etleuam vxorem.* Paolo ante vxorem Gentij regis *Etutam* vocauit. Videndum an vnam hanc habuerit.

Eod. *Scerdilio, Pleuratoq;.*] *Scerdiletum* libris ſuperioribus dixit. Eſt enim nomen regulis Illyricis familiare.

Eod. *Pythoi, & Petra.*] *Pythij*, vtriuſque meminit Plutarchus in Paullo.

Eod. *Theogenes, & Midon.*] *Milo*, vt ante ex Plotarcho.

Eod. *Bello Illyrico intra xxx. dies profecto.*] Diebus xx. perfectum ſcribit Appianus.

Eod. *Miletuſſus ex piopinquis ſyluis.*] Orſus erat dicere, quæ Perſeus rex ad famam aduentus conſulis Paulli paraſſet, cuius narrationis pars extrema intercidit. vna cum initio expoſitionis eius, qua quæ Paullus moliri cœpit, vbi in Macedoniam peruenit, prodit. primis autem his verbis: *Poſtremo ſequi ſe vtrarios ad mare*, quemadmodum inopiam aquarum leuauerit in Olympo monte tradit. Quæ res etiam ex Plotarcho in Paullo peti poteſt.

Cap. xxxiv. *Militem hæc tria curare debere. corpus, vt quam validiſſimum & perniciſſimum habeat, arma apta, cibum paratum ad ſubita imperia.*] Vox *cibum*, aperte mendoſa eſt. Ego *Animum*, reponendum puto. Hunc locum ſic Græce vertit Plutarchus: Παρήγγειλε μηδὲν πολυπραγμονεῖν, μηδὲ φροντίζειν, ἀλλ᾽ ὅ τὸ

Digitized by Google

ἑαυτοῦ, καὶ τὴν πανοπλίαν ἔχοντα, ὅπως ἐνεργὸν τηρήσει, καὶ χρήσηται Ῥωμαίοις τῇ μαχαίρᾳ τοῦ κρείττονος τοῦ στρατοῦ.

Cap.xxxv. *Notum eſſe. Quares Romanis auxit animos.*] Hic narrabantur ea, quæ Perſeus poſt Paulli aduentum, aduerſus eum ſe comparans egit, de quibus ſcribere erat ingreſſus. Horum autem verborum hæc erat ſententia: *Nunciatum eſt Gentium regem ſuperatam ipſumque cum regno in poteſtate Romanorum eſſe. Qua res Romanis auxit animos; Macedonibus, regiq́; eorum haud mediocriter attulit terrorem: Et primo ſupprimere in occulto famam eius rei eſt conatus, &c.*

Eod. *Itaq́; cum alij præcipites ſine reſpōſo agendos cuſtris, pronunciauit poſt diem quantum decimam, ſe reſponſum daturam.*] Perfecta hæc ſententia non eſt. Dicturus enim fuit, neſcio quid eiuſmodi: *Cum alij præcipites ſine reſponſo agendos caſtris, alij conuenienti cum reſponſo dimittendos dicerent, pronunciauit, &c.*

Eod. *P. Scipionem Naſicam, Q. Fabium Maximum filium ſuum cum quinque delectis millibus Heracleam mittit.*] Horum meminit etiam Plutarchus in Paullo: ὁ Νασικᾶς ὁ ἐπικαλούμενος Σκιπίων γαμβρὸς Ἀφρικανοῦ Σκιπίωνος, καὶ Φάβιος Μάξιμος ὁ πρεσβύτατος τῶν Αἰμιλίου παίδων ἔτι μειράκιον ὤν. Meminit etiam Heracleæ, quam τὸ Ἡράκλειον vocat. Summam etiam eorum, quos ſecum Naſica duxerit ſubtilius tradit.

Eod. *Perſeus quod in oculis erat.*] Iam aggreſſurus erat dicere, quemadmodum Perſeus Naſicæ, & Fabio, qui cum magna manu Perſeum ab alia parte vt adorirentur miſſi erant, obſtiterit. Et hæc igitur deſiderantur, & quemadmodum Paullus poſt Naſicam ſit conſequutus. De eodem Paullo loquitur, cum ait: *Anni poſt circumactum ſolſtitium erat.* Narrat autem quemadmodum feſſos itinere, & æſtu milites à pugna, cuius facultatem dabat Perſeus cohibuerit. Hæc autem horum verborum futura fuit ſententia: *Quoniam autem incommodum maxime (nam tempus anni poſt circumactum ſolſtitium erat, hora diei iam ad meridiem vergebat.) iter multo puluere, & incaleſcente ſole factum erat, laſſitudo & ſitis iam ſentiebatur, & meridie inſtante magis acceſſuram vtrumque apparebat, ſtatuit ſic affectos recenti, atque integro hoſti non obijcere.* Sic Plutarchus parentheſi temporis horam deſcripſit: Θέρους γὰρ ἦν ὥρα λήγοντος. Hac de re ſic paulo poſt agit Paullus: *Nihilne intereſt, vtrumne militem, quem neque viæ labor hodie, neque operis fatigauerit, requietum, integrum in tentorio ſuo arma capere iubeas, atque in aciem plenum virium, vigentem, et corpore, & animo educas, an longo itinere fatigatum et onere feſſum, madentem ſudore, ardentibus ſiti faucibus, ore atque oculis repletis puluere, torrentem meridiano ſole, hoſti obiicias, recenti, quieto, qui nullu re ante conſumptas vires afferat?*

Cap.xxxvi. *Naſica vnus ex omnibus auſus eſt monere conſulem.*] Plutarchus inflatum re bene ad Olympum contra Perſeum geſta, hoc aggreſſum eſſe ſcribit.

Eod. *Nunc ſeneſcente exigue cornu fulgere Lunam.* Florebello arridet magis *ſeneſcentem.*

Eod. *Multis belli caſibus didici.*] Sic Plutar. αἱ γὰρ πολλαὶ μάχαι διδάσκουσι τὰ τῶν ἡττωμένων ἁμαρτήματα, &c.

Cap.xxxvii. *Conſul ad id quod pridie prætermiſiſſe pugnandi occaſionem videbatur.*] Ad id quod dictum eſt, *pro præterquam quod.*

Eod. *An concilium vocauit,*] Cum deſint, quos vocauerit, malim, *conciliū aduocauit.* ſic paulo poſt: *concilio aduocato literas cum recitaſſet.* Item: *aduerſus aduocatos in conciliū conſidere iuſſit.*

Eod. *Ardentibus ſiti faucib.*] Magis placet Florebello *arētib.*

Eod. *Sine vlla ſede vagi dimicaſſemus, vt quo victores nos reciperemus?*] Florebellus ita legit: *Si ſine vlla ſede vagi dimicaſſemus, vt quo victores non reciperemus.*

Cap.xxxviii. *Atque in aciem plenum virium vigentem & corpore, & animo educas.*] Legendum apertè, *in aciem.*

Cap.xl. *Ac ne illo ipſo quidem die aut conſule, aut rege. quod nec feſſos, vt pridie ex via, &c.*] Si plenam hanc ſententiam explicuero, tum quorum verborū iactura facta ſit, intelligetur. Sic igitur mihi legendum videtur, *Ac, ne illo ipſo quidem die, aut conſule, aut rege optante pugnatum eſt, rege quod nec feſſos, vt pridie ex via, neque trepidantes in acie inſtruenda, & vix dum compoſitos aggreſſurus erat, conſule, quod in nouis caſtris non ligna, non pabulum confectum erat, ad quæ petenda ex propinquis agris magna pars militum è caſtris exierat.* Hanc eſſe ſententiam huius loci, atque ſimilia verba intercidiſſe, apparet ex eo, quod ait: *Neutro imperatorum volente.* Librarium in errorem impulit vox *rege*, quæ iteratur, in qua ſcribenda à priore ad poſteriorem cum media verba tranſcendiſſet, delapſus eſt.

Eod. *M. Sergius Sylus.*] *M. Sergius Silus,* ex nummis argenteis, vt ante.

Eod. *Eſſernina.*] *Æſernina.* Sic enim Græci, Αἰσέρνια.

Eod. *Thraces duo id iumentum ex medio alueo in ſuam ripam trahentes, altero eorum occiſo, receptoque eo iumento ad ſtationem ſuoram ſe recipiebant.*] Satis conſtat, ne hunc quidem locum integrum eſſe. Quæ ſententia futura ſit, non eſſe difficile intelligere: quib. verbis expreſſa fuerit, nemo vnquam diuinauerit. Ego tamen, vt ſententia eluceſcat, ita lego. *Cum otium ad flumen eſſet, neutris laceſſentibus, hora circiter quarta iumentum è manibus curantium elapſum, in vlteriorem ripam effugit. Quod cum per aquam ferme genu tenus altā tres milites ſequerētur, Thraces duo id iumentū ex medio alueo in ſuam ripam trahentes, cum tribus Romanis militibus manum conſeruerunt. Iamq. Romani altero eorum occiſo, receptoque eo iumento ad ſtationem ſuorū ſe recipiebant, Octingentorum Thracum præſidium in hoſtium ripa erat: ex his pauci primo ægre paſſi popularem in ſuo conſpectu cæſum ad perſequendos interfectores fluuium tranſgreſſi ſunt.* Eandem ſententiā edit Plutarchus, qui tamen conſilium Paulli hoc fuiſſe ſcribit.

Eod. *Et cum præſidio.*] Perſecuturus erat, vt vtrinque exercitus ad prœlium concurriſſent, initio pugnæ in flumine orto. *Ergo cum commiſſum prœlium eſſet, atque acriter ab vtraque parte pugnaretur, Paullus legionem,* inquit, *in prœlium ducit.* Sic autem etiam Plutarchus: ὁ μὲν οὖν Αἰμίλιος ἐκ τῶν αὐτοῦ στρατοπέδων, καὶ τὰ τάγματα τῶν ὁπλιτῶν ὁμοῦ, παρεξῆγεν.

Cap.xli. *Nam ſicut pleraque noua commenta mortalium in verbis vim habent explendo, cum agi.*] Pro *explendo,* repono, *extemplo, cum agi non quemadmodum agantur, ediſſeri oportet, ſine vllo effectu euaneſcunt.*

Eod. *Ita tum elephanti in acie nomen tantum ſine vſu fuerunt.*] *Fuerunt,* legendum.

Eod. *Quod ſi maturius pugnatum eſſet, vt ſatis diei victoribus ad perſequendum ſupereſſet.*] Recte. Plutarchus enim ait commiſſum eſſe prælium περὶ δείλην.

Cap.xliii. *Euander Cretenſis, Neon Bœotius, & Archidamus Ætolus.* Plutar. Εὐάνδρου τε τοῦ Κρητὸς, καὶ Ἀρχιδάμου τοῦ Αἰτωλοῦ, καὶ Βοιωτοῦ Νέωνος. Hinc ergo: *Neo Bœotius.* Gentile enim nomen terræ Bœotiæ eſt tam *Bœotius,* quam *Bœotus.*

Cap.xlv. *Gulipſum eo die.*] *Galepſum* lego. Nam Stephanus & Plutarchus in Paullo Γαληψὸν nominant.

Cap.xlvi. *Non bono ac iuſto rege ob ra.*] Quædam pauca deſunt, de gratulatione Amphipolitanorū. Amphipolim enim Paullus venerat.

Eod. *In ipſa palude, quæ proxima vrbi eſt, veluti inſula imminet aggeri operis ingentis impoſita.*] Florebellus addit vocem, *arx* hunc in modum: *arx velut inſula.*

IN LIBRVM XLV.

CAp. i. *Euanuit quidem tamquam certu rei gaudium.*] Scribe, *Incertu.* id enim ſenſus poſtulat cum ait: *tamen omen latum inſidebat animis.*

Eod. *A.d.x.Cal. Octobr.*] Ex vetere Calendario legendum putat Manutius, A.D.XV.

Eod. *C. Licinio conſuli ad quadrigas mittendas aſcendenti, tabellarius, qui ſe ex Macedonia venire diceret, laureatas literas dicitur.*] Perſpicue vox vna deſideratur, vt ſit, *reddidiſſe laureatas literas dicitur.*

Cap. ii. *De militibus, ſociiſque nauallibus dimittendis referretur, cum legati ab L. Æmilio conſule, à quibus præmiſſus tabellarius eſſet. Ad vi. K. Octob. hora fere ſecanda, legati vrbem ingreſſi ſunt.*] Et hic vox vna deeſt ad integritatem ſententiæ. *A quibus præmiſſus tabellarius eſſet, veniſſent.* A.D.VI. K. Octob. &c.

Eod. *Ingensque turba non virorum modo, ſed etiam Fœminarum conſerta tota vrbe deorum immortalium templa, ſenatus reuocatus.*] Et hîc intercidit vox vna: *Deorum immortalium templa adierunt.*

Eod. *Ex ante ad v. Idus Octob.* Lege, *ex ante diem v. Idus Octobr.* vt ſupra.

Cap. III. *Senatus in triduum ſupplicationes decreuit, vt Latinæ edictæ ſunt in ante IV. & III. & prid. Id. Nouemb.*] Senſus eſt: Supplicationes edictæ ſunt in certos dies, perinde atque Latinæ indici ſolent. non enim hîc de Latinis indicendis loquitur, quippe quæ in quatriduum hoc tempore indicerentur, non in triduum. præterea lego: *in ante d. IV.*

Cap. IV. *Ad Siras terra Odomantica.*] Stephanus: Σίρις πόλις, Θρᾴκης, Ὀδομαντικὴ ἔθνος Θρᾴκης.

Cap. V. *Reliqui quid eſſet, niſi vt fortiter moriatur.*] Hæc cum interrogatione legenda ſunt, hoc modo: *Reliqui quid eſſet, niſi vt fortiter moriatur?*

Cap. VI. *Demetrium eſt portus.*] Huius etiam portus meminit Plutarchus in Paullo.

Eod. *Ion, Theſſalonicenſis.*] *Io,* ſcribendum. edit enim *Jonis,* Plutarcho auctore in Paullo: τὰ δὲ παιδία συλλαβὼν αὐτοῖς Ἴων ἐνεχείρισεν.

Cap. VII. *Pullo amictus illo Perſeus ingreſſus eſt caſtra.*] Vide ne ſit legendum: *Pullo amicta ille ingreſſus:* & *Perſeus* tamquam gloſſema delendum ſit.

Eod. *Vllo ſuorum alio comite.*] Manutius legit: *nullo ſuorum alio præter Philippum filium comite.*

Cap. IX. *Per europæ pleramque atque Aſiam omnem.*] *Plerumque Europa* dixit, vt Salluſtius in Iugurtha: *Plerumque noctis. Sed vbi plerumque noctis proceſſit.*

Eod. *Viceſimum ab Carano, qui primus regnauit, Perſea numerabant.*] Iuſtinus libro 34. *Macedonia,* inquit, *ab Carano, qui primus in ea regnauit vſque ad Perſeum triginta reges habuit.* Euſebius autem quadraginta reges Macedoniæ vſq. ad Perſeum nominat, vt dubitandum non ſit, quin ex notis numerorum, & apud Liuium, & apud Iuſtinum menda manauerit, & vtrobique XL. legendum ſit.

Cap. X. *Quæ omnia ſit tamen populo foret, in capite noxiorum verſura.* Suſpicor ita legendum: *Quæ omnia, ſi poteſtas populo foret.* Nam *poteſtas,* & *tam* decepiſſe librarium imperitum videntur. Hanc certe vocem ſententia poſtulat.

Eod. *Nec eo ſegnius iudicia ex decreto corã his facto Rhodij exercebantur, quam perſeuerantiam in exequenda re Decimij lenitas. Cum hæc agerentur.*] Si ſenſum diligenter attendas, profecto hanc vocem excidiſſe intellexeris. *Decimij lenitas afferebat.*

Cap. XI. *Circa Rhinocolura.*] Ptolemæus & Stephanus Ῥινοκόρουρα edunt. at Strabo, Ῥινοκόλουρα.

Cap. XII. *Nauigantibus oſtio Nili ad Peluſiũ per deſerta Arabiæ ad Memphim incolebant, et ab cæteris Ægyptiis partim voluntate, partim metu, &c.*] Loci manci & deprauati hæc futura fuit ſententia. Loquitur de Antiocho ad ſubigẽdam Ægyptũ reuertente. *Nauigantibus,* inquit, *oſtio nili, quod eſt ad Peluſium per deſerta Arabiæ populi ſeſe dediderunt. Deinde receptus ab iis, qui ab Memphim incolebant, & ab cæteris Ægyptiis partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itinerib. deſcendit.* Locum autem aſteriſco notaui.

Eod. *Quibus perfectis.*] Malim *perlectis:* nam de literis loquitur.

Cap. XIII. *Ad quam ope, ſi quid imperatum foret, ad futurum regem fuiſſe.*] Legendum puto: *ad quam ſumma ope.* Sic enim lib. 1. *Rem ſumma ope taceri iubent.* Item: *Cum bellum vtrinque ſumma ope pararetur.* Et lib. 26. *ad impediendam rem actam, quæ ſumma ope approperata erat.* Et Salluſt. in Iugurtha: *Summa ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant.* Item: *Summa ope enïſum eſt, ne tale decretum fieret.* Et lib. 27. *Summa ope orare.* Sic alias ſæpe vterque Numquam vero *ope,* tantum.

Eod. *Non eſſe è republ. populi Rom.*] Malim, *è re pop. Rom.*

Cap. XIV. *Petenti Maſgabæ, vt Anno Amilcaris filius hoſpes in locum exigeret.*] Deſiderantur verba nonnulla, & pro *hoſpes, obſes* lego. Potenti, inquit Maſgabæ, vt Anno Amilcaris filius obſes in locum cuiuſdam (alius obſidis Carthaginienſis, cuius nomen interiit) Romanis à Pœnis mitteretur, reſpondit ſenatus, haud equum videri, vt obſides à Carthaginienſibus arbitrio Maſaniſſæ exigeret. Hæc forte ſententia futura fuit, quamquam verba nemo diuinare poteſt: aſteriſco ergo notetur locus, vt vulnus acceptum indicetur omnibus.

Cap. XV. *In quatuor vrbanas trib.*] Hoc loco deſiderantur comitia conſularia, quibus conſules creati ſunt Q. Ælius Pætus, & M. Iunius Pennus, & Prætoria, quibus prætores Q. Caſſius, M' Iuuentius Thalna, Ti. Claudius Nero, Cn. Fuluius, C. Licinius Nerua, A Manlius. Præterea initium expoſitionis rerum à cenſorib. Ti. Sempronio, & C. Claudio geſtarum. De quib. loquitur, cum ait: *In quatuor tribus vrbanas.* Eſt autem intelligendum libertinos in quatuor tribus vrbanas iam inde vſque à Ser. Tullio rege fuiſſe conlectos, auctore Dionyſio. poſt autem cum per omnes tribus diſperſi eſſent, in eaſdem quatuor eſſe redactos à C. Flaminino, & L. Æmilio cenſoribus, vt eſt ſcriptum in epitoma lib. 20. Nunc vero à Ti. Sempronio Graccho cenſore in vnam Eſquilinam vrbanam referri, auctore Liuio. Neque enim audiendus eſt ille, qui de viris illuſtribus ſcripſit, qui ita in Graccho tradit: *Cenſor libertinos, qui ruſticas tribus occuparant, in quatuor vrbanas diuiſit.*

Eod. *Plures quam à ſuperioribus & ſenatu emoti ſunt, & equos vendere iuſſi.*] De notis horum cenſorum ſcripſit etiam lib. 43. *Septem è ſenatu eiecti.* In equitibus recenſendis triſtis admodum, atque aſpera cenſura fuit, multis equos ademerunt. Vt mirer admodum ipſum quaſi ſui oblitum eadem hoc etiam libro, quod facere haud ſolitus eſt, iteraſſe.

Eod. *C. Cicereius ædem in monte Albano dedicauit, quinquennio poſtquam vouit.*] Sic li. 42. C. *Cicereius prætor in Corſica ſignis collatis pugnauit. Vouerat in ea pugna prætor ædem Iunoni Monetæ.*

Cap. XVIII. *Vt & in libertate gentes quæ eſſent, tutam eam ſibi perpetuamq́, ſub tutela eſſe.*] Videtur legendum: *Sub tutela populi Romani eſſe,* ſicut dixi: *arma pop. Rom. & reſpectu populi Rom.*

Eod. *Communeconſilium gentis eſſe.*] Legendum eſt: *Commune concilium gentis nullum eſſe.* Senſus eſt: Commune concilium gentis nullum eſſe, ſed in quatuor regiones deſcribi Macedoniam, vt ſuum quæque concilium haberet, placuit.

Cap. XIX. *Altera querimonia Gallici tumultus, Aduertaq́ gladius regnum in dubium adductum eſſe.*] *Aduertam* Gallorum regulum videtur vocare, quem tamen paulo poſt *Solonettium* nominat. Eſt autem veriſimile ſupra hoc de bello Gallico, deque hoc rege apertius ſcripſiſſe, verum vt multa alia excidiſſe, neque enim tam paucis verbis cauſam hanc aduentus Attali eſſet complexus. De hac re paulo poſt: Et Gallorum defectionem, quæ nuper ingenti motu facta erat, expoſuit.

Cap. XXI. *M. Iuuentius Thalna prætor.*] *M' Iuuentius Thalna,* ex conſul. Cap.

Eod. *Et tribuni plebis, cum ita traditum eſſet, ne quis intercederet legi.*] Pauca verba deſiderantur in hanc ſententiam: *Et tribuni plebis, quod antequam priuati de lege dicerent, legi ipſi intercederent, cum ita traditum eſſet, &c.* Tota enim ſententia hæc eſt. Et prætor nouo exemplo rem ingreſſus erat, quod ante non conſulto ſenatu de ſua vnius ſentẽtia rogationem ferret, cum antea ſemper ſenatus prius de bello conſultus eſſet, poſt ad populum latum, & tribuni plebis, ſcilicet nouo exemplo agebant, quod antequam priuati dicerẽt, intercederent, cum ita traditum eſſet, ne quis intercederet prius legi, quam priuatis ſuadendi diſſuadendique legem poteſtas facta eſſet. Hanc autem deeſſe ſententiam ex eo etiam apparet, quod ſequitur: *Tribuni feſtinationem prætoris ante tempus intercedendo.*

Eod. *Tribuni feſtinationem prætoris ante tempus intercedendo in aduentum im.*] Exciderunt pauca, quæ ad rem Rhodiorum, de quibus loquitur, pertinebant. Exciderunt etiam prima verba orationis Rhodiorum, quam pro ſe dixerunt in ſenatu. Huius autem orationis capita vna cum ſententiis quibuſdam orationis eius quam dixit Catho pro Rhodiis, extant apud Gellium lib. 7. Catonianæ autem orationis poſt etiam meminit Liuius.

Cap. XXII. *Dona ferentes.*] Si quis recte attendat, legendum intelliget: *Dona ferentes veniebamus.* Nam ſequitur ἀντίθεσις. *Nunc vix mercede recepti venimus in curiam Rom. Rhodij.*

Eod. *Nec iam exitu eorum quod vindicatis.*] Legendum videtur, *vincatis*

Cap. XXIII. *Et ſeceſſiſſe à vobis plebem, nec in poteſtate veſtra rempublicam fuiſſe.*] Malim, *populum Rom. quam remp.* Nam ſi plebes ſeceſſit, certe in poteſtate patrum non fuit, quominus autem reſp. in eorum poteſtate eſſet, nullo impedimento fuit. intelligi autem Rhodij volunt, ne multitudinem quidem Rhodiam in poteſtate principum fuiſſe. Sic ſæpe alias Liuius: *Tribuni plebis in poteſtate patrum fuerunt.* Ex vulgata tamen lectione etiam ſenſus elicitur.

Digitized by Google

Cap. xxv. *Partem cum Aſtymede Romæ ſubſiſtere, quæ agerentur ſciret, certioresq́; ſuos faceret.*] Videtur legendum: *quæ, quæ agerẽtur ſciret*, atque alteram, *Quæ*, eſſe incuria prætermiſſam.

Eod. *Mylaſſenſes Alabandenoſque.*] Μυλασεῖς vno σ tãtum, cum ſcribantur à Græcis Mylaſenſes, ſcribendum eſt. Porro autem *Alabandæos* videtur ſcribẽdum. Cicero enim dixit in Bruto, *Hierocles Alabandæos.* Et alibi, *Apollonius Alabandenſis.* Stephanus autem Ἀλάβανδα πόλις Καρίας, τὸ ἐθνικὸν Ἀλαβανδεύς.

Cap. xxvi. *In Moloſſidem.*] *Moloſidem* vno ſ ſcribendum, auctore Stephano: Μολοσσία, inquit, χώρα τῆς Ἠπείρου. ὁ οἰκήτωρ Μολοσσὸς καὶ Μολοσσὶς ἐπὶ θηλ.

Eod. *Tegmonem.*] *Tecmonem* ex Stephano, qui ait: Τέκμων πόλις Θεσπρωτῶν, ὁ πολίτης Τεκμώνιος.

Eod. *Daſſaritiorum Tiruſtas.*] Hos Ptolemæus Πειρούστας. Strabo lib. 7. Πειρούστας vocat. Quare *Piruſtas* lego.

Eod. *Daorſeis quoque.*] Ptolemæus Δαυρσεῖς vocat, alij puto, Δαόριζοι. Strabo lib. 7. vbi de Illyriis agit: εἶθ' ὁ Νάρων ποταμός, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν Δαόριζοι.

Eod. *Dimidium eius, quod regi pendiſſent.*] *Pependiſſent*, vt bis hoc libro dixit.

Eod. *Chalcydem ad ſpectaculum Euripi, auoque ante inſula ponte continenti vincta deſcendit.*] Pro æuoque reponit Florebellus *Euboæque* quo nihil verius.

Cap. xxvii. *Templum Iouis Trophonii.*] *Trophonij* ex Suida.

Eod. *Muros Pyreum vrbi iungentes.*] *Pyræum* ſcribendum: ceterum muros intelligit, quæ Μακρὰ τείχη vocabantur.

Cap. xxviii. *Apolloniam ad eos pergit. Quo cum Perſeus obuiam Amphipoli nimis ſoluta cuſtodia proceſſiſſet, id dies iter eſt.*] Apolloniam Macedonicam intelligit. Siquidem ab Amphipoli ad eam iter vnius diei eſt, de qua Stephanus, non eam, quæ eſt in Epiro.

Cap. xxx. *Et à ſeipſa quoque contempta pars eſſet.*] In libris Emendationum oſtendi legendum eſſe, *vt ſeipſa quaque contenta pars eſſet.*

Cap. xxxi. *Portum receptum non commeatibus iuuiſſent.*] Lege, *portus receptum commeatibus iuuiſſent.* Sic enim in primo exemplari legebatur, & hic eſt ſenſus.

Cap. xxxiii. *Vtilitas annonæ.*] *Vilitas.*

Cap. xxxiv. *Centum quinquaginta millia capitum humanorum abducerentur.*] Sic Plutarch. ὥστε ὥρᾳ μιᾶς πεντεκαίδεκα ἀνθρώπων μυριάδας ἀνδραποδισθῆναι. ἑβδομήκοντα δὲ πόλεις πορθηθῆναι.

Eod. *Paullus ad mare Oricum deſcendit.*] Sic Plutarch. Αἰμίλιος ἐπιστρέψας εἰς Ὠρικὸν κατέβη.

Cap. xxxv. *Regia naue ingentis magnitudinis, quam xv. verſus remorum agebant.*] Sic Plutarch. ἀνέπλει τὸν Θύβριν ποταμὸν ἐπὶ τῆς βασιλικῆς ἑκκαιδεκήρους κατεσκευασμένης ὅπλοις αἰχμαλώτοις, καὶ φοινικίσι καὶ πορφύραις. Huius eiuſdem nauis meminit Suidas in Perſeo.

Cap. xxxvi. *Et priuatis lego dicendi locus eſſet ad ſuadendum, vt in re minime dubia ſi quiſquam procederet.*] Mallem, *et priuatis lege dicendi locus eſſet, nec ad ſuadendum, vt in re minime dubia quiſquam procederet.* Item ſentit Manutius.

Eod. *Pecuniam illum dare non potuiſſe, militem dare poſſe.*] *Dare non poſſe.* videtur legendum, ſi quidem ſubdit, *ne ſperaret ibi fructum gratiæ, vbi non meruiſſet.*

Eod. *Introuocatæ prima tribus cum antiquarent.*] Sic Plutarch. ἡ πρώτη φυλὴ τὸν θρίαμβον ἀπεψηφίζετο.

Cap. xxxvii. *Quãtus imperator L. Æmilius fuerit Quirites, ſi ex alia re nulla æſtimari poſſit, vel hoc ſatis erat.*] Hoc principiũ orationis ſic Græcè vertit Plutarch. Αἰμίλιον μὲν ἡλίκος ἡγεμών, ἐκ τοῦ νῦν μάλιστα γινώσκειν, ἐξὸν ἴσως ἐν τῇ θέᾳ γνῶναι ... [illegible] ... καὶ μεγάλας πράξεις.

Eod. *Sed poſtero die, quam triumphatum eſt, priuatum eum viſurus eſſet, nomen deferret.*] Legendum, *priuatum cum viſurus eſſet.* Porro autem ego malim legere *deferre, interrogare, dicere, accuſare*, vt hæc omnia ad vocem debuit referantur.

Eod. *Cui crimen nullum probrum dicere poterat.*] Legendum: *Cui nullum crimen, nullum probrum dicere poterat.*

Cap. xxxviii. *Quam illis qui triumphauerunt.*] Nihil huic ſententiæ deerit, ſi legas *quam illis, qui poſt eos triumphauerunt.* intelligit autem, qui poſt Lutatium & Cornelium triumpharunt, vt de Philippo, & de Antiocho: aut ita legendum eſt: *Quam Macedonici & Aſiatici, qui triumphauerunt.*

Eod. *M. Curius.*] *M. Curius*, vt ante.

Eod. *Militum quidem propria eſt cauſa, qui & ipſi laureati, & quiſque donis, quibus donati ſunt, inſignes triumphum nominecient.* Hoc eſt id, quod Varro ſcribit libro de lingua Latina quinto. Quod milites cum imperatore redeuntes per vrbem in Capitolium euntes, clamitauerint, Io Triumphe. Itaque Horatius libro quarto: *Non ſemel dicemus, Io Triumphe ciuitas omnis.*

Cap. xxxix. *Reuocate ſi videtur tribuni ad ſuffragium tribus, ego ad vos milites.*] Intercidit finis orationis, qua vſus eſt M. Seruilius pro triumpho Paulli. Qui tamen finis eſt apud Plutarchum, his verbis: ἀλλ' ἄγε λαβὼν αὐτοὺς ἐπὶ τὴν ψῆφον, ἐγὼ δὲ καταβὰς παρακολουθήσω πᾶσι, καὶ γνώσομαι τοὺς κακούς, καὶ ἀχαρίστους, καὶ δημαγωγεῖσθαι μᾶλλον ἐν τοῖς πολέμοις, ἢ στρατηγεῖσθαι βουλομένους. Id eſt, *Reuoca ipſos ad ſuffragium, ego vero illos omnes ſubſequar, & malos ac ingratos ciues cognoſcam, quique in bellis à tribunis, quam ab imperatore regi malunt.* Excidit præterea initium expoſitionis triumphi Paulli, quem per triduum IIII. III. prid. Kal. Decemb. vt eſt ſcriptum in triumphis Capitolinis, de quo triumpho in ſequentib. proximis verbis traditur.

Cap. xl. *Filij duo Maximus, & P. Scipio.*] *Q. Maximus & P. Scipio.* Neque enim alter prænomine ſpoliandus eſt, alter ornandus.

Eod. *Minor ferme* XII. *annos natus quinque diebus ante triumphum, maior* XIV. *annorum triduo poſt triumphum deceſſit.*] Contra ſcribit Plutarchus, maiorem ante triumphum, minorem poſt triumphum deceſſiſſe, in Paullo, & in Apophthegmatis.

Cap. xli. *Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibus & claſſibus luſtra ſacrificaui.*] Primum hoc dicam. *Sacrificare luſtra*, me nuſquam legiſſe. deinde de luſtratione exercitus intelligi non poſſe, non enim adhuc acceperat exercitum, ergo ne luſtrare quidem poterat. His rationibus adductos lego, *pro me exercitibuſque, et claſſibus veſtris ſacrificaui.* Hoc ita eſſe oſtendit Plutarchus, qui ita hunc locum vertit, πεμπταῖος ἀπ' ἐκεῖθεν ἐν Δελφοῖς τῷ θεῷ θύσας ἐπέρασα αὖθις πᾶσαν τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον, καὶ τὸ λοιπὸν στράτευμα καθαρμῷ αὐτοῦ. Quibus ex verbis apparet, luſtrationem non Delphis, ſed in caſtris ab eo eſſe ſuſceptam, vbi accepit exercitum. Delphis autem Apollini ab eo eſſe ſacrificatum.

Eod. *Quod bellum per quadriennium quatuor ante me conſules ita geſſerunt.*] *Per triennium tres ante me conſules*, lege: tres enim tantum fuerunt, P. Licinius Craſſus, A. Hoſtilius Mancinus, Q. Marcius Philippus. Labes hæc quanto facilius elui poteſt, tanto fœdior eſt, cum præſertim tot ante annos à nemine agnita hunc locum deprauarit.

Eod. *Ego qui de illo triumphaui ab alterius funere filij currum ex Capitolio prope iam expirantam veni.*] Loquitur de filiis ſuis Paullus, quorum alter ante triumphũ, alter poſt triumphum, vt diximus, deceſſit. Fœdata autẽ mirum in modum verba omne huius ſententiæ lumen aut ſuſtulerunt, aut certe obſcurarunt. Sic igitur legendum cenſeo: *Ab alterius funere filij curru ex Capitolio ad alterum prope iam expirantem veni*, ſatis iam perſpicua manda eſt.

Cap. xlii. *Ab Cotye rege Tracum.*] Sic Græci Κότυν, apud Ciceronem tamen in Piſonem de rege eiuſmodi eſt, *Regi Cotto*, credo per mendum, pro *Coti.*

Eod. *Igiturunium reges transducti.*] *Iguuium* videtur eſſe, quod nunc *Eugubium* dicitur. de qua voce alij.

Cap. xliii. *Non pecuniæ Macedonica*] Lego, *Non pecunia pecuniæ.* Nam redidit eodem modo certa, *Non Gentius Perſeo. non Illyrij Macedonibus, non ſpolia ſpoliis, non dona donis.* Errorem hunc gloſſa aliqua peperit, voci *pecunia*, ſuper. impoſita, quam deinde librarius vera lectione repudiata in librum intulerit.

Cap. xliv. *Flamen criminalis mortuus M. Fabius Pictor.*] *Q. Fabius* legendum, ex lib. 37. vbi hic fit flamen. *Prætores*, inquit, *exinde duo facti, duo Q. Fabij, Labeo & Pictor. Flamen Quirinalis eo anno inauguratus fueras.*

Eod. *Munera ti ex ſeſtertiis iuſſa dari.*] Deeſt ſumma ſeſtertiũm. Sic ſupra. *Munera ex* x. c. *emere regulo quæſtor iuſſus ex* c. *pondo argenti.* Polybius eum regem indignum maieſtate nominis tanti tradit, pileatum capite raſo obuiam ire legatis ſoli.

Google

tum, libertumque ſe populi Romani ferre, & ideo inſignia ordinis eius gerere. Hæc ex Polybio fortaſſe ſumpta ſic edit Appia. in Mithridatico: Προυσίας δὲ ἀλόντος ἀπήντησε τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς, ἅμα τι Ῥωμαϊκὸν ἠμπεχόμενος, ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικά, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος, ᾧ τρόπῳ τοὺς θεράποντας ἐν ταῖς διαθήκαις ἐλευθερουμένους, αἰσχρὸς ὤν, καὶ τ᾽ ἄλλα ὀφθῆναι, ἐντυχὼν καὶ αὐτοῖς ἔφη Ῥωμαϊστὶ τῷ ῥήματι Ῥωμαίων εἶναι λιβερτός, ὅπερ ἐστὶν ἀπελεύθερος.

Eodem: *Mire latum & ea benignitatem ſe populi Romani regem fuiſſe ferunt.*] Manotios reponit, ex ea benignitate.

Eod. *Polybius enim regem indignum maieſtate nominis tanti tradit, pileatum capite raſo obuiam ire legatis ſolitū libertumque*, &c.] Hæc ex Polybio fortaſſe ſic, edit Appianus in Mithridatico: Προυσίας δὲ ἀλόντος ἀπήντησε τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς, ἅμα τι Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικά, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος ᾧ τρόπῳ τοὺς θεράποντας ἐν ταῖς διαθήκαις ἐλευθερουμένους, αἰσχρὸς ὤν, καὶ τ᾽ ἄλλα ὀφθῆναι. ἐντυχὼν δ᾽ αὐτοῖς ἔφη Ῥωμαϊστὶ τῷ ῥήματι. Ῥωμαίων εἶναι λιβερτός, ὅπερ ἐστὶν ἀπελεύθερος.

IN EPITOMEN LIB. XLVI.

NE aut inimicus iudicatus videretur.] Veteres libri, *Ne aut hoſtis.*

Lex in comitio lata eſt, ne cuiquam regi Romam venire liceret.] Vox, *comitio*, inepto legitur ſenſu. Melior antiqua lectio. *Lex in commune lata eſt, ne cui regi.*

C. Sulpicius Gallus Ligures ſubegit.] Vet. lib. *Gallus conſul.*

Cenſa eo ſunt.] Vet. lib. *Cenſa ſunt.*

Cum Lyſia tutore Demetrius.] *Tutore eius*, ex vet. lib. & Appiano in Syriaco.

Quia minime dimittebatur.] Vet. lib. *Quia non dimittebatur.*

IN EPITOMEN LIB. XLVII.

SAcrorum quoque magiſtratuum.] Vet. lib. *Sacrorumque magiſtratuum.*

Illyricos.] *Illyrios*, ex Græcis & lapidibus Capitol.

Quidam prætores.] Vet. lib. *Aliquot prætores.*

Accuſati & damnati ſunt.] Veteres libri, *Accuſati damnati ſunt.*

IN EPITOMEN LIB. XLVIII.

VT legatis, quominus violarentur, fugam explicuerit.] Emenda ad fidem antiqui libri: *Vt legatos, quominus, violarentur, fuga explicuerit.*

Qui princeps ſenatus ſextis iam cenſoribus erat lectus.] Lege, *ab ſextis*. Sic Liuius lib. 43. *M. Aemilius Lepidus princeps ſenatus ab tertiis iam cenſoribus erat lectus.*

Publiſia.] Vet. lib. *Poblicia.*

Et excepturum militia genus.] Vet. lib. *et excepturum ſe.*

L. Lucullus conſul, cui M. Claudius ſucceſſerat, pacaſſe omnes Celtiberiæ populos cum videretur, Vacceos, &c.] Quemadmodum ſcriptum eſt apud Appianum in Iberico, non Lucullo Marcellus, ſed Marcello Lucullus ſucceſſit, quippe qui poſt Marcellum conſul fuerit. Itaque ex Appiani hiſtoria ſic legendum: *L. Lucullus conſul, cum Claudius Marcellus, cui ſucceſſerat, pacaſſe omnes Celtiberiæ populos videretur, Vacceos*, &c.

Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hiſpania ſubegit.] Vet. lib. longe melius: *Cantabros, et alias adhuc incognitas nationes.*

Et in expugnatione capta vrbis maius multo etiā periculū adiit.] Vet. lib. *Et in expugnatione intercepta vrbis maius etiam.* Vnde ego lego: *Intercatia*, teſtibus hiſtoricis omnibus.

Dicerentque et exercitum.] Veteres libri, *Dicerentque ſe, & exercitum.*

Prorogari ſententiam placuit.] Emendo, admonente ita ſenſu: *Prerogari ſententias placuit*. Sic libro trigeſimo ſecundo. *Decretum recitari perrogariq; ſententias prohibuerunt*. Et lib. 29. *Perrogari eo die ſententia accenſis ſtudiis nō potuere*. Deinde cetera ſic lege, & interpunge *Catone et aliis principibus ſenatus ſuadente, vt in Africam confeſtim tranſportaretur exercitus, quod Cornelius Naſica dicebat, nondum ſibi iuſtam cauſam bellandi videri placuit, vt bello abſtinerent.*

Carthaginienſes tum aduerſum fœdus bellum Maſaniſſæ intulerunt, victi ab eo] Et hæc oratio vno concluſa circuitu in libris ſic legitur: *Carthaginienſes cum aduerſum fœdus bellum Maſſaniſſæ intuliſſent. victi ab eo*, &c.

Et guſtare cibum tantummodo ſolito.] Vet. lib. *guſtare panem.*

IN EPITOMEN LIB. XLIX.

TErtij Punici belli initium altero, & ſexcenteſimo anno ab vrbe condita, intra quintum annum, quam erat, cœptum conſummatum omnino eſt.] Belli initium conſummatum eſſe, quid ſibi velit, profecto difficile dictu eſt, neque iniuria: eſt enim vitioſa locutio. Legitur autem in codice antiquo: *Intra quintum annum, quam erat cœptum conſummati*, vt ad vocem, *Belli*, referas, vt ſit ſenſus: *Tertij Punici belli initium intra quintum annum conſummati, refertur*. Sic ſupra: *Origo Carthaginenſium, & primordia vrbis eius referuntur*. Et infra: *Antequam Cymbricum bellum conſummaretur*. Item: *Cauſæ ciuilium armorum, et initia referuntur.*

Quorum alterum ſapientiſſimum virum in ciuitate habebant, alter vir optimus à ſenatu iudicatus erat.] Veteres libri, *Quorum alter ſapientiſſimus vir in ciuitate habebatur, alter optimus vir etiam à ſenatu indicatus erat.*

Et vt omnino deleretur Carthago.] Vet. lib. *Et vt tolleretur, deleretur que Carthago.*

Placuit nihilominus.] Vet. lib. *Placuit tamen.*

In oppidum minime recepiſſent.] Veteres libri, *Non recepiſſent.*

Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti.] Lege, *ad Tarentum*, qui locus erat in Campo Martio ex Feſto, & Valerio lib. 2. c. 1. itemq; lege apud Cenſorinum: Cum libros Sibyllinos Decemuiri adiſſent, renunciarunt, vti Diti patri, & Proſerpinæ ludi Terentini in Campo Martio fierent. Seruius in 8. Æneid. partem Tyberis Terentum à terendo dictam ait.

Qui anno primo Punici belli quingenteſimo, et altero anno ab vrbe condita facti erant.] Fœdiſſime ſe habet hic locus, quem nos auctore vetere libro ſic reſtituimus: *Qui anno centeſimo, primo Punico bello, quingenteſimo, et altero anno ab vrbe condita facti fuerant.* † Hanc reſtitutionem Sigonij & interpretationem refellit Robortellus libro primo, Emendationum capite ſeptimo & octauo, atque ex Cenſorino & marmoribus Romanis legendum eſſe cenſet *anno decimoſexto, primi Punici belli.* † Senſus eſt: Ludos ſæculares ad Terentum, qui centeſimum ante annum, dum Punicum primum bellum gerebatur, anno ab vrbe condita DI. facti fuerant, hoc anno eſſe relatos. Id autem ita eſſe ratione quoque poſſumus confirmare. Nam ſi anno ab vrbe condita DI. illi facti ſunt, profecto P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo conſulibus facti ſunt. Nam in eos conſules hic numerus incidit ad ſummam annorum Liuianam. Cenſorinus autem de his ludis loquens ait: *Tertij ludi fuerunt Antiate, Liuioque auctoribus, P. Claudio Pulchro; L. Iunio Pullo conſulibus.* Præterea ſi poſt centum annos, quam illi facti erant relati ſunt, profecto anno DCI. hi facti ſint neceſſe eſt, qui annos conſules habuit L. Marcium Cenſorinum, & M. Manilium. Itaque Cenſorinus idem ait: *De quartorum ludorum anno triplex opinio eſt. Antias enim & Varro, & Liuius relatos eſſe prodiderunt L. Marcio Cenſorino, M. Manilio conſulibus poſt Romā conditam anno ſexcenteſimo quinto.* Sequitur autem in numerandis vrbis conditæ annis alios auctores, quam Liuium, eoſdem prope, quos Ciceronem, & Plinium ſequutos eſſe animaduertimus. † Et hac ſcholij partem refellit Robor-

Digitized by Google

„ tellus lib.1.cap.9.emendationem, & legendum eſſe oſtendit,
„ quarto & ſexcenteſimo.†

Vt in alio loco procul à mari x. millia paſſuum, nec minus remoto.] Vet.lib. *Vt in alium locum, dum procul à mari x. millia paſſuum, nec minus remotum.*

L. Martio, L. Manlio conſulibus.] Lege, *L. Marcio, M. Manilio*, M. etiam Manilius dicitur in Bruto à Cicerone, & à Valerio, & à multis aliis. ipſum tamen prænomen Manij tuliſſe, indicat Capitolinus eius conſulatus. Itaq; locus in principio Somnij Scipionis ita legendus: *Cum in Africam veniſſem Manio Manilio conſuli ad quartam legionem tribunus, vt ſcitis, militũ*, mendosè enim legitur: *Anitio, Manilio conſulibus*. Quidam *Marcio & Manilio* emendarunt, non recte. non enim ambobus conſulibus Scipio venit tribunus, ſed vni Manilio, vt Appianus & Valerius tradiderunt.

Caſtriſque, quæ Carthaginienſes omnibus copiis pariter ab vrbe egreſſi oppugnabãt, liberatis, is præcipuè gloriã tulit.] vet. lib. *Caſtrorumque quæ, &c. liberatorum, is ipſe præcipuam gloriam tulit.*

Cato vir promptioris multo ad vituperandam linguæ.] ex vet. lib. tollenda eſt vox, *multo*.

Qui in Africa militarent, vmbris militare, Scipionem vigere.] Antiqua lectio, pro *vmbris*, habet *vmbras*, pro *vigore*, *vigere*, quod probo. Nam, vt ait Appianus, eſt verſus Homericus à
¶ Catone vſurpatus, eiuſmodi: οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν. Id
„ eſt, *ſolus ſapit, reliqui vmbræ ruunt.*

Per ætatem minime liceret.] Vet.lib. *non liceret.*

Vt Luſitani, qui ex fœdere populo Rom. dediti à Sergio Galba in Galliam veniſſent, in libertatem reſtituerentur.] Vet.lib. *qui in fidem populi Romani dediti à Ser. Galba.* Porro autẽ *in Gallia*, non *in Galliam*, ſententia ita poſtulante, lego. *Veniſſent* enim pro *venundati eſſent*, accipiendum eſt. Nam inquit Valerius lib. 9. cap.6. *Galba trium Luſitaniæ ciuitatum, conuocato populo tamquã de commodis eius acturus nouem millia electa, & armis exuta partim trucidauit, partim vendidit.*

Etiam ab eo.] Vet.lib. *Et ſæpe ab eo.*

Propter ſeſe caſtra habentes.] Vet. lib. *Prope ſe.*

Equo, atque homine ſuo immolatis.] Vet. lib. *Equo atque homine ſuo ritu immolatis.*

Multis ad falſam eius famam, velut ad veram euntibus.] Veter.lib. *Multis ad falſam eius fabulam, velut ad veram coeuntibus.* & recte. Nam paulo poſt infert: *Fabulam autem eiuſmodi finxerat.*

Ex pellice ſe Perſeo rege ortum.] Vet. lib. *Ex pellice ſe, & Perſeo rege.*

Traditam educandam Cyrthe ſe cuidam eſſe.] Vet. lectio melior: *traditum educandum Cretæ ſe cuidam eſſe.*

In belli caſus, quod ille cum Romanis ageret.] Vet. lib. *gereret.*

Patrem eſſe credentem, à quo educaretur.] Vet.lib. *Patrem eum eſſe credentem, à quo.*

Cum prope finem vltimum eſſet.] Vet. lib. *Cum prope ad vltimum finem vitæ eſſet.*

Detectam tandem originem ſuã.] Vet.lib. *Detectam ſibi tãdam.*

Pubeſcenti libellum tradidit.] Repone, *traditum*, vt orationis coſequutio conſeruetur, item ea vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. L.

P*Ruſias rex Bithyniæ omnium humillimorum fautor, atq. vitiorum.*] Vet.lib. *Omniumq, humillimorum vitiorum*, vt regem etiam vitiorum intelligamus. Humilitas eius & imbecillitas animi cognita eſt, cum raſo capite cum pileo, legatis Romanis obuius ſe populi Romani libertum eſſe dixit.

Habebat alium filium.] Vet.lib. *Alteram filium.*

Caput multis cicatricibus ſparſum.] Vet.lib. *Farſum*, id eſt, repletum. Huius rei meminit Plutarchus in priore Catone, & Appianus in Mithridatico.

Genuerit vnum filium. Vet.lib. & Latina oratio ferunt, vt legatur, *filium genuerit.*

Inter tres liberos.] Vet.lib. *Inter tres liberos eius.*

Arbitrio Scipionis.] Vet.lib. *Arbitrio Scipione.*

Suaſit cum equitatu ſuo ad Romanos tranſire.] Vet.lib. *Perſuaſit, vt cum equitatu ſuo ad Romanos tranſiret.* Egregie. Tranſiſſe enim eum ſcribit Appianus.

Phania.] *Phameæ* legendum. Φαμέαν enim vocat Appianus in Lybico. Item, Vet.lib. Suidas Φαμέας.

Quoniam per x. annos conſulem fieri minime licebat.] Veter.lib. *Quoniam per annos conſulem fieri non licebat.* Recte. Lex enim de decem annis erat, ne quis intra decem annos conſul reficeretur, de qua ſupra in Fabio Rulliano diximus. Hic autem legem Annalem intelligit à L. Villio Annali latam, qua cauebatur, ne quis niſi anno ætatis XLIII. capere conſulatum poſſet, vt ſupra diximus. Scipio vero anno, quo factus eſt primum conſul, annum agebat XXXVII.

Repugnantibus aliquantulum patribus.] Vet.lib. *Aliquamdiu.*

M. Æmilius nonnullas vrbes circumpoſitas Carthagini expugnauit.] Nullum M. Æmilium Carthaginem miſſum belli gerendi cauſa accepimus. Itaque non dubitamus, quin hic ſit, M. Manilius, qui conſul primum, poſt autem prorogato imperio pro conſule id bellum geſſit per biennium, cui deinde Scipio conſul anno tertio ſucceſſit. Valerius quidem M. Manilium Africam pro conſule obtinuiſſe ſcribit. Oroſius Teragam vrbem expugnatam, & direptam à Manilio ait.

Victus, captuſque relicta Macedonia.] Vet.lib. *Recepta Macedonia.* Recte. Nam quæ bello Perſico parta erat, eadem hoc bello amiſſa fuerat.

IN EPITOMEN LIB. LI.

C*Artago viginti tria millia quidem paſſuum in circuitu labore maximo obſeſſa.*] Quanto rectior eſt priſca lectio: *Carthago in circuitu mille XXIII. paſſus patens, magno labore obſeſſa.*

Cui extra ſortem prouincia Africa data eſt.] Veter.lib. *Data erat.*

Contracta exiguo tempore ampla claſſe.] Vet.lib. *Coacta clã exiguo tempore*, optime. Id enim Appianus & Strabo, & reliqui factum eſſe tradiderunt.

Ad Neſentem oppidum.] Quis vnquam alias ante audiuit in Africa non longe à Carthagine eſſe oppidum nomine Neſentem? Nepherim quidem eſſe & Strabo & Appianus produnt, vbi vterque de hoc bello loquitur, atq; hoc etiam nomen eſt in vetuſtis epitomarum libris. Vt omnino, *Nepherim*, ſit legendum.

Minime impetrare potuerat.] Vet.lib. *Impetrare nõ potuerat.*

Ludos fecit, tranſfugas.] Vet.lib. *Tranſfugaſque.*

IN EPITOMEN LIB. LII.

B*Oeotios.*] Vet.lib. *Bœotos.* Sic Græci, Βοιωτοὺς & Βοιωτίους.

In cuius locum Dræus.] Vet.lib. *Diæus* legendũ *Diæus.* Sic enim Pauſan. in Achaicis: Δίαιος ὁ Κριτολάῳ διαδεξάμενος.

Legati Romanorum.] Vet. lib. *Romani.*

Ipſe L. Mummius.] Vet. lib. *Ipſe Mummius.*

P. Cornelius Africanus Scipio Æmylianus.] *P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus.*

A Diodoro quodam.] Vet.lib. *à Diodoto.*

IN EPITOMEN LIB. LIII.

C*Enſa ſunt ciuiũ capita CCCCXXVIII. millia.*] Vet.lib. habent CCCXXVIII. Recte. Neq; enim par eſt, cũ priore luſtro cẽſa ſint CCCXXII. millia, & in ſequenti CCCXXIII. hoc anno CCCCXXVIII. eſſe cenſa.

De Iunio Syllano.] Vet. lib. *De D. Iunio Silano.*

Ab exercitu eius multum imploratus, ac nobiliſſime tumulatus.] Vet.lib *Comploratus.* Quod verbũ eſt in mortuo proprium, inquit enim Liuius de Tarquinio mortuo: *Ex comploratione in regia orta.* Et lib.25. *vt non modo lacrymis, iuſtoque cõploratu proſequerentur mortuos, ſed ne efferent quidem, aut ſepelirent.*

Per quatuordecim.] Vet. lib. *Et per quatuordecim.*

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. LX.

A*Vrelius conſul.*] Vet.lib. *L. Aurelius conſul.*

Aduerſus Falanios Gallos, qui populabantur fines Maſſilienſium.] Lege *Saluios Gallos*, ex vet.lib. Sunt autem Saluij ijdem, atque Salyes.

A maxima multitudine locuſtarum.] Veteres libri, *Ab ingenti multitudine.*

Tertiam, qua equeſtrem ordinem cum ſenatu conſentientem corruperat, trecenti ſenatores erant ſexcenti equites, vt trecentis ſenatorib. admiſcerentur.] Clarior eſt huius loci ſententia in manuſcriptis libris, hoc modo: *Tertiam, qua equeſtrem ordinem tum cum ſenatu conſentientem corrumperet, vt ſexcenti ex equitibus in curiam ſublegerentur, et quia illis temporibus ccc. tantum ſenatores erant, ſexcenti equites trecentis ſenatoribus admiſcerentur.* Hanc legem Iudiciariam vocat Plutarchus in Graccho, cuius verba his fere ſimilia ſunt: ὁ δὲ δικαστικὸς, ᾧ τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῶν συγκλητικῶν δυνάμεως. μόνοι γὰρ ἔκρινον τὰς δίκας. καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ δήμῳ, καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν. ὁ δὲ τριακοσίους τῶν ἱππέων προσκατέλεξεν αὐτοῖς οὖσι τριακοσίοις, καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησεν. Hæc Plutarch. qui equites non ſexcentos, ſed trecentos ſenatoribus trecentis ait eſſe adſcriptos, atque inter vtroſque communicata iudicia eſſe, quæ antea ſenatorum tantum propria fuerant. Si tamen Appiani libro primo, & Pædiani in Diuinationem verba attendamus, Gracchus à ſenatoribus ad ſolos equites iudicia tranſtulit, non inter vtrumque ordinem communicauit. Et Varro lib. 4. de vita pop. Rom. in ſpem adducebat non plus ſoluturos, quam vellent, iniquus equeſtri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit, diſcordiarum ciuilium fontem. Hæc enim verba ad C. Gracchum pertinere videntur. Locus eſt apud Marcellum, in voce Biceps.

Multum indignata.] *Multum*, abeſt à vet.lib.

IN EPITOMEN LIB. LXI.

M*Vltum feliciter pugnauit.*] *Multum*, abeſt à vet.lib.

Auerninum armata quoque multitudine.] Vet.lib. *Auernorum quoque armata multitudine.*

Flaccus ſocius eiuſdem.] Vet.li. *Flaccus conſularis ſocius eiuſdem furoris.*

Liberatus eſt.] Vet.lib. *Abſolutus eſt.*

IN EPITOMEN LIB. LXII.

C*N. Marcius cos. Sarnios gentem Alpinam expugnauit.*] Vet.lib. *Q. Marcius conſul Stonos.* De Stonis autem Alpinis populis, & Strabo, & Plinius prodiderunt. De hac autem victoria Oroſius.

Quem in filium adoptauerat.] Vet.lib. *Quem adoptauerat.*

Metellus Dalmatas obſedit.] Vet.lib. *ſubegit*: probo. Nam de ijs etiam triumphauit, & Dalmatici nomen retulit.

Aenobarbus.] *Ahenobarbus*, vt ante.

Senatu amouerunt.] Vet.lib. *mouerunt.*

IN EPITOMEN LIB. LXIII.

C*Ato Porcius conſul.*] Vet.lib. *C. Porcius.* Recte vtrumque. Dictus eſt enim *C. Porcius Cato.*

Deprehenſum, & iudicatum ſit.] Vet. lib. *Vindicatum ſit.*

IN EPITOMEN LIB. LXIV.

I*Dque etiam Calpurnius.*] Vet.lib. *Idque Calpurnius.*

Ad indicandum conſiliorum auctores.] Vet. lib. *Ad indicandos auctores conſiliorum ſuorum.*

Et propter cædem admiſſam in regulum quemquam nomine Maſſiuam, qui regnum eius populo Romano inuiſi appetebat interfectum Romæ cum periclitaretur.] Ita legendum eſt, vt omnia vna periodo contineantur, vſque ad verbum illud, *clam profugit*: præterea legendum, *Romæ interfectum, cum periclitaretur*, ex vet. lib. & ex Saluſtio.

Diſcedens vrbe.] Vet.lib. *Cedens.*

A. Poſtumius legatus infeliciter prœlio aduerſus Iugurtham geſto conflixit, pacemque etiam multum ignominioſam adiecit, quam quidem minime eſſe ſeruãdam ſenatus cenſuit.] Germanam ſic demum reſtitue lectionem: *A. Poſtumius legatus infeliciter prœlio aduerſus Iugurtham geſto, pacem quoque adiecit ignominioſam, quam non eſſe ſeruandam ſenatus cenſuit.* Extitit enim neſcio quis malus auctor Latinæ orationis formandæ, qui in his Epit. deſcribendis de ſuo incluſerit particulas, *Minime, Quidem, Multum, Omnino*, quæ non ſunt in vet. libr. niſi raro, & apræ poſitæ.

IN EPITOMEN LIB. LXV.

E*T Vniuerſam Numidiam vaſtauit.*] Vet. lib. *Totamque Numidiam.*

Feliciter quidem pugnauit.] Vet. lib. *Proſpere pugnauit.*

IN EPITOMEN LIB. LXVII.

A*Vrelius Scaurus legatus.*] Vet.lib. *M. Aurelius.*

Vinci minime poſſe.] Vet. lib. *Non poſſe.*

Ab iiſdem hoſtibus C. Manlius, & Q. Cæpio proconſules victi prœlio, caſtriſque binis exuti ſunt.] Reſtitue ita: *Cn. Mallius cõſul, et Q. Cæpio proconſul victi prœlio, caſtris quoque binis exuti ſunt.* In Manlio variant ſcriptorum libri. Alij enim *C.* alij *Cn. Manlium* alij *M. Manilium* vocant, quemadmodum in pleriſque manuſcriptis eſt, & in impreſſis Eutropij, Taciti, & Saluſtij. Itaque *Cn. Mallius* reponendum, teſtibus lapidibus antiquis. In vetere Epitomarum exemplari, eſt: *Manlius conſul, & Q. Cæpio proconſul.* Egregie. Nam Q. Cæpio, & conſul ante Mallium, & prorogato imperio cum conſule Mallio proconſul cum Cimbris rem geſſit, vt ait Oroſius.

Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata ſunt, primoq; poſt regem Tarquinium imperium et abrogatum.] Primum illud dico Imperium regi Tarquinio non eſſe abrogatum, ſed exilio multatũ ne in vrbe eſſet. Deinde vero addo alios ante Cæpionem imperio ſpoliatos fuiſſe, vt Tarquinium Collatinum, & L. Minutium Augurinum, & M. Claudium Gliciam, quorum illi coacti ſunt abdicare ſe conſulatu, hic dictatura. Quare non eſt dubium, quin legendum ſit, vt eſt in vetere libro: *Damnati bona publicata ſunt primi poſt regem Tarquinium, imperiumque ei abrogatum eſt.*

Digitized by Google

In carcere necatus.] Vet.lib. *Necatus eſt.*

Continuatus per complures annos magiſtratus eſt.] Vet lib. *Conſulatus eſt.* Eſt enim factus II. III. conſul cum abeſſet. Hæc eſt autem Quintia lex. Ne quis abſens capere conſulatum poſſit, qua ſolutus eſt Marius. Itaque Cæſar poſt omiſit triumphum ex Hiſpania vlteriore, vt præſens peteret conſulatum.

Circa Rhodanum, & Pyrenaum.] Vet.lib. *Inter Rhodanum, & Pyrenaum.*

Bellicoſis quidem ſe Theutonis.] Vet.lib. *Bellicoſis ſe Teutonis.*

IN EPITOMEN LIB. LXVIII.

A*Ntonius prætor in Sicilia maritimos prædones perſecutus eſt.*] Emenda ad fidem vet lib. *M. Antonius prætor in Ciliciam.* eadem menda eſt apud Obſequẽtem, vbi ſcriptum eſt: *Piratas à Romanis in Sicilia deletos eſſe*, cum ſit legendum, *Cilicia*. Nam vt ſcribit Plutarchus in Pompeio. Cilicia arx fuit hoc tempore Piratarum, ob eamque cauſam poſt in Cilicia bellum geſſit P. Seruilius, qui Iſauricus inde appellatus eſt. Adde quod M. Antonius apud Ciceronem libro 2. de Oratore pro conſule ſe in Ciliciam veniſſe ait. Antonium porro cum Piratis rem geſſiſſe tradit Plutarchus in Pompeio.

Donec Cimbros vinceret] Veteres libri, *Donec & Cimbros vinceret.*

Vbi virtute ſua explicita fugientem proconſulem, exercitumque proſequuntur] Vet.lib. *Cum virtute ſua explicata.* Quamquam ſenſu admonente, *Explicitis*, lego. Quod eſt, obſidione quaſi Catuli liberati.

In quo caſa traduntur hominum centum quadraginta millia.] Vet.lib. *Hoſtium.* Idem autem numerus traditur fere ab Oroſio, & Plutarcho, & Floro, quamquam Flori locus mendoſe legitur ſic: In patentiſſimo, quem Caudium vocant, campo, procurrere, millia deinde ad XL. ceciderunt. Hinc campus tertio per omnem diem conciditur barbaris. In veteribus autem libris recte ſic: In patentiſſimo quem Caudium vocant campo, concurrere. millia inde centum quadraginta ceciderunt, hinc tertio minus, per totum diem conciditur barbarus.

Totius ciuitatis conſenſu receptus.] Vet.lib. *Exceptus.*

Qui illi quamtulum, &c. inuiderant.] Vet.lib. *Aliquamdiu.*

P. Malleolus.] Vet.lib. *Publicius Malleolus*: recte ita enim & Oroſius: & certe Malleolum Publiciæ gentis cognomen fuiſſe Capitolini conſules oſtendunt.

Bella præterea inter Syriæ reges continet.] Vet.lib. *Inter Syriæ reges geſta continet.*

IN EPITOMEN LIB. LXIX.

A*. Nunnio competitore.*] Hunc Νώνιον Plutarchus, Αὖλον Νώνιον Appianus vocant, ille in Mario, hic libro 1. At Valerius lib. 9. cap. 7. Oroſius libr. *Nummium*, præſertim in manuſcriptis libris: nam vulgari habent *Mummium.* Itaque nihil auſus ſum mutare.

Cn. Apuleius.] *L. Apuleius*, & veteres libri, & omnes ſcriptores.

Numidico, eo quod in eam minime iuraſſet.] Vet.lib. *Quod in eam non iurauerat.*

Sextum quidem conſulatum.] *Quidem*, vacat vet.lib.

Candidatum conſulatus petitorem.] Vet.lib. *Candidatum conſulatus*, ſic lib. 103. *Eoque conſulatus candidato conſpiratio facta eſt.* & lib. 107. *T. Annio Milone candidato conſulatus.*

Bello quodam interfectus eſt.] Loquitur de Saturnino, quem, vt omnes tradunt, Rabirius interfecit. Itaq, *à Rabirio quodam*, legendum eſt. Sic enim & is, qui de viris illuſtribus ſcripſit. Caput eius Rabirius quidam ſenator per cõuiuia in ludibrium circumtulit.

M. Aquilius conſul in Sicilia.] *M' Aquillius proconſul*, ſcribendum. Hunc enim vocat Plutarchus in Mario, Μάνιον Ἀκύλλιον. Itemque in Mithridatico Appianus. Filium hunc eſſe arbitror M' Aquillij M' F. M' N. qui de Aſia triumphauit, vt eſt in Capitolinis triumphis, quem Appianus lib. 1. Μάνιον quoque nominat.

IN EPITOMEN LIB. LXX.

C*Vm M. Aquilius.*] *M' Aquillius*, vt dixi.

Didius proconſul.] Vet.lib. *T. Didius.*

P. Rutilius qui legatus C. Marij proconſulis à publicanorum iniurijs Aſiam defenderat] Lege, *Q. Mucij proconſulis.* neque enim C. Marius obtinuit Aſiam, ſed Q. Mutius Scæuola, vt Pædianus in Diuinationem. Q. Mucij Scæuolę quæſtor Rutilius condemnatus, quod cum prætore conſenſerit ſuo, ne publicani aliquid iniquè agerent prouincia ſua.

Cui cognomentum Apionis fuit.] *Cui cognomen Apioni fuit* veter. libr.

IN EPITOMEN LIB. LXXII.

I*Nitio belli à Picentibus moto.*] Vet.lib. *Orto.*

Eſernia.] *Aeſernia*, Græci.

Auxilia demum.] Vet.lib. *Auxilia deinde.*

IN EPITOMEN LIB. LXXIII.

L*. Cæſar conſul.*] Vet.lib. *L. Iulius Cæſar conſul.*

Qui interemtus eſt.] Vet.lib. *Qui ab ijs interemtus eſt.*

Meliore quidem euentu.] *Quidem*, redundat ex vet.lib.

Pelignos fudit.] Vet.lib. *Pelignos prælio fudit.*

Hirnio Aſinio.] Vet.lib. *Hirno Aſinio.*

IN EPITOMEN LIB. LXXIV.

A*Liaque magiſtratuum ornamẽta inſignia ſumptu ſunt.*] Vet. lib. *Aliaque magiſtratuum inſignia ſumpta ſunt.*

Aurelius Plotius legatus.] Vet.lib. *A. Plotius.*

A. Sempronius Aſellus.] Scribe, *Aſellio.* ſic enim Appianus lib. 1. Valer. lib. 9. c. 7. Fuit autem Aſellio Semproniorum cognomen. Quod Hiſtoricus ille æqualis Scipionis Æmiliani tulit. Qui apud Ciceronem primo de legibus, *Aſilo*, mendoſe dicitur, vbi Latinos hiſtoricos numerat.

IN EPITOMEN LIB. LXXV.

A*. Poſtumius legatus in obſidione caſtrorum hoſtilium cecidit. A. Sulpicius legatus cum claſſi præeſſet infamis crimine proditionis ab exercitu ſuo interfectus eſt.*] In his verbis eſt inſigne mẽdum. Inculcata enim multa verba ſunt ex epitome ſequentis libri, eaque à Gabinio ad Poſtumium tranſlata, quæ autem ad Poſtumium pertinebant, ea Sulpicio ſine cauſa tributa ſunt. ſic igitur lege ex veterum librorum fide: *A. Poſtumius Albinus legatus, cum claſſi præeſſet, infamis crimine proditionis*

ab exercitu ſuo interfectus eſt. Reliqua autem dele. Hæc ipſa A. Poſtumio eueniſſe tradit etiam Oroſius lib. 5. Poſtumius Albinos vir conſolaris tunc L. Sullæ legatus intolerabili ſuperbia omnium in ſe militum odia cum ſuſcitaſſet, lapidib. occiſus eſt. & Valerius li. 9. ca. 8. A. Albinos nobilitate, morib. honorũ omnium cõſummatione ciuis eximius propter falſas, & inanes ſuſpiciones in caſtris ab exercitu lapidibus obrutus eſt.

Quiſquam ante.] Vet. lib. *Quiſquam alias ante.*

IN EPITOMEN LIB. LXXVI.

C*Aeſis à Mamerco Aemilio legatis Italicis.*] Vet. lib. *Caſis et à Mamerco Aemilio legato Italicis.*

Incurſiones Thracum in Macedoniam continet.] Vet. lib. *Incurſiones Thracum in Macedoniam populatione continet.*

IN EPITOMEN LIB. LXXVII.

O*Cciſoque Pompeij conſulis filio.*] Senſus docet legẽdum eſſe: *Occiſo Q. Pompeio conſulis filio.* Paulo ante enim patris conſulis meminit.

Ex quo duodecim.] *Ex qua*, legendum eſt. ad vocem enim *factionem*, pertinet.

Vt præmium promiſſi indicij haberet.] Veter. libr. *Præmium promiſſum.*

Ad capiendum à Cn. Pompeio proconſule exercitum.] Vet. lib. *ad accipiendum.*

IN EPITOMEN LIB. LXXIX.

C*Ornelius Cinna.*] Vet. lib. *L. Cornelius Cinna.*

Cum pernicioſas leges per vim ferret.] Vet. lib. *Per vim, atque arma ferret.*

Pulſus vrbe à Cn. Octauio collega cum Sextio tribuno plebis.] Melior lectio eſt manuſcriptorum librorum, *cum vi. tribunis plebis*, id eſt, *cum ſex tribunis plebis.* Hoc probatur, quia ſcribit Appianus maiorem tribunorum partem Octauio aduerſatos eſſe: ἐπὶ δὲ Ὀκταουΐῳ κατὰ τὴν οἰκίαν τὸ μέλλον ἀπηρεμοῦντι ἐξηγγέλλετο τοὺς πλείους δημάρχους κωλύειν τὰ γιγνόμενα.

Imperioque & abrogato.] Vet. lib. *Imperioque abrogato.* Sic epitome LXXI. *abrogato magiſtratu pulſus vrbe.*

Mortuum ſpoliaret.] Vet. lib. *Spoliaret occiſum.*

IN EPITOMEN LIB. LXXX.

Q*Vi ſoli arma recipiebant.*] Vet. lib. *Retinebant.*

Plantius.] Vet. lib. *Plautius.*

Ianiculum occupauerunt.] Vet. lib. *Oppugnauerunt. Occupaſſe* tamen ait Appianus. Itaque nihil muto.

Antium quidem. Item, *Nulla omnino ſpes.*] Tolle *quidem*, & *omnino*, veteribus lib. auctoribus.

M. Antonio eloquentiſſimo viro, et C. Cæſare.] Vet. lib. *L. et C. Cæſare.* Recte. fratres enim hi fuerunt, ambo in reditu Marij interfecti. Auctor Appianus & reliqui.

In roſtris poſita.] Vet. lib. *In roſtris poſita ſunt.*

Et citra vlla comitia conſules in ſequentem annum ſe ipſos renunciauerunt eodem die, quo magiſtratum inierant: Marius Sex. Licinium.] Sic interpunge & lege: *Eodemque die, quo magiſtratum inierant, Marius, &c.*

Poſtremo armis euertit.] Veteres libri, *Armis hoſtiliter euertit.*

IN EPITOMEN LIB. LXXXI.

P*Reterea à Thracibus in Macedonia geſta continet.*] Vet. lib. *Præterea tranſitus Thracum in Macedoniam continet.*

IN EPITOMEN LIB. LXXXIII.

F*Vſis aliquot copijs.*] Vet. lib. *Fuſis prælio aliquot copiis.*

Ita vt his cederet prouincijs.] Vet. lib. *Ita vt is cederet.* Is, autem, Mithridates intelligitur.

Impetrauitque à ſeruo ſuo præbens ceruicem, vt eum omnino interficeret.] Vet. lib. *Impetrauitque de ſeruo ſuo præbens ceruicem, vt ſe interficeret.*

IN EPITOMEN LIB. LXXXIV.

C*Vm ab omnib. oppidis Italiæ obſides exigere vellet.*] *Cum ab Italiæ oppidis omnibus, coloniiſque obſides*, ex vet. lib.

Conſenſu ſenatus prohibitus.] Vet. lib. *prohibitus eſt.*

Nouis ciuibus s. c. ſuffragium datum eſt.] Italis data lex erat lege Iulia, verum non in XXXV. tribus diſtributis. Eos vt diſtribuerentur cum P. Sulpicius legem tuliſſet, eaque Syllã euerſo abrogata eſſet: Cinna de iis cum Octauio contendit. Itaque data erat illis ciuitas illa quidem, ſed ſine ſuffragio, nunc vero s. c. etiam ſuffragium adepti ſunt, App. lib. 1.

Belli apparatum contra Syllam, quod plurimum excitabatur.] Veter libri, *Belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur.*

IN EPITOMEN LIB. LXXXV.

A *Conſule Cn. Carbone, & C. Norbano.*] Emenda, *à conſule C. Norbano.* Erat enim hoc anno cõſul C. Norbanus cum L. Scipione. Itaque ſequenti verſu ait. Cum L. Scipionis alterios conſulis exercitu, alioqui ſi Carbo conſul eſſet, tertij conſulis fuiſſet dicendum.

IN EPITOMEN LIB. LXXXVI.

I*Demque ex fiducia iam certa victoria, litigatores à quibus adhibebantur vadimonia, Romam deferre iuſſit.*] Lege ex veterum librorum auctoritate Claudio Puteano adfirmante: *Idemque ex fiducia iam certa victoria litigatores, à quibus adibatur, vadimonium Romam differre iuſſit.*

IN EPITOMEN LIB. LXXXVIII.

OCto millia deditorum in via publica trucidauit.] Lege *in villa Pabiiza*, qui locus fuit in campo Martio. Sic enim Auguſt. de Ciuit. lib. 3. cap. 28. *Sulla victor vrbem intrauit, qui in villa publica non iam bello, ſed ipſa pace ſeniēs vii. millia peditum vndecumque inermia non pugnando, ſed iubendo proſtrauit.* Et Valerius lib. 9. cap. 2. *Quatuor legiones contrariæ partis fidem ſuam ſecutas, in villa publica, quæ in campo Martio erat, nequicquam fallacis dextræ miſericordiam implorantes obtruncari iuſſit.*

Inermes interimi iuſſit.] Vet. lib. *Concidi iuſſit.* Appianus lib. 1. κατηκόντισεν ἅπαντας.

Lucretio Aſella.] Vet. lib. *Offella.* Plut. in Sulla, Ὀφέλλα, Itemque Appianus lib. 1.

Mortem ſibi conſciuit in ipſo cudicalo.] Hæc verba arbitror inducenda: vt gloſſema ineptum, repugnant certe cæteris, atque orationem impediunt.

Saucius à ſeruo.] *Ipſe ſaucius à ſeruo.* Vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. LXXXIX.

L. *Brutus.*] Vet. lib. *M. Brutus.*

L. *Carbone, qui Corcyram appulerat.*] Appianus lib. primo, Κοσσύραν hanc inſulam vocat: Κάρβωνα δὲ ἐκ Λιβύης ἐς Σικελίαν καὶ ἀπ' αὐτῆς ἐς Κοσσύραν νῆσον ὑπεκφυγόντα πέμψας ὁ Πομπήιος ἔκτεινε. Et Oroſius: *Pompeius Carbonem à Coſſura inſula in Aegyptum fugere conantem in Siciliam ad ſe retractam occidit.* Eſt autem Coſſura inſola Africæ, auctor Strabo, & Capitol. triumphi. Redactum eſt ſeſtertiûm ter millies quingentieſque.

Q. Lucretium Offellam. Etenim Appianus: Κοΐντον Λουκρήτιον Ὀφέλλαν nominat. Erroris cauſa vulgata eſt.

Rebuſque nouis.] In vet. lib. Inducta particula, *Que*, aliud fit, principium orationis.

Lucretis in Aſellam.] *Offellam*, vt ante.

Hieram regem numidarum.] Hunc regem Eutropius. Iarbam nominat, item is, qui de viris illuſtribus ſcripſit. Plutarchus, vterque in Pompeio: οἱ δὲ τῶν βασιλέων Ἰάρβαν τὸν νομάδα χειρωσάμενοι Δομιτίῳ, τὴν δὲ βασιλείαν Ἱέμψᾳ παρέδωκε. Hiarbæ igitur regis filius fuit Hiempſal, qui regnauit conſule Cicerone, vt ipſe ait contra Rullum. Hiempſalis filius fuit Iuba, victus à Cæſare, vt ait Dio, vbi de bello Cæſaris Africo de quo loquitur Cicero contra Rullum, cum ait: Ioba Regis filius. ſic enim legendum, *non Iubæ regis filius.* Hiempſalis enim regis filium intelligit. Iubæ autem filius fuit Iuba alter, cui Auguſtus regnum conceſſit hiſtoriarum auctor, vt ſcribit Strabo lib. 17.

Quod quidem nemini contigerat.] Veter. lib. *Quod nulli contigerat.*

Cn. Norbanus conſularis.] *C. Norbanus.* Capitol. tab. Itemq; reliqui omnes.

Seipſe interemit.] Vet. lib. *Ipſe ſe interemit.*

Metellus ex proſcriptis vnus.] Vet. lib. *Mutilus*, quod eſt Papiorum cognomen.

Ad poſticam ædis.] Vet. lib. *ad poſticias ædes.*

Sanguine ſuo fores reſperſi.] Vet. lib. *Vxoris foret.*

IN EPITOMEN LIB. XC.

L. *Manlius proconſul.*] Hunc ſubſidio Metelli ex Gallia, cui ipſe præerat, in Hiſpaniam veniſſe ſcribit Oroſius. Et Manilium nominat: quo pacto legendum eſſe apud Plutarchum in Sertorio puto. ὡς τι μὲ Λόλλιον ἐκ τῶν περὶ Ναρβῶνα Γαλατίας ἐλθεῖν αὐτῷ βοηθόν, eſt enim legendum ὡς Μάλλιον.

M. Antonius legatus ab Herculeio quæſtore victi.] Vet. lib. habent *M. Domitius*, & recte. Nam Antonius cuius poſt mentio fit in hoc bello cum Sertorio erat. Domitius autem cum Metello. Domitium autem ab Herculeio Sertorij duce cum exercitu oppreſſum ſcribit Oroſius, Eutropius, & Plut. Et Saluſtius hiſtor. lib. 1. in quo Sertorianum bellum narrabat, Domitium proconſulem ex citeriore Hiſpania cum omnib. copijs, quas parauerat à Metello accerſitum ſcribit, vt ait Priſcianus li. 10. Porro autem, *L. Domitius* vocandus. Sic enim & Eutropius, & Plutarchus.

Ab Hertaleio quæſtore.] Vet. lib. *Herculeio.* Item Eutropius, item Saluſtius hiſtor lib. 2. *Occurrere duci, & prælium accendere, adeo vti Metello in ſagum, Herculeio in brachium tela venirent.* ex Marcello in voce Sagum. Hunc vt opinor, Ἐρέννιον nominat Plutarchus in Pompeio.

IN EPITOMEN LIB. XCI.

CN. *Pompeius cum adhuc quæſtor eſſet, cum imperio conſulari aduerſus Sertorium miſſus eſt.* Vox, *quæſtor*, mendoſe eſt, aut enim *equeſter*, vt in quibuſdam veteribus libris eſt, aut *eques Rom.* eſt legēdum. Nam ſex poſt libris ſcriptum eſt, Cn. Pompeium conſulem factum eſſe antequam quæſturam gereret ex equite Romano. ſic autem locutus eſt in epitoma lib. 89. Cn. Pompeius adhuc eques Romanus ex Africa triumphauit, vt etiam Cicero pro lege Manilia: Quid tam incredibile, quam vt iterum eques Rom. ex s.c. triumpharet. triumphauit autem iterum ex Hiſpania. Et Dio in quadam concione lib. 36. habita de Pompeio: καὶ ἐκ τοῦ ἱππικοῦ ἔτι ὢν τοὺς πολέμους ἐνίκησεν & Plutarchus: μήπω δὲ μετέχων βουλῆς ἐθριάμβευσε.

IN EPITOMEN LIB. XCII.

Q. *Sertorius Metellum, & Perpennam cum duobus exercitibus prælio fudit.*] Legendum: *Q. Metellus Sertorium et Perpennam.* neque enim Sertorius Perpennam, qui à ſe ſtabat, fundere potuit.

Partem eius cupiens auferre.] Vet lib. *Ferre.*

Damna obſidentibus tulit.] Vet. lib. *Intulit.*

Plurimos amicorum, et ſecum proſcriptorum.] Vet. lib. *Plurimos ex amicis, & ſecum proſcriptis.*

IN EPITOMEN LIB. XCIII.

R*Exque à Pompeio, & Metello victas, & vt contra Sertorium egerunt.*] Vitioſus ſine dubio locus ex veſtigijs veterum librorum à me ita emendatur: *Reſque à Pompeio & Metello cōtra Sertorium geſtas continet, qui omnibus belli.* Sic enim in veteribus libris eſt, præterquam quod duæ voces, *Geſtas continet*, intercidetunt: ſic epitoma ſequenti: *Res à Cn. Pompeio in Hiſpania contra Sertorium proſpere geſtas continet.*

Coegit diuerſas regiones petere, Metellum vlteriorem Hiſpaniā, Pompeium Galliam.] Contra Plutarchus in Sertorio: ὥστε ἀναγκάσθηναι τοὺς στρατηγοὺς διαλυθέντας ἐν τῇ μὲ εἰς Γαλατίαν ἀπελθεῖν, Πομπήιον δὲ περὶ Βακκαίους διαχειμάσαι.

IN EPITOMEN LIB. XCIV.

D*Eioratus, Gallogræcia terrarches præfectus Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cecidit.*] Vel aduerſantibus veteribus libris lego, *præfectos Mithridatis.* Nam Deiotatus ſtetit pro Romanis, non pro Mithridate. Id autem aperte Appianus in Mithridatico : τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Φρυγίαν σύμμαχος Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐπὶ τρίχων ὄντων Ῥωμαίων πολλοὺς μετὰ παίδων, καὶ γυναικῶν, Πισίδας τε καὶ Ἰσαύρους ὑπήγετο, καὶ Κιλικίας. μέχρι τῶν τις Γαλατικῶν τετραρχῶν Δηιόταρος ὑπολαλάζοντα αὐτὸν ἐωσεδίωξε, καὶ πολλοὺς διέφθειρε.

IN EPITOMEN LIB. XCV.

C*Curio proconſul Dardanos in Tratia domuit.*] Hinc Saluſtius hiſtor. lib. II. Nonio auctore. *Eodem anno in Macedonia C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coegit.*

P. Vorenum prætorem prælio vicerunt.] Hũc prætorem Plutarchus in Craſſo vocat Πόπλιον Βαρῖνον. Varinium Frontinus libro I. cap. 5. Appianus autem libro I. Βαρῖνον Γλάβρον, vt appareat hunc P. Varinium Glabrum appellatum fuiſſe : meminit etiam P. Varini prætoris Cicero pro Flacco, vbi forte, *Varinij*, legendum eſt, vt gentis nomen, non familiæ ſit.

Congregata ſeruorum & ergaſtulorum multitudine.] Claudius Puteanus affirmat ſe in mſſ. legiſſe: *Congregata ſeruorum ex ergaſtulis multitudine.*

IN EPITOMEN LIB. XCVI.

C*Lentulus conſul.*] *Cn. Lentulus*, perſpicue omnes auctores.

L. Gellius, & Q. Arrius prætor.] Vet. lib. *L. Gellius conſul, & Q.* Item Plutarchus & Appianus. Ceterum hic eſt Q. Arrius prætor, qui cum ſucceſſurus eſſet C. Verri in Cicilia, non ſucceſſit. Pædianus.

Sertorius a M. Antonio. et M. Perpenna, & alijs coniuratis in conuiuio interfectus eſt, &c. Imperium partium ad Marium tranſlatum eſt. Locus obſcurus. Nam cum dicat ab Antonio & Perpenna interfectum eſſe Sertorium, addit imperium partium tranſlatum eſſe ad Mariom. nos autem ab alijs accepimus ad Perpennam perueniſſe. Tolletur igitur omnis obſcuritas, ſi ita legatur : *Sertorius à Manio Antonio, & Marco Perpenna.* Item: *Imperium partium ad Marcũ tranſlatum eſt.* Plutarchus enim in Sertorio Μάλιον Ἀντώνιον, vitioſe vocat, pro Μάνιον. In veteribus autem libris eſt, *ad Marcum*, non ad *Marium*. Eiuſdem porro conuiuij meminit his verbis Saluſtius hiſtor. libro 3. *Sertorius in imo, inter Tarquinium, & dominum Perpenna*, ex Nonio.

Vs frequentius victor.] Vet lib. *Vel frequentius.*

IN EPITOMEN LIB. XCVII.

C*Aeſis inimicorum.*] Vet. lib. *Hoſtium.*

*M. Craſſus, et Cn. Pompeius conſules facti ſunt * ſicut Pompeius, antequam quæſturam gereret ex equite Romano tribuniciam poteſtatem reſtituerunt.*] Locus mutilatus, merito aſteriſco notatus. Vetuſti libri nihil varietatis habent, niſi quod, *Facti ſic*, ibi eſt. Ex quo colligo ita eſſe legẽdum: *M. Craſſus, et Cn. Pompeius conſules facti, vt Craſſus ex prætura, ſic Pompeius antequam quæſturam gereret, ex equite Romano, tribuniciam poteſtatem reſtituerunt.* Eandem enim rem, vt memorabilem edit etiam Appianus lib. I. hoc modo: ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελλον. ὁ μὲν ἐκ στρατηγίας κατὰ τὸν νόμον Σύλλα, ὁ δὲ Πομπήιος οὔτε στρατηγήσας, οὔτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα. Id eſt, *Conſulatum autem ambo ſe petituros eſſe, profeſſi ſunt, is quidem, cum prætor ex lege Sullæ fuiſſet, Põpeius autem, neque prætura, neq; quæſtura perfunctus anno ætatis quarto & triceſimo.* puto tamen legendum *ſexto triceſimo.* Quod quiſq; intelliget, qui aut ortum, aut obitum Pompeij cum primo conſulatu eius conferet. Duabus ergo legibus ſolutus eſt. vna, quod præturam non geſſerat, altera quod ante annos ætatis legitimos factus eſt. Quare merito pro Pompeio ait Cicero: *Quid tam ſingulare, quam vt ex S. C. legibus ſolutus conſul ante fieret, quam vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet?*

Iudicia per M. Aurelium Cottam prætorem.] Lege, *L. Aurelium.* Pædianus enim pro Cornelio. Fuerunt tres fratres C. M. & L. Aurelius Cotta, is qui lege ſua iudicia inter tres ordines, communicauit, adeptique ſunt omnes conſulatum.

IN EPITOMEN LIB. XCVIII.

L*Achares filius Mithridatis.*] Vet. lib. *Machares.* Dio Μαχάρης.

C. Lentulus.] *Cn. Lentulus*, vt ante.

A quibus luſtrum conditum eſt, cenſa ſunt.] Vet. lib. *A quibus luſtro condito cenſa ſunt.*

L. Metellus prætor in Cilicia aduerſus Piratas proſpere rem geſſit.] Scribe, *Sicilia.* Hic eſt enim Metellus, qui Verri in Sicilia ſucceſſit. Pædianus.

Quod incendio conſumptum erat, refectum à Q. Catulo dedicatum eſt.] Vet. lib. *Quod incendio conſumptum, ac refectum erat, à Q. Catulo dedicatum eſt.*

Multis certaminibus ſudit.] Vet. lib. *Pluribus prælijs.*

Seditio militum tenuit, qui ſequi nolebant, quia legiones Valeria impleta à ſe ſtipendia dicentes.] Vet. lib. *Id eſt legiones Valeriana, quæ impleta à ſe ſtipendia dicentes.*

IN EPITOMEN LIB. XCIX.

P*Ompeius Romæ rationem reddit.*] *Romæ*, ſuperuacaneum præſertim cum dicat per epiſtolas rem eſſe actam. abeſt certe à veteribus libris.

IN EPITOMEN LIB. C.

C*Manlius tribunus pl.*] *C. Manlius.* Cicero pro lege Manilia.

Domitis Cretenſibus.] Vet. lib. *Perdomitis Cretenſibus.*

Libera in id tempus inſulæ leges tulit.] Vet lib. *Dedit.* Quo verbo & Cicero, & alij in hoc genere vtuntur.

Phraatem regem Parthorum, et Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filium.] Vet. lib. *Tigranem Armeniorum, ac deinde inter filium.*

IN EPITOMEN LIB. CI.

P*Hænitia.*] *Phœnice*, Vet.lib.

Iberos, Albanos, qui tranſitum minime dabant] Vet lib. *Albanoſque qui tranſitum non dabant.*

IN EPITOMEN LIB. CII.

A *Milite Gallo nomine Bithoco.*] *Bitœto* repono ex Appiano in Mithridatico: Βιτοιτον οὖν τινα ἰδὼν ἡγεμόνα Κελτῶν πολλὰ μὲν ἐκ τῆς σῆς, ἔφη, δεξιᾶς ἐς πολεμίους ὠνάμην, ὀνήσομαι δὲ μέγιστον εἰ νῦν [illegible]. Qui ſcripſit de viris illuſtribus Sithocum nominat.

A quo, vt iuuaretur petierat.] Vet.lib. *A quo vt adiuuaret ſe petierat.*

Cethego, & pluribus.] Vet.lib. *Et pluribus aliis.*

Incendiis vrbis opprimenda rep.] Veteres libri, *Et opprimenda.*

IN EPITOMEN LIB. CIII.

C*Um exercitu caſus.*] Vet.lib. *Caſus eſt.*

Sacrarium, in quod virum intrare nefas eſt intraſſet.] Vet. lib. *In ſacrarium.*

Cumque vxorem Metelli Pontificis ſtuprauiſſet.] Cicero, Plutarchus, Suetonius, omnes denique Cæſaris pontificis Maximi vxorem fuiſſe ſcribũt, non metelli. Itaque non eſt credendum in tam nota hiſtoria lapſum eſſe auctorem, verum, vt multos alios, ſic hunc locum à librariis eſſe vitiatum. Ego vero ſine dubio legendum eſſe puto, *Maximi pontificis*. Errandi cauſa orta eſt ex compendioſa ſcriptura. Nam cum paucis literis ſcriptum eſſet, *M. pont.* imperitus ille, qui deſcripſit interpretatus eſt *Metelli*, cum *Maximi* ea vox ſignificaret.

Cn. Potitius prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonem domuit.] Hic prætor fuit conſule Cicerone, ab eoque, & Saluſtio, C. Pontinus à Dione Γάϊος πομπτῖνος, & Πομπτῖνος dicitur. Idem etiam poſt triumphauit ex Gallia. Ego *C. Pontinium* ſcribo.

Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio triumphauit. Magnuſque à tota concione conſalutatus eſt.] Hæc verba non puto ſuo loco ſita eſſe. Vt ita ſentiam me impellit, quod Cicero libr. 1. ad Atticum. Plinius libro 7. cap. 26. & lib. 38. cap. 2. Capitolinorum triumphorum ſcriptores, & reliqua omnia Romanæ hiſtoriæ monumenta loquuntur, Cn. Pompeium de Mithridate & Aſia triumphaſſe Piſone, & Meſſalla conſulibus. In hac autem epitoma triumphos poſt Gabinij, & Piſonis conſulatum, quo anno Cæſar ſe ſcribit in Galliam veniſſe, & cum Heluetiis pugnaſſe, id eſt, poſt tertium annum collocatur, cum tamen in eadem ante triumphum Pompeij mentio fiat conſpirationis factæ inter Pompeium, & Craſſum, & Cęſarem, quæ Pompeio præſente Romæ ante conſulatum Cæſaris facta eſt. Librarij tamen, & hunc errorem fuiſſe pro certo habeo. Nam qui *Cn. Pompeius*, &c. erat ſcripturus per incuriam culis ad Pontinium coniectis, *Cn. Pontinius* ſcripſit, & quæ ſequuntur. Poſt autem cum intelligeret ſe Pompeij triumphum temere prætermiſiſſe, eundem ipſum in fine Epitomæ collocaſſe. Eſt autem triumphus Pompeij rebus à Pontinio geſtis anteponendus.

IN EPITOMEN LIB. CIV.

G*Allia omni expulit.*] Vet.lib. *Gallia expulit.*

Pompeio inter alios orante, & Ti. Antonio Milone tribuno plebis ingenti gaudio ſenatus, ac vniuerſe Italia ab exilio reductus eſt.] Suſpicor legendum, *et T. Annio Milone trib. pl. agente*, neque enim hoc placet, ne Milonem, qui in magiſtratu erat, & legem rogare poterat: oraſſe dicamus, ſed egiſſe: oraſſe autem Pompeium, qui erat priuatus. Excidiſſe autem hanc vocem propter eam quę ſimilis ſequitur, *ingenti*, puto.

Quorum quidem maxima multitudo.] Vet. lib. non habent, *quidem*.

Adminiſtratio eiuſdem rei.] Vet lib. *Eius rei.*

Ptolemaus Aegypti rex ob iniurias, quas patiebatur, à ſuis regno pulſus, Romam venit.] Vet.lib. *Ob iniurias, quas patiebatur à ſuis, regno pulſus Romam venit.*

IN EPITOMEN LIB. CV.

M *Catonis tribuni pl.*] Lego, *C. Catonis*, ex epiſtolis Ciceronis ad Lentulum. Etenim Lentulo in re Alexandrina maxime aduerſatus eſt. Item ex lib. 22. Annalium Feneſtellæ intelligitur teſte Nonio. Quod vt magiſtratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adoleſcens, nec imparatus ad dicendum concionibus aſſiduis inuidiam & Ptolemæo ſimul, qui iam profectus ex vrbe erat, & P. Lentulo conſuli parantiiam iter concitare ſecundo quidem populi rumore cœpit.

Qua prouincia conſulares in quinquennium Pompeio Hiſpania, Craſſo Syria.] Lege *conſulibus*, pro *conſulares*, vt Pompeium, Craſſumque conſules iterum intelligamus.

Reiecto Archelao.] Vet. lib. *Eiecto Archelao.*

In regnum reduxit Aegypti.] Veteres libri, *Reduxit in regnũ Aegypti.*

Proximam partem.] Vet. lib. *Et proximam.*

In Britanniam parum proſpere tempeſtatibus aduerſis traiecit, iterumque parum felicius.] Lege ex vet. lib. *In Britanniam primum parum proſpere, &c. iterum parum felicius.*

Reliquam partem inſula in poteſtatem redegit.] Vet lib. *aliquam partem*. Egregie. Nam ſcribit in Agricola Tacitus, Cæſarem, qui primum in Britanniam legiones Romanas duxit, proſpera pugna terruiſſe incolas, & literis tantum potitum eſſe.

IN EPITOMEN LIB. CVI.

G*Allorum multi populi.*] Vet. lib. *Aliquot populi.*

Cotta, & T. Aurunculeius legati Cæſaris.] Vet.lib. *Cotta et T. Veturius.* Apparet tamen legendum, *Cotta & Titurius*. Sic enim Cæſar libr. 5. *Q. Titurius, et L. Cotta legati*. Deceptus eſt librarios, quod *Cotta* nomen *Aurunculeius* fuit, eodem auctore Cæſare. Item Appianus Κότλας, καὶ Τιτύριος.

Euocatus in colloquium ab hoſtibus, vt de pace acturus.] *Acturis*. & Vet lib. habent, & hiſtoriæ fides poſtulat.

IN EPITOMEN LIB. CVII.

Q*Vod nemini vmquam contigis.*] Vet. lib. *Quod nulli alij vmquam*, ſine voce, *contigis.*

Lex dicta, vt ratio abſentis Cæſaris.] Vet. lib. *Lex data*. Hinc ego, *Lex lata.*

IN EPITOMEN LIB. CIX.

C*Um ſe dimiſſurum exercitum negaret, niſi à Pompeio dimitteretur.*] Vet. lib. *Exercitus, &, dimitterentur.*

C. Curionis tribuni plebis primum aduerſus Cæſarem actiones continet.] Vet. lib. *Primum aduerſum Cæſarem de populo Romano Cæſare actiones continet.* Hinc ego obſeruatione hiſtoriæ ductus, *Primum aduerſus Cæſarem, deinde pro Cæſare actiones continet.* Id enim omnes tradunt, & maxime Cœlius ad Ciceronem: *Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionē frigere, iam calet: nam feruentiſſime concerpitur, belliſſime enim quia de intercalendo non obtinuerat, transfugit ad populum, et pro Cæſare loqui cœpit.* Ad hanc etiam hiſtoriam pertinere puto verba quædam Varronis ex lib. 4. de vita populi Rom. quæ ſunt apud Marcellum. *Curio cum id ſeciſſet, dicebat amicis, ut illi renunciaretur, ſe obſtrigillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret conſul:* eſt autem obſtrigillare, obſtare.

C. Cæſar bello inimicos perſequutus cum exercitu in Italiam venit.] Et ſenſus, & vetuſtæ lectionis auctoritas probant legendum eſſe, *perſecuturus.*

Uniuerſóſque eius partium Italia omnino expulit.] Vet. libr. *Cæteroſque partium eius Italia expulit.*

IN EPITOMEN LIB. CX.

R*Eliſtis in obſidione C. Trebonio.*] Vet. lib. *Relictis in obſidione urbis eius legatis C. Trebonio.*

In poteſtatem Cæſaris ſe permiſerunt.] Vet. li. *Poteſtati Cæſaris ſe.*

In poteſtatem inimicorum.] Vet. lib. *Hoſtium.*

C. Curio legatus Cæſaris, cum aduerſus Pompeianarum partium ducem Varronem pugnaſſet.] Vet. lib. *Cum proſpere aduerſus.* Porro autem *Varum*, non *Varronem* legendum. Hic eſt enim Atius Varus, qui in Africa ſtetit contra Cæſarem. Eadem labes eſt in bello Cæſaris apud Florum. *Pulſo inquit, fugatoque Varrone.* *Varum* autem habent Cæſar, Dio, Plutarchus, reliqui. Sic in oratione, Antequam iret in exilium legitur, *Q. Varroni trib. pl.* pro *Q. Vario.* Sic in oratione pro P. Sulla. *Nemo T. Coruncano, nemo Curioni, nemo huic ipſi C. Mario, cum ei multi inuiderent, obiecit. Ti. Coruncanio, & C. Curio*, legendum: nominat enim nouos homines Coruncanium, & Curium æquales, ut alias facit.

IN EPITOMEN LIB. CXI.

C*Cæcilius Rufus cum ſeditiones in urbe quam maxime cōcitaret, nouarum tabularum ſpe ſolicitata plebe.*] Lege *M. Cæcilius Rufus.* Eſt enim is, de quo Cæſar lib. 3. belli ciuilis ait: *Iiſdem temporibus Romæ M. Cœlius Rufus prætor cauſa debitorum ſuſcepta initio magiſtratus tribunal ſuum iuxta C. Trebonij prætoris urbani ſellam collocauit.* Et Velleius, *M. Cœlius in pretura nouarum tabularum auctor extitit.* Item iidem Cœlius in Epiſtola ad Ciceronem. Tolle, *Quam maxime*, ex vet. lib.

Q. Catuli prætoris.] Lege, *Q. Caſſij*, ut in emendationum libris correximus ex Dione.

C. Pompeius ad Brunduſium obſeſſus à Cæſare.] Quid eſt tam nouum, quam Pompeium obſeſſum à Cæſare ad Brunduſium. In Vet. lib. eſt, ad *Dyrrachium*: atque idem tradunt omnes hiſtoriæ.

IN EPITOMEN LIB. CXII.

A*Ctore Theodoro.*] Veteres libri, *Theodoto.* Plutarchus Dio, & cæteri Θεόδοτον.

Bellum à Cn. Domitio contra Phraatem Parthum proſpere geſtum continet.] Domitius hic legatus Cæſaris cum Pharnace Ponti rege male rem geſſit. Ex quo apparet, legendum eſſe, contra Pharnacem parum proſpere. Ita enim Appianus libr. 2. Φαρνάκης Δομιτίῳ καὶ τοῖς στρατηγοῖς συνενεχθεὶς ἐς μάχην, ἐνίκησε πάνυ λαμπρῶς. & Dio. lib. 42. καίπερ Γναίου Δομιτίου Καλουΐνου ἡττηθέντος, τήν τε Ἀσίαν οἱ, καὶ τὰ ἄλλα στρατόπεδα κατεστρέψατο, ἐς ὅτε τὸν Δηιόταρον καὶ τὸν Ἀριοβαρζάνην κατελάβετο πλὴν οὐδεὶς ἐπὶ τὸν Φαρνάκην, καὶ συμβαλὼν ἐνίκησε.

IN EPITOMEN LIB. CXIII.

C*Atone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente.*] *Imperium*, vacat, ſubauditur enim ex priore membro. Veteres libri.

Pompeij Magni filius.] Veteres libri, *Inde Pompeius Magni filius.*

IN EPITOMEN LIB. CXIV.

E*T relicto à legione.*] *Et*, vacat vet. lib.

Occiſoque eo Cæſar Scipionem.] Nouum principium orationis à voce, *Cæſar* faciendum eſt.

Rebellentes vicit.] Vet. lib. *Rebellantes prælio vicit.*

IN EPITOMEN LIB. CXV.

S*Pectacula edidit.*] Vet. lib. *Dedit.*

Frui minime potuit.] Vet. lib. *non potuit.*

P. Magio Chilone.] *Cn. Magio*, ex epiſtola Seruij ad Ciceronem.

Cenſa ſunt ciuium capita centum quinquaginta millia.] Numerus hic quamquam valde imminutus eſt, tamen bene habet. Scribit enim Dio pro duabus & triginta myriadibus ciuium, quæ ante bellum ciuile cenſæ ſunt, quindecim tantum cenſas hoc tempore, reliquis bello ciuili abſumptis. Et Appianus ait vix dimidiam partem ciuium, quæ ante ciuile bellum cenſebatur, eſſe cenſam.

Profectus in Hiſpaniam contra Sext. Pompeium.] Vet. libri, *Profectuſque in Hiſpaniam aduerſus Cn. Pompeium:* Recte. Erat enim maior natu Cneus, quam Sextus.

Pompeius Sex. effugit.] Vet. lib. *Sextus Pompeius effugit.*

IN EPITOMEN LIB. CXVI

M*Ulti, quam maximique honores.*] Vet. libri, *Plurimi, maximique.*

Minime aſſurrexit.] Vet. lib. *Non aſſurrexit.*

M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Caſſius, et ex Cæſaris partibus

D. Brutus.] Vet.lib. *M. Brutus, & C. Caſſius, & ex Cæſaris partibus D. Brutus & C. Trebonius.* Idem ceteri.

C. Octauius ex ſorore nepos.] Quamquam Plutarchos in Antonio & Dio idem ſcribunt, (ſcribunt autem Ὀκτάβιον τῆς Ἀτίας τῆς τῷ Καίσαρι ἀδελφῆς υἱόν. Id eſt, *Atiæ ſororis Cæſaris Octauium filium fuiſſe.* tamen portentum dicit, qui ita dicit. Qui enim fieri poteſt, vt Octauius nepos ſit Cæſaris ex ſorore, qui Atia, quæ fuit Iuliæ ſororis Cæſaris filia, natus ſit? quamquam apud eos mendum eſſe ſuſpicor: ἀδελφῆς, pro ἀδελφιδῆς, neque n. Atia ſoror Cæſaris, ſed ſororis filia fuit. Itaque in Bruto ait Plutarchus: οὗτος μὲν ὢν ἐξ ἀδελφιδῆς υἱὸς Καίσαρι. Ergo *ſororis nepos* legendum, vt Vet.lib. habent, atque vt Velleius, Suetonios & alij tradiderunt. Appianus: τῆς ἀδελφῆς θυγατριδοῦν vocat, id eſt, ſororis nepotem ex filia.

In campum Martium ferretur.] Vet. lib. *Deferretur.*

Chamates humillima ſortis homo.] Appianus hunc Ἀμάτιον vocat, Sic enim ait: Ἀμάτιος ὁ ψευδομάριος. Μαρίου γὰρ ὑποκρινόμενος υἱωνὸς εἶναι. Ex eo apparet legendum hoc loco, *C. Amatius.* Mouet tamen quod Valerius libro 9. hunc *Erophilum Equarium medicum* nominat.

IN EPITOMEN LIB. CXVII.

Omnibuſq; proſperis exceptus.] Vet.lib. *Omnibuſque.* Ea vero omnia quæ fuerint, Obſequens, & Dio lib. 45. & Velleius tradunt. Cum enim vrbem intraret, ſolis orbis ſuper caput eius curuatus, rotundatusque in colorem arcus velut coronam tanti mox capiti imponens conſpectus eſt.

In confuſione rerum ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit.] Ne hoc quidem quenquam alias legiſſe opinor, Lepidum pontificem Maximum ab Octauio, vbi primum Apollonia rediit interemptum. immo vero ne id quidem Epitomarum ſcriptor ſcripſit. Nam infra ait, M. Lepidum ab Octauio abrogato triumuiratus honore vitam impetraſſe. Eſt ergo locus mirum in modum viciatus. Vetus liber veſtigia aliqua continet, quibus ad germanam lectionem peruenire valeimus. ſic, *In confuſione rerum, ac tumultuum Lepidum pontificem tum Maximum interfecit.* Hinc ego: *In confuſione rerum, ac tumultu M. Lepidus pontificatum Maximum intercepit.* Confirmat autem hanc lectionem Velleius, qui lib. 2. ait; *Lepidus in locum C. Cæſaris mortui pontifex Maximus furto creatus.*

Tuliſſet per vim.] Vet. lib. *Per vim tuliſſet.*

Auunculi percuſſores.] *Auunculi magni* dicendum erat. Ita tamen etiam Suetonius, *Nihil conuenientius quam necem auunculi vindicare.*

Magnis iniurijs affecit Cæſar vt ſibi & reip.] Melius concluditur hac tota oratio in Vet. libris: ita, *magnis iniurijs affeciſſet, Cæſar & ſibi, & reip.*

Deinde plures.] Vet. lib. *Deinde & complures.*

Et ad Cæſarem.] Dele, & ex vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. CXVIII.

C. Cæſari, qui primus reip. arma ſumpſerat pro populo Rom. imperium à ſenatu datum eſt cum conſularibus ornamentis.] Hic locus mire deprauatus eſt, cum tamen non videatur. Me vt vitiatum eſſe, atque ita legendum eſſe crederem Cicero admonuit. qui pro rep. arma ſumpſerat, proprætoris imperium à ſenatu datum eſt. Nam Cicero in ſenatu, V. in Antonium. ita ait de Octauio: *demus igitur imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt, ſit pro prætore eo iure, quo qui optimo,* &c. Vox, *prætoris*, in populo *Romano* mutata eſt ob eam cauſam, quam ſæpe alias. Eadem macula fœdauit quoque Velleium libro ſecundo cum ait: *Eum ſenatus honoratum equeſtri ſtatua pro P. R. vna cum conſulibus des. Hirtio & Panſa bellum cum Antonio gerere iuſſit,* vbi legendum eſt *pro prætore.* Quod autem ſcriptum eſt, *Conſularibus ornamentis*, mallem, *prætorijs.* Nam & Græci, Plutarchos, Appian. Dio. στρατηγικὰ κόσμια, decreta tradunt. Et Cicero decreuit, ſenatorem eum eſſe, ſententiamque loco prætorio dicere.

IN EPITOMEN LIB. CXIX.

A. Hircius.] *Hirtius*, Cap. conſules & Græci Ἵρτιος.

Qui poſt victoriam ſuam in inimicorum caſtris ceciderat.] Vet. lib. *qui poſt victoriam in hoſtium caſtris ceciderat.*

Cum annos XVIII. haberet conſul creatus eſt.] Vet. libr. *annos* XIX. recte eſt enim natus Octauius conſule Cicerone 9. Kal. Octob. auctore Suetonio. Conſul factus eſt Panſa, & Hirtio conſulibus interfectis 10. Kal. Octob. Quæ ſumma annorum eſt viginti, vno die minus. Quare qui XIX. annos ſcribunt, integros accipiunt, Qui viginti imperfectos. Optime autem omnium Velleius, qui ait conſulatum iniit Cæſar pridie, quam XX. annos impleret, 10. Kal. Octob. cum collega Q. Pedio.

IN EPITOMEN LIB. CXX.

Cui ſenatus, vt perſequeretur Antonium mandauit.] Veteres li. *Mandauerat.*

D. Cæſar pacem cum Antonio et Lepido fecit, ita vt tres viri reip. conſtituendæ quidam per quinquennium præeſſent, ipſe, Lepidus & Antonius ſtatuerunt, vt ſuos quiſque inimicos proſcriberent.] Nihil purius poteſt eſſe vetere huius loci lectione. *Ita vt III. viri reip. conſtituendæ per quinquennium eſſent, ipſe, et Lepidus, & Antonius, vt ſuos quiſque.* Sic enim pacis conditiones fuerunt duæ Triumuiratus & inimicorum proſcriptio.

Nomina fuerant.] *Fuerunt*, Vet. lib.

L. Cæſaris Antonij auunculi, M. Ciceronis.] Vet. lib. *et M. Ciceronis.* Item, *Huius occiſi*, non, *cuius occiſi.*

Caput quoque cum manu.] Vet. lib. *Caput cum manu.* At Liuius tamen inter duas manus poſitum ſcripſit. Verba eius ſunt apud Senecam libro primo declamationum, ita: *Ita relatum caput ad Antonium iuſſuque eius inter duas manus in roſtris poſitum,* in iiſdem verbis nulla Popilij mentio eſt.

IN EPITOMEN LIB. CXXII.

M. Meſſala Publicolam fratrem iunctum communi cōſilio condemnauerunt.] Vet. li. *Victum communi concilio condonauerunt*, & recte: Idem enim Dio. lib. 47. Βρούτῳ τε Γέλλιος ὁ Ποπλικόλας ἐπεβούλευσε, ὁ δὲ δὴ Γέλλιος ἐφωράθη. ἐπειδὴ δὲ αὐτὸν οὐδὲν ὁ γὰρ Βροῦτος ἐκεῖνόν τι ἐν τοῖς φιλτάτοις ἀεὶ νομίσας εἶναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Μάρκον Μεσσάλαν παρὰ τῷ Κασσίῳ ἀπεσταλμένον εἰδώς, ἀφῆκεν αὐτόν.

IN EPITOMEN LIB. CXXIII.

Occiſoque à Pompeio A. Bithynico prætore.] Vet. lib. *Occiſoque A. Pompeio Bithynico prætore.* Sic autem ipſe vocabatur, vt omnia Rom. monumenta loquuntur.

Saluidienum legatum.] Vet. lib. *Q. Saluidienum legatū.* Suetonius in Auguſto: *Saluidienum Rufū.* Quare *Q. Saluidieniū* lego.

Q. Cornificium in Africa T. Seſtium Caſſianarum partium ducem.] Luxata verbo. *Cornificium in Africa Caſſianarum partium ducem T. Seſtius.*

IN EPITOMEN LIB. CXXIV.

A*Ltero deinde prælio victus M. Brutus & ipſe vitam finiuit, exorato Stratone fuga comite, vt ſibi gladium addiceret, annorum erat ætatis* XL. *Inter quos Q. Hortenſius occiſus eſt.*] Locũ hunc mancum eſſe ſemper ſuſpicatus ſum, nec me feſellit opinio, vbi & veteres libros & huius hiſtoriæ ſcriptores conferre cœpi. In Vet. lib. ita eſt, *adigeret, annorum circiter* XL. ita vt duæ Voces abſint, *erat*, & *ætatis*. Hinc ego: *Idemque fecerunt principum Romanorum circiter* XL. *Inter quos Q. Hortenſius occiſus eſt.* Qui enim cum Bruto mortem oppetierunt, tradit. quorum alios ſibimet, vt Brutus fecerat, necem conſciuiſſe ait, alios autem vt Hortenſium ab inimicis eſſe interfectos. Hanc rem ſic Velleius libro ſecundo: *Non aliud bellum cruentius cæde clariſſimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum, Hortenſiumque eminentiſſimorum ciuium filios fortuna abſtulit. Nam Varro ad ludibrium moriturus Antonij digna illo, ac vera de exercitu eius magna cum libertate ominatus eſt. Druſus Liuius Iuliæ Auguſtæ pater, & Varus Quintilius ne tentata quidem hoſtis miſericordia, alter ſeſe ipſe in tabernaculo interemit, Varus autem liberti, quem id facere coegerat manu iugulatus eſt.* Item Dio multo apertius libro quadrageſimo ſeptimo: τῶν δ' ἀνδρῶν τῶν πρώτων τῶν ἀρχὰς ... ἢ καὶ ἐν τοῖς σφαγεῦσι τοῦ Καίσαρος ἐξεταζομένων ἔτι ὄντων. οἱ μὲν πλείους ἑαυτοὺς παραχρῆμα ἀπέκτειναν, οἱ ἁλόντες, ὥσπερ καὶ ὁ Φαβώνιος ἐσφάγησαν. *Ex principibus autem viris, quiq; magiſtratus aliquos geſſerant, aut etiam ex interfectoribus, et ijs, qui adhuc proſcripti erant, plerique ſibimet ipſis ſtatim mortem conſciuerunt, aut capti, vt Fauonius, interfecti ſunt.*

IN EPITOMEN LIB. CXXV.

C*Vm grandi, periclo.*] Veteres libri, *Graui.*

M. Lepido, cui cuſtodia vrbis cum exercitu præerat, ſciſſo.] Vet. lib. *Fuſo.*

IN EPITOMEN LIB. CXXVII.

D*Idio Saxa M. Antonij legato.*] Vet. libr. *Decidio Saxa.* Item Cicero 13. Philip. Decidium Saxam Antonij ſatellitem commemorat.

Annona commeatum impediret.] Veteres libri, *Annona commercium.*

Bella geſta continet.] Vet. lib. *Bella ibi geſta.*

IN EPITOMEN LIB. CXXVIII.

L*. Ventidius legatus.*] Vet. lib. *P. Ventidius*, ita cæteri.

Parthos in Syria vicit.] Vet. lib. *Prælio vicit.*

Iudæorum quoque legati ab Antonio interempti ſunt.] Vet. lib. *Iudæi quoque à legatis Antonij ſubacti ſunt.*

IN EPITOMEN LIB. CXXIX.

I*Ta vt duarũ claſsium, Cæſaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret.*] Vet. lib. *Vt ex duab. Cæſaris claſsibus, altera cui Agrippa præerat.*

Expoſiti in terram in quam maximo periculo eſſent.] Vet. lib. *Expoſiti in terram milites in maximo periculo eſſent.*

M. Lepidus ex Africa velut ad ſocietatem belli contra Sex. Pompeium à Cæſare gerendi traiecerat, ei bellum quoque cum Cæſar inferret, relictis ab exercitu, abrogato triumuiratus honore vitam impetrauit.] Hæc verba ſententiam continent, & à veterum librorum, & ab hiſtoriæ huius fide alienam. Sic igitur corrige ex vet. lib. & Dione lib. 49. & alijs. *M. Lepidus, qui ex Africa velut ad ſocietatẽ belli contra Sex. Pompeium à Cæſare gerendi traiecerat, cum bellum Cæſari quoque inferret, relictus*, &c.

Nemini ante eum habitus eſt.] Vet. lib. *Erat.*

IN EPITOMEN LIB. CXXXI.

A *Legatis eius oppreſſus eſt.*] Veteres libri, *Oppreſſus à legatis eius occiſus eſt.*

IN EPITOMEN LIB. CXXXIII.

C*Æſaris Alexandria in poteſtatem redacta. Cleopatra ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In vrbem reuerſus tres triumphos egit.*] Hæc verba male interpuncta ex auctoritate manuſcripti libri ita debent diſpungi & legi: *Cæſar Alexandria in poteſtatem redacta, Cleopatra ne in arbitriũ victoris veniret, defuncta, in vrbem reuerſus*, &c. ſunt enim hæc omnia vna periodo connectenda.

Tertium ex Cleopatra.] Scribe *de Cleopatra.* Dicimus enim triumphare *ex prouincia*, non autem, *ex Rege*, ſed *de rege.*

Impoſito fine bellis ciuilibus altero & trigeſimo anno.] Lege, *altero, & vigeſimo*, non ſolum quia ita eſt in veter. libris, ſed etiam quia hiſtoriæ veritas id poſtulat. Nam à Lentulo & Marcello conſulibus, quibus ciuilia arma primum ſumpta ſunt, vſque ad Cæſarem v. & Sex. Apuleium conſules, quibus poſita ſunt, tot anni numerantur. Velleius libro ſecundo, Viceſimo anno finita bella ciuilia.

IN EPITOMEN LIB. CXXXIV.

C*Vm ille conuentum Narbone egit.*] Vet. lib. *Narbone ageret.*

Bellum contra Baſtarnas & Mæſos, et alias gentes à M. Craſſo refertur.] Vet. lib. *à M. Craſſo geſtum refertur.*

IN EPITOMEN LIB. CXXXV.

ANte hunc librum inuenio in libro manuſcripto album interuallum eſſe relictum, cum his verbis: *Generaliter & communiter hic eſt defectus quorundam librorum.* Duos autem libros deeſſe puto eos, qui numerum expleant librorum centum quadraginta duorum, quos Petrarcha à Liuio ſcriptos eſſe ait. Itaque hunc librum CXXXVIII. appello, atque ita deinceps reliquos. Deſideratur ergo epitome libri CXXXVI. & CXXXVII. Quod ex his rationibus colligitur. Cenſorinus ait Liuium libro CXXXVI. ludos quintos ſeculares tradidiſſe, quos fecit Auguſtus, qui facti ſunt Cenſorino ipſo, & Dione, & alijs auctoribus, C. Furnio, & C. Iunio Silano conſulibus. Eſt autem veriſimile eum, qui ſcripſit epitomas, quamuis exiliter eas, ac tenuiter ſcripſerit, verbum etiam eorum ludorum, vt rei maxime memorabilis fuiſſe facturum, quemadmodum ante quartorum ludorum fecerit. In libro autem CXXXVI. vulgato nulla eorum mentio fit. Nam de Rhetia victa

Digitized by Google

à Tiberio & Druſo agitur, quod bellum geſtum eſt Druſo, & Piſone conſulibus vt ait Dio, id eſt, biennio poſtquam ludi ſæculares editi fuerant. Accedit quod Hiſpani & Salaſſi in libro cxxxv. Cæſare viii. & Silano conſulibus, auctore Dione ſubacti traduntur id eſt anno dccxxv. ab vrbe condita. Si igitur in libro cxxxv. res explicantur geſtę anno dccxxv. in eo autem, qui ſequitur de Rhetia agitur, quæ victa fuit anno dccxxxv. ſane apparet prætermitti res geſtas nouem annorum, qui interiecti ſunt multaſque nobiles, ac memorabiles actiones præteriri; vbi enim de templo Iani ab Auguſto clauſo? vbi de tribunicia poteſtate Auguſto data? Ergo duos libros medios intercidiſſe credendum eſt.

IN EPITOMEN LIB. CXXXIX.

A*Ra Cæſari.*] Vet. lib. *Ara D. Cæſari.*

Dedicata, ſacerdoteque creato.] Vet. libr. *Dedicatur, ſacerdote creato.*

IN EPITOMEN LIB. CXL.

T*Hraces domiti à Scipione.*] Lego, *à L. Piſone*, is enim cum Pamphyliæ præeſſet hoc bellum geſſit. Dio libro 54. Florus etiam & Velleius Thracas à L. Piſone perdomitos ſcribunt.

Cauci.] *Cauci et Chatti* in Germania ſunt. Dio tamen Chattos ait victos eſſe à Druſo itemque Florus, Velleius & Caucos, & Chattos à Tiberio ſubactos tradit.

IN EPITOMEN LIB. CXLI.

T*Heatrum et porticus eius nomini dicata.*] Vet. libr. *nomine*, id eſt, æque atque ſi ille dicaſſet, Marcelli Theatrum, & porticus appellata.

IN EPITOMEN LIB. CXLII.

N*Uncio valetudinis euocatus.*] Vet. lib. *Valetudinis eius.*

Raptim occurrerat.] Vet. lib. *Accurrerat.*

Romam reuectum.] Corpus Druſi Romam perdectum à Nerone fratre dicitur in manuſcripto. Dio etiam, ἐς [illegible] ἐς Ῥώμην ἐκομίσθη. Tiberius autem non eo Roma venit, ſed ex Pannonia, auctore Dione. Quare *peruectum* placet.

In C. Iulii tumulo conditum.] Auguſti eſt intelligendum. Nam inquit Dio: ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη.

Laudatus à Cæſare.] Vet. lib. *Laudatus eſt à Cæſare.*

FINIS.

CAROLI SIGONII CHRONOLOGIA IN TITI LIVII HISTORIAS AB VRBE CONDITA.

Reges.

Romulus regnat annos xxxviii.
Ioterreges regnant annum i.
Numa Pompilius, annos xliii.
Tullus Hoſtilius, annos xxxii.
Ancus Marcius, annos xxiv.
L. Tarquinius Priſcus, annos xxxviii.
Ser. Tullius, annos xliv.
L. Tarquinius Superbus, annos xxv.

Consules.

245	L. Iunius Brutus.	L. Tarquinius Collatinus.
	S. Lucretius Tricipitinus.	P. Valerius Poplicola.
	M. Horatius Puluillus.	
246	P. Valerius ii.	T. Lucretius.
247	P. Lucretius.	P. Valerius Poplicola iii.
248	Sp. Lartius.	T. Herminius.
249	M. Valerios.	P. Poſtumius.
250	P. Valerius iv.	T. Lucretius.
251	Agrippa Menenius.	P. Poſtumius.
252	Opiter Virginius.	Sp. Caſſius.
253	Poſtumus Cominius.	T. Lartius.
254	Ser. Sulpicius.	M' Tullius.
255	C. Vetuſius.	T. Æbutius.
256	Q. Clœlius.	T. Lartius.
257	A. Sempronius.	M. Minucius.
358	A. Poſtumius.	T. Virginius.
259	Ap. Claudius.	P. Seruilius.
260	A. Virginius.	T. Vetuſius.
261	Sp. Caſſius.	Poſtumus Cominius.
262	T. Geganius.	P. Minucius.
263	M. Minucius.	A. Sempronius.
264	Sp. Nautius.	Sex. Furius.
265	T. Sicinius.	C. Aquillius.
266	Sp. Caſſius.	Proculus Virginius.
267	Ser. Cornelius.	Q. Fabius.
268	L. Æmilius.	K. Furius.
269	M. Fabius.	L. Valerius.
270	Q. Fabius.	C. Iulius.
271	K. Fabius.	Sp. Furius.
272	M. Fabius.	Cn. Manlius.
273	K. Fabius.	T. Virginius.
274	L. Æmilius.	C. Seruilius.
275	C. Horatius.	T. Menenius.
276	A. Virginius.	P. Seruilius.
277	C. Nautius.	P. Valerius.
278	L. Furius.	A. Manlius.
279	L. Æmilius.	Opiter Virginius, vel Vopiſcus Iulius.
280	L. Pinarius.	P. Furius.
281	Ap. Claudius Ap. F.	T. Quintius.
282	L. Valerius.	Ti. Æmilius.
283	T. Numitius Priſcus.	A. Virginius.
284	T. Quintius.	P. Seruilius.
285	Ti. Æmilius.	Q. Fabios.
286	Q. Seruilius.	Sp. Poſtumius.
287	Q. Fabius.	T. Quintius.
288	A. Poſtumius Albus.	Sp. Furius Fuſos.
289	L. Æbutius.	P. Seruilius.
290	L. Lucretius Tricipitinus.	T. Veturius Geminus.
291	P. Volumnius.	Ser. Sulpicius.
292	C. Claudius Ap. F.	P. Valerius Poplicola.
293	Q. Fabius Vibulanus iii.	L. Cornelius Maluginenſis.
294	L. Minucius.	C. Naucius.
295	Q. Minutius.	C. Horatius Puluillus.
296	M. Valerius.	Sp. Virginius.
297	T. Romilius.	Sp. Veturius.
298	Sp. Tarpeius.	A. Aterius.
299	P. Curatius.	Ses. Quinctilius.
300	T. Menenius.	P. Seſſius Capitolinus.
301	Ap. Claudius.	T. Genucius.

Decemviri consulares.

	Ap. Claudius.	Sp. Poſtumius Albus.
	T. Genutius.	Ser. Sulpicius.
	P. Seſtius.	T. Romilius.
	Sp. Veturius.	P. Curatius.
	C. Iulius.	A. Manlius.
	Ap. Claodius.	Q. Fabius.
	M. Cornelius.	M' Rabuleius.
302	L. Minucius.	Q. Pœtelius.
	T. Antonius.	K. Duillius.
	M. Sergius.	Sp. Oppius.
303	Iidem Decemuiri per vim in hunc annum continuarunt.	
304	L. Valerius.	M. Horatius.
305	Iidem conſules continuaſſe videntur in hunc annum.	
306	T. Lar. Herminius.	T. Virgin. Cœlimontan.
207	M. Geganius Macerinus.	C. Iulius.
308	T. Quinctius Capitolinus iv.	Agrippa Furius.
309	M. Genucius.	C. Curtius.
	A. Sempronius Atratinus.	Trib. mil. conſ. pot. abdicarunt. In eorum L. F. ſunt coſ.
310	T. Clœlius.	
	L. Atilius.	
	L. Papirius Mugillanus.	L. Sempron. Atratinus.
311	M. Geganius Macerinus ii.	T. Quintius Capitol. v.
312	M. Fabius Vibulanus.	Poſtumius Æbutius Cornicen.
313	C. Furius Pacilus.	M' Papirius Craſſus.
314	Proculus Geganius Macerin.	L. Menenius Lanatus.
315	T. Quintius Capitol. vi.	Agrippa Menenius Lanatus.
	Mam. Æmilius.	
316	L. Quintius Cincinnati F.	Trib. mil. conſ. poteſt.
	L. Iulius.	
317	M. Geganius Macerin. iii.	L. Sergius Fidenas.
318	M. Cornelius Maluginenſis.	L. Papirius Craſſus.
319	C. Iulius ii.	L. Virginius.
320	C. Iulius iii. vel M. Manlius.	L. Virginius ii. vel Q. Sulpicius.
	M. Fabius Vibulanus.	
321	L. Sergius Fidenas.	Trib. mil. conſ. poteſt.
	M. Foslius.	
	L. Pinarius Mamereos.	
322	L. Furius Medullinus.	Trib. mil. conſ. poteſt.
	Sp. Poſtumius Albos.	
323	T. Quinct. L. F. Cincinnat Pēnus.	C. Iulius Mento.
324	L. Papirius Craſſus.	L. Iulius.
325	L. Sergius Fidenas ii.	Hoſtus Lucretius Tricipitinus.
326	A. Cornelius Coſſus.	T. Q. Pennus ii.
327	C. Seruilius Ahala.	L. Papirius Mugillanus.
328	T. Quinctius Pennu[illegible]	C. Furius.
	M. Poſtumius.	A. Cornelius Coſſus.

		A. Sēpronios Atratinus.	L. Furius Medullinus.
	329	L. Quinctius Cincinnatus.	L. Horatius Barbatus.
		Ap. Clao. Craſs. Xuiri F.	L. Sergius Fidenas.
	330	Sp. Nautios Rutilus.	Sex. Iulius Iulus.
	331	C. Sempronius Atratinus.	Q. Fabius Vibulanus.
		L. Manlius Capitol.	L. Papirius Mugillan.
	332	Q. Antonius Merenda.	L. Serulios Structus.
	333	T. Quinct. Capit. Cap.	F. N. Fabius. Vibul.
	334	Interreges voo aono regnarunt.	
		L. Quinct. Cincinnatus iv.	L. Furius Medull. ii.
Tr. mil.	335	M. Manlius.	A Sempron. Atratin.
		Agrippa Menenius Lana.	P. Luretius Tripicitinus.
Tr. mil.	336	Sp. Nautius.	C. Seruilius.
		L. Sergius Fidenas.	
		M. Papirius Mugillanus.	Trib. mil. conſ. pot.
	337	C. Seruilius Priſc. F.	
Tr. mil.	338	Agrippa Menen Lanat.	L. Seruilius Struct. ii.
		P. Lucretius Tricipitin*.	Sp. Veturius Craſſus.
Tr. mil.	339.	A Semp. Atratinus iii.	Sp. Nautius Rutil. ii.
		M. Papirius Mugillan. ii.	Q. Fabius Vibulanus.
Tr. mil.	340	M. Cornelius Coſſus.	* Quintius Cincinnat.
		C. Valerius Potitus.	N. Fabius Vibulanus.
Tr. mil.	341	Cn. Cornelius Coſſus.	L. Valerius Potitos.
		Q. Fabius Vibulanus ii.	P. Poſtumius Regillenſis.
	342	A. Cornelius Coſſus.	L. Furius Medullinus.
	343	Q. Fabius Ambuſtus.	C. Furius Paculus.
	344	M. Papirius.	C. Natius Rutilus.
	345	M' Æmilius.	C. Valerios.
	346	Cn. Cornelius Coſſus.	L. Furius Medullin. ii.
		C. Iulius Iulos.	
	347	P Coroelius Coſſus.	Trib. mil. conſ. pot.
		C. Seroilius Ahala.	
Tr. mil.	348	L Furius Medullinus ii.	C. Valer. Potitus ii.
		N. Fabius Vibulanus ii.	C Seruilius Ahala ii.
Tr. mil.	349	P. Cornelius Coſſus.	N. Fabios Ambuſtos.
		Cn. Cornelius Coſſus.	L. Valerius Potitus.
		T. Quinct. Capitol.	A. Manlius.
Tr. mil.	350	T. Quinct. Cincinnat.	L. Furius Medol. iii.
		C. Iulius Iulus ii.	M. Æmilius Mamercinus.
		C. Valerius Potitus iii.	Cn. Cornel. Coſſus.
Tr. mil.	351	M' Sergius Fidenas.	K Fabius Ambuſtus.
		P. Cornel. Malugineſis.	Sp. Nautius Rutil. ii.
		M' Æmil. Mamer. ii.	M. Quinctilius Varus.
Tr. mil.	352	L. Valerius Potitus iii.	L. Iulius Iulus.
		Ap Claudius Craſſus.	M. Poſtumius.
		M. Furius Camillus.	M. Poſtumius Albinos.
		C. Seruilius Ahala iii.	Q. Sulpicius.
Tr. mil.	353	Q. Seruilius.	A. Manlius. ii.
		L. Virginius.	M' Sergius ii.
		L. Valerius Potitus iv.	Cn. Cornel. Coſſus.
Tr. mil.	354	M. Furius Camillus.	K Fabius Ambuſtus.
		M. Æmil. Mamerc. iii.	L. Iulius. Iulus.

		P. Licinius Caluus.	P. Mænius.
Tr. mil.	355	L. Titinius.	P. Mælius.
		L. Furius Medullinos.	L. Publilius Vulſcus.
		M. Veturius.	M Pomponius.
Tr. mil.	356	C. Duilius.	Volero Publilios.
		Cn. Genutios.	L. Atilius.
		L. Valerius Potitus v.	L. Furius Medull. iii.
Tr. mil.	357	M. Valerius Maximos.	Q. Seruilius Fidenas ii.
		M. Furius Camillus ii.	Q. Sulpicius Camerinus ii.
		L. Iulios Iulos.	A. Poſtum Regillenſis.
Tr. mil.	358	L. Furius Medull. iv.	P. Corn. Malugienſis.
		L. Sergius fidenas.	A. Manlius.
		P. Licinius P. F. Caluus.	L. Titinius ii.
Tr. mil.	359	P. Mænius ii.	P. Mælius ii.
		Cn. Genucius ii.	L. Atilius ii.
		P. Cornelios Coſſus.	P. Cornelius Scipio.
Tr. mil.	360	K. Fabius Ambuſtus iii.	L. Furius Medulinus v.
		M. Valer. Maximus ii.	Q. Seruilius iii.
		L. Furios Medullio. vi.	Sp. Poſtumius.
Tr. mil.	361	C. Æmilius.	P. Cornelius ii.
		L. Valerius Poplicola.	M. Forius Camillus.
	362	L. Lucretius Flauus.	Ser. Sulpic. Camerin.
	363	L. Valerius Potitus.	M. Manlius Capitolinus.
		L. Lucretios.	L. Furios Medull. vii.
Tr. mil.	364	Ser. Sulpicus.	Agrippa Furius.
		M. Æmil.	C. Æmil. ii.
		Q. Fabius Ambuſtos.	Q. Solpicios Longus.
Tr. mil.	365	Duo fratres Q. Fabij. Ambuſti.	Q. Seruilius iv.
			Ser. Cornel. Malugineniſis.
	366	M. Furius Camillos Dictaturam continauit in hunc annum.	
		L. Valerios Poplicola ii.	A. Manlios.
Tr. mil.	367	L. Virginius.	L. Æmilius.
		P. Coroelius.	L. Poſtumius.
		T. Quinct. Cincinnat.	L. Aquilios Coruus.
Tr. mil.	368	Q. Seruilius Fidenas v.	L. Lucret. Tricipitin.
		L. Iulius Iulus.	Ser. Sulpicius Rufos.
		L. Papirios.	C. Sergius.
Tr. mil.	369	L. Æmilios ii.	C. Cornelius.
		L. Menenius.	L. Valerius Poblicola. iii.
		M. Furius Camillus.	L. Horatius Puluillus.
Tr. mil.	370	Ser. Cornel. Malugioēſ.	L. Quinct. Cincinnat.
		Q. Seruilius Fidenas vi.	P. Valerius.
		A. Manlius.	L. Quinct. Capitolin.
Tr. mil.	371	P. Cornelius.	L. Papirius Curſor ii.
		T. Quinct. Capitolinus.	C. Sergius ii.
		Ser. Cornel. Malugioenſis iii.	P. Valerios Potitus ii.
Tr. mil.	372	M. Furius Camillos v.	Ser. Sulpic. Rufus ii.
		C. Papirius Craſſus.	T. Quinct. Cincin.
		L. Valerius iv.	L. Lucretius.
Tr. mil.	373	A. Manlius iii.	L. Æmilius.
		Ser. Sulpicius iii.	M. Trebonius.
		Sp. Papirius.	Q. Seruilius.
Tr. mil.	374	L. Papirius.	C. Sulpicius.
		Ser. Cornelius iv.	L. Æmilius.

M. Fu-

	M. Furius Camillus vi.	L.Furius.
Tr. mil. 375	A Poſtum.Regillenſis.	L.Lucretios.
	L. Poſtum.Regillenſis.	M.Fabius Ambuſtus.
	L.Valerios v.	L.Menius ii.
Tr.mil.376	P.Valerios iii.	P.Papirius.
	C.Sergius iii.	Ser.Corn. Maſuginenſis.
	P.Manlius.	C.Sextilios.
Tr.mil.377	C.Manlios.	M.Albinus.
	L.Iulius.	L.Aotiſtius.
	Sp.Forius.	P.Clœlius.
Tr.mil.378	Q.Seruilios ii	M.Huratios.
	C.Licinius.	L.Geganius.
	L.Æmilius.	Ser.Sulpitius.
Tr.mil. 379	P.Valerius iv.	L.Quinct. Cicinnat.
	C.Veturios.	C. Quinct.Cicinnat.
380.381.382.	C.Licinius Stulo.	Tribuni pleb. per annos v.
383.384.	L.Sextios.	
	L.Furius.	Ser.Cornelius.
Tr. mil. 385	A.Manlius.	P.Valerius.
	Ser.Sulpicius.	C.Valerius.
	Q.Seruilius.	M.Genucius.
Tr.mil.386	C. Veturius ii.	Q.Quinctius.
	A.Cornelius.	M.Fabius.
	L.Quinctius.	Ser.Cornelios.
Tr. mil. 387	Ser.Sulpicius.	Sp.Seruilios.
	L. Papirius.	L.Veturius.
	A.Curnelius ii.	M.Cornelius ii.
Tr.mil.388	L.Veturius.	M. Geganios.
	P.Manlius.	P.Valerius vi.
389	L.Sextius.	L.Æmilius.
390	L.Genucius.	Q.Seruilius.
391	C.Sulpicius Peticus.	L.Licinius Stolo.
392	L.Æmil.Mamercus.ii.	Go. Genucius.
393	Q. Seruilios Ahala.	L. Genucius ii.
394	C.Sulpicius.	L.Licinius Caluus.
395	C Pœtelius Libo.	M.Fabius Ambuſtus.
396	M.Popillios Lęnas.	C.Manlius.
397	C. Fabius.	C.Plautius.
398	C.Marcius.	Cn.Manlius.
399	M.Fabius Ambuſtus ii.	M.Popillios Lænas ii.
400	C.Sulpicius Peticus iii	M. Valerius Puplicola.
401	M.Fabius Ambuſtus iii.	T.Quinct.vel M.Pupil.
402	C. Sulpicius Peticus iv.	M.Valerios Puplicula.
403	P.Valerios Poplicola iii.	C.Marcius Rutilus.
404	C.Sulpici⁹ Peticus.	T.vel.K.vel.C.Quinct.Pennus.
405	M.Popilius Lænas.	L.Cornelius Scipio.
406	L. Furios Camillus.	P. Claudius Craſſus.
407	M.Valerius Coroos.	M.Popillus Lænas iv.
408	T.Manlius Torquatus.	C.Plautius.
409	M.Valerius Coruos ii.	C.Pœtelius.
410	M.Fabius Dorſo.	Ser.Sulpici.Camerin.
411	C.Marcius Rutilus iii.	T.Manlius Torquat.ii.
412	M.Valerius Coruus iii.	A.Cornelius.Cuſſus.
413	M.Marcius Rutilus iv.	Q.Seruilius.
414	C.Plautius ii.	L.Æmil. Mamercinus.
415	T.Manlius Turquatus. iv.	P.Decius Mos.
416	Ti. Æmil. Mamercinos.	Q.Publilius Philo.
417	L.Furius Camillus.	C.Mænius.
418	C.Sulpicius Longus.	P.Ælius Petus.
419	L.Papirius Craſſus.	K.Duilius.

420	M.Valerios Coruus iv.	M.Atilius Regulus.
421	T.Veturius.	Sp.Poſtumius.
422	Ioterreges anno vno.	
423	A. Cornelius ii.	Cn.Domicius.
424	M.Claodios Marcellus.	C.Valerios Flaccus.
425	L.Papirius Craſſus ii.	L.Plautius Venno.
426	Æmilius Mamercinus.	C.Plautius.
427	P.Plautius Proculos.	P.Cornelios Scapula.
428	L.Curoelius Lentulus.	Q.Publius Philo ii.
429	L.Papirius Mugillanus, alias Curſor.	C.Pœtelius.
430	L.Furius Camillus ii.	Iunios Brutus Scæua.
431	C.Sulpicius Longus ii.	Q.Æmilius vel Aulius Corretanus.
432	Q.Fabios.	L.Fuluius.
433	L.Veturius Caloinus.	Sp.Puſtumius.
434	L.Papirios Curſur. ii.	Q.Poblilius Philo.
435	L.Papirius Cenſor vel Mugillanus.	Q.Aurelius Cerretan.ii.
436	M. Foslius Flaccinatur.	L. Plautius Venno.
437	C.Iunius Bubuculus.	Q.Æmilios Barbula.
438	Sp.Naotius.	M.Popillius.
439	L.Papirius Curſor iv.	Q.Publius Philo iv.
440	M.Pœtelius.	C.Sulpicius.
441	L.Papirios Curſor v.	C.Ionius Bubulcus ii.
442	M.Valerius.	P.Decius.
443	C.Iunius Bobulcus iii.	Q.Æmilius Barbula.ii.
444	C.Marcios Rotilus.	Q.Fabios.
445	Q.Fabius.	P.Decius.
446	Ap.Claudius.	L.Volumnius.
447	Q.Marcius Tremulus.	P.Cornelius Aruina.
448	L. Poſtumius.	Ti.Minucius.
449	P.Sempronius Suphus.	P.Sulpicus Sauerrio.
450	L.Genucius.	Ser.Curoelius.
451	M.Liuius Denter.	M.Æmilios.
452	M.Valerius.	Q.Apuleius Panſa.
453	M.Fuluius Pętus.	T.Manlius Turquatus.
454	L.Curnelius Scipio.	Cn.Fuluius.
455	Q.Fabius Maximos iv.	P.Decius Mus iii.
456	L.Volumnius.	Ap.Claudius.
457	Q.Fabius.v.	P.Decios iv.
458	L.Puſtumius Megellus.	M.Atilius Regulus.
459	L.Papirios Curſor.	Sp.Caruilius.
460	Q.Fabi⁹ Gorges Max.F.	D.Iunius Brotus Scæua.
461	L.Puſtumius.	C.Iunius.
462	P.Cornelius Rufinus.	M' Curios Dentatus.
463	M.Valerius.	Q.Cædicius.
464	Q.Marcius.	P.Cornelius.
465	M.Marcellus.	Sp.Nautius.
466	M.Valerius.	C.Ælios.
467	C.Claudius.	M.Æmilios.
468	C.Seruilius.	L.Cæcilius.
469	P.Cornelios Dolabella.	Co.Domitius.
470	C.Fabricius.	Q.Æmilius.
471	L.Æmilius.	Q.Marcius.
472	P.Valerius.	Ti.Coruncanius.
473	P.Sulpicius.	P.Decius.
474	C.Fabricius.	Q.Æmilius.
475	P.Curnelius.	C.Iunius.
476	Q.Fabius.	C.Genucius.
477	M.Curius.	L.Lentulus.
478	Ser.Cornelius.	M'Curius.
479	C.Fabricius.	C.Claudius.
480	L.Papirius Curſor.	Sp.Caruilius.
481	C.Quintius.	L.Genutius.
482	C.Genutius.	Cn.Cornelius.
483	P.Sempronius.	Ap.Claudius.
484	A. Atilius.	L.Iulius Libo.
485	T.Iunios.	N.Fabius.
486	Ap.Claodius.	M.Fuluius.
487	M' Valerius.	M' Otacilius.
488	L.Puſtumius.	Q.Mamilius.
489	L.Valerius.	T.Otacilius.

IN EPITOMEN LIB. LXXXVIII.

OCto millia deditorum in via publica trucidauit.] Lege *in villa Publica*, qui locus fuit in campo Martio. Sic enim Auguſt. de Ciuit. lib. 3. cap. 28. *Sulla victor vrbem intrauit, qui in villa publica non iam bello, ſed ipſa pace ſeuiës VII. millia peditum vndecumque inermia non pugnando, ſed iubendo proſtrauit.* Et Valerius lib. 9. cap. 2. *Quatuor legiones contrariæ partis fidem ſuam ſecutas, in villa publica, quæ in campo Martio erat, nequicquam fallacis dextræ miſericordiam implorantes obtruncari iuſſit.*

Inermes interimi iuſſit.] Vet. lib. *Concidi iuſſit.* Appianus lib. 1. κατακόντισεν ἅπαντας.

Lucretio Aſella.] Vet. lib. *Offella.* Plut. in Sylla. Ὀφέλλα, Itemque Appianus lib. 1.

Mortem ſibi conſciuit in ipſo cubiculo.] Hæc verba arbitror inducenda: vt gloſſema ineptum. repugnant certe cæteris, atque orationem impediunt.

Saucius à ſeruo.] *Ipſe ſaucius à ſeruo.* Vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. LXXXIX.

L. *Brutus.*] Vet. lib. *M. Brutus.*

L. *Carbone, qui Corcyram appulerat.*] Appianos lib. primo, Κοσσύραν hanc inſulam vocat: Κάρβωνα δὲ ἐκ Λιβύης ἐς Σικελίαν σὺν ἄλλοις ἐς Κόσσυραν νῆσον ὑπεκφύγοντα πέμψας ὁ Πομπήιος ἔκτεινε. Et Oroſius: *Pompeius Carbonem in Coſſura inſula in Aegyptum fugere conantem in Siciliam ad ſe retractum occidit.* Eſt autem Coſſura inſula Africæ, auctor Straho, & Capitol. triumphi. Redactum eſt ſeſterrium rer millies quingentiesque. Q. Lucretium Offellam. Etenim Appianus: Κόιντον Λουκρήτιον Ὀφέλλαν nominat. Erroris cauſa vulgaris eſt.

Rebuſque nouis.] In vet. lib. Inducta particula, *Que*, aliod fit, principium orationis.

Lucretium Aſellam.] *Offellam*, vt ante.

Hiertam regem numidarum.] Hunc regem Eutropius. Iarbam nominat, item is, qui de viris illuſtribus ſcripſit. Plutarchus, vterque in Pompeio: εἷλε δὲ τὸν βασιλέα Ἰάρβαν τῷ μὲν σφαγῆναι ... Δομιτίῳ, τὴν δὲ βασιλείαν Ἰάρβᾳ παρέδωκε. Hiarbæ igitur regis filius fuit Hiempſal, qui regnauit conſule Cicerone, vt ipſe ait contra Rullum. Hiempſalis filius fuit Iuba, victus à Cæſare, vt ait Dio, vbi de bello Cæſaris Africo de quo loquitur Cicero contra Rullum, cum ait: Iuba Regis filius, ſic enim legendum, *non Iuba regis filius.* Hiempſalis enim regis filium intelligit. Iubæ autem filius fuit Iuba alter, cui Auguſtus regnum conceſſit hiſtoriarum auctor, vt ſcribit Strabo lib 17.

Quod quidem nemini contigerat.] Veter. lib. *Quod nulli contigerat.*

Cn. Norbanus conſularis.] *C. Norbanus.* Capitol. tab. Itemq; reliqui omnes.

Seipſe interemit.] Vet. lib. *Ipſe ſe interemit.*

Metellus ex proſcriptis vnus.] Vet. lib. *Mutilus*, quod eſt Papiorum cognomen.

Ad poſticum ædis.] Vet. lib. *ad poſticias ædes.*

Sanguine ſuo fores reſperſit.] Vet. lib. *Vxoris fores.*

IN EPITOMEN LIB. XC.

L. *Manlius proconſul.*] Hunc ſubſidio Metelli ex Gallia, cui ipſe præerat, in Hiſpaniam veniſſe ſcribit Oroſius. Et Manilium nominat: quo pacto legendum eſſe apud Plutarchum in Sertorio puto. ὥστε καὶ Λόλλιον ἐκ τῆς περὶ Ναρβῶνα Γαλατίας ἐλθεῖν αὐτῷ βοηθοῦντα, eſt enim legendum ὥστε Μάλλιον.

M. Antonius legatus ab Herculeio quæſtore victus.] Vet. lib. habent *M. Domitius*, & recte. Nam Antonius cuius poſt mentio fit in hoc bello cum Sertorio erat. Domitius autem cum Metello. Domitium autem ab Herculeio Sertorij duce cum exercitu oppreſſum ſcribit Oroſius, Eutropius, & Plut. Et Saluſtius hiſtor. lib. 1. in quo Sertorianum bellum narrabat, Domitium proconſulem ex citeriore Hiſpania cum omnib. copijs, quas parauerat à Metello acceſſitum ſcribit, vt ait Priſcianus li. 10. Porro autem, *L. Domitius* vocandus. Sic enim & Eutropius, & Plutarchus.

Ab Herculeio quæſtore.] Vet. lib. *Herculeio.* Item Eutropius, item Saluſtius hiſtor lib. 2. *Occurrere duci, & prælium accendere, adeo vt Metello in ſagum, Herculeio in brachium tela venirent.* ex Marcello in voce Sagum. Hunc vt opinor, Ἐρέννιον nominat Plutarchus in Pompeio.

IN EPITOMEN LIB. XCI.

CN. *Pompeius cum adhuc quæſtor eſſet, cum imperio conſulari aduerſus Sertorium miſſus eſt.* Vox *quæſtor*, mendoſe eſt, aut enim *equeſter*, vt in quibuſdam veteribus libris eſt, aut *eques Rom.* eſt legẽdum. Nam ſex poſt libris ſcriptum eſt, Cn. Pompeium conſulem factum eſſe antequam quæſturam gereret ex equite Romano. ſic autem locutus eſt in epitoma lib. 89. Cn. Pompeius adhuc eques Romanus ex Africa triumphauit, vt etiam Cicero pro lege Manilia: Quid tam incredibile, quam vt iterum eques Rom. ex s. c. triompharet. triumphauit autem iterum ex Hiſpania. Et Dio in quadam concione lib. 36. habita de Pompeio: καὶ ὅς γε ἱππεὺς ἔτι ὢν τὰς πολλὰς ἀγωνίας ἠγωνίσατο & Plutarchus: μήπω δὲ μετέχοντι βουλῆς ἐψηφίσαντο δὶς θριαμβεῦσαι.

IN EPITOMEN LIB. XCII.

Q. *Sertorius Metellum, & Perpennam cum duobus exer... prælio fudit.*] Legendum: *Q. Metellus Sertorium et P... pennam.* neque enim Sertorius Perpennam, qui à ſe ſtabat, fundere potuit.

Partem eius cupiens auferre.] Vet lib. *Ferre.*

Damna obſidentibus tulit.] Vet. lib. *Intulit.*

Plurimos amicorum, et ſecum proſcriptorum.] Vet. lib. *Plurimos ex amicis, & ſecum proſcriptis.*

IN EPITOMEN LIB. XCIII.

R *Exque à Pompeio, & Metello victus, & vt contra Sertorium egerunt.*] Vitioſus ſine dubio locus ex veſtigijs veterum librorum à me ita emendatur: *Reſque à Pompeio & Metello cõtra Sertorium geſtas continet, qui omnibus belli.* Sic enim in veteribus libris eſt, præterquam quod duæ voces, *Geſtas continet*, interciderunt: ſic epitoma ſequenti: *Res à Cn. Pompeio in Hiſpania contra Sertorium proſpere geſtas continet.*

Coegit diuerſas regiones petere, Metellum vlteriorem Hiſpaniã; Pompeium Galliam.] Contra Plutarchus in Sertorio: ὥστε ἀναγκασθῆναι τὰ στρατεύματα διαλυθέντας ὁ μὲν εἰς Γαλατίαν ἀπελθεῖν, Πομπήιος δὲ περὶ Βακκαίους διαχειμάσαι.

IN EPITOMEN LIB. XCIV.

D*Eioratus, Gallogræciæ tetrarches præfectus Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cecidit.*] Vel aduerſantibus veteribus libris lego, *præfectos Mithridatis*. Nam Deioratus ſtetit pro Romanis, non pro Mithridate. Id autem aperte Appianus in Mithridatico: τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ Φρυγίαν Εὔμαχος Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐπιτρέχων ἔκτεινε Ῥωμαίων πολλοὺς μετὰ παίδων, καὶ γυναικῶν, Πισίδας τε καὶ Ἰσαύρους ὑπήγετο, καὶ Κιλικίαν. μέχρι τῶν τις Γαλατικῶν τετραρχῶν Δηιόταρος ἐπικαλάζοντα αὐτὸν συνεδίωξε, καὶ πολλοὺς διέφθειρε.

IN EPITOMEN LIB. XCV.

C*. Curio proconſul Dardanos in Tratia domuit.*] Hinc Saluſtius hiſtor. lib. II. Nonio auctore. *Eodem anno in Macedonia C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coegit.*

P. Varenum prætorem prælio vicerunt.] Hũc prætorem Plutarchus in Craſſo vocat Πόπλιον Βαρῖνον. Varinium Frontinus libro I. cap. 5. Appianus autem libro I. Βαρίνιον Γλάβρον, vt appareat hunc P. Varinium Glabrum appellatum fuiſſe: meminit etiam P. Varini prætoris Cicero pro Flacco, vbi forte, *Varinij*, legendum eſt, vt gentis nomen, non familiæ ſit.

Congregata ſeruorum & erga ſtulorum multitudine.] Claudius Puteanus affirmat ſe in mſſ. legiſſe: *Congregata ſeruorum ex ergaſtulis multitudine.*

IN EPITOMEN LIB. XCVI.

C*. Lentulus conſul.*] *Cn. Lentulus*, perſpicue omnes auctores.

L. Gellius, & Q. Arrius prætor.] Vet. lib. *L. Gellius conſul*, & Q. Item Plutarchus & Appianus. Ceterum hic eſt Q. Arrius prætor, qui cum ſucceſſurus eſſet C. Verri in Cicilia, non ſucceſſit. Pædianus.

Sertorius a M. Antonio et M. Perpenna, & alijs coniuratis in conuiuio interfectus eſt, &c. Imperium partium ad Marium tranſlatum eſt. Locus obſcurus. Nam cum dicat ab Antonio & Perpenna interfectum eſſe Sertorium, addit imperium partium tranſlatum eſſe ad Marium. nos autem ab alijs accepimus ad Perpennam perueniſſe. Tolletur igitur omnis obſcuritas, ſi ita legatur: *Sertorius à Manio Antonio, & Marco Perpenna.* Item: *Imperium partium ad Marcũ tranſlatum eſt.* Plutarchus enim in Sertorio Μάλλιον Ἀντώνιον. vitioſe vocat, pro Μάνιον. In veteribus autem libris eſt, *ad Marcum*, non ad *Marium*. Eiuſdem porro conuiuij meminit his verbis Saluſtius hiſtor. libro 3. *Sertorius in imo, inter Tarquinium, & dominum Perpenna*, ex Nonio.

Vt frequentius victor.] Vet lib. *Vel frequentius.*

IN EPITOMEN LIB. XCVII.

C*Aeſis inimicorum.*] Vet. lib. *Hoſtium.*

*M. Craſſus, et Cn. Pompeius conſules facti ſunt * ſicut Pompeius, antequam quæſturam gereret ex equite Romano tribuniciam poteſtatem reſtituerunt.*] Locus mutilatus, merito aſteriſco notatus. Vetuſti libri nihil varietatis habent, niſi quod, *Facti ſic*, ibi eſt. Ex quo colligo ita eſſe legẽdum: *M. Craſſus, et Cn. Pompeius conſules facti, vt Craſſus ex pretura, ſic Pompeius antequam quæſturam gereret, ex equite Romano, tribuniciam poteſtatem reſtituerunt.* Eandem enim rem, vt memorabilem edit etiam Appianus lib. I. hoc modo: ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελλον. ὁ μὲν στρατηγήσας κατὰ τὸν νόμον Σύλλα, ὁ δὲ Πομπήιος οὔτε στρατηγήσας, οὔτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα. Id eſt, *Conſulatum autem ambo ſe petituros eſſe, profeſſi ſunt, is quidem, cum prætor ex lege Sullæ fuiſſet, Põpeius autem, neque pratura, neq; quæſtura perfunctus anno ætatis quarto & triceſimo.* puto tamen legendum *ſexto triceſimo.* Quod quiſq; intelliget, qui aut ortum, aut obitum Pompeij cum primo conſulatu eius conferet. Duabus ergo legibus ſolutus eſt. vna, quod præturam non geſſerat, altera quod ante annos ætatis legitimos factus eſt. Quare merito pro Pompeio ait Cicero: *Quid tam ſingulare, quam vt ex S. C. legibus ſolutus conſul ante fieret, quam vllum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet?*

Iudicia per M. Aurelium Cottam prætorem.] Lege, *L. Aurelium.* Pædianus enim pro Cornelio. Fuerunt tres fratres C. M. & L. Aurelius Cotta, is qui lege ſua iudicia inter tres ordines, communicauit, adeptique ſunt omnes conſulatum.

IN EPITOMEN LIB. XCVIII.

L*Achares filius Mithridatis.*] Vet. lib. *Machares.* Dio Μαχάρης.

C. Lentulus.] *Cn. Lentulus*, vt ante.

A quibus luſtrum conditum eſt, cenſa ſunt.] Vet. lib. *A quibus luſtro condito cenſa ſunt.*

L. Metellus prætor in Cilicia aduerſus Piratas proſpere rem geſſit.] Scribe *Sicilia.* Hic eſt enim Metellus, qui Verri in Sicilia ſucceſſit Pædianus.

Quod incendio conſumptum erat, refectum à Q. Catulo dedicatum eſt.] Vet. lib. *Quod incendio conſumptum, ac refectum erat, à Q. Catulo dedicatum eſt.*

Multis certaminibus fudit.] Vet. lib. *Pluribus prælijs.*

Seditio militum tenuit, qui ſequi nolebant, quia legiones Valeria impleta à ſe ſtipendia dicentes.] Vet. lib. *Id eſt legiones Valerianæ, quæ impleta à ſe ſtipendia dicentes.*

IN EPITOMEN LIB. XCIX.

P*Ompeius Romæ rationem reddit.*] *Romæ*, ſuperuacaneum præſertim cum dicat per epiſtolas rem eſſe actam. abeſt certe à veteribus libris.

IN EPITOMEN LIB. C.

C*. Manlius tribunus pl.*] *C. Manilius.* Cicero pro lege Manilia.

Domitis Cretenſibus.] Vet. lib. *Perdomitis Cretenſibus.*

Libera in id tempus inſula leges tulit.] Vet lib. *Dedit.* Quo verbo & Cicero, & alij in hoc genere vtuntur.

Phraatem regem Parthorum, et Tigranem Armeniorum regem, ac demum inter filiam.] Vet. lib. *Tigraneum Armeniorum, ac deinde inter filium.*

IN EPITOMEN LIB. CI.

P*Hœnitia.*] *Phœnice*, Vet. lib.

Iberos, Albanos, qui tranſitum minime dabant] Vet lib. *Albanoſque qui tranſitum non dabant.*

IN EPITOMEN LIB. CII.

A *Milite Gallo nomine Bithoco.*] *Bitœto* repono ex Appiano in Mithridatico. Βίτοιτον οὖν τινα ἰδὼν ἡγεμόνα Κελτῶν πολλὰ μὲν ἐπὶ τῆς σῆς, ἔφη, δεξιᾶς ἐς πολεμίους ὠνάμην, ὀνήσομαι δὲ μέγιστον εἰ νῦν μεταστήσειας. Qui ſcripſit de viris illuſtribus Sithoeum nominat.

A quo, vt iuuaretur petierat.] Vet. lib. *A quo vt adiuuaret ſe petierat.*

Cethego, & pluribus.] Vet. lib. *Et pluribus aliis.*

Incendiis vrbis opprimenda rep.] Veteres libri, *Et opprimenda.*

IN EPITOMEN LIB. CIII.

C*Um exercitu caſas.*] Vet. lib. *Caſus eſt.*

Sacrarium, in quod virum intrare nefas eſt intraſſet.] Vet. lib. *In ſacrarium.*

Cumque vxorem Metelli Pontificis ſtupraaiſſet.] Cicero, Plutarchus, Suetonius, omnes denique Cæſaris pontificis Maximi vxorem fuiſſe ſcribũt, non metelli. Itaque non eſt credendum in tam nota hiſtoria lapſum eſſe auctorem, verum, vt multos alios, ſic hunc locum à librariis eſſe vitiatum. Ego vero ſine dubio legendum eſſe puto, *Maximi pontificis*. Errandi cauſa orta eſt ex compendioſa ſcriptura. Nam cum paucis literis ſcriptum eſſet, *M. pont.* imperitus ille, qui deſcripſit interpretatus eſt *Metelli*, cum *Maximi* ea vox ſignificaret.

Cn. Potitius prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonem domuit.] Hic prætor fuit conſule Cicerone, ab eoque, & Saluſtio, C. Pontinus à Dione Γάϊος πομπτῖνος, & Πομπτῖνος dicitur. Idem etiam poſt triomphauit ex Gallia. Ego *C. Pontinium* ſcribo.

Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio triumphauit. Magnaſque à tota concione conſalutatus eſt.] Hæc verba non puto ſuo loco ſita eſſe. Vt ita ſentiam me impellit, quod Cicero libr. 1. ad Atticum. Plinius libro 7. cap. 26. & lib. 38. cap. 2. Capitolinorum triumphorum ſcriptores, & reliqua omnia Romanæ hiſtoriæ monumenta loquuntur, Cn. Pompeium de Mithridate & Aſia triumphaſſe Piſone, & Meſſalla conſulibus. In hac autem epitoma triumphus poſt Gabinij, & Piſonis conſulatum, quo anno Cæſar ſe ſcribit in Galliam veniſſe, & cum Heluetiis pugnaſſe, id eſt, poſt tertium annum collocatur, cum tamen in eadem ante triumphum Pompeij mentio fiat conſpirationis factæ inter Pompeium, & Craſſum, & Cęſarem, quæ Pompeio præſente Romæ ante conſolatum Cæſaris facta eſt. Librarij tamen, & hunc errorem fuiſſe pro certo habeo. Nam qui *Cn. Pompeius*, &c. erat ſcripturus per incuriam oculis ad Pontinium coniectis, *Cn. Pontinius* ſcripſit, & quæ ſequuntur. Poſt autem cum intelligeret ſe Pompeij triumphum temere prætermiſiſſe, eundem ipſum in fine Epitomæ collocaſſe. Eſt autem triumphus Pompeij rebus à Pontinio geſtis anteponendus.

IN EPITOMEN LIB. CIV.

G*Allia omni expulit.*] Vet. lib. *Gallia expulit.*

Pompeio inter alios orante, & Ti. Antonio Milone tribuno plebis ingenti gaudio ſenatus, ac vniuerſa Italia ab exilio reductus eſt.] Suſpicor legendum, *et T. Annio Milone trib. pl. agente*, neque enim hoc placet, ne Milonem, qui in magiſtrato erat, & legem rogare poterat: oraſſe dicamus, ſed egiſſe: oraſſe autem Pompeium, qui erat priuatus. Excidiſſe autem hanc vocem propter eam quę ſimilis ſequitur, *ingenti*, puto.

Quorum quidem maxima multitudo.] Vet. lib. non habent, *quidem.*

Adminiſtratio eiuſdem rei.] Vet lib. *Eius rei.*

Ptolemæus Aegypti rex ob iniurias, quas patiebantur, à ſuis regno pulſus, Romam venit.] Vet. lib. *Ob iniurias, quas patiebatur à ſuis, regno pulſus Romam venit.*

IN EPITOMEN LIB. CV.

M. *Catonis tribuni pl.*] Lego, *C. Catonis*, ex epiſtolis Ciceronis ad Lentulum. Etenim Lentulo in re Alexandrina maxime aduerſatus eſt. Item ex lib. 22. Annalium Feneſtellæ intelligitur teſte Nonio. Quod vt magiſtratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adoleſcens, nec imparatus ad dicendum concionibus aſſiduis inuidiam & Ptolemæo ſimul, qui iam profectus ex vrbe erat, & P. Lentulo conſuli paranti iam iter concitare ſecundo quidem populi rumore cœpit.

Quæ prouinciæ conſulares in quinquennium Pompeio Hiſpania, Craſſo Syria.] Lege *conſulibus*, pro *conſulares*, vt Pompeium, Craſſumque conſules iterum intelligamus.

Reiecto Archelao.] Vet. lib. *Eiecto Archelao.*

In regnum reduxit Aegypti.] Veteres libri, *Reduxit in regnũ Aegypti.*

Proximam partem.] Vet. lib. *Et proximam.*

In Britanniam parum proſpere tempeſtatibus aduerſis traiecit, iterumque param felicius.] Lege ex vet. lib. *In Britanniam primum param proſpere, &c. iterum parum felicius.*

Reliquam partem inſulæ in poteſtatem redigit.] Vet lib. *aliquam partem.* Egregie. Nam ſcribit in Agricola Tacitus, Cæſarem, qui primum in Britanniam legiones Romanas duxit, proſpera pugna terruiſſe incolas, & literis tantum potitum eſſe.

IN EPITOMEN LIB. CVI.

G*Allorum multi populi.*] Vet. lib. *Aliquot populi.*

Cotta, & T. Aurunculeius legati Cæſaris.] Vet. lib. *Cotta et T. Veturius.* Apparet tamen legendum, *Cotta & Titurius.* Sic enim Cæſar libr. 5. *Q. Titurius, et L. Cotta legati.* Deceptus eſt librarius, quod *Cotta* nomen *Aurunculeius* fuit, eodem auctore Cæſare. Item Appianus Κόττας, καὶ Τιτύριος.

Euocatus in colloquium ab hoſtibus, vt de pace acturus.] *Acturis* & Vet lib. habent, & hiſtoriæ fides poſtulat.

IN EPITOMEN LIB. CVII.

Q*Vod nemini vmquam contigit.*] Vet. lib. *Quod nulli alij vmquam*, ſine voce *contigit.*

Lex dicta, vt ratio abſentis Cæſaris.] Vet. lib. *Lex data.* Hinc ego, *Lex lata.*

IN EPITOMEN LIB. CIX.

CUm ſe dimiſſarum exercitum negaret, niſi à Pompeio dimitteretur.] Vet. lib. *Exercitus, &c, dimitterentur.*

C. Curionis tribuni plebis primum aduerſus Cæſarem actiones continet.] Vet. lib. *Primum aduerſum Cæſarem de populo Romano Caſure actiones continet.* Hinc ego obſeruatione hiſtoriæ ductus, *Primum aduerſus Cæſarem, deinde pro Cæſare actiones continet.* Id enim omnes tradont, & maxime Cœlius ad Ciceronem: *Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionē frigere, iam calet: nam feruentiſſime concerpitur, belliſſime enim quia de intercalendo non obtinuerat, transfugit ad populum, et pro Cæſare loqui cœpit.* Ad hanc etiam hiſtoriam pertinere puto verba quædam Varronis ex lib. 4. de vita populi Rom. quæ ſunt apud Marcellum. *Curio cum id feciſſet, dicebat amicis, vt illi renunciaretur, ſe obſtrigillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret conſul:* eſt autem obſtrigillare, obſtare.

C. Cæſar bello inimicos perſequutus cum exercitu in Italiam venit.] Et ſenſus, & vetuſtæ lectionis auctoritas probant legendum eſſe, *perſecuturus.*

Vniuerſoſque eius partium Italia omnino expulit.] Vet. libr. *Cæteroſque partium eius Italia expulit.*

IN EPITOMEN LIB. CX.

RElictis in obſidione C. Trebonio.] Vet. lib. *Relictis in obſidione vrbis eius legatis C. Trebonio.*

In poteſtatem Cæſaris ſe permiſerunt.] Vet li. *Poteſtati Cæſaris ſe.*

In poteſtatem inimicorum.] Vet. lib. *Hoſtium.*

C. Curio legatus Cæſaris, cum aduerſus Pompeianarum partium ducem Varronem pugnaſſet.] Vet. lib. *Cum proſpere aduerſus.* Porro autem *Varum*, non *Varronem* legendum. Hic eſt enim Atius Varus, qui in Africa ſtetit contra Cæſarem. Eadem labes eſt in bello Cæſaris apud Florum. *Pulſo inquit, fugatoque Varrone.* *Varum* autem habent Cæſar, Dio, Plutarchus, reliqoi. Sic in oratione, Antequam iret in exilium legitur, *Q. Varroni trib. pl.* pro *Q. Vario.* Sic in oratione pro P. Sulla. *Nemo T. Coruncano, nemo Curioni, nemo huic ipſi C. Mario, cum ei multi inuiderent, obiecit. Ti. Coruncanio, & C. Curio*, legendum: nominat enim nooos homines Coruncanium, & Curium æquales, vt alias facit.

IN EPITOMEN LIB. CXI.

C. Cæcilius Ruſus cum ſeditiones in vrbe quam maxime cōcitaret, nouarum tabularum ſpe ſolicitata plebe.] Lege *M. Cæcilius Ruſus.* Eſt enim is, de qoo Cæſar lib. 3. belli ciuilis ait: *Iiſdem temporibus Romæ M. Cœlius Ruſus prætor cauſa debitorum ſuſcepta initio magiſtratus tribunal ſuum iuxta C. Trebonij prætoris vrbani ſellam collocauit.* Et Velleius, *M. Cælius in prætura nouarum tabularum auctor extitit.* Item iidem Cœlios in Epiſtola ad Ciceronem. Tolle, *Quam maxime*, ex vet. lib.

Q. Catuli prætoris.] Lege, *Q. Caſſij*, vt in emendationum libris correximus ex Dione.

C. Pompeius ad Brunduſium obſeſſus à Cæſare.] Quid eſt tam nouum, quam Pompeium obſeſſum à Cæſare ad Brunduſium. In Vet. lib. eſt, ad *Dyrrachium*; atque idem tradunt omnes hiſtoriæ.

IN EPITOMEN LIB. CXII.

ACtore Theodoro.] Veteres libri, *Theodoto.* Plutarchus Dio, & cæteri Θεόδοτον.

Bellum à Cn. Domitio contra Phraatem Parthum proſpere geſtum continet.] Domitius hic legatus Cæſaris cum Pharnace Ponti rege male rem geſſit. Ex quo apparet, legendom eſſe, contra Pharnacem parum proſpere. Ita enim Appianus libr. 2. Φαρνάκης Δομιτίῳ καὶ ἑτέρῳ στρατηγῷ συνενεχθεὶς ἐς μάχην, ἐνενίκα περιφανῶς. & Dio. lib. 42. κρατήσας Γναῖον Δομίτιον Καλουῖνον ἐπιόντα, τήν τε Ἀσίαν οἱ, καὶ τὰ ἐκεῖσε στρατόπεδα προστάξας λαβεῖν, καὶ ὡς τὸν Δηιόταρον καὶ τὸν Ἀριοβαρζάνην προσκαλῶν ἦλασεν εὐθὺς ἐπὶ τὸν Φαρνάκην, καὶ συμβαλὼν ἐνίκησε.

IN EPITOMEN LIB. CXIII.

CAtone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente.] *Imperium*, vacat, ſubauditur enim ex priore membro. Veteres libri.

Pompeij Magni filius.] Veteres libri, *Inde Pompeius Magni filius.*

IN EPITOMEN LIB. CXIV.

ET relicto à legione.] *Et*, vacat vet. lib.

Occiſoque eo Cæſar Scipionem.] Nouum principiom orationis à voce, *Cæſar* faciendum eſt.

Rebellentes vicit.] Vet. lib. *Rebellantes prælio vicit.*

IN EPITOMEN LIB. CXV.

SPectacula edidit.] Vet. lib. *Dedit.*

Frui minime potuit.] Vet. lib. *non potuit.*

P. Magio Cilone.] *Cn. Magio*, ex epiſtola Seruij ad Ciceronem.

Cenſa ſunt ciuium capita centum quinquaginta millia.] Numerus hic quamquam valde iomminutus eſt, tamen bene habet. Scribit enim Dio pro duabus & triginta myriadibus ciuium, quæ ante bellum ciuile ceoſæ ſunt, quindecim tantum cenſas hoc tempore, reliquis hello ciuili abſumptis. Et Appianus ait vix dimidiam partem ciuium, quæ ante ciuile bellum cenſebatur, eſſe cenſam.

Profectus in Hiſpaniam contra Sext. Pompeium.] Vet. libri, *Profectuſque in Hiſpaniam aduerſus Cn. Pompeium:* Recte. Erat enim maior natu Cneus, quam Sextus.

Pompeius Sex. effugit.] Vet. lib. *Sextus Pompeius effugit.*

IN EPITOMEN LIB. CXVI

MVlti, quam maximique honores.] Vet. libri, *Plurimi, maximique.*

Minime aſſurrexit.] Vet. lib. *Non aſſurrexit.*

M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Caſſius, et ex Cæſaris partibus

Digitized by Google

D. Brutus.] Vet.lib. *M. Brutus, & C. Caſſius, & ex Cæſaris partibus D. Brutus & C. Trebonius.* Idem ceteri.

C. Octauius ex ſorore nepos.] Quanquam Plutarchus in Antonio & Dio idem ſcribunt, (ſcribunt autem Ὀκτάβιον τὸν Ἀτίας τῆς τοῦ καίσαρος ἀδελφῆς υἱόν. Id eſt, *Atiæ ſororis Cæſaris Octauium filium fuiſſe.* tamen portentum dicit, qui ita dicit. Qui enim fieri poteſt, vt Octauius nepos ſit Cæſaris ex ſorore, qui Atia, quæ fuit Iuliæ ſororis Cæſaris filia, natus ſit? quanquam apud eos mendum eſſe ſuſpicor: ἀδελφῆς, pro ἀδελφιδῆς. neque n. Atia ſoror Cæſaris, ſed ſororis filia fuit. Itaque in Bruto ait Plutarchus: οὗτος μὲν ἦν ἐξ ἀδελφιδῆς [illegible] καὶ ὄνομα. Ergo *ſororis nepos* legendum, vt Vet. lib. habent, atque vt Velleius, Suetonius & alij tradiderunt. Appianus: τῆς ἀδελφῆς θυγατριδοῦν vocat, id eſt, ſororis nepotem ex filia.

In campum Martium ferretur.] Vet. lib. *Deferretur.*

Chamaces humillimæ ſortis homo.] Appianus hunc Ἀμάτιον vocat, Sic enim ait: Ἀμάτιος ὁ ψευδομάριος. Μαρίου γὰρ ἐπεποίητο υἱωνὸς εἶναι. Ex eo apparet legendum hoc loco, *C. Amatius.* Mouet tamen quod Valerius libro 9. hunc *Erophilum Equarium medicum* nominat.

IN EPITOMEN LIB. CXVII.

O*Mnibuſq; proſperis exceptus.*] Vet.lib. *Omnibuſque.* Ea vero omnia quæ fuerint, Obſequens, & Dio lib. 45. & Velleius tradunt. Cum enim vrbem intraret, ſolis orbis ſuper caput eius curuatus, rotundatus que in colorem arcus vult coronam tanti mox capiti imponens conſpectus eſt.

In confuſione rerum ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit.] Ne hoc quidem quenquam alias legiſſe opinor, Lepidum pontificem Maximum ab Octauio, vbi primum Apollonia rediit interemptum. immo vero ne id quidem Epitomarum ſcriptor ſcripſit. Nam infra ait, M. Lepidum ab Octauio abrogato triumuiratus honore vitam impetraſſe. Eſt ergo locus mirum in modum vitiatus. Vetus liber veſtigia aliqua continet, quibus ad germanam lectionem peruenire valemus. ſic, *In confuſione rerum, ac tumultuum Lepidum pontificem tum Maximum interfecit.* Hinc ego: *In confuſione rerum, ac tumultu M. Lepidus pontificatum Maximum intercepit.* Confirmat autem hanc lectionem Velleius, qui lib. 2. ait; *Lepidus in locum C. Cæſaris mortui pontifex Maximus furto creatus.*

Tuliſſet per vim.] Vet. lib. *Per vim tuliſſet.*

Auunculi percuſſores.] *Auunculi magni* dicendum erat. Ita tamen etiam Suetonius, *Nihil conuenientius quam necem auunculi vindicare.*

Magnis iniurijs affecit. Cæſar vt ſibi & reip.] Melius concluditur hac tota oratio in Vet. libris: ita, *magnis iniurijs affeciſſet, Cæſar & ſibi, & reip.*

Deinde plures.] Vet. lib. *Deinde & complures.*

Et ad Cæſarem.] Dele, & ex vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. CXVIII.

C*Cæſari, qui primus reip. arma ſumpſerat pro populo Rom. imperium à ſenatu datum eſt cum conſularibus ornamentis.*] Hic locus mire deprauatus eſt, cum tamen non videatur. Me vt vitiatum eſſe, atque ita legendum eſſe crederem Cicero admonuit. qui pro reip. arma ſumpſerat, proprætoris imperium à ſenato datum eſt. Nam Cicero in ſenatu, V. in Antonium. ita ait de Octauio: *demus igitur imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt, ſit pro prætore eo iure, quo qui optimo,* &c. Vox, *prætoris*, in populo *Romano* mutata eſt ob eam cauſam, quam ſæpe alias. Eadem macula fœdauit quoque Velleium libro ſecundo cum ait: *Eum ſenatus honoratum equeſtri ſtatua pro P. R. vna cum conſulibus des. Hirtio & Panſa bellum cum Antonio gerere iuſſit,* vbi legendum eſt *pro prætore.* Quod autem ſcriptum eſt, *Conſularibus ornamentis*, mallem, *prætorijs.* Nam & Græci, Plutarchus, Appian. Dio. στρατηγικὸν κόσμον, decreta tradunt. Et Cicero decernit, ſenatorem eum eſſe, ſententiamque loco prætorio dicere.

IN EPITOMEN LIB. CXIX.

A*Hircius.*] *Hirtius*, Cap. conſules & Græci Ἱρτίος.

Qui poſt victoriam ſuam in inimicorum caſtris ceciderat.] Vet. lib. *qui poſt victoriam in hoſtium caſtris ceciderat.*

Cum annos XVIII. haberet conſul creatus eſt.] Vet. libr. *annos* XIX. recte eſt enim natos Octauius conſule Cicerone 9. Kal. Octob. auctore Suetonio. Conſul factus eſt Panſa, & Hirtio conſulibus interfectis 10. Kal. Octob. Quæ ſumma annorum eſt viginti, vno die minus. Quare qui XIX. annos ſcribunt, integros accipiunt, Qui viginti imperfectos. Optime autem omnium Velleius, qui ait conſulatum iniit Cæſar pridie, quam XX. annos impleret, 10. Kal. Octob, cum collega Q. Pedio.

IN EPITOMEN LIB. CXX.

C*Vi ſenatus, vt perſequeretur Antonium mandauit.*] Veteres li. *Mandauerat.*

D. Cæſar pacem cum Antonio et Lepido fecit, ita vt tres viri reip. conſtituendæ quidam per quinquennium præeſſent, ipſe, Lepidus & Antonius ſtatuerunt, vt ſuos quiſque inimicos proſcriberent.] Nihil purius poteſt eſſe vetere huius loci lectione. *Ita vt III. viri reip. conſtituendæ per quinquennium eſſent, ipſe, et Lepidus, & Antonius, vt ſuos quiſque.* Sic enim pacis conditiones fuerunt duæ Triumuiratus & inimicorum proſcriptio.

Nomina fuerant.] *Fuerunt*, Vet. lib.

L. Cæſaris Antonij auunculi, M. Ciceronis.] Vet. lib. *et M. Ciceronis.* Item, *Huius occiſi*, non, *cuius occiſi.*

Caput quoque cum manu.] Vet. lib. *Caput cum manu.* At Liuius tamen inter duas manus poſitum ſcripſit. Verba eius ſunt apud Senecam libro primo declamationum, ita: *Ita relatum caput ad Antonium iuſſuque eius inter duas manus in roſtris poſitum,* in iiſdem verbis nulla Popilij mentio eſt.

IN EPITOMEN LIB. CXXII.

M*Meſſalæ Publicolam fratrem iunctum communi cõſilio condemnauerunt.*] Vet. li. *Victum communi concilio condonauerunt,* & recte: Idem enim Dio lib. 47. Βρούτῳ τε Γέλλιος ὁ Ποπλικόλας ἐπεβούλευσε, ὁ δὲ δὴ Γέλλιον ἐφώρασε. ἔπειτα δὲ ἀφεὶς αὐτὸν, ὁ γὰρ Βροῦτος ἐπειδή τι ἐν τοῖς φιλτάτοις ἀεὶ ποιήσας εἶχε, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Μάρκον Μεσσάλαν παρὰ τῷ Κασσίῳ συγκείμενον εἶδεν, ἀφῆκεν αὐτόν.

IN EPITOMEN LIB. CXXIII.

O*Cciſoque à Pompeio A. Bithynico prætore.*] Vet. lib. *Occiſoque A. Pompeio Bithynico prætore.* Sic autem ipſe vocabatur, vt omnia Rom. monumenta loquuntur.

Saluidienum legatum.] Vet. lib. *Q. Saluidienum legatũ.* Suetonius in Auguſto: *Saluidienum Rufũ.* Quare *Q. Saluidienũ* lego.

Q. Cornificium in Africa T. Seſtium Caſſianarum partium ducem.] Luxata verbo. *Cornificium in Africa Caſſianarum partium ducem T. Seſtius.*

IN EPITOMEN LIB. CXXIV.

A*Ltero deinde prælio victus M. Brutus & ipſe vitam finiuit, exorato Stratone fugæ comite, vt ſibi gladium addiceret, annoris erat ætatis* XL. *Inter quos Q. Hortenſius occiſus eſt.*] Locũ hunc mancum eſſe ſemper ſuſpicatus ſum, nec me feſellit opinio, vbi & veteres libros & huius hiſtoriæ ſcriptores conferre cœpi. In Vet. lib. ita eſt, *adijceret, annorum circiter* XL. ita vt duæ Voces abſint, *erat*, & *ætatis*. Hinc ego: *Idemque fecerunt principum Romanorum circiter* XL. *Inter quos Q. Hortenſius occiſus eſt.* Qui enim cum Bruto mortem oppetierunt, tradit, quorum alios ſibimet, vt Brutus fecerat, necem conſciuiſſe ait, alios autem vt Hortenſium ab inimicis eſſe interfectos. Hanc rem ſic Velleius libro ſecundo: *Non aliud bellum cruentius cæde clariſſimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum, Hortenſiumque eminentiſſimorum ciuium filios fortuna abſtulit. Nam varro ad ludibrium moriturus Antonij digna illo, ac vera de exercitu eius magna cum libertate ominatus eſt. Druſus Liuius Iuliæ Auguſtæ pater, & Varus Quintilius ne tentata quidem hoſtis miſericordia, alter ſeſe ipſe in tabernaculo interemit, Varus autem liberti, quem id facere coegerat manu iugulatus eſt.* Item Dio multo apertius libro quadrageſimo ſeptimo: τῶν δ' ἀνδρῶν τῶν πρώτων τῶν ἀρχάς τινας ἐσχηκότων ἢ καὶ ἐκ τῶν σφαγέων τῶν τε ἐπικεκηρυγμένων ἔτι ὄντων, οἱ μὲν πλείους ἑαυτοὺς παραχρῆμα ἀπέκτειναν, οἱ δὲ ἁλόντες, ὥσπερ καὶ ὁ Φαβώνιος ἐφθάρησαν. *Ex principibus autem viris, quique magiſtratus aliquos geſſerant, aut etiam ex interfectoribus, et ijs, qui adhuc proſcripti erant, plerique ſibimet ipſis ſtatim mortem conſciuerunt, aut capti, vt Fauonius, interfecti ſunt.*

IN EPITOMEN LIB. CXXV.

C*Vm grandi, periculo.*] Veteres libri, *Graui.*

M. Lepido, cui cuſtodia vrbis cum exercitu præerat, ſciſſo.] Vet. lib. *Fuſo.*

IN EPITOMEN LIB. CXXVII.

D*Idio Saxa M. Antonij legato.*] Vet. libr. *Decidio Saxa.* Item Cicero 13. Philip. Decidium Saxam Antonij ſatellitem commemorat.

Annona commeatum impediret.], Veteres libri, *Annona commercium.*

Bella geſta continet.] Vet. lib. *Bella ibi geſta.*

IN EPITOMEN LIB. CXXVIII.

L. *Ventidius legatus.*] Vet. lib. *P. Ventidius*, ita cæteri.

Parthos in Syria vicit.] Vet. lib. *Prælio vicit.*

Iudæorum quoque legati ab Antonio interempti ſunt.] Vet. lib. *Iudæi quoque à legatis Antonij ſubacti ſunt.*

IN EPITOMEN LIB. CXXIX.

I*Ta vt duarũ claſsium, Cæſaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret.*] Vet. lib. *Vt ex duab. Cæſaris claſsibus, altera, cui Agrippa præerat.*

Expoſiti in terram in quam maximo periculo eſſent.] Vet. lib. *Expoſitis in terram milites in maximo periculo eſſent.*

M. Lepidus ex Africa velut ad ſocietatem belli contra Sex. Pompeium à Cæſare gerendi traiecerat, ei bellum quoque tum Cæſar inferret, relictis ab exercitu, abrogato triumuiratus honore vitam impetrauit.] Hæc verba ſententiam continent, & à veterum librorum, & ab hiſtoriæ huius fide alienam. Sic igitur corrige ex vet. lib. & Dione lib. 49. & alijs. *M. Lepidus, qui ex Africa velut ad ſocietatẽ belli contra Sex. Pompeium à Cæſare gerendi traiecerat, cum bellum Cæſari quoque inferret, relictus,* &c.

Nemini ante eum habitus eſt.] Vet. lib. *Erat.*

IN EPITOMEN LIB. CXXXI.

A *Legatis eius oppreſſus eſt.*] Veteres libri, *Oppreſſus à legatis eius occiſus eſt.*

IN EPITOMEN LIB. CXXXIII.

C*Æſaris Alexandria in poteſtatem redacta. Cleopatra ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In vrbem reuerſus tres triumphos egit.*] Hæc verba male interpuncta ex auctoritate manuſcripti libri ita debent diſpungi & legi: *Cæſar Alexandria in poteſtatem redacta, Cleopatra ne in arbitriũ victoris veniret, defuncta, in vrbem reuerſus*, &c. ſunt enim hæc omnia vna periodo connectenda.

Tertium ex Cleopatra.] Scribe *de Cleopatra.* Dicimus enim triumphare *ex prouincia*, non autem, *ex Rege*, ſed *de rege.*

Impoſito fine bellis ciuilibus altero & trigeſimo anno.] Lege, *altero, & vigeſimo*, non ſolum quia ita eſt in veter. libris, ſed etiam quia hiſtoriæ veritas id poſtulat. Nam à Lentulo & Marcello conſulibus, quibus ciuilia arma primum ſumpta ſunt, vſque ad Cæſarem vi. & Sex. Apuleium conſules, quibus poſita ſunt, tot anni numerantur. Velleius libro ſecundo, Viceſimo anno finita bella ciuilia.

IN EPITOMEN LIB. CXXXIV.

C*Vm ille conuentum Narbone egit.*] Vet. lib. *Narbone ageret.*

Bellum contra Baſtarnas & Mæſos, et alias gentes à M. Craſſo refertur.] Vet. lib. *à M. Craſſo geſtum refertur.*

IN EPITOMEN LIB. CXXXV.

ANte hunc librum inuenio in libro manuſcripto album interuallum eſſe relictum, cum his verbis: *Generaliter & communiter hic eſt defectus quorundam librorum.* Duos autem libros deeſſe puto eos, qui numerum explerant librorum centum quadraginta duorum, quos Petrarcha à Liuio ſcriptos eſſe ait. Itaque hunc librum cxxxviii. appello, atque ita deinceps reliquos. Deſideratur ergo epitome libri cxxxvi. & cxxxvii. Quod ex his rationibus colligitur. Cenſorinus ait Liuium libro cxxxvi. ludos quintos ſeculares tradidiſſe, quos fecit Auguſtus, qui facti ſunt Cenſorino ipſo, & Dione, & alijs auctoribus, C. Furnio, & C. Iunio Silano conſulibus. Eſt autem veriſimile eum, qui ſcripſit epitomas, quamuis exiliter eas, ac tenuiter ſcripſerit, verbum etiam eorum ludorum, vt rei maxime memorabilis fuiſſe facturum, quemadmodum ante quartorum ludorum fecerit. In libro autem cxxxvi. vulgato nulla eorum mentio fit. Nam de Rhetia victa

Digitized by Google

à Tiberio & Druſo agitur, quod bellum geſtum eſt Druſo, & Piſone conſulibus vt ait Dio, id eſt, biennio poſtquam ludi ſæculares editi fuerant. Accedit quod Hiſpani & Salaſſi in libro cxxxv. Cæſare viii. & Silano conſulibus, auctore Dione ſubacti traduntur id eſt anno dccxxv. ab vrbe condita. Si igitur in libro cxxxv. res explicantur geſtę anno dccxxv. in eo autem, qui ſequitur de Rhetia agitur, quæ victa fuit anno dccxxxv. ſane apparet prætermitti res geſtas nouem annorum, qui interiecti ſunt multaſque nobiles, ac memorabiles actiones præteriri: vbi enim de templo Iani ab Auguſto clauſo? vbi de tribunicia poteſtate Auguſto data? Ergo duos libros medios intercidiſſe credendum eſt.

IN EPITOMEN LIB. CXXXIX.

A*Ra Cæſari.*] Vet. lib. *Ara D. Cæſari.*

Dedicata, ſacerdoteque creato.] Vet. libr. *Dedicatur, ſacerdote creato.*

IN EPITOMEN LIB. CXL.

T*Hraces domiti à Scipione.*] Lego, *à L. Piſone*, is enim eum Pamphyliæ præeſſet hoc bellum geſſit. Dio libro 54. Florus etiam & Velleius Thracas à L. Piſone perdomitos ſcribunt.

Cauci.] *Cauci et Chatti* in Germania ſunt. Dio tamen Chattos ait victos eſſe à Druſo itemque Florus, Velleius & Caucos, & Chattos à Tiberio ſubactos tradit.

IN EPITOMEN LIB. CXLI.

T*Heatrum et porticus eius nomini dicata.*] Vet. libr. *nomine*, id eſt, æque atque ſi ille dicaſſet, Marcelli Theatrum, & porticus appellata.

IN EPITOMEN LIB. CXLII.

N*Uncio valetudinis euocatus.*] Vet. lib. *Valetudinis eius.*

Raptim occurrerat.] Vet. lib. *Accurrerat.*

Romam reuectum.] Corpus Druſi Romam peruectum à Nerone fratre dicitur in manuſcripto. Dio etiam, ᾗ ἐπιθανόντα ἐς Ῥώμην ἐκόμισε. Tiberius autem non eo Roma venit, ſed ex Pannonia, auctore Dione. Quare *peruectum* placet.

In C. Iulii tumulo conditum.] Auguſti eſt intelligendum. Nam inquit Dio: ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη.

Laudatus à Cæſare.] Vet. lib. *Laudatus eſt à Cæſare.*

FINIS.

CAROLI SIGONII CHRONOLOGIA IN TITI LIVII HISTORIAS AB VRBE CONDITA.

Reges.

Romulus regnat annos xxxviii.
Interreges regnant annum i.
Numa Pompilius, annos xliii.
Tullus Hoſtilios, annos xxxii.
Ancus Marcius, annos xxiv.
L.Tarquinius Priſcus, annos xxxviii.
Ser.Tullius, annos xliv.
L.Tarquinius Superbus, annos xxv.

Consules.

245	L.Iunius Brutus.	L.Tarquinius Collatinus.
	S.Lucretius Tricipitinus.	P.Valerius Poplicola.
	M.Horatius Puluillus.	
246	P. Valerius ii.	T.Lucretius.
247	P.Lucretius.	P.Valerius Poplicola iii.
248	Sp Lartius.	T.Herminius.
249	M.Valerius.	P.Poſtumius.
250	P.Valerius iv.	T.Lucretius.
251	Agrippa Menenius.	P.Poſtumius.
252	Opiter Virginius.	Sp.Caſſius.
253	Poſtumus Cominius.	T.Lartius.
254	Ser.Sulpicius.	M'Tullius.
255	C.Veruſius.	T.Æbutius.
256	Q.Clœlius.	T.Lartius.
257	A.Sempronius.	M.Minucius.
358	A. Poſtumius.	T.Virginius.
259	Ap.Claudius.	P.Seruilius.
260	A.Virginius.	T.Vetuſius.
261	Sp.Caſſius.	Poſtumus Cominius.
262	T.Geganius.	P.Minocius.
263	M.Minucius.	A.Sempronius.
264	Sp.Nautius.	Sex.Furius.
265	T.Sicinius.	C.Aquillius.
266	Sp.Caſſius.	Proculus Virginius.
267	Ser.Cornelius.	Q.Fabius.
268	L.Æmilius.	K.Furius.
269	M.Fabius.	L.Valerius.
270	Q.Fabius.	C.Iulius.
271	K.Fabius.	Sp.Furius.
272	M.Fabius.	Cn.Manlius.
273	K.Fabius.	T.Virginius.
274	L.Æmilius.	C.Seruilius.
275	C.Horatius.	T.Menenius.
276	A.Virginius.	P.Seruilius.
277	C.Nautius.	P.Valerius.
278	L.Furius.	A.Manlius.
279	L.Æmilius.	Opiter Virginins, vel Vopiſcus Iulius.
280	L.Pinarius.	P.Furius.
281	Ap.Claudius Ap.F.	T.Qvintius.
282	L.Valerius.	Ti.Æmilius.
283	T. Numitius Priſcus.	A.Virginius.
284	T.Quintius.	P.Seruilius.
285	Ti.Æmilius.	Q.Fabius.
286	Q.Seruilius.	Sp.Poſtumius.
287	Q.Fabius.	T.Quintius.
288	A.Poſtumius Albus.	Sp.Furius Fuſus.
289	L. Æbutius.	P. Seruilius.
290	L.Lucretius Tricipitinus.	T.Veturius Geminus.
291	P.Volumnius.	Ser.Sulpicius.
292	C.Claudius Ap.F.	P.Valerius Poplicola.
293	Q.Fabius Vibulanus iii.	L.Cornelius Maluginenſis.
294	L. Minucius.	C.Naucius.
195	Q.Minutius.	C.Horatius Puluillus.
296	M.Valerius.	Sp.Virginius.
297	T.Romilius.	Sp.Veturius.
298	Sp.Tarpeius.	A.Aterius.
299	P.Curatius.	Sex.Quinctilius.
300	T.Menenius.	P.Seſſius Capitolinus.
301	Ap.Claudius.	T.Genucius.

Decemviri consulares.

	Ap.Claudius.	Sp.Poſtumius Albus.
	T.Genutius.	Ser.Sulpicius.
	P.Seſtius.	T.Romilius.
	Sp.Veturius.	P. Curatius.
	C.Iulius.	A.Manlius.
	Ap. Claudius.	Q.Fabius.
	M.Cornelius.	M' Rabuleius.
302	L.Minucius.	Q.Pœtelius.
	T.Antonius.	K.Duillius.
	M.Sergius.	Sp. Oppius.

303 Iidem Decemuiri per vim in hunc annum continuarunt.

304	L. Valerius.	M.Horatius.

305 Iidem conſules continuaſſe videntur in hunc annum.

306	T.Lar.Herminius.	T.Virgin.Cœlimontan.
207	M.Geganius Macerinus.	C.Iulius.
308	T.Quinctius Capitolinus iv.	Agrippa Furius.
309	M. Genucius.	C.Curtius.
	A.Sempronius Atratinus.	Trib. mil. conſ. pot. abdicarunt. In eorum L. F. ſunt coſ.
310	T. Clœlius.	
	L.Atilius.	
	L.Papirius Mogillanus.	L.Sempron.Atratinus.
311	M.Geganius Macerinus ii.	T.Quintius Capitol.v.
312	M.Fabius Vibulanus.	Poſtumius Æbutius. Cornicen.
313	C.Furius Pacilus.	M' Papirius Craſſus.
314	Proculus Geganius Macerin.	L. Menenius Lanatus.
315	T.Quintios Capitol.vi.	Agrippa Menenius Lanatus.
	Mam.Æmilius.	
316	L.Quintius Cincinnati F.	Trib. mil. conſ. poteſt.
	L.Iulius.	
317	M.Geganius Macerin.iii.	L.Sergius Fidenas.
318	M.Cornelius Maluginenſis.	L.Papirius Craſſus.
319	C.Iulius ii.	L.Virginius.
320	C.Iulius iis.vel.M. Manlius.	L.Virginius ii.vel Q. Sulpicius.
	M.Fabius Vibulanus.	
321	L.Sergius Fidenas.	Trib.mil.conſ.poteſt.
	M.Foslius.	
	L.Pinarius Mamercus.	
322	L.Furius Medullinus.	Trib.mil.conſ.poteſt.
	Sp.Poſtumius Albus.	
323	T.Quinct.L.F.Cincinnat Pēnos.	C. Iulius Mento.
324	L.Papirius Craſſus.	L.Iulius.
325	L.Sergius Fidenas ii.	Hoſtus Lucretius Tricipitinus.
326	A.Cornelius Coſſus.	T.Q.Pennus ii.
327	C.Seruilius Ahala.	L. Papirius Mugillanus.
328	T.Quinctius Pennu[illegible]	C.Furius.
	M.Poſtumius.	A. Cornelius Coſſus.

M. Furius Camillus vi. L. Furius.
Tr. mil. 375 A. Poſtum. Regillenſis. L. Lucretius.
L. Poſtum. Regillenſis. M. Fabius Ambuſtus.

L. Valerius v. L. Menius ii.
Tr. mil. 376 P. Valerius iii. P. Papirius.
C. Sergius iii. Ser. Corn. Maluginenſis.

P. Manlius. C. Sextilius.
Tr. mil. 377 C. Manlius. M. Albinus.
L. Iulius. L. Antiſtius.

Sp. Furius. P. Clœlius.
Tr. mil. 378 Q. Seruilius ii. M. Horatius.
C. Licinius. L. Geganius.

L. Æmilius. Ser. Sulpitius.
Tr. mil. 379 P. Valerius iv. L. Quinct. Cicinnat.
C. Veturius. C. Quinct. Cicinnat.

380. 381. 382. C. Licinius Stolo. Tribuni pleb. per annos v.
383. 384. L. Sextius.

L. Furius. Ser. Cornelius.
Tr. mil. 385 A. Manlius. P. Valerius.
Ser. Sulpicius. C. Valerius.

Q. Seruilius. M. Genucius.
Tr. mil. 386 C. Veturius ii. Q. Quinctius.
A. Cornelius. M. Fabius.

L. Quinctius. Ser. Cornelius.
Tr. mil. 387 Ser. Sulpicius. Sp. Seruilius.
L. Papirius. L. Veturius.

A. Cornelius ii. M. Cornelius ii.
Tr. mil. 388 L. Veturius. M. Geganius.
P. Manlius. P. Valerius vi.

389 L. Sextius. L. Æmilius.
390 L. Genucius. Q. Seruilius.
391 C. Sulpicius Peticus. L. Licinius Stolo.
392 L. Æmil. Mamercus. ii. Gn. Genucius.
393 Q. Seruilius Ahala. L. Genucius ii.
394 C. Sulpicius. L. Licinius Caluus.
395 C. Pœtelius Libo. M. Fabius Ambuſtus.
396 M. Popillius Lęnas. C. Manlius.
397 C. Fabius. C. Plaotius.
398 C. Marcius. Cn. Manlius.
399 M. Fabius Ambuſtus ii. M. Popillius Lænas ii.
400 C. Sulpicius Peticus iii M. Valerius Poplicola.
401 M. Fabius Ambuſtus iii. T. Quinct. vel M. Popil.

402 C. Sulpicius Peticus iv. M. Valerius Poplicola.
403 P. Valerius Poplicola iii. C. Marcius Rutilus.
404 C. Sulpici' Peticus. T. vel. K. vel. C. Quinct. Pennus.

405 M. Popilius Lænas. L. Cornelius Scipio.
406 L. Furius Camillus. P. Claudius Craſſus.
407 M. Valerius Coruus. M. Popillus Lænas iv.
408 T. Manlius Torquatus. C. Plautius.
409 M. Valerius Coruus ii. C. Pœtelius.
410 M. Fabius Dorſo. Ser. Sulpici. Camerin.
411 C. Marcius Rutilus iii. T. Manlius Torquat. ii.
412 M. Valerius Coruus iii. A. Cornelius. Coſſus.
413 M. Marcius Rutilus iv. Q. Seruilius.
414 C. Plautius ii. L. Æmil. Mamercinus.
415 T. Manlius Torquatus. iv. P. Decius Mus.
416 Ti. Æmil. Mamercinus. Q. Publilius Philo.
417 L. Furius Camillus. C. Mænius.
418 C. Solpicius Longus. P. Ælius Petus.
419 L. Papirius Craſſus. K. Duilius.
420 M. Valerius Coruus iv. M. Atilius Regulus.
421 T. Veturius. Sp. Poſtumius.
422 Interreges anno vno.
423 A. Cornelius ii. Cn. Domicius.
424 M. Claudius Marcellus. C. Valerius Flaccus.
425 L. Papirius Craſſus ii. L. Plautius Venno.
426 Æmilius Mamercinus. C. Plautius.
427 P. Plautius Proculus. P. Cornelius Scapula.
428 L. Cornelius Lentulus. Q. Publius Philo ii.
429. L. Papirius Mugillanus, alias Curſor. C. Pœtelius.
430 L. Furius Camillus ii. Iunius Brutus Scæua.
431 C. Sulpicius Longus ii. Q. Æmilius vel Aulius Cerretanus.
432 Q. Fabius. L. Fuluius.
433 L. Veturius Caluinus. Sp. Poſtumius.
434 L. Papirius Curſor. ii. Q. Publilius Philo.
435 L. Papirius Cenſor vel Mugillanus. Q. Aurelius Cerretan. ii.
436 M. Foslius Flaccinator. L. Plaurius Venno.
437 C. Iunius Bubuculus. Q. Æmilius Barbula.
438 Sp. Naurius. M. Popillius.
439 L. Papirius Curſor iv. Q. Publius Philo iv.
440 M. Pœtelius. C. Sulpicius.
441 L. Papirius Curſor v. C. Iunius Bobulcus ii.
442 M. Valerius. P. Decius.
443 C. Iunius Bubulcus iii. Q. Æmilius Barbula. ii.
444 C. Marcius Rutilus. Q. Fabius.
445 Q. Fabius. P. Decius.
446 Ap. Claudius. L. Volumnius.
447 Q. Marcius Tremulus. P. Cornelius Aruina.
448 L. Poſtumius. Ti. Minucius.
449 P. Sempronius Sophus. P. Sulpicus Sauerrio.
450 L. Genucius. Ser. Cornelius.
451 M. Liuius Denter. M. Æmilius.
452 M. Valerius. Q. Apuleius Panſa.
453 M. Fuluius Pętus. T. Manlius Torquatus.
454 L. Cornelius Scipio. Cn. Fuluius.
455 Q. Fabius Maximus iv. P. Decius Mus iii.
456 L. Volumnius. Ap. Claudius.
457. Q. Fabius. v. P. Decius iv.
458 L. Poſtumius Megellus. M. Atilius Regulus.
459 L. Papirius Curſor. Sp. Caruilius.
460 Q. Fabi' Gorges Max. F. D. Iunius Brutus Scæua.
461 L. Poſtumius. C. Iunius.
462. P. Cornelius Rufinus. M' Curius Dentatus.
463 M. Valerius. Q. Cædicius.
464 Q. Marcius. P. Coroelius.
465 M. Marcellus. Sp. Nautius.
466 M. Valerius. C. Ælius.
467 C. Claudius. M. Æmilius.
468 C. Seruilius. L. Cæcilius.
469 P. Cornelius Dolabella. Cn. Domitius.
470 C. Fabricius. Q. Æmilius.

471 L. Æmilius. Q. Marcius.
472 P. Valerius. Ti. Coruncanius.
473 P. Sulpicius. P. Decius.
474 C. Fabricius. Q. Æmilius.
475 P. Cornelius. C. Iunius.
476 Q. Fabius. C. Genucius.
477 M. Curius. L. Lentulus.
478 Ser. Cornelius. M' Curius.
479 C. Fabricius. C. Claudius.
480 L. Papirius Curſor. Sp. Caruilius.
481 C. Quintius. L. Genutius.
482 C. Genutius. Cn. Cornelius.
483 P. Sempronius. Ap. Claudius.
484 A. Atilius. L. Iulius Libo.
485 T. Iunius. N. Fabius.
486 Ap. Claudius. M. Fuluius.
487 M' Valerius. M' Otacilius.
488 L. Poſtumius. Q. Mamilius.
489 L. Valerius. T. Otacilius.

490 Cn.Cornelius.	C. Duilius.
491 C.Aquillius.	L.Cornelius.
492 A.AtiliusCalatinus.	P.Sulpicius.
493 Cn. Cornelius.	C. Atilius.
494 Q.Cædicius.	L.Manlius.
495 M. Æmilius Paullus.	Ser.Fuluius Nobilior.
496 Cn. Cornelius.	A.Atilius.
497 Cn.Seruilius.	C.Sempronius.
498 A.Aurelius Cotta.	P.Seruilius.
499 L.Cæcilius Metellus.	C.Furius.
500 C.Atilius Regulus.	L.Manlius.
501 P.Claudius.	L.Iunius.
502 P.Seruilius.	C.Aurelius.
503 L.Cæcilius.	N.Fabius.
504 M.Fabius.	M'Otacilius.
505 M.Fabius.	C.Atilius.
506 A.Manlius.	C.Sempronius.
307 C.Fundanius.	C.Sulpicius.
508 C.Lutatius Carulus.	A.Poſtumius.
509 Q.Lutatius Cerco.	A.Manlius.
510 C.Claudius Centho.	M.Sempronius.
511 C.Mamilius.	Q.Valerius.
512 Ti.Sempronius.	P.Valerius.
513 L. Cornelius.	Q.Fuluius.
514 C.Licinius.	P.Cornelius.
515 T.Manlius Torquatus.	C.Atilius.
516 L.Poſtumius.	Sp. Caruilius.
517 Q.Fabius.	M. Pomponius.
518 M.Lepidus.	M.Poblicius.
519 C.Papirius.	M. Pomponius.
520 M.Æmilius.	M.Iunius.
521 L.Poſtumius.	Cn.Fuluius.
522 Q.Fabius II.	Sp.Caruilius.
523 P. Valerius.	M.Atilius.
524 L.Apuſtius.	M.Valerius.
525 C. Atilius.	L.Æmilius.
526 T.Manlius.	Q.Fuluius II.
527 C. Flaminius.	P.Furius Philus.
528 M. Marcellus.	Cn.Cornelius.
529 P. Cornelius.	M.Minucius.
530 L. Veturius.	C.Lutatius.
531 M.Liuius.	L.Æmilius.
532 P.Cornelius Scipio.	T.Sempronius Longus.
533 Cn Seruil.Geminus.	C.Flaminius.
534 C.Terentius Varro.	L.Æmilius Paullus.
535 L. Poſtumius Albinus III. M. Claudius Marcellus II. Q.Fabius Maximus III.	Ti. Sempronius Gracchus.
536 Q.Fabius Maximus VI.	M.Claudius Marcellus III.
537 Q.Fabius Max.Verucoſi F.	Ti.Sempron.Grachus II.
538 Ap. Claudius Pulcher.	Q.Fuluius Flaccus III.
539 P.Sulpicius Galba.	Cn.Fuluius Centumalus.
540 M. Valerius Læuinus II.	M.Claudius Marcellus IV.
541 Q.Fabius Maximus V.	Q. Fuluius Flaccus IV.
542 M.Claudius Marcellus V.	T.Quinctius Criſpinus.
543 C.Claudius Nero.	M.Liuius Salinator II.
544 Q.Cæcilius Metellus.	L.Veturius Philo.
545 P. Cornelius Scipio.	P.Licinius Craſſus.
546 M. Cornelius Cethegus.	P. Sempronius Tuditanus.
547 Cn. Seruilius Cæpio.	C.Seruilius.
548 Ti.Claudius Nero.	M.Seruilius Geminus.
549 Cn. Cornelius Lentulus.	P.Ælius Pætus.
550 P. Sulpitius Galba.	C. Aurelius Cotta.
551 L. Cornelius Lentulus.	P.Villius Tappulus.
552 T.Quinct.Flaminius.	Sex. Ælius Pætus.
553 C.Cornelius Cethegus.	Q.Minucius Rufus.
554 L.Furius Purpureo.	M. Claudius Marcellus.
555 M.Porcius Cato.	L. Valerius Flaccus.
556 P. Cornelius Scipio Africanus II.	Ti. Sempronius Longus.
557 L.Cornelius Merula.	Q.Minucius Thermus.
558 L. Quinctius Flamininus.	Cn. Domitius Ahenobarbus.
559 M' Acilius Glabrio.	P.Cornelius Scipio Naſica.
560 L.Cornelius Scipio.	C.Lælius.
561 Cn.Manlius Vulſo.	M. Fuluius Nobilior.
562 C.Liuius Salinator.	M.Valerius Meſſala.
563 M'Æmilius Lepidus.	C. Flaminius.
564 Sp.Poſtumius Albinus.	Q. Marcius Philippus.
565 Ap. Claudius Pulcher.	M.Semp. Tuditanus.
566 P.Claudius Pulcher.	L.Porcius Licinus.
567 Q.Fabius Labeo.	M.Claudius Marcellus.
598 L.Æmilius Paullus.	Cn.Bæbius Tamphilus.
569 P.Cornelius Cethegus.	M.Bæbius Tamphilus.
570 A. Poſtumius Albinus.	C.Calpurnius Piſo. Q.Fuluius Flaccus.
571 L.Manlius Acidinus.	Q.Fuluius Flaccus.
572 M.Iunius Brutus.	A.Manlius Volſo.
573 C.Claudius Pulcher.	Ti.Sempronius Gracchus.
574 Cn. Cornelius Scipio Hiſpalus. C.Valerius Læuinus.	Q.Petilius Spurinus.
575 P.Mucius Scæuola.	M.Æmilius Lepidus II.
576 Sp.Poſtumius Albinus.	Q.Mucius Scæuola.
577 L.Poſtumius Albinus.	M.Popillius Lænas.
578 C.Popillius Lænas.	P.Ælius Ligur.
579 P.Licinius Craſſus.	C.Caſſius Longinus.
580 A.Hoſtilius Mancinus.	A.Atilius Serranus.
581 Q.Marcius Philippus II.	Cn.Seruilius Cæpio.
582 L.Æmilius Paullus II.	C.Licinius Craſſus.
583 Q.Ælius Pætus.	M.Iunius.
584 M.Marcellus.	C.Sulpicius.
585 Cn.Octauius.	T.Manlius.
586 A.Manlius.	Q.Caſſius.
587 Ti.Sempronius.	M'Iuuentius.
588 P.Corneli' Scipio Naſica.	C.Marcius.
589 M.Meſſala.	C.Fannius.
590 L.Anicius.	M.Cornelius Cethegus.
591 Cn.Cornelius Dolabella.	M.Fuluius.
592 M.Æmilius.	C.Popillius.
593 Sex.Iulius.	L.Aurelius.
594 L.Lentulus.	C.Marcius.
595 P.Scipio Naſica.	M.Claudius.
596 L.Poſtumius.	Q.Opimius.
597 Q.Fuluius.	T.Annius.
598 M.Marcellus.	L.Valerius.
599 L.Licinius Lucullus.	A.Poſtumius Albinus.
600 T.Quinctius.	M'Acilius.
601 L.Marcius.	M'Manilius.
602 Sp.Poſtumius.	L.Piſo.
603 P.Africanus.	C.Liuius.
604 Cn.Cornelius.	L.Mummius.
605 Q.Fabius Maximus.	L.Hoſtilius.
606 Ser.Galba.	L.Aurelius.
607 Ap.Claudius.	Q.Metellus.
608 L.Metellus.	Q.Maximus.
609 Cn.Cæpio.	Q.Pompeius.
610 Q.Cæpio.	C.Lælius.
611 Cn.Piſo.	M.Popillius.
612 P.Scipio.	D.Brutus.
613 M.Æmilius.	C.Hoſtilius Mancinus.
614 P.Furius.	Sex.Atilius Serranus.
615 Ser.Fuluius.	C.Calpurnius.
616 P.Africanus.	C.Fuluius Flaccus.
617 P.Mucius.	L.Calpurnius.
618 P.Popillius.	P.Rupilius.
619 P.Craſſus.	L.Valerius.
620 C. Claudius.	M.Perperna.
621 C. Sempronius.	M'Aquillius.
622 Cn.Octauius.	T.Annius.
623 L.Caſſius.	L.Cinna.
624 M.Æmilius.	L.Aurelius.
625 M.Plautius.	M' Fuluius.
626 C.Caſſius Longinus.	C.Sextius.
627 Q.Cæcilius.	T.Quinctius.
628 Cn.Domitius.	C.Fannius.
629 L.Opimius.	Q.Maximus.

630	P.Manlius.	C.Papirius.
631	L.Cæcilius.	L.Aurelius.
632	M.Cato.	Q.Marcius.
633	L.Cæcilius.	Q.Mucius.
634	C.Licinius Geta.	Q.Maximus.
635	M.Metellus.	M.Scaurus.
636	M'Acilius Balbus.	C.Cato.
637	C.Cæcilius.	Cn.Papirius.
638	M.Liuius Druſus.	L.Piſo.
639	P.Scipio.	L.Calpurnius Beſtia.
640	Sp.Poſtumius.	M.Minucius.
641	Q.Metellus.	M.Silanus.
642	Ser.Galba.	M.Scaurus.
643	L.Caſſius.	C.Marius.
644	Q.Seruilius Cæpio.	C.Atilius.
645	P.Rutilius Rufus.	Cn.Manlius.
646	C.Marius II.	C.Flauius Fimbria.
647	C.Marius III.	L.Aurelius Oreſtes.
648	C.Marius IV.	Q.Lutatius.
649	C.Marius V.	M' Aquillius.
650	C.Marius VI.	L.Valerius Flaccus.
651	M.Antonius.	A.Poſtumius.
652	Q.Metellus.	T.Didius.
653	Cn.Lentulus.	P.Craſſus.
654	Cn.Domitius.	P.Caſſius.
655	L.Craſſus.	Q.Scæuola.
656	C.Cælius.	L.Domitius.
657	C.Valerius Flaccus.	M.Heremius.
658	C.Claudius Pulcher.	M.Perperna.
659	L.Marcius.	Sex.Iulius.
660	L.Iulius Cæſar.	P.Rutilius Lupus.
661	L.Porcius.	Cn.Pompeius.
662	L.Sulla.	Q.Pompeius.
663	L.Cornelius Cinna.	Cn.Octauius.
664	L.Cinna II.	C.Marius VII.
665	L.Cinna III.	Cn.Papirius.
666	L.Cinna IV.	Cn.Papirius II.
667	L.Scipio.	C.Norbanus.
668	C.Marius.	Cn.Carbo.III.
669	M.Tullius.	Cn.Dolabella.
670	L.Sulla.II.	Q.Metellus.
671	P.Seruilius.	Ap.Claudius.
672	M.Lepidus.	Q.Catulus.
673	M.Æmilius.	D.Brutus.
674	Cn.Octauius.	C.Curio.
675	L.Octauius.	C.Cotta.
676	L.Licinius Lucullus.	M.Cotta.
677	M.Lucullus.	C.Caſſius.
678	L.Gellius.	Cn.Lentulus.
679	Cn.Aufidius.	P.Lentulus.
680	M.Craſſus.	Cn.Pompeius.
681	Q.Metellus.	Q.Hortenſius.
682	L.Metellus.	Q.Marcius.
683	C.Piſo.	M' Glabrio.
684	M.Lepidus.	L.Volcatius.
685	L.Cotta.	L.Torquatus.

686	L.Cæſar.	C.Figulus.
687	M.Cicero.	C.Antonius.
688	D.Silanus.	L.Murena.
689	M.Pupius.	M.Valerius.
690	Q.Metellus.	Q.Afranius.
691	C.Cæſar.	M.Bibulus.
692	L.Piſo.	A.Gabinius.
693	P.Lentulus.	Q.Metellus.
694	Cn.Lentulus.	L.Philippus.
695	Cn.Pompeius.	M.Craſſus.
696	Ap. Claudius.	L.Domitius.
697	Cn.Domitius.	M.Meſſalla.
698	Cn.Pompeius.	Q.Metellus.
699	M.Marcellus.	Ser. Sulpitius.
700	L.Paullus.	C.Marcellus.
701	L.Lentulus.	C.Marcellus.
702	C.Cæſar.	P.Seruilius.
703	Q.Fuſius Calenus.	P.Vatinius.
704	C.Cæſar.	M.Lepidus.
705	C.Cæſar.	Q.Maximus.
706	C.Cæſar.	M.Antonius.
707	C.Panſa.	A.Hirtius.
708	M.Lepidus.	L.Plancus.
709	P.Seruilius II.	L.Antonius.
710	Cn.Domitius.	C.Aſinius.
711	L.Cenſorinus.	C.Caluiſius.
712	Ap. Claudius.	C.Norbanus.
713	M.Agrippa.	L.Caninius.
714	L.Gellius.	M.Cocceius.
715	Sex. Pompeius.	L.Cornificius.
716	M.Antonius.	L.Scribo.Libo.
717	C.Cæſar.	L.Volcatius.
718	Cn.Domitius.	C.Soſius.
719	C.Cæſar II.	M.Meſſalla.
720	C.Cæſar III.	M.Craſſus.
721	C.Cæſar IV.	Sex.Appuleius.
722	C.Cæſar.V.	M.Agrippa II.
723	C.Cæſar.VI.	M.Agrippa III.
724	C.Auguſtus Cæſar VII.	T.Statilius.
725	C.Cæſar Auguſtus VIII.	M.Silanus.
726	C.Cæſar Auguſtus IX.	C.Norbanus.
727	C.Cæſar Auguſtus. X.	Cn.Piſo.
728	M.Marcellus.	L.Artuntius.
729	M.Lollius.	Q.Lepidus.
730	M.Appuleius.	P.Silius.
731	C.Sentius.	Q.Lucretius.
732	Cn.Lentulus.	P.Lentulus.
733	C.Furnius.	C.Silanus.
734	L.Domitius.	P.Scipio.
735	M.Druſus.	L. Piſo.
736	Cn.Lentulus.	M.Craſſus.
737	Ti.Nero.	P.Quinctilius.
738	M.Meſſala.	P.Sulpitius.
739	Paul.Fabius.	Q.Ælius.
740	Iulius.Antonius.	Q.Fabius.
741	Druſus Nero.	T.Quinctius.

CAROLI SIGONII IN CHRONOLOGIAM SCHOLIA.

IN ANNVM CXLV.

IN inſcriptione haud dubie magis à Librario quam à Sigonio errorem hic Glareanus eſſe putat. Nec enim CXLV. *ſed* CCXLV. *ſcribenda ſunt.*]

Annum quo primi conſules inierunt Brutus, & Tarquinius, ducẽteſimum quadrageſimum quintum voco ab Vrbe condita, quod Liuius regnatum eſſe Romæ dicat per annos ducẽtos quadraginta quatuor. Quæ eadem ſumma ex vniuſcuiuſque regni ſpatio colligitur. Idem facit Dionyſius.

IN ANNVM CCXLVIII.

IN hunc annum conſules edimus Sp. Lartium, & T. Herminium, qui in codice Liuiano vulgato deſiderantur. [*Glareanus ante Sigonium hoſce conſules reſtituit ex Dionyſio.*] Etenim prætermiſſos eos non à Liuio, ſed à feſtinantibus librarijs credimus. Cur autem ita credamus, dicendum eſt paucis. Primum, quia Caſſiodorus, qui tabulas ſuas conſulares ad Liuianorum annalium regulam (vt paulo poſt apertius apparebit) direxiſſe videtur, eoſdem hoc anno conſules edit, neque vero ſolum Caſſiodorus, ſed etiam Dionyſius. Deinde quia niſi hunc annum numeremus, annus ille, quo decemuiri conſulares primum inierunt, non poterit à Liuio trecenteſimus alter vocari, verum trecenteſimus dicatur neceſſe eſt. Accedit, quod ne Eutropius quidem recte dixerit, nono poſt reges exactos anno Dictatorem primum eſſe creatum Poſtumo Cominio & T. Lartio conſulibus, verum octauo erit ſcribendum. Præterea vero ne ſcite quidem Pædianus pro Cornelio, A. Virginio, & T. Veturio conſulibus, annum poſt reges exactos XVI. tribunos plebis primum creatos ex Liuij auctoritate tradiderit, verum XV. fuerit ſcribendum. Poſtremo ne Cicero quidem recte M' Tullium, Ser. Sulpitium anno poſt reges exactos X. conſules fuiſſe dixerit in Bruto, neque Plinius Ap. Claudium, & P. Seruilium conſulatum anno ab vrbe condita CCLIX. geſſiſſe prudenter ſcripſerit. [*Hæc ex Glareani annotationibus habet Sigonius, ſed pulchre omnia diſſimulat.*] Dicet aliquis, quomodo nomina conſulum intercidere ſine rerum de quib. agebatur, hiſtoria potuerunt? Dico exulem annum nihil præter nomina conſulum habuiſſe, quomodo etiam paulo poſt inquit Liuius. Conſules Q. Clœlius, & T. Lartius. Inde A. Sempronios, & M. Minotios, deceptum autem librarium ſimilitudine nominum inconſulto duos conſules tranſcendiſſe.

IN ANNVM CCLXIV.

ANte hunc annum Dionyſios numerat duos annos cum conſulibus, Q. Sulpicio, Sp. Lartio, & C. Iulio, L. Pinario. Eumque ſequutus eſt Glareanus in ea Chronologia digerenda, quam ſe Liuianæ hiſtoriæ cauſa ait confeciſſe, quod ſe credere dicat, conſules illos non Liuij, ſed librariorum temeritate omiſſos. [*Glareanus vbiq; clamat Liuij ac Polybij ſupputationem cum Dionyſij duobus differẽtem annis. Hic igitur Glareanus inſerit omiſſos annos, quod videbat Dionyſij certiorem ſupputationem quam illorum. Ipſe Sigonius paulo poſt plurimũ ſe dubitare ait de anno* CCCV. *& mox verſu ſeptimo miratur Liuium in tam paucis annis rectam ſupputationem tenere, non potuiſſe.* Hæc ille de Liuio.] Nos autem longe ſecus opinamur, & à Liuio conſulto eos eſſe prætermiſſos, & propterea ei, qui Chronologiam Liuianam ſcribere velit, eſſe negligendos. Nam ni ita ſit, quomodo Liuius Q. Minutio, & C. Horatio conſulib. X. tribunos plebis, factos eſſe ait anno 30. poſt primos tribunos plebis, qui A. Virginio & T. Vetuſio conſulibus facti ſunt? aut quomodo Ap. Claudio, & T. Genutio conſulibus decemuiros factos eſſe inquit anno trecenteſimo altero ab vrbe condita? duobus præſertim vtrobique annis ad ſummam deficientib. [*Glareanus ait ex Dionyſio trecenteſimo altero ſed expleto formam ciuitatis immutatam, ita vt trecenteſimo tertio inirent magiſtratum decemuiri. Sigonius intelligit trecẽteſimo altero, id eſt, primo noua latinitate, cum alter de duob. dicatur, & Donatus ſuper Terentij Andriam etiam in tertium deducat. Sed Robertellus oſtendit Sigonium in hac parte peſſime errare.*] Adde, quod Caſſiodorus qui (vt dixi) aperte ſequutus eſt Liuium, ne hos quidem conſules ſuggerit. Poſtremo ne deeſſe quidem apud Liuium duos annos illud certiſſimo argumento ſit quod hiſtoriæ expoſitio non mutila ſit. Nam quæ à Dionyſio geſta quatuor annis traduntur, ea in duos à Liuio tranſlata, ſunt ita vt nemo quicquam deſiderare poſſit. Neque vero mirum videri debet binos conſules ab vno poni, ab altero prætermitti. Id enim feciſſe quoque Piſonem, teſtatur libro nono Liuius his verbis: Hos conſules Piſo Q. Fabio, & P. Decio ſuggerit biennio exempto, quo Claudium, Voluminumque & Cornelium cum Marcio conſules factos tradidimus memoriane fugerit in annalibus dirigendis an conſulto binos conſules falſos ratus tranſcenderit, incertum eſt.

IN ANNVM. CCXCV.

Q. Minotio, C. Horatio conſulibus ſcribit Liuius tribunos pleb. decem factos eſſe anno XXXVI. poſt primos qui facti ſunt A. Virginio, & T. Veturio conſulibus anno ab Vrbe condita CCLX. Ex quo intelligi poteſt recte hunc annum à nobis CCXCV. nominari.

IN ANNVM CCCI.

LIuius, itemque cum ſequutus Eutropius decẽuiros App. Claudio & T. Genucio conſulibus anno trecenteſimo altero primum factos tradunt. [*Hic rurſus alterum pro primo accipit.*] Quem numerum Glareanus, qui omnes auctores eodem modo digeſſiſſe Romana tempora putat, corrumpere cogitur, & trecenteſimum tertium ſcribit.

IN ANNVM CCCV.

NVllus eſt locus apud Liuium, in quo minus quid ſequar, aut ſententiam poſſim dicere, quam in hoc, quem nunc tracto. Eſt enim neceſſe annum interponere, vt numerorum Liuianorum ſumma conſtet. Etenim annum primum decemuirorum, vocat trecenteſimum alterum. octauo autem anno poſt, tribunus militares ait iniſſe anno trecenteſimo decimo, cum tamen ſi diligenter numeres, trecenteſimus nonus is ſit vocandus. Neque vero dici poteſt, numerum poſteriorem eſſe mendoſe: nam in omnibus vetuſtis libris ita eſt. & ſi eum numerum mutes, quide-

inceps ab eo nominantur, omnes erunt mutandi & mira numerorum orietur confuſio. Miror autem Liuium in tam paucis annis rectam ſuppotationem tenere non potuiſſe, præſertim vero cum iidem conſules, quos ab decemuiris ad tribunos militares numerat, ſint etiam apud Dionyſium & Caſſiodorum. [*Miratur & Glareanus, Sigonium debacchatum in ipſum, qui idẽ de Liuio miratus eſt quod in hoc loco.*] Cauſa forte erroris inde nata eſt, quod tribunus plebis ait de continuando conſulatu in alterum annum. M. Horatiu. L. Valerio conſulibus laturus fuiſſe ſcribit. toliſſe tamen eos ex verbis eius non apparet. An vero legem pro lata ipſe habuerit, quæ ne promulgata quidem fuerat, cum hos numeros poſuit, in incerto eſt.

IN ANNVM CCCX.

Liuius (vt dixi) annum quo tribuni militares conſulari poteſtate primum facti ſunt, treecenteſimum decimum vocat. Quem numerum negligit Glareanus, & ad arbitrium numerus commutandos eſſe cenſet. [*Glareanus de vno anno nullam facit difficultatem, & miratur hic aperte ſibi fieri iniuriam.*]

IN ANNVM CCCXXIV.

Hoc anno interreges primos ſine conſulibus, aut tribunis militum, ex verbis Liuij libro 4. Cum pars maior ſequentis anni per nouos tribunos plebis, & aliquot interreges certaminibus extracta eſſet. Adhæc vero ſi omittamus hunc annum, ſequentes numeri, quos ponit Liuius non quadrabunt. Hunc tamen etiam contempſit Glareanus. [*Glareanus in annotationib. ſuis cauſas multas narrat, quare omiſerit.*]

IN ANNVM CCCXLII.

L. Lucretium Flauum, & Ser. Sulpicium Camerinum cõſules ait Liuius factos eſſe poſt quintum decimum annum. Quod intelligendum eſt, poſt conſules ſuperiores, per quindecim annos tribunos militares eſſe creatos poſt autem annum quintum decimum rurſus conſules eſſe creatos.

IN ANNVM CCCLXV.

Liuius lib. 5. in oratione Camilli Romam captam ſignificat tribus Fabiis tribunis militum, anno ab v.c. CCCLXV. Qui numerus ad noſtram rationem præclare quadrat. non poterat autem quadrare ad ſupputationem Glareani niſi annum illum tranſcenderet, quem nos CCCXXXV. nominamus. [*Glareanus hunc habet annum, ac neſcit, quid ſibi velit Sigonius.*]

IN ANNVM CCCLXVI.

Hoc anno nos Camillum Dictaturam continoaſſe ſcribimus. Quod dicitur ex Liuio, qui ait Romanos non eſſe paſſos cum Dictatura niſi anno circumacto abdicare. Quod idem & ex Plutarcho, & ex Capitolina ſupputatione colligitur. Id quia turbabat, neſcio quos numeros prætermiſit Glareanus: non poſſe autem omitti, ſequentes numeri indicant. [*Idem innuit Glareanus, ſed noluit ponere ob certas quas ibi commemorat cauſas.*]

IN ANNVM CCCLXXXVIII.

Glareanus ante hunc annum contra Liuij auctoritatem interſeruit annum cum duobus tribunis militum. Videbat enim ad numerum anni quadringenteſimi, qui à Liuio nominatur, ſe non poſſe peruenire, niſi interponeret annum. Multo autem erat melius dictaturam Camilli, ex verbis ipſius Liuij (vt nos fecimus) quam tribunos militares duos contra fidem hiſtoriæ numerare. Tribunos autem nominat C. Licinium Stolonem, & P. Valerium v. Qui quo anno ſine reponendi à nobis ſupra ſuo loco monſtratum eſt. De C. Licinio vero, & L. Sextio tribunis pleb. quos x. tribunos vocat Liuius, qui niſi IX. eſſe poſſint, niſi annus ille interponatur, dico decimũ refici poſſe ſine anno illo. Nã qui anno CCCLXX. tribuni plebis primum facti ſunt, non video cur iidem anno CCCLXXXVII. decimum refecti recte dici non poſſint.

IN ANNVM CCCXC.

Hunc annum, quo L. Genucius, Q. Seruilius conſules fuere. Liuius vocat XXV. poſt Romam captam: captam autem fuiſſe dixerat, anno CCCLXV. qui numerus præclare quadrat. [*Glareanus eundem hunc numerum habet in ſua Chronologia.*]

IN ANNVM CD.

Hunc annum quo C. Sulpicius, M. Valerius cõſules fuerunt, quadringenteſimum ab v.c. nominat Liuius. Vndecimum autem poſt primum plebeium conſulem. Quæ omnia conueniunt. [*Et hunc quoque habet Glareanus.*]

IN ANNVM CDI.

Hic annus quo M. Fabius T. Quinctius conſules fuerũt, dicitur à Liuio XXXV. poſt Romam captam: qui numerus quadrat, & oſtendit recte à nobis dictaturam Camilli pro anno vno eſſe numeratam. [*Liuius priore anno hunc habet numerum, non hoc loco.*]

IN ANNVM. CDXXII.

Annum hic ſine conſulibus interſerimus neceſſario, neque enim aliter ſequentes numeri conuenire ad ſummam annorum ibi traditam poſſunt. Quod facimus in hac Chronologia, fecimus etiam neceſſario in Faſtis conſulum Capitolinorum, neque enim eorum annorum ratio ſiue hoc anno probe poterat cuſtodiri. Quin etiam Haloander, qui

primus hac ætate Chronologias conſulares ſcripſit, idem ſecit. Glareanus autem quia id negligit, haud ita multo poſt, verbis (vt ſolet) Liuij parum intellectis, alium & ipſe annum interponit, de quo ibi dicam. [*Sigonio licet inſerere annum, vbi ipſi ſupputatio hiat extra Liuij codicis fidem, Glareano non licet, vbi Dionyſium alioſq; habet, quos ſequatur auctores. Hic haberet Glareanus iuſtam debacchandi cauſam in Sigonium, ſi cum inhumano inhumaniter agere vellet.*] Accedit quod Liuius id ipſum, quod facimus etſi non aperte, at obſcure tamen ſubſignificare videtur, cum ait libr. 8. Dictator ex auctoritate ſenatus dictus P. Cornelius Rufinos, magiſter equitum M. Antonius. Religio deinde inceſſit vitio eos creatos, magiſtratuq; ſe abdicauerunt, & quia peſtilentia inſecuta eſt, velut omnibus eo vitio contactis auſpicijs res ad interregnum redijt.

IN ANNVM CDXXIX.

GLareanos quia interregum annum, quem nos anno CDXXII. numerauimus, prætermiſit, propterea hic annum interſerere cogitur contra fidem hiſtoriæ. nititur autem verbis Liuij libr. 9. Anno circumacto bellum deinceps ab Dictatore Q. Fabio geſtum, conſules noui ſicut ſuperiores Romæ manſerunt. Hæc verba ita interpretatur, vt priore anno dictatorem Fabium, poſteriore nouos conſules collocet, L. Papirium, & Q. Publilium. [*Si pro arbitrio ſuo Sigonio annum* CDXXII. *adijcere licuit, cur non Glareano bonis rationibus addere annum?*] Qua in re vehementer errat. eſt enim intelligendum eodem anno, quo Q. Fabius dictator bellum geſſit, nouos conſules L. Papirium, & Q. Poblilium magiſtratum geſſiſſe. Id autem ita eſſe, probant monumenta Capitolina, quæ L. Papirio Curſori IV. & Q. Publio Philoni IV. conſulibos Q. Fabiom Maximum Dictatorem cum Q. Aulio magiſtro equitum, & in locum Q. Aulij occiſi C. Fabium ſubijciunt, vt etiam Liuius. Item Diodorus, vt ante dixi.

IN ANNVM CDXXXI.

PRoxime ante huncannum Glareanus interiicit annum L. Papirij Curſoris Dictatoris ſine conſulibos, cum his verbis: Alios ſequuti bos poſuimus, cum tamen Liuius ne verbo quidem meminerit eios anni, ſed præcedente anno eorum facit mentionem. Si Liuius ergo non meminit ne verbo quidem, neque ad rationem annorum Liuianam hic annus pertinet, imo vero eandem, vt ex ſequentibus numeris apparebit, valde perturbat, cur in Chronologia Liuiana interſeritur? Neque vero diſputo recte fecerit Liuius necne. nã hunc dictatorem video in Capitolinis monumentis probari. Sed id dico Glareanum in ea Chronologia aut Liuij auctoritatem vbiqoe debuiſſe complecti, aut vbiqoe cõtemnere. neque enim ad vnam normam omnes ſcriptores ſupputationes annorũ Romanorom direxerunt. [*Ecce hic mirũ acumen dialecticum. Cur vero Sigonius quod in alio ſtatuit, ipſemet non obſeruauit?*]

IN ANNVM CDLVII.

HVoc annum, quo conſules fuerunt Q. Fabius V. P. Decius IV. vocat Libius quadrageſimum ſextum belli Samnitici, quod bellum cœptum eſſe ſcribit M. Valerio, A. Cornelio conſulibus, id eſt, anno ab vrb. cond. CDXII. Qui numerus ad noſtram rationem præclare cadit, ad Glareani non item, verum quadrageſimus ſeptimus erit legendum, idqoe quia Dictaturam L. Papirij Curſoris diſcedens à Liuio nomerauit.

IN ANNVM CDLXI.

HIc interciderunt V. libri Liuij. Itaque conſules qui eios libris continebantur ex Caſſiodoro ſubiecimus. Cuius ſummam, quia cum numeris Liuianis, qui ſeqountur, maxime conuenire comperimus, in eam opinionem venimus, tabulas Caſſiodori ab ipſo Caſſiodoro ex Liuiana eſſe hiſtoria coocinnatas. Idem etiam in reliquis libris, qoi amiſſi ſunt, faciemus.

IN ANNVM CDLXXXVI.

ANnum, quo Ap. Claudius conſul bellum Pœnis intulit vocat Liuius ab vrb. condit. CDLXXXV. quamquam Glareanus CDLXXXVI. corrigit. vt eo loco dictum.

IN ANNVM CDLXXXIII.

ANte hunc annum quo conſules edidimus, P. Sempronium, Ap. Claudiom ex Caſſiodoro, Glareanus interiicit annum alterum cum conſolibus Q. Fabio Pictore, L. Quinctio Gulone. Quos conſules non habet Caſſiodorus. Et quamquam ſcio, Glareanum id ipſom optimis fretum auctoribos feciſſe, quos ipſe etiam in Capitolinis conſulibos reſtituendis ſequutus ſum, dico tamen eos ad Liuianam ſummam non conuenire, recte autem à Caſſiodoro ex Liuij auctoritate omiſſos eſſe. Quod ipſum ſequentes numeri indicabunt.

IN ANNVM CDLXXXVI.

GLareanus item ante huncannum aliom interſerit annum cum conſulibus M. Valerio Maximo, Q. Manilio Vitulo, quos non habet Caſſiodorus. Deeſt autem forte hic anous ad aliorum ſcriptorum ſupputationem, vt ad Capitolinam, at ad Liuianam nullo modo. Quod ex ſequentibus nomeris apparebit. Eſt aotem intelligendum, quamquam Capitol. tabulæ annum hunc deſiderant, reſpuere tamen nomina conſulum eorum, quos edit Glareanus. Ac tres quidem adhuc anni in Chronologia Liuiana contra Liuij auctoritatem à Glareano ſunt interiecti. [*Glareanus vbique fatetur Dionyſij ſupputationem à Liuij ac Polybij duobus differre annis, hoc cum ille toties legerit, mirum cur diſſimulet.*]

IN ANNVM DI.

ANnum quo P. Clodius, L. Iunius conſules fuerunt, quingenteſimum primum ab vrbe condita vocat Liuius, vt in anno DCI. demonſtrabo: qui numerus oſtendit recte à nobis, & à Caſſiodoro annos eos tres, quos de ſuo

addidit Glareanus eſſe omiſſos, ſi quidem hunc annum vocat DIV. [*Glareanus cum Caſſiodori deprauatum haberet codicem, eum ſequi noluit, vt nec Sigonius vbique facit. Non itaque in alio reprehendat, in quo ipſe culpandus eſt.*]

IN ANNVM DXIX.

ANte hunc annum, qui conſules habuit auctore Caſſiodoro, M. Pomponium, & C. Papirium, Glareanus quartum annum temere interſerit cum conſulibus, quorum nomina ait ſe reperire non potuiſſe, idq; ſe facere ait Cicerone Plinioque auctoribus. Eſt autem intelligendum hunc annum tempus primum à Liuio, cum ipſe in ea Chronologia ſeruit, quod ſequentes numeri confirmant: deinde à Caſſiodoro, & à Capitolinis auctoribus, qui ambo Lepido, & Poplicio conſulibus Pomponium & Papirium conſules ſuggerunt, nullo anno, vt nos fecimus, interiecto, Gellius libr. 17. diuortium primum Romæ factum ait anno ab vrbe condita DXIX. id eſt, M. Pomponio, C. Papirio coss. vt ait Dionyſius libr. 2.

IN ANNVM DXXIII.

ANnum quo P. Valerius, M. Atilius conſules fuerũt vocat Gellius lib. 4. c. 3. ab vrbe condita quingenteſimum vigeſimum tertium, vt nos fecimus. Quod eſt argumento, aut Liuium, aut alium auctorem hanc rationem annorum, quam nos ex Liuio collegimus, eſſe ſequutum. Quem annũ Glareanus vocat, quingenteſimum vigeſimum ſeptimum.

IN ANNVM DXXXII.

Liuius libro 30. bellum Punicum ſecundum, quod cœptum eſt P. Scipione, Ti. Sempronio conſulibus; cœptum eſſe ait annos XXXIII. poſt pacem Pœnis primum victis datã Q. Lutatio, A. Manlio conſulib. Qui numerus egregie quadrat, neque annum quemquam à Glareano interſeri patitur.

IN ANNVM DXLIX.

BEllum ſecundum Punicum, quod Lentulo, & Pæto conſulibus finitum eſt, anno LXIII. à primo Punico confectum eſt, quod Ap. Claudio conſule, cœptum eſt. Quadraginta vero poſt pacem Pœnis datam Q. Lutatio, A. Manlio conſulibus, itemque decimo ſeptimo anno quam cœptum erat. Hoc Liuius lib. 30. & 31. qui numeri Glareanum omnino redarguunt. [*Glareanus ſequitur Dionyſij ſuppuationem, ſecuturus Liuij, ſi ea certa fuiſſet.*]

IN ANNVM DL.

ANnum quo conſules fuerũt P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta, Liuius libr. 31. ſexageſimum tertium nominat ab Ap. Claudio conſule, qui primus bellum Pœnis intulit, anno CDXXCVI. & quadrageſimum tertium poſt A. Manlium, Q. Lutatium conſules, quibus pax Pœnis data eſt anno DIX. Idem hunc eundem annum vocat quingenteſimum quadrageſimum ab vrbe condita, quamquam quinquageſimum, vt ait etiam Glareanus, pro quadrageſimo, reponendum eſt. Qui numeri, dici non poteſt, quam ad noſtram rationem conueniant: à qua quia ſine cauſa diſceſſit Glareanus in eam neceſſitatem compulſus eſt, vt omnes tamen tamquam deprauatos emendare cogatur.

IN ANNVM DLVI.

Liuius libro 34. annum quo P. Scipio Africanus II. conſul fuit vocat DVIII. aperte per mendum, pro DLVI. nam v. in L. II. in v. vertenda ſunt, quæ ratio non quadrat ad Glareani inſtitutum, qui DLVIII. corrigit: cum DLVI. ex ſuperioribus & inferioribus numeris ſit legendum. [*Non vult omnino Sigonius intelligere quæ Glareanus de Liuij numeris conqueritur.*]

IN ANNVM DXCVIII.

MAgnam habet quæſtionem, quid velint verba quædam, quæ ſunt in Epitoma libri XLVII. & apud Caſſiodorum in conſulibus. De quorum interpretatione prope deſperaſſe Glareanus videtur. [*Glareanus iubet inſpici locum, de deſperatione verbum nullum.*] Ea ſunt: Conſules anno quingenteſimo nonageſimo octauo ab vrbe cõdita magiſtratum peractis comitiis, inſequentiſq; anni conſulibus creatis inire cœperunt. Mutandi comitia cauſa fuit, quod Hiſpani rebellabant. Apud Caſſiodorum vero.

Q. Fuluius. *T. Annius.*

Hi primi conſules K. Iannar. magiſtratum inierunt propter ſubitum Celtiberiæ motum.

M. Marcellus. *L. Valerius.*

Magnam quidem inquam hæc verba habent quæſtionem verum eam ego, quia ad rem, quam ſuſcepi, maxime pertinet quo ad potero explicabo. Eſt igitur intelligendum, non Q. Fuluium, & T. Annium conſules primos K. Ian. iniſſe anno ab vrbe condita ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſed M. Marcellum, & L. Valerium ſexcenteſimo nonageſimo octauo. Nam cum Celtiberi Q. Fuluio conſule, qui prœlio ab iis victus fuerat, vt ait Appianus in Iberico, in ſpem victoriæ erecti, ſubito omnes rebellaſſent, placitum eſt, vt conſulum ſtatim comitia haberentur, ac conſules deſignati extemplo magiſtratum occiperent, neque Idibus Martus, vt ante, ſed K. Ian. vt numquam ante alias inirent. Quod ipſum etiam ex Obſequente probatur, qui ait Marcello conſuli omnes Magiſtratos abdicaſſe. Caſſiodori autem verba ita accipienda ſunt, vt Q. Fuluio, & T. Annio conſulibus mutatum eſſe ineundi diem dicamus, non ipſos iniſſe, atque ex ſequentibus conſulibus id ipſum eueniſſe interpretemur. Quod ſi ita eſt, & hic etiam numerus optime à Liuio traditus eſt.

IN ANNVM DCI.

ANnum, quo conſules fuerunt M'. Manilius, & L. Marcius, ab vrb. con. d. DCI. nominauimus, præclare: iis enim conſulibus (vt omnes tradunt) tertium bellum Punicum cœptum eſt. Quod anno DCI. initum eſſe ſcriptum eſt in

epitoma libri LXIX. his verbis: Tertij Punici belli initium altero & ſexcenteſimo anno ab vrbe cond. intra qointum annum, quam erat cœptum conſummati. Adde quod ludi ſæculares quarti, qui Cēſorino auctore ex Liuij ſententia facti ſunt M'Manilio, & L. Matcio conſulibus, in eadem epitoma editi eſſe dicuntur anno ab vrbe condita ſexcēteſimo primo. Ludi Diti patri ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno centeſimo, primo Punico bello, quingenteſimo, & altero anno ab vrbe condita facti fuerant. Hæc ille. Hic ex verbis non ſolum illud intelligi poteſt M' Manilium, L. Marcium conſules in annum DCI. incidiſſe, ſed etiam P. Claudium, & L. Iunium, qui conſules centeſimo ante anno fuerunt, & quibus conſulibus ludos tertios ſæculares ex Liuij ſententia factos fuiſſe ſcribit Cenſorinus, anno DII. ab vrbe condita magiſtratum, vt nos ſcripſimus, geſſiſſe. hunc tamen annum corrector Liuij Glareanus vocat DCV.

IN ANNVM DCCI.

IN Epitoma libri CXXXIII. ſcriptum eſt, Auguſtum triumphos tres in vrbem inuexiſſe, & finem bellis ciuilibus impoſuiſſe anno altero, & vigeſimo, qui numerus quadrat, nam bella ciuilia cœpta ſunt, Lentulo, & Marcello conſulibus.

IN ANNVM DCCLI.

SI hiſtoria Liuiana morte Druſi in Germania, & funere eios (vt apparet) finita eſt, profecto vſque ad annū DCCXLI. peruenit. eſt enim mortuus ſe, & T. Quintio conſulibus, vt ait Dio lib. 55. quem annum vocat Glareanus DCCXLV. exponit autem conſules vſque ad annum DCCXXII. quia inquit vſque eo Liuianam hiſtoriam peruenire, præter vnum, aut alterum annum cum in ſeptimo & decimo anno finiatur. [*Nemo certe ſcire poteſt, quouſque Liuius hiſtoriam extenderit, Glareanus extendit vt veriſimile eſt vſque ad Tiberij tempora, quamquam hoc incertum. Ad hiſtoriæ veritatem nihil hoc attinet, ſicut nec prima Sigonij annotatio de numero librorum per Decadas diſtincto. Certe tertia Decas ſuam habet præfationem, quarta item. Quare Petrarchæ opinio ſatis fulta eſt rationibus, quin contrarium facile defendi poſſet: Res eſt dubia. Romani quidem ita abſque Decadum ratione libros edidere vt Plinius: at non omnes.*]

FINIS.

CAROLI SIGONII LIVIANORVM
SCHOLIORVM ANIQVOT DEFENSIONES, ADVERSVS GLAREANVM, ET ROBORTELLVM.

ANNI ſunt prope ſeptemdecim, cum ego ſcholia in T. Liuium ſcripſi, quibus locos Scriptoris eius aliquot partim emendare, partim explicare contendi; nixus ſcilicet, vt tum teſtatus ſum, non contemnendis aliquot veterū monumentorū ſubſidijs, quibus Liuiani emēdatores cæteri ante me fere caroiſſent. Quoniam autem Henricus Glareanus plus, quam cæteri, in hoc genere ſtudij, atque operæ collocarat, vſque adeo vt non ſolum quæ ſibi deprauata, ſed etiam quæ aut ſuſpecta aut obſcura viderentur, notaret, aut ingenue ſe non intelligere confitens, lectorem iterum atque iterum de inueſtiganda veritate non modo admoneret, ſed ſæpe etiam obſecraret: haud quaquam grauate feci, vt locos omnes ab eo partim pro obſcuris notatos, partim pro deploratis relictos in primis conſiderarem, & quam male affectis medicinam adhibendam eſſe cenſerem, aut quid de ijs omnino ſentirem, teſtatum apud omnes, optimi viri cōmotus voluntate, relinquerem. Verū, quod minime de homine grauiſſimo ſuſpicatus fueram, mea quædam io eodem, in quo ille verſatus fuerat, ſtudio nequaquam illi iocūda æmulatio, in eam ſuſpicionem ipſum adduxit, vt me notarionibus atque obſeruationib. meis de auctoritate ſua detrahere voluiſſe, exiſtimaret. Itaque cum mea in Liuium ſcholia legiſſet, ſeque multis perſtringi in locis veritus eſſet (credo, quia turpe putaret, quod ſenex ipſe ſe ignoraſſe confeſſus eſſet, iuuenum exſtitiſſe, qui tradidiſſet) commotus eſt vehementius, quam moderatum, atque prudētem hominem decuit: atque ad Io. Heruaſium neſcio quam epiſtolam miſit, in qua modeſte ille quidem errorem ſuum, culpa in ſæculi ſui malignitatem coniecta, excuſauit: verum pro gratia, quam ſe habiturum eſſe ei, qui tam multis ſe difficultatib. exſoluiſſet, oſtenderet, conuicium retulit aſperius, ſcilicet eo nomine me appellans, quam pudentem facere hominem, in tam leui præſertim iniuria, æquū erat. Hæc epiſtola deinde, cum in manus Franciſci Robortelli perueniſſet, eius opera Patauij eſt diuulgata. Quamobrem eum ego Robortello, inſanis prope in me illo tempore & ſuotum, & alienorum ſcriptorum apparatibus inuadenti, reſiſtere pararem, haud quaquam mihi committendum putaui, quin illi etiam epiſtolæ reſpoonderem, ac Glareano de me expoſtulanti ſatisfacerem, quoquo modo poſſem. eam vero reſponſionem in primum librum Emendationum contuli. Quę ſi quis inter ſe ſcripta conferet, facile intelliget, quanta animi impotentia ſenex octogenarius, ac nullo, vt queritur, à me conuitio læſus, de me ſcripſerit, quanta contra moderatione iuuenis vix tricennarius, quamquam maxima iniuria laceſſitus, reſcripſerit. Sic igitur Glareanus me dum vixit, eſt vltus. Demum mortuo illo, exſtitit neſcio quis, homo, vt vere dicam, ne nunc quidem mihi notus, verum, qoantum ego intelligere poſſum, ab harum litterarum ſtudio non abhorrens, qui quaſi arbiter inter me, & meum aduerſariom ex compromiſſo adactus, in ea epiſtola, quam nuper Glareani ſcholijs præfixit, me erudite quidem, ſed inhumane nimis in Glareanom eſſe inuectom, ac iuſte propterea à Robortello accuſatum pronunciauit. Neque vero hoc habuit ſatis. quin etiā in meorum ſcholiorum contextum neſcio quam defenſiunculam ex Robortelli ferme ſcriptis aduerſus me ab ipſo Glareano collectam diſperſit: neq; quæ ego quondā aut Glareano, aut Robortello reſponderam, vt illum facere oportuit, addidit. Quamobrem faciendum mihi duxi, vt nouæ iſti defenſioni reſponderem. Ac primum quidem, cur ille, aut quiſquā alius meam erga Glareanū humanitatem deſideret: plane non video. etenim cum ſæpiſſime Glareani nomen vſurparem, tamen ab ipſius cōtuitio elia ſemper ita abfui, vt aſperiore verbo nullo vnquam ipſum appellarim. Niſi vero his dicendi generibus eſt offenſus, cum dixi, *Hāc lectionem laudat Glareanus iniuſte. Neſcio cur Glareanus miretur. Hoc dixi, quia Glareanus incertus ſentētiæ videtur.* Quib. verbis, quis eſt, qui merito offendi poſſit, niſi qui quod ipſe non vidit, ægre ferat videri alteri fuiſſe perſpectū? Quomodo autem ego aliter agere poteriā, cum ita ab initio inſtituiſſem, vt quoties Glareanus aut ambigeret, aut ſibi obſcurum, aut vitioſum, aut inexplicabile

videri aliquid diceret, aot lectorem de loco difficultate expedienda rogaret, toties ego, ſi quid ex veterum, quæ ipſe non viderat, monumentis, qood hærentem in ſalebris leoare hominem poſſet, haberem, id vero ſtudioſiſſime promerẽ? Age enim, cur dubitare ſe prætulit Glareanus, ſi dubitationis ſuæ explicationem excogitari noluit? aut cur de loci vulnere nos admoouit, ſi oppottunum, atq; induſtria quæſitum adhiberi remediũ recuſauit? aut cur deniq; laboranti ſingulis in locis ſibi opem prope ſopplex implorauit; ſi tempeſtiuum bonorum, atque amicorum hominum auxiliũ repudiaturus inaudita ante coutumacia fuit. At appellaſti illum ſæpius, quam hominis dignitas poſtulabat. Qua ille proditus dignitate fuerit, ne nunc quidẽ me plane ſcire confiteor. Poëta Laureatus inſcribebatur. At ea iam pridem inter litreratos recepta conſuetudo eſt, vt quiſque de literaris non ſolum, qui Laurea donati ſunt; ſed etiam qoi donarunt, libere in rem communem, quid ſentiat, ſine vlla iuſta reprehenſione expromat, modo ſine conuitio agat, vt ego cum Glareano. ſemel. n. aut iterom tantom vſus ſum trito illo iam, ac peruulgato verbo, vt dicerem, *errare ipſum*: quem vero errorem vocaui, ne ipſe quidem defendit. Quod ſi ſcripſiſſem, vt ille de alijs, *qaidam putant, Quidam mutant abſque iudicio*, multo ille mihi iuſtius ſuccenſuiſſet: quaſi vero celebre apud alios Glareani nomen, meis vnus ipſe inſerere ſcriptis erubuiſſem. Nam ſi locutus eſſem, quo modo idem ille de Valla locutus eſt. *Lau. Valla mirum in modum hoc loco luctatus eſt, ſed nihil promouit*: aut ſi quo modo de *Liuio* ipſo ſcripſit, cui tertio quoque verbo *obliuionem, negligentiã, confuſionem, inconſtantiam, longitudinem, improbabilitatemque*, obiecit, ita vt aliquando contumelioſa etiam cum indignatione exclamarit, *Hoc eſt hiſtoriam ſcribere?* quaſi vero non Liuij hiſtoriam nobis emendare, ſed Liuium ipſum à nobis amandare voluerit: ſi hoc inquam modo de illo ſcripſiſſem, quis eum demum, aut admiratores ferre illius poſſet? Vnde igitur iſtæ lacrymæ? vnde: niſi qood quæ defendere, aut Glareanus, aut amici eius aut neſciunt, aut non poſſunt, ea ad contumeliam Glareani pertinere, nec niſi inferenda cõtumelia ſe debere, aut obſcurare exiſtimant poſſe. Itaque *inhumanitatem* obiiciunt, vt ſibi iure liceat eſſe inhumanos; *contumeliam ſe accipiſſe* queruntur, vt boneſtiore nomine coutumeliam ulſciſcant. qoæ eſt autem contumelia? noua ſcilicet & inandita, explicuiſſe aliquid aliqoem, quod alter ſibi inexplicabile eſſe confeſſos ſit. neque enim Glareanus ſe defendit, ſed excuſat. at quo modo? *Glareanas hunc locum praue correxit. at & Glareanus ipſe*, inquit, *iam id vider; ſed à te id vitio verti delet. Glareanns non legit. immo legit*, reſpõdet, *ſed non meminit. Glareanus non vidit. Non vidit, quia Græcos libros, qaot tu habuiſti, non habuit. Glareanus dubitauit. dubitauit, quia doctorũ eſt dubitare. Glareanus fatetur, ſe nõ intelligere. fatetur: qaia homo eſt ingenuus. tu vero inhumanus, qui, cum intelligas, id ei crimini des.* Dij boni, quis erit demũ tam auerſo à me animo, qui hæc aliquando legens non ſtomachetur, ac peios actũ eſſe cum Glareano exiſtimet, quod hæc ei in mentem defenſio venerit, quam quod à me eo modo ſit oppugnatur? quæ malum, iſta defendendi ratio eſt, vt plus reus confiteatur, quã ille, qui accuſat, cupiat confiteri? ac locum defenſioni aut ſibi, aot amicis ſois nullũ amplius reliquat? Verum hoc etiam ferendum. habet. n. ſaltem ingeouitatem iſta oratio. Quod vero Robertelli aduerſus me ſcripta potulerit, hoc plane miſerum, aut potius miſerendum videtur. An vero, ſi vtiũ Glareanus aliquid habuiſſet, ac nocere mihi, vt cupijt, voluiſſet, alienis me telis oppugnaſſet, non autem ſuis? aut ſi quidquam in eo ſanitatis fuiſſet, iis me armis vnquã petiiſſet, quę ego iampridẽ fregiſſem protſus, atque ex aduerſarij manib. eripuiſſem? Bis. n. Robertellus aduerſus me ſcripſit: bis ego illi ita reſpondi, vt obmutuerit. quod ego boc loco non ſcriberẽ: niſi aut cõpulſus eſſem, aut res nou certo & literarum, & hominum teſtimonio teneretor. Exſtant mea aduerſus illũ volumina doo, vnũ Emendationũ, alterum Diſputationum, quæ in quatuor libros diſtributa incredibilẽ hominis ferociam incredibiliter cõpreſſerunt. Quibos igitur ille telis, ſi iterum in certamen deſcenderet, vti amplius, aut nollet, aut non poſſet, quis non grauiter cõmoueatur animo cum ea quaſi firma admodũ ſint, quia in me aliquãdo iacta ſint Glareanũ inſigni illa ſua abiecta laurea de terra temere colligentem, atq; ſæoo in caput meom animo iaculantem inſpiciat? Iam vero illa, qoam animi iniquitatem, aut quam ieiunitatẽ non indicant? cum, quæ recte à me ſcripta eſſe inficiari non poteſt, eorum laudem aut manuſcriptorum, aut Græcorum librorum copiæ tribuit: aut ſibi, qui dobitatione ſua quærẽdi occaſionem, atq; inueniẽdi viam aperuerit, intemperanter aſſumit? Verum Glaieanus fortaſſe excuſationem aliquam habet, qui, quæ ſcripſit, ea, dum vixit, diligenter ſuppreſſit. qoi vero illa ediderunt, ac iudicium ſuum vltro interpoſuerunt, quis excuſare poterit? quid enim ad eos aut Glareanus, aut ſaltem Robortellus pertinuit? vt Glareani epiſtolam; aut Robortelli librum iterum publicarent, meas auem aduerſus illos defenſiones omitterent? & Glareanum à me iniuſte conuicio laceſſitum, Robortellum iuſte propterea in me eſſe inuectum aſſererent? an vero ex animi ſententia ſcribunt, an nimis potios Glareani adducti ſtudio ita ſcribunt? ſi ita ſentiunt, cur non Robortelli ſcripta à me oppugnata, quæ admirari videntur, defendenda ſuſcipiunt, atq; inſignem hanc, quam doctiſſimus ille vir adipiſci non potuit, triũphi de me acti gloriã ſibi parãt? ſin autẽ honeſta eos erga Glareanom pietas acuit; cõmendo officiũ, modo ab eorom, qui illos non offenderunt, offenſione abſtineant. Laudent non modo Glareanum. ſed etiam Robortellom. faciant non ſolum patiente, ſed etiam approbante me. at iudicij ſui teſtimonium iſtud, in quo grauæ ſunt aut manifeſtæ inſcitiæ, aot certæ iniquitatis crimen ſubituri, in aliud quæſo tempus omittant: & ſi ipſis ennuitia iantopere diſplicent, ne velint, dum hæc in alijs iniuſte vituperant, dare operã, vt inijs ipſis iuſte poſſint inſimulari. Sed iã quales ſint iſtæ Robortelli, aut Glareani reprehenſiones, videamus. atq; eis veteres defenſiones meas, quas quæror omiſſas, obiiciamus.

IN LIBRVM FR. ROBORTELLI DE CONVENIENTIA SVPPVTATIONIS.

Liuianam annorum ab vrbe condita ſummam cum Capitolina diſcrepare demonſtratur, & Liuiani loci multi à turpiſſimis eius expoſitionibus, & correctionibus vindicantur.

QVOD ſcripſi in commentario Faſtorum Capitolinorum idem hoc qooq; loco neceſſario mihi repetendum videtur: magnam in annis ab vrbe condita numerandis, ac digerendis inter antiquos ſcriptores diſſentiooem fuiſſe. Hoc enim, & tradit Cicero in Bruto, & nos ita eſſe ex variarum ſupputationum obſeruatione deprehendimus. omnis autem huius conttouerſiæ cauſa inde oritur, quod quos alij cõſules, & ſine cõſulib. dictatores ſæpe interſerunt, eos omnino alij prætetũt, quod & in cõmentario Faſtorum, & in Chronologia Liuiana oſtendi. Eſt autem varia, & inconſtans annorum apud omnes ratio vſq; ad quingenteſimum ferme annum ab vrbe cõdita: ab eo vero banc conſtantẽ inter eos eſſe cõtrouerſiã inuenio, quod alij alios vno, alij doob. alij tribus alij quatuor annis antecedunt, aut ſubſequũtur. Verba vero Ciceronis, quib. hoc cõfirmatur, ſunt hæc. *Liuius primus fabulã C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano Coſ. docuit, poſt Romã cõditam anno quingenteſimo decimo, vt hic ait, quem nos ſequimur. eſt. n. inter ſcriptores de numero annorũ cõtrouerſia.* Atqui annus ille in faſtis eſt quingẽteſimus decimos tertius, at vero apud Plinium, & Ciceronẽ ipſum quingenteſimus decimus quartus: apud Liuiũ, vt ego ſubduxi, quingẽteſimus decimus. ſit tamẽ, vt malim eo loco legere *quingenteſimo quarto decimo*, vt eſt in ſcriptis libris quoniã Pliniũ, & Ciceronem eam annorũ deſcriptionem, quæ Capitolinã vno anno antecedit, ſequi animaduerti. Quod cũ ita ſit, equidem ſatis mirari non poſſum, vnde Franciſcus Robortellus ad eã opinionẽ venerit, vt ſũmã annorũ Liuianam, & Dionyſianã ad antiquã Capitolinam redigendam putarit: cumque ipſæ inter ſe diſſimillimę ſint, me, qui diſſimilitudinem illam ſenſerim, & demõſtrarim. co-

argitendum, atque inſcitiæ nomine accuſandum exiſtimarit. Quamobrem feram hanc etiam illius iniuriam, vt alias, æquo animo, atque ipſum toto cœlo errãtem, dum maledictis eius in me reſpondebo, puer ſenem in rectam viam deducam. Quid igitur ille ait? *Liuius, Dionyſius, Faſti. Capitolini in numerandis ab vrbe condita annis inter ſe conueniunt.* quid ego? immo maxime diſcrepant. Vnde hoc confirmari poteſt? vnde, niſi ex verbis eorum? Qui ergo verbis auctorũ ſeruatis, ſententiam ſuam firmarit, is cauſam ſuam, vt opinor, egregie probauit, qui vt probet, quod vult, omnia annalium ipſorũ verba ſubuerterit, is merito in hac diſputationẽ audiendus non erit. Quod ſi ita eſt, cauſa dicta eſt. nihil dico amplius. ego enim in mea Liuiana ſumma conſtituenda nullum Liuij verbum muto, ille omnia. Audiamus ipſum argumentantem. Sic enim de annis regum diſputat. *Ex Faſtorum Capitolinorum ſententia conſules primi inierunt anno ab V.C. ducenteſimo quadrageſimo quarto, regeſque regnarunt annos ducentos & quadraginta tres. idem ſentit Dionyſius. idem Liuius: ergo omnes conueniunt.* Ego, Robertelle, de calculis Capitolinis nihil dico. eſt enim is labor meus iam ſatis iuſto commentario comprobatus. De Dionyſio, & Liuio reſpondeo, vtrumque eorum, Romæ regnatum eſſe annos ducentos quadraginta quatuor, conſules autem primos iniſſe anno ipſo ducenteſimo quadrageſimo quinto, ſenſiſſe. Dicam primum de Dionyſio. qui primo libro ita loquitur: *Spatium, quod eſt ab exactione regum vſque ad Romulum, qui primus Romæ imperauit, annos complectitur ducentos quadraginta quatuor. Romulus enim regnauit annos XXXVII. Interreges annum, Numa XXXIII. Tullus XXXII. Ancus XXIV. Priſcus XXXVIII. Superb.* XXV. & lib. II. *Regium imperium cum Romæ annos* CCXLIV. *poſt v.c. ſtetiſſet, diſſolutum eſt.* Hic opponit Robortellus, Dionyſium dixiſſe anno ipſo ducenteſimo quadrageſimo quarto primos conſules iniſſe. quod nec ille dixit, nec dicere potuit. quid autem dixit? tum cum cõſules inierunt, quatuor menſes anno illi defuiſſe: ita vt extremus annus non, vt ille vult, quatuor, ſed octo menſium fuerit, primus conſulũ ſexdecim. verũ non ita accepit illũ annum Dionyſius, vt annum ipſum ducenteſimũ quadrageſimum quartum conſulib. aſſignarit, ſed regib. ducenteſimũ autem quadrageſimũ quintũ conſulib. Indicant hoc verba eius, quib. docet ſpacium regni annos ducentos quadraginta quatuor conſumpſiſſe. Indicat ipſarum Olympiadum ratio. inquit.n. Superbũ regem iniſſe regnum anno IV. Olympiadis LXI. regnũ eius annos XXV. abſumpſiſſe regnum Romæ diſſolutũ ſexageſima octaua inſtãte Olympiade, id eſt vigeſimo quinto anno, quam Superb. inierat, quatuor quibuſdam menſib. ante ſexageſimam octauam Olympiadem: ſic.n. legendum eſt nam, vt ſcis, hic Dionyſij locus in vulgatis libris mutilus eſt: at in libro, qui bibliotheca Diui Marci aſſeruatur, integer hoc modo: *ἡ μὲν δὴ βασιλικὴ Ῥωμαίων πολιτεία διαμείνασα μετὰ τὸν οἰκισμὸν τῆς Ῥώμης ἐτῶν τεττάρων, καὶ τεσσαράκοντα, καὶ διακοσίων ἀριθμόν, ἐπὶ δὲ τοῦ τελευταίου βασιλέως τυραννὶς γενομένη, διὰ ταύτας τὰς προφάσεις ὑπὸ τούτων κατελύθη τῶν ἀνδρῶν, ὀλυμπιάδος μὲν ὀγδόης, καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Ἰσχόμαχος Κροτωνιάτης. Ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος Ἰσαγόρου. ἀριστοκρατίας δὲ γενομένης οἱ πρῶτοι τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν παραλαβόντες ὕπατοι τέτταρσι μησὶ μόνοις εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ὑπολειπομένων, Λεύκιος Ἰούνιος Βροῦτος, καὶ Λεύκιος Ταρκύνιος Κολλατῖνος,* Quomodo autem hoc factum ſit, planius à me in Faſtorum commentario demonſtratum eſt. Indicat etiam, quod M. Valerij, & P. Poſtumij conſulatum, qui eſt annus poſt reges exactos primus, Dionyſius confert in annum primum ſexageſimæ nonæ Olympiadis, cum is in annum quartum ſexageſimæ octauæ deberet incurrere. Indicat conſulatus A. Virginij, & T. Vetuſij, quem idem ille in annum ab v. c. ducenteſimum ſexageſimum conijcit. Indicat conſulatus L. Æmilij, & Kæſonis Fabij, quem idem initum eſſe anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſcribit. cum tamen, ſi primos conſules occepiſſe magiſtratum anno CCXLIV. dicas, quinquageſimo nono illi, hi ſexageſimo nono anno inierint, neceſſe ſit. Dixi de Dionyſio. nunc dicam de Liuio. qui libro primo ait, *regnatum Romæ ab vrbe condita ad liberatam anno* CCXLIV. *duos inde conſules eſſe creatos.* id eſt, vt ego interpretor, anno CCXLV. Hunc autem numerum recte habere, apparet ex annis, quos eoſdem ipſe cum Dionyſio ſingulis regibus tribuit. Hoc loco occurrit Robortellus, & ait, *Liuium Priſco regi non* XXXVIII. *annos, ſed* XXXVII. *tantum aſſignaſſe. ita Romani regni ſpacium* CCXLIII. *annis includi.* quid ad hoc dicam? nihil tale ſenſiſſe Liuium, cum ita ſcripſit: *Duodequadrageſimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud regem modo, ſed patres, plebemque longe maximo honore Ser. Tullius erat.* Neque enim ibi de regno Priſci expleto loquitur. quamquam haud ita multo poſt eum morte affectum eſſe innuere videtur. neque ſi Priſcum regnaſſe annos XXXVII. voluiſſet, poſt in extremo libro, *Romæ regnatum eſſe annos* CCXLIV. ſcribere potuiſſet. Conueniunt ergo inter ſe de regum annis Liuius & Dionyſius, verum cum Capitolinis tabulis diſcrepant. Quid ſit autem, quod Robortellus modeſtiſſime, vt cætera, me pueriliter hæc ſcribere ait, non video. Vter noſtrum rectius horum auctorum verba perpenderit, alij viderint. Pergamus ad alia. Primum ergo conſulum annum ex Dionyſij, & Liuij ſententia ducenteſimum quadrageſimum quintum, vt dixi, conſtituo: ille, Dionyſio Liuioque non intellecto, ex eorum item ſententia, CCXLIV. Poſt autem anno CCLXIV. & CCLXV. duos annos ille cum duobus conſulatibus interſerit, qui non ſunt apud Liuium. Hic ille, quanta cum grauitate dij immortales? *at debent reponi*, inquit. Ego contra reponendos eſſe ex Liuij ſententia non exiſtimo. me vero, vt ita credam, tres potiſſimum rationes adducunt. vna, quod, quas res Dionyſius in quatuor, his duobus interiectis annos diſpenſauit, eaſdem Liuius in duos extremos, medijs ipſis duobus ſublatis, contulit, ac nullam eius hiſtoriæ partem, quæ à Dionyſio maximo duorum horum conſulatuum auctore narratur, prætermiſit. altera, quod Caſſiodorus (qui tabulas ſuas conſulares ex Liuianis annalibus videtur digeſſiſſe) neque hos conſules profitetur. tertia quod Liuius *Q. Minucio, C. Horatio Coſ. tribunos pl. decem factos eſſe* ſcriptum reliquit, *anno trigeſimo ſexto poſt primos quinque qui facti ſunt, A. Virginio, & T. Vetuſio. Coſ.* anno ab V.C. CCIX. qui numerus *anni triceſimi ſexti.* nullo modo quadrabit, ſi duos hos annos interpoſueris? verum *triceſimo octauo* erit reponendum: quemadmodum ille contra omnium librorum & ſcriptorum, & impreſſorum conſenſum cenſet eſſe faciendum. tantam ei libertatem dat ars ab eo primum emendandi excogitata. Accedit annus, quo X. viri conſulares inierunt, quem Liuius *alterum, & treceteſimum ab V.C.* vocat, id eſt, vt interpretor, vnum & treceteſimum. qui numerus ne ipſe quidem congruet, ſi duorum illorum annorum rationem habueris, verum *treconteſimus tertius* erit reponẽdus. *non eſt ita*, inquit, *immo treceteſimus alter retineri debet, ſed pro treceteſimo ſecundo, non treceteſimo primo accipiendus eſt.* cur ita? *quia Faſti Capitolini* X. *viros in annum treceteſimum ſecundum edunt.* non eſt hoc ſatis. Iam enim ex Ciceronis ſententia diximus, inter ſcriptores magnam eſſe de numero annorum controuerſiam. Addit, *quia alter dicitur de duobus, ergo treceteſimus alter, eſt trecẽteſimus ſecundus.* Ego contra: Alter dicitur de duobus: ergo *alter à treceteſimo* eſt trecẽteſimus primus. vt.n. Virgilius dixit, *Tu nunc eris alter ab illo*: id eſt, ſecundus, non tertius, & *annũ alterũ ab vndecimo*, pro duodecimo, (nam quod aliter ſentiunt, probabilem cauſam nullã, cur ita ſentiant, afferũt) ſic *trecẽteſimus alter*, eſt treceteſimus primus. Argumẽto ſunt aliquot ſcripti, quos ego habeo, Liuianũm epitomatũ libri, in quib. ſcriptum eſt X. *viros creatos eſſe vno & treceteſimo anno ab vrbe condita.* argumento ſunt eædem epitomæ, in quib. legitur lib. XLIX. *Anno quingenteſimo, & altero ludos Terẽtinos factos: anno ſexcẽteſimo, & altero tertiũ Punicum bellum eſſe initũ*, id eſt quingenteſimo, & ſexcẽteſimo primo, vt à me in Chronologia Liuiana planiſſime demonſtratũ eſt. Quid plura? Bellum ciuile vltimũ initum eſſe Lentulo, & Marcello coſ. confectum autem Cæſare IV. & M. Craſſo, in omnib. annalibus ſcriptũ eſt. numera annos: XX. efficies. Itaq; Velleius, qui idem Lentulo, & Marcello coſ. ad arma ciuilia primum itum eſſe tradiderat, *vigeſimo anno ciuilia bella finita eſſe*, literis prodidit. At vero Liuius, qui bellum ipſum non armis poſitis, ſed Cæſaris triũphis actis terminauit, Cæſarem ſcribit *trib. triumphis in vrbẽ inuectis finem bellis ciuilib. impoſuiſſe anno altero, & vigeſimo.* eo nimirum, qui ipſius, & Craſſi conſulatum proxime conſecutus eſt, quo inter omnes conſtat Cæſarẽ ter librioſiſſime triũphaſſe. Hos vero annos nulla vnquam intercalatione viginti duos reddideris. atque hoc in epitoma CXXIII. ſcriptũ eſt, quas epitomas ex Liuianis

ipſis fere verbis contextas videmus. Cum ergo hanc locutionem Liuio familiarem eſſe videamus, vt quingenteſimum, ſexcenteſimum, & viceſimum alterom annum, pro vno & ſiue quingenteſimo, ſiue ſexcenteſimo, vſurparit, & ſi aliter interpreteris, reliquos omnes eius numeros labefactes neceſſe ſit, quos hac expoſitione conſerues; cur non apud eundem etiam *trecenteſimo et altero*, interpretabimur, trecenteſimo vno, præſertim vero cum veteres epitomiarum eius libri eo in loco conſentiant? nec in alium annum decemuiri apud eum incidere poſſint? niſi conſulatus aliquot contra ſententiam eius interponas. id quod ei faciendum oon eſt, qui ad Liuianos calculos reuocare hanc annorum, temporumqoe deſcriptionẽ velit. His ille perculſus argumentis, ad artem ſuam confugit. reperit præceptum, quo facultas datur qocmcumque cuiuſlibet auctoris locum pro libidine deformandi. vtitur eo contra me, & ait, qua fiducia, immo potius confidentia dij boni? Ariſtarchum eſſe diceres. *Legendum eſt, quingenteſimo quarto. Legendum eſt, ſexcenteſimo quarto.* Cur Robortelle? quia illi conſulatus in eum numerum in Faſtis Capitolinis incurrunt. At hoc ſuſcepiſti probandum ex verbis Liuij, Liuium ipſum cum Faſtis coueotdare. nihil ergo Faſti ad Liui-

Capitolina deſcriptio.

ccc { Sex. Quinctius Sex. F. P. N. Varus.
P. Horatius Tergeminus.

301 { P. Sextius Q. F. Vibi N. Capitolinus.
T. Menenius T. F. Agrip. N. Lanatus.

302 { Ap. Claudius Ap. F. M. N. Craſſinus.
T. Genucius L. F. L. N. Augurinus.

Decemuiri primi in locum conſulum facti.

303 { Decemuiri ſecundi.
Iidem decemuiri in hunc annum continuarunt. quibus abdicare coactis in eius locum facti ſunt cos.

304 { L. Valerius Poplicola Potitus.
M. Horatius Barbatus.

305 { Lar Herminius.
T. Virginius.

306 { M. Geganius.
C. Iulius.

307 { T. Quinctius.
Agrippa Furius.

308 { M. Genucius.
C. Curtius.

309 { A. Sempronius.
T. Clœlius. — Tribuni mil. poteſtate primi.
L. Atilius.

310 { M. Geganius.
T. Quinctius.

Mea Liuiana.

299 Sex. Quinctilius. P. Curiatius.

Quorſum hæc? vt intelligas, te, ſi faſtos Capitolinos ſequi auctores velis, non poſſe tribunos militares in annum cccx. conferre. Nam, vt dixi, illi duos tantum annos dant x. viris, tu Liuium ſecutus tres conceſſiſti. non eſſe autẽ tibi annũ ccctv. decemuiris, ſed Valerio, & Horatio cos. tribuendum, ex eo dicere potes, quod in triumphalib. tabulis Capitolinis conſules illi ſcribuntur triumphaſſe anno ipſo ccciv. Horatius quidem vii. K. Sept. Valerius vero Idib. Sext. niſi forte eximia tua iſta arte lapides etiam illos corrigas, aut eos conſules ante conſulatum triumphaſſe exponas: quo nihil peruerſius. Si ergo Valerius, & Horatius conſules triumpharunt mẽſe Sextilij, anno ccciv. quo tempore idus Maiæ ſollemnes ineundo conſulatui erant perfecto ſi diligenter annorum rationem ſubduxeris. tribunos militares primos, niſi in an. ccctx. conijcere non poteris: niſi forte & tu continuaſſe in alterum annum conſulatum eos volueris. quod nec concedis, nec concedi in faſtis Capitolinis oportere exiſtimo. Immo vero an. cccix. ſunt collocandi: ſed C. Iulij iii. & L. Virginij ii. conſulatus, cuius auctores multi ſunt, non eſt à te poſtea omittendus. Quam lynceus ergo ſit oportet, quod annorum deſcriptiones inſtituere velit, & vt Capitolina ſumma nullo modo cum Liuiana congruere poſſit: & vt eam ipſe non intellexeris, iam vides. Sed pergamus ad alia. Cum ergo ſummis

um. ſed ſit hoc artificij tui. Seqoitur annus, quo primi tribuni militares conſulari poteſtate facti ſunt, quem *trecenteſimũ decimum* numerat Liuius. Atque hunc numerum vterque noſtrum tuetur. tu quidem ex Liuij & Dionyſij ſententia, ego ex Liuij tantum. Neque. n. ipſe attendis, ſi annum, quem tu numeras cccxtv. Dionyſius ccxlv. quem tu cclix. ille cclx. qoem tu cclxix. ille cclxx. appellat, eum demum, quem tu cccx. nominas, & eius eſſe ſententia cccxi, nominandum. Quod autem hunc annum à me cccix. numerari apud Liuium arguis: iniuſtiſſime mehercule facis. qui enim poſſum eum cccix. vocare, ſi ſequentes Liuianos annorum numeros tueri volo? Patet hoc ex mea Chrooologia. patet etiam ex eo, quod tu me inter ccci. & cccx. incertum annum interieciſſe inſimulas. ſi ergo interieci annum, cur ad numerum hunc cccx. non perueoi? quem tamen cur interiecerim, ſatis noſti. Dices, *ſeruaſti in Liuiana*, noo *ſeruaſti in Capitolina ſumma conſtituenda*. diuerſa ratio eſt. Liuius enim tres annos x. viris ipſis attribuit, at vero L. Valerio, & M. Horatio conſulibus duos. Ita ſit vt tribuni militares ibi anno cccix. ſint, hic anno cccx. quod vt planius intelligatur, ſubſcribam omnes has annorom deſcriptiones.

300 T. Menenius. P. Seſtius.
301 Ap. Claudius. T. Genucius.
Decemuiri conſulares primi.
302 Decemuiri conſulares ſecundi.
303 Deecmuiri conſulares tertij.
304 L. Valerius. M. Horatios.
305 Iidem conſules videntur continuaſſe in hunc annum.
306 Lar Herminius. T. Virginius.
307 M. Geganius. C. Iulius.
308 T. Quinctius. Agrippa Furius.
309 M. Genurius. C. Curtius.
310 { A. Sempronius.
T. Clœlius. — Tribuni militares primi.
L. Atilius.
311 M. Geganius. T. Quinctius.

Robortelliana.

300 Sex. Quinctilius. P. Curiatios.
301 T. Menenius. P. Seſtios.
302 Ap. Claudius. T. Genucius.
Decemuiri conſulares primi.
303 Decemuiri conſulares ſecundi.
304 Decemuiri conſulares tertij.
305 L. Valerius. M. Horatius.
306 Lar Herminius. T. Virginius.
307 M. Geganius. C. Iulius.
308 T. Quinctius. Agrippa Furius.
309 M. Genucius. C. Curtius.
310 { A. Semponius.
T. Clœlius. — Tribuni milit. cos. pot. primi.
L. Atilius.

mihi tecum ſit in Liuiana Chronologia concinnanda in anno tribunorũ militarium numerando conſenſus, (nam vterque eum cccx. vocat) quæres fortaſſe, cur, ſi in trecẽteſimo decimo anno cõuenimus, in reliquis deinceps annis diſcrepemos? nimirum, quia tu alios annos tollis, alios addis, idque contra Liuij, quem aſſequi non potes, ſentẽtiã. audi autẽ quo modo. Anno cccix. conſules ſunt apud Liuium L. Iulius ii. L. Virginius. Eoſdẽ ego io annũ cccxx. refectos eſſe ſcribo ex Liuij, & Caſſiodori ſententia, quos tu tranſcendis. Verba Liuij ſunt hæc. *Eoſdem conſules in ſequẽti anno refectos Iuliũ tertium, Virginium iterũ apud Marcũ Liciniũ inuenio. Valerius Antias, & Q. Tubero M. Mãliũ, et Q. Sulpiciũ conſules in eum annũ edunt. ceterũ in tã diſcrepanti editione & Tubero & Macer libros Linteos auctores profitentur, neuter tribunos militũ eo anno fuiſſe traditũ à ſuperiorib. antiquis diſſimulat. Licinio libros haud dubie ſequi Linteos placet. & Tubero incertus veri eſt. ſed inter cetera vetuſtate incõperta hoc quoq; incerto poſitũ.* nos ergo cõſules tu poteris quia Liuium exiſtimas his verbis hũc omnino cõſulatũ dãnaſſe cũ tamẽ Liuius nõ tã de magiſtratib. huius anni, quã de nominib. ipſorũ magiſtratuũ ambigat, neq; pro certo horum neminẽ fuiſſe in magiſtratu affirmet, ſed qui potiſſimũ fuerint, parũ ſibi cõuenire dicat. Fuiſſe aũt aliquot ex ijs, quos nominauit, declarat Caſſiodorus, qui Macrũ ſecut⁹ in hũc annũ, C. Iuliũ,

vt ego, & L. Virginium conſules edit. declarant faſti Siculi Græci, qui, Tuberonem & Antiatem ſecuti, Capitolinum Manlij, & Camerinum Sulpicij cognomen in hunc annum profitentur. declarat Diodorus, qui in tertiam diſcedens ſententiam tribunos in hunc annum militares nominat, M. Manlium, Q. Sulpicium, & Ser. Cornelium. Adde, quod ſi hunc annum tranſcendas, ſet per hoc erratum longius. neque enim Romam anno CCCLXV. captam eſſe vmquam efficies, quod ſcribit Liuius: neq; L. Valerij Potiti, & M. Manlij Capitolini conſulatum in annum cẽteſimum decimum nonum poſt reges exactos conijcies, quod libro primo ſcriptum reliquit Dionyſius. quæ omnia mea ſumma cuſtodiuntur, tua vero penitus euertuntur.

Reprehendit deinde ille me, quod ad A. Cornelium Coſſum. II. & Cn. Domitium cõſules, ſignauerim in Faſtis numerum CDXX. cum fuerit ſignãdus ad priorem verſum: HOC. ANNO. SINA. COS. RASP. FVIT. atq. adeo cæcus eſt, vt non librarij id vitium eſſe perſpiciat, atq; extremo libro, vbi librariorum errata eiuſmodi aliquot emẽdata ſunt, ſatis plane correctum videat, id quod ego vel imprudentiæ, ſi non vidit, vel improbitatis, ſi ſe vidiſſe diſſimulat, eſſe exiſtimo. Cum ergo annũ ille inuito Liuio demat, quem ego retinuerim, hinc fit, vt L. Papirij Curſoris, V. & C. Iunij Bruti II. conſulatum in annum conijciat ille CDXL. ego CDXLI. atque vt neceſſario Liuiana ſumma diſtet à Capitolina. nam in Faſtis illi conſules, in annum CDXL. incurrunt. Suſtulit igitur annum vnum, quem ego retineo. non eſt ſatis: eximit alterum nimirum Interregnum, quod ego in Liuiana Chronologia in annum CCCXXIV. retuli, auctore ipſo Liuio, qui ait: *Cũ maior pars anni per nouos tribunos pl. et aliquot interreges certaminibus extracta eſſet.* & paulo poſt: *Mugillanus interrex obtinuit, vt tribunicia comitia haberẽtur.* Hoc autem interregnũ ſine pernicie omnium numerorũ, qui deinceps in nominandis annis à Liuio vſurpantur, præteriri non poteſt. Cur autem id in faſtis omiſerim, alia ratio eſt. nam in Faſtis dictaturæ multæ, quarum rationem nullam in numerandis annis habuit Liuius, obſeruantur, atque interponuntur. His annis eximendis cum ſe nihil aſſequi videat, deinde ſe ad reprehendendum Liuium confert, qui quodam anno tribunos octo militares ediderit, atque in eo deceptus ſit neque attendit, rem illam à me primum in Faſtorum commentario plurimis verbis eſſe demonſtratam &, ſi ita oportuit, ſatis exagitatã. Qua re expoſita, ita addit: *Anno* CDXX. *Interregnum fuit peſtilentia cauſa. nec verum eſt, quod ſcribit Sigonius, de eo Liuium non eſſe locutum. quid. n. aper. iũ his verbis? Et quia peſtilentia inſecuta eſt, velut omnib. eo vitio contactis auſpicijs res ad interregnum rediit.* Vide quam iniq. facias Robortelle. Ego ne. n. Liuium de eo interregno non eſſe locutum ſcripſi, cum eius interregni in Chronologia Liuiana conſtituẽda rationẽ reddens ita ſcripſit? *Liuius id ipſum, quod facimus, etſi non aperte, at ſub obſcure tamen ſignificare videtur.* Cur ſubobſcure Robortelle? quia non aperte aut annum illum, aut anni illius maiorem partem, vt ante, per interreges eſſe extractã ſcribit. Duos ergo annos ex mea Chronologia Liuiana exemiſti, qui ſunt reponẽdi: tres deinde interſeris, qui nullo pacto ſunt obſeruandi. Hæ ſunt tres dictaturæ ſine conſulib. quarũ habendam eſſe rationẽ in faſtis Capitolinis probaui: in Liuianis non probo. quæris qua cauſa? quia ex verbis Liuij nihil tale erui poteſt. vna eſt ergo dictatura L. Papirij Curſoris anno CDXXIX. de qua ita Liuius: *L. Furiũ conſulem, cui Sãnium prouincia euenerat, morbo implicitũ fortuna bello ſubtraxit iuſſuſq; dictatorem dicere. rei gerendæ cauſa dixit L. Papiriũ Curſorem.* altera eſt itẽ L. Papirij Curſoris anno CDLXIV. quem Liuius ſcribit *dictatorem cum C. Iunio Bubulco, magiſtro equitum dictũ Q. Fabio, & C. Marcio Coſ. quod res non ſatis proſpere à C. Martio coſ. in Samnitib. eſſent geſta.* tertia anno CDLII. M. Valerij Corui. de qua Liuius: *Multiplex deinde exortus terror. Etruriam rebellare nunciabatur. Itaque propter eum tumultũ dictus M. Valerius Maximus dictator. magiſtrum equitum ſibi legit M. Aemillium Paullũ.* & paulo poſt: *Prælio ab dictatore commiſſo fracto iterum Etruſcorũ opes. dictator triumphans in vrbem rediit, conſul ex dictatura factus M. Valerius.* An vero tibi videtur Robortelle his Liuius dictatores hos per annum ſine conſulibus fuiſſe dicere, an eos in aliorũ, vt adſolebat, conſulatu dictaturam geſſiſſe? at ei credo verba deerant, quibus hoc exprimeret, ſi ita ſenſiſſet. Nonne attẽdis, ſi trium horum annorum rationem habeas, reliquos omnes, qui apud eum ſequuntur, numeros eſſe peruertendos? & alios annales Liuium, alios faſtorum Capitolinorũ auctores eſſe ſecutos, atque omnino inter ſe diſcordare non ſentis? Caute autem, immo callide Robortellus, cum ſe in tota hac de dictaturis Liuianis ratione nutantem, ac claudicantem ſentiret, ſtatim, vt aliquo inſigni præcepto alio lectoris mentem auerteret, fragmenta illa lapidum Capitolinorum præpoſtero ordine eſſe in Capitolio collocata adiecit. nec videt, id ipſum à me primũ, vel ipſomet teſte, eſſe demõſtratum, atque in Faſtorum cõmentario confirmatum. His rebus expoſitis concludit *ſummam annorum Liuianorũ, & Capitolinam eandem eſſe vſq; ad annum* CDLXXI. quas ego longe diuerſas inter ſe eſſe contendo. Vter autem noſtrum eſt verior? nimirũ ille, qui numeros Liuij cuſtodierit, non ille, qui, vt eo perueniat, quo velit, eos omnino labefactarit. Dixi ante, Liuium ſcribere, *ſexto & triceſimo anno poſt primos tribunos pl. decem tribunos eſſe factos.* is numerus à me conſeruatur, ab illo euertitur, ac *octauus & triceſimus* ex coniectura reponit. Prodit item Liuius *anno ab V. C.* CCCLXV. *Romam eſſe captam*, eo numero nihil ad meam ſummam poteſt eſſe conuenientius: ad Robortelli nihil ineptius, qui CCCLXIII. emendare cogetur. Idem, *Q. Seruilio, L. Genucio* coſ. *Camillum annos poſt Romam captam* XXV. *mortuum*, refert, recte ad meos calculos: at ille XXI. reponit. Idem *annum, quo M. Fabius Ambuſtus III. & T. Quinctius conſulatum gesserunt, poſt vrbem captam* XXXV. numerat: Robortellus XXXI. quamquam in eo etiam peccat Robortellus qui hoc ſcribi à Liuio ait conſulatu M. Fabij Ambuſti & T. Quinctij, cum id prodat in conſulatu C. Sulpicij Perici & M. Valerij Publicolæ: atque ita numerus ille ad meam rationem conueniat. Idem in conſulatu Q. Fabij V. P. Decij IV. ita ſcribit: *Superſunt etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum iam volumen, annumque ſextum, & quadrageſimum M. Valerio, A. Cornelio* coſ. *qui primi Samnio arma intulerunt, agimus.* Quo numero nihil ad meam ſummam poteſt eſſe aptius, quia tres illas dictaturas præterij, cũ Robortellus, adeo incertus ſententiæ eſt, vt *quadrageſimum octauum*, vel *quadrageſimum nonum* reſtituendum putet, eoſque numeros à librarijs, & à Caſſiodoro corruptos exclamet. Idem Liuius libr. XXXI. *Ap. Claudiũ conſulem primũ Pœnis bellũ intuliſſe* ſcribit *anno*, vt in ſcriptis libris eſt, CDLXXVII. quod ego leui mutatione CDLXXVI. V. in X. II. in V. verſa lego; ille CDLXXXVI. In epitomis Liuianis, *Ludi Terentini anno quingenteſimo altero ab* V. C. *facti* dicuntur, id eſt, vt Cenſorinus, auctore Liuio, ait, P. Claudio L. Iunio coſ. Item, *tertium bellum Punicum cœptum eſſe anno ſexcenteſimo altero*, id eſt L. Marcio, M'. Manlio coſs. nihil melius poteſt eſſe, ſi me ſpectes: nihil fœdius ſi illum. nam *quingenteſimum quartum*, & *ſexcenteſimum quartum* reponit. Dionyſius libro ſecundo, *diuortium, quod nullum intra quingentas viginti annos factum fuerat, primum factum fuiſſe prodit M. Pomponio, C. Papirio*, coſ. eumque annum Gellius lib. XVII. *DXIX.* vocat. recte ſi ad meos calculos reuoces: ſi ad Robortellianos, non item. nam is annus in Faſtis eſt, DXXII. P. Valerij, & M. Atilij conſulatum Gellius libr. IV. cap. III. in annum ab vrbe condita conijcit DXXII. Liuium credo ſecutus. at hic noſter ex Faſtorum auctoritate, in annum DXXVI. Liuius conſulatum P. Galbæ. & C. Cottæ in annum confert quingenteſimum quinquageſimum. congruenter ad meam ſummam. num creditis ita ad Robortellianam? non certe. ille enim quinquageſimum tertium reponit. P. Africani conſulatum alterum in annum transfert Liuius, vt vulgo mendoſe legitur, DVIII. quem numerum ergo V. in L. & II. in V. verſis corrigo DLVI. ille multo alienius DLIX. Quemobrem, quod ille quærit. *cur ego in faſtis Capitolinis Q. Fabium, & P. Decium conſules repoſuerim, è Liuianis autem ipſum Caſſiodorum ſecutus exemerim:* iam quærere deſinet, cum non eandem eſſe ſummæ vtriuſq; rationẽ intellexerit, neq; omnes omniũ calculos ad vnam normã tãta cum librorum pernicie referẽdos eſſe cognouerit. Hæc pauca in hoc libro libuit notare. mitto reliqua, quæ aut ita vana ſunt, vt nullo, aut ita aliena, vt alio loco videantur eſſe refutanda, quale illud eſt, quod opponit de duobus Liuij locis à me corruptis. Ex his autem paucis ſatis intelligi poſſe arbitror, quid præſtare nouæ hic huius artis auctor in ratione literarum reſtituenda poſſit: qui, vt Liuianam

Liuianam

uianam annorum ſummam colligeret, totum ſibi Liuium ante perdendum eſſe exiſtimarit. Atque hic tamen, cum eiuſmodi ſit, audet Liuium à ſe emendatum, & nouam in eum Chronologiam profiteri.

DE LVDIS SÆCVLARIBVS.

LVdos ſæculares, in prima editione Faſtorum ſub conſulibus diſpenſaueram, quos è poſteriore exemi. cur appoſuiſſem, cauſſa fuit qood quincti ludi in lapide Capitolino ita deſcripti ſunt, vt ſub conſulibus. C. Silio, & L. Munatio poni debere videatur. ſic enim habet.

C. SILIVS. P. F. P. N. L. MVNATIVS. L. F. L. N. PLANCVS.

LVDI. SÆCVLARES. QVINCT.

IMP. CÆSARE. DIVI. F. AVGVSTO.

Itaque, cum ea meam mentem opinin imbuiſſet, Quinctos ludos ſub conſulibus his eſſe diſpoſitos, quamquam Cos. multo ante factos veterum annalium auctoritate perſuaſum habebam, putaui quartos etiam, & tertios, & ſecundos, & primos mihi eſſe ſub conſulibus collocandos, Cur remouerim, id cauſæ fuit, quod eos poſtea non ſub conſulibus, ſed è regione cõſulum & in alio lapide inciſos comperi. quinctos autem caſu neſcio quo à fabro, commoditatem ſuam quandam ſecuto, ſub conſules illos eſſe ſubſcriptos. Itaque mihi, qui faſtos cõſulares ſcribẽdos ſuſceperam, ludorũ ſæculariũ mentionem neceſſariam non eſſe duxi. Roborrellus aotem, qui *ſua Patauina caſtigatione* factũ eſſe ait, vt eos exemerim, quod ludos primos ſæculares non P. Valerio primum, ſed quartum conſule factos probaſſet, non intelligit, ſi vera ea ſint, non me omnes exempturum fuiſſe, ſed primos tantum mutaturum. Nunc vero, etſi ea me defendere, quæ à me ipſo ante damnata ſunt, opottere non exiſtimo, tamen, vt intelligat ipſe me ſuo admonita nihil feciſſe, nec facere debuiſſe, ita quod ſcripſeram de ludis ſæculatib. tuebos, vt me rectè ſenſiſſe, illum in tota hac qoæſtione nutare confirmem. Negat is *ludos ſæculares primos in primũ P. Valerij Poplicolæ conſulatũ, qui primus poſt reges exactos conſul fuit, eſſe cõiiciendos; ſed in quartũ, cuius auctor ſit Plutarchus.* Coi ego reſpõdeo, magnam de primis, ſecundis, tertiis & quartis ludis ſæcolaribus, quibus potiſſimum conſulibus facti ſint, eſſe opinionum varietatem quas omnes Cenſorinus, in libro de die natali, litteris perſecutus eſt. Primos autem alios in primum Poplicolæ conſulatum, alios in quartum retuliſſe. in XVuirũm autem libris, M. Valerio, Sp. Virginio cos. factos ſcriptum eſſe teſte Cenſorino. De Poplicola primum cõſule hos ludos faciente ſic Cenſorinus. *Primos ludos ſæculares exactis regib. conſtat poſt Romam cõditam anno* CCXLV. *a Valerio Poblicola inſtitutos eſſe.* quæ verba ſi diligenter attendas, intelligas ad quartum Poplicolæ conſulatum referri nullo modo poſſe, ſed domtaxat ad primum. non enim de quarto cõſulatu, dixiſſet *Exactis regibus*, neque *anno* CCXLV. quamquam tu, dominus emendationum, ex ingenio, CCXLIX. reponis, neque numerum vllum tua non violatum manu eſſe permittis, vt eos ludos in Poplicolæ conſulatum transferas. Hoc idem Valerius Maximus videtur indicare, cum ait, *Valerij exemplũ Valerius Poplicola, qui primus conſul fuit, ſecutus eandẽ aram terra obruit, etc.* Nam, *Qui primus conſul fuit*, videtur adieciſſe, vt annum poſt exactos reges, ſicuti dixit Cẽſorinus exprimeret. Hoc idem etiam Politianus vir doctus in Miſcellaneis ex Zoſimo & exiſtimauit & prodidit. Si ergo Publicola primum conſule factos primos ſeculares ludos, auctores tres habeo, quid deliqui, cum eos in primum potius eius quam in quartum conſulatum, cuius ſolus eſt auctor Plutarchus, conieci? Sed vide quam meum iudicium à tuo diſſidear. ego ſi veritatem annorum quibus ludi ſeculares omnes facti ſunt, toeri velim, libros xuirales, quos identidem auctores citat Cenſorinus, quam hiſtoricos alios vllos audire malim, ex libris autem Quindecemvirũm apparet, primos M. Valerio Sp. Virginio Cos. anno ad Capitolinam ſummam ducenteſimo nonageſimo ſeptimo eſſe factos: ſecundos M. Valerio Coruo, & C. Pœtelio Cos. anno CDVII. tertios P. Cornelio Lentulo. C. Licinio Varo Cos. anno quingenteſimo decimoſeptimo: quartos M. Æmilio Lepido. L. Aurelio Oreſte Cos. anno DCXXVII. ita vt centeſimo decimo quoque anno relati ſint. qood etiam ſignificauit Horatius in carmine ſeculari, cum ait:

Certus vndenos decies per annos.
Orbis vt cantus, referat que ludos.

Sic enim legit, & exponit Acro. quanquam tu hunc etiam locum fœdiſſime deprauans legis. *Certus vt denos decies per annos Orbis & cantus, referatque ludos.* Liuius autem non *centeſimo decimo quoque* anno relatos exiſtimat, ſed *centeſimo*. Ac de primis quidem, quo anno ex Liuij ſententia relati ſint, nihil habeo comperrum, ſecundos vero anno quadringenteſimo primo factos eſſe, illum putaſſe, inde ſuſpicor, quod Zoſimus, *ſecundos ludos factos eſſe M. Popillio conſule* ſcribit, anno ab vrbe cond. CDII. qui conſulatus apud Liuium in annum CCI. incidit. *tertios factos Antiate, et Liuio auctoribus* tradit Cenſorinus, *P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo conſulibus*, qui in annum incurrunt apud Liuium DI. quarti editi ſunt, Antiate, Varrone, & Liuio auctoribus, L. Marcio Cenſorino, & M' Manlio Cos. id eſt, ſi ſummã Liuianam audiamus, anno DCI. ſic enim ſcriptum eſt in epitoma libri XLIV. *Altero, & ſexcenteſimo anno ab* V. C. *L. Marcio, & M' Manilio Cos. tertium bellum Punicum cæptum. Diti patri ludi ad Terentũ ex præcepto librorũ Sibyllinorum facti, qui centeſimo anno primo Punico bello: quingenteſimo, & altero ab vrbe cond. anno facti erant.* Non ergo ignoraui, vt ais, Liuiũ de ſæcularibus ludis locutum, neque tua admonitione Patauina, ſed meo domeſtico conſilio adductus ludos ſæculares omnes dimoui. Quod autem me culpas, quod ſecundos ludos ſub conſulatum M. Valerij Corui, & C. Pœtelij, ex auctoritate librorum XVuiralium ſubiecerin, & putas hiſtoricorum potius, quam xvuiraliom librorum auctoritate ſtandum eſſe, ego te errare exiſtimo. Etenim de re pontificia, ego libentius pontificiales libros, quam aliom qoẽquam audiam. Nam qoos ais *Cenſorinum ſecundos ludos in conſulatum M. Valerij, et Sp. Virginij, anno* CCXCVII. *contuliſſe*, vehementius etiam falleris. non enim tum de ſecundis, ſed de primis loquitor Cẽſorinus, vt poſt ex XVuiralib. libris oſtendam. Quod autem obiicis de ludis tertiis: *me in eum annũ illos reieciſſe, cuius nulli extẽt auctores*, fateor. verum illa cauſſa fuit, de qua initio dixi. cum putarem ſub conſulibus eos eſſe ponẽdos, nec poſſem eos ex Liuij ſententia in conſulatu P. Claudij, & L. Iunij, nec ex XVuiralib. libris in conſulato P. Lentuli, & C. Licinij collocare, qood per ea tempora marmora Capitolina integerrima ſint, nec patiantur, ne verbum quidem, ne dum tot verſus, inter conſules interponi, coactus ſum, vbi primum marmoris fragmentum reperi, conſtitoere. Libentius autem certe etiam in hoc Xvuirales libros ſecutus eſſem, ſi potuiſſem. Verſus autem, qui interiiciendi erant, hi ſunt:

LVDI. SÆCVLARES. TERT.

M'. ÆMILIO. M'. F. MAGISTR. XVIR.

M. LIVIO. M. F. M. N. SALINATORE.

Quos è regione Lentuli & Licinij conſulum nunc ei ponendos eſſe credo, qui ludos hos adſcribere velit. Quare non eſt, quod tu delirans ſuſpiceris me quod per eos annos M. Liuij Salinatoris, & M. Æmilij Paulli conſulum mentio fieret, adductum eſſe, vt in ea tempora hos ludos conicerem. ſciebam enim iam pridem magiſterium XVuirale nihil ad cõſulatum pertinere. Nam quod vitio vertis, me auctoritatẽ XVuiralium librorum ſecutum quartos ludos in cõſulatum Lepidi, & Oreſtis tranſtuliſſe, cum potius in Marcij, & Manilij conſulatum, ex Liuij ſententia, eſſent reiiciendi: reſpondeo, primum, malle me in hac re, dum poſſum, Xvirales libros, quam Liuium ſequi: in qoibus ſummam video annorũ conſtantiam iuxta Horatij verſum & Auguſti ſententiam conſectari; deinde, ne, ſi voluiſſem quidem Liuium ſequi, potuiſſe. Nam illa tempora, quæ in Marcij & Manilij conſulatum incurrunt, quamquam aliqua ex parte debilitata, tamen ita integra ſunt, vt ſatis oſtendant, non poſſe verſus aliquot de ludis ſæcularibus inter conſules interponi. Quod aotem alio loco ais, *non fuiſſe, quod augerer in enumerandis annis centũ adeo exquiſite:* quamuis ne id quidem ſcierim, aut ſi ſcierim, non potuerim tamen Liuij locum confirmare; reſpondebo tibi

primum de numero centeſimo, deinde de Liuij loco. Ego exiſtimo, Robortelle, ſi ſecundi ludi in annum, quo M. Popillius Cos. fuit, teſte Zoſimo, inciderunt; tertij in conſulatum P. Claudij, & L. Iunij; quarti in conſulatum L. Martij, & M. Manlij (atque hi ſunt anni apud Liuium CDI. DI. CDI. idque ſine vlla correctione, aut mutatione vulgatorum librorum) ſatis me probaſſe, ex Liuij ſentẽtia ludos ſæculares centeſimo quoque anno relatos. ſiquidem ego à CDI. vſque ad DI. centum annos numerare ſoleo, vt à DI. vſque ad DCI. alios centum. Nam quod ais, *non ſemper exſpectatos eſſe annos centũ, quod ex eo intelligi poſſit, quia alij auctores à Liuio, qui numerum centeſimum intulit, diſſentiant*, quid me hoc torquet, dũmodo conſtantiã hanc in opinione Liuiana inueniam, vt in XVuirali illam alteram, quod centeſimo decimo quoque anno relati ſint: & ſi quæris, vnde tanta annorum in his edendis ludis varietas nata ſit, te docebo, qui hoc, vt multa alia confiteris te ignorare. docebo autem te quæ non tam ego, quam Onofrius Panuinius vir in obſeruanda omni antiquitate diligentiſſimus, & ſummo ingenio præditus exiſtimet. Scribit Acro in ſæculare carmẽ Horatij ita: *Sæcularis carminis duplex deuotio eſſe conſueuerat. aut enim pro ſedanda, aut pro vitãda peſtilentia, aut, pro certo, & conſtituto numero annorum: centeſimo enim decimo anno in Capitolio à pueris, & puellis impuberib. cãtabatur.* Si ergo duplex fuit deuotio carminis ſæcularis, ergo etiã ludorum ſæcularium fuiſſe facile exiſtimari poteſt: ita vt alij ordinarij eſſent, qui certo tempore, & conſtituto referrentur, vt qui centeſimo decimo, vel centeſimo anno fiebãt, vt dixi, alij vero, qui extra ordinem pro re nata ſedandæ, vel vitandæ peſtilentiæ cauſſa. vt illi, quorũ alij ſcriptores fortaſſe meminerũt. Quare non eſt, quod tu inconſtantiã in annis horum ludorũ labores, inuenire: cum ignores tempora: cauſſas non diſtinguas, & annaliũ varietatẽ non accipias, ſed omnia monumenta omnia ſæcula, omnes cauſſas, cœlum denique, terram omnem vna regula metiaris. Et quoniam in hac diſputatione iiſdem auctorũ locis vſi ſumus, tu autem arte tua, tãquam Proteus, è manib. elabi meis conaris, non patiar te id facere, atque impune, vel epitomen, vel Cenſorinum pro tuo arbitrio, vt me oppugnes, deprauare. ex quo etiam intelligere poteris, an ego, tuam aliquando auctoritatem ſecutus, ludos ex faſtis cõſularibus ſæculares exemerim. Locus eſt in epitoma XLIX. qui in vulgatis libris ita legitur: *Diti patri ludi ad Terentum ex præcepto librorũ Sibyllinorum facti, qui anno primo Punici belli, quingenteſimo, & altero ab vrbe cond. facti erant.* Hũc ego locum ita ex ſcriptis multis libris emẽdaui, ſed maxime ex, vno quem ego poſſideo, & tibi, cum voles, cõmodabo: *qui anno centeſimo, primo Punico bello, quingẽteſimo & altero ab V. C. facti erant.* Hic illud *centeſimo* improbas. quod ego ita confirmo. Bellũ Punicum tertium Marcio, & Manlio Cos. cœptum eſt anno altero, & ſexcenteſimo ab V. C. vt ſcriptũ eſt in hac epitoma. iiſdemq; Cos. quarti ludi ex Liuij ſententia, Cenſorino teſte, & epitoma cõſentiente facti ſunt: ergo quarti ludi anno altero & ſexcenteſimo ex Liuij ſentẽtia facti eſſe dicũtur. Quod ſi hanc expoſitionem non accipis, dic, *qui centeſimo anno facti erant*, id eſt, qui ſuo & legitimo anno, (is erat ex Liuij ſententia centeſimus) facti erant. Quod ſi tu ne hanc quidem vel correctionem librorum diſertiſſimam, vel interpretationem ſplendidiſſimã, probas; quanto minus ego probare debeo tuas, *qui cum quingenteſimum et ſexcenteſimum alterum* pro *quingenteſimo, et ſexcẽteſimo ſecundo* interpreteris, deinde ſine vlla librorum auctoritate, *quingenteſimũ & ſexcenteſimum quartum* reponis: inani hac coniectura ductus, ſcriptum fuiſſe DIV. & alteram literam V. deletã aſſe altero cruce, & factũ eſſe DII. vnde poſtea ſcriptum eſſe altero, & quingenteſimo. quod ipſum cum ais: non conſiderare, ſed ſortiri, quid dicas, mihi videris. an vero tu meis ſcriptis libris fidem non habebis, ego tuis ſomniis habebo? qui inquis legendum eſſe: *Qui ſextodecimo anno primo Punici belli*, quod ij conſules in ſextumdecimũ annum eius belli inciderint: neque in quos te errorũ laqueos induas, animaduertis? Sed de epitomã hactenus. nunc ad Cenſorinũ veniamus. cuius tu verba cap. XIII. corrigendo ita deprauaſti, vt ſinceræ ſententiæ ſimulacrum nullum reliqueris. Verba ea in vulgatis Aldinis ita leguntur, *Primos ludos ſæculares exactis regib. cum poſt Romam conditã annis CCLV. à Valerio Publicola inſtitutos eſſe ad X Luirorũ cõmentarios, anno ducenteſimo nonageſimo nono M. Valerio Sp. Virginio Cos. anno poſt vrbẽ conditam VIII. et XL. vt vero in commentarijs XIIuirorũ ſcriptum eſt, anno quadringẽteſimo et decimo, M. Valerio Coruino, & C. Petilio Cos. Tertij ludi, &c.* Hæc verba ita ex ingenio, quo, vt cõſtat, excellit, emendat Robortellus: *Primos ludos ſæculares exactis regib. conſtat poſt Romã cõd. annis* CCXLIX. *à Valerio Poblicola inſtitutos eſſe ad X Luirorũ cõmentarios. Secundi autem ludi fuerunt, (vt multi tradunt,) anno ab vrbe cond.* CCXCVII. *M. Valerio M'. F. Voluſi N. Maximo, Sp. Virginio Cos. anno poſt vrbẽ conditã* CCXCVII. *vt vero in cõmentarijs XV virũm ſcriptũ eſt, anno* CCCCVIII. *M. Valerio Coruo, et C. Petilio Cos.* Hæc ille. nunc eius enumeremus errata. Primũ putat primos ludos non in primo Poplicolæ cõſulatu factos, ſed in quarto, & idcirco mutat annum CCXLX. in CCXLX. quanquam debuit potius, ſi quartũ ſpectabat cõſulatũ, CCL. ſcribere. nam quartus conſulatus Poplicolæ ad Liuianã, Dionyſianã ſummã, vt ſupra oſtẽdi, cadit, in annum CCL. Deinde, quod non agnoſcens mendam, ait, *inſtitutos eſſe ad X Luirũ commentarios*: cum nulli tum fuerint LXviri. fuerunt enim librorum Sibyllinorum cuſtodes primum Duomviri Sibyllini, poſt Decemviri, tum XVviri. atque inde XVvirũm libri, & cõmentarij dicti. tertio, quod addens hæc de ſuo: *(Secundi autem ludi fuerunt, vt multi tradunt,)* confundit primos ludos cum ſecundis. nam qui anno CCXCVII. facti ſunt, non ſecundi fuerunt, ſed primi, vt XVvirũm libri tradiderunt: quemadmodũ & ſupra dixi, & infra apparebit. quarto loco, quod numerũ CCXCIX. corrumpit, & facit CCXCVII. dirigit enim ſummam aliorũ ſcriptorum ad Capitolinam, ſine cauſſa. quincto, quod bis eiuſdem anni numerum apponit. primum ita: *ab vrbe cond.* CCXCVII. deinde ita: *anno poſt vrbem cond.* CCXCVII. nec attendit priorem numerũ ad primos ludos pertinere: poſteriorẽ ad ſecundos, quem tamẽ mirifice deprauauit: cũ pro VIII. & CD. reponit CCXCVII. Sexto, quod *M. Valerio M'. F. Voluſi N. Maximo*, ex lapidib. Capitolinis ſine cauſſa intulit, cũ, *M. Valerio*, vt ſcripſit Cenſorinus, ſatis eſſet. poſtremo, quod CCCCX. in CCCCVII. eodẽ imbutus errore mutat. Quare ego ita emẽdo: *Primos ludos ſæculares exactis regibus conſtat poſt Romã conditam annis* CCXLV. *à Valerio Poplicola inſtitutos eſſe: at ex XV virũ commentarijs (anno* CCXCVII. *M. Valerio Sp. Virginio Cos.) Secundi facti ſunt, Liuio et Antiate auctoribus, M. Fabio, et M. Popillio Cos. anno poſt vrbem conditã* VIII. *et* CD. *vt vero in cõmentarijs XV virum ſcriptum eſt, anno* CDXVIII. *M. Valerio Coruino, et C. Pætelio Cos.* Hæc ita ſe habere, hinc colligere poſſumus, quod de ſingulis ludis diuerſæ opiniones referuntur; extrema autẽ ſemper XVviraliũ librorũ eſt: vt poſt in tertus & quartis ludis apparebit. Cùm autẽ primos ex XVviralib. libris ſcriptũ ſit factos, an. CCXCIX. ſecundos an. CCCC. & X. tertios anno duodeuigeſimo, & quingẽteſimo: quartos anno DCXXIX. malim vt ſeruetur cõſtantia cẽteſimi decimi anni, legi CCXCIIX. CDIIX. DXIIX. DCXXIIX. neq; enim M. Valerius, & Sp. Virginius anno CCXCIX. inire potuerunt, cum primi conſules anno CCXLV. inierint. neque vllæ ſupputationes ſunt, quæ eam rationem & ſummam tueantur. præterea in ſecundis ludis videtur veriſimile ex CCCCIIX. factum eſſe mendoſe CCCC. ET X. nam de tertijs non eſt dubium ſcriptum eſt enim diſerte D. *duodevigeſimo*. Porro autem deſiderari nomina auctorum *Liuij & Antiatis*, maxime puto, qui concordes in tertijs & quartis citantur. itemque nomina Conſulum, quæ ex Zoſimo ſuppleui. Anni numerum Liuianum, id eſt, CCCCI. non adſcripſi, quia Cenſorinus, non vt Liuium ludorum facit auctorem, ita Liuianam etiam affert annorum ſummam: quod poſt etiam quartos ludos ex auctoritate Liuij edat in conſulatum Marcij & Manilij, anno ſexcenteſimo quinto, cum DCI, ad ſummam Liuianam eſſet ſcribendum: DCV. autem ſit ad ſummam Plinij, & Ciceronis, quam plerique hoc tempore, vt Glareanus in ſua Chronologia, ſequuntur. Itaque eum numerũ, quod diuinare nolui, reliqui. Trãſeamus ad alia. Deinceps ſic vulgo legitur, *Tertij ludi fuerunt Antiate, Liuioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo Cos. anno D. duodevigeſimo, P. Cornelio Lẽtulo, C. Liuio Varo. Cos.* Robortellus ita legit: *Tertij ludi fuerũt Antiate, Liuioq; auctorib. P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo Cos. an. DIX. vel vt alij anno DXVII. P. Cornelio Lẽtulo, C. Licinio Varo Cos.* Hic Robortellus in ſua permanens ſententia P. Claudiũ, & L. Iunium conſules anno quingenteſimo quatto conſules

fuiſſe ait, cũ tamen quingenteſimo quinto ſit reponendum, ex eo quod ſequitur, L. Marcio, M. Manilio Cos. anno ucv. ſi cum illi conſules anno ſexcenteſimo quinto fuerunt, vt Pliniana, & Ciceroniana docet ſumma, & hi quingenteſimo quinto fuerunt. Præterea non animaduertit, poſt Antiatis, & Liuij opinionẽ, recitari Quindecim viralium librorum ſententiam, quod ex numero annorum perſpicitur, oxvIII. etenim centeſimo decimo relati ſcribuntur. Itaque ego ſic emẽdo: *Tertij ludi fuerunt Antiate, Liuioq. auctoribus, P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo* Cos. *anno ab vrbe cond. quingenteſimo quinto, vt in xv virorum autem cõmentarijs ſcriptũ eſt, anno quingenteſimo duodevigeſimo, P. Cornelio Lẽtulo, C. Licinio Varo* Cos. Pergit deinceps Cenſorinus in vulgatis ita: *De quartorum ludorum anno, triplex opinio eſt. Antias enim & Varro, & Liuius relatos eſſe prodiderunt L. Marcio Cenſorino, M. Manlio conſulibus, poſt Romam conditam anno ſexcenteſimo quinto; at Piſo Cenſorius, et Cn. Gellius, et Caſſius Hemina, qui illo tempore viuebat, poſt annum factos tertiũ affirmant Cn. Cornelio Lentulo, L. Mũmio Achaico* Cos. *id eſt*, u. c. *anno* III. *In xvirorum autem cõmentarijs notantur ſub annis* OCCXXIX. *Æmilio Lepido, & Aurelio Oreſte* Cos. Hic Robortellus numerum anni ſexcenteſimi quinti non mutat, cum tamen ad calculos ſuos, id eſt, Capitolinos, is annum ſexcenteſimũ quartum, alterum ſexcenteſimum tertium, mutat in ocvIII. tertium corrumpit. nam pro ocxxIx. reponit ocxxvII. nec videt, ſi Marcius, & Manlius anno ſexcenteſimo quinto conſules fuerunt, Lentulus vero, & Mummius anno ſexcenteſimo octauo, Lepidum & Oreſtem neceſſario futuros anno ocxxIIx. Itaque aut priores numeri erant mutandi, aut poſtremus prudentius corrigendus. Adde quod, *viuebant*, non *viuebat*, fuit ab eo corrigẽdum. nam & Piſo Cenſorius, qui Frugi dictus eſt, eo tempore vixit; ſiquidem paulò poſt conſulatum, & cenſuram, vnde Cenſorius dictus eſt, cœpit. qui locus eſt à me plurib. in faſtorum commentario perpurgatus. Eſt etiam Cenſorini locus eodem capite poſitus, quem ille corrigit capite decimo, verba vulgo ita leguntur: *Teſtis Piſo, in cuius annali ſeptimo ſic ſcriptum eſt: Roma condita anno quingenteſimo ſeptimo ſeculum accipit his conſulibus qui proximi ſunt conſules M. Æmilius M. F. Lepidus. C. Pompilius II. abſens.* ille ita emendat: *Roma condita anno quingenteſimo viceſimoprimo ſeculum accipit his conſulibus, qui proximi conſules ſunt, M. Æmilius M. F. M. N. Lepidus, M. Poblicius L. F. L. N. Malleolus.* Quod tandem hoc portentum eſt Robortelle? vnde annum quingenteſimum viceſimumprimum, & remotiſſimos conſules, M. Æmilium Lepidum, & M. Poblicium Malleolum, extraxiſti? an ignorabas in faſtis Capitolinis anno quingenteſimo nonageſimoquinto M. Æmilium M. F. Lepidum, & C. Popillium P. F. Lænatem II. atque eos à Piſone eſſe intellectos? Potuit enim ille eos proximos conſules vocare, quippe qui tribunus pleb. fuit Marcio, & Manilio Cos. anno vel oct. vt Liuius, vel ucIv. vt faſti, vel ocv. vt Plinius, & Cicero exiſtimarunt. Manilius vero & Popillius conſulatum decennio ante geſſerunt. at quomodo ſæculum accepiſſe Romam proximis conſulibus dici potuit, ijs, qui anno oxxI. fuiſſent?

Luſtrum V. VI. VII. ab vrbe condita vnde confirmatum.

LVSTRVM quinctum ego conieci in conſulatum P. Valerij Poplicolæ, conſuli, II. & T. Lucretij in faſtis Capitolinis. Reprehendit id factum Robortellus, hoc modo: *Liuius nullum de luſtro verbũ facit. Dionyſius cenſum actum prodit, luſtri non meminit. ergo imperitè Sigonius, qui luſtrum notauit, cum cenſum deberet. neque enim efficitur, vt, quia cenſus actus eſt, luſtrum etiam factũ ſit. vt Liuius libro tertio: Cenſus actus eo anno. luſtrum propter Capitolium captum, conſulem occiſum condi religioſum erat.* Egregie Robortellus, & doctè. Nunc quæro ab eo, an legerit in fragmentis Capitolinis anno ducenteſimo ſeptuageſimonono ab vrb. cõd. luſtrũ VIII. factum eſſe? legit enim ſine dubio. Si ergo illo anno luſtrum octauum factũ eſt, perquirenda ſunt ſeptem ſuperiora, quibus annis condita ſint. Ac Ser. quidem Tullium regem, qui luſtrum inſtituit, *quater luſtrum feciſſe*, ſcribit Valerius libro tertio, ſuperbum regem, nullum cenſum feciſſe, (erat autem luſtrum cẽſendi populi finis) tradit Dionyſius. Ergo ab anno ducenteſimo decimoquarto, quo primi conſules inierunt teſte Dionyſio, vſque ad annum ducenteſimum octuageſimum, tria luſtra condita ſunt. Cum ergo Dionyſius auctor ſit, anno ducenteſimo quadrageſimoſexto, & CCLVI. & CCLXI. cenſum actum eſſe, luſtri vero neque alius quiſquam meminerit, nonne neceſſario intelligendum eſt, Dionyſium pro cenſu, luſtrum etiam accepiſſe? Nam Dionyſius numquam luſtrum nominauit, ſemper autem cenſum, cum alij luſtrum. Etenim, & octauum luſtrum, cuius faſti meminerunt, & decimum, & decimumoctauum, quorum Liuius, ille τίμησιν, id eſt, cenſum libro primo, & ſexto vocauit. Huc adde, Euſebium in temporibus, qui & hæc luſtra, & alia omnia, quorum meminerit, *cenſus* appellauit. quem niſi tu, quamquam aliqua ex parte mendoſum, contempſiſſes, haud profectò in hunc errorem incurriſſes. Nam quod me quodam in loco Euſebij, quem deprauatum dicis, ſtudioſum, eſſe opponis, ſic habeto, maluiſſe me ſemper Euſebij tempora etiam deprauata, aliquo cum iudicio obſeruare, quam, vt tu, Liuiana integerrima ſine vllo iudicio deprauare. Si ergo ad octauum luſtrum peruenire non poſſumus, ſi tria hæc luſtra, quos Dionyſius, & Euſebius græci ſcriptores cenſus vocarunt, prætereamus, quid ais, acutiſſime Robortelle, aut cur hoc vnum ex præclaris illis tuis Patauinis caſtigationibus, quod mihi in maledictis obuceres, elegiſti? doce quomodo Dionyſius, quomodo Euſebius *luſtri*, vocem Græca voce expreſſerint. doce quo anno luſtrum v. vI. & vII. factum ſit, ſi eos annos, in quos ego illa conieci, non probas. niſi hoc facias, animaduerſiones illas, quas iactas, tuas inanes ac commentitias fuiſſe exiſtimabo: cum hæ, quas vt ex omnibus maxime excellentes legiſti, vix aniculæ lucubratione videantur dignæ. Neq; enim vmquam in faſtis Capitolinis cenſus, ſed ſemper luſtrum notatum eſt. Sed ſi me audies, nullum in poſterum de luſtro, nullum de ludis, nullum de numerandis annis verbum facies.

AD EPISTOLAM GLAREANI.

Mea in Liuiana annorum ſumma conſtituenda opinio defenſa, & vt ille ſine cauſa in ea re me inhumanitatis arguerit.

CVM hæc hactenus ſcripſiſſem, perlata eſt ad me epiſtola quædam ab Henrico Glareano, viro eruditiſſimo, vt index piæ ſe ferebat, ad Ioannem Heruagiũ iam ante biennium miſſa, in qua ille queritur, *ſe à me inhumanius, quàm ſumma ſua erga Titum Liuium ferrent merita, in ſuis refellendis ſententijs, in meis Liuianis ſcholijs eſſe tractatum.* ceterum non diſſimulat, *me, quib. in rebus à ſuo diſſenſerim iudicio, non iniuſtè admodum diſſenſiſſe, ſeque, ſi ad corrigendam antiquitatem ea Græcorum librorum, quib. ego hoc feliciori ſeculo abũdaui, ſibi quondam ſubſidia ſuppetiiſſent, non minora fuiſſe facilè præſtiturũ. vnum eſſe, in quo me ſecum diſcrepantem eſſe moleſtè ferat, quod ipſe ſummam Liuianam à ſe collectam non approbarim.* Quare, quamquam ego hanc epiſtolam intelligo Glareano ipſo inſciente diuulgatam fuiſſe, tamen, quoniam ea ſtudioſè à multis legitur, & ſingulari Glareani auctoritate, acerrimum quaſi telum quoddam aduerſus me ab inuidis meis, quorum impulſu edita eſt, eſſe exiſtimatur, faciendum mihi eſſe ſtatui, vt ei hoc loco reſponderem, quàm planiſſimè, & quàm leniſſimè poſſem, non vt Glareanũ oppugnarem, ſed vt ſententiam meam contra tanti viri opes in Liuiana antiquitate tractanda munirem. Me igitur illud ſollicitum in primis habet, quod quẽ ſtudiorum communione, atque earundem quaſi cogitationum ſocietate mihi maxime deuinxiſſe arbitrabar, eundem à me vel eo ipſo nomine ab alienatum eſſe intelligo. perinde enim ille

me ſecum diſſenſiſſe cõqueritur, quaſi ea harum litterarum, ſtudiorumque ratio ſit, vt, qui ſecundo loco ad ſcribendum ſe cõtulerit, is ab illis, qui ante ſe ſcripſerint, diſſidere aut vlla ratione non debeat, aut certe ſine aliena offenſione non poſſit: aut, cum Glareanus ipſe Sabellici, Vallæ, Rhenani, Haloandri iudicium, auctoritatemq; contempſerit; Sigonium omnes Glareani ſententias approbare, nulla eius decreta reſpuere in Liuiana hiſtoria conſtituenda decuerit. Quod ipſum tamen à me modeſtiſſime eſſe factum, illud argumento eſt, vel quod ſæpe cum eo ita ſenſi, vt eum laudarim, vel ita diſſenſi, vt non vituperarim. Itaque cur eo me ille nomine tam vehementer accuſet, ſatis mirari non poſſum. age enim Polybij ille, Dionyſij, Dionis, Appiani, aliorumque Græcorum auctorum inopia, vitioſos ſæpe ſe Liuij locos non poſſe ex ſententia reſtituere querebatur. cur ego, qui libros illos legi, anxias illius dubitationes eximere, ac meliorib. quaſi auſpicijs, quod ille aſſequi ſe poſſe negauit, præſtare non debui? memoria præterea ille nutante multis in locis titubare, atque hæſitare videbatur; cur ego idcirco veteribus annalium monumentis memoria repetitis, ſcrupulum, quem ille nobis iniecerat, euellere ex animo ſtudioſæ iuuentutis non debui? Nominum denique Romanorum rationem difficillimam ille atque impeditiſſimam eſſe ſibi perſuaſeret: ſcilicet, quod ea ipſe adiumenta, quæ ſunt ad hanc quæſtionem tractandam accommodata, deſideraret: an propterea ego, qui lapides Capitolinos, quibus in hoc genere nihil eſſe melius poteſt, ſuppleui, in tanta re conſtituenda eos præterire, aut abiicere debui? At, inquit, ille: *Clamat Sigonius, me non legiſſe Stephanum, non legiſſe Priſcianum. quem ego coniicio me legiſſe, antequam ille naſceretur. potuiſſet, ſi quid pudoris in eo eſſet, modeſtè dicere, Glareanus non animaduertit, quod apud Priſcianũ eſt, vel quod Stephanus ſcribit. quod equidem moleſte non tuliſſem. nihil enim offendor candida admonitione.* Cui ego reſpondeo, Fieri quidem potuiſſe, vt ille, ſi vere, vt audio, annos iam octoginta natus eſt, Priſcianum, & ceteros, multo antequam ego in hanc lucem prodirem, perlegerit: at tum cum illa ſcribebat, locum tamen memoria non tenuerit. me vero, cum ad eius contumeliam nihil, ad ſtudioſorum vtilitatem omnia, compararem, inter hanc atque illam dicendi formam, non multum intereſſe exiſtimaſſe. Sed quoniam, quæ ſcripſit ea ne vlla quidem in parte ab eo reprehendi animaduerti: reliqua omittam omnia, ad illud tantum, in quo ipſe ſe mecum diſcordare ait, accedam; non vt probabilem ſummo iudicio præditi viri coniecturam euertam, ſed vt meam ſententiam contra tanti, vt dixi, viri auctoritatem defendam. verba eius hæc ſunt: *Riſi maxime, cum mecum velut expoſtulat, quandoquidem Chronologiam ad Liuianam hiſtoriam atque adeo Romana illuſtrandam deſumpſiſſe me dixerim, cur duos annos poſt* CCLXIII. *ab vrbe condita non omiſerim: quos Liuius conſulto, vt aſſerit Sigonius, prætermiſit. ad hoc ego ingenue, vt res eſt, dico: cum viderem librariorum vitio annum ducenteſimũ quadrageſimumoctauum ab V.C. temere omiſſum, quod & Sigonius fatetur, putabam et hoſce eodẽ modo incuria temporum prætermiſſos, et adhuc ſum in ea opinione.* Nunc demum intelligo Robortelle, quid ſit, quod & hos tu conſules librariorũ vitio, non Liuij conſilio eſſe prætermiſſos affirmaris. ſcilicet Glareanum auctorem ſecutus es, cuius etiam epiſtolam hanc te dicere audio, ad te potiſſimum eſſe ex Germania ab Herwagio miſſam. Itaque iam nunc mirari deſino, vnde tua iſta repentina ſapientia nata ſit, qui per te aliquid aliquando dixeris. Qua de re, etſi ſatis multa dixi, cum in te diſputaui, non omittam tamen, quin aliquid hoc etiam loco adiungam, vt hanc potiſſimum tibi huius epiſtolæ auctori gratiam referam. Quid igitur inquit Robortellus, aut is, quem ipſe ſequitur, Glareanus? Poſt Sempronium, & Minucium conſules in Chronologia Liuiana bini conſules debent poni, Sulpicius cum Larcio, & cum Pinario Iulius. cur? quia Dionyſius eos conſules apponit. Hic ego dico, annos Liuianos ex Liuio, non ex Dionyſio eſſe colligendos, apud Liuium autem nullam eorum conſulum mentionem fieri: reſpondent, eos imprudentibus librarijs è Liuianis annalibus excidiſſe. vnde autem hoc colligant, nihil afferunt: non enim librorum ſcriptorum auctoritatem opponunt, non loci alterius firmamento nituntur, immo potius, hoc poſito, Liuio aduerſantur. Etenim Glareanus, his duobus interiectis annis, cogitur decemuiros conſulares in annum trecenteſimum tertium conferre, tribunos militares in annum trecenteſimum vndecimum. cum tamen Liuius diſertè illos iniſſe dicat anno trecenteſimo altero, hos anno trecenteſimo decimo. ex quo fit, vt alter ſit tertius, & decimus ſit vndecimus. quo incommodo cum ipſe ſe vrgeri videat, addit, *de vno anno ſe cum nemine certaturum.* neque intelligit hunc annum eſſe illum, quem mihi propoſui inueniendum, ne Liuiana annorum deſcriptio titubaret. Robortellus autem ne hoc incommodo premeretur, *primos conſules iniſſe* dixit *anno ab vrbe cond. ducenteſimo quadrageſimo quarto:* nec animaduertit Liuium, & Dionyſium aperte, vt ſupra oſtendi, ſcripſiſſe, *Conſules primos iniſſe anno ducenteſimo quadrageſimo quinto,* quod etiam recto docuit Glareanus, à quo miror Robortellum auſum fuiſſe recedere. Vterque autem hac opinione in eum ſcopulũ incidit, quod, cum dicat Liuius, *tribunos plebis decem creatos eſſe, Q. Minucio, C. Horatio Coſ. anno triceſimo ſexto poſt primos quinque, qui creati ſunt, A. Virginio, T. Vetuſio conſulibus, anno ducenteſimo ſexageſimo;* coguntur aduerſus omniũ librorum auctoritatem ex coniectura corrigere, *triceſimooctauo.* Cum igitur illi nulla ratione adducti hoc facient, ego eorum ſententiam approbabo? non hercule. quid enim roboris habet hoc argumentum? *Hos conſules edit Dionyſius, ergo apud Liuiũ reponendi ſunt.* Primũ enim quæro, an hoc nouum eſſe exiſtimas, duos cõſulatus ab vno ſcriptore præteriri, qui ab altero numerentur? non certe. Hoc enim etiam à Piſone factum teſtatur Liuius libro nono, his verbis: *Hos conſules Piſo Q. Fabio, & P. Decio ſuggerit, biennio exempto, quo Claudiũ, Volumniumq. & Cornelium cum Marcio conſules factos tradidimus. memoria ne fugerit in annalibus digerendis, an conſulto binos conſules falſos ratus, tranſcendat, incertum eſt.* Atque idem etiam indicant Diodori annales, qui, ſi cum alijs comparentur, multos ſæpe prodere cõſulatus quos alij tranſcendant, multos præterire, quos alij profiteantur inuenientur. declarat deniq; Caſſiodorus, quem apparet, quos cõſulatus præterit, non librariorum culpa, ſed de induſtria prætermittere: nimirum, quod talem annorum ſeriem ij annales, vnde ſuos ipſe Conſulũ faſtos compilauit, ediderint. Si ergo fieri poteſt, vt binos cõſules, quos Dionyſius profitetur, Liuius prætereat, veſtigemus nunc ex verbis ipſis Liuij, vtrum librariorum, an Liuij culpa prætermiſſos eos eſſe probandum ſit. Ac primum quidem illud ſatis liquet, ex ſequentibus Liuianis annorum numeris, Liuium horũ duorum annorũ rationem non habuiſſe, cum *Q. Minucio, C. Horatio Coſ.* vt dixi, *tribunos pleb. decem factos dicat: anno triceſimoſexto primos qui facti ſunt, A. Virginio, T. Vetuſio Coſ. anno* CCLX. præterea, quod idem *Xuiros iniſſe* ſcribat *anno altero & trecenteſimo ab vrbe condita,* qui eſt, vt ego oſtendi trecẽteſimus primus. Ne mireris autem, Xuiros in annum CCCI. coniici, cum in faſtis Capitolinis in CCCII. incurrant, ſic habeto, Oroſium eos in CCC. contuliſſe, cum dixit: *Ipſo trecenteſimo anno, hoc eſt, Olympiade nonageſima quinta poteſtas conſulum Xuiris tradita eſt.* Dionyſium autem, vt recte ſubduxit Glareanus, in trecẽteſimum tertium. Adde etiam Caſſiodorum, quem ſatis conſtat & hos Conſules conſulto præteriiſſe, atque ex Liuiana hiſtoria faſtos ſuos conſulares concinnaſſe. Nam niſi Caſſiodorum ſequaris, nunquam Liuianos ipſos numeros omnes incolumes conſeruabis. Ex his ſatis perſpici conſilium Liuij poteſt. nunc videamus, an vlla ratione fieri potuerit, vt librariorum culpa horum Cõſulum nomina interierint. & locus ne ſit apud Liuium vllus, vbi poni illi Conſules ex ingenio poſſint. Primum igitur dico, mirabile videri, nuda nomina binorum deinceps conſulum ex hiſtoria, reliqua manente ſententia, excidiſſe. deinde addo, nihil ex eius hiſtoria deſiderari, quæque Dionyſius in quatuor annos diſtribuit ea in duos Liuium contuliſſe. cum vero illud etiam adiungo, in hac hiſtoria narranda non omnino Dionyſium cum Liuio conſentire. vnde probabile coniectura ſit, etiam in annis ſupplendis, & eximendis inter eos controuerſiam eſſe. Exponam primum res per Conſulatus ex Dionyſij ſententia geſtas, deinde ex Liuij.

Anno ducenteſimo ſexageſimotertio, Sempronio & Minucio Conſulibus.

In ſumma annonæ caritate frumentum aduehitur. Corio-

Digitized by Google

lanus auctor eſt, ne plebi diuidatur. plebs ira accenſa Coriolanum multat exilio.

An. CCLXIV. Sulpicio & Latcio Cos.

Portenta, peſtilentia narrantur. T. Latinius è plebe homo in ſenatum debilis delatus ſomnium de inſtaurandis ludis exponit.

Anno CCLXV. Iulio, & Pinario Cos.

Coriolanus exul Attium Tullum in Volſcis adit: arma capienda perſuadet: Legati Volſcorum Romam de bello mittuntur. Bellum à Volſcis decernitur. Attius & Coriolanus facta in fines Romanos impreſſione Circeios Romanam coloniam capit. Romæ omnia ad bellum comparantur: ſed ante exit annus, quam in aciem exercitus adducatur.

Anno CCLXVI. Furio & Nautio Cos.

Æqui ad Volſcos deficiunt. Coriolanus agrum Rom. populatur. Tolerinos, Bolanos, Lauicanos, Pedanos, Corbionem, Bouillas, Pedum in poteſtatem redigit. Romam propius accedit, Legatis, qui de pace miſſi erant reuerſis, vxor demum cum matre mittuntur. Hoc modo Dionyſius. Liuius autem hoc:

Anno CCLXIII. Minucio & Sempronio Cos.

Frumentum aduectum ne plebi diuidatur, contendit Coriolanus; atque à plebe in exilium agitur. Is in Volſcos abiens parat bellum. Latinius in ſenatum delatus ſomnium de ludis inſtaurandis exponit. Volſci, qui ad ludos venerant, arte Attij Tulli, vrbe eiiciuntur. ea contumelia accepta, Tulli conſilio bellum indicitur. Coriolanus dux belli lecti Circeios, Satricum, Longulam, Poluſcam, Coriolos, Lauinium, Corbionem, Pedum inuadit, inde agrum Romanum populatur.

Anno CCLXIV. Furio, & Nautio Cos.

In ſumma ciuitatis trepidatione vrbs cuſtoditur. Legati de pace ad Coriolanum primum, deinde cum vxore mater mittuntur. Ex his apparet, variari inter hos auctores in cauſſa belli aperienda. nihil enim Dionyſius ait, de contumelia Volſcis Romæ illata, tum cum vrbe eiecti ſunt; nihil de ludis inſtauratis. Liuium autem ita rem cum re continuare videmus, vt ne ſuſpicari quidem poſſimus, nomina ipſa conſulum excidiſſe. exempli gratia, Coriolanum Dionyſius vno anno in exilium actum ait, altero Latinium ſomnium expoſuiſſe ſenatui. quas duas res inter ſe copulat Liuius hoc modo: *Damnatus abſens in Volſcos abiit. Venientem Volſci benigne excipere. Hoſpitio vtebatur Attij Tulli: longe is princeps Volſci nominis erat, Romaniſque ſemper infeſtus. ita cum alterum vetus odium, alterum ira recens ſtimularet, conſilia conferunt de bello Romano. haud facile credebant, plebem ſuam impelli poſſe, vt toties infeliciter tentata arma caperet. arte agendum in exoleto iam vetuſtate odio, vt recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Ludi ex inſtauratione Magni parabantur. Inſtaurandis hæc cauſſa fuerat ludis.* inde vt in ſenatum Latinius delatus ſomnium de inſtaurandis ludis narrauerit, vt ludi inſtaurati ſint, vt Volſci ad ludos venerint, vt arte Tulli vrbe pulſi, vt ad arma capienda impulſi ſint; vt Coriolanus dux electus non Circeios ſolum, ſed reliqua etiam oppida ceperit, ita continenter narrat, vt locum nullum, quo amiſſos conſules reſtituas, excogitare queas. quid plura? Dionyſius in vnum annum captos Circeios ait, in alterum Lauicos, Pedum, & reliqua. at Liuius ita loquitur, vt vno anno hæc omnia geſta videantur: *Circeios profectus*, inquit, *primum colonos, inde Romanos expulit. inde in Latinam viam tranſuerſis tramitib. tranſgreſſus, Satricum, Longulam, Poluſcã, & cetera oppida cepit.* Adde, quod Dionyſius in conſulatum Furij, & Nautij expugnationem horum oppidorum conijcit, Liuius, vrbis tantum trepidationem, & legatorum vxoriſque cum matre deprecationem refert. Si ergo varietas annalium in rebus geſtis diſpenſandis, & cauſſis exponendis conſtat, cur non poteſt etiam in annis addendis, & omittendis exiſtere? Plutarchus quidem etiam, & Zonaras hæc eadem omnia ita narrant, vt ea in duos tantum annos Liuium ſecuti conijcere videantur. Addit Glareanus: *Nullum maius in me habet telum declamãdi, quam quod nonnumquam in tẽporum ſupputatione vno, aliquando duobus annis ratio noſtra ab eo diſcrepat, cum Dionyſij à Liuij, & Polybij ratione in totum fere duob. annis diſtet, quod toties in annotationib. noſtris clamo: & in vno anno cum nemine me certaturũ vbique profiteor.* Scilicet Glareanus hæc mea verba *telum* appellat, quæ ſunt in Epiſtola: *Quoniam ad Romanã intelligendum hiſtoriã nihil tam aptum eſſe quam rectam annorum, tẽporumque deſcriptionem, iudicabã: qua in re diſſidentes inter ſe veteres auctores eſſe comperiebam; dedi etiã operam, vt, quod Glareanus ante me fecit, neque hac in parte hiſtoriæ Liuianæ deeſſem. cuius quidẽ eruditiſſimi viri labore facile contentus eſſe poteram, niſi ab eo in tota ipſa re diſſenſiſſem. Neque enim Liuium in numerãdis ab vrbe condita annis eadem ratione vſum, qua ceteros, eſſe reperiebam. Qua ille opinione ductus, dum eorum auctoritatem ad Liuianam Chronologiam conſcribendã adhibuit, in eam ſæpe ſe neceſſitatẽ induxit, vt, dum aliorum numeros ſequitur, omnino Liuianos aut negligere, aut immutare coactus fuerit. Quod illi profecto in ea Chronologia cõmittendum non erat, quam ipſe ſe Liuianæ præſertim hiſtoriæ comparare profiteretur.* Quibus verbis me vſum eſſe profiteor, non, vt ipſum tamquam telo aliquo iugularem, ſed vt Liuianorum annorum veritatem indicarem, quæ vno, aut duob. illis, de quibus ait, annis neglectis, nullo modo cõſtare poteſt. Addit, deinde. *Tandem Sigonius ad quatuor annos deuenit, & vt Hercules Antæum prorſus cõficiat, vltima illa pulchella annotatione, quæ eſt de anno, quando Liuius finierit hiſtoriã Romanam, ad* XVII. *annos me iugulat, cum ſint etiam confeſſione mea* XXVIII. *in quibus tamen nihil negotij eſt. quis enim certo ſcire poteſt, quot ediderit libros Liuius, aut quos adiicere voluerit?* Significat autem mea verba in extremis ſcholiis hæc. *Si hiſtoria Liuiana morte Druſi in Germania, et funere eius, (vt apparet) finita eſt, profectò vſque ad annum* DCCLXS. *peruenit. eſt enim mortuus ſe, et T. Quinctio* Cos. *vt ait Dio libro ſexageſimo, quem annum vocat Glareanus* DCCLXV. exponit autem conſules vſque ad annum DCCLXXII. quia inquit vſque eo Liuianam hiſtoriam peruenire, præter vnum, aut alterum annum, cum in ſeptimo, & decimo ante anno finiatur. Quæ verba quam vim habeant confodiẽdi, aut iugulandi, non ſentio, me certe eo tantum animo illa ſcripſiſſe ſcio, vt hiſtoriam Liuianam, quoad poſſem vel Glareani ipſius exemplo, illuſtrarem. Quod ſi ille his dicendi generibus, quibus me ab eo modeſte diſſidere oſtendo, ſe iugulari exiſtimat, qui ſenſus eius eſſet, ſi forte contigiſſet, vt hanc quæſtionem amicus meus incredibili illo ſuo robore argumentorum tractaret? quoties imperitum, quoties nullo iudicio præditum ipſe ſe appellari audiiſſet? quibus ego nominibus non modo non Glareanum, ſed ne ipſum quidem etiam Robortellum vmquam affeci, quem tamen nullo pacto cum Glareano ipſo eſſe exiſtimo conferendum. Quamobrem tantum abeſt, vt ei, quod me hac epiſtola aſperius appellauit, vlla ratione ſuccenſeam, vt, quamquam ſcribi moderatius potuiſſe exiſtimo, tamen cum dolori eius ignoſcam, tum vero eos, qui hãc Epiſtolam illo inſciente ediderint, multo maiorem illi, quam mihi iniuriam feciſſe putem.

EX PRIMO LIBRO LIVII.

NVnc quibus in locis mea Robertellus in Liuium ſcholia reprehenderit, videamus, & quemadmodum ego in libris Emendationum reprehenſionibus eius occurrerim ſubrexamus.

Præfat. *Velut diſſidentes primo mores ſequatur animo*] In hæc ego ſic in ſcholis: *Probo doctorum quorundam hominum coniecturã, qui deſidentes legunt. Etenim ſubſequitur: Vt magis, magiſque lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites. Videtur enim eadem ſemper tranſlatione res magis creſcere. Quam tranſlationem, quia primo duriorem eſſe putauit, adhibita particula, Velut, molliorem effecit. quod in proprio diſſidentes faciendum non fuiſſet. Eſt autem deſidere leni quodam motu in ſemet concidere. vt Liuius libro trigeſimoſecũdo. Terra Velitris triam iugerum ſpatio cauerna ingenti deſedit. Porro autem his verbis mutationes omnes Romani imperij breuiſſime complexus eſt. nam cum, Partum imperium, ait interuallum illud totum indicat, quod à Romulo vſque ad Ap. Claudium conſulem, qui primus bellum extra Italiam Carthaginienſibus fecit; cum, Auctum, tempus inde ad Carthaginem euer-*

ſant notat. Deſcdiſſe præterea mores intelligit Gracchanis temporibus, lapſos magis eſſe, Sullanis, præcipites eſſe Cæſarianis. Hic Robortellus inquit, *Diſsidentes malim, vt eſt in vulgatis omnibus libris. vocat enim Liuius diſſidentes mores, in diuerſa euntes. vt de toga Horatius. Si toga diſsidet impar.* Vtra vero lectio firmiori ratione fulciatur, iudicent alij. Illud quidem miror Glareanum, eum *deſidentes* in Scholiis ſuis approbaſſet, poſt Robortello de *deſidentes* aſſenſum eſſe, ac ſecum ipſum diſſentire voluiſſe, vt cum Robortello aduerſus me conſentiret.

Cap. VIII. *Centum creat patres, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent*] In hæc ego ita: *Sane legendum eſſe videtur: qui ciere patres poſſent. Sic enim ſcribit libro decimo: Qui patrem ciere poſſent, eos patricios eſſe appellatos. Dionyſius etiam, ac Plutarchus, vbi exponunt cauſas, cur centum potiſsimum ſenatores, quos patres appellauerit, Romulus creauit, ita aiunt, ὅτι πατέρας εἶχον ἀποδεῖξαι μόνοι, id eſt, quod ſoli centū patres nominare poſſent, quaſi vero alij terræ filij eſſent.* Aduerſus hæc Robortellus robuſtiſſimas duas affert rationes: vnam: quia licet *patricij* inde dicti ſint, non tamen *patres* inde appellatos ſentit Liuius; alteram, quod Dionyſius opinionem hanc, qua multorum mentes imbutæ ſunt, non approbat. Excutiam primum vulgatam lectionem, deinde confirmabo meam. Dionyſius ciuitatem à Romulo in duas partes diuiſam tradit, in plebeios, & patres, patres autem dictos ait, vel quod ætate ceteris antecellerent, vel quod generis ſplendore præſtarent, vel, vt Romanorum obtrectatoribus placuit, patricios vocatos eſſe, quia ſoli ciere patres poſſent. quid Plutarchus? centum optimos fecit ſenatores, & eoſdem patricios. cœtum autem eorum ſenatum appellauit. Patricios vero ſenatores vocatos aiunt, alij, quia iuſtorum filiorum erant patres, alij potius, quia ipſi ſuos ciere poſſent patres, quod non multis facere licuit, ex iis, qui in vrbem primi confluxerunt. quid Liuius? *Centum creat patres, ſiue quia is numerus ſatis erat, ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent. patres certe ab honore, patriciique eorum progenies appellati.* Cum ergo Dionyſius, & Plutarchus probabiles aliquot cauſſas eius nominis Patrum attulerint, quam hanc eſſe Liuianam dicemus? *Patres creati centum erant, qui creari patres poſſent.* at cur non poterant ducenti, cur non trecenti? quid eſt hoc? quid ſenatori cum patribus? deinde quid eſt *creari patrem*. quando dixit Liuius alias, *aliquos patres eſſe creatos*? quod ergo nemo dixit, quod per ſe inane eſt, quod genus dicendi parum Latinum infert, id à Liuio eſſe dictum aſſeremus? At *patricij inde dicti ſunt*, inquis, *non patres*. Reſpondeo apud Romulum eoſdem fuiſſe patricios, & patres, & ſenatores. Vides enim Dionyſium, diuiſam eſſe ab eo ciuitatem dicere in plebeios & patres. qui ſunt patres, an ſenatores? non, ſed patricij. ibi enim diſcrimen gentium vocat, quos vero patres appellauit, in reddenda eius nominis cauſſa patricios vocat. Vides Plutarchum eoſdem ſenatores, & patricios factos dicere, cur autem ſenatores patricij dicti ſint, cauſſas reddere. Tradit etiam Zonaras, auctor, vt ſcis, Græcus, qui non niſi ex bonis auctoribus hauſiſſe ſuam hiſtoriam videtur, *Romulum centum creaſſe ſenatores, eoſque patricios appellaſſe.* Lege Liuium, ſæpe inuenies *patres* plebi oppoſni, non vt ſenatum populo, ſed vt patricias gentes plebeiis. an vero cum toties inquit, *conſules factos, vnum è patribus, alterum è plebe*, illum vnum ex ſenatoribus lectum ſignificat? non certè. at non ne etiam idem inquit, *centum in patres eſſe à Priſco rege lectos, eoſque minorum gentium appellatos*, quos Cicero ad Pætum ſcribens, *patricios minorum gentium* nominauit? Fuerunt ergo Romuli tempore centum ſenatores, qui patres iidem, & patricij dicti ſunt. itaque idem erat numerus patriciorum, ac ſenatorum. progredientibus autem temporibus creuit numerus patriciorum. Nam filij, nepoteſque eorum patricij fuerunt illi quidem, non tamen ſtatim ſenatores. immo vero ſenatores etiam fuerunt, qui ne patricij quidem erant, ſed plebeij. Ergo ſi Romuli tempore iidem ſunt ſenatores, patres, & patricij, cur *centum patres*, id eſt, ſenatores legit Romulus? inquit Liuius, quia vel is numerus ſatis erat, vel quia ſoli centum erant, qui ciere patres poſſent. atque hoc idem oſtendit Liuius in decimo libro, cum P. Decium plebeium ita loquentem facit, *Patricios quondam dictos, qui ciere patrem poſſent, ſe quia patrem ciere poſſit, patricium eſſe.* At Dionyſius, inquis, hanc opinionem non probat. at ne eam quidem probat Liuius, cum ait, *Siue quia ſoli centum erant, qui ciere patres poſſent. Patres certe ab honore dicti.* Sed faciamus hanc probari à Liuio, improbari à Dionyſio, an hoc portentum tibi videtur? quot in rebus, & quidem grauiſſimis diſſenſerunt? lege commentarios meos, ibi quanta ſit inter eos diſcordia demonſtratum inuenies. quamquam ſi Dionyſius eam non probauit; at probauit Plutarchus, non neglexit alio in loco Liuius.

Cap. XI. *Cruſtuminum.*] *Ignoratione*, inquit, *rationis veterum in ſcribendo labi aliquis poteſt, vt lapſus eſt Sigonius. qui putat apud Liuium vbique legendum Cruſtomerium, & Cruſtomerinos. attendite: quia, inquit, apud Halicarnaſſaeum κρουστομερίων, & κρουστομερινοὺς video ſemper ſcribi. imperitus hic ignorat Græcos certam rationem ſecutos in dictionibus Romanis vertendis. Longum eſſet, ſi ſingula nunc vellem perſequi. ſed quatenus ad rem propoſitam ſpectat, quotieſcunque erat Latina dictio vertenda in Græcā, quæ litteram haberet v longum, vertebant in ω, ſi autem v breue eſſet, in ὄμικρον. Hinc videas apud eundem ῥουτούλους dici Rutulos, κουριατίους Curatios. quod autem in Cruſtumerij nomine v ſit breue, Virgilij teſtimonio probatur. ait enim Ardea Cruſtomerique & turrigeræ Antemnæ, et Νουμᾶς Numa. Virgilius idem libro nono: Sarrunoque Numaque.* Atque hæc quidem, vt modeſte, in me Robortellus effundat, omnes vident, vt autem vere, nunc accipiant. Mea, vbi hac de re egi in ſcholijs Liuianis, hæc verba ſunt: *Veteres libri habent Cruſtominum, Dionyſius, Plutarchus, Stephanus, κρουστομερίων, κρουστομερινοὺς*, Tu, ſi litteras calles, Robortelle oſtende, ex his verbis elici poſſe, me velle, aut vbique legi *Cruſtomerium*, aut damnare *Cruſtumerium*. tum ego tibi oſtēdam, non ſolum *Cruſtumerium*, quod ego non reprehendi, ſed *Cruſtomerium*, quod tu improbaſti, dici poſſe. Primum enim eſt librorum veterum, vt dixi, auctoritas. cum *veteres* dico, non impreſſos quoudam, ſed ſcriptos dico, quos multos inſpexi ex bibliothecis ſumptos diui Ioannis de Verdaria Patauij, Diuorum; Marci, Antonij, Ioannis & Pauli Venetiis, atque multorum amicorum. memini autem hanc ſcripturam eſſe libri potiſſimum, quem mihi Auguſtinus Gadaldinus, medicus Græcis, & Latinis litteris egregie eruditus, dedit, quam cum nunc quærerem, eam, etiam in vno, quem tum non videram, M. Antonij Mureti, repeti. eum ita ſit, quis mihi iure ſuccenſere poteſt, cum priſcorum librorum ſcripturam Græcorum auctoritate munitam in medium profero? præſertim vero cum ea Grammaticorum etiam veterum grauiſſimo teſtimonio fulta ſit, qui literas *o* & *u* eam, inter ſe ſocietatem habuiſſe, aſſerunt, vt multas voces antiqui promiſcue modo per *o*, modo per *u* pronunciarint. Sic enim loquitur Quinctilianus, non Grammaticus ſolum, ſed rhetor etiam nobiliſſimus, libro primo cap. de literis. *Quid o, et u permutatæ inuicem? vt Hecoba et Notrix, & Culchides, et Pulyxena ſcriberentur. ac ne in Græcis id tantum notetur, Dederont & Probaueront.* & Victorinus de orthographia: *Noſtri vt apparet ex libris antiquis fœderum, et legum: qui etiam ſi frequenti transſcriptione aliquid mutarūt tamen retinent antiquitatem. Nam o non ſolum pro breui, & longa, ſed etiam pro v poni, vt pro populus populos, pro piaculum piacolom, pro huic hoic, pro funus fonus. Item alia multa.* Et Priſcianus libro primo: *V quoque multis Italiæ populis non erat in vſu, ſed è contrario vtebantur o. vnde Romanorum quoque vetuſtiſſimi in multis dictionibus loco eius o poſuiſſe inueniuntur, poblicum pro publicum, quod teſtatur Papirianus de orthographia. polchrum, pro pulchrum, colpum, pro culpum dicentes, et Hercolem pro Herculem.* Ac ne hoc vſurpatum exiſtimes Romulo tantum, aut Numa regnante, Auguſtus hoc etiam obſeruaſſe à Victorino traditur, qui patrio caſu *domos* pro *domus* dixit, & alij, qui *quoius* & *quoi*, pro *cuius*, & *cui* protulerunt.

In faſtis etiam Capitolinis Auguſti tempore inciſis, vel certe Tiberij, videmus eſſe *Poblicium*, & *Poblicolam*, quos alij *Publicium* & *Publicolam*; item *Poblilium*, et *Publilium*, item *Sceuulam*, quem alij *Sceuolam*. *Flouium* pro *Fluuium*, ego etiā legi in exemplo tabulæ æneæ antiquiſſimæ. Si ergo tot voces tam

Digitized by Google

o. quam u receperunt, cot noo etiam *Craſtomerium* intet eas referre poſſumus, libris præſertim Liuianis veterib. atteſtantibus? Nam T. Liuiom ipſum adeò antiquitate delectatum ſcribit Quinctilianus, vt *Sibe*, & *Quaſe* cum dixiſſe, ſe ex Pediano cōperiſſe affirmet. At quàm modeſtè Robortellus me arguit? *Imperitus hic*, inquit, *ignorat Græcos v. breue per o vertiſſe, vt Dionyſium* ῥοτίλοι, κοριτίοι, νομᾶς *pro Rutilis, Curiatys, Numa.* Male verſatus es in Græcis annalibus Robortelle; & tamen, cum hæc ſcripturus eſſes, eos ſtudioſè euoluere debuiſti. Lege Strabonem lib. 5. ſemper ῥοτίλοι ab eo ſcribi inuenies. lege Plutarchom in Parallelis, & Zonaram lib. II. κουριάτιοι reperies. lege Plutarchom in Numa νουμᾶς ſemper, numquam νομᾶς ab eo ſcribi cognoſces. Dio ἰούλαν ſcripſit, eundem à Straboo lib. VI. & XVII. ἰούλαν appellari deprehendes. quid? Νομαντία, & Νομαντία vrbem à Iuba hiſtorico dictam eſſe apud Suidam inuenies. Iam credo te videre, vt preclare tuæ iſtæ regulæ iaceant, & vter noſtrum imperitior ſit, ego qui *Craſtumerium* non improbaui, an tu, qui *Cruſtomeriū* reprehendis.

Cap. XIII. *Equus Curtium in vado ſtatuit.*] In hunc locum ita Glareanus: *Equum Curtius in vado ſtatuit. Hæc lectio ſiquidem vetaſta eſt, maxime placet, Sabellicas tamen Eques Curtium, pro Equus Curtium in vado ſtatuit, legendum putat. Ego vero ita: Equus Curtium in vado ſtatuit.* Hanc lectionem laudat Glareanus iniuſtè. veteres enim libri habent, *Equum Curtius in vado ſtatuit.* ex quo intelligi poteſt, legendum eſſe, *Equum Curtius in vado deſtituit.* Nam Plutarchus hanc ſententiam ita vertit, καὶ ἵππον τὸν ἵππον, ἑαυτὸν ἔσωσεν, id eſt, *deſtituto equo ſemet ſeruauit.* Errori locum dederunt finitimæ illæ ſyllabæ *do de.* Aduerſus hæc Robortellus: *Sigonius Liuij verba corrumpit, dum ad ſententiam Plutarchi ipſa vult accommodare, cum tamen vterq; diuerſa protulerit, alios ſecutus auctores. ſententia eſt, equum emerſiſſe ex palude illa, & ſtatuiſſe Curtium in vado, id eſt in loco tuto, ac minime profundo. Sigonius dum accommodat Liuij verba ad Plutarchi ſententiam, ita emendat temere, coniectura vtens: Equum Curtius in vado deſtituit. Sed hæc mera ſunt nugæ. nam omnes vetuſti libri habent, vt ante ego retuli.* Quæ ſunt meræ nugæ, Robortelle modeſtiſſime? primū vides in ſuo libro ita legiſſe Glareanum, eamque lectionem probaſſe, dummodò vetuſtatis auctoritate fulciretur. deinde in multis, quos ego inſpexi olim ſcriptis libris, & nunc etiam in Mureti, ſcito ita eſſe diſertiſſime. habes deinde ſenſum hunc optimum. *Monumentum eius pugnæ, vbi primum ex profundo emerſus palude, equum Curtius in vado deſtituit, Curtium lacum appellarunt.* Significat enim Curtium euaſiſſe incolumem, relicto in vado equo. atque idcirco loco nomen inditum vbi Curtius deſtituit equum. Habes eandem ſententiam à Plutarcho confirmatam. quem animaduerti multa ad verbum è Liuio, quem etiam ſæpe citat auctorem, transtuliſſe. Habes genus dicendi planum, & nullà ſui parte nouum. vt illud paullo ante: *Cum fluitantem alueum tenuis in ſicco aqua destituiſſet.* habes erroris ſimilitudinem, *vado ſtatuit, vado deſtituit.* Quod ſi excutere velimus tuam; primum eam non in omnibus libris inueniemus. deinde quaſi rationem equo tribuemus, vt equitem in vado collocarit. tum nouum, & inauditum hoc genus dicendi, *equum ſtatuere in vado equitem*, inuehemus. poſtremò contra Plutarchi (qui multa à Liuio ſumpſit, ſententiam) ex nullius autem ſcriptoris auctoritate? incommodum ſenſum inferemus. Nam Dionyſius Curtium tandem ea palude cum armis emerſum incolumem ad ſuos perueniſſe ſcribit, ita: ὁ δὲ κούρτιος πολλὰ μοχθήσας σὺν χαλεπῶς ἐξέσωσεν ἐκ τῆς λίμνης τὰ ὅπλα ἔχων, καὶ εἰς τὸν χάρακα ἀπῆλθεν. equi vero non meminit. fuit certè Curtio commodius equum in vado deſtituere, quam in Palude. Non probas ex coniecturâ ſyllabam addi ſimilem præcedenti. an eſt hoc contra præcepta, an contra exempla tua? qui dictiones etiam integras mutari, verſus integros adimi poſſe ſcriptum reliquiſti. ſi hæc tibi nugæ viſæ ſunt, & quidem meræ, quæ librorum ſcriptorum auctoritate roborata, quæ Plutarchi iudicio confirmata, quæ vſitata loquendi formulâ comprobata, quæ ſententiâ optimâ ſunt innixa, quid de tuâ, immo de tuis iudicabimus, quos leuiſſimâ ſolâ ſemper coniecturâ commotus, adducis?

Cap. XVIII. *Augur ad læuam, eius capite velato, ſedem cepit.*] In hac ego: *Hunc in modum diſtinguendum eſſe Rhodigino placuit, Plutarchi auctoritate adductio, qui ſcribit in Numa* ἐνταῦθα τῶν μάντεων ὁ πρῶτος τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παρεστὼς ἐξόπισθεν. *Videtur enim Plutarchus, ſi modo rectè eſt apud illum vox illa* ἐγκεκαλυμμένον, *caput regis velatum fuiſſe, non auguris ſignificare. Me autem iuuat eorum eſſe ſententia, qui ad læuam eius ſcribunt, & caput velatum auguris intelligunt: quod infra dicat; Statuta Attij capite velato in comitio fuit. & libro X. Si augur capite velato victimam cædat, augurium ve ex arce capiat.* Aduerſus hæc Robortellus: *Plutarchus non diſſentit à Liuio ſicuti Sigonius exiſtimat. Nam legi debent illa verba, & interpungi ſic:* τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένος αὐτός, καὶ παρεστὼς ἐξόπισθεν. Quid Glareanus? *Non diſſentit Plutarchus à Liuio, vt oſtendit Robortellus.* ô rem ridiculam! quaſi verò ſi Liuius, & Plutarchus per vim ad concordiam adducendi eſſent, non ego rationem indicauerim.

Cap. XIX. *Atque omnium primum ad curſum lunæ in duodecim menſes deſcribit annum, quem quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circum agitur orbe intercalares menſibus interponendo ita diſpenſauit. vt vigeſimo quoque quarto anno ad metam eandem ſolis, vnde orſi eſſent, plenis annorum ſpacijs dies congruerent.*] *Vigeſimo anno*, habent omnes ſcripti libri, quos ego legerim, quos Rhenanus, quos Glareanus, quos Sabellicus, quos Nannius, quos Faërnus. quod Robortellus non inficiatur, & tamen legendum putat, *Vigeſimo quarto quoque anno.* Ego vero, cum incredibilem hunc librorum conſenſum religioſè obſeruandum eſſe ducerem, dandam mihi operam eſſe arbitratus ſum, vt, *Vigeſimo quoque anno*, ſeruarem. ſeruatur autem, ſi dicamus, Numam annum inſtituiſſe dierum CCCLIIII. non CCCLV. Itaque cùm Plutarchum auctorem haberem, qui dum hanc anni à Numâ factam deſcriptionem tradit, hunc numerum tradit, non dubitaui, quin, *Vigeſimo quoque* retinerem, at *vigeſimo quoque quarto*, quod iam in libros audacius inuaſerat exturbarem. Hic Robortellus, & ait; *Numam Macrobio, et Cenſorino auctoribus dierum annū primū* CCCLIIII. *ordinaſſe, deinde in honorem imparis numeri diem addidiſſe, ita vt eſſet dierum* CCCLV. *qua ratione docent illi effectum eſſe, vt vigeſimo quoque quarto anno dies congruerent.* Confiteor hanc eſſe Macrobij, & Cenſorini doctrinam, vt vigeſimo quoque quarto anno habita diei in honorem imparis numeri additi ratione dies conuenirent. ſed iidem etiam rationem, quaſi intento ad locum digito, indicant, quâ facilè veterem Liuij lectionem, & Plutarchi auctoritatem defendas. Etenim, cùm Numa annum primum fecerit, dierum CCCLIIII. poſt autem diem addiderit, coniectura probabile eſt, ipſum aut additi ab ſe diei oblitum eſſe, aut certe vnius diei in ſupputando rationem non habuiſſe. quod ſubindicant hæc verba Macrobij, vbi de Numâ loquitur: *Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit. quippe fugit eos, diem vnum (ſicut ſupra demonſtrauimus) additum à ſe ad Græcum numerum, in honorem imparis numeri. eà re per octaeteriam conuenire numerus, atque ordo non poterat. ſed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quaſi ſuperfundebant dies, alternisque annis binos, & vicenos, alternis, vicenosque intercalares expenſabant intercalationibus quatuor, &c.* Item Cenſorinus, Numam etiam non omnino ſcite inſtituiſſe annum docet Plutarchus cùm ait: ἥψατο δὲ καὶ τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν πραγματείας, οὔτε ἀκριβῶς, οὔτε παντάπασιν ἀθεωρήτως. & paulo poſt καὶ τοῦτο μὲν αὐτῷ τὸ ἴαμα τῆς ἀνωμαλίας μειζόνων ἔμελλεν ἰαμάτων δεήσεσθαι. Sic ergo errorem in numerando ſuum non vidit Numa, ſed credidit rectam à ſe annorum rationem eſſe initam, profectò apparet ipſum imparem numerum, quem poſtremo adiecerat, non reſpexiſſe. neque hoc Liuij erratum, ſed Numæ fuiſſe, neque à Liuio rationem eius ſummæ, ſed à Numâ exigendam eſſe, Liuium autem, & Plutarchum multum vidiſſe, qui rem, vt acta eſt, litterarum monumentis prodiderint, eos vero plane cæcos eſſe, qui cum ipſi ſemitam non videant, alijs viam, quam ingrediantur, ſe oſtenſuros eſſe profiteantur. Faernus certè mihi eſt aſſenſus.

Cap.xxi. *Et ſoli Fidei ſolemna inſtituit.*] In hæc ego: Si in quibuſdam ſcriptis eſt, (vt audio) *Et ſimul fidei*, non improbo. Contra Robortellus: *Ego, Soli, legendum puto, quia non inſtituerat alijs diis ſolemne ſacrum, id eſt, anniuerſarium.* Deinde de voce *ſolemni* exempla, quaſi id negetur, aut non ab omnibus, illo excepto, ſciatur. Vt facilius ea, quæ dicam intelligatur, recitabo locum Liuij integrum: *Camœnis eam lucum ſacrauit, quod earum ſibi concilia cum coniuge ſua Egeria eſſent, & ſoli Fidei ſolemne inſtituit.* Ego, quia, *Soli Fidei ſolenne inſtitutum*, ait: ſi vera narrentur à doctis, quos aliquando de litteris diſſerentes audiui, in aliquot ſcriptis legi, *Et ſimul fidei*, malim ita: *Lucum Camœnis ſacrauit, & ſimul Fidei ſolẽne inſtituit.* Hoc rodit Robortellus, quam audet? primum, *ſolenne* dicitur, anniuerſariũ, Varrone, Virgilio, Liuio auctoribus, ſcio. *Soli autem Fidei legendum, quia non aliis diis ſolenne inſtituerat, id eſt, anniuerſarium.* Videre ergo, quibus ſe laqueis irretiat Robortellus, & quibus ſe anguſtiis, in angulo huius diſputationis extremo, concludat, vt hiſtoriæ notitia iuguletur, & ſe nihil ſcire fateri cogatur. Si demonſtraro, aliis etiam diis Numam ſolenne inſtituiſſe, id eſt, anniuerſarium, profectò ipſe ſe nihil in hoc genere ſcire confiteatur neceſſe eſt. Confitebitur autem, neque enim pugnax eſt: & iam id ita eſſe pro certo habet. Iam tum, cùm ſcribebat in me, non credebat: puerum enim me putabat, nunc virum expertus eſt. Scribit Dionyſius, *Numam Terminalia diem feſtam Termino deo inſtituiſſe, eique ſacrum non ſolenne ſolum, ſed etiam ſtatum conſecraſſe.* Item ſcribit, *Fidei quoq; ſacrificia publica, vt etiam aliis diis, ordinaſſe.* afferam verba, ne fingere videar: ἱερὸν ἀπέδειξεν θεῷ δίον Ἰοῦ κλῆρον, καὶ θυσίας ἔταξεν αὐτοῖς ὁπηνίκα ἅπαντας ἡμέρᾳ κατὰ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τὸν τόπον συνερχομένους, ἑορτὴν ἐν ταῖς αὐτοῖς τιμίαις, καὶ τὴν τῶν ὅρων θεῶν κατασκευασάμενος. ταύτην ῥωμαῖοι τερμινάλια καλοῦσιν. & poſt: πρῶτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἱδρύσατο πίστεως δημοσίας καὶ θυσίας αὐτῇ κατεστήσατο, καθάπερ καὶ ταῖς ἄλλαις θεοῖς δημοτελεῖς. Sic Robortelle, quid eſt, quod ait, Numam inſtituiſſe Termino, θυσίας ἡμέρᾳ ταχθῇ κατ᾽ ἐνιαυτὸν, niſi *ſacra ſtata, et ſolennia*, id eſt, quæ certo die, quotannis celebrarentur? Aude nunc dicere, ſoli Fidei ſolenne inſtitutum, alijs diis non item, & meam emendationem eo nomine labefactare.

Cap.xxiii. Venio ad METIVM de quo tu ita: *Fuffetium etiam ſcribendum cenſet, & ita imprimi iuſſit in ſuo; quia φουφέτιον videt ſcribi ab Halicarnaſſeo. Sed cur non Bubetium etiam ſcribit Sigonius, ſecutus Plutarchũ, qui ſcribit vbique βοβέτιον. cur Halicarnaſſeum potius, quàm Plutarchum ſequitur?* Hæc ille. Ego primum quid ſcripſerim iudicabo, deinde quæ ſcripſerim confirmabo. De Fufferio ita ego ſcripſi in ſcholiis Liuianis libro primo. *ALBANI METIVM SVFETIVM CREANT.*] *Lege Fufetium. nam Dioniſius habet φουφέτιον, Plutarchus in libro τῶν παραλλήλων μικρῶν φουφέτιον appellat.* Eodem modo. *Q. Fufius Calenus*, non, *Fuſius*, vti vulgo, *vocandus eſt. Quod ex Capitolino eius conſulatu & Græco Dionis libro intelligi poteſt.* Hæc ego tum. His nunc adiicere poſſum, habere me aliquot etiam Valerij Maximi exemplaria ſcripta, in quibus ſit, *Fufetius*, non *Suſecius*. Libet autem hîc Pierij Valeriani viri doctiſſimi iudiciũ, ac teſtimoniũ de Metio, & Fufetio afferre; vt ipſe, dum hæc reprehendis, quantum in obſeruatione antiquitatis valeas, aliquando intelligas; atque vbi intellexeris, ſtudioſius aliorum, & maximè vetera monumenta perluſtres, & perlegas. Pierij in viii. Æneidos verba ſunt hæc. *Cita Metiũ in diuerſa quadrigæ diſtulerant.*] *Antiqui omnes codices, quotquot habui Metum legunt dictione biſyllaba, quam alibi vnico T, alibi geminato reperias. mutilatamque eſſe dictionem cauſâ metri, Seruius ait, dum ipſe quoque Metum biſyllabã agnoſci, ſane Mettias duplicato TT. plurib. locis in veterum monumentis ſcriptum animaduerti, Placentiæ in D. Pauli tẽplo. L. METTIVS L.F. duobus TT. notatum eſt. & Romæ in ædib. Pauli Planca legere eſt. Q. METTIO, et P. METTIO. tam etſi non ignorem, & Metia, et Metius vnico T. alibi notatum. vtcumque vero primam in eo ſyllabã produci volunt. Sed enim hic minimè præterire poſſum, quod peruulgato errore in Liuianis codicibus, & alibi paſſim Metius Suſetius per S prima littera ſcriptũ eſt, cum dubio procul Fufetius per F. ſit ſcribendũ. ita enim apud Dionyſiũ Halicarnaſſeũ, et Græcos alios inuenias φουφέτιον. Præterea, ſi qui voluerint Græcis adhibere fidem, oſtendit mihi Ianus Parrhaſius vir vtraque lingua eruditiſſimus. T. Liuij codicẽ vetuſtate venerabilẽ, in quo Fufetium ſcripta erat prima littera per F non per S. quem quidem codicẽ nomina quædam ſpecioſa Vindicianus, Nicomachus Dexter, et Victorianus ſe emendaſſe adſcripſerunt, idque in Symmachorũ gratiã ſe feciſſe profeſſi ſunt. Ad hæc & Nonij Marcelli vetuſtum codicem protulit, et alios quoſdam auctores, in quibus eodem modo Mettius Fufetius ſcriptũ habebatur. Aiunt præterea Põponium Lætum, totius antiquitatis virum obſeruãtiſſimum, qui ſuperiori ætate in Ro. gymnaſio primas obtinuit, ſæpius inclamare ſolitum, Fufetius dicẽdum.* Hæc Pierius. Quæ ſi tu legiſſes, aut niſi viri huius, immò horum auctoritatem, vt aliorum omniũ, cõtempſiſſes, numquam me, quod pro *Suſetio Fufetium* repoſuiſſem, vt increpares, in animum induxiſſes. Ex his autem illud intelligi poteſt, primam ſyllabam Metij apud Virgilium longam eſſe. cum tamen tu breuem exiſtimes, cum ais, *falſum eſſe, quod Mettius duobus. TT. ſcribi debeat, idque ex verſu Virgiliano oſtendi: Haud procul inde cita Mettium in diuerſa quadrigæ.* quomodo enim breuis ea ſyllaba eſſe poteſt in Metũ, quem Seruius atteſtantibus omnibus antiquis libris agnoſcit. deinde quid in tanto veterum librorum, doctorumque hominum conſenſu de Fufetio reſpondebis, quem vbiq; à Plutarcho βοβέτιον nominari ais, idque falſo; nam in libro quem protuli τῶν παραλλήλων φουφέτιον, idque vt apparet, litterâ vnâ mendosâ appellat? quam hinc ridicula eſſe illa videntur, quæ profers, βουβέτιος φουφέτιος, *Fufetius, Sufetius, Safetius.* at inquis, *erat etiam magiſtratus Carthagine, qui Punica lingua Suffetes dicebatur.* ergo non inuſitata erat talis pronunciandi, & ſcribendi ratio. quid? ergo Albani, aut Romani linguam ſuam à Carthagine vſque duxerunt? & Romana dicendi ratio ex Punica ipſa petita eſt? O prudentiam hominis incredibilem!

Cap.xxvi. *Sic eat quæcumq; Romana lugebit hoſtem.*] Robortellus ita: *Emendant iſti quæcumque Romanum lugebit hoſtem. nec ſentiunt tolli omnem vim ex eo dicto.* Audi Robortelle, quid dicam? Antea legebatur, *Romanum*, vt etiam in pleriſque, quos olim inſpexi, ſcriptis, & nunc etiam in Mureti libro, animaduerti. Rhenanus autem vnius libri auctoritate adductus, *Romana*, repoſuit. *Romana* tibi, mihi *Romanũ* magis placet. tibi vis dicti poſita videtur in *Romana* mihi in *Romanum hoſtem.* cupit enim Horatius ſororis percuſſor, quamcumque mulierem, quæ Romanum luget hoſtem, non Romanam modo, ſed etiam peregrinam eiuſmodi morte multari. ita enim ſupra etiam Romulus: *Sic deinde quicumque alius tranſiliet mœnia mea, dictitans, Remum interfecit.*

Cap.xxviii. *Exempli parum memoris legum Romanarũ.*] Robortellus ita: *Emendant iſti noui correctores, Humanarum*, etſi omnes ita habent impreſſi etiam Melchioris Seſſæ, & afferũt locum Varronis ex Nonio: *Metium Suffetium propter perfidiã interfecit plane imperioſius, quam humanius.* cum ſit ibi legendũ *immanius.* Ad hæc dico, mea verba in hunc locum hæc eſſe: *Emendat Rhenanus Romanarũ pro Humanarum, quod non placet. nam et à veterib. libris diſſidet, & à Varrone, qui ita ſcribit lib. primo de vita populi R. vt eſt apud Nonium: Metium Fuffetium propter perfidiam interfecit pœne imperioſius, quam humanius.* Quid ad hæc Robortellus? Quid aliud, niſi ſuum illud, *Legendum eſt Romanarum, Legendum, immanius.* cur? quia ipſe dixit, iam enim hoc conſecutus eſt Robortellus, vt auditores eius de ſe, vt Pythagorei quondam de Pythagorâ, exiſtimẽt. quæ ſunt iſtæ pectoris tui anguſtiæ, quæ animi egeſtas Robortelle, vt nihil probare, nihil refellere poſſis, niſi omnia ſtatim corrumpas? ſemper hic erro, corrigas volui dicere. non vides ſenſum? oſtendo. Metium ait corporis membris in diuerſas partes diſtractis necatum à Romano rege, exemplo parum memore legum humanarum, id eſt crudeliſſimè, atq; immaniſſimè. neque enim hominem in alterum hominem adeo ſæuire leges ipſæ humanitatis permittunt. vnde dixit Varro, *interfectũ illum à rege pœne imperioſius, quàm humanius.* tu vero *immanius*, id eſt crudelius legis. quid? tu nullam extitiſſe crudelitatem in hac nece Metij putas? at quæ maior eſſe potuit immanitas? tu miſeram illam membrorum diſtractionem atrocitatis nihil habere exiſtimas? credo. neque enim eâ immanitate eſſes, vt Liuium, vt Plinium, vt omnes, ſummus præſertim auctor humanitatis, tam inhumanè dilaniares. Quod ſi *Legum Romanarum* legas, dic, quæ tum erant de ſuppliciis latæ leges, cum inſtitutis potius, & morib. populus, quam legibus, teneretur? vt eo primum anno lex de cæde conſtituta à rege ſit.

EX LIBRO SECVNDO.

CAp. xxiii. *Ad hæc viſa, audita que clamor ingens oritur, non iam in foro ſe tumultus continet, ſed paſſim tota vrbe nexu vincti, ſolutiq́; ſe vndique in publicū proripiunt.*] Ego emendaui, *Nexi, vincti, ſolutique. Nexus autem*, vt inquit Varro, *eſt is, qui liber ſuas operas in ſeruitute dat alteri pro pecunia, quam debet, donec ſolueris creditori.* Nexorum autem duorum genera fuerūt, vnum eorum qui inuiti ſeruirent, alterum, qui volentes. quorū illi vincti, hi ſoluti dicūtur. Inuitos ſeruiſſe multos oſtendit ſeditio, de qua hoc loco Liuius. Volentes alios, idem libro viii. cùm inquit: *Cui cùm ſe C. Publilius ob æs alienum paternum nexū dediſſet.* Hic *nexos* accepit pro iis, qui operam ſuam præſtarent pro pecuniâ quam deberēt quos Zonaras, vbi de hac re loquitur, οὓς ἐνεχυριασμένους κεχρημένους vocat, id eſt, *qui, quod ad præſcriptam diem non ſoluiſſent, in poteſtate eſſent.* quod Liuius dixit lib. x. *Inire nexū: Etſi vnciario fenore facto leuata vſura erat, ſorte ipſa obruebantur inopes, nexumq́; inibant.* Non omnes autē nexos in vinculis à creditorib. habitos eſſe, oſtēdit idem hoc loco cùm ait: *Hoc propoſito edicto, & qui aderant nexi profitentur extemplo nomina, & vndique ex tota vrbe proripientium ſe ex priuato, cùm retinendi creditori ius non eſſet, concurſus in forum fieri.* Nam ſi nexi aliquot, tum cùm edictum propoſitū eſt, in foro aderant, ergo non in vinculis erant. Robortellus autem veterem lectionem retinet, *Nexu vincti.* atque ita Liuium dixiſſe ait, quomodo Cicero pro Muræna, *Nexu obligati: In iis rebus, quæ mancipi ſunt, is periculum iudicij præſtare debet, qui ſe nexu obligauit.* Ego vero dico aliud eſſe, *Nexu obligari*, & aliquid *nexu, & mancipio noſtrū eſſe*, quod ille præter rem, vt ſolet omnia, profert atque id de quo agimus. quemadmodum in primo de iure ciuiū Rom. docui. Cùm autem ipſe exponat *nexu vinctos*, id eſt, qui corpus ob æs alienum tradiderant creditori in ſeruitium; quærit à me, *quo modo, ſi vincti erant, potuerint in publicū procurrere?* neq; attendit ſeditionem eam exarſiſſe, quod acerbius in ergaſtulis tractarentur; & ſe eadem difficultate vrgeri. dico vero euaſiſſe è vinculis, quomodo C. Publilius libro octauo è compedibus Papirij feneratoris euaſit. Quamobrem quod addit, me corripiſſe Liuium in pluribus, quam mille & ſexcentis locis, & ſe id propediem patefacturū, mallem ab eo cōſideratius eſſe dictum. quis enim ei fidem eſt habiturus, præter Glareanū, cùm videat, eum ex tanto numero vix quindecim tentare auſum eſſe.

Cap. xix. *A. Poſtumius Dictator.*] Dictatori A. Poſtumio Albo bello Latino ad lacum Regillum magiſtrum equitum fuiſſe T. Æbutium Eluam Liuius & Dionyſius auctores ſunt. cum autem ego Florum pro Æbutio, Coſſum profiteri viderem, notaui id ipſum in cōmentario Faſtorum. Hic Robortellus, Flori patronus, me reprehendit, quod eum notauerim, & ait *putare ſe vocem illam, Coſſum, ex verbis Flori eſſe tollendam; irrepſiſſe enim ex gloſſemate alicuius imperiti.* Bonâ tuâ veniâ dicam, Robortelle, nimis ſtudioſus es antiquitatis. neque enim me pateris veteris cuiuſquam ineptias indicare. Vnde tuus iſte in veteres amor tam repentinus? Iniquus dij malefaciant, qui te quotidie optimum, & vetuſtiſſimum quemque auctorē maledictis figere nunciant. niſi forte hanc caſtigandæ antiquitatis laudem tu ſolus appetis, ac tibi depoſcis. Ego verò, cum nondum hæc tua emendandorum librorum ars eſſet edita, quâ tu quamcumque vocem tollēdi, reponendi, mutandi pro arbitratu facultatem concedis, cum in ſcriptis, impreſſiſq; Flori libris *Coſſ. m* eſſe viderem, nec poſſe quamcumque vocem temere deleri demens putarem, dixi decipi Florum. Nunc ſi tollitur vox *Coſſus*, nihil dico. An autem tolli debeat, tibi, qui id affirmas, etiam, atque etiam cogitandum eſſe cenſeo. Sic enim loquitur Florus: *Coſſus equitum magiſter exuere frenos imperauit, (et hoc nouū,) quo acrius incurrerent.* At nihil tale de Æbutio magiſtro equitū Liuius, nihil Dionyſius. vnde ergo hoc ſumpſit Florus? nimirum ab Cornelio Coſſo, qui poſt fuit magiſter equitum M. Æmilio Mamercino dictatori, bello, vt opinor, Fidenati. de quo ita Liuius, *Magiſter equitum Coſſus, frenos vt detrahant equis imperat.* Si ergo apparet Florum memoriæ vitio lapſum, qui Coſſum detrahēdorum equis frenorum auctorem dictatori Poſtumio magiſtrum equitum addat, qui Æmilio fuit, cur corrigendus eſt potius Florus, quam notandus? non enim vitium eſt tantum in nomine magiſtri, ſed in conſilio, quod ne hoc quidem in bello adhibitum eſt. At equitum, inquis, hoc etiam in bello egregia opera fuit. nam dictator, auctore Liuio, equites equis deſcendere, & pugnam inire iuſſit. Primum non eſt idem, detractis equorum frenis effuſo impetu in hoſtem incurrere, & dimiſſis equis pedeſtrem pugnā capeſſere. deinde illud fuiſſe magiſtri equitum conſilium traditur, hoc dictatoris mandatum. Si ergo neque Coſſus hoc in bello magiſter equitum fuit, neque illud Coſſi conſilium hoc in bello vſurpatum eſt, apparet non librarij, ſed Flori vitio Coſſum Poſtumio dictatori magiſtrū equitum eſſe adiectum. Hoc errore poſito, ita ſcripſi: *Idem ſenſit is, qui de viris illuſtrib. tradidit, cùm Coſſi ſtratagema illud exponit, de quo Liuius in an.* CCXXVII. *quorum verborū hæc ſentētia eſt. Si auctor libri de viris illuſtribus magiſtrū equitum dictatoris Poſtumij equis frenos detrahi iuſſiſſe ait, ergo idem ſentit, quod Florus, Coſſum Poſtumio magiſtrum equitum fuiſſe. Nam Liuius poſt alio bello Coſſum huius auctorem conſilij facit.* Nunc ille me ita reprehēdit: *Falſa refert Sigonius. nam auctor de viris illuſtribus, Coſſi non facit mentionem vllam.* Robortelle, ſi eo acumine ingenij es, vt ſenſum meorū verborum planiſſimum non percipias, cur eâ modeſtiâ es, vt falſa me retuliſſe falsò ſcribas? egone ſcripſi auctorem illum Coſſum nominaſſe, an ſignificaſſe?

Cap. xxx. *Tres fuere ſentētiæ. P. Virginius rem non vulgabat, de iis tantum, qui fidem ſecuti P. Seruilij. Cos. Volſco, Sabino, Aurūcoque milit aſſent bello, agendum cenſebat. T. Lartius totam plebem ære alieno eſſe demerſam, nec ſiſti poſſe, ni omnibus conſulatur. Ap. Claudius et natura immitis, & efferatus: Agedum, inquit, dictatorem, à quo prouocatio non eſt, creemus iam hic, quo nūc omnia ardent, conticeſcet furor. pulſet tum mihi lictorem, qui ſciat ius de tergo, vitaque penes vnum illum eſſe, cuius maieſtatem violarit.*] Ex his verbis apparet tres ſententias eſſe dictas de plebe ob æs alienum militiam detrectante, vnam à Virginio, qui parti plebis ſatisfaciendum eſſe cenſebat; alteram à Lartio, qui omnibus: tertiam ab Appio, qui nemini. Quid de his ſententijs iudicatum ſit, deinceps exponit Liuius. ſed ea verba, aliter ab aliis interpuncta, diuerſam edunt ſententiam. Sic legit Rhenanus: *Multis, vt erat, horrida, et atrox videbatur Appij ſentētia, rurſus Virginij, Lartiiq; exēplo haud ſalubres. vtique Lartij putabant ſententiam, quæ totā fidem tolleret. mediū maxime habebatur Virginij ingeniū.* Quam lectionem ego non probaui, quia ſequitur, vt Virginij ſententiā primo vituperet, cùm ait exemplo haud ſalubrem fuiſſe, deinde laudet, cum ait: moderatum vtroque Virginij conſilium habitum eſſe. vt bis de ea, & Lartij ſententia iudicet. Ea cauſa fecit, vt meliorem multo eam eſſe lectionē duxerim, quā ego in aliquot ſcriptis libris repperi, hoc modo: *Multis, vt erat, horrida atque atrox videbatur Appij ſentētia, rurſus Virginij, Vetuſiique exēplo pernicioſa. Haud ſalubrem vtique Lartij putabant ſententiam quæ totam, &c.* hoc ſenſu Appij ſententia horrida, & atrox videbatur, & eadem rurſus Virginij, Vetuſiique exemplo pernicioſa. Lartij ſententiam haud ſalubrem exemplo putabant. Virginij moderatum vtroque habebatur ingenium. Quod autem ait, pernicioſam Appij ſententiam viſam: Virginij Vetuſiique, exemplo, conſules qui tum erant, intelligit, qui cùm cogere, vt Appius cenſebat, plebem in bellum voluiſſent, nihil profecerant: atque conſulatis maieſtatis ius imminuerāt. Sic enim ſcribit Liuius. *Redeunt in tribunal Conſules, citari nominatim vnū ex iis, qui in cōſpectu erant, debitâ operâ iubent. cùm ſtaret tacitus, et circa eum aliquot hominum, ne fortè violaretur, conſtitiſſet globus, lictorem ad eum conſules mittunt. quo repulſo, tum verò indignum facinus eſſe clamitantes, qui patrum conſulibus aderant, deuolant de tribunali, vt lictori auxilio eſſent. Sed ab lictore nihil aliud, quàm prehendere prohibito, cùm conuerſus in patres impetus eſſet, conſulum intercurſu rixa ſedata eſt.* Apparet ergo, vt Appij ſententia atrox eſſet, cùm animaduerti vellet in detrectantem militiam plebem, & vt pernicioſa, Virginij, Vetuſiique conſulum exemplo, qui id cum ſumma patrum ignominia fruſtra tentauerant. Hanc autem lectionem vituperat Robortellus duabus rationibus. primum, quod ex

coniectura pro *Lartij, Vetuſij* repoſui id quod fateor. Sed id librarij vitium fuiſſe, inde ſuſpicor, quod vox *Lartij* ſtatim ſubſequitur: ad quam ille reſpiciens, pro *Vetuſij, Lartij* ſcripſit. Id autem hoc nonū ei videri demiror, qui attem attendi, adimendi, mutandique ad arbitrium edidit. deinde, *quod formulam loquendi Liuianā non agnouerim, quam formulam repræſentari lectione, quam ipſe protulit*, ait, ea vero eſt hæc: *Multis, vt erat horrida, atque atrox Appij ſententia videbatur, rurſus Virginij, Lartijque exemplo haud ſalubrem, vtique Lartij putabant ſententiam, qua, etc.* Eſt autem, inquit, loquendi ratio elegāter per collectionem primo, mox per diſtributionem, perplexa quidem & obliqua, ſed apta ad orationem grandē conficiendam. Ego autem, vbi attentè hanc dicendi formulam, atque ea, quæ citat, exempla conſideraui, alieniſſimam, & minimè ferendam ſententiam ex hac promi lectione inueni. Exempla autem eius hanc habent vim, vt collectio ſuum habeat verbū, & diſtributio fere ſuum. vt illud Ariſtotelis: γενομένη οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ κωμῳδία. ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δ' ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ ἐξῆρχον. & Virgilij illud.

Eam circum Mileſia vellera Nymphæ.
Carpebant, Drymoque Xanthoque, &c.
Cydippeque et flaua Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Item:

Compulerantque greges Corydon, & Thyrſis in vnum:
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Item:

Et manibus iam tangeret æquis.
Læua aciem ferri, dextra, neruoque papillam.

Item:

Iamque neci Sthenelumque dedit; Thamyrimque Pholumque.
Hunc congreſſus, et hunc, illum eminus.

Item:

Hunc illa exceptum trajicit,
Protinus Orſilochum, et Buten duo maxima Teucrum
Corpora: ſed Buten aduerſo cuſpide figit.
Orſilochum fugiens.

Item:

Prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem.
Sed Latagum ſaxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat, os, faciemque aduerſam, poplite Palmum
Succiſo voluī ſegnem ſinit.

Item:

Interea biiugis infert ſe Lucagus albis.
In medios fraterque Liger: ſed frater habenis.
Flectit equos, ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.

Item:

Vos etiam gemini Rutulis cecidiſtis in aruis, etc.

Habet ergo in his exemplis collectio verbum ſuum, plerumque etiam diſtributio. nunquam autem ſine proprio verbo collectio. At in hac oratione Liuiana, quam his Virgilianis ſimilem eſſe vis, collectio nullum habet verbum, niſi ex ſuperiore membro alienum aſſumat, hoc modo. Appij horrida, & atrox ſententia videbatur. rurſus Virginij, Lartijq; ſubaudi, ſententia horrida, & atrox videbatur. hæc enim collectio illa eſt, de qua dicit Robortellus, cui ſubſequens eſt diſtributio ſuo ornata verbo. exemplo haud ſalubrem putabant Lartij ſententiam, Virginij moderatum vtroque conſilium habebatur. Quod ſi collectio proprio caret verbo, nihil eum hæc exempla ad hanc emendationem inferendam adiuuant, imo omnia ſuperuacanea ſunt: ſi ex ſuperiore membro, (non enim ex inferiore poteſt, quod exempla Virgiliana demonſtrant) alienum verbum mutuatur, dico alieniſſimam, & fœdiſſimam ſententiam inferri. vt æquè atrocem, & horridam Virginij, & Lartij ſententiam appellet, qui aut patri, aut omnibus ſatisfaciebant, atque Appij, qui nemini, & qui dictaturæ terrore in terga plebis dicto non audiendis minabatur. adde etiam expoſitionem illam Liuij alieniſſimam. Cur enim horrida & atrox Lartij ſententia? quia exemplo haud ſalubris, quia tollebat omnem fidem. Cur Virginij? quia moderatum vtroque ingenium erat: O Liuium ſtultum, ſi hæc voluiſti, ſapientem Robortellum, ſi hoc eum voluiſſe credidiſti. Ergo aut exempla tibi meliora, atque aptiora quærenda ſunt Robortelle, aut mea lectio, quam improbas, approbanda.

Cap. XXXIII. *Ita tribuni plebeij creati duo, C. Licinius, et L. Albinus. hi tres collegas ſibi creauerunt. in his Sicinium fuiſſe ſeditionis auctorem. de duobus, qui fuerint, minus conuenit. ſunt qui duos tantū in Sacro monte creatos tribunos dicūt.*] Hic ille me inſimulat, quod hæc nomina non emēdauerim. eſſe enim ea à librarijs corrupta. & pro *C. Licinio* repouendū eſſe *C. Sicinium*. pro *L. Albino, L. Iuniū*. Adducitur autē Dionyſij, Plutarchi, Pediani, & aliorum, quos ipſe commemorauit, auctoritate, qui inter duos primos tribunos pl. ſummo conſenſu *C. Sicinium Bellutū* ſeditionis auctorem, *& L. Iunium Brutum* referunt. Eſt autem illud ridiculum, quod in quo me iniuſtè reprehendit, iure reprehendendus ipſe eſt. Hoc autem ita eſſe demōſtremus. Recitat Liuius duas opiniones de primis tribunis pl. vnam, quæ fuit; quinque primum creatos tribunos; alteram, quæ duos tantum. Ex quinque nominat ſolum tres, C. Licinium, L. Albinium, C. Sicinium ſeditionis auctorem. de duobus, qui fuerint, ait non conuenire. Ille vero pro C. Licinio C. Sicinium repōnit. quam conſideratè, non attinet dicere. ita enim fit, vt C. Licinium honore iniuſtè depellat, C. Sicinium bis nominet. Erit enim idem primus, & tertius apud Liuium tribunus pl. C. Sicinius ſeditionis auctor, quo nihil ne cogitari quidem poteſt abſurdius. Spoliat autem honore C. Licinium indignè, cum Dionyſius inter primos quinque tribunos pl. duos Licinios numeret Caium, & Publium, & Præterea C. Sicinium Bellutum ſeditionis auctorem cum L. Iunio Bruto, & C. Icilio Ruga. Eſt ergo hoc prudentiæ, quod videndum erat, non animaduertiſſe; probitatis autem, amicum, quem laudare debebat, ſine ratione aſperius appelaſſe? Prætereà pro L. Iunium reponit maximè ex Pediano, qui de duobus tribunis pl. Liuium citat auctorem, & duos primos tribunos plebis nominat, L. Iunium Paterculum, & C. Sicinium Bellutum. Cui ego reſpondeo, non idcirco quia Pedianus auctorem profitetur Liuium in numero, etiam eum citat in nomine tribunorum. Sic enim ait: *Sunt qui eundem illum duorū numerum. quem Cicero, ponant, inter quos Tuditanus, et Pōponius Atticus, Liuiuſq; noſter. Idem hic et Tuditanus adiiciunt, tres præterea ab illis duobus collegas creatos eſſe. Nomina duorū ſunt hæc, qui primi creati traduntur, C. Sicinius L. F. Bellutus, L. Iunius C. F. Paterculus.* Hæc ille. Ex Liuio autē non eſſe ſumpta hæc nomina patet, quod Liuius inter primos duos C. Licinium, vt dixi, numerauit, non C. Sicinium, quem tertio loco ſtatuit. Si ergo in eo apertè diſcrepat, cur non poteſt etiam in altero? præſertim veteribus libris omnibus apertè *L. Albinum*, non *Iunium* profitentibus? Accedit, quod nulla cauſa eſt, cur potius apud Liuiū *L. Iunius* ex Pediano reponendus ſit, quam ex Liuio apud Pedianum *L. Albinius*. Veteres enim libri Pediani olim impreſſi habent, *Lauinius Paterculus*, vt tam facile reſtitui poſſit pro *Lauinius, L. Albinius*, quam *L. Iunius*, immò vero etiam facilius illud, quam hoc. Nam Paterculū nuſquā alias Iunij cognomen fuiſſe accepimus, & hunc L. Iuniū tribunum pl. de quo agimus, omnes præter Pædianū, Bruti cognomine afficiunt; vt *Paterculus* Albiniorum eſſe cognomen videatur, & potius apud Pedianum ex Liuio reponendus ſit *L. Albinius*, quam apud Liuium ex Pediano *L. Iunius*. Hoc ita eſſe apparet etiam ex tertio libro, vbi de tribunis pl. refectis poſt x. virum abrogationem loquitur. inter eos enim C. Sicinium creatum ait, progeniem eius Sicinij, quem primum tribunum pl. creatum eſſe in Sacro monte memoriæ proditum eſt. vt cum de duob. primis tribunis pl. in Sacro monte creatis loquimur, quæ fuit altera à Liuio tradita opinio, vel C. Sicinium & L. Iunium, vel C. Licinium, & L. Albinum, ſtatuere debeamus, neque aliquid apud Liuium immutandum ſit. Quamobrem gratulor T. Liuio, vereque gratulor, qui non te Robortelle emendatorem adeptus ſit, neque enim vlla veræ lectionis, aut germanæ antiquitatis veſtigia apud eum, quæ tua eſt ſcientia, atque prudentia, reliquiſſes.

Cap. L. *Cœnatibuſq; Etruſcis Fabij iam cōtinenti agmine armatorū ſæpti, quo magis ſe hoſtis inferebat, cogebāt ar breuiore ſpatio & ipſi orbem colligere; quæ res & paucitatem eorū inſignem, & multitudinem Etruſcorū multiplicatis in arcto ordinib. faciebat.*] Huius loci hūc ſenſum eſſe ego in ſcholijs ſcripſi: *Aciem, quo breuiore in ſpacio cogitur, & orbē colligit, eo plures ordines habere; quo ma-*

iore in ſpacio explicatur, eo pauciores. In hæc verò ille ita: *Ego quale ſit hoc, quod Sigonius profert, non percipio, nec vllum puto eſſe, qui percipere poſſit. immò verò longe ſecus ſe res habet. quò enim breuiore in ſpacio cogitur acies, eo pauciores ordines eſſe neceſſe eſt. quo autem maiore in ſpacio explicatur, eo plures. Sed Sigonius Liuij verba non intelligit. Multiplicatis enim cum dixit, idem eſt, ac ſi dixiſſet, condenſatis, vt ſit ſententia. Multiplicatis in arcto ordinibus, id eſt, denſatis, factum eſt vt Fabij, qui erant CCC. tantum pauciores viderentur, hoſtes vero, qui plurimi erant, et ante diſperſi fuerant, videbanturque pauci poſtquam in vnum collecti ſunt breuiore ſpacio, plures videbantur. Verùm rem totam explicat Aelianus in libro de acie more Græcorum inſtruenda,* τίνι, ἐν διπλασιάζεται ἡ φάλαγξ, ἢ τόπῳ. Ego vero miror, cur, quod ipſe ſe negat intelligere, reprehendat. Quid autem, cùm id ſcripſi, ſpectarim, demonſtrabo. *Multiplicari in arcto ordines* intellexi, augeri non magnitudine, ſed numero. Secutus autem ſum ſententiam illam Liuij lib. XLII. *Primo à mari circumfuſa turba amicorum, ac ſatellitum procedebat, deinde extenuabant paulatim anguſtiæ agmen.* Quo ergo magis ab anguſtijs loci ordines extenuantur, eo plures fiunt. vt ſi XX. ſint ordines, quorum ſinguli decem habeant milites, deinde anguſtiis loci compulſi non niſi quinque complecti poſſint, multiplicabuntur ordines, & erunt quadraginta, ſed tenuiores. atque hoc eſſe opinor διπλασιασμὸν κατὰ πρόσωπον, de quo Ælianus in libro de aciebus inſtruendis, ὅτι ἀπὸ τοῦ βάθους τοὺς ἡμίσεις ὁπλίτας εἰς λόχους παρεμβάλλοντες συντάξομεν μετὰ τῶν λοιπῶν τὸ μῆκος, ὥστε γενέσθαι τοὺς λόχους ἀντὶ α κ δ β μ η. τοῦτο διπλασιασμὸς προσώπων ἐστὶν, id, eſt, *duplicatio perſonarum eſt cùm ex latitudine dimidiam partem militum in ordines coniectam cum reliquis inſtrueremus in longitudinem, vt ordines ſint pro mille* XXIIII. *duo millia* XLVIII. Atque hoc modo fit, vt hæc multiplicatio ordinum, & paucitatem inſignem reddat, quia ordines exiliores fiunt, & multitudinem inſignem, quia ordines plures euadunt. Itaque quod dixi *breuiore ſpacio plures ordines fieri,* refero tam ad Fabios, quam ad Etruſcos: quod dixi, *maiore pauciores*, ad nullos. Tu autem *multiplicatis*, pro *condenſatis*, accipis, ac vis eamdem condenſationem ordinum eos, qui pauci ſunt, reddere pauciores, qui multi, plures. ego vero contra putarem, ſi condenſati paucorum ordines pauciores videntur, pari ratione & multorum non ita multos potius, quam plures videri. Sed de hoc ſenſu, iudicent alij. Quod verò addis Liuium alio etiam loco, *Duplicato centuriarum numero*, dixiſſe pro *condenſato*, id eſt, magnitudine aucta, non numero, in eo etiam à te diſſentio. Verba Liuij ſunt libro primo, vbi de claſſium centuriis locutus eſt, eiuſmodi: *Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc eſt poſt expletas* XXXV. *tribus, duplicato earum numero, centuriis iuniorum, ſeniorumque ad inſtitutam ab Ser. Tullio ſummam non conuenire. quadrifariam enim vrbe diuiſa, regionibus, collibuſque qua habitabantur partes, tribus eas appellauit, neque hæ tribus ad centuriarum diſtributionem quidquam pertinuere.* Hic tu, *Duplicato earũ numero*, interpretaris, *Aucto, et condenſato centuriarum numero non enim*, inquis, *plures equitum centuriæ factæ ſunt, ſed eorum equitum, qui in ſingulis erant, numerus auctus eſt, & duplicatus. aliter enim intelligi locus ille non debet.* O ſciẽtiam hominis admirabilem! Cur potius equitum numerum auctum interpretaris, quam peditum, cum veriſimile ſit, ſi creuerunt opes ciuitatis, ſi numerus ciuium auctus eſt, tam peditum, quam equitum numerum ſuccreuiſſe, id eſt, vt ipſe ais, centurias duplicatas, ac condenſatas eſſe? Qui ergo locus Robortelli iudicio, non aliter, quam vt ille dixit, intelligi debet, is Sigonij Iudicio longe aliam ſententiam habet. Ego enim *Duplicatum*, hoc etiam in loco, ad numerum, non ad magnitudinem refero. & tribus omnes duplicatas intelligo ita, vt cùm à Ser. Tullio factæ eſſent XIX. poſt expletas quinque, & triginta tribus totidem, & ferme acceſſerint. decem autem & nouem tribus, ab Ser. Tullio conſtitutas eſſe, docui in libris de iure ciuium Romanorum. Itaque vocem *earum* ad *tribus* refero, non ad *centurias*, & *Duplicato* ad numerum, non magnitudinem, vt dimidio auctas eas exiſtimem, non condenſatas.

Cap. LVI. *Conſul lictorem ad tribunum, priuatum eſſe clamitãs, ſine imperio ſine magiſtratu.*] Horum verborũ vt vis eſſet apertior, locum ego protuli ex quæſtionibus Plutarchi, in quo ita ille ſcribit: διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ, τῶν ἄλλων ἀρχόντων φορούντων; ἢ τὸ παράπαν οὐδ' ἔστιν ἄρχων. οὐ γὰρ ῥαβδούχους ἔχουσιν, οὐδ' ἐπὶ δίφρου καθήμενοι χρηματίζουσιν, οὐδ' ἔτους ἀρχῇ καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες ἄρχοντες εἰσίασιν, οὐδὲ παύονται δικτάτορος αἱρεθέντος, ἀλλὰ πᾶσαν ἀρχὴν ἐκείνου μετάγοντος εἰς ἑαυτὸν, αὐτοὶ μόνοι διαμένουσιν, ὥσπερ οὐκ ὄντες ἄρχοντες, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ τάξιν ἔχοντες. quorum verborum ſententiam ita verti. *Cur cùm purpura alij magiſtratus vtantur, tribunus pl. non vtitur? An quia tribunus pl. magiſtratus non eſt. neque enim ex ſella tribuni ius dicunt, neque principio anni, vt reliqui magiſtratus, ineunt, neq; creato dictatore ſe abdicant, verum omni tranſlato ad dictatorẽ imperio, ipſi tamen poteſtatem ſuam retinent, quaſi magiſtratus non ſint.* Ex his verbis duo arrodere conatus eſt Robortellus. vnum quod παύονται *abdicant*, alterum quod περιπόρφυρον *purpuram* conuerterim. Verba eius hæc ſunt. *Falſum eſt, quod ait Sigonius creato dictatore conſules abdicare ſe ſolitos narrare Plutarchum. nam ipſe ait* παύειν, *quod non abdicare ſe. ſed interim deſiſtere vti poteſtate, & iure ſuo, dum dictator is eſt. Ex quo apparet, argumentationem eius hanc eſſe. Male Sigonius vertit apud Plutarchũ, tribunos pl. creato dictatore non abdicaſſe, nam falſum eſt, cõſules abdicaſſe creato dictatore.* Nõ dico, quam aliena hæc eius ratio ſit, quam inanis, quam ridicula: illud dico, ne vtrumque apertè demõſtratum, & παύεσθαι apud Plutarchum eſſe, quod Latini dicunt *Abdicare*; & Conſules creato dictatore, abdicaſſe. Dic enim Robortelle, non ne apud Liuiũ legiſti, *mortuo cenſore collegam eius abdicaſſe?* legiſti certe: at cùm de ea re loquitur Plutarchus, nonne παύεσθαι vtitur? Eodem quæſtionum in libro: τῶν τιμητῶν θατέρου τελευτήσαντος ἔδει καὶ τὸν ἕτερον πεπαῦσθαι τῆς ἀρχῆς. quid eſt ibi πεπαῦσθαι, an deſiſtere vti iure ſuo, an magiſtratum deponere, quod Latine dicitur *Abdicare?* Et alibi: διὰ τί τῶν ἄλλων ἀρχῶν τὴν κατὰ διαδοχὴν παύοντες ἑτέρους αἱροῦνται; παύοντες eſt, *abrogantes, & abdicare cogentes.* At conſules, inquis, creato dictatore non abdicabant. O ſtultum ergo Polybium, dementem Dionyſium, qui hoc litteris prodidiſtis. quid inquit Polybius? ita lib. III. δικτάτορος κατασταθέντος παραχρῆμα διαλύεσθαι συμβαίνει πάσας τὰς ἀρχὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ, πλὴν τῶν δημάρχων. id eſt, *dicto dictatore ſubitò omnes magiſtratus diſſoluuntur præter tribunum plebis.* quid eſt *diſſoluuntur*, niſi *abdicant?* Accipere nunc quid Dionyſius dicat lib. V. vbi loquitur de dictatore primum creato: ἦν δὲ τὸ προβούλευμα τοιόνδε. Λάρκιον μὲν καὶ Κλοίλιον τοὺς τότε ὑπατεύοντας ἀποθέσθαι τὴν ἐξουσίαν, καὶ εἴ τις ἄλλος ἀρχήν τινα εἶχεν, ἢ πραγμάτων κοινῶν ἐπεμέλετο. ἕνα δὲ ἄνδρα, ὃν ἂν ἥ τε βουλὴ προβάληται, καὶ ὁ δῆμος ἐπιψηφίσηται, τὴν ἁπάντων ἐξουσίαν παραλαβόντα ἄρχειν μὴ πλείονα χρόνον ἑξαμήνου, & poſt, ὁ Κλοίλιος ὕπατος ἀναγορεύσας Λάρκιον δικτάτορα, καὶ αὐτὸς τὴν ὑπατείαν ἐξόμνυται. Quibus verbis apparet decretum fuiſſe, vt creandi dictatoris cauſsâ omnes magiſtratus abdicarent. & Clœlium conſulem, vbi Lartium collegam dictatorem dixit, abdicaſſe. Vtitur enim his verbis ἀποθέσθαι τὴν ἀρχήν, ἐξόμνυσθαι τὴν ἀρχήν. quæ nihil aliud ſunt, quàm *Magiſtratum deponere, et abdicare.* Nam idem libro VI. dixit, τὴν δικτατορείαν ἐξώμοσατο, pro eo quod Latini dicunt, *dictatura ſe abdicauit.* Si ergo idem eſt παύεσθαι τὴν ἀρχήν, quod διαλύεσθαι, & hoc idem, quod ἀποθέσθαι, & ἐξόμνυσθαι. hæc autem Latini dixerunt, *Abdicare*, ergo illud etiam recte *Abdicare* verti poteſt: & qui creato dictatore *Conſules abdicaſſe* ait, egregiè ait. At ille magnus auctor antiquitatis, Catonem. aut Varronem diceres, *Non abdicabant*, inquit. *ſe Conſules creato dictatore, ſed interim deſiſtebant vti poteſtate, & iure ſuo, dum dictator is eſt. Solebant enim non abdicare ſe conſules, ſed parere dictatori. quod ſi dictator ſe abdicaſſet, antequam exitus anni eſſet, Conſules reſumebant poteſtatem priſtinam.* Hui, quam ſapienter? Dic quæſo Robortelle, quid eſt aliud *Abdicare*, quam *priuatum ſe reddere?* at creato dictatori, Conſulem priuatum occurriſſe tradit Plutarchus in Fabio: φάβιος δικτάτωρ ἐντυγχάνοντος αὐτῷ ῥαβδουχίας ἐπισυρομένου, καὶ τοῦ ἑτέρου τῶν ὑπάτων ἀπαντῶντος αὐτῷ, τὸν ὑπηρέτην πέμψας, ἐκέλευσεν τοὺς ῥαβδούχους ἀπαλλάξαι, καὶ τὰ παράσημα τῆς ἀρχῆς ἀποθέμενον, ἰδιώτην ἀπαντᾶν. id eſt, *Fabius dictator obuiam prodeunte altero Conſule, viatore miſſo, lictores dimittere eum iuſſit, atque inſignibus magiſtratus abiectis priuatum ad ſe venire.* At, inquis, Conſules creato dictatore non abdicabant, ſed parebant ipſi dictatori, æquè ac ſi legati ipſius fuiſſent. Scite Robortellus, ſtultè Liuius, qui ſcripſit ita: *Tu L. Minuci*, inquit, *dictator, legatus his legionibus præeris. Ita ſe Minucius abdicat conſulatu, iuſſuque ad exercitum manet.*

Sed ſit hoc ineptum, illud vero quam graue, quod idem addit. *Sed ſi verum eſſet, quod ſcribit Sigonius, conſules abdicare ſolitos, non vtique reſumſiſſent.* At Dionyſius, qui Cōſules abdicare ſolitos ait, ſcribit, A. poſtumium cōſulem à collega ſuo dictatorem dictum ei partem exercitus tradidiſſe. vbi vero dictatura abdicarit, ipſum cum collegâ ſuo conſule, quem abdicatum innuerat, comitia conſularia habuiſſe, nec tamen apparet, quemadmodum ille, qui abdicauerat, poteſtatem recuperauerit Conſularem. Sed ego ineptus, qui doctiſſimi hominis argutias tot verbis mihi ſumpſerim refutandas. Venio ad alteram reprehenſionem eius, quæ eſt his verbis prolata: *Iam vero errat etiam Sigonius, cùm purpuram vertit.* nam *πεπίσημον* habet Plutarchi liber. & ſatis notum eſt hanc à Plutarcho dici, quam *prætextam* Latini vocant. Dij immortales, quam doctus eſt iſte Franciſcus Robortellus! dat vitio, quod veterim *πεπίσημον ὑφᾶν, purpurâ non vtitur*, cum dicendum fuerit, *prætextâ*. Non nego, Robortelle, quin prætextam intellexerit Plutarchos. Sed cum *prætexta* nihil aliud ſit, quam toga, cui purpura prætexta ſit, in eoq; à toga differat, quod purpuram habeat in ora intextam. neſcio cur mihi vertēdum vitio ſit, quod porpuram pro prætexta verterim, præſertim cùm dicat Liuius Libro XXXIV. *Purpurâ viri vtemur prætextati in magiſtratib., ſacerdotijs, liberi noſtri prætextati purpura togis vtentur.* Quid eſt enim aliud *Vtemur in magiſtratibus, & ſacerdotiis purpura*, quam *toga purpura prætexta?* quod quale eſſet, vt intelligeretur, dixit, *Prætextati.* Item paullo poſt: *Et cùm tibi viro liceat purpurâ in veſte ſtragulâ vti.* & Plinius lib. XXXIII. *Vulgoq. purpurâ latiore tunicâ vſos inuenimus etiam præcones.* Cùm hos habeam huius locutionis auctores, quid Robortellum, aut Glareanum diſſentientes curare debeo?

Cap. X. *Ecce Hernici nunciant, Volſcos, & Aequos etſi acciſæ res ſint, reficere exercitus, Antij ſummam rei poſitam Ecetræ Antiates palam concilia facere, id caput, eas vires belli eſſe.*] Hunc locum ego non attigi; quem à me corruptū eſſe, falſò inſimulat Robortellus, atque ita legendum contendit: *Antij ſummā rei poſitam, non Ecetræ:* nec videt, ſe addendâ particulâ *Ne*, pulcherrimam & veriſſimam hiſtorici ſententiam deprauere. Antiates enim, & Ecetrani Volſci erant, Antiates quidem coloni Romani, Ecetrani verò non item. Volſci autem cùm bellum renouare vellent, Antij ſumm am rei poſuerant illi quidem, ſed Antiates ne ſua conſilia Romanis patefierent. Antij clam fortaſſe, at Ecetræ palam concilia de belli ratione habebant. Non ergo, vt Robortellus interpretatur, Hernici nunciabant, Antij ſummam rei poſitam à Volſcis, non Ecetræ, ſed Antiates non Antij, ſed Ecetræ palam concilia facere. nam cum addit, *id caput, eas vires belli eſſe*; de Antiatibus, non de Ecetranis intelligendum eſt.

Cap. XXXIII. *Anno trecenteſimo altero, quàm condita Roma erat, iterū mutatur forma Ciuitatis.*] Reprehēdit Robortellus quod *trecenteſimum alterum annum* interpreter, *trecenteſimum primū*, duobus argumentis; non, quod in faſtis Capitolinis hic annus eſt trecenteſimus ſecundus, altero, quod *alter*, ſignificet *ſecundum*, non *primum*. Vtrique ita reſpondeo. Primùm illud poſitum eſſe volo, quod aliter haberi non poſſe ſupra demonſtraui, Capitolinam annorum ſummam nihil ad Liuianam pertinere, Liuianam autem non niſi ex verbis ipſis Liuij eſſe hauriendam; neque Liuianos numeros, vt annorum rationem Liuianam inueniamus, pro arbitrio eſſe mutandos, ſed eſſe incolumes relinquendos. His autem rebus ita conſtitutis, dico, Liuium, cùm inquit, *anno trecenteſimo, & altero decemuiros eſſe creatos*, trecenteſimo primo intelligere. Etenim ſi conſules primos iniſſe dicas anno ipſo ducenteſimo primo, quadrageſimo quincto, quod diſertè apud Liuium ſcriptum eſſe ſupra oſtendi, non poteris decemuiros in annum trecenteſimum primum conijcere. quod ſi duos eos, annos de quibus diximus, annumeraris, in trecenteſimum tertium eos referre cogeris. non eſſe autem eorum rationem habendam, ſatis alio loco probatum eſt. me autem magis etiam mouent ſcripti epitomatum libri, in quibus inuenio, *Vno & trecēteſimo anno ab V. C. decemuiros eſſe creatos.* Præterea nominat Liuius annum, quo C. Sulpicius Peticus III. & M. Valerius Poplicola Conſulatum geſſerunt, quadringenteſimum ab vrbe condita, his verbis: *Quadringenteſimo anno, quam vrbs condita erat, quincto et trecenteſimo, quam à Gallis recepta ablato poſt vndecimum annum à plebe conſulatu patricij Cōſules ambo ex interregno magiſtratum iniere.* Quem tam nobilem, & tam rotundū numerum, vt ego tueor, ſic Robortellus corrumpit, & *trecenteſimum nonageſimum octauum* reponit. quoniam hi Conſules in eum annum in Faſtis Capitolinis incurrant. quo errore nullum fœdiorum eſſe poſſe opinor. Si ergo hi conſules ex Liuij ſententiâ fuerunt anno quadringenteſimo, profectò Marcus Popilius Conſul, qui eos proximè conſecutus eſt, anno quadringenteſimo primo Conſulatum geſſit. quo Conſule accepimus ſecundos Ludos ſæculares, teſte Zoſimo, eſſe factos. Cùm autem tertij ludi ſeculares auctore Cenſorino, ex Liuij ſententiâ, relati ſint L. Iunio, & P. Claudio Conſulibus, iidemque, teſte epitomâ Liuianâ, *centeſimo anno editi ſint, altero, & quingēteſimo ab vrbe conditâ*, cumq; à M. Popilio Conſule ad Iunij, & Claudij Conſulatum centum anni numerantur; ſane apparet, *quingenteſimum alterum* in epitomâ eſſe quingenteſimū primum, præterea ſi Iunius, & Claudius anno quingenteſimo primo conſules fuerunt, profectò Marcius, & Manlius, quibus Conſulibus quarti Ludi ſæculares poſt centeſimum annum, ſexcenteſimo autem, & altero ab vrbe condita anno relati à Liuio in epitoma, & à Cenſorino ex Liuij ſententia feruntur, in annum ſexcenteſimum primum incurrent; atque ita etiam *ſexcenteſimus alter*, erit ſexcenteſimus primus. Atq; hoc quidem ita eſſe docet etiam alio loco Liuius, qui Cottam, & Galbam in annum conijcit quingenteſimū quinquageſimū qui numerus, ſi regrediaris, oſtendet, Iunium, & Claudium anno quingenteſimo primo, ſi progrediaris, Marciū & Maniliū anno ſexcenteſimo primo iniſſe. Cùm autem rotundos hos numeros ſtudioſe attulerit Liuius, quam periculoſum, ac temerarium ſit, eos Robortelliano more mutare, omnes intelligunt. ille tamen hoc etiam in loco *quingenteſimum quinquageſimum tertium* reponit. Præterea in epitomis iiſdem ſcriptum eſt, *bella ciuilia trib. triumphis à Cæſare Octauiano actis viceſimo, & altero anno, quàm inita erant, eſſe finita.* Subductâ autem ratione omnium annorum à Lentuli, & Marcelli Conſulatu, quo cœperunt, vſq; ad ipſius Cæſaris, & Craſſi Conſulatum, in quo ille triumphauit, non niſi viginti vnum numerari inuenies. His ego veſtigiis Liuij ſenſum perſecutus, *Alterum* pro *primo* interpretatus ſum, nō Grammaticâ, quam ille bonus ſcilicet Grammaticus ſequitur, loquendi ratione. ſed Liuianâ, quam ego indagaui, computatione adductus. Quibus rebus ita cōfirmatis, nunc, quæ contra dici poſſint, refellamus. *Trecenteſimus alter*, inquit, *decemuirûm annus non eſt trecenteſimus primus, ſed ſecūdus. nam ab eo anno vſque ad tribunos militares, qui trecenteſimo decimo anno iniſſe dicuntur, non niſi octo anni numerantur, cùm nouē eſſe deberent.* Reſpondeo, nihil noui aduerſus me afferri. ſenſi enim difficultatem, & quo pacto tolli poſſet, adſcripſi. nimirū, videri Horatium, & Valerium in alterum annum continuaſſe Conſulatum. idque Liuium ipſum etiam ſignificaſſe. Sed ſit hæc difficultas maxima, quâ mea expoſitio vrgeatur. quid? non ne eadē etiam ipſe premitur? Nam cùm primi Conſules anno ipſo ducenteſimo quadrageſimo quincto inierint, vt Liuius voluit, decemuiros in trecenteſimum ſecundum referre non poterit, niſi eadem ratione annum interijciat. vbi autem ſit interponendos, non apparet. nam ſi duos illos, de quibus diximus, interſeruerit; decemuiros in trecenteſimū tertium conferat, neceſſe eſt. Iam verò quod ait, *Alter dicitur de duobus, ergo trecenteſimus alter eſt trecenteſimus ſecundus*, reſpōdeo, ſi à trecēteſimo incipiamus, tum eum qui proximè ſequitur, alterum eſſe. ſequitur autem trecēteſimus primus. Sic dixiſſe Virgilium, *tu nunc eris alter ab illo* id eſt, ſecundus, ſi illum etiam annumeraris, primus autem. ſi poſt illum numerare incœperis. Hoc loco Seruij interpretationem opponit, qui exponit apud Virgilium, *annum alterum ab vndecimo*, decimum tertium, non duodecimum. Scilicet, quia decimus tertius propius abeſt à pubertate, quam duodecimus. Cui ego reſpondeo, ſi Seruius expoſitionem illam ſuam ſibi ratione corroborandam putauit; intellexiſſe alteram etiam poſſe probari. nam ſi conſtaret, annum alterū ab vndecimo non poſſe ſignificare, niſi tertium decimum, quid tam anxiâ illa opus erat expoſitione? confirmauit ergo id, quod facilè labefactari poſſe intellexit. ratio vero, quam affert, non cogit nos aſſentiri, vt omnino ille tertius decimus ſit. neque enim neceſſariam,

tiam, & certam aliquam annorum ſummam, quam euitare non poſſimus, adhibuit. Hæc dixi, non vt *Alterum* pro *ſecando* ſumi poſſe negarem, ſed vt Liuianum vſum oſtenderem, neque aliter fieri poſſe ab eo, qui integros eius ſeruare numeros velit, probarem. Quod ſi Robortellus omnes numeros Liuianos incolumes tuebitur, atque *alterum* pro *ſecundo* interpretabitur, aſſentiar. quod ei tamen facere iam integrum eſſe, non video. ſiquidem omnes corrupit, & pro quingenteſimo, ac ſexcenteſimo altero, quingenteſimum, ac ſexcenteſimum quartum repoſuit ſin autem numeris Liuianis euertendis mecum pugnare voluerit, eum non audiam.

Cap. XXXIII. *Et in vnicâ cõcordiâ inter ipſos, qui conſenſus in priuatis interdum vtilis eſſet.*] ſic ego. Vetus liber vnus habet *In priuatis*, alter *In priuatis conſilijs interdũ vtilis eſſet*. vt videatur legendum eſſe. *Qui conſenſus in priuatis interdum conſilijs vtilis eſſet*. Ad hæc Robortellus: *Omnes vetaſti libri, quos ego hactenus vidi, ſcripti ita habent: Et in vnica concordia inter ipſos, qui cõſenſus in priuatis interdũ inutilis eſſet. vnde pulcherrima ducitur ſententia ſi inter ſe conſentiant priuati homines; interdum id magno aliorum malo fieri.* Ego vero quod tum ſcripſi, ex libris ſcripſi. quam nunc etiam lectionem in libro Mureti inuenio ita. *Qui conſenſus priuatis interdum conſilijs vtilis eſſet.* cuius lectionis ſenſum videat, an non probet. Erat, inquit, ſumma aduerſus alios æquitas poſita in vnica inter ipſos decemuiros concordia. *qui conſenſus in priuatis interdum conſilijs vtilis eſſet*, id eſt, ſi priuati in cõſilijs capiendis ſecum ſæpe cõſentiant, eo modo, quo decẽuiri, qui erant in magiſtratu, inter ſe concordarunt, vtile futurum reip. neque enim ciuiles diſſenſiones, quas tum habebat in manibus Liuius, fuiſſe conſecuturas. Accommodat ergo Liuius ſententiam ad res Romanas, & ad illa turbulenta reip. tempora: & priuatorũ conſenſum non aliter, quam magiſtratuum, vtilem eſſe ait; verum non ſemper ſed interdum. nam ſi ſemper priuati conſentirent, multis nocerent, ſi interdum, reip. non obeſſent. Ille vero ait, ſi inter ſe priuati conſentiant, interdum id magno aliorum malo fieri.

Cap. XLIX. *Strictum etiam telum, reſperſuſque ipſe cruore tota in ſe caſtra conuertet.*] Ego cum in pleriſque libris ſcriptis inuenirem, *Strictum etiam telum tenens*, id quod nunc etiam in Mureti libro inuenio, & eum Dionyſium de eodem homine, & de eadem re loquentem vocem *Tenens* non omittere animaduerterem, neque omittendam mihi putaui. Dionyſius autem ita: τὴν μαχαιρίδα διὰ χειρὸς ἔχων, αἵματι πεφυρμένος ἅπας. id eſt, *manu cultrum tenens, totus ſanguine fœdatus.* Robortellus autem omittendam eſſe cenſet, *quia duo*, inquit, *admirationem afferebant militibus, primũ telum ſtrictum, deinde ipſe Virginius, qui erat reſperſus cruore.* Quod datur dictio, *Tenẽs*, ſe nõ videre ait, quo modo locum habere poſſit altera dictio, *Ipſe*; quæ alioquin vim magnam habet in illâ periodo. Ad quæ dico. Virginium duobus modis caſtris admirationem attuliſſe, & quod ſtrictum telum teneret, & quod ipſe ſanguine reſperſus eſſet. Quod autem ait, ſed non videre, vt vox, *Ipſe*, locum habeat; neſcio, quos oculos habeat, qui non videãt, aliud eſſe Virginium ſtrictum telum tenẽtem, aliud Virginium ipſum, quod multo maius eſt, reſperſum cruore. neque enim Virginius aut cum telo, aut nõ reſperſus attuliſſet admirationem, ſed cum ſtrictum teneret cultrum, & ipſe, nedum culter, eſſet reſperſus ſanguine, in ſe tota caſtra conuertit. Hæc ſi non videt, aut videre non poteſt, non eſt, quod in tantis veterum ſcriptorum tenebris ambulet, aut alijs lucem oſtendere cogitet, quam ipſe intueri prope cæcus non poſſit.

EX LIBRO VII.

CAp. II. *Impletas modis ſatyras deſcripto iam ad tibicinẽ cantu, motuq; congruenti peragebant. Liuius poſt aliquot annos, qui ab Satyris auſus eſt primus argumẽto fabulam ſerere, idẽ ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur cum ſæpius reuocatus vocem obtudiſſet, veniâ petitâ puerum ad canẽdũ ante tibicinem cum ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, qui a nihil vocis vſus impediebat.*] Horum verborum hunc eſſe ſenſum puto; Primum Ludiones ex Etruriâ accitos ſine carmine ad tibicinis modos ſaltaſſe; poſt verſus, ſed inconditos, & motus à voce non abſonos adiunxiſſe. Liuium autem Andronicum ſeparaſſe primum cantorem à ſaltatore, ita vt vnus hiſtrio caneret, alius ſaltaret: atque hoc ſimile ei eſſe, quod dixit Ariſtoteles in poetica, *Tragœdiam imitationẽ eſſe, quæ fieret rhythmo*, id eſt, ſaltatione, harmoniâ, & oratione aut cõiunctim, aut ſeparatim. Robortellus autem alio ſpectans, inquit *Ariſtotelem in eodem libro dixiſſe, Sophoclem auxiſſe numerum hiſtrionum. cum enim Aeſchylus ante primus auxiſſet vſque ad duos, Sophocles tertium addidit, ſicque inquit, tres hiſtriones primarum, ſecundarum, & tertiarum partium eſſe cœperunt. & Aeſchylus, quem ſcribit Ariſtoteles inueniſſe* λόγον πρωταγωνιστεῖν, *inuenit ſermonem hiſtrionis primarum partium, Sophocles vero tertiarũ.* Ego vero reſpondeo; neque illum, neque hunc locum à Robortello, aut à Glareano, qui Robortello aſſentitur, eſſe intellectum. priore enim loco de Tragœdiâ Ariſtotelem loqui, in qua Chorus idem & cantaret, & ſaltaret, hiſtriones autem canerent tantum, quod ex ſequentib. liquet. Liuiũ loqui de hiſtrionib. Latinis, qui cum antiquitus idem & ſaltarent & canerent, Andronici inſtituto vtrumq; munus diuiſerunt, vt canticum, quæ pars eſt fabulæ, alij ſaltarẽt. atq; hoc etiam olim factitatum Lucianus tradit in libro de ſaltatione, cum inquit: *Olim iidem & cantabant, et ſaltabant. deinde poſteaquam ſaltantium ſpiritus odam interrumpebat, præſtare viſum eſt, alios ipſis faccinere.* Quod vero de tribus hiſtrionib. ſcribit Ariſtoteles, id eſt tale. antiquitus Tragœdia ex choris ſolis conſtitit neque hiſtriones habuit, inde additi ſunt hiſtriones, qui cum choro negociarentur, vnus à Theſpide, alter ab Æſchylo, tertius à Sophocle, obſeruatumq; eſt, ne quarta perſona loqueretur. Hæc eliciuntur ex Athenæo lib. 14. vbi inquit: *Conſtitit vero et et Satyrica tota poeſis antiquitus ex choris, quemadmodum & tragœdia eius temporis. itaque neque hiſtriones habuerũt.* Item ex Diogene in vita Platonis ita ſcribente: *Antiquitas in tragœdiâ ſolus chorus agebat. deinde Theſpis hiſtrionem vnum, vt chorus interquieſceret, excogitauit, alterum Aeſchylus, tertium Sophocles.* atque ita tragœdiã expleuerunt. λόγον autem πρωταγωνιστεῖν non eſſe *ſermonem primarum partium*, ſed *prologum*, ſatis euidenter Madius, & Victorius ex ipſo Ariſtotele docuerunt.

EX PRIMO XXVI. & XXVII.

CAp. VI. *Galeria iuniorũ, quæ ſorte prærogatiua erat, Q. Fuluium, & Q. Fabiũ cõſules dixerat. eodem iure vocatæ reliquæ iaciliaſſent, ni.* Item. *Fuluius Romam comitiorũ cauſſa accerſitus, cum comitia conſulib. creãdis haberet, prærogatiua centuria iuniorum declarauit T. Manlium.*] In priorem locũ Glareanus ita ſcripſit: *Ego ſane, quid Galeria ſit, non intelligo. Si equitũ eſt ordo, fortaſſe à Galero nomen habet.* Hæc cum ego legiſſem, ſcripſi in hunc modũ: *Galeria nomen eſt centuriæ, vt Veturia.* Item: *Et hoc loco in veteribus libris eſt pro cẽturia*, ſic infra: *Redire in ſuffragiũ Veturiam iuniorũ*, item: *Veturiã ſeniorum citaret.* item: *Citatis Veturia ſenioribus. idque, vt ego cẽſeo, recte, eſt enim Veturia Centuriæ nomen, vt Galeria. cuius meminit lib. 27. his verbis. Galeriam iuniorũ, quæ ſorte prærogatiua erat.* Nũc vertit vitio Robortellus, quod ſine veterũ librorum auctoritate pro *Cẽturia* voce *Galeriam*, & *Veturiam* repoſuerim. addit deinde *Galeriam tribum*, non *centuriam* eſſe. nam centurias nomine caruiſſe. Ego vero dico, me *Veturiam*, & *Galeriam* ex antiquis libris hauſiſſe, atq; huius lectionis doctos omnes præter ipſum adſtipulatores habere. *Galeriam* autem, & *Veturiam* tribuum nomina eſſe illa quidem, verum cẽturiarum etiam eſſe poſſe. Nam cum ex tribu Galeriâ centuria prærogatiua eſſet educta, ſiue iuniorum, ſiue ſeniorum; fiebat, vt ipſa centuria nomen tribus adipiſceretur, & *Galeria iuniorum*, ſiue *ſeniorum* diceretur quod erat nihil aliud, quam dicere, centuria prærogatiua iuniorum, aut ſeniorum ex tribu Galeria educta. nam Cicero pro Plancio *prærogatiuam centuriam*, vnius tribus partem vocauit. atque idem dico de *Veturia*, & cæteris. Habent ergo centuriæ nomen, cum à tribu, vnde educuntur, id accipiant. Quamobrem quod addit, ſe putare, *me cum hæc ſcripſi ſomniaſſe:* ſcito, me vehementer gaudere, cum ſomnia mea multo,

Digitized by Google

quam ipſius vigiliæ, ſint meliora. neque enim, niſi ipſe vigilans dormientis ſimilis eſſet, *Galeriam*, & *Veturiam* centurias ex Lioiana hiſtoria ſuſtuliſſet. de quibus egregiæ Nicolaus Grucchius in libris de comitiis diſputauit.

EX EPITOMA XLIX.

D*Iti patri ludi Terentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno primo Punici, quingenteſimo, et altero ab V.C. facti erant.*] Ego cum ex ſcriptis libris correxiſſem: *Qui anno centeſimo primo Punico bello, id eſt, quingenteſimo, & altero ab V.C. facti erant:* Robortellus ex coniectura ita emendauit: *Qui ſexto decimo anno primo Punici belli*, improbauit autem vocem illam *Centeſimo*. quam ego confirmo in hunc modum: Bellū Punicum tertium Marcio, & Manilio Conſulibus cœptū eſt. anno altero, & ſexcenteſimo ab V.C. vt ſcriptum eſt in hac epitoma. iſdemq; Conſulibus, quarti ludi ſæculares ex Liuij ſententiâ, Cenſorino teſte, & epitomâ conſentiente, facti ſunt. ergo quarti ludi anno altero, & ſexcenteſimo ex Liuij ſententiâ facti ſunt. at tertij ludi P. Claudio, & L. Iunio conſulibus ex Liuij ſententiâ, vt ait Cenſorinus, facti fuerant, qui annus in quingeoteſimom primum ab V.C. incidit. ergo ludi ſæculares, de quibos agitur in epitomâ, centeſimo ante anno facti erant, ante tertiom bellum Punicum, cuius primo anno etiam facti eſſe dicuntur.

EX EPITOMA L.

P. *Scipio Aemilianus cum ædilitatem peteret, Cōſul à populo dictus, quoniam per decem annos fieri minime licebat, legibus ſolutus, & conſul creatur.* Ego quoniam legem de decem annis non obſeruari, niſi in iis, qui Conſules reficerentur, ſciebam: ea enim caueri, ne quis intra decem annos conſol reficeretur, cumque in ſcriptis libris legi animaduerterem, *Per annos*, numero *Decem* omiſſo, non dubitaui, quin germana hæc eſſet lectio, præſertim vero cum Scipionem tum XXXVII. annos natum ſcirem, id eſt, nondum ætate Conſulari præditum; de quâ legibos annalibus eſſet cautum. hanc autem lectionem, cum & librorum, & rationis auctoritate nitatur, tamen Robortellus temerè irriſit. Atqoe hi quidem ſunt mille illi, & ſexcenti Liuij loci, qoos me corrupiſſe Robortellus inſimolauit. quoſque primum ille, deinde Glareanus aduerſus me protulit. de quibus aliorum eſto, non noſtri iudicium.

FINIS.

IN PRIMVM LIBRVM
HISTORIARVM T. LIVII PATAVINI ANNOTATIONES,
EX VARIIS DOCTORVM LVCVBRATIONIBVS, COLLECTÆ,
PER GVLIELMVM GODELVÆVM.

Nouæ veteribus gratiora. PRÆF. *Feſtinãtibus ad hæc noua.*] Reſpexiſſe videtur ad illud Homericũ Odyſſeæ 1. Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ᾽ ἄνθρωποι Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται. quos ſic Eraſmus Latinè reddidit.

Cantio enim hæc hominum longe eſt celeberrima vulgo, Et gratiſſima, quæ nuperrima venit ad aures. Accinit huic Pindarus Olymp. Hymno 9. Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ᾽ ὕμνων νεωτέρων, ſentiens gratiores eſſe hymnos, qui res nuper geſtas celebrant, quam qui priſca tractant.

Eod. *Quæ ante conditam.*] Magnæ magnorum virorum ſuper hoc loco cõtentiones fuerunt, idq; non ſine cauſa, vt Petrus Nannius lib. 5. συμμίκτων ſiue Miſcellaneorum refert. Nam enim duo tempora Liuius ſignificet, in vnã tamen vicem ambo incidere videntur. ſiue enim dicas *ante conditam*, ſiue *ante condendam*, vtroque modo tempus, quod natalem vrbis anteceſſit, innuitur. Verum Nannius aliorum opinionibus cõmemoratis cenſet, *conditam* eſſe præteriti temporis, *cõdendam* præſentis, vt primum interuallũ temporis ea habeat, quæ antequam vrbs exiſteret: ſecundum, quæ in ipſa conſtituenda vrbe dum conditor, obtigerunt. atque ita in vicibus nulla erit perturbatio, nec exiguo ſine diſtinctæ erunt. Participia autem in *dus* eſſe præſentis temporis, ac paſſiuæ indolis, docetur à Thoma Linacro exiſto Vergilij:

Turne quod optanti diuûm promittere nemo
Auderet, Voluenda dies en attulit vltro. Vbi non diem quæ voluetur, & adhuc in futurum imminet, ſed præſentem diem quæ iam volueretur indicant.

Hiſtoriæ vtilitas. Eod. *Hoc illud eſt præcipue in cognitione.*] Hiſtoriæ vtilitas præcipua, periculis aliorum ſine ſuo periculo cautum ſapientemque fieri, exempla inde capere omnigena quæ ad vſum tuum qualibet in re traducas. Tranſlatus autem hic locus videtur à Polybio, qui in principio libri ait eſſe ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. ἐναργεστάτην δὲ μόνην διδάσκαλον, τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν, id eſt, *hiſtoriam veram diſciplinam exercitationemque ad res ciuiles eſſe, eamque ſolam ob exempla alienorum incommodorum effectricem & magiſtram, vt quis poſſit fortunæ varietatem æquo animo ferre.*

Dii in exordio cuiuſque rei inuocandi. Eod. *Nobis quoque mos eſſet.*] Innuit non itidem hiſtoricis, vt poëtis, in more eſſe, vt in initio operis Deos inuocent. At alios auctores in alia ſententia fuiſſe, ex eorum monumentis apparet. Nam Charondas Cathanæus in principio legum ſuarum ſtatuit, τοὺς βουλευομένους καὶ πράττοντάς τι ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρή. τὸ γὰρ ἄριστον ὥσπερ παροιμία φησὶ τὸν θεὸν εἶναι αἴτιον πάντων τούτων. *Conſultantes agẽteſque aliquid à dijs auſpicari debent. Optimũ enim eſt, vt parœmia fert, deum cauſam et auctorem eſſe illorum omnium.* prout Stobæus refert de legibus & conſuetudinibus, ſermone 42. Huic ſubſcribens Xenophon lib. 1. de pædia Cyri ait, πολλὰ γὰρ μεμνημονεύοντες ὁπόταν, οὐ μόνον τὰ μεγάλα, ἀλλὰ καὶ τὰ μικρὰ πειρώμενον ἀπὸ θεῶν ὁρμᾶσθαι ἀεί. *Illud minime ignoratis me non ſolum in magnis rebus, ſed etiam in paruis ſemper à diis immortalibus initium facere.* Et rurſus in Oeconomico: Καλῶς μοι δοκεῖς λέγειν, πειρώμενον ἐπειρᾶσθαι σὺν τοῖς θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου, ὡς τῶν θεῶν κυρίων ὄντων, οὐδὲν ἧττον τῶν εἰρηνικῶν, ἢ τῶν πολεμικῶν ἔργων. id eſt, *recte tu quidem mones omnem à Diis actionem potiſſimum auſpicari oportere, tãquam pacis ac belli ſtudijs imperantibus.* Et veteres omnib. reb. agendis deos præfari ſolitos Plato quoq; teſtatur, θεὸν δὴ πρὸς τὴν τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλώμεθα. ὁ δ᾽ ἀκούσειέ τε, καὶ ἀκούσας, ἵλεως εὐμενής τε ἡμῖν ἔλθοι συνδιακοσμήσων τήν τε πόλιν καὶ τοὺς νόμους. *id eſt, cum ciuitatis conſtitutionem inuocemus: ille vero nos audiat, exoratuſq; propitius ac beneuolus adſit, vna nobiſcum ciuitatẽ ac leges conſtituturus.* Et Aratus in Phænomenis: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ᾽ ἄνδρες ἐῶμεν Ἄρρητον. Quem Cicero lib. 2. de legib. imitatus, *à Ioue Muſarum primordia ſumenda tradit.*

Cap. 1. *Ius belli abſtinuiſſe.*] Æneam hîc nulla proditæ patriæ nota à Liuio aſpergi contra Seruium Grammaticum Chriſtophorus Landinus & poſt eum Glareanus hîc in annotationibus oſtenderunt. at non prætercundũ id quod Cœlius tradit, Æneam pietate in Deos ac parentem inſita clementer humaniterq; à victorib. Græcis tractatum, ac liberum abire cum domeſticis permiſſum bonis. De quo plura Cœlius lib. 19. cap. 23.

Eod. *Latinus rex Aborigineſq;.*] *Aborigines* appellati ſunt, quod errantes conuenerint in agrum, qui nunc eſt populi Romani. Fuit enim gens antiquiſſima Italiæ: Athenis quoſdam profectos Sicyonem Theſpiaſque ex quibus porro ciuitatibus ob inopiam domiciliorum complures profectos in extremas regiones, delatos in Italiam. eoſque multo errore nominatos Aborigines, auctor eſt Feſtus Pompeius. Obtinentibus autem regionem Aboriginibus, primi eorum cohabitatores fiunt Pelaſgi errabundi, profugique ex ea quæ tunc Æmonia dicebatur, nunc Theſſalia, in qua tempus quoddam habitarunt. Hæc ex Dyoniſio in principio. Diodorus Siculus in 5. dicit eo tempore quo Hercules ad eum locum venit, vbi nunc Roma eſt, Aborigines tenuiſſe, quod nunc palatium appellant, vrbem penitus paruulam incolentes. Porro & id exiſtimat Dioniſ. lib. 1. *Aborigines* dictos ἀπὸ τοῦ ὄρους, id eſt, *à monte*, quod montes ipſi incoluerint. Aborigines.

Cap. 11. *Qui Cære.*] Hanc vrbem alio nomine *Agillam* vocatam Cato & alij tradunt. Cur vero *Cære* ſit dicta, refert Seruius lib 8. Æneidos: *Agilla* (inquit) *ciuitas eſt Tuſciæ à cõditore appellata, cui ex inſcitia Romanorum Cære eſt inditum nomen. Nam cum Romani euntes per Tuſciam interrogarent Agellinos quæ diceretur ciuitas? et illi vtpote Græci, quid audirẽt ignorantes, & optimũ ducẽtes ſi prius eos ſalutarent, dixerũt χαῖρε, quam ſalutationem Romani ciuitatis nomen eſſe arbitrati ſunt, et detracta aſpiratione eã Cære vocarunt.* Citat Iginum auctorem in vrbibus Italicis. Cære vrbe Agilla.

Eod. *Aborigines Troianis.*] Dionyſius lib. 1. longe aliter hanc hiſtoriam refert. *Latinus* (inquit) *Aboriginum rex* Æneas à Latino in ſocietatem receptus.

nouorum aduenarum commotus aduentu, bellũ Troianis inferre decreuit: Sed per ſomnium à loci genio cõmonitus eſt, vt eos aduenas in patria regione ſuſcipiat. E diuerſo dij patrij Aeneam monẽt, vt amice à Latino ſe in ea regione ſuſcipi poſtulet. Longo vltro citroque ſermone habito inter Aborigines atque Troianos, huiuſmodi icta ſunt fædera, &c.

Eod. *Situs eſt quemcumque.*] Non temere eſt illa Liuij ὑπάλαξια, vt Nannius lib. 5. συμμίκτων exiſtimat, exhortentis numen Æneæ in diuos recepti euulgare. Summa autem proprietate de ſepulto *ſitum* dixit. Hinc etenim

Situs & Siticines. *Siticines* dicti, quod apud *ſitos*, hoc eſt, ſepultos canere ſolebant, idque ex antiquitate Capitonis Attæi, vt in noctibus Atticis ab Aulo Gellio memoratum inuenitur lib. 20. cap. 2. Nefas vero olim fuit indigitati & inter diuos recepti nomen edere, quod illis à conſecratione nouum indi ſolet, neque fas erat mortali diuinis nominibus vti, quod Iudæi ſeruant in ſuo tettagrammate, quod ab ipſis ἀνεκφώνητον dictum. id enim myſteriis latere debet. quamobrem olim taciti templa Heroum præterire ſulent, iram offenſi Herois metuentes niſi id facerent.

Iupiter Indiges indigetes. Eod. *Iouem indigetem appellant.*] *Indigetes* Dei antiquis vocati. Seruius in 12. Æneidos duplici ratione *indigetes* dici aſſeuerat, vel ſecũdum Lucretium quod *nullius rei egeant*, vel certe (ait) *indigetes, dei ſunt ex hominib. facti & dicti indigetes*. Alij, quaſi *in deis agentes*, qui ex hominib. ad diuinitatem peruenïſſent. Fuere qui *indigetes* putarent eos, quos *indigitari* hoc eſt vocari & nũcupari nefas eſſet, atque hos eos Deus fuiſſe, in quorum cuſtudia eſſent vrbes genteſque. Alij dicunt, ſi *indigitare* inuocare eſt, deos illos *indigetes* eſſe potuiſſe, qui inuocati faciles ſint, & præſto adſint. Alij ſunt qui putant *indigetes* appellari, quaſi *in loco vel geniti vel degẽtes*. & magis propitij patriæ, loco, & ciuibus. Gyraldus de hiſtoria deorum, ſyntagmate 1.

Albula, Tiberis. Cap. III. *Albula quem nunc Tiberim vocant.*] *Albula* ab aquarum colore. Deinde à Tibri Tuſcorum rege ibi occiſo Tiberis. Vide Plinium lib. 3. cap. 5. & lib. 36. c. 9. Cornelium Tacitum lib. 1. Annalium. Virgilium lib. 8. Ouidium lib. 2. Faſtorum: *Albula quem tiberis.*

Silvia Veſtalis Veſta. Eod. *Rhea Siluia cum Veſtalem eam legiſſet.*] *Siluia* cognomen ab Aſcanij filio, qui in ſiluis natus erat, accepiſſe conſtat, à quo omnes qui Albanorum regnum obtinuerunt, *Siluij* dicti ſunt. Quamquam Vergilius in 6. regib. Albanis à *Siluio Poſtumo* hoc cognominis datum putet. Ceterum ad Veſtam quod attinet, ea Saturni ex Ope filia fuit, dea virginitatis, cui Æneas poſt Troianum incendium, condito Lauinio ædem ſacrauit. Poſtea Aſcanius condita Alba, templum quoque in montis Albani vertice dicauit, De qua re Plinius lib. 16. cap. 2. lib. 28. cap. 2. lib. 34. cap. 5. Cicero lib. 2. de natura deor. Gellius lib. 1. cap. 12. Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 12. Cælius Rhodiginus lib. 15. cap. 16. 17. & 18. Flauius Blondus lib. 1. Romæ triumphantis. Seruius lib. 11. Æneidos. Ouid. lib. 6. Faſtorum, Lucretius lib. 2.

Auentinus. Eod. *Auentino fulmine ictus.*] Vnde mons *Auentinus* dictus ſit, nondum inter auctores conſtat. Næuius ab *auibus* dictum ſcripſit, quæ ab Tiberi in hunc montem cubitum volarint. Itidem Vergilius ſcribit, quod id nomen ante Euandri, & Herculis in Italiam aduentum habuerit. alij, vt refert Varro in libris de gente populi Romani ab *Auente* Sabinorum fluuio vocatum volũt, quibus in vrbem ſuſceptis, Romulus *Auentinum* habitandum conceſſit. Varro ad *aduectu* dictum aſſerit, hic enim mons ab alijs montibus & ciuitate olim paludibus & Tiberi excluſus fuit, vnde qui hunc montem adire volebant, ratibus aduehebãtur. Sunt qui ab *aduentu* quoque dictum putarint, quod Dianæ templum in eo ſacrum Latini frequentarent. Sextus Pompeius hũc

Murcius mons. Remoria. montem aliquando *Murciũ* vocatum ſit ſcribit: *Murcia deæ ſacellum erat ſub monte Auẽtino, qui antea Murcius vocabatur.* in cius ſummũ lucus erat, qui *Remoria* dicebatur, vbi Remus de vrbe condenda fuerat auſpicatus. Quem montem Romulus neminem paſſus eſt habitare, ſed ſacrum fratri eſſe voluit vſque ad Hylernũ. Appellatus quoque eſt à Dianæ templo *collis Dianæ*, Martialis lib. 12.

Collis Dianæ.

Cum tu forſitan inquietus erras
Clamoſa Iuuenalis in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ.

Romuli pater. Cap. IV. *Vi compreſſa Veſtalis.*] Dionyſius ita ait, *Cum Ilia Veſtalis* (ſic enim alij appellant eam quæ Liuio dicitur Rhea Siluia) *ad Martis lucũ iuiſſet aqua pura hauriendæ cauſa, in tẽplo compreſſa eſt. Sũt qui putent ab aliquo ex procis, nec deſunt qui dicãt ab Amulio ipſo patruo armato, qui cum amore eius captus eſſet. Martis ſpecie armatus, et incognitus cum ea rem habuit.* Alij à genio loci, alij vero à ſacerdote aliquo ſeu pontifice compreſſam aſſerunt. Onuphrius Panuinius Romulũ militis cuiuſdam filium fuiſſe credit, & quia milites ſub Marte eſſe exiſtimantur, idcirco Romuli patrem Martem dictum. Nec dubium à Marte compreſſam virginem ideo finxiſſe veteres, vt minor turpitudinis nota eſſet, & humanus quoque animus diuinæ ſtirpis fiducia res magnas audacius aggrederetur. Martis congreſſum graphice depingit Naſo lib. 3 Faſtorum, Cicero vero lib. 1. De natura deor. vt fabuloſum deridet.

Veſtalium delinquentium pœna. Eod. *Sacerdos vincta.*] Quidam virgis prius cæſam, & deinde ſecundum legem delinquentium Veſtalium viuo corpore ſepultam eſſe prodiderunt. De qua lege & conſuetudine Plutarchus par. 96. Problematum. Alexander ab Alexandro lib. 5. c. 12. Cęlius lib. 17. cap. 19.

Eod. *Aquam mitti iubet.*] Fabius Pictor & Dionyſius famulis exportandos dediſſe ſcribunt more veterum gentilium, qui infantes de quorum vita, moribus, rebus denique geſtis ſiniſtra habuerunt præſagia, clam expoſuerunt quo futurum euitarent malum, quorum catalogum lege apud Higinum fabula 252. Sabellicum lib. 1. cap. 1. exemplorum.

Defungi imperio. Eod. *Defuncti regis imperio.*] *Defunctos regis imperio* dixit eos, qui imperio regis ſatisfeciſſent, de qua loquẽdi forma Budæus eleganter in prioribus annotat. ad pandectas.

Ficus Ruminalis. Eod. *Ficus Ruminalis.*] *Ficus Ruminalis* ideo ſic dicta, vel quod æſtate ſub ea pecora frigora captantia, herbaſque vellentia *ruminabant*, vel à *rumine*. id eſt mãma, quam antiqui *rumen* dixêre, quod ſub ea pueri Romulus & Remus Lupæ rumina ſuxerint. Vnde Ouidius 2. Faſtorum:

Arbor erat, remanent veſtigia, quaque vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

De hac Plinius lib. 15. cap. 18. Plutarchus in Romulo. Tacitus lib. 4. annalium. Publius Victor de regionibus vrbis reg. 8. Marlianus lib. 2. c. 13. Annotatũ autem eſt hanc arborem ruminalẽ quæ in Comitio annis octingentis ac quadraginta & amplius virens perſeuerarat, Nerone imperante, ramalibus emortuis viſam exaruiſſe. Quod in prodigiũ abijt, donec in nouos reuireſceret fœtus. Cœlius lib. 11. cap. 12. lectionum antiquarũ.

Alueus pro nauigio. Eod. *Fluitantem alueum.*] *Alueum* hîc pro nauigio rudi & quocunque modo confecto capi tradidit Giraldus in lib. de nauigijs, & quem *alueum* hoc loco Liuius, Plutarchus *ſcapham* vocat. ſic Propertius:

Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?
Portabat ſanctos alueus ille viros.

Eod. *Lupam inter paſtores.*] *Lupam* voraciſſimum animal infantib. vbera præbuiſſe ſcribunt Fabius Pictor, Lucius Cincius, Porcius Cato, Calpurnius Piſo, Dionyſius Halicarnaſſeus, Plutarchus, Florus, Higinus Fab. 252. Virgil. lib. 8. circa finem, Propertius libr. 2. Eleg. 6. Ouidius lib. 2. Faſtorum & lib. 2. à principio: teſtatur quoque lupæ huius ſtatua in templo Romuli de qua Pomponius Lætus par. 99. Marlianus lib. 2. cap. 7. & lib. 2. cap. 12. Sed præter Liuium, hæc quoque fabuloſa videntur Euſebio in Chronicis, Lactantio lib. 1. cap. 20. diuinarum inſtitutionum, Eutropio & alijs aſſerentibus Laurentiam paſtoris vxorem, ob corporis quæſtum *Lupam*, hoc eſt, meretricem fuiſſe. vnde &

hodie meretricum cellulæ *lupanaria* dicuntur. Picum etiam autem Marti ſacratam, infantibus cibum dediſſe legimus apud Plutarchum, & Ouidium libro 3. Faſtorum.

Fauſtulus quis.

Eod. *Magiſter regij pecoris.*] Itidem Dionyſius ſcribit Plutarchus vero Amulij ſeruum fuiſſe putat. Ceterum quiſquis fuerit, ſtatuam Romæ meruit teſte Marliano lib. 3. cap. 17.

Laurentia Fauſtuli vxor.

Eod. *Laurentiæ vxori.*] Ab hac eadem deinde poſt aliquot annos Romulus ſpicca coronatus eſt, vt apud Plinium lib. 15. cap. 18. legimus. Eius ſepulchrum in Velabro Valerius Antias & Marlianus lib. 4. cap. 4. fuiſſe ferunt. Plura de ea vide apud Gellium lib. 6. cap. 7. Verum quę Romanorum hiſtoriæ de immoderata huius mulieris libidine ſcribunt, ad Floram inſignem Romanorum meretricem referre videtur Boccatius de claris mulieribus, cap. 62.

Palatinus mons.

Cap v *In Palatino monte.*] Variæ de *Palatini* montis denominatione ſententiæ ſunt. Varro lib. 4. de lingua Latina dictum putat, quod *Palantes cum Euandro iſtuc venerint, aut quod Palatini, qui et Aborigines ex agro Reatino, quod appellatur palatium, ibi conſederint.* Sed hoc alij à *Palatia* vxore Latini putarunt. Eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam, inter quos Sextus Pōpeius, quod ibi pecus paſcens *balare* conſueuerit, vel quod *palare*, id eſt, errare, ibi pecudes ſolerent, quod Propertius, & Ouidius aſſirmant. Alij quod Hyperborei filia in Palatio habitauerit, quæ ex Hercule Latinum peperit. Alij eundem quod Pallas ibi ſepultus ſit, exiſtimant appellari. Dionyſius vero lib. 1. eū à *Palantio*, vel vt Liuius & Vergilius, à *Palanteo* Arcadum metropoli ab Euandro vocatū ſcribunt, poſt corrupte *Palatium* dictum. Solinus autem: *Palatiū vero nemo dubitauit, quin Arcadas habeat auctores, à quibus primū Panteum oppidum conditū, quod aliquamdiu Aborigines habitarunt: Sunt qui velint eum dictum à balatib. ouium mutata litera, vel à Pale paſtorali dea, aut vt Silenus probat, à Palante Hyperborei filia, quam Hercules ibidem cōpreſſit, nomen monti datum.* Polybius cum à *Pallante* Euandri filio dictū fuiſſe ſcribit. Nunc *Palatium maius* dicitur. Huius montis pars Germali nomen habuit, alia vero Velia, in qua vbi poſtea deūm penatium ædes facta eſt, habitauit Tullus Hoſtilius rex. In hoc monte fuit ſedes imperij Romani, domuſque Auguſtana.

Lupercal Luperci.

Eod. *Lupercal ludicrum.*] Intelligit locum ſub Palatino monte ſacratum ab Euandro Pani Deo, qui *Lycius* vocatur. *Luperci* autē qui & *Fuuiani* & *Quintiliani* appellabantur, auctore Sexto Pompeio, à *Fanio* & *Quintilio* prępoſitis ſuis, ſacerdotes omnium vetuſtiſſimi fuerunt, ſolenni ex Arcadia tranſlato in Palatino monte inſtituti. De quibus Dionyſios lib. 2. Iuſtinus lib. 43. Varro lib. 4. de lingua Latina. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Lupercalia* itaque erant feſta quibus ad expiādos manes Pani Lyceo iuuenes Romani nudi canem & capram immolabant. Deinde facie ſanguine fœdata, ſe his pellibus cingebant, loriſque è pelle factis currebāt nudi, circa Palatium obuios quoſque coriis illis verberantes, & præſertim mulieres grauidas, quæ vltro obuiam occurrebant, facilem partum percoſſione ſperantes. De qua re Ouidius Faſtorum 2. Meminit *Lupercalium* etiam Plutarchus in Romulo. Complura de hiſce habet Gyraldus hiſtoriæ Deorū Syntag. 17. ſub cap. de celebritatibus & feſtis.

Inuus.

Eod. *Romani vocant Inuum.*] Idem quod hic Liuius, ſcribit quoq; Probus in commentariis Georgicorum: *Pana Latinis Inuum dictum, eiuſq; ex Arcadia religionem ab Euandro illatum.* Gyraldus ſyntagmate 15. *Inuum* dictū putat ab *ineūdo paſſim cum omnib. animalibus.* Omnium vero vetuſtiſſimi ante vrbem conditam ab Euandro Arcadum rege ſolenni ex Arcadia tranſlato, *Inui* ſacerdotes, nouiſſimi omniū Anaſtaſio Imperatore, & Theodorico Amalo Gotthorum rege in Italia regnante, aboliti circiter annum Chriſti cccxcv. Horum meminit Varro lib. 3. de lingua Latina, Dionyſius lib. 1. Ouid. lib. 2. Faſtorum, Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Iuſtinus lib. 43.

Eod. *Solenne votum eſſet.*] Sic legendum eſſe, Robortellus lib. 1. emendationum cap. 56. annotauit & hic *ſolenne* ſubſtantiuum eſſe, vt & tertio ante verſu: de quo vide eundem.

Tempus vrbis conditę.

Cap. vi. *Vrbis condendæ.*] Et de auctore & tēpore vrbis conditæ, tam variæ multipliceſque hiſtoricorum ſententiæ extant, vt quam quis amplecti debeat, merito dubitare poſſit. Quas qui videre voluerit, adeat commentaria Onuphrij Panuinij ad Faſtos conſulum Romanorum & commentaria eiuſdem de repub. Romana. Non contemnenda quoque tradit de primordiis vrbis Solinus, cap. 2. Cuius tamen opinionem de motu ſiderum in natalitio vrbis die, refellit Ioachimus Vadianus in Pomponij Melæ lib. 2. cap. 1. Commentariis.

Templa in auguriis quid.

Eod. *Templa capiunt.*] *Templa* regiones ſunt aut agri, certo carmine ab augure lituo finiti & notati, vnde in omnes cæli partes ad augurium captandum liber erat aſpectus, in tantum, vt interdum augures ea, quorum altitudo auſpiciis obeſſet, demoliri iuberent. Ideoque ſummiſſiorem aliis ædem honoris C. Marius fecit, ne ſi forte officeret publicis auſpiciis, augures eam demoliri cogerent.

Vultur cur auguriis accommodus.

Cap. vii. *Sex vultures.*] In auguriis vulture plurimum vſi veteres, cum auium fere omnium innocentiſſimus, cum non ex his quæ ſeruntur aut plantantur, ſed ex cadaueribus tantum ſibi victum quęrat, & hinc Herculem quoq; lætari ſolitum, apud Herodotum legimus, ſi in re gerenda vultures ſeſe oſtendiſſent. De quorum augurio Cælius lib. 28. cap. 8. Plinius lib. 10. c. 6. & lib. 20. cap. 7. Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 13. Volaterranus lib. 25. cap. 10. Vectij vaticinium autem de Romani imperij perſeuerentia ex vulturum duodecim vaticinatione ex Varronis antiquitatibus refert Cælius lib. 27. cap. 8.

Eod. *In turba ictus Remus cecidit.*] Idque vt Dionyſius ait, Fabio Celere murorum præſide, aut Plutarchus Romuli duce. Alij Remum in contentione augurioriorum interfectum, alij ab ipſo Romulo confoſſum eſſe, memoriæ prodiderunt. Plinius de viris illuſtribus à Fabio Celere interfectum ſcribit, cui aſtipulantur Plutarchos, Eutropius, Meſſala Coruinus & Ouidius lib. 4. Faſtorum. Sed quocumque demum caſu interierit, nouæ vrbis munitionem auctore Romulo ſanguine ſuo conſecrauit, vt canit Lucanus libro Pharſaliæ primo: *Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.*

Eod. *Tranſilet mœnia mea.*] Hanc legem ex honeſtatis fonte nequaquam fluxiſſe, Cicero lib. 3. officiorum oſtendit copioſiſſime, cum magis vtilitatis, quam honeſtatis cauſa lata eſſe videatur.

Romæ nomen vnde?

Eod. *Vrbs conditoris nomine appellata.*] Recte quidem hæc omnia. *Romam* autem, & non *Romulam*, idcirco vrbem Romulus vocauit, vt ampliore vocabuli ſignificatu proſperiora patriæ ſuæ ominaretur. Alterum quoq; vrbs nomen proprium habuit, vt Plinius & Solinus ſcripſerunt, quod publicari vetitum eſt: quandoquidem quo minus id enunciaretur, cæremoniarum arcana ſanxerunt, vt hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium quoq; Soranum, quod optima atq; ſalutari fide abolitum, atque contra interdictū euulgare id auſus foret, ob meritum profanæ vocis pœnas luiſſe. Onuphrius.

Cacus.

Eod. *Nomine Cacus.*] Caci huius hiſtoriam ſiue mauis fabulam ſcribunt Dionyſius lib. 1. Strabo. lib. 5. Virgilius 8. Æneidos, Ouidius primo Faſtorum Propertius lib. 4. Eum Diodorus lib. 5. *Lacinium* furem appellat. Columella autem malum vicinum, vide Seruium 8. Æneidos.

Carmenta.

Eod. *Carmentæ matris.*] Hęc ab oraculis θεσπιῳδὸς Græce dicta teſte Dionyſio. Latine vero *Carmentis*, vnde Ouidius in Faſtis: *Ipſa mone quæ nomen habet de carmine dictū.* De hac Dionyſius Halicarnaſſeus in primo hiſto-

riarum ait, *Euandro & Carmenti quotannis ſacra facta fuiſſe: Carmenti quidem ſub Capitolio ad Carpentalem portam, Euandro vero in Auentino à porta Trigemina non procul.* Hæc eadem & Nicoſtrata & Themis dicta fuit.

Potitij & Penarij.

Eod. *Iiſq; exta apponerentur.*] Petrus Nannius libro 5. *συμμίκτων* ex Buſſidiani & Arrebatenſis exemplarium auctoritate legẽdum putat, *iiſque exta potirentur, Pinarij ad ceteram dapem veniret.* Eamq; lectionem omnino caſtigatiorem arbitratur. Per tropum enim ἐτυμολογικὸν originationes eorum vocabulorum doceri exiſtimat. Nimirum quod alteri à *potiendo Potitij* ſint dicti, alteri ἀπὸ τοῦ πεινᾶν. Nec remorari nos debere putat, quod alterum ſit Græcum, alterum Latinum. Veriſimile enim eſſe aduenas & ſua, & indigenarũ lingua locutos eſſe ve fere ſemper fieri ſolet. Alij *Potitios* à *potando*, id eſt, ἀπὸ τοῦ πίνειν dictos tradunt, ſicuti *Pinarios* ἀπὸ τῆς πείνης. Pinariorum enim familia tantum miniſtra erat, epulantibus Potitiis & complentibus ſacra. Porro autem quãdo omne genus Potitiorum interierit, docet Liuius lib. 9. & Valerius lib. 1. cap. 2.

Terræ filij.

Cap. VIII. *Natam è terra ſibi prolem.*] *Terræ filios*, ignobiles, & quorum genus ignoretur appellati Cæcilius, Minucianus, Apuleius in libro de Ortographia ſcribit. Florens Septimius in Apologetico *terræ filios* dictitari vulgo aſſerit, quorum ſit incertum genus: ſicuti ignotos item aut ex inopinato apparẽtes, *de cælo* ſuperuenisse dicunt, de quo plura Cælius lib. 10. cap. 28. lect. antiq.

Aſylum.

Eod. *Aſylum*] Primum Cadmus dum Thebas conderet in Græcos aſylum aperuiſſe fertur, ad quod fugientes ſine diſcrimine ſerui aut liberi ab omni pœna tuti erat. Nonnulli à prognatis Herculis Aſylum Athenis primo inſtitutum ferunt, ad quod à patribus oppreſſis confugere fas erat, de quo Herodotus lib. 2. Poſt quod in Rhetæo littore Aiacis fuit Aſylum, & in Sigæo Achillis, quorum exemplo Romulus ſuum Aſylum aperuit ad lucum opacum & vallem inter Capitolium & arcem, meminit eius præter Liuium Dionyſius lib. 2. Lanctantius lib. 2. cap. 7. Eutropius lib. 1. c. 4. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20. Volaterranus lib. 19. cap. 2. Virgilius lib. 8. Ouidius lib. 3. Faſtorum. Iuuenalis Satyra 8. Propertius lib. 4. eleg. 5. Horatius lib. 1. Od. 12. Hoc autem Romuli Aſylum malefaciendi anſam ratus Tiberius poſtea irritum fecit.

Iuſtitia & legibus ciuitates coaleſcunt.

Eod. *Præterquam legib. coaleſcere poterat.*] Nulla re magis ſocietas hominum conſeruatur, & tranquilla eſt, quam iuſtitia, vt in Protagora dicitur: *Ζεὺς δείσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί.* hoc eſt, *Deus metuens, ne totum genus humanum interiret donauit hominibus pudorem et iuſtitiam, vt eſſent ciuitatum ornamenta & vincula, et amicitiæ cõciliatrices.* Et in quinto de legibus iuſtitiam nominat, ἔρεισμα πόλεως, hoc eſt, *fulcrum* ſeu *anchoram, quæ ſuſtentet ciuitatem.*

Patres cur dicti ſenatores.

Eod. *Patres certe ab honore.*] Plutarchus in vita Romuli alias cauſas, cur ſenatores *patres* appellati ſint, commemorat; nimirum quod vel liberorum legitimorum patres eſſent, vel quod ipſi ſuos patres oſtendere poſſent, id quod non multi eorum, qui primi in ciuitatem confluxère potuerunt. Quidam à *patronatu* nomen dictum exiſtimant. Sic enim tunc vocabant præfecturam, & nunc etiam vocant. Dionyſius autem ſcribit illuſtriores genere, ſpectatæ virtutis, ditioreſque ac natu grandiores, *patres* Romulum appellaſſe. *Patres* autem dictos ob ætatem. nam ex populo ſeniores erant, vel ob curæ ſimilitudinem, vel quia agrorum partem tribuebant tenuioribus, perinde ac liberis propriis, & eos ſuæ curæ commendatos, atq; in clientelam ſuſceptos tamquam patres tuebantur. Horum autem progenies *patricij* dicti, perinde ac plebeiorum patricij. Porro ex patribus hac ratione centum legit Senatores, quorum conſilio rempub. adminiſtraret. Primo tres ex ſingulis curiis quæ triginta erant, lecti, factique nonaginta: deinde tres ex ſingulis tribubus, & vnus à Romulo, nominati, qui centum numerum explerunt. Centum autem ideo tantum creauit, vel quia is numerus ſatis erat nouæ & paruæ ciuitati, ſiue quia ſoli centum erant qui creari Senatores poſſent. *Senatores* autem propter ſenectutem, cum vetuſtiſſimi patriciorum eſſent, ſiue ab honore & virtute appellauit. De Romano ſenatu ex paſtoribus, vel nouis hominibus collecto ita ſcribit Propertius:

Centum ſenatores. Senatores cur ita dicti.

Curia prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit ruſtica corda patres.
Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites,
Centum illi in prato ſæpe Senatus erat.

Patriciorum & ſenatorum differentia.

Patriciorum autem & Senatorum numerum Sabinis intra vrbem receptis, centum ex eiſdem additis Romulus duplicauit, ducentoſque Senatores fecit. Hic autem nõ eſt prætereunda, quæ inter Dionyſium & Liuium eſt controuerſia. Dionyſius enim ait Romulum patricios primo, deinde centum ex patriciorum primoribus, qui numero longe plures erant, Senatores feciſſe, ita, vt vere dici poſſet, Senator eſt, ergo patricius: non econtra patricius, ergo Senator, quum ex Dionyſio nõ omnes facti patricij Senatores lecti eſſent. Quorum poſtea numerum Sabinis intra vrbem receptis duplicaſſe idem ſcribit. Liuius vero centum tantum patricios à Romulo factos fuiſſe, prodit, quos etiam Senatores fuiſſe refert, Romulique ſecundam ex Sabinis lectionem omittit. Hos autem à Romulo prima lectione patricios creatos eos eſſe conſtat, qui maiorum gentium dicti ſunt. Qui vero à reliquis regibus, Brutoque primo conſule minorum gentium. De quo plura Onophrius Panuinius in commentario libri 1. Faſtorum, de Patriciis & Senatoribus.

Conſualia.

Cap. IX. *Conſualia vocat.*] Fuit *Conſus* cõſilij Deus, cuius ara in Circo maximo vndique aggeſta humo abdita erat, quod arcanum eſſe conſilium putarent, quam aram cum ludos celebrarent, omnibus adire fas erat; in qua Romani ſacrificiis igneis aliiſque ſolennibus feſtos dies agere conſueuerunt. quæ *feriæ publicæ* dictæ ſunt. Erat autem ludus, vt equi & muli iuncti & ſoluti in circo maximo, magno ſpectantium ſtudio currerent. Indicta vero fuiſſe conſualia finitimis populis à Romulo anno imperij quarto Dionyſius Halicarnaſſeus tradit, eoſque etiam ſua ætate ludos fieri ſolitos dicit. Lucius Tarquinius annuos eos fecit, qui iidem & *magni* & *Romani* vocantur. De qua re Terentius Varro lib. 5. de lingua Latina. Alexander ab Alex. lib. 5. cap. 26. Blondus lib. 2. Romæ triumph. Volaterranus lib. 29. cap. 11. Ouid. lib. 3. Faſtorum. Notandum tamen, pleroſque eſſe, qui dum diis Laribus Romani ludos celebrarint, Romulum Sabinas rapuiſſe dicant.

Ludi Romani magni.

Eod. *Signoque dato.*] Erat autem ſignum, aggrediendæ rei opportunitatem adeſſe, cum Romulus aſſurgẽs, purpuram in ſinus contractam explicaret, vt apud Plutarchum legimus. Sextius vero Syllus Carthaginienſis Thalaſſij nomen direptionis ſignum fuiſſe prodidit.

Raptus virginum.

Eod. *Rapiendas virgines.*] Hinc à Romulo inſtitutũ videtur, vt poſtea non vero, ſed ſimulato quodã raptu omnis legitimi connubij ritus perageretur. Id quod innuiſſe videtur Feſtus, cum ſcribit: *Rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum trahitur, quod videlicet ea res feliciter Romulo ceſſit.* Rapiundę autem vi ſimulata virginis, quinã olim ritus fuerit, eleganter ex lib. 4. Apuleij de aſino aureo expoſuit Iac. Renardus ad leges XII. tabularum, cap. 21. Porro qui fuerit raptarum numerus inter auctores non conuenit. Quidam enim non vltra triginta fuiſſe tradunt, quæ curiis nomina dederint. Nonnulli quingentas, plerique ſeptem & viginti, vt Valerius Antias. Alij ſexcentas & tres ſupra octuaginta, vt Iubas & Dionyſius. De hoc autem facto præter citatos lege Oroſium lib. 2. cap. 4. Plinium lib. 15. cap. 29. Auguſtinum lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 13. de ciuitate Dei. Virgil. lib. 8. Ouidium lib. 3. Faſtorum, Alexandrũ ab Alexand. lib. 5. cap. 16. Strabonem lib. 5.

Raptarum numerus.

Thalaſſius.

Eod. *Thalaſſij.*] Iuuenis, vt Plutarch. ait, probi & ſplẽdidi, Romulique ducis.

Eod. *Nuptialem hanc vocem.*] Sicuti Græci, *ὑμὴν ὦ ὑμέναι ὦ ὑμήν*, qui felices coniugio fuere. De qua Romanorum cõſuetudine, vide Plutarchum quoq; in Cneio Pompeio, & Problemate 30. Blondum libro 8. Romæ triumphantis. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 5.

Acron rex.

Cap. x. *Regem in prælio obtruncat.*] Acronem nimirũ hominem vehementem & rebus bellicis pariter audacem, qui magna militum copia in Romanum agrum impetum fecerat, de quo lege Plinium Secundum, de viris illuſtribus. Valeriũ Maximum lib. 3. c. 2. Volaterranum lib. 16. cap. 1. Anthropolog.

Iupiter Feretrius.

Eod. *Iupiter Feretri.*] Diuerſas huius cognominis rationes adferunt. Alij enim à *ferendo* cognominatum putant, alij à *feriendo*, ad quod Propertius in quarto oſtendit. Plutarchus à *feriendo hoſtem.* Feſtus *Feretrium* dictũ putat. quod *pacem ferre* putaretur, cum ex templo eius ſumerẽt ſceptrũ, per quod iurarent, & lapidẽ ſilicẽ, quo fœdus ferirent. Oliuerius Arziganenſis in Valerij Maximi cõmentariis, à *feretro* inſtrumento, quo ſpolia opima ſuſpendebantur, dictum putat. Alij quod per eius ſceptrũ & ſilicem iurantes, Romani pacem referre ſoliti ſint. De qua conſuetudine Alex. ab Alex. lib. 1. c. 14.

Opima ſpolia.

Eod. *Opimis ſpoliis.*] *Opima ſpolia*, vel ab *opibus*, vt ait Varro, vel ab *inuicto opere*, cum victoribus tantũ laudis acceſſerit, nomina ſũpſere, ſeu quod fidei propius eſt, *opima ampla* dici, ſicut *opimam prædam* & *opimum bouem* dicimus. Quæ niſi duces regeſq; quorum auſpicio res geruntur, ſuiſmet corporibus dimicantes, hoſtium ducibus detraxerint, necemque & exitiũ intulerint, haudquaquam opima dici voluere. Ter autem opima ſpolia delata ſunt tantum. Primo à Romulo. Deinde à Cornelio Coſſo. Tertio à Claudio Marcello. Qua de re Plutarchus, & Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14.

Iouis Feretrij templũ.

Eod. *Templi origo.*] Fuit vero Feretrij Iouis templum in vertice Capitolini montis, exiguum ſane & anguſtũ, ſed religione ſanctiſſimum, cuius tecta multos poſt annos ob vetuſtatem & Romanorum negligentiam collapſa reſtituit Auguſtus, ampliauit etiam poſt Romulum Ancus Marcius. Vide Marlianum lib. 2. cap. 3.

Capitoliũ.

Eod. *Capitolium aſcendit.*] *Capitolium* à capite hominis à Tarquinio Priſco ibi inuento dictum eſt. de cuius diuerſis nominibus & ſtructura Plinius libro 19. cap. 1. & lib. 7. cap. 28. & libro 36. cap. 6. Publius Victor de regionibus vrbis reg. 8. Alexand. ab Alexan. lib. 6. c. 11. Cælius lib. 23. cap. 6.

Sabini vnde dicti.

Cap. xi. *Sabinis.*] *Sabini* Italiæ populus à Deorũ cultu nomen accipiẽs, quaſi *Sebini, ἀπὸ τοῦ σέβειν*, vel à *Sabo* duce, vt eſt apud Silium Italicum, lib. 8. Vide Plinium lib. 3. cap. 12. & lib. 36. cap. 15. Volaterranũ lib. 6. c. 2. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 26. Cælium lib. 7. cap. 9.

Tarpeia virgo.

Eod. *Filiam virginem.*] Veſtalem, quã Dionyſius Spurij Tarpeij Capitolini præſidis filiam, Antigonus vero & alij quidam, Sabinorũ regis filiam fuiſſe tradiderunt, cuius factum deſcribunt Ariſtides Mileſius, de reb. Italicis. Plutarch. c. 31. Paral. Valer. Maximus lib. 9. c. 6. Volater. lib. 19. c. 2. Virgil. lib. 8. Ouid. lib. 1. Faſtorum Propertius lib. 4. eleg. 4.

Eod. *Aquam.*] Ad fontem videlicet Veſtalib. ſacrum, ex quo aquam haurientes ſacrificia mundant, manus & pedes lauant, adytumque aſpergunt. Qua de re Plutarchus in vita Numæ Pompilij. Qua ratione autem, quibusve cæremonijs aqua ſacrificiis adhibita ſit, docet Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17.

Proditio mala.

Eod. *Prodendi exempli cauſa.*] Proditio ex genere earum quæ *malæ* prouerbialiter appellãtur. De qua vide Eraſmum in prouerbiis, *Mala proditio.* Tarpeiæ vero virginis factũ alij in malam, alij in bonã partem interpretantur. Fabius Pictor enim & Cincius auri cupidine motam, illud quod ſiniſtris manibus habebant, petiiſſe ferunt. Lucius vero Piſo Cenſorius, clypeos quos cõtra vim hoſtium ſiniſtris manibus tenebant, efflagitaſſe exiſtimat, vt nudatos iam hoſtes ſuis interficiẽdos traderet. Verum autem verius ſit, ex eo colligimus, quod non tantum honeſtiſſime à Romanis, vt Plutarchus ſcribit, ſepulta, verum etiam Tarpeius mons ab ea denominatus. Qua de re Plutarchus, Dionyſius & Marlianus lib. 2. cap. 1. Porro Petrus Nãnius lib. 5. Miſcellanorũ pro *decreto, directo* legit ex libro Buſſidiano, eamque lectionem veram arbitratur. Opponitur enim hæc dictio ambagioſæ illi petitioni, qua vel arma, vel armillas poſcere videbatur, dum paciſcitur, vt id ſibi traderent, quod in ſiniſtris manibus habebant. Nunc autem plane explicitis verbis arma petit, quamobrem non auara, ſed inſidioſa eſt habita, tamquam quæ illos nudos hoſti obiicere vellet.

Tarpeius mons.

Armillæ.

Eod. *Aureas armillas.*] *Armillæ* ab *armo* dictę, ſuprema brachij parte in humeros collumq; vergẽte, quam partem argenteis aureiſq; tegminibus fabrefactis milites ornabant, quod in ſtatuis nunc marmoreis, & aliis veterum ſcalpturis apparet. Sic legimus infra lib. 10. Papyrium Curſorem conſulem, Papyrium filium, item quatuor centuriones manipulumque haſtatorum *armillis; aureiſque coronis* donaſſe.

Eod. *In ſiniſtris manibus eſſet.*] Græcos olim annulos in digito, qui minimo proximus eſt ſiniſtræ manus, habuiſſe legimus, quod inſectis humanis corporibus, olim neruum quendã tenuiſſimum ab eo digito ad cor hominis tendere animaduerterint. Vnde quod quaſi connexus eſſe cum principatu cordis videretur, hunc ſiniſtræ manus digitum tali honore decorandum veteres putarũt, cuius rei auctor eſt Appion in libris Ægyptiacis. Gellius lib. 10. c. 10. Plin. lib. 33. c. 1.

Proditores regibus ingrati.

Eod. *Armis necauere.*] Huc pertinent Octauiani Auguſti, & Antigoni quoque apophthegmata, qui dicebant, *proditores quidem dum proderent amandos; poſt factũ vero ſummo odio proſequendos eſſe.* Significantes his qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ, licet officiũ quod præſtant, pro tempore gratum ſit. Similẽ autem de pœna proditionis hiſtoriam ex Clitophontis libro rerum Gallicarum 1. leges apud Plutarch. cap. 30. Paral.

Hoſtius Hoſtilius.

Cap. xii. *Hoſtius Hoſtilius.*] Tulli Hoſtilij tertij Romanorũ regis auus & Herſiliæ maritus.

Eod. *Cecidit.*] Apud portam veterem Pallatij quidam cecidiſſe ſcribũt. Plutarchus vero apud lacũ Curtium, qui fuit in medio foro iuxta Domitiani poſtea equum: vide Marlianum lib. 3. c. 18. Topograph. & Pul. Victorem in regione octaua vrbis.

Iupiter ſtator.

Eod. *Statori Ioui.*] *Iouem ſtatorem* plerique à *ſtando* dictum volunt, hoc eſt, erigendo. conciderent enim in ea clade plane Romanorum animi. Diuus autem Hieronymus contra Iouinianum, quod *numquã ocioſus ſedeat. ſed ad ferendã opem omnib. paratus ſit.* Seneca vero libro de beneficiis tertio, ideo quod *eius beneficio ſtent omnia, ſtatoris nomen ſibi vendicare* exiſtimat. De qua re Laurẽtius Valla, lib. 5. c. 6. elegantiarum multa.

Eod. *Templum.*] Id Palatini montis radicibus è regione ædis Concordiæ, olimq. Ciceronis domus, quæ iuſſu Clodij demolita, & in porticum libertatis tranſlata fuit, cuius templi etiam hodie ſpondę murorum altiſſimæ videntur. De quo Plin. lib. 34. c. 6. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 11. Ouid. 6. Faſtorum.

Sabinæ mulieres pacis conciliatrices.

Cap. xiii. *Sabinæ mulieres.*] Sabinarum virginum orationem vt doctam, ita commiſeratione & affectib. plenam pene ex Plutarchi Romulo, Naſonis præterea libro 3. Faſtorum. ſimilem autem muliebris fortitudinis hiſtoriam legimus de Celticis mulieribus, quæ per media hoſtium agmina irruentes, precibus & lachrymis pacem conciliarunt ſuis apud Plutarchũ cap. 6. de claris mulieribus.

Cap. xiv. *Fœdus faciendum.*] In via ſacra, Carinis & viæ ſuburę proxima. explicatio vero fœderis, quod erectis aris iuramento firmarunt, eſt apud Dionyſium, Plutarchũ & Eutropium, lib. 1. c. 4. à quib. in eo tantũ diſſentit Liuius, quod Romulum & Tatium in ipſo belli ardore congreſſos, & de pace collocutos arbitratur.

Quirites vnde?

Eod. *Quirites à Curibus.*] *Curib* antiqui oppidi Sabinorum

nlim, teſte Volaterrano lib. 6. cap. 5. Geographię, patria quoque Tacij & Numę.

Cur earum nomina vnde?

Eod. *Nomina eorũ curijs impoſuit.*] Hãc opinionẽ Liuij nimirũ quod *curiæ* à raptis mulierib. Sabinis nominatæ ſint, auctore Varrone, Dionyſius, & poſt eũ Plutarchus ita refutarunt, vt eas partim à locorũ, partim à virorũ nominib. appellatas eſſe appareat. Quare, qui vlterius quid cognoſcere cupit, eos auctores adeat. Varro tamen de curiarũ nominib. diuerſa prodidit, eos ſecutus, qui prius hæc nomina indita fuiſſe putarunt.

Centuriæ equitum.

Eod. *Centuria tres equitum.*] Quarum opera in omni Rep. vtebatur. Erat autẽ equeſtris ordo, etſi Senatorio minor, magnæ tamẽ amplitudinis & vigoris, vt legimus apud Dionyſium, Ser. lib. 9. Aſconium Pædianum in ſecunda actione Verrina. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 29.

Luceres vnde dicti.

Eod. *Lucerum nominis.*] Auctor de viris illuſtrib. à *Lucumone Thuſco*, qui Romulo aduerſus Tatiũ Sabinorum regem pugnanti auxilium tuliſſe fertur, Luceres appellatos putat. Sed Feſtus ait quoſdam fuiſſe, qui non tam à *Lucumone*, quam à *luco*, in quo vrbs Roma, aut prima eius pars aſylũ fuit conditum, dictos exiſtiment. In qua ſententia etiam eſt Pædianus, qui *Luceres à luco aſyli* dictos ſcribit. Coniecti enim erant in hanc centuriam Tuſci, Latini, & reliqui omnes qui ad aſylum confugerant, vt etiam præter Pædianum, Plutarchus teſtatur. Sunt præterea qui à *Luceo* Ardeæ rege *Luceres* dictos putent. Quod vero Liuius Lucerum nominis & originis incertã eſſe cauſam putet, id Sigonius ita accipiendũ arbitratur, non quod nullam ipſe tenuerit, ſed quod incertam eam diuerſos feciſſe auctores exiſtimarit.

Cap. XIV. *Quique cum eo equites erant.*] Petrus Nannius li. 5. *miſcellan.* annotat in vetuſtis libris legi, *quique cum eo equis ierant*, eaque lectio ei paulo vetuſtior videtur.

Cap. XV. *Viribus nulla parte adiutis.*] Nãnius loco præallegato *nulla arte adiutis* legendũ arbitratur, vt intelligas Romulum aperta vi, ſine vllo ſtratagemate hoſtem viciſſe. Facilis ſiquidem in tam affinibus vocibus *parte*, & *arte* lapſus fuit.

Celeres.

Eod. *Celeres appellauit.*] *Celeres* vocati plures ſcribunt ab exequendi miniſterij celeritate. Prõpti enim veloceſq; ad opera erant, quos Romani *Celeres* vocant. Vt autem Valerius Antias memoriæ prodidit, dicti fuere *Celeres*, à primo eorum duce *Fabio Celere*. præerat namq; ipſis dux etiam clariſſimus, cui tres ſuberant centuriones, & ſub eis alij inferiores magiſtratus, qui per vrbem ſequentes eum cum telis, miniſtri eorũ quæ iubebãtur erant. Fabio vero *Celeris* cognomen ideo datũ volunt,

Fabius Celer.

quod Remo occiſo celerrime in Hetruriam aufugit, ne à Remi fautoribus quoque interficeretur. Hic enim vt Dionyſius ait, murorũ vrbis Romæ præſes, aut, vt Plutarchus, Romuli dux Remum, contra edictum Romuli, muros vrbis tranſilientem raſtro fertur occidiſſe, vnde profugus factos à celeritate *Celeris* nomẽ cõmeruit. Sic & à velocitate Metellus *Celer* cognominatus eſt, vt legere eſt apud Plutarchũ in Metello, & Cœliũ quoq; libro viceſimoquarto, c. 6. Porro hoſce Celeres à Numa, teſte Plutarcho, ſublatos alij reges reſtituiſſe videntur. Siquidẽ L. Brutus L. Superbo regi præfectus Celerum fuiſſe traditur. Hos autem *Flexumenes* poſtea, inde *Troſſulos*, tum *equites* dictos ex Feſto & Plinio apparet, verba Feſti hæc ſunt: *Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à Romulo iis prapoſitus fuit, qui primitus electi fuerunt ex ſingulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.* & alio loco:

Troſſuli qui?

Troſſuli equites dicti, quod oppidũ Tuſcorum Troſſulũ ſine opere peditum ceperint. Plinij vero lib. XXXIII. hęc: *Equitũ nomen ſæpe variatum eſt in iis quoq; qui ad equitatum trahebãtur. Celeres ſub Romulo, regibuſq; appellati ſunt, deinde Flexumines, poſtea Troſſuli, cũ oppidũ in Tuſcis citra Volſinios paſſuum nouem millia ſine vllo peditũ adiumento cepiſſent eius vocabuli, idque durauit vltra C. Gracchũ, Iunius certe qui ab amicitia eius Grachanus appellatus eſt, ſcriptũ reliquit his verbis: Quod ad equeſtrem ordinẽ attinet, antea Troſſulos vocabant, nunc equites vocant, ideo quia non intelligunt Troſſulos nomen, quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, & cauſam quæ ſupra indicata eſt, exponit, inuitoſque etiamnũ tamen Troſſulos vocari.* Hæc Plinius.

Capræ palus.

Cap. XVI. *Capræ paludem.*] Quam in campo Martio fuiſſe Marlianus ait lib. 6. cap. 9.

Romuli mors.

Eod. *In terris Romulus fuit.*] Non vna eſt auctorum de morte Romuli opinio. ſunt enim qui victis Fidenatibus & Veientibus Romulũ à primorib. interfectum, corporeque in minutiſſimas partes diſſecto, occulte ſub veſtibus per partes aſportatum ſcribant. Ariſtobolus vero Italicarum rerum, lib. 5. Dionyſius Halicarnaſ. lib. 2. Valer. Max. lib. 5. cap. 3. Auguſtinus lib. 3. c. 15. eius parricidij nouos ciues auctores fuiſſe memorant. apud Capream autem paludem cum concionem haberet, à Marte patre nimbo ablatum cum Liuio affirmarunt, Plinius Secũdus de viris illuſtribus, Plutarchus in Romulo & Numa Pompilio, Florus, Meſſala, Coruinus, Sabellicus lib. 1. c. 8. Ethnicorum exẽplorum. Ouidi[us] quoque lib. 2. Faſtorum.

Proculus.

Eod. *Proculus Iulius.*] Plutarchus in Parallelis *Æſtiũ Proculum* ex Ariſtobuli ſententia vocat, virum primatium & à Romolo plurimum dilectum. *Proculi* autem dicuntur qui foris agente patre nati ſunt, vt teſtatur Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9.

Eod. *Roma caput orbis.*] Romani imperij magnitudinem & excellentiam legere licet tum apud alios, tum apud Plinium lib. 3. c. 4. Solinum in præfatione Polyhiſt. Verg. 1. Æneidos, *Romanos rerum dominos*, & libro 6. *Imperiũ terris.* Ouid. 2. Faſtorum. *Hic vbi nunc Roma.* Claudianum lib. 3. de laudibus Stiliconis, Cœliũ Rhodiginum lib. 18. cap. 25. qui ex Græco quodam auctore *orbis epitomen* Romam vocat.

Interregnum.

Cap. XVII. *Interregnum appellatum.*] Eſt enim *interregnum* ſpacium temporis à rege defuncto vſque ad creationem ſequentis, & qui præeſt hoc temporis ſpacio, cum regia poteſtate & inſignibus, *interrex* erat. De cuius officio & poteſtate Feneſtella cap. 4. Blondus lib. 3. Romæ triumphantis, Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 6. omnium copioſiſſime.

Auctorem fieri, quid?

Eod. *Patres auctores fierent.*] Quid ſit *auctorem fieri*, tradit Paulus in L. etiamſi. ff. de auctoritate tut. *Etiamſi*, inquit, *non interrogatus tutor auctor fuerit, valet auctoritas eius, cum ſe id probare dicit quod agitur. hoc eſt enim auctorẽ fieri.* Sic antiqui vocabant *auctores mulierum* ſine quorũ conſenſu, quecumq; egiſſent mulieres, rata non erant, vt ſcribunt Liuius lib. 37. Cicero pro Flacco & A. Cæcinna. Similiter quoq; id iuris patres habebant, vt tum demũ rata eſſent, quæ populus iuſſerat, *ſi patres auctores fierent*, id eſt, *cum rem factam probarent.* Sic Liuius libro ſexto. *Et ne is quidem finis certaminũ fuit, quia patricij ſe auctores fore negabant.* Vt Victorinus ait, ſine auctoritate & conſenſu Senatus nullam legem olim ferri potuiſſe, vbi *auctoritas* intelligenda, non opinio grauitatis, prudentiæ ac magnitudinis cuioſdam, quam in magnis ac claris viris eſſe credimus, ſed cõſenſus maioris vel prodentioris alicuius, ſine quo res actæ nihil valent.

Cap. XVIII. *Samium Pythagoram.*] Varia de Pythagoræ temporibus & Numæ Pompilij doctrina ab antiquis tradita fuiſſe oſtẽdit Franciſcus Floridus Sabinus, libro primo, ſuccisiuarũ lectionum, cap. 13. Librorum autem Numæ Pompilij mentionem etiam facit Liuius infra libro 40. Vide & Gellium noctium Atticarum libro 17.

Eod. *Capite eius velato.*] Ita legendum eſſe, ne Numæ caput obtectum fuiſſe intelligatur, ſed auguris, annotat Cœlius, libro viceſimo, capito duodecimo, lectionum antiquarum.

Lituus.

Eod. *Lituum appellauerunt.*] De lituo vide Macrobium lib. 6. Saturnalium cap. 8. Gellium lib. 5. cap. 8.

Auſpicia vrbana.

Eod. *Proſpectu in vrbem agrumq; capto.*] Sic Cicero libro ſecundo, de legibus: *Augures vrbemq; et agros, et tẽpla liberata & effata habento.* Vrbana ſiquidem auſpicia definiebantur pomœrio, & ex arce in vrbe ſæpe augures augurium agebant. Iidem quinq; agrorum genera

Auſpicia agrorum.

ex auſpiciis diſtinguebant, Romanum, Gabinum, Peregrinum, Hoſtiçum, Incertum.

Dextra & Sinistra quę.

Eod. *Dextras ad meridiem partes.*] Hanc diſtinctionem rider Arnobius libro aduerſus gentes quarto, ſcribitq. pto ratione ſitus corporis variare mundi partes, vel læuas vel deatras. Nam quidquid teres eſt, ea omni parte rotunditate ſolida conueaum, definiri aliqua finis aut initij portione non poteſt. De quo vide notata ab Adriano Iunio lib. 3. animaduerſorum cap. 3. Cœlio lectionum antiquarum lib. 1. cap. 10. Solinus vero deatra in mundo vocat ſeptẽtrionalia, læua meridionalia, cum de Taprobanæ incolis loquitur. Ariſtoteli deatra ſunt eaortiua, læua occidua. Pliuio contra læua exottiua, dextra occidua. Antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem. Varroni quoque ſiniſtra aboriente ſunt in tẽplis effandis, dextra ab oecaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem, prout Tornebus annotauit, lib. 18. c. 35. aduerſ.

Templum quid.

Eod. *De templo deſcendit.*] *Templo*, id eſt, augurij. *Templum* enim, vt tradit Varro lib. 6. de lingua Latina, *trib. modis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ad ſimilitudine. ab natura, in cælo, ab auſpicijs, in terra, ab ſimilitudine, ſub terra. Templa* ergo in augurali ſciẽtia regiones ſunt, aut agri, certo carmine ab augure lituo finiti & notati. Vnde in omnes cæli partes ad auguriũ captẽdũ, liber erat aſpectus. Nam in tẽplis liber quoqun verſũ aſpectus erat, vt interdum augures ea quorũ altitudo auſpiciis obeſſet, demoliri iuberẽt. Ideoq; ſubmiſſionem alijs ædem honoris C. Marius fecit, ne ſi forte officeret publicis auſpicijs, augures eam demoliri cogerent.

Ianus.

Cap. 212. *Ianum ad infimam Argiletum.*] Alij Tatium & Romulum templi eius auctorem referunt, vt qui cũ fœdus inter eos ictum eſſet, communem Deum, tamquam fœderis teſtem inter duos reges & duos populos Ianum bifrontem eſſe conſenſerint, atque eidem hoc templum in eodem loco, vbi nunc ruinæ S. Catharinæ ædis coſpiciuntur, conſtituiſſe. Alij inſuper Cn. Duilium vouiſſe, Tiberium vero ædificaſſe aſſerunt. Verum diuerſæ hæ cuctorum ſententiæ inde natę videntur, quod apud poſteros plures Ianos fuiſſe cultos, certo conſtat, cum apud veteres vnus ſit creditus. Tu vide ea quę ſunt apud Plinium, lib. 34. cap. 4. Plutarchum in vita Numę, & libro de fortuna Roma. Virg. lib. 7. *Sant gemina.* Claudianum lib. 2. de laudibus Stiliconis. Porro

Ianus cur bifrons.

vt de auctore templi Iani ſcriptores variant, ſic cur *bifrons Ianus* à veteribus fingatur, diuerſæ ſunt rationes. Plutarchus ideo quidem quod ferũ & ſylueſtrem cultum in vrbanum ciuilemque mutauerit, & tamquam alteram ea altera forma, diſpoſitionemque reddiderit: Fulgentius in Mythol. quod præterita & futura reſpiciat. Alij *Ianum* ſolem eſſe putarunt, geminũ finxerũt, quod vtriuſque ianuæ cæleſtis potens, ea oriẽs aperiat, occidens claudat. Alij mundum intelligũt vel cœlum, & quaſi *Eanum* dictum putarunt ab *eundo*, vt inquit Cicero libro de natura Deorum 2. quod mundus ſemper eat, dum in orbem voluitur, & ea ſe initium faciens in ſe refertur. Alij deinde, quod *ſuperiorum et inferiorũ Ianitor* extiterit, nuncupatum crediderunt. Tu vide Plutarchum Problemate 21. Plinium lib. 38. cap. 7. & 36. c. Auguſtin. lib. 3. cap. 9. de ciuitate Dei.

Eod. *Omnium primã.*] Inſtitutę religionis exemplum, quo docemur gentilium etiam principes, quibus veri Dei nulla erat cognitio, imperia tamẽ ſua à diuinarum rerum obſeruatione & cultu auſpicatos eſſe.

Numę cum Ægeria cógreſſus.

Eod. *Simulat ſibi cum Dea AEgeria.*] Nimirũ Minois aſtutiam ſecutus, qui ſe in antrum Iouis recipiebat, diuque ibi moratus leges ſibi à Ioue traditas aſſerebat, vt ſuos ad obſequium non modo imperio, ſed etiam religione conſtringeret, quam ea Strabone hiſtoriam recitat Volaterranus, libro trigeſimoquarto, Philologiæ, Val. lib. 1. cap. 3. Ceterum fueritne hęc an altera Ægeria non ſatis liquet, quæ à mulieribus coleretur, quod eam opitulari credebant partum egerendo: vnde & illi nomen. Plutarchus in Numa multa de *Egeria* ſcribit, quę

Egeria dea.

& ab aliis traduntur. Sed illud præterea addit, quomodo huiuſmodi Dearum congreſſus fieri cum hominib. exiſtimarentur à gentibus. Meminêre porro Ægeriæ Lactantius lib. 1. cap. 22. diuinarum inſtit. Auguſt. lib. 7. cap. 1. & lib. 7. cap. 35. Ciuitatis Dei. Cicero lib. 1. de legibus Valer. Max. lib. 1. cap. 3. Ouid. lib. 3. Faſtorum. Sabellicus lib. 3. Ennead & lib. 2. cap. 2. Ethnicum exemplorum. Acron in lib. 2. Epiſt. Horatij. Et Ennius de Egeriæ cum rege Numa colloquio in annalibus ſcripſit: *Olli respondet ſuauis ſonus Egeriai.*

Eod. *Duodecim menſes.*] Romulus enim antea decem tantum menſium ſpacio annum finire voluit. Nec nouo quidem exemplo cum longe minorẽ menſium numerum barbarorum quidam & Græcorum habuerint. Apud Ægyptios enim quatuor menſibus, apud Arcades tribus, Acarnanas ſex finiebatur annus. De qua re multa lege apud Plutarch. lib. 2. cap. 32. De placitis Philoſoph. Xenophontem in æquiuocis. Cẽſorinum cap. 15. Strabonem lib. 17. Plinium lib. 7. cap. 48. lib. 2. cap. 8. & libro 18. c. 25 Solinum cap. 3. Polyhiſt. Macrobium lib. 2. in ſomnium Scip. cap. 11. & lib. 1. cap. 12. Saturnal. & Alex. ab Alex lib. 3. c. 24. Cœlium Rhodig. lib. 18. c. 37. & lib. 24. c. 12. Ouid. lib. 1. Faſtorum, & ex Neotericis quoque Ringelbergium in lib. de tempore.

Solſtitialis, id eſt, ſolaris.

Eod. *Solſtitiali.*] Id eſt, *ſolari.* Nam etſi *ſolſtitialis* à *ſolſtitio* deducitur, tamen in eo ſæpenumero ſolis tantum ſignificatio attenditur, vt *ſolſtitialis* ſit idem quod *ſolaris.* Sic Solinus: *Qua ſolſtitiali plagæ obuia eſt*, id eſt, *ſolari plaga.* & meridiei. Adrianus Tornebus lib. 24. anniuerſariorum, cap. 38.

Eod. *Menſibus interponendo.*] Nannius lib. 5. Miſcellaneorum legit *interponendos*, non aſſcripturus niſi inter Macrobium, (qui hunc locum loco præallegato quaſi ex profeſſo interpretatur) & M. Ciceronem in quarta Verrinarum actionum ingens eſſet diſcordia. Nam apud Macrobium ſingulis octenniis apud Græcos terni menſes intercalantur. Contra apud Ciceronem non menſes intercalantur, ſed menſibus dies aliquot per intercalationem inſeruntur.

Faſti dies. Nefaſti.

Eod. *Faſtos fecit.*] *Faſti* duob. modis intelliguntur. Faſtos enim dies interdum feſtos dici Feſtus Pompeius auctor eſt, quomodo accipi videntur in libris Ouidij qui *Faſti* inſcribuntur. His enim in libris feſta ſolũ quę ſunt ſingulis menſibus, ea ponit. Alio autem modo *faſti dies* intelliguntur, in quibus hæc tria verba: *Do, dico, addico*, prætori fari licebat. Sic enim veteres omnes, vt Varro, Ouidius, Feſtus Põpeius, & Macrobius explicant. *Nefaſti* contra ij erant, in quib. ea verba prætor fari nõ poterat, Nec vero ſi feriis ac feſtis hæc tria verba prætori fari non licebat, idcirco feſti dies erãt nefaſti. Nam & nefaſti omnes profeſti ſunt, & cum in feſtis illa tria verba fari non poſſet, id ad Deorum cultũ referebatur. Quid autem illa tria verba, *Do, Dico, Addico*, ſignificarent, quoniam multi de eo dubitare poſſunt, dicamus. *Prætor* quidẽ hoc loco intelligitur, qui inter ciues peregrinoſq; ius dicit. Eius autẽ omnis iuriſdictio & poteſtas tribus rebus continebatur, & concedenda agẽdi poteſtate ei qui petiuiſſet, & iure inter aduerſarios dicundo, & de re qua agitur adiudicanda. Primum illud dicebatur dare agendi poteſtatem, ſecundum ius dicere ac reddere, tertium addicere, id eſt, iudicare.

Tria verba.

Reges ſacerdotes.

Cap. xx. *Ipſe plurima ſacra obibat.*] Vſitatũ enim tam apud Græcos quam Romanos fuit, reges ſacerdotia obire. Vnde Virgilius de rege Deli Anio loquens, ita ait:

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos.] Ac idem lib. 2. & 5. Dionyſius refert.

Flamines qui.

Eod. *Dialem flaminem pertinent.*] De flaminum inſtitutione pariũter auctores conuenit. Plutarchus enim in Numa ita ſcribit: *Iouiſq; Martiſque ſacerdotib. à Romulo cõſtitutis, tertium ipſe Romuli cõſtituit, quem flaminẽ Quirinalem vocauit. Vocabãt & ſacerdotes antea cõſtitutos flamines, à pileis quib. ad tegenda capita vtebãtur, quaſi pilamines quidã eſſent*, Econtra Dionyſius & Liuius Flaminũ

Google

omnium originem Numæ tribuunt. Erat autem *Flamen* ſacerdotis nomen, qui alicui Deo peculiariter conſecratus ei vni ſingillatim ſacra faciebat, à quo & nomen obtinebat, vt is qui Iouis ſacra curabat, vel Martis aut Quirini, is *flamen Dialis, Martialis* & *Quirinalis* vocabatur. Nominis autem ratio tracta eſt à *filo*, quo caput cinctũ habebant, prout docent Varro libro quarto, de lingua Latina, & Seruius ſuper Virgilium. Nam nudis penitus capitibus eos incedere nefas erat. Vnde à *filo* quo vtebãtur, *flamines* dicti, quaſi *filamines*. Plutarchus in Numa eos à *pileo pilamines* primo, poſt *flamines* dictos putat, quod non placet. Nam & pontifices & alij ſacerdotes pileos gerebant, & tamen flamines non ſunt appellati. Sunt qui eos à ſacris infulis *flamines* dictos putant, quas in capite geſtabant, quæ ab antiquis *flamæ* dicebantur, ſiue à *flameo*, quod genus eſt tegminis capitis, quod potius mulierum eſt quam virorum.

Flamen Dialis.

Eod. *Dialem flaminem*.] Hic Dionyſio & Liuio auctoribus à Numa, vel vt Plutarchus tradit à Romulo ipſo Ioui inſtitutus fuit. Dictus autem eſt *Dialis ἀπὸ τοῦ Διὸς*, hoc eſt, *à Ioue*, qui *Διὸς* dicitur, quaſi *Iouialis*, à quo vita dari putabatur hominibus. Cui Flamini ceremonias multas impoſitas fuiſſe liquet, quas ex Fabio Pictore, Maſſurio Sabino, M. Varrone, Plutarcho in Problematibus, Gellio libro 10. c. 15. ceteriſque libris, qui de ſacerdotibus publicis conſcripti ſunt, excerpſit Onuphrius Panuinius in libro de ciuitate Romana, ſub capite *de flamine Diali*.

Flamen Martialis.

Eod. *Marti vnum*.] Hunc quidem à Numa inſtitutum Liuius & Dionyſius tradunt. At Plutarchus à Romulo, quod Romuli vrbis cõditoris Mars pater creditus ſit. Hic patricius & maior flamen erat.

Flamen Quirinalis. Quirinus Romulus.

Eod. *Alterum Quirino*.] Et hic flamen maior & patricius in honorem Romuli à Numa inſtitutus eſt, quod Romulus parens & vrbis conditor *Quirinus* appellatus fuiſſet, ſiue ab haſta quæ Sabinorum lingua *quiris* dicitur, ſiue quod Cures bello vicerit, ſiue à Marte patre, qui etiã *Quirinus*, dum arma abiecit, dictus eſt. De quo vide Plutarchum in Romulo, Eutropium libro 1. cap. 3. Sabel. lib. 4. Enn. Ouid. lib. 3. Faſtorum. Solebant autem veteres mortuis conſecratis immutare nomina, hanc nimirum ob cauſam, ne quis homines fuiſſe exiſtimet, ſed Deos potius immortales, & humanarum rerum curatores. Sic quoque Leda Nemeſis, Circe Marica, & Ino, poſteaquam ſe præcipitauit, Leucothea nominata eſt, de qua conſuetudine Lactantius lib. 1. inſtit. diuin. cap. 21. Cælius lib. 11. cap. 19. Inde vero ab Homero vſque opinio fuit, alijs res vocabulis apud Deos eſſe, alijs apud homines, hinc illud Homeri:

> Ξάνθον μὲν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.
> Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Veſtæ virgines.

Eod. *Virginesque Veſtæ legit*.] Gegãniam ſcilicet & Beremiam, quibus deinde addiderunt Caniliam, Tarpeiam, & alias, quarum officium erat, impolluta virginitate perpetuum cuſtodire ignem, qui ſi forte negligentia extingueretur, flagris pœnas luebant. Ceterum de virginum Veſtalium inſtitutione, auctores, vt & de alijs variant. Dionyſius libro ſecundo, & Plutarchus in Romuli & Numæ vitis eam Numæ tribuunt. Alij vero (vt tradit Plutarchus) inter quos Virgilius eſt, vetuſtius id inſtitutum putant. Eaſque ex Troianis ad Lauinios primum deinde Albanos, poſtremo ad Romanos commigraſſe, Virgilius 2. Æneidos:

> *Sic ait, et manibus vittas, Veſtamque potentem;*
> *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Veſta quæ.

Veſtæ enim ignis perpetuus dicatus erat, à ſacris virginibus cuſtoditus. Eam autem terram eſſe quidam credunt, alij vero *Veſtam* nihil aliud eſſe, quam purum ignem arbitrantur. Alij porro eandem quæ & Opis, & Cybele omnium Deorum mater dicitur, eſſe opinati ſunt. Cuius ſacra, vigilem ſcilicet ignem, cum Virginibus, Penatibus, & Palladio Æneas ex Troia in Latium tulit, & condito Lauinio, Veſtæ ædem ſacrauit, in qua etiam hæc ſacra condidit. De quo vide plura apud Onuphrium in ciuitate Roman. ſub cap. *de virginib. Veſtalibus*.

Salij qui & vnde.

Eod. *Salios item duodecim Marti Gradiuo legit*.] Virgilius lib. 8. Æneid. Salios Herculi tribuit, qui hic Liuio ſunt *Martis Gradiui*. Sic enim ſcribit:

> *Tum Salij ad cantus incenſa altaria circum,*
> *Populeis adſunt euincti tempora ramis.*

Salij vero vocati ſunt, vt Plutarchus in Numa tradit, non à viro Samothrace ſeu Mantineo *Salo* nomine, ſed ab ipſo potius tripudio ſaltatorio, quod vehementius robuſtiuſque per vrbem euntes, ſubſaltant, quum ad menſem Martium ſacra ſcuta, quæ *ancilia* dicebantur, ſuſciperent, induti puniceis tunicis, æneis baltheis latiſque ſuccincti, æneas in capite galeas portantes, & paruis gladijs arma pulſantes. Idem fere ſcribit Dionyſius lib. 2. Simul quoq; Varro à *ſalſando* dictos exactos exiſtimat cum Feſto Pompeio.

Salij duodecim.

Ceterũ numerum duodenarium deinde Tullus Hoſtilius duplicaſſe fertur, & ita quidem, vt quatuor & viginti belli, paciſque temporibus cooptarentur, & hinc quoque Appius Claudius triumphalis, Scipio Africanus, & L. Bibaculus inter Salios eſſe, & hæc ſacra attrectare gloriæ duxêre. De hiſce præter alios vide Turnebum, libro decimotertio, aduerſariorum cap. 8.

Ancilia.

Eod. *Ancilia appellãtur*.] De anciliis hęc prodũt Dionyſius & Plutarchus: Annum iam octauum regnante Numa, morbus inuaſerat ciuitatem, cunctis vero mœrentibus, traditur ſcutum æneum è cœlo delapſum in Numæ manib. decidiſſe. Quod in vrbis ſalutem miſſum Egeream ſibi retuliſſe Numa tradidit, oportereq; id aſſeruari, alijs vndecim ad illius figuram, magnitudinem, formamque effictis, quò dubium ob ſimilitudinem eſſet, cœleſtis illius adipiſcendi. Additque Numa ſe à Muſis cognouiſſe eam vrbẽ, vbi id Ancile aſſeruaretur, omnium potẽtiſſimum futuram. Quo facto cum peſtis ceſſaſſet, ſcutum autem ex eius imperio cum effingere artifices certaſſent, diffidentibus ac deſperantibus ceteris, Mamurium Veturium præſtantiſſimũ artis eius opificem, vſque adeo eius ſimilitudinem effinxiſſe, ſtruxiſſeq; omnia ſimilia, vt ne Numa quidem id cognoſceret.

Mamurius Veturius.

Horum vero ſcutorum cuſtodes Salios XII. legit, quot fuerant fabrefacta ſcuta, à quibus ſacris anniuerſarijs efferrentur per vrbem. Id autem ſcutum breue fuit, ideoque *ancile* appellatum, quod ex vtroque latere eſſet reciſum, & ſummum infimumque eius latus medio patêret. Mamurius autem XI. anciliorum à ſe factorum præmij loco popoſcit, vt ſuũ nomen inter carmina Salij cantarent. Ideo Mamurij Veturij nomen in cantibus Salij Romani maxime frequentabant.

Saliorum carmen.

Eod. *Carmina cum tripudijs*.] Carmina Saliorum initiũ Poetices apud Romanos Varro dicit, quod obſcuriſſimũ erat. Eius meminit Flaccus, *Iam Saliare Numæ carmen*.

Axamenta carmina.

Erant & *axamenta* carmina, quæ à Salijs cõponebantur in honorem ſingulorum Deorum, vt Ianualij verſus, Iunonij, Mineruij, ab *axo*, quod eſt nomino, appellata. Turnebus lib. 22. aduerſariorum, cap. 24. Licet Panuinius *axamẽta* vocata exiſtimet, quæ eſſent in memoriam hominũ compoſita, vt Mamurij & Voluminiæ. Nam in deos ſingulos verſus facti à nominibus eorum appellabantur. *Salij* autem non à populo, ſed à magiſtris collegij legi ſolebãt patricij adoleſcentes, quorũ vterque parens viueret, nec in magiſtratu eſſet. Lege quoque cautum erat, vt *Salij liberi eſſent*.

Pontifex Maximus.

Eod. *Pontificem Maximum*.] Vt qui maximarum rerum in cultu diuino dominus eſſet, ſacra diiudicaret, in rebus ad Deos ſpectantibus leges ſtatueret, quibus aris, quibus Diis, quibuſque hoſtiis, quibus diebus, & ad quæ templa ſacra fieri deberẽt, aliis indicaret. De quorum electione, officio & dignitate Dionyſius, Plutarchus, Liuius, Blondus, lib. 2. Romæ triumphantis, Alexander ab Alexandro, lib. 2. cap. 8. & lib. 5. cap. 10.

Marcius, Numæ gener.

Fuit vero hic Marcius Marci filius & ipſius Numæ gener, cui omnia publica & priuata ſubiecit ſacra.

Iupiter Elicius.

Eod. *Iouis Elicio*.] Is ſic dictus ſit ab *eliciendo* vel extra

hendo, vt Varro ait, cuius ara in Auētino fuit. Ouidius tertio Faſtorum:

Eliciunt cœlo te Iupiter, vnde minores.
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

Solennibus enim quibuſdam verbis pronunciatis, Iouem de cœlo ad ſua ſacrificia educi poſſe putabant veteres, de qua re Cælius Rhodiginus, lib.16.c.14. ex Piſone vetuſtiſſimo auctore. Arnobius in quinto ex ſecundo Hiſtoriarum Antiatis libro. Plutarchus autem *Elicium Iouem* videtur à Græca voce ἱλάω, id eſt, *propitio*, deducere. ipſum in vita Numæ legito. Legimus & apud Heſychium in Cypro ἱλάστην, Iouem cultum.

Cap.xxi. *Propulſo legum ac pœnarum metu.*] Nannius lib.5. Miſcellaneorum ſibi perſuadet legēdum, *pro ipſo*, non *pro pulſo*, vt *pro ipſo* corruptū ſit in *propulſo*. Nimirū religionem ſucceſſiſſe in vicem metus legum ac pœnarum. Vt autem ſuam diuinationem ſequitur, non teſtimonia Codicum, ſic ea diuinario Fabij Pictoris ſimili ſententia iuuatur cum lib.1. ſic ait: *Nullo tunc vindice ac metu, ſed ſua ſponte retinebant fidem & rectum.*

Eod. *Marcium Marci filium.*] Mira hic eſt in ſcriptis libris diſcrepantia, vt Nannius loco præallegato admonet. Alij enim habent *Marcum Flauium*, alij *M. Fuluium*, nonnulli *M. Furium*. Quid vero melius ſit in medio diſceptandum relinquit.

Eod. *Et cū ipſi homines in regis veluti vnici exēpli.*] Præclara γνώμη, cuius aliæ ſimiles cū alibi, tum apud Claudianū ad Honorium extant, cum elegantiſſime ſcribit:

——componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Nec cōtemnenda eſt Nazianzeni ſententia ſcribentis: *Sicut per principem cum bene facit plurimorum vita & ſaluti conſulitur, ita et errorem principis ad multorum perniciem pertinere.*

Eod. *Quod earum ſibi concilia.*] Nannius lib.5. Miſcellaneorum, etſi ſcripti codices cum vulgatis cōſentiant, pro *ſibi*, *inibi* legendum arbitratur, & ob id lucum illum Muſis eſſe dicatum, quod ibi colloquia vxori eius cum deabus eſſent. Sub nomine autem Dearum Muſas intelligit Liuius, quas Theocritus perpetuo Nymphas appellat. Habet enim id magnificētiam, cum genus pro

Egeria an Dea an Nympha.

ſpecie ſubijcitur. Er ita dirimi poſſe videtur diſputatio, quæ eſt inter Dionyſium lib.2. ſcribentis, *Egeriā Nympham fuiſſe*, alios decentes non *Nympham, ſed Muſarum vnā*, prout refert Gyraldus Syntagmate 5. ſub titul. de

Lucus quid.

Nymphis. Porro luci ſyluæ erant in conſpectu villæ fundiq; incæduæ Dijs conſecratæ, quas ferro temerare nefas erat. Plinius de arboribus: *Hæc fuēre numinū templa, priſcoque ritu ſimplicia rura, etiamnum Deo præcellentem arborem dicant, nec magis auro fulgentia atq; ebore ſimulacra, quam lucos et in ijs ſilentia ipſa adoramus*, erant enim in vrbe luci, non tantum in agris.

Argei qui.

Eod. *Argeos pōtifices vocant.*] Ridiculā exiſtimat Nannius loco præallegato interpretationē eorum, qui putant *Argeos*, ſcyrpeos hic eſſe homines, qui cum facibus de ponte deijciebātur, ex inſtituto Herculis. Nam ipſa ſacra, & loca, vbi ſacris operam dabant, Pontificib. *Argei* dicebantur. Sacra ob antiquitatem cum ſuis ritibus iampridem abolita ſunt. Loca multa Romæ Argeorum nomen retinent, vt videre eſt apud Varronem lib.4. de lingua Latina, vbi nunc quintum, nunc ſextum Argeorum ſacrarium citatur. Fabius Pictor vniuerſum campum ſeptem collibus ſobdens, vſque ad Tyberim duplici nomine *Lybiſſum* & *Argeum* vocat.

Albani.

Cap.xxii. *Albam.*] Qui vrbē Albam ab Aſcanio olim conditam inhabitabant, quæ ab vrbe diſtabat, ſi Eutropio fides adhibenda eſt, duodecim milliaribus, & 300. iam annis caput regni fuerat, vel ſecundum alios quingentis minus tredecim. Hanc autem ciuitatem alij ab *Albano monte* vbi ſita eſt, dictā putāt. Marcus vero Varro propter colorem ſuis, cui aſtipulabatur quoq; liber tertius Æneidos, & liber octauus, vbi hæc carmina repetuntur. Vide quoque Plinium, lib.3. cap 5.

Eod. *Bellū indixit.*] Diſerte enim in Romuli cum Albanis fœdere expreſſum fuit, vt neutra ciuitatū bellū inchoaret, atq; vtra ſe læſam aliquando quereretur, ab iniuriæ auctoribus iuſta reciperet: quod ſi non redderentur, tum demum neceſſario ruptis fœderibus indiceretur bellum. Albani igitur cum agrum Romanum latrociniis inuaſiſſent, nec petentib. iuſta reddidiſſent, iure bellum indixerunt. Cuius rei verba & cæremonias lege apud Alex. ab Alex. lib.1. cap.14.

Cap.xxiii. *Lauinium ab Troia.*] Æneas enim Lauinia Latini regis filia in vxorem ducta, Lauinium condidit, & de vxoris nomine dixit. Aſcanius vero mortuo patri ſuccedens, triceſimum poſt conditum Lauinium anno, maiorem vrbem condidit ſub Albano monte, eamque à ſitu *Albam longam* vocauit, coloniamq; eo Lauiniorū, Deoſque penates ab Ænea delatos deduxit. Lauinium. Alba longa.

Eod. *Metium Suffetium.*] Quem omnes fere Romanorum hiſtoriæ virum, neque bello idoneum, neq; pacis firmum cuſtodem appellant.

Cap.xxiv. *Fecialis regem.*] Varro *feciales*, inquit, *dicti, quod fidei publica inter populos præerāt.* Nam per hos fiebat, vt iuſtū conciperetur bellum, & vt fœdere fides pacis cōſtitueretur, & ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent. Dionyſius eo dici Græce putat εἰρηνοδίκας, & à Numa inſtitutos eſſe dicit, ſumpto ab Æquicolis exemplo apud quos, vt Valerius ſcribit, primus Sertor Reſius ius feciale inſtituit. Meminit eorundem Varro lib.3. Sextus Pompeius: *Feciales*, inquit, *à faciendo ſunt dicti. apud hos enim belli, paciſq; faciēdæ ius eſt.* Munera eorum præcipua Dionyſius deſcribit, & Cic. lib.1. de legibus. Quot eorum fuerint, ambigit Turnebus in annotationib. ſuis ad dictum Ciceronis locū. Fuiſſe autem eorum collegium ex Liuio cognoſci poteſt, qui infra lib.36. ſcribit: *Conſul inde M'. Acilius ex S.C. ad collegium Fecialium retulit, ipſi ne vtique regi Antiocho bellum indiceretur.* Porro vnus horum Fecialium *pater patratus* dicebatur, cuius munus erat, cum pax aut fœdus faciunda eſſent, verba facere. Fecialis. εἰρηνοδίκαι. Pater Patratus.

Eod. *Sagmina, inquit, te rex poſco.*] De *ſagminib.* Plinius lib.22. Hęc etiā herba *verbenaca* vocatur Latine, à Græcis ἱεροβοτάνη dicta, hoc eſt, *ſacra herba*, vt idem Plinius docet lib.25. annotauit id Budæus in annotationibus prioribus ad Pandectas. Sagmina. Verbenaca.

Eod. *Capilloſq; tangēs.*] Buslidianus codex, vt Nānius lib.5. miſcellaneorum annotat, non *tangēs*, ſed *tegēs* habet. In ſacris Deorū caput operiri & tegi ſolet, & apud Plutarchum in vita Numæ, Numa capite operto ſedet, cum de eo in regem creando auguria captantur, quod tamen rectius, Nannius non audet definire. Id ad vtilitatem rudiorū hîc adijciendum; *Fraudem* appellari hîc malitioſam fœderis interpretationem, cum ſententia violata verbis ſatisfacimus, vt ille qui cū certos dies induciis aſſcripſerat, noctu hoſtilia fecit, quaſi de noctib. nihil omnino cautū eſſet. Pulchre admodū hæc diſtinguit Paulus I.C. ff. de legib. & ſenatuſconſultis. *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. In fraudem vero legis, qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumuenit.* Fraus quid.

Eod. *Sine fraude mea.*] Hoc eſt, *ſaluo meo, aliorumq; iure.* Ita interpretatur Budæus in prioribus annotationib. ad Pandectas.

Eod. *Haud diſplicet res Tullo.*] Boni ducis exemplum eſt Hoſtilius, qui dum ſuis parcit militibus, ſalutē quoque hoſtium quærit, conſultando, quo pacto bellum atrociſſimum, paucorum cæde dirimi poſſit. Non fortaſſis immemor Mitylenæi dicterij, qui probabat victorias ſine ſanguine partas: magno autem ciuium cruore emptas, hoc eſt, Cadmeas, non victorias exiſtimabat.

Cap.xxv. *Vniuerſis ſolus nequaquam par.*] Veriſſimum enim eſt illud Homeri, li. υ. Odyſſ. χαλεπὸν δὲ ἕνα ὄντα ἐρητύειν πολλούς. *Difficile ac durum eſt vnum compeſcere multos.* Qui etiam Iliados ε. & Æneam alioqui ſtrenuum ſtetiſſe fingit, cum aduerſus duos dimicandum eſſet, quo docere voluit, neminem vſque adeo excellere viribus, vt vnus pluribus par eſſe poſſit.

Eod. *Capeſſit fugam.*] Aſtus in fallendo hoſte. Huc autem illud Antigoni Imperatoris pertinet, qui cum aliquando cederet hoſtibus imminētibus; ſe nequaquam fugere, ſed vtilitatem à tergo ſitam, perſequi dicebat; ſentiens non eſſe turpe fugere, quoties expedit hoſti dare locum, ad ſuum vſque tempus.

Eod. *Victori obiicitur hoſti.*] Militaris fortitudinis exēplum. Similem autem hiſtoriam ex Demarati ſecundo rerum Arcadicarum libro, apud Plutarchum 32. cap. Paral. legimus.

Paludamentum. Cap. XXVI. *Paludamento ſponſi.*] *Paludamentum* veſtem eſſe imperatorum, ſcribit Trāquillus in Cæſare, Blondus lib. 9. Romæ triumphantis. Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 18. Feſtus tamen omnia militaria ornamenta *paladamenta* dici, in libris auguralib. affirmare videtur. Plutarchus in Philopœmene *tunicas equeſtres* vocat, in Lucullo ἐφεστρίδα, vt opinor, pro *paludamento* poſuit, in Craſſo vero φοινικίδα pro *paludamēto purpureo* dixit. Quo genere veſtis etiam Græci equites vtebantur, quam ἐφαπτίδα Athenęus in quinto vocat. Paludamenti autem picturam ad viuum ex Romanorū marmoribus expreſſam inuenies apud Lazarum Baifium in fine capitis primi in l. Veſtis. ff. de auro & arg. legato.

Soluere crines. Eod. *Soluit crines.*] Ad veterem morem hoc referendum eſt, quo in ſignum triſtitiæ crines ſoluebātur. Meminit eius moris, & Ouid. lib. 3. Faſtorum:

Si qua tamen grauida eſt, reſoluto crine precetur,
Vt ſoluat partus molliter illa ſuos.

Et Triſtium lib. 1. Eleg. 3.

Illa etiam ante lares ſparſis proſtrata capillis,
Contigit extinctos ore tremente focos.

Eod. *Flebiliter ſponſum mortuum.*] Veteſq; præ mœrore animi omnes lacerās. Cuius orationem patheticam, qua in fratrem inuehitur, vide apud Dionyſium. Eſt autem coniugalis amoris notatu dignum exemplum.

Eod. *Abi cum immaturo.*] Exemplum præclarum ſalutem patriæ longæ ſaluti noſtrorum præferendam eſſe. Hiſtoriā copioſius deſcribunt Valerius Maximus, lib. 6. cap. 3. & lib. 8. cap. 1. Plutarchus, cap. 33. Paral. Auguſtinus lib. 3. cap. 14. Ciuitatis. Volaterranus lib. 17. cap. 3. Anthropol.

Duumuiri. Eod. *Duumuiros inquit.*] Hos primum in iudicio perduellionis à Tullio factos, ex hoc Liuij loco apparet. Eorum vero etiam poſt meminit in iudicio M. Manlij de affectata tyrannide, ſed hos cum raro creatos, tum poſtremo vetuſtate euanuiſſe comperio, niſi quod in conſulatu Ciceronis C. & L. Cæſares creati ſunt, idque non à populo, ſed vt tum mos erat, à prætore (ſic enim narrat Dio) vt C. Rabirio, qui Saturninum tribunum plebis ſua manu necarat, perduellionem indicarent, à quibus damnatus, cum ad populum prouocaſſet, nobili quæ extat, oratione à conſule Cicerone defenſus, eſt abſolutus. De horū origine & officio lege Feneſtellam, cap. 5. Pomp. Lætum cap. 6. de Rom. mag. Blōdum lib. 4. Romæ triomphantis. Alexandrum ab Alexandro, libro 3. cap. 16.

Perduelles qui? Eod. *Perduellionem indicent.*] Quos nos *hoſtes* dicimus, eos Veteres *perduelles* appellarunt, teſte Caio ſub tit. de verborum ſignificatione, per eam adiectionem indicantes, cum quib. bellum eſſet. Idque etiam Varro de lingua latina, libro quarto, & Feſtus libro octauo, de verborū ſignificatione teſtati ſunt. *Multa verba*, inquit Varro, *aliud nūc oſtendūt, aliud ante ſignificabāt, vt hoſtis. Nam tum eo verbo ſignificabant peregrinū, qui ſuis legib. vteretur: nunc dicūt, eum quem tum dicebant perduellem.* Et Feſtus: *Hoſtis* inquit, *apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nunc hoſtis, perduellis.* Ex quib. quidem Varronis & Feſti locis, recte colligi poteſt, non vt olim, ſic nunc hoſtes populi Romani *perduelles* vocati. Siquidē vt Vlpianus ait: *is duntaxat perduellis nūc dicendus eſt, qui hoſtili animo aduerſus rempubl. vel principem ſuum animatus eſt*, L. finali. ff. ad L. Iuliam maieſtatis. Igitur qui eo nomine accuſatur, is recte perduellionis reus fieri non intelligitur, quemadmodum olim qui hoſtis indicabatur, illi perduellio iudicari dicebatur. Proinde ſic Liuius intelligendus, vt contenderit, eis qui horrendū aliquod crimen cōmiſeraot, perduellionem eo tempore ſolere iudicari, quo moris fuiſſe apud Romanos videtur, vt ciui Romano, de cuius capite iudicium erat, ante *perduellio* iudicaretur, hoc eſt, ciuium exemptus numero patriæ hoſtis pronunciaretur, quam capitale ſumi de ciue Romano ſupplicium poſſet, prout tradit Iacob. Ræuardus cap. 27. ad leges XII. tabularum. Et hæc quidem interpretatio eo veriſimilior videtur, quod filium ſuū Horatium populi fauore abſolutum, patet quibuſdam ſacrificijs piacularib. peractis, veluti ſub iugum miſerit. Quia igitur pręter hoſtes nulli ſub iugum mitti cōſueuerant, hinc recte ratiocinabimur, ideo miſſum veluti ſub iugum, quia Horatio duumviri perduellionem iudicauerāt, hoc eſt, quia inter perduelles populi Romani Horatium referendum eſſe. deinde vt perduellem interimendum pronunciauerant. Paullus vero Manutius libro de legib. Romanis, ideo Horatij factū, quod patricidium fuerit, lege perduellionis iudicatum exiſtimat, vel quia Numa vir ſāctiſſimus parricidiū omne voluerit eſſe *perduellionem*, vel quia ſi non omne parricidium, ſaltem illud quod in cognatos, affinesve committeretur. Sigonius lib. 2. c. 18. de antiquo iure ciuium Romanorum minime Liuij ſententiam probat, qui iudicium hoc perduellionis vocarit, niſi forte *perduellionem* appellemus, non quod ille ſororem, id enim parricidium erat, ſed quod hominem in cōſpectu vel regis, vel populi Romani interfecerat, in quo maieſtatem ciuitatis diminuerat. De perduellione autem inquiſitum eſſe credit in Iunios, Vitellios & Aquilios, qui de prodenda regibus patria, nefaria & ſcelerata conſilia habuerant, quos Brutus primus conſul ſupremo ſupplicio affecit. Porro lege perduellionis primum duumviri iudicabant, deinde ad populum prouocatio erat. Declarat hoc oratio pro Rabirio perduellionis reo.

Eod. *Horrendi carminis erat.*] Ita legēdum eſſe, & non *criminis*, multis autoritatib. oſtendit Cœlius lectionum antiquarum lib. 10. c. 7.

Eod. *Infelici arbori reſte ſuſpēdito.*] Turneb. libro quarto, capite tertio: *Infelicem arborem* intelligit ſtipitem & furcam, de qua ſontes ſuſpenduntur. Neque enim vlla arbor, aut vllum lignum infelicius eſt. *Felices* autem *arbores* Cato dixit, quæ fructum ferunt, *infelices* quæ non ferunt. Plinius auctor eſt infelices exiſtimari, damnataſque religione, quæ neque ſeruntur vmquam neque fructum ferunt. At Veranius de verbis pontificialibus, *Felices* (inquit) *arbores putantur, quercus, aſculus, ilex, ſapinus, fagus, corylus, ſorbus, ficus, alba, pyrus, malus, vitis, prunus.* De quo latius Cœlius lib. 10. c. 7. lectionum antiq. Brodæus lib. 4. Miſcel. cap. 6. Infelix arbor. Felix arbor.

Eod. *Patrio iure in filiam.*] Iudicat his locus Numam ius necis & ſeuerioris in filios animaduerſionis non penitus ademiſſe parentibus, licet omne ius vendendi filios connubio conſenſu iunctos, parentibus expreſſa lege ademerit, vt Dionyſius ſcribit.

Eod. *Imperatum patri.*] Dionyſius id negotiū pontificib. datū prodidit, qui duas eſſe extructas aras ait: Iunoni vna, cuius ſororiū curæ eſſet, Iano alteram ad quas Curiatiorum & Horatiæ interfectæ manes, ſint vocati.

Eod. *Trāſmiſſo per viā Tigillo.*] Cuius hęc forma fuit, vt dua recta tigilla defixa ſtarent, tertiumque ſuperne duobus illis tranſuerſum imponeretur. Dionyſius vero ait, aduerſis parietibus ſuffultum fuiſſe Horatij tigillū. Quomodo antē ſub iugū miſſi ſint ſæpe milites, docet Liu. hoc eo. lib. & li. 9. vbi Samnites ſub iugū miſſi ſunt. Tigillum quid.

Cap. XXVII. *Pauori & Pallori.*] Id Auguſtinus his verbis luculentius explicat: *Hoſtilius certe rex, Deos & ipſe nouos Pauorem atque Pallorem propiciendos non introduceret, ſi felicitatem deam noſceret et coleret*, &c. Ita vero accidit, cum commiſſo inter Romanos & Veientes prœlio, nunciatū eſſet Tullo Hoſtilio regi, Albanos, deſciſcere, pallereque & pauere ob eam rem Romanos videret, ipſe in re trepida templum vouit Pallori & Pauori. Pauoris & Palloris templum.

Digitized by Google

Sacrificium luſtrale.

Cap.xxviii. *Sacrificium luſtrale.*] Varia luſtrationum genera fuere apud Romanos? Si vero exercitus luſtrandus eſſet, in campo Martio exercitur intuebatur, & ſue, aut hirco, oue & tauro luſtrabatur. Milites ipſi lauro coronati, rem diuinam faciebant, ſub diuo, & hunc luſtrandi morem Seruium regem primum inſtituiſſe ferunt. Alij hanc exercitus luſtrationem ita peragebant, ſuem, ouem, taurum, qui puri eſſent, ter circum acies inſtructas præcedente pompa ducebant, Martique Deo immolabant.

Eod. *Deuictos hoſtes gratulatur.*] Aſſentationis & adulationis exemplum. Verum Dionyſius ſcribit Tullum Hoſtilium Veientibus aſtutias, leuitatem & proditionē luculentiſſima oratione aperuiſſe, & deinde militib. circumſeptum, coram omnibus lictoribus tradidiſſe.

[illegible]

Eod. *Dimicatio maior ac periculoſior.*] Hinc itaq; diſces, ducis improbitatem præſentiſſimum exercitus venenum eſſe. Probe igitur Pauſanias percunctanti, quo pacto debellari Thraces poſſent, reſpondit: *Si quis vir optimus eſt, eum belli ducem delegerimus*; admonens plurimum ad victoriam momenti in imperatore eſſe Quēadmodum in omni negotio magni refert, quales ſunt, quib. rei gerendæ creditur authoritas.

Eod. *Populum omnem Albanū Romam traducere.*] Exemplum pietatis in hoſtes. Albanos enim ciues non tantum in vrbem recepit Hoſtilius, ſed eos quoq; qui genere & opibus illuſtres erant, in patres elegit, vt pote Iulios, Seruilios, Geganios, Curiatios, Clœlios, Quintilios. Item decem quoque ex his equitum turmas fecit, veteresque legiones ſuppleuit, qua de re copioſe Dionyſium leges.

Quadrigarum ſupplicium.

Eod. *Duabus admotis quadrigis.*] De hac re lege Alexarchum li.3.rerum Italicarum: Plutarch.c.14. Paral. Gellium li.20.c.1. Virgilium lib.8. Æneidos. Claudianum in Gild. Hoc autem ſupplicij genus ab Hercule inuentum eſſe conſtat, qui florenti adhuc ætate regem Eubœę Pyręchmen bellum Bœotis inferentem vicit, victumque pullis equinis ita allegauit, vt in duas diſpertiretur partes, vt refert Plutarch.c.13.Paral.

Hoſtilia curia.

Cap.xxx. *Curia Hoſtilia.*] Curia Hoſtilia duobus in locis Romæ fuit. Altera namque in foro ad pacis templum, vbi Hoſtilius rex prius habitauit de qua Marlianus lib.3.cap.17. Altera eo in loco, vbi poſtea Diui Iohannis & Pauli templum eſt conſtitutum, de qua idem lib.4.c.19. In roſtris quoque Curiam Hoſtiliam conditam fuiſſe, Varro ſcribit, cuius Marlianus de antiquitatibus vrbis non meminit.

Feronia.

Eod. *Feroniæ fanum.*] Meminit huius *Feroniæ* Dionyſ. lib.2.& rurſus li.3. Virgil.li.8 Æneid.& rurſus li.7. vbi inquit, *Et viridi gaudens Feronia luco.* vbi Seruius Commentator ait, Feroniam virginem exiſtimatam, veluti Iouem Anxurum, id eſt, ſine nouacula, & perinde nondum abraſum, qui colerentur Terracinæ. quæ etiam aliquando Anxur fuit. Vide de eadem & Strabonem lib.5.

Albanum ſacrum.

Cap.xxxi. *Patrio ritu Albani ſacra facerent.*] Id *ſacrum Albanum* vel *Latinas ferias* appellatum putat Perionius lib.3. de magiſt. Rom. quod omnes Latini ab Alba oriundi erant, vel cum Latinis fetus eſſe communctam. De quibus infra lib.42.

Nouendiale ſacrum.

Eod. *Nouendiale ſacrum publice ſuſceptum.*] Cœlius li.17.cap.21.tradit Nouendialium ſacrorum conſuetudinem inde natam, quod moris Ethnicorum fuerit diebus nouem mortuos flere. Dupliciter vero *Nouendiale ſacrum* actum eſt apud Romanos, vno modo cum defunctis parentabant, ſeque luſtrabant altero cum prodigium aliquod accidiſſet, quod nouendiali ſacro expiare ſolebant. Ita vero perficiebatur, vt doctis placet: Nouem dies aſſidue Deis ſacrum faciebant, quod ſacrum indici ſolebat, vel à Pontifice Maximo, vel à Prætore vrbano ex Senatus decreto, prout tradit Giraldus hiſtoriæ deorum Syntagmate.17.

Eod. *Ioui Elicio facta.*] Cui Numa Pompilius aram in Auentino erexerat. Vide ſup.

Hoſtilij mors.

Eod. *Fulmine ipſum cum domo.*] Contemptæ religionis pœna. Scribit enim Plutarch. in vita Numæ. Hoſtilium honeſta Numæ facinora, & potiſſimum pietatem in Deos, irriſionibus & contumelijs inſectatum eſſe, vt res muliebres & inertes Hoc igitur prodigium etiam extat apud Plinium, li.2.c.55.& li.28.c.2. Valer. Max. li.9. cap.12. Cœlium li.16. cap.14. Sabellicum li. 2. cap.5. Multis vero perſuaſum eſt, Hoſtilium humana fraude periiſſe. Ancique Martij, qui poſt eum rex fuit, inſidijs oppreſſum, vt cum procelloſo die rex domi ſacra faceret, ſit ille regiam ingreſſus, ibique Hoſtilio cum vxore & liberis interfecto domum incenderit. Vide Dionyſium lib.3. ea de re copioſiſſime.

Ancus.

Cap.xxxii. *Ancum Martium.*] Dictus eſt Ancus ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id eſt, à *cubito*, quam incuruum habuit, teſte Zonara, Tomo 2 Annalium, Seruio in 6. Æneidos.

Pompilia Numæ filia.

Eod. *Ex filia.*] Pompilia videlicet, quæ Martio, pontifici nupſit. Hanc filiam non ex vxore Taria, ſed ex altera Lucretia natam eſſe Plutarchus in vita Pompilij ſcribit.

Eod. *Auitæ gloriæ memor.*] Liberi enim plerumque vel parentes, vel ſui generis homines referri ſolent. Vnde prouerbium vulgo iactatur: τοῦ πατρὸς ἐστι τὸ παιδίον. *patris eſt filius.* Et illud quoque Horatij, *Fortes creantur fortibus & bonis.*

Eod. *Quod nūc Feciales habent.*] De hac re copioſe Plutarch. in vita Camilli, Dion. li.2. Gellius li.16.c.4. Seruius li.9. Æneid. *Principium pugnæ.* Blondus li.4. Romæ triumph. Cœlius Rhod. li.21.c.5.

Ius feciale.

Eod. *Deſcripſit.*] Ius feciale quo tempore, vel à quo inuentum ſit, inter auctores non conſtat. Fecialis enim ſacerdotij vſum omnium vetuſtiſſimum apud Romanos fuiſſe, Feneſtella docet, cum Tulli Hoſtili tempore fuerit, cui tamen nequaquam aſcribit, ſed Alexander ab Alexandro à Tullo Hoſtilio, ſeu Anco Martio, vt vero alij, à Numa Pompilio, feciales inſtitutos putauit, qui ab Equicolis iura & verba ſolennia, quibus res repetuntur, & bella indicuntur, accepere. Helo auctore, de qua re & ſuperius nonnulla à nobis annotata ſunt.

Equicoli.

Eod. *Æquicolis.*] Equicoli Vmbriæ populus in quarta regione Italiæ, quæ hodie *ducatus Spoletanus* appellatur, & Marſis finitimus inter Sannites & Pelignos. Volaterranus li.6.c.4. Geographiæ, hanc gentem, quæ ad Marſos pertinebat, ait ſimul cum Claſtidio interiiſſe, & ex horum ruinis noua & vicina oppida excitata eſſe.

Iuſta bella.

Eod. *Iuſte pieq; legatus venio.*] Hinc *iuſta bella* ſunt (quę & *pia* dicebantur) quæ iudicabantur rebus repetitis, non ex libidine ſumpta. Cum autem iuſta bella ſuſcepta ſunt, ſunt etiam iuſte gerenda, non perfidioſe, non fœdifrage, non acerbe, non ad internecionem.

Quirinus.

Eod. *Quirine.*] Romulum intelligit vel Martem, qui & ipſe Quirinus dictus fuit, vt ſupra annotatum eſt.

Haſtæ emiſſio.

Eod. *Haſtam in fines.*] Multis gentibus id ſolenne fuiſſe legitur, vt bellum indicturæ haſtam mitterent. Sic de Rhodiis id narrat Polyb. li.4. Scimus præterea Carthaginienſes, cum bellum vellent, Romam haſtam miſiſſe, Cœlius li.21.cap.16.lect. antiq.

Conceptis verbis iurare.

Eod. *Concipiendiq; iuriſiurandi.*] *Conceptis verbis iurare* ad diſcrimen, dicitur eius iuriſiurandi, quod ſermoni ſubuidi noſtro inteximus & inſerimus, vt cum *medius fidius, mehercule, ita Iupiter me amet, ædepol* dicimus, aut vltro ſponteq; ſacramentum fidei, aut adſeuerationis religioſe addimus. *Verbis* enim *cōceptis* iuratur, id eſt, verbis certa comprehenſis formula. Nam *concipere*, cōprehendere eſt. Hoc vero iuſiurandum multo religioſius erat, quam reliqua. Huius generis erat, & *præiuratio*, cū quis ante conceptis verbis iurabat, poſt quem alter in eadem verba iurans, tantummodo dicebat: *idem in me.*

Præiuratio.

Huic igitur præiurationi, quę ſpecies eſt iuſiurandi cōceptis verbis, addebatur execratio. eam enim verbum, *idem in me*, continet. Tornebus li. aduerſar. 3. cap.10.

Murtia Venus.

Cap.xxxiii. *Ad Murtiæ data ſedes.*] Venus primum

Murtea, poſtea *Murtia* vocata eſt. Plin. li. 15. *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrtea, quam nunc Murtiã vocant*. Eſt & Arnobio *Murtea* ſegnium dea. *Murcia* meminit Tertul. in lib. de ſpectaculis, quam eſſe dicit *marmoris* deam. Vbi *marcoris* ſcribendum recte exiſtimat Turnebus li. 22. c. 16 aduerſariorum. Meminit & *Murcea* Auguſtinus l. 4. de ciuit. Dei. Cœlius l. 18. c. 12. antiq. lect. Sed Gyraldus hiſtoriæ deorum, Syntagmate 13. tradit *Murceam* deam ſocordiæ, aliam eſſe à *Murtia* Venere.

Ianiculus.

Eod. *Ianiculum*.] Montem editum traus Tyberim poſitum: dictus vero eſt *Ianiculus*, ab *Iano*, qui in eo habitauit, & poſtea ſub eo ſepultus eſt. De huius magnitudine & diuerſis quoque ominib. vide Marlianum l. 1. c. 7 & c. 5. vbi non contemnenda tradit de vrbis vario & ſæpe mutatu ambitu.

Pons ſublicius.

Eod. *Ponte ſublicio*.] *Sublicius pons* dictus eſt à *ſublicibus*, id eſt, magnis trabibus, quibus conficiebatur. Primum enim ligneus ab Anco Martio, abſque clauo ferreo, & fulturis cõtignatione ſola ita cõpactus eſt, vt belli temporib. adimi poſſet. Eum deinde Æmilius Lepidus lapidcum fecit, & ex ſuo nomine Æmilium denominauit. Poſt modum vero Antoninus Pius Imperator marmoreum fecit, cuius veſtigia eſſe tenemus, quæ hinc ad primas Auentini radices, inde ad noſtram ætatem naualia cernuntur. Vide Plin. li 34. c. 5. & li. 36. c. 15. Marlianum li. 7. cap. 7. & Blondum li. 1. Romæ inſtauratæ.

Æmilius pons.

Carcer ædificari cœptus.

End. *Carcer ad terrorem*.] Aucum Martium Romæ primum carcerem ædificaſſe fere omnes ſcribũt, excepto Eutropio qui li. 1. cap. 10. L. Tarquinium Superbũ primo vincula, taureas, fuſtes, compedes, cathenas, exilia, carcereſque inueniſſe dicit. Vide Polydorum quoque Virgilium li. de rerum inuentorib. 2. c. 3.

Tullianum.

Eod. *Imminens foro*.] In radicibus Capitolij verſus ortum brumalem. Addidit deinde Tullius rex eam partem, quæ ſub terra eſt, & carceri vt *Tullianum* vocetur, nomen dedit. Vide Marlianum li. 3. c. 15.

Silua Mæſia.

Eod. *Silua Mæſia*.] In qoa nũquam glires niſi in partu reperiri, Plin. li. 8. cap. 58 ſcriptum reliquit.

Hoſtia vrbs

Eod. *Hoſtia vrbs*.] xvi. milliarib. ab vrbe diſtans, de qua Plin. li. 3. c. 15. & li. 36. c. 15. Marlian. l. 7. c. 18. Florus ait, quaſi præſagio magnitudinis motũ Martium, vt eo ipſo loco fundaret vrbẽ, quo totius mundi opes & cũmeatus reciperentur hoſpitio, maxime vrbis fœnore.

Tarquinij ciuitas.

Cap. xxxiv. *Tarquinius*.] *Tarquinij* Hetruriæ à Tarcone ædificata: ciuitas de qua Strabo li. 5. Plin. li. 3. c. 5. Cuius veſtigia à mari paululum remota etiam hodie viſuntur, nomen priſcum adhuc retinentia, cuius rei teſtis eſt Volaterranos li. 5. ca. 1. Geograph.

Demaratus

Eod. *Demarati Corinthij*.] Recte adiicit *Corinthij*, fuit enim & Demaratus Lacedæmoniorum dux, qui dum exularet, in patriam impius fuit, de quo Herodotus l. 5. & Oroſius li. 2. c. 9. Hic vero Corinthius ex Bachiadarum familia ortus, mercator fuit ditiſſimus. De quo Plin. li 35. ca 3. & li. 36. ca. 12. Plutarch. de fortuna Alex. Val. Max. li. 3. c. 4.

Eod. *Ob ſeditiones*.] Author de viris illuſtrib. eum Cypſeli Corinthij tyrannidem fugiſſe ſcribit. De quo Plinius li. 35. c. 3. Fulgoſius Genuenſis li. 9. c. r. de dictis, factiſque memoral.

Lucumo.

Eod. *Duos filios*.] Itidem Dionyſius ſcribit, Demaratũ in vrbe Tarquiniis duos ex nobiliſſima vxore ſuſcepiſſe filios, quibus Hetruſca nomina impoſuerit, & *Arnasem* alterum ſeniorem natu, alterum *Lucumonem* vocarit. A quo poſtea *Lucumedi*, vt quidam volunt, appellati; qui poſtea *Lucrenſes* ſunt dicti. Sed *Lucumedorum* nomen vetuſtiſſimum eſſe ſatis conſtat.

Lucumedi.

Tanaquil.

Eod. *Tanaquil*.] De qua Plutarchus de virtutibus mulierum in præfatione, & de fortuna Romanorum in fine. Plin. li. 36. c. 27. Volaterranus li. 19. c. 2. Anthropol.

Sinere pro ſentire.

Eod *Humiliora ſinere*.] Integer hic locus prima ſpecie videtur, & approbatur omniom conſenſu. Nannius tamen li 5. Miſcellaneorum hic hulcus ſubeſſe putat, (reddit enim illud *ſineret* in *ſentiret*) mutãdum, vt idem ſit cum τῷ φρονεῖν, nimirum eam pares animos ſuis natalibus & opibus habere. Porro & id auctarij loco adiicit *Lucumones* dici ſolitos reges Hetruſcorum, qui duodecim erant, ſecundum duodecim populos. qui autem iſtis omnibus imperitabat, *Lartem* appellabant. Vnde adhuc Angli ſatrapas ſuos *Lordas* vocant.

Lucumones qui?

Lartes qui?

Augurandi ars vetuſtiſſima.

Hetruſci Augures.

Eod. *Perita vt vulgo Hetruſci*.] Augurandi enim ars antiquiſſima primũ à Chaldæis ad Græcos, apud quos Amphiaraus, Mopſus, & Calchas ſummi augures habiti ſunt, à Græcia deinde ad Hetruſcos venit, penes quos ea diſciplina præcipua ac longe peculiaris fuit. Vnde Naſo libro ſecundo Faſtorum ſcribit, Virum quẽdam exulem Hetruria Romam veniſſe, cuius opera Romulum & Remum vſos exiſtimant, cum de imponendo vrbi nomine contenderent. Et ſic demum augurandi diſciplinam ad Romanos perueniſſe conſtat, de qua re multa Pomponius Lætus cap. 5. Fenaſtella c. 4. de ſacerdotiis Romanis.

Aquila Troianorum inſigne.

Eod. *Aquila ſuſpenſis*.] *Aquila* cum rex omnium auiũ merito ſit, quas altiſſime volando, aliiſq; virtutib. longe ſuperat, primum Troianorum inſigne erat, vt teſtis eſt Mapheus Laudenſis, de factis poſt cladẽ Turni. Et hinc apud Romanos in auſpiciis imperium portendere viſum eſt. Sic enim & Romæ Claudio in forum eunti aquila dextro humero inſedit, imperium oſtendens. Romani igitur etiam hodie aquilæ inſignia habent, teſte Plinio li. 10. c. 4. & Alex. ab Alex. li. 4. c. 2.

Eod. *Reponit*.] Hoc eſt, *reſtituit*, veluti ſui miniſterij conſcia, quod cum feliciter Tarquinio ceſſiſſet, ſumptis impetatoriis ornamentis, ſemper in eburnei ſceptri vertica, aquilę figuram habuiſſe dicitur, cuius rei teſtis eſt Alex. ab Alex. li. 1. c. 28.

Eod. *Notitiamq; eam*.] Ampliſſimas enim ex hæreditate paterna diuitias cum haberet, in commune deponere voluit: deinde Anco Marcio regi ampliſſimas pro neceſſitate pecunias dono dedit, in vſus bellicos quantiſcumque indigeret pecuniis, exibuit, patriciorum multos beneficiis deuinxit, popularem quoque multitudinem argento ſibi conciliauit. Vere igitur in Phœniſſis Euripides, τὰ χρήματα τοῖς ἀνθρώποισι τιμιώτατα, δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει, *Mortalibus nil charius pecunia, atque inter homines vna plurimum valet*.

Cap. xxxv. *Iam filij prope puberem ætatem*.] Duos tantum filios reliquit Ancus Martius rex, alterum puerilis ætatis, alterum maiorem natu iam pubeſcentem.

Eod. *Tarquinius inſtare*.] Diſcrepat hoc loco à Liuio Dionyſius, qui ſcribit, defuncto iam Anco ſenatũ primum pro more interregem creaſſe, & deinde ſtatim comitiis habitis, multitudinem regem Tarquinium Priſcum elegiſſe, confirmantibus quoque ea auſpiciis, quæ populus indicauerat. Et autem libidinis regnandi notatu dignum exemplum.

Eod. *Domi militiæq;*.] Secretiorib. namq; cõſiliis domi militiæq; adhibit⁹, equitũ deinde perfecturã adept⁹ eſt.

Patres minorum gentium.

Eod. *Centum in patres legit*.] Senatores à Romulo centũ creatos fuiſſe, qui ob honorem *patres*, ob ætatẽ *ſenatores* dicti ſunt, dictũ eſt ſuperius. Deinde cõmunicata vrbe cum Sabinis & Tatio, idem Romulus alios centum legit, vt eſt apud Liuium, explens numerũ ducentorum. Nunc Tarquinius Priſcus in orbitate Senatus legiſſe centum alios ſcribitur, *minorum gẽtium* appellatos, tametſi à Bruto familias minorum gentium inuentas nonnulli credant, Onuphrios Panuinius in ſua ciuitate Romana, Sabinis in vrbem æquo iure ſuſceptis, ex illuſtriorib. familiis viros centum curiarum ſuffragiis, veterib. ſenatoribus aſcriptos, & Senatorum ordinem auctũ exiſtimat. Et hinc potius *patriciorũ minorum gentiũ* & *patrũ conſcriptorũ* originem manaſſe credit, quam quod Liuius, Plutarchus & Tacitus tradũt, ſub L. Bruto primo conſule, & ſub Tarquinio Priſco, *patricios minorum gentium* primum appellatos. Nam eos tantum patricios, qui à Romulo primum lecti ſunt, *maiorum gentium* fuiſſe, vel ſequentis lectionis patriciorum teſtimonio confirmari poſſet, qui eorum ratione habita, non niſi minorum gentium ſe ipſos eſſe profiterentur.

Fuerunt equidem, & hi maiorum gentium, ſi iis, qui à ſequentibus regibus lecti ſunt, cōferantur, ita vt à Romulo lecti ita ſint maiorum gentium, vt minorum eſſe non poſſint: Nouiſſimi vero à Bruto creati, ita ſint minorum, vt maiorum appellationem obtinere nequeant medij vero à regib. allecti, modo maiorum, modo minorum dici poſſint, maiorum quidem inferiorem, minorum vero ſuperiorum patriciorum habita ratione. Sunt autē qui *maiorum gētium* appellatos putent, quos Romulus tantum prima lectione ex Albanis adlegit, reliquos inde, & quos ipſe, & quos alij reges deinde aſciuerunt, minorum, vt tradit Sigonius lib. 1. de antiquo iure Quiritium c. 7. De *patribus* vero *conſcriptis*, eos primum *conſcriptos* eſſe credendum, qui primo ordini iam inſtituto inſerti ſunt, & reliqui omnes qui varijs temporib. in eum ordinē ſunt collocati. Nam ſi *conſcriptum eſſe*, idem eſt, quod *allectum*, cur hi qui in ordinem iam inſtitutum cooptati ſunt, *conſcripti* non ſunt appellādi?

Patres conſcripti qui?

Eod. *Deinde minorum gentium.*] Id *deinde* Pithœus lib. 2. aduerſ. ſubſec. c. 7. interpretatur, ſcilicet à L. Bruto, auctoritate Taciti lib. 11. Ex hac vero differentia Senatorum, tranſlatione quadam ex dijs Tullius eleganter quoſdam *maiorum*, quoſdam *minorum gētium* dixit li. 1. Tuſculanarum: *Maiorum gentium* appellās eos qui cæleſtes habiti ſunt ſemper, & ab antiquis *ſelecti* dicti ſūt, vt & Auguſtinus li. 7. de ciuitate Dei eos *præcipuos et ſelectos* vocat: *Minorum* vero *gentium* Dij ab eodem appellantur aſcriptitij quidam & allecti in Deorum numerum, qui ex hominib. diuinos honores meruerant, prout eleganter tradit Budæus in prioribus annotat. ad Pandectas.

Dij maiorū & minorū gentium.

Eod. *Circo qui nunc maximus dicitur.*] *Circus* apud Romanos dicebatur is locus, vbi ludrica fiebant certamina, & ob hoc quidem quod in circuitu ſpectaculis ædificatis, ibi ludi fierent, & quod illic circum metas ferretur pompa, & equi currerent. Erat autem forma obſonga inſtar arcus, in circuitu habens gradus, ſpectatoribus apta ſedilia, ne alter alterius proſpectum impediret, cuius deſcriptionem pete ex Marliani lib. 4. cap. 10. Topographiæ.

Circus.

Eod. *Qui nunc maximus dicitur.*] Inter Palatinū montem & Auentinum non procul à templo Herculis, cuius pauimentum fecit ex chryſocolla, hoc eſt, ex omnium duriſſima materia, quæ naſcitur poſtquā aurum effoſſum eſt. Poſuit autem fundamenta tantum huius circi Tarquinius, quem Cæſar deinde, addēs magnificentiam, ampliauit. Cum enim longus fuerit ſtadiorum trium cum dimidio, latus quatuor iugerum, Cæſarem in eam amplitudinem extendiſſe, & non Tarquinium voluit. Id quod veriſſimile eſt, cum Tarquinij temporib. ciuitas adhuc tam populoſa non eſſet, neque in tantum dedita ſpectaculis, ergo non tanto opus erat ſpacio, vt Cæſaris ætate. Reliqua vide apud Dionyſ. Plinium li. 36. c. 15. Marlian. li. 4. c. 11. Topograph. Volaterr. lib. 29. cap. 11. & lib. 6. cap. 1.

Circus maximus.

Eod. *Romani magnij.*] *Romani* ergo & *Magni* ludij ijdem fuerunt, ijque annui ex Liuij ſententia. Quod verum ne ſit, dubitat Petronius li. 3. De magiſtratib. Romanis adductus eo, quod interdum facti inueniantur prodigiorum cauſa, & interdum religione iniecta, vt Liuius l. 22. tradit de Q. Fabio Maxim. & li. 25. de Publ. Cornelio Scipione Ædile ante legitimam ætatem creato. Inter ludos vero, qui plurimi Romæ fuerunt ſpectatiſſimi fuerūt *Romani*, à regibus primum inſtituti, Ioui, Iunoni, & Mineruæ celebres. Nam ſingulis dijs ſinguli dicati ludi erant, quos ad placanda numina cum ſacrificiis, cumq; cātu & tibia celebrabant, prætoris edicto id decernente. Tarquinius igitur Priſcus cum ludos Magnos opulentius, inſtructiuſque inſtituiſſet, quam principes fuiſſent, *Magni* dicti ſunt: in eos enim ducēta millia nummum impenſa ſunt. Vnde deinde quoq; poſt pugnam ad Thraſymenum celebrati ſunt ludi Magni, æris 333. millibus, bobus albis 400. multiſq; alijs hoſtijs & diuitiis, in quorum celebritate, præcipua per ſingula puluinaria mittebantur munera. Verum de Romanorum ludis & ſpectaculis Plin. lib. 7. c. 56. l. 36. c. 15. Blondus li. 2. Romæ triumphantis. Alex ab Alex. l. 6. cap 19. Volaterran. lib. 29. cap. 11. & alij.

Ludi Romani magni.

Cap. xxxv. *Muro lapideo.*] Marlianus Tarquinium Superbum ciuitatem prius ruderibus vilibuſque ſtructuris munitam, muro ex lapidibus primum incluſiſſe. lib. 1. cap 5 ſcribit, vbi multi de ambitu & mœnibus vrbis ſæpe reſtauratis legere licet.

Eod. *Accius Nauius.*] Fuit Accius Nauius primo tenuis fortunæ homo referente Cicerone lib. de Diuinatione primo. Quum enim ob eam paupertatem ſues paſceret vna ex his amiſſa, vouiſſe dicitur, ſi recuperaſſet, vuam ſe Deo daturū, quæ maxima eſſet in vinea. Itaque ſue inuenta, ad meridiem ſpectans, in vinea media conſtitiſſe dicitur. eumque in quatuor partes vineam diuiſiſſet, treſque partes aues obduxiſſent, quarta parte quæ erat reliqua regione diſtributa mirabili magnitudine vuam inuenit, qua re celebrata cum vicini omnes ad eum de rebus ſuis referrent, tantum denium nomen tantamque in augurando authoritatem aſſecutus eſt.

Accius Nauius.

Eod. *Diſcidiſſe cotem ferunt.*] Cotem autem illam & nouaculam defoſſam in comitio, ſuptaque impoſitum puteal accepimus. Hanc hiſtoriam leges apud Dionyſium, Plinium lib. 34. c. 5. Lactantium l. 1. c. 8. Val. Maximum lib. 1. c. 4. Blondum li. 1. Romę triumphantis. Volaterranum lib. 3. c. 1. & li. 24 c. 5. Cœlium Rhodiginum lib. 10. cap. 17.

Eod. *Numerum tantum alterum adiecit.*] Vt Nannius l. 5. Miſcellaneorum annotat, Atrebatenſis Codex habet *numero tamen alterā adiecit.* Buſlidianus *numerū tantum alterum adiecit.* ſed vulgata lectio probatior eſt: indicat enim numerum in centuriis equitum duplicatum eſſe. Hac forma loquendi Cicero de oratore perfecto vſus eſt: *Pes qui adhibetur ad numeros partitur in tria, vt neceſſe ſit partem pedis aut æqualem eſſe alteri parti, aut altero tāto aut ſeſqui maiorem eſſe, ita ſit æqualis dactylus. Alterū tantū dicimus, cum tantundem adhuc ſemel eſt, quantum antea in numero aut magnitudine fuit.* Sumpta autem eſt ea forma loquēdi à Demoſthene contra Midiam vbi inquit: ὑμεῖς δὲ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ... τῶν ἐπιμελητῶν, καὶ ἑτέρους τοσούτων ἑτέρων. Ceterum de his centuriis præter Liuium, vide Dionyſ. lib. 2. Feneſtellam ca. 2. de magiſtratib. Rom. Blondum li. 3. Romæ triumphantis. Alex. ab Alex. li. 2. c. 29.

Alterum tantum quid ſignificet.

Cap. xxxvi. *Deditoſque Collatinos.*] Deditionis forma. De qua Alciatus lib. 1. παρέργων, cap. 14. vbi docet qui *dedititij* in iure vocentur.

Deditionis formula.

Cap. xxxix. *Seruio Tullio.*] Dionyſius ait ideo Seruium appellatum, quod ab Ocriſia ſerua natus eſſet.

Seruius inde dictus.

Eod. *Puero dormienti.*] De Seruij Tulij parentibus & conceptu mirabili, Plin. lib. 36. c. 17.

Eod. *Arſiſſe ferunt.*] Et ita quidem, vt qui forte aderāt perculſi aquam è proximo peterent, flammam extincturi. Duæ autem ſunt virtutes ignis vt Plato teſtatur. Altera edax & peremptoria, vt ſupra de Tullo Hoſtilio qui fulmine ictus cum regia flagrauit. Altera mulcebris & innoxio lumine, ac quaſi lambens flamma. Sic ignis Aſcanium fatalis exilij cum patre diſcrimina ſubeuntem, de cœlo quaſi ſuccenſo capite illuſtrauit, vt apud Virgilium lib. 2. *Ecce leuis.* de præſenti vero prodigio Plin. lib. 2. cap. 110. & libr. 36. c. 27. Valerius Maximus lib. 1. c. 16. Cicero lib. 1. de diuinatione.

Ignis duæ virtutes.

Eod. *Columen quondam rebus noſtris dubiis*] Ignis enim in prodigiis apud veteres, ſi vrendo non noceret, ſemper celebritatis gloriam afferebat, cuius quoque rei exemplum leges apud Claudianum, de quarto conſulatu Honorij. *Apparet qui ſigna.*

Ignis in prodigiis.

Cap. xl. *Subito ictu.*] Accepto à percuſſorib. filiorum Anci Martij. Eſt autem muliebris aſtutiæ memoratu dignum exemplum.

Cap. xli. *Interim Seruio Tullio.*] Qua ratione factum ſit, vt Priſco ſucceſſerit Seruius Tullius excluſo Superbo, docet Alciatus libro παρέργων, ca. 8. vbi Liuium con-

Liuius contra Vallam defenſus ab Alciato.

tra Vallam defendit, & huius rationes aduerſus Liuium inductas, diluit.

Cap.XLII. *Cenſum enim inſtituit.*] Eadem quæ hic Liuius, Dionyſius quoque tradidit, etſi alijs verbis lib. 4. Vbi tamen à Liuio in cenſus ſumma non in paucis diſcrepat. Quare ille omnino ad huius loci verum intellectum adiungatur.

Ciuium Romanorum diſtinctio varia.

Cap.XLIII. *Ex iis qui centum millium æris.*] Ex hoc loco ſatis apparet multiplicem ciuium Romanorum inter ſe diſtinctionem fuiſſe. Nam *cẽſu, ordinibus, ætate* deſcriptos præter Liuium, lib.3. de legibus Cicero teſtatur, vbi de cẽturiatis comitiis loquitur. *Cenſu*, id eſt, per claſſes, quæ cenſu inter ſe diſtinctæ erant. *Ordinibus*, id eſt, per centurias equitum & peditum. *Ætate*, id eſt, per ſeniorum iuniorumque centurias, quæ poſtrema diſtinctio vt intelligenda ſit, ex Tuberone explicat Gellius li.10.cap.28. nimirum quod Seruius Tullius quos Reipubl. idoneos eſſe arbitraretur, ab anno 17. vſque ad annum quadrageſimum ſextum *iuniores*, ſupraq; eum annum *ſeniores* appellarit. De eo vero, quod de cenſu primæ claſſis hic Liuius ſcribit, non bene inter ſcriptores veteres conueniſſe videtur. Plinius enim lib.33. cap. 3. dicit *primæ claſſis cenſum* ſub Seruio fuiſſe cẽtum ac decem millium æris, Gellius lib.7. cap.13. dicit centum & viginti quinque millium æris claſſicorum cenſum fuiſſe. Ita vt quid in hac re ſequendum, non habeamus. *Æs* autem apud Romanos, quod verbum hic & à veterib. ſæpe vſurpatur eiuſdem precij & ponderis fuiſſe, cuius *minam* apud Athenienſes tradit præter alios Ioachimus Perionius li.2. de magiſtratibus Romanorum. Per dena autem millia æris Budæus libr. 5. de aſſe intelligit centenos aureos.

Claſſes.

Iuniores & ſeniores qui.

Claſſis primæ cenſus.

Æs quid apud Romanos.

Verutum.

Eod. *Verutum datum.*] *Verutum* teli genus, ſimile veru, à quo nomen ei adhæſit. meminit eius Lucretius lib. 3. *Vix etiam curſus quingentos ſæpe veruti.* Et Saluſtius libro 3. hiſtoriarum: *Manebant in modum veruti militaris.*

Accenſi.

Eod. *In his accenſi.*] Marcellus ſcribit *accenſos* genus militiæ eſſe, adminiſtrantibus proximum, dicti quod ad neceſſarias res ſæpius accirentur velut accerſiti. Sextus vero Pompeius, *Accenſi* (inquit) *dicebantur qui in locum mortuorum militum ſubrogabantur, et ad cenſum adijciebãtur.* Idem li.1. *Aſcriptitij velut quidam ſcripti dicebantur, qui ſupplendis legionibus adſcribebantur, hos et accenſos dicebant.* Sed Varro rectius, qui docet, *accenſos* adminiſtratores fuiſſe magiſtratuum: ab *acciendo* dictos, id eſt, vocando nam accenſus inſtar præconis acciebat iuſſu cõſulis Quirites, ad concionem, quæ ſententia Robortello lib.2. emendationum cap.21. & Onuphrio Panuinio in ciuitate Romana placet. Plinius lib.7. *Adiectus eſt & meridies accenſo conſulum id pronunciante.* Erant ſingulis præſidibus prouinciarum accenſi, quod munus nemini niſi libertis deferebatur, vt ſcribit Cicero ad Q. fratrẽ. Aſconius autem ſic: *Accenſus eſt nomen ordinis & promotionis in militia, & nunc dicitur princeps, vel commentarienſis, aut Cornicularius.*

Proletarij qui?

Eod. *Hac minor cenſus reliquam.*] Liuius quidem quinque claſſes à Seruio inſtitutas minime obſcure prodit. Ad ſextam *Proletariorum & capite cenſorum* fuiſſe autores alij memoriæ prodiderunt, quamquam huius non ſit habita ratio, id quod oſtendit Tubero apud Gellium loco præallegato, & Liuius cum ait, *Tribunos plebis decẽ creatos, binos ex ſingulis claſſibus.* & Aſconius qui in commentarijs Cornelianæ quinque primum tribunos creatos prodit, binos ex ſingulis claſſibus. Ceterum non eoſdem fuiſſe *proletarios, & capite cenſos*, quos ſextam ex pleriſque claſſem auctores prodiderunt teſtis huius rei eſt diligentiſſimus Gell. lib 16. ex Iulij Pauli ſententia. *Nam, qui in plebe,* inquit, *Romana tenuiſſimi, pauperrimique erant, neque amplius, quam quingentum æris in cenſum deferebant, Proletarij appellati ſunt: Qui vero nullo, aut perquam paruo ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur, extremus autem cenſus capite cenſorum æris fuit* CCCLXXV.

Capite cenſi qui?

Eod. *Hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera.*] Nam ſi quando ei opus eſſet militum decem millibus, aut viginti, diuiſa in centum nonaginta tres centurias ciuitate, prout Dionyſius tradit, per centurias imperabat quantum dare militum quemque oporteret. Tum inita ratione pecuniarum, quæ exercitui ducendo opus eſſet, populus in centum nonaginta tres centurias diuidebatur, & quid quamque centuriam conferre oporteret imperabat. Qua ratione fiebat, vt qui maximo cenſu erant, cum & pauciores eſſent, & in plures diuiſi centurias, ſæpius ac fere continenter ferrent onus militiæ, & de ſuis facultatibus plus in commune conferrent, atque vt ait hic Liuius à pauperibus inclinata onera, qui enim medio cenſu erant, quia plures erant, & in pauciores centurias diſtributi, nec ita ſæpe militabant, nec magno tributo grauabantur, qui vero infimo cenſu erant, omni onere immunes fuerunt, vt hoc explicat Onuphrius in ciuitate Rom. ſub titulo *de cenſu.*

Eod. *Deinde eſt honos additus.*] Dominatio nimirum in comitiis, quibus res maximæ à populo ſciſcebantur. Nam ex veteri lege tria erant, vt populi poteſtate, magiſtratus omnes creare, leges condere aut abrogare, bellum indicere aut pacem facere. Hæc vero à populo ita peragi ſolita erant, vt per curias diuiſus ſuffragium ferret. Erantque tunc pauperes diuitibus ſuffragio ferendo pares. Quo etiam, quia multo pauciores erant diuites pauperibus, ita fiebat, vt vis ſuffragiorum eſſet penes pauperes. Quo à Seruio Tullio animaduerſo in diuites tranſtulit poteſtatem ſuffragiorum, quando enim volebat vel magiſtratus creare, aut leges ferre, aut bellum indicere, centuriata comitia pro curiatis vocabat, ac primum quidem ad ſuffragium ineundum vocabat centurias maximi cenſus, in quibus erant 18. centuriæ equitum, & peditum LXXX. Hæ octo & nonaginta centuriæ, quæ reliquam multitudinem trib. centurijs ſeparabant, ſi conueniſſent, reliquas vincebant, omninoque quod ſtatuiſſent obtineri oportebat. At ſi omnes illæ non conueniſſent, tunc vocabat ſecundæ claſſis 20. vel 22. cẽturias, quod ſi harum rurſus diuerſæ ſententiæ fuiſſent, vocabantur centuriæ viginti tertiæ claſſis, mox quartæ XX. idque eo vſq; faciebat donec XCVII. centuriæ conuenirent. Quod ſi vocata etiã quarta claſſe id nõdum ita accidiſſet, ſed ſuffragiorum multitudine pares eſſent XCII. centuriarum ſententię tum vltimam centuriam ſextæ claſſis vocabat, quæ cui parti ſe addidiſſet ea vincebat, id quod raro aut nũquam vſu venit: ferre.n. à prima claſſe omnia tranſigebantur, raro ad quartam peruẽtum. Quinta vero claſſis ac poſtrema nullius fere momenti erant. Atque ille quidem ordine inſtituendo, quo tantum auctoritatis dabatur ditiorib. vt pene exacti Reip. adminiſtratione pauperes viderentur, tantum adhibuit calliditatis, vt plebi infimæ fraus non appareret. Omnes.n. ſe æquabiliter Rempub. gerere cenſebant, quod viritim regebantur in ſuis ſinguli centurijs. At decipiebantur, partim quod vniuerſę centuriæ vnum eſſet ſuffragium, ſiue plurimos ſiue paucos ciues complecteretur, partim, quod primæ ſuffragium ferrent ex Centuriæ, quæ erant maximi cenſus quæ & plures erant numero, reliquis omnib. & pauciores, tamen homines ſingulę continebant.

Populi poteſtas in quo.

Suffragiorũ ratio ſub Seruio Tullio.

Eod. *Ibi ſi variaret.*] Ex his Liuij verbis triplicem fuiſſe ferendorum ſuffragiorum rationem intelligimus, primam eam quam Romulus inſtituit, de qua paulo ante dictum eſt: alteram eam cuius Seruius Tullius auctor fuit & inuentor, vt gradus eſſent ij quos hic Liuius expoſuit: tertiam, quã ſua ętate ab ſuperiorib. diuerſam eſſe affirmat. Cur autem inſtituta à Seruio ratione, niſi variaretur ſentẽtijs inter equites & primæ claſſis pedites infra non deſcenderetur, Liuius non exponit, ſed nos ex Dionyſio iam oſtendimus, nimirum hoc idcirco fieri ſolitum, quod illi vniuerſi reliquas tribus centurijs ſuperarent. Id quod tamen Ioachimo Perionio lib.3. de magiſtratibus Rom. non longe à principio fal-

Suffragiorũ ferendorum triplex ratio.

Digitized by Google

ſum videtur. Nam cum ſecundæ claſſis viginti eſſent centuriæ, tertiæ 50. quartæ 25. quintæ 30. efficitur profecto maiorem harum numerum eſſe, quam equitum & primæ claſſis, quæ ex ipſius Dionyſij ſententia decem & octo centurias explebant. Itaq. magis adducitur vt credat, hũc honorem Equitibus & primæ claſſis peditibus tributum eſſe, vt ſi in ferendis ſuffragiis vnum idemq. ſentirent, eorum valeret ſententia. non diffitetur tamen Dionyſij rationem ſententiæ eius de numero centuriarum conuenire Equites enim facit explentes decem & octo centurias prima claſſem octoginta, ſecundam duas & viginti adiunctis fabris, tertiam viginti, quartam duas & viginti, quintam 30.

Tribus ſub Seruio. Eod. *Quadrifariam enim vrbe diuiſa.*] Scilicet à Seruio Tullio, vt & auctor de viris illuſtrib. in vita Seruij c. 7. tradit: Eo enim vſque trium tantum tribuum fuerat: Et vnam quidem Palatinam, alium Suburanam, tertiam Collatinam, quartam Exquilinam vocauit. De hiſce autem vide Blondum li. 2. Romæ triumph. Alex. ab Alex. li. 1. cap. 16.

Tribus vnde dictæ. Eod. *Tribus vt ego arbitror, à tributo.*] Non ſine cauſa hoc Liuius adijcit *vt ego arbitror.* Nam Varronis ſentẽtia verbum *tribus* à *tribus* eſt nominatũ, quod ager Romanus in tres partes diuiſus eſſet, Tatienſes, Rhannenſes, Lucerenſes, quam etiam Plutarchus & Dionyſius ſecuti ſunt, *tribum* à numero dictam putantes, ſicuti ab Athenienſib. *τριττὺς* eſt appellata *ἀπὸ τῶν τριῶν*, id eſt *à tribus*, eamque veriorẽ exiſtimat Petronius li. 2. De magiſtratib. Romanorum. Vt vero Liuius in hoc à Varrone diſſentit, ſic nec quas Varro *tribus* vocat, eodem nomine appellat Liuius, ſed *cẽturias*, eaſque equitum. *Tribus* vero à *centuriis* differre hic Liuij locus luculẽter teſtatur, dum primũ duplicatum fuiſſe numerum tribuum,

Tribus an eædem cum Centuriis. quas tempore ſuo xxxv. fuiſſe ſcribit. Quod ſi duplicatæ fuerunt, vt ipſe vult, & *curiæ* eædem ſunt, quæ *tribus*, certe cum dicat curias à Romulo xxx. fuiſſe, non ſolum eſſẽt quinq; & triginta tribus, ſed ſexaginta duplicatæ. Deinde *tribut* à *tributo* appellatas confirmat, cuius conferendi Seruius rationem inierit. Quod ſi quatuor tantum erant tribus à Seruio inſtitutæ. Curiæ autẽ triginta,

Tribus decem curias continet. quas Romulus, vt vult, inſtituerit, certe aliud *tribuũ*, aliud *curiarum* nomine intelligi cõuenit. Liuio ſuffragatur Dionyſius Halicarnas. li. 2. antiq. Roman. & Plutarch. in vita Romuli, qui melius accõmodatiuſque ipſo Liuio horum verborum diſſimilitudinem expoſuiſſe videntur. Eorum etenim ſentẽtia vnaquæque tribus curias decem cõtinebat. Liuius autem noſter adeo obſcuram hanc quæſtionem reddidit, dum ſolus *centurias* vocat, quas *tribus* ceteri appellant, & curias xxx. à Romulo inſtitutas eſſe dicit, eaſque à tribub. ſeiũgit, & à curiis triginta, quas Halicarnaſſeus & Plutar. ponũt, vt Petionius loco præallegato fateatur ſe prorſus ignorare quid Liuius curias appellarit. Itidem de obſcuritate huius loci Nicolaus Gracchus li. 1. de Comitijs Romanorũ conqueritur, licet li. 3. c. 1. tandem cum Budæo in poſteriorib. annotationib. in Pandectas ſtatuat *curias*

Curiæ quæ fuerint. Romæ fuiſſe populi tales quaſdam partes, quales ſunt in vrbib. noſtris *parœciæ.* Vt etenim hæ habent deſtinatas quaſdam domos, in certa quadam vrbis parte ſitas, quę communia ſacra, ędem ſacram communem, ſacrorum communem administrum habent, ita curiæ erant incolarũ vrbis partes non modo loco, ſed etiam ſacris peculiaribus ſibi diſtinctæ. Sed & diſtributionem tribuum ſecũdum loca & regiones vrbis fuiſſe Dionyſius Halicarnaſſus teſtatur, qui eam vocat *νομὴν*, ſicuti diſtributionẽ in claſſes & centurias, *νέμησιν*: prout & Gel-

Curiæ duorum generum. lius idem fere docet li. 15. ca. 27. Porro autem Varro *curiam* non eodem modo quo Dionyſius atque Plutar. appellare videtur. In lib. n. de Latina lingua duo genera curiarum facit his verbis: *Curiæ duorum generum, nam et vbi curarent ſacerdotes res diuinas, vt curiæ veteres: & vbi Senatus humanas, vt curia Hoſtilia, quã primus ædificauit Hoſtilius.* In eodẽ: *Curia vbi Senatus rẽpub. curat, illa etiã curia dicitur, vbi cura ſacrorũ publica, ab his curiones.* Varro itaq. nomẽ *curia* ad loci appellationẽ refert ſuperiorib. verbis, de qua ſignificatione Dionyſius loquitur li. 2. Iis autem quæ ad Deorum cultores pertinent conſtitutis templa diuiſit, curiiſque ſingulis binos deos quos colerent aſſignarũt, decreuitque ad ſacra ſumptus, qui publice præberentur. Sacra autẽ vna eum ſacerdotib. curiæ faciebant, feſtiſque dieb. in curiali Veſta omnes epulabantur. Erat enim ſuum quique curiæ triclinium, in quo ſacra fiebant, vt apud Græcos in Prytaneis.

Porro etſi hæc ad intelligendum hunc Liuij locum ſufficere videri poſſent: tamen quia tribuum cognitio, res vt vtilis & neceſſaria, ita difficilis & obſcura hactenus fuerit, mihi ipſi conſtitui hoc loco, quo Ser. Tullij geſta ſcribuntur à viris doctiſſimis hinc inde tradita, maxime vero ab Onuphrio Panuinio aſcribere de iiſdem, atque quantum rei difficultas permittet, obſcura quæque explanare, verum que xxxv. tribuum, numerũ & nomina, atque quid de iis, quæ ſuperfluæ videntur, ſentiendum ſit aperire. Cuius rei tractationem, quo diſtinctius intelligi poſſit, à Romulo paulo altius repetam, nam is primus tres conſtituit tribus.

De primis tribus Romuli tribubus.

VRbem Romam & agrom inter tres partes, quas etiã tribus appellauit, & xxx. curias, primus Romulus diuiſit, vt M. Varro. li. 4. de lingua Latina, & alij veteres ſcriptores tradũt: *Ager Romanus* (inquit Varro) *primũ diuiſus in partes tres, à quo tribus appellata, Tatiẽſiũ Ramnenſium, Lucerum.* nominatæ (vt ait Ennius) Tatiẽſes à Tatio Rãnenſes à Romulo, Luceres (vt ait Iunius) à Lucumone, ſed omnia hæc vocabula Tuſca, vt Volũnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat. Dionyſius lib. 2. *Diuiſa in tres partes omni multitudine ſingulis partibus præfectum conſtituit eum, quem illuſtriſſimum ac nobiliſſimũ cenſebat. Tum ſingulas trium partium rurſus in decẽ partes diſtribuit, totidemq; ſingulis præfectos dedit qui eſſent fortiſſimi, ac maiores quidẽ partes, tribus minores, curias appellauit, vt etiam ad noſtram vſque ætatem vocantur. Qui tribubus, tribuni, qui curiis præerãt, curiones vocati: diuiſæq; ſunt rurſus curiæ in decurias, vocabaturq; ſingularũ præfectus decurio. Poſtquã autem hoc modo omnes in tribus, & curias deſcripti ſunt, agrũ vrbanum omnẽ in triginta æquales partes diſtribuit, ac ſingulis curiis ſuam partẽ attribuit.* Liuius lib. 10. *Quum inter augures conſtet imparẽ numerum eſſe debere, vt tres antiquæ tribus Ramnenſes, Tatienſes, Luceres, ſuum quæque augurẽ habeãt.* Pædianus oratione III. in Verrem: *Tribus principio tres fuerunt, Tatienſis vna à Tatio rege, Rãnenſis alter à Romulo, Luceres altera à Lucumone, ſiue Lucretino, ſiue à luco, quẽ lucum aſylum vocauerat Romulus. Obtinuerunt autem nomen, aut à tributo dãdo, aut quia primo tres fuerunt, vnde etiã tribuni dicti.* Plutarch. in Romulo: *Eodem tẽpore in tres tribus tota ciuitas diuiſa. Rãnenſes à Romulo, à Tatio Tatienſes appellatos, tertiæ tribus homines Luceres dicti, à Luco Aſyli, in quem multi fuga delati, ciuitate donati ſunt. Tribus autem tres ipſas fuiſſe numero, nomen ipſum indicat, quibus qui præerãt, tribunos vocabant. Singula autem tribus decem continebant curias.* Põponius III. *Dicti tribuni quod olim in tres partes populus diuiſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur, vel quia tribuum ſuffragio creabantur.* Et Propertius li. 4. Eleg. 1.

Prima Galeritus poſuit prætoria Lygmon,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oues:
Hinc Tities, Ramneſque viri, Lucereſque coloni,
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Et Sex. Pompeius. *Titienſis tribus à prænomine T. Tatij regij appellata videtur.* Pædiani & Plutarchi ſententiã de Lucerũ appellatione, qui *Luceres à luco* Aſyli dictos fuiſſe ſcribũt, maxime probo, veram enim eam eſſe exiſtimo. Nam hi qui cum Romulo primo vrbem condiderunt, vt paſtores Albani, aliquot Græcanici generis, qui tum Palatium & Capitolium habitabant. *Ramnenſes* à Romulo nominati fuerunt, qui Palatium, & montem Cœlium poſt conditam vrbem coluerunt. *Tatienſes* autem fuerunt Sabini, & quotquot ab ea regione,

vel cum T. Tatio, vel poſtea venerunt, hi Capitolium & Quirinalem coluerunt. Cereri aduentij, vt Etruſci & Latini, & perfugæ omnes, qui ad Aſylum confugerant. *Luceres* à luco Aſyli denominati ſunt. Hi loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum tenuere. Et quamquam auctores habeam, qui tertiam tribum Lucerum à Lucumone Etruſco, qui Romulo bello laboranti contra Sabinos præſto fuit, dictam velint, quemadmodum Cœlium montem ab altero Tuſcorum duce Vibenna Cœlio appellatum fuiſſe ſcribunt: magis tamen Pædiani & Plutarchi ſententia adducor, vt probem, quod *Luceram* à *luco* appellatio longe amplior ſit, atque plus comprehendat, quam à *Lucamone* deriuata. Liuius libr. 1. has tribus centurias equitum vocat, quod ex ſingulis iis tribub. centum equites ſcripti eſſent. *Eodem* (inquit) *tẽpore et centuria tres equitum conſcripta ſuat, Rãnenſes à Romulo, ab T. Tatio Tatiẽſes appellati. Lucerum* nominis & originis cauſa incerta. Sex. Põpeius: *Turmã equitũ dictã eſſe ait Curiatius, quaſi terimam, quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatienſiũ, Ramaenſium, Lucerum fiebant.* Itaque primi ſingularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in ſingulis turmis ſunt, etiam nũc terni. Etenim Varro lib. 4. *Tribuni militũ dicti quod terni tribus tribubus, Ramnenſium, Lucerum, Tatienſiũ olim ad exercitum mittebantur.* Porro autẽ hæ tres tribus vſque ad Tarquinij (vt opinor) Priſci tempora permanſerunt. Nam cum ſub Tullo Hoſtilio Albani in Ramnenſium tribum adſcripti, ceterique omnes populi, qui ſub regibus Romam venerunt ad habitandum, præter Sabinos, Lucerum tribui incluſi fuiſſent, vrbeque multum aucta, hæ tres tribus non ſufficerent, L. Tarquinius Priſcus ſub iiſdem, quibus inauguratæ erant, nominibus eas duplicauit, primoſque & ſecundos Tatienſes, Ramnenſes & Luceres conſtituit, quod idem etiam de equitum centuriis Liuio & Dionyſio auctoribus fecit. Cuius rei ita meminit Sex. Põpeius: *Sex veſtæ ſacerdotes conſtituta erant, vt populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum, quia ciuitas Romana in ſex erat diſtributa partes, in primos ſecũdoſque Tatienſes, Ramnenſes et Luceres.* Et Liuius lib. 1. *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutauit numero, tantum alterum adiecit, vt mille octoginti equites in tribus cẽturiis eſſent, poſteriores modo ſub iiſdem nominibus, qui additi erant, appellati ſunt, quas nunc quia geminata ſunt, ſex vocant centurias.* Ita autem hæ tribus fuerunt vſque ad Ser. Tullium.

De tribubus Seruij Tullij Regis.

Lucerum magnitudine creſcente, cum ea vna aduentitiorum tribus mirum in modum aucta eſſet, ita vt ea ſola reliquas duas longe ſuperaret, aucta quoque ciuitate, cum vrbis mœnia ſeptem montibus occupatis, ampliata fuiſſent, Ser. Tullius rex vrbem denuo in quatuor, agrum vero Romanum in quindecim, vel vt aliis placet XVII. partes, quas Romuli exemplo *tribus* appellauit, diuiſit. Ex quibus quatuor quæ intra vrbem erãt, *vrbanas*, reliquas vero, quæ in agro, *ruſticas* appellauit. Tribus autem vrbanas quatuor, non vt Romulus ab auctore, vel gentis origine ſiue caſibus, ſed à locis, quos colebant, Seruius appellauit. In primam enim tribum vel regionem coniecit omnes, qui montem Cœlium, & finitima loca plana habitarent, orientem verſus, quam *Suburanam* nominauit, quod eſſet ſub antiqua vrbe, vel à pago *Sucuſano*, vt ſcribit Varro. Secunda tribus vel regio dicta eſt *Eſquilina*, hæc Eſquilias continebat. Tertia regio duos colles comprehendebat, Quirinalem & Viminalem, à quibus *Collina* appellata. Quarta regio ſola complectebatur fere totum id ſpacium, quod antiquæ tres ſub Romulo: continebat enim Palatium, forum & Capitolium, dictaq; *Palatina* à Palatio ipſo, tanquam primo colle, in quo vrbs condita eſſet. Ab his igitur regionibus tribus quoq; quatuor vrbanæ appellatæ ſunt M. Varro: *Ab hoc quoque* (inquit) *quatuor partes vrbis tribus dicta, & ab locis Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina.* Sextus Põpeius: *Vrbanas tribus appellabãt, in quas vrbs erat diſpartita à Ser. Tullio rege id eſt Suburana, Palatina, Eſquilina, Collina.* Et Liuius lib. 1. *Quadrifariam vrbe diuiſa ab Ser. Tullio, qua habitabantur partes, tribus eas appellauit.* Et Dionyſ. lib. 3. *Ser. igitur Tullius, vbi muro ſeptem colles complexus eſt, in quatuor partes vrbem diuiſit, & cognomina cuique parti impoſuit ex collibus. Vnam quidem vocans Palatinam, aliam Suburanam, tertiam Collinam, et quartam Eſquilinã, quatuorque tribuum fecit vrbem, quæ eo vſque fuerat trium, neque amplius tres trib⁹ generis ſiue originis, vt ante, ſed quatuor à locis à ſe deſignatis dictas eſſe voluit, creauitq; partibus ſingulis principes tribuum ſiue vicorum præfectos, quos ſcire iuſſit vbi quiſque habitaret, ſtatuitq; homines, qui in vnãquamq; partem abituri eſſent, tamquã eius loci incolas in nullam aliã transferri poſſe habitationẽ, nulloq; alio loco vel tribu nomina in militia darent, vel tributum penderent quã in ea in qua coniecti & deſcripti fuerãt, tribu.* Hæ autẽ ſunt cauſæ & origo quatuor primarum tribuum, quas, quod intra vrbem eſſent, vrbanas appellauit. Quo tempore alius factus eſt tribuum, alius vero curiarum ordo, nam tribus locis, curiæ vero quibuſdam ſacris tantum conueniebant. Subſequenti tempore nobiles omnes, qui in tribus vrbanas coniecti fuerant à Ser. Tullio rege, paulatim in ruſticas ſeſe tranſtulerunt, atque vrbanæ tribus humiles admodum, & non niſi tenuiorum hominum eſſe cœperũt: ſed hæc latius paulo poſt. Expeditis quæ ad tribus vrbanas in vniuerſum pertinent, nunc de iis ſingillatim eſt modo diſputandum.

Inter quatuor tribus vrbanas, in quas Ser. Tullius rex vrbem diuiſit, M. Varro primam enumerat *Suburanam* à *Subura* appellatam: *Sic reliqua vrbis loca olim diſcreta, vt Argeorum ſacraria, in ſeptem & viginti partes vrbis ſunt diſpoſita, è queis prima eſt ſcripta regio Suburana, ſecunda Eſquilina, tertia Collina, quarta Palatina.* Et paulo poſt: *Eidem regioni attributa Subura, quod ſub muro terreo Carinarũ eſſet*: vel vt Iunius ſcripſit, ab eo, quod fuerit ſub antiqua vrbe, cui teſtimonium poteſt eſſe, quod ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur: ſed ego à pago potius Succuſano dictam puto *Sucuſam.* Nunc ſcribitur tertia litera *B.* non *C.* pagus *Sucuſanus*, quod ſuccurrit carineis. Ita Varro lib. 4. de lingua Latina. Sextus Pompeius: *Suburam, Verrius alio libro à pago Sucuſano dictã ait.* Hoc vero maxime probat eorum auctoritatem, qui aiunt ita appellatam, & regionem vrbis & tribum à ſtatiuo præſidio, quod ſolitum ſit ſuccurrere Eſquilis, infeſtantibus eam partem vrbis Gabinis, indicioque eſſe, quod adhuc ea tribus per *C.* literam, non *B.* ſcribatur. Quintilianus quoque lib. 1. cap. 22. *Subura cum tribus notatur, C. tertiam oſtendit.* Hæc (vt dixi) Cœlium montem & circum adiacentia loca complectebatur. Prima trib. Suburana.

Inter vrbanas ſecunda tribus ſcribitur à Varrone *Eſquilina*, quod in Eſquilino monte eſſet, appellata. De *Eſquiliis* vero ſatis ſupra dixi. Secunda tribus Eſquilina.

Tertia tribus *Collina*, vt tradit Varro, à *collibus*. Quirinali & Viminali, in quibus ſita erat, appellata eſt. De qua Ioſephus lib. 14. cap. 17. ſic meminit, *L. Coponius L. F. Collina.* Tertia trib. Collina.

Inter vrbanas quarta fuit tribus *Palatina*, auctore Varrone, à *Palatino* monte denominata, quem cum foro & Capitolio obtinebat. De qua ſic Cicero ſcribit oratione quarta in Verrem: *C. Claudius C. F. Palatina.* Et Aſconius eo loco ſic: *Alibi ait L. Claudium Palatina. Hæ itaque ſunt quatuor vrbanæ tribus, in quas quamquam ab initio nobiles omnes cõiecti fuiſſent, paulatim tamen poſtea ſe ſubduxerunt, et in ruſticas relati ſunt, cũ forenſi turba, & tenuioris fortunæ hominibus vrbanas reliquiſſent.* Vnde Plinius lib. 18. cap. 3. ita ſcripſit: *Ruſticæ tribus laudatiſſimæ eorũ, qui rura haberent, vrbanæ vero in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ probro.* Itaque quatuor ſolæ erãt à partibus vrbis, in queîs habitabant: Suburana, Palatina, Collina, Eſquilina. Liuius lib. 9. *Quin. Fabius cen-* Quarta tribus Palatina.

ſor, ne humilimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam, in quatuor tribus coniecit, vrbanaſq; eas appellauit, Maximi cognomen adeptus eſt. Florus ex Liuio in epitoma lib. 20. *Libertini in quatuor tribus redacti ſunt, cum antea diſperſi fuiſſent, Eſquilinam, Palatinam, Suburanam & Collinam.* Aſconius 10 oratione pro Milone: *Libertini* (inquit) *in vrbanis tribub. ſuffragium ferebant. Quæ præcipua cauſa fuit, vt nobiles ex vrbanis ſeſe ſubduxerint, & in ruſticas, quæ horum hominum colluuie carebant transferint.*

De tribubus ruſticis.

De tribuum ruſticarum numero à Ser. Tollio inſtituto parum inter vetuſtiſſimos auctores cõuenit. Fabius enim Pictor tradidit, agrum Romanum io ſex & viginti partes, quas *tribus* appellauit, Ser. Tullium diuiſiſſe. quib. cum quatoor vrbanas addidiſſet, omnium numerum ad 30. auxit. Venonius vero argum omnem in vnã & 30. tribus ab eodem rege diuiſum ſcripſit, ita vt quatuor vrbanis additis quinque & triginta tribuũ numerum, qui poſterioribus tẽporibus fuit, ipſe expleuerit. Cato autem longè omnium diligentiſſimus certum earundem numerũ non edidit. Dionyſ. 17. ruſticas & 4. vrbanas ab ipſo rege factas fuiſſe innoere videtur, qoi vbi iudicium Coriolani deſcribit, vnius ex viginti tribuum numerum tantum tunc fuiſſe retulit. Liuios vero haud lõge poſt reges exactos. Ap. Claudio, & P Seruilio coss. tribuom 21. numerum factum tradit, vt 15. ruſticis à Ser. Tullio inſtitutis, tũ duæ forte additæ ſint, atq; 17. factę. Quibus ſi quatuor vrbanas addiderimus, omnes erunt 21. Catonis in primis, poſt Dionyſij ſententiã ſequentiũ tribuũ 14. adiunctio, quæ à T. Liuio accurate refertur, cõfirmare vidẽtur: pręſertim cũ Dionyſius adeo rerum Romanarum ſcriptor diligens nullam 21. tribuom explicationis mentionem faciat poſt reges exactos, eas tantom Coriolani iudicio 21. fuiſſe ſcribit. Hæc omnia, vt Diooyſij, Catonis, & forte Liuij ſententias confirmant ita Pictoris & Venonij refellũt. Pictor quidem multa præterea ſcripſiſſe traditur, à vero haud parũ abhorrentia, & à Polybio ſæpe negligentiæ reprehenditur. Venouij vero opinionem omnino falſam fuiſſe, non eſt, quod demonſtrẽ: cũ liquido conſtet. quib. temporib. 14. trib. antiquis 21. ſingillatim additæ fuerint. Quamobrem ego in tanta auctorum diuerſitate Dionyſium in primis, & à quo parũ Liuius abhorrere videtur, ſeqoar, atq; à Ser. Tullio 21. trib. fuiſſe cedam. Nam quod poſt reges exactos ad 21. auctæ fuerint, cum id à Dionyſio prætereatur, à Liuio autem ita conciſe & obſcure tradatur, vt ne earundem quidẽ, vt eius cooſuetudo eſt, nomina afferat, non ſuſcipiam. Hanc eandem ſententiam accoratiore alia ratione paulo infra cõfirmabo, cũ de 14. quæ veter. 21. additæ fuerunt, verba faciã. Supereſt igitur, vt à Ser. Tullio ſeptẽdecim ruſticas tribus & quatuor vrbanas factas fuiſſe dicamos, atqoe ab eo 21. oumerũ auctũ. Suggerit libro 4. Dionyſ. Tullius igitur com in totidem partes agrũ omnem Romanum diuiſiſſet, qui eo tempore ab Oriẽte agris. Gabino & Tubuttino, ab Occidente vero & Septentrione paulo vltra Tyberim & Anienẽ, à meridie autẽ mari terminabatur, neque ab vlla parte plus quam 18. millia paſſuum ſe extendebat, *prope mõtes, rupes, ſpecus, & perfugia Collinis ſecuritatẽ allatura præparauit quæ pagos appellauit, quo ſe ex agris omnes recipiebant, cum hoſtium incurſiones fierẽt, atque in eis ſæpe pernoctabãt. Erant quoque et pagorum magiſtri, quibus nomina colonorũ ſcire cura erat, qui eidem pago attributi erant, atque in eius iuriſdictione prædia haberẽt, et cum opus eſſet ruſticos ad arma vocari, aut viritim tributa redimi, hi & homines adducebant, & pecunias exigere ſoliti erant. Ac ne eorum multitudo difficilis inuentu eſſet, ſed facile numerari & cognoſci poſſet, aras eos erigere iuſſit, diis pagi inſpectoribus & tutelaribus, quos hoſtiis publicis magiſtros pagi cũ omni paganorũ multitudine ſingulis annis honorare conſtituit, & hoc ſolenne inter cætera admodum honorabile inſtituit, quæ Paganalia vocantur. Ac leges eorundem ſacrificiorũ edidit, quas adhuc Romani obſeruant. Juſſit autem omnes, qui conuentui & ſacris Paganalibus intereſſent, vt per capita ſingula nummã ſoluerent, alium quidem viros, alium fœminas, alium impuberes, ex quib. à Pagi magiſtris numeratis, cuiuſcis ſexus & ætatis numerus manifeſtus erat.* Hæc autem ſunt, quæ de tribubus ruſticis vniuerſali quadam ratione inueni, nunc eas ſingulas deſcribendas aggrediar.

Trib. quinta Romilia.

Tribus omnes ruſticæ, quemadmodum & vrbanæ initio à locis, in quibos collocatæ fuerant, nomina acceperunt, nam quod à familiis quædam earum nomina habeant, id non ſub Ser. Tullio, ſed poſtea factum eſt, vt ex Liuio demonſtrabo. Quod autem à locis ruſticæ trib. initio nomen habuerint, his verbis indicat M. Varro lib. 4. de lingoa Latina: *Ab hoc quoque quatuor partes vrbis tribus dictæ, & ab locis Suburana. Eſquilina, Collina & Palatina.* Quinta quod ſub Roma *Romilia. Sic reliqua extra vrbis rebus, de quibus in tribuum libris ſcripſi.* Et qoibus verbis colligimus, & *tribus* à locis dictas fuiſſe, & *tribum Romiliam*, quam *quintam* appellat, quod ſub Roma eſſet, vocatam. Hanc autem eam agri Romani partem obtinuiſſe crediderim, quæ in Tuſcia prope vrb. mœnia inchoans, ſecundum flumen vſque ad maris oſtia trans Tiberim extendebatur. Quod ex Sext. Pompeio intelligitur, qui de hac tribu ſic meminit: *Romilia tribus dicta, quod ex agro cenſebantur, quam Romulus ceperat ex Veientibus.* Eum porro agrum, quem Romulus de Veientibus cepit trans Tiberim in Thuſcia fuiſſe, atque ea parte à Ianiculo, vel Vaticano vſque ad mare ſe extendiſſe, referunt Dionyſius & Strabo. Cicero oratione ſecunda in Verrem: *Fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romilia.* Aſconius ibidem: *Romilia nomen eſt ablatiui caſus, vt ſit ex Romilia.* Cicero in Rullum: *A. Romilia tribu ſe initium facturum, populi pars amputetur, ordo tamen negligatur, ante ruſticis detur ager, qui habent, quam vrbanis.*

Trib. ſexta Cluſtumina.

Cluſtumina tribos alias, *Cruſtumina* (vtroque enim modo in vetuſtis inſcriptionib. extare animaduerti) à Tuſcorum vrbe *Cluſtumina* dicta eſt. Ita Sext. Pompeius. Croſtumeriam autem in Sabinis potius, quam in Tuſcis fuiſſe crediderim, haud procul ab vrbe Anienem verſus. De qua tribu ſic Liuius lib. 42. ſcribit: *Poſtquam conſul, quæ voluerat, dixit, Sp. Liguſtinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellauerat, à conſule, & à tribunis petiit, vt ſibi paucis ad populum agere liceret. Permiſſu omnium ita locutus fertur: Sp. Liguſtinus trib. Cruſtumina ex Sabinis ſum oriundus Quirites.* Huius tribus Cicero pro Planco, & pro Balbo ſic meminit: *In tribum Cruſtuminam peruenit L. Cornelius Balbus legis de ambitu præmio.*

Trib. ſeptima; Lemonia.

Sex. Pompeius, *Lemonia* (inquit) *tribus à Pago Lemonio appellata eſt, qui eſt à porta Capena via Latina.* Cicero in Antonium *Ser. Sulpitij. Q. F. Lemonia Ruſi* meminit. Idem pro Planco: *Quid Plancio cum Lemonia?*

Trib. octaua Pupinia.

Tribum *Pupiniam* in vetuſtis epigrammatibus PVP. POP. PVPINIAM ET POPINIAM exaratam fuiſſe notaui. magna enim teſte Quintiliano, inter o & u affinitas eſt. Sic *Popillia & Pupillia, Poblilia et Publilia* ſcribi animaduerti. De hac ita ſcribit Sex. Pompeius: *Pupinia tribus ab agro Pupinio.* Hic ager in Latio cis Tyberim ad mare vergens, haud longe ab vrbe erat. Quod Liuius lib. 26 his verbis aperte docet: *Hannibal infeſtius per populato agro Fregellano propter interciſos pontes, per Fruſinatem Ferentinatemque, & Anaguinum agrum in Iabicanum venit. Inde Algidõ Tuſculum petiit, nec receptus mœnibus infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit. Inde in Pupiniam exercitu dimiſſo octo millia paſſuum à Roma poſuit caſtra.* Valer. Maximus lib. 4. cap. 4. *Illi etiam prædiuites, qui ab aratro accercebantur, vt* coss. *fierent, voluptatis cauſa ſterile, atque æſtuoſiſſimum Pupiniæ ſolum verſabant.* Et paulo poſt: *Atilius conſul ib. ſcripſit villicum in agello, quem ſeptem iugerũ in Pupiniana habebat, mortuũ eſſe.* Cic. epiſt. fã. 8. *C. Lucretij C. F. Pup. Iuri*: & ad Q. Fratr. li. 1. *Cn. Nerei Pupinia* meminit. De trib. *Veientina* Cic. pro Cn. Plãcio meminit ita: *Quid Plancio cũ Lemonia. quid cũ Veientina.* Hæc autẽ ab agri

Trib. oona Veientina.

Google

Veientis parte appellata fuit, qui trans Tiberim in Thuſcia ſuper vrbem Veios verſus erat, de Veientibus à Romulo captus, nam agrum à Vaticano mare verſus tribus Romilia obtinebat.

Trib. decima, Galeria. Cum animaduerterim vnam & viginti tribus à Ser. Tullio additas, omnes aut à locis, aut nobiliſſimis familiis nominatas fuiſſe, in hanc deueni ſententiam, vt *Galeria, Pollia, & Voltinia,* quæ in earum numero fuerunt, à locis quoque appellationem obtinuiſſent, quorum tamen apud nos memoria omnino interciderit. nã eas familias neque etiam plebeias, nec dum patricias fuiſſe hac potiſſimũ ratione ſuſpicatus ſum, quod nullam earundem mentionem vnquam fieri cognoui, quẽadmodum aliarum familiarum, quæ poſtea tribus nomina reliquerunt, vt *Æmilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia & Veturia.* Nam illud dici non poſſe exiſtimo, eas quidem familias fuiſſe, verum priſcis illis temporibus extinctas: quod non ſtatim vt tribus factæ ſunt familiarum nomina, ſed longo tempore poſt à nobiliſſimis familiis obtinuerint. Quod ſi hæ ignobiles, vel deperditæ familiæ fuiſſent, nulla ratione credendum eſt, eas tribus ſuas nomina indidiſſe. Tribus igitur *Galeria,* & duæ ſequentes à locis nomina ſortitæ ſunt, nobis modo incognito, niſi eam à *Galeſo* flumine dictam velimus *Galeſam,* poſt *Galeriam,* cuius fluminis meminit Virgilius, qui in Tuſcia erat: de qua Liuius libro vigeſimo ſeptimo ita ſcribit: *Galeria Iuniorum quaſorte prærogatiua erat, Q. Fuluium, & Q. Fabium conſules dixerat, eodemque iure vocata inclinaſſent,* & Plinius libro 7. cap. 48. *M. Mutium, M. F. Galeria Felicem* commemorat.

Trib. vndecima, Pollia. De tribu *Pollia* Liuius li. VIII. ita meminit: *Tribus omnes præter Polliam, antiquarunt legem in Tuſcalanos latã. Memoriamq; eius iræ, Tuſculanis in pœna tum atrocis auctores manſiſſe ad patrum ætatem conſtat, nec quemquã ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre ſolitum.* Et lib. 39. *Cum ad tribum Polliam ventum eſt, in qua M. Liuij nomen erat, & præco cunctaretur citare ipſum cenſorem, Cita inquit Nero, M. Liuium,* &c. Vtriuſque etiam rei meminit Valerius libro ſecundo capite quarto, & libro nono, capite decimo.

Trib. duodecima, Voltinia. De hac tribu Cicero pro Plancio ſæpe mentionem facit, ita enim ait: *Quas tribus edidiſti: Terentinam credo, aut Voltiniam?* & paulo poſt: *Voltinia tribus ab hoc corrupta, Terentinam habuerat venalem, quid diceret apud Voltinẽſes, aut tribules ſuos iudices?* & alibi: *Plures te teſtes habere de Voltinia, quam quod in ea tribu puncta tuleris.*

Tribus decima tertia, Claudia. Sequentes nouem tribus, quæ familiarum nomina habẽt, à locis antea appellatas fuiſſe, præter Varronis auctoritatem, teſtimonio etiam eſſe poteſt tribus *Claudia* quæ cum vetus eſſet, aliudque nomen à loco proculdubio haberet, à gente Claudia in eam relata nouum nomen aſſumpſit. Quod his verbis docet lib. 2. Liuius: *Publio Valerio IV. T. Lucretio II. Coſs. ſeditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis aliquantulum inde virium tranſtulit ad Romanos. Namque Actius Claudius, cui poſtea Appio Claudio fuit Romæ nomẽ, quum pacis ipſe auctor, à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni eſſet, ab Regillo magna clientium comitatus manu Romã transfugit: his ciuitas data, agerq; trans Anienem. Vetus Claudia tribus additis poſtea nouis tribubus, qui ex eo venerant agro, appellata. Appius inter patres lectus, haud ita multo poſt in principum dignationem peruenit.* Idem tradit Dionyſius lib. 5. his verbis: *Claudius opibus & amicis aſſumptis ex Sabinis Romam migrauit. Quem S.P.Q.R. in patricios conſcripſit, locumque in vrbe pro domo conſtruenda cõceſſit. Agrum quoque ei publicum tradidit, qui inter Fidenas & Piculiam erat, quẽ poſſet ſuis diuidere, à quibus tribus facta eſt Claudia vocata, quæ vſque ad mea tempora manet, idemque nomen ſeruat.* Et Virgilius lib. 7. *Claudia nunc à quo diffunditur & tribus et gens.* Et Pædianus pro Scauro cuiuſdam *Seruilij, Claudia, Glaucia,* meminit.

Trib. decima quarta, Claudia. Claudiæ exemplum multæ præterea tribus ſequutæ ſunt: hæ antiquis nominibus, quæ à locis acceperant, dimiſſis, nobiliſſimarum gentium, quæ in ſingulas ſeſe tranſtulerant, nomina acceperunt, vt *Æmilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia & Veturia.* Hæ enim familiæ, circa tempora partæ libertatis, patritiæ & celeberrimæ in vrbe erant. Nam eas primo in quatuor vrbanas coniectas fuiſſe, aperte indicat Dionyſius, quandoquidem omnes, qui vrbem habitarent ex inſtituto Seruij Tullij, principio vnam ex his quatuor vrbanis tribubus obtinere neceſſe eſſet, ſicut qui agros, ruſticas. Verum cum ob forenſem turbam in eas coniectam viles haberi cœpiſſent, factum eſt, vt illuſtres familiæ in eas paſſim tribus nomina darent, ſeque transferendas curarent, in quas agros ſuos habuiſſent, eiſque noua nomina tribuerent. Ita igitur gens *Æmilia, Cornelia, Fabia,* & reliquæ omnes, Claudiæ forte exemplo, vetera nomina tribubus in quas trãſlatæ erant, immutarũt, nouaque ab ſe tradiderunt. Quare factum fuiſſe opinor, vt multæ tribus fuerint, quæ plures haberent appellationes, quod ita fuiſſe etiam paulo poſt oſtendam. Vna igitur ex antiquis Ser. Tullij ruſticis tribubus fuit, quæ poſtea *Æmilia* appellata eſt ab Æmilia gente, quæ Romæ fuit nobiliſſima. de qua tribu Liuius 38. ſic meminit: *Rogatio perlata eſt, vt in Æmiliæ tribu Formiani ac Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiſcito cenſi ſunt.* De eadem Cicero ad Atticum Epiſt. lib. 2. ita mentionem facit: *Formianorum tribum Æmiliam.*

Trib. decima quinta, Cornelia. De tribu *Cornelia,* quæ & ipſa à nobiliſſima gente Cornelia nomen obtinuit, Liuius lib. 38. vbi de Æmilia.

Trib. decima ſexta, Fabia. Et hæc tribus à Fabia gente, quæ in eam relata fuit, nomen obtinuit, de qua Tranquillus in Auguſto cap. 40. *Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis die comitiorum ſingula millia nummum à ſe diuidebat.* Et Horatius lib. 1. Epiſtola 6. *Hic multum in Fabia valet, ille Volina.*

Trib. decima ſeptima, Horatia. *Horatia* tribus nullam apud veteres auctores mentionem adhuc fieri inueni, quamquam marmoreæ inſcriptiones frequenter eius meminerint. Quum autem aliquot tribuum nomina præter 35. in antiquis monumentis extare manifeſtum ſit, vt *Ocriculana, Cluentia, Cluuia, Ælia, Papia,* & aliarum quarundam, quas omnes paulo poſt enumerabo, hanc potiſſimum multas ob cauſas præ ceteris elegi, quæ 35. numerum expleret. Primo quia nulla earum veterum ſcriptorum auctoritatem habet. Deinde (quia quamquam nec Horatiæ nemo veterum ſcriptorum meminerit) ipſa à nobiliſſima gente nomen obtinuit, vt pleræque aliæ. Quæ niſi priſcis his temporibus denominata ſit, non video quanam ratione poſterioribus ſeculis, tribus nomen obtinere potuerit, quum ea gens circa quadringenteſimum ab vrbe condita annum memorari deſinat. Ceterarum enim extra 35. numerum origo aliqua ratione coniici poteſt, quod de Horatia dici omnino nequit, quæ omnia ex aliarum diſputatione apertiora fient. poſtremo quod nullam inuenerim tribum, præter Horatiam, quæ ſi eam in 35. numerum conſtituamus, aliquid controuerſiæ non patiatur. Hæc autem ex ceterarum examinatione longe facilius demonſtrari poterunt. Inter omnes enim tribus, quæ 35. ſuperfluant, auctoreſque non habeant, ſed ex lapidib. acceptæ ſint, vna tantum Ocriculana, quæ & ipſa ſcriptorum teſtimonio caret. Horatiæ loco reponi poſſet. Sed eam inter 21. priores nulla ratione conſtitui poſſe, cum de e verba faciam, oſtendam.

Trib. decima octaua, Menenia. *Menenia* tribus, quæ ex hoc corrupto Ioſephi loco antiquitatum lib. 13. *L. Manlius, L. F. Mentina:* in *Mẽtinam* ſe transformauerat, nunc demum vetuſtæ inſcriptionis auxilio, quæ Feltriæ extat prope Eccleſiam cathedralem, priſtino ſplendori reſtituta eſt, quãquam enim frequens de ea in antiquis epigrammatibus mentio eſſet, tamen quia numquam, non niſi hac nota MEN. exarata fuerat, res dubia & anceps diu fuit, quum tam

Digitized by Google

Mentina, quam *Menenia* interpretari poſſet, Mentinique Ioſephi teſtimonium confirmaret. Quod erratum eſſe, multis adducor rationibus, vt credam, primum, quia vox *Mentina*, nullam habet ſignificationem, deinde quia facilis lapſus fuit à MEN. vel etiam MENENIA in *Mentinam*, & præſertim in Græco ſcriptore, ſi tamen id vitium, quod vix credo, admiſerit, librariique erratũ non fuerit. Ad hæc tribum MEN. quæ frequens eſt, pro *Menenia* interpretari poſſe ex Feltria inſcriptione didicimus, quod ſi Menenia tribus fuit, procul dubio ob eaſdem rationes, quas de Horatia attuli ex antiquis 21. fuit, quo tempore gens Menenia, à qua tribus nomen accepit, maxime florebat, cuius poſtea memoria (incredibile dictu) quam cito defecit. Poſtremo eſt hic Ciceronis locus Epiſt. fam. lib. 13. ſic ſcriptus. *P. Rapilius, P. F. Men.* qui in vet. codicib. modo *Menenius*, modo *Menius* legitur, nunquam *Mentinus*, ita vt facilis lapſus fuerit ex *Menenia*, *Menenius*.

Trib. decima nona, Papiria.

Et hæc tribus à gente *Papiria* nomen accepit. De qua ita tradit Sex. Pompeius: *Papiria tribus à Papiria vocata.* Liuius lib. 8. *Memoriamque eius, iræ Thuſculanis manſiſſe ad patrum ætatem conſtat, nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre ſolitum.*

Trib. vigeſima, Sergia

De tribu *Sergia*, quæ & ipſa à gente eiuſdem nominis appellationem obtinuit, Pædianus in Cornelianam ita meminit. *Sergia et Quirina damnauerunt.* Et Frontinus li. 2. de aquęductibus: Verba legis: *T. Quinctius Criſpinus Coſ. populum iure rogauit, populuſque iure ſciuit in foro pro roſtris ædis Diui Iuly populi Romani, & Iuliis tribus Sergia principium fuit, pro tribus Sex.* &c.

Trib. vigeſima prima, Veturia.

A gente *Veturia* & hæc trib. nomen, vetere relicto, mutata eſt, vt pleræque aliæ, de qua Liuius li. 36. ita ſcribit: *Fuluius Romam comitiorum cauſa accerſitus, cum comitia conſulibus rogandis haberet, prærogatiua Veturia Iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum, & T. Otaciliũ.* Et paulo poſt. *Et redire in ſuffragium Veturiam Iuniorum iuberet.* Et item: *Tum Veturia & auctoritate mota viri, & admirantium circa ſe fremitu, petiit à conſule, vt Veturiam ſeniorum citaret, velle ſeſe cum maioribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum conſules dicere. Citatis Veturia ſenioribus, datum ſecreto in ouili cum his colloquendi tempus, ſeniores de tribus conſulendum eſſe dixerunt.* Hæc porro ſunt vnius & viginti tribuum nomina, quas à Ser. Tullio factas fuiſſe exiſtimo. De quibus libro 7. vbi de iudicio Coriolani agitur, ita ſcribit Dionyſius *Vbi vero tulere omnes tribus ſuffragium, dinumeratis calculis, non magnum diſcrimen apparuit. Vna enim & viginti cum eſſent tribus, quibus calculi dati ſunt, nouem eum abſoluerunt, ita vt ſi ei duæ aliæ tribus acceſſiſſent, ex ſuffragiorum æqua parte, ex lege abſolui poſſet.* Quoſdam vero, atque etiam me ipſum mouent verba Liuij lib. 2. *App. Claudio P. Seruilio Coſſ. Romæ tribus vna & viginti facta.* Quod ſi eo anno, non igitur à Ser. Tullio factæ ſunt. Si autem Liuij verborum rationum habere velimus (quamquam de ea re nihil apud Dionyſium reperiatur) decem & nouem tribus à Seruio factas dicemus, atque hoc anno duabus additis ad vnam & viginti auctas. In his autem alteram eſſe Cluſtuminam ſuſpicari ex eo poſſumus, quod quadriennio ante T. Æbutio, & C. Vetuſio Coſs. Cruſtumeria capta ab eodem Liuio referatur. Quæ vero altera eſſe potuerit, ne diuinando quidem conſequi potui. Ceterum ego vnius & viginti tribuum inſtitutionem integram. Seruio tribuere malim quam has duas hoc tempore factas affirmare. Vtcumque res ſit, illud ſatis cõſtat, vnam & viginti tribus hoc tempore Romæ fuiſſe, quæ omnes aut à locis in quibus erant, aut à nobiliſſimis Romanis gentib. nomina adeptæ ſunt.

Trib. vigeſima ſecunda, Stellatina.

Quatuordecim deinceps tribuum, quæ quinque & triginta numerum ſuppleuerunt, adiectio, & quo quæque anno addita ſit, apperte ex Liuio deinceps intelligemus. Anno enim poſt vrbem conditam 365. altero poſt eam à Gallis captam, in ciuitatem accepti, qui Veientium, Capenatiumque ac Faliſcorum per ea bella transfugerant ad Roman. agerq; iis nouis ciuibus aſſignatus. Ita Liuius lib. 6. *Et biennio poſt luſtro 19. tribus quatuor ex nouis ciuibus à Cenſoribus additæ Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnienſis, eæque viginti quinque numeris expleuere.* Hæ vero tribus non ita neceſſario (vt multi exiſtimarunt) appellatæ ſunt, quod ipſarum ager ad campum Stellatem & Tromentum, vel lacum Sabatem, aut prope Arnum eſſet. Ea enim loca longe extra agrum Romanum erant, qui numquam ad Arnum ſe extẽdit, ſed quod ij, qui ex illis regionib. Romam venerant, atque ciuitate & agris donati fuerãt, illis agri Romani partib quas ſortiti eſſent, nomina ea tribuerint, ab iis ſcilicet regionib. vnde ipſi cõmigrauerant. Quod ita eſſe, latius paulo poſt aperiam. Quum autẽ propter nouos ciues Tuſcos hæ tribus additæ ſint, vero ſimile eſt. eas omnes in Tuſcia fuiſſe. Ex quibus prima *Stellatina*, non in Campania, vbi erat campus, qui Stellas appellabatur, ſed in Etruria fuit. Hoc enim tempore Romanorum imperium Capuam vſque non extẽdebatur, nec vllum inter Romanos, Campanoſque fœdus adhuc interceſſerat. In Etruria ergo fuit, quod ex Sex. Pompeij fragmento liquet ſic: *Stellat ...... es, qui in Campania eſt, ſed eo, qui ...... pena. Ex quo Tuſci profecti ..... in campum appellauerunt.* Quæ verba ſic ego reſtituerem: *Stellatina tribus dicta non eſt a campo eo, qui in Campania eſt, ſed eo, qui in Etruria, regione Capena, ex quo Tuſci profecti eum Stellatem campum appellauerunt.* Hæc autem ſic reſtitui, quod in Tuſcia Capenates erant populi ad lucum Feroniæ, & inter Tuſcos populos Stellates quoque enumerentur.

Trib. vigeſima tertia, Tromẽtina.

Tromentina tribus à campo *Tromento* dicta. Sex. Pompeius. Is campus in Tuſcia fuit, ex quo cum aliquot Romam perfugiſſent, & ciuitate donati, in quatuorque tribus coniecti, & agri pop. Romani partem obtinuiſſent, vni earum Tromentinę nomen poſuerunt. *Tromentum* autem *campum* in Tuſcia eſſe incerti auctoris libro ſatis liquet. Hęc tribus cum Stellatina addita eſt anno vrbis 367.

Trib. vigeſima quarta, Sabatina.

Sabatina tribus à lacu *Sabate* dicta. Ita Sex. Põpeius. Sabbatis autem lacus in Tuſcia fuit, atque noſtra ætate appellatur *Anguillaria*. Hæc cum duabus ſuperioribus propter nouos ciues addita eſt

Trib. vigeſima quinta, Arnienſis.

Hæc tribus in vetuſtis monumentis & *Arnenſis* & *Arnienſis* appellatur: quę paſſim in *Narnienſem* ſe trãſformauerat, cum *Arnienſem* legendum ſit. Dicta autem eſt ab *Arno* Tuſciæ amne, cum tribus ſuperioribus, Liuio lib. 6 auctore, propter nouos ciues anno vrbis 368. à cenſorib. addita. De hac tribu Cicero in Rullum ita meminit: *A Suburana vſque ad Arnienſem*, & Liuius lib. 29. *C. Claudius Nero cenſor ex tribu Arnienſe.* Idem Valerius lib. 2. cap. 4. tradit.

Trib. vigeſima ſexta, Pomptina.

Poſt ſuperiores trib. additas, ipſo loco ſequitur Liuius. *De agro Pomptino a L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem iam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri quam fuerat: cura maioris belli, quod Etruria in armis erat, dilata res eſt*, &c. Hic ager Anxur, quæ nunc Tarracinæ ſunt anno 348. capta. Volſcis ereptus fuerat. Suggerit Liuius lib. 6. Anno vrbis 371. *Hoſtes noui præter Volſcos, velut ſorte quadam prope in æternum exercẽdo Romano militi datos, Circeioſque & Velitras colonias iam diu molientes defectionem, & ſuſpectum Latium, Lanuuini etiam, quæ fideliſſima vrbs fuerat, ſubito exorti. Id patres rati contemptu accidere, quod Veliternis ciuibus ſuis tam diu impunita defectio eſſet, decreuerunt, vt primo quoque tẽpore ad populum ferretur, de bello eis indicendo: ad quam militiam, quo paratior plebs eſſet, quinque viros. Pomptino agro diuidendo, et tres viros Nepet colonia deducendæ, creauerũt.* Propter hanc cauſam annis aliquot poſt, C. Fabio Ambuſto, & C. Plautio Proculo Coſs. anno vrbis 396. à Cenſoribus, M. Fabio, & ...... duæ tribus additæ ſunt, *Pomptina* & *Popilla*, alias *Popillia*, in quas, tum qui agrum Pomptinum ſortiti erant, tum noui alij ciues qui in dies ciuitate donabantur, coniecti ſunt. Sex. enim Pompeius: *Pomptinam* tribum à *Pontia* vrbe

dictam ſcribit, à qua & ager *Pomptinus* appellatus eſt. Hæc in Volſcis erat prope Tarracinas. De hac tribu Cicero Epiſt. 4. ad Atticum: *Tribus habet Pomptinam, Velinam & Maciam*. Et 8. Epiſt. familiarum lib. *L. Iulius, L. F. Pomp. Annalis.*

Tribus 27. Popilla vel as Popillia, alias Poblilia.

In Sex. Pompeij fragmento ſcriptum eſt: *Popilia tribus .....buum, tot enim fu.....lici nomine a......Pinaria à ſorori.....mine*: Paulus Pontifex eius abbreuiator, *Popilla tribus* (inquit) *à progenitrice traxit vocabulum.* His animadſis in eam deueni ſententiam, vt hæc tribus non à gente *Popillia* nomen acceperit, ſed à loco, qui forte in Volſcis prope Pontinam erat. Neque enim vlla quatuordecim harum tribuum, quæ à Liuio primis 21. additæ referuntur, à familia nomen obtinuit neque, veriſimile eſt, gentem Popilliam, quæ & plebeia fuit, & tãtum hoc tempore condita, tribui nomen dediſſe. Illud adde, quod præter Papiriæ nullius tribus Feſtus mentionem facit, quæ à gẽte diriuetur, tamquam quod eorum nomina manifeſta ſint. Hæc igitur tribus *Popilla* & *Popillia* primo appellata fuit, non à gente *Popillia*, ſed à loco nomen adepta, cuius in antiquis marmoreis monumentis ita mentionem fieri inueni, POP. POPIL. PVP. PVPIL. Magna enim Quinctilano auctore inter *o* & *v* affinitas eſt, vt *Poblicus Publicus*, *Pullius* & *Pollius*, *Poblicola* & *Publicola*. De hac tribu ita ſcribit Valerius libro 9. cap. 10. *Quam ob cauſam Popillia tribus, in qua plurimum poſtea Tuſculani in ciuitatem recepti, potuerunt, neminem vmquam candidatum Pollia tribus fecit magiſtratum.* Hãc tribum Liuius *Publiliam* vocat li. 7. ſic: *Eodem anno duæ tribus Pomptina & Publilia additæ.* Hanc procul dubio eandem cum *Poipilla* eſſe exiſtimo, nam proceſſu tẽporis, cum iam illod obrepſiſſet, vt gentes tribubus nomina darent, factum eſt propter literarum affinitatem, vt *Popilla* vel *Popillia* tribus in *Publiliam* paulatim verſa ſit, nomine à familia *Publilia* accepto, quæ poſterioribus temporibus, quamquam plebeia, nobilis fuit. Hæc tribus in vetuſtis monumentis omnium frequentiſſima eſt.

Tribus 28. Mæcia.

Latinis & Campanis, qui rebellauerant à Tito Manlio conſule, in deditionem anno vrbis CDXIIII. redactis, res omnis ita à conſule compoſita eſt, vt tradit lib. 8. Liuius: *Latini Campaniq; agro mulctati: Latinus ager Priuernati addito agro, & Falernus, qui populi Cãpani fuerat, vſq; ad Vulturnum flumen plebi Romanæ diuiditur. Extra pœnam fuere Latinorum Laurẽtes, Campanorumq; equites, qui non deſciuerant. Cum Laurentibus renouandi fœdus iuſſum, equitibus Campanis ciuitas data.* Et paulo poſt, anno vrbis CDXVI. L. Furio, & C. Mænio Coss. poſt Latinum bellum confectum: adiecit Liuius. *Lanuuinis ciuitas data. Aricini Nomentani, Pedani eodem iure, quo Lanuuini in ciuitatẽ accepti, Tuſculanis ciuitas ſeruata, quam habebant. Cãpanis equitibus honoris cauſa, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, Fundanis & Formianis ciuitas ſine ſuffragio data.* Et haud multo poſt ſuggerit Liuius; Anno CDXXII. A. Cornelio II. & Cn. Domitio Coss. *Eodẽ anno cẽſus actus, nouiq; ciues cenſi, trib⁹ propter eos additæ Mæcia & Scaptia, Cenſores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Poſtumius.* Ita vt ex his Liuij locis hoc ſcitu dignum animaduertere poſſimus, dare ciuitatẽ ius populi Romani fuiſſe, quotieſcunque illi libuiſſet. Verum nouos ciues in tribum cõijcere, quod erat ſupremum ciuis Romani priuilegium, vt in illa vel in illa ſuffragium ferrent, hoc munus Cenſorum eſſe, cenſuſque & luſtri tempus expectari oportere, atque ob eam cauſam legimos aliquoties cenſores ante quinquennij tempus creatos, vt in Commentariis Faſtorum animaduerti. Cæterũ propter nouos (vt dixi) ciues, Lanuuinos, Aricinos, Nomentanos, & Pedanos, quibus ſuffragij ius diu ante datũ erat, hoc anno à Cẽſoribus duæ tribus additæ ſunt, *Mæcia* & *Scaptia*. Ex quibus *Mæcia* tribus, auctore Sex. Pompeio, à quodam caſtro ſic appellata eſt. Hoc autem Mæcium fuit, quod Latinorum erat. De hac tribu ita ſcribit Cicero ad Atticum lib. 4. *Tribus habet Pomptinam, Velinam & Mæciam.* Et pro Plancio: *Quid Plancio cum Æmonia? quid cum Veien ina? quid cum Cruſtumina? Nam Mæciam, qua non iudicaret, ſed quæ reijceretur eſſe voluiſti.* Et Liuius libro 29. *Deinde M. Liuius in ærarium venit, et præter Mæciam tribum, quæ ſe neque condemnaſſet, neque condemnatum conſulem aut cenſorem feciſſet, populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus ærarios reliquit,* &c. Idem tradit Valerius libr. 2. cap. 4. de cenſoria nota.

Tribus 29. Scaptia.

Tribus *Scaptia* eo anno, & eam ob cauſam, qua *Mæcia*, teſte Liuio, addita fuit. De qua Sex. Pompeius: *Scaptia tribus nomine Scaptia vrbis appellatur.* Tranquillus in Auguſto cap. 40. *Fabianis et Scaptienſibus tribulibus ſuis die comitiorum ſingula millium nũmum à ſe diuidebat.* Duas enim tribus Auguſtus, & plerique alij aliquando obtinebant, alteram, quam ſibi naſcendi ſors dediſſet, alteram vero, vel iure adoptionis, aut in accuſationis de repetundis præmium, aut emptam, vt quis maiorem in diſtributionibus partem haberet.

Tribus 30. Ouſentina.

Creſcente ob nouos ciues, qui in dies addebantur, vrbis frequentia, anno CDXXXV. Plautio, & M. Foſlio Coss. *Duæ Romæ*, Liuio 8. auctore, *additæ tribus Ouſentina, & Falerina.* Eas addiderunt Cenſores L. Papirios Craſſus, & C. Mænius, quod Liuius omiſit. Hi enim eo anno cenſores relati ſunt à Verrio Flacco in tabulis Capitolinis. De *Ouſentina* tribu ſic ſcribit Sex. Pompeius: *Ouſentina tribus initio cauſa fuit flumen Ouſens, qui eſt in agro Priuernate inter mare & Terracinas.* Lucretius: *Priuerno Ouſentina venit, fluuoque Ouſente.* Poſtea à cenſoribus alij quoque diuerſarum ciuitatum eidem tribui ſunt adſcripti.

Tribus 31. Falerina.

Falerina tribus eo anno, quo Ouſentina, Liuio auctore, addita eſt, ab agro *Falerno* in Campania, vt exiſtimo, dicta. nam ea parte & Ouſentina fuit. De hac tribu Ioſephus lib. 13. cap. 16. antiquitatum meminit ita: *C. Sempronius C. F. Falerina.*

Tribus 32. Anienſis.

Ob eam, qua ſuperiores, cauſam, anno vrbis cond. CDLV. M. Fuluio, & T. Manlio Coſſ. Liuio lib. 10. auctore condito luſtro à cenſoribus P. Sempronio Sopho, & P. Sulpicio Sauerrione, tribus additæ ſunt *Anienſis* ac *Terentina*, ex quibus *Anienſis* ab *Aniene* amne (vt puto) dicta eſt. in Sabinis enim fuit. De hac tribu Cicero Epiſt. Fam. lib. 8. mentionem facit ſic: *L. Ateius L. F. An. Capito.* & pro Plancio eandem commemorat.

Tribus 33. Terentina.

De tribu *Terentina*, quæ cum Anienſi addita eſt, Cicero pro Plancio meminit ſic: *Quas tribus edidiſti? Terentinam credo?* Et paulo poſt: *Prioribus comitiis Anienſem à Plotio, Terentinam à Plancio tibi eſſe conceſſam.* Et poſt: *Atinas præfectura, ex qua Cn. Plancius fuit ex tribu Terentina.* Idem Epiſt. fam. libro 8. *M. Oppius M. F. Terentina.* Hanc à *Tereato* (is locus in campo Martio erat) dictam puto.

Tribus 34. Velina.

Tribus *Velina* à lacu *Velino* dicta, Floro ex Liuio in Epitoma lib. 19. auctore, additæ ſunt cum Quirina anno vrbis DXII. A. Manlio II. & Q. Lutatio Coſſ. Eas addiderũt cenſores C. Aurelius Cotta, & N. Fabius Buteo, hæque 35. numerum expleuerunt. De hac Cicero Epiſt. lib. 4. ad Atticum ſic ſcribit: *Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Mæciam.* Idem in Bruto: *T. Annius Velina.* Et Horatius lib. 1. Epiſt. 6. *Hic multum in Fabia valet, ille Velina.* Et Perſius quoque Satyra quinta.

Libertate opus eſt, non hac vt quiſque Velina.
Publius emeruit ſcabioſum teſſerula far.

Hæc vt dixi, à lacu *Velino* potius dicta eſt, quam à *Velia*. Eſt enim is lacus in Sabinis à quibus ſequens quoque tribus appellata eſt. *Velia* vero vrbs Lucaniæ, longe ab vrbe diſtans.

Tribus 35. Quirina.

Tribus *Quirina* (quæ eo anno, quo Velina addita eſt) à *Curenſibus* Sabinis videtur appellationem traxiſſe, Sex. Pompeius Cicero Epiſt. fam. lib. 8. *C. Septimius T. F. Quirina.* Et pro Quinctio. *L. Albius Sex. F. Quirina.* Aſconius in Cornelianam. *Duæ ſolæ tribus, Sergia, & Quirina damnauerunt*, Ioſephus antiquit. lib. 14. cap. 17. *Papirij Quirini* meminit. *Velina* & *Quirina* tribus 35.

numerum expleuere, poſt quas is numerus amplius mutatus non eſt, vſque ad bellum Marſicum, in quo cum Tuſcis, Vmbris, Gallis, & reliquis Ciſpadinis populis lege Iulia ciuitas data eſſet, octo nouæ tribus, vt Patereulus, vel decem, vt Appianus tradit, in quas noui ciues coniicerentur, à Cenſoribus P. Licinio Craſſo, & L. Iulio Cæſare additæ ſunt, anno vrbis DCLXV. Cn. Pompeio Strabone, & M. Porcio Catone Coſs. In eaſdem, bello Marſico confecto, reliqui Italici ciuitate donati ſunt, præter Lucanos, & Samnites relati. Quamquam & hi paulo poſt eandem ſunt conſequuti. Atque 43. vel 45. tribuum numerus factus fuerat, qui cum annos prope quatuor manſiſſet, poſtremo nouis ciuibus in 35. tribus à Cenſoribus L. Marcio Philippo, & M. Perperno, auctore L. Cinna conſule diſtributis, denuo 35. numerus reſtitutus eſt. Qui idem Ciceronis tempore, vt ex eius orationis in Rullum, in Verrem, in Antonium, & alus locis liquet, fuit. Triginta quinque tribuum etiam extat mentio in Traiani Imperatoris duabus inſcriptionibus. Hæ itaque ſunt 35. tribus, in quas vniuerſus populus Romanus diſpertitus erat, quarum aliquam, vt ait Aſconius neceſſe erat. vt cuiuſcumque eſſet, ordinis, ciuis Romanus obtineret. Qui enim pleno iure ciues Romani erant, id eſt, cum iure ſuffragij, quod erat ſupremum ciuis Romani ius, is in vna harũ 35. tribuum vt eſſet, neceſſe erat, quam ſi antiquus ciuis hæreditare, ſi nouus, à populo ciuitate donatus, à Cenſoribus obtinebat, in qua ſuffragium ferret. Ex quibus quatuor, vt dixi, vrbani in quas transferri ignominiæ eſſet, reliquæ omnes ruſticæ laudatiſſimæ, eorum, qui rura haberent, quæ proprie ingenuorum erant, cum vrbanæ forenſis turbæ, vt proletariorum, capite cenſorum, & libertinorum eſſent, vt auctores ſunt Cicero primo de Oratore, Valerius, Aſconius, Plinius & Florus.

De iis quæ ſuperfluunt tribuum nominibus.

Multarum tribuũ nomina, quæ in vetuſtis epigrammatibus & forte apud antiquos auctores, præter 35. reperiuntur, multam & magnam dubitandi occaſionem attulerunt. Nam præter relatas in antiquis inſcriptionibus, *Camillæ, Cluẽtiæ, Cluuiæ, Dumiæ, Minuciæ, Ocriculanæ, Papiæ, Vot.... Caſtiæ, Taur.... Iuliæ. Flauiæ. Vlpiæ, Æliæ*, apud Liuiũ *Sapiniæ*, & Feſti *Pinariæ* mentionem quoque fieri inueni. De quibus quid exiſtimem probabiliter diſputaturus, nihil enim certi, quod afferam, habeo, primum rationem reddam cur nullam earum in 35. numerum collocarim, deinde quanam ratione conſtitutæ eſſe potuerint. Etenim in 35. primis tribubus digerendis, illud præcipue obſeruaui, vt eas tribus in earum numerum collocarem, quæ tam veterum auctorum, quam lapidum teſtimonia haberent. Quod etiam in omnibus, præter vnam tantum Horatiam præſtiti. Nam & auctores, & lapides, quibus earum numerum confirmarem, citaui. *Horatiam* autem potius, quæ vna ex his eſt, quæ ſcriptorum teſtimoniis caret, quam vllam aliarum paulo ante recitatarum tribuũ interſerui, tum ob eas, quas dixi, rationes, cum de ea diſputaui, tum quod nullæ etiam harum, teſtimonium vllum antiquum habeant, præter vnam, *Ocriculanam*, quæ vna tantum ſine controuerſia, quando Horatia delenda eſſet è numero 35. eius locum obtinere poſſet, tum quod multos lapides etiam ipſa habeat; tum, quod, quamquam mendoſe, de ea Marcus Cicero oratione ſecunda in Rullum mentionem faciat ſic: ab *Ocriculana ad Aruienſem*. Nam in antiquis ſcriptis codicibus *Vſurana* legitur, vt ſit *Suburana*: Deinde ſi *Ocriculana*, & non *Suburana* legere voluerimus, Ciceronis ſententiã labefactabimus, qui illarum duarum tribuum enumeratione vniuerſas tribus comprehendere voluit, à prima ad nouiſſimam, à Suburana ſcilicet, quæ inter vrbanas prima eſt, ad nouiſſimam Arnienſem: quomodo nouiſſimam? non quidem ratione temporis. nam vigeſima quinta fuit, ſed loci, omnium enim remotiſſima ab vrbe erat. Quæ cum ita, relinquitur, vt Ciceronis locus corruptus ſit, & pro *Ocriculana Suburana* legendũ. Eſt & alius Ciceronis locus in oratione pro Q. Roſcio ita: *Q. Luſcius Ocrea Senator*. In quo cognomẽ id *Ocrea, Ocric.* id eſt, *Ocriculana*, pro tribu interpretari poſſet. ſed cum res & obſcura & incerta ſit, viſum eſt potius Horatiam, quam Ocriculanam tribum in 35. numerum referre, præſertim cum ſi Ocriculana vna ex 35. tribubus eſſet (hoc autem maxime me argumentum mouit.) vt ex 21. his, quas Ser. Tullius fecit, fuiſſet, neceſſe eſt, præſertim cum 14. ſequẽtium numerus manifeſtus ſit. Ceterum nulla ratione fieri poteſt, vt ex primis 21. tribubus ſit, cum hæ omnes ab agri Romani locis à Seruio denominatæ fuerint. Ocriculum autem, à quo hãc tribum dictam fuiſſe crediderim, longe ab agro Romano ſitum erat. Quod ſi quiſpiam eam non ab oppido *Ocriculo*, ſed ab *Ocriculis*, id eſt mõtibus appellatam aſſeret, vt *Collina* à *Collibus*, vna quidem ex 21. eſſe poſſet. Verum cum euidentiora argumenta non habeam, Horatiam excludere Ocriculanæ cauſa nolui, quando quidem ſi Horatia tribus fuit, vt omnino fuiſſe credo, non niſi iis temporibus addita eſſe potuerit, cum CO. anno poſt vrbem conditam ea gens, quæ ſub regibus, & poſt reges exactos primis Reip. temporibus quam maxime in vrbe floruit, vix amplius ab hiſtoricis nominetur.

Quid ergo eam eſſe dicemus? Ego igitur eam quidem vnam ex 35. tribubus procul dubio fuiſſe exiſtimo, ſed quænam ex ſupra relatis fuerit, incertum. quandoquidem vnam tribum plura nomina habere potuiſſe, immo habuiſſe, ſatis demonſtrauerim. Vna enim ex antiquis Ser. Tulli tribubus, ſiue à gente, ſiue à loco appellata fuerit, eſſe potuit, in quam Ocriculani in ciuitatem recepti, à cenſoribus relati fuerint. A quibus ea tribus, vel antiquo nomine mutato, nouum Ocriculanæ aſſumpſerit, vel vtraque ſimul retinuerit. Nam eam tribum fuiſſe, in dubium venire non poteſt, cum pleraque ſaxa viderim, quæ eius mentionem faciebant. *Tribus extra numerũ Ocriculana*

Hæc ſi tribus fuit (eius enim tamquam tribus meminit Sex. Põpeius, ſic: *Pupilla tr.....buum, tot enim fu... lici nomine a.... Pinaria à ſorori.....mine*) procul dubio vna ex 21. à Ser. Tullio factis fuit, puta *Cluſtummia, Lemonia, Pupinia, aut Voientina.* Cui gens Pinaria patricia maiorum gentium, & vrbe vetuſtior nomen ſuum nouum impoſuit, vt de *Æmilia, Tabia, Cornelia & Papiria* factum fuiſſe ſcripſi. Sed hanc tribum merito illud ſuſpectum facit, quod ſaxorum prorſus eget teſtimonio. *Trib. extra numerum Pinaria.*

Huius quoque tribus nullum vmquam Epigramma vidi, neque qui ſe vidiſſe agnoui, quamobrem dubium eſſe poteſt, an Romana fuerit, quamquam de ea diſerte bis, terve Liuius in libro de bello Macedonico mentionem faciat, vt libro triceſimo primo ſic: *Eodem tempore P. Ælius conſul C. Oppium præfectum ſocium, hac tumultuaria manu per Vmbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Boiorum inuadere iuſſit.* Et libro triceſimo tertio: *Sub hæc tam varia fortuna geſta, L. Furius Purpureo alter conſul per tribum Sappiniam in Boios venit, &c.* *Trib. extra numerum Sappinia.*

Reliquarum nouem vel decem tribuum nomina ſi modo vel tribus fuerint, vel error fabrilis non ſit (omnium enim in vetuſtis marmoreis inſcriptionibus mentionem extare didici) diu multumque me torſerunt, vt *Camilla, Cluentia, Cluuia, Dumia, Minucia, Papia, Vot.... Ceſtia, et Taur....* Nam etſi facile concederem quaſdam ex iis errore fabrili ortas eſſe potuiſſe, vt MIN. pro MEN. VOT. pro VET. vel VOLT. & ſimiles, id tamen de omnibus dici nulla ratione poſſe exiſtimo, & præſertim [illegible]e, cuius duodecim inſcriptiones extare vidi. *Cluentiam* quoque & *Cluuiam* ex *Cluſtumina* errore fabrili ortas exiſtimaſſem, niſi eas integras fier *Reliquæ tribus incertæ.*

Digitized by Google

Cluentia & Clunia, exaratas fuiſſe inſpexiſſem. Cuius rei occaſione CAM. *Camillam*, DVM. *Dumiam*, MIN. *Minutiam*, CES. *Ceſtiam*, quę cōciſæ in lapidibus ſcalptæ erāt, interpretatus ſum. VOT. enim & TAVR. ſi tribuum nomina fuere, interpretari neſcire me fateor, niſi *Votiam* & *Tauriam* dicamus. Quod ſi error fabrilis fuit, & *Vot.* pro *Vet.* vel *Voturiam* pro *Veturia* interpretari voluerimus, quemadmodum *Voturios* pro *Veturios* dictos apud Soſipatrum legimus, non erit, quod in eius alia interpretatione laboremus. Porro autem cum quaſdam ex his tribubus omnino fuiſſe mihi perſuaſiſſem, & in his *Cluentiam*, *Cluniā*, & *Papiam* fui ſuſpicatus, hæc nomina aliquot earum octo, vel decem tribuum fuiſſe, quæ bello Marſico, cum Italis ciuitas data eſt, à Licinio & Iulio cenſoribus additæ ſunt. quod vt exiſtimarem, duabus potiſſimum rationib. adductus ſum: Primum quod eas aliquas ex antiquis 35. tribubus eſſe non poſſe. ſemper exiſtimarim. Non enim veriſimile videtur, vt antiquis illarum nominib. mutatis, *Cluniæ*, *Papiæ*, & *Cluētiæ*, quæ familiarum plebeiarum, & nouarum nomina ſunt, aſſumpſerint. Deinde quia animaduerterim ab Appiano lib. 1. de bello ciuili, inter pręcipuos duces Italicos, qui contra populum Romanum bello Marſico arma ſumpſerunt, *Papium Mutilum*, & *L. Cluentiū*, nominari. Quæ familiæ poſtea in ciuitatem receptæ nobiles euaſerunt, ſummosq; honores Romæ adeptæ ſunt vt præturam, & conſularum. In Faſtis enim cōſularibus *Papij Mutili* mētio eſt. *Clunia* quoque eſt oppidi in Samnio nomen, à quo, quando cum ceteris Italicis populis Sānites ciuitate donati ſunt, tribus *Clunia* facile appellari potuit. Quod de his tribus dixi, idem de *Camilla* aut *Camilia*, *Dumia*, *Minucia*, *Ceſtia*, *Taur*...... & *Vot*... ſi *Veturiam* interpretari voluerimus, & forte *Æliam* ſuſpicari poterit. Nam *Iuliam*, *Flauiā*, & *Vlpiam* in Auguſti Veſpaſiani, & Traiani memoriam additas, vel ex veteribus ita appellatas fuiſſe, ex Dione lib. 44. intelligi poteſt. Nec me mouet, quod nouis ciuibus ex illis octo, aut decem detractis in 35. poſtea tribus diſtributi ſint, atque tempore M. Tullij tantum 35. nominentur. Nam poſteaquam ciues ex iis excepti ſunt, Republ. ſtante, eas nihil fuiſſe exiſtimo. Verum poſt Auguſti tēpora, cum integris prouinciis extra Italiam etiam ciuitas dari cœpiſſet, eas ſub iiſdem, quibus institutæ fuerant, nominibus ab aliquo Imperatore reſtitutas fuiſſe puto, atque ad 43. vel 45. numerum iterum auctas. Quæ nihilominus ob antiqui numeri religionem ſemper 35. appellatę fuerunt. quamquam 43. aut 45. eſſent, vt centumuiri, & tribubus Romuli ſub rege Tarquinio Priſco, centumuiris, qui centum quinq; Sex. Pōpeio, & quindecim viris ſacris faciundis, qui 60. Seruio auctoribus fuerunt, accidit. Nec vlla difficultas fuit, quę nouas tribus addere ſub Imperatoribus prohiberet, præſertim cum ciues Romani in eas non diſtribuerentur amplius, vt ſuffragium ferrent, vel aliquid comitiis agerent, quæ omnia in principis vnius poteſtate erant ſed tantum in eas tribus ciuitate donati referebantur, vt id ſignum quoddam eſſet, eos eſſe ciues Romanos, omnibuſque priuilegiis potiri poſſe, quæ libertate oppreſſa ſub Cæſarum imperio ciues Romanos potiri ex legibus conſueuerant. De quibus alio loco diſputabo.

Anno ab vrbe condita DCLXIV. Iulio Cæſare, & P. Rutilio Lupo Coss. bello Marſico maxime vigente, (omnis enim Italia auctoribus Picentibus, Tuſcis, Vmbris, & Gallis exceptis, arma contra Romanos ob non adeptum ius ciuitatis aſſumpſerat) *quum iidem Tuſci, Vmbri, ob eandem cauſam defectionem molirentur, veritus Senatus, ne hoſtibus omni ex parte orientibus, vrbē minus tueri poſſet, mare omne à Cumis ad vrbem vſq; libertis cōmuniuit, eis tunc primū ad militiam ob virorum inopiā accitis. Italos vero omnes à ſocietate in fide permanētes* (lege ab altero cōſulum, quæ Iulia appellata) *quod maxime exoptabāt, ciuitate donauit, inter quos Tuſci, Vmbri, & Galli fuere. Hinc igitur liberalitate vſus Senatus, ex amicis longe amiciores fecit, & qui dubij erāt in fide cōfirmauit. Nouos vero hos ciues Romani haud ſtatim eorum tribubus, quæ 35. numero fuere miſcuerunt. Verū decē alias tribus addidere, in quibus ipſi ſuffragium nouiſſimi ferrent, et plerumq; ſuffragiū eorum nullius fere erat momenti, cum quinq; & triginta in primis vocarentur, quæ ſupra dimidium reliquas excederent, quod à principio efflagitantibus Italis latuit. Quum vero res cognita fuiſſet, alterius ſeditionis occaſionem præbuit.* Et paulo poſt: *Et hæc quidē per Italiam ſociali bello geſta ſunt, quod cum in maius augeretur Italia omni ciuitate donata, Lucanis & Samnitib. eo tēpore exceptis quieuit. Nam & hi eandē paulo poſt aſſequuti ſunt, et inter tribus, quemadmodum ſuperiores, ſeparatim lecti, ne, ſi antiquis ciuib. miſcerentur, eos in comitiis ſuperarēt, cū eſſent numero longe plures.* Hoc eſt, quod ex Liuio ſcribit Florus in Epitom. l. 80. *Italicis populis à Senatu ciuitas data.* & l. 94. *Nouis ciuib. ex S. C. ſuffragiū datū.* Paterculus autem l. 2. hanc rem aliter tradere videtur. Non enim nouas trib. additas fuiſſe ſcribit, ſed octo ex veteribus acceptas, in quibus Italici ſuffragiū ferrent. Ait enim: *Non erat Mario & Sulpicio Cinna tēperatior. Itaq; cum ita ciuitas Italiæ data eſſet, vt in octo tribus cōtribuerentur noui ciues, ne potentia eorū, & multitudo veterum ciuium dignitatem frangerent, pluſq; poſſent recepti in beneficium, quam auctores beneficij. Cinna in omnib' tribubus ſe eos diſtributurum pollicitus eſt, quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbem acciuerat, è qua pulſus collegæ, optimatiumque viribus, cum in Campaniam tenderet, conſulatus ei abrogatus eſt, ſuffectuſq; in eius locum L. Cornelius Merula flamē Dialis.* Ita Velleius. Appiani autem ſententiam magis vt approbem, duo faciunt. Primum eſt antiquorū exēplum, qui propter nouos ciues, nouas etiam tribus addere ſolebant, nūc enim tota Italia ciuitate donata, veriſimile etiam viſum eſt, vt eas decem tribus adderent. Alterum eſt, octo aut decem tribuum, quæ mox referam nomina, quæ proculdubio veræ tribus aliquando, & non ex 35. numero, fuerunt: hoc quidem anno à cenſoribus Iulio & Licinio propter nouos ciues additæ, & quadriennio poſt à Marcio & Perperna cenſoribus, cum in 35. tribus Italici omnes diſtributi eſſent, diſſolutæ, & poſtremo poſt Auguſti tempora, cum integris extra Italiā prouinciis ciuitas dari cœpiſſet, & forte à Claudio Imperatore in cenſura, quam cum L. Vitellio anno vrbis, DCCC. geſſit, denuo additæ.

Porro inter ipſas nouas tribus, has fuiſſe exiſtimo. tribus *Camilia* ſeu *Camilla*: cuius mentionem fieri in quinq; antiquis inſcriptionibus animaduerti ſic: CAM. CAMIL. Ceterum verbum CAMIL. pro *Camilla*, & *Camilliam* interpretari poteſt. Cauſa autem cur neque huius, neque nouem ſequētium nemo meminit, eſt, quod paulo poſt, quam inſtitutæ ſunt, fractæ fuerunt, poſt Claudij aūt Imperatoris tempora haud multos integros hiſtoricos habeamus. Tribus Camillia. alias Camilla.

Tribus *Ceſ.* quam in aliquot lapidibus ſe vidiſſe vir fide dignus mihi retulit, pro *Ceſtia* ego interpretor, gente poſt legem Iuliam Romæ nobili & conſulari: *C. Ceſtij* enim conſulis ſub Tiberio Cæſare cum Cn. Seruilio mentio eſt apud Tacitum. & in Faſtis cōſularibus eiuſdem vt puto VII. viri epulonum in vetuſta pyramide prope portam Oſtienſem. Tribus Ceſtia.

Trib. *Cluentia* bello Italico contra Romanos ducis, Appianus meminit. *Gentem* etiam *Cluentiam* Romę nobilem Auguſti tempore fuiſſe, eamque à Troianis, & Cloantho comite Æneæ deſcendiſſe Virgilius lib. 5. ſic *genus unde tibi Romane Cluenti.* Ab hac facile fieri poſſet. tribus *Cluentia* nomen obtinuerit. Tribus Cluentia.

Hæc tribus à *Clunia* Samnitium vrbe, de qua meminit Liuius, nomen obtinere potuit, in qua Samnites, in ciuitatem recepti, coniecti fuerint. Tribus Clunia.

Tribus quæ in vetuſtis lapidibus DVM. notatur, ego *Dumiam* interpretor, de qua præterea nihil, quod affe- ctam, habeo. Tribus Dumia.

Minuciam gentem Romæ nobiliſſimam & vetuſtiſſimam fuiſſe, ſatis conſtat. Hæc cum priſcis temporibus à patribus ad plebem tranſiiſſet, paulo ante bellum Tribus Minucia.

Mar-

Marſicum adhuc florebat, quo tempore duos conſulares,& alterum ex iis triumphalem, Minucios habuit. De hac tribu abſurdum eſſet, tribum *Minuciam* deriuatam eſſe dicere.

Trib. Papia. Frequentiſſima mentio eſt huius tribus in vetuſtis marmoreis monumentis, ita vt hæc vna reliquis fidem facere queat plures, quam 35. tribus fuiſſe. Hæc forte à gente *Pupia* dicta eſt. Italicarum nobiliſſima. Nam inter primos belli ſocialis duces, à Paterculo,& Appiano *Pupius Mutilus* refertur, cuius gens poſtea in ciuitatem accepta, conſularis fuit. Papiorum enim Mutili & Secundini conſulum ſub Auguſto in Faſtis mentio eſt. Item legis Papiæ & Poppeæ. T. quoque Annius Milo oratione Ciceronis celebratus è gente Papia fuit, à qua procul dubio hæc trib. nomen accepit.

Tribus. Taur..... Tribum *Taur.....* neque ego vnquam vidi, neque qua ratione interpretari poſſit, niſi *Tauria* dicamus, ſcio. Vir tamen doctus, & fide plenus, ſe hanc in antiquis tabulis marmoreis vidiſſe pro certo affirmauit.

Tribus Vot. Huius tribus in duabus omni ex parte abſolutis, elegantiſſimiſque inſcriptionib. mentionem extare vidi. Hæc autem (ſi error fabrilis eſt, quod minime exiſtimo) tam pro *Veturia*, quam pro *Voltinia* intepretari poteſt. Quamquam apud Soſipatrum *Voturios* pro *Veturios* aliquando dictum legimus. Ita vt *Veturia* dicendum ſit. Quod ſi neque error fabrilis ſit, neque *Veturia* legendum, quid plane dici poſſit ignoro, niſi *Votina*, vel *Votinia* interpretemur, quorũ neutrũ tamẽ placet.

Trib. Aelia. Poſtremam omnium *Æliam* tribum, quæ decimum numerum expleret, ſuggeſſi, quod parum compertum habeam, an à gente antiqua *Ælia* nobili, quamquam plebeia, an ab Hadriano Imperatore, qui ex gente Ælia fuit, dicta ſit, quemadmodum *Iulia*, *Fabia*, & *Vlpia*, quæ ab Auguſto, Veſpaſiano, & Traiano nomen adeptæ ſunt. Huius tribus lapidem nullum adhuc vidi, ſed ſe vidiſſe vir quidam doctus, & cui facile credo, mihi retulit. Hæ autem ſi omnium tribuum bello Marſico additarum eſſe potuerunt. De quib. præterea, quid afferam, non habeo.

Trib. Iulia. Tribũ *Iuliam* ſcribit Dio. lib. 44. in Auguſti honorẽ à Senatu appellatam fuiſſe, vnam ex veterib. nõ de nouo additam. Quæ autem ea fuerit, incertũ. De hac tribu duas inſcriptiones extare vidi.

Tob. Flauia. Et hæc tribus aut à Veſpaſiano, aut ab altero filiorum Tito, vel Domitiano nominata fuit quandoquidẽ hi ex gente Flauia fuerunt. De qua tribu vnicam vidi inſcriptionem Romæ.

Trib. Vlpia. Hic in Traiani imperatoris memoriam denominata eſt, de qua antiquum epigramma ego aliquando vidi, quod modo ad manus non eſt. Atque hæc ſunt omnium tribunum nomina, quæ ego vnquam extare in antiquis tam librorum, quam lapidum monumentis, didici. Quas ego hac ratione digeſſi, atque de iis ita diſputaui, vt probabiliter potius,& diſputandi more diſſeruerim, quam ſic omnino fuiſſe mihi perſuaſerĩ. Quæ ego attuli, harum rerum ſtudioſi accurate examinabũt ſi quod mihi propoſui, conſequutum me eſſe exiſtimabunt, non parũ mihi in lucro tuliſſe videbor: ſin autem liberum erit cuiq;, quæ de rebus adeo noſtra ætate, & forte antiquorũ etiam obſcuris tractaui ad ſuã ipſorũ ſententiam, dum meliora & certiora afferant, omnino reuoluere, & ea diſtinctiora, & illuſtriora reddere quod enim potui, præſtiti, neque quicquam laboris, quo omnia clariſſima facerem, reliqui.

A tribubus *Comitia* fiunt *tributa*, quemadmodum à curiis *curiata*, & centuriis *centuriata*. Ea erant, auctore Gellio, quum ex regionib. & locis, id eſt, per trib. ſuffragium ferebatur. Erant. n. trib. populi Romani partes diſtinctę locis in vrbe diuerſis, & regionib. vndiq; circa vrbem per Italiam diſperſis. Atque hactenus de tribubus Romanis, &c. nunc ceterorum Liuij locorum explicationem obiter proſequamur.

Incenſorũ pœna. Cap. XLIV. *Mo in legis de incen ſi lata.*] Dionyſius pœnã incẽſi fuiſſe lege Seruij Tullij tradit, vt publicatis bonis verberatus veniret: Zonaras, qui ſe aut bona ſua in cenſum nõ detuliſſent, ipſos à conſulibus, bona à cenſorib. venundata ſcribit, & Vlpianus maximam capitis imminutionem eſſe, per quam ciuitas & libertas amittitur, ait, vt cum incenſus aliquis venierit.

Eod. *In Campo Martio.*] Campum Martium deſcribit Liuius lib. 2. Fuit autem ager Tarquiniorum, qui inter vrbem & Tiberim fuit, Marti conſecratus, vnde liquet quicquid inter Capitolium & Tiberim interfuit, fuiſſe campum Martium. Nam vrbs prima ad Capitolium finiebatur, quod idem Ouidius oſtendit. Iuturnæ ædem deſcribens, quam vult fuiſſe in ea parte, qua Campus Martius *Virginea umbitur aqua*. Verum de *Campo Martio*, Plinius libro 36. cap. 10. Marlianus lib. 1. cap. 1. & lib. 6. cap. 12. Blondus lib. 1. Romę triumph. & lib. 2. de Roma inſtaurata. Campus Martius. Iuturnæ ædes.

Eod. *Sue, oue, tauro.*] Has hoſtias, cum eas prius ter circum exercitum circumduci iuſſiſſet immolans. Vnde & id genus ſacrificij *Solitaurilia* & *Sueouitaurilia* dixerunt. Hinc Feſtus, *Solitaurilia hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem ſignant, tauri, arietis, verris, quod omnes integri ſoli di jue ſint corporis, ſolũ enim lingua Tuſcorum ſignificat totũ, et ſolidũ.* hæc Feſtus: Sed & Græci *totum* ὅλον dicunt integrum Porro de *Solitaurilibus* præter Liuium, Aſconius, Quintilianus, aliique meminere. Solitaurilia. Solum quid lingua Tuſcorum.

Eod. *Illuſtrauit.*] Id eſt, *Expiauit à luẽdo* id eſt ſoluẽdo & liberando, vt apud Virgilium, *et cũ luſtrabimus agros.* Luſtrare quid.

Eod. *Millia.* LXXX.] Dionyſius 84. millia fuiſſe prodit, idque ex tabulis cẽſoriis ſe accepiſſe ſcribit, & cum eo ſentit Eutropius. Quum vero inſtitutum fuerit, vt quinto quoque anno exacto fieret cenſus, luſtrumue conderetur, hinc luſtrum pro quinquennali ſpacio ſumptum eſſe conſtat, idque à *luendo* dictum ſcribit Varro. lib. 5. de lingua Latina, quod quinto quoq; anno vectigalia & alia tributa per cẽſores perſoluerentur, tametſi vltra quinquennij tempus, vel bello, vel domeſticis diſcordiis, vel alio caſu ſæpe productum in ſeptẽ, decem, & aliquando ſeptemdecim annos fuiſſe luſtrum ex Faſtis cõſtet. Magiſtratus autem huic muneri præfuit primum, qui ſummus in vrbe fuit, reges: eiectis regib. conſules: deinde cum conſules bellis impedirentur, cẽſores, qui ab re nomen acceperunt. Cenſum autem in foro primum, deinde in Villa publica. (locus is erat in Campo Martio) fieri inſtitutum: luſtrum vero ſemper in Campo Martio conditum. Hoc quoque animaduertendũ, vt docet Robortellus lib. 1. emendationum, ca. 15. cenſum aliquando ſine luſtro fieri ſolitum, cum præſertim annus eſſet funeſtus ob mortem conſulis. vt declarat Liuius lib. 3. vbi ait. *Cenſus actus eo anno, luſtrum propter Capitolium captum, conſulem occiſum, condi religioſum erat.* Cenſus itaque ſine luſtro fieri, non autem viciſſim è contrario luſtrum ſine cenſu condi poterat. Hinc liquet legendũ hic eſſe: *Idque cõditum luſtrum appellatum*, quia in cenſendo finis factus eſt. Luſtrum quid. Luſtrum vnde.

Eod. *Quirinalem.*] Qui ambitũ fere habet 3000. paſſuum. Dictus eſt autẽ *Quirinalis*, vel à fano *Quirini*, vel à *Quiritibus*, qui cum Tatio Curib. venientes in eo caſtra poſuerunt. Vel vt Marcus Cato in libro Originum ſcriptum reliquit *à Iunone Sabinorum Dea, quam illi Curitim, id eſt, Haſtatam Iunonem vocant.* His enim ſimul & Hetruſcis non erat litera Q. De ambitu vero & magnitudine huius collis vide Marlianum lib. 5. c. 21. Alexandrum ab Alexandro lib. 6. c. 11. Quirinalis mons.

Eod. *Viminalemque*] Collem *Viminalem* Varro inter Eſquilias commemorat, & à *Ioue Viminio*, cuius aræ in eodem monte erant, vel à *viminum* illic creſcentium multitudine dictum putat. Reſpicit ab occaſu Quirinalem interiacente circa ſtadium Suburbana plana. à Septentrione vallem habet Quirinalem, inter eoſdem colles quatuor iugerum latitudo, ſtadiorum vero duorum cum dimidio longitudo. Vide Marlianum libro 1. cap. 1. & lib. 5. cap. 19. Terentium Varronem de lingua Latina, Alexandrum ab Alexandro lib. 6. cap. 11. Viminalis mons.

Eſquiliæ.

Eod. *Auget Eſquilias.*] *Eſquilias* duos vrbis montes eſſe, ex Varrone docemur, celebrior tamen pars Eſquilinus mons dictus eſt, vel ab *anium excubiis*, vt apud Ouidium lib. 1. Faſtorum legimus, vel ab *aucupibus*, quod eo loco *quiſquiliis* proiectis auib. illuderent, hic ex vrbis collibus ſolus duplici iugo & aggere munitur, cum reliqui ſingulis contenti ſint, ex quib. alter Ceſpius nūcupatur, alter Oppius. Qua de re vide Marlianum lib. 1 & lib. 5. c. 9. Alexādrum ab Alexandro vbi ſupra. Noſtra autem tempeſtate Eſquiliæ incipiunt à templo S. Petri ad vincula, & protenduntur vſque ad Eccleſiam S. Crucis, inde ad Thermas Diocletianas, includitque Eccleſiam S. Mariæ Maioris & S. Praxedis.

Pomœrii quid.

Eod. *Pomœrium profert.*] De hoc multa dici poſſent, ſed breuitati conſulendo, *Pomœrium* locus erat, tam intra quam extra murum vrbis, quem antiqui in cōdendis vrbibus augurato conſecrabant, neque in eo vllum fieri ædificium patiebantur. Dictum autem eſt *Pomœriū*, vt auctor eſt Varro lib. 4. de lingua Latina, quaſi *poſt mœrium*. Nam quem antiqui *mœrum* dicebant, nos *murum* dicimus, vnde ita nonnulli apud Virgilium legunt lib. 10. *Atq; ipſis prælia miſcent Aggerib. mœrorum.* Iulius Pollux libro nono, intra muros ſolum Pomœrium locat, inquiens ex interprete: *ingreſſis vero omne illud Pomœrium dicitur, intra muros, intra mœnia. Interius autem Plateæ.* Plutarchus etiam in Romulo, quod intra lineam murū diffinientem relinquitur, *Pomœrium* eſſe dictum ait, detractis per ſyncopam è medio literis, quaſi *pone murum*. Agennius Vrbicus in commentariis in Iulium Frontinum, in vniuerſum *Pomœrium* extra muros vrbes habuiſſe dicit, aliquas vero intra. *Pomœrium autem*, inquit, *vrbis eſt, quod ante muros ſpacium eſt, ſub certa menſura dimiſſum. Sed et aliquib. vrbibus, & intra muros ſimili modo eſt ſtatutum, propter cuſtodiam fundamentorum, quod à priuatis operib. obtineri non oportebit, Hic locus eſt qui à publico nullo iure poterit amoueri.* Liuius hic & intra & extra vrbes Pomœrium agnoſcit, Gellius autem lib. 13. c. 14. ex libris augurum, populi Romani *Pomœrium* eſſe dicit locum intra agrum effatum per totius vrbis circuitum pone muros, regionibus certis determinatum, qui faciebat finem vrbani auſpicij: antiquum autem Pomœrium, quod à Romulo inſtitutum fuit, Palatini montis radices terminum habuiſſe. cui aſtipulatur Tacitus inquens, *certis ſpaciis à Romulo interiectos fuiſſe lapides per ima montis Palatini*, &c. ſcilicet ad ſignificandos Pomœrij terminos, quos Varro *cippos* vocat, aras etiam quaſdam his terminis addens. Terminorū intra muros nulla fit mentio, ea, vt opinor, de cauſa, quod non ſit relictum intra muros Pomœrium: Quamquam apud eundem Gellium lib. 15. cap. 27. ex verbis Lælij Felicis contrariū quis ſuſpicari poſſit. Sed ea me minime mouent, cum *Pomœrium* vrbis appellatione, tametſi extra vrbem ſit, comprehendatur. Equidem libris Augurum, Varroni, & Tacito (vt de Vrbico Chriſtiano homine nec adeo antiquo auctore nihil loquar) magis quam Liuio, Plutarcho, & Polluci crediderim, ideoque arbitror, vnum dumtaxat apud priſcos fuiſſe Pomœrium, idq. *poſt muros*, id eſt, extra muros, eamque ob rem Plutarchū qui de antiquo Pomœrio loquatur, errare, item Pollucē, qui exterius Pomœrium non agnoſcat: Poſtea vero & intra muros relinquit cōſueuiſſe. Quod ſpectat ad *Pomœrij* etymologiam: Varro quaſi *poſt murum* dictum ſignificare videtur inquiēs: *Quod erat poſt murum Pomœrium dictū, eiuſque* (terminis) *auſpicia vrbana finiuntur.* Cuius loci lacunam Hieronymus Magius explet, voce *terminis*, libr. 3. Miſcellaneorum cap. 13. Atque eodem auctore, Liuius *Pomœrium* quaſi *poſt mœnium* quoſdam interpretari ſcribit (Varronem haud dubie intelligens) quaſi *poſt mœnia*, id eſt, poſt murum Pomœrium ſit, ſed male vt ipſi videtur, ſiquidem cum primum hæc vox exorta inditaque loco eſt, vnum dumtaxat, idque extra muros erat in vſu Pomœrium. Verum nec Varronem primi nominis in etymologiarum indagine auctorem, *Pomœrium*, quia *poſt mœnium* dictum ſenſiſſe arbitratur, ſed magis quaſi *poſt mœrium*. *Muri* enim antiqua voce Latina, qua Lucretius vſus eſt, *mœri* dicebantur, ita namq; hic inquit lib. 7.

Pomœrij etymologia.

Mœrus antiquis quid.

Cippi qui.

Pomœriū vnum.

Mœri antiquis muri.

Frigus vt à fluuiis, calor à ſole, æſtus ab vndis
Aequoris exeſor mœrorum littora propter.

Minime vero probanda videtur Etymologia quæ à Pompeio affertur lib. 14. in his verbis. *Profinurium pontificale pomœrium vbi pōtifices auſpicabantur, dictū autem pomœrium quaſi promurum, id eſt, proximum muro.* Hæc ille. Primos autem qui Pomœria docuerit Ianus fuit, ſi Fabio Pictori lib. 1. credimus. De Pomœrij productione Tacitus lib. 12. Gellius lib. 13. cap. 14. Alia item ad hanc cognitionem ſpectantia, vide apud Marlianum libr. 1. cap. 3. & libr. 1. cap. 7. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14. Blondum lib. 1. Romæ inſtauratæ à principio: latiſſime autem Onuphrium Panuinium in commentario de vrbe Roma. *Pomœrium* vero *proferre* nihil aliud eſt, quam *ampliare mœnia vrbis.*

Dianæ templum aum.

Cap. XLV. *Fanum Dianæ.*] Ædificatum eſt Dianæ templū in montis Auentini vertice Tiberim verſus: in quo templo Idib. Auguſti Romæ ſeruis dies feſtus eſſe cōſueuit, cum eo ipſo die Seruius noſter è ſerua natus, hāc ædem cōſecraſſet, & diem ſacrum ſeruis, & qui in eius tutela ſint vouiſſet. Sed alij ab Anco hanc ædem ædificatam exiſtimant, ex pecunia quam ciues nuper ex Politorio traducti contulerant. Fuit autem eo ipſo in loco, vbi hodie D. Sabinæ tēplum eſt, teſte Marliano li. 5. c. 2. & lib. 4. c. 18 De Dianæ autem Epheſinæ templo multa lege apud Plinium lib. 36. c. 14. lib. 14. c. 1. lib. a. c. 87. lib. 16. c. 42. lib. 36. c. 5.

Andronius Coratius.

Eod. *Cuidam patriſfamilias.*] *Andronium Coratium* Plutarchus problemate 5. ex Iuba & Varrone vocat.

Bouis aſpectus.

Eod. *Ibi fore imperium.*] A quadrupedibus animalibus diuerſis auſpicia ſumebant Romani. Ex bouis autē aſpectu plerumque proſpera pronunciabant augures. Sic quoque L. Aurelio & L. Octauio Coss ad immolādum bos de mootibus. per hoſtium claſſem adnotaoit, ſeque ad aras percutiendum obtulit. de quo prodigio Iulius obſequens c. 59.

Eod. *Antiſtes Romanus.*] Quem *Cornelium* Plutarchus vocat.

Manuum Lotio.

Eod. *Vino perfuuderis flumine.*] Nefas enim erat illotis manibus tractare ſacra, & hinc Heſiodus vetat, ne quis mane Ioui libet vinum χερσὶν ἀνίπτοισιν, id eſt, *illotis manibus*, vnde etiam χέρνιβος apud Homerum crebra mentio, quæ vox perinde ſonat quaſi dicas *manuum lotionem*: aqua rem diuinam antiquitus auſpicabantur, vt docerent deos immortales puris tantum ſacrificiis delectari & placari.

Eod. *Interea Romanus.*] Varro hanc fallaciam non Cornelio ſacerdoti, ſed æditui aſcribit. Refertur autē hæc hiſtoria inter vafre dicta & facta apod Valerium Maximum lib. 7. c. 3.

Similitudo morum.

Cap. XLVI. *Contrahit ſimilitudo eos.*] Semper enim, vt Ariſtoteles lib. 8. Ethicorum ait, ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται *ſimile appetit ſimile.* de ſimili matrimonio canit Martialis:

Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis.

Eod. *Malum malo aptiſſimum.*] Refertur inter ſimilitudinis prouerbia, ſicut & illud, *malus cum malo colliqueſcit voluptate*, de quo Eraſmus in prouerbiis.

Cap. XLVII. *Non ſibi defuiſſe.*] Luculentiſſima oratio extat apud Dionyſium li. 4. Eſt autem libidinis regnandi elegantiſſimum exemplum.

Eod. *Muliebri dolo.*] Buſlidianus codex, vt annotat Nannius li. 5. Miſcellaneorum, pro *dolo, dono* habet, vt id regnum, quod à Senatu & populo dari ſolet, mulier ſui doni fecerit, quod ipſe omnino genuinum arbitratur. Sermo enim ex contentione ἀντιθέσεως acrior eſt, & de Tullia æmula Tanaquilis paulo ante hæc verba fecit, *nec conquieſcere ipſa poteſt*, &c.

Sceleratus vicus.

Cap.xlviii. *Sceleratum vicum vocant.*] Ob perpetuam crudeliſſimi ſceletis memoriam. Sic etiam Carmentalis porta, eo quod per eam trecenti Fabij cum clientum quinque millibus egreſſi aduerſus Hetruſcos, ad amnem Cremeram interfecti ſunt, etiam *Scelerata* dicta eſt, item *Scelerata via* quod ibi Veſtales ob inceſtum damnatæ ſepelirentur, teſte Marliano lib.5.cap. 25.

Scelerata via.

Eod. *Per patris corpus carpentum egiſſe.*] Hoc eſt, ſuper cadauer currum vel vehiculum duxiſſe, ſcabello aurigam vel mulionem frenum inhibentem percutiens. Eſt autem *Carpentum* vehiculi genus petorito prope ſimile, dictum quaſi *carmentum*, mutatione vnius literæ à *Carmenta* Euandri matre. Vnde Ouidius lib.1. Faſtorum:

Carpentum quid.

Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant,
Hæc quoque ab Euandri dicta parente reor.

Si quoque Cornelius Tacitus ſcribit, Agrippinam carpento in Capitoliũ vehi voluiſſe, qui mos ſacerdotib. & ſacris antiquitus conceſſus fuit. Verum de hac impietate & crudelitate Tulliæ in ſuum parentem præter Liuium & Dionyſium, Florum lib.1.c.6. Auguſtinũ lib.3.cap.15. lege Valerium Maximum lib.9 c.11. Ouid. lib.6. Faſtorum, Volaterranum lib.19.c.2. Alexandrum ab Alexandro lib.2.cap.6.

Virtus nobilitati aut opibus minime alligata.

Eod. *Difficilis eſſet æmulatio.*] Virtus igitur, cui vt inuidia, ita etiã plerunq; fama comes eſſe ſolet, vt ſe nullis contineri vinculis oſtendat, non ſemper nobilitatẽ aut opes ſequitur, ſed velut toti humanæ amica naturę, eam quærentes amplectitur, & perſæpe ad eos profecta, qui humili plane loco nati ſunt, claros facit, atque ad ſummum ſępe honoris faſtigium euehit.

Cognomina à factis.

Cap. xlix. *Cognomen facta indiderunt.*] Sic multis Romanorum aut virtus aut vitium, aut alij denique caſus, pro cõſuetudine appellationem dederũt. Qua de re Plutarchus in Coriolano, Plinius li.18.c.2. Macrob. lib.1.c.6. Satur. Solinus cap.4. Gellius lib.16.cap 16. Alexander ab Alex.lib.1.cap.19. Sabell.lib.6. per totum c.4. exemplorum.

Eod. *Lucum Ferentinæ conueniant.*] Vide notata infra. lib.5. de *Latinis ferijs*, vbi nõnulla ad huius loci illuſtrationem facientia inuenies.

Cap. l. *Clam quidam muſſitantes.*] Hic locus Nannio, vt lib.5. Miſcellaneorũ fatetur, perpetuo ſuſpectus fuit, neq; ſine cauſa, vt ait. Pugnant enim inter ſe, *quoſdã clam muſſitantes*, & *vulgo* eum appellaſſe Superbũ. *Vulgo* enim dicitur quod à nemine non iactatur: *à quibuſdã* dicitur, quod à paucis. Recte igitur ad iſtum modum libet Buſlidianus, eo auctore. *Iam enim quidem clam ita muſſitantes, vulgo tamen eum appellabant*, dictione *quidã*, mutata in *quidem*, vt intelligamus clam quidem ita eum vocitari, ſed tamen paſſim.

Vulgo dici quid ſit.

Necari ſub crate.

Cap. li. *Crate ſuperne iniecta.*] Sic & infra lib. 4. *ad vociferationem eorum quos necari ſub crate iuſſerat*. Quæ verba Tacitus in õpuſculo de morib. Germanorum explicare videtur: *Ignauos, et imbelles, et corpore infames, cœno ac palude, iniecta inſuper crate, mergunt.* Plautus in pœnulo: *Sub cratim vt iubeas ſeſe ſupponi, atque eo lapides imponi multos vt ſeſe neces.* Hoc ſupplicij genus Carthaginienſib. peculiare fuiſſe, memoriæ à nonnullis proditur. Brodæus l.1. Miſcellaneorum cap. 28.

Volſci qui.

Cap. liii. *Volſcis.*] Latij vel Campaniæ populis, de quibus Plinius lib.3.cap 5. & cap. 19. & Pomponius Mela lib. 2. cap. 4. Terminant autem Septentrionem verſus cum Marſis.

Volſcum bellum.

Eod. *In ducentos amplius.*] Durauit enim poſt Tarquinium tot annis. Siquidem eos, poſt ſuperatos ad Regillum Latinos, vicit quoque Appius Claudius, qui cõſul cum Publio Seruilio fuit, ruſuſq; rebellantes idem cõpeſcuit, direpta Sueſſa Pometia. De his etiam M. Valerius Publicolæ frater & dictator triumphauit. Deinde ſimul Volſci & Æqui, à L. Æmilio, qui cõſul cum Fabio Cæſone fuit: poſtmodum L. Lucretio & T. Veturio, ruſuſque Quintio & Q. Seruilio conſulib. victi ſunt Præterea Q. Fabius Cæſo conſul, demum Pub. Valerius Poritus conſul apud Algidũ, & poſt eum M. Geganius etiam conſul, ducto Cluilio duce Volſcorum ante currum triumpharunt, vt ſuis locis ſcribunt Liuius, Dionyſius: Oroſius, Eutropius, Volaterranus lib. 38. cap.8. Paralip.

Eod. *Sueſſamque Pometiam.*] *Pometia* vrbis & agri frequens apud auctores fit mentio, quæ tamen iamdudum & ante Dionyſij Halicarnaſſei tempora interiit, cuius coloni Sueſſam migrarunt, vnde & *Sueſſa Pometia* dicta eſt. Vide Plin.lib.3.c.5. Plutarchum in Hannibale. Volaterranum lib.6.cap.1.

Pometia vrbs.

Eod. *Gabios propinquam vrbem.*] Volſcorum vrbem ſeptuaginta millibus paſſuum ab vrbe ſitam, quæ à Galacto & Bio fratribus Siculis condita eſt, vt ſcribit Solinus. Sed ſi Straboni credimus, eſt in via Præneſtina, diſtatq. centum ab vrbe ſtadus, quam hodie *Zagarolum* quidam exiſtimant, quod doctis non probatur, cũ Gabij propinquiore vrbi ex Strabonis auctoritate deprehendantur. De his prætereà lege Volaterranum lib. 6. c.1. Vrbanorum commentariorum.

Gabij.

Eod. *Transfugit ex compoſito.*] Vide quoque Valeriũ Max.lib. 7. cap.4. Frontinum libr.1.cap.1. Volaterranum libro 38.cap.8. Vrban. comment. Ouid.lib.2. Faſtorum.

Cap. lv. *Non motam Termini ſedem.*] Numa Pompilius cum publicum agrum populo Romano, & priuatum certis limitib. terminiſq, definiuiſſet, ſacellũ erexiſſe Termino Deo traditur, in colle Tarpeio, cui nihil animatũ ſacrificaretur, ſed liba tantum, pultes, & frugũ primitiæ, qua de re Dionyſius lib. 2. ſtatuitque Numa eum, qui Terminũ exaraſſet, & ipſum, & bouẽ, ſacros eſſe. Saxum vero fuit hic Deus, vnde & termini agrorũ publicorum & priuatorum tales fuerunt, licet & poſtea ſtipes & arbor, & regulæ etiam pro termino poſita Lactantius in primo exiſtimat *terminũ* eum fuiſſe lapidẽ, quem pro Ioue deuorauit Saturnus, ſubiungens Tarquinium cum Capitolium facere vellet, & multorum Deorum in eo loco ſacella eſſent, conſuluiſſe, vtrũ Ioui cedere vellent, & cedentib. ceteris, ſolus Terminus mãſit, qui noluit cedere. Vnde illum Poëta Maro, *Capitolij immobile ſaxũ* dixit, & plurib. Seruius. Diuus vero Auguſtinus in 4. de ciuitate Dei aliter recitat fabulã: quę vide. Ceterum vt *inaugurare templa*, eſt ea auguriis ſanctiora reddere, ſic *exaugurare* eſt ea profana facere, prout hic Liuij locus oſtendit, & annotat Gyraldus hiſtoriæ Deorum ſyntagmate 17.cap.1.

Terminus Deus.

Exaugurare quid.

Eod. *Caput humanum.*] Recenti tabe & ſanguine aſperſum. Huius prodigij vero mentionem faciũt, & Plinius lib.2.c.2. Plutarchus in Camillo, Porcius Cato lib. Originum, Terentius Varro de lingua Latina, Marlianus lib.2.cap.1. & cap.10. Alex ab Alex.lib.6.cap.11. Ceterum Plutarchus in Camillo ab Hetruſcis vatib. reſponſum datum eſſe ait, non gentium, ſed Italiæ caput futurum. Huc vero pertinẽt Poëtarum quoque diuerſa teſtimonia, & pręſertim illud Martialis lib.12. *Terrarum Dea gentiumque Roma, Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.* Virg.lib.1. Æneid. *His ego nec metas.* Ouid.lib. 2. Faſtorum. *Gentibus eſt aliis tellus data.*

Caput hominis in Capitolio condendo inuentum.

Cap. lvi. *Cloacamque maximam.*] Erat hæc *cloaca* ad Iouis Statoris ædem in tres ductus diuiſa, quorum duo poſtmodum clauſi ſunt, tertius per lacum Curtium ſub foro Romano, per Palatini montis radices, in Velabrum aqua limpidiſſima fluebat, & inde canali è ſaxis quadratis extructo in Tiberim efflucbat. Id vero obiter notandum eſt, plures olim Romæ fuiſſe cloacas, eaſque publicas. Verum cum vrbs à Gallis capta atque incenſa eſſet, & quiſque domicilium ſibi reædificaret, factum eſſe, vt quæque domus hodie ſuam ferme & propriam cloacam habeat. Vide Plinium lib.36.cap.15. Marlianum lib.3.cap 18.

Cloaca maxima.

Eod. *Portentum terribile viſum.*] Dionyſius autem ait: *Aquilas in palma quæ regiæ incumbebat, nidũ habuiſſe, vbi illis abſentibus implumes pulli ſubito vulturum incurſu diſcerpti ſint, quod mali imminentis prodigium eſſe putabant.*

Digitized by Google

Delphi.

Eod. *Delphos ad maximeinclytum.*] De huius oraculi origine,cultu,religione & miraculis copioſe leges Herodotum libr.1. Diodorum Siculum de geſtis Philippi, Plutarchum in oratione conſolatoria ad Appollonium. De ſera numinis vindicta, in Pericle. Iuſtinum lib. 24. Sabellicum libro 5. Ennead.1. Alexandrum ab Alexandro, lib.6.cap.2.à principio, Ouidium 2. Faſtorum, *Conſulitur Phœbus.*

Brutus.

Eod. *Bruti quoque haud abnuit cognomen.*] *Brutus* enim idem eſt, quod ſtupidus, grauis & tardus. Hinc Cyprianus ad Demetrianum ſcribens ait: *Nullum affectus offert lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto, cum nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire.* De ficta eius ſtultitia Ouidius lib. 2. Faſtorum ſcribit,

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, vt eſſet
Tutus ab inſidiis (dire Superbe) tuis.

Eod. *Tarquinia ſorore.*] Id & alij prodiderunt, inter quos & Plinius de viris illuſtribus. At Tarquiniæ filium ea priſeo Tarquinio Iunium Brutum fuiſſe Dionyſius ait.

Eod. *Ludibrium verius.*] Vt pote, quem vt morionem pro libitu conuiciis & contumeliis afficerent.

Eod. *Cornco cauato.*] Plinius de viris illuſtribus *ſambuceo* ait.

Muneribus Dij etiam capiuntur.

Eod. *Donum tuliſſe.*] Pro reſponſorio munere. Muneribus enim etiam Dij capiuntur, quod Euripides in Medea vulgi ſermone celebratum fuiſſe oſtendit, eum ait: *πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.* Et Ouidius:

Munera (crede mihi) placant homineſque Deoſque,
Flectitur iratus Iupiter ipſe datis.

Celebratur & hic verſiculus:

Δῶρα θεοὺς πείθει καὶ αἰδοίους βασιλῆας.

Oraculorũ obſcuritas.

Eod. *Oſculum matri tulerit.*] Notandum eſt Apollinẽ Delphicum ſemper dubia dediſſe, & obſcura reſponſa, vt in quamcumq. partem ſe fortuna inclinaret veritatem dixiſſe videretur, cum ex ſua natura veritatis hoſtis eſſet, vtpote Satanas ipſe, prout tradit Auguſtinus libr. 5.c.7. Ciuitatis: Simile exemplum ex Ennio allegat Cicero de diuinatione li.2. Herodotus li.1. Item obſcurũ oraculum Siphnius datum leges apud eũdem li.3. Spartanis lib.1. Argiuis lib.6.

Eod. *Velut ſi prolapſus cecidiſſet.*] Id vbi in terram Italicam & natale ſolum rediiſſet, factum eſſe ſcribunt, ac procidiſſe, quaſi pedem offendiſſet.

Terra communis mater.

Eod *communis mater.*] Ægyptij, vt apud Diodorum Siculum lib.1.de fabuloſis antiquorum geſtis legimus, terram tamquam vas aliquod eorum quæ fierent putantes, *matrẽ* appellarunt. A. Græcis ſimiliter *terra mater*, mutato deinde paululum verbo *Δημήτηρ* eſt dicta, vt Orpheus teſtis eſt, qui *terram omnium matrem* dixit diuitias largientem. cui aſtipulatur quoque Marcus Varro de re ruſtica lib.3.& Plinius libro 2. cap.25. Huc quoque pertinet Cæſaris ſomnium, qui in ſomno matri ſtuprum intuliſſe viſus eſt, quo admonebatur, futurũ eſſe, vt orbem terrarum ſubigeret. Per *matrẽ* enim, *terram* quoque intelligebat, vt eſt apud Suetonium in eius vita. Verum Bruti hiſtoriam leges quoque apud Plinium lib.15.c.3. Valerium Maximum lib.7.c.3. Ouidium lib.2. Faſtorum.

Ardea ciuitas.

Cap. LVII. *Ardeam Rutili habebant.*] Dicta eſt hæc Latij ciuitas, vel ab regionis feruore, vt aſtipulatur Martialis:

Ardea ſolſtitio, Peſtanaque rura petantur.
Qui nque Cleonæ ſydere feruet ager.

Vel ab augurio auis *ardeæ*, quæ altiſſima quæque volando petit, quæ Græcis *ἐρωδιὸς*, vt Virg. lib.7.

—— Quam dicitur vrbem
Acriſonies Danaë fundaſſe colonis,
Præcipiti delata noto, locus Ardea quondam.
Dictus, auis, et nunc magnum manet Ardea nomen.

De hac ciuitate lege Strabonem, & Plin.li.3.c.5. & lib. 35.c.3. Meminit etiam eius Mela li.2.c.4.

Ardeæ obſidionis cauſa.

Eod. *Eaque ipſa cauſa.*] Dionyſius Tarquiniũ prætendiſſe ſcribit, ideo bellũ ipſis motũ quod Romanos exules ſuſcepiſſent, & cum eis de reditu conſpiraſſent.

Aulicorum mos.

Eod. *Suam quiſque laudare.*] Notabis ex hoc loco aulicorum mores & vitã, qui quam primum conueniunt, & liberius bibunt, & bene poti liberrime quicquid animo reconditũ eſt, effutiunt. Vnde prope Athenæus de potatorib. differens, huiuſmodi prouerbium eleganter vulgo dici ſolere ſcribit, *τὸ οἶνος οὐκ ἔχει πηδάλια*, id eſt *vinũ non habere clauum*. Propterea quod ebrietas nihil cõſulte, neq; moderate, vel dicat vel faciat. Obruitur quippe ratio, quæ claui vice ſobrios moderatur atque gubernat.

Vinum non habet clauum.

Collatia ciuitas.

Eod. *Pergunt inde Collatiam.*] Ciuitatem, quę non procul ab vrbe in via Tiburtina erat, de qua Plinius lib.3.c. 5. Volaterranus lib.6.ca.1. Vrbanorum comment. cuius hodie ne murorum quidem veſtigia extant.

Lanificium honeſtiſſimum apud Romanos habitum.

Eod. *Lana inter lucubrantes ancillas.*] Honeſtæ matronæ & matris familias notatu dignum exemplum. Quippe apud matronas quondam lanificium magnæ laudi fuit, lanamque feciſſe mulierem, pudicitiæ & probitatis ſignum erat. Quo enim tempore inter Romanos & Sabinos fœdus ictum eſt, cum Romulo & Tatio cõuenit, vt Sabinę ab omni opere, præterquam lanificio immunes forent, vt apud Plutarchum in Problematis legimus. Pręterea Pagani, vt lanificium veterib. cordi fuiſſe oſtenderent, ſponſam nuptiarum die, colum comptam, & fuſum cum ſtamine, ad virum adferre iuſſere. Quem mortem etiam hodie apud multos & præcipue apud Iberos coli, obſeruarique legimus apud Alexandrum ab Alex. libr.4.cap.8. Meminit Plinius lib. 29.cap.2.

Mors ſpontanea.

Cap. LVIII. *Cultrum quem ſub veſte.*] Apud Romanos namque priſcos laude dignum erat, in re honeſta, & rei pub. vtili ſibi ipſi inferre manus Apud Thebanos tamẽ qui mortem ſponte oppeteret, nulla omnino laude dignus erat, quin potius crimini dabatur, eoque facinore pudendam inſcitiam coarguebat ſuam, velut ſui carnifex immaniſque naturæ foret. Athenienſes vero cum necem ſibi quiſque manu conſciuiſſet, defuncto cadaueri manum tamquam facinoroſam abſcindebãt, illamque diuiſam à corpore, inhumatam relinquebant. Quod Platonis documentum fuit, qui cenſuit, optimum quemque infractu animo vim fortunæ & calamitatum incurſus potius ferre, & niſi eum dies promiſſus aduenerit, neminem iniuſſu Dei mortem ſibi conſciſcere oportere, idque magnificentius præclariuſque multo videri.

Cap LIX. *Exuleſque eſſe iuberet.*] Tarquinio enim clauſæ ſunt vrbis portæ, atque exilium publice indictum eius filij è caſtris eiecti, reliqui in Hetruriam patrem ſecuti ſunt. Sextus patria iram veritus, Gabios veluti in peculiare regnum exul abiit. Hunc autem diem quo exactus eſt Tarquinius, *regifugium* in poſterum Romani vocarunt. Quis autem dies is fuerit variant auctores, apud quos plura & diuerſa regifugia leguntur. prout annotatum eſt circa initium Chronologiæ huic editioni adiectæ & late expliciat Onuphrius Panuinius in Commentariis lib.1. Faſtorum.

Regifugij dies.

Præfectus vrbis.

Cap. LX. *A præfecto vrbis.*] Dionyſius *ab interrege* comitia habita ſcribit, ſed in eo controuerſia nulla eſt. Nã & *ab interrege & Præfecto vrbis* ſimul habita ſũt ea comitia, quibus primi conſules creati ſunt, cum iis præfuerit Lucretius Tricipitinus Lucretiæ pater, qui erat idẽ interrex. idem vrbis præfectus. *Interrex*, quod eum ſenatus habendis comitiis Bruto referẽte creaſſet. *Præfectus*, quod ei Tarquinius ad bellum proficiſcens curam vrbis mandauerat. *Præfectum* vero *vrbis* Romulũ inſtituiſſe tradit Tacitus lib. 5. *Sed præcipua ex Piſone gloria, quod præfectus vrbi recens, continuã poteſtatem, & inſolẽtia parẽdi grauiorem, mire tẽperauit. Namque antea profectis domo regib. ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tẽpus deligebatur, qui ius redderet, ac ſubditis mederetur: Feruntq; à Romulo Dentrẽ Romuliũ, poſt à Tullio Hoſtilio Numã Martium ab Superbo Tarquinio Sp. Lucretium*

Digitized by Google

Deinde conſules mandabant. At poſt introductum Romæ Præturæ magiſtratum, deſiit præfectus vrbis fieri, niſi quod Latinarum cauſa profectis vrbe conſulibus relinquendus erat præfectus vrbis, idque religionis potius cauſa, quam quod eo magiſtratu magnopere opus eſſet. de quo Gell. lib. 14. ca. vlt. *Ceterum Auguſtus bellis ciuilibus Cilnium Mæcenatem equeſtris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam præpoſuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia ſumpſit è conſularibus, qui coerceret ſeruitia.* &c. De *præfecto vrbis* titulus extat in Pandectis qui ſatis oſtendit, quod munus præfecti vrbis ſub imperatoribus deinde fuerit.

Comitia triplicia. Eod. *Comitiis centuriatis.*] Quia crebro comitiorum mentio cum apud Liuium, tum alios quoque auctores ſit, ideo ſciendum eſt triplicia potiſſimum apud

Comitia curiata. Romanos comitia fuiſſe. *Curiata, Centuriata, & Tributa.* Ex his *Curiata* antiquiſſima fuerunt, quippe quibus ipſe Romulus ſit, eoque tempore totius reipublic. cura per ſententias Curiarum expediebatur, auctore Pomponio: ff. de origine iuris. Hæc autem *comitia Curiata* in creandis magiſtratibus maioribus, cum *Centuriata* à Seruio Tullio inſtituta fuiſſent, abolita ſunt in minoribus autem etiam poſt exactos reges ad annos ſexagintatres circiter permanſerunt. Vnde Gelius lib. 13. ait: *Minoribus magiſtratib. magiſtratum tributis comitiis ſed iuſtius curiata lege dari.* & Tacitus lib. 11. auctor eſt, quæſtores ſub regib. *lege Curiata* creatos, quam legem L. Brutus repetierit. In quib. etiam aliis reb. Curiata comitia auſpiciorum gratia in Repub. remanſerunt, vt in re militari. Nam cōſuli abſque lege Curiata rem militarem attingere non licebat, vt ſcribit Cicero de lege Agraria contra Rullum, & Liuius infra libr. 6.

Imperium lege curiata dabatur. *Comitia Curiata*, ait, *rem militarem continere.* Idemq; lib. 10. clarius oſtendit his verbis: *Papirius C. Iunium Bubulcum magiſtrum equitum dixit, atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triſte omen diem diffidit.* Ex his conſtat neminē in re militari imperium habere potuiſſe, niſi cui id in vrbe Curiata lege datum fuiſſet, cuius rei etiam Cicero auctor eſt libr. 1. Epiſtolarum ad Lentulū & ad Q. fratrem Nemini autem *Curiata lege* imperium debatur, niſi cui antea veris comitiis, ideſt, tributis vel cēturiatis datus eſſet magiſtratus, vt tradit idem Cicero cōtra

Adoptiones lege curiata fieri ſolitæ. Rullum. Arrogationes etiam *lege Curiata* fiebant. Nam hac imperium conſtituebatur arrogatori in arrogatum Gellius lib. 5. cap. 19. Meminit eius Cicero in oratione pro domo ſua ad Pontifices. Et Appianus lib. 2. bellorum ciuilium ſcribit C. Cæſarem Octauianum iterum ſe parenti in adoptionem dediſſe lege Curiata. Eſſe autem id à populo in adoptione confirmari. Hoc autem genus adoptionis poſtea in principem tranſlatum eſt, quod alioquin iure antiquo neceſſario per populum fiebat l. t. C. de adopt. §. 1. Inſtit. Quib. mod. teſtam. infirm. Omne enim ius populi lege Regia in Imperatorē tranſlatum eſt. Hæc autem Comitia auſpiciorum cauſa remanſerunt, vnde & Pontifices Augureſque iis intererant, vt tradit Cicero de prouinciis conſularib. & lib. 4. Epiſtolarum ad Atticum, vbi de pactione Domitij cū conſulibus loquitur, quam detexit Memmius & Gellius in loco ſupra allegato. Hæc vero comitia per triginta lictores peragebantur ad ſpeciem atq. vſurpationem quandam vetuſtatis, auctoribus Cicerone de lege Agraria contra Rullum: & Gellio lib. 15. cap. 27.

Comitia centuriata. Secunda ratio comitiorū *Centuriata* dicitur, quā excogitauit Seruius Tullius rex, in qua ſic omnia inſtituta ac ordinata erant, vt ea comitia in poteſtate optimatū eſſent, ipſaq; plebs nihil poſſet. Quare aucta poſtea ciuitate, & tribuum numero, vt inquit Liuius, conſummato, receſſum eſt ab inſtituto Tullij ad ſeruandam ordinum concordiam Nam cum primū centuriæ omnes, centum & nonaginta tres eſſent, auctore Dionyſio, prima claſſis in qua ditiſſimi erant, prima vocabatur ad ferendum ſuffragium. Habebat autem ea claſſis octo & nonaginta centurias. Secunda viginti, quarum duarum claſſium centuriæ ſi cōſentirent reliquas numero ſuperabant, eaque ratione ſuffragia numquam ad infimam plebem perueniebant, vt & ſupra oſtenſum eſt ſub vita Seruij Tullij. Poſtea vero, vt concordia ordinum vt diximus, conſeruaretur, comitia hæc ſic haberi conſueuere. Primum omnium ex omni numero centuriarum ſortito *prærogatiua*, conſtituebatur *centuria*, quę prima in ſuffragium mitteretur. Deinde primæ claſſis centuriæ vocabantur, & ſecundæ, quas *primo vocatas centurias* appellabant. Cicero Philippica. 2. *Ecce Dolabella comitiorum dies: ſortitio prærogatiuæ. quieſcit, renunciatur: tacet: Prima claſſis vocatur, renunciatur, deinde vt aſſolet ſuffragia, tum ſecunda claſſis vocatur, quæ omnia citius ſunt facta, quam dixi.* Et Liuius libro 9. *Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium conſenſu deſtinaretur, eumq; & prærogatiuæ, & primo vocatæ omnes centuriæ Conſulē cum L. Volūnio, dicebant.* Poſt hæc autem vocabātur tribus quas *iure vocatas* dicebant. Liuius 4. *Haud inuitis Patribus, P. Licinium Caluum prærogatiua trib. militum non petentem creat, moderationis expertæ in priore magiſtratu virum, ceterum iam tum exactæ ætatis, omneſq. deinde ex Collegio eiuſdem anni refici apparebat, qui prius quā renūciarentur, iure vocatis tribub. permiſſu interregis, Pub. Licinius Caluus ita verba fecit.* Et cicero de lege agraria contra Rullum: *Itaque me non extrema tribus ſuffragiorū, ſed primi illi veſtri concurſus: neque ſingulæ voces præconū, ſed vna voce vniuerſus populus Romanus cōſulē declarauit.* Ex his ſatis conſtat, hanc comitiorum formam admixtis tribubus, quaſi duplicem factam. Quod etiam Aſconius in Verrinam 2. teſtatur. *Prærogatiua* (inquit) *ſunt tribus, quæ primæ ſuffragium ferant ante iure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia ſeruaretur, bina de iiſdem cādidatis comitia fieri, quorum tribus primæ prærogatiuæ dicebantur, quos vellent conſules fieri. Secunda iure vocata, quod in his ſequente populo, prærogatiuarum voluntate omnia complerentur.* *Tribus* autem hic in priore mēbro pro *centuriis* accepiſſe videtur Aſconius. Neq; enim apud auctores *trib. prærogatiua*, ſed *centuria* dicitur. *Prærogatiuam* autem iuſtorum comitiorū volebant eſſe Romani, auctore Cicerone libro 1. de Diuinatione: quare etiam nomen illud variæ vſurpatur. Nam & *præiudicium* ſiue *auctoritatem quādam* ſignificat, vt apud Liuium lib. 1. Decadis tertiæ, in principio. Et Cicero actione in Verrem ſecunda, pulchra dialogia ludit in Metellum, qui cum magna pecunia à Verre, qui tum reus erat, accepta atq; in prærogatiuam Cēturiam erogata, Præturam nactus fuiſſe, vel emiſſe potius exiſtimaretur, præiudicio ſuo reum Verrem iuuabat. *Hic*, inquit, Cic. *Metellus, quā ſit iſti amicus attēdite. dedit enim prærogatiuā ſuæ volūtatis eiuſmodi, vt iſti pro prærogatiua reddidiſſe videatur.* priore loco *prærogatiua* hic pro *præiudicio* accipitur, in poſteriore vero pro *cēturia.* Sed & iurecōſulti hac voce varie vtūtur, modo pro *auctoritate & eminentia quadam*, modo pro *iure quodam ſpecialiter indulto.* Vlpianus in l. Reſcripto, & l. numerum. ff. de munerib. & honoribus, l. obſeruare. ff. de officio procōſ. l. Si quis C. de epiſcopis & clericis. Cum autem hæc duo genera comitiorum, ob auſpiciorum rationem, patrumq; auctoritatem optimatum potentiæ obnoxia viderentur, tulit legem P. Volero, vt Plebeii magiſtratus tributis comitiis fierent, in quib. nec auſpicia ſeruabantur, nec auctoritas patrum requirebatur, ſed plebes per triginta quinque ſuffragia nullo nec religioſo aut ſacro, nec ciuili vinculo aſtricta ferebat Præpoſitis igitur trib. comitiorum generib. videamus quomodo ſingula diſcreta à ſe inuicem fuerint, *Curiata* comitia à *tributis* ita differunt, quod *curiata* & antiquiora ſunt auſpicatoq. fiebant, & patres iis comitiis auctores erant. Quorū ante legem Æliam Fuſiam in tributis nihil obſeruabatur. Pręterea *tributa* ex regionib. & locis (vt inquit Gellius) conficiebantur: *curiata* ex ratione ſacrorum ſecundum quam à Romulo conſtitutæ erant, fiebant. Vtriſque tamen hoc cōmune fuit, quod mixtum ſuffragium ferebatur, in quo etiam *à centuriatis* differunt. nam iis comitiis populus cenſu, ordinibus, ætatibuſq; deſcriptus,

Prærogatiuæ centuria. Primo vocatæ centuriæ.

Tribus iurē vocatæ.

Prærogatiua quid?

Comitia tributa.

Comitiorū differentia.

adhibebatur in ſuffragium, vt inquit Cicero, lib. 3. de legib. *Centuriata* comitia etiam ſæpe vna die confici non poterant: *tributa* vero vna die perfici neceſſe erat. Præterea *curiata & tributa*, cum in vrbe, tum in campo habere fas fuit: *Centuriata* vero in vrbe haberi non potuerunt, cuius rei auctores ſunt: Dionyſius libro 9. Liuius libro 37. Dion. Caſſius libro 31. & Gellius libro 15. cap. 27. Vnde liquido apparet vehementer errare eos, qui ducem ſententiæ ſuæ ſecuti Flauium Blondum lib. Romæ triumphantis tertio, *curiata & tributa* comitia eadem fuiſſe aſſerunt, & multo magis eos, qui Feſtum celebrem Grammaticum imitati ex Curiatis & Centuriatis idem comitiorum genus faciunt. Hæc quam breuiſſime de antiquis comitiorum generibus, quib. Romani cum in magiſtratibus creandis, tum in legib. ferendis, ſiue reo iudicando vtebantur, aſcribere placuit. Quod ſi quis plura hac de re cognoſcere volet, legat Grucchij libros *de comitiis Romanorum*, quibus in hac materia nihil eruditius prodiit.

Conſules duo cur. Conſulate imperiũ cur annuũ.

Eod. *Duo conſules.*] Duo autem conſules ideo creati ſunt, vt ſi vnus improbus eſſe maluiſſet, alter eandem habens poteſtatem, collegam coërceret. Placuit quoque ne imperium conſulare longius quam annum eſſet, ne propter magiſtratus diuturnitatem inſolentiores, ſuperbioreſque eſſent, ſed ciuiles ſe ſemper redderent, qui ſe poſt annũ ſcirent magiſtratu abituros. Vide Feneſtellam ca. 7. de magiſtratibus Romam. Blondum lib. 3. Romæ triumphantis, Pomponium tit. 2. lib. 1. digeſtorum Auguſtinum lib. 3. c. 16. Faſtorũ, Ciceronem lib. 3. Ouidium lib. 3. de legibus.

IN T. LIVII HISTORIARVM LIBRVM SECVNDVM.

Conſulum iura.

CAP. I. *Omnia iura.*] Nimirum lictores cum faſcibus, trabeam prætextam, ſellam curulem regiam, cæteraque regum inſignia. Id tantum cautum eſt, vt alter conſul faſces XII. ſecuribus alligatos, alter vero virgarum faſces tantum cum lictoribus haberet, idque alternatim ſingulis mẽſibus, donec annuum eorum imperium expleretur, faceret.

Conſcripti vnde dicti.

Eod. *Qui patres, quique conſcripti eſſent.*] De *Patrum* nomine, ſupraſcriptum eſt in vita Romuli, itidemque *ſenatorum*. cur vero *conſcripti* dicti ſint, auctores variant. Liuius ſiquidem Plutarchus & Tacitus pattũ conſcriptorum originem Bruto tribuunt. At Onuphrius in ciuitate Romana, *patrum conſcriptorum* originem inde manaſſe credit, quod cũ Romulus, Sabinos, Etruſcos, & multos alios ad aſylum confugientes, æquo iure in ciuitatem ſuſcepiſſet, & in Lucerum, Tatienſiumque trib. coniecisset, pace cum Tatio facta, ex veteribus & illuſtriorib. familiis, ſenatorum numerum, & vt patriciorum ad ducentos auxerit & duplicarit. Et ab hac ſecunda Romuli & Tatij ſenatorum lectione patrum conſcriptorum nomen manaſſe credendum eſt. Nam ſi *conſcriptum eſſe*, idem eſt quod *allectum*, cur hi, qui in ordinem iam inſtitutum cooptati ſunt, *conſcripti* non ſunt appellandi? Perionius libro 1. de Græcorum magiſtratibus diuerſum ſentire videtur. *Patres* (inquiens) *Romulus centum creauit, quorũ liberi patricij appellati ſunt. Ad hos autem centum, qui à Bruto additi ſunt exactis regib. ducenti, vocati ſunt conſcripti deinde factũ eſt, vt omnes conſcripti vocarentur.* Maioragius in ſuo de ſenatu Romano libello cap. 2. quatuor ſenatorum genera ſtatuit. *Patricios, Conſcriptos, Allectos & Pedarios.*

Patricij.

Patricij ex eius ſententia vocabantur omnes, vel maiorum vel minorũ gentium, qui poſt L. Bruti inſtitutionem à ſenatoribus patricij generis oriebantur.

Conſcripti.

Conſcripti dicti ſunt illi, qui conſulum Cenſorumue decretis in ſenatu eſſent ſcriptis notati. quæ appellatio (Maioragij ſententia) principium habuit ab ipſo Iunio Bruto, qui cum ſenatorum numerum ſtatuit augere, non ſolum patricios elegit, ſed etiam ex equeſtri ordine, quos virtute ac nobilitate reliquis præſtare intellexit, atque eos *cõſcriptos patres*, quaſi vna cum patriciis in ſenatorum albo conſcriptos nominauit, ex quo tempore *patrum conſcriptorum* appellatio locum habere cœpit.

Allecti.

Allecti dicebantur, inquit Feſtus, *qui propter inopiã ex equeſtri ordine in ſenatum aſſumpti fuiſſent.* fiebat enim interdum, vt, vel propter hominum penuriam, cum bellorum cædibus exinanita eſſet reſp. vel propter fauorem & gratiam, non tantum ex equeſtro ordine, quem Alexander Seuerus aiebat ſenatus eſſe ſeminarium, ſed etiam ex libertino genere, vel ex nouis ciuibus aliqui in ſenatum allegerentur, qui iidem vocabantur *Allecti*, & in conſcriptorum numero ponebantur. Plutarchus enim in Problematibus ita ſcribit: *Cur ſenatores alios Patres conſcriptos, alios tantum Patres appellabant? An eos, quos ab initio Romulus delegerit, Patres ac Patricios nominabãt, quaſi bene parentib. natos, reliquos deinde ex plebe electos, & adſcriptos in ſenatũ conſcriptos vocitarũt?*

Pedarij ſenatores.

Pedarij dicti ſunt, qui nõ habebant ſententiæ dictionẽ in ſenatu, ſed in aliorũ ſententiã pedib. ibant. De quib. alibi ſuo loco dicitur.

Rex ſacrificulus.

Cap. II. *Regem ſacrificulum creant.*] Idem tradit Dionyſius initio libri quinti. Primũ autem *regem ſacrificulũ M' Papiriũ* ex patriciis creatũ ſcribit Dionyſius loco preallegato. Regis porro vxor appellabatur *Regina*, quæ & ipſa aliquot ſacra facere ſolebat. De qua Macrobius in lib. Saturnalium mentionem facit. Creabatur autem rex ſacrorum comitiis Centuriatis, quemadmodum apud Gellium lib. 15. c. 27. refert Lælius Felix.

Collatinus remouetur.

Eod. *Ciuitate ceſſit.*] Huius abdicationis Collatini, non eadẽ cauſa ab omnibus traditur, cum Liuio faciũt Plutarchus in Publicola: L. Piſo apud Gellium li. 15. Hanc autẽ opinionẽ Dionyſius irridet & refutat. Ortã autem eſſe diſſenſionẽ inter Brutum & Collatinũ ait, cũ Brutus ſupplicio de filiis, qui de recipiendis in vrbẽ regib. conſilia habuerant, ſumpto, pariter in ſororũ Collatini filios cõiurationis eius ſocios animaduerti vellet. Quos cũ pro pari poteſtate qua præditus erat, eximere pœna Collatinus vellet, Brutum miſſo in ſufragia populo ei magiſtratum abrogaſſe. Piſonem ſequitur Cicero 3. de officijs, & in Brutum: Dionyſium Zonaras.

Vitellij.

Cap. IV. *Vitelliis.*] Quorum ſoror brutorum iuuenum erat mater. Verũ Dionyſius *Vitelliorum* nominib. ſuppreſſis, *Gellios* ſubiicit, *Marcum* videlicet, & *Manlium* fratres vxoris Bruti.

Aquilij.

Eod. *Aquiliiſque.*] Qui nati erant ex ſorore Collatini Tarquinij conſulis.

Vitellij à Vindice proditi.

Eod. *Cœnatũ forte apud Vitellios.*] Dionyſius ab Aquiliis ad cœnam vocatos ſcribit, in qua conſpirauerint omnes, liberius viuendi deſiderio capti, Tarquinios in vrbem noctu clam recipiendos eſſe, quos propediem recepiſſent, niſi à Vitelliorum ſeruo, vel vt alij ſcribunt à captiuo quondam ex vrbe Cecina, cuius nomen erat *Vindicis*, conſilia patefacta, literæque à coſſ. vel vt Dionyſ. ait, à Poblicola interceptæ fuiſſent.

Legati ſacroſancti.

Eod. *Ius tamen gentium valuit.*] Erat enim veterib. ius legatorum ſanctum & inuiolabile, cum hominum preſidio munitum, tum diuino iure defenſum, quod etiam in medio belli furore, & inter hoſtium tela incolume ſeruabatur, teſtis Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 3.

Legati intercipi poſſunt, maxime perferentes hoſtium mandata.

Verum vt Romani hic pro modeſtia ſua ſtatuerunt, ſic alia exempla in contrarium ſunt. Nam & Athenienſes interceperunt legatos Lacedæmoniorum euntes ad regem Perſicum, vt eum ſibi adiungerent contra ciuitatem Atticam, vt recitat Thucydides lib. 2. Et Romani ceperunt legatos Hannibalis, euntes ad regem Macedonicum, vt narrat Liuius lib. 3. Decad. 3. Quæ exempla oſtẽdunt fuiſſe vſitatum, legatos hoſtium perferentes mandata nocitura patriæ intercipere.

Regifugiũ qua menſe factum.

Cap. V. *Seges matura meſſi.*] Ex hic Liuij verbis quidã euincere conantur *regifugiũ* in Iunio potius aut Quintili, quam Martio aut Aprili, vt plurimi volunt, factum

eſſe. Ceterum Onuphrius hæc Liuij verba de *ſegete matura meſſi* minime obſtare putat, quo minus reges exacti, conſuleſque 6. Kal. Martij creati eſſe dici poſſint, præſertim cum à regum eiectione, vſque ad eorundem bonorum publicationem, multa interim geſta fuiſſe dicantur, quæ non niſi tribus menſibus confici potuerint, vt manifeſte ex Dionyſio conſtat. Ea autem quæ de *ſegete matura meſſi* à Liuio referuntur, circa medium vel finem menſis Maij facile eſſe potuerunt. Quo menſe faſces cum ſecuribus penes Brutum erant, qui eas menſe Martio concedente collega, prior habuerat, Aprili Collatinus: Maio autem iterum Brutus. Alternabant enim per ſingulos menſes faſces cum ſecuribus, ne ſi ambo faſces & ſecures haberent, duo reges pro vno creati viderentur, quo tempore meſſi apto occiſis coniuratis, boniſque regũ publicatis, agrum Marti conſecrarunt, qui *campus Martius* eſt appellatus. Neq; veriſimile eſt, ſi primi conſules vt quidã volũt, VII. Kal. Iunij creati ſunt, tot ante maturã meſſem, quot geſſiſſe narrentur, feciſſe, cum ante medium menſis Iunij in agro Romano omnes vndique tritici meſſes in horrea congregantur.

Virgis Romanum cædi nefas.

Eod. *Virgis cædunt ſecuriq; feriũt.*] Fuit enim mos apud Romanos, vt hi, qui capitis ſupplicio damnati eſſent, virgis prius, quemadmodum etiam apud Iudæos, cæderentur, qui tamen mos lege abrogatus eſt. In Romanis enim caſtris, qui militabant, ſi quid deliquiſſent, ſi externi flagellis & virgis, ſi vero Romani ciues forent, vitibus cædebantur. Liuius deinde Druſus & C. Gracchus tribuni plebis, ne liceret quempiam Latini nominis virgis afficere, ſed vitibus plebiſcito ſanxerunt, in hac re Latinos Romanis coæquantes. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 10. in fine. Eſt autem hic paternæ ſeueritatis exemplum; cuius quoque mentionẽ faciunt Valerius Maximus libro quinto, cap. octauo. Sabell. lib. 3. c. 3. Ethnic. exemp. Platina lib. de optimo ciue.

Vitibus Romani milites delinquentes cædebantur.

Cap. VII. *Triumphauſque.*] Iſque primus, quadriiugo curru, vt Plutarchus prodidit, vrbem ingreſſus.

Funebrium orationum origo.

Eod. *Collega funus.*] Corpus eius in foro poſitum collaudans. Atq. hinc *funebrium orationum* apud Romanos origo. Primus enim fuit Valerius Publicola, qui ſupremas Bruti laudes accurata oratione proſecutus eſt. poſt quem deinde inſtitutum eſt, vt clarorum virorum in funeribus ſolennis laudatio eſſet. Nam & Appij decemuiri defuncti laudationem ſequutis temporis plebs æquis auribus audiuit. Et Scipionem in funere ſupremo, vt hominem diuinum Maximus commendauit. De qua conſuetudine lege Blondum libr. 2. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 7. Dionyſium Halicarnaſ. lib. 5.

Annus luctus apud Romanos.

Eod. *Matrona annum.*] Tantum honorum Bruto, quantum maritis ſuis tribuentes. Mos enim erat Romanorum, vt defunctos maritos per annum lugerent, eoque temporis ſpacio viduæ manerent, teſte Valerio lib. 2. ca. 1. *Annum* autem hunc ex ſententia Renardi li. 1. Variorũ cap. 20. ita accipe, vt ille annus Romuli, hoc eſt, decem duntaxat menſes comprehendantur. Nam etſi Numa Pompilius decem menſibus non contentus anno duos adiecerit, tamen luctus legitimum tempus non prorogauit. Teſtis huius eſt Plutarchus, ſcribens, longiſſimum tẽpus luctus menſium decem etiam Numam voluiſſe. Et huc referendi ſunt verſus Ouidij lib. 1. Faſt.

Per totidem menſes à funere coniugis vxor.
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Quibus autem modis & cauſis minuerentur lamentationes, cum Liuius lib 2. de bello Punico, tum Nonius Marcellus ſatis oſtendunt. Tu ea de re multa leges apud Blondum lib. 2. Romæ triumph. Senecam lib. 16. ad Lucilium Epiſt. 99. Alex ab Alex. li. 3. c. 7. Sabell. li. 7. c. 1. & lib. 10. c. 25. Ethnic. exemplorum.

Eod. *Collegam ſubrogauerat.*] Exactis enim regibus duos ſemper conſules creari voluerunt, penes quos ſumma totius imperij eſſe deberet, quorum vno morte ſublato, ſtatim alius, qui reipublic. ſalutem promoueret ſubrogaretur, ne ſub vnius imperio eſſe dicerentur.

Summittere faſces.

Eod. *Summiſſis faſcibus.*] Hinc elegans prorepſit adagium, vt enim damus; & herbam quodammodo porrigimus, vincique nos plane fatemur, *ſummittere faſces* dicamur, aſtipulante Cicerone in Bruto. Porro *faſces ſummittere* Cœlius lib. 12. lectionum antiquarum, ca. 7. interpretatur, non ſurrectos tenere, vt ſolebant prius lictores, vt viſendos eos præberent; oſtentarentque ad terrorem increſcentis audaciæ, ſed deprimere & ante pedes quodammodo deiicere.

Velia.

Eod. *Summa Velia.*] Eam montis Palatini partem, quæ forum Romanum aſpicit, quæque in ortum æſtiuum ſpectat. *Veliam* vocabant, vbi ſuperioribus annis Mariæ nouæ templum ſacratum eſt. Dictaque *Velia*, quod olim ante ouium tonſuram inuentam, paſtores eodem in loco lanam vellere conſueuerint. Vide Pomponium Lætum parte 17. Marlianum li. 3. c. 6.

Eod. *Munito loco.*] Erat quippe is locus, Plutarcho referente, difficili acceſſu atq; arduo, vt eo deſcendente, ipſe quoque aſpectus põpæ magnificus ex loco edito, apparens, regiam dignitatem & faſtum præ ſe ferret. Hinc vero diſces nullam fidem eſſe tam ſpectatam, quæ non ſuſpicioni & infamiæ ſubiecta ſit.

Eod. *Delata confeſtim materia.*] Iouianus ſcribit, nocturno tempore, non exigua fabrorum operariorumq; conducta manu, domum omnem ab imis fundamentis tanta feſtinatione diruiſſe, vt gliſcente iam die ædificiũ vniuerſum ſolo æquatum viderent. Plutarchus, eum amicis poſtmodum habitaſſe ait, donec populus ipſe ædificandæ domus, locum dederit: quo accepto plebis ſumptibus aliam domum magnificentiſſime ædificauit eo in loco, vbi fanum erat in vico publico. Notabis autem hoc loco, mirum in modum bonorum virorum adaugeri exiſtimationem & dignitatem.

Publicolæ cognomen.

Cap. VIII. *Cognomen factum Publicola.*] Quaſi *plebem colentis*, vel vt Plutarchus interpretatur, *publica edentis*. Quod nomen in poſterum dimiſſo priore (ante enim *P. Valerio* ei nomen fuerat, à Valerio patre inditum) vſurpatum eſt. Publicolæ igitur exemplo diſcẽdum eſt, magiſtratus boni officium eſſe, decedere de ſuo interdum iure, quo ſubditi rebelles ac maleuoli, non tam pœnis, quam beneuolentia, humanitate, imo beneficus quandoque vincantur.

Eod. *De prouocatione aduerſus magiſtratus.*] Plutarchus tres leges à Publicola latas numerat, quibus plurimum roboris plebi adiecisſe ait, quarum prima permiſit, reis dicta iam ſententia à conſulibus prouocationem ad populum. Secunda ſtatuit capitale eſſe, ſi quis iniuſſu populi magiſtratum adiret. Tertia demum, qua pauperibus proſpexit, & ciuium vectigalia ſuſtulit. Satis enim ſtipendij pauperes pendere videbantur, ſi liberos tollerent.

Prouocationis remedium.

Eod. *Aduerſus magiſtratus.*] Hac lege conſulare imperium diſſolutum fuiſſe, Liuius infra lib. 4. ſcribit. A dictatore tamen ad populũ prouocare non licuit, vt idem infra lib. 2. tradit.

Valeria lex maieſtatis.

Eod. *Sacrandoq; cum capite bonis eius.*] Hæc lex proprie ad crimen maieſtatis pertinuit, vt annotat Zaſius ad legem Valeriam de prouocatione, qua occiderũt poſtea Sp. Caſſius, Sp. Melius, M. Manlius. Pecuniæ autẽ, quæ ex bonis damnatorum redigebantur, ſacræ erant Cereri, auctore Dionyſio l. 10. *Sacrare* autem hoc loco, vt annotat Budæus in poſteriorib. annotationib. ad Pandectas, eſt deuouere & deteſtabile decernere, & ita morti addicere, vt impune occidi & violari poſſit. Sic *ſacri* homines deteſtandi & exercrabiles dicuntur, quos Græci ἐναγεῖς, ἐξαγίστους, μιαρούς, ἐπαράτους, φαρμακοὺς καθάρματα appellant. Erant enim *catharmata*, homines qui peſte expianda, aliaue quo morbo immolabantur Diis.

Sacrare caput cum bonis.

Sacri homines.

Veientes.

Eod. *Veientium bellũ.*] *Veientes* Italię populus, de quibus Plinius lib. 3. ca. 5. & lib. 2. c. 98. & lib. 3. cap. 17. *Veij* autem noſtra tempeſtate ea loca inhabitare putantur, vbi nobilia veteris oppidi veſtigia ſub Veſinorum

ditione apparent, quæ adhuc *Veiana* appellantur, teſte Volaterrano lib. 5. Geograph.

Augutia oblatiua & impetratiua.

Eod. *Mortuum eius filium.*] *Auguria* duorum generum erant, quædam *oblatiua*, quædam *impetratiua*. *Impetratiua* petebantur à Diis, nec in impetrantis poteſtate erat, ea vel accipere, vel non accipere, vel agnoſcere, vel non agnoſcere: quæ vltro nobis non petentibus facta & oblata erant, in poteſtate noſtra erant. nam non agnoſcere vel agnoſcere licebat. Sic itaque Horatius funus nõ agnouit, nec ad ſe pertinere ſignificauit, ſed ad alios, cum dixit *efferte*, quaſi ipſorum cadauer eſſet. Alij enim reſpondiſſe dicũt, vt refert Seruius, *cadauer ſit*, Torneb. lib. 5. aduerſar. cap. 7.

Lartes.

Cap. IX. *Lartem Porſennam.*] *Lartes* Hetruſco vocabulo *monarcha*, regum Lucumonum, qui duodecim erant, maximus, & ſic *Lartes* dignitatis non proprium eſt, vt annotauit Cuſpianus in Conſulibus. Fuit autem Porſena Cluſinorum rex, qui in Hetruria erant.

Eod. *Rei inter Deos hominesque.*] De hac ſentẽtia, quod regnum res ſit inter deos homineſque pulcherrima, vide notata per Cœlium lib. 4. ca. 25. lectionum antiquarum.

Cumæ.

Eod. *Alij Cumas.*] Nobiliſſimam Campaniæ ciuitatem, quæ à Chalcidenſibus ex Eubœa profectis ędificata, & ab Hippoclis Cumani cognomine dicta eſt. Qua de re Strabo lib. 5. Plin. lib. 3. c. 5. Volaterranus li. 6. c. 6. Vrban. com. Meminit quoque Plutarchus in Hanibale, & Mela lib. 2. c. 4. de ſitu orbis.

Impenſum precium.

Eod. *Quia impẽſo precio venibat.*] Hic *impenſum preciũ* pro *magno* Liuius dixit, vnde & *impenſe* aduerbiũ, quod eſt & *valde*, & *vehementer*. Hoc vero in loco eruditiſſimi viri velut in luto hæſerunt, prout vir doctiſſimus Tornebus libro aduerſariorum 4. cap. 2. teſtatur, ſententiæ neſcio quid abeſſe ſuſpicati, addito ſupplemento, *omni ſumptu adempto conceſſum priuatis* legerunt. At ille, nec male, ſaluam & incolumem arbitratur eſſe ſententiam, ſi aliter diſtinguatur. interpunctio enim non poſita loco, à ſenſu aberrare facit. ſic igitur diſtinguendum cenſet: *Venibat in publicum omni ſumptu, ademptum priuatis.* Ad emerendam enim & eblandiendam voluntatem plebis, dicit ſalis vendendi arbitrium & poteſtatem ademptam priuatis, qui eum magno vendebant, & de publico datum plebi, ſumptu illo. & onere in Rempub. recepto. *Omni* igitur *ſumptu in publicum* abſolute dicitur ſine participio, quod apud veteres non tarum nec infrequens eſt. Id autem valet, vt is omnis ſumtus eſſet Reip. & impenſa. Nannius autem lib. 5. *συμμίκτων* legendum arbitratur: *Salis quoque arbitrium vendendi, quia impenſo precio venibat in publicũ, ſine omni ſumptu ademptũ priuatis.* Vt hic ſit ſenſus Arbitriũ ſalis vendendi ademptum priuatis, quia impenſo precio, hoc eſt permagno venibat. Venditum autem publice fuiſſe ſine omni ſumptu, detractis oneribus itinerum & vectigalium, vt præter preciũ ſalis nihil ſit ſolutum.

Portoria quid?

Eod. *Portoriis quoque.*] *Portoria*, pecuniæ erãt, quę portitorib pendebantur, id eſt, iis, qui mercedes ex mercibus in portum deuehendis exigebant. Vnde circumuectionis quoque nomine *portorium* appellatum eſt. Hæc autem portoria à regib. exacta fuiſſe indicat Plutarchus in Publicola & Dionyſius.

Coclites.

Cap. X. *Horatius Cocles.*] *Coclites* dicuntur, auctore Plinio lib. 11. cap. 34. qui altero lumine dempto naſcũtur. Vnde Horatium quoque, quod oculum in clade amiſiſſet, primum *Cyclopem* oominauere quidam, mox delapſa loquendi conſuetudine, *Coclem* dici contingit, quamquam *Coclitem* plures ſcripſerint. Vide Alex. ab Alex. li. 1. c. 9.

Ianiculus.

Eod. *Ianiculum.*] Montem altiſſimum transtiberinæ regionis, quem Romani iam validiorib. firmarent munitionibus, ac præſidiis, prouidentes omnino ne fieret hoſtibus aduerſus vrbem opportunus.

Tranſitus pons.

Eod. *Tranſitum pontem.*] Niſi interpreteris *tranſitum* pro *tranſibilem*, vt *inuictum* pro *inuincibilem*, *infructũ* qui frangi non poteſt, Nannius libr. 5. *συμμίκτων* non videt qui ſenſus emergere poſſit. Atque reiecta lectione Codicis Buſlidiani legendum eſſe putat, *S. tranſitus pontem à tergo reliquiſſent: Tranſitus*, hoc eſt, ad tranſeundum, prout ipſe arbitratur.

Eod. *Impetũ ſuſtinuit.*] Dionyſius vltra flumen dimicatum eſſe ſcribit iuſta acie, & tum demum rem Romanam aperte inclinaſſe. Hetruſcumque mixto agmine in vrbem irrupturum fuiſſe, niſi Coclitis virtus ferociſſimos hoſtium conatus fregiſſet. Eſt igitur Romanæ fortitudinis in re militari memoratu dignum exemplum.

Horatij Coclitis virtus.

Eod. *Ad ſuos tranauit.*] *Nec altitudine deiectus* (vt inquit Valerius) *quaſſatuſue, neq; põdere armorũ preſſus, nec vllo verticis circuitu actus, nec telis quidẽ, quæ vndique congerebantur proſtratus, tutum enatandi euentum habuit.*

Portę Romanæ.

Cap. XI. *Ad portam Collinam.*] Quia hic mentio fit variarum portarum Romanarum, quarum non ſolum in ſubſequentib. Liuius, ſed & alij auctores meminerunt, ideo earum nomina hic commemorare, & quædam de illis tractare, non intempeſtiuum eſt viſum.

De portis. Et primo de portis vrbis Romuli.

Vrbem, inquit Plinius lib. 3. cap. 5. *tres portas habentem Romulus reliquit, aut* (*vt plurimas tradentibus credamus*) *quatuor*. Qui tamen earũ nec locum, nec nomina ponit, quas ego ex Varrone, Sex. Pompeio, & aliis antiquis ſcriptoribus, coniecturiſq; aliquot explicare conabor.

Porta Mugionis.

Primam igitur fuiſſe exiſtimo *portam Mugionis à mugitu*, quod ea pecus in *Bucontum* antiquum oppidum exigebant. Hanc etiam fuiſſe crediderim quam Verrius Faccus *Trigonium* dixit, à *trib. angulis* cognominatam: quam in vrbe Romuli verſus arcũ Titi Cæſaris fuiſſe, ex loco Dionyſij liquet, & ex aliarũ deſcriptione manifeſtũ erit. Dionyſius enim lib. 2. *Ioui quidem Statori Romulus templũ dedicauit apud portam Mutionis vocatã, qua in Palatium ex ſacra via itur*, &c. Altera Palatij porta

Romanulæ porta.

fuit, nomine *Romanula*, de qua ſic Varro. *Alterũ Romanulã quæ eſt dicta ab Roma, quæ habet gradus in naualea ad Volupiæ ſacellũ.* Et Sex. Pompeio *Romana* appellatur. *Romanã*, inquit, *portam vulgus appellat, vbi ex Epyſtilio defluit aqua, qui locus ab antiquis appellari ſolitus eſt Statuæ*

Statuæ Cincię.

Cinciæ: quod in eo fuit ſepulchrum eius familiæ. Sed porta *Romana* inſtituta eſt à Romulo in infimo cliuo Victorię, qui locus gradib. in quadratutã formatus eſt. appellata autem *Romana* à Sabinis præcipue, quod ea proximus aditus erat Romã. Hanc autẽ es hoc loco ea vrbis parte fuiſſe oporteret, qua nunc Titi arcus eſt, quo in Sabinos iter erat, tamẽ Dionyſij & Varronis verba accurate cõſiderãda ſunt, qoib. etiam magis credẽdũ eſt, qui hanc portã (ſi modo ea eſt, quam Sex. Pompeius *Romanam* vocat) gradum in naualia habuiſſe ſcribunt, quę Tiberim verſus & non amphitheatrũ erant, atq; eam alio loco prope *Velabrum* fuiſſe affirmat Varro iis verbis: *Hoc ſacrificium fit in Velabro, qua in nouam viam exitur, vt aiunt quidã ad ſepulchrũ Accæ, qui locus extra vrbẽ antiquã fuit, non longe à porta Romanula, de qua in priore libro dixi.* Hoc autem peritis antiquariis diſcutiendum relinquo, ſatis mihi ſit controuerſias ſcriptorum annotaſſe. Tertia porta Palatij porta forũ *Ianualis* appellata

Ianualis porta.

fuit. De qua ſic Varro: *Tertia eſt Ianualis dicta, ab Iano, et ibi poſitum eſt Iani ſignũ, & ius inſtitutũ à Numa Põpilio, vt ſcribit in annalibus*, &c. *Piſo, vt ſit clauſa ſemper, niſi quũ bellũ ſit. Nuſquam enim traditum eſt memoria, fuiſſe apertũ, vt poſt T. Manlio Coſ. bello Carthaginenſi confecto, et eodem anno apertũ.* Hæc Varro: quam quidem cæremoniã prius in vrbis porta obſeruatam fuiſſe arbitror. Poſt ampliato pomœrio, portaque loco mota, id inſtitutum fuit, vt in portis templi Iani, quod vicinum huic portæ erat obſeruaretur. Hoc autẽ manifeſte ex nũmis ęreis Neronis, Dione & Procopio colligitur. Hæc autẽ porta in foro Romano erat, appellaturq; à Liuio li. 1 *porta*

Porta vetus

vetus Palatij, iis verbis: *Vt Hoſtius cecidit, cõfeſtim Romana inclinatur acies* (erant autem in foro) *fuſaq; eſt ad veterem portam Palatij*, &c. Quo nomine etiam in Faſtis ab

Ouidio appellatur. De hac loqui puto Macrobium in libris Saturnaliũ, quum ait: *Quum bello Sabinorum quod virginum raptarum gratia cõmiſſum eſt, Romani portam, quæ ſub radicib. collis Viminalis erat, claudere feſtinarent, quia in ipſam hoſtes irruebant, poſtquã eſt clauſa, mox ſpõte patefacta eſt. Quumque iterũ & tertio idem contigiſſet, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, cuſtodes ſteterunt, quumq; ex alia parte acerrimo prælio certaretur, ſubito fama pertulit fuſos à Tatio noſtros, quam ob cauſam Romani qui tuebantur territi profugerunt. Quumq. Sabini per portam patentem irrupturi eſſent, fertur ex Iani æde per hanc portã magnã vim torrentiũ vndis ſcatentib. irrupiſſe, multaſque perduellium catervas aut exuſtas feruenti aqua aut deuoratas rapida vorugine deperiiſſe, ea re placitum, vt belli tempore, veluti ad vrbis auxiliũ profecto Deo fores reſerarentur. Piſo etiam in annalib. memoriæ prodidit Ianualem dictum ab Iano, & ideo ibi poſitum Iani ſignum, et ius inſtitutum à Numa Pompilio, vt eſſet ſemper clauſa, niſi quum bellũ foret,* &c. quod autem *ſub Viminalis collis radicib.* fuiſſe ſcribit, non intelligo. Magis Varroni aſſentior, qui eam *Palatij portam* prodit, non *Viminalis*.

Has autem tres portas fuiſſe, ex Varrone ipſo liquet, quæ primis muris vrbis Romuli fuerunt ab eodem inſtitutæ. Qui numerus in vrbe adhuc parua publico vſui ſatisfacere poſſe videbatur. Portas *Pandanam, Mugienam*, & *Carmentalem*, à primo Romuli murorum ambitu ex Varronis ſentẽtia excluſi. Sabinis autem cum eorum rege, T. Tatio in ciuitatem à Romulo adſcitis, quum aucto pomœrio Capitolium vbi incluſum fuiſſet, quartam demum ſub Romulo portam vrbi additam fuiſſe conſtat, quæ *Carmentalis* nuncupata fuit, atq; hac ratione tolli poterit contradictio inter eos auctores, qui à Plinio citantur de vrbis Romuli portis, cum alij de primo, alij de poſteriore Romuli pomœrio loquantur.

Carmentalis porta. *Carmentalis* autem porta ab Euandri matre *Carmenta* nominata, ſub Capitolio ſita fuit inter ſaxum Tarpeium, & Tiberim, verſus circum Flaminium. Quod his verbis declarat Liuius lib. 27. *Ab æde Apollinis boues, fœminæ duæ albæ porta Carmentali in vrbẽ ductæ, poſt eas duo ſigna cupreſſea Iunonis reginæ portabantur. A porta Iugario vico in forum venere,* &c.

Iugarius vicus. *Iugarius* autem vicus ea Capitolij parte erat. De ea Virgilius: *Et*

Carmentalem Romano nomine portam.

Plutarchus in vita Camilli: *Ad Carmentalem*, inquit, *portam Pontius contendit, vt quid ageretur per ſilentiũ ſpecularetur. Nam huic maxime directo Capitolium incumbit.* Et Solinus: *Pars infima Capitolini montis habitaculũ Carmentæ fuit. Vbi et Carmentale fanum nunc eſt, à quo Carmentalis portæ nomen eſt.* Eadem ratione Sex. Pompeius, qui templum aliud Iani fuiſſe extra porta Carmentalem prodit. Hæc poſtea (vt inquit idem Sext. Põpeius)

Scelerata porta. *Scelerata* porta dicta eſt, quod per eam ſex & trecenti Fabij cum clientium millib. quinque egreſſi aduerſus Hetruſcos ad amnem Cremeram, omnes ſunt interfecti. Vnde Ouidius in Faſtis:

Carmentis portæ dextro eſt via proxima Iano:
Ire per hanc noli quiſquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exiſſe trecentos,
Porta vacat culpa, ſed tamen omen habet.

Hæc ab alijs *Tarpeia*, & *Veientina* ſolet appellare, atq; hactenus de portis vrbis, quam Romulus diſcedens, reliquit.

Procopius Cæſarienſis libr. 1. de bello Gothico, quem ante mille annos ſcripſit *quatuordecim portas* ſuo tempore vrbem Romam habuiſſe iis verbis docet: *Habet autem circumiectus vrbi murus portas 14. portulaſque alias quaſdam, vnde et Gothi, quũ minime poſſent cum vniuerſo exercitu longiorem mœnium ambitum circumplecti ſenis poſitis caſtris portarũ intercapedines infeſtabãt.* Quæ omnes præter vnam tantum Aureliam quæ vrbi Leonianæ incluſa eſt, adhuc iiſdem fere nominibus ſuperſunt. De quib. verba facturus aliorum ſcriptorũ exemplo à porta *Flumentana* Tiberi vicina, atque ea parte in ordine prima, initium ſumam.

De porta Flumentana, alias Flaminia.

Prima poſt Tiberim in ordine portarum vrbis, eſt porta antiquitus *Flumentana*, poſtea *Flaminia*, nunc *populi* dicta. **Flumentana porta.** Cuius ſic meminit Sex. Pompeius: *Flumentana* (inquit) *porta Romæ appellata, quod Tiberis partem eo fluxiſſe affirmant.* Hęc antiquitus non eo loco erat, quo noſtra ætate eſt porta *populi*, alioqui Martius campus intra pomœriũ eſſet clauſus, quod dicere abſurdum eſt. Erat igitur ad Tiberis ripam circa locum, vbi nũc ſunt ædes Farneſiorũ, vel haud longe à campo Floræ ad Tiberis ripam è regione murorum, quos Ancus rex in Ianiculo erexerat. Vnde Liuius: *Tiberis* (inquit) *infeſtiore quam prius impetu illatus vrbi, duos pontes, ædificia multa, maxime circa portam Flumentanam euertit.* Extra quã portam *lucum Petilinum* fuiſſe teſtatur idem ijs verbis:

Lucus Petilinus. *Ita prædicta die in Petilinum lucum extra portam Flumentanam, vnde conſpectus in Capitolium non eſt, conciliũ populi indictum.* Hanc autem eo loco vbi nunc eſt, trãſtuliſſe credo Aurelianum, quando ea parte vrbis mœnia propagauit, quæ poſtea à via Flaminia nomen obtinuit. De ea Procopius ſic ſcribit: *Inter portam namque Flaminiam & Pranestinam cis Tiberim caſtra vna locauerant.* Et alibi: *Beliſarius Praneſtinam portam Beſſæ tradiderat cuſtodiẽdam. Flaminiæ Conſtantianũ præfecerat, qua tamen prius impoſitis forib. & ingẽtium lapidum mole inædificata ita obſtruxerat, vt vix vllo molimine aperiri per quempiam poſſet, veritus maxime, ne ex tam propinquis hoſtium caſtris ea inſidiæ fierent, ceteras portas peditum ducib. cuſtodiendas permiſit.* Et non longe poſt: *Nec portam quidem Flaminiam Gothi tentarant, vt loco præcipiti ſitam, atq; adeo, vt adire non facile queat.* Hæc porta nunc viæ Flaminiæ, à qua, vt dixi, nomen obtinuit impoſita eſt.

De porta Collatina.

POſt Flumentanam portam proximo loco eſt *Collatina* colli hortulorum impoſita, de qua Sext. Pompeius: **Collatia.** *Collatia oppidũ fuit prope Romam, eo quod opes aliarum ciuitatũ ibi fuerint collatæ, à qua porta Romæ Collatina dicta eſt.* Liuius quoq; libro primo, *Collatia, et quidquid circa Collatiam agri erat Sabinis à rege Tarquinio adẽptũ*, &c. Seruat quoque ætas noſtra morem appellandi in Collatia, quidquid è regione eius portæ habet ager Romanus. Hęc antiquitus mœnib. à Collina porta verſus Tiberim ampliatis cum Flumentana coniũcta fuit, non longe à campo Floræ collocata, poſtea pomœrio ampliato, ad eum locum vbi nunc eſt ſuper hortulorum collem cum Flumẽtana ipſo forte Aureliani Imp. tempore tranſlata fuit. Quam à proximis Pinciorum ędib. *Pincianam* libro primo de bello Gothico, Procopius ſuo tempore appellatam fuiſſe ſcribit. *Beliſarius* (inquit) *interim quæ ad vrbis cuſtodiam facerẽt præparare molirique omnia.* **Pinciana porta.** *Pincianã is ferme et proximã huic ad dextrã Salariã portã tenebat, vt ſuſpectiores et neceſſarias, ea namque parte oppugnari facile poterat murus,* &c. Et non lõge poſt: *Nec portã quidem Flaminiã Gothi tentarant, vt loco præcipiti ſitã, atq; adeo, vt adiri non facile queat. Inter hanc portam & alteram ad dextram huic proximã portulã porta alia eſt, quæ Pinciana vocatur. Huic proximi muri pars quædã lapidũ laxata, iam pridem cõpage ſeiuncta ſpectatur, non tãtũ à ſolo, ſed à medio ad ſummũ faſtigiũ ſciſſa. Nec ſane collapſa, nec alias reſoluta, ſed vtrimq; ſic inclinata, vt cetero muro extrinſecus partim prominẽtior eſſe appareat, partim retractior. Hũc muri partẽ quum demoliri tum primum Beliſarius niteretur, & iterato ædificare inſtituiſſet, obſtitere Romani, Petrum Apoſtolũ, pro indubitato ſe cõperiſſe aſſeuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturam, quod vtique Romanis ex voto ſucceſſit, quandoquidẽ nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo vrbem obſiderunt Barbari, hoſtilis vis vlla ad hunc locũ peruenit, nec plane vnquam eodem tumultuatum. Et ſane me admiratio ſubijt, nec Romanis nec hoſtibus*

Digitized by Google

ipſis in ea tam diuina vrbis obſidione in memoriam veniſſe muri hanc partem, quare cum miraculi loco poſtea ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterũ quiſquam, nec de integro reſtituere auſus eſt, ſed ad hunc diem ea e regione ſeiunctus permanet murus. Hæc Procopius.

Quæ verba ideo appoſui, quod vſque ad noſtra tempora, adhuc ea pars muri ſuperſit, vt à Procopio deſcribitur, appellatur que à Romanis *murus inclinatus*. Porro autem ea portula, quam ſupra Pineianam fuiſſe ſcribit idem Procopius, omnino eſſe deſiit. A porta Collatina, exit via eiuſdem nominis, de qua Frontinus libro primo de aquæductibus ſic ait: *Aqua Alſietina Auguſta ramus proxime viam Collatinam accipit fontem*, &c. Item, *Cõcipitur aqua virgo via Collatina ad milliarium octauum paluſtribus locis*, &c. Hæc autem via non procul ab ipſa porta incidit in viam Salariam.

De porta Collina.

Collina porta. Collatinam proxime ſequitur porta antiquitus *Agonenſis*, poſt *Quirinalis*, deinde *Collina*, poſtremo *Salaria* appellata. Sextus Põpeius: *Agonia* (inquit) *ſacrificia qua fiebant in monte. Hinc Romamons Quirinalis Agonius vt Collina porta Agonenſis*. & alibi, *Quirinalem* eam quoq; vocatam fuiſſe his verbis docet: Quirinalis porta. *Quirinalis porta dicta, ſiue quod ea in collem Quirinalẽ itur, ſiue quod proxime eam eſt Quirini ſacellum.* Agonenſis porta. *Agonenſem* autem idcirco appellatã ſcribit quod inundato circo Flaminio *agonales ludi* qui in eo celebrabantur extra ipſam portarentur, ludoſque ideo *agonales* eſſe dictus, vel quia locus in quo initio facti ſunt, fuerit ſine angulo, vel quod iis ludis rex hoſtiã immolare ſolitus eſſet, quam antiqui *Agoniam* vocabant, vel quod in montibus quos *agones* dicebant, fierent. Ex Quirinali autem vel Agonenſi, *Collina* à *collib.* Quirinalis, Eſquilino & Viminali, vel ab vrbis tribu & regione in qua ſita erat, quæ *Collina* dicebatur, deinceps longo tempore appellata eſt. Per Collinam portam ſcribit Liuius lib. 5. Gallos vrbem ingreſſos eam incendiſſe, de qua ſæpiſſime etiam alibi mentionem facit. Et alio loco, *Quum murus* (inquit) *et turres qua ſunt intra portam Collinam et Eſquilinam de cœlo eſſent tacta*, &c. Ouidius 4. Faſtorum.

Templa frequentari Collina proxima porta,

Et Iuuenalis Satyra 6.

proximus vrbi,

Hannibal & ſtantes Collina in turre mariti.

Salaria porta. Hęc poſteriorib. temporibus à via cui impoſita erat *Salaria* appellari cœpta. Procopius libro primo de bello Gothico. *Belliſarius interim Pincianam & proximã huic ad dextrã Salariam portam tenebat, vt ſuſpectiores & neceſſarias.* Et paulo poſt: *Apud Salariam autem portã, vir quidam procera ſtatura Gothus crebrius ſagittando propugnacula infeſtabat*, &c.

De porta Viminali.

Viminalis porta. *Viminalis* porta Collinæ ſuccedit, eiuſdem cum monte, in quo ſita eſt nominis, à quo & nomen ſortita eſt. Sex. Pompeius; *Viminalis* (inquit) *& porta & collis appellabãtur, quod ibi viminum ſylua fuiſſe videtur, vbi eſt & ara in Vimino conſecrata.* Hanc regũ tẽpore in aggere Tarquinij fuiſſe Strabo iis verbis prodit: *In aggere autẽ medio tertia eſt porta eiuſdem nominis cum colle Viminali*: *Tertiã* autem dicit quod *Flumentana* & *Collina* tũ ea priores eſſent. *Collatina*. n. tunc non erat, quæ poſtea in ampliatione murorũ vrbis fuit interpoſita. Huic portæ nunc *S. Hagnetis* à proxima eius diuæ æde nomen eſt.

De porta Gabina. alias Gabinſa.

Gabinſa porta. Prope *Caſtrum prætorium* inter portas *S. Hagnetis* & *S. Laurentij* adhuc extat porta clauſa, quam aliquot rationib. adductus *Querquetulariam* vel *Querquetulanam* fuiſſe olim crediderim, de qua quum tam noſtro, quam etiam Procopij tempore ante milleſimum annũ in vſu eſſe deſierit, poſtea verba faciam, quum de iis portis loquar quæ eſſe deſierũt, atq; ad eius portæ deſcriptionem veniam, quę ab antiquis *Gabina* vel *Gabinſa*, noſtro vero ſeculo *S. Laurentij* appellatur. *Gabinſam* autẽ portam fuiſſe Romę teſtatur Liuius, qui eam de cœlo tactam fuiſſe ſcribit. Hanc autem *Gabinſam* fuiſſe vt eredam adducor, quod in antiquo codice manuſcripto P. Victoris quem in cõmunem antiquitatis ſtudioſorum gratiam, cum hiſce Commentariis publicaui, *Tiburtina via* quæ hac porta incipit, eadẽ eſſe cum *Gabina* dicitur. *Gabina* autem vel *Gabinſa* porta non niſi à *Gabijs* nomẽ habuiſſe liquet, ſicut etiam & via quæ ex hac porta dextra parte verſus Præneſtinam viam deducta rectà Gabios quib. nunc *Gallicanum* nomen eſt, perducit.

De porta Eſquilina.

Proximam Gabinæ fuiſſe *Eſquilinam* portam multis veterum ſcriptorum auctoritatibus demõſtrari poteſt, Eſquilina porta. cuius nunc Maior porta vel locum obtinet, vel nõ longe à loco in quo antiqua Eſquilina, quondam fuit, noſtro tempore ſita eſt. Ceterũ multum mihi laboris eſſet, & male mecum agerem ſi omnes veterum antiquariorũ errores nunc vel reprehendere vel explodere vellem, quod in his reb. deſcribẽdis admiſerunt, vt de *amphiteatro Statilij Tauri, baſilica Caij et Lucij, foro Romano, tẽplo Saturni, et ærario, porta Gabiuſa, templo Mineruæ medica*, quæ loca contra antiquorum ſcriptorũ auctoritates, male & nimium inepte collocarunt, perinde ac etiam fecerũt de *porta Eſquilina*, de qua mihi nunc ſermo eſt. Ego autem iis reprehendendis quoties occaſio ſeſe offeret, tempus non conteram, ſe quæ illi male dixerũt nulla eorundẽ mentione facto emendare, rationibuſq; adductis teſtitaere curabo. Quis igitur non eſt ex veterib. antiquariis, à Blondo vſq; ad Marlianum qui nouiſſimus vrbis topographiã (quod ſciam) ſcripſit, qui portam quæ nũc *Maior* dicitur *Næuiam* non vocet? Quam Næuia porta. aperte P. Victor in regione duodecima, piſcinę publicę inter portã *Capenam* & *Oſtienſem* collocauit, qui vicos portarũ *Næuiæ* & *Rauduſculanæ* in ea regione fuiſſe prodat. Varroq; ipſo li. 4. de lingua Latina, eas portamque *Lauernæ* vicinas ſcribit, atq; extrema vrbis regione fuiſſe aperte innuit. Quamquã. n. is locus mancus ſit, aperte tamen colligitur eum portarum omniũ deſcriptionem eo loco feciſſe, atq; à Flumentana inchoaſſe quæ prima erat, deſiiſſeq; in Lauernalem portam, quæ non procul à Trigemina fuit, cui vicinas fuiſſe Næuiam & Rauduſculanã exponit. Cui rei maxime quadrat, quod ante *Nęuio* deſcriptionem dicit, vbi paginę tres deſunt: **Religionẽ Porcius deſignat quum de Ennio ſcribẽs dicit eum coluiſſe Tutillana loca.* Quæ ea parte fuiſſe alibi demõſtrabo. Quod enim lib. 2. refert Liuius de portis *Collina*, *Eſquilina*, *Cœlimontana* & *Næuia* meæ huic ſentẽtiæ maxime conuenit, vt paulo poſt oſtẽdam, ex quib. rebus manifeſte videri poteſt, an porta *Maior* quæ lõgiſſimo interuallo diſtat à regione Piſcinę publicę, vbi erat porta *Næuia* hæc porta eſſe poſſit. Quam *Eſquilinã* fuiſſe, vel Eſquilinæ potius locum tenere, aperte iis verbis Strabo indicat: *Porro in vnũ cadit Labicana à porta quidẽ Eſquilina incipiẽs, à qua et Præneſtina, à ſiniſtra vero et hãc & Eſquilinũ mittens campũ vltra centum & viginti ſtadia pergit.* Quum autẽ Labico vetuſto ſane oppido ceterum diſiecto & in ſublimi ſito propinquat, & hoc & Thuſculum reliquit à dextra, videant igitur hi, qui portam *ſancti Laurentij Eſquilinã* faciunt, an *Labicana* & *Præneſtina via*, *Gabina* ſimul & *Tiburtina* ea vna porta incipiant, quũ manifeſte conſtet à porta *Maiore* duas nunc exire vias, quarũ altera *Labicos*, altera *Præneſte* recte deducit. Quo fit vt hanc indubitato potius *Eſquilinã* olim fuiſſe credam. Confirmatur etiam mea hæc ſententia Ciceronis auctoritate qui *Eſquilinam* & *Cœlimontanam* portas propinquas fuiſſe demonſtrat, quum ait: *Quum ego Cœlimontana porta introiſſe dixiſſem, reſponſione me inimica Eſquilina introiſſe homo promptiſſimus laceſſiuit*, &c. Quod ei proximior eſſet. Hæc autem Liuij verbis non aduerſantur, qui non ſemel ait: *Caſtra inter Collinã Eſquilinamq. poſita.* Nam *Viminalem* & *Gabinſam* eo tẽpore aut non fuiſſe aut has duas tãtum, quod notiores

Digitized by Google

eſſent nominaſſe exiſtimo. Huius tamen & aliarũ quarundam portarum ordo ex verbis Liuij facile apparebit quæ ideo ſubiunxi: *Porſenna*, inquit, *primo conatu repulſus, conſilijs ab oppugnanda vrbe ad obſidendam verſis, præſidio in Ianiculo locato, ipſe in plano ripiſque Tyberis caſtra poſuit, nauibuſq; vndiq; accitis, et ad cuſtodia, ne quid frumenti Romam ſubuehi ſinerent, et vt prædatum milites trãs flumen per occaſiones aliis atq; aliis locis traijcerẽt, breuique adeo infeſtũ agrum Romanũ reddidit, vt non cætera ſolum ex agris, ſed pecus quoque omne in vrbem cõpelleretur, nec quiſquam extra portas propellere auderet. Hoc tantũ licentia Etruſcis non metu magis quam cõſilio conceſſum eſt. Namque Valerius* cos. *intentus in occaſionem multos ſimul et effuſos improuiſos adoriundi in paruis reb. negligens vltor grauem ſe ad maiora vindicem ſeruabat. itaque vt eliceret prædones, edicit ſuis poſtero die frequẽtes porta Eſquilina, quæ auerſiſſima ab hoſte erat* (erant enim in Ianiculo) *expellerent pecus ſcituros id hoſtes ratus, quod in obſidione & fame ſeruitia infida trãsfugerent, & ſcire perfugæ indicio, multoq; plures vt in ſpẽ vniuerſæ prædæ flumen traijciunt. Publius Valerius T. Herminiũ cum modicis copijs ad ſecundũ lapidem Gauina via* (quę læua portę Eſquilinæ proxima erat) *occultum conſidere iubet, Sp. Lartium cum expedita iuuentute ad portam Collinam ſtare, donec hoſtis prætereat, inde ſe obijcere nę ſit ad flumen reditus. Cõſul alter T. Lucretius porta Næuia cum aliquot manipulis militũ egreſſus, Cælimontana* (tamquam medio loco ſita, vt omnia ſi opus eſſet pręſto eſſe poſſet) *delectas cohortes educit, hique primi apparuere hoſti.* Hactenus Liuius. Quib. verbis innuitur *Cælimontanam* portam mediam inter Eſquilinam & Næuiam fuiſſe, Collinamque Gabinæ proximam atq; hæc Eſquilinæ. *Flumentana* autem non meminit, quia etſi Etruſci rectà per campum Martium tranſire potuiſſent, tamen quia inter vrbis mœnia abruptoſque montes iter erat, ne in aliquod diſcrimen inciderent, eam portam non inuaſerunt, ſimulque quo propinquiores à mœnib. curſu ferrentur in pecus, ad eum forte Tyberis locum deuenere qui medius eſt inter pontem Miluium & Anienis oſtia. Quare non oportuit ad portã *Flumentanam* militũ ſtationẽ locare. *Collatina* & *Viminalis* eum non meminiſſe exiſtimo, vel quia adhuc non erant, vel forte eo bello clauſæ vſum amiſerant, vt in bellis fieri conſuetum eſt, vel quia alijs portis ſatis facerat & ſtruere inſidias & exponere pecus ac turmas pręſidiaq; emittere. De hac porta multa apud omnes auctores veteres mentio eſt. Hanc autem aliquando *Matiam* vocatã fuiſſe ex Plauto conijci poteſt, quod idem de porta *Macia* ſcribit Plautus quod de *Eſquilina* Horatius. vtriuſque ſententiam confirmat Cornelius Tacitus qui li. 2. hiſtoriæ Auguſtæ ait: *Sumptum more priſco extra Eſquilinã de nocentibus ſupplicium.* Plautus vero in Caſina:

Mœcia porta.

Illum Aedepol videre ardentem te extra portam
Matiam credo ecaſtor velle.

Horatius in 5. Epodon.

Poſt inſepulta membra deferent lupi;
Et Eſquilinæ alites.

In quem locum annotauit Porphyrius in regione aggeris extra portam Eſquilinam ſolita fuiſſe pauperum corpora vel comburi vel proijci: combuſta fuiſſe indicat Plautus, proiecta Horatius. Hanc portam à via quæ per eam exibat, Plin. lib. 36. c. 5. *Labicanam* his verbis vocat: *Mars eſt etiamnum ſedens Coloſſeus eiuſdem in tẽplo Bruti, Calliaci apud Circum eundem ad Labicanã portam eunti.* Quam ab altera quoq; via Procopius *Prœneſtinam* appellat: *Inter hæc* (inquit) *Beſſas qui Præneſtinam portam cuſtodiendã acceperat, ad Belliſariũ miſit qui nunciaret teneri ab hoſtib. vrbem, per portam aliã introgreſſis, quæ ſupra Tiberim eſt.* & paulo poſt: *Præneſtinam portã Beſſæ tradiderat cuſtodiendã* & alibi, *acie inſtructa circa Præneſtinam portam ad eam muri partem mox ducit, quam Rom. viuariũ dicũt, vnde eos expugnari mœnia perquã facile poterant.* &c. Hæc porta nunc *Maior porta* dicitur. forte ab ædificij magnificentia cui ſuppoſita eſt, id eſt, aquæ Claudię caſtellũ. Hancque ibi locatam fuiſſe à Belliſario crediderim eo tempore quo vrbis muros à Gothis diſiectos reſtituit, atque è proximo loco ibidem tranſlatam. neque enim veriſimile videtur veteres portam vrbis aquę ductuum formis vel caſtello ſubieciſſe ab hac autem porta exeunt viæ. *Labicana* quidem à dextra, & *Præneſtina* à læua, quæ Pręneſte & Labicos deducunt.

Lubicana porta.

Maior porta.

De porta Cælimontana.

Proxima Eſquilinæ vt innuere videtur Cicero fuit porta *Cælimontana*, nunc *S. Ioannis* appellata, à monte *Cælio*, in cuius parte ſita eſt, olim *Cælimontana* dicta. Quam L. Cornelio & Quinto Minutio Coſs. tactam de cœlo narrat Liuius. Hanc poſteriorib. ſeculis *Aſinariam* fuiſſe dictam referunt Procopius li. 1. de bello Gothico, & Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Sylueri) Papæ. Procopius quidem: *Cõtigit autem vt die vna eodemq; tempore, & Belliſarius cum Imperatoris exercitu per portam quam Aſinariam dicunt* (Neapoli enim veniebat) *vrbem iniret, et per Flaminiam Gothi excederẽt.* & lib. 3. *Quũ itaq; perpauci vt diximus admodum ac murorum cuſtodiam relinquerẽtur, & hi quidem iam fame confecti, quaterni cuſtodes quidã, & Iſauri genere ad portam Aſinariam cuſtodes nacti, excepturos ſe intra vrbem Gothorum exercitũ pollicerentur.* Et alibi ſæpius eius portæ meminit quã Bibliothecarius Lateranenſi Baſilicæ proximam fuiſſe ſcribit. Per hanc Alarico primum, poſtea Totila ducibus ingreſſi Gothi vrbem captam diripuerunt. Mirandum autem quod quum Sextus Põpeius *via Aſinaria* mentionem faciat, eam longe ab hac porta fuiſſe ſcribat, quam inter Latinam Ardeatinam fuiſſe tradit, vt inferius explicabo. Hanc vero *Cælimontanam* fuiſſe illud etiam confirmat, quod mons ipſe nullam aliam præter hanc habet portam.

Cælimontana vnde dicta.

De porta Latina.

Cælimontanam ſequitur porta *Latina*, ante mille annos appellata, quæ quod in Latium mitteret, nomen obtinuit, quod etiamnum manet. Quo autem nomine antiquiſſimis temporibus vocaretur incertum. Verum quum Strabo via Latina Ferentinam vrbem fuiſſe aſſerat, crediderim portam hãc eam eſſe quam Plutarchus *Ferentinam* nominauit in Romulo. *Nam Romulus* (inquit) *expiationib. ciuitatem expugnauit, quas adhuc etiam Ferẽtinam ad portam obſeruare tradunt.* Sicq; appellatam exiſtimo, quod ea iter eſſet ad Ferentinos Hernicorum populos. A Latina autem porta initium habet via eiuſdem nominis in Latinos populos ducens, quæ modo *Latia*, modo *Auſonia* dicitur à Martiali lib. 9.

Ferentina porta.

De porta Capena.

Non longe poſt Latinam extat porta *Capena*, cuius etymologiã refert Solinus: qui Italum regem ex Sicilia ad Ianum fuiſſe ſcribit, tum in Italia regnantem, ac eius auxilio conſilioque ciuitatem iuxta Albam condidiſſe *Capenam* nomine, & ab ea poſtmodum denominatam portam *Capenam*. Seruius vero Grammaticus ſuper Virgilij locum *Lucos Capenos*, aliter dicit: ait enim, *vnde hoc eſt? à Capenis lucis et porta Capena quæ iuxta Camœnas eſt, nomen accepit.* Aſconius enim Pædianus, Victor & Sex. Rufus extra hanc portam ædem Camœnarum fuiſſe referunt, proptereaque *Camœnam* à nõnullis olim fuiſſe appellatam. Nunc à proximo templo *S. Sebaſtiani* dicitur. quam olim *Capenam* fuiſſe hac confirmari poteſt ratione. Eam. n. in via Appia fuiſſe oſtendit Frontinus his verbis: *Appius Cenſor viam Appiam à porta Capena vſque Capuam muniuit.* Quum autem via in qua ſeptizonium Seueri adhuc extat tendẽs ad portam S. Sebaſtiani via Appia à Spartiano & Iulio Capitolino vocetur, non eſt quod dubitare poſſimus, portam quæ nunc in via Appia extat fuiſſe *Capenam*, quæ apud Poëtas & hiſtoricos celeberrima eſt.

Capena porta.

De porta Oſtienſi.

Trigemina porta. Nouiſſima citra Tiberim porta, quæ nunc *S. Pauli* à proximo templo dicitur, antiquitus *Trigeſima* dicebatur, quod ea cōtra Curiatios tergemini. Horatij egreſſi ſint, quāquam is qui ſuperſtes fuit porta Capena redierit. Hæc antiquitus ad Auentini radices non longe ab æde S. Mariæ in Coſmedin, vel ſcholæ Græcæ vt refert Liuius fuit, qui ait, ædiles extra portam Trigeminam in Auentinum porticum ſtrauiſſe. & quum bello Punico ſecundo Romæ ortum incendium narrat, hoc idem innuit; *Quod incendium omnia ædificia quæ erant in vico Iugario ſub Capitolio, Æquimelium que comprehēdit, mox extra Carmentalem portam per ripam Tiberis in Fortuna ac Matutæ templa debacchatū eſt, vſque ad portā Trigeminam.* & Frontinus: *ductus aquæ Appiæ habet longitudinē à capite vſq; ad Salinas, qui locus eſt ad portā Trigeminam.* & alibi: *Cacus habitauit locū vbi Salinæ nomen, vt vbi Trigemina porta.* Multa demū huius portę apud veteres auctores mentio eſt, quā eo loco olim fuiſſe ſatis liquet. Præcepto autem intra pomœrium Auentino ab Imp. Claudio ad radices eiuſdē mōtis vbi Teſtatij planicies primum ingredi incipit, tranſlata eſt. Poſtremo à Beliſario eo vbi nunc eſt, locata fuit, quæ à via ab Ammiano Marcellino, Procopio & ceteris eius ætatis ſcriptorib. etiam Oſtienſis appellatur. Extra hanc portam quandam quoque porticum fuiſſe refert in libris de bello Macedonico Liuius, quum ait, *Aediles alteram porticum extra portam Trigeminā inter lignarios feciſſe.* Plinius quoq; ſcribit extra hanc portam populum Romanum Minutio Augurino, qui ad Aſſem precium farris redegerat. Extra hanc etiam tenues ſtipem petere ſolitos, Plin. lib. 34. ſignificat, inquiens extra portam Trigeminam vnciaria ſtipe collata. Et alludit eodem Plautus in Captiuis, apud quem ſic loquitur Paraſitus:

Oſtienſis via.

Vel extra portam ire Trigeminam ad ſacculum licet,
Quod mihi ne eueniat nonnullum periculum eſt.

De portis trans Tiberim, et primo de Portuenſi porta.

Portuenſis porta. Portam quæ nunc *Portuenſis* dicitur, quod ad portum Romanum perducat, antiquitus *Naualem* dictā fuiſſe à proxima nauium ſtatione docet Sext. Pompeius: *Naualis*, inquit, *porta à vicina naualium dicta, ab hac exijt via quæ Portuenſis appellata eſt.* Hæc ad portum *Oſtiēſem* totius orbis ampliſſimum ducebat. Ante Claudij vero tempora, qui hunc portum excitauit, quo nomine vocaretur non inueni. A Procopio & eius ætatis ſcriptorib. *Portuenſis* vocitatur. Per hanc viam ſecundum Tiberim fuerunt horti Cæſaris Dictatoris.

De porta Ianiculenſi, alias Pancratiana.

Ianiculēſis porta. Pācratiana. Quo nomine apud antiquos vocaretur porta, quæ in dorſo Ianiculi eſt, atque nunc à proximo templo S. Pancratij appellatur, hactenus non inueni. Ego eam à Ianiculo, cum aliud nomen non habeam, ſicut & pons, *Ianiculenſem* vocatam fuiſſe exiſtimo Cuius portæ multa mentio eſt apud Procopium, quam modo *Pācratianam*, modo *S. Pācratij* nominat. *Inter hæc* (inquit) *Beſſas, qui Prænestinā portam cuſtodiendā acceperat ad Beliſariū miſit, qui nunciaret teneri ab hoſtibus vrbem per portā aliā introgreſſis, quæ ſupra Tiberim eſt, et S. Pancratij dicitur,* &c. Et paulo poſt: *Ad portā vero Pancratianam, quæ trās Tiberim eſt, quà hoſtiū copiæ perueniſſent, ob loci difficultatem nihil per eos geſtum memoria dignū eſt, nunq; locus ualidus, & ea è regione murus ad inuadendum difficilis.* Hanc autem portam *Aureliam* non fuiſſe, vt omnes fere veteres antiquarij affirmarunt, paulo poſt oſtendam.

De porta Septimiana.

Septimiana porta. Fontinalis porta. Tertiam vltimam trans Tiberim portam, quæ nunc *Septimiana* dicitur, *Fontinalem* priſcis temporibus dictam fuiſſe, aliquot veterum ſcriptorum auctoritatib. demonſtratur. Sex. Pompeius, *Fontinalia* (inquit) *fontiū ſacra, vnde & Romæ Fontinalis porta.* Liuius quoque Ædiles alteram porticum ad portam Fontinalem ad Martis aram, qua in campos iter eſſet, perduxere. Per *campos* autem *Vaticanos* intelligit, ex eo, quod Plinius ſcribat Vitellium cc. H s condidiſſe Patinam, cui faciendæ fornax in campis exędificata erat. Videmuſq; etiam nunc in campis Vaticanis fornaces eſſe, eamq; terram argillam eſſe ad fictilium fabricam commodiſſimam. Cicero *Cāpum*, inquit, *Vaticanum fieri quaſi Martium campum.* Hanc autem quidam eandem eſſe cum *Capena* dixerūt, ſed Liuius primo & tertio de bello Punico, ſecūdo de Capena, quinto vero & 30 de Fōtinali ita loquitur, vt diuerſas eas eſſe oporteat. Hæc poſtea ab Imperatore L. Septimio Seuero *Septimiana* appellata eſt. ait enim Spartianus ipſum extruxiſſe Thermas in Ianiculo ad portam ſui nominis, ibi quoque erat Ianus Septimianus cum ara, quæ non paruum huius rei argumentum ſunt.

De porta Aurelia.

Quum à Procopio porta *Aurelia* haud procul ab Hadriani ponte & ſepulchro, *Triumphaliſq;* iuxta pontem & viam ſui nominis eadem regione à Tranquillo & Ioſepho fuiſſe referantur, neceſſe fuit aliquam Leonianæ vrbis, quæ nūc *Burgus S. Petri* dicitur, partem antiquis Romanis mœnib. cinctam fuiſſe, alioqui vrbs vno ponte, & duab. portis eo tranſmittentib. hoſtium incurſionib. peruia fuiſſet. Quantum autem coniectura conſequi potui, ex veterum auctorum ſententiis, & iis, quæ nunc ſuperſunt veſtigiis. murū vrbis tūc ſic fuiſſe crediderim. Ab vna parte Tiberim verſus muri principiū erat, haud longe ab Hadriani ſepulchro & ponte Ælio, qui in eū deſinebat, è regione videlicet ædis S. Mariæ tranſpontanæ, qui mox producebatur verſus locum illū, vbi nunc eſt porta S. Angeli moli ipſi vicina, deinde deductus paulo infra mediū Burgum (vt vocāt) gyrabat verſus xenodochiū S. Spiritus, atq; ad eius portam prope Tiberim terminabatur. baſilica principis Apoſtolorum, eaque montis Vaticani, quæ nunc muro clauſa eſt parte excluſis, atq; hac ratione duas cōprehēdebat portas, alteram quidē *Triumphalem* è regione eius pōtis, cuius nūc pilas & veſtigia ad S. Spiritus ædē in Tiberi videmus: alterā vero *Aureliam* vocatam quæ prope eiuſdē Hadriani ſepulchrū fuit, quaque iter erat ponte ipſo triūphali. Quomodo vero ſepulchrum Hadriani muris annexum fuerit, paulo poſt ex Procopio aperiā. Aliquando autē mihi in mentē venit *Triūphalē* portā diu ante vſum amiſiſſe, *Aureliamq;* ſolā eo portā fuiſſe, donec ampliatis à Leone 4. muris vſum & nomen & ipſa amitteret. Nam Procopius non omiſiſſet mētionem facere de Triumphali, in ea, quam deſcribit vrbis oppugnatione, ſi eo tēpore fuiſſet, cū Aureliæ nō omittat, ea. n. Gothi parte maxime in obſidione laborarunt, vnde illū crebrius locorū illorum meminiſſe oportuit. Adde, quod ſi Triūphalis porta eo tempore fuiſſet, non 14. porta, vt ſcribit Procopius, tunc circumiectus vrbi murus ſed 15. habuiſſet, nam *Aurelia* 14. eſt. decē. n. portæ vrbis, 4. vero trans Tiberim fuerunt, quæ omnes præter hanc Aureliam ad noſtram vſq; ętatē perdurarunt. Porro autē ex Aureliæ portæ deſcriptione, quam Procopius facit, egoq; hic ſubijciam, ſocū portę, murorū ambitu, & quale fuerit Hadriani ſepulchrū cognoſcemus *Gothi* (inquit) *ſeptima caſtra extra fluuiū Neronianis in cāpis fixere, ita, vt caſtris omnib. eſſet pōs intermedius, vnde per actū, vt & porta aliud an infeſta ab hoſte eſſet, Aurelia ſcilicet, quæ S. Petri, vt ei tēplo propinquior nūc ſputur, & altera quæ trans flumen eſt ſita* (intelligit. n. S. Pācratij) Quib. verbis eas diuerſas fuiſſe liquet & alibi: *Dum hæc peraguntur. Aureliam portam ex altera parte Gothi hoc modo inuadunt Hadriani quondam Romanorū Imperatoris ſepulchrum extra portam Aureliam extat, et ad lapidis iactū à mœnib. procul extructum, ſpectatu procul dubio dignū: Pario namq; ex lapide ædificatū eſt, ſaxa quadrata illi inuicē nexa, alia nulla intermixta materia, & quaternis*

parti-

partitum pari dimentione laterib. tam perrectis in latitudinem, vt inclue ex angulo lapis alteram ſere pertingat, altitudine etiam hec vrbis mœnia ſuperant. Statua quoq; ex eodem Pario marmore virorum equorumque miro artificio facta deſuper inſideat. Sepulchrum id priſci homines illi, quum velut moles, & arcu in ſpeciem vrbi impoſitum videretur, brachiis duobus à mœnibus ipſis ad ſepulchrum id vſque porrectis inædificatiſque complexi ſic ſunt, vt murorum ſit, perinde pars quedam effectum apparet namq; altiſſima id turri perſimile, et e à regione imminet porta. Erat itaque per opportanum & muniſſimum eo loco præſidium, cuius cuſtodia per Belliſarium tradita Conſtantiano obtigerat, cui iniunctam, vt & contigui muri curam ſuſciperet aſſeruandi, vt leuiori et non magni momenti cuſtodia indigētis, ſiquidem ea ex parte haudquaquam murus flumine ſuper labente poterat oppugnari. Conſtantianus autem, quum ei nunciatur hoſtes tranſitum per flumen tētare, muro illi diffiſus, qui ad fluminum erat, cum paucis ipſe ſtatim opitulatum contendit, maiore militum multitudine iuſſa portam in primis, et in ſepulchro ipſo præſidium diligentius cuſtodire. Gothi interea Aureliam portam Hadrianique molem ſine vllis machinationibus conſeſtim inuadunt, ſcalas tamen ingenti manu inferentes multitudine ſagittarum immiſſa, facile in dubium hoſtes deducere, & trepidationem inferre, atque adeo, vt paruo molimine præcuſtodum paucitate potiri ſe præſidio poſſe exiſtimarent. Prælatis itaque ſcutis Perſicis, nihil inferioribus ad mœnia ſuccedebant, & hoſtes fruſtrati, quam proxime ſubierant. Sub porticum namque ad ſacram beati Petri Apoſtoli pertinentem tum adem, latitantes hi venerant. Inde quum de improuiſo comparuiſſent, rem ita aggrediuntur, vt nec baliſta quidem Romani cuſtodes, vti in hoſtes poſſent, non enim in nimium ſubeuntes telum immittere, tormenta mouere poterant, nec illis vt ſcutatis obeſſe. Sed poſtquam validius Gothi incubuere, et creberrima ſagittarum immiſſione propugnacula infeſtādo admoturi iam erant ædificio ſcalas, vndiquaque fere circumuentis iam omnibus, qui de mole pugnando ferebantur. Aliquamdia Romanis iniectus terror, de ſalute iam deſperantibus, quandoquidem ſeſe ac mœnia defenſare, vt erat neceſſe, haudquaquam iam poſſent, communi tamen conſenſu, diffractis marmoreis illis, vaſtiſque ſimulachris, ex eorum fragmentis ingentia ſaxa in hoſtium capita ſuperne deuoluant. Gothi vero perculſi, oppugnationem remittunt, iiſque ſenſim cedentibus victoria potiti Romani, hos demum, vt victos propellunt. Iamque & Conſtantianus perterrefactis fugatiſque qui tranſitum fluminis pertentaſſent redierat, non enim præſidium illud hoſtes, vt ipſi rebantur neglectum prorſus, vel incuſtoditum inuenerant. Itaque factum, vt circa Aureliam portam omnia in tuto iam eſſent. Ad portam vero Pancratianam, quæ trans Tyberim eſt, ob loci difficultatem nil memoria dignum ab hoſtib. geſtum eſt, &c. Hactenus Procopius. *Pontis* autem *Ælij* & eius ſepulchri meminere Dio & Spartianus in Hadriani Imp. vita. Portam vero *Aureliam*, vel à via eius nominis, quæ per eam exibat, vel à tribunali Aurelio nomen accepit, de quo Cicero mentionem facit ſic in L. Piſonem: *Perſequente connexos his funeribus dies pro Aurelio tribunali, ne conniuente quidem te quod ipſum etiam ſcelus*, &c. Quæ poſtea locum cum nomine amiſit Leonis IV. Papæ pontificatu, quando is prolatis muris Vaticanum & Baſilicam S. Petri Apoſtoli cinxit.

De porta Querquetulana.

Porta *Querquetularia*, vel *Querquetulana*, de qua Plinius ſic libro decimo ſexto, capite decimo: *Syluarum* (Querquetulana porta.) *certe diſtinguebatur inſignibus Fagutali Ioui etiam nunc vbi lucus Fageus fuit, porta Querquetulana, colle in quem vimina petebantur.* Si igitur in Viminali colle extat vi-(Fagutalis lucus.) minum ſylua, à qua collis eſt denominatus, neceſſe fuit hanc portam in Viminali fuiſſe. In quo Varro *Querquetulanum ſacellum*, P. vero Victor ac Sex. Rufus *lucum fagutalem* ponunt. Quare etiam portam *Querquetulanam* eam olim fuiſſe portam, quæ nunc clauſa eſt crediderim prope caſtrum prætorium, vel non longe ab eo. Quamuis non me lateat Cornelium Tacitum ſcribere montem *Cœliam Querquetulanum* prius vocatum fuiſſe. Vtcumque autem ſit, Varroni, Plinio, P. Victori, & Sex. Rufo magis credendum, qui eam in Viminali fuiſſe, vel innuunt, vel aperte demonſtrant. Hanc autem eandem fuiſſe exiſtimo portam, cum ea quam Sext. Pompeius *Querquetulariam* appellauit. *Querquetularia* (inquit) *porta, Romæ dicta, quod Querquetum intra muros vrbis iuxta ſe habuerit.* & alibi: *Querquetulanæ reputantur ſignificare Nymphæ, præſidentes querqueto vireſcenti.* Quod genus ſyluæ indicat fuiſſe intra portam, quæ ab eo dicta ſit *Querquetularia*.

De porta Piaculari.

Piacularis (inquit Sex. Pompeius) *porta Romæ appellatur propter aliqua piacula quæ ibidem fiebant*, vel vt ait (Piacularis porta.) Cleatius, *ex ſacro per aliquem ſoluitur, aut aliqua piandi propitiandique cauſa immolatur.*

De porta Catularis.

Idem Sext. ait, *Catularia porta Romæ eſt dicta, quia non longe ab ea ad placandam Caniculæ ſidus frugibus inimicū, rufæ canes immolabantur, vt fruges flaueſcentes ad maturitatem perducerentur.* (Catularia porta.)

De porta Minucia.

Minucia porta Romæ appellata eſt en, quod proxima ſit ſacello, altas aræ Minucij, quem Deum putabāt, (Minucia porta.) auctor Sext. Pompeius. Forte de hac porta loquitur in Commodi vita Lampridius, cum ait: *Herculis ſignum æneum ſudauit in Minucia per plures dies.*

De porta Mugiona.

Idem quoque etiam *Mugionæ* portę his verbis meminit: *Mugiona porta Romæ dicta eſt à Mugio quodam, qui eitutandæ præfuit.* Hanc non procul à via Noua verſus Auentinum fuiſſe ſcribit Solinus. (Mugiona porta.)

De porta Sanquali.

Sanqualis (inquit Sex. Pompeius) *porta appellatur proxima ædi Anci. Sanqualis* autem auis nomen eſt, quę *oſſifraga* dicitur. Quidam *Saginalem* portam ab æde *Sangi* legēdum putant. Quod ſi textum aliquem antiquum adducerent, non improbarem. (Sanqualis porta.)

De porta Næuia.

Hanc, vt duas ſequentes, inter portam Capenam & Tiberim fuiſſe elicitur, vt etiam ſupra expoſui ex Publio Victore, & M. Varrone li. 4. de lingua Latina, qui de ea loquens ſic ait: *Sequitur porta Næuia, quod in nemoribus Næuiis. Næuius enim loca vbi ea ſic dicta, coluit.* Hāc omnes ſuperioris ętatis antiquarij inepte omnium *Maiore* nunc eſſe dixerunt. (Nęuia porta.)

De porta Rauduſcula.

Deinde (inquit Varro) *porta Rauduſcula, quod ærata fuit. Æs raudum dictum, ex eo in veteribus mancipiis ſcriptum rauduſculo libram ferito.* De hac porta mentionem etiam facit Valerius Maximus lib. 5. cap. 6. *Dignum*, inquit, *pietatem, qua quod ad ſolidam gloriam attinet, ſeptem regibus præferatur, cuius teſtandæ rei gratia capitis effigies ærea portæ, qua exceſſerat incluſa eſt, dictaque Rauduſculana, quod olim rauda æra dicebantur.* Vicum portæ Rauduſculanæ P. Victor cum vico portæ Næuiæ in regione 12. Piſcinæ publicæ enumerat. (Rauduſcula porta.)

De porta Lauernali.

Hinc porta *Lauernalis* ab ara *Lauernæ*, quod ibi ara eius Deæ fuerit. Auctor Varro. (Lauernalis porta.)

De porta Libitinenſi.

Portæ *Libitinenſis* meminit in Commod. Imp. vita Lampridius. *Galea eius* (inquit) *bis per totā Libitinenſem elata eſt.* Hęc à *Libitina* dicta, quod per eam cadauera mortuorū ad ſepulchrū efferrentur. *Libitinā* autem & pro Dea ipſa, & pro Libitinariorum opera accipi ſolet. *Libitina* autem Dea erat, in cuius Templo vendebātur & locabantur ea, quæ ad ſepulchrum pertinebant. (Libitinenſis porta.)

De porta Feneſtrali.

Fuit quoq; Romæ etiā porta *Feneſtralis* appellata, de qua ſic ſcribit Plutarch. Probl. 35. *Quid eſt quod portam* (Feneſtralis porta)

vnam Feneſtram appellāt, ad quā Fortuna thalamus poſitus eſt? an quia Seruius rex cum ſecūdiſſima Fortuna rē habuiſſe creditus eſt, quum per Feneſtrā ad eum penetraret? an hoc fabuloſum illud autem verū Tarquinio Priſco Roma regnante, quum is à paſtoribus eſſe occiſus, Tanaquil eius vxor, mulier ſane prudēs, & fortis per feneſtrā populū allocuta multitudinis perſuaſiſſe dicitur, vt Seruium regē declararēt, ex quo factū eſt, vt ille locus ita appellaretur? & Ouid. li. Faſtorū 6.

Lux eadem fortuna tua eſt, auctoq; locuiq;,
Sed ſuper iniectus quis latet iſte togis?
Seruius eſt, iam conſtat enim, ſed cauſa latendi
Diſcrepat, & dubium me quoq; mentis habet.
Tum Dea furtiuos timide profitetur amores,
Cæleſtemq; homini concubuiſſe pudēt.
Arſit enim magna correpta cupidine regis,
Cæcaq; in hoc vno non fuit illa viro.
Nocte domum parua ſolica eſt intrare feneſtra,
Vnde Feneſtralis nomina porta tenet.
Nunc pudet et vultus velamine celat amatos.
Oraq; ſunt multa regia tecta toga.

Ceterum hanc portam non vrbis, ſed Palatij fuiſſe crediderim. Vrbs enim Seruij Tullij regis tempore latius ſeſe extendebat, quam vbi porta feneſtralis fuiſſe deſcribitur.

De porta Triumphali.

Triumphalis porta. Portam *Triumphalem* fuiſſe (vt exiſtimo extra ceterarum numerum trans Tyberim) ſub Vaticano iuxta viā & pōtem ſui nominis, docet Ioſephus li. 7. de bello Iudaico, c. 14. Vbi triumphum Iudaicum Veſpaſiani Imperatoris, & T. Cæſaris deſcribit: *Die* (inquit) *triumphi principes, qui non in Palatio, ſed prope Iſidis templum nocte illa quieuerāt, primo iam aurora incipiente procedunt, lauro quidem coronati, amicti vero patria veſte purpurea, & ad Octauianas deābulationes* (porticum credo Octauiæ in cāpo Martio ſitā intelligit) *tranſeunt. Ibi enim Senatus, ducū proceres, & honorati equites eorū præſtolabantur aduētum. Tribunal autē ante porticus factū erat, ſellaq; eburnea in eo præparata, quo quum aſcendiſſent, conſiderūt. Ibi cum milites allocutus fuiſſet, ſolennibusq; votis ſuſceptis ſoluiſſet Imp. ipſe cum Tito Cæſare ad portā recedit, quæ ab eo, quod per illā triūphorum pōpa ducitur, nomen accepit, ibi triūphalibus veſtib⁹ amicti, Diis ad portā collocatis cæſa hoſtia inter ſpectacula tranſeuntes triūphum ducebant.* Quibus verbis cōſtat eos extra vrbem tum in cāpo Martio fuiſſe, eoſque traiecto Tiberi per eam portam introiiſſe, de qua Tranquillus quoque in Auguſti vita ſic mentionem facit capite centeſimo: *Senatus vt in funere ornando, & in memoria honoranda, & ſtudio certatim progreſſus eſt, vt inter alia complura cenſuerint quidam funus Triumphali porta ducendum præcedente victoria, quæ eſt in curia, canentibus næniam principum liberis vtriuſque ſexus.* Et Tacit. lib. 1. hiſtoriæ Auguſt. *Tum conſultatum de honoribus, ex queis maxime inſignes viſi, vt porta Triumphali duceretur funus,* &c. Hanc autem portam diu ante Procopij tempora eſſe deſiiſſe ſuperius demonſtraui. Eratq; in ea murorum vrbis parte, qua ab Hadriani ſepulchro ad S. Spiritus portam olim producti erant.

De tribus aliis portis vrbis Romæ.

Portas autem ſeptem, quas Plinius ſuo tempore eſſe deſiiſſe ſcribit, has fuiſſe exiſtimo. Primo quatuor vrbis Romæ veteris portas, quas Romulum reliquiſſe ſuperius ſcripſi, deinde porta *Saturnia*, quæ & Pandana, de qua ſic Varro mentionē facit: *Capitolium ante Tarpeius dictus, quem antea etiam Saturninum dictū prodiderunt. Et antiquum oppidū in hoc fuiſſe Saturniā ſcribitur, eius veſtigia etiamnum manent tria, quod Saturni fanū in faucibus, quod Saturnia porta quam Iunius ſcribit, quam nunc vocāt Pandanam, quod poſt ædem Saturni in ædificiorū legibus parietes poſtici muri ſunt ſcripti.* Et Sextus Pomp. *Pandana* (inquit) *porta dicta eſt Romæ, quod ſemper pateret.* Hanc autem ſub Capitolio fuiſſe non longe à templo Saturni refert Varro. De eadem porta mentionem facit Solinus, quam prope Capitolium fuiſſe ſcribit.

Saturnia porta.

Pandana porta

De portis Ratumena & Salutari.

Porta *Ratumena* (vt inquit Sextus Pōpeius) *à nomine eius appellata eſt, qui ludrico certamine quadrigis victor, Etruſci generis iuuenis à Veiis. Is conſternatis equis excuſſus, Romæ periit, qui equi feruntur non ante conſtitiſſe quam peruenerint in Capitolium, conſpectūq; fictilium quadrigarum, quæ erant in faſtigio Iouis tēpli. Quas faciendas locauerant Romani venienti cuidam artis figulinæ prudēti, quæ bello sūt recuperatæ, quia in fornace adeo creuerāt, vt eximi nequirēt, idque prodigium portēdere videbatur, in qua ciuitate eæ fuiſſent, omnium eam futurā potentiſſimam.* Et Plinius lib. 8. cap. 47. *Maius augurium apud priſcos, plebeiis circenſibus excuſſo auriga, ita vt ſi ſtaret in Capitolium cucurriſſe equos ſedemque ter luſtraſſe. Maximum vero eodem perueniſſe à Veiis cum palma & corona effuſo Ratumena qui ibi vicerat, inde poſtea nomen portæ eſt.* Ratumena.

Porta *Salutaris* appellata eſt ab æde ſalutis, quæ ei proxima eſt. Sextus Pompeius. Hanc autem in Quirinali fuiſſe conſtat, ſicut & ædes Salutis fuit.

De porta Stercoraria.

Stercoria vero porta non vrbis, ſed Capitolij fuit, de qua idem Sex. Pompeius: *Stercus* (inquit) *ex æde Veſtæ 17. Kalend. Iulias defertur in angiportum medium fere cliui Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoratoria, tantæ ſāctitatis maiores noſtri eſſe iudicarunt,* &c. Has autem ſeptem portas eas fuiſſe exiſtimo, quæ Plinij tempore iam eſſe deſierant.

Portæ autem quæ nunc extant Romæ in vniuerſum ſunt viginti: antiqui nominis & loci tredecim, recentioris vero vrbis, Leonianæ videlicet, ſeptem. Ad Septentrionem ſunt *Flaminia* & *Collatina*, ad ortum vernum *Collina* & *Viminalis*, ad ortum æſtiuum *Gabinſa* & *Eſquilina*, ad ortum hyemalem *Cælimontana* & *Latina*, ad meridiem *Capena* & *Trigemina*, ad occaſum *Naualis Ianiculenſis* & *Septimiana*. reliquæ ſeptem vrbis Leonianæ ſunt, &c. Hæc hactenus de portis Romanis, quæ diligenter collecta ſunt ab Onuphrio Panuinio, in ſua ciuitate Romana.

Cap. xi. *Vrbem obſideri.*] Obſidet autem Porſena tertio anno poſt reges exactos, tribus annis continuis.

Eod. *Pari fere ornatu.*] Purpuratus ſcilicet. Erat enim *purpura* regum & magiſtratuum primo, licet deinde vſus eius ad equites quoque tranſlatus ſit.

Eod. *Vt transfuga.*] *Transfuga* dicitur is, teſte Sext. Pompeio, qui liber vel ſeruus, aut hoſtis ſeruorum, ſua voluntate ad hoſtes tranſit: quos Romani detractis armis, ne quid inſidiarum ſimulata tranſitione moliri poſſent, in poſtremam aciem inducebant, neque illis facile quicquam credebant, qua de re multa apud Alexandrum ab Alexan. lib. 4. c. 7. & Blondum li. 7. Romæ triumphantis. Transfuga.

Eod. *Scæuole à clade dextræ manus.*] σκαιὸν enim Græcis idem quod *læuum & ſiniſtrum eſt.* Scæuola enim cum dextram igni dediſſet enſemque à porſena datum læua manu arripuiſſet, *Scæuola* in poſterum cognominatus eſt, vt Liuius & Plutarchus in Publicolæ vita teſtantur. Vnde etiam *Scæ* ab Vlpiano iuriſconſulto dicuntur, qui ſiniſtra manu pro dextra vtuntur. Vide Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Genialium. Scæuola vnde. Scæ.

Cap. xii. *Graſſaremur.*] Buſlidianus Codex vt Nannius li. 5. annotat. *craſſaremur* pro *graſſaremur* habet, idque ſæpius in eadem voce. vt antiqui *Caium* pro *Gaiū*: *Cneum* pro *Gneum* dixēre. Quanta autem affinitas ſit in his literis, ipſa forma docet *C. G.* cum nihil differant, niſi quod inferius cornu in *G.* nonnihil ſurſum verſus repandum eſt, quare non immerito inter ἀντίστοιχα referri poſſunt. C. pro G.

Eod. *Aderant.*] Eiuſdem ætatis & generis, ac qui ſimiliter pro ſalute patriæ aduerſus omnia corporis & vitæ pericula, mortem vel oppetere ſua ſponte, vel ſe interficere animum induxerunt, accepta per iuſiurandum fide. Huc autem pertinet Diogenis nobiliſſima reſpōſio, qui adoleſcenti conquerenti; quod à multis conturba-

retur. *Deſine*, inquit, *et tu perturbationis indicia præ te ferre*. Significans, nulla te magis improbitatem lædentium finiri, quam ſi qui læditur, dolorem ficta quadam ratione diſſimulet, & tum illi qui inceſſant hominem, vt illum diſcrucient, deſinent, ſi viderint illum nihil moueri. Extat apud Laertium in eius vita.

Cap. XIII. *His conditionibus*.] Dionyſius ſcribit, primum conſultaſſe Porſenam, quo pacto inſidias vitaret, & deinde legatos Romam miſiſſe, vt ad pacē ineundam Tarquinium & filios exules reciperēt. Si autem id non daretur, vt bona ſaltē illis redderēt. Poſtremo, vt agro decederēt, Hetroſcis circa flumen adempto. Quod vnū, vt bellū ſe ſoluerent Romani, à ſe impetrari promiſerunt, obſideſque datæ fidei teſtes, Porſenæ, priuſquam de Ianiculo exercitum deduceretur, dederunt.

Mucia prata.

Eod. *Mucia prata*.] Militaris fortitudinis præmiū ampliſſimum. Priſtis enim temporib. militaria dona, quæ militib. fortem operam nauantib. in bello à ducibus dabantur, heminæ vel quartarij farris fuēre (vnde *adorea* laus bellica dicta) binaq; iugera, aut tantū agri, quātum vno die circumaraſsēt, ampliſſima dona putauere. Precia enim militiæ hæc habita sūt maxima, vt poſt exhauſtos labores, milites emeritis ſtipendiis, ſanguine & ſudore partis donarentur. Hos enim lætiſſimos fructus, velut opimā prædā, laborū periculorumq; accipiebāt. Pernicioſum enim ciuem putabāt, cui bina aut ſeptem iugera nō eſſent ſatis. Vide Blondū li. 6. Romæ triumphantis, & Alex. ab Alex. lib. 4. c. 18. Neq; vero Mucio ſolum prata data fuēre, ſed & ſtatua equeſtris ei honoris gratia cōſtituta eſt. Viris enim claris, & bene de rep. meritis, mos fuit antiquis, ſtatuas in templis, & aliis locis inſignioribus, quæ aliis ad virtutem ſtimulum adderent, conſtituere. Qua de re Plinius lib. 34. c. 4. & lib. 35. cap. 12. li. 34. c. 5. & 6. Eius vero ſtatuæ, quæ Mucio apud curiam Hoſtiliam collocata fuit, meminit Cælius Rhodiginus lib. 18. cap. 12. Antiquitatum.

Adorea.

Precia militia antiqua.

Statuæ viris præclaris erigi antiquitus ſolita.

Eod. *Vna ex obſidibus*.] Captiuis enim omnib. receptis, & viginti prætērea obſidibus, decem videlicet maribus adoleſcentibus, ac virginib. totidem, obſidionē ſoluiſſe Porſenam, hiſtoriæ tradūt, inter quas præcipui nominis fuere *Clœlia*, & *Valeria* Publicolæ cōſulis filia. Verum de Clœlia, quam alij *Cæliam*, & Seneca ad Martiam *Cœliam* vocat, plura vide apud Dionyſ. lib. 5. Plutarchum de claris mulieribus, c. 14. & in vita Publicolæ. Florum lib. 1. c. 10. Oroſium lib. 2. Eutrop. li. 1. c. 11. Val. Max. l. 3. cap. 2. Virgilium lib. 8. Æneidos. Silium Italicum li. 10. Claudianum de laudibus Serenæ vxoris. Othonē Friſingenſem, lib. 2. cap. 10. Sabellicum libro 7. Ennead. 2. Rhapſod.

Eod. *Fruſtrata cuſtodes*.] Ferūt enim à cuſtodibus impetraſſe, quorū cuſtodiæ traditę erāt virgines obſides, vt liceret ire ad flumen, vt corpus lauarēt, & vt tātiſper oculos retro aſpicientes amouerēt, donec depoſitis veſtib. fluuiali aqua abluerentur. Quo facto, deceptis cuſtodibus notando in vlteriorem ripam peruenerunt.

Romanorū fides.

Eod. *Romani pignus pacis ex fœdere reſtituerūt*.] In ſeruanda enim fidē à rege Hetruſcorū, vel quouis alio vinci turpiſſimum putabant. Romani quippe, vt perpetuæ fidei cuſtodes ſanctiſſimæ viderentur, non ſolum pacis fœdera in templo Iouis Capitolini columnis, aut æneis tabulis, vt perpetua monumenta extarent, inſculpſerūt, & in ædes Iouis Piſtij in ligneos clypeos ſcripta obtulerunt, ſed Fidei quoque templa magnificis expenſis ædificarunt. Qua de re Alex. ab Alex. li. 5. c. 3. & lib. 2. ca. 22. Plinius li. 25. cap. 10. Cœlius Rhodiginus libro nono, cap. 22.

Simile ſimili gaudet.

Eod. *Legiſſe impubes dicitur*.] Etenim pueritia ſēper amabilis. & dū virgines Clœlia legit, liquet veriſſimum eſſe, quod Ariſtoteles lib. Rhetoricorum ſecundo ſcriptum reliquit: *In totum ea natura ſeſe inuicē delectari, quæ generi ſunt coniuncta aut ſimili, vt ſenem, ſenes: adoleſcentem, adoleſcentes: virginē virgines. Prima enim familiaritatis conciliatio ab ætatis æqualitate proficiſcitur*. Vnde prouerbiū *Simile gaudet ſimili. Deus vbique ſimiles coniungit*.

Eod. *Maxime opportuna iniuriæ eſſet*.] Notandum quā prudens fuerit Clœliæ conſilium, quæ noluit iuuenes maturioris ætatis, aut quoſuis alios itineris comites, quam virgines & pueros ſibi eligere, quo eam ætatem potiſſimum ab hoſtium manu liberaret, quæ maxime opportuna iniuriæ eſſet, & ipſa ſimul in amiſſæ virginitatis ſuſpicionem apud ſuos non incideret. Quandoquidem, vt Quintilianus alibi ait, *non ſatis eſt abeſſe à turpitudinis crimine, niſi criminis quoq; ſuſpicionem effugias*.

Criminis ſuſpicio effugienda.

Eod. *Virgo inſidens equo*.] Statuam equeſtrem virginis habitu, in via quæ ſacra nuncupatur, qua ad forum itur, Clœliæ poſitam eſſe legimus apud Dionyſium (qui ſuo tempore non amplius extitiſſe, ſed incendio circa ædes proximas exorto deletam eſſe ait) Plutarchum de claris mulieribus, Plinium libro 34. capite ſexto. Senecam libro de conſolatione ad Martiam, Petrum Marſum in Silij Italici librum decimum. Verum Plutarchus ait, quoſdam fuiſſe, qui Valeriæ nomine hanc ſtatuam dicatam affirmarint.

Statua equeſtris Clœliæ.

Cap. XIV. *Tuſcum vicum vocant*.] Alij huic vico appellationem factam ſcribunt, quod ſedem illic acceperit Celes Vibenna Hetruſcæ gentis dux à Priſco Tarquinio ob ſuppetias ei latas, vt annotat Cœlius lectionum antiquarum, li. 20. cap. 35.

Tuſcus vicus.

Cap. XV. *Generum Mamilium Octauium*.] Dionyſius & Florus eum *Manilium* vocant, vt id annotauit Cuſpinianus in ſuis conſulibus.

Mamilius Octauius.

Cap. XVI. *De publico eſt elatus*.] Plutarchus ſcribit populum Romanum publicum honorē funeri decreuiſſe, ac quadrantem ad funus exornandum contribuiſſe. Sepultus eſt autem intra vrbem, iuxta Veliam, cuius ſepulchri tota familia particeps eſt facta.

Publicolæ funus.

Eod. *Luxere matronæ*.] Velut ſi nihil in eum pro dignitate contuliſſet Romanus populus, dū viueret, ſed omnem ei gratiam, etiam poſt mortem deberet. Vide Alexandrum ab Alex. lib. 3. cap. 7. Blondum lib. 2. Romæ triumphantis.

Eod. *Sub corona venierunt*.] Id eſt, *in ſeruitutem redacti ſunt*. Antiquitus enim mancipia iure belli capta coronis induta venibant, & idcirco dicebantur *ſub coronis venire*. Nam *corona* ſignum erat captiuorum venalium, ſicut *pileus* impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos venum dari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret. Budæus in prioribus annotationibus in Pandectas.

Sub corona venire.

Cap. XVIII. *Dictatoris primū creādi*.] Vt Liuius cōqueritur de incertitudine temporis, quo primū creatus ſit Dictator, & quis ille primus fuerit: ſic nec de cauſa ſatis inter auctores cōuenit. Oroſius enim Sabinorū bellum mouentiū cauſa. Liuius ad Sabinum, Latini etiam belli metu accedente. Dionyſius cū plebs ære alieno obſtricta, ad bellum Latinum nomina dare detrectaret, poſt longas conſultationes, abrogata pro tūc conſulari poteſtate nouum hunc magiſtratū, à quo nulla eſſet prouocatio, quiq; ſummū ac regium ius haberet, ad cōprimēdos ſedandoſq; eos tumultus ſenatū creaſſe ſcribit. ac ſenatuſconſulto factum, vt Lartius & Clœlius cōſules, ceteriq; magiſtratus abdicarent, vnuſq; quē ſenatus nominaret, populus ſciſceret, haud amplius quam in ſex menſiū ſpacium ſine prouocatione, & maiore quam conſules eſſent, poteſtate imperaret. Itaq; Clœlio conſuli negocium datū dictatoris dicendi, qui T. Largium Flauū collegā dixit. *Is Romæ primus*, vt Dionyſius aſſeuerat, *princeps vnicus belli, pacis, ceterarūq; rerū imperator, Prætor Maximus, magiſter populi & dictator appellatus*. Titus autē Largius dictator dictus, Sp. Caſſium Viſcellinum virum conſularē magiſtrum equitum dixit. Atq; inde ea ſemper in Republ. conſuetudo fuit, vt dictator cum magiſtro equitū magiſtratū gereret. Dictus vero ita eſt ſiue à *dictando iure*, vel vt Dionyſ. ſcribit, propter poteſtatē iubendi edicendique quod vellet, ſiue vt Varro li. 4. de lingua Latina ſcribit quod à conſule diceretur, cuius dicto omnes audientes eſſent. Creabatur enim viua voce conſulis non per populi ſuffragium. Dictatoris itaque quia ſumma erat in populum poteſtas, is

Dictator creatus.

T. Largius Flauus primus dictator Romæ.

Dictator vnde dictus.

Dictator magiſter popul.

quoq; *magiſter populi* appellatus eſt. Vnde Varro eodē lib. *Magiſter equitū quod ſumma poteſtas huius in equites & adcēſos, vt eſt ſumma pop. Rom. dictator, à quo is quoque magiſter populi appellatus*. His vero ea cauſis dictator plerūq; creabatur, legēdi ſenatus, claui figēdi, ferendæ vel abrogandæ legis, Latinarum feriarum reip. cōſtituendæ, ſeditionis ſedādæ, quæſtionis exercendæ, ſigni mittendarum quadrigarum dandi, comitiorum habendorum. Quib. reb. peractis dictatora ſe abdicabat. At ſi rei gerūdæ cauſa, hoc eſt belli, ſea menſiū eius erat imperiū, ne in tanto imperio ſi diuturnū eſſet, inſolentior quis redderetur, ac ita ad tyrannidem aſpiraret, quod ſucceden. ūh. annis à Iulio Cæſare factum eſt, poſtquam dictator eſt declaratus. Quomodo autem *dictator* à conſule nocturno tempore diceretur, tradit Liuius infra lib. 9. Vnde non erat neceſſe conſulem progredi ad populum, vt dictatorem diceret. Et quemadmodum à Græcis hæc poteſtas initio ducta ſit, docet Dionyſius in quinto erudite, qui ante omnia videndus eſt. Sed & Ariſtoteles 3. politicorum huius dignitatis meminit. Lege etiam Plutarchum in Fabio & Marcello. Meminit & Eutropius cap. 11. li. 1. Nihil vero prætermiſit de hac re Onuphrius Panuinius in Commentariis Faſtorum.

Equum admittere.

Cap. xix. *Equum inſolitus admiſit.*] *Equum admittere*, pro *conſcendere*, interpretatur Budæus in poſterioribus annotationibus in Pandectas. At eum erroris arguit Franciſcus Floridus, Sabinus li. 2. ſuceiſiuarum lectionum capite octauo, *admittere* ideoi eſſe, quod *concitare* demonſtrans.

Admittere concitare eſt

Magiſter equitum.

Eod. *Ebuſius magiſter equitū.*] Florus *Caſſum*, Feneſtella, ca. 9. & Pomponius 16. *Spurium Caſſium* vocat. Erat autem *magiſter equitum*, velut magiſter conſiliorum dictatoris, atque in ipſius præſcriptū parere oportebat, ita ſi quando abeſſe contingeret, eius vices gerere, & munia obire poſſet. Quales igitur *tribuni Celerum* apud reges, tales fere apud dictatores *magiſtri equitum* erant, & quemadmodum dictator ſummum habuit ius in populum, ita in milites quoque magiſter equitū. Vide de ea re Feneſtellam, Pomponium Lætum, & Alex. ab Alex.

Caſtoris ædes

Cap. xx. *Ædem Caſtori vouiſſe.*] Quem ἱππόδαμον, ſicuti Pollucem ἀθλοφόρον cognominatum legimus. Scribit autem Cicero li. 3. de natura Deorum apud Regillum, in ſilice apparere tanquam veſtigium vngulæ Caſtoris equi, & in foro ab A. Poſtumio ædem Caſtori & Polluci dedicatam. Hiſtoria à plurib. recitata. Quæritur hoc tempore, à pleriſque qua fori parte eſſet hæc Caſtorum ædes. Quidam D. P. Coſmi & Damiani templum Caſtorum exiſtimarunt, alij iuxta Iuturnæ fontem, quod innuere videtur Ouidius in Faſtis ita canens:

Fratribus illa dies, fratres de gente deorum,
Iuxta Iuturna compoſuere lacus.

Qui de vrbis Romæ antiquitatibus & regionibus ſcripſere, & ipſi inter ſe diſſentiunt, cum tamen frequēs ſit eius templi mentio Ciceroni, Liuio, Plutarcho, Catullo, Varroni, Dionyſio, Plinio. Giraldo hiſtoriæ Deorum ſyntagmate 5. non vnum, ſed plura fuiſſe videtur, quem vide.

Eod. *Pronunciaſſe militi præmia.*] Apud Frontinum li. 1. vbi docet, quemadmodum ſit incitandus exercitus ad prælium, legimus Aulum Poſtumium oblata ſpecie duorum in equis iuuenum, animos ſuorum erexiſſe, Pollucem & Caſtorem adeſſe dicentem, ac ſic prælium reſtituiſſe. Quo diſcendum eſt, præſentib. Diis, ne gentiles quidem in ſummo vitæ periculo deſperaſſe. Illud vero notādum, *Caſtorem & Pollucem* ſemper pro partibus Romanorum ſtetiſſe, vt qui albis inſidentes equis P. Varieno nocte venienti, obuiam quoque facti ſunt, nunciantes eo die regem Perſen victum atque captum, quod paucis poſt diebus literę Pauli verum fuiſſe docuerunt. Cuius rei meminit Plinius lib. 7. cap. 22. Lactantius inſtitutionum diuinarum, lib. 2. cap. 8. Plutar. in vita Pauli Æmilij.

Caſtor & Pollux ſemper pro Romanis ſteterunt.

Saturnalia.

Cap. xxi. *Saturnalia.*] Origo Saturnaliorum latiſſime enarratur à Macrobio lib. 1. cap. 6. Nec prætereundus eſt Lucianus de Saturnalibus, & Dionyſius lib. 6. de eodem.

Ariſtodemus.

Eod. *Ad Ariſtodemū.*] De cuius origine ſi multa volueris ſcire, lege ſeptimum librū Dionyſij à principio. Cognomento vero dictus fuit μαλακὸς, hoc eſt, *mollis*. Mortuus vero eſt Tarquinius anno ętatis ſuæ 90. imperij ſui 25. Olympiadis 66. anno 4. & vltimo: ab vrbe vero cōd. 244. quib. Romæ ſub ſeptem regib. regnatū eſt. Auctor de viris illuſtribus eum Cumis per ſummam ignominiam reliquum vitæ tempus exegiſſe ſcribit.

Regillus lacus.

Eod. *Regillum lacum.*] Qui eſt in agro Tuſculano, & Algidæ ſyluæ ingreſſu. De quo Plinius li. 33. c. 3. Sabell. li. 9. Enn. 2. Volaterranus li. 6. c. 1. Geographiæ.

Eod. *Roma tribus vna & viginti facta.*] Ita hunc locum reſtituêre viri doctiſſimi Glareanus, & poſt eum Sigonius, non xxxi. ſed xxi. *tribus*, ſcribendū eſſe cuincentes. Ceterum non negligēda ſunt, quæ accurate à viro eruditiſſimo Nicolao Grucchio, lib. 2. c. 1. de comitiis Romanorum diſputantur, vbi omnium auctorum locis diligenter excuſſis, tandem in Sigonij ſententiam concedere videtur.

Eod. *Ædes Mercurij dedicata.*] Quod eo die Mercurios natus eſſet. Templi enim dedicatio natali erat numinis, vt ex hoc Liuij loco & Feſto oſtendit Turneb. li. 2. aduerſariorum. cap. 11.

Nexi ob æs alienum.

Cap. xxiii. *Propter nexos ob æs alienum.*] Erat enim hoc ius iam inde à condita ferè vrbe, vel lege, vel more conſtitutum, vt liberi, qui pecuniam deberent, cū ſoluendo non eſſent, trahi à creditoribus, atq. ad operas in ſeruitute præſtandas cogi poſſent. Qua licentia abuſi multi in terga miſerorum crudeliſſime ſæuierunt. Idque ita obſeruatum eſſe ante xii. tabulas hic locus indicio eſt. Poſt autē in eas hęc verba relata ſunt, teſte Gellio l. 20. c. 1. *Æris confeſſi, rebuſq; iure iudicatis, xxx. dies iuſti ſunto. Poſt deinde manus iniectio eſto, in ius ducito, ni iudicatū facit, aut quis pro eo in iure vindex ſit, ſecū ducito, vincito aut neruo aut cōpede xv. pōdo ne minore, aut ſi volet maiore vincito. Si volet ſuo viuito: ni ſuo viuit, qui eum vinctū habebit, librā farris in dies dato. Si volet, plus dato.* Et hæc quidem Gellius, quia vero hanc legem mendoſiſſimam, & mutilatam veriſimilibus coniecturis reſtituit Iacob. Rænard. c. 8. 12. tabular. Itaq; Gellij verbis ex ipſo adiiciēdum. *Tertiis nundinis partes ſecanto, ſi plus minuſve ſecuerūt ſine fraude eſto.* Vt autem poſterior pars legis de ſecandis debitoribus atteſtāte Cæcilio iureconſulto, nūquam vſurpata, ſed more publico, vt Quintilianus li. 3. ſcribit, repudiata fuit, ſic prior nimirum vt debitores addicti in vincula abducerentur, necterenturque, vſque annum coaavtt. obſeruata eſt, quo anno, vt inquit Liuius, *initiū libertatis Coſſ. L. Papirio Mugellano & C. Petilio Viſolo, factum eſt, quod necti deſierunt*. Atque hoc eſt illud, quod Varro intellexit, cum ſcripſit in libris de lingua Latina: *Liber, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quam debet, dum ſolueret, nexus vocatur.* Plura de nexorū ſtatu, nectendi ratione, aliiſque ad hunc locum facientibus, vide apud Cœlium lib. 11. lect. antiq. c. 20. Rænardum loco prææallegato. quod vero addicti ſeruis differant Quintil. lib. 8. cap. 4. Faciet quoque non parum ad huius rei intelligentiam hiſtoria Manlij centurionem liberantis infra lib. 6.

Tributum.

Eod. *Tributum iniquo ſuo tempore.*] Ita legendum eſſe Robortellus lib. 2. emendationum cap. 36. oſtendit, vt ſit ſenſus *iniquo ſuo tēpore*, id eſt, cum ſuperius enarratis malis conflictatus premeretur inopia rerum omnium. A. Nannius lib. 5. συμμίκτων ex Codice Buſlidiano legit *tributum iniquū, & non ſuo tempore imperatum*, vt duplex ſit conqueſtio ſuper hoc tributo, & quod magnitudine fuerit iniquum, quod vltra cenſum inuecto onere, & quod non expectato tēpore, quo dandū erat, extortum ſit. *Tributum* autē, vt M. Varro de lingua lat. oſtēdit, dictū eſt à *tribub.*, quod ea pecunia, quę populo imperata erat, tributim à ſingulis exigebatur: per quam occaſionem *tribuni* quoque quod tributū exigerent, dicti ſunt. *Tributum* autem ab omnibus pro modo facultatum,

facta diſtributione, per centenas partes efflagitabatur apud Romanos, quę deinde poſt Papitij de Samnitibus triumphum, vt Liuius in decimo teſtatur, in ſtipendia militum collata ſunt. De tributo autem ſoluendo more apud Romanos vetuſtiſſimo, lege pręter Liuium copioſiſſime Bloudum, libro quinto, Romæ triumphan. à principio.

Ergaſtulũ. Eod. *In ergaſtulum.*] *Ergaſtulum* Liuios appellat locum, in quo mancipia deteriora in vinculis opus facere cogebantur, vt metalarij ſerui ſolent, Budæus in prioribus annot. ad Pandectas.

Sacramẽto dicere. Cap. xxiv. *Sacramẽto dicerent.*] *Dicere ſacramento* ſermo eſt antiquorum, proot annotat Bodæus in annotat. reliquis ad Pandectas, exiſtimans *dicere* hoc in loco & alijs ſimilibus, pro *deſtinare & dicare* accipi. Vide ibid.

Collegium mercatorũ. Cap. xxvii. *Mercatorũ collegium.*] *Collegia* à rege Noma ad exemplũ ciuitatis Atticæ inſtituta ſcribit Plotarchus, & iura collegiorum ex Solonis legib. petita fuiſſe, Caius putat in l. fin. ff. de collegijs. Florus tamẽ & Oroſius, & Iornandes collegiorum conſtitutionem Seruio Tullio triboont. Quid vero iuris hęc collegia haberint, & qua ratione eorum diſtributio facta fuerit, docet Zaſius in catalogo legum antiquarom de legibus Clodiis.

Sodales qui. Cicero huiuſmodi collegia *ſodalitates* vocat. Sunt enim *ſodales*, teſte Caio, eiuſdẽ collegij homines. In germania hodie *Zunffte*, ſiue *Zeche* vocãtur, eæque more antiquo magiſtratũ habent, cuius in liberis ciuitatib. nõ eſt leuis auctoritas. Porro Feſtus mercatorũ diem feſtum Idus Maias appellat, quod eo die Mercurij ędes eſſet dedicata.

Mercuriales. Eoſdẽ vero, à Mercurio, quẽ coluerint, *Mercuriales* appellatos à Cicer. in epiſt. ad fratrem ſuſpicatur Sigonios li. 2. de iure antiquo ciuium Romanorum. *M. Furium Flaccũ*, inquit Cicero, *equitem Romanum, hominem nequã, Mercuriales & Capitolini de collegio eiecerunt.* Nam Capitolinorũ collegium à M. Camillo dictatore ludis Capitolinis, eodem Liuio teſte conſtitutũ ſatis conſtat.

Quęſtionẽ poſtulare. Cap. xxix. *Quæſtionem poſtulãtibus iis.*] Id eſt, *fieri informationem, & legibus hoc factũ vindicari*, vt nunc vulgo loquuntur. *Poſtulare* enim *quæſtionẽ* eios eſt, qui iniuriam ſibi factã queritur, aut alteri quam vindicari ad ſe pertineat.

Quęſtionẽ decernere. *Decernere* vero *quæſtionẽ*, id eſt, quod nũc dicimus, ordinare vt fiat informatio, & vt contra delinquentes procedatur, Budæus in prioribus annot. ad Pandectas.

Laſciuire. Eod. *Laſciuire magis plebem.*] Id eſt, Plebẽ nimio ocinſe petulantem præbere magis, quam veram ſeditionem meditari, nulla ſatis digna iniuria nobilitatis concitatam. De plebe enim tamquam de equis, qui ab aurigante reguntur, locutus eſt: Budæus ibidem.

Soluere Sacramento. Cap. xxxii *Soluerentur ſacramento.*] Id eſt, *Sacramento quo obſtricti erant, non amplius tenerentur*: Sicoti *ſoluere legibus, & canonibus* ibidem dicitur, de qua loquendi forma Budæus, vbi prius.

Religione exoluere. Eod. *Nullam ſcelere religionem exolui.*] Sicut *obſtringere religione & obligare* dicebant, pro eo, quod dicimus *conſcientiæ metum incutere*, ſic, *exoluere religione* eſt, huiuſmodi metum & ſcrupulum adimere. Forma eſt loquendi familiaris Lioio, de qua Budæus in prioribus annotat. in Pandectas.

Seceſſio prima plebis. Eod. *In ſacrum montem.*] Prima poſt reges exactos in vrbe diſcordia, quæ accidit anno 4. Olympiadis 71. ab vrbe cond. 260. Ab eo vero, quo libertas parta erat 16. Cuius rei meminerunt quoq; Oroſius lib. 1. c. 5. Eutropius li. 1. c. 1. Euſebius in Chronicis.

Agrippę qui. Eod. *Menenium Agrippã.*] *Agrippas* veteres vocabãt, qui contra naſcentium legẽ, pedib. prius ex vtero emerſis nati eſſent, quaſi ægrè partos: quod plerumq; omen infelicitatis fuit. Sed in vno Marco Agrippa, cuius egregium facinus hic Liuius deſcribit, felicitatis exemplum fuiſſe ſcribunt, nec tamen vſq. eo inoffenſæ, vt non plura aduerſa pertulerit quam ſecunda. Nam & miſera pedum valetudine, & aperto cõiugis adulterio, & aliquot infelicitatis noris retrouerſi ortus omen luit. Qua de re lege Plinium li. 7. c. 8. Solinum cap. 4. Gellium li. 16. c. 16. Alex. ab Alex. li. 2. c. 9.

Æſopus Philoſophus. Eod. *Tẽpora quo in homine.*] Extat hęc fabula inter Apologos Æſopi philoſophi clariſſimi, quem haud immerito ſapientem eſſe exiſtimatum Gellios ſcribit, cũ quæ vtilia monitu ſuaſuq; erant, non ſeoere, non imperioſe præceperit, (qui Philoſophis mos eſt) ſed feſtiuos commentus apologos, res ſalubriter animaduerſas in mentes animoſque hominũ cum aodiendi quadam illecebra induxerit, cuius fabulæ inter omnes ſemper præualuerunt, vt Fabius oratoriarum inſtitotionum quinto animaduertit. Vixit autem Æſopus Crœſi Lydorum regis tempore, cui fabulas ſuas dedicauit.

Eod. *Comparando hinc.*] Affabulatio & accommodatio Fabolæ. Eſt enim cioitas humano corpori perſimilis. Nam compoſitum eſt vtrumq; ex multis partibus, nec in eis vim eandem pars quæque habet, neque vſus par exhibet.

Fabularũ vſus. Eod. *Flexiſſe mentes hominũ.*] Locus de fabularum & apologorum vtilitate, quib. ſummi oratores imperitã plebem ſæpe ad meliora reuocarunt. Sic enim ſummus orator Demoſthenes, in conſpiratione Græciæ ciuitatum fabulã de lupis & ouibus (vt Ariſtobulus Caſſandreus apud Plutarchum auctor eſt) recitauit, & ſimili quoque modo Themiſtocles ne nouarent magiſtratus, Athenienſib. perſuaſit, fabula de vulpe muſcis obſita, vt Plutarch. in Themiſtocle auctor eſt. De vſu autem fabularum lege Aphthonium in progymnaſmatis, Quinctilianum li. 5. c. 11. Cœlium li. 18. c. 7.

Tribuni plebeij. Cap. xxxiii. *Tribuni plebeij creati.*] Id *plebeij* ideo adiectum, quod plura Tribunorum genera eſſent, *vt tribuni Celerum* qui ſub regib. equitib. præerant, & veluti ſecũdum locum à regib. obtinebãt, de quib. ſupra li. 1.

Tribunorũ varia genera. Erant & *tribuni militares*, qui aliquãdo cõſulari poteſtate Rẽpubl. adminiſtrarunt. Fuerunt & *tribuni ærarij*, verum is ordo magiſtratos nõ erat. Vnde vero hæc vox manauerit variæ auctorum ſunt ſententiæ. Varro li. 4. de lingua Latina, ex eo ortum tradit, quod terni ex trib. tribubus, Rhamenſium, Lucerum, Tatienſium, olim ad exercitum mittebantur. Pomponius vero ex eo ortum putat, quod id temporis populi tres tantum partes erãt, quas *tribus* nominabãt, & ex ſingulis ſinguli creabantur, qui eis præeſſent, *Tribuni* vocati. Alij à centuriarum equeſtrium numero dictos malunt, quas ab initio tres tantum fuiſſe conſtat. Nec deſunt qui à *tribuum* ſuffragiis, quib. creabantur dictos exiſtiment. Porro ad numerum tribunorũ plebis quod attinet, omnes ferè in eo cõſentiunt, quinque primo anno factos, licet nõ ſimul in mõte ſacro, vbi duo tantum creati leguntur, tribus deinde adiectis, vt eſſent quinque ſinguli ex ſingulis claſſibus, vt Pędianus in Cornelianam ex Toditani, Attici, Ciceronis & Liuij ſententia tradit. Idem duos primos ex vetuſtiſſimorum annalium auctoritate nominat *L. Siciniũ L. F. Bellutũ, & L. Iunium C. F. Paterculum.* Dionyſ. vero *C. Sicinium Bellutum, L. Iunium Brutum, C. & P. Licinios, et C. Icilium Rugam* quinque primos nominat. Plutarchus in Poblicola duos ex quinque nominat, *Iuniũ Brutum & Siccinium Bellutum.* Suidas *Sicinium & Brutum.* Anno deinceps ccxcvii. C. Horatio & Q. Minutio Coſs. quinque additis decem ſunt effecti, qui numerus deinde ſtante Republ. Romana conſeruatos eſt. De *tribunorum* autem *plebis* origine, electione, officio & auctoritate leges Feneſtellam ca. 10. Lætum ca. 18. Ouidium li. 3. Faſtorum. Valerium Maximum li. 2. cap. 1. Blõdum li. 5. Romæ triumphantis, Alexandrum ab Alexandro, li. 5. cap. 2.

Sacrata lex. Eod. *Sacratam legem latam.*] Sic dictam, quod in ſacro monte lata ſit. Vtrum autem vna tantum lex, an plures in ſacro mõte latæ ſint, non ſatis conſtat. Liuius & Dionyſius vbi rem ipſam narrant, vnam nominant. Sed Liuius alibi non ſemel *ſacratas leges* dixit, vt paulo poſt in hoc ipſo libro, ſicut & Cicero de prouinciis conſularibus, & in oratione pro C. Cornelio, vt annotauit Manutius de legibus Romanorum. Budæus autem in poſterioribus annotat *leges ſacratas* dictas quibus ſanctum iubetur eſſe alicui Deorum, quidquid aduerſus eas fe-

cerit, ſicut familia, pecuniaque. Sacrabantur vero leges aut conſecratione, & obteſtatione, aut pœnarum ſanctione. Cicero pro Cornel. Balbo: *Deinde ſanctiones ſacranda ſunt, aut genere ipſo, vt obteſtatione et conſecratione legis, aut pœna, cum caput eius qui contra facit, conſecratur.*

Coriolani laus.
Eod. *Sua laude obſtitit.*] Fuit enim Coriolanus, Plutarcho teſte (qualem Cato militem eſſe optabat) non manu tantum, aut ictu, verom & vocis ſono, & vultus aſperitate hoſti terribilis, animoq. inſuperabilis. Quin quoque cum multa bella per id tempus decernerent Romani, à nullo ſine corona aut præmio diſceſſiſſe viſus eſt.

Frugalitatis exemplum.
Eod. *Sumptus funeri defuit.*] Frugalitatis contemptuſque diuitiarum memorabile exemplum, quo docemur, nullis niſi inuitis & recuſantibus grauem & indecoram eſſe paupertatem, quæ ad bene beateq; viuendum multo aptior eſt, quam largæ diuitiæ. quod cum vitæ vſus facile demonſtrat, tum ſapientum virorum documenta, qui reſpuerunt omnes diuitias; vel quia tutius ſit ad ſecuritatem, vel quod ad virtutem aptius ita viuere. Cuius rei alia multa exempla pete ex Valerio Maximo lib. 4. Bruſonio lib. 5. facet. Sabell. lib. 8. c. 5.

Siciliæ vbertas.
Eod. *Quæſitum in Sicilia.*] Inſula omnium fertiliſſima. Vnde Florus lib. 4. cap. 2. *Siciliam Sardiniamq, finitimas inſulas annonæ pignora.* Cicero in quarta actione Verrina aliiſq; locis, *horreum populi Romani* vocat, quæ ſæpenumero eorum maximos pauerit exercitos. De hac inſula eiuſque vbertate lege Claudianum de raptu Proſerpinæ, libro primo. Lucretium lib. 1. Silium Italicum lib. 14. Diodorum Siculum lib. 6. Polybium de primo bello Punico, Strabonem li. 6. Plinium lib. 3. Solinum cap. 11. Melam. lib. 2.

Cap. xxxv. *Vnius pœna defungendum eſſet patribus.*] Id eſt, vt Marci Coriolani dominatione ab illa populari conſeruatione liberandus eſſet Senatus, id quod à Græcis ἀπαλλάττεσθαι & ἀπαλλαγῆναι dicitur, vt annotat Budæus.

Diem dicere.
Eod. *Triùnni diem dixiſſent.*] Dicebatur enim dies ad populum à magiſtratibus, aut tribunis plebis, quibus tantum ius dicendi diem facultas data fuit. Nonnum-
Coriolanus cur damnatus.
quam tamen à priuatis quinque. Eſt autem *dicere diem*, idem quod *accuſare*. Nam qui accuſat, diem reo denunciat, quod ad cauſam dicendam præſto ſit. Non autem vnâ ob noxam accuſatum legimus apud Plutarchum, cum primo accuſatus ſit, eo quod regnum illicite affectaſſet. Secundo quod captam ex Antiatium agro prædam in ærarium non retuliſſet, ſed militibus ſuis priuatim diuiſiſſet. Tertio quod facili venundari annonam inhibuiſſet, & vltimo tribuniciam quoque poteſtatem
Inuidiæ natura.
populo intercipere ſuaſiſſet. Vnde diſces inuidiæ naturam, quæ feris etiam in rebus multa mendaciter confingit, & malum malo conduplicat, modo obſit illi, cui ex animo male vult.

Volſci.
Eod. *In Volſcos.*] Qui ducentos per annos cum Romanis bella geſſerunt, & perpetui fere Romanorum hoſtes fuerunt, qua de re copioſe Volaterranus, lib. 38. Vrban. cõment. Plerumq, autem (vt hic Coriolanus) iniuria affecti ad eos confugimus, quos & nobiſcum ſentire, & ſimili quoque odio aduerſarios noſtros proſequi putamus.

Eod. *Accy Tully.*] Plutarchus *Tullum Amphidium*, alij *T. Tacitum* appellant.

Præſultator.
Cap. xxxvi. *Præſultatorem diſplicuiſſe.*] *Præſultor* dicebatur, qui in ludis aut ſacris præſultabat, ὁ ἐν ταῖς ἑορταῖς προορχούμενος vt explicat antiquum Lexicon. Nam in omnibus pompis, ludiſque Circenſibus iouenes ibant in numerum ſaltantes & ſubſilientes, qui *ludij* & *ludiones* dicebantur. Turnebus libro 10. Aduerſariorum capite decimo.

Sequius.
Cap. xxxvii. *Inuitus quod ſequius ſit.*] *Sequius*, id eſt, *deterius*. Nam *ſequior* pro *deterior* dici non eſt infrequens, quod Turnebus li. 14. Aduerſariorum cap. 17. à *ſequendo* putat deduci. Deteriora enim ſequi, meliora præcedere ſolent. Sic & Varro apud Nonium loquitur, *Non modo abſens quicquam ſequius de te cogitat, ſed etiam ruminabitur humanitatem.*

Eod. *Diſcordia inde inter patres.*] Sic Hannibal fraude Punica agros Quinti Fabij Maximi intactos reliquit, ceteris omnibus depopulatis. Cuius rei meminit Plinius lib. 17. cap. 26. & Frontinus lib. 1. cap. 8. Stratagematum.

Cap. xl. *Veturia matre.*] Plutarchus in Coriolano *Veturiam* vxorem, *Volumniam* autem matrem fuiſſe ſcribit. Vide Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.

Eod. *Fregere tandem virum.*] Ex hac igitur hiſtoria diſces, vix vllam eſſe hominis tam grauem affectionem, quam pietas in parentes & coniuges non facile ſuperet.

Eod. *Inuidia re oppreſſum.*] Auctor de viris illuſtribus, vt proditorem occiſum ſcribit. Alij cum Romanis finibus copias abduxiſſet, non multo poſt Antij ob ſoluti belli inuidiam multitudinis incurſu lapidib. obrutum, alij ferro trucidatum memoriæ prodiderunt.

Fortunæ muliebris templum.
Eod. *Templu Fortunu muliebri.*] Inter numina pleraq; quæ veteres habuere, olim Romanis *Fortunam* eximiæ cultam, ſcriptum in antiquitatib. eſt. Idque ex eo cõiectari liquet, quod plures illi ædes fuiſſe, ac diuerſis nominibus denominari vulgo proditum eſt, vt legimus apud Plin. lib. 34. c. 8. lib. 36. c. 22. & 25. li. 8. c. 48. li. 36. c. 5. lib. 7. c. 7. Alex. ab Alex lib. 1. c. 13. Cœlium li. 18. c. 34. & li. 13 c. 12. li. 18. c. 14. *Fortuna* vero *muliebris* ſic cognominata eſt, quod eius ſimulachrum, vt in 4. de ciuitate Dei Auguſtinus ſcribit, à matronis dedicatum fuit. Idque cum dicaretur, bis locutum eſſe ferunt. Auctores Halicarnaſſæus, Valerius, Plin. de viris illuſtrib. Plutarchus quoque de fortuna Romanorum ait, in huius tẽpli dedicatione ſimulachrum ita locutum: *Piè me vrbis lege mulieres vrbanæ erexère.* Ex Latinis quidam ſic afferunt, hanc Deæ vocem: *Recte me matronæ vidiſtis, riteque dedicaſtis.* Sed & Lactantius in 2. affirmat non ſemel hoc fortunæ ſimulachrum locutum fuiſſe. Addit & Feſtus huius Fortunæ fanum nefas eſſe attingi, niſi ab ea quæ ſemel nupſerit. In templo autem fortunæ muliebris ſemper Calendis Septembribus, quo die bellum fuerat ſolutum poſt reges exactos anno 18. rite ſacrificabant, ad perpetuam huius facti memoriam.

Eod. *Laudet mulieribus viri Romani.*] Notanda eſt Romanorum gratitudo erga Veturiam. Nam in huius & Volumniæ honorem non tantum Fortunæ templum ædificarunt, ſed vt Valerius ait, benigniſſimis decretis adornarunt eas, ſanxeruntque vt fœminis ſemita viri cederent.

Agrariæ legis initium.
Cap. xli. *Sunt qui patrem auctorem.*] Id Valerius lib. 2. vbi de parentum ſeueritate erga liberos agit, affirmat: Et idem tribunum plebis fuiſſe Coſſium ſcribit, ſed errorem eius refutat Paulus Manutius in lib. de legib. Romanis, vbi de legib. Agrariis tractat. Ceterum de origine & progreſſu legum Agrariarum latiſſime vide Appianum lib. 1. de bellis ciuilibus. Quomodo vero tandem hæc lex Agraria perlata ſit à C. Licinio Stolone Liuius infra lib. 7. commemorat.

Diſcordia venenum.
Cap. xliv. *Id vnum venenum eam labem ciuitatib.*] Hinc recte Tyreſius Scipioni interroganti, qua de cauſa Numantia prius inuicta duraſſet, paulo vero poſt funditus euerſa eſſet? Reſpondit concordiam, victoriam, diſcordiam, excidium præbuiſſe. Cuius apophthegma extat apud Oroſium lib. 5. c. 8. Eutrop. lib. 4. c. 7.

Credere & confidere quid differant.
Cap. xlv. *Conſules magis non confidere, quã non credere.*] Locum hunc Nannius lib. 5. συμμίκτων ita interpretatur, *Credimus illis quos ſoluendo putamus: Confidimus his, quorũ beneuolentia ſecuros nos facit.* Conſules igitur potius non cõfidunt ſuis militibus, quos alienos à ſe auerſoſq; putabant, quam quod de viribus illorum deſperarent. Sic animo confidimus & moribus, ſi inde officia expectamus. Credimus facultati, cum id eos preſtare poſſe nobis perſuademus. poſſe ſuos milites vincere credebant, velle eos vincere non confidebant.

Eod. *Alioſq; iratos inuocat Deos.*] In Buſlidiano codice legi *iratus*, nõ vero *irates*, annotat Nãnius loco præal-

legato: vt ſit ſenſus, ſi fallat quod præceſſit, execratione ſeipſum obligans, niſi victor è prælio regrediatur.

Eod. *Omnis exercitus in ſe quiſq; iurat.*] Significat poſtea per ordinem ſingulos in ſe diras concepiſſe, niſi victores redirēt. Alij legunt, *Item deinceps id exemplo alterius imitationem ſignificat*, vt notat ibidem Nannius.

Fabia gens.

Eod. *Fabia gens.*] Fabiorum familiam nobiliſſimam ab Hercule monſtrorum domitore originem duxiſſe, Feſto & Iuuenali placet. Cuius familiæ viros, quod primum venandi per foſſas morem induxerint, à fodiendo *Fodios* dictos quidam prodiderunt, & deinde mutatis literis, & lapſa loquendi conſuetudine *Fabios* appellatos. Alij vero à leguminis ſpecie cognomē hoc ſibi vendicaſſe putarunt, eo quod *fabas* videlicet optime ſeuerint, quod veriſimilius eſt. Sic enim & *Cicerones* à *cicere*, *Lentuli* à *lento*, & *Piſones* à *piſo* apud Romanos agriculturæ ſemper ſtudioſiſſimos dicti & cognominati ſunt. Qua de re multa Plinius lib. 18. c. 3. Macrob. lib. 1. c. 6. Alexander ab Ales. li. 1. c. 9. De Fabiorum autem familia Plinius lib. 7. c. 4. & lib. 22. cap. 5. Volaterranus lib. 16. c. 1. Silius Italicus lib. 6. circa finem. Ouid. lib. 1. Faſtorum, & Plutarch. in vita Fabij Maximi.

Cap. XLIX. *Sex & trecenti milites.*] Inter omnes conſtat 306. Fabios aduerſus Veientes profectos eſſe, quod tamen recentiorib. parum veriſimile videtur, cum paulo ante Romanæ legiones ægre hoſtium exercitum ſuſtinuerint. Veriora igitur viſa ſunt ea, quæ Dionyſ. prodidit, quaternûm millium hominum agmen ex amicis & clientibus à Fabia gente conſtatum eſſe.

Paludatus.

Eod. *Conſul paludatus.*] Id eſt, *paludamento indutus*. *Paludamentum* autem chlamys imperatoria eorum erat, qui exercitus educebant. De quo infra plura, & Budæus in annotationibus prioribus ad π.

Porta Carmentalis.

Eod. *Iano porta Carmentalis.*] De qua ſupra. Vt vero memoriam facinoris & rei dignitatem Romani relinquerent, *Scelerata* dicta eſt. Solebant enim Romani iis locis, in quibus nefanda quædam facinora committebantur, huius notæ nomina imponere, vt & ſupra à nobis annotatum eſt.

Cremera fluuius.

Eod. *Cremeram fluuium.*] Fluuium Tuſciæ, qui Dionyſio teſte, haud procul Veiis diſtat, & quem Volaterranus lib. 5. Geographiæ cap. 2. vicinum primæ portæ, & quinto ab vrbe milliario eſſe ſcribit.

Cap. L. *Vnum prope puberem ætate relictum.*] Ex tribus fratribus, Cæſone, Marco, & Quinto ſeptem cōtinuos gerentibus conſulatus relictum eſſe M. Fabio filium, Dionyſius ait, & hunc quidem illum eſſe putauit, qui ex Fabiorum familia ſolus illuſtris domi relictus ſit. Ceterum Halicarnaſſeus fabuloſum ſibi videri addit, quod ceteri Romanorum hiſtoriographi ſcribunt, ex tam numeroſa familia vnum tantum fuiſſe, qui domi filium impuberem reliquerit, cum vetus Romanorum lex vxores ducere coegerit. Vnde nimirum plures eum pueros, tum in cunis iacentes domi relictos, qui velut vber ſeminarium genti alioqui interituræ fuerint, conſtabit. Sed dubiæ rei fides ſit apud eos, qui talia tradiderunt.

Anquirere capitis.

Cap. LII. *Capitis anquiſiſſent.*] *Capitis anquirere* eſt actionem criminaliter intendere, capitaliter poſtulare, & vulgo loquuntur, *concluſiones capitales concipere*. Ex antiquis id annaliſtibus à Liuio petitum, vt Budæus tradit in reliquis annotationibus ad Pandectas.

Lictores qui.

Brutiani qui.

Cap. LIV. *Eos ipſos plebis homines.*] Apparet ex hoc loco tunc temporis *lictores* è plebe Romana fuiſſe. Ceterum Punico bello confecto, qui magiſtratibus in prouincia apparerent, eos fere è Brutiis fuiſſe, vnde *Brutianos* dictos tradit Gellius, qui cauſam exponens, cur quendam à Brutianis verberatum, Cato dixiſſet, ait Romanos ægre paſſos, Brutios primos populos Italiæ ad Hannibalem defeciſſe, pulſis, victiſque Pœnis, Brutios ignominię cauſa nec milites ſcripſiſſe, nec pro ſociis habuiſſe, ſed magiſtratibus in prouinciam euntibus parere & præminiſtrare ſeruorum vicem iuſſiſſe. quod autem è Brutiis eſſent, *Brutianos* appellatos. Ceterum *lictores* dicti ſunt, à *ligando*, eo quod magiſtratus populi Romani priuſquam quempiam verberari iuſſiſſet, manus à miniſtris illi iubebat ligari.

Militis citati & non reſpondentis pœna.

Eod. *Quod ordines duxerat, lictor miſſus.*] Apud Romanos ſiquidem miles, qui citatus non reſponderet, variis modis puniebatur, Gell. li. 11. *M. Terentio quādo citatus, neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei vnam ouem multā dico.* Valer. li. 6. *M. Curius conſul, cum ſubitam delectum edicere coactus eſſet, & iuniorum nemo reſpondiſſet, coniectis in ſortem omnibus, Pollię, quæ proxima exierat, primum nomen vrna extractum citari iuſſit, neque eo reſpondente, bona adoleſcentis haſtæ ſubiecit.*

Plebeij magiſtratus.

Cap. LVI. *Plebeij magiſtratus Tributis comitiis fierent.*] De *tributis comitiis* circa finē li. 1. diximus. Idem vero quod hic Liuius & Dionyſius li. 9. tradit, apud quem tamen Πόπλιος Βολέρων legitur pro Ποπλίλιος. Nam *Volero* prænomen, *Publilius* nomen fuit, vt non *Voleronia*, ſed *Publilia* dicenda ſit, in quo, vt Hotomanus de legibus ſentit, plerique decepti ſunt, haud dubie Zaſium intelligens, qui in ſuo Catalogo legum antiquarum eam *Voleroniam* vocauit. Ante hanc autem legem curiatis comitiis plebeios magiſtratus centuriatis, patricios creatos fuiſſe veriſimile eſt. *Plebeij* autem, vt Manutius exponit, dicebantur, qui plebis cauſa, & ex ipſa plebe: Patricij vero, qui patriciorum cauſa & ex patriciis familiis primum erant inſtituti.

Inuentor idem qui auctor.

Eod. *Vt inuentor legis Volero.*] Si Volero erat inuentor legis, cur Lectorius eiuſdem auctor dicitur? cum *auctor* idem ſit, quod *inuentor*, hoc eſt, qui primus aliquid & præcipuum inſtituit. Non male itaque vt Nannius lib. 5. *miſcellaneorum* annotat, Buſlidianus codex pro *auctor*, *actor* habet, hoc eſt, *exercitator* & *executor*. vt Volero laudem habeat inſtitutæ legis, Lectorius de opera ferendæ legis primas obtineat.

Populus & plebs in quo differant.

Eod. *Non populi ſed plebis magiſtratum.*] Quid *plebs* à *populo* differat, tradit Iuſtinian. in titulo de iure nat. gentium, & ciuili. §. Lex eſt. *Plebs autem*, inquiens *à populo eo differt, quo ſpecies à genere. Nam appellatione populi vniuerſi populi ciues ſignificantur, connumeratis etiam patriciis & ſenatoribus: plebis autem appellatione, ſine patriciis & ſenatoribus, ceteri ciues ſignificantur.*

Viatores qui.

Eod *Tribunus viatorē mittit.*] *Viatores* dicebantur, qui magiſtratibus parebant, eo quod plerumque euocabantur ex agris homines ad magiſtratus, & frequens eorum ab agris ad vrbem via erat. Columella in præfatione lib. 1. *Illis temporibus proceres in agris morabantur, et cum conſilium publicum deſiderabatur, à villis arceſſebantur in ſenatū, ex quo qui eos arcerſebant, Viatores nominati ſunt.* Qua de re lege Ciceronem de ſenectute, & Alexandrum ab Alexandro lib. 1. cap. 27. Poſtea *viatorum* nomen ad Tribunorum & Ædilium plebis miniſtros tranſlatum eſt, qui illorum iuſſu, quemlibet prehendebant. Conſulum vero, proconſulum, prætorum & proprætorum miniſtri, *Lictores* dicebantur, ſic dicti à *ligando*, vt ante docuimus.

Cap. LVIII. *Odiſſe plebem plus quam paterno odio.*] Id eſt, plus oderat quā pater eius ante feciſſet. De quo ſupra.

Eod. *Se vnico conſule obiecto.*] Ætiologia indignationis, quæ frigidior & dilutior eſt in verbis iſtis: Si enim ipſe vnicus conſul obiectus ſit, contra tribunitiam poteſtatem, quid miri ſi victa ſit vnius auctoritas deſtituta à ſocio atque collega altero conſule, ac proinde minor cauſa iraſcendi, cum nihil ſubitum & inexpectatum eius animum percellat. Sed ruſus, qui potuerunt patres habere tantum ſpei in impedienda lege, ſi vnum tantum conſulem pro ſe habebant? Tot difficultates ſanantur vnica dictione, quam habet Buſlidianus, vbi pro *obiecto* eſt *electo*, vt ſit ſenſus: Ideo ſe tanta odia in plebem concepiſſe, quod vnice ad id conſul electus, cum ſumma ſpe patrum, vt ipſius viribus & conſtantia reſiſteretur legi, non tamen potuerit ſuſtinere violentiam legis. Nam memor eſt ſui Liuius, qui ſupra dixit: *Patres ad vltimam dimicationem rati rem venturam, Appium Claudium, Appij filium conſulem faciunt.*

Digitized by Google

Duplicarij qui.

Cap. LIX. *Duplicarioſq;.*] Varro *duplicarios* vocat, quib⁹ ob virtutem duplicia cibaria dabantur. Explicantur etiam *duplicarij* in vetuſto Lexico διμοιρῖται annotante Tornebo libro aduerſariorum 21. cap. 28.

Decimatio.

Eod. *Sorte decimus quiſque.*] Antiquiſſimum decimationis exemplum. *Decimari* vero legiones dicuntur, quando ſorte decimus quiſque ſupplicio afficitur ab imperatore. Græci δεκατεύειν dicunt. Polybius ἐκ δεκάδος ἕνα ἐπὶ θανάτῳ, id quod ipſe copioſe & luculenter tractat. lib. 6. Appianus ἐν Παρθικῇ, Brodæus miſcellaneorum lib. 1. cap. 9. Cur vero *decimatio* ſit inſtituta rationem reddit Cicero in Cluentiana. Fuitque hęc vna ex grauiſſimis animaduerſionibus militaribus, vt virgis cædi, venire, fuſte & ſecure percuti, in crucem tolli. Leuioris vero animaduerſionis ſpecies fuere, quæ ignominiam citra detrimentum attulêre, ſtipendio legitimo ſpoliari, haſtam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hybernare, cibum ſtantem capere, foſſam fodere, hordeo paſci pro tritico, ſanguinem mittere. Quarum exempla paſſim apud Liuium occurrunt, & à Sigonio lib. 1. de iure ciuium Romanorum cap. 15. commemorantur.

Militares animaduerſiones.

Cap. LX. *Haud minus quam præmio.*] Hinc eleganter Poëta dixit:

--- *Laudataq; virtus*
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Tributa comitia.

Eod. *Patribus ex concilio ſummouendis.*] Hinc *tributa comitia*, non vere comitia, ſed plebis concilium dictum eſt, quod ad ea non vniuerſus populus vocaretur, ſed plebs tantum, patriciis exceptis. Comitia vero cœtus totius populi fuerunt, quam magiſtratus legitime conuocaſſet, vt aliquid ſuffragio ſuo vel iuberet, vel prohiberet.

Cap. LXI. *Prenſaret homines.*] Id eſt, manibus rogando prehenderet. Ita enim interpretatur Budæus, & recte in prioribus annot. in Pandect.

Cornicines. Vigiliarum ratio apud veteres.

Cap. LXIV. *Cornicines tubicineſq;.*] Antiqui militares vigilias in quaterna horarum ſpacia, diſtinguere, ac diuidere ſolebant, vt ſingulis ſpacijs ternæ comprehenderentur horæ. Tertia quaq; hora ad tubæ vel cornu punctus ſignum vigiles mutabãtur. Lucanus: *Tertia iam vigiles mutauerat hora ſecundos.* Propertius: *Et iã quarta canit venturam buccina lucem.* Tuba vel cornu vbi mutãdi eſſent vigiles cani, ſignumque dari conſueuiſſe, perſpicere etiam licet apud Liuium lib. 7. infra Saluſtium in bello Iugurthino, & Lucanum lib. 3. & 7. A tubicine autem vigiliæ committebantur, & finitis horis à cornicine reuocabantur. Vegetius lib. 3. cap. 8. & Modeſtus in libello de vocabulis rei milit. Cum itaque Quintius cornicines, tubicineſque in equos impoſitos canere ante vallum iubet: vigilias obſeruari vult. Hoc vero ſciendum, vigilias excubiaſque non ab Æquinoctialibus horis, ſed à planetariis temporis menſuram cepiſſe, atque eam ob rem quamquis noctium dierumque modus euariaret, noctis vigiliarumque diſtributionis nihilominus vſum perpetuum certo extitiſſe.

IN III. LIBRVM LIVII.

Antium.

CAp. I. *Antio capto.*] *Antium* vetuſtiſſima Latij ciuitas, ducentis ſexaginta ab Hoſtia ſtadiis diſtans. quæ cum à Cinna poſtmodum & à Mario (vt apud Liuium in quarto ab vrbe condita, legimus) expugnata ſit, ruinæ quędam in littore, & nemoribus, ſuperioribus annis viſæ ſunt tantum. Huius vrbis meminit Strabo & Plinius lib. 3. cap. 5.

Algidus mons. Algida ſylua Regillus lacus.

Cap. II. *In Algidum aduerſus Romam.*] Qui duodecim paſſium millibus ad vrbe diſtat, & à quo quoque ſylua monti ſubiacens, in cuius ingreſſu Regillus lacus erat, *Algida* dicta eſt: in cuius cacumine *Algidum* quoq; oppidum, ex *aeris algore* dictum fuiſſe olim conſtat: quod nunc *Rocca Papa*, ex veteris ſitu deſcriptionis exiſtimatur. Cuius rei teſtis eſt Volaterranus lib. 6. cap. t. Geograph. Meminit quoque Eutropius, vbi ſupra.

Conſules videant, ne quid reſpublica detrimenti capiat.

Cap. IV. *Videret ne quid reſpub. detrimẽti.*] De hac forma Senatuſconſulti vide notata à Budæo in prioribus annotat. ad Pandectas: Senatuſconſultis autem in hanc formam factis, neque prouocatio erat, neque vllum vſquam niſi in cura patendi auxilium. Tunc enim commiſſa Reſpublica conſulibus dicebatur, permiſſaque vt multis teſtimoniis docet ibidem Budæus.

Iuſtitium.

Cap. V. *Iuſtitium per aliquot dies.*] *Iuſtitium* iuris ſtatio eſt, quaſi inhibitio. Quod verbum olim licet publicam iuris ceſſationem ſignificaret, quo tempore lege agi nõ poterat, nec tria verba prętori dicere licebat, *do, dico, addico*, poteſt tamen & priuatam iuris ceſſationem moribus noſtris ſignificare, vt exiſtimat Budæus in prioribus annotationib. Porro vero, tunc *iuſtitium remiſſum* eſſe dicebatur, qua formula Liuius paulo poſt vtitur, cum priſtina facultas tractandarum litium reſtitueretur, auctore eodem.

Iuſtitium remittere.

Cap. VI. *Vt tunc principium anni agebatur.*] Quis dies expulſis regibus magiſtratibus ineundis ſolennis fuerit nullibi ſe reperire potuiſſe fatetur Perionius lib. 3. de magiſtrat. Roma. Vide de hoc mutata ſuperius in principio Chronologiæ Liuianæ, vbi cauſæ diuerſitatis auctorum de annis conſulum exponuntur.

Lapidibus viæ deſignabantur.

Eod. *Tertium lapidem.*] Id eſt, *tertium milliare*. Per *lapides* enim milliaria ſignabat antiquitas. Vnde Martialis canit:

A lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
Ad quartum breue rus emit Otacilius.

Curio maximus.

Cap. VII. *Curio maximus.*] *Curiones* erãt, qui curiis præſidebãt à Romulo inſtituti, curiarumq; ſuffragiis creati de quibus li. 2. in Numa Dionyſius: *His vero omnibus vnus præſidebat, Curio maximus dictus.* cuius auctoritate (vt inquit Feſtus) ceteri curiones regebantur. Hic curiatis comitiis ſemper creatus eſt.

Quinque viri.

Cap. IX. *Quinq; viri creantur legibus de imperio.*] Dionyſ. diligentiſſimus Romanæ hiſtoriæ ſcriptor, non de quinque viris, ſed decemuiris promulgatum fuiſſe ſcribit, vſque poteſtatem non tantum de conſulari imperio leges ferendi, decretum, ſed de omnibus publicis & priuatis rebus, cuius ſententia Zaſio placet, quamuis dubium non ſit, Liuium aliquem ſuæ opinionis auctorem habuiſſe.

Lex Terentilla.

Cap. X. *Lex Terentilla.*] Corrupte *Terentilla* pro *Terentia* legi nonnulli admonent. Meminit autem eius præter Liuium Dionyſ. li. 10.

Duumuiri ſacrorum.

Eod. *Per duumuiros ſacrorum additi.*] Horũ *duumuirorum* frequens eſt mentio apud Liuium, vt hic & li. 4. & lib. 5. De his autem Dionyſ. li. 4. ita ſcribit: *Poſt eiectionẽ autem regum aſſumens ciuitas oraculorum patrocinium, viros etiam illuſtriſſimos eis deſignauit, qui per omnem vitam eam curam haberent, militia & aliis vrbanis muneribus immunes publicaq; apud eos libros depoſuit, ſine quibus non permiſit oracula aſpicere Sibyllina. Romani enim nihil ita cuſtodiunt, neque ſanctũ neque ſacrum quemadmodum Sibyllina diuinitus oracula miſſa. Ea autẽ adeunt ex S. C. ſeditione ciuitatem tenente, aut calamitate magna aliqua bello incidẽte, aut prodigiis aliquibus & terroris magnis.* Ceterũ cum multo tempore duo, ad hoc ipſum ſacerdotium viri tantum creati ſolum eſſent, ac plebs de ſuo corpore conſules creari quoque ambiret, neque ad hoc ipſum ſatis virium eſſet, obtinuit tandem, vt qui duumuiri fieri ſolebant, Decemuiri ſacris faciundis eo iure quo duumuiri crearentur. Quare anno vrbis CCCXCVIII. lege lata à Tribunis plebis C. Licinio & L. Sextio ex duumuiris decemuiri facti ſunt, ſimulque lege cautum, vt pars ex plebe, pars ex patribus fieret, qui decemuiri ſacris faciundis vocati ſunt. Iſque numerus vſque ad tempora Syllæ manſit, qui in ſua dictatura XV. viros conſtituit. De quo plura Onuphrius in lib. Faſtorum de Sibyllis & carminibus Sibyllinis.

Sibyllinorum oraculorum auctoritas apud Romanos.

Decemuiri ſacris faciundis.

Comitiales dies.

Cap. XI. *Per omnes comitiales dies.*] *Comitiales dies* non

ſolum dicuntur ij, in quibus comitia haberi licebat creandis magiſtratibus ſed ij etiam in quibus populus alicuius rei agendæ cauſa conueniebat. Per dies vero comitiales ſenatum haberi non potuiſſe tradit Cicero lib.2.Epiſt.ad Q.fratrem. Plura de his differit Perionius de magiſtratibus Romanorum lib.3.in iis edicendis, & auſpiciorum & dierum religioſorum nefaſtorumque rationem haberi ſolitam, oſtendens.

Cęſones qui?

Eod. *Caſo erat Quintius.*] *Cæſones* appellabant veteres, qui cæſo matris vtero in lucem produſſent, ſicuti *Cæſares*. Vide Solinum cap.4. Alex.lib.1.cap.2.& 9.

Cincinnatus.

Cap. XII. *Cui Cincinnato cognomen erat.*] Apparet nomen à prolixis & intortis capillis natum eſſe, à *κίκι* olei ſpecie, vt quibuſdam videtur. Eos autem dumtaxat capillos ſignificat, qui ita intorti ſunt, vt oleo perfuſi madeſcant, vt teſtis eſt Varro. Vnde Cicero in L.Piſonem. *Erant illi compliciti capilli, & madentes cinnorum fimbriæ.* Vide quoque Alex.ab Alex.lib.2.c.9.

Vadari.

Cap.XIII. *Vadatus eſt reum.*] Id eſt, *pro reo ſeſe obſtrinxit.* Varro li.5.de lingua Latina: *Vas, inquit, dictus eſt, qui pro altero vadimonium promittebat. Inde vadari verbum pro vadimonis obſtringere.*

Transtiberina regio infamis.

Eod. *Aliquandiu trans Tiberim relegatus.*] Transtiberina enim regio extra agrum Romanum, & quidem in eo genere, qui peregrinis habebatur, olim cenſeri ſolita eſt, & Hetruriæ attributa: Quin etiam quod illa vrbis pars infrequentior eſſet, minuſque culta, & à Iudæis ignotis & omnibus inuiſis, humilique & ſordida plebecula tantum incoleretur, fere in ea pleraque viliora, immundiora & ſordidiora fiebant, & adminiſtrabantur, vt annotauit Torneb.cap.43.lib.24. aduerſ.

Quadrans quid?

Cap.XVIII. *Plebes quadranses.*] *Quadranses*, hoc eſt, tres vncias. Ita enim *quadrantem* Priſcianus, Budæus, & Alciatus diuidunt,

Tuſculum.

Cap.XXIV. *Haud procul mœnibus Tuſculi.*] *Tuſculũ* Latij oppidum, à Telegono Vlyſſis & Circes filio conditum, de quo Strabo lib.5. Plinius lib.2.c.98. Volaterranus lib.6.c.1. Huius tamen oppidi veſtigia hodie quoq; videmus ſupra caſtrum Fraſcati, fontemque ex eo Romam manentem.

Gracchus Clulius.

Cap. XXV. *Gracchum Cluilium*] Dionyſius Æquos & Volſcos, Cæſonem Quintium damnatum, & cauſem à plebe ducem, & Imperatorem belli electum autumat, non Gracchum.

Cap.XXVI. *Trans Tiberim.*] Dionyſius ſcribit Cincinnatum damnato iam filio, omnia vendidiſſe, ac ſibi tantum prædium paraſſe trans Tiberim, in quo paucis contentus ſeruis, ruſticam vitam egit, & præ mœrore & paupertate nec vrbem vidit, nec amicos ſalutauit.

L.Quintius Cincinnat. dictator petitur ex agro.

Eod. *Dictatorem eum.*] Notandum hoc loco, Dionyſium lib.10.non ad dictaturam, ſed ad conſulatum, à legatis ex agro vocatum memoriæ prodidiſſe, & ſimili deinde modo (vt eodem lib. ſed longe poſt ſcribit) ad dictaturam petitum ex eodem agro eſſe. Sed quocumque tempore quamcumque etiam ad dignitatem vocatus ſit, ſatis liquet ea tempeſtate virtutem hominibus ornamento fuiſſe, non diuitias, nec eo tempore paupertatem cuiquam dedecori fuiſſe, niſi huic qui eam fortiter ferre non poſſet. Sed nunc, vt Naſo lib. Amorum 3. canit:

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores:
Inde grauis iudex, inde ſeuerus eques.

Corona obſidionalis.

Cap.XXIX. *Coronam auream.*] *Obſidionalem*: quæ tamquam virtutis præferens ſpectatiſſimum inſigne, æſtimatione immẽſa longe præcellere credita eſt hæc enim ex illo fiebat gramine, vbi ciues obſidione eſſent liberati, qua nulla nobilior publica militari lege definitur. Ceteras quippe imperatores aut duces ſingulis militibus tradunt graminea vero, velut multo maximum decus præferens, niſi ab vniuerſo exercitu, ſeruatori ſuo minime concedi poterat. Et hac quidẽ corona Q.Cincinnatus noſter primus omnium donatus fertur. Ita vero hic Liuius intelligendus, vt præter gramineam & auream acceperit, quæ ad honorem triumphi erat. Vide de coronis militaribus diuerſis Plinium lib. 16.c.5.lib. 33.c.2.lib.22.c.2. Gellium li.5.c 6. Blondum lib. 6. Romæ triumph. Alex.ab Alexan.lib.4.c.18. Volater.lib.6. Philol.

Eod. *Ducti ante currum.*] In triompho enim ſemper, tum reges & captiui nobiles, & ſi qui bello capti inſignes eſſent, præcipue hoſtium duces, ex tanto faſtigio deiecti, in vehiculis, ceteri vero catenatim vincti catenis in ſeruitij notam, præcedebant. Vide Blondum lib. 10. Romæ triumph. Alex.ab Alex. lib.6.c.6.

Eod. *Dictatura ſe abdicauit.*] Quam ſex menſes iuxta legem retinere potuiſſet. Depoſuit autem omnem dignitatem, vt inanis gloriæ ſtudium à bonis viris alienum eſſe doceret. Sed quo magis gloriam inanem fugit Cincinnatus, eo magis gloriam & laudem ſibi peperit, iuxta Diogenis dicterium, qui, dum interrogaretur, qua via quis gloriam conſequi poſſet? *gloriam ſi contempſeris*, reſpondit. Hanc autem huius hiſtoriæ partem legas apud Blondum lib.8. Romæ triumph. Alex. ab Alex.lib.3.c.11. Sabel.lib.10.c.2 exempl.

Decemuiri miſſi ad petẽdas leges à Græcis.

Cap.XXXI. *Miſſi legati Athenas.*] Apparet hic Liuium exiſtimare, triumuiros miſſos ad petendas leges à Græcis. Pomponius autem L.1.de origine iuris decemuiros publica auctoritate conſtitutos affirmat. Quam ſententiam veriorem etiam aſſerit Franciſcus Floridus, Sabinus in lib. de iuris ciuilis interpretibus.

Lex Icilia.

Eod. *Modo ne lex Icilia.*] *Icilia lex* vna ex ſacratis legib. fuit, quas ſibi populus abiectus antea & obnoxius, parandi iuris, & conſtituendæ maieſtatis gratia, ſeceſſione in Sacrum montem, vt Liuius & Cicero, ſiue vt Piſo & Saluſtius volunt, in Auentinum facta, parauit. Erant autem hac lege iura populi, & tribunitiæ poteſtatis comprehenſa. Tulit autem hanc legem L. Icilius Tribunus plebis quinque annis ante creatos decemuiros vt tradit Zaſius in Catalogo legum antiquarum.

Solon quis?

Eod. *Inclytas leges Solonis.*] Athenienſium philoſophi ſanctiſſimi, de cuius legibus vide Valerium lib. 5. cap. 3. Plutarchum & Diogenem in eius vita, Gellium lib. 1.cap.11.& lib.11.cap.18. Verum de duodecim tabularum legibus vide Gellium lib. 20. cap 1. Alexand. ab Alexand.lib.6.cap. IX. Pomponium Iuriſconſultum. ff. de origine iuris. Caium l.4. ff. ad l. Aquil. Vlpianum l. 1.ff. de tigno iuncto. Paulum l 1. ff. arbor. furt. Scriptæ autem fuerunt ab Hermodoto Epheſo, cuius ſtatua Romæ fuit in Comitio, vt auctor eſt Plin. lib. 34. cap.5.

Duodecim tabularum LL.

Multorum ingenia pl[us] pollere.

Cap.XXXIV. *Plus pollere multorum ingenia conſiliaq;*] Sic & Heſiodus πλείων ἢ πλειόνων μελέτη, id eſt, *plus poteſt, & plurium induſtria.* Item Homerus Iliados μ ἀλλ' ἐφομαρτεῖτε πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον, id eſt, *Adſitis comites: multorum induſtria namq; plus pollet, quam paucorũ.* Et idem rurſos in Heraclidis: Μιᾶς γὰρ χειρὸς οὐδεὶς μάχη. Eodem pertinet quod dicitur, *Vnus vir, nullus vir.* De quo vide Eraſmum latius in Adagiis.

Coitio quid?

Cap.XXXV. *Deiectiſq; honore per coitionem.*] Ita legendum eſſe, & non *per concionem*, annotauit Cælius lect. antiquar.lib 14.cap.16. Erat autem, eodem interprete *coitio*, conſpiratio ſeu fœderatio, quæ inter candidatos plerumque fiebat.

Cap.XXXVI. *Nec attinuiſſe demi ſecurim.*] Ex hoc loco liquet illis magiſtratibus ſecures cum faſcibus in vrbe præferri ſolitas, qui ſine prouocatione ſummam imperij tenebant, vt pote Dictatori. At Valerius Publicola, vt cum ſeipſum, tum conſulatum ex formidoloſo placidum & gratum multitudini redderet, ſecures faſcibus dempſit, & cum ſolis faſcibus ad populum concionatus eſt. Vnde manſit in poſterum, vt cum duodecim faſcibus totidem lictores ſine ſecuribus conſuli præirent.

Apparitores.

Cap.XXXVIII. *Apparitores ad pignora capienda.*] *Accẽſi, præcones, lictores, viatores*, vno nomine *apparitores* vocabatur, ſiue *ſtatores*, quod apparerent & præſto eſſent ad obſequium magiſtratuum. Mittuntur autem hîc apritores ad pignora capienda. Nam vetere Romanorum

Pignora capere.

inſtituto, ſenatoribus, qui, cum in ſenatum venire deberent, non adeſſent, dicta mulcta dicebatur, & antequam hæc ſolueretur, pignora capiebantur. Significat id præter Liuium & Cicero in Philip. cum inquit: *Quis vnquam tanto damno Senatorem coegit? aut quid eſt vltra pignus?* Vendi autem ſolita fuiſſe pignora innuit, idem Cicero in proœmio tertij de Orator. *Me hiſce pignoribus putas poſſe teneri? non tibi illa ſunt cædenda.* Vbi cædere antiquo verbo dixit, pro eo quod eſt *auctione diſtrahere.* Namque *cædere* ſignificabat *conſumere*, vt eſt à Nonio in Commentariis linguæ Latinæ traditum. Porro vero de pignore capiendo, deque mulcta dicenda Senatori, qui è Senatu abeſſet, Marcus Varro, vt apparet ex Gellij li. 14. diſputauit.

Pignus cædere.

Comparare.

Cap. XLI. *Inter ſe decemuiri comparabant.*] *Comparare* hoc loco & alibi ſæpe apud Liuium, pro eo poſitum eſt, quod *deliberare, conſultare, cōponere ſine ſorte.* Nam ſæpe apud eum legitur S. C. factum eſſe, vel patres cenſuiſſe, vt cōſules & Prætores, *vel cōparent inter ſe, vel ſortiantur prouincias.* Vno loco erimus contenti ad id probandum lib. 38. *De prouinciis cum ad ſenatum retuliſſent, patres cenſuerunt, cum in Hiſpania tantum gliſceret bellum, vt iam conſulari & duce & exercitu opus eſſet, Conſules Hiſpaniam citeriorem & Italiam prouincias, aut comparare inter ſe, aut ſortiri.*

Cap. XLIV. *Honeſtum ordinem.*] Erat enim centurio, vt auctor de viris illuſtribus ſcribit. Vxor vero erat Numitoria honeſtiſſima matrona.

Appius Regillanus.

Eod. *Appius amore ardens.*] *Regillanus* cognominatus. Ex Sabinis vero Claudios, ab auctore Appio Clauſo, gentis principe, qui cum multitudine clientum Romam commigrauit dictos ferunt. Ea quia familia multi inſignes nobilitate & honoribus contra furores Tribunitios, pro patribus perpetui defenſores extitêre. Qua de re Volaterranus lib. 14. Alex. ab Alex. li. 1. c. 9.

Appia familia.

Eod. *M. Claudio clienti.*] Hominis confidenti, & ad omne miniſterium parato. Moris autem fuit apud antiquos, vt prouinciales in clientelam ſe darent proceribus Romanis, quos patronos ſibi adoptabant, non tantum publice, ſed etiam priuatim, & hos deinde clientes vocabant. Vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10. & copioſius li. 5. c. 24.

Vindiciæ quid.

Eod. *Neque cederet ſecundum libertatē poſtulantibus vindicias.*] Quo ſenſu *vindiciæ* hîc & apud alios probatos auctores accipiendæ ſint, à multis eruditis viris copioſe demonſtratum eſt. Præ ceteris autem id diligenter annotauit Aſconius, *litem vindiciarum* in hunc modum definiens: *Lis vindiciarum eſt, cum litigatur eadem apud prætorem, cuius incertum eſt quis debeat eſſe poſſeſſor, & ideo,* inquit, *is qui rem tenet, ſatis dat pro prædibus vindiciarum aduerſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua iurgium eſt: rurſus cautione præſtita, ſponſione prouocatur ab aduerſario certa pecunia aut æſtimatione, quā amittat, ni ſua ſit hereditas, de qua contenditur.* Ceterū ſi nulla poſſeſſionis fieret cōtrouerſia, ſolis Sacramentis, nulla vindiciarum quæſtione mota, ſic contendebatur, vt is interim penes quem rei controuerſæ poſſeſſio eſſet, donec ſatis daret auctore Paulo lib. 1. ſent. cap. 21. de quo latius diſſerentem vide Iacobum Ræuardum ad leges 12. tabularum cap. 6. *Vindicias* itaque *ſecundū libertatem cedere* Liuius intellexit decernere, vt interim, dum pater puellæ abſens acceſſitur, dumque ipſa ſui ſtatus quæſtionem patitur, in poſſeſſione ipſa ſui ac libertatis eſſet: vt *vindicias poſtulare ſecundū libertatem,* pro eo quod eſt poſtulare, vt interim libertate potiretur, vt interpretatur Budæus in prioribus annot. in Pandectas. Imo *vindiciarum* nomine nihil aliud intelligi, quam *aſſertionem,* Cælius lib. 17. cap. 28. lectio. antiq. tradit, quæ ſi à ſeruitute ad libertatem foret, *Vindiciæ ſecundum libertatem* dicebantur. Si vero à libertate in ſeruitutem, *vindiciæ ſecundum ſeruitutem* pronunciabantur. A quibus minime diſſimilia vide apud Alex. ab Alex. lib. 6. c. p. 10. Præcipue autem vide notata à Toroebo lib. 13. Aduerſar. cap. 23. vbi varias huius dictionis ſignificationes eſſe oſtendit. Ceterum quia Franciſcus Hotomanus lib. 1 obſeruationum cap. 32. Hermagoreo artificio huc locum Liuij valde obſcurum inſigniter explicuit, ideo eius explicationem aſcribere non pœnitebit. *Puella Virginia, quæ in poteſtate patris abſentis erat, in ſeruitutem petebatur. Cum aſſertores vindicias ſecundum libertatem poſtularent, aduerſarij contradicerent, cauſa ita eſt conſtituta. Intentio. Vindiciæ ſecundum libertatem decernēdæ ſunt. Depulſio, Nō ſunt. Q. An ſint? R. quia nemo idoneus auctor exiſtit, cui addicantur. Nam ſi ſui iuris puella eſſet, & tutores adeſſent, iis decernerentur, darentur etiā patri, ſi adeſſet, atque defēderet. At nemo pro ea, quæ in patris manu ſit iuſtus eſt auctor præter patrē. F. At lex indefinite ſcripta eſt, neq; inter filiamfamilias aut matremfamilias diſtinguit. D. An lex ita demum vindicias, ſecundum libertatē decerni iubeat, ſi quis idoneus auctor exiſtat, cui addicantur. Hoc enim Appij verba ſatis alioqui obſcura ſignificare videntur. In his inquit, quæ aſſerātur in libertatē, quia quiuis lege agere poſſit, id iuris eſſe, in ea, quæ in patris manu ſit, neminē eſſe alium, cui dominus poſſeſſione cedat. Quaſi diceret, filiæfamilias non aſſeruntur in libertatē, ſed petuntur filiæ l. 1. ff. de rei vind. Præterea non quiuis poteſt lege agere pro filiafamilias, ſed ſolus pater. Is autem abeſt, quare nemo exiſtit, cui vindiciæ ſecundum libertatem attribuātur. quod ne cui abſurdius videatur, Vlpiani locum aſcribam ex L. Pomponius 40. ff. de procuratoribus. vbi ſic ait: Pomponius ſcribit, non omnes actiones per procuratores quem poſſe inſtituere. Denique vt liberi, qui in poteſtate abſentis dicuntur, ducantur, interdictum non poſſe deſiderare ait, niſi, vt Iulianus ait, cauſa cognita, id eſt, ſi ei nominatim ei mandatum ſit, & pater valetudine, vel alia iuſta cauſa impediatur.*

Vindicias dare ſecundum legem quid?

Conditionem filiæ quærere.

Cap. XLV. *Conditionem filiæ quærendam eſſe.*] Innuit fore vt ſponſalia dirimantur cum Virginia, ſi pater ſuperſederit à vindiciis ſecundum libertatem. Quoniam ſponſam quæ ad ſeruitutem recidat, non ſit ducturus, proindeque illi alteram conditionem quærendam. Paulus ſiquidem l. 1. ff. de diuortiis, ſcriptum reliquit: *Dirimitur matrimoniū diuortio, morte, captiuitate, vel alia contingente ſeruitute.* Plura de hac phraſi vide apud Cælium lect. antiquarum lib. 17. cap. 29. Vtitur eadem & Lampridius in Heliogabalo, ſed in obſcœna & inhoneſta ſignificatione, *Roma* (inquiens) *nihil aliud egit, niſi vt emiſſarios haberet, qui ei bene naſatos perquirerent, vt eorum conditionibus frui poſſet.* Vbi quid *conditiones quærere,* ſic Egnatius explicat.

Appij Claudij decretum contra Virginij filiam.

Cap. XLVI. *Vindicarique puellam pateretur.*] Id eſt, dari puellæ ſecundum libertatem vindicias, hoc eſt, aſſeri interim in libertatem, & in poſſeſſione libertatis eſſe vſque in poſterum diem, vt Budæus in prioribus annotationibus exponit.

Cap. XLVII. *Decreſſe vindicias ſecundum ſeruitutem.*] Id eſt, filiam Virginij in ſeruitutem abducendam. Verba vero decreti Appiani apud Dionyſium hæc ſunt: *Ego ne quid temere feciſſe viderer, expectandum duxi parumper, dū res aliquo modo componeretur. Ceterum cum nihil, vt video, illis conuenit, teſtor ego & decerno, Marcum Claudium libertum puellæ eſſe dominum. quibus dictis, vt mācipium abducere puellam iuſſit, datis duodecim lictoribus, vt comitarentur, ne quam vim formidaret.*

Cloacina.

Cap. XLVIII. *Prope Cloacinæ ad portus.*] *Cloacinam* deā T. Tatius rex cōſecrauit, cuius ſimulacrum (vt Lactantius ſcribit) in cloaca repertum. Giraldus hiſtoriæ deorum ſyntagmate 1. melius *Cluacina* legi exiſtimat, vt *Venus* intelligatur. *Cluacina* enim *Venus* à Romanis culta ſic dicta eſt, vt Plinius lib. 15. ſcribit, quod *cluere* antiqui *pugnare* dicebant. Quippe ita traditur, myrtea verbena Romanos, Sabinoſque, cum propter raptas Virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis pacificatos, in eo loco qui nunc ſigna Veneris Cluacinæ habet.

Cluacina. Cluere pugnare.

Eod. *Pectus deinde puellæ transfigit.*] Pudicitiæ conſeruandæ memorabile exemplum Virginius, qui pudicæ filiæ interemptor potius, quam corruptæ pater eſſe voluit. Eſt autem miſerandum hic ſpectaculum edi-

Tabernæ Laneæ.

tum ad tabernas Laneas, quibus poſtea Nouis nomen fuit. Quem deinde longe poſt Sempronius, cum Publij Africani ædem emit, & Baſilicam, quam Semproniam vocant, eodem loco prope S. Gregorij templum in Velabro conſtruxit.

Tribuni portus periclitantiū.

Cap. LIII. *Ante decemuiros creatos auxilium plebi fuerunt.*] Hinc Plutarchus in Problematis auctor eſt, moribus Romanorum conſtitutum fuiſſe, ne domus tribunorum noctu clauderentur, ſed interdiu noctuque auxilio eorum indigenti paterent, quaſi portus quidam & præſidium periclitantium. Maiores enim Tribunum eſſe voluerunt, tamquam aram omnibus acceſſibilem, proinde eos quidem honore ſacroſanctos eſſe voluerunt, nec ſine inexpiabili ſcelere violabiles.

Cōtrouerſum ius.

Cap. LV. *Cum veluti in controuerſo iure eſſet.*] Cur controuerſum fuerit Liuius non exponit, ſed Dionyſius ſubobſcure ſignificat, quia cum lege centuriatis comitiis lata, populus omnis teneretur. Tributis vero comitiis latam plebeij tantum ſeruarent, plebs eandem conditionem in vtriſque legib. eſſe volebat, vt quemadmodum centuriatis comitiis, vbi plus patricij pollent, latas leges plebeij obſeruarent, item e contra, quod tributis comitiis ſancitum eſſet, in quibus plebeij patriciis ſuffragio præſtabant, patricij tenerentur. prout Manutius in lib. de legibus Romanis hoc annotauit. Ceterum hanc legem de plebeſcitis non eſſe obſeruatam, argumento eſt lex Hortenſij. Nam *cum plebs Romana*, vt inquit Florus, *propter æs alienum graueſque atque longas ſeditiones ad vltimum ſeceſſiſſet in Ianiculum, atque ob eam rem in magno timore eſſent patres, creatus dictator L. Hortenſius, plebem inde deduxit, legemque tulit, vt omnes Quirites plebiſcita non minus ac reliquæ leges tenerent.* Gellius lib. 15. cap. 25. Plinius lib. 16. cap. 10. Quib. aſtipulatur Iuſtinianus in §. plebiſcitum, Inſtit. de iure nat. gentiū & ciuili. Sed & plebiſcita lege Hortenſia non minus valere quam leges cœperunt. Et Pompeius in l. 2. ff. de origine iuris. Quin & P. Philo conſul anno vrbis CCXVI. à collega T. Æmilio Mamerco aduerſus rebellantes Latinos Dictator creatus, inter ceteras leges quas plebi ſecundiſſimas, nobilitati aduerſas tulit, vt plebiſcita omnes Quirites tenerent, conſtituit infra lib. 8.

Lex Hortenſia.

Plebiſcitis omnes Quirites tenebātur.

Libera.

Eod. *Liberi Liberæque.*] Arnob. lib. 5. *Liberam* eandem eſſe cum Cerere & Proſerpina tradit. Nec diſſentit Cicero in ſexta Verrina, cum inquit, *raptam eſſe liberam, quam eandem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore, qui locus quod in media eſt inſula ſitus, Vmbilicus Siciliæ nominatur.*

Ennenſium nemus vmbilicus Siciliæ.

Sacroſancti magiſtratus.

Eod. *tribunos ſacroſanctos eſſe.*] Quod ſine capitali piaculo attingi non poterant, vt idem Liuius lib. 9. infra teſtatur. *Tum Poſthumius interea: Dedite*, inquit, *prophanos nos, quos ſaluæ religione poteſtis. dedetis deinde et iſtos ſacroſanctos, cum magiſtratu abierint.* Hinc *ſacroſancta poteſtas* Liuio lib. 19. pro *Tribunitia*, & *ſacroſanctæ Eccleſiæ* à Iuſtiniano dictæ in quibus eſt ius aſyli. Vide Budæum in prioribus annot. ad Pand.

Sacrum Ioui.

Eod. *Ioui ſacrum eſſet.*] Antiqui *ſacros* homines ſic vocabant, quaſi *execrandos & deteſtandos*. Vnde *ſacra fames* Virgilio & *ſacer atque inteſtabilis* Horatio. E duodecim tabulis ſumptum vocabulum, quod more Gallorum Seruius tranſlatitium eſſe ait. Nam cum Maſſilienſes peſte laborarent, vnus ſe ex egentibus offerre ſolebat annum integrum alendum publicis cibis & purioribus, poſtea verbenis veſtibuſque ſacris ornatus circumducebatur per vrbem cum execrationibus. præcabantur enim, vt in eum omnia mala ciuitatis incumberent & inciderent, ſicque proiiciebatur. De quo plura Budæus.

Eod. *Eiſdem auſpiciis.*] Id Liuius in initio lib. 7. docet, nimirum centuriatis comitiis creari ſolitos. Meſſala apud Gellium lib. 15. cap. 14. Cicero in Oratione pro lege Manilia.

Conſules iudices.

Eod. *Iudicem enim conſulem appellari.*] Cicero etiam libro 3. de legibus eundem aliquando fuiſſe, *prætorem, iudicem & conſulē* his verbis docet: *Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, iudicando & conſulendo prætores, iudices, conſules appellantor.* M. quoque Varro conſules aliquādo *iudices* appellatos fuiſſe. lib. 5. de lingua Latina docet. Quo vero tempore primum *cōſules* appellari cœperint, incertum, eſſe exiſtimat Onuphrius. *Prætores* vero primo, mox *iudices*, deinde *conſules* appellatos clare explicauit Cicero, cum dixit, *iique præeundo, iudicando, conſulendo, prætores, iudices, conſules appellantur.* Porro vero ideo *prætores* dictos eſſe ſciendum eſt, quod vt Varro lib. 2. de vita populi Rom. ſcribit, *præeſſent populo. Conſules* vero quod *conſulerent Senatum*. Caſſiodorus *conſulem* dictum ſcribit à *conſulendo*, id eſt, *prouidendo*, quod vt in lib. de legibus docet Cicero, *Reipub. conſuleret*, vel vt lib. 14. de verborum origine Varro ſcribit, *conſulere populum et Senatum deberet*. Aut, vt Attius ait, quod *à ciuibus conſuleretur.*

Conſules vnde dicti. Prætores vnde.

Senatusconſulta ab ædilibus ſeruata fuiſſe.

Eod. *In ædem Cereris ad ædiles plebis.*] Dio extrema pagina lib. 4. munus hoc inter ædiles & Tribunos communicat, ab hiſque imperante Auguſto tranſlatum ad quæſtores ait. Penes quos manſit demum perpetuo ætate Cæſarum eorum cuſtodiendorum cura. At mutata illa conſuetudine in intimo ærario reponebantur, vt ex Tacito colligere licet.

Vltio diuina lenta.

Cap. LVI. *Etſi ſeras non leues tamen.*] *Diuina enim vltio lento pede ad vindictam ſui procedit, ſed tarditatem grauitate pœnæ compenſat*, vt non minus pie quam eleganter Valerius Max. dixit, & Tibullus quoque de periuris ſcripſit:

Ah miſer, etſi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Qui verſus ex Hom. Il. δ ſumpti ſunt:

εἴπερ γὰρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσι.

Quod ſi continuo Deus haud periuria plectit,
At tamen id tandem faciet, quo maxima pœna
In caput auctoris, ſociam natoſque redundet.

De ſera autem numinis vindicta vide prouerbia: *Sero Iupiter diphtheram inſpexit.* Item, *Sero molunt deorū molæ*, & Plutarch. in Commentario, cui titulus περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων. Et huc quoque pertinet Homericum illud ex Iliados χ.

Νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀπέτισε: quo vtimur, vbi qui diu multa patrauit impune, tandem in extremum malum addicitur, ſemelque dependit ſuperiora flagitia.

Appius in carcere a ſe ædificato, periit. Appij Claudij mors.

Cap. LVII. *In carcerem eſt coniectus.*] Quem ipſe ſemper Appius Romanæ plebis domicilium vocare ſolitus erat, teſte Sabellico lib. 10. cap. 4. Ethnic. exēpl. Ædificauit autem Appius Claudius illum ipſum carcerem eo in loco, vbi hodie S. Nicolai templum eſt, in quo deinde iudicij reus ſibi mortem conſciuit, teſte Marli. lib. 4. cap. 1. Sed alij Tribunorum iuſſu occiſum affirmarunt, genere mortis incerto, ita tamen vt immoderatæ libidinis, & falſi quoque iudicij condignas pœnas dederit.

Leges in æs incidi ſolita.

Eod. *In æs inciſas.*] Priſcos illos Græcos & Latinos, leges, fœdera, reſque magni omnino momenti in æreis tabulis inſculpiſſe docet præter alios Ouid. lib. 1. Metamorph. cum inquit:

——*Nec verba minantia fixo*
Ære ligabantur. Per *verba minantia*, leges ſupplicia minantes, intelligens. Et Tzetzes, αἱ κύρβεις ἦσαν, τὸ μὲν γὰρ τοὺς περὶ θυσιῶν, ἦσαν δὲ χαλκαῖ. ὑψηλαὶ ἦσαν ξύλων. Cui aſtipulatur Dionyſius ἐπικυρώσαντες δὲ καὶ τῷ δήμῳ τοὺς νόμους, στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτούς. Sic & Cicero: *Et leges in ære aliquaſ ſicta ſunt.* Pomponius Iuriſconſ. publica auctoritate ait placuiſſe decem conſtitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, quas in tabulis eburneis proſcriptas pro roſtris compoſuerunt, vt poſſent apertius percipi. Id quod Liuio repugnat. Cui tamen Plato in Minōë ſubſcribi. Ceterum ſunt qui Pomponio adhærentes, libros illos eburneos *elephantinos* à Flauio Vopiſco in Tacito appellari cre-

Elephantini libri.

dant, non quod illis temporibus tales eſſent, ſed quod olim fuiſſent, licet quam plurimi ab operis magnitudine, quaſi elephanti proceritate, nomen inueniſſe teſtentur. Nec ſolum in æreis tabulis inciſæ erant, ſed & parietibus affixæ, vnde Ouidius dixit *fixo ære ligabantur.* & ſeruus apud Plautum conquerens non reddi mutuum, ac de legum & bonorum morum contemptu tragicam querelam extruens:

Mores (inquit) *leges produxerunt iam in poteſtatē ſuā.*
Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clauis ferreis.

Supplicationes quid?

Cap. LXIII. *Supplicationes decreuit.*] *Supplicationes* erāt, cum aut ex collatione aut certe de bonis damnatorum ſacrificaretur, vnde & *ſupplicia* dicūtur, Iſidorus in ſexto. & meminit Feſtus: *Supplicationes quæ ſunt de bonis paſſorū ſupplicia.* Saluſtius. *In ſuppliciis deorum magnifici.* Iſidorus li. 5 *Supplicium*, inquit, *proprie dicitur non qui quoquo modo punitur, ſed ita damnatur, vt bona eius conſecrentur, & in publicum redigantur. nam ſupplicia dicebātur ſupplicamenta. Et ſupplicium dicitur de cuius damnatione delibatur aliquid Deo; vnde et ſupplicare.*

Trebonia lex.

Cap. LXV. *Dum decē tribunos plebis faceres.*] Nam Duilia lex de tribunis nuſquam numerum præfinierat, tantum, vt relinquerentur, ſanciebat, & ab iis qui creati eſſent, cooptari collegas iubebat. Suſtulit igitur Trebonia lex cooptationem. Nam cum iuſſerit, ab eo qui comitia Tribunis creandis haberet, omnes plane tribunos qui X. omnino erant, creari: nunquam partem tribunorum creari, reliquos autem ab iis, qui creati eſſent, cooptari velint, quod cum M. Duilius tribunus plebis feciſſet, recteque factum, neque contra legem ab ipſo latam defenderet, anno inſequenti Trebonius ne in poſterum fieret lege cauit. Nec aliam legem intelligit Liuius li. 4. cum ait, *Ante omnia refellit falſum imaginis titulum, paucis ante annis lege cautū, ne tribunis collegā cooptare liceat.* Hæc enim verba nihil aliud ſignificant, niſi id quod hic ſcripſit, *vt qui plebem Romana*, &c. Prout ſentit, Manutius lib. de legibus Romanis.

Cap. LXX. *Quod ſaluberrimum id adminiſtratione.*] Alludit ad illud Homericum Iliados 2. quod ipſum in prouerbium abiit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
Multos imperitare malum eſt, rex vnicus eſto.

Nam his verbis Vlyſſes milites tumultuantes, (in quibus erat & Therſites) compeſcit. Eum Homeri verſiculum vſurpauit Dion, cum videret Heraclidem moliri factionem, auctor Æmilius Probus. Hinc Xenophon: *Vt oculi, manus, pedes, ideo bini conditi ſunt, vt coniunctis ſe adiuuent, non impediant: ſic decet fratres, & collegas animos, conſilia & actiones conferre. Et vt orbes cæleſtes miris anfractibus ſibi mutuo cedunt, vt ſuam harmoniā & concordiam hoc quaſi obſequio tueantur: ſic principes & gubernatores collegas decet cedendo, ferendo, et placide contra nitendo, & concordiam retinere, & curſum prudenter & honeſte ſuſceptum abſoluere.*

Eod. *Haud ſurdis auribus.*] Id eſt non fruſtra vel inaniter. Sic Virgilius in Bucolicis: *Non canimus ſurdis: reſpondent omnia ſyluæ.* Et Terentius in Heaut. *Næ ille haud ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.* Vide Eraſmum in Adagiis: *Surdo canis.*

Cap. LXXI. *Iudices in ſuam rem litem vertendo*] *Litem in rem ſuam vertere*, dixit pro eo, quod eſt *rem inter duos cōtrouerſam adiudicare ſibi*, quod eſt cum iudex ita cum litigantibus agit, vt e iure ſuo cedant: Budæus in prioribus annotat. in Pandectas. Quod deinde ſequitur *quadruplatoru* nomē, eo intelligitur delatorum genus, qui ex eo quæſtu ſeſe tolerabant, vt ea perſequerētur, quorum ex legibus quadrupli erat actio, quorum crebra mentio apud antiquos. De quo licet dubium non ſit, locum tamen Taciti luculentum, qui ad eius vocis explicationem pertinet, aſcribam. *Cōtra M. Lepidus quartam accuſatoribus ſecundum neceſſitudinem legis, cetera liberis conceſſit.* Igitur ab illa quarta, quam lex accuſatori pro præmio tribuebat, nomen quadruplatores inuenere. Torneb. lib. 3. aduerſ. cap. 9.

Litem in rem ſuam vertere.

Quadruplator.

IN LIBRVM IIII. OBSERVATIONES.

Connubia patriciorū & plebeiorum vetita.

CAp. I. *Certaminari ſanguinem ſuum patres.*] In duodecim tabulis ſcriptum fuiſſe, ne patriciis cum plebeiis connubium eſſet, præter Liuium docet Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. Eo vero conſilio à decemuiris id factum eſſe videtur, ne per nuptias reconciliati, iidem animis contra decemuiros, qui deponere imperium nolebant, pro libertate conſentirent, vt Manutius in libro de legibus Romanis exiſtimat. At Zaſius in Catalogo legum antiquarum, idcirco id à decemuiris, qui omnes patricij erant, conſtitutum putat, quod more maiorum nemo plebeius auſpicia habebat, quippe ea ſolis patriciis Romulus dederat, auctore Cicerone de diuinatione. Et propterea futurum erat, ſi connubia non dirimentur, vt incerta prole auſpicia turbarentur.

Sacra familiam ſequebantur.

Cap. II. *Quorum ſacrorum ſit.*] Familiam enim ſacra ſequebantur, ac magna omnino cura, ab eadem conſeruabantur. Hinc apud Poëtam Æneas ex capta vrbe fugiens patrem ita alloquitur:

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque penates.
Et paulo poſt: ---*Teucroſque penates.*
Commendo ſociis, & curua valle recondo.

Seruius in illum Æneidos XII. verſum:

Sacra deoſq; dabo. Sed & ſepulchrorum iura ſequebantur ſacra, familiam & hæredem. Cicero lib. 2. de legibus: *Iam tanta religio eſt ſepulchrorum, vt extra ſacra & gentem inferri fas eſſe negent.* L. familiaria, & L. ſeq. L. Si quis fuerit, de relig. & ſumpt. fun. Cicer. li. 1. de Officiis diſſerēs de gradibus humanæ ſocietatis: *Magnum enim eſt habere eadē monumēta maiorū, iiſdē vti ſacris, ſepulchra habere communia.* Verum in re tam religioſa pontificio iure ciuili miſcentes Iureconſulti ingenioſi eſſe non dubitarunt. Inuentæ ſunt enim rationes, quibus pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur, interimereturq; ſacra.

Cicero lib. 2. de Legibus, & pro Murena deridens Iureconſultos.

Cap. VII. *In linteis libris.*] *Lintei libri* erant in quibus imperij Rom. facta continebantur, vt tradit Gyraldus hiſtoriæ deorum ſynt. 3.

Lintei libri

Cap. VIII. *Vt morum diſciplinæq; Romanæ.*] Cenſura enim, vt apud Plutarchum in P. Æmilio legimus, maximę omnium magiſtratuum reuerentiæ erat, plurimęque poteſtatis, tum in aliis rebus, tum maxime ad morum emendationem. è Senatu quippe mouere indignos poterant Cenſores, equitibus auferre equos, notare infamia, cenſum agere, luſtrum condere. De quorum auctoritate, dignitate & officio, præter Liuium, leges Feneſtellam cap. 8. Pomponium Lætum cap. 22. De Rom. mag. Varronem lib. 2. de agricul. Ciceronem lib. 2. & 3. de legib. Plutarchum in Paulo Æmilio. Aſconium Pædianum in actione prima in Verrem. Gell. lib. 7. cap. 22. & lib. 4. cap. 12. Blondum lib. 3. de Roma triumph. Budæum in annotat. ad Pandectas. Omnia vero Onuphrius in commentariis Faſtorum cumulauit, quem qui ea cognoſcere volet, adire poteſt.

Cenſuræ auctoritas.

Cap. XI. *Coloni eo præſidij cauſa.*] Duo ciuium Rom. qui extra vrbem habitarent, genera fuerunt, *municipes & coloni.* Quales vtrique fuerint Gell. lib. 15. cap. 13. docet. *Municipes*, inquiens, *ſunt ciues Rom. ex municipiis ſuo iure, & legibus ſuis viuentes, muneris tantum cum pop. Rom. honorarij participes, à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus neque vlla pop. Rom. lege adſtricti, cum nunquam populus eorum fundus factus eſſet. Sed coloniarum alia neceſſitudo erat, non enim veniunt extrinſecus in ciuitatem, nec ſuis radicibus nituntur, vt municipia, ſed ex ciuitate quaſi propagatæ ſunt, & iura inſtitutaque omnia populi Rom. non ſui arbitrij habent. Coloniarum itaque conditio*, vt idem Gell. inquit,

Coloni qui?

Municipes qui?

inquit, *licet magis quam municipiorũ obnoxia & minus libera eſſet, potior tamen & præſtabilior exiſtimabatur propter amplitudinem maieſtatemq́; pop. Rom. cuius coloniæ quaſi effigies paruæ erant, et ſimul quia obſcura oblirerataque erant municipiorum iura.* Triumuiri coloniis deducendis. Deducendarum vero coloniarũ mos à Romulo inſtitutus frequentiſſimus apud Romanos fuit. Nam hoſtibus laceſſentibus victis agrique & regionis parte mulctatis, in agris de eis captis, quo imperium Rom. ſtabilirent, vel nouas vrbes condebant, vel in antiquitus conditas, veteribus incolis ex iis pulſis, nouos ea vrbe ciues per III. viros ad id creatos eo deducebant, quotquot agro capto colendo ſufficere poſſent, quem nouis colonis diuidebant. Hi ſtatim in coloniam deducti nouam adminiſtrandæ reip. rationem Rom. more conſtituebant. Nam vt Romæ erat populus & ſenatus, ſic hi nouos colonos in decuriones & plebem diuidebant. Decuriones Senatus, plebs populi Romani imaginem referebant. Ea decurionibus ſingulis annis duo vel quatuor viri creabantur iuxta coloniæ magnitudinem vel paruitatem, qui *Duumuiri* vel IIII. *I. D.* id eſt, *iuri dicundo* vocabantur. Hi conſulum Romanorum ſpeciem repræſentabant. creabantur inſuper ædiles qui viarum, ædificiorum publicorum, annonæ & locandorum tituum publicorum: item quæſtor qui ærarij publici curam habebat. Atque hi erant præcipui coloniæ magiſtratus, in ceteris omnibus more, legibus & inſtitutis Romanis viuebant. Coloniæ ciuitatis Romanorum. Harum coloniarum duo genera erant, vt tradit Aſconius, quędam ciuium Romanorum, & quædam Latinæ: coloniæ ciuium Romanorum, præter ſacra omnia iura habebant, quæ ciues Romani obtinebant. Coloniæ vero Latinæ erant, quæ ius Latij haberent, de quo infra dicturi ſumus. Quia vero crebra coloniarum mentio apud Liuium fit, & earum cognitio non parum ad imperij Romani magnitudinem maieſtatemque intelligendam confert, ideo omnium coloniarum ſeriem ex Onuphrij Panuinij ſcriptis collectam aſcribere in gratiam lectoris libuit.

1. *Colonia Cænina Aboriginum.*

Prima omnium colonia à Romulo facta eſt bello primo Sabino, *Cænina*, Gręci generis non ignobilis vrbs. Trecenti eo deducti ciues coloni fuerunt, anno ab vrbe condita 4. Dionyſius libr. 2.

2. *Colonia Antennæ Aboriginum.*

Hoc eodem anno quo Cænina bello primo Sabino finito, colonia à Romulo deducta fuit, vrbs fuerat Gręcorum Aboriginum, qui ſiculos expulerant, quemadmodum Cænina, trecenti eo etiam ciues coloni deducti anno vrbis conditæ 4. Dionyſius lib. 2.

3. *Colonia Cruſtumerium Albanorum.*

Cruſtumerium quæ antea colonia Albanorum fuerat eodem bello victa à Romulo, Romana colonia facta fuit, anno vrbis 4. Dionyſ. lib. 2. & 3.

4. *Colonia Medullia Latinorum.*

Medullia aliæque vrbes Latinæ audita Romuli virtute ſe ipſæ ei tradidere, ſuntque hæ coloniæ Romanæ factæ anno vrbis 5. Dionyſ. lib. 2. & li. 3. *Medullia* olim Colonia à Romulo deducta ad ſuos defecit ſub Tullio Hoſtilio rege.

5. *Colonia .....*

Ex Dionyſio. Cum Medullia deducta anno vrbis 5.

6. *Colonia Cameria Albanorum.*

Romulus & Tatius reges quum bello Camerinos viciſſent, *Cameriam*, quæ colonia Albanorum fuerat coloniam Romanam deduxerunt anno vrbis conditę 5.

7. *Colonia Fidenæ Albanorum.*

Romulus Fidenatibos inſigni prœlio ſuperatis, vrbeque eorum capta *Fidenas* coloniam Romanam fecit Idibus Aprilis, anno vrbis 13. duobus millibus & quingentis colonis eo deductis. Hæc vrbs olim Albanorum colonia fuerat, deducta à maximo natu ex tribus fratribus Albanis, quorum alter Cruſtumeriam, alter Nomentum colonias fecerant, Dionyſius lib. 2. & Plutarchus. Liuius vero lib. 4. à Cornelio Coſſo. T. Quinctio primo Coſſ. anno vrbis 326. *Fidenis colonorum additus numerus, agerq́; iis bello interemptorũ aſſignatus.* Biennio vero poſt noui coloni à Fidentibus occiſi vrbi excidium attulerunt.

8. *Colonia Oſtia.*

Anco Marcio rege ſilua Meſia Veientibus adempta, vſque ad mare imperium prolatum, & in ore Tiberis *Oſtia* colonia condita Dionyſ. li. 1. & 3. Liuius li. 1. Item li. 27. *Eadem die bi populi in Senatum venerunt, Oſtienſis, Alſienſis, Antias, Minturnenſis, Sinueſſanus, & à ſupero mari Senenſis. Quum vacationes ſuas quiſque populus recitaret, nullius quum in Italia hoſtis eſſet præter Antiatem Oſtienſemq́; vacatio obſeruata eſt, et earũ coloniarum iuniores iureiurando adacti ſupra quadraginta non pernoctaturos ſe eſſe extra mœnia ſuæ coloniæ, donec hoſtis in Italia eſſet*, Itẽ l. 36. *Senatus decreuit vacationem rei naualis his colonis non eſſe. Oſtia & Fregena, & Caſtrum nouum, & Pyrgi, Antium, Tarracina, Minturnæ et Sinueſſa fuerunt.* Florus ex Liuio li. 79. *Oſtiam coloniam Marius expugnauit et crudeliter diripuit.* De hac quoque colonia mentionem faciunt, Eutropius lib. 1. Plinius lib. 3.

9. *Colonia Latina Signia.*

Superbus Tarquinius colonias deduxit *Signiam & Circeos*, illam caſu dum milites caſtris hybernis retinet, Circeos ductus loci opportunitate. In qua Titum, in illa Sextum filios præfecit. Dionyſ. li. 4. & Liuius lib. 1. *Tarquinius Superbus rex Signiam Circeosq́; colonos miſit, præmiſit præſidia vrbi futura terra marique.* & lib. 2. App. Claudio & P. Seruilio Coſſ. anno vrbis 259. *Signia colonia quã rex Tarquinius deduxerat ſuppleto numero colonorum iterum deducta eſt.* Sext. Iulius Frontinus in lib. de Coloniis, *Signia muro ducta colonia à militibus & III. viris muniſa iter populo non debetur. Ager eius militibus Auguſteis in nominib. eſt adſignatus.* Hęc vna ex XXX. coloniis bello Punico ſecundo populo Romano fidelibus fuit. *Quum enim XXX. tum eſſent coloniæ populi Romani, XII. ex his negauerunt eſſe vnde milites pecuniamque darent, XVIII. vero coloniæ milites ex formula paratos eſſe, & ſi pluribus opus eſſet, plures daturos, & quidquid aliud imperaret velletque populus Romanus enixe facturos pollicitæ ſunt. Ne nunc quidem poſt tot ſecula ſileantur fraudenturq́; laude ſua. Signini fuère & Norbani, Saticulani, Brunduſini, Fregellani, Lucerini, Venuſini, Adriani, Firmani, & Ariminenſes, et ab altero mari Pontiani, Pæſtani & Coſſani, & Mediterranei, Beneuentani, Æſernini, Spoletani, Placẽtini, & Cremonenſes. Harum coloniarum ſubſidio tum imperium pop. Rom. ſtetit.* ita Liuius li. 27. De hac colonia Strabo li. 5.

10. *Colonia Circeij.*

Huius coloniæ præter ſupra citata auctorum loca, meminerunt Cicero lib. 3. de Natura deorum. *Circen* (inquit) *coloni noſtri Circeienſes religione colunt*, Dionyſius li. 8. vbi Coriolani cauſis Romani facta contra Romanos deſcribit. Item Liuius li. 2. 27. & 29. & Plutarch. in Coriolano. Hæ autem ſunt ſub regibus deductæ coloniæ.

11. *Colonia Ecetra.*

App. Claudio & P. Seruilio Coſſ. anno vrbis 259. Volſcis à Seruilio victis in agrum de eis captum, *Ecetram* colonos miſſos fuiſſe tradit libr. 6. Dionyſius. quos quum Aurunci pellere voluiſſent, bellum Romanum in ſe conuerterunt.

12. *Colonia Velitræ.*

Bello Volſco anno ſequenti poſtquam Ecetræ colonia facta fuerat, A. Virginio, T. Vetuſio Coſſ. *Volſcis deuictis, Veliternus ager eſt adeptus, Velitras coloni ab vrbe miſſi, & colonia deducta.* Ita Liuius li. 11. Idem T. Geganio & P. Minutio Coſſ. *Velitris auxere numerum colonorum Romani.* & Dion li. 7. viris creatis Velitras Volſcorum vrbem. Frõtinus de coloniis. *Velitra oppidum lege Sempronia fuerat deductum. Postea Claudius Cæſar agrum eius limitibus Augusteis conſitũ, militibus eum adſignari iuſſit.*

13. *Colonia Norba.*

T. Geganio & Publio Minutio Coſſ. anno vrbis 262. *Norbam* in montes nouam coloniam, quę arx in Pomptino eſſet miſerunt, & Dionyſius lib. 7. *Norbam deducta colonia Latinorum vrbẽ non incelebrem.* & Liuius iterum li. 7. *Priuernates etiam Norbam atque Setiam finitimas colonias Romanas incurſione ſubita depopulati ſunt.* idem de ea lib. 27. ſcribit.

14. *Colonia Ciuium Romanorum Antium.*

Liuius lib. 3. Ti. Æmilio 2. & Q. Fabio Coſſ. anno vrbis CCXXCVI. *Antium coloniam deduxêre* III. *viri T. Quintius, A. Virginius & P. Furius.* idem ano. CCXC. A. Poſthumio Albo, Sp. Forio Coſſ. *Colonia Antium ſuſpecta ad Æquos tranſiſſe.* & lib. 8. L. Furio Camillo, C. Menio Coſſ. anno CDXVI. *Antium noua colonia miſſa, cum eo vt Antiatibus permitteretur, ſi & ipſi aſcribi coloni vellent. Naues inde longe abacta, interdictumque mari Antiati populo eſt, & ciuitas data.* Hæc omnium prima ex Latina ciuium Romanorum colonia facta eſt, Frontinus. *Antium populus deduxit, iter populo non debetur. Ager eius in lacineis eſt aſſignatus.* Tranquillus in Nerone cap. 9. *Antium coloniam deduxit aſcriptis veteranis è prætorio, additiſque per domicilij tranſlationem ditiſſimis primipilariũ, vbi & portũ operis ſumptuoſiſſimi fecit.* Hoc an. vrb. DCCCIIII. Nerone 4. & Coſſo Cornelio, Coſſ. factũ fuiſſe tradit li. 15. Tacitus, vbi ita eo anno ait: *Veterani Terentium & Antium aſcripti.* Plinius li. 3. c. 4. *In Latio,* inquit, *quondam Aphrodiſium, nunc Antium colonia.* Florus ex Liuio in Epitoma lib. XXC. *C. Marius Antium, Ariciam & Lauinium deuaſtauit colonias.* De ipſa colonia Liuius libris 26. & 36. meminit.

Colonia 15. *Vitellia.*

Quo potiſſimum anno colonia in Æquos deducta fuerit *Vitellia*, ab auctoribus non traditur, ego eam domitis Æquis præſidij cauſa circa annom vrbis CCXCV. factam fuiſſe opinor, quo tempore aliquot deuictis Æquis triumphi primum acti ſunt. Huius coloniæ, Liuius li. 5. L. Lucretio Flauo, & Ser. Sulpicio Camerino anno vrbis 361. ita meminit: *Vitelliam coloniam Romanam in agro ſuo Æqui expugnant.* *Vitelliam* etiam coloniam Tranquillus in Vitellio cap. 1. commemorat.

Colonia 16. *Latina Ardea.*

M. Fabio Vibulano, Poſthumo Ebutio Cornicine Coſſ. anno vrbis 312. *S.C. factum, vt quoniam ciuitas Ardeatium inteſtino tumultu redacta ad paucos eſſet coloni eo præſidij cauſa aduerſus Volſcos ſcriberentur. Hoc palam relatum in tabulas vt plebem tribunoſque falleret, iudicij reſcindendi conſilium initum. Conſenſerant autem vt multo maiore parte Rutulorum colonorum quam Romanorum ſcripta, nec ager vllus divideretur, niſi is qui interceptus iudicio infami erat, nec vlli prius Romano ibi quam omnibus Rutulis diuiſus eſſet. gleba vlla agri aſſignaretur. Sic ager ad Ardeates redit. Triumuiri ad coloniam Ardeam deducendam creati, Agrippa Menenius, & Titus Clœlius Siculus, M. Ebutius Elua.* ita Liuius lib. 4. Frontinus de colonijs, *Ardea oppidum Imp. Hadrianus cenſuit. Iter populo non debetur ager eius in Lacineis eſt adſignatus.* Liuius li. 27. Q. Fabio Max. V. Q. Fuluio Flacco 4. Coſſ. 30. inquit, *tunc coloniæ pop. Rom. erant. Ex his duodecim quum omnium legationes Romæ eſſent, negauerũt conſulibus eſſe vnde milites pecuniamq́; darent. Hæ fuere, Ardea, Nepet, Sutriũ, Circeij, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna.* Eaſdem li. 30. Liuius *colonias Latinas* vocat, quas ob id punitas fuiſſe refert acerbiore delectu & cenſu, tributoque ſtipendij nomine indicto.

Colonia 17. *Lauici.*

Liuius li. 4. ann. vrbis 336. *Senatus frequens cenſuit coloniam Lauicos deducendam, coloni ab vrbe mille & quingẽti miſſi bina iugera acceperũt. Lauici* oppidum in Latio Prę neſte verſus erat, à qoo *via Lauicana*, quod Cicero pro Plãco *municipium* vocat. Hæ vero ſunt colonię omnes populi Romani deductæ poſt reges exactos, ante vrbem à Gallis Senonibus captam 120. annorum interoallo, quas vt opinor Sex. Pompeius *priſcas Latinas colonias* vocat, vt diſtinguerentur à *nouis*, quæ poſtea à populo deductę ſuut.

Colonia 18. *Satricum.*

Liuius li. 6. ann. vrbis 370. *Largiter voluntarius repente ſenatus factus Sutricum coloniam duo millia ciuium Romanorum deduci iuſſit. Bina iugera & ſemiſſes agri aſſignati.* Hæc colonia in Latio fuit, vt idem Liuius tradit.

Colonia 19. *Latina Sutrium alias Iulia Sutrina.*

Paterculus li. 1. *Poſt ſeptem annos quam Galli vrbem ceperunt* (is fuit annus vrbis 371.) *Sutrium deducta colonia eſt & poſt annum Setia.* Feſtus *Sutrium* municipium ſui iuris vocat. Frontinus: *Colonia Sutrium ab oppidanis eſt deducta ante limites,* &c. Plinius li. 3. c. 5. in regiooe 7. *Tuſcia colonia Ruſellana, Senenſis, Sutrina,* de hac colonia Liuius libris 17. & 19.

Colonia 20. *Latina Setia, alias Setina.*

Hæc Velleio auctore anno poſt Sotriom colonia facta eſt, Frontinus. *Setia muro ducta colonia triumuirali lege eſt munita, iter populo debetur P. 35. Ager eius in abſoluto ex occupatione a militibus tenebatur.* De hac Liuius lib. 7. 27. & 29. mentionem facit.

Colonia 21. *Latina Nepet.*

Paterculus li. 1. *Poſt ſeptem annos quam Galli vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia eſt, & poſt annum Setia, nouemq́; interiectis annis Nepet.* Is igitor fuit annus vrbis CCCXXCI. Frootinus de Coloniis. *Colonia Nepenſis alias Nepis eadem lege ſeruatur, qua & ager Faliſcorum. Nepet* igitur legendum eſſe ex Priſciano liquet. hãc coloniam Liuios lib. 25. & 19. commemorat, & Feſtus *municipium ſui iuris* eſſe refert.

Colonia 22. *Latina Cales Auſonum*

Liuius li. 8. *M. Valerio Coruo* IIII. *& M. Atilio Regulo Coſſ. deſignati retulerunt de colonia Cales deducenda, factóq; S.C. vt duo millia quingenti homines eo ſcriberẽtur,* III. *viros coloniæ deducendæ agroque diuidundo creauerunt, K. Duilium, T. Quintium. & M. Fabium.* Paterculus lib. 1. *Sp. Poſtumio, Veturio Caluino Coſſ. Cales deducta colonia.* de ea Liuius libris 27. & 29. ſcribit. Hanc coloniam Cicero in Rullum *municipium* vocat.

Colonia 23. *Anxur Tarracinæ.*

Liuius lib. 8. L. Æmilio Mamercino, C. Plaotio Deciano Coſſ. anno vrbis conditæ CDXXV. *Anxur trecenti in coloniam miſſi ſunt. Bina iugera agri acceperunt.* Paterculus li. 1. *In ſequentibus conſulibus, Sp. Poſthumio et Philone Publilio cẽſoribus Acerranis data ciuitas, et poſt triennium Tarracinas deducta colonia.* De eadem Lioius libris 26. 27.

Colonia 24. Fregellæ Volſcorum.

Liuius lib. 8. P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula, Coſſ. anno vrbis cdxxvi. *Fregellas, Signiorum is ager, deinde Volſcorum fuerat, colonia deducta.* De eadem Liuius lib. 27. & 29. meminit.

Colonia 25. Luceria Samnitium.

Liuius li. 9. M. Petelio Libone, C. Sulpicio Longo 3. Coſſ. *Luceriam colonia deducta, duo millia & quingenti coloni miſſi.* Erat annus vrbis is 440. Patereulus lib. 1. eam decennio ante deductam fuiſſe ſcribit ſic: *Poſt triennium Tarracinas deducta colonia, interpoſito quadriennio Luceria.* Fuit is annus vrbis cdxxix. Plinius li. 3. cap. 2. *Dauniorum præter ſupra dicta colonia Luceria Venuſia.* Polyb. lib. 3. de bello Punico ſecundo. *Hannibal Dauniam populatur, & in ea coloniam Romanam Luceriam.* de eadem Liuius lib. 27. 29.

Colonia 26. Latina Sueſſa Aurunca.

Liuius li. 9. L. Papirio Curſore V. & C. Iunio Bubulco 2. Coſſ. anno cdxli. *Sueſſa & Pontia coloniæ deductæ ſunt, Sueſſa Auruncorũ fuerat.* Paterculus li. 1. *Ac deinde interiecto triennio Sueſſa Aurunca & Saticula:* Frontinus: *Sueſſa quæ & Aurunca dicitur, muro ducta, lege Sempronia eſt deducta. Iter populo nõ debetur, ager eius pro parte limitibus intercæſiuis & in lacineis eſt adſignatus.* Plinius li. 3. c. 1. in regione prima Italiæ ex deſcriptione Auguſti *Colonia Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum.* Hanc coloniam Cicero in Rullum *municipium* vocat. De hac Liuius lib. 27. & 29.

Colonia 27. Saticula.

Paterculus li. 1. *Interpoſito quadrienno Luceria, ac deinde interiecto triennio Sueſſa, Aurũca & Saticula anno vrbis* cdxli. Sex Pompeius..... *in Sati* ..... *In Samnio captũ eſt quo* (poſtea coloniam) *eam deduxerunt* iii. *viri M. Valerius Coruus, Iunius Scæua, P. Fuluius Lõgus ex S.C. Kal. Ianuarius L. Papyrio Curſore, C. Iunio* ii. Coſſ. de eadem Liuius lib. 27. & 29.

Colonia 28. Pontia.

Hæc eodem anno quo Sueſſa, auctore Liuio, colonia deducta eſt. Qui ita ait, *Sueſſa & Pontia coloniæ deductæ ſunt. Volſci Pontias inſulam ſitam in conſpectu litoris ſui incoluerunt.* De eadem meminit lib. 27.

Colonia 29. Latina Interamna.

Paterculus li. 1. *Interiecto triennio Sueſſa Aurunca et Saticula, Interamnaque poſt biennium,* Liuius li. 10. *Interamnam & Caſſinum vt deducerentur coloniæ, S.C. factum eſt. Sed triumuiros creauere, ac miſere colonorum quatuor millia in ſequentes conſules M. Valerius, P. Decius* cdlxii. idem lib. 10. *L. Poſthumio Megello, M. Attilio Regulo Coſſ. Sãnites Interamnã coloniam Romanã, quæ via Latina eſt occupare conati.* Fuit enim & aliud oppidum *Interamna* in Vmbria. De eadem Liuius lib. 27. & 29.

Colonia 30. Caſſinum.

Eodem anno quo Interamnæ deducta colonia fuit *Caſſinum* vt tradit Liuius, quam Cicero pro Plancio *municipium* vocat.

Colonia 31. L. Sora.

Liuius li. 10. L. Genucio, Ser. Cornelio Coſſ. anno vrb. cdli. *Soram atque Albam coloniæ deductæ. Sora agri Volſci fuerat, ſed poſſederant Samnites, eo quatuor millia hominum miſſa.* Paterculus li. 1. *Decem deinde hoc munere anni vacauerũt. Tũc Sora atque Alba deducta colonia.* Frõtinus de coloniis. *Sora muro ducta colonia, deducta iuſſu Cæſaris Auguſti, iter populo debetur pedum 15. Ager eius limitibus Auguſteis veteranis eſt adſignatus.* Plin. li. 3. c. 5. *Regio ea à Tiberi primi Italiæ ſeruatur ex inſcriptione Auguſti, intus coloniæ Capua, Aquinũ, Sueſſa, Venafrum, Sora, Theanũ.* De eadem Liuius lib. 27. & 29. *Soram* Cicero pro Plancio *municipium* nominat.

Colonia 32. L. Alba.

Liuius lib. 10. *Sora & Alba coloniæ deductæ. Alba in Æquos ſex millia colonorum ſcripta.* Florus ex Liuio in Epitoma lib. 72. *Æſernia et Alba coloniæ ab Italicis obſeſſa ſunt.* de eadem Liuius libris 27. & 29.

Colonia 33. L. Carſeoli.

Liuius lib. 10. M. Liuio Dentre, Q. Æmilio Coſſ. anno vrbis cdlii. *Marſorum agrum vi tueri, in quem colonia Carſeoli deducta erat, quatuor millibus hominum ſcriptis.* Velleius libro primo. *Sora atque Alba deductæ Coloniæ, & Carſeoli poſt biennium.* De eadem Liuius libris 27. & 29.

Colonia 34. L. Narnia, Nequinum.

Liuius lib. 10. M. Fuluio Pætino, & T. Manlio Torquato, Coſſ. anno vrbis cdlv. *Nequinum in deditionem populi Romani venit, colonia eo aduerſus Vmbros miſſa à Flumine Narnia appellata.* Plutarchus in T. Quintio, *Colonias deduxit ante Conſulatum Narniam et Conſam.* De eadem lib. 27. 29.

Colonia 35. Sinueſſa.

Liuius li. 10. *Tum de præſidio regionis depopulatæ à Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit vt duæ coloniæ circa Veſtinum et Falernum agrũ deducerentur. Vna ad Oſtium Lyris fluuij quæ Minturnæ appellatæ, altera in ſaltu Veſtino Falernum contingente agrũ, vbi Synope dicitur Græca vrbs fuiſſe: Sinueſſa deinde ab colonis Romanis appellata. Tribunis plebis negotium datum eſt, vt plebiſcito iuberetur, P. Sempronius prætor Triumuiros in ea loca colonis deducẽdis creare. Nec qui nomina darent facile inueniebantur, quia in ſtationem ſe prope perpetuam infeſtæ regionis, non in agros mittirebantur.* Hoc autem Ap. Claudio ii. & L. Volumnio ii. Coſſ. factum eſt anno vrbis cdlviii. Eas vero non niſi anno ſequenti deductas his verbis refert Velleius. *At Fabio quintum et Decio Mure* iiii. *Coſſ. quo anno Pyrrhus regnare cœpit. Sinueſſam Minturnaſque miſſi coloni.* De colonia Sinueſſâ, Liuius lib. 27. 29.

Colonia 36. Minturnæ,

Hæc Liuio & Velleio auctoribus, eodem anno quo Sinueſſa colonia deducta eſt. De qua ſic ſcribit Frontinº: *Minturnæ muro ducta colonia, deducta à C. Cæſare. Iter populo non debetur, eius ager pro parte in iugeribus eſt adſignatus, ceterũ in abſoluto relictus.* Plin. li. 3. *Colonia Minturnæ Lyri amne diuiſa, Glanico appellato. Oppidũ Sinueſſa extremum in adiecto Latio.* De hac colonia Cicero pro Planco, Dionyſius lib. 1. Liuius 27. 29. Ptolemæus mentionem faciunt.

Colonia 37. Venuſia.

Paterculus li. 1. *Sinueſſam Minturnaſque colonias miſſi poſt quæ triennium Venuſiã anno vrbis* cdlxiii. Liuius lib. 31. P. Sulpicio Galba 2. C. Aurelio Cotta Coſſ. anno vrbis dliiii. *Triumuiri creati ad ſupplendum Venuſinis colonorum numerum, quod bello Hannibalis attenuatæ vires eius coloniæ eſſent: C. Terentius Varro, T. Quintius Flamininus, P. Cornelius, Cn. F. Scipio. Hi colonos Venuſiã adſcripſerunt.* Plin li. 3. c. 11. *Dauniorum præter ſupra dictas colonias Venuſia.* De eadem Liuius lib. 27.

Colonia 38. Sena.

Florus ex Liuio: *Coloniæ deductæ ſunt Caſtrum, Sena, Hadria,* anno cdlxv. Hoc ego magis factum fuiſſe anno vrbis cdlxxi. quo Senonibus à P. Dolabella ad internecionem cæſis, hæ in eorumdem agris coloniæ ductæ ſunt. Hanc autem in Senonum agro ſupero mari

adiacente deductam fuiſſe ſic ex Liuio lib.27. intelligitur, C. Claudio Nerone, M. Liuio Salinatore II. Coſſ. *Colonos maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebãt nullius obſeruata. Oſtienſis, Alſienſis, Antias, Anxuras, Minturnenſes, Sinueſſanus, et à ſupero mari Senenſis.* De colonia *Senenſi* mentionem facit Tacitus lib.21.

Colonia 39. Hadria.

Hæc eodem anno quo Sena deducta colonia fuit auctore Liuio, de qua idem etiam meminit, lib.27.

Colonia 40. Coſſa, alias Conſa.

Paterculus lib.1. *Coſſam vt Pæſtum Fabio Dorſone & Claudio Canina anno vrbis* CDXXCI. *coloniæ deductæ ſunt.* Florus ex Liuio in Epitoma lib.14. *Coloniæ deductæ ſunt Poſſidonia et Conſa.* Plin. li.3. c.5. *In regione* VII. *Etruria ab eo tractu Vmbria portuſque Telamon, Coſſa Volſienſium à populo Romano deducta.* victi enim aliquot annis ante fuerant Volſienſes & Vulſinienſes à Tit. Coruncanio, de quibus etiam triumphauit. Liuius lib.33. L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello Coſſ. *Coſſanis poſtulãtibus, vt ſibi colonorũ numerus augeretur, mille aſcribi iuſſi, dum ne quis in eorum numero eſſet qui poſt L. Cornelium & Ti. Sempronium Coſſ. hoſtis fuiſſet.* Plutarchus in Tit. Quintio refert, eum adoleſcentem, & *Narniã* & *Coſſam* colonias deduxiſſe. *Coſſam* Cicero in Verrem *municipium* vocat. De eadem Liuius lib.27. Hæc noſtra ætate *Orbetellum* dicitur.

Colonia 41. Pæſtus, alias Poſſidonia.

Pæſtus quæ & *Poſſidonia* dicta eſt, eodem anno quo Coſſa colonia deducta fuit, vt ex Velleio & Liuio videmus. De ea etiam ita ſcribit Liuius lib.27. *Et ab altero mari Pontiani, Pæſtani et Coſſani.* Strabo li.5. *Picentes ex Hadria Romani colonos in Poſſidoniatem ſinum deduxère, vrbs Poſſidonia Pæſtus dicta eſt, in medio ſinu collocata ab Sybaritis, quos Lucani, Lucanos Romani expulere. Inſalubris vrbs ob amnem in paludes diffuſum.*

Colonia 42. Ariminum.

Florus ex Liuio li.15. *Coloniæ deductæ Ariminum in Piceno, Beneuentum in Samnio,* Paterculus lib.1. P. Sempronio Sopho, & Appio Cæci F. Coſſ. anno CDXXCI. *Ariminum & Beneuentum coloni miſſi.* Strabo li.5. *Ariminum Vmbrorum colonia vt Rauenna vtraq; Romanos habet inquilinos.* Plin. li.3. c.15. *Octaua regio determinatur, Arimino, Pado, Apennino. In ora fluuius Cruſtuminum, Ariminum colonia cum Amnibus, Arimino & Aprnſa: Fluuius hinc Rubicon quondam finis Italiæ.* Eutropius li.2. P. Sẽpronio Sopho & App. Claudio Coſſ. *Conditæ à Romanis ciuitates Ariminum in Gallia, Beneuentum in Samnio.* De eadem colonia Cicero pro Cęcinna. Liuius libro 27. & 29.

Colonia 43. Beneuentum Concordia.

Hæc colonia eo anno quo Ariminum Liuio, Velleio & Eutropio auctoribus deducta eſt. De qua ſic ſcribit Frontinus in lib. de Coloniis: *Beneuentum muro ducta colonia Concordia, dicta. deduxit Nero Claudius Cæſar. Iter populo non debetur. Ager eius lege IIX. virali veteranis eſt adſignatus.* *Caudinum,* alias Caudium, *oppidum muro ductum iter populo debetur pedum L. à Cæſare Auguſto colonia Beneuentana cum territorio ſuo eſt adiudicatum. Ager eius veteranis fuerat adſignatus, poſtea menſuratus limitibus & cenſitus.* Sext. Pompeius: *Beneuentum,* inquit, *colonia quum deduceretur appellari cœptum eſt, melioris ominis cauſæ. Namque eam vrbem antea Græci incolentes Maleuentum appellarunt.* Et Plin. li.3. c.11. *Cætera intus in ſecũda regione Hirpinorum colonia vna Beneuentum auſpicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleuentum.* Polybius lib.3. *Hannibal Beneuentum coloniam diripuit,* De eadem Liuius lib.27.

Colonia 44. Firmum.

Hæc eodem anno quo Caſtrum Velleio auctore in initio primi belli Punici deducta colonia eſt. De qua Liuius lib.27.

Colonia 45. Caſtrum nouum.

Florus ex Liuio in Epitoma lib.11. coloniæ deductę, *Caſtrum, Sena, Hadria.* Hoc autem factum eſt, anno vrbis CDLXV. Paterculus lib.1. longe poſt deductam ſcribit, ait enim: *Initio primi belli Punici Firmum & Caſtrũ colonis occupata,* is annus vrbis fuit CDXXCIX. Liuius lib.36. *Senatus decreuit vacationem rei naualis non eſſe colonis maritimis, Oſtia, Fregena, Caſtrum nouum, Pyrgi.* Velleij vt approbem ſententiam potius quam Liuij, facit, quod Tuſci nondum victi erant vt in his coloniæ adhuc deducerentur.

Colonia 46. Æſernia.

Velleius lib.1. *Initio belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata, & poſt annum Æſernia,* ergo anno vrbis CDXCI. Florus ex Liuio lib.16. Colonia Æſernia deducta eſt. Frontinus de coloniis *Æſernia colonia deducta lege Iulia, iter populo debetur pedum X. ager eius limitibus Auguſteis eſt adſignatus,* Florus in Epitoma lib.72. *Æſernia vt Alba coloniæ ab Italicis obſeſſa ſunt.* Idem li.73. *Æſernia colonia cum M. Marcello in poteſtatem Samnitium venit.* De eadem Liuius lib.27.

Colonia 47. Alſium.

Paterculus li.1. *Poſt XXII. annos Æſulum & Alſium colonis occupata ſunt.* Liuius lib.27. *Colonis maritimis vacatio obſeruata non eſt, Oſtienſis, Alſienſis, Antias, Anxuras, Minturnenſis, Sinueſſanus, & Senenſis.*

Colonia 48. Æſulum.

Hęc auctore Velleio eodem anno, quo Alſium colonia deducta eſt, fuit is annus vrbis conditæ DVII.

Colonia 49. Fregena.

Florus ex Liuio in Epitoma li.19. *Coloniæ deductæ ſunt Fregenæ in agro Salentino Brunduſium.* Paterculus lib.1. *Fregenas poſt biennium colonia deducta eſt.* Liuius lib.36. *Senatus decreuit colonias maritimas vacationem rei naualis non habere, Oſtia, Fregena, Caſtrum nouum, Pyrgi.*

Colonia 50. Brunduſium.

Paterculus. *Fregena poſt biẽnium proximoque anno Torquato Sempronioque Coſſ. Brunduſium.* ann. vrbis DX. Florus, *Coloniæ deductæ ſunt Fregenæ & in agro Sallentino Brunduſium.* De eadem Liuius lib.27. & 29.

Colonia 51. Spoletum.

Florus in Epitoma li.20. *Vmbris victis Spoletium colonia deducta eſt.* Paterculus li.1. *Brunduſium, & poſt triennium Spoletium colonia deducta ſunt. Quo anno Floralium ludorum factum eſt initium.* Liuius li.22. *Hannibal interim recto itinere per Vmbriam vſque ad Spoletiũ venit, inde repulſus, coniectans ex vnius coloniæ viribus quanta moles Romanæ vrbis eſſet.* Et Cicero pro Balbo: *Spoletinus, T. Macrinus, vnus ex his quos C. Marius ciuitate donaſſet, dixit cauſã ex colonia Latina in primis firma et illuſtri:* Et paulo poſt: *Sed cũ lege Apuleia coloniæ nõ eſſent deductæ, qua lege Saturninus, C. Mario tulerat, vt in ſingulas colonias ternos ciues Romanos facere poſſit.* De eadem Liuius lib.27.

Colonia 52. Valentia.

Paterculus Torquato Sempronioque Coſſ. *Brunduſium & poſt triennium Spoletiũ, poſtquam bienniũ deducta Valentia.* anno vrbis DXV. Liuius lib.35. de eiuſdem coloniæ reſtitutione (vt puto loquens) ita ait, L. Quintio Cn. Domitio Coſſ. anno vrbis DLXVII. *Vibonem colonia deducta eſt, ex S.C. plebiſq; ſcito, tria millia et ſeptingẽti pedites ierunt CCC. equites. III. viri deduxerũt eos, Q. Næuius M.*

Minutius, M. Furius Craſſipes: quinα dena iugera agri data in ſingulos pedites ſunt, duplex equitibus Bratiorum proximè fuerat ager. Bruty ceperant de Gracis. Strabo lib. 6. *Poſt Conſentiam Hipponium eſt Locrorum ædificium quod Bratiis eripuere Romani, & Vibonem Valentiam appellauere.*

Colonia 53. Latina Placentia.

Q. Aſconius Pedianus in Piſonianam. *In annalibus eorum qui Punicum bellum ſecŭdum ſcripſerunt, tradi video Placentiam coloniam deductam prid. Kal. Ianuary Ti. Sēpronio Longo, & Publio Cornelio Scipione patre Africani Coſſ. Primo anno eius belli, vrbis* DXXXVI. *Sex millia hominū noui coloni deducti ſunt. In quibus equites deducēdi ſuis cauſa, vt opponerentur Gallis, qui eam partem Italia tenebant, deduxerant tres viri P. Cornelius Aſina, P. Papirius Maſo, & Cneius Pompeius,* alias Cn. Cornelius Scipio. Eamque coloniam 53. deductam eſſe inuenimus. Deducta autem Latina. Florus li. 20. in Epitoma. *Colonia deducta ſunt in agro, de Gallis capto, Placentia et Cremona.* Paterculus li. 1. *Sub aduentu in Italiam Hannibalis Cremona atque Placentia deducta colonia.* Polyb. lib. 3. ſic ſcribit, P. Scipione, T. Sempronio Coſſ. *Cremonā trans Padum & Placentiam citra Padum, deduxere C. Lutatius vir conſularis aliique duo pratory* III. *viri quos Boy fugarunt et Mutinam compulere deducta ſunt ſex millia ciuium, intra trigeſimum diem adeſſe iuſſa,* Plut. In Hannibale: *Romani Placentiam Cremonamque colonos deduxêre.* Plin. li. 3. c. 15. *In octaua regione Italia colonia Parma et Placentia.* De eadem Liuius lib. 31. & Tacitus lib. 19. mentionem faciunt. Hanc Cicero in Piſonem *municipium*, & Feſtus *municipium ſui iuris* vocant.

Colonia 54. Latina Cremona.

Hæc eodem anno quo Placentia, Polybio, Liuio, Velleio & Plutarcho auctoribus deducta eſt, de qua ſic ſcribit Cornelius Tacitus li. 19. *Hic exitus Cremonā habuit,* ann. CCXXCVI. *à primordio ſui condita erat Ti. Sempronio, et Cornelio Coſſ. ingruente in Italiā Hannibale propugnaculū aduerſus Gallos trans Padum agentes & ſi qua alia vis per Alpes irrueret: Igitur numero colonorū, opportunitate fluminum, vbere agri annexu connubiiſq; gentium adoleuit, floruitque bellis externis intacta, ciuilibus infelix.* Liuius 31. *Galli Placentiā inuaſerāt, & direpta, traiecto Pado ad Cremonā diripiendam pergunt. Vicinæ vrbis audita clades ſpacium colonis dedit ad claudendas portas, duarū coloniarum alteram captā, alteram oppugnari.* Idem li. 33. *Cremonenſiū et Placentinorum colonorum turba, qui pileati ſequebantur Cornelium Cethegum conſulem triumphantem de Gallis Inſubribus & Canomanis.* Et li. 37. *Cremona et Placentia colonia aucta,* Plin. li. 3. c. 19. *In mediterraneo regionis* X. *Colonia, Cremona, Brixia, Canomanorum agro, Venetorum, Ateſte.* Ptolemæus li. 3. c. 1. *Canomanorum qui ſub Venetia ſunt ciuitates, Cremona colonia.*

Colonia 55. Puteoli Ciuium Romanorum.

Liuius li. 34. P. Africano maiore II. & T. Sempronio Coſſ. anno DLX. *Colonia ciuium Romanorum deducta ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum, triceni homines in ſingulas.* Paterculus lib. 1. *Eodem temporum tractu, quamquam apud quoſdam ambigitur, Puteolos Salernumque atque Buxentum miſſi coloni.* Ruſum Liuius li. 34. *Puteolos Salernumque & Buxentum adſcripti coloni, qui nomina dederant quum ob id ſe pro ciuibus Romanis ferrent, ſenatus iudicauit non eſſe eos ciues Romanos.* Frontinus. *Puteoli colonia Auguſta: Auguſtus deduxit: Iter vno latere populo debetur, P. 30. Ager eius in iugeribus veteranis, et tribunis legionariis eſt adſignatus.* Feſtus Puteolos vnam ex his præfecturis aliquādo fuiſſe dicit, in quas præfecti populi Romani ſuffragiis creati mittebantur. Tacitus li. 14. *vetus oppidum Puteoli ius colonia, & cognomentum à Nerone adipiſcitur.* Strabo li. 5. *Puteoli Cumanorum emporium bello Hannibalis à Romanis incolis auctum. nomen accepit à puteis vel à putore, antea Dicaarchia dicebatur.*

Colonia 56. Salernum Ciuium Romanorum.

Liuius 34. libro P. Cornelio Scipione Africano 2. Ti. Sempronio Longo Coſſ. anno DLX. *Colonia ciuium Romanorum deducta ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum: triceni homines in ſingulas. Item Salernum Buxentumq; colonia ciuium Romanorum deducta ſunt. Deduxere* III. *viri, Tit. Sempronius Longus qui tum Coſſ. erat, Marcus Seruilius; C. Minutius Thermus: Ager diuiſus eſt qui Campanorum fuerat.* Eadem Plutarchus li. 1. Strabo li. 5. *Romani Salernum cuſtodia gratia munierunt.* De ea & Appianus 1. bellorum ciuilium.

Colonia 57. Buxentum C.R.

Eodem anno quo Puteolos Salernumque & Buxentum colonia deducta, vt Liuius & Paterculus tradunt. De eadem Liuius libro 39. Sp. Poſthumio Albino, Q. Marcio Philippo Coſſ. anno vrbis DLXVIII. *Triumuiri ad colonos ſcribendos Sipontum mari ſupero, Buxentum infero deſertas colonias ab T. Manio Pr. vrbis creati ſunt, L. Scribonius, M. Tuccius, Cn. Babius Tamphilus.*

Colonia 58. Vulturnum C.R.

Hæc cum tribus ſupraſcriptis colonia deducta eſt. De qua Frontinus ſic ſcribit: *Vulturnum muro ducta colonia iuſſu Imper. Caſaris eſt deducta, iter populo debetur pedum XX. Ager eius in nominibus villarum, & poſſeſſorum eſt adſignatus.* Varro li. 4. de lingua Latina: *Nam & colonia noſtra Vulturnum & deus Tiberinus.* Hæc colonia inter eas præfecturas à Feſto refertur, in quas præfecti à populo Romano creati mittebantur.

Colonia 59. Linternum. C.R.

Et hæc cum Vulturno & tribus reliquis eodem anno colonia facta. De qua ita ſcribit Frontinus, *Linternū muro ductum, colonia ab Auguſto deducta, iter populo debetur, P. CXX. Ager eius in iugeribus veteranis eſt adſignatus.* Hæc eodem iure præfectura aliquando fuiſſe à Feſto refertur quo Vulturnum.

Colonia 60. Sipontum. C. R.

Liuius lib. XXXIIII. Scipione Africano II. & Sempronio Longo Coſſ. *Sipontum in agrum qui Hirpinorum fuerat coloniam ciuium Romanorum* III. *viri D. Iunius Brutus, M. Bebius Tamphilus, & M. Heluius deduxerunt.* Hæc eodem Liuio auctore deſerta colonia cum Buxento reſtituta eſt.

Colonia 61. Tempſa. C.R.

Liuius eodem anno quo Sipontum, *Tempſam, item Crotonem ciuium Romanorum colonia deducta ſunt. Tēpſanus ager, de Brutiis captus erat, Brutij Gracos expulerant. Tēpſam L. Cornelius Merula, & C. Salonius deduxerunt.*

Colonia 62. Croton. C. R.

Liuius li. 34. Africano II. & Longo Coſſ. anno DLX. *Tēpſam & Crotonem ciuium Romanorum colonia deducta. Crotonem Graci habebant* III. *viri, Cn. Octauius, L. Æmilius Paulus,* C. *Platorius Crotonem deduxerunt.*

Colonia 63. Pyrgi.

Hæc eodem anno colonia deducta eſt, quo ſuperiores, de qua ſic ſcribit lib. 36. Liuius, P. Scipione Naſica, M. Atilio Glabrione Coſſ. *Senatus decreuit colonias maritimas vacationem rei nauális non habere, Oſtia Fregena, Caſtrum nouum, Pyrgi, Antium, Tarracina, Minturnas Sinueſſaque.*

Colonia 64. Lat. Bononia.

Liuius libr. 37. M. Fuluio Nobiliore & Cn. Manlio Vulſone Coſſ. ann. DLXV. *Ante diem 3. Kal Ianuarias Bononiā Latinam coloniam ex Senatuſconſulto, L. Valerius Flaccus, M. Attilius Seranus, L. Vulteius Tappo* III. *viri deduxerūt. Tria millia hominū ſunt deducta equitib⁹ ſeptuagena iugera, ceteris colonis quinquagena ſunt data. Ager captus de Gallis Boiis fuerat. Galli Tuſcos expulerant.* Paterc. l. 1. Cn. Manlio Vulſone, M. Fuluio Nobiliore Coſſ. *Bononia deducta colonia.* Feſtus, Bononiā *municipium ſui iuris* ap-

pellat: Plinius li.3.cap.15. *In regione 8. quæ determinatur Arimino, Pado, Apennino intus colonia Bononia Felſina vocitata, quum Princeps Etruriæ eſſet Brixillum, Mutina, Parma, Placentia.* Pomponius Mela li.2. cap.2. *Vrbium quæ procul à mari habitantur opulentiſſimæ ſunt ad ſiniſtram Patauium Antenoris, Mutina & Bononia Romanæ coloniæ.*

Colonia 65. Piſaurum.

Liuius lib.39. P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licinio Coſſ. anno DLXX. *coloniæ duæ Pollentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum deductæ ſunt, ſena iugera in ſingulos data diuiſerunt agros colonoſq; deduxerunt iidem III. viri, Q. Fabius Labeo, M. & Q. Fuluii Flaccus et Nobilior.* Paterculus li.1. *Quadriennium poſt Bononiam Piſaurum ac Potentia coloniæ deductæ.* Plutarch. in Antonio: *Prodigia ante bellum Actiacum fuere, Piſaurum vrbem non longe ab Hadria, in qua Antonius colonos deduxerat, hiatu terræ abſorptum periiſſe.*

Colonia 66. Potentia alias Pollentia.

Hæc eodem anno cum Piſauro colonia deducta eſt, vt Liuius & Velleius tradunt.

Colonia 67. Mutina C.R.

Liuius lib.39. Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello, Coſſ. anno DLXI. *Mutina & Parma, coloniæ Romanorum ciuium ſunt deductæ. Bina millia hominum in agro, qui proxime Boiorum & Tuſcorum fuerat: octogena iugera Parmæ quina Mutinæ acceperunt. Deduxerũt III. viri M. Æmilius Lepidus, T. Æbutius, Caius, L. Quintius Criſpinus.* De hac colonia Polybius li. 3. Cicero Philippica 7. Plin. li.3.c.15. & Pomponius Mela li.2.c.2. mentionem faciunt.

Colonia 68. Parma C.R.

Hæc eodem anno quo Mutina colonia facta eſt, vt paulo ante vidimus.

Colonia 69. Saturnia C.R.

Liuius li.39. Q. Labeone, & M. Macello Coſſ. *Saturnia colonia ciuium Romanorum in agrum Caletranum eſt deducta, deduxerũt III. viri Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, T. Semp. Gracchus.* Ptolemęus li. 3 c. 1. *Tuſcorum mediterranea Saturnia colonia.* Hanc coloniam inter eas præfecturas Feſtus enumerat in quas præfecti quotannis à Prętore vrbis mitti ſolebant.

Colonia 70. Latina Aquileia.

Liuius li.39. Q. Labeone & M. Marcello, Coſſ. *Illud agitabãt in ſenatu, vti colonia Aquileia deduceretur, nec ſatis conſtabat, vtrum Latinam an ciuium Romanorum deduci placeret. Poſtremo Latinam potius coloniam deducendam patres cenſuerunt, III. viri creati ſunt, P. Scipio Naſica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus.* Et li. 40. P. Cornelio Cethego M. Bæbio Tãphilo Coſſ. anno vrbis DLXXIII. *Aquileia colonia Latina in agro Gallorum eſt deducta. Tria millia peditum, quinquagena iugera, centuriones centena, cẽtena quadragena equites acceperunt, III. viri deduxerunt, qui ſupra.* Velleius: *interiectoque triennio Aquileia & Grauiſcæ.* Plinius libro 3. cap.18. *In x. regione Italiæ Venetia Natiſo cum Turro. Præfluentes Aquileiam coloniam XII. millia paſſuum à mari ſitam, Carnorum hæc regio.* Strabo lib. 5. & Ptolemæus libr. 3. c. 1. eius coloniæ meminerunt.

Colonia 71. Grauiſca.

Liuius libro 40. P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo Coſſ. *Colonia Grauiſca deducta eſt: in agrum Etruſcum de Tarquinienſibus quondam captum, quina iugera agri data. III. viri deduxerunt C. Calpurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, & Caius Terentius Iſter.* eiuſdem meminit Velleius & Frontinus: *Colonia Grauiſca ab Auguſto deduci iuſſa eſt. nam ager in abſoluto tenebatur. Poſtea Imperator T. Cæſar iugerationis modum ſeruandi cauſa lapidibus immenſis reip. loca adſignauit.*

Colonia 72. Latina Piſæ.

Liuius lib. 40. A. Poſthumio Albino, C. Calpurnio Piſone Coſſ. anno DLXXIIII. *Piſanis agrum pollicentibus quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab Senatu actæ, III. viri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, M. & P. Popilij Lænates.* Ptolemæus li.3. eius coloniæ meminit, Feſtus Piſas *municipium ſui iuris* fuiſſe ſcribit.

Colonia 73. Luca C.R.

Liuius lib. 41. C. Claudio Pulchro. Tit. Sempronio Graccho Coſſ. anno vrbis DLXXVII. *Lucam colonia ∞ ∞ ciuium Roman. ſunt deducta, III. viri deduxerunt Pub. Ælius, L. Ægilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & ſingula iugera, et ſemiſſes agri in ſingulos dati ſunt. De Ligure captus is ager erat, Etruſcorum antequam Ligurum fuerat.* Paterculus, *Et poſt quadriennium Luca colonia deducta.* Plin. li.3.c.5. In regione VII. *Primum Etruriæ oppidum Luca à mari recedens,* quam Feſtus *municipium ſui iuris* vocat.

Colonia 74. Auximum.

Paterculus lib.1. *Auximum miſſi coloni in Picenum ante triennium, quam Caſſius Cenſor à Lupercali in Palatium verſus theatrum facere inſtituit, cui in demoliendo eximia ciuitatis ſeueritas, & Coſ. Capio reſtitere.* Fuit is annus vrbis DXCVII. Sext. Iulio Cæſare, L. Aurelio Oreſte Coss.

Colania 75. Fabrateria.

Paterculus lib. 1. Caſſio Longino, & Sextio Caluino Coſſ. anno vrbis DCXXX. *Fabrateria colonia deducta eſt.* Frontinus de coloniis. *Fabrateria muro ducta, iter populo non debetur. Ager eius iure ordinario eſt dimiſſus.*

Colonia 76. Scylacium.

Paterculus li. 1. Caſſio Longino, & Sextio Caluino Coſſ. DCXXX. *Fabrateria colonia deducta eſt. Et poſt annum Scylacium, Mineruium, Tarentum, Neptunia, Carthagoq; in Africa prima extra Italiam colonia condita eſt. De Dertona ambigitur.*

Calonia 77. Mineruium.

Eodem anno quo Scylacium auctore Velleio deducta colonia, anno vrbis DCXXXI. Q. Cæcilio Metello Balearico, T. Quinctio Flaminio Coſſ.

Colonia 78. Tarentum.

Et hæc cum Scylacio & Mineruio colonia, vt tradit Velleius, deducta eſt. De qua Plutarchus in Gracchis ita ſcribit: *C. Gracchus Tribunus plebis legem promulgauit, vt Tarentũ & Capuam coloniæ deducerentur. Druſus vero eius collega vt XII. fierent, quod Senatus probauit.* Tacitus li. 4. Nerone 4. & Coſſo Cornelio Coſſ. *Veterani Tarentũ & Antium adſcripti. Non enim vt olim vniuerſæ legiones deducebantur cum tribunis & Centurionibus, & ſuis cuiuſque ordinis militibus.* Strabo li. 6. *Tarentum*, inquit, *Romanorum colonia.*

Calania 79. Neptunia.

Cum Scylacio, Mineruio & Tarento colonia deducta eſt, auctore Velleio anno vrbis DCXXXI.

Colonia Iulia Dertona 80.

Et hęc circa hæc tempora, vt tradit Paterculus, colonia facta eſt, de qua Plinius lib.3.c.5. *Ab altero Apennini latere ad Padum amnem Italiæ ditiſſimum, omnia nobilibus oppidis nitent. Liburna, Dertona colonia, Iria. Hæc regio ex deſcriptione Auguſti IX. eſt.*

Colonia 81. Mola.

Anno vrbis DCXXXI. Q. Baleatico, & T. Quinctio Flaminio Coſſ. quo C. Gracchus primum Tribunatum geſſit, XII. vt ait Plutarchus, vel X. vt Appianus lege Druſi tribuni plebis coloniæ factæ, in quarum ſingulas tria millia ciuium deducta, quibus deducendis ipſe præeſſe noluit, ſed alios præfecit. Adijcit Florus ex

Liuio in Epitoma li. 60. *C. Gracchus tribunus plebis continuato in alterum annũ Tribunatu legibus agrariis latis effecit, vt cõplures coloniæ in Italia deducerentur, & vna in ſolo diruta Carthaginis quo idem ipſe III. vir creatus coloniam deduxit.* Idem refert Appianus, li. 1. bellorum ciuilium. Quæ autem fuerint ab auctoribus non produntur. Ego has fuiſſe opinor, *Scylacium, Mineruium, Tarentum, Neptuniã, Dertonam,* quas Velleius ſcribit hoc anno deductas fuiſſe. Item, *Nolam, Ariciam, Lauinium, Abellinum, Ferentinũ, Tarquinios,* & extra Italiam *Carthaginem.* Nã has omnes vrbes paulo poſt colonias fuiſſe legimus, nec quando deductæ fuerint, apparet. Quæ quum ante hæc tẽpora factæ non ſit, reliquum eſt, vt eas hoc anno legibus Sempronia & Liuia deductas dicamus, quarum vna fuit Nola, de qua ſcribit ex Liuio Florus in Epitoma li. 73. *L. Cæſar conſul male aduerſus Samnites pugnauit. Nola colonia in poteſtatem Sãnitium cum L. Poſthumio pr. venit, qui interemptus eſt.* Feſtus Nolam *municipium ſui iuris* fuiſſe tradit. Frontinus de coloniis. *Nola nunc ducta colonia Auguſta: Veſpaſianus Auguſtus deduxit. Iter populo debetur, P. CXX. Ager eius militib⁹ Sullanis fuerat aſſignatus, poſtea intercifiuis mẽſuris colonis, vt familia eſt aſſignatus.* Plin. li. 3. c. 5. *Regio ea à Tiberi prima Italiæ ſeruatur ex deſcriptione Auguſti, intus coloniæ Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora Theanum, Nola, Antiquus lapis.*

Colonia 82. Aricia C. R.

Florus ex Liuio in Epitoma lib. 80. *Marius Antium, Ariciam, Lauiniam colonias deuaſtauit.* Aricia autem ex antiquo municipio colonia facta fuerat.

Colonia 83. Lauinium.

Hæc vt puto vna ex XII. coloniis hoc anno deductis fuit, de qua bello Marſico meminit ex Liuio Florus, libro trigeſimo.

Colonia 84. Abellinum.

Abellinum, inquit Frontinus, *muro ducta colonia lege Sempronia. Iter populo non debetur. Ager eius veteranis eſt aſſignatus.* Velleius lib. 2. de C. Sempronio Graccho loquens: *C. Gracchus tribunatum ingreſſus longe maiora & acriora petens dabat ciuitatem omnibus Italis, extendebat eam pene vſque ad Alpes, diuidebat agros, vetabat quẽquam ciuium plus quingentis iugeribus habere, noua conſtituebat portoria, nouis coloniis replebat, prouincias, iudicia à ſenatu transferebat ad equites, frumentum dare inſtituerat.* Ex quibus verbis intelligo, *Abellinum* & reliquas colonias, quas Frontinus lege Sempronia deductas ſcribit ex his XII. fuiſſe quæ hoc anno ab ipſo, & Druſo tribunis plebis deductæ ſunt.

Colonia 85. Ferentinum.

Frontinus in libro de Coloniis *Ferentinenſis colonia lege Sempronia eſt aſſignata, ſed quod ante militibus centuriatis fuerat aſſignata, poſtea deficientibus veteranis iuxta fidẽ poſſeſſionis eſt recenſita, numeris vncialibus terminis fuit conſtituti.* Liuius l. 34. *Nouum ius eo anno à Ferentinatibus tẽtatũ, vt Latini, qui in coloniam Romanã nomina dediſſent, ciues eſſent Romani.* Sed hic de populis, non de colonia.

Colonia 86. Tarquinij.

Tarquinij colonia lege Sempronia eſt adſignata, eius agri menſura in tri° onouariis locis eſt conſecta. Ita Frontinus de colonia. Hanc coloniam Cicero pro Cæcinna *municipium* appellat.

Colonia 87. Eporedia.

Paterculus li. 1. *Narbo Martius in Gallia, M. Porcio et Q. Martio coſſ. anno vrbis* DCXXXVI. *deducta colonia eſt. Poſt tres & viginti annos in Bagiennis Eporedia.* Martio VI. Valerioq; Flacco coſſ. ann. vrb. DCLIIII. Neq; facile memoriæ mandauerim, quæ niſi militaris colonia poſt hoc tempus deducta ſit. Plin. li. 3. c. 17. in regione II. *Trãſpadana Auguſta pretoria iuxta geminas Alpiũ fauces Graias & Paninas. His Pænos Graiis Herculem tranſiiſſe memorãt. Oppidũ Eporedia Sibyllinis libris à pop. Rom. condi iuſſum. Eporedicas Galli bonos equorum domitores vocant.*

Colonia 88. Alba Pompeia.

Anno ab vrbe condita DCLXIIII. L. Iulio Cæſare, P. Rutilio coſſ. qui primus belli Marſici fuit, quum lege Iulia Latinis, Tuſcis & Vmbris primum anno ipſo, deinde anno ſequenti, Cn. Pompeio Strabone, & Lucio Porcio Catone coſſ. Gallis Ciſpadanis ciuitas data fuiſſet, Tranſpadani indignitati eorum rationem in iure ciuitatis Romanæ habitam non fuiſſe, tumultuati ceperunt. Quibus tumultibus ſedandis à ſenatu cura data eſt Pompeio conſuli. Is Gallis quidẽ Ciſpadanis ciuitate donata, vt tranſpadanos quietaret, eos iure Latij honorauit, aliquotque iam citra quam vltra Padum colonias deduxit. Citra Padum quidem colonias Romanas, vltra vero Latinas eas fecit. In his quæ cis Padum fuerunt, *Alba Pompeia,* vt opinor, colonia fuit ab ipſo vocata, vt *Laus Põpeia* vltra Padum. Neq; enim vllus præterea Pompeius in his regionibus quid geſſiſſe legitur. An colonias vero cis Padum deduxerit, vt veriſimile, ita obſcurum eſt.

Colonia 89. Auguſta Verona.

Pædianus in Piſonianam ita ſcribit, vbi de Placentia loquitur: *Neq; illud dici poteſt ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodum poſt plures aetates, C. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeij Magni Tranſpadanas colonias deduxerat. Põpeius enim non nouis colonis eas conſtituit, ſed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij, vt poſſent habere ius, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id eſt, vt gerendis magiſtratus gratia ciuitatem Romanam adipiſcerentur. Porro duo genera earum coloniarum, quæ à pop. Rom. deductæ ſunt, fuerunt, vt aliæ ciuium Romanorum, aliæ Latinorum eſſent.* Ex his Pædiani verbis illud quod dixi, colligimus, deductis aliquot coloniis, ipſum Tranſpadanis ius Latij ciuitati Romanæ proximum dediſſe, poſtquam ciuitas reliquis Italicis populis (quos enumeraui) data eſſet à ſuperioribus cõſulibus Iulio & Rutilio. Porro autem inter Tranſpadanas Latinas colonias à Pompeio deductas fuiſſe opinor (nullus enim de his aperte, quod ſciam ſcriptor tradit) *Veronam & Ateſte* Venetorum, *Brixiam & Comum* Cænomanorum, *Laudem Pompeij* Inſubrum. Nam Veneti quamquam eos nunquam legamus à Romanis victos vel ſubactos aut triũphatos) ex quo enim in amicitiam & fœdus Romanorum bello Gallico Ciſalpino, auctore Strabone, venerunt, diu in populi Romani amicitia liberè egere, poſtea tamen in conſuetudinem parendi Romanis clementer prouocantibus, & ipſi venerunt, omnibus præſertim circũ finitimis nationibus & gentibus. vt Inſubribus, Cænomanis, Carnis, Iapudibus, Iſtris, & Boiis multis prœliis bello ſuperatis, ac in ditionem pop. Rom. redactis. De his coloniis Tranſpadanis meminit Tranquillus in Cæſare, vbi eas colonias Latinas vocat, ſic: *Decedens ergo ante tẽpus colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes adiit, & ad audendum aliquid concitaſſet, niſi conſules conſcriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipſum retinuiſſent.* Veronam vero vnam ex his coloniis Latinis Tranſpadanis à Pompeio Strabone deductis fuiſſe refert incertus auctor in Panægyrico ad Conſtantinum Imperatorem, ſic: *Pugnaciſſimo præfecto, vt quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus euerteret, ô miſerabile Veronenſium calamitatem,* &c. Tacitus li. 10. *Quæſitum inde quæ ſedes bello legeretur. Verona potior viſa patentibus circum campis ad pugnam equeſtrem, qua prævalebant, ſimul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur.*

Colonia 90. Ateſte Venetorum.

Hæc proculdubio vna ex Tranſpadanis coloniis fuit à Cn. Pompeio cum Verona & reliquis deducta, de qua ſcribit Plin. li. 3. c. 19. *In mediterraneo regionis X. coloniæ Cremona, Brixia, Cænomanorũ agro, Venetorũ autẽ Ateſte.*

Colonia 91. Brixia Cænomanorum.

Hæc & ipſa ab eodem Cn. Pompeio Strabone Latina colonia deducta eſt, atque poſtea cum reliquis coloniis Tranſpadanis à C. Cæſare dictatore ciuitate donata. De

Hhh iiij

cuius magiſtratibus Quæſtore, Ædili, IIII. viris iuri dicundo, IIII. viris quinquennalibus, VI. viris augoſtalibus multa mentio eſt in antiquis vrbis Epigrammatibus, haud multo tempore ante effoſſis.

Colonia 92. Comum, alias Nouocomum.

Strabo lib. 5. *Comum mediocris colonia erat, ſed Pompeius Strabo Magni pater colonos reſtituit. eam Rheti vaſtauerant. C. Scipio tria millia hominum addidit. Cæſar quinque millia, ex quibus quingenti Græci ciuitate donati. Hi nouum Comum vocauere.* Appianus lib. 2. bellorum ciuilium. *Cæſar nouum Comum condidit in Alpibus, qui illic magiſtratum geſſiſſent, ciues Romanos eſſe voluit.*

Colonia 93. Laus Pompeia.

Huius coloniæ, quamquam nullos, quod ſciam, vetuſtus auctor mentionem faciat, proculdubio tamen à Cn. Strabone Latina colonia & ipſa Tranſpadana deducta eſt, à quo & cognomen accepit.

Colonia 94. Arretium.

Hæc colonia ante Ciceronis tempora, & forte à Sylla militatis deducta fuit, de qua idem Cicero pro L. Murena ſic ſcribit: *Catilinam confluente colonorũ Arretinorum, & Feſulanorum exercitu alacrem incedere.* L. Floros li. 77. *L. Sulla ciuitatis ſtatum ordinauit exinde colonias deduxit.* Frontinus, *Arretium muro ducta colonia lege* III. *virali. Iter populo non debetur, ager eius limitibus eſt adſignatus.* Et alibi, *Colonia Arretina, lege Auguſta cenſita limitibus Gracchanis, qui recturas maritimas & montanas ſpectabãt, poſtea per cardines decimano, & duodecimano eſt aſſignata, & numerus centuriarum manet,* &c.

Colonia 95. Feſulæ.

Et hæc exiſtimo à L. Sulla dictatore colonia deducta eſt, de qua Cicero pro Muræna meminit. Quandoquidem ex Liuio Florus eum in conſulatu colonias deduxiſſe ſcribit.

Colonia 96. Bouilla.

Bouilla lege Sullana eſt circũdata. Iter populo nõ debetur: agrũ eius ex occupatione milites veterani tenuerant in ſortẽ. Frontinus. Hanc Cicero Philip. 2. appellat *municipium.*

Colonia 97. Sueſſula.

Oppidum muro ductum, lege Sullana eſt deducta. Iter populo nõ debetur, ager eius veteranis militibus Sullanis in iugeribus eſt aſſignatus. Frontinus. Hæc vetus præfectura & municipium ſine ſuffragij iure fuit.

Colonia 98. Pompeia.

De hac colonia Cicero pro Sulla ſic mentionem facit: *Diſiunxit Pompeianos à colonis, vt hoc diſſidio ac diſſenſione facta oppidum in ſua poteſtate eſſet, & Põpeianos haberet, quum ab hoc illa colonia deducta ſit, & quum commoda colonorum à fortunis Põpeianorum P. R. fortuna diuiſerit, ita carus vtriſque eſt.* Has autem quinque colonias à Sylla deductas fuiſſe opinor, quod is multas colonias militares feciſſe credatur, atque hæ ante Ciceronis ætatem iam coloniæ factæ fuerint. Florus libro 77. Sylla conſul colonias deduxit, & lib. 89. *Sylla Nolam in Samnio recepit* XLVII. *legiones in agros captos deduxit, & eos iis diuiſit.* Multiſque municipijs, vt tradit Cicero pro Cæcinna, ciuitatem ademit.

Colonia 99. Capua Iulia Felix.

Paterculus. *Cæſar in conſulatu* (is eum geſſit anno vrb. DCXCV. cum M. Bibolo) *legem tulit vt ager Cãpanus plebi diuideretur, ſuaſore legis Pompeio. Ita circiter* XX. *millia ciuiũ eo deducta & ius his reſtitutũ poſt annos circiter* CLII. *quã bello Punico à Romanis Capua in formã præfecturæ redacta erat.* Frõtinus de Colonijs: *Capua muro ducta colonia Iulia Felix iuſſu imperatoris Cæſaris à* XX. *viris eſt deducta. Iter populo debetur P. C. Ager eius lege Sullana fuerat adſignatus, poſtea Cæſar Auguſt. in iugerib⁹ militi pro merito diuidi iuſſit. Calatia oppidũ muro ducta, iter populo debetur, P.* LX. *Colonia Capuẽſi cũ territorio ſuo à Sulla* Felice *adiudicata olim ob hoſtiũ pugnam.* Cicero in Rullum 2. *Neq; te P. Rulle omnia illa M. Bruti atque auſpicia à ſimili furore deterrẽt. nã & ipſe qui deduxit, et qui magiſtratũ Capuæ ceperũt, & qui aliquã partẽ illius deductionis, honoris, muneris attigerũt, omnes acerbiſſimas impiorũ pœnas pertulerunt. Idẽ quum veniſſem Capuã coloniã deductã, L. Conſidio, & Sext. Saltio, quẽadmodum ipſi loquebãtur, prætoribus. nam quum cæteris in colonijs duumuiri appellentur, hi ſe prætores appellari volebant.* Et paulo poſt *Hinc iſti decẽ uiri, quum numerum colonorũ ex lege Rulli deduxerũt, centũ Decuriones, decẽ Augures, ſex Pontifices conſtituerunt, quos illorum animos, impetus, quam ferociã eſſe putaris?* Idem Philippica 2. *Conſuluiſti me per literas de Capua, tu quidẽ, ſed idem de Caſilino reſpondiſſem, poſſeſne, vbi colonia eſſet, eo coloniam nouam inde ducere, negaui, in ea coloniam quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, coloniam nouam iure deduci, colonos nouos adſcribi poſſe, reſcripſi.* Plin. lib. 3. cap. 5. *Regio ea à Tiberi prima Italiæ ſeruatur ex deſcriptione Auguſti. Intus colonia Capua à Capi dicta Aquinum.*

Colonia Bouianum vetus.

Et hæc à Cæſare, vt puto iam dictatore deducta eſt, (nullus enim deinceps in iis eis digerendis temporis ordo accuratius ſeruari poterit) de qua ſic ſcribit Frontinus: *Bouianum oppidum lege Iulia milites deduxerunt ſine colonis. Iter populo amplius nõ debetur, quam P. X. Ager eius per Centurias & ſcamna eſt adſignatus.* Plin. lib. 3. cap. 12. *In regione* IIII. *Italiæ Samnitium, quos Sabellos & Græci Saunitas dixẽre, colonia Bouianum vetus, & alterum cognomine Vndecumanorum.*

Colonia Veij.

Veij colonia priuſquam oppugnaretur. Ager eius militibus eſt adſignatus ex lege Iulia. Poſtea deficientibus his ad vrbanam ciuitatem adſociandos cenſuerat diuus Auguſtus. nam varijs temporibus & à diuis imperatoribus agri ſunt adſignati. Frontinus in libro de colonijs.

Colonia Aufidena.

Aufidena muro ducta colonia. iter populo debetur, P. X. militis eam lege Iulia ſine colonis deduxerunt. Frontinus.

Colonia Caſilinum.

Cicero Philippica 2. in Marcum Antonium. *Deduxiſti coloniã Caſilinum, quo Cæſar ante deduxerat omni auſpiciorum iure turbato. Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, vt vexillum videres, & aratrum circumduceres, cuius quidem vomine partam Capuæ pene perſtrinxiſti, vt florentis coloniæ territorium minueretur.* Hæc auctore Feſto vetus præfectura fuit.

Colonia Galatia.

Et hæc à C. Cæſare deducta fuit, vt ex his Velleij verbis intelligitur lib. 2. vbi de Auguſto loquitur ſic: *Primumque à Calatia, mox Caſilino veteranos excivit paternos, quorum exemplum ſequuti alij breui in formam iuſti coire exercitus.*

Colonia Lanuuium.

Lanuuium colonia ex municipio vetere facta eſt, à C. Cæſare dictatore, vt tradit Frõtinus ſic, *Lanuuium vero muro ductũ colonia deducta à diuo Iulio. Ager eius in limitibus Auguſteis pro parte eſt adſignatus militib. veteranis, & pro parte virginũ Veſtaliũ lege Auguſtana fuit adſignatus. Sed Poſtea Imp. Hadr. colonis fuit agrum adſignari iuſſit.*

Colonia Forum Iulij.

Hæc vt exiſtimo à Cæſare etiam deducta fuit, quod nomen ipſum declarat. De qua Ptolemæus libro tertio, capite primo, ſic meminit: *Carnorum mediterranea colonia Forum Iulij,* &c.

Colonia Iulia Hiſpella.

Hanc quoque à Cæſare deductam nomen ipſum indicat. Hæc etiam *municipium* dicitur.

Colonia Pola, *alias Pietas Iulia.*

Et hanc ex nomine à Cæſare deductam opinor, de qua ſcribit Plinius libro tertio, capite decimonouo: *In decima regione oppida Iſtriæ ciuium Romanorum Ægida, Parentium colonia Pola, quæ nunc Pietas Iulia quondam à Colchis condita abeſt, à Tergeſte centum millia paſſuum, mox oppidum Neſactium.* Hę autem ſunt omnes coloniæ militates: quas à Cæſare dictatore deductas, vel inuenerim, vel coniectura conſequi potuerim.

Colonia Aquinum.

Nunc eas colonias adiiciam, quas à triumoiris R. P. C. Lepido, Antonio, Cæſare deductas fuiſſe inuenerim. Quarum prima ordine alphabetico eſt *Aquinum*, de qua ita ſcribit Frontinus: *Aquinum muro ductu colonia, lege triumuirali deducta, iter populo debetur, P. xxc. Ager eius perennis militibus eſt aſſignatus,* Plin. li. 3. c. 5. *In regione prima Italia colonia Capua, Aquinum, Sueſſa,* &c. Tacitus lib. 17. ſub Othoe. *Sepoſitus per eos dies Cornelius Dolobella in coloniam Aquinatem.* Hæc colonia *municipium* vocatur à Cicerone in oratione pro Plancio: *Nam ante coloniam à Triumuiris deductam, municipium, lege (vt opinor) Iulia factum fuerat.*

Colonia Iunonia Faliſca Etruſcorum.

Frontinus: *Colonia Iunonia quæ appellatur Faliſca, à Triumuiris eſt adſignata, & modus iugerationis eſt datus, in qua limites intercisiui ſunt, directi lege Agraria.* Plin. lib. 3. cap. 5. *in regione ſeptima Tuſcia intus colonia Faliſca Argis orta, vt auctor eſt Cato, quæ cognominatur Etruſcorum, lucus Feronia,* &c.

Colonia Florentia.

Frontinus: *Florentia colonia deducta à Triumuiris adſignata lege Iulia Centuriis, Cæſarianis iugera, CC. per Cardines & Decumanos.* Huius coloniæ meminit Tacitus.

Colonia Fadatura.

Colonia Fadatura ea lege qua ager Florentinus in Centuriatis ſingulis iugera CC. termini lapidei, alij ſextales, alij morales. Frontinus.

Colonia Formiæ.

Frontinus: *Formias oppidum, Triumuiri ſine coloniis deduxerunt. Iter populo non debetur. Ager eius in abſoluto reſedit, pro parte in lacineis eſt adſignatus. Finitur terminis ſiliceis et Tiburtinis.* Hæc ante vetus municipium & præfectura fuit.

Colonia Teleſia.

Teleſia muro ducta colonia à Triumuiris deducta. Iter populo debetur, P. triginta. Ager eius militibus Auguſteis in nominibus eſt adſignatus. Frontinus.

Colonia Tuder Fida.

Tuder Fida colonia ea lege, qua et ager Florentinus in Centuriatis ſingulis iugera CC. Termini lapidei, alias ſaxei, alias molares. Froutinus.

Colonia Venafrum.

Frontinus: *Venafrum* (inqoit) *oppidum Triumuiri deduxerunt ſine colonis. Iter populo debetur, P. 10. Ager eius in lacineis lit. ..s. ibus intercesſiuis eſt adſignatus, ſed ſumma montium iure templi ab Auguſto ſunt conceſſa.* Plin. li. 3. c. 5. *In regione prima Italia intus colonia Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora,* &c. *Venafrum* vero vna ex his antiquis præfecturis à Feſto fuiſſe refertur, in quas præfectos quotannis prætor mittere ſolebat.

Colonia Vulaterræ.

Volaterra colonia lege Triumuirali eſt adſignata in Centurias ſingulis iugera ducenta decumanis à cardinib⁹ eſt adſignata, quam omnes veterani in portionibus diuiſum pro parte habuerunt. Frontinus.

Colonia Vlubra.

Vlubra oppidum à Triumuiris erat deductum, poſtea à Druſo Cæſare extructum, ager eius in nominibus eſt adſignatus. Iter populo non debetur. Frontinus.

Colonia Regium.

Nunc colonias quas Cæſar Auguſtus deduxit, exponam, quarum forte prima fuit *Regium*, de qua Strabo li. 5. ſic ſcribit: *Cæſar Auguſtus fugato ex Sicilia Sext. Pōpeio, quum deſertam vrbem Regium reperiſſet, permultos ex claſſe eius ibidem fecit colonos.*

Colonia Acerræ.

Acerra muro ductu colonia, diuus Auguſtus deduci iuſſit. Iter populo debetur, P. 90. Ager eius in iugerib⁹ eſt adſignatus. Frontinus. Hæc colonia vetus municipium, & præfectura fuit.

Colonia Alatrum.

Alatrum muro ductu colonia Auguſtus deduxit. Iter populo non debetur. Ager eius per centurias et ſtrigas eſt adſignatus. Frontinus.

Colonia Atella.

Frontinos: *Atella muro ductu, colonia deducta ab Auguſto. Iter populo debetur, P. 120. Ager eius in iugerib⁹ eſt adſignatus. Atella vetus cũ ante municipiũ, tũ præfectura fuit.*

Colonia Auguſta Taurinorum.

Hanc cum Aoguſta prætoria Salaſſorum, ab Auguſto Cæſare deductam exiſtimo, quando ipſe aoctore Strabone, egregia contra Salaſſos victoria potios eorum prope nomen deleuerit, de quibus ſic lib. 3. c. 17. ſcribit Plinius: *In Tranſpadana regione 11. colonia ab Alpium radicib. Auguſta Taurinorum antiqua Ligurum ſtirpe inde nauigabili Pado, deinde Salaſſorũ Auguſta Prætoria iuxta geminas Alpium fauces Graias atque Pœninas.*

Colonia Auguſta Prætoria Salaſſorum.

De hac præter Liuiom meminit Ptolemæus li. 3. c. 1. ſic: *Salaſſorum qui ſub Inſubribus ſunt ciuitates Auguſta Prætoria colonia.*

Colonia Bouianum Vndecumanorum.

Huc vndecimam legionem poſt bella ciuilia ab Auguſto deductam coloniam fuiſſe innuere videtur Plinius lib. 3. cap. 3.

Colonia Copiæ, *alias Thurij.*

Strabo li. 6. *Thurios Tarentini euerſere, Romani colonos paucos deduxēre, Copiaſq; coloniam appellauerunt.* Hanc ab Aoguſto deductam opinor poſt bellum Siculum.

Colonia Cortona.

Dionyſios qui ſub Auguſto vixit: *Croton colonia Romanorum, Cortona nuper appellata eſt.* Hæc in Tuſcia erat.

Colonia Cumæ.

Cuma muro ductu colonia, ab Auguſto deducta. Iter populo debetur pedes 80. Ager eius in iugeribus veteranis pro merito eſt adſignatus iuſſu Claudij Cæſaris. Frontinos. Vetus aliquando municipium, aliquando præfectura hæc colonia fuit, Feſto & Liuio auctoribus.

Colonia Fanum Fortunæ, *alias Iulias Faneſtris.*

Huncab Auguſto deductam nomen declarat, qoando in Tranquillo auctore duodetriginta colonias dedoxerit. Plin. li. 3. c. 13. *In regione 6. colonia Fanum Fortunæ Piſaurum.* Pompeius Mela li. 2. c. 2. *A Pado ad Anconam tranſitur Rauennam, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, flumen Metaurus atque Atheſis.*

Colonia Nuceria.

Nuceria Conſtantina muro ductu colonia. Deducta iuſſu Imperatoris Auguſti, iter populo debetur, P. 60. Ager eius limitibus Iulianis lege Auguſtana militibus eſt adſignatus, & alibi in abſoluto reſedit. Liuius lib. 27. *Nucerinos quærentes, vbi habitarent Nuceria deleta, Atellam, quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare iuſſis tranſductis.* M. Marcello, & M. Lęuino coſs. Ptolemæus li. 3. c. 1. *Vmbrorum qui ſunt ſupra Tuſcos Nuceria colonia, poſtea Picentinorum Nuceria colonia.*

Colonia Orientium.

Orientiũ colonia lege Auguſti eõſita eſt limitibus Gracchanis, qui recturas maritimas et mõtanas ſpectũt, poſteu per cardines decumanos & duodecumanos adſignata eſt. Frõtinus.

Colonia Priuernum.

Priaernum oppidum muro ductum, coloniam militibus deduxit Imperator Cæſar ſine colonis. Iter populo debetur P. 30 Ager eius pro parte cultus iugeribus eſt adſignatus. Ceterũ in Lacineis vel ſia abſoluto remanſit. Frontinus. *Priuernũ* vetus municipium & præfectura ante fuit, auctore Feſto,

Colonia Rauenna.

Strabo li. 5. *Ariminum Vmbrorum colonia, vt Rauenna, ſed vtraque Romanos habet inquilinos.* Hæc ab Auguſto inſtituta eſt, quum claſſem in eius portu inſtruxit, quæ Hadriatico ſinu tuendo excubaret.

Colonia Tergeſte.

Hæc ab Auguſto deducta eſt, de qua Plinius lib. 3. cap. 18. *In 10. regione Italia. Tergeſtinus ſinus, colonia Tergeſte 33. mille paſſuum ab Aquileia.* Ptolemæus lib. 3. cap. 1. *Iſtria poſt flexum Hadriatici intimi ſinus Tergeſte colonia.*

Colonia Theanum, Sidicinum.

Frontinus: *Theanum, quod et Sidicinum colonia deducta à Cæſare Auguſto. Iter populo debetur P. 85. Ager eius limitibus metricis omnibus eſt adſignatus.* Plinius li. 3. c. 5. *In regione prima Italia colonia Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora, Theanum, Sidicinum et Nola.* Hæ autem ſunt coloniæ, quas pro conſtanti Auguſtum Cæſarem deduxiſſe inueni. Sequuntur hæ 3. præterea coloniæ à Nerone Claudio fratre & Druſo Cæſare filio Tiberij Imper. factæ, de quibus ſcribit Frontinus.

Colonia Atina.

Antia muro ducta colonia, deduxit Nero Claudius. Iter populo non debetur. Ager eius pro parte in Lacineis eſt adſignatus. Frontinos.

Colonia Anagnia.

Hæc ex municipio à Druſo Cæſare deducta colonia eſt, de qua ita ſcribit Frontinus: *Anagnia muro ducta colonia Druſi Cæſaris populus dederat. Iter populo non debetur. Ager eius per ſtrigas eſt adſignatus.* Hæc colonia *municipium* vetus & præfecturæ ante fuerat.

Colonia Calagna.

Calagna muro ducta colonia iuſſu Druſi Cæſaris populus deduxit, iter populo non debetur. Ager eius veteranis eſt aſſignatus. Front. de coloniis.

Coloniæ incerto tempore deducta. Colonia *Abella.*

Abella municipium coloniæ vel famil. Imp. Cæſaris Veſpaſiani iuſſa acceperunt. Poſtea in Lacineis ager eius in iugeribus militi eſt aſſignatus, iter populo debetur.

Colonia Æſis.

Huius coloniæ, non niſi in vetuſtis epigrammatibus mentionem extare didici.

Colonia Ancon, alias Ancona.

Plinius lib. 3. c. 19. *Quarta regione Piceni Numana à Siculis condita, ab eiſdem colonia Ancon appoſita promontorio Cumero, in ipſo flectentis ſe ora cubito.*

Colonia Apuleſium.

Huius coloniæ tantum vetus lapis meminit.

Colonia Aſculum.

Plinius li. 13. c. 13. *In quinta regione Piceni Capra oppidũ, caſtellum, Firmanorum, & ſupra id colonia Aſculum Piceni nobiliſſima. Aſculum* Cicero pro Sulla *municipiũ* vocat.

Colonia Aſta.

Ptolemæus lib. 3. cap. 1. *In Liguria, Aſta colonia.*

Colonia Brixillum.

Plinius lib. 13. cap. 15. *In octaua regione colonia Bononia, Brixillum, Mutina.* De hoc oppido plura ſcribit Tacitus, lib. 17. 19. clade Othonis inſigne.

Colonia Cæditia.

Vetus epigramma tantum hanc coloniam commemorat.

Colonia Capis.

Capis colonia pro aſtimio vbertatis, & natura locorum ſunt agri adſignati. Nam termini in varijs locis ſunt poſiti. Frontinus.

Colonia Concordia.

Plinius lib. 3. cap. 19. *In decima regione Venetia colonia Concordia.* Ptolemæus lib. 3. cap. 1. *Carnorum mediterranea colonia, Forum Iulij, Concordia, Aquileia.*

Colonia Gabij.

Lapis vetus extat Zagaroli, quod oppidum olim Gabios fuiſſe creditur. Hanc Cicero in Philipp. 2. *municipium vocat.*

Colonia Iſtonium.

Et huius coloniæ mentio eſt in vetuſta quadam inſcriptione.

Colonia Laurolauinium.

Laurolauinium lege et cõſecratione veteri manet. Ager eius ab Imper. Veſpaſiano, Traiano & Hadriano, in Lacineis eſt aſſignatus. Iter populo non debetur. Frõtinus de Coloniis.

Colonia Lucus Feroniæ.

Plinius libro tertio, capite quinto, in regione ſeptima: *intus colonia Faliſca Hetruſcorum, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina.*

Colonia Lupia.

Vetus inſcriptio.

Colonia Neapolis.

Vetuſta epigrammata.

Colonia Pampia.

Vetus inſcriptio.

Colonia Præneſte.

A Gellius li. 16. cap. 13. *D. Hadrianus in oratione quam de Italicenſibus, vnde ipſe ortus fuit, in ſenatu habuit, Præneſtinos refert maximopere à Tib. imper. petiiſſe, oraſſeq; vt ex colonia in municipij ſtatum redigeretur, idq; illos Tyberium pro referenda gratia tribuiſſe, quod in eorum finibus ſub ipſo oppido ex capitali morbo reualuiſſet.* Feſtus Præneſte *municipium ſuiiuris* vocat.

Colonia Regium Lepidi.

Ptolemæus lib. 3. cap. 1. *In Gallia togata Regium Lepidi colonia.*

Colonia Ruſellana.

Plinios lib. 3. cap. 5. huius coloniæ in Tuſcia mentionem fecit.

Colonia Sapinum.

Sapinum oppidum muro ductum colonia ab imperatore Nerone Claudio eſt deductu. Iter populo debetur p. 50. ager eius in Auguſteis centuriis eſt aſſignatus. Frontinus.

Colonia Salpis.

Huius coloniæ meminit Frontinus in li. de Coloniis. *Salpis muro ducta colonia, &c*

Colonia Sena.

Plinius li. 3. c. 5. *In regione 7. Etruria colonia, Faliſca, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina.*

Colonia Senſuiſa.

Antiqua inſcriptio.

Colonia Tollentinum.

Tollentini vetus inſcriptio adhuc extat. *Tollentinatium* in Piceno meminit Plinius lib. 3.

Colonia Verulæ.

Verula oppidum muro ductum, ager eius limitibus Gracchanis in nominibus eſt aſſignatus, ab Imp. Nerua colonis eſt redditus. Frõtinus in li. de coloniis. Atq; hæc ſunt omnium coloniarum ciuium Romanorum, Latinarum, & militarium nomina, quas à Romulo vſque ad imperij excidium deductas fuiſſe intra Italiam apud veteres auctores vel inſcriptiones inuenerim. Quarũ pars maior ordine temporum ſeruato, digeſta eſt. Has vero poſteriorex, quarum tempora inuenire non potui, vna ordine alphabetico ſubiunxi.

Præfectus annonę.

Cap. XIII. *L. Minutius præfectus annonæ crearet.*] Extraordinarium fuiſſe hunc magiſtratũ annotat Onuphriux in Cõmentariis ſuis de ciuitate Romana. Sæpius enim, vt quæque negocia occurrebant, quę extraordinariam curationem requirere videbantur, ita alij atque alij magiſtratus creabantur. Hunc tandem ordinarium Auguſtum feciſſe tradit Tranquillus, qui eum curatorem frumenti populo diuidendi vocat.

Lanatus.

Eod. *Lanato erat cognomen.*] A cana lanugine creſcente. Vnde etiam Capitolinus *Lanatus* eſt dictux. Sic quoque Columella de re ruſtica vuas amineas *lanatas*, à naſcente lanugine vocat.

Eod. *Serailium Hulam.*] Sic à fœdo oris halitu cognominatum, vt Alex. ab Alex. li. 1. c. 9. ſcribit.

Cap. XV. *Bilibra farris.*] De lectione huius loci vide notata per Glareanum & Sigonium. Non male vero legi poſſe videtur *bilibra* auferendi caſu, ſicut & *ſelibra* legitur apud Celſum libro 4. annotante id Budæo libro 5. de aſſe. Ceterum & id hoc loco ſciendum, veteres frumentum non ſolum metiri, ſed & appendere ſolitox. Hinc illud Horatianum:

--- Cui ſatis vna

Farris libra foret, tenuis ſic tamque paſillo. Vide Torneb. lib. aduerſ. 2. cap. 13.

Æquimelium.

Cap. XVI. *Æquimelium eſt appellatum.*] Plerumque enim Romani eorum bona quos pro criminibus oppido grauibus ſupplicio affecerant, publicarunt, ædeſque ſolo æquatunt mutatis locorum nominibus. Sic cum Marcellux quidam nequam & criminoſus, propter latrocinia & ſordęs vitæ, capitali ſupplicio pœnas dediſſet, bonis publicatis; ex ipſius domo macellum ædificarunt. Meminimus præterea Veturij Vaccij, cuius in Palatio domus, ob regnũ affectatum publicata & euerſa, cui *Vaccij prata* nomẽ dederunt. Vide Alex. ab Alex. li. 3 cap. 13. Fuit autem *Æquimelium* inter Velabrum & Capitolium ad tabernas laneas, vt eſt apud Valer. Max. li. 6. cap. 3. Alex. ab Alex. vbi ſupra. Varronem lib. 4. de lingua Latina. Nota vero hîc exemplum libidinis imperandi, pœnarumque maie affectati regni.

Fidenæ.

Cap. XVII. *Fidenæ coloniæ:*] *Fidenæ* vrbs, vel oppidum potius, in quarta Italiæ regione, inter Anienem & Tyberim quadraginta ſtadiis ab vrbe diſtans, teſte Dionyſio, cuius meminit Strabo li. 5. Plin. lib. 3. c. 5. & 12. Volaterranux lib. 6. c. 1. Geogra.

Legatio ſacroſancta.

Eod. *Cæde ruptura ius gentium.*] Legationem quippe, perinde vt rem ſacram veteres habuerunt, cui Deum Mercurium (quem Deorum nuncium finxit vetuſtas) præficiebant. Ideoque ſi qui legati populi Romani, qui iure gentium ſanctiſunt, à quouis populo aut natione violati forent, vt hi dederentur, qui contra iux gentium temere violaſſent, per Feciales cauebatur. Qua de re lege Alexandrum ab Alex. lib. 5, c. 3. Hinc & Cæſarem recentis contra ius gentium legatis, non virtute, ſed dolo, de Germanis victoriam conſecutum, M. Cato, cum pro ea victoria ſupplicatio decerneretur, hoſtibus dedendum cenſuit, vt pro ciuitate perfidiam expiaret: prout auctor eſt Plutarchus in vita Cæſarix.

Coſſi qui.

Cap. XIX. *A. Cornelius Coſſus.*] Feſtus eos qui rugoſi ſunt, & aſpera facie, *coſſos* vocari ſcribit, à ſimilitudine vermium qui ligno nutriuntur, & apud Phryges Pontiq; accolas (teſte Plinio, li. 17. c. 24.) pro delicatiſſimis cibis ſumuntur, & hinc quoq; *Coſſutia* Cæſaris vxor dicta eſt, cuius Tranquillus in Cæſare meminit. Ceterum de militari fortitudine Coſſi, præter Liuium Plutarch. in Romulo, Plinius li. 16. cap. 5. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. Sabell lib. 5. Ennead. 3.

Spolia opima.

Cap. XX *Secunda ſpolia.*] Ter enim tantum ſpolia opima Ioui delata legimus, primum à Romulo vrbis parẽte, cum Acronem vicit. Deinde poſt Romulum 313. anno à Coſſo, victo Larte. Vltimo à Marco Marcello, qui Gallorum ducem fudit, teſte Plutarcho in Romulo & Alex. ab Alex. lib. 1. c. 14.

Eod. *Templum Feretrij Iouis.*] Quod fuit in vertice mõtis Capitolini à Romulo poſt bellum Ceninenſium extructum. Qua de re ſupra lib. 1. diximus.

Cuniculum agere.

Cap. XXII. *Agere cuniculum.*] Clam ſubtux terram fodere, eamque fodiendo tollere: hinc *cuniculis bellare* dicitur, qui non aperta vi, ſed diſſimulanter ac dolis rem gerit. Contra, qui palam agit, quod agit, *machinis agere* dicitur. Hinc Martialis:

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris,
Oſtendit tacitas hoſtibus ille vias.

Voltumna.

Cap. XXIII. *Ad Voltumnæ.*] Hanc Hetruſcorum Deam fuiſſe, ex hoc Liuij loco apparet. Videndum tamen an potius *Vertuna* legendum ſit, vt *Vertunus*. Prout annotauit Gyraldus hiſtoriæ Deorum ſyntag. 1.

Ærarium fieri quid ſit.

Cap. XXIV. *Duplicatoq; cenſu ærariũ fecerunt.*] Aſconius in diuinationem Ciceronis, de notis cenſoriis loquens, ita inquit: *Regendis moribus ciuitatis cẽſores quinto quoque anno creari ſolebãt. Hi prorſus ciues ſic notabãt, vt qui ſenator eſſet, ſenatu eiiceretur, qui eques Romanus equũ publicum perderet, qui plebeius in Cæritũ tabulas referretur, et ærarius fieret.* *Ærariũ* vero *fieri* erat, nullũ aliud ius ciuitatis in Centuria, atq; adeo in tribu retinere, quã vt pro capite ſuo tributi nomine æra pẽderet, ita, vt qui ærarius factꝰ eſſet, is non ſolũ ſuffragio vrbano, ſed etiã ſtipẽdiix militarib. ſpoliatus eſſet. Quod vero ærarij à militarib. ſtipendiis eſſent repulſi, ex Liuij loco, qui eſt in principio ſeptimi, vbi de Atellanis ſcribit, cognoſcitur. Et hinc pater Varronem recte dixiſſe, *cenſorem* eſſe, ad cuiux *cenſionem*, hoc eſt, arbitrium cẽſeretur populus. Et Feſto *cenſores* dictos, quod tanti rem ſuam quiſq; æſtimare ſolitus ſit, quãtum illi ceoſuerint, cum ſępius cenſum multiplicarent, vt hîc videre licet: illa tamen ęquitate admiſſa, vt releuetur is, qui in tabulis publicis, delato modo ex certis cauſis frui non poſſit, prout Vlpianus de cenſibus eam cenſendi rationem fuiſſe demonſtrat.

Cap. XXV. *Ne qui album veſtimentum.*] Huius legis vim auctoritatemque nullam fuiſſe, innumera de candidatis exempla docent, quæ videre eſt apud Manutium in libro de legibus Romanis.

Orbem voluere.

Cap. XXVIII. *Orbem volaentes.*] Id eſt, *in orbem conſiſtentes*, vt Cæſar lib. 5. de bello Gallico loquitur, inquiens: *Juſſerunt pronunciari, vt impedimenta relinquerent, atque in orbem conſiſterent*, id eſt, *in orbem pugnarent*. In orbem vero pugnari ſolet, cum vndiq; metus eſt, aut cum pauci à pluribus ſe circumuentos vident, vt militum terga tuta ſint. Alibi Liuius id vocat *in orbem ſe tatari*, hoc eodem libro. Græci [illegible] hoc dicunt.

In orbem pugnan.

Triſtis nota.

Cap. XXIX. *Poſtumius nulla triſti nota.*] Triſtẽ notam dixit, quod nulla crudelitatis infamia aſperſus eſt, vt notat Eraſmus in prouer. *Creta notare*, & rurſus in prouerbio: *Triſtis litera*. Vbi docet ex Aſconio, *D.* fuiſſe literã damnationis, *T.* abſolutionis, *N. L.* ampliationis.

Mulctatitiæ leges.

Cap. XXX. *Legem de mulctarũ æſtimatione.*] Tres leges de mulctatitia latæ fuiſſe inueniuntur. Ex quib. primã tulit Sp. Tarpeius Capitolinus, & A. Aterinus Fõtinalis coſſ. Vnde etiã ipſa lex tã *Tarpeia*, quã *Aterina* dicitur. Quare autẽ lata ſit, oſtendit Gel. li. 11. c. 1. Alterã autem legẽ Feſtus latam ſcribit, de modo mulctarũ à T. Menenio Lanato, & P. Sextio Capitolino coss. biennio poſtquã Aterina lata eſt. Tertia eſt ea, cuius hîc Liuius meminit. Vtrum autem hi conſules æſtimationẽ ex lege Aterina conſtitutã mutauerint, aut ipſe Liuius circa hæc tẽpora deſcribẽda negligẽtior à multis accuſatus, quod Aterino & Tarpeio tribuẽdũ erat, his attribuerit, Zaſius in ſuo legum antiquarum catalogo affirmare nequit.

Præmiis virtus excitatur.

Cap. xxxv. *Magna conatis magna præmia.*] Nā honos virtutem & artes alit. Vnde rectè Ariſtoteles ſcribit, *honorem eſſe præmiū virtutis.* Et Solon Salaminius interrogatus, quid magis ad Reip. ſalutē prodeſſet? Reſpōdit, *ſi boni præmiis inuitantur, mali autem pœnis coercentur.* Cicero ad Brutum. & Antiſthenes interrogatus, quæ res portenderet ciuitatibus exitium? *Quum in his,* inquit, *nullam eſſe poteſt bonorū ac malorum diſcrimen.* Sentiens eam remp. non poſſe conſiſtere, vbi nec honos eſſet virtuti, nec pœna ſceleroſis. Et hoc eſt quod apud Homerū ſtomachatur Achilles: ἐν δ' ἰῇ τιμῇ. Et Lyſander interroganti Perſæ, quam remp. maxime probaret, *Eam,* inquit, *in qua fortibus viris ac meticuloſis, congrua vtriſque redduntur.* Sentiens virtutem inuitari præmiis, ignauos excitari ignominia. Theophraſtus quoq; interrogatus, quidem rempubl. confirmaret, reſpondit, *Beneficentia, Præmium, & Pœna.* Vide & alia in hanc ſentētiam notata ab Eraſmo in Chiliad. *Artes honos alit.*

Eod. *Fortem ac ſtrenuum aliquem exiſtere ex plebe.*] Vide quam plurima in hanc ſententiam apud Iuuenalem, vbi inquit:

---- Veniet de plebe togata.

Qui iuris nodos et legum ænigmata ſoluat. Vbi nihil aliud in tota Satyra oſtendit, quam etiam ex infima plebe quam plurimos virtute præclaros prodiiſſe. Verum hæc fruſtra noſtro tempore noſtris Cyclopibus atque Harpyis occinuntur.

Capua vnde dicta.

Cap. xxxvi. *Capuam ab campeſtri agro.*] Variæ de conſtructione *Capuæ* ſententiæ afferūtur. Seruius à Toſcis, qui omnem ferè Italiam ſubiugauerunt conditam ſcribit, cum hunc Vergilij in lib. 8. verſum explicat:

Et Capys hinc nomen Campana ducitur vrbi. Suetonius in dictatore, *Capys* conditatoris ſepulchrum Capuæ fuiſſe indicat, in quo à colonis deductis, tabula reperta fuit, quæ Cæſari mortem denunciarit. Ad quod & Lucanus li. 2. accedit. Plinius lib. 3. cap. 5. *Capuam* ab vndecimo campo dictam inquit, quod quomodo ibi intelligendum ſit, Hermolaus Barbarus annotauit. Strabo autem li. 5. quod duodecim vrbium *caput* eſſet, dictam putauit. Quicquid rei ſit, conſtat præter vmbram vrbis huius hodie nihil extare.

Quæſtores vrbani.

Cap. xliii. *Præter duos vrbanos quæſtores.*] De origine *quæſtorum* mire inter ſe variant auctores, vt late oſtendit Onophrius in Commentariis, lib. 1. Faſtorum. Primo vero deligebantur à conſulibus, vt ſcribit Cornelius Tacit. li. 2. *Manſit autē* (inquiens) *conſulibus poteſtas deligēdi quæſtores, donec eum quoq; honorem mādaret populus, creatiq; primum Valerius Potitus, & Mam. Æmilius 13. anno poſt exactos reges, vt rem militarē comitarentur.* Plutarchus vero in vita Poblicolæ & Zonaras ſcribunt eam pecuniæ tractationem aliis mandaſſe, ne conſulum per eam poteſtas augeretur, tum primum quæſtoribus deſignatis. Nam publicæ pecuniæ præpoſiti, ærarij curam habebant, à *quærendo* dicti, vt tradit Varro lib. 4. de lingua Latina.

Ampliati qui.

Cap. xliv. *Ampliatam.*] *Ampliati* ſunt, quorum damnatio differtur, aut quia coram ſiſtendi teſtes ſunt, & cum illis teſtes committendi, aut quia nondum plane liquet, aut de crimine, aut de pœnæ modo. *Non liquere* de cauſa dicebant, quando probationes & argumenta non ſatis erant idonea, ad diiudicandum cauſam. Quid vero *comprehēdinatio* ab *ampliatione* differat, tradit Torneb. li. 1. Aduerſar. cap. 3. oſtendens *comperendinationem* lege Seruilia in iudicium repetundarum introductam, vt etiam ſi prima actione iudicij liqueret eum damnandum eſſe, tamen ei condemnare non liceret. Lex enim Seruilia induxit comperendinationem, ne primo iudicaretur, id eſt, vrbis cauſa diceretur, ac *comperendinatio altera,* id eſt, ſecunda eſt actio. Et hanc explicationem attigit Aſconius, cum ſcripſit: *Comperendinatio vtriuſque partis recitatio eſt,* id eſt, vt Tornebus interpretatur, *cum iteram à præcone citantur, vt adſint, qui priore actione citati fuerant.*

Compĕrēdinatio quid.

Cap. l. *Necari ſub crate.*] De hac loquendi forma vide ſupra.

Cap. lii. *Defuncta ciuitate.*] Id eſt, cum ciuitas à morbis liberata eſſet, Budæus in prioribus annotationibus. — Defungi morbo.

Eod. *Non plus ſingulis ſenatorib.*] Vetere ſiquidem inſtituto publici populi Romani nuncij cum mandatis ad exteras nationes ex ſolo ordine ſenatorio mittebantur. De vltimis reip. temporibus, vix vlla veterum auctoritas extat. Nam Liuius infra lib. 41. conſuli à patribus commiſſum eſſe ſcribit, vt quem videretur, ex iis qui extra ſenatum eſſent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum. Atque etiam imperatores nonnunquam ſibi legaſſe in equeſtri ordine adhuc conſtitutos certum eſt. — Senatores ſoli olim legati.

Cap. liii. *Nemo inuitus ſacramento diceret.*] *Dicere ſacramento,* vt Budæus in prioribus annotationibus tradit, ſermo eſt antiquorum, & hoc in loco dicere, pro *deſtinare & dicari* accipi poteſt. Hoc enim etiam *dicere* ſignificat teſte Nonio. — Sacramento dicere.

Cap. lix. *Stipendiū miles de publico acciperet.*] Recte inquit *miles,* neque enim eodem anno equites, quo pedites ſtipendium acceperunt, ſed hi Anxure capto, illi bello Veiente, vt Liuius poſtea tradit. Stipendium vero militare quantum fuerit, haud procliue dictu eſt. Polyb. enim diurnum peditis quæſtum obolos duos ſtatuit. Centurionis duplex. Equitis drachmā, quæ eadem ferè eſt apud Græcos, ac denarius apud Romanos. Poſtremorum autem temporum conſuetudine diurnum peditis Romani ſtipendium fuiſſe denarium, ex Tacito lib. 1. apparet, vbi Percennius miles cōqueritur denis in diem aſſib. animā & corpus æſtimari, hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſæuitiam centurionū, & vacationes munerū redimi. *Denarius* autem decē aſſib. æſtimatus eſt, atq; ſemper in militari ſtipēdio pro decem aſſib. datus, quamuis bello Punico ſecundo placuiſſet, vt ſexdecim aſſibus permutaretur, vt tradit Plin. lib. 33. c. 3. — Militare ſtipendium. — Denarij æſtimatio.

Cap. lx. *Æs graue plauſtris.*] *Æs graue,* inquit Feſtus, *dictū à pondere, quia deni aſſes ſinguli pondo libra, efficiebāt denariam ab hoc ipſo numero dictum.* Porro vero ex his Liuij verbis apparet, cur *æra merere* milites dicantur, cur que *ærarium* dictum ſit, ab *ære* ſcilicet *graui,* nondum argenteo nummo percuſſo. Inde infra libro ſexto hæc locutio: *Rom. creditori palam ſoluit, libraq; & ære liberatū emittit,* de Manlio loquens, vt id Budæus libro quinto, de aſſe annotauit. Fuit autem hic ordo rei nummariæ, vt primum Romani ære graui, id eſt, nummo rudi & informi vſi ſint, poſtea ære ſignato, quod fuit ſub ſexto demū rege. Deinde argento ſignato anno vrbis ccccc. lxxxv. teſte Plinio libro trigeſimotertio, his verbis: *Argentum ſignatum eſt anno vrbis quingenteſimo octuageſimo quinto, Q. Fabio conſule, quinque annis ante primum bellum Punicum, & placuit denarius pro x. libris, quinarius vero quinque, ſeſtertius pro dupondio.* — Æs graue. — Æra merere. — Argentum quando ſignatum.

IN LIBRVM ANNOTATIONES

Cap. ii. *Id donum inimicorum veneno illitum.*] Alludere videtur ad vetus prouerbium, *Hoſtium munera, non munera.* De quo vide Eraſmum in eodem.

Sub pellib. durare.

Eod. *Sub pellibus durare.*] Id eo dicitur, quoniam militum tētoria pellibus obtegerentur. Vnde & *ſub pellibus eſſe* dicebantur, Liuius li. 37. *Aut ſub pellibus milites habēdos fore.* Huc ſpectat Celſus de ſupellectile legata ff. loquens. *Labeo* (inquit) *originem fuiſſe ſupellectilis putat, quod olim iis qui in legionem proficiſcerentur, locari ſolerēt, quæ ſub pellibus vſui forent.* Cœlius li. 27. c. 14. lect. antiq.

Cap. iv. *Nec opera ſine emolumento.*] Conuenit hæc ſententia cum prouerbiali illa: *Hoſtimentū eſt, opera pro pecunia.* Quæ admonet nihil gratuitum eſſe debere, ſed officium beneficio penſandum. *Hoſtimentum* autem auctore Feſto Pompeio, beneficij pēſatio eſt à priſco verbo *hoſtire* & *redhoſtire,* quod eſt *paria referre.* — Hoſtimentum.

Digitized by Google

Aues æſtiuæ.

Cap. VI. *Sicut æſtiuas aues.*] *Æſtiuæ aues* Liuio ſunt, quas videmus æſtate, hyeme non videmus, cum vel lateant, vel autumno hinc auolant in diuerſas plagas, Turneb. lib. 24. aduerſ. cap. 38.

Fuſtuarium quid?

Eod. *Fuſtuarium meretur.*] *Fuſtuarium* quidam *fuſtigationem* interpretantur, vt annotat Cœlius lib. 10. cap. 5. lect. antiq. Polybius auctor eſt in li. de trib. polit. duo in primis ſuppliciorum genera fuiſſe in militiæ diſciplina, *decimationem*, id eſt, *δεκατίαν* & *fuſtuarium*. Modeſtinus quoque iureconſultus inter pœnas militares *fuſtium caſtigationem* recenſet.

Vineæ.

Vineæ non tantum iam iniunctæ.] *Vineæ* machinæ militares, quæ cuiuſmodi ſint, & quomodo parentur, docet Flauius Vegetius lib. 4. c. 15. de re militari.

Cenſus equeſter.

Quibus cenſus equeſter erat.] Fuit autem equeſtris cenſus ſenatorio minor, nimirum ſeſtertiûm quadringentorum millium. Quadringenta vero millia equites eſſe cenſos ante initium belli ciuilis, Suetonius de Cæſare ad Rubiconem exercitum loquente teſtis eſt. Idem quoque Auguſto imperante ſeruatum Horatius in prima epiſtola indicat, cum cecinit:

Si quadringentis ſex, ſeptem millia deſunt,
Plebs eris.

In legione qui?

Seniores etiã coacti nomina dare.] In legione namq; nõ niſi ingenui, & ex ingenuis niſi iuniores, & ex iuniorib. niſi qui in quinq; claſſibus cenſerentur, & ludricæ artis expertes eſſent, ordine centuriabãtur. Vnde *ſerui, libertini, pueri, ſeniores, capite cenſi & hiſtriones* ad arma nõ vocabãtur, niſi in dubus reipub. rebus neceſſitate cogẽte. Sic bello Hetruſco, & Samnitico *libertinos* lib. 10. Bello Punico ſecundo *ſeruos* cẽturiatos Liuius lib. 27. ſcribit.

Libri Sibyllini.

Cap. XIII. *Libri Sibyllini.*] Quos Tarquinio regi oblatos, Romani ſũma religione, ac obſeruantia colebãt, & ab alijs, quam duumuiris primũ, deinde x. viris, poſtremo xv. viris aſpici aut legi nefas erat, vt Lactantius tradit. Imo nihil Romani neq; ſanctũ, neque ſacrũ ita cuſtodiebãt, quemadmodum hæc Sibyllina diuinitus (vt exiſtimabant) miſſa oracula: & cum dij immortales de rebus aduerſis conſulendi eſſent, remediumq; aliquod malis quærendũ, Quindecemuiri hos libros quaſi oraculum præſentaneumq; remedium adire ſolebant. Cæterũ is Tarquinius qui eos emit. vt eos in manibus habuit, ſtatim duos viros ex illuſtriorib. patricijs creauit, quibus horũ librorum cuſtodiã tradidit, appellarique

Duumuiri ſacris faciũdis.

ſunt *Duumuiri ſacris faciũdis.* Quorum munus erat, hos ſacros libros cuſtodire, quoties opus eſſet adire, legere, interpretari, & quæ iubebantur, vt perficerentur, curare. Apollinis ſacratumq; cæremoniarum antiſtites eſſe, & quoties fames, peſtilentia, bella ciuilia, & externa vrbem vexare contigiſſet, vel prodigia aliqua nunciata eſſent appáruiſſe, eorum omnium malorum ex oraculis Sibyllinis remedia inuenire, lectiſternijs ad Deorum puluinaria factis, Deûm iram placare, proſpera omnia precari, aduerſa vt tollerẽtur rogare, & poſtremo Deos omnes iratos ſacrificiis factis mitigare. Plura de hiſce libris vide in libro Onuphrij de ludis ſecularibus, non contemnenda de Sibyllis & Sibyllinis carminibus ex Varrone, Dionyſio, Solino, Plinio, Gellio, Lactantio & Suida exponentis.

Lectiſternium quid?

Eod. *Lectiſternio tunc primum facto.*] *Lectiſternium* ritus ſupplicandi Dijs Romę frequentiſſimus, cum videlicet ſtratis in templo lectis numina ſibi propitia rebus gerendis expoſcerent, vel auerruncandæ peſtilentiæ opẽ quærerent. *Lectiſternia*, inquit Seruius in XII. Æneid. *dicuntur, vbi in templo homines ſedere conſueuerunt.* Legimus Lectiſterniũ in Capitolio ſic celebrari ſolitũ, ſtratis tribus lectis, conuiuium Deis apponebatur, Ioui, Iunoni, & Mineruæ. Iouis ſimulachrum in lectulo reponebatur. Iuno vero & Minerua in ſellis. ſic appoſitis epulis non Dei, ſed viri ipſi epulones celebrabant. Vide de hiſce Gyraldum hiſtoriæ Deorum ſyntag. 17.

Haruſpices.

Hetruſci aruſpices.

Cap. XV. *Hoſtibus Hetruſcis aruſpices non erant.*] *Haruſpices* à victimis in ara aſpiciẽdis dicti ſunt. Is enim *haruſpex*, qui poſtquam hoſtia immolata eſt, inſpectis extis futura prædicit, qui & *extiſpex* dicitur. Ceterũ Hetruſcorum peritiam in aruſpicina præcipue celebrem extitiſſe, indicio eſt, quod Cicero li. I. de diuinatione ſcribit. *Hetruria aũt de cælo tacta ſcientiſſimè animaduertit, eademq; interpretatur, quid quibuſq; oſtendatur monſtris atq; portentis. Quocirca bene apud maiores noſtros, Senatus tum cum florebat imperium, decreuit, vt de principum filijs, ſex ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinam traderentur.* Valerius tamen ait, decem principum filios dari ſolitos Hetruriæ populis, ad percipiendam ſacrorum diſciplinam. Sunt autem duodecim Hetruſcorum populi, quorum principes *Lucumones* vocabant olim.

Extiſpex.

Lucumones qui?

Procuratio quid?

Eod. *Per quos ea procurarent.*] Sic & Cicero lib. 2. de legibus: *Quibus Diuis creuerint procuranto, ijdemq; fulgura atque obſtita pianto.* Eſt autem *procuratio*, ſacrificium, quod fit ad depulſionem & expiationem monſtrorum & portentorum, & ea gratia *rem diuinam facere*, eſt mõſtra procurare, annotante Turnebo in loco Ciceronis allegato.

Sortes quid?

Eod. *Sorteſque oraculi.*] Duo enim genera oraculorum fuiſſe ex libro de diuinatione cognoſcimus, vnum quod à furentibus profundebatur, vt à Pythia vate numine Apollinis correpta: alterum quod æquatis & paribus ſortibus è ſitella & vrna ducebatur. Habebantur enim *ſortes* certis quibuſdam ſententijs, obſcuris tamẽ notatæ, quarum quædam felicitatem, quædam calamitatem denunciabant, aut alia eiuſdem generis. De qua re vide Turnebum lib. aduerſ. 5. cap. 21.

Pythicum oraculum.

Eod. *Oraculi Pythici.*] *Apollinis.* ſic dicta à *Pythone* ſerpente, ſagittis eius confecto, cuius fabula ab Ouidio in Metamorphoſi plenè deſcripta eſt

Latinę feriæ quæ?

Cap. XVII. *Latinas ſacrumque in Albano.*] Harum crebra apud Liuium eſt mentio. Fuerunt autem inſtitutæ à Superbo rege, eadẽ cauſa, vt quemadmodum Latini rerum publicarum cauſa ad lucum Ferentinæ conuenirent, ſic ſacrorum gratia in montem Albanum cogerentur. Fuit autem lucus, vt & à Dionyſio proditum eſt, in monte Albano, in quem populus Romanus, & Latini fœderati conuocabantur, vt Ioui Latiali cõmuni conſenſu ſacrificium facerent, cumque eorum alij agnos, alij caſeum, alij lac, alij alia dona attuliſſent, tauro immolato, ſuam quiſque carnem partis acciperent. Hoc ſolemne etiam *Latiar* appellatum, ad extrema vſque reipub. tempora eſt conſeruatum. Neq; enim ante conſules exire paludati in prouincias conſueuerunt, quam ferias Latinas indixiſſent, atque ijs in mõte Albano cum Latinarum ciuitatum magiſtratibus operam dediſſent. Hinc eſt quod Liuius lib. 22. ſcripſit, *Latinas ferias inſtauratas, quod legati ab Ardea queſti in ſenatu eſſent, ſibi in mõte Albano Latinis, carnem, vt aſſolet, datam non eſſe.* & li. 37. *Latinas inſtauratas, quod Laurentibus carnis, quæ dari debet, data non erat.* His vero ferijs vnum diem dicauit Superbus, exactis autem regibus, alter additus eſt. Poſt fœdus cum Latinis à Sp. Caſſio conſule ictum, tertius. Anno demum vrbis 396. compoſita, quę diu ciuitatem turbauerat de plebeio conſulatu, ſeditione, quartus. Id quod apud Dionyſium & Plutarchum inuenitur.

Latiar.

Cap. XXI. *Tuo ductu.*] Quid ſit *ſacrorum euocatio*, & quomodo olim fieri ſolita ſit, vide Macrobium lib. 3.

Iuno regina.

Eod. *Iuno Regina.*] *Regina Iuno* à Latinis cognominata, quod ſoror & coniunx Iouis, Deorum atque hominum regis. De qua Plutarchus in Camillo, præter ea, quæ à Liuio hîc & alijs locis commemorantur, meminit huius reginæ Iunonis etiam Virgilius in illo:

Aſt ego quæ Diuûm incedo Regina Iouiſque.
Et ſoror coniunx.

Profecta quid?

Eius hoſtia exta proſecuiſſet.] *Exta* cocta ſolebant proſecare, vnde & *proſecta* dicebantur, ac partem adolebãt, partem conſecrabant, ſacerdotibuſq; dabãt, partem ſibi apponebant Tranquill. in Auguſto: *Semicruda exta rapta foco proſecuit.* Eſt vero verbum ſacrificantium. Particulæ enim minutæ membrorum omnium *proſecta* dicebantur in ſacrificijs. Sic Lucanus.

——Si pectora pleno
Sæpe dedi, laui calido profecta cerebro.

Et Ouidius:

Inde vbi libauit, proſecta ſub æthera ponit.

Hæ ſacrificiorum particulæ videntur etiam dici *præſicia à præſecando*, de quibus Arnobius lib. 7. ridens antiquorum ſuperſtitioſa ſacrificia. Vide Tornebum li. 15. aduerſariorum cap. 7.

Sub corona venire.

Pileati ſerui.

Cap. XXII. *Libera corpora ſub corona vendidit.*] Antiquitus enim mancipia iure belli capta coronis induta veníbant, & idcirco dicebantur *ſub corona venire*. Sicut autem *corona* ſignum erat captiuorum venalium, ſic *pileus* impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos venondari, quorum nomine emptori venditor nihil præſtaret. De quo vide Gellium lib. 7. Budæum in prioribus ad Pandectas.

Eod. *Decem æſtates hyemesq́.*] Ad imitationem Poëtarum per *meſſes hyemeſque* annos ſupputaſſe videtur. Sic Ouidius pereleganter:

Vrbe virum vidi, tectoq́ animoq́ recepi,
Hic vbi bis æſtas biſque recurrit hyems.

Atque alio in loco:

Tertia nudatas acceperat area meſſes,
Inq́ cauos ierant tertia muſta lacus.

Sed & Thucidides auctor grauiſſimus non recte ab Eponymis rerum geſtarum ordinem accipi arbitratus, tempora in *hyemes* atque *æſtates* digeſſit.

Felix arbor.
Infelix arbor.

Cap. XXV. *Nulla felix arbor.*] *Felices arbores* Cato dixit, quæ fructum ferunt: *infelices*, quæ non ferunt. De qua re Cœlius libr. 10. cap. 7. lectionum antiq. Brodæus libr. 4. Miſcellaneorum, cap. 6. Turnebus lib. 4. cap. 3. Per *infelicem arborem* intelligit ſtipitem & furcam, de qua ſontes ſuſpenduntur, neque enim vlla arbor aut vllum lignum infelicius eſt, & ita iſtud Liuianum intelligendum: *I, lictor, colliga manus, infelici arbori ſuſpendito.*

Damnatus voti
Reus voti.

Cap. XXV. *Damnata voti.*] Verba propria ſacrorum. *Damnatus* autem *voti* eſt, qui promiſſa vota ſoluit. Sic & Virgilius: *Damnabis tu quoque voti.* Reos autem voti eſt, qui ſuſcepto voto nominibus ſe obligat.

Stipes vel ſtips.

Eod. *Stipis verius quam decima.*] Varro *ſtipem* dictam volt, quod qui ſupra æs maiorem numerum accepiſſent, non in arca ponebant, ſed in aliqua cella ſtipabant, hoc eſt, componebant, quo minus loci occuparet. Pecuniam quoque quam vel in ærarium reponebant, vel Diis offerebant, *Stipem* veteres dixêre. *Stipendiarij* milites hinc dicti, quod *ſtipem* penderent.

Pilentum.

Eod. *Vt pilento ad ſacra.*] Idem ſcribit Sextus Pompeius, ob hanc munificentiam conceſſum fuiſſe matronis, vt *pilentis & carpentis per vrbem veherentur*. Fuêre autem *pilenta*, vt Seru. lib. 8. Æneid ſcribit, *vehicula, ſicut nunc Baſtarnas videmus*. Erant aũt tunc Veneti coloris, non vt nunc roſſati, quib. niſi caſtæ matronæ vti non poterant. Quod & ab Iſidoro refertur lib. 20. Etymolog. vbi & carpentum ab Horat. *petoritum* appellatum ſcribit.

Cap. XXVII. *Magiſtro liberorum.*] Nefandum huius ludimagiſtri & indignum planè facinus, ſcribunt quoque Plinius de viris illuſtribus, cap. 23. Claudianus in Gildon. Valerius li. 6 cap. 5. Frontinus lib. 4. cap. 4. Sabellicus lib. 10. c. 4. Eſt autem perfidiæ, proditionis, & impietatis in diſcipulos exemplum.

Iura militaria.

Eod. *Belli iura.*] Fuit. n. & inter ceteras hæc lex militaris, *ne dolo malo, neue aliena iniquitate, ſed iure et propria virtute bellum gereretur*. quam diligenter à Romanis obſeruatam hic Liuij locus teſtimonio eſt Manutius de legibus Romanis.

Eod. *Pueros tradidit.*] Iniuria. n. vel dolo hoſtes vincere inhoneſtum putabat, cum non fraude, ſed propria virtute, magnum fortemque ducem militare deceat.

Equis albis triumphaſſe.

Cap. XXVIII. *Albi per vrbem vexerant equi.*] De hoc triumpho lege Plutarchum in vita Camilli, Blondum lib. 10. Romæ triumphantis, Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. qui tres triumphos vnà egiſſe lib. 1. c. 22. ſcriptum reliquit. Datum autem id Camillo crimini ideo eſt, quod albis equis triumphaſſet, quod Diis immortalibus in eo ſimilis eſſe voluerit. *Albis* enim *equis Iouem & Solem vehi* apud Higynum legimus, & alibi Plinius li. 33. c. 7. Camillum minio illitum triumphaſſe ait.

Literæ laureatæ.

Eod. *Literæ laureata.*] Moris fuit apud Romanos, vt quoties Imperator hoſtium exercitum deleuiſſet, aut vrbem expugnaſſet, *lauro* victoriæ ſigno literas inuolutas ad ſenatum mitteret. *Laurus* enim, vt & palma victoriam ſignificat. Hinc Ouid. amorum 1. Eleg. 11.

Non ego victrices lauro redimere tabellas.

Sic etiam *faſces laureati* dicuntur Plinio; *Laureola corolla* Ciceroni 2. Epiſt. ad Cœlium. Vide Brodeum lib. 5. Miſcellan. cap. 33.

Interceſſio.

Cap. XXIX. *Interceſſionem ſuſtuliſſe.*] *Interceſſio* eſt id, quod vulgo *oppoſitionem* vocamus. Gellius lib. 13. *Varro (inquit) de interceſſionibus ſcripſit.*

Telum metaphoricè quid.

Eod. *Aliud telum patres.*] *Telum* hoc loco pro conſilio ac ratione viaque gerendi negotij accipitur, vt & alibi ſæpe apud Liuium: Fortaſſis ſumpta Metaphora à venantibus, qui telo appetunt quod capere volunt. Vnde & *certa* dicuntur *tela*, conſilia quæ numquam fallunt, Eraſmus in prouerbio: *ingens telum neceſſitas.*

L. Apuleius tribun. plebis.

Cap. XXXII. *L. Apuleio tribunus plebis.*] Non *Saturnino*, qui tribunus plebis de agrorum diuiſione legem tulit, prout Schuretiani codices Argentinę impreſſi habent: ſed L. Apuleio Camilli accuſatore quem quoque Volaterranus lib. 13. cap. 4. Vrbanorum commentariorum à *Saturnino* ſeparat.

Eod. *Quindecim millib. grauis æris.*] Qui aſſium numerus ad argentei rationem relatus, mille & quingentas drachmas conſtituit. Notanda igitur Romanorum ingratitudo erga Camillum, qui incolumitatem ſuã tueri non valuit Romæ cuius ipſe ſalutem ſtabiliuerat, & ſummam felicitatem auxerat. Vide Val. Max. li. 5. c. 3.

Cluſium.

Cap. XXXIII. *Cluſinus.*] *Cluſium* Italię oppidum, prope *Clanem* in monte ſitum, de quo Plinius lib. 34. c. 12. Volaterranus lib. 5. cap. 2. Geogr.

Ius in armis.

Cap. XXXVI. *Ius in armis ferre.*] Militaris magis quam ciuilis vox hæc eſt. Sic & Marius reprehendentibus ſe, quod vno tempore mille mamertinos contra leges ciuitate donaſſet, reſpondit, *ſe per armorum ſtrepitum leges exaudire non potuiſſe.* Iulius quoque Cæſar patriæ bellum illaturus amicis bellum diſſuadentibus, quod id contra leges eſſet, *Ius in armis eſſe* renuntiat. Cumque Pompeio ex Italia fugato, theſaurum ex ærario populi Romani foribus vi effractis abrepturus eſſet, Metello tribuno plebis id certis legibus allegatis vetanti ait: *Non idem armorum ac legum tempus eſſe.*

Ambitio.

Eod. *Ambitio obſtabat.*] Quam Græci φιλοτιμίαν appellant, & Eurip. vt peſſimum in ciuitate nomẽ execratur.

Gallorum vlulatus.

Cap. XXXIX. *Vlulatus, cantusq́ diſſonos.*] Mos enim fuit Gallorum, terribilem ſonitum claſſicorum edere, & cum ab eo vniuerſa multitudine tãtum clamorem vlulatumque attolli, vt incredibilis vociferatio audiretur, nec tubæ ſolum milireſque, verum etiam circumſtantia omnia loca vocem emittere viderentur.

Curules magiſtrat.

Cap. XLI. *Curules geſſerant magiſtratus.*] *Curules magiſtratus* erant *ædiles, prætores, conſules*, ſic dicti à *ſellis curulibus*, quibus geſtabantur. Qua de re copioſe Feneſtella & Pomponius de magiſtratibus Romanorum & Alex. ab Alex. lib. 4. c. 11.

Honorum inſignia.

Eod. *Honorumq́ inſignibus.*] *Honorum inſignia* erant *toga prætexta, ſella curulis, ius imaginis in memoriam poſteritatis, veſtis purpurea.* Alexander loco præallegato.

Senectus veneranda.

Eod. *Quam venerabundi.*] Senectuti enim etiam inter atrociſſimos, honor debetur & reuerentia. Apud antiquiſſimos tamen Romanorum, neque pecuniæ præſtantior honos tribui, quam ætati ſolitus, maioreſque natu à minoribus colebantur, ad Deum propè & parentum vicem. Atque in omni loco atque ſpecie honoris priores potioreſque habiti. Vide Gellium lib. 2. c. 15. & Valerium Max. lib. 2. c. 1.

Teſtudinẽ facere quid.

Cap. XLIII. *Teſtudine facta.*] Id de ea *teſtudine* intelli-

gir Torneb.lib.9.aduerſ. cap. 8. quam faciebat exercitus ſe tegumentis ſcutorum vndique operiens, vt teſtudo ſuo obducta eſt putamine, eaque ſpecie referebat tectum ædificiorum. Sic autem ſe operiebant erate perpetua clypeorum aduerſus ſagittas Parthorum, & aduerſus omnia miſſilia ſuperne cadentia, cum vrbem oppugnabant. Hinc Maro ſcribit.

Obſeſſumque acta teſtudine limen.

Cap. XLV. *Nuda corpora.*] Gallos enim *nudis corporibus* pugnare ſolitos, teſtatur etiam Polyb. li. 2.

Cinctus Gabinus.

Cap. XLVI. *Gabino cinctu.*] *Cinctum Gabinum* dicunt eſſe togam ſic in tergum rejectam, vt vna eius lacinia reuocata hominem cingat. Hoc genere veſtimenti cõſul Romanus vtebatur bellum indicturus, atteſtante Virgilio:

Ipſe Quirinali trabea, cinctuq; Gabino. Vbi vide Seruium.

Pontius Cominius.

Eod. *Pontius Cominius.*] Frontinus li. 3. cap. 13. ſcribit Romanos in Capitolio obſeſſos, ad Camillum ab exilio reuocandum, Pontium Cominium miſiſſe, qui vt ſtationes Gallorum falleret, per ſaxum tarpeium demiſſus eſt. Cuius rei quoque mentionem faciunt Plin. li. 7. c. 28. Vegetius li. 4. cap. 26. de re militari.

Dictator abſens dictus.

Eod. *Dictatorque abſens dictus.*] Abſentes antea numquam hactenus dictatores dixere Romani qui ſemper in foro Romano, oriente nocte, & ſilentio dicere conſueuerunt, teſte Alexandro ab Alex. libr. 4. cap. 23. vbi de dictatoris ſummo imperio & poteſtate multa leges, Dionyſ. lib. 5.

Anſer natura pauidum animal.

Cap. XLVII. *Anſeres non fefellere.*] Eſt enim hoc animal natura pauidum, ac ſenſu audituque acerrimum, vt eſt apud Plinium lib. 10. cap. 23. & lib. 29. cap. 3. Huius autem hiſtoriæ meminit quoque Maro lib. 8. & Alex. ab Alex. li. 6. cap. 11. Verum & illud quoque obiter notandum eſt, Romanos volentes rependere id beneficij genus, longo poſt tempore, non tantum è publico anſeribus cibum dediſſe, verum etiam aurea anſerum ſimulachra feciſſe, ac vt Deos coluiſſe, vt eſt apud Plinium vbi ſupra.

Eod. *Vir bello egregius.*] Nam vt Plin. lib. 7. c. 28. ſcribit *ante viginti duos annos bina cepit ſpolia: Primus omniũ equos coronam muralem accepit, ſex ciuicas, triginta ſeptem dona à ſuis imperatorib. triginta tres aduerſo corpore cicatrices accepit.* Cui ex recentioribus aſtipulatur Pontanus de fortitudine Heroica, lib. 1. cap. vltimo.

Manlij virtus.

Eod. *Manlius ob virtutem laudatus.*] De Manlij rebus geſtis præter Liuium Plinius lib. 7. cap. 28. Florus lib. 1. cap. 13 & 26. Plutarch. in Camillo. Eutropius lib. 2. cap. 13. Valerius Maximus lib. 6. c. 3. Virgil. lib. 8. Sabellicus lib. 1. Ennead. 4.

Aius Locutius.

Cap. L. *Locutio fieri.*] *Aium Locutium* intelligit, qui vt inquit Varro in libris diuinarum: *Deus eſt appellatus, ob vocem diuinitus editam*, vt ſcribit Gellius lib. 16. cap. 17. Meminit eius Cicero lib. 1. de diuinatione. Plutarch. in lib. de fortuna Roman. qui hanc hiſtoriam recitans, *Aium Locutium* φήμην ϰαὶ ϰληδόνα vocauit.

Puluinaria Deorum.

Cap. LII. *Puluinar ſuſcipi poteſt.*] Solebant Romani vel deuictis hoſtib⁹, vel quouis alio modo repub. bene geſta, & periculo cõmuni propulſato, ad puluinaria Deorum ſupplicationem decernere. Id vero non niſi in Capitolio fieri potuiſſe, hic locus Liuij indicat. Sic Cicero Catil. 3. *Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia puluinaria ſupplicatio decreta eſt, celebratote illos dies cum coniugibus & liberis veſtris.* Et Horatius li. 1. carminũ Ode 37.

--- Nunc Saliaribus

Ornate puluinar Deorum.

Tempus erat dapib.

Veſtę ignes æterni.

Eod. *Æternis Veſtæ ignibus.*] Veſtæ enim Deæ ignis inextinctus apud Romanos erat, virginibus Veſtalibus cum ſumma diligentia cuſtodientibus, quod eo extincto à Pontifice verberari ſolerent. Quotannis tamen & nouus ignis excitabatur à Veſtalibus, vt teſtatur Ouidium in faſtis:

Adde quod arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur & vires flamma refecta capit.

Ignis perpetuus.

Sed enim non Romanos modò, ſed aliquot alias gentes *ſacrum ignem* publicè cuſtodiſſe legimus. Nã Athenis in Prytaneo *ignis perpetuus* aſſeruabatur, nõ à virginibus, ſed (vt ait Plutarchus) à mulierib. iam matrimonio ſolutis. Strabo li. 9. Poliadis Mineruæ templum in ſaxo vetuſtum ſcribit, in quo *ignis inextinguibilis* fuit. Ægyptij quoq; *ignem* ſeruabant, vt teſtatur Diodorus, quinetiam Delphis. Perſę quoq; ſumma religione *ignẽ* cuſtodiebant & venerabantur, vt teſtatur Procopius li. 2. belli Perſici. Fuit autẽ *Veſta* Saturni ex Ope filia, dea virginitatis, cui Æneas poſt Troianũ incendium, condito Lauinio ædẽ ſacrauit, poſtea Aſcanius condita Alba templum quoque in montis Albani vertice dicauit. De qua re Plin. li. 16. c. 2. li. 18. c. 2. li. 34. c. 5. Cicero lib. 2. de natura Deorum, Gellius li. 1. c. 12. Feneſtella cap. 6. Alex. ab Alex. li. 5. c. 12. Cœlius Rhodiginus li. 15. c. 16. Blondus li. 1. Romæ triumph. Seruius li. 11. Æneid. Lucretius li. 2. Ceterum, quod de *ſigno imperij pignore* ait, id paulo expreſſius li. 6. ſecundi belli Punici declarat, vbi quoque æternos ignes receuſet, ac conditum in penetrali fatale pignus imperij.

Veſta Dea.

Eod. *Comitia curiata.*] Hoc eſt illud, quod de his obſcure dixit Cicero his verbis: *Atque hoc cum in eo reprehendendum eſt, quod per Tribunos plebis Tribunitia poteſtas minuitur, tum in eo deridendum, quod conſuli ſi legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Vide de hoc notata circa finem lib. 1.

Eod. *Tribunoſq; militares.*] *Tribunos militares*, qui conſulari erant poteſtate, iiſdem comitiis, quibus conſules creari ſolitos ex hoc Liuij loco oſtendit Perionius li. 3. de magiſtr. Rom.

Iuuentas Dea. Terminus.

Cap. LIV. *Iuuentas.*] Plurimum ad huius loci illuſtrationem faciunt ea, quæ ſcribit Auguſt. lib. 4. de ciuitate Dei, quæ huc apponere libet. *Cum rex*, inquit, *Tarquinius Capitoliũ fabricare vellet, eumq; locum, qui ei dignior aptiorque videbatur à Deis alteris videret præoccupatum, nõ audens aliquid cõtra eorum facere arbitrium, & credens eos tanto numini ſuóq; principi ceſſuros, per augurium quæſiuit, vtrum locum concedere vellent Ioui, atque inde ipſi cederet omnes voluerunt præter Martẽ, Terminum & Iuuentatem. Atque ideo Capitolium ita conſtructum eſt, vt etiam iſti tres intus eſſent, tũ obſcuris ſignis, vt hoc vix homines doctiſſimi ſcirẽt.* Digladiantur Grammatici *Iuuentuſne*, an *Iuuenta*, vel *Iuuentas* Dea ſit, ſed & *Iuuentus* & *Iuuenta* pro Dea capitur Ouid. lib. 1. de Triſtib.

Nectar & Ambroſiam, latices, epulaſque Deorum
Det mihi formoſa gnaua Iuuenta manu. Templa *Iuuentutis* in circo Maximo à Licinio Lucullo dedicati meminit Liuius infra.

Antiquata lex.

Cap. LV. *Antiquata deinde lege.*] Lex *antiquabatur*, quę non perferrebatur hoc ſenſu. Liuius hîc tribunitiã rogationem antiquatã ſcribit, vt notat Rænardus ca. 1. ad LL. 12. tab. quæ autem ſemel perlata iterũ tollebatur, *abrogari* dicebatur. Nam populus Romanus, vt legem ferre, ſic eandem & antiquare & abrogare potuit.

Abrogata lex.

Prędes qui.

Eod. *Prædib. acceptis.*] Varro: *Præs*, inquit, *eſt qui à magiſtratu interrogatur in publicum vt præſtet, à quo cum reſpõderit dicitur præs.* Hodie, vt annotat Budęus in prioribus *prædes* ſunt, qui ſponſores reipub. vel principi facti ſunt pro iis qui pecuniam publicam diſpenſant.

IN LIBRVM VI. ANNOTATIONES.

Religioſi dies. Nefaſti dies.

DE *diebus religioſis.*] Eadem Gellius & Macrob. à veteribus ſcriptorib. repetita, etſi aliis verbis referunt, niſi quod ſecundam ſolùm opinionem ſequuntur. Qui vero hîc *religioſi* dicuntur *dies*, ij & *nefaſti* & *atri* vocantur. Tot enim nominibus eos appellatos, Perionius lib. 3. de magiſtratib. Romanis tradit ex Gellij lib. 4. cap. 19. Brodæus li. 3. cap. 17. Miſcellaneorum. Apud Romanos enim dierũ quidam *fauſti*, & in agen-

dis rebus felices, quidam *atri* & triſti omine infames habiti, quibus aliquid moliri, aut nouæ rei inceptare, euentus exitialis erat. In his exercitum conſcribere, legiones educere, manus cum hoſte conſerere, ſponſalia inire, peregre proficiſci, aut quidquã publicæ vel priuatæ rei moliri, inceptu fœdum & exitiale exiſtimarũt. Obſeruatumq; fuit, vt qui hoſtes bello laceſſere, vel acies eo tempore committere tentarent, rem in nõ mediocre periculum & diſcrimen adducerent, magno poſtea exitio conſecuto. Præterea in diebus faſtis prætores omnia verba ſine piaculo proferre audebant, in diebus vero nefaſtis nequaquam. Qua de re vide M. Terentium Varronem, Plutarchum in Camillo, Macrobium lib.1.cap.16.Saturnal. Gellium li.5.cap.17. Blondum lib.2. Romæ triumphantis, Cœlium lib.14.cap.9. Ouidium lib.2.Faſtorum.

Eod. *Cal. Sextiles.*] Plutarch. in Problemate 24. *poſt Idus Quintiles*, quas nunc *Julias* vocant, factum eſſe ait. Alex autem ab Alex. paulo apertius loquens, atros dies *poſt idus Quintiles* ad 15. Cal. Sextiles duplici clade inſignes notatos eſſe exiſtimabat lib.4.c.20.

Cap. v. *Pomptinus ager.*] De agro Pomptino Cœlius lib.19.c.25. vbi cenſet pro *Põptino* legendũ eſſe *Pontino*.

Cauſarij qui?

Cap. vi. *Ex cauſariis ſenioribuſq;.*] *Cauſarios* proprie dici milites valetudinis cauſa emiſſos, ex Vlpiano docuit Politianus lib. Miſcellaneorum cap.92. quoniam multa erant miſſionum genera. Erat *honeſta*, quæ emeritis ſtipendiis, vel ante ab imperatore indulgebatur. Et *cauſaria*, quæ propter valetudinem laboribus militiæ ſoluebat. *Cauſa* enim μεταφορικῶς valetudinem malam & morbum ſignificat, vnde *irrogare cauſas* pro *morbos tollere*, Prudentius Steph.

Supplicium cauſas peritus quæ medelis irrogant: Vt annotauit vir eruditiſſimus Georgius Fabricius in annotat. ſuis in Poëtas Chriſtianos.

Libra & ære liberare.

Cap. xiv. *Libraq; & ære libratum emittit.*] Nam vt in mancipatione non minus quã quinque teſtes ciues Romani puberes adhibebantur, & is qui libripens dicebatur, eo qui mancipium accipiebat, æs tenente, atque ita dicente: *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum eſſe aio, iſq; mihi emptus eſt hoc ære æneaq; libra.* Sic & in emancipatione hæc eadem ſolennitas obſeruabatur. Meminit æris & libræ Iuſtinianus. *Teſtamentum*, inquiens, *aut in pace fiebat, quod calatis comitiis vocabatur, aut cum in prælium eſſent exituri, quod procinctum dicebatur, aut per æs aut libram, id eſt, emancipationem, nimirum imaginariam venditionem, quæ fiebat præſentibus quinque teſtibus*, vt dictum eſt. Itidem *adoptio* per æs & libram interdum fiebat. Suetonius in Auguſto: *Caium & Lucium adoptauit domi per æs & libram emptos à patre Agrippa*, *id etiam in nexu et venditione fiebat.* Omnia autem iſta eadem iuris ſolennitate ſoluebantur. Nihil enim tam naturale eſt, quam eodem genere quodque diſſoluere quo colligatum eſt, vt inquit Vlpianus L. nihil tam naturale. ff. de reg. iur.

Addicti.

Eod. *Iudicatum addictumve.*] *Addicti* apud veteres dicebãtur, qui prætoris iuſſu, cum ſoluendo non eſſent, creditoribus addicebantur, vide Vallam lib.5.

Eod. *Theſauros auri Gallici.*] Prædam Gallicam vel aurum, quo pro Capitolij redemptione in medium fuerat collatum.

Cap. xvii. *Dux ſeditioni datus.*] Dimiſſus enim vt apud Plutarchum legimus, ex carcere nihilo modeſtior fuit, ſed multo inſolentius factiones ſeditioneſque agitauit.

Cap. xviii. *Beluas ignorare voluit.*] A multitudine numeroq; quo plebeij valde nobiles ſuperabant, eos excitare voluit, imitatione Homeri, apud quẽ li. 2. Iliad. Agamemnon exercitum alloquens ſimili ratione vtitur, vt annotauit Victorius lib.16.cap. 4.

Dij facientes adiuuãt.

Eod. *Nunquã de cælo deſcendent.*] Varro li.1. de re ruſtica. *Et quoniã vt aiunt, Dij facientes adiuuant, prius inuocabo Deos.* Quo ſignificat diuinã opem nõ ceſſantibus, ſed induſtriis & pro ſua virili conãtibus auxilio eſſe ſolere. Citatur à Suida Senatus in eandem ſententiam.

Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα τοὺς θεοὺς κάλει. Et Æſchylus apud Stobæum:

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός. Hoc eſt.

Huic qui laborat, numen adeſſe ſolet.

Mentem dare.

Eod. *Vobis mentem dent.*] *Dare mentem* vel *inijcere mẽtem*, formula dicendi probatis auctorib. vſitata, ſicut Græcis ἐμβαλεῖν ſiue ἐμποιεῖν νοῦν, de qua formula vide Victorium lib.7. variar. lect. cap. 5.

Veſtem mutare. Capillum ſummittere.

Cap. xx. *Non cognatos quidem aut affines.*] Veteri ſiquidem more non rei dumtaxat, ſed etiam cognati, affines, liberti eorum & familiares veſtem mutare, capillúmque ſubmittere conſueuerunt, vt præter Liuium teſtatur Plinius epiſt.7. Et huc reſpexit Venuleius L. 39. ff. de iniurijs, vbi ait: *Veſtem ſordidam rei nomine in publico habere, capillumve ſubmittere nulli licet, niſi ita coniunctus ſit affinitate, vt inuitus in reum teſtimonium dicere cogi non poſſit*, de quo vide Iacobum Ræuardum Variorum lib 3.cap.6.

Dona imperatorum.

Eod. *Dona imperatorum.*] De militaribus donis lege Alex. ab Alex. li.4.cap.18. Blondum li. 6. Romæ triumph. Gellium lib.5 cap.6. Plinium lib. 33. cap.2. & lib 7. cap.28. lib.22. cap.5.

Eod. *Ad Capitolium manus tendens.*] Notandum ex hac hiſtoria, quantum habeat momenti venuſta actio atque pronunciatio, vide Fulgoſium lib.8. c.10. rerum memorabilium.

Petelinus lucus.

Eod. *Petelinum lucum.*] Fuit enim in campo Viminali ſub aggere prope Iunonis Lucinæ templum hic locus, vt eſt apud Publium Victorem in regione vrbis 5.

Duumuiri perduellionis.

Eod. *Sũt quod duumuiros qui de perduellione anquirerẽt.*] De *duumuiris perduellionis* ſuperius li.1. dictũ eſt. Pauca vero huius generis iudicia facta eſſe leguntur, præterquam in cauſa Horatij & Manlij, & hic Liuius ſcriptũ reliquit. Ciceronis ætate crimen perduellionis erat, cũ quis contra libertatem populi quid fecerat, cum cõtra legem Portiam, quæ cædi & ſecuri feriri ciues non ſinebat, quis ciuẽ virgis ceciderat, aut interfecerat. Sic in Poſthumi cauſa ob atrocitatẽ facti occiſo ſacroſancto tribuno, iudiciũ perduellionis fuit. Hoc iudicium iam inde à regibus *Duumuiri* exercebant, quos poſt reges exactos populus creabat, quandocúmq; tale crimen incidebat, non prætor ſortiebatur, vt ait Dio, quod contra morem patriæ factum dicit Dio in Rabirij cauſa. A duumuiris aũt prouocatio erat ad populum, ac Cicero pro Poſthumo iudicium illud Duumuirũm nõ tam reijcit, vt obſoletum & contra morẽ patriæ, quam quod neget, vbi ſenatus decreuit, vt conſules videãt, ne quid reſpub. detrimenti capiat, eſſe locum ei iudicio.

Tarpeius mons.

Eod. *De ſaxo Tarpeio.*] *Tarpeia rupes*, vel *Tarpeius mõs*, locus eſt in vrbe altiſſimus ex quo ſontes præcipitabãtur. Vnde etiam hodie in eo loco dãnati puniuntur ſupra forum Romanum. Qua de re lege Alex. ab Alex. li. 3.c.5. Cœlium li.10.c 5. Marlianum li. 2.c.8.

Eod. *Domus eius fuiſſet.*] Plinius de viris illuſtribus domum dirutam ſcribit. Diruebantur enim apud Romanos priſcos damnatorum ædes, & illorum quoque bona propter criminis deteſtandum facinus publicabantur, ac publicis vſibus deſtinebantur. Qua de re copioſe Alex. ab Alex. lib.3.c.23.

Eod. *Notæ ſunt.*] Ideo autẽ publice hę notæ impreſſę ſunt, vt docerent poſteros fœdam regni cupiditatem ac tyrannidem ſemper infelices habere exitus.

Cap. xxi. *Sanguine ſeruatoris.*] Nã Manlius defenſor, cuſtos, conſeruator, & ciuium & vrbis dictus eſt.

Legio quid?

Cap. xxii. *Legionibus quaternûm millium.*] Ad quatuor millia *legionem* initio redactam, hiſtoriæ multis locis teſtantur, vnde & *quadrata* Feſto dicta eſt, variatam tamen eam pro vſu reipubl. & ſenatus arbitrio. vt modò quatuor, modò quinque, modò ſex millium ſcriberetur, Liuius plurimis locis teſtatur. Nam libr. 25. bello Punico legionem *quinque millium peditum*, lib.42 bello Perſico itidem legiones *quinorum millium* conſcriptas tradit. Libro vero 44. exercitum in Macedoniam miſſum, ita vt in ſingulas Romanas legiones non plus quã

Digitized by Google

ſeni millia peditum ccc. *equites* eſſent. Quin etiam Polybius memoria ſua legiones ex *quinis milibus* conſcribi retulit. Et Feſtus C. Marium primum legionem *ſex millibus* conſcripſiſſe teſtatur, quod non ſenatus decreto, ſed imperatoris conſilio factum ex Saluſtio docet Sigonius lib. 1. de antiquo iure Quiritium, cap. 15. Dicta autem eſt *legio*, Varrone & Plutarcho auctoribus à delectu fortiſſimorum militum.

Armis concrepare.

Cap. xxiv. *Armis concrepare.*] *Armis concrepare* militaris moris fuit, quo non ira, nunc fauor exercitus notabatur. Marcellinus auctor eſt, ſi quando milites ſcuta genibus illiderent proſperitatis indicium, contrà cum haſtis clypei ferirentur, iræ documentum fuiſſe. Idem iudicat T. Liuius Decadis 3. lib. 8. Cæſar lib. 7. de bello Gallico. *Conclamat omnis multitudo, & ſuo more armis concrepat, quod facere in eo conſueuerunt, cuius orationem approbant*, &c.

Iupiter Imperator.

Cap. xxix. *Iouis Imperatoris.*] Simulacrum huius in viii. vrbis regione collocatũ eſt auctore Pub. Victore. M. Tullius in vi. Verrina. *Iouẽ Imperatorẽ*, inquit, *quãto honori in ſuo templo fuiſſe arbitramini, colligere poteſtis.*

Ambuſtus vnde.

Cap. xxxiv. *Ambuſti potẽtis viri.*] *Ambuſtus* cognominatus eſt, quod olim adoleſcens fulmine in naribus tactus, deflagrauerit. Cuius rei teſtes ſunt Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Volaterranus lib. 16. cap. 1. & 4.

Eod. *Filiæ duæ nuptæ.*] Quarum nomina nullibi expreſſa legimus, vide de hac hiſtoria etiã Valerium Max. lib. 8. cap. 6. Sabell. lib. 4. Ennead. 3.

Stolo quis.

Eod. *C. Licinio Stoloni.*] *Stolonis* cognomen adeptus eſt, quod agriculturæ ſtudioſus plantas & arbores ablaquearet & reſectis fruticibus, quos *ſtolones* agricolæ vocant, curare ſoleret, vt legimus apud Columellam de re ruſtica, Gellium lib. 16. cap. 11. Plinium lib. 17. cap. 1. & 10. Volaterranum lib. 16. cap. 4. Ceterum *Licinios*

Licinij qui.

Romani vocabant, qui paruis oculis naſcerẽtur. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9.

Eod. *Mos eſt.*] Mos enim fuit, vt lictor virga fores percuteret, quas conſul, aut alij magiſtratus eius notæ fuerant intraturi, quem morem etiam tangit Plinius lib. 7. cap. 30.

Eod. *Riſui ſorori fuit.*] Inſolentiſſimè irriſam à ſorore ait Florus.

Cap. xxxv. *Viam ad ceteros honores aperirent.*] Libidinis regnandi maniſque gloriæ ſatis memorabile exemplum, quo docemur, quam facile ad gloriæ & ſummum dignitatis faſtigium perueniendum cogitemus, ſi vxorum, quæ ſemper laudis & honoris ſtudio ducuntur, ſtimulis agitemur.

Sepultura veterum.

Cap. xxxvi. *Locum ſepulturæ.*] Mos enim veterum fuit, vt in ſuis agris plerumq; buſta ſibi facerent, de quo Victorius lib. 14. var. lect. cap. 21.

Neruus.

Eod. *In neruum ac ſupplicia dare.*] *In neruum*, id eſt, *in neruum*, de quo ſupra lib. 2. Vnde Plautus in Pœnulo: *Verum mihi argentum reddas. priuſq; eum in neruum abducare.* In *neruum* itaque *dare*, eſt obligationis iure ac conditione capi, atque in ergaſtulum abduci.

Vti rogas.

Cap. xxxviii. *Vti rogaſſent.*] In legibus ferendis, ciuã lationi ſuffraganti tabella dabatur, cui inſcriptum erat, *Uti rogas*, improbanti vero eam, tabula cui inſcriptum erat, *Antiquetur.* Cicero li. 2. de legibus. *Suadeò igitur ſi placet, iſtam ipſam legem, vt ego* (vti rogas) *dicere poſſim.*

Cap. xl. *De fœnore atq; agro rogationes iubebant.*] Teſtatur hic locus Tribunos plebis, eoſque quibus rogare legẽ fas erat, ſolitos plura ſub vnius rogationis nomine ad populum ferre, & plerumq; vtilia cum pernitioſis, bona cum malis coniungere. Qua ratione cum fieret, vt plebs ſæpe propter ea, quæ ſalubria erant, etiam mala iubere cogeretur, non disiungentibus ea tribunis

Lex Cæcilia.

plebis, cautum eſt poſtea lege Cęcilia & Didia, vt de ſingulis rebus ſeparatim, non de pluribus coniunctim ad populum ferretur. Præterea, vt leges trinundino regerentur, vt teſtis eſt Cicero pro domo ſua.

Ciuis Roman. quis.

Eod. *Duobus ingenuis ortum*] Ciuis enim Romanus erat, qui ex ingenuo & ingenua eſſet ortus, nec aliud præterea requirebatur, ſi modò pater Romanus erat, & mater Romana, aut etiam peregrina, ex iis quibus ius ciuitatis habebant. Papia autem lex fuit, quæ peregrinos à iure ciuitatis Romanæ repellebat, vt Cicero explicat in lib. de officiis, & Valerius Max. lib. 3. cap. 4. in exemplo de Perpenna. Robortellus lib. 1. Emendat. cap. 20.

Auſpicia patriciorũ.

Cap. xli. *Adeo propria ſunt auſpicia.*] Docet hic locus nihil aliud quã patriciorũ adeo propria fuiſſe auſpicia, vt & ipſi ſoli auſpicarẽtur, ipſi ſoli auſpicatò magiſtratus crearentur, ab ipſis ſolis nulli cum eſſent patricij in repub. magiſtratus, auſpicato interrex diceretur, qui rogãdis magiſtratib. comitia centuriata haberet. Quorum duo priora præcedente tempore interiiſſe, poſtremum vero perpetuum fuiſſe, tradit Sigonius libro primo de iure ciuium Romanorum, cap. 7. Nam vbi plebs primùm in partem patriciorũ magiſtratuum venit, vt conſulatus, tum vero ad plebeios iure tranſlata ſunt auſpicia, vt & auſpicatò crearentur, & ipſi auſpicarentur. Id quod exemplo Genutij, de quo infra lib. 7. confirmat. Neque enim dubium, ſi Genutius plebeius conſul eſt factus, quin auſpicatò factus ſit. Nam centuriata comitia, quibus conſules creabantur, auſpicata erant, vt tributa inauſpicata, eademque ratione, ne illud quidem vllam habere debet dubitationem, ſi Genuſius conſul rem geſſit, quin captatis ante auſpiciis geſſerit, cũ conſules, teſte in Philippicis Cicerone, & ſpectionem & nunciationem haberent. Ceterum cum omnia ferè patriciorum iura, conſulatum & ſacerdotia, plebs conſecuta eſſet, illud tamen impetrare non potuit, vt aut interregem ex ſe, aut flamines maiores Dialem, Martialem, & Quirinalẽ proderet, aut regẽ ſacrificulũ faceret. Quos locos vt Patricij integros vſq; ad extrema tempora poſſederunt, ſic proprium illud vſque ad extremũ plebeiis reliquerunt, vt comitia tributa ab auſpiciis ac patribus libera haberent, & Tribunatum atq; ædilitatẽ ſoli caperẽt. Patet itaque plebeios magiſtratus auſpicia non habuiſſe, licet Zonaras libro annalium 2. Tribunis plebis auſpicia à Patriciis cõceſſa eſſe ſcribat. Nam id, vt Sigonius exiſtimat, de obſeruatione de cœlo intelligendum. Ac adeo magiſtratuum propria auſpicia fuerunt, vt magiſtratus ipſos inter ſe diſtinxerint ac ſegregarint. Vt enim *auſpicia* alia maiora fuerunt, alia minora: ſic *magiſtratus* partim maiores, partim minores. *Maiores*, qui maiora auſpicia habuerunt, vt Conſules, Prætores. *Minores*, vt reliqui. Maiora autẽ dicuntur habere auſpicia, quia eorum auſpicia magis rata ſunt, quam aliorum, quod ex libris Meſſalę & Tuditani Commentariis Gellius prodidit libro decimo tertio.

More maiorũ quid.

Eod. *More maiorum.*] Frequens eſt hæc formula Liuio, vt hic & lib. 5. lib. 6. lib. 36. aliiſq; auctorib. At hiſce verbis nihil aliud ſignificari, quam legem nõ ſcriptam, tradit Ferrandus Adduenſis in L. Ius ciuile. §. hoc igitur. ff. de iuſtitia & iure. Vide etiam Alciatum libro 4. Parergon iuris ciuilis cap. 21.

Eod. *Pulli non paſcentur.*] Pulli ſi paſcerentur bonum augurium erat, ſi non paſcerẽtur malum. *Claudius Pulcher* (inquit Suetonius) *apud Siciliã non paſcentibus in auſpicando pullis, ac per contẽptum religionis mari demerſis, vt biberent, quãdo eſſe nollent, prœlium nauale iniit ſuperatuſq; eſt.* Et Aſconius ſcribit dici ſolitum magiſtratũ ineuntibus: *Aues paſcunt.* Torneb. li. 14. aduerſ. cap. 12.

Aues paſcant.

Auctores patres facti.

Eod. *Patres auctores fiunt.*] Antiquitus enim id iuris patres habebant, vt tum demum rata eſſent, quæ populus iuſſerat, ſi patres auctores fierent, id eſt, cum rem factam probarent. Quod vero ſit *auctorem fieri*, ſuperius oſtenſum eſt, ni fallor lib. 1.

Ædiles plebis.

Cap. xlii. *Recuſantibus ædilib. plebis.*] Nam hi eo tempore, quo plebs in montem ſacrũ receſſerat, cum tribunis creati erant, vt tribunis ſubminiſtrarent omnia neceſſaria, eaſq; cauſas iudicarent, quas ipſi eis permitterẽt, ſimulque quoque omnia decreta, plebiſcita, ſenatuſconſulta aſſeruarent, ſacrorũ publicorũque locorũ curam haberent, ab iis, quæ ædes dicuntur, *ædiles* voca-

Æ*diles curules vnde?*

ti, vt Dionyſius. Pomponius & Zonaras ſcribunt. Ceterum eorum, qui ex *patricijs* electi, *Curules* à ſolio eburneo dicebantur, munus erat ludos publicos Maximos vel Romanos facere, ſacras priuatáſque ædes procurare, totam vrbē tueri, vt cloacę & aquæductus, & quæq; publica ædificia munda eſſent, loca in theatro aſſignare, quin ſi quiſpiam ſeruum aut iumentum morboſum vitioſumve pro integro ſanóque vendidiſſet, edicto ædilium emptori ſuccurrebatur, prout habetur in ff. ſub tit. de ædilitio edicto per totum.

IN LIBRVM VII. ANNOTATIONES.

Prætores quando inſtituti.

CAp. I. *Pretura.*] Mirum videri poteſt, quod Liuius hic ſcribit, *Pretorem* anno vrb. CCCLXXXIX. creatum, cum ſupra lib. 3. tradiderit Horatia lege conſules, & prætores eiſdē auſpicijs creatos eſſe. Sed id ita intelligendum eſſe exiſtimat Antonius Contius lib. 2. ſubſeciuarum lectionum iuris ciuilis cap. 19. quod tum nouus gradus & numerus magiſtratus potius quam appellatio ſit facta, & cum vſque ad illum annum conſules nomine prætoris ſignificarentur, tranſiiſſe tunc primum hoc nomen à conſulibus ad eum nouum magiſtratum, qui tum creatus eſt. Nam antiquiſſimo tempore, vt & ſuperius annotatum eſt, prętor appellabatur conſul, & interdum omnis magiſtratus cui exercitus parebat, vt ait Aſconius III. in Verrem. Cui aſſentiuntur Feſtus lib. vndecimo, & Nonius auctoritate Varronis, de vita populi Romani lib. 2.

Æ*dilium duo ordines.*
Sella curulis.

Eod. *Curuli ædilitate.*] Duo erant ordines ædilium. Alter in quo ipſi ædiles in iure dicundo ſellis incuruos pedes habentibus vtebantur. Alterum magiſtratum popularem appellabant, vt præcedenti libro docuimus. Erat autem *ſella curulis* vectabulum, quo ſedentes magiſtratus geſtabantur, quod *geſtatoriam* etiam dicitur, & *geſtatoria ſella*, Budæus in prioribus annotationibus.

Eod. *Curulibus ſellis pretextatos.*] Prætori enim *ſella curulis, toga pretexta, & ſex lictore permiſſi.* Vnde Polybius & Plutarchus præturam ſex ſecurium magiſtratum vocant. Porro cum *pretorem* nonniſi ex patribus primò creari mos eſſet: hic deinde honos etiam plebi communicatus eſt, anno vrbis CCCCXVII. & Q. Publilius Philo, vt Liuius infra auctor eſt, prim⁹ è plebe prætor factus eſt. Poſtea non ſufficiente eo prætore, quod multa turba peregrinorum etiam in vrbē veniret, circa annum vrbis DX. creatus eſt alius *pretor* iiſdem auſpicijs, qui *peregrinus* eſt appellatus, quod plerumq; inter ciues & peregrinos ius reddebat, cum alter prætor vrbanus diceretur, vt tradit Florus in Epitoma libr. 19.

Prætor peregrinus.

Porro Sicilia atq; Sardinia in prouinciarum formā redactis, pretores alij duo ſunt additi, qui in eas prouincias mitterentur. Epitoma lib. 20. Solinus cap. 21. *Victis poſtea duabus Hiſpanijs, alij duo creati ſunt, qui in Hiſpanias mitterentur.* anno DLVIII. Atque per multa tempora hoc obſeruatū eſt, ne plures quam duo *pretores, vrbanus & peregrinus* in vrbe manerent, reliqui quatuor in præturæ ipſo magiſtratu in prouincias ſortitas irent, atq; in eis annū præturæ explerent donec poſtremò Sylla dictator latis nouis quæſtionibus publicis, velut de parricidio, falſo, de ſicarijs de iniurijs, prætores veteribus duos adiecit, atque ad octo prætorum numerum auxit.

Ludi ſcenici.

Cap. II. *Ludi ſcenici.*] Quibus *ſcenici agones* exercebātur, qui & *Muſici agones* dicebantur, & *Dionyſiaci* quaſi Libero patri dicati. Quare & homines ipſi ſcenici vno verbo à Græcis *Dionyſiaci artifices* dicuntur, auctore Ariſtotele & Gellio lib. 10. prout annotat Budæus in *L.* Atheletas. ff. de his qui not. infam. Ludi vero publici apud Romanos *circo* & *cauea* diuidebantur. *Circo* curricula circenſia. & pugillatio luctatioq; continebantur. *Cauea* theatralia & ſcenica ludrica. *Cauea* enim dicebatur ea theatri pars, vnde populus ſpectat. Lucret.

Ludi apud Romanos duplices.

Cauea quid?

Namq; ibi conceſſam caueat ſubter & omnem
Scenalem ſpeciem patrum, matrumq; Deorumq;
Inficiunt.

Sic & Græci diuidunt ludos in *Gymnicos* & *Muſicos*. In *Gymnicis* eſt luctatio & pugillatio, & curricula. In *Muſicis* Comœdiæ & Tragœdiæ & alia. *De Ludorum Scenicorum* vero origine Cœlius li. 8. c. 7. lect. antiq. & cap. 8. lib. eiuſdem, vbi tradit *Scenicos* dici à *ſcena*, id eſt, *tentorio* à ruſticis inombrationis cauſa excitari ſolito.

Ludiones qui?

Eod. *Ludiones ex Hetruria.*] *Ludij* inquit Dionyſius Halicarnaſſeus, *adoleſcentes erant tunicula induti inſignes, galeati & enſiferi, peltatiq; qui omnibus Circenſibus & Theatralibus pompis in verſam incidebant, ipſius veluti pompa duces, Salijs ſimiles. Ludij ex eo vocati, quod à ludis hoc genus ludicri inuentum videretur.* Torneb. lib. 6. aduerſ. cap. 6. & lib. 19. cap. 10.

Eod. *Iocularia.*] Id eſt, quæ nec vera, nec ſeria, ſed ficta atque ridicula eſſent.

Modi Muſici definiti.
Modus ſcenalis.

Eod. *Tibicinis modos.*] Id eſt, intentionē ac depreſſionem modulationis. Eſt enim *modus* vocis ad vocē certo interuallo migratio, vt Muſici definiunt. Sic Varro *in modio modum ſcenatilem*, pro verſu ſcenico, vt Iambico, quo in Comœdiis & Scena Poëtæ vti ſolent, poſuit, prout annotat Torneb. lib. 12. aduerſ. cap. 16.

Satyræ.

Eod. *Impletas modis ſatyras.*] Variarū rerum mixturam ſparſim nullóq; ordine cōgeſtam, veteres *Satyram* appellarunt. Hic vero accipitur pro poëmate Latinis proprio. Nam, vt Quintilianus ſcribit, *Satyra* Latinorū tota eſt, neq; à Græcis accerſita. Satyras enim Græci non ſcripſerunt. Hoc tamen negari non poteſt Lucillium Satyrarum inuētorem atque auctorem, veteris Comœdiæ Poëtas Eupolin, Cratinum, Ariſtophanem, & cæteros ſecutum, ſe ad Satyras ſcribendas contuliſſe, vt teſtatur Horat. 4. Satyr. lib. 1.

Feſcennini verſus.

Eod. *Feſcennino verſu.*] *Feſcennini verſus* ſic dicti, quod ex *Feſcennina* vrbe Cāpaniæ allati eſſent, vel ideo quod *faſcinum* arcere putabantur. Canebantur enim initio in nuptijs, & omnium venerearū laſciuiarum opprobriorumque pleniſſimi erant, & magna verborum licentia conſtabant, vnde Catullus in Epithalamio Iuliæ & Manlij. *Ne diu taceat procax Feſcennina locutio.* Deinde non ſolum in ſponſos, ſed in quoſlibet alios locum habuit. Vnde Horat. lib. 2. Epiſt. 1.

Feſcennina per hunc inuenta licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit, &c.

Eod. *Ab Satyris.*] A quorū laſciuia temerè nunc hoc, nunc illuc ſaltantium Satyram, dicta *Satyra* eſſe videtur, vt docet Eraſmus in Prouerbio *per Satyram*.

Ad manum cantare.

Eod. *Ad manum cantare.*] *Ad manum cantare* dixit, pro *cantare in prompta*, & in præſentia, coramque, ſicut & Heſychius *ad manum* quæ ſunt, *prompta* & *parata* interpretatur, & *ſeruum ad manum, ad multa vtilem.* Torneb. li. 3. aduerſ. cap. vlt.

Diuerbia.

Eod. *Diuerbiaq; tantum.*] *Diuerbia* vocantur, cum diuerſæ agunt perſonę, ſicuti cantica in Comœdijs intelligimus, vbi vnus modo loquitur, Cœlius lib. 9. cap. 7. lection. antiq. *Exodium* vero, vt idem ex Polluce tradit, lib. 19. cap. 9. cantus eſt, quem è theatro cedentes concinerent.

Exodia.

Attellani qui?
Attellanæ fabulæ.

Eod. *Fabellis Attellanis.*] Obſeruandū *Attellanos* dici priuatim *perſonatos*, quoniā id illis eſſet ius, ne in ſcena perſonā deponere cogerentur. Quod hiſtrionibus alijs pati neceſſe erat. Hinc quę ab ijs agebātur fabulę peculiari appellatione nūcupabātur *perſonatæ*, vt tradit Cœlius li. 8. c. 8. lect. antiq. Vt vero Satyræ Gręcis Tragœdijs interponebātur, Tragœdijs Latinis ad exilarendū ſpectatorē Attellanarū exodia interſerebātur, nec hiſtrionib. earū actus committebantur, ſed honeſtis iuuenibus, quāquam fortaſſe tandē aliquando à mimis alijs & hiſtrionibus fabulæ illæ actæ ſunt. Erantq; hæ fabulæ vrbaniſſimæ, & vrbis iocos elegantiamq; imitabantur, & ab vrbe *Attella* nomen erant adeptæ. Itaque earum actores *vrbici*, vt apud Iuuenalem vocabantur:

Digitized by Google

Vrbicus exodio riſum mouet Attellana,
Geſtibus Autonoes.

Sicut & earum actores *vrbici* vocantur Martiali:

Quid non optimus vrbicus Poeta.

Attellanæ autem non totæ, ſed earum actus aliquis Tragœdiis interponebatur, è Scena digreſſis Tragœdis: ita, quod extra Tragœdiæ argumentum digreſſis tragœdiis agerentur, *exodia* vocabantur. Hinc *exodiarius* Marcellino, vt in omni ſpectaculo, *Exodiario, Venatori, Auriga & Hiſtrionum generi omni.* Tornebus libro 3. aduerſ. cap. 17. Quod verò hîc Liuius ſcribit inſtitutum, ne Attellanarum actores tribu mouerentur, ideò referendum, quod ſcenici & arenatij olim infames fuerint, vt IC. teſtatur in L. Athletas, ff. de his qui notantur, vt ex Lampridio docet Cælius lib. 8. c. 8. lectionum antiq. Macrobius Satur. li. 3. c. 4. *hiſtriones* contendit non inter turpes habitos, idque Ciceronis teſtimonio, qui Roſcio & Æſopo hiſtrionibus familiariter vſus ſit. Sed aduarſatur ei Probus in præfatione de vita excellentium Imperat. vbi ſcribit, *apud Græcos in ſcenam prodire, & populo eſſe ſpectaculo nemini fuiſſe turpitudini. Apud Romanos vero infame atq; ab honeſtate remotum.* vbi non contemnenda de hoc Hieronymus Magius in ſuis annotationibus, quæ vide.

Exodia vnde?

Hiſtriones infames.

Cap. III. *Numerus Mineruæ inuentum.*] Aliis diuerſum placuit, nimirum quod *Theut*, qui & *Theutates* ſeu *Mercurius* princeps & numerum & computationem excogitarit, qua tempeſtate Ægypti rex fuerit Thamus, quem dicunt *Ammonem*, Cœlius li. 22. cap. 15.

Numerus Mineruæ inuentum.

Eod. *Nortia Hetruſca.*] Meminit huius Cœlius li. 22. c. 5. Sub eius autem nomine ſortem fortunamque ſignificari docet Marcianus Capella in lib. de nuptiis Philologiæ. Meminit eius & Iuuenalis Satyra 10. licet codices & interpretes variare videantur. Quidam hanc *Deam Horchiam* potius quam *Nortiam* appellandam eſſe cenſuerunt, ſed citra rationem.

Nortia Hetruſca.

Cap. IV. *Ad nomina non reſpondiſſent.*] Id eſt, *qui non comparuiſſent*, vt Budæus in prioribus annotationibus interpretatur. Nam *nomina dare* eſt profiteri, & veluti inſcribendum curare. Et *nomen recipere*, Liuius lib. 7. belli Punici ſecundi dicit pro eo, quod vulgus dicit, *recipere ad monſtram*, quod & *rationem habere* dicitur.

Reſpondere ad nomina.

Nomen dare.

Eod. *L. Manlius.*] Cicero libro tertio officiorum filium *Lucium*, patrem vero *Aulum Manlium* appellat c. 11. vbi de fortitudine diſputat, cui conſentit Eutropius lib. 2. c. 1.

Eod. *Infacundior ſit.*] Ob linguæ tarditatem, vnde domeſticis & reipub. vſibus inutilis videbatur. De hac autem relegatione Valerius Max. lib. 6. c. 9. Sabell. lib. 3. Ennead. 4. rapſod. Volaterranus lib. 17. c. 1. vrban. comment.

Cap. 5. *Præ ſe deinde tulit.*] Cicero refert, quod Pomponius dimiſſus à Manlio rem ad populum detulerit, indicans cur ſibi à cauſa deſiſtere neceſſe eſſet. Tantum temporibus illis valebat, etiam metu extortum iuſiurandum. Eſt autem Manlius præclarum pietatis in parētes etiam plus æquo ſeueriores exemplum. Vide Sabellicum li. 3. a. 7. Valer. lib. 5. c. 4.

Eod. *Quos Rufulos vocant.*] Tribunorum militum, vt docet actione ſecunda in Verrem Pædianus, duo genera erant. Primum eorum, qui *Rufuli* vocantur, hi in exercitu creari ſolebant. Alij fuerunt *comitiati*, qui Romę comitiis deſignabantur. Pater itaque non omnes tribunos militum populi ſuffragio creatos, & qui creabantur primùm creari cœpiſſe, Q. Seruilio II. & L. Genucio II. conſulib. de iiſdem meminit Liuius infra li. 9. vbi vide.

Rufuli qui?

Cap. X. *Hiſpano cingitur gladio.*] *Hiſpanus gladius* qui fuerit, Polyb. lib. 6. explicat, inter cetera dicens: Καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἰβηρικὴν, ἔχει δ' αὕτη κατὰ μὰ διάφορον, καὶ καταφορὰς ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βιαίως, διὰ τὸ τὸ ὑπόστημα αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. Brodæus lib. Miſcellaneor. 1. c. vlt.

Hiſpanus gladius.

Eod. *Torque ſpoliauit.*] Plurimus *torquibus aureis* auxiliares exteros donatos fuiſſe à Romanis, at ciues non niſi *argenteis* refert.

Eod. *Torquati cognomen auditum.*] Vide Plinium libro 33. c. 1. & Alexandrum ab Alexandro, lib. 1. cap. 9. Florum lib. 1. cap. 13. Gellium lib. 9. cap. 13. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Torquati cognomen.

Cap. XV. *Conciliabula obire ſoliti erant.*] *Conciliabula* loca erant, in quibus ius diceretur, & in concilium conueniretur. De quibus infra plura, & Tornebus lib. 1. Aduerſariorum cap. 11.

Eod. *Vnciario fœnore.*] Tacitus libro 5. *fœnus vnciarium* duodecim tabularum legibus conſtitutum fuiſſe tradit. Decennio autem poſt hanc de vnciario fœnore latam legem, *ſemiunciarium* tantum ex vnciario factum, tribunitiis, vt inquit Tacitus, rogationibus. Sed cum ne ſic quidem fœnus tolerari poſſet, L. Genutius leges ad plebem tulit, ne fœnerare liceret. Verum cum conſtricta eſſet hiſce legibus auaritia, apertéque graſſari metu legum non auderet, ad fraudes ſe conuertit. Via fraudis hæc fuit, vt nomina in ſocios, qui hiſce legibus non tenebantur, tranſcriberent, atque ita libero fœnore debitores obruebantur. Deprehenſa autem hac fraude M. Sempronius Tribunus plebis ex auctoritate patrum legem rogauit, plebſque ſciuit, vt cum ſociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ idem ius eſſet, quod cum ciuibus Romanis. *Vnciarium* vero *fœnus* dicitur ratione maximę vſurę, quæ in aſſis partes diuidi poteſt. *as* enim qui 12. vncias continet, pro toto & integro vſurpari ſolet, vt tradidit Zaſius in catalogo legum antiquarum, à quo nec Sigonius diſſentire videtur, dum de iure ciuium Romanorum lib. 2. cap. 11. ſcribit, veteres *vnciariam vſuram* dixiſſe, reſpicientes centeſimam, quam maximam vſuram exiſtimarunt, quæ eſt, cum pars ſortis centeſima ſingulis menſibus penditur, id eſt, cum quotannis duodeni pro ſingulis vſuræ nomine numerantur. Hanc vero quaſi vſuram aſſem quendam eſſe voluerunt. Vnde aliæ minores vſuræ, quaſi aſſis partes, aut particulæ fluxerunt: ſemis cum dimidia pars centeſimæ in menſes ſingulos ſoluitur, quadrans cum quarta, vnciaria cùm duodecima, ſemiunciaria cum viceſima quarta.

Vnciarium fœnus.

Cap. XVI. *De viceſima.*] Huius viceſimæ meminit & Cicero ad Atticum lib. 2. quamuis Blondus in ſua Roma triumphante, vbi de vectigalibus diſputat, neſcio cuius auctoritate fretus, Ciceronem in eo loco de viceſima quadam loqui ſcribat, quam ex re frumentaria Latini Romanis præſtiterunt.

Eod. *Sua lege punitus eſt.*] Vt doceret alios, nil aliud præcipi debere, niſi quod prius quiſque ſibi imperauit. Tum enim ſalua eſt Reſp. ſi legiſlatores ſuas quoque leges ſanctiſſime cuſtodiant, & ſibipſis cuſtodiendi neceſſitatem imponant. In qua re non immerito toties Lycurgus Spartanorum legiſlator collaudatus eſt, non inuentione legum magis quam exemplo clarior, vt qui numquam lege in alios ſanxit, cuius non ipſe primus in ſe documenta daret, teſte Iuſtino lib. 3.

Stolo ſua lege punitus.

Eod. *Iugerum agri.*] *Iugerum* eſt campi menſura, quam ducentis pedib. Mathematici definiunt. Quintilianus lib. 1. cap. 18. ducentis quadraginta pedibus in longitudinem, dimidij in latitudinem *iugerum* deſcribit. Et eſt quod vno boum iugo die arari poſſit, teſte Valla lib. 1.

Iugerum quid ſ

Cap. XVII. *Lymphati.*] Græci *nympholeptos* vocant, quaſi Nympharum ſpiritu correptos, vt Budæus tradit in prioribus annotationibus. fuit vero *Lympha* etiam ſyluestris dea ex quarta cœli regione, vt tradit Gyraldus hyſtoriæ deorum ſyntagmate 1.

Lymphati.

Eod. *Dictaturam in promiſcuo eſſe.*] Cum etenim dictator lege ex conſularibus legendus eſſet, & patricij ſoli ad hoc vſque tempus conſules fuiſſent, minime eam plebi communicādam eſſe videbatur contra conſuetudinē veterem. Sed licet id contra conſuetudinem fuerit, non tamen contra legem factum eſt, vt eruditè oſtendit Manutius de legibus Romanis. Non enim

Dictatura ad plebem translata.

lex dictatorem de plebe fieri vetuerat, ſed de conſularibus iuſſerat. at C. Martius conſularis. Satisfecit igitur legi Popilius, cum conſularem hominem Dictatorem dixit, patriciis non ſatisfecit, quia conſularem de plebe dixit.

Interregi rura.

Cap. xxi. *Res ad interregnum redijt.*] Vt Dictator comitiorum cauſa: ſic quoque Interrex creari ſolitus eſt. Et huius quidem creandi mos quam dictatoris antiquior vt ſupra tradidimus. Neque enim Dictator comitiorum cauſa ante dici cœptus eſt, quam Dictator de plebe creatus eſt. Nam eum ante illud tempus nihil intereſſet, plebis Dictatorne an interrex conſularia comitia haberet, quod nec interrex, nec Dictator quiſquam de plebe creari poterat, qui alterum ex plebe cōſulem crearet. At poſtea quam dictaturæ faſtigium cōſcendit, tum demum, vt abſentibus conſulibus, Dictator potius quam interrex comitia haberet, omnem diligentiam adhibebat, contra interregem patres petebant. Eſt autem *interregnum* aliud nihil quam poteſtas in dies quinque, cum rex mortuus eſt, ad alterum ſubrogandum ſufficiendumve comparata. Petronius libro 3. de magiſt. Rom.

Eod. *Poſtremum populus iuſſiſſet.*] Ad hanc legem Decemuiralem viſus eſt auctor ad Herennium lib. 1. reſpexiſſe, quum eam defenſionem tenuem eſſe contenderet, qua oſtenditur id factum eſſe, quod ea lex ſanciat, cui abrogatum vel derogatum ſit, id quod poſteriori lege ſancitum ſit eſſe neglectum, nimirum quia illud demum ius & ratum erat, vt aiunt Decemuiri, quod poſtremum populus iuſſerat, proinde ſi noua lege vetus eſſet abrogata ſanctio. legi nouæ vetus lex omnino cedebat, Rænardus ad L. 12. tabularum cap. 1.

Menſarij qui.

Eod. *Quinqueuiris quos menſarios vocant.*] Hos extra ordinem magiſtratus fuiſſe apparet, nec etenim continuo & eodem numero creabantur. Infra enim libr. 23. Triumuirûm menſariorum meminit: Fuere qui exiſtimarunt *argentarios* eoſdem fuiſſe cum menſariis, ſed plurimum inter eos interfuiſſe oſtendit Sigonius libr. 2. cap. 11. De iure ciuium Rom. *Menſarij* ſiquidem publicam rationem conficiebant, *argentarij* priuatam, illi rei nummariæ publicæ curatores, hi negotiationis priuatæ erant.

Cap. xxiii. *Vana (vt plerumque fit) caderent.*] Loquitur non de ictu directiore, ſed grauiore libratioréque ex ſupernis locis in ima, ex imis vero in ſuprema, aut in æqua magis irrito citráque offenſam. Aduerſari vero huic loco videntur quæ ſcribit Gell. ex L. Claudio Quadrigario, lib. 9. cap. 1. de quorum conciliatione Magius lib. 2. Miſcellan. cap. 16.

Mataris quid.

Cap. xxiv. *Matari prope traiecto.*] *Mataris* teli genus, paulo quam lancea minus, cuius Siſenna apud Nonium meminit, Cæſar lib. 1. de bello Gallico: *Et è loco,* inquit, *ſuperiore in noſtros venientes tela coniiciebant, & nonnulli inter carros rotaſq; mazeras ac tragulas coniiciebant. Mazacis* apud Heſychium eſt haſta Perſica, cuius tamen formam non exprimunt auctores. Tornebus lib. aduerſ. 9. cap. 7. *materas* in Cæſare legendum cenſet. ita autem vocabatur *iaculum* lingua Gallorum, vt ſcribit Strabo. Videri autem poteſt nomen Gallicum, quo ſagittam capitatam hodie appellant.

Cap. xxvi. *Marcus erat Valerius.*] De hoc *Valerio* præter Liuium Florus lib. 1. cap. 13. Plinius li. 7. cap. 48. Val. Max. lib. 8. cap. 14. Gellius lib. 9. cap. 11. Oroſius li. 3. cap. 6. Eutropius lib. 3. cap. 1. Sabell. lib. 2. Ennead. 3. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Hunc autem Valerium Gellius ex vetuſtiſſimis annalibus *Maximum Valerium Coruinum* vocat, Florus *Lucium*.

Eod. *Prouocat per interpretem.*] Huius prouocationem acerbitatis, contemptus, ac ſuperbiæ plenam, ex Gelij loco citato pete, qui eam ex vetuſtiſſimis annalibus decerptam recitat.

Satyrus.

Eod. *Coruus repente.*] Florus & alij quidam non *coruum*, ſed *Satyriam* autem galeæ eius inſediſſe ſcribunt, non tamen à Liuio diſcrepant, cum *ſatyria* genus ſit corui.

Coruorum augurium.

Eod. *Augurium cœlo miſſum.*] Conſtat in colligendis auguriis ſiniſtram ſemper fuiſſe coruorum ſignificationem, & maxime cum glutiunt. Si vero ab ortu clara voce occinuerint, præſentem felicitatem, contra vero ab occaſu ſolis exitium apportaſſe. Sic corui inuolantes obſtrepenteſque Alexandro Babyloniam ingreſſuro, & Ciceroni quoque imminens periculum, extremaſque ærumnas præmonſtrarunt. A dextra tamen coruus, & ſiniſtra cornix vel picus ſpem non ambiguam & ratum auſpicium fecerunt. De coruorum autem auguriis, vide Plinium lib. 10. cap. 12. & lib. 18. cap. 35. Iulium Obſequentem, cap. 25. & 55. Prodig. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

Iuno Moneta.

Cap. xxviii. *Ædem Iunoni Monetæ vouit.*] *Iuno Moneta* à Romanis cognominata fuit, quod cum non multo ante captam vrbem à Gallis terræmotus factus eſſet, vox è Iunonis templo quod erat in arce extiterit, vt de ſue plena fieret procuratio, quocirca ait Cicero *Iunonem* illam appellatam *Monetam à moneo* videlicet verbo.

Cap. xxx. *Amici forte nunc ſubiecti.*] Infra lib. 34. Liuius vbi circiter finem introducit loquentem Menippum regis Antiochi legatum, tria fœderum genera fuiſſe oſtendit, eorumque alia aliis æquiora eſſe: Iniquiſſima autem fœderis conditione vſi ſunt *dedititij*, adeo vt non in fœdere, ſed in ditione eſſe dicerentur, ex quo fluxit Latinorum illud de Campanis apud eundem: *Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non fœdere ſed per deditionem fidem veniſſent: itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos: in fœdere Latino nihil eſſe, quo bellare, cum quibus ipſi velint, prohibeantur.* & illud Samnitium de Sidicinis: *Sidicinos nec in fide, nec in ditione populi Rom. eſſe*, id eſt, neque æquo fœdere, vt ſe, neque deditione, id eſt, iniquiſſimo fœdere, vt Campanos in amicitiā populi Romani eſſe ſuſceptos. & tertium illud de Apulis: *ita in ſocietatem eos eſſe acceptos, vt non æquo fœdere, ſed vt in ditione populi Romani eſſent.* Iam vero qui *dedititij* dicti ſint, facile ex formula ipſa deditionis intelligi poſſe arbitror, cuius veſtigia hæc extant apud Liuium libr. 1. ad memoriam omnium ſempiternam impreſſa: *Rex interrogauit, eſtiſne vos legati, oratoreſque miſſi à populo, vt vos populumque dederetis?* Itaque idem lib. 28. morem vetuſtum fuiſſe ait Romanis, cum quo nec fœdere, nec æquis legibus iungeretur amicitia, non prius imperio in eum, tamquam pacatum, vti, quam omnia diuina humanaque dediſſet, & obſides adepti, armaque adempta, & præſidia vrbibus impoſita forent. Vnde Campanos etiam apud eundem ſe populo Rom. dedidiſſe his verbis videmus. *Populum Campanum, vrbemque Capuam, agros, delubra Deûm, diuina humanaque omnia, in veſtram patres conſcripti, ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, dedititij veſtri paſſuri.* Æquius autem aliquanto erat illud fœdus, cui hæc verba erant adiuncta: *Maieſtatem populi Romani comiter conſeruent.* Quam iniquam tum conditionem fuiſſe probauit Cicero, cum Balbum de ciuitate defendit: *Primum*, inquit, *verbi genus hoc conſeruandi, quo magis in legibus quam in fœderibus vti ſolemus, imperantis eſt, non precantis: deinde, cum alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, de altero ſiletur, certe ille populus in ſuperiore conditione, cauſaque ponitur, cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur.* Quod autem in hoc genere dixit Cicero *comiter*, id videtur dixiſſe Liuius, *ſine dolo malo*, in exponendis conditionibus pacis Ætolis datæ. Sic enim ſcriptum eſt: *Imperium maieſtatemque populi Roman. gens Ætolorum conſeruato ſine dolo malo.* Extremum præceptum eſt æquiſſimi fœderis, cuius formula fuit, cum ab vtraque parte cauebatur, & pari iure ſocietas vtrinque, & amicitia ſtabiliebatur, quale fuit illud Annibalis cum Locrenſibus, de quo idem ſcribit hoc modo: *Locrenſibus Annibalis iuſſu pax data, vt liberi ſuis legibus viue-*

rent, vrbs pariter & portus in poteſtate Locrenſium eſſent: ſocietas eo iure ſtaret, vt Pœnus Locrenſem, Locrenſis Pœnum, bello ac pace iuuaret. Quo in genere fœdera fuerunt, quę populus Roman. cum Carthaginenſi, antequam armis inter ſe decertarent, fecit: quorum meminit Polybius libro 3. vt inquit, quæ poſt conſecuta ſunt omnia. In omnibus autem fœderibus faciendis, aut fœderum legibus conſcribendis, illud erat ſolenne, ac propetranſlaticium, vt legibus, libertati, agris, locis, ædificiis publicis, priuatiſque & ceteris, pręter hæc, rebus publicis, priuatiſque liberis, ſeruiſque bello amiſſis, iuri, conſuetudini, & portorus exigendis eius populi caueretur, quo cum amicitia iungebatur, quod ex veterum monumentorum diligenti obſeruatione colligitur.

Gaurus mons. Cap. XXXIV. *Editum in ſaltu collem.*] *Gaurum* montem nominat Plinius de viris illuſtrib. cap. 26. qui in Campania erat prope oppidum Bacchi & Vulturnum fluuium, qui priſcum adhuc retinet nomen. Vide Volaterranum lib. 6. c. 6. Geograph.

Vigiliarum ratio apud veteres. Cap. XXXV. *Secunda vigilia buccina.*] Milites quippe, cum nimis longum eſſet, totam per noctem agere excubias, in quatuor vigilias noctem diuidebant, quarum prima à noctis principio vſque ad initium quartæ horæ inæqualis producebatur, ſecunda, à fine tertię horæ ad mediam noctem durabat, tertia inde ad nonæ horæ terminum, quarta ad auroram & ortum vſque ſolis. De diuiſione autem noctis vide Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 20. Ioachimum Ringelbergium de tempore. De caſtrorum autem vigiliis Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 21.

Cap. XXXVII. *Militaria alia dona.*] Plin. c. 26. Decium ab exercitu ciuica corona de quercu, quæ dabatur ei, qui ciues in bello ſeruaſſet, & obſidionali, quæ dabatur ei, qui obſidione ciues liberaſſet, donatum ſcribit. De *Obſidionali* autem *corona*, quam ij, qui liberati obſidione, duci dabant, diximus ſupra.

Priua quid ſit. Eod. *Priuis puniceis.*] Veteres auctore Gell. lib. 10. cap. 20. *priua* dixerunt, quæ nos ſingula dicimus, quo verbo Lucilius primo Satyrarum libro eſt vſus:

Abdomina thynnia venientibus priua
Dabo.

Eod. *Velut indagine diſſipatos.*] *Indago* ferarum eſt inquiſitio, cum appoſitis retibus hominibuſque omnes ſyluarum exitus ac viæ cuſtodiuntur, ne qua feris effugium pateat. Virgil. lib. 4. *Saltuſque indagine cingunt.* Et Cæſar lib. 8 de bello Gallico, *Syluis vndique impeditiſſimis, aut altiſſimo flumine, velut indagine munitum, hunc inſidiis circumdederunt.*

Emerita ſtipendia. Cap. XXXIX. *Emerita dicendo ſtipendia eſſe.*] *Emeritis ſtipendiis* dicebantur, qui legitima ſtipendia confecerant omnia, quæ triginta fuiſſe ex Tullia indicat, quæ iuniorum ætatem annis triginta definiunt, quos militare coëgit. Ætatem namque militarem à XVII. anno vſque ad XLVI. eoſdemque etiam iuniores, vt poſt eam ſeniores appellarunt. Qui verò emeritis ſtipendiis ruſſus militare cogebantur, ij, auctore Dione lib. 45. *euocati* dicebantur.

Euocati qui.

IN LIBRVM VIII. ANNOTATIONES.

Lua Dea. CAp. I. *Lua matri.*] Ea Dea nomen à *luendo* expiandoque ſortita videtur eſſe & præfuiſſe luſtrationibus & luſtris. Poſt cædem autem hoſtium & bellum & opus purgamentis & piaculis eſt. Torneb. lib. 16. aduerſariorum cap. 20. *Luere* autem inter cetera *purgare* eſt, vt idem docet lib. 23. c. 21. Gyraldus hiſtoriæ Deorum ſyntag. 12. dubitat, an hæc eadem ſit eum Diana. Meminit eius & Liuius li. 5. decad. 5.

Latinorum ad lucum Ferentinum conuentus. Cap. III. *Prætores tum duos.*] Vetere Latinorum inſtituto ita traditum erat, vt omnes Latini nominis rerum communium cauſa ad lucum Ferentinum, qui erat ſub monte Albano, coirent, ibique de ſumma Reip. conſultarent, ac duobus prætoribus rem vniuerſam Latinorum committerent, quod præter Liuium oſtendit Dionyſius in Antiq.

Legati ſacroſancti. Cap. V. *Legatus iure gentium.*] *Legatos* iure gentium *ſacroſanctos* fuiſſe vſque adeo vulgatum eſt, vt in Prouerbium exierit: *Legatus non caditur neque violatur.* De quo Eraſmus ibidem.

Cap. VI. *In quiete vtrique conſuli.*] Hoc ſomnium etiam habetur apud Valerium Maximum lib. 1. c. 7. Ceterum Valerius ſcribit vtroſque ſomno certiores factos, ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum Diis manibus matriq; Terræ deberi. Vtrius autem dux copias hoſtium aggrederetur, ſeque eas ſeſe ipſum deuouiſſet, victoriam habiturum.

Auerruncare vnde. Eod. *Auerruncanda Deûm ira.*] *Auerruncum* vnus ex Diis, quos placari oportet, vti malas à nobis, vel frugibus natis amoueantur, auctore Gellio libro 5. cap. 12. Hinc *auerruncare* verbum, quod idem eſt, quod *amouere.*

Manliana imperia. Cap. VII. *Manlianaq; imperia.*] Vide Eraſmum in prouerbio: *Manliana imperia.* Ceterum & *Poſthumiana imperia* eadem ſignificatione dici oſtendit Gell. li. 1. c. 13. & Valerius li. 2. c. de diſcipl. militari. Ex hac verò hiſtoria diſcendum; Manlium poſthabuiſſe priuatum affectum publicæ vtilitati, quum plus imperij maieſtatem militaremque diſciplinam fecerit, quam paternam vel pietatem, vel filij inſignem fortitudinem, de qua præter Liuium Plutarch. in vita Fabij Max. & c. 26. Paral. Frontinus lib. 4. c. 1. Sabellicus lib. 5. c. 3.

Clypei & ſcuti differentia. Cap. VIII. *Clypeis antea Romani vſi ſunt.*] Hîc niſi *clypeum à ſcuto* diſtinguamus, neceſſe à ſenſu aberremus. Sed & idem Liuius libr. 1. *primæ claſſi* imperatum ſcribit eſſe *clypeum cum galea, ocreis, lorica, ſecundæ* pro *clypeo ſcutum*, & præter loricam eandem omnia. Vbi Dionyſius Halicarnaſſeus pro *clypeo* ἀσπίδα Græcè ſcribit, pro *ſcuto* θυρεόν. Igitur *clypeus* rotundus erat, vt Virgilio auctore intelligi poteſt, qui prægrandem Cyclopis oculum comparat *clypeo Argolico*; oculi autem figura rotunda eſt:

Θυρεός. *Argolici, inquit, clypei aut Phœbea lampadis inſtar.*

Stipendiarij qui. *Scutum* formæ oblongæ, maiuſque clypeo. Itaque pro clypeo ſecundæ claſſi datum ſcutum eſt, quod ſine lorica eſſent, vt ſcutum & clypei, & loricæ loco eſſet, & totum corpus protegeret. Maro: *Scutis protecti corpora longis.* Hinc & θυρεὸν Græci vocant, quod referat, ſimilitudinem forium quæ longiores, quam latiores ſolent eſſe.

Eod. *Stipendiarij facti ſunt.*] *Stipendiarij* hîc in Liuio ſunt, qui ſtipendia merent. Dicit enim Romanos ſcutis vſos eſſe, ex quo ſtipendium militibus conſtitutum fuit, antea enim ſine ſtipendio militabant.

Phalanx quid. Eod. *Phalanges ſimiles Macedonicis.*] Græcis & Macedonibus *phalanx* erat peditum ſtabile agmen grauis armaturæ, vt fere Romanis ſuę *legiones*. Iulius tamen Cæſar & Germanis & Gallis *phalanges* tribuit lib. 1. Sed in his locis Tornebus libro 9. capite 7. *phalangem facere* eſſe arbitratur, quod Græci dicunt συνασπίζειν, cum iunctis clypeis aut ſcutis, vel in hoſtes inuaditur, vel hoſtium impetus excipitur, quod ſic conſertis clypeis Macedonum phalanx pugnare ſoleret. Ita autem apud Cæſarem intelligi ex eo patet, quod ita ſcribit: *Reperti ſunt complures noſtri milites, qui in phalangas inſilirent, & ſcuta manibus reuellerent, & deſuper vulnerarent.* Eſt igitur ibi *phalanx* συνασπισμός. Ac Philippus rex Macedoniæ ſecutus heroicum illum belli Troiani cuneum, de quo Poëta ſcribit ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, *phalangem* compoſuit Macedonicam vmbonum velut perpetuo textu conſertam, Tornebus loco præallegato, vide eundem libro 6. capite 21.

lex dictatorem de plebe fieri vetuerat, ſed de conſularibus iuſſerat. at C. Martius conſularis. Satisfecit igitur legi Popilius, cum conſularem hominem Dictatorem dixit, patritiis non ſatisfecit, quia conſularem de plebe dixit.

Interregni iura. Cap. xxi. *Res ad interregnum redijt.*] Vt Dictator comitiorum cauſa: ſic quoque Interrex creari ſolitus eſt. Et huius quidem creandi mos quam dictatoris antiquior vt ſupra tradidimus. Neque enim Dictator comitiorum cauſa ante dici cœptus eſt, quam Dictator de plebe creatus eſt. Nam cum ante illud tempus nihil intereſſet, plebis Dictatorne an interrex conſularia comitia haberet, quod nec interrex, nec Dictator quiſquam de plebe creari poterat, qui alterum ex plebe cõſulem crearet. At poſtea quam dictaturæ faſtigium cõſcendit, tum demum, vt abſentibus conſulibus, Dictator potius quam interrex comitia haberet, omnem diligentiam adhibebat, contra interregem patres petebant. Eſt autem *interregnum* aliud nihil quam poteſtas in dies quinque, cum rex mortuus eſt, ad alterum ſubrogandum ſufficiendumve comparata. Perionius libro 3. de magiſt. Rom.

Eod. *Poſtremum populus iuſſiſſet.*] Ad hanc legem Decemuiralem viſus eſt auctor ad Herennium lib. 2. reſpexiſſe, quum eam defenſionem tenuem eſſe contenderet, qua oſtenditur id factum eſſe, quod ea lex ſanciat, cui abrogatum vel derogatum ſit, id quod poſteriori lege ſancitum ſit eſſe neglectum, nimirum quia illud demum ius & ratum erat, vt aiunt Decemuiri, quod poſtremum populus iuſſerat, proinde ſi noua lege vetus eſſet abrogata ſanctio, legi nouæ vetus lex omnino cedebat, Rænardus ad L. 12. tabularum cap. 1.

Menſarij qui? Eod. *Quinqueuiris quos menſarios vocant.*] Hos extra ordinem magiſtratus fuiſſe apparet, nec etenim continuo & eodem numero creabantur. Infra enim libr. 23. Triumuirûm menſariorum meminit: Fuere qui exiſtimarunt *argentarios* eoſdem fuiſſe cum menſariis, ſed plurimum inter eos interfuiſſe oſtendit Sigonius libr. 2. cap. 11. De iure ciuium Rom. *Menſarij* ſiquidem publicam rationem conficiebant, *argentarij* priuatam, illi rei nummariæ publicæ curatores, hi negotiationis priuatæ erant.

Cap. xxiii. *Vana (vt plerumque fit) caderent.*] Loquitur non de ictu directiore, ſed grauiore libratioréque ex ſupernis locis in ima, ex imis vero in ſuprema, aut in æqua magis irrito citráque offenſam. Aduerſari vero huic loco videntur quæ ſcribit Gell. ex L. Claudio Quadrigario, lib. 9. cap. 1. de quorum conciliatione Magius lib. 2. Miſcellan. cap. 16.

Mataris quid? Cap. xxiv. *Matari prope traiecto.*] *Mataris* teli genus, paulo quam lancea minus, cuius Siſenna apud Nonium meminit, Cæſar lib. 1. de bello Gallico: *Et è loco*, inquit, *ſuperiore in noſtros venientes tela coniiciebant, & nonnulli inter carros rotaſq; mazeras ac tragulas cõiiciebant.* *Mazacis* apud Heſychium eſt haſta Perſica, cuius tamen formam non exprimunt auctores. Tornebus lib. aduerſ. 9. cap. 7. *materas* in Cæſare legendum cenſet, ita autem vocabatur *iaculum* lingua Gallorum, vt ſcribit Strabo. Videri autem poteſt nomen Gallicum, quo ſagittam capitatam hodie appellant.

Cap. xxvi. *Marcus erat Valerius.*] De hoc *Valerio* præter Liuium Florus lib. 1. cap. 13. Plinius li. 7. cap. 48. Val. Max. lib. 8. cap. 14. Gellius lib. 9. cap. 11. Oroſius li. 3. cap. 6. Eutropius lib. 3. cap. 1. Sabell. lib. 2. Ennead. 3. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Hunc autem Valerium Gellius ex vetuſtiſſimis annalibus *Maximum Valerium Coruinum* vocat, Florus *Lucium*.

Eod. *Prouocat per interpretem.*] Huius prouocationem acerbitatis, contemptus, ac ſuperbiæ plenam, ex Gellij loco citato pete, qui eam ex vetuſtiſſimis annalibus decerptam recitat.

Satyrus. Eod. *Coruus repente.*] Florus & alij quidam non *coruum*, ſed *Satyriam* auem galeæ eius inſediſſe ſcribunt, non tamen à Liuio diſcrepant, cum *ſatyria* genus ſit corui.

Coruorum augurium. Eod. *Augurium cælo miſſum.*] Conſtat in colligendis auguriis ſiniſtram ſemper fuiſſe coruorum ſignificationem, & maxime cum glutiunt. Si vero ab ortu clara voce occinuerint, præſentem felicitatem, contra vero ab occaſu ſolis exitium apportaſſe. Sic corui inuolantes obſtrepenteſque Alexandro Babyloniam ingreſſuro, & Ciceroni quoque imminens periculum, extremaſque ærumnas præmonſtrarunt. A dextra tamen coruus, & ſiniſtra cornix vel picus ſpem non ambiguam & ratum auſpicium fecerunt. De coruorum autem auguriis, vide Plinium lib. 10. cap. 12. & lib. 18. cap. 35. Iulium Obſequentem, cap. 25. & 55. Prodig. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13.

Iuno Moneta. Cap. xxviii. *Ædem Iunoni Monetæ vouit.*] *Iuno Moneta* à Romanis cognominata fuit, quod cum non multo ante captam vrbem à Gallis terræmotus factus eſſet, vox è Iunonis templo quod erat in arce extiterit, vt de ſue plena fieret procuratio, quocirca ait Cicero *Iunonem* illam appellatam *Monetam à moneo* videlicet verbo.

Cap. xxx. *Amici forte, nunc ſubiecti.*] Infra lib. 34. Liuius vbi circiter finem introducit loquentem Menippum regis Antiochi legatum, tria fœderum genera fuiſſe oſtendit, eorumque alia aliis æquiora eſſe: Iniquiſſima autem fœderis conditione vſi ſunt *dedititij*, adeo vt non in fœdere, ſed in ditione eſſe dicerentur, ex quo fluxit Latinorum illud de Campanis apud eundem: *Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non fœdere ſed per deditionem fidem veniſſent: itaque Campanos, ſeu velint, ſeu nolint, quieturos: in fœdere Latino nihil eſſe, quo bellare, cum quibus ipſi velint, prohibeantur.* & illud Samnitium de Sidicinis: *Sidicinos nec in fide, nec in ditione populi Rom. eſſe*, id eſt, neque æquo fœdere, vt ſe, neque deditione, id eſt, iniquiſſimo fœdere, vt Campanos in amicitiã populi Romani eſſe ſuſceptos. & tertium illud de Apulis: *ita in ſocietatem eos eſſe acceptos, vt non æquo fœdere, ſed vt in ditione populi Romani eſſent.* Iam vero qui *dedititij* dicti ſint, facile ex formula ipſa deditionis intelligi poſſe arbitror, cuius veſtigia hæc extant apud Liuium libr. 1. ad memoriam omnium ſempiternam impreſſa: *Rex interrogauit, eſtiſne vos legati, oratoreſque miſſi à populo, vt vos populumque dederetis?* Itaque idem lib. 28. morem vetuſtum fuiſſe ait Romanis, cum quo nec fœdere, nec æquis legibus iungeretur amicitia, non prius imperio in eum, tamquam pacatum, vti, quam omnia diuina humanaque dediſſet, & obſides adepti, armaque adempta, & præſidia vrbibus impoſita forent. Vnde Campanos etiam apud eundem ſe populo Rom. dediſſe his verbis videmus. *Populum Campanum, vrbemque Capuam, agros, delubra Deûm, diuina humanaque omnia, in veſtram patres conſcripti, ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, dedititij veſtri paſſuri.* Æquius autem aliquanto erat illud fœdus, cui hęc verba erant adiuncta: *Maieſtatem populi Romani comiter conſeruent.* Quam iniquam tum conditionem fuiſſe probauit Cicero, cum Balbum de ciuitate defendit: *Primum*, inquit, *verbi genus hoc conſeruandi, quo magis in legibus quam in fœderibus vti ſolemus, imperantis eſt, non precantis: deinde, cum alterius populi maieſtas conſeruari iubetur, de altero ſiletur, certe ille populus in ſuperiore conditione, cauſaque ponitur, cuius maieſtas fœderis ſanctione defenditur.* Quod autem in hoc genere dixit Cicero *comiter*, id videtur dixiſſe Liuius, *ſine dolo malo*, in exponendis conditionibus pacis Ætolis datæ. Sic enim ſcriptum eſt: *Imperium maieſtatemque populi Roman. gens Ætolorum conſeruato ſine dolo malo.* Extremum præceptum eſt æquiſſimi fœderis, cuius formula fuit, cum ab vtraque parte cauebatur, & pari iure ſocietas vtrimque, & amicitia ſtabiliebantur, quale fuit illud Annibalis cum Locrenſibus, de quo idem ſcribit hoc modo: *Locrenſibus Annibalis iuſſu pax data, vt liberi ſuis legibus viue-*

rent, vrbs pariter & portus in poteſtate Locrenſium eſſent: ſocietas eo iure ſtaret, vt Pœnus Locrenſem, Locrenſis Pœnam, bello ac pace iuuaret. Quo in genere fœdera fuerunt, quę populus Roman. cum Carthaginenſi, antequam armis inter ſe decertarent, fecit: quorum meminit Polybius libro 3. vt iniqua, quæ poſt conſecuta ſunt omnia. In omnibus autem fœderibus faciendis, aut fœderum legibus conſcribendis, illud erat ſolenne, ac prope tranſlaticium, vt legibus, libertati, agris, locis, ædificiis publicis, priuatiſque & ceteris, pręter hæc, rebus publicis, priuatiſque liberis, ſeruiſque bello amiſſis, iuri, conſuetudini, & portoriis exigendis eius populi caueretur, quo cum amicitia iungebatur, quod ex veterum monumentorum diligenti obſeruatione colligitur.

Gaurus mons.

Cap. XXXIV. *Editum in ſaltu collem.*] *Gaurum* montem nominat Plinius de viris illuſtrib. cap. 26. qui in Campania erat prope oppidum Bacchi & Vulturnum fluuium, qui priſcum adhuc retinet nomen. Vide Volaterranum lib. 6. c. 6. Geograph.

Vigiliarum ratio apud veteres.

Cap. XXXV. *Secunda vigilia buccina.*] Milites quippe, cum nimis longum eſſet, totam per noctem agere excubias, in quatuor vigilias noctem diuidebant, quarum prima à noctis principio vſque ad initium quartæ horæ inæqualis producebatur, ſecunda, à fine tertię horæ ad mediam noctem durabat, tertia inde ad nonæ horæ terminum, quarta ad auroram & ortum vſque ſolis. De diuiſione autem noctis vide Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 20. Ioachimum Ringelbergium de tempore. De caſtrorum autem vigiliis Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 12.

Cap. XXXVII. *Militaria alia dona.*] Plin. c. 26. Decium ab exercitu ciuica corona de quercu, quæ dabatur ei, qui ciues in bello ſeruaſſet, & obſidionali, quæ dabatur ei, qui obſidione ciues liberaſſet, donatum ſcribit. De *Obſidionali* autem *corona*, quam ij, qui liberati obſidione, duci dabant, diximus ſupra.

Eod. *Prius punicis.*] Veteres auctore Gell. lib. 10. cap. 20. *priua* dixerunt, quæ nos ſingula dicimus, quo verbo Lucilius primo Satyrarum libro eſt vſus: — Priua quid ſit

Abdomina thynnia venientibus priua
Dabo.

Eod. *Velut indagine diſſipatos.*] *Indago* ferarum eſt inquiſitio, cum appoſitis retibus hominibuſque omnes ſyluarum exitus ac viæ cuſtodiuntur, ne qua feris effugium pateat. Virgil. lib. 4. *Saltuſque indagine cingunt.* Et Cæſar lib. 8 de bello Gallico, *Syluis vndique impeditiſſimis, aut altiſſimo flumine, velut indagine munitum, hunc inſidiis circumdederant.*

Cap. XXXIX. *Emerita dicendo ſtipendia eſſe.*] *Emeritis ſtipendiis* dicebantur, qui legitima ſtipendia confecerant omnia, quæ triginta fuiſſe ex Tullia indicat, quæ iuniorum ætatem annis triginta definiunt, quos militare coëgit. Ætatem namque militarem à XVII. anno vſque ad XLVI. eoſdemque etiam iuniores, vt poſt eam ſeniores appellarunt. Qui verò emeritis ſtipendiis rurſus militare cogebantur, ij, auctore Dione lib. 45. *euocati* dicebantur. — Emerita ſtipendia. — Euocati qui.

IN LIBRVM VIII. ANNOTATIONES.

Lua Dea

CAp. I. *Luæ matri.*] Ea Dea nomen à *luendo* expiandoque ſortita videtur eſſe & præfuiſſe luſtrationibus & luſtris. Poſt cædem autem hoſtium & bellorum & opus purgamentis & piaculis eſt. Torneb. lib. 16. aduerſariorum cap. 20. *Luere* autem inter cetera *purgare* eſt, vt idem docet lib. 23. c. 21. Gyraldus hiſtoriæ Deorum ſyntag. 12. dubitat, an hæc eadem ſit cum Diana. Meminit eius & Liuius li. 5. decad. 5.

Latinorum ad lucum Ferentinũ conuentus.

Cap. III. *Prætores tum duos.*] Vetere Latinorum inſtituto ita traditum erat, vt omnes Latini nominis rerum communium cauſa ad lucum Ferentinum, qui erat ſub monte Albano, coirent, ibique de ſumma Reip. conſultarent, ac duobus prætoribus rem vniuerſam Latinorum committerent, quod præter Liuium oſtendit Dionyſius in Antiq.

Legati ſacroſancti.

Cap. V. *Legatus iure gentium.*] *Legatos* iure gentium *ſacroſanctos* fuiſſe vſque adeo vulgatum eſt, vt in Prouerbium exierit: *Legatus non caditur neque violatur.* De quo Eraſmus ibidem.

Cap. VI. *In quiete vtrique conſuli.*] Hoc ſomnium etiam habetur apud Valerium Maximum lib. 1. c. 7. Ceterum Valerius ſcribit vtroſque ſomno certiores factos, ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum Diis manibus matriq; Terræ deberi. Vtrius autem dux copias hoſtium aggrederetur, ſuperque eas ſeſe ipſum deuouiſſet, victoriam habiturum.

Auerruncare vnde.

Eod. *Auerruncanda Deûm ira.*] *Auerruncus* vnus ex Diis, quos placari oportet, vti malas à nobis, vel frugibus natis amouecantur, auctore Gellio libro 5. cap. 11. Hinc *auerruncare* verbum, quod idem eſt, quod *amouere.*

Manliana imperia.

Cap. VII. *Manlianaq; imperia.*] Vide Eraſmum in prouerbio: *Manliana imperia.* Ceterum & *Poſthumiana imperia* eadem ſignificatione dici oſtendit Gell. li. 1. c. 13. & Valerius li. 2. c. de diſcipl. militari. Ex hac verò hiſtoria diſcendum; Manlium poſthabuiſſe priuatum affectum publicæ vtilitati, quum plus imperij maieſtatem militaremque diſciplinam fecerit, quam paternam vel pietatem, vel filij inſignem fortitudinem, de qua præter Liuium Plutarch. in vita Fabij Max. & c. 26. Paral. Frontinus lib. 4. c. 1. Sabellicus lib. 3. c. 3.

Clypei & ſcuti differentia.

Cap. VIII. *Clypeis antea Romani vſi ſunt.*] Hic niſi *clypeum* à *ſcuto* diſtinguamus, neceſſe à ſenſu aberremus. Sed & idem Liuius libr. 1. *primæ claſſi* imperatum ſcribit eſſe *clypeum cum galea, ocreis, lorica, ſecundæ pro clypeo ſcutum,* & præter loricam eandem omnia. Vbi Dionyſius Halicarnaſſeus pro *clypeo* ἀσπίδα Græcè ſcribit, pro *ſcuto* θυρεόν. Igitur *clypeus* rotundus erat, vt Virgilio auctore intelligi poteſt, qui prægrandem Cyclopis oculum comparat *clypeo Argolico*; oculi autem figura rotunda eſt: — Θυρεός.

Argolici, inquit, *clypei aut Phœbeæ lampadis inſtar.* *Scutum* formæ oblongæ, maiuſque clypeo. Itaque pro clypeo ſecundæ claſſi datum ſcutum eſt, quod ſine lorica eſſent, vt ſcutum & clypei, & loricæ loco eſſet, & totum corpus protegeret. Maro: *Scutis protecti corpora longis.* Hinc & θυρεὸν Græci vocant, quod referat, ſimilitudinem forium quæ longiores, quam latiores ſolent eſſe.

Stipendiarij qui.

Eod. *Stipendiarij facti ſunt.*] *Stipendiarij* hîc in Liuio ſunt, qui ſtipendia merent. Dicit enim Romanos ſcutis vſos eſſe, ex quo ſtipendium militibus conſtitutum fuit. antea enim ſine ſtipendio militabant.

Phalanx quid.

Eod. *Phalanges ſimiles Macedonicis.*] Græcis & Macedonibus *phalanx* erat peditum ſtabile agmen grauis armaturæ, vt fere Romanis ſuę *legiones.* Iulius tamen Cæſar & Germanis & Gallis *phalanges* tribuit lib. 1. Sed in his locis Tornebus libro 9. capite 7. *phalangem facere* eſſe arbitratur, quod Græci dicunt συνασπίζειν, cum iunctis clypeis aut ſcutis, vel in hoſtes inuaditur, vel hoſtium impetus excipitur, quod ſic confertis clypeis Macedonum phalanx pugnare ſoleret. Ita autem apud Cæſarem intelligi ex eo patet, quod ita ſcribit: *Reperti ſunt complures noſtri milites, qui in phalangas inſilirent, & ſcuta manibus reuellerent, & deſuper vulnerarent.* Eſt igitur ibi *phalanx* συνασπισμός. Ac Philippus rex Macedoniæ ſecutus heroicum illum belli Troiani cuneum, de quo Poeta ſcribit ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, *phalangem* compoſuit Macedonicam vmbonum velut perpetuo textu conſertam, Tornebus loco præallegato, vide eundem libro 6. capite 21.

Geſe quid? Eod. *Geſaq.*] *Geſa* Gallorum proprie tela, ſicut *Sariſſa* Macedonum. Germanorum *framea*: Sed & fortes viros dici à Gallis *Geſos*, à Seruio annotatum eſt. *Geſatas* etiam ab eiſdem appellari mercenarios milites Plutarchus auctor eſt, vt annotat Cælius lib. 21. cap. 18. lect. antiq.

Antepilani. Eod. *Manipulorum agmen antepilanos vocabant.*] Sic vocabant haſtatos, & principes in legione, quod eſſent ante triarios, qui *pilani* vocabantur, vt & M. Varro de lingua Latina docet. Sic enim ſcribit: *Haſtati dicti, qui primum haſtis pugnabant, pilani, qui pilis, principes, qui a principio gladiis, & poſt commutata re militari, minus illuſtres ſunt.* *Pilani* triarij quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponebantur. Ouidius 3. Faſtor.

> ----- *Haſtatos inſtituitq; decem.*
> *Et totidem princeps, totidem Pilanus habebat*
> *Corpora, legitimo quinque merebat equo.*

Eod. *Quindecim ordines locabantur.*] Aut pro *quindecim* ſcribendum *nouem*, aut in vexilli numero error ſit neceſſe eſt. Nam cum in vexillo dicat eſſe cẽtum octoginta ſex homines, hi tres efficiunt ordines ſexagenûm hominum cum ſuis centurionibus. Nam in ordine duo erant: Sic tria vexilla efficient nouem ordines, non quindecim, ex quibus acies poſtrema conſtabit, qua ordinem vnum ex illis effici dicit, cuius pars vna *primum pilum* dicebatur, id eſt, vexillum triariorum. Proinde Tornebus præallegato cap. 27. lib. 11. Aduerſariorum legendum ſuſpicatur: *Nouem ordines locabantur, ex quibus ordo vnus, qui tres partes habebat, earum vnam, quam primum pilum vocabant, trib. ex vexillis conſtabat.* Nam niſi ita legatur, vix eſt, vt ordinum numerus cum vexillis conuenire poſſe videatur.

Triarij qui? Eod. *Ad triarios rediiſſe.*] Vide etiam Vegetium lib. 2. de re militari, vbi declarat, poſt omnes acies ſolere collocari *Triarios* omni armorum genere inſtructos, qui genu poſito ſubſidebant, vt ſi primam aciem vinci contigiſſet, ab iis integrato prælio victoria repararetur.

Princeps. Eod. *Principes cum principibus.*] Hi *principes* in ſecunda acie erat, & robur exercitus exiſtimabantur. Inde illud Terentianum, *Inde ego poſt principia omnibus ſignum dabo.*

Familiaris pars. Cap. IX. *Caput iecinoris à familiari parte*] Hîc & *caput*, & *pars familiaris* verba ſunt aruſpicinæ, quæ quidem ars, cum ob vanitatem & ſuperſtitionem merito deſueta ſit, & improbata, nobis obſcura ſunt & ignota. Sed conicere licet caput, fibrarum in iecore initium fuiſſe, cumque iecur in duas partes diuiderent, *familiarem, & hoſtilem*, & è *familiari* ſua euenta augurarentur, ex *hoſtili* hoſtium fata, duo capita erant, vnum *hoſtile*, alterum *familiare*. De familiari hic Liuius loquitur, vt annotauit Tornebus lib. 11. Aduerſar. capit. 27.

Nouenſiles diui. Eod. *Diui Nouenſiles.*] *Nouenſiles* Dei à Sabinis Romam deducti æſtimantur, atque iis à Tatio rege ædes dicatæ, quibus indigitamenta hæc aſcribit Varro, *Herculem, Veſtam, Salutem, Fortunam, Fortem, Fidem.* Non deſunt, qui *Nouenſiles* hos Deos appellatos putẽt, quod nouiſſime in Deorum numerum recepti ſunt, quaſi *nouiſſime*, id eſt, nuper, *ſalientes*, hoc eſt, in Deorum numerum aſcendentes. Prout annotauit Gyraldus Syntag. Deorum.

Eod. *Agedum Pontifex publicus.*] Vota enim niſi arbitratu & cæremoniis quibuſdam pontificum fierent, irrita videbantur. Verum quæ vota olim ſolennia fuerint apud Romanos, & quæ apud exteros, quive vota concipere ſoliti ſint, lege Alexand. ab Alexand. libr. 3. cap. 22.

Deuotionis forma. Eod. *Manibus Tellurią; deuoueo.*] Deuotionis exercitium formam vide apud Macrobium libro 3. Saturnal. c. 8.

Cinctus. Eod. *Incinctus cinctu Gabino.*] Ante quoque *cinctus Gabini* mentio facta eſt. Meminit vero eius & Virgil. 2. dum canit.

Gabinus

> *Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino*
> *Inſignis, reſerat ſtridentia limina conſul.*

Vbi Seruius, quis is fuerit, exponit. Vtebantur autem eo magiſtratus, & pontifices, cum belli cauſa operabantur ſacris, ſe deuouebant pro exercitu, portas Ioui aperiebant, aut amburbia faciebant, deniq; cum rei ſacræ operam dabant belli cauſa, vt annotauit Tornebus lib. 22. Aduerſar. c. 19.

Cap. X. *Perrupère cuneos.*] Nomen *cunei* ſignificat formam inſtruendæ aciei à notiſſimo in findendis lignis inſtrumento ſumptam. Vide Vegetium libr. 3. c. 19. Sic Cæſar lib. 6. de bello Gallico. *Alij cuneo facto, vt celeriter perrumpant, cenſent.* Cunei quid.

Eod. *In ſe vnam vertit.*] De Decij facto, quo inſignem ſuam in patriam pietatem declarauit, præter Liuium Florus lib. 1. cap. 14. Plinius lib. 22. c. 5. Plutarchus c. 37. Paral. Valerius Maximus lib. 1. c. 7. & lib. 5. cap. 6. Auguſtinus libr. 5. c. 18. Sabellicus libr. 4. Ennead. 4. & lib. 4. c. 1. Ethnic. exempl. Volaterranus li. 15. cap. 1. Vrban. comment. Meminerunt etiam Virgil. 6. Æneid. & Claudianus de quarto conſulatu Honorij. Meminit & Iuuenalis, cum inquit, *Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt Nomina*, &c. Decij patris deuotio.

Cap. XI. *Communem vere Martem.*] Incertum ac varium belli euentum notabant hoc dicto, prout notat Eraſmus in prouerb. *Mars communis.* Frequens autem Liuio eſt hæc dicendi forma, quemadmodum & *æquo Marte* diſceſſum, quoties neutri parti ceſſit victoria. Mars communis.

Cap. XIII. *Firmiſſimum longe imperium.*] Qui etenim metu imperium retinere ſtudent, in inuidiam atque odium hominum incurrunt. Nam verum eſt illud à Cicerone relatum libro 1. de officiis, *Oderint, dum metuant.* *Quis enim* (inquit idem in Lælio) *eum diligat, quem metuat, aut eum, a quo ſe metui putet?* Et huc pertinet dictum Æmylij Probi in vita Dionis: *Nullum eſſe imperium tutum, niſi beneuolentia munitum.* Id quod licet ſapientes verum eſſe putent, fuêre nihilominus noſtra ætate non indocti homines (inter quos Nicolaus Machiauellus) qui cum de regnis bellicisque rebus ex profeſſo diſſererent, regna aut metu ſæuitiaque, aut comitate & beneuolentia fulcienda retinendaque eſſe contenderent. In quorum ſententiam experientia ſuadente, multos deſcendere animaduertimus. Imperia quæ diuturna.

Cap. XIV. *Lanuuinis ciuitas data, ſacraque reddita.*] Hoc loco quia quamplurima municipia à Liuio recitantur, non alienum erit, ſeriem eorum aſcribere: Nam qui *municipes* fuerint, & quæ inter ipſos atque colonos differentia fuerit, antea annotauimus: paulo poſt etiam de generibus Municipiorum dicturi.

MVNICIPIVM CAERE.

Cærites primos municipes, & eis ſine ſuffragiis iura fuiſſe, ex Aſconio, & Gellio conſtat. Hoc municipium inter eas præfecturas refert Feſtus, in quas prætor vrbanus præfectos creare ſolebat. Huic municipio ante legem Iuliam ciuitatem cum ſuffragio datam fuiſſe Feſtus aperte innuere videtur, quum illud eo iure quo Aricini fuerunt, donatum ſcribat, & Aricinos ex Liuio ciues Romanos fuiſſe conſtet cum ſuffragij latione.

MVNICIPIVM TVSCVLVM.

Primum omnium municipium cum ſuffragij latione fuit *Tuſculum*, cui quum (vt inquit Sext. Pompeius) primo ſine ſuffragio ciuitas data eſſet, poſt aliquot annos pleno iure ciues Romani Tuſculani facti ſunt. Eius rei ita meminit libro 6. Liuius. *Tantum fere verborum à Tuſculanis in ſenatu factum. Pacem in præſentia, nec ita multo poſt ciuitatem impetrauerunt. Ab Tuſculo legiones deducta.* Hoc autem factum eſt anno vrbis 373. Ciuitatem vero Romanam, (vt opinor) ſine

ſ.ffragij iure eos adeptos fuiſſe quadriennio poſt, refert idem Liuius. *Incenſos Latinos ea rabies impetus Tuſculanum talit, ob iram quod deſerto communi concilio Latinorum, non in ſocietatem modo Romanam, ſed etiam in ciuitatem ſe dediſſent.* Hoc factum eſt anno vrbis 377. Tuſculanos verò ſuffragij ius haud longe poſt primũ conſulem è plebe creatum, ex his Imp. Claudij verbis apud Tacitum intelligo. *Plebey* (inquit) *magiſtratus poſt patricios, Latini poſt plebeios, caterarum Italia gentium poſt Latinos. Neque enim æquum videbatur, plebem Romanam magiſtratibus capiendis excluſam, alienigenas verò admiſſos fuiſſe.* Eos vero ſuffragij iure à pupillo donatos in tribum *Papiriam*, vt Liuius lib. 8. vel *Popilliam*, vt Valer. li. 9. c. 10. tradunt, à cenſoribus relatos fuiſſe conſtat. Adijcit lib. 8. Liuius poſt bellum Latinũ, quo Latium omne domitũ eſt ann. vrb. CDXVI. L. Furio, C. Menio Coſſ. *Tuſculanis ciuitas ſeruata, quam habebant, crimenq́, rebellionis à publica fraude in paucos auctores verſum.* Ex Tuſculo celebres familiæ, quæ Romæ ſummos honores adeptæ ſunt prodierunt, *Portij* & *Coruncanij*, vt Cicero & Tacitus tradunt, quanquam Tacitus *Coruncanios* non Tuſculo, ſed Cameria oriundos ſcribat. De municipio Tuſculo meminit Cicero pro Plancio.

MVNICIPIVM LANVVIVM.

Anno vrbis conditæ CDXVI. Furio Camillo, C. Menio coſs. reliquis omnibus belli Latini extinctis, Latioque omni ab his Coſſ. in deditionem populi Romani accepto, Camillus de Latinis populis ad ſenatum retulit, patreſque hortatus eſt, vt hoſtes victos more maiorum pro ciuibus haberent, eoſque in ciuitatem, quo illos in perpetuum fideles haberent, reciperent. Principes ſenatus relationem conſulis de ſumma rerum laudare: ſed quum aliorum alia cauſa eſſet, ita expediri poſſe concilium dicere, vt pro merito cuiuſque ſtatueretur, ſi de ſingulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de ſingulis, decretumque Lanuuinis ciuitas data, ſacraque ſua reddita, cum eo vt ædes lucuſque Soſpitæ Iunonis, communis Lanuuinis municipib. cum populo Romano eſſet. Sextus Pompeius: *Seruius filius aiebat, Municipes initio fuiſſe, qui ea conditione ciues Romani fuiſſent, vt ſemper Rempubl. ſeparatim à populo Romano haberent,* (id eſt, qui ſuis legibus viuerent) *Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æque ciues Romani erant, & in legione merebant.* Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam veniſſent, neque ciues Romani eſſent; participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum, vnà cum Romanis ciuibus, præterquam de ſuffragio ferẽdo, aut magiſtratu capiendo, ſicut fuerunt quondam *Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuini, Tuſculani*, qui poſt aliquot annos Romani effecti ſunt. De Lanuuino municipio mentionem facit Cicero pro Muræna, quod poſtea à Cæſare dictatore ex municipio colonia facta eſt.

MVNICIPIVM ARICIA.

Suggerit Liuius lib. 8. *Aricini Nomentanique et Pedani eodem iure, quo Lanuuini in ciuitatem accepti.* Et Velleius lib. 1. *Deinde interpoſitis duobus & triginta annis, Aricini in ciuitatem recepti.* Sex. Pompeius. *Alio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, quorum ciuitas vniuerſa in ciuitatem Romanam venerunt, vt Aricini, Cærites, Agnanini.* *Aricia* poſtmodùm ex municipio colonia facta eſt, exoleſcentib. (vt ſcribit Gellius) municipiorum iuribus & priuilegiis. Eam enim Florus ex Liuio in Epitoma lib. 80. *coloniam* vocat. Ceterum cum tam de municipiorum numero, quàm de iis qui cum ſuffragio ciuitatem adepti ſunt, inter Liuium, Velleium & Feſtum controuerſia ſit, ego hîc Liuium ſequor, qui mea ſententia accuratius hanc rem tractauit. Ne vero Velleius & Feſtus à Liuio diſſentiant, quantũ à me fieri poterit operam dabo, atq; eorum repugnantiam, ſi qua vlla ſit tollere curabo. Quanquam non ignorem, Feſti locum vbi de municipiis loquitur corruptum eſſe: aliquot verba Feſti ipſius, aliquot vero Epitomiſtæ eſſe, quæ inuicem incerta rem valde obſcuram reddunt. Ego tamen ex Feſto non niſi municipiorum nomina excipere volui. nam triplicem quam eorum diſtinctionem facit, me ſatis nõ intelligere fateor. Ex Liuio enim & Gellio apertè colligitur duo potiſſimorum genera tantum fuiſſe.

MVNICIPIVM NOMENTVM.

Aricini, inquit Liuius lib. 8. *Nomentani, Pedani, eodem iure, quo Lanuuini in ciuitatem accepti*, anno vrbis CDXVI. L. Furio, C. Mænio coſs.

MVNICIPIVM PEDVM.

Pedum.

Pedani cum Nomentanis & Aricinis eodem iure quo Lanuuini ciues Romani facti. *Pedum* autem Latij oppidum, haud procul à Tibure fuit. Ceterum *Lanuuinos, Aricinos, Nomentanos et Pedanos* municipes hoc anno cum colonis Antiatibus ciuitate à Populo Romanos ex S.C. donatos, cenſores, qui proxime creati ſunt, Quintus Publius Philo, & Spurius Poſthumus in duas nouas tribus propter eos additas cenſuerunt, Mæciam & Scaptiam. Quarum *Mæcia* à caſtro Latij *Mæcio* dicta eſt, de quo ſic ſcribit lib. 6. Liuius: *Tertiam partem dictator Camillus ad Volſcos duxit, nec procul à Lanuuio ad Mæcium* (is locus dicitur) *caſtra oppugnare eſt adortus.* *Scaptia* vero à Latij vrbe *Scaptia* dicta eſt, de qua Plin. lib. 3. cap. 5. meminit.

MVNICIPIVM FVNDI.

Eodem anno poſt bellum Latinum L. Furio & C. Mænio Coſſ. *Fundanis, Formianiſque quod per fines eorum tuta pacataque fuiſſet via, ciuitas ſine ſuffragio data*, ita lib. 8. Liuius. Patereulus vero, *interiecto triennio, Fundani & Formiani in ciuitatem recepti, eo ipſo anno, quo Alexandria condita eſt.* Addit idem Liuius lib. 38. M. Valerio Maſſala & C. Liuio Salinatore Coſſ. ann. vrb. DLXV. *De Fundanis Formianiſque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo Tribunus plebis promulgauit, vt iis ſuffragij latio* (*nam antea ſine ſuffragio habuerant ciuitatem*) *eſſet. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate ſenatus ferretur, quum intercederent, edocti populi eſſe non ſenatus ius, ſuffragium quibus vellet impertiri, deſtiterunt incepto. Rogatio perlata eſt, Æmilia tribus Fundani et Formiani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque his tribus tum primum ex Valerio plebiſcito, à cenſoribus qui eo anno erat, T. Quintio Flaminio, & M. Claudio Marcello cenſi ſunt.*

MVNICIPIVM FORMIAE.

Idem ius quod municipes *Fundani* habuerunt etiam iis vicini *Formiani*. Longo tempore poſt *Formiæ* à tribus viris ex municipio colonia facta eſt. Municipia *Fundos* & *Formias* inter præfecturas eas refert Feſtus, in quas prætor Vrbanus ſingulis annis præfectos ab vrbe mittebat.

MVNICIPIVM CVMAE.

Liuius libr. 8. L. Furio, C. Mænio Coſſ. *Campanis equitibus honoris cauſa, quia cum Latinis rebellare noluiſſent, ciuitas ſine ſuffragio data, Cumanos, Sueſſulanoſque eiuſdem iuris conditioniſque, cuius Capuam eſſe placuit.* Et libr. 23. *De 300. equitibus Campanis, qui in Cicilia cum fide ſtipendijs emeritis Romam venerant, delatum ad populum, vt ciues Romani eſſent, item vti municipes Cumani eſſent pridie quam populus Campanus à populo Romano defeciſſet.* Idem lib. 40. *Cumanis petentibus permiſſum, vt publicè Latinè loquerentur, & præconibus Latinè vendendi ius eſſet.* Hoc municipium à Feſto inter ea refertur, quibus poſtea ciuitas cum ſuffragio data eſt. Inter eas quoque præfecturas illud enumerat, in quas præfecti à populo mittebantur, quod poſtea Auguſtus Cæſar coloniam militarem fecit.

MVNICIPIVM ACERRAE.

Liuius lib. 8. anno vrbis CDXXII. A. Cornelio 2. & C. Domitio Coſſ. *Cenſus actus, nouiq; ciues cenſi, tribus propter eos addita Macia et Scaptia, addiderunt cenſores Q. Pub. Philo, Sp. Poſthumius. Romani facti Acerrani lege ab Lucio Papirio Prætore lata, qua ciuitas ſine ſuffragio data.* Et velleius, *In ſequentibuſque conſulibus a Sp. Poſthumio & Philone Publilio cenſoribus Acerranis data ciuitas.* Hoc municipium à Feſto inter ea refertur, quibus primo ſine ſuffragio, pòſt cum ſuffragij iure ciuitas data eſt. De qua re nihil Liuius ſcribit. Hanc Feſtus inter eas præfecturas etiam enumerat, in quas à populo præfecti mittebantur. Quam vel ex præfectura, vel ex antiquo municipio Auguſtus poſtea coloniam deduxit.

MVNICIPIVM PRIVERNVM.

Victis Priuernaribus ex auctoritate patrum latum ad populum eſt, vt *Priuernatibus* ciuitas daretur. Hoc factum eſt auctore Liuio lib. 8. anno vrbis CDXXV. L. Æmilio Mamercino 2. C. Plautio Deciano Coſſ. Hoc municipium inter eas præfecturas refert Feſtus, in quas prætor vrbanus quotannis præfectos mittebat. Hæc poſtea colonia facta eſt.

MVNICIPIVM ANAGNIA.

Liuius li. 9. anno vrbis CDXLIII. Q. Marcio Tremulo, P. Cornelio Aruina Coſſ. *Hernicorum tribus populis Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam ciuitatem ſua leges reddita, connubiumq; inter ipſos, quod aliquamdiu ſoli Hernicorum habuerunt, permiſſum. Anagninis quique arma Romanis intulerant, ciuitas ſine ſuffragij latione data, concilia, connubiaque adempta, & magiſtratibus præterquam ſacrorum curatione interdictum.* De municipio Anagnino meminit Cicero pro domo. An vero huic municipio ciuitas cum ſuffragio vmquam data fuerit ante legem Iuliam, incompertum. Feſtus quum inquit, *alio modo municipium definitur, id genus hominum eſſe, quorum ciuitas vniuerſa in ciuitatem Romanam venerunt, vt Aricini, Cærites, Anagnini*, apertè ſignificare videtur, *Cære* & *Anagniam* ſuffragij ius, quemadmodum *Aricinos*, habuiſſe. Qui etiam *Anagniam* inter præfecturas enumerat, in quas prætoris vrbani auctoritate præfecti ibant. Frontinus verò eam à Druſo Cæſare coloniam deductam fuiſſe tradit.

MVNICIPIVM ARPINVM.

Liuius lib. 9. L. Genutio Ser. Cornelio coſs. anno vrbis CDLI. *Arpinatibus, Trebulaniſque ciuitas data.* Vt autem ſine *ſuffragio* intelligi debeat, idem facit, qui libro 38. refert, *Arpinatibus* ciuitatem *cum ſuffragio* datam fuiſſe. De municipio Arpino meminit Cicero pro plancio, & de claris oratoribus. Feſtus *Arpinum*, inter eas præfecturas enumerat, in quas prætor vrbanus ſingulis annis præfectos mittebat. Itemque inter ea municipia, quæ ſui iuris erant. Atque hæc ſunt omnia municipia, quibus ciuitatem cum ſuffragio datam fuiſſe apud Liuium inueni. Adducit Velleius libro 1. M. Curio & Cornelio Rufino coſs. anno vrbis CDLXIIII. *Sabinis ſine ſuffragio data ciuitas.* Sempronio verò Sopho & Appio Cæci filio coſs. anno vrbis CDXXCVI. *ſuffragij ferendi ius Sabinis datum.* Quod ſi hoc verum eſt, *Sabini* primi fuerunt, quibus integræ prouinciæ ciuitas data ſit, quod tamen creditu difficile eſt. nam is poſt legem Iuliam cum Latinis, Vmbris & Gallis Ciſpadanis datam fuiſſe exiſtimo.

MVNICIPIVM ATELLA.

Hoc municipium etiam à Feſto refertur inter ea, quibus ciuitas poſtea cum iure ſuffragij data eſt, & in lib. 14. id vnum ex his præfecturis ſcribit, in quas præfecti populi ſuffragiis creati mittebantur. Vtrumque enim eſſe poteſt, vt primo municipium, pòſt bello Punico ſecundo, cum reliquis, quas ſupra enumeraui, præfectura facta ſit. Illud Auguſtus, vt pleraque alia coloniam deduxit.

MVNICIPIVM SVESSVLA.

Sueſſulam & *Trebulam*, quamquam vetuſta municipia, poſt omnia tamen collocaui, quod iis ante legem Iuliam ciuitatem cum ſuffragio datam fuiſſe non inuenerim, quod eo honore, illa quæ ſupra retuli, affecta, vel apertè intelligatur, vel ex ſcriptorum verbis eliciatur. De municipio porro Sueſſula Liuius libro 8. *Bello Latino finito, Cumanos, Sueſſulanoſque eiuſdem iuris conditioniſque, cuius Capuam eſſe placuit.* Hanc præfecturam refert Feſtus ex his, in quas populus Romanus præfectos quotannis mittebat. quod Sylla Coloniam, vt ſupra vidimus, militarem deduxit.

MVNICIPIVM TREBVLA.

L. Genutio, Ser. Cornelio Coſſ. Arpinatibus Trebulaniſque ciuitas data. Ita Liuius lib. 10. Eam autem ſine ſuffragio ius conceſſam fuiſſe ex eo patet, quod multo tempore pòſt Liuius refert, *Arpinates* cum ſuffragio ciuitatem adeptos fuiſſe, de Trebulanis autem nullam mentionem facit.

ALIA QVAEDAM MVNICIPIA.

Feſtus libr. 11. *Tertiò municipium definitur, cum id genus hominum, qui ad ciuitatem Rom. ita venerunt, vt municipia eſſent, vt ſua cuiuſque ciuitatis & coloniæ iura eſſent, vt Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes. Ex his Tibur & Præneſte quæ ciuitates fœderatæ Latinæ erant, & Arpinum municipium ſuis legibus relicta ſunt. Piſa, Nola, Bononia, Placentia, Nepet, Sutrium, Luca colonia deducta.* Memorantur à Cicerone municipia aliquot præter ea, quæ dixi, quæ haud dubiè poſt legem Iuliam facta ſunt, vt *Aſculum* in oratione pro Sylla. *Aquinum, Labici, Gabij, Bouilla* in ſecunda Philippica, *Larinum* in oratione pro Cluentio, *Ameria*, pro Sex. Roſcio, *Tarquinij* pro Cecinna, & quædam alia. Tacitus libro 17. Municipia Tranſpadana, *Mediolanum, Nouariam, Vercellas*, & *Eporediam* nominat. In vetuſtis epigrammatibus municipiorum Italicorum, *Seguſini, Interamnatis, Nabartis, Caſuentinorum, Vindenatium, Ocriculani, Surrentini, Rhegini, Tiburtis, Hidruntini, Sepinatis, Sueſſani, Fori Sempronij, Caraui, Nolani, Aletrinatis, Aliſani, Amerini, Blerani, Arretini, Claſini, Tifernatis, Mantua & Mantuanola, Capenatis, Vrbini, Saſſinatis, Caſſinatis, Hiſpelli, Foro Flaminij, Numanatis, Aſiſinatis*, & aliorum multorum frequens mentio eſt. Atque hactenus de municipiis.

Eod. *Trans Tiberim habitare.*] Id quodammodo infame fuiſſe obſeruauit Tornebus lib. 24. Aduerſar. ca. 43. vt id antea annotatum eſt. Trans Tiberim habitare.

Eod. *Clarigatio eſſet.*] Cælius Rhodiginus libro lectionum antiquarum 5. c. 11. per *clarigationem* taleam nummariam intelligi poſſe, eſſe qui putent, ſcribit. Clarigatio. Budæus in poſterioribus annotationibus ad Pandectas, per *clarigationem*, ἀνδροληψίαν intelligit, quæ hodie vulgo dicitur *pignoratio*, ſeu barbaro vocabulo, *repreſſalia*. Repreſſaliæ. Ceterum eorum errorem, qui negant *clarigationem* eſſe hominum prehenſionem, ſeu ius prehendendi & abducendi hominis, corrigit Tornebus lib. 12. Aduerſarior. c. 1. oſtendens in antiquo Lexico, ita *clarigationem* exponi, nimirum ἐνεχυρασμός, ἐνεχυρασμὸν ἐκ πολέμου. Seruius lib. 9. & 10. *clarigationem* dictam eſſe exiſtimat à *clara voce*, qua vtebatur pater patratus, aut ἀπὸ τοῦ κλήρου, hoc eſt, *à ſorte*. Nam per bellicam ſortem inuadebant agros hoſtium.

Eod. *Ciuitas ſine ſuffragio data.*] Ea diſtinctio ciuium apud veteres ſeruari ſolita eſt, vt alij ciuitatem haberent ſine ſuffragio, alij ius ſuffragij vnà cum ciuitate. Ius municipiorum cum ſuffragio. Parum verò, vel nihil ab iis ciuibus Romanis, qui vrbem agrumve incolerent, differebat hoc ciuium Romanorum genus, qui in municipiis, quibus cum ſuffragij latione ciuitas data erat, commorabantur. Hi enim

enim omnibus ciuium Romanorum priuilegiis portiebantur, imo & exiſtimo, excepto quod in curias Romanas deſcripti non erant, atque ob eam cauſam curiatis comitiis, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. *curia* enim tantum eorum qui vrbem incolerent, erant. Nam qui in municipiis vel coloniis ciues Romani habitabant, ſua quædam in ſuis vrbibus

Municipiorũ ſacra.

ſacra habebant, quę *municipalia* dicebantur, erantque iis perinde ac Romanis *curia*. Quod vel inde apparet, quod Milo legitur ad prodendum flaminem Lanuuium profectus fuiſſe, pridie quam Clodium occidit, nec erat neceſſe ſua ſacra eos relinquere, ciuitate donabantur, niſi in vrbem migrarent. Nam quos ſub Regibus migraſſe Romam reperimus, vt Sabinos, Tuſcos, Latinos & Albanos, eos ſimul per curias Romanas deſcriptos fuiſſe, ex Dionyſio aperte intelligitur. Qui vero ad vrbem non migrabant, ſuis ſacris vacare opus erat, quæ (vt dixi) *municipalia* vocantur. De quibus ſic ſcribit Feſtus: *Municipalia ſacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante ciuitatem Romanam acceptam, quæ obſeruare eos voluerunt Pontifices, et eo more facere quod feciſſent antiquitus.*

Municipes ſine ſuffragio.

Primum verò omnium qui municipes facti ſunt, ſine ſuffragij latione fuerunt. hi fuerunt *Cerites. Hoc illis* (inquit Gellius) *conceſſam, vt ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarẽt, pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque.*

Tabulæ Cærites.

Hinc tabulæ Cærites appellatæ verſa vice, in quas cenſores referri iubebant, quos notæ cauſa ſuffragio priuabant. Idem tradit Aſconius de *municipiis* loquens. Sextus Pompeius ita ſcribit: *Municipes erant, qui quum ex aliis ciuitatibus Romã veniſſent* (hoc eſt, vt ego interpretor, ciuitate donati eſſent) *eis non licebat magiſtratum capere, ſed tantum muneris partem.* At Seruius aiebat initio fuiſſe, qui ea conditione ciues Romani fuiſſent, vt ſemper Rempub. ſeparatim à populo Romano haberent, qui æque ciues Romani erant, & in legione merebant, ſed dignitates non capiebant. *Municipium* id genus hominum dicitur, qui quum Romam veniſſent, neque ciues Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum, vna cum Romanis ciuibus, præterquam de ſuffragio ferendo, & magiſtratu capiendo. Hi omnia ciuitatis priuilegia, præter ſuffragij lationem, & magiſtratus capeſſendi poteſtatem habebant. Municipes vero cum ſuffragij iure, omnia priuilegia ciuium Romanorum vrbem incolentium habebant præter curias, in quas, quemadmodum qui Romæ habitabant diſtributi non erant, ac per hoc curiatis comitiis excluſi. De *manicipibus* ſic ſcribit Vlpianus lib. 1. *Municipes aut natiuitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio, et proprie quidem municipes appellãtur muneris participes, recepti in ciuitatem, vt munera nobiſcum facerẽt.* Ceterum omnium municipiorum cum iure ſuffragij primum fuit Tuſculum.

Connubiorum ius.

Eod. *Connubia commerciaque.*] Ius connubiorum olim ciuibus Romanis erat proprium, quia tantum ciues cum ciuibus matrimonium contrahere potuerunt, ita, vt ſi pater aut mater peregrini eſſent, non legitimæ erãt nuptiæ. Lex enim erat, vt nuptiæ tantum eſſent inter ciues Romanos, inter quos ſolos connubij ius erat, filij ex eo matrimonio nati ſoli iuſti ſunt, & in poteſtate

Commercium.

parentum, & hi ſuccedunt parentibus. *Commercium* vero eſt emendi vendendique inuicem ius, ſub hoc priuilegio continentur omnia commerciorum genera, vt *nexa, ſtipulationes, mancipationes, ſacramenta contentiones, in iure ceſſiones*, & alia, quibus profecto iure poſſeſſio rei acquirebatur, vel quib. iure ciuium Romanorum dominus fiebat.

Roſtra nauium.

Eod. *Roſtriſque earum.*] *Roſtra*, vt exiſtimat Bayſius de re nauali Latinis ſunt, quæ Græcis dicuntur *acroſtolia*. Sunt autem *acroſtolia* extremæ nauis partes, quæ facile euellebantur, cum collibitum fuerat, vt Bayſius ibid. ex Diodoro aliiſque auctoribus tradit.

Veſtalium ſtupri compertarum pœna.

Cap. xv. *Viua ſub terram.*] Veſtales ſtupri compertas, viuas à Romanis defoſſas hiſtorici paſſim tradiderũt. Panem tamen & lac ſub terra, ne fame necari viderentur appoſuiſſe addunt. Id quod ex Græco ritu fluxiſſe animaduertit Canterus lib. 7. variarum lectio. capite 6.

Familiam in poteſtate habere.

Eod. *Familiam in poteſtate habere.*] Hoc eſt, *ne manumitteret*. Cum Pontifices eos ad confitendam veritatem tormentis cogi volentes metuerent, ne Minutia ſeruos à quibus prodi poſſet, manumitteret. Ideo & Pædianus in commentario orationis pro Milone, Põpeium ad Milonem ſignificat miſiſſe, vt quoſdam ſeruos, quorum opera in occidendo Clodio vſus eſſe dicebatur, in poteſtate ſua haberet: Milonem reſpondiſſe, ex iis ſeruis quos nominaſſet, partim neminem ſe vnquam habuiſſe, partim manumiſiſſe, vt annotat ex eo Manucius de legibus Romanis.

Opifices à militia repulſi.

Cap. xx. *Opificum quoque vulgus.*] *Opifices & ſellularios* à militia, non lege, ſed conſuetudine repulſos exiſtimat Sigonius lib. 2. de antiquo iure ciuium Romanorum. Dionyſius tamen lib. 2. & 6. huiuſmodi artes operoſas, ſordidas, humileſque à ciuibus Romanis remouet, uſque ſaltem agriculturam & artem militarem committit. Cæterum non malè eius ſententiam Sigonius impugnat, quod non ſolùm ſuffragij ius, ſed & honores ampliſſimos habuiſſe legantur.

Caduceum.

Eod. *Caduceum præferentes.*] *Caduceum* enim geſtantes ab omni violentia tuti erant. Quippe cum pacis inſigne eſſet apud Græcos, & *caduceatorum* nomen id demonſtret. ſic enim hi vocantur, qui ad pacem mittuntur legati. Qua vero forma *caduceum* fuerit ex Græcis auctoribus annotat Cœlius libr. 21. cap. 16. lectionum antiq. Plinius lib. 29. nat. hiſtor. & Macrob. lib. 1. Saturnal. Budæus in prioribus annotationibus ad Pandectas.

Pax ab Imperatoribus petitur, à Senatu datur.

Eod. *Senatus de Vitruuio Priuernatibuſq; conſultus.*] Imperatores ſiquidem Romani hoſtes de pace ſollicitantes ad Senatum relegare ſolebant. Sic Ageſilaus cum in Lydia Tiſaphernem vertiſſet in fugam, Rege Perſarum per legatos ingentem vim pecuniarum vltro ad illum mittente, ac petente vt à bello deſiſteret, ei reſpondit, pacis quidem tempore Reipubl. vigere auctoritatem. ſic Eraſmus. Græce eſt: *τῆς μὲν εἰρήνης ἔχειν τὴν πόλιν τὸ δύνασθαι.* hoc eſt, *ciuitatem ius auctoritatemque habere pacis dandæ.* quibus verbis legatos à ſe Lacedæmonem reiecit, idque ab Imperatoribus Romanis obſeruatum paſſim apud Liuium videre eſt. Sic namque Samnites à Papirio dictatore pacem petentes, ad Senatum ire iubentur, hoc eodem lib. & alias ſæpe.

Semon Sangus.

Eod. *Bona Semoni Sango.*] *Semonis Sangi* meminit in Myſtagogorum libro Varro. Auguſtinus in ciuitate diuina *Semonem* dici *Ianum* ſentit, quod ſemini præſit, dum concipitur infans. Alij autem expuncta hac lectione Liuiana ſubſtituunt *Sabino Sangi* ex Dionyſio, qui Antiquitatum ſecundo Sabinorum genti inditum nomen ſcribit ex *Sabino Sangi* diui gentilis, quem Sangum quidam *Piſtium* vocent. Cœlius Rhodiginus lib. 2. lect. antiq. cap. 3. Alexander vero legit *Semoni Sango*. Alij *Sabino Sango*, vel *Sancto* legunt, vt annotat Gyraldus hiſtoriæ Deorum, Syntag. 1. Sunt qui *Semones* interpretentur quaſi *ſemi homines*, quæ interpretatio ſpecioſa eſt. Alij hos & *pacellarios* vocant, quorum mentio apud Plautum, de quo Gyraldus hiſtoriæ Deorum Syntag. 1.

Viſceratio.

Cap. xxi. *Viſceratio data in funere matris.*] *Viſceratio* erat crudæ carnis diſtributio, quæ fieri ſolebat, vel in ſolenni feſtiuitate, vel in funeribus magnatum & potentum, in quibus carnes ſiue crudæ ſiue coctæ, quandoque etiam panis vinumque domum perferentibus præbebatur. Vide ea de re Blondum libr. 2. Romę triumph. Meminit obiter Cicero lib. 2. officiorum titulo de duplici liberalitatis genere, Alexander quoque ab Alex. lib. 5. cap. 7. & lib. 3. cap. 7.

Dictator noctę dici ſolitus. Cap.XXIII. *Ineunte nocte ſilentio diceret dictatorem.*] Tam dictatorem, qui tenore belli audito dicebatur, quam qui comitiorum cauſa creabatur nocte dici moris fuiſſe, ex illo Liuiano lib. ſeq. intelligitur *Nocte deinde ſilentio, vt mos eſt, L.pyrium dictatorem dixit.*

Dodonæus Iupiter. Cap.XXIV. *Dodonai Iouis.*] Sic dictâ *Dodona* Epiri: Pomponius Mela lib.2. Plin in princip. quarti.lib. Strab. lib.5. Stephanus in *Dodona.*

Acheraſia aqua. Eod. *Caueret Acheruſiam aquam.*] Oraculi verba ex Græcorum commentariis ita reddidit Victorius libr. 15.cap.15.variarum lect.

Αἰακίδη πεφύλαξο μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ
Πανδοσίαν θ' ὅπου τοι θάνατος πεπρωμένος ἐστί.

Nexu miniſtro. Cap.XXVIII. *Æs alienum paternum nexum dediſſet.*] Budæus in annotationibus prioribus *nexum iniſſet* legendũ putat. Eſt enim *inire nexum*, lege nexus addici. Nexu vero obligati ſunt, quorum corpus vt pignus capi poteſt, obligationis iure atque conditione. Vocabatur autem *nexus* etiam neruus. Hinc Terentius in Phromione, *Ceterum cum argentum repetent, noſtra cauſa ſcilicet in neruum potius ibit.*

Acto honore triumphis.] Nam qui triumphare volebat neceſſe erat, vt imperium intra vrbis mœnia habere poſſet. Pro conſules enim & proprætores intra vrbis mœnia cum imperio eſſe nõ poterant. Hinc. M. Marcello ob captas Syracuſas, P. Scipioni, ob recuperatas Hiſpanias ius triumphandi denegatum, quod ad eas res gerendas cum imperio tantum ſine vllo miſſi eſſent magiſtratu, vt ſuo loco videbimus.

Fortes fortuna iuuat. Cap.XXIX. *Fortes fortunam iuuare.*] Adagium eſt, de quo Eraſmus in Chiliadibus: Admonet autem fortiter periclitandam fortunam. nam iis plerunque res proſpere cedere, cui ſententiæ accinit & illa Homerica Odyſſeas *ή:*

Θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων
Ἔργοισιν τελέθει, εἰ καί ποθεν ἄλλοθεν ἔλθοι.

Eod. *L. Papirium Curſorem.*] *Curſor* dictus à velocitate pedum, qua victor omniũ ſuę ætatis æqualium fuit, annotante Alex.ab Alex.lib.1.cap.9.ex Liuij lib. 9.

Cap.XXX. *Ad auſpicium repetendum.*] Tanta enim apud Romanos auguria & auſpicia in auctoritate fuerunt, vt nihil eorum, quæ ad publica & priuata negotia pertinerent, inauſpicato perfecerint. Teſtis Cicero de diuinatione, Alexand. libro 2.cap.26.in fine.& libro 5. capite 53.

Eod. *Occaſione bene gerendæ rei.*] *Occaſio*, vt Cicero de diuinatione ait, eſt tempus in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi dexteritatem habens. Hæc autem ſemel arrepta non temere, & præſertim ducibus dimittenda eſt. Cuius rei manifeſtiſſimũ ſemper exemplum Hannibal Pœnorum dux præbuit, qui vbique attentus, ne quam minimas occaſiones ſibi oblatas fruſtra labi paſſus eſt. De cuius in ea re ſolertia conſule Pontanum lib.4.de prudentia cap.7. Occaſio non temere dimittenda.

Cap.XXXIV. *Se exautorent.*] *Exautorantur* qui ſoluuntur ſtipendio, nec tamen dimittuntur, ſed habentur ſub vexillo, non ſub aquila, aut ſignis legionis: neque iam legionarij ſunt, retinentur tamen donec emerita ſoluantur, aut agri aſſignentur. Miſſio vero iis datur, qui penitus dimittuntur, Torneb.lib.3. Aduerſ.c. 3. Exauctorare quid?

Cap.XXXV. *Non noxa eximitur.*] *Eximere noxa*, eſt *gratiam criminis facere*, hoc eſt, *remiſſionem dare*, vt Budæus in prioribus annotationibus interpretatur. Noxa eximi.

Cap.XXXVI. *Ire ad ſenatum iuſſi.*] Pax enim, vt ſuperius annotauimus, ab Imperatoribus petebatur, à Senatu dabatur. De quo etiam Nannius lib.8. *συμμίκτων*.

Cap.XL. *Belline gerendi cauſa.*] Variis etenim de cauſis *dictatores* dici ſoliti ſunt. Vt ſi belli externi, ſeditioniſve domeſticę vis quædam maior incidiſſet, quæ videretur maiori imperio, quam conſulari indigere, aut ſi adeſſe non poſſent comitiis conſules, nec vellet ſenatus rem ad inter regnum, redire, aut ſi figendus eſſet clauus religionis cauſa, aut ludi faciendi, quæſtiones exercendæ, vel feriæ Latinę conſtituendæ, aut Senatus legendus. Hæ itaque præcipuæ dictatoris creandi cauſę fuere. Dictator variis de cauſis dici ſolitus.

IN LIBRVM IX. OBSERVATIONES.

CAp.I. *Tito Veturio.*] Alij *C. Veturium* legunt. Conſtat tamen ex Liuio, & aliis, *Titum Veturium*, eo tempore cum Poſthumio conſulem fuiſſe, licet Val. Max. libro 6.capite 1. Titum Veturium eius Veturij filium fuiſſe dicat, qui in conſulatu ſuo Samnitibus deditus ſit.

Eod. *Veturio.*] *Veturium*, vocat Oroſius libro 3. cap. 15. qui hanc hiſtoriam quoque deſcribit, vt Valer. Max.libr.7.cap.2. Florus lib.1.cap.16. Plutar. in Paral. cap.6.Aug.lib.3.cap.17.Ciuitatis Dei.Eutrop.lib.2.ca. 2.Sabel.lib. 5. Ennead.4. Rapſod. Volat.lib.28.cap.2. vrb.comment.

Caudium. Cap.II. *Circa Caudium.*] Duo fuerunt ſaltus alti, anguſti, & ſiluoſi, montibus perpetuis inter ſe iuncti, qui *Furculæ Caudinæ* nomen habuerunt, in medio campus herbidus aquoſuſque, per quem medium iter erat, non tam arduum quam periculoſum. Harum Furcularum meminit Volat. lib. 5.c.6. Geograph. Sunt autem *Caudinæ furcæ* appellatæ, quod non longe ſint ab oppido Samnij, quod *Caudis* dicitur.

Luceria. Eod. *Luceriam omnibus copiis.*] Apuliæ vrbem, & olim Auſonum coloniam, de qua Strabo li.6.& Plin.li.3.c.11.

Prætorium quid? Eod. *Prætoria conſulum.*] Per prætorium nihil aliud intelligit niſi tabernaculum conſulis. Antiquitus enim omnem magiſtratum, cui pateret exercitus, *prætorem* appellauerunt, prout ſuperius annotatum eſt, & late oſtẽdit Budæus in prioribus annotationibus, quas vide ſub tit.de offic.pref.prætorio.

Cap. III. *Montes moliri.*] Id eſt, *demoliri*, vt ſimplex pro compoſito accipiatur.

Media via. Eod. *Media via conſilium caperetur?*) *Media via conſilium capiendum*, non ſolum politici, ſed & iure conſulti tradiderunt, in L.adeo. de acquiren. rer. domin. vbi Caius. & ipſe hanc diſtinctionem ſequitur Accurſius in §. quum ex aliena. Inſtitut. de rerum diuiſione. At non tam eam ſententiam, quæ media eſt, ſed quæ grauioribus & melioribus rationibus nitatur, Iuris pontificij interpretes recte ſcribunt in capit.1. de conſtitut. Verum ſi media ſententia iuſtior & æquior fuerit, in eam ibimus, vt Iuſtinianus in d. §. Quum ex aliena. Sic & apud Liuium libro 26. *P. Valerij Flacci ſententia contra P. Cornely Aſina et Q. Fabij Maximi, quod media eſſet preualuit.* Sic & apud eundem libro 36. *in Mediorum concilio Clyti ſententia, qua media fuit, accepta eſt.* Vt & Senatus lib. 31. *Conſulibus diſſentientibus, de tertia illius pecunia penſione, quam priuati M. Valerio, & M. Claudio Coſſ. in bellum Punicum mutuam dederant, quod medium inter vtile & æquum erat, decreuit.* Qua de re non contemnenda notauit Ferrandus Abduenſis in d. §. Quum ex aliena, Iuſtitu. de rerum diuiſione.

Mors pro patria præclara. Cap.IV. *Mortem pro patria præclarem eſſe.*] Sic Horatius lib.3.carminum, Ode 2.

Dulce & decorum eſt patria mori,
Mors & fugacem perſequitur virum.

Sententiam vero hanc Pindarus in Iſth. paulo vberius, exprimit, ἴστω γὰρ σαφὲς ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸς φίλας πάτρας ἀμύνεται, λοιγὸν ἀμύνων ἐναντίῳ στρατῷ ἀστῶν γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων ζώων τε καὶ θανών. Lucianus in Encomio patriæ ſcribit, hanc in prœliis cohortationem plurimum valere, ſi quis dicat bellum pro patria ſuſceptum, neminemque eſſe qui hac voce audita mortem extimeſcat, aut periculum metuat. *Efficit enim*, inquit, *nomen et commemoratio ipſa patria, vt qui alioqui eſt timidiſſimus, ignauiſſimuſque natura fortiſſimus exiſtat.* Tyrteus autem, *qui mares*

Digitized by Google

animos (vt ait Horatius libr. de arte poëtica) *verſibus exacuit*, hanc eandem ſententiam duobus verſiculis ita complexus eſt:

Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.

Et M. Tullius officior. 1. *Sed omnes omnium charitates patria vna complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere?*

Neceſſitati parendum. Eod. *Pareatur neceſſitati.*] Hęc ſententia Simonidi tribuitur, Ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται, id eſt, *neceſſitati ne dij quidem reſiſtunt.* Sumpta autem eſt ex Homero vt tradit Eraſmus in prouerb. *Aduerſum neceſſitatem ne dij quidem reſiſtunt.*

Sponſio quid? Cap. v. *Non fœdere, ſed per ſponſionem.*] Notandus hic Liuij locus quo *fœdus* a *ſponſione* & *pactione* diſtinguitur. Nam non eſſe idem *ſponſionem, pactionem*, & *fœdus* ex eo intelligi licet, quod fœdus pactione, pactio ſpõſione firmior atque ſtabilior fuit. Nam *ſponſio* neq; populi iuſſu, neque Senatus auctoritate, quod in fœdere accidebat, ſed arbitrio magiſtratuum & imperatorum fiebat, atque deditione eorum per quos facta erat infirmabatur. Sæpe tamen euenit, vt quod imperator iniuſſu populi, & ſine auctoritate Senatus pepigerit, id *fœdus* vocatum illud quidem ſit, ſed tamen non ſeruatum, quod oſtendit princeps quidam Carthaginienſium apud Liuium, cum ad Romanos legatos de fœderis ratione ſecum agentes verba ita fecit: *Vos quod C. Luctatius conſul primo nobiſcũ fœdus fecit, quia neque auctoritate patrum, nec populi iuſſu ictum erat, negaſtis vos eo teneri.* Tale autem fuiſſe etiam Numantinum, facile inde apparet, quod id C. Mancini conſulis deditione diſſolutum ſit. Numantinum autem fœdus, vt Caudinum, *ſponſionem* appellari poſſe, niſi Antias lib. 12. prodidiſſet, calamitatis certę ſimilitudo id nos doceret. Vt n. ad Caudinum quæſtores qui ſpoponderunt dediti ſunt, ſic ad Numantiam Tiberium Gracchum Mancini quæſtorem, fœderis eius auctorem, dedere voluerunt.

Pactio à fœdere differt. *Pactionem* præterea aliud eſſe à fœdere demonſtrat ſatis, vt opinor, Cicero in defenſione Cæcinnæ, eum inquit: *Quod edictum magiſtratus, quod fœdus aut pactio.* Nam *pactionis* nomine etſi omnia quæ cum hoſtibus paciſcerentur, continebantur, quo etiam modo *fœdus, pactio*, nominari poteſt, tamen hoc in loco præcipuam aliquam paciſcendæ amicitiæ rationem ſignificatam exiſtimo, vt *inducias*. De induciis porro elegans illud eſt Varronis, *ducias pacem caſtrenſem paucorũ dierum*, vel *belli ferias* eſſe, quas tamen deſcriptiones Gellius lapidas magis atq; iucundas quam plenas aut probas eſſe arbitratus. Probabilius enim multo illud eſſe, *inducias* ſic dictas, quaſi *inde vti iam*, etenim pactum induciarum eſſe eiuſmodi, vt in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, ſed ex eo die poſtea vti iam omnia belli iure, agantur. Laudo induciis enim pax non in perpetuum, vt fœdere, ſed in certum temporis ſpatium dabatur, aut dierum, aut menſium, aut annorum. Quare ſæpe factum animaduertimus, vt populus Romanus hoſtibus fœdus petentibus, inducias dederit, hinc enim illa Liuij, *A Peruſia, Cortona, & Aretio, quæ ferme capita Etruriæ populorum erant legati pacem petentes, inducias in triginta annos impetrauerunt.* Item: *Faliſci cum in induciis eſſent fœdus à Senatu petierunt.* Induciarum ergo ea ratio fuit, vt eo tempore, quo præfinitæ erant, nihil hoſtile gereretur, ſed ſumma à bello quies eſſet, atque alia etiam ſocietatis eum iis, quibus cum pactæ erant, ſpecies & imago, quas qui violaſſet, ius gentium violaſſe exiſtimabatur, vnde illud eſt apud eundẽ: *Omnes portas concionabundus ipſe imperator circumiit, et quibuſcunque irritamentis poterat, et iras militum acuebat, nunc fraudem hoſtium incuſans, qui pace petita, induciis datis, per ipſum induciarum tempus, contra ius gentium, ad caſtra oppugnanda veniſſent.* Itaque eodem etiam à Cicerone iure vituperare videmus in primo de officiis, cum ait, exiſtere iniurias ſæpe calumnia quadam, & nimis callida, ſed malitioſa iuris interpretatione, vt ille, qui cum, xxx. dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ. Quę cum ita ſint, non dubium eſt, quin *fœdus* (iam enim ad hoc oratio mea delabitur) pactio quædam ſit ſocietatis, non ex Imperatoris arbitrio, ſed iuſſu populi, aut ſenatus auctoritate firmata, neque ad tempus, ſed in perpetuum, neque per ſponſores, datis obſidibus, ſed per fecialem publicum populi Romani nuncium, ſolenni precatione adhibita, per quem populum fiat, quo minus dictis legibus ſtetur, *vt eum Iupiter ita feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur.* Quod extremum ex formula etiam ipſa fœderum feriendorum, nobis à Liuio tradita poteſt cognoſci, libro 1. De fœdere Albano. Ad hunc autem priſcum feriendi porci ritum probe alluſit Virgilius, cum dicit: *Et caſa iungebant fœdera porca*, & Suetonius cum ſcripſit Imperat. Claudium cum regibus in foro fœdus iciſſe, porca cæſa, ac vetere feci alium precatione adhibita. nam illa tam poſt aliam eſſe feriendi fœderis rationem, vt ſæpe non porcus feriretur, ſed lapis abiiceretur, exiſtimo. Siquidem Polybius auctor valde bonus, cum pœnis hoc modo ictum fœdus exponit: *Fecialis lapidem tenens i a nit, Si ſine dolo malo ago, bonis aſficiar, ſi ſciens fallo, cæteris omnibus ſaluis in ſuis ciuitatibus, legibus, laribus, delubris, ſepulchris, ſolus ego concidam, vt lapis è manibus meis decidet, nec plura locutus, manu lapidem abiicit.* Cuius iuriſiurandi video poſt etiam Plutarchum in Sylla meminiſſe, & eiuſdem Feſtum etiam antiquam formulam adiunxiſſe, cum ſcripſit, *lapidem ſilicem* tenuiſſe iuraturos per Iouem, hęc verba dicentes: *Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalua vrbe, arceque bonis eiiciat, vti ego hunc lapidem.* Lapis ſilex. Atque hoc ideo eſſe arbitror, quod *legis obteſtatio* à Cicerone in Corneliana vocatur, cum ait *ſanctiones ſacrandas eſſe aut obteſtatione & conſecratione legis, aut pœna*, cum caput eius qui contra facit, conſecratur. Hęc ita explicata ſunt à Sigonio lib. 1. de antiquo iure Italiæ, quæ quoniam non parum ad huius loci illuſtrationem faciunt, ea aſcribere libuit.

Cap. vi. *Superbiam ingenitam Campanis.*] Campanorum ſuperbiam tantam fuiſſe vt in prouerbium exierit, docet Eraſmus in prouerbio, *Campana ſuperbia*, & meminit eius aliquoties Cicero pro Rullo. Superbia ingenita Campanis.

Cap. viii. *Exoluimus religione.*] *Religione exoluere*, id eſt, *ſcrupulum & anxietates adimere*: Budæus in prioribus ad Pandect. Exoluere religione.

Eod. *A L. Liuio, et Q. Melio tribunis.*] Recte me iudicio, Manutius de legibus Romanis annotat Tribunos quidem plebis hos duos fuiſſe, anno quod de ſponſoribus pacis populo Samnitium dedendis actum eſt, non autem ſuperiore quo pax per ſponſionem fuerit facta. Nam vt Gellius lib. 3. capit. 2. ſcribit, *lex vetuit Tribunos plebis integrum diem ab vrbe abeſſe.* & cum commemorantur hic qui ſpoponderunt, nulla tribunorum plebis mentio fit. Ergo quia nulli tribuni plebis memorantur, eos ſponſioni non interfuiſſe veriſimile eſt. Trib. pleb. integrum diem ab vrbe abeſſe non licuit.

Cap. xiii. *Pilis emittendis.*] *Pilum* genus haſtæ Romanæ breuis. Itaque cum de propinquo agitur, ad pila ventum dicitur. Eraſmus in prouerbio, *Ad pila vbi ventum.* Pilum quid.

Cap. xiv. *Pullarius nunciat.*] *Pullarius* erat, qui caueæ pullorum curam agebat, ex quorum paſtu auguria augures captare ſolebant. Meminit huius aliquoties Liuius: & Cicero 2. de diuinatione. *Attulit in cauea pullos, qui ex eo nominatur Pullarius.* Pullarius.

Eod. *Nec deſperata venia.*] Vetus enim prouerbium eſt, *non eſſe cum deſperatis decertandum.* De quo ſuis locis videas: nec ſunt diſſona ea quæ tradit Eraſmus in prouerb. *Phocenſium deſperatio.* Plurima in hanc ſententiam commemoratur à Frontino libro. 2. Stratagemat.

Digitized by Google

capit. 6. Maxime vero memorabile eſt, quod Pyrrhus inter cætera præcepta imperatoria memoriæ prodit, non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti, ne non ſolum à ſe fortius ex neceſſitate reſiſteret, ſed vt poſtea quoque facilius acie cederet, &c.

Sub iugum mitti.

Cap. xv. *Septem millia ſub iugum miſſa.*] Nimirum vt par pari referret, vt eſt apud Oroſium & Eutropium: Quomodo vero milites ſub iugum miſſi ſint, nullibi melius leges, quam hic apud Liuium & lib. 1. Decad. 1. vbi Horatius *ſub tigillum mittitur*, hoc eſt, *ſub iugum*, hac forma, vt duo recta tigilla defixa ſtarent, tertiumq; ſuperne duobus illis tranſuerſum imponeretur.

Præneſte.

Cap. xvi. *Præneſtinus prætor.*] Hic nullibi ſuo nomine appellatur. Omnes autem vulgo magiſtratus a quibus pareret exercitus, *prætores* vocabant. De quorum electione, officio, & dignitate, vide notata ſuperius. Fuit autem *Præneſte* Latij vrbs, quæ, vt Feſtus ait, quod locus in quo ſita eſt, montibus præſtet, dicta eſt. Seruius Grammaticus ἀπὸ τῶν πρίνων, *ab ilice*, quæ ibi abundat deducit. Solinus cap. 8. à *Præneſte* Vlyſſis nepote, & Latini regi filio appellatam putant, Strabo lib. 5. olim *Polyſtephanum*, id eſt, *multarum coronarum*, Plinius lib. 3. capit. 5. *Stephanum* olim vocatam dicit, ob lentiſci copiam.

Lictorum munus.

Eod. *Lictorem expedire.*] Lictorum enim munus & officium erat, ex iuſſu magiſtratuum delinquentes vincire, nudatos virgis cædere, & ſi crimen expoſceret, ſecuri percutere. Vide Gellium libr. 12. cap. 3. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 27.

Eod. *Excide radicem hanc.*] Huius radicis meminit Plinius de transferendis ſeminariis lib. 17. cap. 11.

Eod *Metu perfuſum.*] Clementiæ exemplum. *Optandum enim eſt*, (vt Cicero libr. 1. officiorum ait) *vt hi qui præſunt reipubl. legum ſimiles ſint, quæ ad puniendũ non iracundia, ſed æquitate ducuntur.*

Alexandri vinolentia.

Cap. xviii. *Vini amor indies fieret acrior.*] In hac collatione Alexandri cum imperatoribus Romanis, nihil quod annotetur neceſſe eſſe exiſtimo. Pleraque enim hinc inde apud auctores inueniuntur. Cæterum quam hic vinolentiam Liuius in eo vituperat, & nemo non nouit, Arrianus conatur tueri. Q. Curtius approbat, ita vt & ipſi Alexandri adulatores videantur. De quo Cœlius libro 9. cap. 11. Et rurſus de vinolentia Alexandri libro 28. cap. 30. Atque adeo quidem vinolentiæ ſuccubuiſſe ſcribitur, vt inde *Alexandri poculum* viſendæ capacitatis etiam prouerbio vſurpetur. Idem Cœlius lib. 29. c. 17.

Præfectura quæ

Cap. xx. *Capua primum præfecti creari cœpti.*] Vt ſuperius, quæ *municipia*, & quæ *Coloniæ* fuerint oſtendimus, ſic nunc videndum erit quę *præfecturæ* fuerint. In his enim commorantes aliud ciuium genus conſtituebant, deteriori quam municipia & coloniæ iure vtentium: Erant igitur *præfecturæ* oppida Italiæ, in quibus qui habitabant, nec ſuis legibus vt municipes viuebant, nec vllos de ſuo corpore magiſtratus creare poterant vt coloni, ſed à magiſtratibus Roma miſſis regebantur iis legibus quas Romanus magiſtratus dixiſſet, qui quoniam *præfecti* vocabatur, *præfecturæ* dicebantur. De hiſce ſic ſcribit Sextus Pompeius: *Præfecturæ hæ appellantur in Italia, in quibus et ius dicebatur, et nundinæ agebantur, et erat quædam earum reſpublica, neq; tamen magiſtratus ſuos habebant; In quas legibus præfecti mittebantur quotannis qui ius dicerent.* Illud porro ſcitu dignum ex præfecturis quaſdam fuiſſe, quæ ius ciuitatis & ferendi ſuffragij haberent, quaſdam non, quemadmodum de municipiis & coloniis dixi. Sext. Pomp. li. 14. duas & viginti præfecturas enumerat. In his decem fuiſſe ſcribit, in quas præfecti populi ſuffragiis creati mittebantur, vt hę, *Capua, Cumæ, Caſilinum, Vulturnum, Liternum, Puteoli, Acerra, Sueſſula, Attella, & Calatia*: duodecim vero, in quas vrbanus Prætor pro ſuo arbitrio præfectos mittebat. Hæ fuerunt, *Fundi, Formiæ, Cære, Venafrum, Alliſe, Priuernum, Anagnia, Fruſino, Reate, Saturnia, Nurſia & Arpinum.* Quæ fere omnes aut ex coloniis & municipiis præfecturæ factæ ſunt, aut ex præfecturis in colonias & municipia redactæ. Ex his *Capua* præfectura fuit, à bello Punico ſecundo ad conſulatum C. Cæſaris, à quo colonia deducta eſt *Cumæ, Acerræ, Sueſſula, Attella, Formiæ, Priuernum* & *Anagnia*, tum municipia: tum coloniæ: *Fundi* vero, *Cære*, & *Arpinum* municipia tantũ aliquando fuere. *Caſilinum Vulturnum, Liternum, Puteoli* & *Saturnia* coloniæ. *Calatia* vero *Venafrum, Alliſe, Fruſino, Reate*, & *Nurſia* præfecturæ dum libertas Populi Romani ſtetit, ſemper fuere. Nam quum poſt legem Iuliam æquatis omnium ſuffragiis, ciuitas Italiæ omni data fuiſſet, municipiorum, coloniarum, & præfecturarum iura obliterata ſunt, nominaque hæc confundi cœpta, vt & *colonia* pro *municipio*, & *municipium* pro *colonia* & *præfectura* aliquando accepta ſint. Cicero enim *Placentiam* in L. Piſonem, *Soram* & *Caſſinum* pro Plancio, *Calenum*, in Rullum, *Sueſſam* in ep. ad Atticum, *Coſſam* in Verrem municipia vocat, quas colonias deductas fuiſſe oſtendi: At hęc præfecturæ ipſæ, & municipia, itemque veteres coloniæ deducta militibus, Coloniæ omnes denuo à Sylla primum, deinde à Cæſare, Triumuiris, & Auguſto factæ ſunt. Præter eas præfecturas quas ex Feſto digeſſi, *Cora* præfecturæ Strabo lib. 5. *Claudiæ* Plinius libro 3. capit. 5. *Atinatis* Cicero pro Plancio. *Reatinæ*, idem de natura Deorum mentionem faciunt.

Fœderatæ ciuitates.

Cætera vero omnia Italiæ oppida quæ coloniæ, municipia, & præfecturæ non erant, *fœderatæ ciuitates* vocabantur, vt *Tibur, Præneſte, Neapolis*, & pleræque aliæ, quæ ſuis legibus & magiſtratibus viuebant, diuerſiſque fœderibus aut ſponſione, aut pactione vario iure cum pop. Roman. amicitiam contraxerunt. Aliquæ enim erant omnino liberæ, aliquæ vectigales, aliquæ ſtipendiariæ, aut plus vel minus grauatæ, vt populo Romano viſum fuiſſet. Atque Italia omnis in hæc genera Municipiorum, Coloniarum & Præfecturarum ante legem Iuliam & bellum Marſicum diuiſa fuit. Vnum præterea ſupererat ciuium vel oppidorum genus, quorum quędam dicebantur *fundi populi*. Quod quidem nomen diſcriminis non eſt, quemadmodum liberorum & ſtipendiariorum, ſed hi *fundi populi* dicebantur auctore Cicerone, qui quotieſcunque lex aliqua Romę fieret, quæ de iure publico non eſſet, ſed de rebus priuatis, vt de teſtamentis, vel de mancipiis, eam ſuſcepiſſent tamquam propriam, tuncque eius legis *fundus populus* dicebatur, perinde ac ſi diceretur, *Is populus eam legem tamquam propriam ſuſcepit.* Hoc idem de municipiis dicit Gellius, prout annotat Onuphrius in libello de imperio Romano, ſub titulo *de præfecturis*. Plura de *populo fundo* vide apud Torneb. lib. 4. cap. 12. vbi non inerudita de harum vocum ſignificatione adfert.

Fundi populi.

Eod. *Neque tamen æquo fœdere, ſed in ditione.*] Quid ſit *æquo fœdere*, vel *in ditione populi Romani* eſſe, ſuperius li. 7. oſtenſum eſt, vbi vide.

Internecinũ bellum.

Cap. xxv. *Internecino bello.*] *Internecidij* ſignificatio eſt, quaſi hominis quędam enecatio. vox deriuata ab *internecida*: qui, vt inquit Iſidorus, eſt qui falſum teſtamentum fecit, & ob id hominem occidit. hinc *internecinum bellum*: quod ita geritur, vt omnes occidantur. De quo Torneb. lib. 11. aduerſ. cap. 5.

Viam munire.

Cap. xxix. *Viam muniuit.*] id eſt, *lapidibus ſtrauit*: vt Plinius cap. 34. loquitur. Dicta vero eſt hęc *Appia*: & vt Lętus ait, à Conſtantini via incipiens, inter Tuſculum & Albam ad Algidum tendit, & inde porro ad Caſilinum progreſſa, vndeuiginti ſtadiis à Capua Latinæ viæ iungitur. Vide Pomponium Lętum titulo 79. De antiquitatibus vrbis, Volaterranum lib. 6. cap. 8. Vrb. comment. Alexandrum ab Alex. lib. 3. cap. 13. Hęc via à Caracalla poſtmodum munita, *Nouæ* deinceps nomen accepit.

Eod. *Aquam in vrbem duxit.*] *Anienem* ueni-

Digitized by Google

Aqua Claudia. Martia.

rum vt Plinius capit. 34. teſtatur, de viris illuſtribus. Vnde hæc quoque ab auctore *aqua Claudia* dicta eſt deinceps. Vide Marlianum lib. 4. cap. 21. Cæterum ab vrbe condita 608. cum hic fons Anio vetuſtate cõſumptus eſſet, datum eſt à Senatu negotium Marco Titio prætori, vt hunc fontem reficeret, vnde ab auctore *Marcia aqua* poſtea appellata eſt, cuius rei quoque meminit Plinius libr. 31. c. 3. Frontinus de aquæ ductibus.

Eod. *Solus cenſuram obtinuit.*] Hoc eſt, *ſine collega*. Caius enim Plautius magiſtratu ſe abdicauerat. Eſt autem hoc notandum, apud Romanos inſtitutum fuiſſe, vt altero ex cenſoribus morte ſubducto, duo de integro cenſores crearentur.

Eod. *Herculis familiare.*] *Herculis* ſcilicet *Victoris*, cuius templum rotundum in foro Boario, tantæ fuit venerationis, vt neque muſcæ, neque canes eius tecta ſubintrarent, lege Marlianum, lib. 4. ca. 6. Topographiæ, qui eius rei rationem reddit.

Eod. *Nomen Potitiorum interiiſſe.*] Hercule nimirum detractæ religionis ſuæ, & grauem & manifeſtam pœnam exigente. Id vero quando factum fuerit, præter Liuium hoc in loco, docet Valerius libro primo, capite ſecundo.

Cap. XXX. *Tribuni ſenideni militum.*] Romulus primus in exercitu tres Tribunos militum inſtituit, hi mille hominibus præerant, quum non niſi tria millia peditum exercitum haberet, poſt auctis Romani imperij opibus, Tribuni plures quam tres, & diuerſi generis eſſe cœperunt. Nam cum hoc tempore nimirum ab vrbe condita CDXLIII. exercitus Romanus, vt ſcribit Polybius, ex quatuor tantum legionibus, legio non niſi IIII. millium peditum eſſet, poſt cum legiones ipſæ ad ſena millia hominum, auctæ fuiſſent, XXIIII. Tribuni à populo fieri cœpti, ſexque in ſingulas legiones diſtribuit, quod poſtea ſemper obſeruatum, vt tradit Onuphrius in Faſtis.

Duumuiri nauales.

Eod. *Duumuiros nauales.*] Hunc non fuiſſe ordinarium magiſtratum, inde colligi poteſt quod Liuius lib. 40. & 41. cum rurſus huius magiſtratus meminit, certam cauſam creationis aſſignat, nec ſimul creari facit cum ordinarijs magiſtratibus, ſed prout neceſſitas requirebat. Nam ſi ordinarius magiſtratus eſſet, non ita pro neceſſitate ſubita, ſed cum reliquis magiſtratibus eum creari oportuiſſet.

Tibicines ſacris adhiberi ſoliti.

Eod. *Tibicines quia prohibiti.*] Nam *tibicines* tibias concinentes ſacris populi Romani intereſſe ſolebant. Varro libro 4. de lingua Latina, & Sextus Pompeius de quinquatrib. Ouidius libro 6. Faſtorum. Valerius Maximus libro ſecundo de inſtitutis antiquis. Idem quoque propemodum in problematibus à Plutarcho refertur.

Eod. *In æde veſcendi ius.*] Epulum olim exhibebatur ciuibus, in dedicationibus templorum, in triumpho, in ſpectaculis, & funere, qua de re copioſiſſime Blondus lib. 2. Romanorum triumph. Cicero lib. 3. de Oratore, Auguſtinus lib. 3 de ciuitate Dei. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 7.

Silua Ciminia.

Cap. XXXV. *Siluam Ciminiam.*] De *Silua Ciminia*, vide Plinium libr. 96. vbi dicit in ea loca eſſe in quibus in terram depacta extrahi nequeant, de cuius rei fabuloſo ortu lege Seruij annotata in 7. Æneidos. Meminit & Frontinus cap. 1. 2. & c. 1. ſecundi.

Eod. *Hetruſcis indeliteris eruditus.*] Nam vetere Romanorum inſtituto, vt & ſuperius annotatum eſt, ſex principum filij, ſex ſingulis Hetruriæ populis in diſciplinam tradebantur. Valerius tamen ait, decem principum filios dari ſolitos Hetruriæ populis, ad percipiendam ſacrorum diſciplinam. Hinc Cic. lib. 2. de legibus, *Hetruriaque princeps diſciplinam doceto.*

Telum pro conſilio.

Cap. XXXVII. *Telum aliud occultum.*] *Telum* pro conſilio, ac ratione & via gerendi poſuit prout ſuperius etiã annotatum eſt, & Eraſmus admonuit in prou. *Ingens telum neceſſitas.*

Cap. XXXVIII. *Omnem diem diffidit.*] Id eſt, *in poſterum diem reiecit*. Ita enim interpretatur Budæus in prioribus ex Gellij lib. 13. cap. 1. Ex eo & hoc Liuij loco coniicies, *diffindere diem* olim id fuiſſe, quod nos *rem in craſtinum continuatam* vel *remiſſam* dicimus.

Vir virum legit.

Cap. XXXIX. *Cum vir virum legiſſet.*] Quid ſit apud veteres auctores: *Vir virum legit*, declarat Petrus Victorius libr. 18. cap. 19. Variarum lectionum, id referens ad morem veteris militiæ, quo videntur aliquando in delectu habendo poteſtatem fecere militibus, vt ſinguli ſingulos notos ſibi, quorumque virtute confiderent, legerent, atque id potiſſimum cum periculum aliquod maius inſtaret. Non diſſimile genus Soldurio-

Soldurij qui.

rum fuiſſe videtur, de quibus Cæſar lib. 3. de bello Gallico, quorum hæc fuit conditio, vt omnibus in vita commodis vna cum his fruantur, quorum amicitiæ ſe dediderint. Si quid iis per vim accidat, aut eundem caſum vna ferant, aut ſibi mortem conſciſcant. Hoc genus amicitiæ Græci *συναποθνῄσκοντων*, id eſt *commorientium* vocarunt.

Thenſæ quia.

Cap. XL. *Thenſa ducerẽtur.*] *Thenſa* ſacra vehicula erãt, auctoribus Seruio & Feſto. Tranquillus in Cæſare: *Ampliora etiam humano faſtigio ſibi decerni paſſus eſt, ſedem auream in curia, & pro tribunali, thenſam et ferculum Circenſi Pompa*, Budæus in prioribus ad Pandectas.

Salentinum bellum.

Cap. XLII. *Salentini hoſtes.*] Hoc bellum ſcribunt Florus 15. abbreuiat. Eutrop. c. 2. ſecundi.

Magiſtratibus interdici quid.

Cap. XLIII. *Magiſtratibus interdictum.*] Videri poſſet pugnare inter ſe *ciuitate donare, & magiſtratibus interdici*: verùm hæc neutiquam inter ſe pugnant, cum alterum ad municipij, alterum ad præfecturæ ius pertineat, quorum hoc inter conditiones Italicarum ciuitatum duriſſimum fuit, cum formula præfecturę non longe à prouinciæ formula videatur abfuiſſe. Vt enim quotannis in prouincias prætores Roma mitti ſoliti: ſic in præfecturas præfecti, qui eas adminiſtrarent, ac ius dicerent, cum municipia ſuos magiſtratus, *decuriones, Duumuiros, Quatuoruiros, Cenſores, Ædiles*, & *quæſtores* haberent. Porro quod connubia iis adempta ait: ideo referendum, quod cum omnibus fere Italis Romanis connubia fuerint, niſi, ſi qua forte de cauſa nonnullis id iuris ademptum eſſet, vt late tradit Sigonius libro 1. capit. 9. de antiquo iure ciuium Rom.

Eod. *Præterquam ſacrorum curatione.*] Nam licet aliqui ciuitate donarentur, non tamen ob id ſacra ſua deſerere, & eadem cum Romanis ciuibus obſeruare cogebantur, quod Feſtus oſtendit, cum ait: *Municipalia ſacra dicta ſunt ea, quæ ab initio habebant ante ciuitatem Romanam acceptam, quæ obſeruare eos voluerunt pontifices, & eo more facere quo feciſſent antiquitus.*

Triumuiri nocturni.

Cap. XLVI. *Triumuiralibus altero nocturno.*] *De Triumuiris nocturnis* Paulus l. C. l. 1. ff. de off. præf. vigilum. *Apud vetuſtiores*, inquit, *incendiis arcendis Triũuiri præerant, qui ab eo quod excubias agebant; etiam nocturni dicti ſunt.* Et Tacitus, *Triumuiri, quod ad incendium in ſacra via ortum tarde venerant, à tribuno plebis die dicta damnati ſunt.* Ex quibus verbis apparet eum fuiſſe ordinarium magiſtratum, cuius eſſet annua poteſtas.

Flauius ſcribarius ciuile euulgauit.

Eod. *Ciuile ius euulgauit.*] Non tam *ius ciuile* à Flauio, quam *formulas actionum*, quę, teſte Pomponio, magna iuris ciuilis pars erant, euulgatas ex Cicerone intelligi poteſt. Sic enim de Flauio ad Atticum libro 6. ſcribit: *Quid ergo profecit, quod protulit Faſtos? occultatam putant quodam tempore tabulam, vt dies agendi peterentur à paucis, nec vero pauci ſunt auctores, Cneum Flauium ſcribam Faſtos protuliſſe, actioneſque compoſuiſſe.* Quo loco quibuſdam pro *compoſuiſſe*, *propoſuiſſe* legendum non male videtur, ità enim Pomponius l. 2. ff. de orig. iur. ſcribit. Idem Cicero pro Muræna auctor eſt, *cognita iam et promulgata à Cn. Flauio dierum ratione Iuriſprudẽtes veritos ne ſine ſua opera legi agi poſſet, notas quaſdã compoſuiſſe, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent.* Id quod quo-

modo intelligendum ſit, docet Renardus de auctoritate prudentum, cap. 2. de legis actionibus.

Forenſis factio. Eod. *Forenſis factio.*] Sic *libertinos* vocat, prout Zaſius in Catalogo legum antiquarum exiſtimat, quod cum multi eſſent, aſſidueque in foro verſarentur, in comitiis plane dominabãtur, ſtatumque ciuitatis turbabãt mandando infimis quibuſqoe honores, plebe ingenua agriculturæ operam nauante, ac raro ciuilibus negotiis interueniente. Sigonius lib. 2. cap. 13. de iure ciuium Romanorum, per eam intelligit eam partem plebis, quam Cicero peculiari nomine, *vrbanam plebem* ſolet nominare, in qua homines verſati ſunt, non ſolum egentes & rebus domeſticis impediti, ſed nocentes etiam & furioſi, cuius de commodis lege ſua agraria Tib. Gracchus tulit, cum diceret, *feras quidem ac beſtias luſtrum & tectum quo ſe reciperẽt, in Italia habere: qui vero aſſidue pro libertate pugnarent, præter aerem lucemque nihil in Italia poſſidere: ſed ſine larẽ, ſine ſede, cum liberis, coniugibuſque vagari;* quinque etiam hæc illa plebs fuit, cuius ſtudio P. Claudius tribunus pleb. Ciceronem ex vrbe expulit, de qua Cicero pro domo, pro Milone: Saluſtius in Catilinaria. Cicero ad Atticum hanc eandem *factionem ſordem & facem* vrbis appellat.

Vrbana tribus. Eod. *Vrbanaſque eas appellauit.*] Dionyſius Halicarnaſſeus quatuor illas tribus à Seruio Tullio inſtitutas fuiſſe tradit. Itaque Quintus Fabius non tam auctor huius rei fuiſſe videtur, quam renouator quaſique reſtaurator. *Vrbana* vero *tribus* dictæ ſunt *libertinorum*, cum *Ruſtica* proprie eſſent *ingenuorum*, vt inquit Plinius, multoque tempore nemo libertinus in tribus ruſtica cenſus fuit præter Vindicium, qui ob coniurationem Aquiliorum detectam, optio à Valerio conſule data eſt, vt in qua tribu vellet, ſuffragium ferret. vt ſcribit Plutarchus in vita Publicolæ. Ceterum multis poſt hanc ſegregationem à Fabio factam annis, Cneus Manilius libertinorum ac ſeruorũ manu ſobnixus, legem tulit, vt libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idque per tumultum egit & cliuum Capitolinum obſedit. Hunc autem cœtum L. Domitius Ænobarb. quæſtor perrupit, atque deſiecit, & qoibuſdam Mãlianis interfectis, libertinos omnes ipſumque Manilium à ſpe ferendę legis remouit. Cuius Cicero meminit pro Milone. Ruſtica tribus.

Eod. *Equites tranſueherentur.*] Hanc *equitum tranſuectionem*, Valerius *equitum probationem* vocat: *Equeſtris*, inquiens, *ordinis, iuuentus omnibus annis bis vrbem ſpectaculo ſub magnis auctoribus celebrabat die Lupercalium, & equitum probatione.* A Græcis ἐχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς dicebant, hodie *monſtram* vocant: vt annotat Budæus in prioribus ad Pandectas. Tranſuectio equitum.

IN LIBRVM X. OBSERVATIONES.

Salutis ædes. CAp. I. *Ædem ſalutis.*] Hanc. P. Victor in ſexta vrbis regione, hoc eſt in Quirinali ſtatuit. Scribit Sextus Pompeius Salotarem portam Romæ appellatam, quod prope ædem Salutis eſſet. *Salus* vero Dea à Romanis, vt à Græcis *Hygieia* culta fuit, inde vocati *Saluigeri* dei ab Apuleio qui Græce σωτῆρες dicuntur. Nonnulli pro *Bubulco Bibaculum* literis mandarunt, ſed male, vt annotauit Gyraldus hiſtoriæ deorũ Syntag. 1.

Liuius patriæ ſtudioſus. Cap. II. *Patauij monumentum.*] Hæc nimio amore ornandi patriam magis à Liuio ſcripta, quam quod digna eſſent memoria, exiſtimat Victorius lib. 18. cap. 4. Variarum lect.

Tunica palmata. Cap. VII. *Tunica palmata.*] *Palmatam tunicã* Perionius vna cum Budæo dici exiſtimat à *palma* in ea intexta. At Feſtus *Palmatam* dici tradidit à latitudine clauorum, qui fere palmæ orbem æquarent. Eſt enim *tunica palmata*, & *latus clauus* idem. Græci tunicam hanc palmatam, ſiue latum clauum *Platyſemon* appellabant, quaſi latis ſignis aut clauis ſignatam. Atque hæc lati claui perpetuo geſtandi auctoritas inter primas dignitates habebatur, vt Herodia. li. 3. auctor eſt. Quinetiam ſæpenumero *latus clauus* pro Senatoria dignitate ponitur, ſicut *ius annuli aurei*, pro equeſtri ordine. Plinius in epiſtolis: *Ego Sexto latum clauum à Cæſare noſtro impetraui.* Hæc vero tunica in luctu publico deponebatur, vt ſupra lib. 9. vbi de Claudina clade verba facit. Cum vtroque vero loco coniunge eum, qui eſt lib. 30. Vbi Scipio Maſaniſſam veſtibus triumphalibus ornat. Latus clauus.

Toga picta. Eod. *Toga picta.*] *Toga picta* eadem quæ & *purpurea* erat, vt Bayſius ſcripſit. Liuius infra li. 1. de bello Macedonico, *Dona*, inquit, *ampla data, quæ ferrent regi, vaſa aurea, argenteaque togaque purpurea, et toga prætexta* Meminit & Cicero 2. Philip.

Appij Claudij vnde. Cap. VIII. *Appium Clauſum, ſeu Appium Claudium.*] Ex Sabinis *Claudios*, ab auctore *Appio Clauſo* gentis principe qui cum multitudine clientum Romam commigrauit, deductos ferunt, qui ſibi etiam *Druſi* cognomina vſurparunt. Cuius rei teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſſeus, Sabell. li. 8. Ennead. 2. Volaterranus lib. 14. cap. 2. Vrban. comment.

Patrẽ ciere. Eod. *Patrem ciere.*] Id eſt, *cum honore appellare.* Vt autẽ apud Romanos *patricij* appellabantur, qui ab antiquis Senatoribus eſſent oriundi, ſic apud Athenienſes *Eupatridæ* vocabãtur, quaſi à bonis patribus geniti, quod etiam Plutarchus in problematibus aſſirmat. Eupatridæ.

Cap. IX. *Portia tamen lex.*] Meminit huius legis Cicero in oratione pro Rabirio perduellionis reo. Saluſtius in oratione Cæſaris. Tulit vero eam legem M. Portius Cato ille Cenſorius. Ceterum an in tribunatu vel conſulatu, cõpertum non eſt, eamque *pro ſcapulis* appellauit. Sic enim ſcribit Feſtus: *Pro ſcapulis cum dicit M. Cato, ſignificat pro iniuria verberum. Nam conſulares leges erant in ciues rogatæ, quibus ſanciebatur pœna verberum.* Plinius libro 7. cap. 43. *de iure* vt Sigonius exiſtimat, *virgarum* vocauit, cum dixit, *L. Cornelium Balbum Gaditanum accuſatum, & de iure virgarum in eum in conſilium miſſum.* quibus verbis accuſatum Balbum ſignificet, quod falſo ciuitatem Romanam vſurparet, cum peregrinus eſſet. In peregrinum enim erat ius virgarum, non in ciuem. Hinc Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Porcia*, inquit, *lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit.* Et Saluſtius Ciceroni grauiter obiicit, quod ciues Romanos Catilinæ ſocios, in dicta cauſa contra legem Porciam necaſſet. Portia lex. Pro ſcapulis lex.

Eod. *Nunc vix ſerao ita minetur.*] Pitheus li. 2. aduerſ. cap. 2. Pro *ſeruo, ſerio*, legi poſſe exiſtimat, ſed non incommode vſitata lectio retinetur: cum grauius multo & ſeruius ſeruis minari conueniat, quam liberis & ingenuis hominibus.

Cap. XVII. *Impedimentis in locum tutum remotis.*] *Impedimenta* in re militari dicuntur, quæcumque ad iter ſeu expeditionem neceſſaria conducuntor, vt ſunt ſarcinę, vtenſilia & iumenta, Græci ἀποσκευὰς vocant. Impedimẽta quæ.

Cap. XXII. *Eumque et prærogatiuæ.*] Quæ hę *prærogatiuæ* fuerint, ſuperius lib. 1. oſtendimus. docet vero id Aſconius his verbis in ſecundã Verrinam. *Prærogatiuæ trib. ſunt quæ primæ ſuffragium ferunt, ante iure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iiſdem cãdidatis comitia fieri, quorum tribus prærogatiua dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent conſules fieri. Secundæ iure vocatæ, quod in his ſequẽte populo, vt ſæpe contigit, prærogatiuarum voluntatem, iure omnia complerentur.* Harum centuriarum meminit Liuius, & infra lib. 26. & lib. 27. Prærogatiuæ. Iure vocatæ.

Cap. XXIII. *Pecuariis damnatis.*] *Pecuarij* qui fuerint docet Aſconius in diuinationem: *Mancipes*, inquiens, *ſunt publicanorum principes, qui quæſtus ſui cauſa, ſi decumas redimunt, decumani appellantur: ſi portum aut paſcua publica, portiones, aut pecuarij: quorum ratio ſcriptura dicitur. Hi omnes exigenda à ſocijs ſuo pe-* Pecuarij qui. Mancipes qui. Decumani Portiores.

Digitized by Google

riculo exigunt, et reipub. repræſentant, prouidentes tamen in iſta redemptione commodis ſuis. Vt vero *publicani* erant, qui decumas redimebant, *decumani*, qui paſcua *pecuarij*, ſic ij à quibus decumas exigebant, *aratores* atque *agricolæ*, cum quibus paſcuorum rationem conficiebant, *paſtores* appellati ſunt.

Cap. XXIV. *Sub ea legere fructum.*] Sic & Theognis, *αὐτὴ γὰρ ἂν πεινῶν, ἄλλῳ ἀμητὸν μεταδιῆς.* id eſt *Ante tibi exhauſtos alijs ne trade labores.* Vide prouerbia. *Alij ſementem faciunt, alij metent,* et *Alienam metis meſſem.*

Cap. XXVIII. *Gallorum corpora.*] Vide ad hunc Liuij locum facientia, apud Cœlium lib. 18. cap. 21.

Eſſedarum qui. Eod. *Eſſedis carriſque inſtans.*] Ex carris Gallos pugnate vt Liuius hic teſtatur, ſic eoſdem munimento valloque carrorũ obducere caſtra, ſolitos, Marcellinus tra-

Carrago. dit, vnde & *Carrago* vocata eſt, quo verbo cẽſentur eorum caſtra carris circumdata, prout annotat Torneb. lib. 18. cap. 19. Ceterum quod ad *Eſſedarios* attinet: meminit eorum Cæſar lib. 4. de bello Gall. quod genus equitum ſit, & quomodo pugnent ita deſcribit: *Genus hoc eſt ex eſſedis pugnæ. primo per omnes partes obequitant, et tela conijciunt, atque ipſo errore equorum, & ſtrepitu rotarum ordines plerumq; perturbant, & cum ſe inter equitum turmas inſinuauere, & ex eſſedis diſſiliunt, & pedites præliantur,* &c. Vide apud Cæſarem.

Eod. *Patrem P. Decium.*] Cognomento *Murem*: qui in bello aduerſus Latinos, vel (vt Plutarchus cap. 37. Paral. ait) Albanos pro exercitu & ſalute patriæ dijs infernalibus ſe deuouit vt ſupra viſum eſt.

Dij manes. Eod. *Dijs manibus dabo.*] Cicero Tuſculanarum quæſtionum lib. 1. ait, tres *Decios* fuiſſe, qui pro ſalute patriæ vitam amittere, magno virtutis edito exemplo voluerint, ex quibus pater bello Gallico, filius Hetruſco, nepos in bello Pyrrhi, quod pro Tarentinis geſſit, dijs manibus ſeſe deuouerunt. Sunt autem *manes* dij boni appellati. teſte Feſte Pompeio, ex Aurelij ſententia, quod per hos omnia *manere* putarent, quibus aram non à terra ſublimem, ſed ſub effoſa humo ſtatuebant veteres, ad quam ex præcepto Sibyllini carminis, altero & quinquageſimo anno ab vrbe condita, ſacra & & ludos inſtitutos memorant. Quibus autem victimis, quibuſve cæremoniis manibus dijs ac infernalib. ſacra fecerint, lege copioſe apud Alex. ab Alexan. lib. 5. cap. 24.

Eod. *Infeſtis telis interfectus eſt.*] De hoc Decij memorabili facto, quo ſalutem patriæ peperit, leges quoq; apud Valer. Max. lib. 5. cap. 6. Sabel. lib. 7. Ennead. 4. & libro 2. cap. 5. Exempl. Ethnic. Volaterranum libr. 15. capit. 1. Oroſium libro 3. capite 21. Eutropium libro 2. capit. 3.

Cap. XXIX. *Defunctos conſulis fato.*] Id eſt, conſulis ſeſe deuouentis ſpontanea morte, ab imminentibus periculis exemptos & liberatos. Budæus in Pandectas.

Teſtudo. Eod. *Teſtudinem hoſtium coniecta.* De ea *teſtudine* intelligit Torneb. lib. 9. aduerſ. cap. 8. quam faciebat exercitus ſe tegumentis ſcutorum vndique operiens, vt teſtudo ſuo obducta eſt putamine, eaque ſpecie referebat tectum ædificiorum. Sic autem ſe operiebant crate perpetua clypeorum aduerſus ſagittas hoſtium, & aduerſus omnia miſſilia ſuperne cadentia, cum vrbem oppugnabant. Hinc Maro ſcribit:

Obſeſſamque acta teſtudine limen.

Eod. *Laudibuſque meritis celebrat.*] Inter pręclara enim veterum inſtituta, illud in primis commendatione dignum, quod quorum vita fuiſſet perſpectior, eorum quoque funera magnificentius proſequerentur. Lege Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 14. Ioui. Pont. de magnif. cap. 15. Dionyſium Halicarnaſſ. lib. 5. Blondum libr. 2. Romæ triump. Alexand. ab Alex. libro 3. cap. 7. & libr. 4. cap. 8.

Adulterij pœna lege Romulea. Cap. XXXI. *Matronas ſtupri damnatas.*] Adulterium namque lege Romulea, capitale fuit, ſic vt pœna mors eſſet. Tulit enim Romulus legem his verbis: *Adulterij conuictam vir & cognati vti volent necanto.* quod idem lege Iulia confirmatum eſt, qua adulterium ſupplicio afficiebatur eodem. Stupri autem pœna, ſi eſſent honeſti erat publicatio partis dimidiæ bonorum.

Decumana porta. Cap. XXXII. *Decumana, porta impetus factus.*] Boni auctores *Decumanum* appelant, quod eſt *maximum*. Inde *Decumana porta* olim in caſtris dicebatur, quæ erat omnium maxima, per quam delinquentes milites ad pœnam educebantur, vt eſt apud Vegetium.

Cap. XXXIV. *Quæ ferri agique potuerunt.*] More militari hæc dixit, quo homines & iumenta aguntur, ſarcinę feruntur. Plato in libris de legib. *τῶν ἀλλοτρίων μηδένα μηδὲν φέρειν μηδὲ ἄγειν*, id eſt, *ne quis quicquam alienarum rerũ ferat agatve.* Vide Eraſmũ in Prouerbio. *Agi ferriq;*.

Fanũ vnde dictum. Cap. XXXVII. *Fanum tantum, id eſt, locus templo effatus.*] Alij *fanum* dictum putant à *Faunis* dijs, qui diuina oracula, vt Martianus Cappella ait, edere ſolebant. Vel à *Fauno*, qui auctore Probo, primus horum locorum cõditor fuit, teſte quoque Ma[illegible]ano li. 7. c. 6. Topograph.

Plutei. Cap. XXXVIII. *Pluteiſque contectus.*] Vegetio *plutei* è vimine contexuntur, cratibuſque & ciliciis protegũtur, formamque abſidis habent. De quo latius Torneb. lib. aduerſ. 11. cap. 24.

Deteſtatio quid. Eod. *Deteſtatione.*] Id eſt, *dira execratione*, vt paulo poſt ſequitur.

Alares cohortes. Cap. XL. *Cohortibus alaribus.*] *Alæ* dictæ exercitus equitum ordines, quod circum legiones dextra ſiniſtraque tamquam alæ in auium corporibus locabantur, auctore Gellio lib. 16. cap. 4.

Mulſum. Cap. XLII. *Pocillum mulſi priuſquam temetum biberet.*] Veteres Romani *mulſum* in delitiis habebant, & in triumpho milites ab imperatore donabantur. Vnde Plautus:

Sed ſpectatores vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho, peruulgatum eſt, nihil moror.

Veruntamen accipientur mulſo milites.] *Mulſum* vero ex aqua pluuia fieri tradit Cœlius lib. 23. c. 35. *Temetum* autem priſca lingua *vinum* appellabatur, teſte Gellio lib. 10. cap. 24. Idque ad imitationem Græcorum. Hi enim *ebrietatem μέθην* vocant, vnde & *temulentiam* dictam ſcribit Plin. lib. 24. cap. 13. Temetum.

Tripudium quid. Eod. *Tripudium nunciatum.*] Id de *tripudio ſoliſtimo* intelligendum Tornebus exiſtimat, cum pullarius offam auibus daret. Nam ſi paſcerentur, bonum augurium erat, ſi non paſcerentur malum. *Siniſtræ* enim aues proſperæ ſunt & auſpicatæ. Nam *ſiniſtrum* quaſi *ſiniſtimum* dicitur, nimirum auſpicium quod ſinat. *Sinunt* autem hæ aues plerumque quæ ab ortu, quæ pars ſiniſtra in auſpiciis eſt volant. Satis autem erat ad rem gerendam ſilentium eſſe. Nam aliud eſt *ſiniſtrum auſpicium*, aliud *ſilentium*: ſiniſtrum auſpicium hortatur ad agendum, ſilentium vitio caret, & ad agendum non impedit. *Silentioque ſurgere* dicebatur, qui quo minus rem gereret non impediebatur auſpicio. Huius vero hiſtoriæ præter alios meminit & Valerius lib. 7. & Eraſmus in prouerbio, *Malum conſilium conſultori peſſimum.* Qui autem *pullarij* hic dicantur dubium non eſt. Etenim ex auibus tria auſpiciorum genera captabantur, ex occentu, volatu, & ex tripudio. *Tribudium* autem augurium accipiebatur ex pullis gallinaceis, quos in cauea incluſos aſſeruabant pullarij, quibus eductis, obiiciebatur paſtus, tumque ex paſcendi ratione augurium capiebat pullarius, idque ad magiſtratum deferebat eum, è quo iuſſus erat captare augurium: Ceterum de pullario & ſuperius dictum eſt. Siniſtimum quid. Pullarij qui.

Cornicula quid. Cap. XLIV. *Corniculis armilliſque argenteis.*] Donorum millitarium varia fuerunt genera, quæ militib. ſingulis virtutis ergo ab imperatore triumphaturo dabantur, vt *corrona*, quarum multa erant genera, *ciuica, murales, obſidionales, caſtrenſes, aureæ, torques, armilla, haſtæ puræ, phalera, cornicula.* De quibus Polybius li. 6. Gellius lib. 5. Zonaras libro. 2. tradiderunt. Et poſt hoc Sigonius libro 1. cap. 15. De antiquo iure ciuium Romanorum.

Quirinus quis. Cap. XLVI. *Ædem Quirini.*] Sic *Romulum* dictum, antea eſt annotatum, ſiue quod haſta *Quiris* Sabinorum lin-

gua dicebatur, ſiue quod Romanis iunxerat ille *Cures*: Siue ſuo regi nomen poſuere *Quirites*. Non deſunt tamen qui *Quirinum* vocatum dicant, quaſi *κύριον*, id eſt, *dominum*.

Fors Fortuna. Eod. *Ædem Fortis Fortunæ.*] *Fortis Fortunæ* ædes trans Tiberim fuit, vt Donatus ait, eiuſque diem feſtum colebant, qui ſine arte viuebant, ei etiam grates agebant, quibus aliquid ſucceſſerat. Terentius:

O Fortuna, O Fors Fortuna. Columella:
Et celebres fortis Fortunæ dicite laudes.

Eo igitur vocabulo ſignificatur magna vis fortunæ, & incerti caſus. Dies autem Fortis fortunæ feſtus octauo Kalendas Quintiles agebatur, vt in antiquis Faſtis, & apud Ouidium ſexto Faſtorum legitur. Apud Nonium Marcellum, Actius poëta in Actyanacte *fortunam* à *forte* diſtinguit. Hanc Græci *φορτοῦναν τύχην* dixere, & à Tullio rege primum dedicatam fuiſſe, tum & ab aliis poſtea legimus.

Manubiæ. *De manubiis.*] *Manubias* à *præda* hoc diſtare veteres exiſtimarunt, vt ſit *præda* corpora ipſarum rerum, quæ capiuntur, *manubiæ* vero pecuniæ ex præda vendita redactæ & ſic apud plurimos. Nam & M. Tullium de lege agraria ita ſenſiſſe voluerũt, *prædam, manubias, ſectionem, castra denique Cn. Pompeij ſedente imperatore vendent* Vide Gellium lib. 14. cap. 23.

Cap. XLVI. *Palmæ primum victoribus datæ.*] Propterea (inquit Plutarchus) in certaminibus *palmam* ſignum placuit victoriæ, quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus opprimentibuſque non cedat. Gellius libr. 3. cap. 6. Plinius lib. 26. cap. 42. Eraſmus in prouerbio, *Palmam ferre.*

Eod. *Æſculapium ab Epidauro.*] Fuit hic Podalyrij & Machaonis parens, & omniũ qui vmquam vixerunt Medicorum peritiſſimus, qua de re Hyginus libro 2. de ſignorum cæleſtium hiſtoria, cap. 14. Diodorus Siculus lib. 5. de fabuloſis antiquorum geſtis: Plinius lib. 29. cap. 4. Blondus lib. 1. Romæ triumphantis, Plinius de viris illuſtribus cap. 22. *Epidaurus* autem ciuitas eſt, ſita in receſſu Saronici ſinus natura monita, montibus circumdata, & ob huius Æſculapij templum quam plurimum nobilis. Vide Strabonem li. 8. Ioachimum Vadianum in Pomponij Melæ lib. 2. cap. 3. Æſculapius. Epidaurus.

IN LIBRVM XXI. HISTORIÆ LIVIANÆ, QVEM ALII DECADIS TERTIÆ LIB. I. VOCANT, ANNOTATIONES, EX VARIIS HINC INDE AVCTORIBVS COLLECTÆ.

Pœnorũ iurandi mos. CAP. I. *Annorum ferme nouem.*] Florus libr. 2. *puerum* habet. Probus in vita Annibalis Liuio aſtipulabatur, & *puerum nouem annorum* vocat. Vt & Polybius lib. 2. & 3. Solus auctor de viris illuſtribus cap. 42. non *nouem* tunc *annos natum* Hannibalem ſcribit, ſed *vndecim*, nõ ſine mẽdi ſuſpicione, vt Magius ibi recte annotauit.

Eod. *Altaribus admotum.*] Videlicet vt deos huius rei teſtes faceret. facta autem hæc ſunt eo tẽpore, quo in Hiſpaniam profectionem parabat Hamilcar. Notabis autem Pœnorum morem, qui iuraturi per Iouem, modo ad eorum aras ſacrificio peracto, aram & ſacra tangentes, vel agnum læua, dextra ſilicem tenentes, Deos homineſque conteſtabantur, ſi ſcientes fallerent, itaque Iupiter eos quoque feriret, quemadmodum ipſi agnum percuterent. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 10.

Eod. *Tactis ſacris.*] Nam veteri more à iurantibus, & ſacrificantibus aræ tenebantur. Vnde Virgi. 4. Æneid.

Talibus orantem dictis, araſque tenentem,
Audiit omnipotens.

Varro rerum diuinarum lib. 5. *aras* dicit primum *anſas* dictas, quod eſſet neceſſarium eas à ſacrificantib. teneri. vide Macrobium lib. 3. cap. 2. Ab iis qui ad aras confugiebant, aræ tenebantur apud Hebræos. Solebant etiam qui ad aras confugiebant, aras amplecti, vt apud Plutarchum in Timoleonte animaduertere licet.

Eod. *Hoſtem fore populo Romano.*] *Odium in Romanos perenne iurauit*, vt inquit auctor de viris illuſtribus cap. 42. & vt odium ſuum perpetuum in Romanos fore ſignificaret, inflicto in terram pede, ſuſcitatoque puluere, tunc demum inter Carhaginenſes & Romanos belli finem fore dixit, cum alterutra pars in habitum pulueris eſſet redacta. Vide Valerium Max. lib. 9. cap. 3. Silium Italicum lib. 1.

Romanos terra atque vndis vbi comparet ætas,
Ferro igniqueſequar, Rhœteaque fata reuoluam,
Non ſuperi mihi, non Martem cohibentia pacta.

Hamilcar Annibalis pater. Eod. *Amilcari.*] Cognomento *Barcha*. Fuit vero is vir præſtantiſſimus, & rei militaris peritiſſimus, cuius facta leges apud Plutarchum in Hannibale. Val. Max. lib. 1. cap. 7. Frontinum lib. 3. cap. 16. item libro 1. cap. 1. lib. 2. cap. 4. Volaterranum libr. 14. cap. 3. vrban. Comment. Oroſium lib. 4 cap. 9.

Eod. *Sicilia Sardiniaque amiſſæ.*] Quintus enim Luctatius Catulus trecentis nauibus aduerſus Carthaginenſes profectus, ſexcentis eorum nauibus apud Ægates inſulas depreſſis, pacem petentibus hac conditione conceſſit, vt amicitia iam inde Romanis & Carthaginienſibus eſſet, Pœni prorſus tota Sicilia abſtinerent, neque deinceps bellum Hieroni inferrent, neque contra Syracuſanos, eorumque ſocios arma mouerent, captiuos omnes ſine pretio redderent, talenta argentea Euboica, duo millia, & 200. Romanis annos 20. penderent, quas tamen conditiones Romani admittere noluerunt, niſi præterea ab omnibus inſulis, quæ inter Siciliam & Italiam eſſent, abſtinerent, milleque talenta priori ſummæ adderent.

Cap. II. *Auſpicii tregulorum.*] Adrianus Tornebus lib. 13. aduerſariorum cap. 18. pro *auſpiciis*, *auſpicis* legendum eſſe cenſet, quod *hoſpicium* apud antiquos arctiſſima neceſſitudinis lege homines deuinciret, & pro ſanctiſſimo fœdere inuiolatoque cẽſeretur. Cum enim multæ ſint neceſſitudines, & vincula quibus homo homini iungitur, nullum tamen propemodum maiore religione ſibi ſanxit vita, quam hoc, quod *hoſpitale* vocatur, de quo tanta ab initio recepta opinio, vt ad illud vindicandum Iouem è cælo lapſum vetuſtas fabulata ſit, vnde & Virg. Æneidos 1. Hoſpitale vinculum.

Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.

Et Ouid. in x. Metamorph.

Ante fores horum ſtabat Iouis hoſpitis ara.

Et profecto perfacile fuit in tam vicinam vocem deerrare, vna tantum, eaque eiuſdem ſoni ſyllaba differentem.

Eod. *Barbarus enim quidam.*] Iuſtinus lib. vltimo à ſeruo Hiſpani cuiuſdam vlciſcente iniuſtam domini necem interfectum ſcribit, Polybius vero lib. 2. ſcriptum reliquit, Haſdrubalem cum ſpacio annorum 8. in Hiſpania manſiſſet, tandem noctu per inſidias à Gallo quodam priuatarum inimicitiarum cauſa fuiſſe interfectum.

Eod. *Iberus amnis.*] Hiſpaniæ fluuius, qui nauigabili cõmercio diues, ortus in Cantabris, haud procul oppido Iuliobrica, nauium per 206. paſſum millia capax, propter quem vniuerſam Hiſpaniam Græci *Iberiam* appellarunt, hodie *Ebron* vocatur, Oliuario teſte. Iberus amnis.

Cap. III. *Paruus ignis.*] *Ex minimis initiis maxima, & ſæpe paruæ res magnarum rerũ momenta trahunt*, vt Liuius alibi loquitur, Sic & Thucydides ἐξ ὀλίγου τὰ πολλά.

Eod. *Maior pars meliorem vicit.*] Plurimum calculos vincit. Sic & Plinius in epiſtolis queritur numerari ſententias, non expendi.

Cap. IV. *Ingentia vitia æquabant.*] Vitia namque magna, vt virtutes à magna indole proferri conſueuere.

Prout Plato ſcriptum reliquit, referente Plutarcho in prooemio in Demetrium & Antonium. Vnde & Seneca ſcripſit, *nullum eſſe magnum ingenium ſine mixtura dementiæ.*

Hermandica. Cap. v. *Hermandica.*] Eam Tornebus lib. 13. aduerſ. cap. 18. eſſe putat, quæ hodie *Salmantica* vocatur, gymnaſioque floret in Hiſpania.

Saguntum. Eod. *Saguntinis.*] *Saguntum à Sagunto* Herculis filio nomen accipiens, quod Silius Italicus lib. 1. *Zazynthum* appellat. De hoc Strabo lib. 3. cap. 5. Plin. lib. 3. cap. 3. li. 7. cap. 3. lib. 15. cap. 18. & lib. 35. cap. 12. Mela lib. 2. cap. 7. Volater. lib. 2. cap. 5. Geograph. Nunc autem eius loci ciuitas, teſte Oliuario, *Moruedre* eſt.

Tragula. Cap. VII. *Tragula grauiter ictus.*] *Tragula* dicitur tamquam *trabula*, vt tradit Torneb. lib. 22. aduerſ. cap. 13. Erant vero *tragulæ* duplicis generis, quædam enim tormentis mittebantur, quædam vero manu, vt idem Torneb. lib. 7. cap. 12. tradit. Illæ atrociter ſauciabant, ac plerumque ſcutum aut corpus tranſuerberabant, vnde & *tragularij* dicti, qui eas è tormentis iaciunt. Vide etiam prouerbium. *Tragulam iniicere.*

Catapulta. Baliſta. Cap. XI. *Catapultis baliſtiſque.*] *Catapulta*, non tantum tormentum erat, ſed & telum, vt tradit Torneb. lib. 25. aduerſ. cap. 1. Et eadem quoque ratione *baliſtam* vſurpari idem monſtrat, lib. eodem, cap. 6.

Cap. XV. *Octauo menſe.*] Variant hic auctores: Plutarchus, Oroſius & Eutropius, Liuio adſtipulãtur. Florus lib. 2. cap. 6. nono demum menſe deditum Saguntum ſcribit. Auctor de viris illuſtribus capit. 45. intra ſex menſes euerſum ſcribit. Qua de re leges quoque Auguſtinum lib. 3. cap. 20. Val. Max. lib. 6. cap. 6. Ciceronem in Philip. Silium Italicum lib. 1. Et prouerb. apud Eraſmum: *Saguntina fames.*

Cetrati. Peltiſtæ. Cetra. Pelta. Cap. XXI. *Cetratos miſit in Africam.*] Liuius infra lib. 28. *Peltam cetræ* haud diſſimilem eſſe ait. Et lib. 1. belli Macedoni *Cetratos Peltiſtas* vocatos teſtatur. Eſt autem *cetra*, vt omnibus notũ eſt, ſcutum paruum: licet Probus in vita Iphicratis *parmam*, ſcutum, ſiue clypeum maius ſignificare videtur, *Peltam* vero minus.

Cap. XXXIII. *Cum præcipites diruptæque.*] Torneb. li. 13. aduerſariorum cap. 18. *derupta* legendũ eſſe putat. Nã multis locis inoleuit error iſte, vt *di* pro *de* vicaria quadam opera ſubierit per obſreptionem. *Derupta* autem ſunt *deorſum rupta.*

Promontorium. Cap. XXXV. *In promontorio quodam.*] *Promontorium* hic eminens & editiſſimum in alpibus iugum appellatur, cum alias *promontoria* ſint prominentes in mare rupes, Torneb. lib. 13. aduerſ. cap. 18.

Cap. XXXVI. *Necabantur interdum.*] Torneb. loco præallegato *ſecabant* legit, pro *necabantur*. Hoc enim eſt quod *διακόπτειν* Polyb. dicit, & pro *infimam*, *infirmam*. Nam & *firmam* illam niuem dicit Polybius.

Cap. XXXVII. *Inde ad rupem muniendam.*] Torneb. *muniendam* legit, Polybius enim ſcribit, *τὸν κρημνὸν ἐξῳκοδόμει* & mos *οἰκοδομίαν* vocat. Interpretatur autem *munire* per rupem viam aperire, viamque in ea munire, & tamquam ſtruere, eam cædere, & in ea opere laboreq; militari complanare, & æquare iter, aut deorſum deprimere, & decliue reddere molli anfractu. Itaque qui aggeres iaciunt, foſſas aperiunt, vias muniunt, *militiæ munitores* vocantur. Eſſe autem ita legendum ex eo etiam apparet; quod longe hinc ſcribitur, *Et quies muniendo feſſis hominibus triduo data.*

Munire viam quid.

Munitoris.

Putrefacere ſaxa. Eod. *Saxa putrefaciunt.*] *Saxa putrefacere aceto*, eſt aceto ſaxa ſoluere & frangere. Saxorum enim torridorum & candentium infuſum acetum compages & nexus reſoluit & laxat, quod *putrefacere* appellat Tornebus, præallegato capitulo.

Cap. XXXVIII. *Alpibus ſuperatis.*] Sunt qui Hannibalem per cauam quadam viam ac manufactam, ad ſaltus Auguſtæ Cæſareæ perueniſſe putent, cum tamen ex aliis auctoribus miro artificio Alpes fregiſſe conſtet. Vnde recentiores ſcribunt, per montem Iouis veniſſe, quem vulgo *Cuiſum* vocant, Gebennas verſus tendentem. Ad huius autem rei pleniorem intellectum lege quæ ſcripſit Ægidius Tſchudus, cap. 32. De priſca ac vera Alpina Rhætia, & apud veteres Polyb. libr. 3. vbi, quæ de incredibili Alpium aſperitate & itinere, nulli ante Annibalem, præterquam Herculi tentato, narrantur, mendacio non carere ait: Satis enim conſtare Gallos Rheni accolas, non ſemel, neque bis ante id tempus in Italiam veniſſe, &c. Plinius vero libr. 36. c. 1. *Annibalis per alpes tranſitum in portento prope à maioribus habitum* ſcripſit.

Cap. XLV. *Agnum læua.*] De hac iuriſiurandi formula ante dictum eſt: Vide tamen & ea quæ ſcribit Cœlius libro 21. capit. 19. vbi explicat quid ſit *Iouem lapidem iurare.* Iouem lapide iurare.

Cap. XLVI. *Plures tradidere auctores.*] Liuio aſtipulatur Plutarch. Itidem Oroſius lib. 4. cap. 14. Eutropius lib. 3. cap. 2. Plinius lib. 26. cap. 5. Val. Max. lib. 5. cap. 4. Florus lib. 2. cap. 6. Sabel. lib. 2. Ennead. 5.

Cap. XLIX. *Luna pernox luna.*] De variis Lunæ permutationibus quas *phaſes* vocant, Cœlius lib. 20. ca. 7. Lectionum antiquarum: Horatius *Noctilucam lunam* vocat, nocte lucentem, lib. 4. carminum, Ode 6.

Cap. LIV. *Præconium miſſum.*] Id eſt, miſſi præcones qui delectos citarent. Alias vero *præconium* eſt præconis merces, vt ex Catone oſtendit Torneb. lib. 10. aduerſ. cap. 18. Præconium quid.

Cap. LXII. *Lanuuij haſtam ſe commouiſſe.*] *Haſtas* in veteribus memoriis regij faſtigij inſigne diadematis loco fuiſſe, & ea rerum origine deorum immortalium vice cultas. Ex cuius ritus memoria diu quoque cuſtoditũ, vt deorum ſimulachris adderentur. Hinc *haſtas motas* toties prodigij loco habetur, vt hic, & li. 40. vide Cœlium lib. 21. cap. 16. lectionum antiquarum. Haſtarum cultus.

Eod. *Aliis procurandis.*] Solitos eſſe veteres, plerumq; prodigia & portenta ſic procurare, vt exurerent lignis infelicibus, tradit Macrobius. Solebant etiam ea in vltimas terras dicere deportanda eſſe, & in mare deferẽda, vt legimus ſeminares delatos & demerſos, quod & prodigiis aliis faciebant, Torneb. lib. 18. aduerſ. cap. 11. Sacrificium itaque quod fit ad depulſionem & expiationem portentorum *procuratio* dicitur, & ea gratia rem diuinam facere, eſt *monſtra procurare.* Procurare prodigia.

Eod. *Ciuitas operata fuit.*] Peculiaria ſacrorum verba fuerunt, inter quæ & verbum *operor* recenſet Gyraldus hiſtoriæ deorum ſyntag. 17. Ac idem fere ſignificat, quod *rite ſacrificare*, vnde Virgil. *Sacra refert Cereri, lætis operatus in herbis.* & alibi, *operata iuuentus.* Sic & Plautus, *vt iſt hæc operatio crimen expiet.* Operari in ſacris quid.

Cap. LXIII. *Maritimam nauem haberet.*] De hac lege loquitur etiam Cicero actione 7. in Verrem: eam autem poſtea in Iuliam de repetundis Cæſar dictator tranſtulit. Nam ex lege Iulia repetundarum Senatoribus naues habere non licuit, vt inquit Scæuola L. His qui naues, ff. de vacat. & excuſat mũ. Lex vero Iulia intercidit tantum naue maritima non fluuiatili, vt enim ex initio L. 3. ff. de vac. mun. liquet tota ea lex de nauib. maritimis accipienda eſt. Idque ideo conſtitutũ eſt, vt quæſtus & prædationes cohibeãtur, quemadmodum M. Tullius indicat. Nam ſenatoribus fundos maritimos habentibus ad fructus deportandos capacem nauem in Italia habere licuit, prout annotat Cuiacius lib. 6. Obſeruationum cap. 38. Naues quibus habere non liceret.

Eod. *Paludatus.*] Conſules enim *paludatos* vrbe exire ſolitos ſupra quoque annotauimus. *Paludamenti* autem picturam ad viuum ex Romanorum marmoribus expreſſam inuenies apud Lazarum Bayfium in fin. cap. 12. in L. Veſtis. ff. de auro & arg. *Paludamentum* vero veſtem Imperatorem eſſe ſcribit Tranquillus in Cæſare. Blondus lib. 9. Romæ triump. Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 28. Paludamentum.

IN XXII. QVI AB ALIIS DECADIS TERTIÆ SECVNDVS DICITVR, ANNOTATIONES.

Thraſymenus lacus.

CAp.IX. *Thraſymenumq; lacum.*] Lacũ in Peruſino, qui à *Thraſumeno* poero, quem Ægedã nympham rapuiſſe poëtæ finxerunt, dictus eſt.

Clades ad lacũ Thraſymeaum.

Cap.VII. *Quindecim millia Romanorũ.*] Oroſius libr. 4.c.15.& Eutropius viginti millia Romanorum eum conſule cęſa, & ſex millia capta ſcribit, iuxta Valerium autem Max.lib.1.ca.6. quindecim tantum millia cæſa, ſex capta, 20. vero fugata dicuntur. De quo etiam Cicero lib.1.de diuinatione. Plinius libr.2.ca.85. Frontinus libr.1.cap.5.libr.2.cap.6.lib.4.cap.7.Val.lib.3.c.7. Ouid.li.6.Faſtorũ, Silius Italicus lib.5.per totum, &c.

Præſentia eius qui dictator diceretur minime neceſſaria.

Cap.VIII. *Per occupatam armis Punicis.*] His verbis Liuius clare oſtendit, non ſemper neceſſariam fuiſſe eius qui Dictator diceretur præſentiam. Idque apertius docet ſuperius lib.8.vbi ſcribit, L. Cornelio, quia ne eum qoidem in Samnium ingreſſum reuocari ab impetu belli placebat, literæ miſſæ, vt dictatorem comitiorum cauſa diceret.

Prodictator.

Eod. *Prodictaterem.*] Propterea quod legitime creatus noo eſſet. Nam eius dicendi poteſtas penes conſules, non autem penes populum erat, vt Liuius ſæpe cõmemorat. Vnde quoque *prodictator* dictus L. etiam Sylla & C. Cæſar poſt hæc tempora præter patriæ morem primi à populo Dictatores, alter interrege L. Valerio Flacco, alter vero M. Lepido prætore comitia habeotibus creati. Reliqui omnes Dictatores à conſulibus creati ſunt.

Minutius Rufus.

Eod. *M. Minutium Rufum.*] Hominem ferocem, importunum, temerarium, lingua immodicum, ſtudium auramqoe exercitus ſemper quærentem, & Fabij dicta ſemper contemnentem, quem ſuis coloribus depingit Plutarch.in Fab. Max.

Fatales lib.

Cap.XX. *Fatalibus libris.*] *Fatales libros* vocat *Sibyllinos*, vt hoc ipſo libro annotauimus paulo poſt.

Venus Erycina.

Eod. *Veneri Erycina.*] *Venus Erycina* cognominata ab *Eryce* monte Siciliæ, in quo Æneas matri templum conſtruxerat, vt Virg. canit:

——Erycino in vertice ſedem

Fundabat Veneri Italia. Meminit & Polybius in primo. Diodorus Siculus *Erycem* ait Veneris & Butæ filium fuiſſe, qui monti, vt etiam Seruius teſtatur, nomen dederit, & matri templum. Plura de hac Gyraldus hiſtoriæ Deorum Syntagmate 13.

Mens Dea.

Eod. *Menti vouendas.*] *Mens* à Romanis conſecrata, Cicerone quoque auctore, vt mentem ea bonam concederet, quod & Diuus Auguſtinus non ſemel aſſeruit & ante eum Lactantius. Ouid.

Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus,
Vota, metu belli perfide Pœne tui.

Ver ſacrum quid?

Eod. *Ver ſacrum vouendum.*] *Veris ſacri* mentio quoq; fit infra lib.34. vbi ſcribitur: *Ver ſacrũ videri pecus, quod natũ eſſet inter Kalend. Mart. & pridie Kalẽd. Maias.* Verum Feſtus id ſic explicat. *Ver ſacrum vouendi mos fuit Italiis. Magnis enim periculis adducti vouebant, quæcumq; vere proximo nata eſſent apud ſe animalia, immolaturos. Sed cum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant.* Idem Sextus Pompeius in Mamertino, *vt ſi vellent* (inqoit) *eo malo liberari, ver ſacrum vouerent, id eſt, quæcumque vere proximo nata eſſent, immolaturos.* Plura de hoc Pitheus aduerſ. ſubſ. lib.1.cap.6.

Cap.X. *Æris* CCCXXXIII.] Alia æris ſumma eſt apud Plutarchum in Fabio, qui totidem denarios addit. Liuius vero pro CCC. *millib. nummũ*, id eſt, totidem ſeſtertiis *milliaris* dici', & de denariis tacuit. *Trientem* autem tertiam partem aſſis intellexit, qoi genus nummi fuit, vt tradit Budæus lib.3. de aſſe.

Cap.XVI. *Faſceſque virgarum.*] Frontinus ſarmẽtorum in faſciculos vnitorum meminit.

Cap.XXIII. *Omnibus circa ſolo æquitatis.*] Simili ſtratagemate vſus eſſe legitur Archidamus bello Peloponneſiaco contra Periclem, quare is, anteqoam Atticam incurſaret, denunciauit Athenienſibus, ſi deuaſtatis cæteris à ſuis prædiis Archidamus abſtineret, propter ius hoſpitij, aut quo maleuolis ſuis anſam calomniandi præberet, agrum ſe & villas reipub. donare. Plutarchus in vita Periclis.

Cap.XXV. *De æquando iure magiſtri equitũ.*] Id eſt, quod Dictatori magiſter æquitum æqualis eſſe deberet, id quod antea inauditum erat.

Cap.XXVI. *De æquato imperio.*] Magnum Clementiæ & manſuetudinis exemplum, Vide Silium Italicum libro duodecimo.

Opifices ad dignitates Romæ admiſſi.

Cap.XXVI. *Patrem lanium fuiſſe ferunt.*] Innicat hic locus etiam hos qui artes operoſas, ſordidas, humileſque tractarunt, & ciues Romanos fuiſſe, & poſtremis temporib. & ad ſuffragia & honores admiſſos. Licet Dionyſios lib.X.& lib.6. ſcribat tales numero ciuium excluſos. Sic P. Rupilius ex operis publicanorum conſulatum adeptos, imperium in Sicilia geſſit, idemque triomphauit. Sic M. Scaorus qoi conſul & cenſor fuit, patrem habuit, qui carbonariam, Octauios qui poſtea Auguſtus appellatus eſt, auom, qui argentariam fecit.

Cap.XXIX. *Deprehendis fortunæ temeritatem.*] Hiſtoriam lege apud Frontinum libr.2. cap.5. Meminit quoque Eraſmus libr.5.apophtheg. Sabell. libr.9.cap.1. Ethnic. exempl.

Iiſdem ſacris initiati.

Cap.XXXIV. *Iiſdem ſacris initiatos.*] Scitè admodom atque concinne *iiſdem ſacris initiati* dicuntur, qui vnanimiter & conſpiraoter ad ſcopum nituotur eundem ad vmblicum, & ſic hoc loco Liuij verba accipienda cenſet Cœlius lib.12.cap.12.

Iuſiurandum & ſacramentum differant.

Cap.XXXVIII. *Iureiurando à tribunis militũ adacti.*] Differentiam inter *iuſiurandum* & *ſacramentum* militare eſſe, non obſcure hoc loco Liuius innuit. Quæ vero ea fuerit inter dictos diſceptatur: Quidam enim exiſtimant, cum ante certa formula iorisiurandi comprehenſa fuiſſet, de qua Gellios lib.6.ex lib.5. Cincij de re militari, hoc tempore, quod nunquam antea factum fuerat, eam ad auctam acceſſione harum claoſolarum fuiſſe: de quo Sigonius non ſolum in annotationibus Liuianis, ſed & de antiquo iure ciuium Romanorum, lib.1.cap.15. Verum non obſcure Liuios hîc oſtendit *ſacramentum*, voluntarium: *iuſiurandum*, neceſſarium fuiſſe. Dionyſius ait *ſacramentum* Romanis gentilitium fuiſſe, iurare per bonam ſuam fidem.

L. Æmilius Paulus.

Collega eius Pauli.] *L. Æmilium Paulum* conſulem intelligit, de cuius animi & corporis dotibus Plutar. in eius vita, & in Hannibale, Valer. Max. lib.5.c.10. libr.2. cap.5. lib.4. cap.3. Sabel. lib.2. cap.1. lib.4. e.X. Frootinus lib.4. cap.5. lib 2. c.3. & lib. quarto, capite 7.

Eod. *Varronis multa ac feroces fuerẽ.*] De *C. Terẽtij Varronis* moribus Plutarchus in Fabio Maſimo, & Hannibale. Val. Max. lib.4.c.5. lib.8.c.7. Frontinus lib.4.c. 5.

Eod. *Conſilia magis res dent hominibus.*] Innuit è re nata capienda & mutanda cõſilia, & *tempori*, quod aiunt *ſeruiendum.* Similis fere ſententia eſt apud Senecam lib. Epiſt. ad Lucilliom 3. quam retulit Eraſmus in prouerbio: *Gladiator in harena conſilium capit.*

Eod. *Infelicem ad id loterũ fuiſſe.*] Hinc vulgo dicitur: ἐκβάσει οὐδεὶς λόγος: *Exitu nulla ratio.*

Euentus ſtultorum magiſter.

Cap.XXXIX. *Euentus ſtultorum magiſter.*] Videtur reſpexiſſe ad illud Heſiodeum Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω, id eſt, *paſſuſque ſapit, tum denique ſtultus*, de qoo plura Eraſmus in prouerbio: *Malo accepto ſtultus ſapit*, & in prouerbio: *Piſcator ictus ſapit.*

Eod. *A veritate laborare nimis int ſæpe aiunt.*] Antonius Muretus lib. 8. Variarum lectionum c. 20. auctoritate veteris Codicis (quis tamen ille ſit non indicat) legendum eſſe putat, *veritatem laborare nimis ſæpe aiunt.* Et porto ſic legendom: *Gloriam vanam qui ſpreuerit, veram habebit.* Sic enim & veriorem fututam ſententiam

Digitized by Google

& illa contrariorum relatione orationem. Id quod iudicandi magis, quam approbādi gratia aſcribere libuit. Lector de ea emendatione, quæ placuerint, ſtatuat.

Cannę.

Cap. XLIV. *Cannas vrgente fato.*] Apuliæ vicum hac vna Romanorum clade ſatis nobilitatum.

Hiſpanorũ armatura.

Cap. XLVI. *Hiſpani linteis prætextis.*] Sic & Polybius libro tertio, τῶν δ' Ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων κατὰ τὰ πάτρια. Quem locum ad verbum à Liuio verſum obſeruauit Baylius de re veſtiaria.

Clades Romanorum ad Cannas.

Eod. *Quadraginta millia peditum.*] Cum Liuio conſentit Plutarchus, Polybius autem longe maiorem cæſorum numerum adfert. Ceterum de hoc prœlio vide eundem Polybium lib. 5. Plinium lib. 15. c. 18. lib. 33. c. 1. Strabonem in fine lib. 6. Lactantium lib. 2. c. 17. Silium Italicum lib. 9. per totum Auguſtinum lib. 3. cap. 19. ciuitatis Dei. Valerium Max. lib. 1. c. 1. & lib. 1. cap. 2. lib. 2. cap. 2. libr. 3. cap. 4. lib. 4. cap. 5. lib. 7. cap. 4. libr. 7. ca. 6. Frontinum lib. 2. cap. 5. Oroſium lib. 4. cap. 16. & alios.

Dij non omnia eidē dedere.

Cap. LI. *Non omnia Dii eidem dedere.*] Petrus victorius lib. 10. cap. 4. var. lectionum, Liuium hanc ſententiam ab Homero accepiſſe tradit, qui libro penultimo Iliados ita ſcribit.

—— ὁ δ' ἀέρπος ἦν

Ἐν πᾶσι τοῖσ' ἔργοισι δαίμονα συμπεφυκότα. Sed & ante eum Eraſmus id annotauit in prouerbio. *Non omnia poſſumus omnes.*

Quadrigati nummi.

Cap. LII. *Nummis quadrigatis.*] A notis quadrigarum ſic dictis, qui ante victoriales in vſu fuere de quibus Plinius lib. 33. cap. 2.

Cap. LIII. *Iurant omnes.*] Idem Oroſius lib. 4. cap. 16. Val. Max. lib. 5. cap. 6. Sabellicus libro primo capite 4. Ethnic. exempl.

Fatales libri.

Cap. LVII. *Fatalibus libris.*] Per *fatales libros* Sibyllinos intelligit, vt & ante annotauimus. Patet id ex Plutarchi Marcello, vbi & ipſe huius ſacrificij extraordinarij meminit: δύο μὲν (inquiens) Ἕλληνας ἄνδρα καὶ γυναῖκα, δύο δὲ Γαλάτας ὁμοίως ἐν τῇ καλουμένῃ βοῶν ἀγορᾷ κατώρυξαν ζῶντας.

Pyrrhi in remittendis captiuis humanitas.

Cap. LIX. *Remiſſi à Pyrrho gratis.*] Horum ſecundum quoſdam mille & octingenti numero, ſecundum Trogum autem ducenti tantum fuiſſe referuntur. Coram legatis vero Romanis aperte teſtatus eſt Pyrrhus, ſe non mangonum more cum Roman. negotiari, ſed certare tantum de gloria & imperio. Cuius vt generoſam, ita magno principe dignam ſententiam Ennius apud Ciceronem lib. 1. offic carmine expreſſit. Ceterum de horum captiuorum pœnis & expiatione, lege Eutropium lib. 3. Alex. ab Alex. lib. 4. c. 7.

Prædibus prædiiſque cauere.

Cap. LX. *Prædibuſq; ac prædiis cauendam.*] Quid ſit *prædib. ac prædiis cauere*, docet Aſconius Pædianus in prætura vrbana, de ſartis tectis loquens: *Bona* (inquiēs) *prædia dicuntur bona ſatis dationibus, obnoxia, ſiue ſint in mancipiis, ſiue in pecunia numerata, prædia vero domus & agri. Hæc autem omnia venduntur, ſi rationi pub. locator ſartorū tectorum non reſponderit. Tu autem Verres* (inquit) *cum ego ſim obnoxius & prædibus, id eſt, fideiuſſoribus, & prædiis appoſitis, non mihi exactor es operis, ſed dominus voluntatis, qui non ſinis me optima mea conditione, id quod volo de redēptione agere, cum periculum ſit meum, non Reip. Prædes* igitur homines ſunt fideiuſſores, quorum res *bona prædia* nūc vno nomine dicuntur.

Cap. LXI. *Quia nec ærarium exhaurire.*] De conſilio Romanorum ob quam cauſam captiuos minime redimendos eſſe cenſuerunt, vide Polybium præ ceteris lib. 6.

Carthaginienſium ſeuerita in duces rei male geſtæ animaduerſio.

Eod. *Nil recuſandum ſupplicij foret.*] Notanda hoc loco Carthaginenſiū ſeuera diſciplina, apud quos ſi quis imperator aut dux, prauo conſilio, licet felici euētu pugnaſſet, fœdo ſupplicio in crucem elatus, morte pœnas dabat. Hinc Himilco dux Carthaginentium à Cn. Duillio ſuperatus, Carthaginem fugit, & à Senatu quæſiuit quid faciendum cenſerent? Omnibus, vt pugnaret acclamantibus. *Feci*, inquit, *& victus ſum*. Hac ratione pœnam crucis effugit, Auctor de viris illuſtrib. c. 38. Valerius vero Maximus libr. 7. c. 3. hæc non Himilconē, ſed Hannibalem feciſſe, ſed paulo aliter ſcribit. ait enim ex infelici illa pugna, priuſquam cladis nuncius domum perueniret, quendam ex amicis compoſitum & ornatum Carthaginem miſiſſe vt interrogaret, an cum hoſte confligere debeat quod vbi conceſſum eſſet, tum ille: *Conflixit*, inquit, *et ſuperatus eſt*: Romani vero duces qui temeritate vel inſcitia exercitus amiſiſſent, aut fugæ & pauoris in ſimulari eſſent, pecunia aut exilio ſæpe mulctati ſunt, teſte Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 7.

IN LIBRVM XXIII. LIVII, QVI AB ALIIS TERTIVS DECADIS TERTIÆ DICITVR, ANNOTATIONES.

Nota res mala optima.

CAp. IV. *Notiſſimum quodque malum.*] Videtur reſpexiſſe ad illum Plautinū, *Nota res mala optima*. Quę ſententia deterret, ne temere nouandis rebus ſtudeamus, vitemuſque vitium, quod Græci φιλόκαινον vocant.

Cap. V. *Veſci humanis corporibus.*] Diuerſum Porphyrius Tyrius in 2. lib. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων tradit Aut igitur Romanus conſul mendacio illi tempori apto augere feritatem hoſtium voluit, aut Porphyrius in ea retrahenda, quæ falſa foret, propoſito illo ſuo ſeruiuit. De quo Victorius lib. 13. Var. lect. cap. 20.

Cur thure & vino ſit ſacrificatū.

Cap. XI. *Rem diuinam thure et vino.*] *Vino* ſacrificabāt, eo quod mero, ſignificantes mentis integritatem à dolo & mendacio ſeiungendam. *Thure* hoc ipſo ſuauiſſimæ cognitionis diuinę diſtributionem complectantes, vt annotat Cœlius lib. 22. cap. 9.

Cap. XII. *ipſorum primores id inſigne gerere.*] *Primores* intellexit qui equo publico militarent, vt Sigonius exiſtimat de iure ciuium Romanorum libr. 2. *Annulos* autem equidem fuiſſe ornamentum, quo diſtinguerentur à plebe, idem ibidem docet.

Dictatori equū aſcendere vetitū.

Cap. XIV. *Vt equum aſcendere liceret.*] Lege enim quam nominat Plutarchus in Fabio ſancitum erat, *ne dictator equo poſſet vti*, idque vel ob eam cauſam, quod, cum plus ineſſe roboris in pedeſtribus copiis putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deſerere deberet Imperator, vel quod cum ad alia omnia Dictatoris eſſet ſingularis poteſtas, in hoc vno voluerunt eum inferiorem videri. Senatus tamen petenti Fabio Maximo Verrucoſo contra veterem legem conceſſit, vt equo vehi poſſet, datumque id hominis virtuti & tempori, cum cæſis ad Cannas Romanis, in vno Fabio Dictatore creato melioris fortunæ ſpes repoſita videretur, Manutius de legibus Romanis.

Bigati qui.

Cap. XV. *Bigatoſque quingētos.*] *Nummos* intellige. Nam nota argenti bigæ fuere atque quadrigæ Et inde *bigati quadrigatique* dicti, auctore Plinio lib. 33. prout annotauit Budęus lib. 5. de aſſe.

Voluptas corruptrix rerum omnium.

Cap XVIII. *Voluptates immodica.*] Voluptatis & luxuriæ effectus, verum de Hannibalis voluptatibus præter Liuium, vide Val. Max. lib. 9. ca. 1. Silium Italicum lib. 15. copioſiſſ. Simile autem de Phrygibus exemplum apud Virg. lib. 9. *Deſidia cordi*.

Sub pellibus eſſe.

Eod. *Sub pellibus haberi cæpti ſunt.*] Id eſt, *in tentoriis degere incæperunt*. Quoniam militum tentoria *pellibus* obtegebantur, & inde *ſub pellibus eſſe* dicebantur. De quo Cœlius lib. 27. cap. 14. Iacobus Ræardus libro 4. Variorum cap. 3.

Famis vehementia.

Cap. XIX. *Non tolerantes famem.*] *Fames* omnium ſuppliciorum vltimum. Et ſententia cantionibus apud veteres celebrata, teſte Platone, *Miſerrimum mortis genus famo mori*. Sumpta autem eſt ex Homericæ Odiſſeę μ.

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν. Id eſt,

Senatum legere qui conſueuit.

Dum quidem miſeris mors eſt mortalibus omnis,
At periſſe fame, res vna miſerrima longe eſt.

Cap. xxi. *Dictatorem qui ſenatũ legeret.*] *Senatus legendi* auctoritas, exactis regibus, penes cõſules fuit. Deinde hoc munus & officiũ ad cenſores delatum eſt, qui quinto quoque anno, & eos, quos tanto honore dignos eſſe iudicarent, in Senatum admitterent, & eos qui aliquid offendiſſent, è Senatu eiicerent. Interdum tamen etiam dictatorem & Triumuiros legendi Senatus gratia creatos legimus, pro vt annotat Maioragius cap. 14. De Sen. Rom.

Cap. xxiii. *Curulem magiſtratum cepiſſent. nec dum in Senatum lecti eſſent.*] Nam per gradus ad ampliſſimum & altiſſimum ciuitatis ordinem omnes ferè Romæ perueniebant. Id quod præter Liuium & Dion. lib. liv. teſtatur, cum ait, ſenatuſconſultum quoddam fuiſſe factum, vt xvuiri ex equitibus crearentur, *quorum deinde* (inquit) *nullus in ſenatum allectus eſt, niſi quem etiam alium magiſtratum geſſiſſet, ex quo in Senatum legi ius eſſet.* Zamoſcius libro primo de Senatu Romano.

Eod. *Qui ſpolia ex Romano hoſte.*] Quod ſcribit eos lectos, qui ſpolia hoſtium domi fixa haberent, id ita obſeruatum ſcribit Plinius libr. 35. ab antiquis, vt foris & circum limina maiorum ſuorum fortiſſimorum virorum imagines diſponerẽt, effixis hoſtium ſpoliis: Nec minorem eorum qui ciuem conſeruaſſent habitam rationem, cum vt idem auctor tradit libr. 16. iis ineuntib. ludos à Senatu aſſurgi in more eſſet, ſedendique ius in proximo Senatu haberent. Zamoſcius d. lib. 1. de Senatu Romano.

Soſpita Iuno.

Cap. xxxi. *Lanamq; ad Iunonis Soſpitæ.*] *Soſpita Iuno* in primis celebratur Lanuuij magno cultu, cuius ſimulachrum fingebatur cũ pelle caprina & haſta, & ſcutulo, & cum calceolis repandis, vt de natura deorum ſcribit Cicero. *Soſpitam Iunonem* inquit Feſtus, *quam vulgo Soſpitem vocant, antiqui vſurpabant, cum ea vox à Græco videatur ſumpta quod eſt σώζω.*

Volones qui.

Cap. xxxii. *Volonum quod fuerat.*] *Volones* ſerui erant, in militiam admiſſi, inde ſic dicti, quod prius interrogarentur; vellentne militare. Idq; apud Romanos poſt Cannenſem cladem eſt factum, ſic Pauſanias auctor eſt Perſico bello, quod in Marathoniis campis eſt geſtum, primum ſeruos apud Græcos in militiæ iura admiſſos. Cœlius lib. 25. cap. 23. Macrobius libr. 1. Saturnal. cap. 11.

Vadimonia quid.

Eod. *Vadimonia fieri.*] Id eſt, *ſponſiones ſiſtẽdi in iudicio.* Nam id *Vadimonium* eſſe, Varro lib. 3. de lingua Latina docet. Etſi forte non male etiam de *citatione perſonali* intelligi poſſet. *Vadari* namque pro citare perſonaliter affuturum vſurpari docet Budæus in annotationibus prioribus ad Pandect.

Lacinia Iuno.

Cap. xxxiii. *Laciniæ Iunonis templum.*] *Lacinia Iuno* ſic cognominata ab Italiæ promontorio. Virgil. *attollit ſe diua Lacinia contra.* Quo loco Seruius ſcribit, *Lacinium templum* à rege conditore dictum, ſecundum quoſdam à latrone *Lacinio*, quem illic Hercules occidit, & hoc loco expiato Iunoni templum conſtituit. Meminit templi *Iunonis Laciniæ* infra lib. 4. & lib. 2. Decad. 3. vbi vide.

Sublicæ.

Sabiectis validis ſublicis.] *Sublicæ* quæ dicãtur ſuperius lib. 2. vide.

Luſtra.

Cap. xlv. *Omnibuſq; luſtris.*] *Luſtra* hic propoſuit pro *lupanaribus.* Veteres enim *luſtrari* pro *ſcortari* dixerunt, vt ſæpius videre eſt apud Plautum.

Canterius in foſſa.

Cap. xlvii. *Canterium in foſſa.*] De *cãterio*, eiuſque notione multiplici, Cœlius lib. 8. cap. 4. Ceterum ad prouerbium quod attinet, licebat eo vti, quoties quis ad id negotij trahitur, in quo nequaquam valeat, aut vbi res vehementer erat impedita, periculoſave, Eraſ. in Chil.

Locare & conducere.

Eod. *Conducerentque ex lege præbenda.*] De Horum verborum ſignificatione Budæus in annotationibus prioribus ad Pandectas. Quamquam enim *locator* ſit plerumque, qui precium accipit, & *conductor* qui dat, vt ſit *locator* dominus, *conductor* inquilinus, tamen nonnunquam vice verſa euenit, vt *locator* precium det, *cõductor* accipiat.

IN LIBRVM XXIV QVI DECADIS TERTIÆ QVARTVS DICITVR, ANNOTATIONES.

Occaſio opportunitas.

EX *occaſione & opportunitate.*] *Opportunitas* temporis eſt, quam & *occaſionem* licet appellare, niſi quod in tempore *occaſio*, in re ipſa *opportunitas* videtur dici.

Veſtitus mutatio.

Cap v. *Conſpexere purpuram ac diadema.*] Nulla remagis quam veſtitus mutatione ſubditi offenduntur, plerumque enim veſtitus mutatio, mutationem regni portendere ſolet. Hinc ſcribunt Magos aliquando Perſis prædixiſſe, breui ipſis Macedones imperaturos, quod eo anno, qui proxime præcedebat, pugnam commiſſam inter Darium & Alexandrum Magnum, Darius gladium quem geſtare ſolitus erat, Macedonum more ornaſſet: *Et ſolet plerumque gens, quæ alterius gentis habitum aſſumit, in eius poteſtatẽ concedere,* vt inquit Curtius. Quid itaque nobis ſperandum, qui noſtros in habitu Turcico & Moſcouitico, & alibi Hiſpanico incedere videmus? Deus nobis adſit, & auguria, ſeu potius omnia auertat.

Albi equi.

Eod. *Quadrigiſque etiam alborum equorum.*] Equorum alborum vſus valde inuidioſus fuit, prout & ſuperius annotatum eſt: Sic etenim Camillus in inuidiam venit, quod in triumpho curru equis albis iuncto, vrbẽ inuectus eſſet, quod humano faſtigio ampliorem honorem, paremque ſupremo Ioui ſibi vendicare videretur. Vide Tornebum lib. aduerſ. 24. cap. trigeſimo primo.

Tarentum.

Cap. xiii. *Tarenti potiundi.*] De huius vrbis origine & potentia ex Ephoro leges apud Strabonem libr. 6. Item Plinium lib. 3. cap. 20. Florum lib. 1. cap. 18. Iuſtinum lib. 3. Silium Italicum lib. 12. Melam lib. 2. cap. 4. Volaterranum lib. 6. cap. 8.

Cap. xvi. *Stratiotica potumque.*] De variis animaduerſionum militarium ſpeciebus præter alios Sigonius de antiquo iure ciuium Romanorum lib. 1. cap. 15.

Haſta locationis.

Cap. xviii. *Qui haſtæ huius generis aſſueuerũt.*] *Haſta* nõ de auctionib. venditionibuſque modo, ſed & de locationibus, quæ publicæ fiunt, dici conſueuit, vnde *aſſueti haſtæ* appellari eleganter, qui eam conducere conſueuerunt, vt annotauit Cœlius lib. 21. cap. 17.

Cretio hereditatis quid.

Cap. xxv. *Hereditatem regni creuerit.*] *Cretio* (inquit Vlpianus) *certorum dierum ſpatiũ, quod dabatur inſtituto heredi ad deliberandum, vtrũ expediret ei adire hereditatẽ nec ne.* De quo alterius Rænardus de auctor. pend. c. 8. Et Vlpianus in inſtit. 22. *Cernere eſt verbu cretionis dicere ad hunc modum. Cum me Mæuius heredem inſtituerit, eam hereditatem adeo cernoque.* Varro lib. 7. de lingua latina illud Plauti interpretans: *Hanc mihi amicam eſſe creui*, id eſt, *conſtitui.* Itaque hæres cum conſtituit ſe hæredem eſſe, dicitur *cernere*, & cum hoc fecerit, *creuiſſe.* Sic accipienda *cretio* in L. 17. C. de iure delib. & in L. 1. & 2. De bonis maternis in Codice Theodoſiano.

Cubital.

Cap. xxxiv. *Crebris cubitalibus.*] *Cubital* idem eſt, quod *brachiale*, Græcis περιβραχιόνιον appellatum eſt. Vt enim *faſciola* crurum ſunt, ita *cubitalia* tegmẽta ſunt brachiorum. Hor. Satyra 2. *poans inſignia morbi.*

Faſciolas, cubital, focalia. Vide Torneb. lib. 7. aduerſ. cap. 10. Lampinus in ſuis ad Horatium annotationibus, *cubital* puluinum eſſe ſcribit, cui inniterentur veteres inter cœnandum.

Scorpio.

Eod. *Scorpionibus modicis.*] *Scorpio* tormentum eſt bellicum, ſed telum etiam illius tormenti, id eſt, quod eo tormento mittitur, Oppius lib. 5. belli ciuilis, *Scorpione accuratius miſſo, atque eo ram decurione percuſſo.* videtur enim potius *telũ* quam *tormentũ* ſignificari auctore Torneb. libr. 15. aduerſ. cap. 1.

Septẽuirale iudicium.

Cap. xlv. *Proditio pro ſeptemuirali iudicio eſſet.*] Id eſt, cenſeretur hæc proditio, non ſecus ac ſi ſeptemuirali iudi-

iudicio de ea cognitum eſſet. *Septemuiraleiudicium* vero dicebatur, quod à ſeptemuiris, qui è ſeptemuirorum ordine erant, exercetetur: De ſeptemuiralibus iudiciis Paullus iurecooſultus ſingularem librum ſcripſit, vt teſtantur inſcriptiones Legis 31. & legis 28. pandectarum Florentinarum ff. de inofficioſo teſtamento. Ex quibus colligere licet, *Septemuiros* de teſtamentis cognouiſſe: aliiſque reb. commemorantur à Cic. lib. 1. de orator. Ceterum ſi forma iudiciorum centumuiralium conſideretur, quorum ordine ſeptemuiralia continebantur, iis etiam capitales cauſas cognoſci ſolitas apparet, eamque magis ad publicorum, quam ad priuatorum iudiciorum ordinem inclinare. Eaque ratione à *priuatis iudiciis* cauſas *centumuirales* viſus eſt Plinius diſtinxiſſe epiſtolarum lib. 6. *interuenit*, inquit, *acribus illis & erectis frequens neceſſitas computandi, ac penè calculos tabulamq; poſcendi, vt repente in priuati iudicij formam centumuirale vertatur*. Et Quintilianus libro 5. ca. 10. *Proprium eſt*, inquit, *illud cauſæ quod Amphictyones iudicant, vt alia apud Centumuiros, alia apud iudicem priuatum in iiſdem quæſtionibus ratio ſit*. Nec id etiam ignoraſſe viſus eſt Iuſtinianus, cum ita ſcribit: *Magnitudo & auctoritas centumuiralis iudicij non patiebatur per alios tramites viã hæreditatis petitionis infringi*, L. ſui, C. de petit. hæred. Per *magnitudinem* haud dubie magnificam intelligens centumuiralis iudicij formam. Quo etiam referri debet, quod Cicero pro Cecinna ſic ſcribit, *Ornate et copioſe L. Craſſus eloquentiſſimus, paulo ante quam nos in forum venimus, iudicio centũuirali hanc ſententiam defendis*. Nec alio referendũ eſt, quod ad hunc modum ſcribit Quintilianus lib. 4. cap. 1. *Quibuſdam in iudiciis, maximéq; capitalibus, vt apud Centumuiros, ipſi iudices exigunt ſolicitas & accuratas actiones, contemnique ſe, niſi in dicendo etiam diligentia appareat credunt, nec doceri tantum, ſed etiam delectari volunt*. Ceterum de *centumuiralibus iudiciis* præ ceteris erudite & late diſſerit Iacob. Rebardus lib. ſingulari Protribunalium, cap. 20. Franciſcus tamen Hotomanus, vbi in ſua deſcriptione magiſtratuum Romanorum de centumuiris tractat apud Quintilianum lib. 4. cap. 1. *Capitalia* dici putat, non *publica*, ſed ea in quib. de capite ciuis R. agerertur, vt in cauſis liberalibus. Verum quam recte ipſe viderit.

Eod. *Pyrrhiue proditorem*.] Pyrrho namq; bellum cõtra Romanos in Italia gerente, eius medicus ad Fabricium conſulem ſcripſit, offerens ſi præmium ſibi oſtenderetur à Romanis, veneno ſe regem necaturum, cuius ſcelus Fabricius auerſatus, cum in eandem ſententiam collegam adduxiſſet, literas propere ad Pyrrhum miſit, monens vt caueret inſidias Pyrrhus itaque perlecta conſulis epiſtola, deprehenſiſque inſidiis, medicum affecit ſupplicio Fabricio & populo Romano gratiæ referendę cauſa gratis captiuos donauit, vt ſcribit Plutarchus in vita Pyrrhi. Huc vero pertinent Octauiani Auguſti & Antigoni quoque apophthegmata, qui dicebant *proditores quidem dum proderent amandos, poſt factam vero ſummo odio proſequendos eſſe*. Significantes his, qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ, licet officium quod præſtant, pro tempore gratum ſit. Proditio amatur, nõ proditores.

Cap. XLVI. *Cornicines in via*.] *Tubicines* ad bellum vocant milites & rurſum receptui canentes reuocant. *Cornicines* buccinatores erant ornamentum totius legionis in ingreſſu conflictus & eius reditu, & quotieſcunque ad aliquod opus exituri ſunt, ſoli milites tubicines canunt & ſoli milites ad ſigna eorum obtemperant, quotieſcunque ſigna mouenda ſunt, cornicines canunt claſſicum, Vegetius. Cornicines.

Eod. *Signa efferri conſul iuber*.] Auctore Vegetio lib. de re militari ſecundo, tria Romani in exercitu ſignorum genera habebant, *Aquilam, Dracones, & Vexilla*: *Aquila* totius legionis ſignum eſt, quam portat *Aquilifer*, *Dracones* ſunt ſingularium cohortiũ. Legio enim in decem cohortes diuiditur, quos, qui ferunt, *Draconary* dicuntur: Cohortes vero in centurias diuidebantur, ſingulis centuriis ſuum erat vexillum, in vexillia ſingulis notatum erat ex quota cohorte. quota centuria eſſet, ne qui milites à ſigno aberrarẽt, quod & Dion. lib. 41. declarat. Signa Romanorum triplicia.

IN LIBRVM XXV. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS III. LIB. V. DICITVR, ANNOTAT.

CAp. I. *Triumuiri capitales*.] Hi poſt quęſtores parricidij creati de omnibus cognoſcebãt, quæ prius iudicare ſolebant quæſtores parricidij. At poſt conſtitutas quæſtiones perpetuas (quod L. Cenſorino, & M. Manlio factum fuiſſe ſcribit Cicero) quum prætores qui de eis quærerent inſtituti ſunt, tunc triumuiri ad columnam Mœniam in foro tantum cognoſcere cepe runt, de ſeruis & ceteris extremæ ſortis hominibus, itemque de eorum ſceleribus, qui cum ciues Romani non eſſent, tamen in vrbe habitabant, carceriſque cuſtodes erant, eorumque interuentu in eos animaduertebatur, qui extremo ſupplicio damnati eſſent, vt annotat Onuphrius in comment. lib. 1. Faſtorum.

Cap. II. *Huic petenti ædilitatem*.] Magiſtratuum enim gerendorum ordinem Romani obſeruabant, primo enim gerebatur quæſtura, poſt ædilitas, ædilitatem ſequebatur prætura. Poſt præturam gerebatur conſulatus, poſtrema erat cenſura. Multos autem hac lege annaria ſolutos fuiſſe legimus, ex quibus primus fuit Africanus, qui cum iuuenis ędilitatem peteret non ſine maxima contentione Senatus & plebis conſul creatus eſt, vt ſcribit Appianus in Lybico.

Rogator quis. Cap. III. *Ciſtellaque allata eſt*.] Cum enim comitia haberentur, erat qui ciſtam deferebat colligendis per tribus ſuffragiis, iſque *rogator* dicebatur. Ex multis vero locis apertum eſt ciſtam deferre ſolitum eum ipſum, qui habebat tributa comitia, prout oſtendit Grucchius lib. 2. de comitiis Rom. In ciſtas autem populu tabellas ſui ſuffragij mittebat per pontus tranſiens. *Ciſtella* vero in ſortiendo mentio eſt in Caſina Plauti, De quo vide Tornebum lib. aduerſ. 13 cap. 13.

Latini ius. Eod. *Latini ſuffragium ferrent*.] Latini enim non tam iure ac legum neceſſitate, quam beneficio & benignitate Romanorum magiſtratuum ius ſuffragiorum Romæ habuiſſe leguntur. Idque non modo tributis comitiis, ſed etiam centuriatis. Et ſi enim Romæ non cenſerentur Latini, ſed in ſuis ciuitatibus, poterant tamen ita ſe adiungere ad centurias vnius cuiuſdam tribus, cui ſorte obtigiſſet, vt Latini in ea ſuffragium dicerent vt cum primæ claſſis centuriis hi ſuffragium ferrent, qui erant primi cenſus apud Latinos, cum centuriis ſecundæ claſſis, qui erant apud eos ſecundi cenſus & ita deinceps. De quo Grucchius de comitiis populi Rom. lib. 2. cap. 3. circa finem. Suffragiorũ Romæ habuerunt.

Eod *In ordinem coactos eſſe*.] *In ordinem redacti*, inquit, Priſcianus lib. 18. *dicuntur, qui contemptui ſunt, inter viles numerati, & abiectos*. id quod & infra Liuius libr. 43. teſtari videtur; *Tribuni plebis*, inquiens, *in ordinem redacti pro contemptiſſimis ſunt habiti*. Hos Græci *Encyclios* appellare videntur, vt annotat Cœlius lib. 25. cap. 18. In ordinem redigi.

Cap. IV. *Omiſſa multa certatione*.] His verbis apparet moris fuiſſe, vt tribuni plebis *multam dicerent*, vel vt alij loquuntur, *infligerent*, quæ poſtea populi ſuffragijs in comitio vel irrogaretur, vel abrogaretur, vel etiam remitteretur, quo tempore *multa certare* dicebatur. Non enim tribuni multæ damnare poterant, ſed tantum rogare populum, apud quem cum reus non iure multatum ſe contenderet, lis illa multatitia diſceptabatur. Hæc Budęus. Multam certare.

Eod. *Vades daret*.] *Vades* ſponſores in re capitali dicuntur, auctore Feſto, idem confirmat lib. 3. de duobus Pythagoreis loquens. Vide Budæum in prioribus annotat. ad Pandectas. Vades qui.

Eod. *Videri eum in exilio eſſe*.] *Exiliũ ſimplex eſt* (inquit

Marcellus) *aut certorum locorum interdictio, vt lata fuga, aut vt omnium locorum interdicatur præter certum locum, aut inſulæ vinculum, id eſt, relegatio in inſulam*, L. Exilium

Exilium triplex. ff. de interdict. & relegatis. Quibus verbis triplicem exilij ſpeciem conſtituere videtur, vt eius vocabuli ſignificatione, *relegationis & deportationis* pœna includatur. De quo vide latius differentes, Franciſcum Duarenum lib. 1. anniuerſariarum diſputat. ca. 37. Iohannem Robertum Aurelium ſententiarum lib. 4. cap. 11. Quia vero *exilij* nomine *aquæ & ignis interdictio* varios intelligitur, ideo Liuius adiicit, *ipſi aqua & igni placere interdici:*

Aquæ & ignis interdictio. Qua pœna ius ciuitatis penitus ademptum fuit quaſi earum rerum vſu interdicto, ſine quib. hominum vita conſtare non poſſet. Quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent, de quo quamplura eruditiſſime congeſſit L. 2. ff. de Pœnis in ſuis annotationibus ad Pandectas. Notat quoque ex hoc Liuij loco Blondus Romæ triumphantis lib. 4. quod licet inter *exilium* & *aquæ & ignis interdictionem* omnium maximam animaduerſionem plurimum interfuerit, aliquando tamen coniunctum fuiſſe exilium aquæ & ignis interdictioni.

Fora, Conciliabula. Cap. v. *Foris, conciliabuliſque.*] Liuius per *fora*, & *conciliabula*, omnia quæ extra vrbem erant, maiora & minora oppida, caſtella, & loca intellexiſſe videtur, in quib. eſſent conuentus aliqui iuridici, prout annotat Torneb. libro 1. aduerſ. c. 11. Aliàs vero *forum* locus erat nundinationis, & negationis, vbi etiam ius dicebatur, vt *forum Flaminij, forum Iulij, forum Licinij*, de eorum nominibus, qui ea conſtituenda curarunt. *Conciliabula* vero cum loca eſſent, in quibus ius diceretur, & in concilium conueniretur, tamen foris inferiora erant, interdum tamen in municipij ius aſcendebant.

Eod. *Triumuiri.*] *Triumuiri* ædibus ſacris incendio conſumptis reficiendis & ſacris conquirendis inſtituti. Hi an *extraordinarij* ſacerdotes vel *prophani* fuerint Onuphrius dubitat. Triumuiri.

Cap. vii. *Corruptis æditui duobus.*] De huius nominis etymologia Gellius lib. 2. cap. 6. Quidam *æditumum* dictum arbitrantur, quod *ædes ſacras tueatur & curet*. Æditui.

Cap. ix. *Concubia nocte mouit.*] *Concubiam noctem* hîc vocat Liuius cum contenebrauit, ſecus atque Varro in lib. 6. de lingua Latina, qui *concubiam* vocat *noctem intempeſtam*, cum tempus agendi nullum eſt. Victorius lib. 8. variarum lectionum cap. 3. Concubia nox.

Cap. xii. *Ex carminibus Martianis.*] Hæc carmina Martij Alciatus libro 5. Parergon. cap. 18. ita in pedes digerenda putat.

Amnem Troiugena Cannam Romane fuge,
Ne te alienigenæ in campo cogant Diomedis
Conſeruiſſe manus pugnando. Sed neque credes
Tu mihi tunc, donec compleris ſanguine campum,
Multaque millia cæſa tuorum deferat amnis
In pontum magnum terrai frugiferai,
Piſcibus, atque auibuſque, feriſque colentibus terras,
Vt fuat eſca caro tua. nam mihi ita Iupiter fatus.

Cap. xxxi. *Hoc modo Syracuſa capta.*] De expugnatione Syracuſarũ præter Liuiũ Florus lib. 2. c. 6. Silius Italicus lib. 14. Val. Max. lib. 8. cap. 7. lib. 1. cap. 6. & libr. 5. ca. 1. Sabell. lib. 4. Ennead. 5. Facta eſt autem ſecundum pleroſque anno ab vrbe condita 543.

Cap. xxxviii. *Sed in rebus aſperis.*] Hæc ſententia ab Herodoto mutuata eſſe videtur, qui in Πολυμνίᾳ inquit, μεγάλα γὰρ πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι.

IN LIBRVM XXVI. QVI ALIIS SEXTVS DECADIS III. DICITVR, ANNOTATIONES.

Anquirere. CAp. iii. *Capite anquirẽdum.*] *Anquirere* priſco verbo Liuius dicit, quod Cicero *quærere*. Vnde ſæpe apud eum *pecunia anquiſitum* legimus, id eſt, concluſum pro multa vel emenda, & *anquirere capite* pro criminaliter contra aliquem procedere. Hoc idem Cicero vocat *æſtimare litem capitis*, hoc eſt, actione rei perſecutoriæ non vti, ſed criminaliter intendere, &, vt vulgo loquimur, *concluſiones capitales concipere*. Sic & *perduellionis iudicare* antiquo more dictum eſt, ex imitatione Græcorum, qui κρίνειν dicunt pro *diem dicere*, & vadimonio capitali obſtringere, Budæus in annotat. ad Pãd. Ceterum, *anquiro* & *anquiſitiones*, vocabula eſſe Romana, & honeſta tradit etiam Petrus Crinitus lib. 1. de honeſta diſciplina, cap. 14.

Perduellionis iudicare.

Haſtæ velitares. Cap. iv. *Haſtis velitaribus inſt.*] *Haſtæ velitares* erant iaculatoriæ, id eſt, quibus eminus iaculabantur, proinde aliis leuiores, de his Ouidius ita ſcribit:

Vtque petit primo plenum flauentis arenæ,
Nondum calfacti velitis haſta ſolum.

Haſtam velitarem Polyb. appellare videtur γρόσφον, de quo plura Torneb. lib. 14. aduerſ. cap. 11.

Cap. v. *Qualis in defectu lunæ ſilenti nocte.*] Æs in ſacris & excantationibus magnam habuiſſe vim & auctoritatem, ex Scholiaſte Theocriti in pharmacentria, proptereaque in lunæ deliquiis adhiberi ſolitum tradit Cœlius lib. lect. antiq. 19. cap. 10. & rurſus libr. 29. cap. 6. Hinc Ouid. lib. Metamorph. 4. videtur cecinisse,

Cum fruſtra reſonant æra auxiliaria luna. Et lib. 7.
Te quoque Luna traho, quamuis temerata labores
Æra tuos minuant.

Cap. viii. *Media P. Valerij.*] Mediam ſententiam ſequendam ſupra oſtendimus, vidi autem de eo Ferrandum Adunenſem lib. 2. explication. in ius ciuile ad §. Cum ex aliena.

Cap. xi. *In religionem ea res.*] Id eſt, Pœni interpretati ſunt, id diis non placere, vt pro vrbe Roma capienda confligeretur, vel vt vrbs Roma armis oppugnaretur, Budæus in prioribus annot. ad Pandectas.

Cap. xv. *Lictorem lege agere iuberet.*] Id eſt, vt ex officio ſuo ageret, & ſententiam in damnatos exequeretur, τῷ νόμῳ χρήσασθαι ἐκέλευσεν. Valer. lib. 3. aliter accepit, *Deligatus ad palum hoſtibus, literas à patribus conſcriptis nequicquam Capuanis ſalutares accepit. In ſiniſtra enim manu ſicuti erant tradita repoſuit, ac iuſſo lictore lege agere, tum demum aperuit. Lege agere* pro vinctos virgis cędere, & deinde ſecuri ferire poſuit, exequendo ſcilicet ſententiam, quam de iis tulerat Budæus in prioribus annotationibus. Lege agere.

Cap. xviii. *Profeſſus ſe petere.*] *Profiteri* eſt in concione publice dato nomine voluntatem ſuam de aliquo magiſtrato populi ſuffragio obtinendo declarare, vt Budæus interpretatur. At Grucchius lib. 1. de comitiis Romanis oſtendit *profeſſionem* nihil aliud fuiſſe, quam publicam ac ſolennem voluntatis ſuæ declarationem, de magiſtratu ſi populus ita vellet, obtinendo etiam circa nominis dationem. Ceterum quod dicit omnes homines iuſſiſſe Scipioni imperium in Hiſpania eſſe, ſciendum eſt duo *imperij* verbo apud Liuium aliosque contineri, *poteſtatem* videlicet *exercitum habendi, & belli gerendi*, quod Plutarch. in Cicerone, vbi de hac re loquitur, dixit: στρατιὰς τρέφειν καὶ πολεμεῖν ἐπιόντα δύναται. Profiteri quid. Imperium quid.

Eod. *Inire ſuffragium.*] Budæus in prioribus annotationibus in Pandectas legit *confuſum ſuffragium*, per id intelligens, cum turbæ quaſi turmatim ſuffragantur. A Deo actionum exordium ſumendum.

Cap. xix. *Ingreſſuſque ædem.*] *Iouis* ſcilicet, vt iuxta diuini Platonis ſententiam omnium negociorum exordium à Deo ſumendum eſſe doceret. *Quod enim in triremi gubernator, in curru rector, præcantor in choris, dux in vrbe, Imperator in exercitu, hoc eſt*, vt Apuleius ait, *in mundo Deus: cuius fauor niſi conatibus noſtris aſpiret, manca eſt omnis humana induſtria*. Vide notata in hanc ſententiam in proœmio libri primi ſupra.

Anguis Iouis genius.

Eod. *Anguis immanis.*] Quem ſuperſtitioſe antiquitas genium Iouis fuiſſe putauit. Hanc hiſtoriam ex Oppio & Hygino copioſiſſime leges apud Gellium lib. 7. capite 1. Valerium Maximum libro 1. cap. 3. Plutarchum in eius vita, &c.

Marcello triumphus denegatur.

Cap xxi. *Id non impetrauit.*] Marcellum enim aduerſarij incuſabant, primum quod non tantum homines verum etiam Deos, perinde ac captiuos in triumphum duxiſſet. Deinde quod Romanos pulcherrima & mirabilia Græcorum opera, quæ antea incognita fuerunt venerari atque ſuſpicere docuiſſet. Sed & alia cauſa ſubfuit, nimirum quod ad res gerendas ſine magiſtratu miſſus fuiſſet, qui enim ea conditione erant, etſi res triumpho digniſſimas geſſiſſent, triumphare lege vetabantur. Itaque nec P. Scip. ob recuperatas Hiſpanias triumphum ſenatus decreuit. Pompeius tamen Magnus Sylla dictatore concedente, contra legem eques adhuc Romanus triumphauit. Manutius de legibus Romanis.

Triumphantes in monte Albano.

Eod. *In monte Albano.*] Aduerſante ſenatu Romano populum ſæpe triumphos decreuiſſe legimus, cum res bello geſtæ dignæ viderentur. Item plures cum Romæ honos negaretur, de ſua ſententia, ſed in Albano tantum monte triumphos egiſſe, Alex. ab Alex. lib. 6. ca. 6.

Ouile in comitiis.

Cap. xxii. *Secreto in ouili.*] Locus in quo centuria prerogatiua erat, nominatim appellatur *ouile*, in quem locum centuriæ ſaniorum ingredi non licuiſſet, niſi poteſtate facta à conſule. *Ouile* vero dicebatur propter ſimilitudinem, quod vndique cancellis clauſus eſſet, in quo loco cum eſſent, ſuffragium dicebant ita, vt interim non liceret alijs in eo loco eſſe. Huius etiam loci meminit Dionyſius lib. 10. vbi de comitiis L. Quintij loquitur, & Lucanus cum ita ſcribit: *Et miſeræ maculauit ouilia Romæ.* Grucchius lib. 1. de comitiis. Rom.

Obſecratio.

Cap. xxiii. *Obſecratio in vrbem.*] *Obſecrationem* appellat precationem, quam pontifex ipſe præibat populo ſubſequenti verba præeuntis, vt docet Torneb. lib. 22. cap. 31.

Quinquatrus.

Cap. xxvii. *Quinquatrus fuit.*] *Quinquatrus & quinquatria* vtrumq; enim dicitur, feriæ erant in honorem Mineruæ inſtitutæ, ſic dictæ, quod quinque diebus fierent, vt Ouidio etiam placet, dum ſcribit:

Vna dies media eſt, et fiunt ſacra Mineruæ,
Nomina quæ iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Cauſa quod eſt illa nata Minerua die.

Iniuſſu populi Romani de ciue Romano nihil agere licuit.

Cap. xxxiii. *Per ſenatum agi.*] Et ſi enim ordinis ſenatorij poteſtas maxima eſſet, nihil tamen de ciuib. Romanis iniuſſu populi Romani decernere vel ſtatuere poterat. Prout Budæus in prioribus annotationibus & Maioragius cap. 11. de ſenatu Romano annotarunt.

Cap. xxxvi. *Si quid iniungere inferiori velis.*] Huc haud dubie reſpexit Claudianus, cum ad Honorium inter cetera ſcripſit:

In commune iubes ſi quid, cenſesve tenendum:
Primus iuſſa ſubi, tunc obſeruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Eod. *Reſpublica incolumis.*] Thucydidis hæc ſententia eſt, apud quem Pericles lib. 2. in oratione dicit: ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι πόλιν πλείω ξύμπασαν ὀρθουμένην ὠφελεῖν τοὺς ἰδιώτας, ἢ καθ᾽ ἕκαστον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην, cum alijs quæ ibi ſequũtur. Et alibi exiſtimat æque bonum ciuem eſſe, & illum qui partem aliquam corporis, & qui poſſeſſionis aliquid pro ciuitate amittere non dubitat. Et apud Stobæum ſermone 41. (ni fallor) Politicus inquit: πόλις εὖ ἀγομένη, μεγίστη ὄρθωσίς ἐστι. καὶ ἐν τούτῳ πάντα ἔνι, καὶ τούτου σωζομένου πάντα σώζεται, καὶ τούτου φθειρομένου, τὰ πάντα διαφθείρεται. id eſt, *ciuitas proſpere agens, felicitas eſt maxima. In hac inſunt omnia: hac ſalua, cuncta ſeruantur, hac pereunte, nihil non peſſumit.*

Ferrea manus.

Cap. xxxix. *Ferrea iniecta manu.*] De manibus ferreis coruiſque nihil dicere neceſſe eſt, vide Bayſium de re nauali de hiſce.

Carthago noua.

Cap. xlii. *Carthaginem nouam.*] De hac copioſe Strabo lib. 3. Plinius lib. 3. cap. 3. Pomponius Mela lib. 2. ca. 6. Volat. lib. 6. cap. 5.

Recuperatores.

Cap. xlviii. *Tres recuperatores.*] *Recuperatores*, vt ait Feſtus, primùm dicti ſunt, qui inter populum Romanum & ciuitates peregrinas de rebus priuatis reddendis recipiendiſque cognoſcebant. ea enim *recuperatio* dicebatur. Poſtea vero etiam iudices à prætore poſt iudicium conſtitutum dati, ita appellari cœpti ſunt, vt, lib. 43. vbi eorum quoque mentio fit, annotauimus. Meminit eorum quoque Gellius lib. 20. cap. 1.

Scipionis continentia.

Cap. l. *Scipio percunctatus patriam.*] Alij ad ſe adduci vetuiſſe ſcribunt: ne viſa virgine animus ad libidinem pelliceretur. In oculis, enim non exiguam natura poſuit motuum declarationem. Quamobrem ab eorum motionibus omnis eſt abijcienda leuitas, & impudentia & cum nulla pars corporis vacare debeat continentia oculos maxime oportet habere homines continentes: quos Seneca de remedijs fortuitorum vitiorum omnium irritamenta & ſcelerum duces vocat.

Eod. *Cui Allucio nomen erat.*] Plutarch. in vita Africani hunc ſponſum *Luceium* vocat.

Eod. *Si frui liceret ludo ætatis.*] Plutar. in Apophtheg. ait Scipionem dixiſſe, *libenter ſe accipere puellam ſi homo priuatus, non Imperator eſſet*, Quod dicto docuit ſe iuuenem formæ puellæ corrumpi non potuiſſe, quo minus meminiſſet, quid imperatorem deceret, qui in omni vita virtutis & honeſtatis debet ſuis exhibere exemplum. Vide Max. lib. 4. capit. 3 Eutropium libro 3. capit. vlt. Gellium lib. 6. capit. 8. Sabellicum lib. 1. cap. 4. Ethnic. exempl.

Præpilata miſſilia.

Cap. li. *Præpilatiſq; miſſilibus.*] *Præpilatas* inuenimus haſtas dici, quæ ferreas habent cuſpides, quaſi *præferratas*, quamquam & *præpilatum* ſit quoque, quod ferro vtique caret, ſed in mucronem tamen eſt exacutum, vt locuſtarum cornua prout Cœlius annotat lib. 21. cap. 16. Atque in hac quidem ſignificatione *præpilata miſſilia* accipienda eſſe videntur.

IN LIBRVM XXVII. QVI ALIIS SEPTIMVS DECADIS III. DICITVR, ANNOTATIONES.

Galeria tribus nomen.

CAp. vi. *Galeria iuniorum.*] *Galeria* hîc nomen trib. eſt, ex qua erat ea iuniorum cẽturia, quæ fuit prærogatiua, vt annotat Grucchius lib. de comitiis Rom. & li. 2. Meminit eius & Plin. lib. 7. cap. 49. Vide ea quæ ſupra de *Galeria tribu* annotata ſunt de tribubus Romanis.

Maximus curio.

Eod. *Maximus curio.*] *Curiones* erant qui curiis præſidebant à Romulo inſtituti, curiarumq; ſuffragiis creati, de quibus lib. 2. in Numa Dionyſius. His qui præſidebat *curio maximus* dictus cuius auctoritate (vt inquit Feſtus) ceteri curiones regebantur. Hi curiatis comitiis ſemper creatus eſt.

Aurũ viceſimarium.

Cap. xii. *Aurum viceſimarium.*] Id optimum fuiſſe ex hoc Liuij loco apparet. Hodie autem aurifices aurum vaſclarium & vſuale fere *vicenarium* dicunt, vt Budæus annotauit li. 3. de aſſe. Vaſa enim raro ex auro puro & molliſſimo fiunt, ideo quod illud aurum vſuram non fert, atque attrectationem ſine magno intertrimento.

Ærarium ſanctius.

Eod. *Sanctiore ærario.*] *Sanctius ærarium* in intima parte ærarij. Erat autem *ærarium* in arce muniſſima Capitolij in æde Saturni conſtitutum. Vbi non tantum pecuniæ publicæ, ſed etiam leges & ſenatuſconſulta, & acta omnia diligentiſſime ſeruabantur. Ædem enim Saturni potiſſimum ad hæc officia delegerant quoniam Saturni tempore nullam in hominibus, neque auaritiam, neque improbitatem fuiſſe memoriæ prodium eſt, vt Maioragius capit. 11. de ſenatu Romano tradit. Ceterum diligentius veterum annalium verba conſi-

Ærariatria

deranti, tria *æraria* fuiſſe patebit. *Vnum* in quo ciuium tributa, ac ſociorum vectigalia & præda imperatorum aſſeruabatur, quo ſumptus bellorum ordinatij ſuſtinebantur. *Alterum* ſanctius, de quo hic Liuius. Id quod à Pompeio apertum tradit Cicero lib.7. Epiſt.ad Attic. *Tertium* fuit, in quo pecunia Gallici belli cauſa ſeruabatur, quam Gallico bello collatam refert Apian. lib. 2. cum execrationibus eam motum non iri, niſi bellum Gallicum impenderet, ex hoc pecuniam Cæſarem abſtuliſſe, idem Appianus teſtatur, quod diceret, nihil eſſe quod amplius de Gallis metueretur, quos ipſe funditus ſuſtuliſſet. Dion vero & Plutarchus ærarium in vniuerſum ab eo expilatum ſcribunt. Sigonius de antiquo iure ciuium Romanorum, lib. 1 cap.16.

Ludi Apollinates.

Cap.XII. *Ludos Apollinis ſicuti hic annis voti.*] Ex vaticinio Martij vatis, carmineque Sibyllino, cum repentino hoſtis aduentu, plebs ad arma concitata, hoſti occurreret, & nubes ſagittarum in aduerſos viſa feriret. hoſtes fugarit. Vnde Macrob. exiſtimat victoriæ, non peſtilentiæ cauſa ludos inſtitutos. Hi vero prius incerto tempore celebrati fuerunt, poſt à Licinio Vattone prætore lege lata, IIII. Nonas Quintilis celebrari, boue aurato, capris duabus albis auratis, Seruius in VI. Æneid. Feſtus hos ludos laureatum populum ſpectaſſe ſcribit, ſtipe data pro cuiuſque copia.

Crepido.

Cap.XX. *Altera crepido.*] *Crepido* proprie eſt prærupti ſaxi altitudo & moles. Virg.

Forte ratis celſi coniuncta crepidine ſaxi,
Expoſitis ſtabat ſcalis.

Superciliũ.

Eod. *Infimo ſtatem ſupercilio.*] *Supercilium* hic vocatur elatior pars collis, quod emineat. Sic Virgilius 1. Georgicorum:

Ecce ſupercilio cliuoſi tramitis vndam. Victorius libr.22. cap.14. var. lect.

Cap.XXII *Serum poſt malerem.*] Prouerbiale hoc eſt: de cuius origine Eraſmus in prouerb. *Poſt bellum auxilium*: Simile huic eſt: *Machinas, poſt bellum adferre.*

Cap.XXIII. *Negabant iure.*] Nam pro dignitate magiſtratuum inter cæteros illa lex fuit, ne is, cuius pater in poteſtate hoſtium eſſet, magiſtratum caperet. Videlicet hoc iudicarunt ſapientiſſimi viri, hominis non liberi filium Rempub. adminiſtrare nimis indecorum eſſe, vt annotat Manutius de legibus Rom. Atque hinc quæſtio illa de prætura Barbarij Philippi apud Iureconſultos nata: de qua præter Vlpianus Torneb. lib.7. aduerſ. cap.7.

Litare quid?

Cap.XXV. *Hoſtia maiores ſine litatione cæſæ.*] *Litare* ſacrificiorum verbum eſt, deſumptum à Græco λιτῶν. Eſt vero *litare* rite ſacrificare & imperare. Nihil enim ſacris mancum, nihil monſtroſum conueniebat. nam ſi viſcera pallere, tetriſque maculis ſuffuſa apparuiſſent, ſi iecur tabidum, ſi pulmonum fibræ defuiſſent, non litandum veteres gẽtium ſacerdotes exiſtimarunt. Hinc Martialis:

Non quacunq; cadit hoſtia cæſa, litat.

Marcelli conſulis mors.

Cap.XXIX. *Transfixum lancea.*] *Lancea* quam Græci λόγχην vocant. De huius morte lege Oroſium lib.4.c. 18. Eutrop. lib.3. ca.2. & Plutarchum in eius vita. Qua autem fraude Hannibal clariſſimum ducem vicerit, præter Liuium exponit Plutarch. in Marcello. Frontinus lib.2. c.2. Stratagem. Val. Max. lib.1. c.6. meminit Plinius lib.11. cap.37.

Marcelli conſulis ſepulu aut.

Cap.XXX. *Corpus ſepelit.*] Hannibal vbi Marcellum cecidiſſe ſenſit, corpus ſplendide & magnifice ornatum cremauit: deinde reliquiis argẽtea in vrna conditis coronam imponens auream, filio miſit, quæ dum ferrentur interuenere Numidę, portanteſque adorti ſunt: & hinc inde tumultuantes ſparſerunt. De qua re plura apud Plutarch. & Valerium libr.5. cap.1. Vnde & auctor de viris illuſtribus in eius vita: *Inſidiis Hannibalis deceptus occubuit, & magnifice ſepultus, oſſa Romam remiſſa, à prædonibus intercepta, perierunt.*

Eod. *Latine omnes loquentes excitant vigiles.*] Hic locus ſatis oſtendit populum Romanum ſemper Latine locutum fuiſſe, & vnicam eius linguam, qua patricij, equites, plebeij, ruſtici, militeſque & alij omnes loquerentur. De qua re vide diſſertationem Franciſci Floridi Sabini lib.2. ſucciſ. lect. cap.1.

Nemea.

Cap.XXXIII. *Solenni Nemeorum.*] Sunt autem *ludi Nemei à Nemea* ſylua in Achemori honorẽ inſtituti, tametſi à Molorcho, qui Herculem ſuſcepit, cuius filius à leone interremptus fuerat, eo enecato primum inſtitutos dicant, in quibus maiorum imagines, ſicut in funebri pompa, longo ordine repræſentare, atque equorum curſu, ſimul diſco, ceſtu & palæſtra dimicare, victoreſque apio coronare ſolebant. Lege Alexandrum ab Alex. libr.5. cap.8. Blondum lib. 2. Cœlium Rhodiginum lib.13. cap.17.

Olympia ludicrum.

Cap.XXXVII. *Olympia ludicrum.*] Quatuor in Græcia certamina fuerunt, *agonas* appellãt, *Nemea, Pythia, Iſthmia, Olympia*, quæ & qualia fuerint, tradit Lactantius Placidus in princip.9. Thebaidos apud Statium: De Olympicorũ autem inſtitutione & ſucceſſu docte Cœlius Rhodiginus cap.38. lib.7. antiq. lect.

Simultas inter reip. adminiſtratores aliena eſſe debet.

Eod. *Poſitis ſimultatib.*] *Simultatem* inter Reipub. adminiſtratores alienam eſſe debere, hoc exemplo docemur. Quemadmodum enim concordia paruæ res creſcunt, ita quoq; (vt veriſſime Saluſtius dixit) diſcordia maximæ dilabuntur, & tum maxime, ſi ipſi inter ſe principes parũ conſentiant. Vnde Ariſtides cognomento Iuſtus, qui feliciſſime ſemper Remp. adminiſtrauit, è concione quadam (in qua fruſtra Themiſtocli obſtiterat) diſcedens, clara voce teſtatus eſt, res Athenienſium incolumes eſſe non poſſe, niſi & ipſum Themiſtoclem in barathrum conicerent. Satius eſſe multo exiſtimans ire in carcerem, quam ob duorum ſimultatem minus recte conſuli publicis commodis, Plutarchus in vita Ariſtidis.

Marica dea.

Cap.XXXIX. *Lucum Maricæ.*] *Marica* dea Minturnenſium Auguſtinus lib.2. de ciuitate Dei cap.23. Meminit eius Plutarchus in Mario. Seruius in 7. Æneidos, *Maricam* dicit deam littoris Minturnenſium iuxta Lirim fluuium. Sunt alij, qui per *Maricam* Venerem intelligant, cuius ſacellum fuit iuxta Maricam, in quo erat ſcriptum τῆς Ἀφροδίτης.

Armiluſtrũ.

Eod. *In Armiluſtro.*] *Armiluſtrum* vt Feſtus ait, feſtum erat, in quo res diuinas armati faciebant, ac dum ſacrificabant, tubis canebant. Hunc vero luſtrandi morem Seruium regem primo inſtituiſſe ferunt, & armiluſtrum nuncupaſſe. In hoc illud maxime obſeruare cõſueuiſſe accepimus, vt ij qui hoſtias ducerent, bonis & fauſtis nominibus appellati eligerentur. Ex hac enim re certa omnia proſperi vel ſiniſtri euentus veteres captabant. Alij hanc exercitus luſtrationem ita peragebant, ſuem, ouem, taurum, qui puri eſſent, tercircumacies inſtructas præcedente pompa ducebant, Martique Deo immolabant.

Eod. *Aruſpices ex Hetruria acciti.*] *Aruſpices* ex Hetruria cur acciti ſoliti, ſupra annotatum eſt, vbi vide.

Coloni quidam militiæ vacationem habuerunt.

Cap.XL. *Colonos Maritimos.*] Vel hic Liuij locus teſtimonio eſt, colonias aliquor militiæ vacationem habuiſſe. Sic & bello Antiochino, cum eædem maritimæ coloniæ, Liuio teſte, in claſſem cogerentur, Tribunos plebis appellarunt, à quibus ad Senatum reiectis, Senatus decreuit, vacationem rei naualis non eſſe. De qua re Sigonius lib.2. cap.3. de antiquo iure Italiæ.

Senæ.

Cap.XLVIII. *Senam oppidum.*] Inclytam Thuſciæ ciuitatem, quam Brennum Gallorum ducem, pro *ſenibus*, valetudinariiſque & armentis extruxiſſe anno ante Chriſtum natum 362. quidam ferunt. Polybius autem Senones pulſos à Romanis aliam coloniam eius nomine Senæ, quam apud Adriaticum reliquerunt, condidiſſe prodidit, vide Plinium lib.3. ca.5. Volaterranum lib.·. cap.2. Geographiæ.

Cap.XLIX. *Metaurum flumẽ.*] Scilicet Vmbriæ, de quo Strabo lib.6. Plinius lib.13. cap.3. & lib.3. c. 5. Pomponius Mela lib.2. cap.4. Volat. lib.6. cap.7.

Scalprum.

Cap.LI. *Fabrile ſcalprũ.*] *ſcalpro, malleo, et veru* Roma-

Digitized by Google

nos olim in Elephantis perimendis vſos fuiſſe, annotat Robortellus libro 2. Emendat. cap. 53. *Scalpram* autem inſtrumentum notius eſt, quam vt iudicari debeat.

Eod. *Qninquagiata ſex milia*] Oroſius numerum amplificans, *ſexagimatria millia* occiſa, capta *quinquemillia quadringentos* refert.

Cap. LIII. *Caput Haſdrubalis.*] Vide hac de re quoque Frontinum lib. 2. ca. 9. Silium Italicum lib. 15. qui hanc hiſtoriam graphice depingit.

IN LIBRVM XXVIII. QVI ALIIS OCTAVVS DECADIS III. DICITVR, ANNOTAT.

Lupi quid CAp. III. *Ludi ſuperne iaiecti.*] *Lupos* ferrulas manubriatas agreſtium vſibus accommodas interpretatur Cœlius libr. 21. cap. 24. lect. antiq. Torneb. lib. 11. cap. 28. aduerſ. *Lupas* (inquit) *ferreum eſt inſtramentum, vncum, ſimile dentiam lupinorum.* Et ita potius hic intelligendum, quam iuxta Cœlij interpretationem crediderim licet & Torneb. loco prçallegato *lupi* nominatione *ferrulam manubriatam* apud Palladium intelligi poſſe confiteatur.

Dolabra. Eod. *Dolabriſq. ae cadebantur.*] *Dolabra* ruſticũ inſtrumentum, quo in oblaqueationibus vtuntur ruſtici, atque item glebis diſſipandis inter arandum. Sed & dolabris ſubruta Saguntinorum mœnia ſcribit T. Liuius vide Cœliom libro decimo nono, capite ſecundo aotiq. lect.

Cap. V. *Pelta cetra haud diſſimilis.*] *Pelta* Amazonum propriè fuit, quã Xenophon ſcribit hederæ folio fuiſſe conſimilem, Virg.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Edictum præmittere Cap. IX. *Præmiſſo edicto.*] Conſuetum erat vt fuſis hoſtium copiis, rediens in vrbem imperator, edictor præmitteret, vt Senatus conueniret. Siquidem Imperator qui ex bello rediret, nemini eorum, qui in vrbe adeſſent, imperio & poteſtate cederet. Nam minoribus à magiſtratu vrbano Senatus dabatur. Id vero fiebat vel ad ædem Bellonæ, vel Apollinis, quam extra portam Carmentalẽ fuiſſe Prædianus refert in orationis in toga candida commentario. Nam rerum audiendarum cauſa Senatum extra vrbem haberi ideo cuſtoditum eſt, quod vt Appianus libr. 11. & Plutar. in Cæſare ſcribunt, lege cautum eſſet, ne quis vrbem ingreſſus iterum triumphãs iniret. Zamoſcius lib. 2. de ſenatu Rom.

Claudij. Neronis moderatio. Eod. *C. Claudius eqao.*] Elegantiſſimum animi moderationis in Nerone exemplum, vt qui licet Liuij Salinatoris in Haſdrubale opprimendo particeps gloriæ fuerit, tamen triumphantem equo ſequi, quam triumpho (quem Senatus ei æquè decreuerat) vti maluerit. Vide Val. Max. libr. 4. cap. 1. Vide de *oaatione* Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 17.

Principia quæ. Cap. XXV. *Iura reddere in principiis.*] Acieiad pugnam inſtruendæ hic ferè ordo erat: In prima acie *leuis armatura*, id eſt, *velites* ſiue *rorary*, ſiue *ferentarij*, item *funditores* & *ſagittary* erant, hi leuibus certaminibus pugnam inchoabant in ſecunda acie *principia* ſiue *principes* locabantur, ſic dicti quod à principio gladiis pugnabant, vt ait Varro. In tertia acie *ſabſidia* ſtatuebantur, qui milites *ſabſidia* dicebantur, quia ſubſidiũ ferebant principiis feſſis & fatigatis. Sed hic ordo pro loco & tempore mutabatur, vel ex toto vel ex parte.

Poena ſuos. Cap. XXVI. *Vnde orta culpa eſſet, cõſiſteret pœna.*] Sic Imperatores Arcadius & Honorius benigniſſime Entyrhiano præfecto pretorio reſcripſerunt, peccata ſuos teneant auctores, nec vlterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum, ſingulis hoc iudicibus intimari præcipientes. L. Sancimus. C. De pœnis. Et inde ſumpti ſunt verſiculi vſitati: *Auctores tenere debet.*

Auctores proprios ſua crimina iure tenebant,
Nullas plectatur niſi qui peccator habetur.

Gloſſa c. quæ ſunt: De his quæ fiunt à maiore parte capit.

Vulgus Euripus. Cap. XXVII. *Sicat natura maris.*] Sic Cicero pro Plancio, *Quod fretam, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, cõmutationes, fluctus, quantas perturbationes & quantos æſtus habet ratio comitiorum?* Vide Eraſmum in prouerbio: *Euripus homo.* Vide etiam de *Euripo* notata infra lib. 45.

Scelus nullam rationem habet. Cap. XXVIII. *Scelus nullam rationem habet.*] Sic Quintilianus lib. 5. de coniectura loquens, *Præterea*, inquit, *cur potiſſimum illo loco, illo modo aggreſſus ſit. Qui et ipſe diligentiſſime tractatur pro eodem locus, an etiam ſi nulla ratione ductus eſt, impetu raptus ſit, & abſque ſententia. Nam vulgo dicitur, Scelera non habere conſilium.*

Lautia. Cap. XXXIX. *Locus inde lau iaque.*] Quæ legatis hoſpitij gratia dabantur, *lautia* dicebantur, auctore Feſto. Sic infra lib. 42. *Quæſitum ecquid non ita adiſſent magiſtratũ, vt ex inſtituto loca lautia acciperent.*

Rem actam agere. Cap. XL. *Rem actam hodierno die agi.*] A iudiciorum cõſuetudine ſumptum, qua fas non erat, iterũ agere cauſam de qua iam pronunciatum eſſet Plautus, *actem rem agis.* id eſt, *incaſſum laboras.*

Ludus iocuſque. Cap. XLII. *Ludus et iocus Hiſpania tua.*] *Ludum iocumq;* intellexit rem abiectã ac parui precij, quæ merito contemni ludibrique haberi poſſit. phraſis Latinis auctoribus vſitata, ſicuti Græcis ὕθλος καὶ φλυαρία. De quo loquendi modo Petrus, Victorius libr. 6. Variar. lectio. cap. 19.

Maieſtas imperij. Eod. *Fortunam publicam et maieſtatem Imperij.*] *Maieſtas imperij* varijs modis minuitur, vt Zaſius in Catalogo de lege Iulia maieſtatis eruditè explicat. Inter ceteros vero, & hoc modo minuebatur, ſi quis imperio atque poteſtate præditus, exercitum extra ſuam prouinciam iniuſſu populi abduxiſſet, auctore Cicerone in Piſonem. *Maieſtatem* autem Victorinus, Ciceronis interpres, *amplitudinem & magnificentiam* eſſe ait, in qua vis totius ciuitatis conſiſtit.

Rutrum. Cap. XLV. *Rutra, falſes.*] *Rutris* ruimus & iacimus, à *ruendo* nomẽ habent. Nonius à *radendo* putat, vide Tornebum lib. 8. aduerſ. c. 6. Cœlius vero Rhodiginus lib. 7. ca. 30. *Rutra*, inquit, *alueoli, mola bellica ſunt claſſium inſtrumenta Liuio.* *Alueoli. Molæ.*

IN LIBRVM XXIX. QVI AB ALIIS DECADIS III. LIBER IX. DICITVR, OBSERVAT.

Vicarij qui? CAp. I. *Vicariũ tibi expediam.*] Id eſt, qui pro te ſeruiat. Sic Vlpianus ff de peculio, *vicarios ſeruos* eos intelligit qui ordinariis ſeruiunt. *Si ſeruus* (inquit) *ordinarius vicarios habeat, id quod vicarij mihi debent, an deducam?* Lactantius Grammaticus explicans illud Papinij, *ſuccidnaſque apportat matrib. agnas Succiduas*, inquit, *pro vicarias*, vt annotat Cœlius lib. 25. cap. 23. *Vicarij* etiam interdum ſunt, qui in vicem aliorum, exitio peſtique deuouentur, vt in eorum caput expetant ea mala, quæ aliis erant euentura, vt in carmine deuotionis. De quo Torneb. lib. 18. aduerſ. cap. 4.

Hexeris. Cap. IX. *Locros hexeri aduectus.*] *Hexerim* intelligit ſex ordinum nauem, eſtque eius crebra mentio apud hunc eundem, vt infra lib. 37. Vide Bayfium de re nauali.

Vir optimus. Cap. XIV. *Virum optimum.*] Plato lib. de leg. 2. eum *virum bonum* appellandum exiſtimat, qui omnia quæcunque bona dicuntur, poſſideat atq; diſponat. Quem copioſius deſcribit Cicero lib. 3. offic. Platinam in Dialogo de vera hominis nobilitate. Ceterum de hac hiſtoria Plutarc. in vita Scipionis Africani: Solinus c. 7. Plinius lib. 7. cap. 34. Valer. Max. lib. 8. c 16. Florus lib. 29. Epitom. Blondus lib. 1. Romæ triumph. Sabel. lib. 5.

Digitized by Google

Ennead.5.Rapſod.Alex.ab Alex.libr.2.c.10.Ouid.lib. 5.Faſt.Silius Italicus lib.7.

Scipio Naſica Corculum dictus.

Eod. *Nondum quæſtorum.*] Fuit vera eloquentia primus, iuris ſcientia conſultiſſimus, ingenio ſapientiſſimus Eum *Corculum* ob morum excellentiam dictum, Cicero teſtatur in Bruto, & in Tuſculanis quæſtionibus bis, item Alex.ab Alex.lib.1.cap.9.

Megaleſia.

Eod. *Megaleſia appellata.*] Hi ludi magnæ matrinonis Aprilibus agebantur, Ouid. Varro ait, quod ipſa acceſita ex libris Sibyllinis ab Attalo rege Pergami prope murum *Megaleſon*, in templum eius deæ, vnde Romam aduecta. De his præter alios Cœlius lib.8.cap.7.

Argi.

Cap. XVIII. *Argos.*] Florentiſſimam Achaiæ ciuitatem, non longe ab Athenis ſitam, quam olim *Hippium* cognominauerunt, quod nobilibus equis abundaret, Vide de hac vrbe Strabonem lib.8. Plinium lib.3.c.11. Meliam lib.1.cap 4. & Stephanum de vrbibus, qui decem huius nominis ciuitates deſcribit, quas ex eo recitat Volat.lib.8.cap.8. Geographiæ.

Pyrrhi obitus.

Eod. *Occubuit.*] Ictu regulæ proſtratus ab anicula Argiui cuiuſdam matre, vt a periculo liberaret filiũ, quo cum congrediebatur Pyrrhus, de huius morte vide Oroſium, Eutropium, Plutarchum, Iuſtinum, libr.25. in fine, Strabonem lib.8.

Cauſam dicere ex vinculis.

Cap. XIX. *Ex vinculis cauſam dicere.*] Id eſt, interim dũ quæſtio criminis peragitur, in carcere eſſe *Cauſam* enim *dicere* interdum eſt reum eſſe, & criminis alicuius publici poſtulatum, Budæus in poſt. annot.

Pallium.

Eod. *Pallio crepidiſque.*] *Pallium* ſiquidem Græcorum fuit, vnde minime Romano imperatori conueniens, ſic & Cicero pro Rabirio: *Conſularis homo ſoccos habuit & pallium.* Ad huius autẽ loci intellectũ faciunt ea quæ extant apud Gellium li.13.c.20. vbi Caſtritius Rhetor de veſtitu mutato grauiſſime ſuos diſcipulos increpat.

Eod. *Libellis etiam.*] Non *libellos ſupplices* intelligit, de quibus Martialis in illo hendecaſyllabo. *Idem ſupplicibus vacat libellis*, vel *epiſtolam*: aliudve quid, quod ſubſignificatione huius vocis polyſemæ continetur: ſed minutorum librorum qui venderentur inſpectionem, qui Græcis γραμμάτια καὶ βιβλία dicuntur. A quib. Statius in Syluis *Libellionem* vocauit minutorum libellorum venditorem, qui & *librariolus* dici poteſt. Tales autem non in taberna, aut pila ſed in capſa totam ſuorum libellorũ ſupellectilem circumgeſtaſſe annotat Torneb.lib.aduerſar.20.cap.32. Apud Siculos vero huiuſmodi genus hominum contemptum fuiſſe, indicio eſt Hermodotus, neſcio quis, qui ab ipſis irriſus eſt quod Platonis libros ſolitus eſſet eis venditare, quaſi pro mercibus verba importaret.

Piaculare ſacrum. Piacularis porta.

Cap. XXI. *Piaculare ſacrum.*] Id eſt, quo tantum ſcelus Pleminij expietur, hinc & *Piacularis* Romæ *porta* appellata fuit, propter piacula quæ ibi fiebant, vel vt Cloacius ait, quod ibi piaculum ſolueretur piandi vel propiciandi cauſa. Lege Feſtum, à quo & illud proditum eſt.

Piatrix.

Piatrix dicebatur ſacerdos, quæ expiare erat ſolita, quam alij vocabant, *ſimulatricem*, alij *ſagam*, alij *expiatricem*.

Piacularia auſpicia.

Ceterum, vt & illud obiter adiiciamus, *piacularia auſpicia* Romani appellarunt, quæ ſacrificantibus triſtia portenderent, vt ſi hoſtia ab ara profugiſſet aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam partem corporis, quam oportet, decidiſſet, Turneb.libr. 6. aduerſ.cap.21.

Prætoria nauis.

Cap. XXV. *In prætoria naue.*] *Prætoriam nauem* Græci ναυαρχίδα Galli vulgo *Capitaneam*. Diodorus aliquando στρατηγίδα vocat, annotente Bayſio in lib. de re nauali.

Ambitioſa quæſtio.

Cap. XXXVI. *Quæſtiones minime ambitioſe habuit.*] Id eſt ita vt gratiam ex iis aucuparetur. *Ambitio* enim pro aucupatione gratiæ & vitioſa emerendæ famæ cupiditate ponitur, vt docet Budæus in prioribus annotationibus ad Pandectas.

Sarta tecta exigere.

Cap. XXXVII. *Sarta tecta acriter.*] *Sarta tecta* exigendi cura ad cenſores ſpectabat, interdum etiam ad ædiles tam ad prætores, nec niſi cum ſenatus decreuerat, vt apparet ex prætura vrbana Ciceronis. *Sarta* vero *tecta* eo modo locari, exigique ſolebant, vt redemptores ſuo lapide, ſua calce ac ſua materia ædes ſardas tectas præberent, certo precio in ſingulos annos addicto, quod fieri ſolebat Romæ minimo licitantibus. Budæus in annotationibus prioribus ad Pandectas.

Salinarium vectigal.

Eod. *Vectigal nouum ex ſalaria annona.*] *Salinarium vectigal*, exploſis regibus ſublatum fuerat, quod primus inſtituerat Ancus Marcius Romanorum regum quartus, cuius rei meminit Plinius lib.31.cap.7. Cum itaque Liuius in cẽſura ſua hæc vectigalia reſtituiſſet, & quaſi ex ſalaria anhona nouum vectigal ſtatuiſſet, *Salinator* cognominatus eſt. Vide præter Liuium Alex.ab Alex. lib.1.cap.9. Volaterranum lib.16.vrban.com.

Equites equum vendere iuſſi.

Eod. *Equum vendere iuſſit.*] Equites vbi magiſtratus cepiſſent, equites eſſe aut vocari deſiiſſe Cicero in Cluentiana, oſtendit, hos vero retinuiſſe equum propter robur ætatis docet Valerius, cũ de iiſdem ſcribit: *Cum equitum Centurias recognoſcerent, et ipſi propter robur ætatis etiamnum eorum numero eſſent, alter alterum equum vendere iuſſit.* Sigonius eos in ſenatum iure magiſtratus non lectione cenſoria veniſſe exiſtimat, lib. 2. de antiquo iure Quirit.cap.3.

Ærarium facere.

Eod. *Ærarios reliquit.*] Hoc eſt, tributi nomine omnes tribus adeoque omnem populum Romanum æra pendere, & pecuniam multam exponere coegit præter Mæciam, quæ crimine peculatus eum abſoluerat. In quo vindictæ & vltionis exemplum notandum. *Ærarium* namque *facere*, auctore Pediano erat, nullum aliud ius ciuitatis in centuria atque adeo in tribu relinquere, quam vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet, ita vt qui ærarius factus eſſet, is non ſolum ſuffragio vrbano, ſed etiam ſtipendiis militaribus ſpoliatus eſſet. De qua re copioſe Sigonius lib. 2. de antiquo iure ciuium Romanorum cap.16. Petrus Crinitus lib. 4. ca.3. de honeſta diſciplina. Budæus in annotationibus prioribus ad Pandectas. Inter ærarios relatis apud Græcos ſimiles erant, qui ἐγγεγραμμένοι ἐν ἀκροπόλει ideo dicebantur, ex more Athenienſium, quia in arcem eorum nomina relata eſſent. Vt enim Latine *in ærarios relati* dicuntur ſicilli *in arcem relati* erant, qui & ὀφλόντες dicuntur, & κατάδικοι. qui ignominia interim notati erant, quoad *iudicatum facerent*, hoc eſt, omnia ex ſententia perſoluerent.

IN LIBRVM XXX. QVI DECADIS III. LIBER X. DICITVR, ANNOTATIONES.

CAp. I. *Facundiſſimus habebatur.*] Laus P. Sempronij Tuditani, cuius tamen nulla à Cicerone in Bruto facta eſt mentio. Id quod Franciſcus Floridus Sabinus miratur lib.1. ſucciſiuarum lectionum cap. 14. vbi vide.

Magni campi.

Cap. VIII. *Magnos (ita vocant) campos.*] Sic & Polybius vocat μεγάλα πεδία. Putat autem Victorius Liuium Polybiumque intellexiſſe Latinum Poëtam Enniũ, vnde differens; de Hypallage exemplum ſumpſit Cicero in 3. libr. de oratore. *Teſtes ſunt magni campi.* Vide Victorium lib.10. var.lect.cap.2.

Eod. *Romanos poſt principes haſtatorum.*] Victorius loco præallegato legendum cenſet, *Romanos principes poſt haſtatorum prima ſigna*, &c. Primi enim in acie collocabãtur *haſtati*, poſt eos *principes*, *triariis* vero acies claudebatur.

Toga picta.

Cap. XV. *Toga picta.*] *Toga picta* triumphantium erat, vt docet Bayſius ex Liuio. Nec diffitetur prætores & conſules prætextam & togam pictam accipere ſolitos de templo Iouis vide eum latius de re veſtiaria.

Palmata tunica.

Eod. *Palmata tunica.*] *Palmatam tunicam* pro *tunica lati claui* accipiendam docet Bayſius cap. 12. de re ve-

Latus clauus.

ſtiaria. *Tunica* ſiquidem *lati claui*, ſiue *latus clauus*, antea dicebatur *tunica palmata* à latitudine clauorum, quæ nunc à genere picturæ appellatur. Verba ſunt Sexti Pompeii in vocabulo *picta*, paucis additis. *Cum vero*, ait, *quæ nunc à genere picturæ appellatur, accipe ab ipſis clauis purpureis, qui tunicis inſeruntur, appellari tunicam lati claui.* Vide latius Bayſium loco præallegato.

Adorare.

Cap. xvi. *More adorantium.*] Id eſt, *ſupplicantium*, vt vulgo interpretantur, ſed apud Gentiles permiſerunt ſe venereadorari, primum Perſæ ac Medi & Babylonij, deinde eum diabolicum honorem appetiuit. Alexander. poſtremo & Romani tyranni Hinc dione de victo Decebalo. *Mox ad Traianum deductus illum humi procumbens ſuppliciter adorauit.* Hodie Germani vocant *den Fusfall*. vt annotat Glareanus apud Eutropium.

Militaris ſuppellex.

Cap. xvii. *Qualem præberi conſuli mos eſt.*] Magiſtratus vaſis argenteis inſtrui ſolitos, & annulis aureis publice præbitis, auctor eſt Valerius Maximus, Cicero in Sexta Verrina. Aducit in Catone ſeniore Plutarchos *tabernacula, lectos, indumenta, ſeruos, amicorum multitudinem, apparatum numeroſiorem.* Cœlius libro 27. ca. 14.

Cap. xx. *Detractus.*] Flens Italiam reliquiſſe dicitur, Oroſius lib. 4. ca. 19.

Fabius Maximus nomē vnde habuerit.

Cap. xxvi. *Vel ſi nonum ab eo inciperet.*] Parens etenim eius Q. Fabius Rotilianus primus ex ea familia *Maximi* nomen obtinuit, eo quod omnem forenſem actionem, poſtea excretam coëgiſſet, rem populo adeo gratam hoc faciens, vt ei *Maximi* nomen indiderint: Quem honorem prætereà nulli, niſi Valerio, qui patres à plebe diſſidentes reconciliauit, tribuerent. De qua re Plutarchus in Fabio Maximo, Pompeio: Volaterranus libr. 16. cap. 1. vrb. com. Plutarch. tamen à corporis habitu ita cognominatū putauit. Ceterum cur *Verrucoſus, Cornicula & Cunctator* Fabius appellatus ſit, leges etiam apud Alexand. ab Alex. libr. 1. c. 9. Meminit Plinius lib. 34. c. 7.

Fabius Verrucoſus Cornicula. Fabius Cunctator.

Eod. *Cunctando reſtituiſſe.*] Et hinc Hannibal dixiſſe fertur, *ſe magis formidare Fabiū quieſcentem à pugna Marcellum fortiter pugnantem.* De cunctatione autem Fabij præter Liuium, leges Florum lib. 2. capite 6. Plutarch. in Fabio Max. Valerium Max. libr. 7. cap. 3. Plinium lib. 22. cap. 5. Oroſium libr. 4. cap. 15. Eutropium libr. 3. capit. 2. Frontinum libro 2. capit. 5. & libro 1. capit. 3. Sabellicum lib. 1. cap. 7. libr. 7. cap. 3. Ennium apud Ciceronem in libello de ſenectute. Silium Italicum libro 6. & libr. 7. Ouid. lib. 2. Faſtorum, Vide etiam Eraſ. in prouerb. *Romanus ſedendo vincit.*

Manu conſertum.

Cap. xxxi. *Prope manu conſerta reſtitentem.*] Bodæus in prioribus annotationibus melius legi exiſtimat, *cum prope manu conſertum.* Quorum verborum huiuſmodi eſt ſenſus: *non ante tu Hannibal ad pacem quam nūc petis adduci potuiſti, quā ego te ex Italia reuocatū, de patria tua in Africa dimicare coegi, & quaſi te in Africa manu conſertū vocaui, quam ſcilicet ita nunc mihi Romaniſq; vindico, vt tu dudum Italiā tibi et populo Carthagínienſi vindicabas.* Quid autem ſit *manu conſertum*, Gellius lib. 9. docet.

Cap. .... *Congruens clamor à Romanis.*] Sic & Homerus Iliados 4. perſtitiſſe Græcos modeſtia Troianis canit, cuius ſignum vult eſſe ſilentium, quo, cum in certamen prodirent, vterentur, cum contra magnus diſſonuſque clamor in exercitu Troianorum eſſet. Quod teſtimonium Homeri cum à Polybio libro 15. excerptorum in deſcriptione huius rei citetur, doctiſſimus vir Petrus Victorius lib. 10. cap. 4. Variarum lectionum exiſtimat, ad hiſtoriam potius Polybij quam fontem ipſum Liuium reſpexiſſe. Sæpius enim quam videri velit, Polybium ſequitur.

Receptui canere.

Cap. xxxiv. *Receptui canere.*] Id eſt, *in locum tutiorem redire.* Milites ſiquidē cum caſtra tenuerint, priuſquam exirent in aciem, cum ſigno dato in eadem redeunt, *ſeſe recipere* dicuntur. Inde *canere receptui*, eſt turbarum, lituorum, aut cornuum ſeu tibiarum cantu ſignificare militibus, vt à pugna in caſtra aut mœnea redeant.

Cap. xlii. *Raro bonum fortunam.*] Hanc ſententiam à Demoſthene mutuatā eſſe annotat Petrus Victorius libr. 15. cap. 3. vbi hoc videre eſt.

Eod. *Ex inſolentia.*] Vt priorem ſententiam à Demoſthene, ſi hanc à Thucydide acceptam, tradit Victorius loco præallegato.

Cap. xlv. *Polybius haud quaquam.*] Locus vbi hoc tradidit, legitur adhuc in excerptis xvi. libri prout id annotat Victorius lib. 21. cap. 1. variar. lect.

IN LIBRVM XXXI. HISTORIARVM T. LIVII, QVI DECADIS IIII. LIBER I. DE BELLO MACEDON. VVLGO INSCRIBITVR, ANNOTATIONES.

Aſſes vectigales.

CAp. xiii. *Aſſes vectigales.*] *Aſſes vectigales* Liuius appellat, qui in iugera impoſiti ſunt, teſtandi cauſa publicum agrum eſſe, Cœlius lib. 10. ca. 1. lectionem antiquarum.

Trientius ager.

Eod. *Trientius, tabulinſq; ager.*] *Trientius* ager dictus, quia pro tertia pecuniæ parte datus erat: Ex *tabulis* autem *tabulius*, annotante Cœlio libro 11. capit. 21. lect. antiq.

Cynoſarges.

Cap. xxiiii. *Cynoſarges.*] *Cynoſarges* qui locus fuerit, præter alios luculenter explicat Eraſmus in prouerbio *ad Cynoſarges*. Nonnulla quoq; de eo annotat Budæus in prioribus ad Pandectas & Gyraldus in hiſtoria Deorum.

Pagi.

Cap. xxx. *Pagatim inhabitantes.*] *Pagi* apud Cæſarem ſunt regiones vniuerſæ & populi alicuius partes, de quo latius vide Turnebum libro 9. cap. 7. & libro 3. cap. 3 aduerſ.

Celeritas inimica conſilijs.

Cap. xxxii. *Quam celeritatem.*] Præceps enim conſilium inauſpicatum eſſe ſolere, & vulgato ſermone dicitur, & eleganter admonuit Sophocles apud Plutar. in libello de garrulitate.

Οὐ γάρ τι βουλῆς ταυτὸ καὶ δρόμου τέλος.

Vide Eraſmum in prouerbio: *In nocte conſilium.*

Tendere in re militari quid.

Cap. xxxiv. *Tendentium ordine.*] *Tendere*, in re militari, tentoria figere, ſeu papiliones erigere ſignificat, Vergilius libro primo.

Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles.

Cap. xxxviii. *Sedentem Romanum debellaturum.*] Alludit ad prouerbium, *Romanus ſedendo vincit*. quod competit in eos, qui tranquilli atque otioſi, tamen quæ volunt, efficiunt, aut qui nō viribus, ſed arte rem gerunt. Eraſmus ex hiſtoria Fabij Cunctatoris natum arbitratur, qui Hannibalem iuueniliter exultantem ſua patientia fregit.

Rhōphea.

Cap. xxxix. *Rhomphea.*] *Rhompea* framea ſeu teli longioris genus, Flaccus lib. 6. Argonaut.

Æquaque (inquit) *nec ferro breuior, nec rhompheа ligno.*

Piſiſtratidæ.

Cap. xliv. *Piſiſtratidas.*] Id eſt, Piſiſtratum eiuſque filios, hi etenim ad 34. annos tyrannidem Athenis tenuerunt, de qua vide Ariſtot. libr. 5. cap. 5. Politicorum, Plutarchum in Solone, Iuſtinum lib. 2. Cicero in epiſtolis ad Atticum, clementem tyrannum Piſiſtratum vocat: vt & Probus in vita Miltiadis eum tyrannum, ſed iuſtum appellatum fuiſſe, ſcriptum reliquit.

Athenienſium maledicentia.

Eod. *Athenienſes literis verbiſq;.*] Reſpexiſſe videtur ad locum Demoſthenis, qui Athenienſes excitans ad ea, quæ plebiſcitis complexi eſſent, peragenda adiunxit: ἵνα μὴ μόνον ἐν τοῖς ψηφίσμασι καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις. Prout annotauit Victorius. Nonnulla quoq; ad loci huius illuſtrationē facientia annotat Eraſm⁹ in prouerbio: *Canes timidi vehemētius latrāt.*

& in pꝛouerbio, *lingua bellare.* Vera autem fortitudo neque maledica neque minax eſt, id quod innuit Homerus lib 5. Iliados.

Τὸν δ' οὔτι προσέειπε κορυθαίολος Ἕκτωρ,
Ἀλλὰ περίδεισε λαλουμένος.

Cap. XLVIII. *Traiecturumque incendium.*] Hoc ſimile de periculo ardentis vicinæ domus frequens fuiſſe & apud Latinos & Græcos ſcriptores, docet Victorius libro decimo ſexto, variarum lectionum, capite 13.

IN LIBRVM II. DECADOS QVARTÆ, QVI ALIAS EST LIBER XXXII. OBSERVAT.

Decoquere quid. CAp. II. *Pars quarta decocta erat.*] *Decocta*, id eſt, diminuta. *Decoquere.* enim paulatim diminuere ſignificat, & coquendo abſumere, vt annotat Budæus in prioribus ad Pandect.

Intertrimentum. Eod. *Intertrimentum ſuppleuerunt.*] *Intertrimentum* pro ea nimirum argenti parte accepit, quæ in excoctione deperit, Budæus vbi ſupra.

Alipheræ. Cap. V. *Alipheram contendentibus.*] *Aliphera* vrbs fuit Arcadiæ, quæ, vt Polyb. tradit, in ſummitate collis arcem, & æneam Mineruæ ſtatuam longe à ceteris ſpecie ac magnitudine differentem habuit, quæ à quo, aut cuius ſumptibus quove tempore erecta fuerit, etiam apud eios loci incolas in dubio fuit. Hinc Minerua *Aliphereæ* vocata eſt, vt Stephanus & Polyb. tradont.

Trabeati. Cap. VI. *Trabeatis ad hoſtem.*] *Trabeati* à *trabeatis* veſtibus dicontur, quæ tanquam quaſdam diſcolores habent pannorum trabes. Ceterum trabeatarum tria ſunt genera, vt ſcribit Suetonius, vnum quod Diis ſacratur, & eſt totum purpureum: alterum quod eſt regum, quod etiam purpureum eſt, ſed albo infectum: tertium eſt augurale, purpura & cocco mixtis infectũ. Bayfius lib. 1. de re veſtiaria c 10.

Purificationis ritus. Cap. XVII. *Purgato loco.*] Quis purgandi ritus fuerit, explicat Cælius lib. II. c. 22. quem vide.

Iuno Acrea. Cap. XXIII. *Iunonis quam vocant Acream.*] *Iunonis Acreæ* meminit in 8. Strabo, Pauſanias in 2. Euripides quoque in fabula Medea inducit, filios cæſos ad ędem *Iunonis Acreæ* deferre. Meminit itidem eius Tertullianus in libro ad vxorem.

Cap. XXI. *Satis exemplorum.*] *Feliciter is ſapit qui alieno periculo ſapit*, inquit Plautus in Mercatore. In eandem ſententiam Tibullus elegiarum lib. 3.

----felix quicunque dolore
Alterius diſces poſſe cauere tuo. Et eiuſdem ſententię eſt illud Græcum: *ἐξ ἄλλων πάθεων τὸ μὲν καλὸν ἄλλος ἔχει τι.*

Occaſio nõ temere dimittenda. Eod *Nec ſæpe nec diu eadem.*] Reſpexit ad ſimulacrũ Occaſionis quũ antiquitas ſic fingebat: Volubili rotæ pennatis inſiſtentem pedibus, vertigine quam citatiſſima ſemet in orbem circumagentem, priore capitis parte capillis hirſutam, poſteriore glabram, vt illa facile prehendi queat, hac nequaquam, vnde dictum eſt, *occaſionem arripere.* Ad quod erudite & eleganter alluſit is qui verſiculum hunc conſcripſit: *Fronte capillata eſt, poſt hæc occaſio calua.*

Latomiæ. Cap. XXVI. *Triumuiri carceris Latomiarum rationem.*] *Latomiæ* propriè loca ſunt, in quibus lapides ad aliquod opus exciduntur, vt conſtat ex Plauto in Captiuis. Quia vero in iis locis poſtquam vis magna lapidum exciſa fuerat, carceres conſtituebantur, ideo interdum pro carceribus accipitur. Earum quoque mentionem facit Liuius lib. 37. Seneca declamationum libro 9. & controuerſiarum lib. 34. Tales etiam fuere Latomiæ Syracuſanæ toto orbe celebres, quas Cicero deſcribit actione in Verrem 7.

Porcius vnde. Cap. XXVII. *Porcius Cato.*] Cognomen hoc indicat, ſatis obſcuris parentibus vt qui porcos paſceret, natum eſſe virum clariſſimum, de cuius genere & familia, Gellius quoque lib. 13. c. 18.

Vrbibus parcẽdum. Cap. XXXIII. *Vrbibus parcere quantum poſſent.*] Transſumpta hæc ſententia videtur à Polybio, qui libr. epit. 17. inquit: *Etenim ea diſperdere, quorum gratia bellum inſtituitur, & bellum ipſum relinquere, eſſe validiſſimæ inſaniæ opus.*

Cap. XXXIV. *Caco etiam apparet.*] Hunc locum ex lib. 16. hiſtoriarum Polybij decerptum, Victorius libr. II. c. 3. variarum lectionum oſtendit. Simulque annotat Polybium non vitio dare Philippo, quod illo tempore luſerit, vt hîc facit Liuius, ſed potius laudi, quod quamuis malis oppreſſus, proprium animi bonum tum oblitus non ſit, inſulſamque vocem contumacis hominis loco riſuque confutarit.

Venus Nicephorea. Eod *Nicephorium.*] Venerem *Νικηφόρον* habuiſſe templum apud Argos, idque ab Hypermneſtra iudicio liberata, conditum, quod intenderat Danaos, quia ex præſcripto Lynceum non peremiſſet, ex Pauſania annotauit Cœlius lib. II. cap. 13. lect. antiq.

Compedes Græciæ. Cap. XXXVII. *Compedes eas Græciæ appellare.*] Diſſentit aliquantulum à Liuio, Strabo Geographiæ lib. 9. eum duas ex his tantum *πέδας* ipſum vocare conſueuiſſe affirmat, Chalcidem Eubœæ. ac Corinthum, cuius contumelioſi etiam dicti rationem affert, oſtendens reſpexiſſe illum ad earum opportunitatem, quod inde in Græciam commode incurri poſſet è Macedonia vide Petrum Victorium lib. 12. capite 19. variar. lect.

Fiducia quid. Cap. XXXVIII. *Velut fiduciariam dare.*] *Fiduciam*, inquit Boëtius in Topica Ciceronis, accipit, cuicumque aliqua res mancipatur, vt eam mancipanti remancipet, veluti ſi quis tempus dubium timens amicó potentiori fundum mancipet, vt ei, cum tempus quod ſuſpectum eſt præterierit, reddat. Hęc mancipatio *fiduciaria* nominatur, idcirco quod reſtituendi fides interponitur.

Tabulæ nouæ. Eod. *Vnam de tabulis nouis.*] *Tabulæ nouæ* dicuntur, cum pecuniæ creditæ obæratis condonantur, & nouæ mox cooriuntur tabulæ, quibus nomina continentur noua. Apud Athenienſes, ſtatuente Solone *σεισάχθεια* dicta: quam ad Ægyptiorum imitationem Diodorus inſtitutam ſcribit, apud quos inſtitutum erat, vt eorum corpora, qui ciuitatibus bellico vſu addicti forent, à creditorum violentia tuti eſſent, ne ob vſuras corpora ciuium necterentur. De quo plura Cælius lib. 12. cap. 20. lect. antiq.

IN LIBRVM XXXIII. HISTORIARVM LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIBER III, DICITVR, ANNOTAT.

Cercuri. Lembi. CAp. III. *Cercuriſque ac lembis.*] *Cercuros* inter actuaria nauigia recenſet Bayfius de re nauali, ſicut & *lembos*, auctoritate Liuij Decad. 4. lib. 4. Virg. autem primo Georgicon, *lembos* ponit inter fluuialia his verſibus:

Non aliter quam qui aduerſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia forte remiſit,
Atque illum in præceps prono rapit alueus amne.

Libera. Cap. X. *Cereri, Liberoque & Liberæ.*] Arnobius libro 5. de Cerere à Ioue deluſa in Tauri forma. *Parit*, inquit, *poſt menſem VII. lucudenti filiam corporis, quam ætas mortalium conſequens modo Liberam, modo Proſerpinam nuncupauit.* vide Ciceronem in ſexta in Verrem actione, vbi ſcribit, *raptam eſſe Liberam, quam eandem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore qui locus quod eſt in media Inſula ſitus, vmbilicus Siciliæ nominatur.*

Cap.xv. *Argentum in zonis.*] In zona viri nummos deferre ſolebant. Hinc Gracchus in oratione quam ad populum habuit: *Itaque Quirites cum Roma profectus, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.* De hoc latius Bayſius de re veſtiaria, cap.17. Cœlius libro 22.cap.19.

Acrocorinthus.

Cap.xvii. *In Acrocorintho.*] Acrocorinthus arx fuit in vrbe Corintho excelſo monti applicata, vt ſcribit Plinius, tanta altitudine, vt in vtrumque mare Ionium & Ægæum vmbras iaculetur. Plutarchus in Arato, *Acrocorinthum* mõtem excelſum in media aſſurgere Græcia refert, quem Stephanus ἀκρόπολιν, Volaterranus ἐπίπεδον nominat. Papinius lib.7. Thebaidos:

Iam pronis Gradiuus equis Epiræa premebat
Littora, qua ſummas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, & alterna geminum mare protegit vmbra.

Iſthmia.

Cap. xviii. *Iſthmiorum ſtatum ludicrum.*] Quatuor agones ſeu ludos Græcia celebrare eſt ſolita, *Olympia, Nemea, Iſthmia, Pythia.* Quorum tres priores in Peloponneſo, Pythia apud Delphos peragebantur, Olympia quidem & Nemea in honorem Iouis, Iſthmia Neptuni, Pythia Apollinis. Inter hos Iſthmij à Theſeo in honorem Neptuni inſtituti ſunt. Deinde Melicertæ (quem Palæmonem deum vocauere) ab Sipylo Æoli filio conſecrati, hiſtoriam omnem diligenter in Atticis ſcribit Pauſanias, & in Mythologiis ſuis Hyginus, Ouid.libr.6.Faſtorum. Cur autem quinto anno celebrati fuerint, Solinus cap.12. pluribus explanat, videlicet propter quinque partes, in quas diſtributa erat Peloponneſus, quarum etiam Thucidides lib.1. meminit, & eius Scholiaſtes late proſequitur. De Iſthmiis Alexand. ab Alexandro libro.5. cap.8. Blondus lib.2. Cœlius lib.13.cap.17. Lactantius lib.6.cap.20.

Eod. *Flaminius Græciæ ſaluator ita pronunciat.*] Vide copioſiſſime Plutarchum in Flaminio, Valerium Maximum lib.4.cap.8. Hinc autem, quod Flaminius Græcos liberos pronunciarit, *Græciæ ſaluator & defenſor* eſt dictus, teſte Plutarcho. Valer. autem Maximus lib. 7. capit. 2. mercatorem potius quam victorem Græciæ Flaminium dici putauit.

Cap.xix. *Lemniſcoſque iacentium.*] Sic & Plutarchus ſcribit, ſacrificanti Syllæ oblatum περὶ λοβὸν, laureæ coronæ ſpeciem λημνίσκοις δυσὶ κατηρτημένην id eſt, *lemniſcis duobus propendentibus.* Interpres vero pro lemniſcis corymbos reddere maluit. Quid autem de lemniſco ſtatuendum ſit, docet Feſtus & Cœlius lib.27. cap. 26. lectionum antiq. Turneb.lib.aduerſ.18.cap.5. ex Athenæo tradit *lemniſcum* eſſe Syracuſanum verbum, quo ſtricta anguſtaque tænia ſignificetur, hinc à Cicerone dicitur, *palma lemniſcata* pro Roſcio, & ab Auſonio ſcriptum eſt:

Et quia iam dudum tibi palma poetica floret,
Lemniſco ornata eſt, quo mea palma caret.

Cap.xxi. *Pylaicum.*] Quod *Pylis* celebraretur. *Pylæ* enim, teſte Herodoto, mons inuius erat præruptus atque præceps, prætera excelſus, cuius aditus muro munitus erat, quia vero calidæ aquæ in ipſis faucibus, primoq; aditu ſunt, *Thermopylæ* totus locus cognominatus eſt.

Thermopylæ.

Triumuiri Epulones.

Cap.xxviii. *Triumuiri Epulones.*] De his triumuiris Cic.lib.3.de Oratore ita ſcribit: *Sed vt pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem tres viros epulones eſſe voluerunt, cum eſſent ipſi à Numa, vt etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti.* Ac poſterioribus temporibus *ſeptemuiros epulones* fuiſſe, intelligi poteſt ex Gellij lib.1.c.12. Meminit etiam ſeptemuirorum epulonum Plinius lib.2.Epiſt.ad Arrianum, & Lucanus lib.1.cum canit:

Septemuirque epulis feſtus, Titiique ſodales.

Curiones qui.

Eod. *Curio Maximus.*] *Curiones* erant qui curiis præſidebant, à Romulo inſtituti, curiarumque ſuffragiis creati, de quibus li.2.in Numa Dionyſius: *Aſſumpta itaque Numa omnis diuini cultus inſtitutione, atque conſcripta eam in octo diuiſit partes, quot erãt etiam ſacrorum ordines, tradidit autem primam ſacrorum conſtitutionem triginta curionibus. His omnibus vnus præſidebat curio maximus dictus, cuius auctoritate,* vt inquit Feſtus, *ceteri curiones regebantur.*

Reſiduæ pecuniæ.

Cap.xxxii. *Omnibus reſiduis pecuniis.*] *Reſiduas pecunias* Liuius vocat eas, quas per peculatum tum primores ciuitatis ad ſuos vſus detinebant. Nam *pecuniæ reſiduæ* dicuntur, quæ delegatæ in vſum publicum, nec in eum vſum conſumptæ apud aliquem reſederunt. Hinc etiam nomen *de reſiduis* apud Iureconſultos, adeo peculatui ſimile, vt nonnunquam pro eodem accipiatur, Zaſius in catalogo legum ad l.Iuliam peculatus.

Hannibalis fuga ad Antiochum.

Cap.xxxiii. *Præparatis omnibus ante ad fugam.*] Hannibale deſperatis rebus ad Antiochum, quaſi ad ſacram anchoram confugit, à quo tam humaniter exceptus eſt, vt ſtatim publicis pariter & priuatis negotiis adhibitus ſit, Qua de re copioſe leges Plutarchum in Hannibale, Sabellicum li.6.c.6. Meminit etiam Frontinus libr. 1. cap.8. Iuuenalis Satyra 6. Iuſtinus libro 31.à principio.

Charthaginis cõditores.

Cap.xxxv. *A conditoribus Chartaginis.*] De Charthaginis Africæ conditoribus plurimum variant ſcriptorũ ſententiæ. Philiſtus (vt refert Euſebius) ſcribit, Azaro & Chartagine Tiriis circa annum mundi 3980. hoc eſt, annis fere 470. ante Romam Carthaginem fuiſſe conditam à Xoro & Charchedone Phœnicibus, annis 50. ante Ilij captiuitatem: Romani & Charthaginenſes ipſi tradunt, eam Didone è Tyro profecta fuiſſe conſtructam, annis 72. ante Romam. Virgilius, Ouidius, & Silius poetæ, eo tempore à Didone conditam, quo Æneaacapto Ilio, mox in Africam nauigauit. Vide Solinum in Polyhiſt.c.40.

IN LIBRVM XXXIIII. LIVII, QVI AB ALIIS DICITVR DECADIS IIII. LIBER IIII. DE BELLO MACEDONICO

ANNOTATIONES.

Lex Cincia de donis.

CAp.iv. *Legem Cintiam de donis & muneribus.*] Quæ ſententia legis Cinciæ fuerit Tacitus libro 13. expreſſiua commonſtrat *Patres*, inquit, *legem Cinciam flagitant, qua cauetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam, donumve accipiat.* libro autem 15. *Oratorum licentia Cinciam rogationem, candidatorum ambitu leges Iulias, magiſtratuum auaritia, Calpurnia, ſcita pepererunt.* Quidam eandem eſſe putant cum Titia, de qua Auſonius: *Iuriſconſulto cui nupſerit altera coniunx;*

Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis vnde hæc ſit diſtantia, ſemiuir ipſe
Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

M. Portius Cato Orator.

Cap.v. *Oratorem non ſolum grauem.*] Et hinc Plin. li. 7.cap.27. *Optimum Oratorem, optimum Imperatorem, & optimum quoque ſenatorem.* Sabellicus autem ex Neotericis libr.7.cap.3. *virum iuſtũ et æquitatis ſtudioſiſſimum* Catonem vocant.

Argentum factum & ſignatũ quid differant.

Cap.vi. *Auri & argenti facti, quo ne plus ſignati.*] *Argentum factum* in hiſtoriis ſæpiuſcule lectitamus, id eſſe videretur paratũ, non rude, ſed elaboratum cælatumque. Nam quæ abſoluta parataque ſunt, eruditioribus *facta* dici ſolent, ſicuti apud Martialem:

Tu factam tibi rem ſtatim putaſti: Diſtinguitur tamen a *ſignato*, quod ex Liuij hoc loco cognoſcimus, & Seneca, qui de beneficiis primo inquit, *Libentius donabo argentum factum quam ſignatum.* Vide Cœlium lib. 10. ca.2. lectionum antiq.

Purpura quibus conceſſa Romæ.

Cap.vii. *Prætextati in magiſtratibus.*] Quid prætexta fuerit ſupra lib. 1. ex Bayſio annotatum eſt. Cæterum quinque generibus hominum apud Romanos purpuram olim conceſſam fuiſſe legimus: Primo ipſis magiſtratibus, deinde pueris, tum Senatoribus, quarto Sacerdotibus in ſacrificiis peragendis, poſtremo triumphantibus, teſte Plinio, quin etiam viri clariſſimi,

Digitized by Google

rebuſque geſtis inſignes ac nobilitate, cum purpuratis veſtibus ad ſepulturam deferebantur, & ipſæ etiam veſtes cum eorum corporibus cremabantur, vt ex hoc Liuij loco apparet, & ad hanc conſuetudinem reſpexiſſe Virg. in 6. videtur, cum de Miſeno mortuo ſic ait:

Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota,
Coniiciunt.

Reprehendere. Cap. XIV. *Manu ipſe reprehenderit.*] Id eſt, *retraxerit*, Cœlius lib. 25. cap. 24. lect. antiq.

Soliferrer. Eod. *Emiſſis ſoliferreis.*] *Soliferrearum* & *phalicarum* Gellius lib. 10. ca. 25. facit mentionem. Annotator eiuſdem *ſoliferreas* genus teli interpretatur, ex ſolido ferro factum.

Sparus. Eod. *Sparo perentis.*] Spari meminit Gellius loco præallegato, interpres ibi pro *ſpatha* accipit. Laurentius Vallenſis in ſuis annotationibus ad Saluſtium de bello Catilinario. *Sparus*, inquit, *eſt genus teli quo vtuntur ruſtici ad putandas arbores, et eſt oblongum, & in extremo incuruum, in modum pedis.* Sunt qui lanceam ſine ferro putent, aut lanceas, alij ſudes, id eſt, haſtilia non ferrata, Virgilius Æneid. 10.

Agreſteſque manus armat ſparus. *Spara*, *Spara*, auctore Feſto, paruiſſimi generis ſunt iacula, à ſpargendo dicta, quod paſſim pugnando ſpargerentur.

Cap. XVII. *Ad ſe vocari iuſſit.*] Alij ſcripſiſſe eum ſingulis vno eodemq; die tradunt, vt vrbium mumimenta diruerent, bellum minitantem, niſi confeſtim obtemperarent. Et ſic vnamquamque vrbium cum ſibi ſoli hoc crederet imperatum, omnium vrbium munitiones, quæ intra Betin fuerunt, vno (vt apud Polybium legimus) die ſolo æquatas. Vide Frontinum libr. 1. cap. 1. & Volater. lib. 14. c. 2. vrb. comment.

Pluteus. Eod. *Vineis et pluteis.*] *Pluteum* turriculæ inſtar in ariete fuiſſe, ex Macrocolis Hegetoris Byzantij tradit Turneb. lib. 23. aduerſ. cap. 32.

Cap. XXVII. *Caſtellanis agreſtibus.*] *Helotas* intelligi recte exiſtimat Cælius lib. 25. cap. 19. Id enim ſequentia in Liuio teſtantur. *Helotæ* vero dicebantur Lacedæmoniorum ſerui, ducto nomine, vt ſcribit Thucydis interpres, à Laconiæ ciuitate, quam *Helos* vocant. Ceterum de Helotis lege, quæ ſcripſerũt Ariſtoteles politic. lib. 2. capit. 8. Plato Dialogo 6. De legibus Plutarchus in Lycurgo & Demetrio, Strabo lib. 6. Atheneus lib. 6. cap. 7. Suidas, & Iacobus Conſtantinus Fanenſis Collectaneorum cap. 77.

Tyrannus. Cap. XXX. *Nunc tyrannum vocari video.*] *Omnes* (inquit Probus in vita Miltiadis) *& habentur et dicuntur tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate eſt vſa.* Cui Ariſtoteles conſentire videtur, qui Politicorum lib. 3. capit. 5. in hanc de tyrannide loquitur ſententiam. *Nos tyrannidem eſſe dicimus dominatum vnius, qui ciuili præſit ſocietati.* Illud tamen addit, infra capite 10. *Tyrannos inuitis imperare.* Et libro 4. c. 10. Tyrannidem illam eſſe affirmat, quæ vi imperat, legi vlli non ſubeſt, & non eorum quibus præeſt, ſed propriam præ oculis ac ſibi propoſitam habet vtilitatem. Plato quoque *Tyrannum* principem eum eſſe cenſuit, qui in adminiſtranda repub. ſuæ non ciuium vtilitatis rationem habeat. Polybius libro 5. Tyrannum à rege diſcriminans, *quippe* inquit, *Tyranni opus eſt malefaciendo ſuis cum terrore inuitis imperare, in mutuo ſemper odio cum ſubditis verſantis: Regis vero contra benefaciendo vniuerſis cum liberalitate atque clementia ſponte ſubiectos gubernare, in mutua ſemper beneuolentia ac charitate cum ciuibus viuentis.* Apud antiquiores, Reges *tyranni* ſunt nuncupari, quãobrem Virgilius:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Et Ouidius Metamorphoſ. libro 11. Laomedontem Phrygiæ Tyrannum vocat, nomine priſcis non inuiſo, & vt quidam exiſtimant, à Syris Chaldeiſque orto. De quo vide Cœlium libr. 22. capit. 22. & Scholiaſtem Sophoclis in Oedipo Tyranno.

Laconica breuitas. Eod. *Quam pro patria ſermone.*] Vide Eraſmum in Prouerbio *Laconiſmus*.

Cap. XXXV. *Sic ad ſecreta tegenda.*] De ſecretis tegendis vide multa præclare notata per Cœlium libro 13. cap. 5. lectionum antiq.

Cap. XXXVII. *Fuerat ſine muro Sparta.*] Idque lege Lycurgi, qui præclare dixit, οὐκ εἶναι ἀτείχιστον πόλιν ἥτις ἀνδράσι καὶ οὐ πλίνθοις ἐστεφάνωται, *nequaquam ſine mœnibus ciuitatem dici, quæ viris, non lateribus præcincta ſit.* Et Ageſilaus ciues oſtendens armatos, *Hæc ſunt*, inquit, *Spartæ mœnia.* In quam ſententiam plura annotauit Cœlius li. 26. cap. 42. Sparta ſine muris.

Cap. XL. *Ludicrum Nemeorum.*] *Ludi Nemei* à *Nemea ſylua* in Archemori honorẽ conſtituti, tametſi à Molorcho, qui Herculem ſuſcepit hoſpitio, cuius filius à leone interremptus fuerat, eo enecato, primum inſtitutos dicunt, in quibus maiorum imagines ſicuti in funebri pompa, longo ordine repræſentare, atque equorum curſu, ſimul diſco, ceſtu, & palæſtra dimicare, victoreſque apio coronare ſolebant. Nemea.

Cap. XLIII. *Loca Senatoria.*] Spectabant autem Senatores ex Orcheſtra, qui locus etiam exterarum nationum legatis honoratioribus ſpectandi gratia dabatur, vt auctor eſt Tacitus. Dicta autem eſt *Orcheſtra* ἀπὸ τοῦ ὀρχέομαι, hoc eſt, *à ſaltando*, quod in eo geſticulatores, hiſtrionibus in ſcenam abditis, populum ſaltando detinerent. Orcheſtra.

Cap. XLV. *Oſcenſis quingenta.*] *Oſcenſe aurum*, ab *Oſca* ciuitate Hiſpaniæ, quam auri, quam vel *Oſcos* Italiæ populos, vel ipſam Italiam, feraciorem eſſe conſtat, dictum eſſe videtur. Eius ciuitatis meminit Plutarchus in vita Sertorij amplam eam eſſe vrbem aſſerens, & poſt eum Ptolemæus lib. 2. cap. 6. Oſcenſe aurum.

Cap. XLIX. *Polybius ſcribit.*] Hunc locum Priſcianus de figuris & nominibus numerorum citat, vt oſtendat talentum ſex millia denariorum habere. Nam cum quingeni denarij pro mille ducentis captiuis dari colligantur, ſexcẽta millia denariorum, centum ea oſtendit fuiſſe talenta Liuius. Ceterum Elias Vinetus ibidem annotat, hic legi *eſt* pro *ſit*, *quingenos* pro *quingentos*, & *ea ratione*, pro *ex ratione*.

Cap. LI. *Tetradrachmam.*] Ita legendum eſſe, & non *tetrarchiam* annotauit Budæus libr. 2. de aſſe, ex Cicerone & Polluce, libro 9. de vocabulis rerum ad Commodum Cæſarem, qui auctor *didrachmum*, *tridrachmũ*, & *tetradrachmum* olim numiſmata fuiſſe tradit, eumque nummum ab Athenienſibus bouem appellatum eſſe, ab eius pecudis nota, indeque facta ab Homero arma *Hecatõbœa*, & *Enneabœa*: Ceterum quod hîc Liuius ait *tetradachmam trium denariorum* eſſe, id quoq; emendandum cenſet Budæus, ac pro *trium* legendum eſſe *quatuor*, quod *denarij* & *drachmæ* promiſcuam appellationem habeat, fretus auctoritate Plutarchi & Plinij aliorumque ſcribentium concordia. Porro vero *tetradachmum* pro *tetradrachma* ſcribi admonet Elias Vinetus loco præallegato. Nam neutrius generis nomen eſt, τετράδραχμον quod quatuor drachmas ſignificat. Tetradrachma.

Eod. *Demetrius regis Philippi filius.*] Hunc obſidem ſuſceptum Romã miſit, quo quidem facto, ipſum commodiſſime vſum tempore & impendentibus occurriſſe periculis liquet. Vide Volaterranum lib. 28. cap. 8. Demetrius.

Cap. LII. *Fortuna Primigenia.*] Meminit huius eiuſdem & infra Liuius libr. 43. Plutarchus, *Primigeniam*, ait, *Fortunam Romani coluerunt.* & cauſam hanc affert. *An*, inquit, *Seruio ex ſerua nato Romæ ſumma cum laude & ſplendore imperare contigit, vt plerique ex Romanis exiſtimant. An illud magis quod fortuna vrbi et imperium et originem præſtitit, an altior quædam*, inquit, *ratio, et magis à natura ex media deprompta philoſophia.* Fortuna Primigenia.

Cap. LIII. *Immiſceri in cauea.*] De eodẽ inſtituto Pædianus in Cornelianã, atque adeo ipſe etiam Cicero in oratione. Vt autem tum Senatores ab equitibus & plebe: ſic poſtea equites à plebe ſecreti ſunt. Spectabant enim Senatores in cauea, qui locus ad theatri gradus ſcenæ proximus erat, inde proximi quatuorde- Cauea.

eim theatri gradus, vt commodiores ſic honeſtiores habebantur, in iis autem & in cæteris plebs eum equitibus ſpectare ſolida erat. Pòſt autem lata ex eſt, vt in iis equites vtique conſiderent, confusè tamen, Tacito auctore, cum plebe. Hăc autem legem tulit L. Roſcius Otho Tribunus plebis, vt eſt apud Dionem. alienauit autem à ſe plebem, equites ſibi adiuoxit, hac lege Roſcius. quo factum eſt, vt cum quinquennio pòſt Cicerone conſule, dum ludi ederentur, in theatrum veniret, à plebe maximo ſtrepitu, ab equitibus ingenti plauſu exceptus ſit.

Fœderum tria genera.
Cap. LVI. *Tria fœderum genera.*] De hiſce ſuperius adnotata vide.

Carthaginis origo & nomen vnde.
Cap. LXI. *Byrſam ſedem ſuam.*] Dido cum fratrem ſuū Pygmalionem, qui maritum eius Sichæum interfecerat, fugeret, collecta ingenti multitudine de Tyro, quæ pars eſt Phœniciæ regionis claſſe in Africā venit, vnde cum ab Hiarba Rege pelleretur, callidè petijt, vt ei venderet tantum terræ, quantum poſſet corium bouis tenere. Quod cum ille promiſiſſet, corium in tenuiſſimas corrigias ſectum tetēdit, occupauitq; ſtadia XXIII. quæ tria millitaria conficiunt. Atque ita vrbem condidit, quæ primo *Byrſa* appellata eſt, à corio bouis. Nam *byrſa* ſignificat *corium bouis*. Poſtea aucta *Tyros* dicta eſt, poſtremo *Carthago* vocata à *Cartha* oppido, vnde fuit Dido: Huius hiſtoriæ meminit Virgil. lib. 1. Æneid. vbi vide eum & Seruium in annotation. Byrſa Carthago.

Eod. *In repræſenti.*] *In rem præſentem* olim tum veniebant, cum locum oculo ac digito deſignare volebant, vt hodie cum aut iudex pronunciat, aut inter litigantes conuenit, agrum quem controuerſum facere volumus, aut reo deſignari, aut teſtibus per inquiſitorem demonſtrari certis finibus circumſcriptum. Vide Budæum in prioribus ad Pandectas. In rem præſentem venire.

IN LIBRVM XXXV. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIBER V. DICITVR, ANNOTAT.

Transſcribere nomina.
CAp. VII. *Nomina transſcriberēt.*] *Tranſcribere*, inquit Budæus, in libris cenſualibus dici debet, cum res cenſualis ab vno nomine in aliud transfertur, quod vulgo *ſuper alium onerare* dicunt.

Feralia.
Eod. *Feralia.*] *Feralia* dicta, cum ferebant epulas ad ſepulchra, Varro.

Profiteri.
Eod. *Profiterentur.*] Id eſt, *faterentur*. Eſt enim *profiteri* inter cetera quoque fateri, vt cum *profiteor me Grammaticum & Philoſophum*, dicimus. Alias vero *profiteri* eſt iubere nomen ſuum inſcribi. Nam mos erat, vt qui magiſtratum peterent, omnes ante profiterantur, id eſt, iuberent nomen ſuum inſcribi, vt in comitiis magiſtratum petere poſſent, qua in ſignificatione vſus eſt Cicero pro Plantio.

Rara admirationi ſunt.
Cap. X. *Aſſiduus in oculis hominum fuerat.*] Rara admiratione ſunt. Huic Lucretius lib. 2. præclare ſcripſit:

Nil adeo magnum, neque tam mirabile quicquam,
Quod non paulatim minuant mirarier omnes.

Vnde & vulgo dicitur: *Contemtum frequentia parit.*

Tarentines equites qui.
Cap. XXVIII. *Quos tarentinos vocant.*] Qui *Tarentini equites* fuerint, accurate docet Ælianus non longe à principio libri de inſtruendis aciebus, oſtendans duo genera Tarentinorum eſſe, quorum alij longius iaculentur, & ob eam rem *equites iaculatores* dicuntur, alij vero cum ſemel aut bis iaculum miſerint, quo leuiore vtuntur, manus de cetero cum aduerſario conſerunt. Plura de his annotauit Victorius lib. 9. variar. lection. capite 3.

Callida conſilia.
Cap. XXXII. *Conſilia callida et audacia.*] Alij legunt *calida*, per vnicum *l*, & ſentētia quidem Eraſmi rectior, licet, vtraque lectio retineri poſſit, vt hoc ad feſtinatum conſilium, illud omnis aſtutum referatur. Siquidem vtraque parum feliciter euenire ſolent, vel quæ nimium calent, id eſt, quæ præcipitantius inſtituuntur, vel quæ nimium audacibus aguntur dolis. Porro qui *calidum* legunt, Gręcam figuram agnoſcunt, quoniam θερμὸν Ariſtophanis interpres in Pluto exponit θρασύδειλον, τολμηρὸν, ἰταμὸν. Eraſmus in prouerbio: *Ne nimium calidum hoc ſit modo.*

Cap. XXXIII. *Laniſtis Ætolis.*] *Laniſtæ* gladiatorū magiſtri atque inſtitutores dicebantur, vt annotat Budęus in prioribus. Laniſtæ.

Cap. XXXVI. *Chalciœcon.*] Ita legendum eſſe admonuit Cœlius lectionum antiquar. libr. 19. cap. 8. *Chalciœcus* autem, vt Suidas ſcribit, Minerua à Spartanis appellata eſt, quod οἶκον χαλκοῦν, hoc eſt, *ædem æream* haberet, vel quod Chalcidenſes exules ex Eubœa, eam conſtruxerant. meminit eius in primo Thucydides, Ælianus in varia hiſtoria. Æmyl. Probus in vita Pauſaniæ. Chalciœcus.

Cap. XXXVIII. *Amarynthidis Diana.*] Dicta eſt Diana *Amarynthis* ab *Amarynthe* vico apud Erettiam, vt Strabo lib. 9. teſtator. Stephanus vero *Amarynthum* Eubœæ inſulam prodit, à veneratore *Amarynthe* nuncupatam. Hinc *Amarynthia feſta*, quæ in Eubœa celebrari ſolita, ex Græcorum lectione animaduertit Cœlius lib. 21. cap. 14. Amarynthis Diana.

Cap. XLVIII. *Loricatos quos cataphractos vocant.*] Cœlius libro 21. cap. 31. *cataphractos* intelligi vult, qui non ſolum ſua corpora, ſed etiam equos lorica vndique muniunt. Hos ſcribit Vegetius eſſe quidem à vulneribus tutos, ſed propter armorum impedimenta & pondus capi ſumma facilitate. Cataphracti.

Cap. XLIX. *Eſt autem res ſimilima.*] Narratio illius generis quod ab Ariſtotel. λόγος vocatur, vt annotat. Victor. lib. 17. cap. 10.

Cap. LI. *Aſyla Graci.*] *Aſyla* ſic dicta, quod ex iis nullus poſſet extrahi. De hiſce ſuperius dictum eſt, ad quæ te remitto lector. Aſyla.

IN LIBRVM XXXVI. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIB. VI. DICITVR. ANNOTAT.

Præſidium.
CAp. II. *Præſidium aliquod.*] *Præſidium* eſt, quod pro ſalute & vtilitate alicuius, auxilij gratia præponitur. Sed & electa militum multitudo ad cuſtodiam alicuius vrbis, vel arcis, vel caſtelli, vel alterius cuiuſpiam loci muniti poſita, dictum à *præſidendo*.

Edicendi Senatus formula.
Cap. III. *Cos edixit.*] Formula edicendi Senatum quaſi ſolennibus verbis concepta. Ab initio autem ſtatim poſt annuos magiſtratus inſtitutos Senatores citabantur hoc modo, *Qui patres, quique conſcripti eſſent.* Bello vero Punico ita conſules edixerūt, vt Liuius ſupra libr. 23. teſtatur, quoties Senatum vocaſſent, *vti Senatores, quibuſque in Senatu ſententiam dicere liceret, ad portam Capenam conuenirent.* Qui autem hi fuerint, quibus ſententiam dicere licuerit, Gellius libro 3. explicat, quem ſequitur Maioragius cap. 8. De Senatu Romano, & Zamoſcius lib. 1.

Cap. VII. *Fremere Philippum.*] Illuſtris deſcriptio indignationis, ſtomachique generoſi animi, quam cum Demoſthenica confert Victorius libr. 20. cap. 1.

Cap. XI. *Amore captus virginis.*] Quæ de amore Antiochi hic recenſentur, eadem quoque à Polybio deſcripta fuere, cuius locus indicatur ex Athenæo à Victorio libro 24. cap. 11. variarum lectionum, vbi pro *adlegando*, legit *ablegando*. Ceterum hic luxuriæ & voluptatis fructus notandus eſt, qui tam aperte exprimitur, vt veriſſime Platonem dixiſſe intelligas, qui voluptatem omnium malorum eſcam appellauit, quod ea videlicet homines non aliter capientur, quam hamo

piſces, quod Hannibalis quoque exemplo ſupra comprobatum eſt. Sed copioſius hunc luxum Antiochi deſcribit Iuſtinus libro 38. Valerius Maximus libro 9.cap.1. Florus lib.2.cap.8. Alexand. ab Alexand. libro 2.cap.29.

Numerus Spartanorum qui ad Thermopylas occubuerunt.

Cap.xv. *Morte magis quam pugna.*] Nam qui cum Leonida Thermopylas occuparunt, omnes ibi cæſi ad vnum: Iuſtinus libr.2. *ſexcentos* tantum Spartanos fuiſſe ſcribit, cui Oroſius conſentit, Iſocrates autem in Panegyrico *mille* fuiſſe dicit, ex confœderatis vero non multos. Plutarchus in parallelis Leonidam à Lacedæmoniis contra Xerxem cum quingentis militibus miſſum dicit, quam gratum Græci habuerint Leonidæ factum, quæque laus illi & memoria facinoris data ſit, M. Catonis verbis ex Originum libris eſt manifeſtū apud Gellium lib.3.cap.7. Huius quoque præclari facinoris à Leonida confecti lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum magno cum decore meminit Cicero, citatis duobus verſibus Simonidis ab eoque Latinæ redditis.

Dic hoſpes Sparta, nos te hic vidiſſe iacentes,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Syri leuiſſimi.

Cap.xvii. *Leuiſſima genera hominum.*] Hinc illud in Aureliano Flauij Vopiſci. *Rarum eſt vt fidem ſeruent Syri, imo difficile.* Alia vero ad hoc pertinentia notat Cœlius lib.18.cap.34. lect.antiq.

Sariſſophori.

Cap.xviii. *Sariſſophori.*] *Sariſſas* vocant Macedones prælongas haſtas, vnde *Sariſſophori* nuncupantur, Cœlius lib.21.cap.18.

Mineruæ Itonea.

Cap.xx. *Minerua Itonea.*] Mineruæ Itoneæ meminit Callimachus in Ceteris hymno, Apollonius in primo Argonaut. Suidas & Pauſanias in Attica, vbi de Pyrrhi Regis victoria contra Antigonū agit. Armenidas vero in Thebaicis ſcripſit Itonoo Amphictyonis filium in Theſſalia natum fuiſſe, à quo ſit Ἴτων ciuitas, & Ἰτωνὶς Ἀθηνᾶ, id eſt, *Itonis Minerua.*

Heraclea.

Cap.xxii. *Sita eſt Heraclea.*] *Heraclea* ſcilicet Macedoniæ: quæ *Heraclea Trachyaia* dicta eſt, vt refert Plinius. Quare & apud Strabonem quotieſcunque Heracleæ fit mētio, *Heraclea Trachynia* nominatur, à locorum, vt credibile eſt, aſperitate, ſubterranearumque aquarum fiſtulis. Stephanus hanc ab Hercule cōditam & nominatam aſſerere videtur, ſed Strabo à Lacedæmoniis libro 9. fuerunt, & aliæ ciuitates hoc nomine, vt *Heraclea Phthiotidis, Thracia, Caria, Ponti Themiſony,* de quibus Geographi conſulendi.

Lamia.

Cap.xxv. *Lamia.*] Poſita iuxta Sperchium fluuium, dicta ſic à *Lamio* Herculis filio, vel (vt alij volunt) à *Lamia* muliere, quæ tum quidem in Trochiniis rerum potiebatur. Ab hac *Lamia* bellum illud ingens, quod Athenienſes cum Antipatro & Macedonibus, Laoſthene duce geſſerunt, *Lamiacum* eſt appellatum, in quo totius fere Græciæ, maxime vero Athenienſium, vires grauiter fuere labefactatæ.

Cap.xxx. *Herculique ſacrificium fecit.*] De *Hercule* ſi plura ſcire voles, Poëtas adi, in primis Senecam, qui eius argumenti tragœdiam ſcripſit, atq; Nicandri Oetiaca. Illud etiam conſiderandum, auctores ita inter ſe coniunxiſſe *Othryn, Oetam, Callidromum, Coracem,* vt Gerbellio in ſua Græcia annotante, ſolum nominibus different, re ipſa vnus mons eſſe videantur.

Oeta mons.

Cap.xxxvii. *Ieiunium inſtituendum.*] Vide notata de ieiunio per Cœlium lib.27.cap.20.lect. antiquar. Sed & ante hæc tempora ieiunia in vſu fuiſſe inde apparet, quod Ouidius in Faſtis dicit: Numam Pompilium, quando orationem fecit pro frugibus, vſu venereorum carniumque eſu abſtinuiſſe: idque & alij Imperatores ſunt imitati. Helius Spartianus de Iuliano Imperatore: *Sæpe autem nulla exiſtente religione, oleribus, leguminibuſq; contentus, ſine carnibus cœnarunt.* Ex quibus origo ieiunij in Eccleſiam à Pontificibus Romanis introducti facile colligitur. Vide etiam de hoc Blondum libr.10. Romę triumphantis.

Ieiunium iam ab Ethnicis celebrari ſolitū.

Luſtratio claſſis.

Cap.xlii. *Luſtrata claſſe.*] Vt certis ſacrificiis exercitus luſtrari ſolebat, de quibus in prioribus libris dixi, ſic morem luſtrandi claſſem fuiſſe legimus. Nam in littore maris altaria poſita marinis vndis alluebantur, omniſque circumſtabat multitudo linguis fauens, tum ſacerdotes in mari ſtantes, ſacrum faciebant, terque per claſſem ſcaphis circumuecti, ſacra piamina ferebant, ducibus & nauarchis vnà annauigantibus, ipſaque piamina attollentibus, vt ab exercitu, totaque claſſe infelicia cuncta auerterentur ac depellerentur.

Dolon.

Cap.xliv. *Dolonibus erectis.*] *Dolon* minus eſt velum in naui, Budęus ex Polluce & Suida.

IN LIBRVM XXXVII. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIB. VII. DICITVR, ANNOTATIONES.

CAp.1. *Se legatum iturum.*] De hac legatione præter Liuium leges Florum lib.2.cap 8. Gellium lib. 4. cap.18. Plinium de viris illuſtribus cap. 53. Sabellicum libro 7. Ennead.5. Rhapſod.

Patrimi. matrimi.

Cap.iii. *Patrimi matrimique.*] *Patrimi* ſiue *patrimes, Matrimeſque.* quorum patres ac matres adhuc viuunt.

Eod. *In Latomias coniecti ſunt.*] *In carcerem,* de eo ſuperius dictum eſt. Tales quoque fuere *Latomiæ* Syracuſanæ, toto orbe celebres, quas Cicero deſcribit actione in Verrem 7.

Galli fanatici.

Cap.ix *Fanatici Galli.*] Id eſt, *furore correpti.* Erant vero hi ſacerdotes Cybeles, iiq; caſtrati omnes, quid hinc eueniſſe fama eſt: cum Dea Cybele puerum Phrygem formoſiſſimum, Atym nomine, ſuis ſacris ea lege præfeciſſet, vt perpetuo caſtitatem ſeruaret, haud longe poſt Sangaritidem nympham compreſſit. Quare ab irata Dea in furorem actus, cum Dyndima veniſſet, manuſq; ſibi afferre conaretur, miſeratione Deæ, furore liberatus, à ſe interficiendo abſtinuit, virilitatem tamen ſibi amputauit, & ideo Cybele caſtratos ſacerdotes habere mauult. *Galli* autem dicuntur à *Gallo* Phrygiæ flumine, cuius aquam qui guſtaſſent, reddebantur inſani. teſtes vero Samia teſta ſibi præcidebant. Alij putant eos ideo ſibi genitilia incidere, quia violauerint nomen patris, matriſve, ne poſſint ipſi fieri parentes.

Auctoramentum.

Cap.x. *Auctoratum ſibi proditorem.*] Id eſt, *obligatum auctorare* enim *obligare* eſt, & *auctorati* milites ac ſacramento obſtricti, & quaſi obærati, hoc eſt, ære ſtipendiario obſtricti, ac iam non ſui arbitrij. Quin & *auctoramentum* etiam in artibus mercenariis & opificiis obligatio quædam eſt, interpoſita mercede contracta. Inquit enim Tullius: *Merces ipſa in mercenariis auctoramentum eſt ſeruitutis.* de quo latius Tornebus libro 2. aduerſar. cap.20.

Trullæ.

Cap.xi. *Trullis ferreis.*] *Trullæ* de ſitulis aquam hauriunt, & de ahenis aut labris, Torneb.lib.7.aduerſ.c.22.

Eteſię.

Cap.xxiii. *Aduerſo tempore Eteſiarum.*] *Eteſiæ* à Græcis dicuntur venti, qui ſtatuto & certo anni ſpacio flare ſolent, hoc eſt, xl. diebus poſt caniculæ exortum. Græci enim Ἐτήσιον annuum dicunt. Horum meminit Gellius lib. 2.cap.22. Solinus cap.25. in Polyhiſt.

Remulco trahere.

Cap.xxiv. *Remulco trahentes.*] *Remulco trahere* Latinū eſſe probat Bayſius in libro de re nauali, & latius de hac loquendi forma diſputat Franciſcus Floridus Sabinus lib.1. ſuccisiuarum lectionum cap.3. *remulco trahi naues* affirmans, quæ plus æquo oneratæ vel fractę, vel mutilę paruis nauibus remigum plenis alligatæ ducuntur, vt quo ſimpliciter à nautis duci non poſſunt, aliorum nauigiorum adminiculo peruenlant.

Ancilia.

Cap.xxxiii. *Quibus ancilia mouentur.*] Solebant enim qui bello gerendo præficiebantur, vt inquit Seruius, ingredi Martis ſacrarium, anciliaque primum mouere, deinde ſimulachri haſtam, dicentes: *Mars vigila tacitus.* fuere qui proficiſcēti Othoni moras, religionēque non-

Digitized by Google

quenondum conditorum ancilium offerrent. Promebant autem in dicto bello ancilia, vt mouerentur, & profectionem ſuſcipere, ante quam condita eſſent, ominoſum & religioſum habebatur, Tosneb.lib. 5. aduerſ.cap.1.

Scipionis filius valetudinarius. Cap.xxxiv. *Filius eius captus.*] Cognomento ſcilicet *Valetudinarius*, qui ſi corpore valuiſſet (vt Cicero in Bruto ait) in primis habitus eſſet diſertus, vt partim eius oratiunculæ, partim etiam hiſtoria quædā Græca de Caſſiua teſtantur. Plutarchus in vita Africani, nihil ſanc comperti de eo ſe habere dicit, niſi eum præturam geſſiſſe, & in ea conſequenda, à Cicerio patris ſcriba adiutum fuiſſe. Ceterum vtrum Scipionis filius exploratus, hoſtiumque inſidiis vel in prœlio captus ſit incertum eſſe ſcribunt, Oroſius & Eutropius. Huius autem Scipionis meminere præterea Valer. Max.lib.3.c.5. Alex.ab Alex.lib.3.c.22. Plutarchus in Africano, Plin. lib.35.c.4. Sabel.li.7. Ennead.5. Volaterranus li. 19.ca. 3. vrban.comment.

Cap.xxxvii. *Legatos qui filium.*] Inſigne moderationis animi exemplum eſt Antiochus, qui Scipione captum remiſit filium, à quo tum maxime finibus imperij pellebatur, & laceſſitus, maieſtatem Scipionis Africani excellentiſſimi viri venerari, quam dolorem ſuum vlciſci maluit. Cuius rei quoque glorioſe meminit Plinius de viris illuſtribus.cap.29.

Eod. *Referre aliam gratiam nunc non poſſe.*] *Sapiens enim* (vt ad Lucilium Seneca ſcribit) *omnia ſecum examinabit, quantum acceperit, à quo, quando, vbi, quemadmodum.* Cuius rei ſpeculum hoc loco eſt Africanus, qui cum intelligeret, quam magnum beneficium eſſet accipere filium captum ab hoſte, qui pro ſuo iure ſæuire potuiſſet in victum, vt in ſumma corporis debilitate aſpectu filij recrearetur, non facile aliquid præclarius vel excellentius Antiocho pro reddenda gratia dare potuit, quam quod dedit, cum ſuaderet, vt cum Romanis rerū dominis amicitiam contraheret, quos alias perpetuos hoſtes & inimicos habiturus eſſet.

Sipylus. Eod. *Sipylum.*] Aſiæ montem, non procul ab amne Mæandro, de quo Strabo lib.1.& lib.12.

Phalangitæ. Cap.xl. *Phalangitæ.*] *Phalāgem.* Macedonicam, quam Latine *cuneum* Liuius vocat, prædenſi ordinis, excogitaſſe omnium princeps dicitur, Philippus Alexandri Magni pater, ducto ab Heroibus exemplo, quos clypeis clypeos iunxiſſe cecinit poeta nobilis. Quo ritu qui armantur, *Phalangitæ* dicuntur, Cœlius lib.21.c.18.

Falcatæ quadrigæ. Cap.xli. *Falcatæ quadrigæ.*] Deſcriptio falcatarum quadrigarum. qualis & apud Curtium in Hiſtoria Darij extat. A Lucretio vero *falciferi currus* vocantur, lib. 5. cum inquit:

Et biiugo prius eſt, quam bis coniungere binos,
Et quam falciferos armatum aſcendere currus.

Eod. *Iaculorum amenta.*] Lucius Scipio cum die ac nocte Antiochi exercitum imbre continuo vexatum, & arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos eſſe intellexiſſet, prœlium aſtute iniit, Frontinus lib.4.ca.5. Ceterum *amentum* lorum eſt, quo media religatur

Amentum. haſta, vt longius iaci poſſit, hinc *amentata haſta* Ciceroni lib. 1. de Oratore: & *amentare* apud Lucanum pro *iacere*, aut amento munire, de Eraſmum in prouerbio: *amentata haſta*, & infra libro ſequenti: *haſta amentata & velitaris.*

Taurus mons. Cap.xlv. *Cis Taurum montem.*] Qui progredienti ab Hircano mari ad auroram eſt ad dextram, vſque ad Indicum mare protenditur, de cuius magnitudine leges Strabonem lib.11. Melam li.19. in deſcriptione Lyciæ. Volaterranum li.10.c.1. Geograph. copioſe Plin. lib.5.c.27. & Solinus in deſcriptione Ciliciæ.

Talentum Euboicum. Eod. xv. *millia talentum Euboicorum.*] Quid ſit *talētum Euboicum*, docet Feſtus his verbis: *Euboicā taleatū nūmo Græco ſeptē millium & quingentorum ciſtophorū eſt, noſtro quatuor millium denariorū.* de quo plura Budæus li.2. de aſſe, vbi annotat. dictum Feſti minime conuenire cum ratione Liuiana, quæ *talentum ſex millium denariū* facit.

Ciſtophorus. Eod. *Ciſtophorum* ccxlix.] Ita legendum eſſe, & non *ciſtophori*, vt nec *tetradrachma*, ſed *tetradrachmum* genitiuo caſu, admonuit Budæus loco præallegato. Erat autem *ciſtophorus* nūmus Aſianorum ſic appellatus, quod in eo *ciſtiferi* eſſent ſculpti, qui ſacrorum myſticorum ciſtis incluſorum arcana ferebant, vt in Cybeles myſteriis Bacchiorgiis, Cereris initiis. Vide Tornebum lib. 3. aduerſ.c.5. & lib. eodem c.21.

Cap.lv. *Nec terra mutata mutauit mores.*] Mutatione regionis animus non mutatur, ſed in diuerſo cœlo eadem mens eſt, proinde recte ab Horatio dicitur:

In culpa eſt animus, qui ſe non effugit vſquam.

Et alibi:

Cœlum non animum mutat, qui trans mare currit.

Cardo. Eod. *Intra eum cardinem.*] *Cardinem* à forma vocauit, quaſi limitem imperij Romani à ſeptentrione ad meridiem, Budæus in poſterioribus annotat.

Congiaria. Cap. lvii. *Multa congiaria habuerat.*] erat inter vaſa, vel menſuras, quoq; *congius*, vnde *congiarium*, certæ rationis dicebatur munus. At *donatiuum* ex dantis erat arbitrio, præſcriptione nulla. Sunt qui militibus conferri modo *donatiuum*, potent, populo *congiarium*, Cœlius li. 27.c.27.

Tenor. Eod. *Perpetuo tenore vitæ.*] *Tenorem* rei progreſſum vocant, vnde quæ ſui ſimilia, ſibique veluti perpetua quadam ſuccedunt ſerie, horum *eundem tenorem* eſſe dicimus. Eraſmus in prouerbio: *Vno tenore.*

Cap.lviii. *L. Aemylio Regillo.*] Hunc Æmilium, Appianus *Linium*, Inſtitutos nunc *Lucium Nauium*, nunc *Meneaium* appellat. Liuius autem & Florus *Aemylium* quoque *Regillum* vocant.

Scipio Aſiaticus. Eod. *Aſiaticum ſe appellari voluit.*] Quemadmodum. n. P. Cornelius Scipio, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, Africa ſuperata, & Carthaginienſib. bello deuictis, *Africani* nomē, ita etiam L. Scipio, deuicto Antiocho, & ſubacta Aſia, *Aſiatici* adeptus eſt, vide Plutarchum in Scipione Africano, Val. Max.lib.3.c.3. Alex.ab Alex.lib.2.c.11.

Philippei. Eod. *Nummos aureos Philippeos.*] Sic dictos, quod Philippus Alexandri Magni pater eos cudi iuſſerit, vt tradit Diodorus, poſteaquam Crenidas inſtaurauit, & Philippos maluit appellari, compertis auri fodinis, quas ſic demum excoluit, vti talenta inde redirent annua mille ac amplius, Cœlius lib.10.c.2.

IN LIBRVM XXXVIII. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIB. VIII. DICITVR, ANNOTAT.

CAp.1. *Paucitate parum freti.*] Hinc Euripides in Heraclidis μικρὸν τὸ χειρὸς ἀσθενὲς μάχη. id eſt, *Inualida pugna eſt vnius tantum manus*, & Homerus Iliad μ. Ἀλλ' ἐφομαρτεῖτον· πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον, id eſt,

Adſitis comites, multorum induſtria namque,
Plus pollet quam paucorum.] In quam ſententiam plura apud Eraſmum in prouerbio: *Multæ manus onus reddunt leuius.*

Ambracia. Cap.iv. *Ambracia tumulo.*] Hæc Pyrrhi regia, poſtea ab Auguſti victoria *Nicopolis* dicta eſt. Ptolemæus tamē duas ciuitates Ambraciam & Nicopolim fecit, Ambraciamque ponit intra ſinum Ambracium, & Nicopolim extra ſinum in Epiro vide Strabonem lib. 9.c.1. Melam lib.2.c.3. Hanc *Lartem* nunc dici Oliuarius ait.

Pinnas detergere. Cap.v. *Detergebat pinnas.*] Id eſt, auferebat vel confringebat ſummitates murorum. *Pinnæ* enim murorum ſunt ſummitates eorum. Et *detergere* per tranſlationem eſt *auferre*: Ac *remos detergere*, idem eſt, quod *remos confringere*. Cæſar. lib.1. de bello ciuili.

Tolleno. Eod. *Tollenonibus.*] *Tolleno* quid ſit, Glareanus antea

Mmm

expoſuit. Eſt vero Ταλάντευσιν, vt ait Torneb. lib. 6. aduerſ. cap. 18. quod ſurſum deorſum hinc inde tollitur, more oſcilli, & alternis hinc & inde ſuſpicit & deſpicit. Vide etiam Petrum Crinitum de honeſta diſciplina, libr. 19. cap. 2.

Formula. Cap. IX. *Formulæ ſui iuris.*] Vt *formula* in iure prætorio & ciuili dicitur, cum certa quadam actione & forma, & verborum certa conceptione aliquid comprehenditur ita in ciuitatum imperio, & fœderibus, iuriſdictioneque & ditione formulam inde traductam poſuit, ſane quam eleganter. cum etiam iſta certa cautione & lege, certoque iure conſtent non minus quam priuata, Tor. li. 14. aduerſ. cap. 11.

Tabulæ pictæ. Cap. X. *Signa ænea et tabulæ pictæ.*] Id eſt, *ſtatua* & *picturæ*: Romani quippe expugnatis oppidis quidquid ornamentorum inueniſſent, triumphantes maximo apparatu ferebant, atq; vrbem nouis ſtatuis, picturis & tabulis ab hoſtibus tranſlatis magnifice ornabant, qua de re copioſe Alexandr. ab Alexandr. libro 6. cap. 6. De tabulis autem à Fuluio Romam tranſlatis, Plinius libro 35. cap. 7.

Eod. *Argos Amphilicium.*] Ita legendum eſſe tradit Torneb. loco præallegato.

Eod. *Vulgata ſimilitudine.*] Quam crebro vſurpari ſoleret ſimile hoc ab Oratoribus vt mare ſui natura tranquillum cōmoueretur ventis ac tempeſtatibus, ita rēp. ſua ſponte quietam agitari ſtimulis vocibuſq; improborum ac turbulentorum ciuium, ex Cicerone & Liuio indicauit Petrus Victorius lib. 7. c. 21.

Cap. XVII. *Terra proprietas cuiuſque.*] Καὶ τῶν φυτῶν τὰ σπέρματα καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ βίοι ταῖς χώραις συνεξομοιοῦνται, de quo plura Eraſmus in prouerbio, *Mores hominum regioni reſpondent.*

Axylos ſylua. Cap. XVIII. *Ab re nomen habet.*] Recte id adiicit. nam alias ἄξυλον ὕλην apud Homerum, peritiores interpretantur *polyxylon* κατὰ στέρησιν τῶν ξυλιζομένων, vt in quam nemo lignatum perrexit, vt annotat Cœlius lib. 35. c. 18. & li. 18. cap. 23.

Velitares haſtæ. *Velitarium haſtarum.*] *Velitares haſtæ* erant iaculatoriæ, id eſt, quibus eminus iaculabantur, proinde aliis leuiores. De his Ouid.

Vtque petit primo plenum flauentis arenæ
Nondum calfacti velitis haſta ſolum.

Haſtem velitarem Polybius videtur γρόσφον appellare, vt enim de velitib. hic ſcribit Liuius, eos tripedalem parmam habere, & in dextra haſtas, quibus eminus vtuntur, ita Polybio *haſta velitaris* τὸ τῶν γροσφῶν βέλος, longitudine eſt duorum cubitorum, craſſitudine digitali, ferro dodrantali, ita in tenuitatem & gracilitatem ducto, vt primo ſtatim ictu neceſſario inflectatur. A *velitari* & *manipulari haſta* differebat *amentata*, quæ vt ſuperius dictum eſt, grauior erat & maior, & vt maiore impetu torqueretur, habena vel amento media vinciebatur, cui ditus inſerebatur ad conatum ictus adiuuandum. Torneb. lib. 14. aduerſ. c. 11.

Amentata haſta.

Chiomara. Cap. XXIV. *Orgingontis reguli vxor.*] *Chiomara* nomine, quæ ex Galatiæ finibus nata erat, vt auctor eſt Plutarchus, qui copioſe præſentem hiſtoriam de claris mulierib. c. 21. deſcribit.

Eod. *Centurio.*] *Tribunum* vocat Plutarchus, quem Chiomaram in diuidenda præda ſortitum ait.

Eod. *Cuſtodia.*] Hoſtium enim captiuorum inſigniores in cuſtodiam tradebantur, vt currum triumphantium præcederent poſtea, cuius rei teſtis eſt Alex. ab Alex. li. 6. c.

Stupri per vim illati pœna. Eod. *Stringerent gladium.*] Iuxta legem Platonis, quæ lib. de legib. nono, hunc in modum lata eſt: *Qui mulierem liberam ad rem Veneream vi adigit, non ab eo ſolum cui vis illata eſt, ſed à patre, marito, fratribus filiiſque vita priuatur.* & ſic D. Adrianus, vt ait Metianus ad legem Corneliam de ſicariis, reſcripſit. *eum qui ſtuprum ſibi, vel ſuis per vim inferentem, occidit, dimittendum.*

Deſtinare ſcopum. Cap. XXVI. *Velut deſtinatum petentibus.*] *Deſtinatum* hic videtur eſſe ſcopus, & *deſtinare* ſcopum deſignare eſt, quem petas. Eſt & *deſtinare*, quod petis attingere & prendere Cæſar: *Nam laqueis falces auertebant, quas cum deſtinauerant, tormenta retrorſus reducebant.* Torneb. lib. 14. cap. 11.

Princeps Senatus. Cap. XXVII. *Princeps in Senatu.*] De Senatus Romani principis dignitate, Plutarchus in Scipione Africano, hunc in modum ſcribit: *Principem Senatus Africanum legerūt; quod honoris genus iis tantum deferri conſueuit, qui auctoritatem & gloriam maximis in remp. meritis, præſtantiſſimiſque reb. geſtis, eſſet antea conſecutus.* Neminem autem in Senatu principis loco eligi ſolitū accepimus, niſi qui vel ex Cēſoriis viris natu maximus eſſet, vel qui cum eſſet conſularis aut triumphalis Senatui populoq; Romano gratiſſimus eſſet. Quod vero Cenſorum hoc officium ac munus eſſet, vt Senatus principē eligerent, præter Liuium docet etiam Plutarchus, dum in Paulo Æmilio ſcribit, ab eo cenſore principem in Senatu lectum fuiſſe M. Æmylium Lepidum, qui quater antea iam Senatus princeps fuerat. Maioragius de Senatu Rom. cap. 12.

Scutale. Cap. XXIX. *Triplex ſcutale.*] Hunc locum annotat Priſcianus in ſexti libri fine, ſed codicibus præcipue interpellatis, & Cœlius lib. 14. c. 7. Torneb. lib. 14. ca. 11. exiſtimat *ſcutale* corium eſſe, cuius loris habena conſutis, facta erat, ſic appellatum, quod ex eo genere corij ſcuta conficerentur.

Damiurgi. Cap. XXX. *Damiurgis ciuitatum.*] *Apud Dorienſes*, inquit Heſychius, *qui publica negocia reſq; ciuitatis adminiſtrūt, Demiurgi vocantur, qui ſimiles ſunt iis, qui ab Athenienſib. Demarchi vocantur*, id eſt, *Tribuni*: Peloponneſij autem Dorici ſunt generis, quo factum eſt, vt *Damiurgi* Doricæ Liuius diceret, Torneb. loco præallegato.

Demarchi.

Senatum conſulere. Cap. XXXV. *De repub. ſenatum conſuluerunt.*] Torneb. li. 14. c. 11. arbitratur *de repub. referre*, eſſe, Senatum conſulere, quomodo reſpub. in annum adminiſtranda ſit, qui in prouincias mittendi, qui reuocandi, qui exercitus conſcribendi, qui dimittendi, quid domi militiæque agendum, &c.

Tanais pro Halys. Cap. XXXVIII. *Vſque ad Tanaim amnem.*] Budæus lib. 4. de aſſe, mendoſe hic *Tanaim*, legi putat, & pro eo reſtituendum eſſe *Halym*. Notum enim eſt ex Herodoti primo, *Halym* fluuium confinium fuiſſe Lydorum & Medorum imperij. Meminit etiam Halyos Plinius in 6. à radicibus Tauri per Cataoniam Cappadociamq; decurrentis.

Atticum talentum. Eod. *Attica talenta dato.*] Budæus non Attica talenta, ſed Euboicum talentum legendum exiſtimat libr. 3. de aſſe: niſi intelligamus Atticum magnum & Euboicum idem fuiſſe, vt vtrumque Liuius pro eodem vſurpauerit. Superiore namque libro de conditionibus propoſitis Liuius loquens, *Euboicorum talentorum* non *Atticorum* meminit. Talentum autem Atticum nemo minus dixit eſſe LX. minis centenarum drachmarū, vt idem Budæus tradidit.

Bendidium templum. Cap. XLI. *Circa templum Bendidium.*] *Bendis* vt ſcribit Heſychius, lingua Thracum *Diana* appellatur, vnde & *Bendidia* eius feriæ Athenis vocabātur. Nam eius ſacra è Thracia aſcita Athenienſes receperant, illiſque feriis diſſeruit in Piræeo de optimo reipubl. ſtatu Socrates, vt à Platone refertur. Deam hanc eandem idem Thraces, *Βένδιν* vocabāt Heſychio auctore, Ἄρτεμις vero cognominata eſt *δίλογχος*, à Cratino poëta in fabula Thracū. ſiue quod ea Dea *duos honores* ſortita eſt, cæleſtem videlicet & terreſtrem; vel quod *duas lanceas*, id eſt, λόγχας, cum eſſet venatrix, ferre conſueuit. Sunt qui dicant, quod duo lumina habeat, proprium quidem Lunę & Solis. De Bendidiis etiam Strabo in 10. & Xenophon libro ſecundo, Ἑλληνικῶν meminere.

Cap. XLIII. *Fixuris in poſtibus ſuis.*] Solebant enim Romani poſtes ſpoliis hoſtium ornare, teſte Polybio: ἐν τοῖς ἐπιφανεστάτοις τόποις τῆς οἰκίας τιθέασι τὰ σκῦλα, hinc Maro:

Barbarico poſtes auro ſpoliiſque ſuperbi.] Sed ne ea quidem ædibus abalienatis licebat emptoribus refigere

Digitized by Google

aut tollere, vt ex Plinio obſeruauit Torneb. libr. 14. aduerſ. c. 11.

Cap. XLV. *Ad diuortia aquarum caſtra.*] *Diuortia aquarum* iuga ſunt, vnde in diuerſa aquæ cæleſtes & perennes diuertunt. Lucanus:

Fontibus hic vaſtis immenſos concipit amnes.
Flaminaque ingemini ſpargit diuortia ponti.

Torneb. lib. 14. aduerſ. cap. 11.

Delphi commune humani generis oraculum & vmbilicus orbis.

Cap. XLVII. *Etiam Delphos commune.*] Reprehenduntur leuiter à Varrone quidam, quod *vmbilicum* dicerēt Delphos, ab Vmbilico noſtro dictum, quod is medius locus terrarum ſit, vt vmbilicus in nobis, quod vtrumque Varro ait falſum eſſe, quod neque is locus medius terrarum ſit, neque noſter vmbilicus hominis medius. Sed Delphis in æde ad latus ſotaminis eſſe quiddam, vt Theſauri ſpecie, quod Græci ὀμφαλὸν dixerunt, id eſt, *vmbilicum*. Attamen vt verum ſit, quod Varro aut vetuſtas credidit, Delphos eſſe terrarum medium, ex qua opinione ab Ouidio ſcriptum eſt: ---- *& orbe*

In medio poſitis caruerunt præſide Delphi.

Huic famæ accedit fabula, quam interpres Pindari refert, Ioui inceſſiſſe cupiditatem medium terrarum metiēdi, itaque cum dimiſiſſe duas aliquas paris celeritatis (alij quemadmodum Strabo ſcribit coruos dixerunt) vnam ab ortu, alteram ab occaſu, quæ Pythona concurrerint, in eiuſque rei argumentum aureas duas aquilas illic poſtea dicatas eſſe Pauſanias ſcribit, qui à Delphis appellatur *vmbilicus*, eum è lapide cādido eſſe factum, & à Delphis medium terræ cenſeri, ita veteres vmbilicum Delphos dicebant, & locum quendam in vetere poeta, qui ſcripſit: *O ſancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obtines.*

Cap. LI. *Hoc inquit die.*] Hoc eſt, quo quaſſata abhoſtib. Romanorum reipubl. ego ſolus contra Hannibalem populi Romani antea inuictiſſimum hoſtem feliciter pugnaui, & ſalutem patriæ peperi, &c.

Cap. LIII. *Vitam literni.*] Vbi villam habebat, cuius meminit Plin. lib. 14. c. 14.

Scipionis Africani mors.

Eod. *In ingrata patria fieret.*] De morte Scipionis diuerſa tradiderunt auctores. Alij namque Romæ mortuum elatumque ſcribunt, & ad fidem huius rei monumentum ad portam Capenam ei factum, & tres ſtatuas ſuper locatas ferunt. Alij autem, quod probabilius eſt, Literni, vel Aminturni, in exilio conſenuiſſe, & vita defonctum eſſe tradiderunt, vbi ſepulchro ſuo inſcribi iuſſit: *Ingrata patria ne oſſa quidem mea habes*, vt refert Valerius Maximus li. 5. c. 3. Oroſius li. 4. c. 20. Hic vero annotādum, hoc fere accidere viris de repub. bene meritis, vt pro benefactis peſſimam gratiam à populo tulerint, vnde Pindarus in Pythiis hymno quarto: φαὶ τὸ ἔμμεν τοῦτο ἀνιαρότατον, τὸν καλὰ γνώσκοντ' ἀνάγκᾳ ἐκτὸς ἔχειν πόδα, id eſt, *aiunt hoc eſſe moleſtiſſimum, qui norit honeſta, foris habere pedem*, hoc eſt, non frui bonis, cum ipſe bene meritus ſit de aliis, ſed benefactis male audire. Hinc vulgo dicitur: *Pro beneficentia Agamemnonem vlti ſunt Achiui.*

Mulſum.

Cap. LV. *Mulſum pro ſecutis funus dediſſe.*] Veteres Romani *mulſum* in deliciis habebant, & in triompho milites ab Imperatore condonabantur. Plautus:

Sed ſpectatores vos nunc ne miremini
Quod non triumpho peruulgatum eſt, nihil moror,
Veruntamen accipientur mulſo milites.

Ita eo exemplo & more tum Liuius ſignificat, Culleonem in Africani funere, renouata memoria triumphi eius, pileatum dediſſe mulſum, aut triumphi imitatum liberalitatem & imaginem, hoc feciſſe, vt Torneb. explicat libro 14. aduerſ. cap. 11. *Mulſum* vero ex pluuia aqua fieri ſolitum ex Galeni libr. 4. tuendæ ſanitatis annotat Cœlius lib. 23. cap. vlt. Sed ex vino vetere factum ad appetentiam & auiditatem cibi reuocandam auctor eſt Plin. libr. 22. de natura mellis. Vide etiam de hoc Petrum Crinitum de honeſta diſcipline lib. 4. cap. 8. vbi tradit veteres mulſo etiam in ſacris vſos.

Librarij.

Eod. *Librarij mendum quam mendacium.*] De computatione & æſtimatione huius ſummæ vide annotata à Budæo li. 3. de aſſe eiuſq; partibus. *Librarij* autem quorum hic fit mentio, apud Romanos erant, qui libros tranſcribebant, eoſq; vendebant, ij Romæ in Argileto tabernas habebant. Martialis:

Argiletanas mauis habitare tabernas,
Cum tibi parue liber ſcrinia noſtra vacent.

IN LIBRVM XXXIX. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIB. VIIII. DICITVR, ANNOTAT.

Petilia lex.

CAp. VI. *Lege Petilia.*] *De peculatu* intellige, quam tulit Q. Petilius tribunus plebis Æmilio & Flaminio Coſſ. ſupra li. 38. Eſt & alia *Petilia de ambitu*, de qua Liuius ſupra lib. 7.

Luxus Aſiaticus.

Eod. *Luxuria peregrina.*] De luxu Aſiatico multa annotata videbis apud Cœlium li. 7. c. 10. & ruſus li. 18. c. 18. & li. 23. c. 28. lect. antiq.

Stragula

Eod. *Veſtem ſtragulam.*] Vlpianus *ſtragulam* accipit pro veſte exteriore, quæ reliquis inicitur, quale fuit Græcorū *pallium*. *Stragulas* item *veſtes* ſiue *ſtragula* pro aulæis ſiue peripetaſmatibus accipiebant veteres, quod iis aulæ & triclinia nonnumquam etiam lecti inſternebantur, Tibullus lib. 1. eleg. 2.

Nam neque tunc pluma, nec ſtragula picta ſoporem.

Plagulæ.

Eod. *Plagulas.*] *Plagula* auctore Tornebo lib. 1. c. 29. aduerſariorum, vela ſunt & textilia, quibus lecticæ & lecti intendebantur, aut inuoluebantur, vt apud Tranquillum in Tit. *Lectica dimotis plagulis.* Nonius *plagas* interpretatur grandea lintea, & toral. & lecticariā ſindonem, vnde per diminutionem *plagula* dicuntur, inquit. Meminit plagularum etiam Vlpianus, vt annotat Bayſius de re veſtiaria, cap. 20. Budæus in prioribus annotat. per *plagas* & *ſtragulam* tapetia ſeu aulæa intelligi exiſtimat.

Monopodia.

Eod. *Monopodia.*] Monopodia, Turnebo præallegato loco auctore, menſæ ſunt, quæ vno pede ſuſtinentur, quæ ea tempeſtate pulcherrimæ lautiſſimæq; cēſebantur. Idem ante eum annotauit Bayſius, in li. de vaſculis.

Eod. *Sambuciſtria.*] Mulieres ſambuca canentes. Erat autem *Sambuca* inſtrumenti muſici genus trianguli, teſte Porphyrio, in Ptolemæi Harmonica.

Cap. IX. *Pure lautum.*] Veteres enim non niſi puros, beneque lotos ſacra acceſſiſſe, ſuperius annotauimus.

Patronorū tutela.

Eod. *poſt patroni mortem.*] Si cui enim nullus omnino tutor eſſet, ei dabatur in vrbe quidē à prætore vrbano l. Si quis ſub conditione. ff. de teſtamen. tutel. & maiore parte Tribunorum plebis ex lege Attilia, Inſtit. de Attiliano tutore. Et l. 12. tabularum libertorum & libertarum tutela ad patronos liberoſque eorum pertinebat. Eo enim ipſo quod hæreditatis libertorū libertarumque, ſi inteſtati deceſſiſſent, iuſſerat lex ad patronos liberoſue eorum pertinere, crediderūt veteres voluiſſe, legem etiam tutelas ad eos pertinere. Quia plerumque vbi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi & tutelæ onus eſſe debet, Inſtit. de legat. pat. tutela. Ac etſi Iureconſulti tradiderūt, mulieres anno duodecimo tutela liberari. l. fi. C. Quādo tutor vel curator eſſe deſinat. Inſti. Quib. modis tutel. fin. tamen moris olim fuit, vt finitis annis pupillaribus, tutores onere tutelæ defūcti, tutelam alteri in iure cederent, eaque *tutela ceſſitia* dicebatur, quod fœminas, quas ob infirmitatem conſilij, rebus propriis ſupereſſe non poſſe ſtatuebant, nihil ſine auctoritate agere volebant, vt ſupra li. 31. Porcius Cato legem Oppiam ſuadens, & Cicero pro Muræna teſtatur. De quo plura Renardus variorum lib. 1. c. 10.

Excetra.

Cap.xi. *Illius excetra.*] Singularis in hac voce emphaſis ineſt. Significat namque eum ita illecebris meretricis irretitum, vt etſi Ebutius abſit, amor tamen minime extinguatur, ſed ſemper viſa Hiſpala, magis magiſque inflammetur & adaugeatur. *Excetra* enim dicta eſt hydra Lernæa, quod vno cæſo capite tria excreſcebant. Plautus in Perſa.

Nam cum leone et excetra, et cum apro Aetolico,
Cum auibus Stymphalycis, cum Antao deluctari malim,
Quam cum amore.

Bacchæ.

Cap.xiii. *Baccharum habitu.*] *Bacchæ* ſacrificulæ Bacchi, & mulieres Orgia Bacchi celebrantes dicebantur Hinc Ouid. Metamorph.

Vtque tuo mota proles Semeleia thyrſo,
Iſmaria celebrant repetita triennia Bacchæ.

Viuum ſulphur.

Eod. *Viuum ſulphur.*] *Viuum ſulphur* vt Torneb. lib. 1.c.19. explicat, auctore Plinio, quod ignem non eſt expertum, ἄπυρον Græcis vocatum. nam reliqua genera coctione parantur, hoc gleboſum, ſolidumque effoditur, auidiſſimeque flammam corripit.

Maritorum in vxores poteſtas.

Cap.xviii. *In quorum manu eſſent.*] Satis hic Liuij locus indicat, morem olim apud Romanos fuiſſe, vt maritis in vxores animaduertere liceret, non minus atque in ſeruos, maxime in eas, quæ in manus maritorum trãſiſſent, vt notat Budæus in annotationibus ad Pandectas. Et literis proditum eſt, adulterium lege Romulea capitale fuiſſe, ſic inquam capitale, vt pœna mors eſſet. Tulit enim Romulus legem his verbis: *Adulterij conuictam vir & cognati vti volent necanto.*

Equus publicus.

Cap.xix. *Neue Cenſor ei publicum equum aſſignaret.*] Equus enim quo equites Romani merebant, eis à Cenſore aſſignari eſt ſolitus. Quid autem fuerit *equus publicus* parum compertũ eſt. Var. in libris de lingua Latina: *Equum publicum mille aſſarium* vocat, quibus verbis vt Sigonius li.2. de antiquo iure Quiritium putat, ſtipendium fortaſſe aliquod vel alendi vel emendi equi cauſa de publico conſtitutum ſignificat. Plin. lib.33. *equum publicũ equum militarem* vocauit, cum de ordine equeſtri verba faceret. *Annuli,* inquit, *plane medium ordinem tertiumque plebi et patrib. inſeruere, et quod antea militares equi nomen dederant hoc nunc pecunia indices tribuunt.* Item, *equitum nomẽ ſubſtitit in turmis equorum publicorũ.* Intelligit enim equites primum ab equis publicis, poſt à cenſu iudices dictos.

Datio nexi.

Eod. *Datio.*] Per *dationem* haud dubie *nexi dationem* intelligit. Nam *nexum*, vt apud Feſtũ ait Gallus Ælius, quodcumq. per æs & librã geritur, quo in genere ſunt hæc, *teſtamẽti factio, nexi datio nexi liberatio*, vt hoc loco per *dationem* nihil aliud intelligere videatur Liuius quã *ius transferendi rerum dominij*. De quo præter Boëthium in Topicis Ciceronis, Budæum in prioribus annotationib. vide etiam Turnebum lib.20. aduerſ. cap. 19. Vbi oſtendit quid inter *mancipium* & *nexum* interſit.

Diminutio.

Eod. *Diminutio.*] Scilicet vt familiam aliquam intrare vel exire ea liceret ei. Hæc etenim infima capitis diminutio eſt, vt tradit Iuſtinianus Inſtit. de cap. diminutione.

Gentis enuptio.

Eod. *Gentis enuptio.*] Quid per hanc *enuptionem* intelligatur colligi poteſt ex li.10. ſupra, vbi *matrona patriciæ Virginiam, Auli filiam, L. Volumnio conſuli plebeio nuptã, quod è patrib. enupſiſſet, ſacris arcuerunt.* Erat enim *enubere* nihil aliud quam è patris domo tranſire, patriaq; ſacra relinquere. Hinc illæ voces conſulum ſup. lib 4. cõnubio patrum cum plebeis conceſſo ignorari non poſſe, qui natus ſit, cuius ſanguinis, quorum ſacrorum ſit, dimidius patrum ſit, dimidius plebis. Et huc Iureconſulti reſpicientes, *matrimonium* dixere *communionem humanorum et ſacrorum*, l. aduerſus, C. de crimine expil. hered. Et plebeia vxor per matrimonium nobilitatem adipiſcitur, ſicut è contrario nobilis ſi nubat plebeio, eam amittit & tranſit ad plebem. Id itaque minime Hiſpalæ metuendum eſſe ius enuptionis conceſſum ei tribuit.

Enubere quid.

Optio.

Eod. *Optio tutoris.*] *Optio*, id eſt, *optatio*: nimirum vt quem vellet tutorem ſibi optare poſſet. Nam vt teſtamento patris filio familias tutor dari poteſt: ita teſtamento viri matrifamilias optio tutoris dari poteſt, vt ipſa ſibi tutorem eligat, quem velit, & hic tutoris eſt, quem pro Muræna M. Tullius ait poteſtate mulieris contineri. De quo vide notata per Cuiacium lib.7. obſeruation. cap. 11. In re vero militari *optio* appellatur is, quem decurio aut centurio, optat ſibi rerum priuatarum miniſtrum, quo facilius obeat officia publica. Eius quidem optionis poteſtas ab initio penes ipſos decuriones erat, poſtea vero propter ambitionem, ad Tribunos tranſiit, vt docet Varro lib.4. de lingua Latina.

Eod. *Ingenuo nubere liceret.*] Nam libertinis non ſolũ cum ſenatoribus connubia non erant, ſed ne cum ingenuis quidem de plebe. Inde Cicero obiicit vt probrum in Philippicis Antonio, & in Sextij cauſa Gellio quod libertinas in matrimonio haberent, vt tradit Zamoſcius lib.1. de ſenatu Romano. Poſtea tamen lege Papia cautum eſt, vt omnibus ingenuis præter Senatores, eorumq; liberos, vxores libertinas habere liceret: hoc Iulianus. Addit Vlpianus: *Si Senator libertinam habuerit vxorem, quamuis interim vxor non ſit, attamen in ea cõditione eſt, vt ſi amiſerit dignitatem, vxor eſſe incipiat.*

Cap.xxii. *Ludi Taurilia.*] *Taurilia ludi* ſic appellati ab immolatione taurorum, vt docet Turnebus li. aduerſ. 13. cap.14. Taurilia.

Eod. *Semimarem.*] Per *ſemimares* intelligit eos quos ſuperius aliquoties *androgynos* ambiguo inter marem & fœminam ſermone Græco vocari ſcribit, Cœlius lib. 15. cap.10. Semimares androgyni.

Cap.xxv. *Thebas Phthias.*] Thebæ Phthiotidis in intimo Maliaci ſinus angulo non longe à Sperchio fluuio ſitę. Strabo circa finem noni libri Thebas Phthioticas ſub Crocio campo, qui in Thebarum mediterraneis eſt poſitas, ſcribit. Thebæ Phthiotidis.

Cap.... *In cuneum hoſtium.*] Phalangem Macedonicam *cuneo* intelligi annotat Cœlius li.21. c.18. lect. antiq. quam prædenſi ordinis excogitaſſe omnium princeps dicitur Philippus Alexãdri magni pater, vt ſuperius annotauimus.

Cap.xxvi. *Nullo iure Theſſalorum formula factam.*] Id, inique Theſſalorum iuris factam, à formulis iuris tranſlatione ducta, aut formulis fœderum, ſocietatum, pactionum, vt exiſtimat Turneb. libro 1. cap. 29. aduerſ.

Cap.xxxix. *Sine toga candida.*] Moris ſiquidem erat, vt poſt edicta comitia profeſſi togam candidam induerent, vnde & *candidati* dicuntur magiſtratum ambientes. Neq; vero in profeſſione ſatis erat togam cãdidam induere, ſed etiam ſolenni ad populum nominatione quæ in concione ab aliquo magiſtratu data, fieret. Nam ſi præſens Q. Fuluius Flaccus profeſſus eſt, ſe petere præturam abſq; toga candida, qui prætextam ferre eũ ædilem portebat, relinquitur profiteri aliud fuiſſe, quã toga candida petere magiſtratum. de quo Gruchius de comitiis Rom. li 1. *Candida* ergo *toga* petitionis ſignum erat, vt à populo dignoſcerentur, qui ambirent magiſtratus. Quamdiu enim retinebatur toga candida, tamdiu perſtare in petitione, ea depoſita, & petendi voluntatem depoſuiſſe candidari cenſebantur. Toga candida.

Eod. *Nomen eius acciperet.*] Nominis ſiquidem editione in petitione magiſtratuum opus erat: eo vero ab hoc qui comitiis præſidebat, nõ recepto, eius rationem haberi non oportebat: ſecus vero eo recepto. Sic C. Martium Rutilium Liuius ſcribit. Cenſuram petere profeſſum, & tamen ſubiicit, *conſules negaſſe ſe eius rationẽ habituros*, & apud Valerium Maximum libr.3. cap. vltimo ſcribitur: *M. Palicanum petitionem conſulatus profeſſum fuiſſe, Caium tamen Piſonem conſulem in concione populi negaſſe, rationem eius ſe habiturum fuiſſe.* Nomen candidati recipere.

Cap.xl. *Fortunam ſibi ipſe facturus.*] Nam vt Plautus in Trinummo ait: *Sapiens ipſe ſibi fingit fortunam, &c, ſui cuique mores fingunt fortunam.* In quam ſententiam vide notata ab Eraſmo in prouerbio: *Sui cuique mores*, &c.

Portii Catonis laus. Eod. *Summus Imperator.*] Hinc Plinius li.7.c.27. *optimum Oratorem, & optimũ quoque Senatorem vocat.* Sabellicus autem ex Neotericis li.7.c.3. Ethnic. exemp. *virũ iuſtum et æquitatis ſtudioſiſſimum* vocat.

Eod. *Cauſam dicendo.*] Sæpiſſime enim accuſatus eſt, ſed *quoties* auctores diſſentiunt. *Quadragies quater accuſatum* ſcribit auctor de viris illuſtribus c. 47. Solinus c. 7. quibus adſtipulãtur Lothardus de Syricho, & Cœlius Rhodiginus li.11.c.14. *quadragiester.* Plin.li.7.c.27. Valerius Maximus ſæpenumero accuſatum ait lib.3.c. 7. *ſexies & quadragies.* Sabell. libr.1.cap.7. Sic quoque Ariſtophontes apud Athenienſes nonagies quinquies accuſatus, ſemper euaſit, vt teſtis eſt Æſchines in celebr. oratione in Demoſthenem, Alexand. ab Alexand. li. 3.cap.3.

Ariſtophontes.

Eod. *Nonageſimo anno.*] Sic & Plutarchus nonagenarium legit. Verum cum Cato, vt hiſtoriæ oſtendunt, octogeſimo quinto ætatis anno obierit, nonagenarius iam Galbam accuſare non potuit, niſi poſt mortem à manibus eius accuſatum velis. Verum huius rei veritatem apud Ciceronem de Claris Oratoribus inuenies.

Galba. Eod. *Galbam.*] Sergium Galbam virum conſularem eloquentiſſimum. De quo Suetonius, Cicero in oratore. Volater. li.16.c.1. Alex. ab Alex. lib.1.c.9.

Cap. XLI. *Nouum hominem.*] Nam genere Tuſculanus, parentib. obſcuris natus fuit, vt qui porcos paſcerent. De eius vero familia & genere præter alios Gellius quoque lib.13.c.18.

Cap. XLII. *L. Quintium Flamininum.*] Titi Quintij fratrem, & qui ſeptem ante annos conſul fuerat.

Notam aſcribere. Eod. *Motis ſenatu notas aſcriberẽt.*] *Notam aſcribere* nihil aliud fuit, quam cauſam infamiæ & ignominioſam edere, vnde perſpicuum eſt differre notare, & ordine mouere. Ob leuiores ſiquidem cauſas mouebant tantum Cenſores, ſicuti ſuperius lib.14. Fabricius P. Cornelium Rufinum conſularem mouit. Grauioribus autẽ pollutos ſceleribus notabant, & notatos quoſdam tribu etiam motos & ærarios factos infra libro 42. Liuius commemorat. Verumtamen ſciendum, quod Cenſoriæ animaduerſiones & notæ non vere iudicia, ſed præiudicia quædam fuerint, itaque qui notatus fuerat, poſtea in iudicium vocabatur, vt Cicero ſcribit li.4. de republ. Cenſoris iudiciũ nihil aliud fere damnato affert, præter ruborem. Itaque quod omnis ea iudicatio verſatur tantum in nomine, animaduerſio illa *ignominia* dicta eſt. Adeo vero ſeuerus in delinquentes Cato cenſor fuit, vt inde *Cenſorij* nomen adeptus ſit. Plin.li.19.c.1. & li.14.c.4. Sabel. lib.2.c.8. Fulgoſius lib.2.c.4.

Ignominia. Cato Cenſorius.

Cap. XLIII. *Facinus ſine eo modo.*] Meminit quoq; huius Cic. in Catone, & Val. Max. li.2.c.4. Plutarchus nõ *ſcortum* ſed *adoleſcentem* fuiſſe ſcribit liberali forma, quem ſemper comitem habuerit, & interfectum vnum ex iis fuiſſe, qui rei capitalis crimine damnati erãt. Ex neotericis autem Sabell. li.7. Ennead. 5. Rapſod. *Gallum* vocat quem à ſuis ad Romanos cũ liberis trãsfugiſſe ait.

Eod. *Sponſione defenderet.*] Sponſione certæ pecuniæ aut æſtimationis aduerſarium prouocaret quam amitteret, qui in lite ſuccumberet, vt Aſconius interpretatur, & poſt eum Budæus in priorib. annotat. Renatdus in Leges 12. tabul. cap.6 de priſco iure vindiciarum.

Attribuere. Cap. XLIV. *In millia æris attribuerentur.*] *Attribuerẽtur* hoc loco ſignificat, *tributi nomine ſtatuerentur*, vt annotauit Budæus de aſſe lib.4. Ergo Cato deterrere volens homines à luxu, pluris decies delicatam veſtem, & venuſta mancipia, quam quanti vendi poſſent æſtimauit, & in æris ſingula millia ternos aſſes tributi conſtituit. Idem quoque Cælius annotauit li.10. lect. antiq. c.2.

Inædificata. Eod. *Inædificata immolitaue.*] *Inædificata* ſunt, auctore Torneb. li.1. aduerſ. ca.29. quæ aliquo in loco ædificata ſunt ſed cum *in loca* dixit, ſignificat ædificia è priuato in publicum procurrentia, & aliquid loci publici occupantia, Plutarcho teſte, eius verba ſunt: ἀνέτρεπεν δὲ καὶ κατέβαλλεν ὅσα προῦβαινεν εἰς τὸ δημόσιον οἰκοδομήματα. *Immolita* autem ſunt, quæ quis vſpiam molitus eſt, ſi quis igitur priuatus ante ædes ſuas in publico podium poſuiſſet, aut menianum proieciſſet, eum id demoliri & diruere tollereque Cato iubebat.

Eod. *Baſilicam.*] Ex pecunia publica, fuit vero ea vicina foro magnoq; ſumptu conſtructa, *Porcia* appellata, ob æternam nominis ſui gloriam, teſte Plutarcho & Martiano li.3.c.26. & in Blondo, qui de Roma triumphante etiam hodie huius baſilicæ veſtigia nonnulla extare ſcribit. Erat autem *Baſilica* domus ampla & ſpacioſa, templo perſimilis, ambulationib. ampliſſimis inſtructa, cauſarum cognitioni deſtinata, ad quam multi tota ex vrbe, alij cauſas agendi, alij conſultandi, alij aliud agendi gratia confluebant, dicta *baſilica* ἀπὸ τοῦ βασιλέως, cuius appellatione Græci etiam *iudicem* intelligerent, aſtipulante Heſiodo, qui βασιλῆας δωροφάγους, vocat, id eſt, *donuores iudices*, interprete Budæo.

Eod. *Vectigalia ſummis pretiis, vltrotributa infimis locauerũt.*] Hic ambigitur, quin iſta inter ſe differant. Nam eadem ſi eſſent, iiſdem pretiis locata oportuit. Ac *vectigalia* omnib. quidem nota ſunt, *vltrotributorum* ignoratio ſententiæ cognitioni officit, Tornebus li.1. aduerſ. c.29. *Vltrotributa* eſſe putat impenſas & attributiones operum publicorum faciendorum, & ſartorum tectorum præſtandorum mancipibus & redemptorib. certa mercede locatorũ: ita *vectigalia*, quib. reditus & fructus populi Romani conſtabant, quãrum potuerunt Cenſores auxerunt: *Vltrotributa*, quib. impenſæ ſumptuſq; & erogationes pecuniæ publicæ ex ærario hauriebantur, quantum potuerũt, pretiis diminuerunt, & ad minimam ſummam perduxerunt. Cui interpretationi Plutarchus aſſipulatur, qui de eadem cenſura Liuium ſecutus, ita ſcribit: συνέστειλε δὲ τοῖς μισθοῖς τὰς ἐργολαβίας, τὰ δὲ τέλη ταῖς πράσεσιν ἐπὶ τὰς ἐσχάτας ἐλαύνων τιμάς. Itaque iſtud li.43. *Qui publica vectigalia aut vltrotributa conduxiſſent*, in eandem ſententiam accipiendum erit. Vltrotributa.

Eod. *Semoſtis ab haſta.*] Quid per *haſtam* hic intelligatur ſuperius li.24. expoſitum eſt: & de auctionum haſta & magiſtris Cœlius late lib.21. ca.17. Haſta.

Cap. XLVI. *Defunctoſq; vulgo ferebant.*] Senſus horum verborum eſt, vulgo ita dictitatum populũ Romanum eiuſmodi caſtrorum imagine, quæ in foro fuerat, videri cum fatis deciſſe, quæ diram olim caſtrorum metationem in medio foro meditari credebantur. *Defunctos* igitur *fato*, id eſt ſolutos & exemptos, nec vltra vlli fato obnoxios, ita Budæus in prioribus in Pandectas. Defungi fato.

Cap. XLIX. *Præoccupandam Coronem.*] Hæc enim in ipſo ſere Meſſeniaci ſinus altero cornu ſita eſt, de qua Stephanus & Pauſanias in Meſſeniacis. Corone.

Cap. LI. *Pruſiam regem.*] Bithyniæ regem, de qua legatione vide Plutarchum in vita Flaminij & Hannibalis. Debellato autem Antiocho, Romani præter alias conditiones, quas impoſuerunt regi, Hannibalem perpetuum ſuæ reipubl. hoſtem ſibi tradi poſtulabant, quo intellecto Hannibal, ne in hoſtium veniret manus ad Pruſiam regem confugit. Qua de re lege Plutarchum in Hannibale, & Fulgoſium li.7.c.3.

Eod. *Nihil inexploratum.*] Hinc Prouerbium: *Multæ regum aures atque oculi*, de quo Eraſmus in Adagiis. Meminit & eius Ariſtoteles in 3. Politicorum.

Eod. *Mortem ſenis.*] Annum ſiquidem ſeptuageſimũ tunc egit, vt Æmilius Probus in eius vita teſtatur.

Eod. *Hic vitæ exitus.*] De Hannibalis morte diuerſas hiſtoricorum opiniones, lege apud Plutarchum in eius & Quintij Flaminij vita, Iuuenalem Satyra 10. Sabellicum li.6. Ennead.3. Iulium Obſeq. c.3. prodigiorũ. Volaterranum lib.14. cap.1. Vrban. comm. Annibalis vero mortui corpus poſitum fuit apud Libyſſam Bithyniæ vicũ, in arca lapidea, in qua inſcriptum erat: ANNIBAL HIC SITVS EST. Auctor Plinius de viris illuſtribus: Petrus Bellonius Cenomanus de admirabili operum antiquorum, & rerum ſuſpiciendarum præſtantia lib.1.c. 33. de loco ſepulchri Hannibalis, quem ſe vidiſſe ait, hæc ſcripta reliquit: *Monumentorum*, inquit, *etiamnum circa Nicomediã, infinitus fere cernitur numerus, in queis* Hannibalis exitus. Libyſſa Hannibalis ſepulchro clara.

Hannibalis ſepulchrum vidi, in Libyſſa Bithynia vrbe, quæ nunc Diacibe vocatur, et mari abluitur. Vrbis huius ruinæ ſuperſunt, in quibus tamen nemo habitat. Colliculus illic eſt mœnibus circumdatus, arcem in iugo ſitam habens, in qua Hannibalem ſepultum ſcribunt. Hæc Bellonius. Meminit eius ſepulchri Plin. lib. 5. c. 32.

Cap. LII. *Funeri ſuo exilium indixit.*] Nam vt & ſuperius vidimus, Literni, vel Aminturni, vt Antonius vocat, moriens, ab vxore petiit, nec corpus ſuum referretur Romam, & ſepulchro ſuo inſcribi iuſſit: *Ingrata patria ne oſſa quidem mea habes*, vt refert Valerius li. 5. c. 3. Oroſius lib. 4. c. 20.

IN LIBRVM XL. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS IV. LIB. X. DICITVR, ANNOTATIONES.

Palilia.

CAp. II. *Pridie Palilia.*] *Palilia* vel *Parilia*, Palis deæ ſolennitas. Dies vrbis Romæ natalis fuit XII. K. Mai. *Palilia* vero, vt Varro ſcribit, dicta à *Pale*, vt Cerealia à Cerere. *Parilia* vero, vt alij volūt, quoniam pro partu pecorum Pali Deæ ſacra fiebant.

Cap. III. *Liberos eorum toleret.*] Reſpexit ad vulgatum prouerbium: νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. De quo eraſmus in prouerbio: *Stultus, qui patre cæſo liberis pepercit.*

Celeuſma.

Cap. IV. *Ad hortationem remigum.*] *Hortationem* vocat, quam & Latini Græca voce *Celeuſma* dicunt. Hoc vero in nauib. claſſiariis alta voce interdum, interdum tibia canebatur, ita vt remiges pro modulorum atq; harmoniæ ratione concitarent, vel inhiberent remos. Hinc *Celeuſtes* eſt, qui remiges hortatur, quaſi nauigationis moderator, qui à Plauto Latine dicitur *hortator*. Budæos in prioribus annot.

Libitina.

Cap. XIX. *Libitina tunc vix ſufficeret.*] Cœlius libro 29. cap. 18. notat. *Libitinam non ſufficere* dici, cum morientiū vis magna eſt. Ac idem libro 5. cap. 25. notat, *Libitinam* defunctorum præſidem, licet Acron Horatianus interpres ſcripſerit, *Libitinam lectum, quo mortui efferantur.* Sed de Venere Epitymbia *Libitinam* dici auctor eſt Plutarchus, prout Cœlius latius docet libro 29. cap. 18. Vota Libitinariorum leguntur apud Senecam libr. de beneficiis 6. ea vero ſunt, vt complures moriantur. Hinc apud Horatium *Libitinam vitare* dicuntur, qui ſe immortalitati vendicant. Fuit quoque Romæ *Libitinenſis porta*, qua efferebantur cadauera, quoniam lege cautum erat, ne quis in vrbe ſepeliretur. Huius Libitinenſis portæ meminit in Commodo Lampridius.

Cap. XXIX. *Scribam eum quæſtor.*] Quęſtoribus enim, ædilib. atq; prætorib. hanc facultatem fuiſſe, vt ſcribas legerent, eoſq. in decurias, vel quæſtoriorum, vel ędilitiorum, vel prætoriorum, prout lecti eſſent, transferrent, non obſcure innuit Cicero in Cluentiana, vbi de Matrinio ſcriba loquitur.

Tempus omnia conſumit.

Eod. *Per tabem tot annorum.*] Tempus enim omnia conſumit. Hinc Plato: Αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν

οὔνομα καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν ἠδὲ τύχην.

Victimarij.

Eod. *A victimariis.*] *Victimarij* ſacerdotum miniſtri erant, qui victimas ligabant, & cultrum, aquam & molam parabant, & reliqua quæ ſacris neceſſaria erant. Meminit eorum & Valerius li. 1. c. 1.

Cap. XXXVI. *Suas ornari prouincias.*] Non ſolum enim decernebantur à Senatu prouinciæ, ſed etiam poſt legem curiatam ornabantur, hoc eſt, ſummum concilium ſtatuebat, quo viatico, quo comitatu de publico inſtructi magiſtratus in prouincias proficiſci, & ſi prouinciæ tuendæ armis eſſent, quot legionibus eam gerere deberent. Poſtremo Senatus de alimentis, veſtibus & ſtipendio exercitus prouidebat. Argumento eſt epiſtola Cn. Pompeii libro 3. hiſtoriarum Saluſtij, qua ſuis legionibus frumentum, ſtipendium à Senatu poſcit & flagitat. Extat item huius antiquitatis memoria in Epiſtola Cœlij, vt annotat Zamoſcius libro II. de Senatu Romano.

Fortuna equeſtris.

Cap. XL. *Fortunæ equeſtri.*] Meminit huius libri & infra lib. ab hoc ſecundo. Huius vero ædem ſyſtylon ad theatrum lapideum fuiſſe Vitruuius in tertio ſcribit. Quæ tamen, quod Cornelius Tacitus, alias antiquitatis diligentiſſimus, in tertio ſcribit, Romæ fortunam equeſtrem non fuiſſe.

Rex ſacrificus.

Cap. XLII. *Rege ſacrifico.*] *Rex ſacrorum*, qui & *rex ſacrificulus* dictus eſt, à Romanis inſtitutus, Iunio Bruto & M. Valerio primis conſulibus, cum Roma reges exacti eſſent, vt Plutarchus in quæſtionibus tradit, propter ſacra quędam, quæ per regem tantum celebrari decebat. Rex tamen iſte pontifici maximo ſubiectus erat. Huius vxor *regina ſacrorum* dicebatur, quę quoties ſacra faceret, ex malo Punico virgam, quam *Inarculam* vocabāt, infulæ loco deferebat.

Cap. XLIII. *Publice Latine loquerentur.*] An de Latino ſermone, qui paucis doctioribus erat in vſu, aut de eo qui omnibus erat promiſcuus, Liuius intelligit? Sic & Iuuenalis Satyra II.

Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porriget incultus puer, atque à frigore tutus.
Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus
Quiſquam erit, & magno eum poſcis, poſce Latine.

Non mediocrem Romanis iniuriam feciſſent Cumani, ſi ea lingua publice loqui voluiſſent, quam illi non omnibus ſuis impertirent, ſed primi ciuitatis priuatim ſibi vendicarent. De qua re vide late diſſerētem Franciſcum Floridum Sabinum, ca. I. li. 2. ſucciſiuarum lectionum.

Coronæ aureæ.

Eod. *Coronas aureas.*] Gellius lib. 5. cap. 6. *Triumphales, inquit, coronæ ſunt aureæ, quæ Imperatorib. ob honorem triumphi mittuntur, id vulgo dicitur aurum coronariū.* Seruius autē li. 8. Æneidos *aurum coronarium* eſſe ait, quod victis gentib. ob conceſſam vitam imponebatur. Quæ ſententia Zaſio in catalogo legum antiquarum minime placet, quod aurum coronarium non tam à victis ciuitatibus quam ſociis atque liberis dabatur. De hoc titulus eſt circa finem li. 10. Codicis, vbi vide Cuiacium de auro coronario. Meminit eius & Gellius lib. 13. ca. 23. & ibi vide Scholiaſten.

Aurum coronarium.

Annaria lex.

Eod. *Quot annos nati.*] Ante hanc legem frequenter etiam iuuenes, in quibus maxima virtus enituiſſet, populo Romano concedente conſulatum, & reliquos magiſtratus aſſequebantur, vt id Cicero quinta Philippica affirmat. Ceterum quia, quis cuique magiſtratui petendo legitimus annus eſſet, nominatim hac lege expreſſum non inuenitur; quid Manutius legendo obſeruarit, vide apud eum in lib. de legib. Romanis. Appellatur autem hæc lex etiam *annaria*, auctore Feſto, vnde Lampridius in Cōmodo: *Poſt hæc venia legis annariæ impetrata, conſul factus eſt.* Vide de lege annaria Petrum Crinitum, li. 8. c. 13. de honeſta diſciplina. Maioragium cap. 4. de Senat. Rom. & Zamoſcium de Senatorum ętate quam plurima diſputantem. libr. I. de Senatu Roman.

Cap. XLVI. *Amicitias immortales.*] Prouerbij loco hāc ſententiam citat Eraſmus in prouerbio: *Amicitias immortales eſſe oportet.*

Proſceniū.

Cap. LI *Proſcenium.*] *Proſcenium* locus erat, auctore Budæo, ante ſcenam porrectus, vbi pulpitum excitatū erat, quo actores fabularum prodirent, ita vt ſcena altior pulpito eſſet, pulpitum altius Orcheſtra. Sunt qui *proſcenium* dictum eſſe putant à Nannio Proſcenio meretricula, ea ſiquidem cultius exquiſitiuſq; aureis fulta ornamentis, formoſæ grataque puellę ſpeciem præferebat, verum exuta turpiſſimæ nota non caruit, de quo vide notata per Cœlium li. 16. c. 5. lect. antiq.

Lares permarini. Cap.LII. *Larium permarinum.*] Qui ſunt, vt vetus Lexicon interpretator, θεοὶ θαλάσσιοι, vt annotat Torneb.li.20.aduerſ.c.35. Gyraldus hiſtoriæ Deorum Syntagmate 15.putat, quod vt antiqui domibus publicis priuatiſque ac compitis Lares, ita etiam nauibus attribuiſſent, vnde ſint *per marini lares.*

IN LIBRVM XLI. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS V. LIB. I. DICITVR, ANNOTAT.

CAp.II. *Quintanum.*] Scilicet portam, quæ & *Quintanis* dicitur.

Quæſtor. ũ. Eod. *Quæſtorium.*] Tabernaculum Quæſtoris, ſicuti *prætorium*, tabernaculum prætoris.

Sanqualis. Cap.XIII. *Sanqualium.*] Quam quidam *oſſifragam* vocant, *Sanqualem* autem atque *immuſſulum* augures Romanos in magna quæſtione l ab iſſe auctor eſt Plinius lib.10.cap.7.

Prytaneũ. Cap.XX. *Prytaneũ.*] *Prytaneũ* proprie dicebatur, quod in ea triticũ ſeruaretur, quod Græci πυρὸν, dicunt, quaſi πυρῶν ταμεῖον, auctor eſt Plutarchus, Cimonem Athenienſem liberalitatis animi præalri domum ſuam ciuibus feciſſe πρυτανεῖον κοινόν. Vide Cœlium li.13.c.32.

Iupiter Olympias Eod. *Iouis Olympy.*] Sic Iouem cognominatum eſſe, auctor eſt Diodorus ab *Olympo* præfecto, abs quo ingenuj cultum acceperit. Cœlius li.20.c.13.lect.antiq.

Eod. *Non laqueatum auro.*] Id eſt, non tantum habens laquearia aurata, ſed etiam ipſos parietes auro incruſtatos: *Laquearia* enim ſuperiores ædificij partes conuexæ dicuntur, à nomine *lacus*, propterea quod tignorum interualla quandam lacuum ſpeciem præbere videantur. Cic.lib.2.de legib. Magnificaſq; villas & pauimenta marmorea & laqueata recta contemno. Vbi

Laqueat ũ. Torneb. *laqueata tecta* eleganti lacunari ornata tecta exponit, quod pingebatur inaurabaturque. Lucretius:

Non Cythera reboant laqueata aurataque templa.

Glares. Cap.XXVII. *Glaream in extra.*] Id eſt, minutiſſimis lapillis, qui fluuiorum ripis vel maris littoribus reperiũtur.

Marginare. Eod. *Marginandaſque.*] Id eſt, vt viarũ margines & extremitates integræ, ſartæ tectæque conſeruarentur, vel dilapſæ reficerentur. Sic *marginata tabula* apud Pli.lib.35.cap.12.quæ marginem habet amplam.

Iani. Eod. *Ianos tres faciendos.*] *Iani* plurari numero vocantur ædificia quadriformia & peruia, ſeu ſtrata illa & lapidea, ſeu ex materia pro tempore excitata. Sic Suetonius in Domitiano: *Et forum* inquit, *porticibus taberniſq; claudendam & Ianos tres faciendos.* Huc referenda, quæ & Cic.lib.2 de nat. Deorum ſcripſit, *Cumque*, inquit, *in rebus omnibus vim haberent maximam prima et extrema, principem in ſacrificando Ianum eſſe voluerunt, quod ab eundo nomen ductam eſt, ex quo tranſitiones perviæ Iani, foreſque in liminibus profanarum adium ianuæ nominantur.* Hęc Cicero.

Sardi venales. Cap.XXVIII. *Ceſa aut capta.*] Tantum captiuorum Gracchus adduxiſſe ſcribitur, auctore Plinio de viris illuſtribus, vt longa venditione res in prouerbium veniret, *Sardi venales*: cuius prouerbij rationẽ Plutarchus in Romanorum problematibus aliam taman adfert. Nimirum olim inoleuiſſe morem apud Romanos ſolennem, vt qui ludos in Capitolio ederent, Sardos venales pronunciarent, prodiretq; puer quiſpiam, per ludibrium monili cinctus, quam bullam vocant, eumq; morem hinc ortum putat, quod Veientes olim diu cũ Romanis bellum geſſiſſent, quodq; vrbem horum poſtremam Romulus expugnaſſet. Vnde & regem ipſum & multos captiuos Romam deductos, venales pronũciauit. Porro cum Lydi ab initio fuerint Hetruſci, Lydorum autem caput erat Sardis, inde factum vt Hetruſcos *Sardorum* nomine pronunciauerit venales. Huius autem prouerbij meminit Cicero quoque lib.7.Epiſt. fam. & explicat Eraſmus in Chiliadibus.

Eod. *Sardiniæ inſulæ forma erat.*] Inſulæ eius longitudinem Strabo lib.5. facit milliarium 220. latitudinem 98. Ptolem. autem multo lõgiorem fecit quam ſit lata Eorum enim littus. 188. milie paſſuum lõgitudinis habet, max. latitudine 122. in mille paſſuum exiſtente, in cuius ſententia quoque eſt Mela lib.2.c.7. circa finem. Eſt autem hæc inſula à *Sardo* Herculis filio ita dicta, vt Silius Italicus lib.12.& Solinus c.10. tradunt.

IN LIBRVM XLII. LIVII, QVI AB ALIIS DECADIS V. LIB. II. DICITVR, ANNOTATIVNCVLÆ.

CAp.I. *Inſtrumento militari ornabantur.*] Vide notata ſuperius lib.40.

Pulla lana. Cap.II. *Lana pulla.*] Id eſt, Fuſca in nigrum vergens, cuiuſmodi eſt & terræ color qui *pelleus* dicitur. Verg. li.3. Georgicorum: *Ne maculis infuſcent vellera pullis*, id eſt, *nigris*, vt inquit Seruius.

Pomptina palus. Eod. *Pomptinum omne.*] Paludem Pomptinam intelligit, quam alij *Satyram* appellant, alij vero Pontinam ſcribunt de qua Virgilius Æneid.7.

Qua Saturæ iacet atra palus, gelidusque per imas,
Quærit iter valles atque in mare conditur Vfens.

De hac palude vide Cœlium li.19.c.25.

Iuno Moneta. Cap.VIII. *Aedem Iunonis Monetæ.*] *Iuno Moneta* vnde dicta ſit, vide ſupra lib.7.ab vrbe condita.

Cap.XIV. *Martem communem.*] Homericum hoc eſt: Is ſiquidem Iliad. σ. inquit:

ξυνὸς ἐνυάλιος καί τε κτανέοντα κατέκτα. id eſt,

Communis Mars, inque vicem perimit perimentem.

Mars communis. Vide Eraſmum in prouerbio, *Omnium rerum viciſſitudo eſt*, & in prouerbio: *Mars communis.*

Cirrha. Cap.XV. *A Cirrha.*] Cirrha vrbs eſt in Phocide, ad radicem Parnaſſi montis, Plinius lib.4.c.1.

Latrones. Cap.... *Latrones.*] Conuenienti eos nomine appellat *latrones*, ſiquidem illi ſunt, qui ſpe prædæ hominũ vitæ inſidiãtur, quales ſunt graſſatores & viarum obſeſſores.

Lautia. Cap.XXVI. *Loca, Lautia acciperent.*] *Lautia* quæ dicantur ſuperius dictum eſt, & ſunt à Plutarcho in quæſtionib. Romanis interpretata. hoc vero priorib adiciendũ à Græcis ea *xenia* appellata, vt ſit à Demoſthene in oratione de legatione. *Xenia* enim Philippi regis legatis Xenia.
Athenienſium data ſic vocauit, id quod & alicubi Plutarchus. quin & eodem modo vſus eſt Appianus cum ſcribit Phaneam, qui cum Scipione nauigauerat, à Senatu ſuſceptum, xeniſque quam plurimis donatum.

Pellæ. Cap.LI. *Pellæ inveteri regia.*] Huius ſitum infra libr. 45. Liuius deſcribit. Strabonis Epitome, *Pellam* initio paruulũ oppidum fuiſſe aſtruit, ſed in ea enutritus Philippus, & ampliorem & illuſtriorem reddidit. Hæc Alexandri quoque Magni patria fuit, Vnde Iuuenalis.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Clara quoque eſt Euripidis ſepulchro: cuius Politianus vno verſu elegantiſſime meminit in Nutricia ſua:

Quemque tegit rabidis laceram pia Pella Moloſſis.

Minerua Alcides. Eod. *Alcidam.*] Minerua *Alcides* à Macedonib. cognominata eſt, haud dubie ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, i.e. *robore*, virtute & fortitudine, ſicut & Hercules ab ea dictus eſſe putatur.

Agema. End. *Duo erunt agemata.*] Arrianus quoſdam equites in Alexandri exercitu *ſariſſophoros* appellatos tradit, ſicuti & nonnullos qui dicerentur amici. Nec non aliam equitũ quæ dicatur *agema*, quamquam & de peditib dici ἄγημα teſtator idem Arrianus, vt notat Cœlius lib. 21. cap.31. Qui vero hic *cetrati* dicuntur. Græcis ſunt *Pel-* Cetrati.

tuſta, Cœlius lib.10.cap. 4. Scuto protecti modico, & lanceas proferentes haud ita longas, idem lib. 21. cap. 18. De his etiam ſuperius nonnulla annotauimus.

Sacra ala. Eod. *Equitumq; ſacræ aliæ.*] Sic Cœlius li.9. ca. 23. annotat, Thebis fuiſſe ἱερὸν λόχον, id eſt, *ſacram cohortem*, quam Gorgidas inſtitueit, primos ex electiſſimis viris hoc eſt amatoribus, amatiſq; vt voluere nonnulli, quãdo hic eſt ad robur nexus poreos.

Equeſter ordo. Cap. xxi. *Equites ſeminarium Senatus.*] Equeſter enim ordo quaſi gradus ad Senatorium erat. Ælius quoque Lampridius multis poſt annis euerſa Repub. idem Alexandrum Seuerum Imperatorem dixiſſe narrat, *Numquam*, (inquiẽs) *libertinos in equeſtrem locum redegit, aſſerem Senatorum ſeminarium equeſtrem locum eſſe.* Hinc & Feſtus, *Adlecti dicebantur, qui ob inopiam ex equeſtri ordine in Senatorium numerum aſſumpti ſunt.* Adlecti.

Ceſtron. Cap. xxv. *Ceſtroſphendonis.*] *Ceſtron.* miſſilis genus, quod Itali, auctore Cœlio lib. 27. c. 4. *culum* vocant, id Perſico bello inuentum arbitratur Suidas, de quo & alius generib. telorum Petrus Crinitus lib. 13. c. 6. de honeſta diſciplina, Torneb. lib. aduerſariorum 20. cap. 31. *Ceſtro* Græcis *verutum* ſignificari tradit.

IN LIBRVM XLIII. QVI ALIIS DECADIS V. LIBER III. DICITVR.

Recuperatores. CAp. II. *Quinos recuperatores.*] Hi ſunt qui poſtea *in dices delegati* à recentioribus appellari cœpti ſunt. Dabantur autem à prætore, poſt iudicium conſtitutum, vt annotat Budæus in poſterioribus ad Pand.

Patroni qui. Eod. *Patronoſque.*] Qui eos defenderent. *Qui defendit alterum*: inquit Aſconius, *aut patronus dicitur, ſi orator eſt, aut aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico, aut procurator, ſi negotium ſuſcepit, aut cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic tuetur vt ſuam.*

Vicesima. Eod. *Vicesimas vendere Hiſpanos.*] Variæ vicesimæ inde ab auctoribus memorantur, Erat enim *vicesima* rerum venditarum, quæ ad fiſcum pertinebat, de qua Plinius lib. 7. epiſtolarum, & Iacobus Rænardus lib. 3. Variorum cap. 16. Fuit & vicesima eorum, qui manumitterentur introducta ex lege Manlia, de qua ſupra lib. 7. Huius meminit & Cicero ad Atticum lib. 2. quãuis Blondus in ſua Roma triumphante, vbi de vectigalibus diſputat, neſcio cuius auctoritate fretus, Ciceronem in eo loco de vicesima quadam loqui ſcribat, quam ex re frumentaria Latini Romanis præſtiterint. Fuit & *vicesima hereditatum*, introducta lege Iulia vel Papia, qua cautum erat, vt ſi quis hæres extraneus inſtitutus fuiſſet, is priuſquam hæreditatem adiret, vicesimam eius partem fiſco daret, qua lege filij & proximiores hæredes non tenebantur. De qua Alciatus libro diſpunctionum 3. ca. 6. Zaſius in catalogo legum antiquarum de lege Iulia vel Papia de maritandis ordinibus. Hanc Gratianus Imperator, vt tradit in gratiarum actione Auſonius, penitus ſuſtulit. De legibus autem vicesimæ primus ſcripſit Iuriſconſultus A. Offilius, auctore Pomponio de origine iuris.

Ampliati qui. Eod. *Bis ampliatus.*] *Ampliati* ſunt rei, quorum damnatio vel abſolutio differtur, aut quia coram ſiſtendi ſunt teſtes. aut quod nondum plane liquet, aut de crimine, aut de pœnæ modo. De quo late Budæus in prioribus annotat. Magna vero diſputatio eſt de ampliatis & comperendinatis, de qua vide Manutium in libro de legibus Romanis: Robortellum lib. 2. emendationum ca. 25. 26. & 27. Nec contemnenda ſunt ea, quæ annotauit Torneb. lib. 1. aduerſ. cap. 3. quæ & ſuperius retulimus.

Eod. *Furius Præneſte, Matienus Tybur.*] Id proœmodũ eſt: *Exquilias à feruẽti migrare Suburra.* Sed enim vrbes erant aliquot Latinorum, in quas exilij cauſa ſolum vertere ius erat, iam inde ab vltima prope antiquitate. In quibus hæ duæ numerabantur, vt ex Halycarnaſſco tradit Torneb. aduerſ. lib. 16 c. 21.

Cõpellare pro accuſare. Eod. *Potentes compellare.*] *Compellare* pro *accuſare* hoc loco poni, Torneb. eodem loco annotat.

Cap. III. *Cum quibus connubium non eſſet.*] Hos quidam Latinæ conditionis fuiſſe credunt. At ſeruorum in numero fuiſſe Torneb. exiſtimat, quod hic Liuius eos manumitti Senatui placuiſſe ſcribat, quo ſignificat ingenuos non fuiſſe, & quod ea colonia Latinorum Libertinorumque appellata ſit.

Sagulum. Cap. v. *Sagula.*] Veſtes militares. Virgilius: *Virgatis lucent ſagulis.* Tacitus de moribus Germanorum: *Nam unt ſagulo leues, nulla cultus iactatio.* Et paulo poſt, *Tegmen omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum.*

Cap. XI. *Poſt Terminalia.*] *Terminalia* feriæ in honorem Termini dei, finium cuſtodis, inſtitutæ, quæ poſtidie Chariſtiorum celebrabantur, de quibus Ouidius in Faſtis. Varro dicit, hoc Feſtum celebratum fuiſſe pridie Kal. Martias, niſi cum intercalaretur Februarius tum enim ſexto à fine die ſolitum fieri ſcribit, quamquam ait tum quinque inferiores dies ei menſi demi ſolitos. Terminalia.

Cap. XII. *Priuſquam id ſors cerneret.*] *Sors cernere* dicitur, cum eius aleæ aliqoid permittitur, vt id diſceptet vt euentus ſit, quem diiudicauerit, Torneb. lib. 16. aduerſariorum cap. 21. Sors cernit.

Cap. XIV. *Non conſulibus, ſed ambitioſis conſulibus.*] Id eſt, qui vel fauore vel accepta mercede agerent. Sic & *ambitioſa decreta* dicuntur, tam quæ gratis quam ea quę accepta mercede contra ius & æquum in alicuius fauorem à iudicibus interponuntur, L. 65. §. 2. ff. ad S. C. Trebell. Sic *ambitioſas ſententias* accepiſſe videri poteſt in Domitiano Suetonius, *Ambitioſas* (inquiens) *centum virorum ſententias reſcidit.* Vide Ræuardum lib. 5. Variorum cap. 6. Ambitioſi conſules. Ambitioſa decreta.

Eod. *Pretores quibus & vis imperij minor.*] Conſules enim duodecim faſces præferebant, prætores vrbani binos, prouinciales ſenos. Hinc prouincialem prætorem Polybius ἑξαπέλεκυν ſolet vocare, quaſi cui ſex ſecures prę ferantur, & *imperium* proprie conſulũ fuit, prætorum *iuriſdictio*. Verum qui, quod vtriuſque ius fuerit, latius ſcire volet, leget Commentaria Onuphrij in lib. Faſt. Prætorum poteſtas.

Eod. *Cenſui cenſendo.*] *Legem cenſui cenſendo dicere*, pro cenſo agendo, æſtimandiſque ciuium fortunis & facultatibus vetere dicendi formula vſurpauit, annotante Tornebo lib. & cap. præallegato. Cicero pro Flacco. *Illud quæro ſintne iſta prædia cenſui cenſendo.* Cenſui cenſẽdo legem dicere.

Eod. *Hac adiurarent.*] Id eſt, hæc iurarent, aut prætterea iurarent. Id. n. eſt adiurare. Adiurare.

Eod. *Gratioſa miſſio.*] Id eſt, per ambitionem & gratiam impetrata vt Torneb. eodem loco exponit. Gratioſa miſſio.

Cap. XVI. *Vltro tributa.*] Hæc quæ fuerint ſuperius explicatum eſt, vt & quid ſit *inædificata*, quæ huc repetas.

Eod. *Auocatam à ſe concionem.*] *Auocare concionem* eſt concionem à magiſtratu, qui eam aduocauit abducere, quod vt apud Gellium eſt, ius erat aliquibus magiſtratibus facere. Sed à Tribuno auocare, vt ex Liuio auguramur, nefas erat. Tornebus lib. 16. aduerſ. capite vigeſimoprimo. Auocare concionem.

Eod. *In ordinem ſe coactum.*] *In ordinem redigi* quid ſit, ſupra libro 25. explicatum eſt ex Cœlij libro 25. capite 18.

Eod. *Bona conſecrauit.*] Id eſt. deuouit & deteſtabilia decreuit eſſe, ita vt cuiuslibet direptioni expoſita eſſẽt. Hoc enim hic eſt *conſecrare*, licet & ita intelligi poſſit; vt *conſecrare* ſit à priuato cultu, ſacro aliquo carmine vindicare, vt Romæ Sp. Melij & M. Ciceronis area cõſecrata eſt, & Scipio Carthaginem conſecrauit ad æ- Bona alicuius conſecrare.

ternam hominum memoriam, vt Cicero in prima agraria contra Rullum. Appianus in Libyca & libro 1. de bellis ciuilib. teſtantur. Alia eſt *conſecratio* quam *apotheoſim* diαerunt, de qua nominatim locutus eſt Herodianus. vbi de Seueri morte agit, de qua vide Cœlium lib.21.cap.33.

Tribunorũ plebis ſacroſancta auctoritas.

Eod. *Vtriq; cenſori perduellionem ſe iudicare.*] Tribunus non tãtum mulctam irrogat, ſed etiam crimen iudicat, eum quem de crimine condemnat, qua de re apud populum poſtea certabatur ex prouocatione, vt Torneb. præallegato loco annotat. Ceterum quod tribunus cẽſorib. diẽ perduellionis dicit, id inde fit, quod ſi quis intercesſioni Tribunitiæ non paruiſſet, aut concionem à Tribunis auocaſſet, is maieſtatis crimen cõmiſiſſe cenſeretur; vt ſi quis concilium plebis vi atq; audacia turbaſſet, tribunosve in ordinem coegiſſet, maieſtatis in eum iudiciũ exercebatur, quale hoc libro deſcribitur. Sed & ſi quis tribuno plebis de via non deceſſiſſet, in hoc crimen, quaſi ſcopulum quendam impingebat. Scribit enim Plutarchus in Gracchis C. Veturium ciuem Romanum vltimo ſupplicio affectum, quod tribuno plebis in foro ambulanti de via non deceſſiſſet; cum more maiorum omnes ei cedere tenerentur. Porro hoc crimen antiqui *perduellionem* vocabant. ex ea nimirum cauſa, quod huius criminis conuicti hoſtiliani-mo aduerſus Rempub. eſſe viderentur. Nam antiqui hoſtes *perduelles* vocabant, itaque ea differentia eſt inter *perduellionis* & *maieſtatis* crimen, quod omnia perduellionis delicta ſub nomine *maieſtatis* cadunt, non autem omnia, quæ crimina maieſtatis dicuntur, *perduellionis* ſunt, vt L.fin.ff. ad l. Iuliam maieſtat. Vide quæ de hoc annotauimus ſupra lib. 1.

Perduellionis crimen.

Tabulariũ quid.

Eod. *Clauſoque tabulario.*] *Tabulariũ* locus erat Romę refertus omnib. inſtrumentis, tabulis, literiſque publicis, in quib. omnia; paſcua, prædia, vectigalia, portoria, ciuitates, redemptioneſque publicanorum perſcripta erant. De eo Maro ſcripſit:

Inſanumque forum, & populi tabularia vidit. Torneb. loco præallegato.

Conceptis verbis iurare.

Eod. *Conceptis verbis iurauit.*] Quid ſit *conceptis verbis iurare*, oſtendimus ſupra, & tradit Torneb. lib. 3. aduerſ. cap. 10.

Eod. *Si collega damnatus eſſet.*] Veræ & infucatæ amicitiæ exemplum. *Lætari enim et dolore afficiex his, quæ in vtramq; fortunam amico contingunt*, vt in Lælio ait Cicero, *ea demũ eſt vera amicitia*: & hinc Demetrius Phalareus veros amicos in rebus lætis & proſperis vocatos, in aduerſis inuocatos & vltro adeſſe ſolitus eſt dicere: Ceterum aliam cauſam, ob quam hi cenſores rei facti ſunt, refert Plinius de viris illuſtribus c. 57. quem vide.

Eod. *Comitem exilij.*] Pro magno enim & inſigni amici commodo, tenuis (vt Theophraſtus ait) infamia interdum ſubeunda eſt, quandoquidem honeſtatis & famæ iactura maiore honeſtate plerumque & cum maximo fœnore compenſatur.

Cap. XVII. *Aquilienſium legatis.*] Certus enim videtur in coloniis familiarum numerus, cui iniuſſu Senatus adiicere non licebat.

Cap. XXI. *Epidamni magis celebre.*] *Epidamnum* ab *Epidamno* barbarorum rege conditore dictum eſſe, Appianus libr. bell. ciuilium ſecundo ſcribit: eiuſque portum eſt poſt *Dyrrachium* dictum à *Dyrracho* Epidamni ex filia nepote. Tandem Corcyrenſes appellationem vt infauſtam mutaſſe, portumque ab vrbe, quæ deſuper imminet *Epidãnũ* dixiſſe. Hactenus ille. At Romani, quia velut in damnum ituris omen id viſum eſt, *Epidamni* nomine vt magis infauſto, expũcto, *Dyrrachij* vocabulum reſtituerunt, vt meminit Pomponius Mela lib. 2. de Macedonia, fere circiter finem.

Eod. *Templum Iouis quem Nicæum vocant.*] An *Nicæus* à *victoria*, i. e. Νίκη dicatur, an à loco, dubitat Gyraldus. Idem tamen cum Ioue Victore eſſe videtur, qui ita cognominatus eſt, quod omnia vincere putaretur, vt Liuius ſup. li. 10. ſcribit, Papyrium in ipſo diſcrimine, quo templa diis immortalibus voueri mos erat, vouiſſe *Ioui Victori*, ſi legiones hoſtium fudiſſet. Ioui vero Victori diem Feſtum Romani celebrarunt idib. Aprilis, qua de re Ouidius in Faſtis: Iupiter Nicæus.

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Iupiter, hac illi ſunt data templa die.

Iouis quem Nicæum vocant.] *Victoria* vero Græcis *νίκη* dicta eſt, [illegible] id eſt, à *non cedendo*: vt Cœlius annotat lib. 5. c. 6. Ita vt *Nicæus* non incommode [illegible], id eſt, *victoria* dictus eſſe videatur. Iupiter Nicæus. Νίκη victoria vnde Græcis dicta.

IN LIBRVM XLIIII. QVI ALIIS DECADIS V. LIB. IV. DICITVR, ANNOTATIONES.

Actium.

CAp. I. *Actiũ Acarnaniæ portũ.*] Vbi & Actij Apollinis tẽplum erat, atque Nicopolis Augusti imperatoris opus: Cũ n. Octauius, cognomento Auguſtus, ante fauces Ambracij ſinus, Antoniũ cum Cleopatra Ægypti regina nauali bello viciſſet, pro huius inſignis victoriæ gloria *Nicopoli* nomẽ impoſuit. Hoc vero bellum poſt Velleium Paterculum Oroſius li. 6. diligentiſſime proſequitur, & ſub finẽ libri octaui elegantiſſime Virg. deſcribit in Æneæ clypeo. Nec minus erudite Flaccus Horat. lib *ἐπῳδῶν* Ode nona. & li. 4. Propertius.

Cap. II. *Diuortium itinerũ.*] Huc transfer ea quæ ſup. li. 38. de diuortiis aquarũ dicta ſunt ex Tornebi ſentẽtia.

Dium.

Eod. *Circa Dium caſtra habuit.*] *Dium* Ptolemæus *Pieriæ* attribuit, Stephanus *Macedoniæ* in qua olim Olympica certamina celebrare conſueuerant. Pauſanias in Bœoticis auctor eſt in his locis Orphea à mulieribus Thracis diſcerptum fuiſſe. Polybius lib. 4. auctor eſt, *Dium* vrbem, ædificiis, gymnaſiis, porticibus, templis, donariis, imaginibus veterum Macedoniæ regum eximie fuiſſe adornatam.

Enipeus.

Cap. VIII. *Enipei amnis.*] Celebris hic eſt amnis victoria Cęſaris contra Pompeium, vnde Lucanus lib. 7.

Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus.

Circenſes ludi.

Cap. IX. *Ludicro Circenſi.*] Quod Græcis *Olympici*, hoc Romanis *Circenſes* ludi fuiſſe videntur. Quippe Agones et Circenſes apud Elidẽ in honorẽ Iouis Olympici pariter inuẽti inſtitutiq; ſunt. Inde Romã aduocatos quidam exiſtimarunt, vbi Neptuno & Cereri tribuerunt, quorũ memoria quotannis celebrabatur iuxta fluminis ripam anguſto tramite altero latere vrgente flumine, altero poſitis gladiis, vt vtrinq; præſens exitiũ eſſet, bigarũ curſu certabatur dimicatione periculoſa, adeo vt intra præſcriptum illas cohercere neceſſe eſſet, vnde *Circẽſes* dicti. De quib. præter liuium Hinc Blond. lib. 2. Romę triumph. Marlianus lib. 4. c. 20. Topog. Ouid. li. 4. Faſt. Alex. ab Alex li. 5. c. 8. Cœlius li. 8. c. 7. Leon. li. 2. c. 57. & li. 1. c. 68. & lib. 2. c. 62. De varia hiſtoria.

Cap. XI. *Lingua.*] *Linguam* vocat terram in mare protenſam ſpecie linguæ. Nam *lingua* ſiue *lingula* interdum *promontoriũ*, vel alia quęuis terra longa & anguſta dicitur, quæ in modum linguę exertæ in mare excurrit Cæſar li. 3. de bell. Gall. *Erant eiuſmodi fere ſitus oppidorum, vt poſita in extremis lingulis promontoriiſque neque pedibus aditum haberent*, &c. Lingua.

Eod. *Ceruis et obiectis.*] *Cerui* hic ſunt furcæ ligneæ cornuta, ad ſimilitudinẽ ceruorũ cornuum. Sic Cæſar li. 7. de bell. Gall. *poſt eas aggerẽ, et vallum duodecim pedũ extruxit huic loricam pinnaſq; adiecit grandib. ceruis*, &c. Cerui.

Cap. XIII. *Iiſdẽ caſtris tenderet.*] *Tẽdere* in re militari tentoria figere, ſeu papilliones erigere ſignificat, ſic Cęſar li. 6. de bell. Gall. *vſq; eo, vt qui ſub vallo tenderẽt mercatores, recipiendi ſui non haberent facultatem*, & Virg. li. 2.

Hic dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles.

Cap. XX. *Eumenem claſſemq; eius, tamquam vento allatas naues.*] Videtur ſignificare claſſem illam, cum ſociis opem non tulerit, paruoq; temporis ſpatio illic manſe-

Digitized by Google

-rir, videri potuiſſe, non conſilio eo veniſſe, ſed tempeſtate delatam. Naues enim cum vi vẽto:um aliquo appellantur ſtatim ceſſantibus illis abeunt. Victorius li. 17. c. aa. Var. lect.

Cap. xxiv. *Natura inter ſe inimica.*] Demoſthenicum hoc eſſe videtur. Sic namque ille: Cωπαὺς γὰρ ἐν τήγανος ἄπας ἐχθεῖν, ὁμονοεῖν καὶ νόμοις παρτίος.

Hippagogæ naues.
Cap. xxviii. *Naues quas hippapogos vocant.*] Hæ aliter *Hippagines*, vocãtur, Polyb. ἱππαγὰς vocat in primo. De quo genere nauigij vide Bayſium in lib. de nauali. Tractat etiam de eo nonnulla Franciſcus Robortellus li. 1. Emendat. cap. 2.

Cyclades.
Eod. *Per Cyclades.*] Sic inſulæ, circa Delon in orbem ſitæ, auctore Plinio, dictæ ſunt, cui & Strabo accedit, vt mirari liceat, qua cauſa motus Seruius *Cyclades* dictas ſcripſerit, non quod in circuitu ſint, ſed potius qood lõgo ordine eas circuire neceſſe eſt. De his vide Melam li. 2. de inſulis Mediterranei maris.

Delius Apollo.
Cap. xxii. *Sanctitas templi.*] In cuius limine inſcriptos fuiſſe verſus legimus, quibus edocerentur homines, qua herbarum compoſitione aduerſus omnia venena vterentur. Ab hac vero inſula *Delo* Apollo *Delius* vocatus, quod in ea & natus & cultus eſſet, & oracula certiſſima redderet, licet Macrobius *Delium* cognominatum tradat, qood ſol luce ſua cuncta τὰ δῆλα, id eſt, *clara et manifeſta* faciat.

Vtrarij.
Cap. xxxiii. *Vtrarios ad mare.*] *Vtrarij* dicebãtur, qui vtribus & aliis id generis pellibus aquam in caſtra deferre ſolebant.

Bucculæ.
Cap. xxxiv. *Bucculaſq.*] *Buccula* ea caſſidis pars, per quam mittitur ſpiritus, ita dictæ, quod buccam tegant. Hinc *buccularij* in iure ciuili dicontur, qoi galeas faciũt, vt annotat Torneb. lib. 9. aduerſ. c. 16.

Cap. xxxvii. *Macedonas vt triſte prodigium.*] Sic & Galatas Lunæ defectu conſpecto perterritos, nec cum Attalo rege vlterius procedere voloiſſe narrat Polyb. lib. 5. Et Germanos ante nouam lunam prœlio minime cõtendere ſolitos refert Cæſar libr. 1. de bell. Gall. Ceterum de hac eclipſi Lunæ vide ſcripta à Plutarcho in vita Æmilij, qui tradit milites Romanos pro ſua conſuetudine ſplendorem Lunę æris percuſſi tinnitu reuocaſſe. & conſulem Æmilium, vbi primum à tenebris Lunã expurgatam viderit, vndecim ei vitulos immolaſſe. Hinc Polyb. lib. 9. tradit cognitione Mathematum, & maxime Aſtrologiæ & Geometriæ, Imperatum opus eſſe, de quo ipſum latius vide.

Diana Tauropolos.
Cap. xliv. *Diana quam Tauropolon vocant.*] *Dianum Tauropolon* vocant, ſicuti in Periegeſi ſcribit Dioniſ. Afer, non ab gente ſolũ, ſed & ab animali, vt probat Euſtathius, qoia armentis præſit. Cœlius li. 7. c. 15. *Tauropolia Diana* meminit, & Diodorus li. 5. Idem & *Tauropolia ſacrificia Diana & Martis* apud Amazones vocari ſcribit Phauorinus: *Tauropolon* (inquit) *Dianã dixerũt, quoniam vt Taurus ... omnia, vel quod Taurum Neptunus immiſerit Hyppolyto furente œſtro per omnẽ fere terrã, vel quod Iphigenia è Scythia fugiens, in Attica ſimulacrũ Diana conſtituerit, et Tauropolon Dianam appellauit.*

Samothraca.
Cap. xlvi. *Samothracam traieciſſe.*] De hac inſula leges Strabonem lib. 10. Diodorum Siculum lib. 6. Plinium li. 4. c. 12. li. 36. c. 5. lib. 37. c. 10. Pomp. Melam li. 2. c. 7. Volat. lib. 9. c. 4. Geograph.

IN LIBRVM XLV. LIVII, QVI ALIIS DECADIS V. LIB. V. DICITVR, ANNOTATIONES.

CAp. *Ad quadrigas mittẽdas excedẽti.*] *Eſcendẽti* nõ *excedenti* legendũ, nam veteres *eſcendo* pro *aſcendo* dixiſſe, annotat Torneb. lib. aduerſ. 20. c. 30. Sic Varro, *è vinea in arbores eſcẽdit vitis:* & rurſus, *in carnariũ eſcẽdit.*

Laureatæ tabellæ.
Eod. *Laureatas tabellas.*] *Literas laureatas* intelligit, quæ quid fuerint ſuperius oſtendimus. Et vide de hiſce Brodæum lib. 1. Miſcellaneorum c. 33.

Cap. vii. *Pullo amictas illo.*] Torneb. lib. 16. aduerſariorum c. 20. legit, *pullo amictus villo. Villus* autem pilus eſt. Martialis: *Calfaciunt villi pallia veſtra mei.* Si quis tamen *fillo* legere malit, nec ipſe contradicit.

Fortuna æſtuaria.
Cap. viii. *Exemplum mutationis rerum humanarum.*] κύκλος τὰ ἀνθρώπινα, id eſt, *Circulus res mortalium,* ſc. *ſunt* quod circum agantur, & velut in orbem recurrat, fortuna verſante rotam, de quo Eraſmus in prouerbio, *omnium rerum viciſſitudo eſt.* Et in prouerbio *Fortuna.*

Eod. *Conſurrexit conſul.*] Quin & conſulẽ hoſtis crudeliſſimi aduerſa fortuna motum; lachrymas multas effudiſſe alij ſcribunt, virtus ſiqoidem cadentium magnani reuerentiæ partem etiam apud hoſtes habere debet. Vide Plutarchum in vita Æmilij, Sabellic. li. 8. Ennead. 5. Florum lib. 2. c. 12. & Sabellicum lib. 4. c. 7. Ethnic. exempl. Platinam lib. 2. de optimo ciue.

Eod. *Quid veſper ferat.*] Vide Eraſmum in prouerbio, *Neſcis quid veſper vehat,* & huc alluſit Philippus ſupra lib. 39. cum Theſſalis reſpondens, minacem clauſulam adiecit, *nondum omnium dierum ſolem occubuiſſe.*

Romanorũ mos in tractandis & audiendis legatis.
Cap. xiii. *Maſſgaba regis.*] Rom. conſuetudine, ſiquãdo reges aut legati venire nũciarentur, primo quod vellent ab exploratorib. cognoſcebatur. poſtea ad eos egrediebantur minores magiſtratus. Quod ſi eſſent legati hoſtium non admittebantur in vrbe, ſed iis & hoſpitium & ſenatus extra vrbem dabatur, vt ſupra li. 30. de Carthaginienſium legatis. Et poſt Nicoſtratus in li. quem inſcripſit, De Senatu habendo, tertium ſenaculũ circa ædem Bellonæ fuiſſe memoriæ prodidit, in quo exterarum gẽtium legatis, qoos in vrbẽ admittere nolebant, Senatus dabatur. Legationes autem ſociorũ & amicorum regum aot populorum non excludebantur vrbe. Varro etiam prodit locum prope curiam Hoſtiliam ſubſtructum, vbi nationum ſobſiſterẽt legati, qui ad Senatum eſſent miſſi, eumq; *Græcoſtaſim* appellarũ, vt tradit Zamoſcius lib. 2. de ſenato Romano.

E tribu mouere.
Cap. xv. *E tribu mouere.*] Eſt itaq; *tribu mouere,* vt ex hoc Liuij loco apparet, ex honeſtiore tribu in minus honeſtam transferre, vt ex ruſtica in vrbanã, aot ex vrbana in ruſticam, vnde dixit Plin. *in vrbanas tribus transferri,* vt annotat Sigooius de antiquo iure ciuiũ Romanorũ li. 2. c. 16. Porro *ruſticæ trib.* apud Romanos omniũ laodatiſſimæ erant, & eorũ quidem qui agros colerent è quibus in vrbanas transferri ignominioſum & turpe erat. Qua de re Plin. li. 18. c. 3. Alex. ab Alex. lib. 1. ca. 18.

Ruſticæ trib.

Vrbanę tribus.
Eod. *In quatuor vrbanas tribus.*] *Suburranam* videlicet, *Palatinam, Exquilinã, & Collinam.* quas Seruius Tollius ſextus Romanorũ rex primo inſtituit, & in has manumiſſos, ſi Reip. Rom. participes eſſe vellent, vt vna cum ciuibus cenſerentur, diſtribuit. In has deinde Q. Fabius Rollus omnem forenſem factionem poſtea excretam Cenſor coegit.

Mineruiũ.
Cap. xvi. *In oppido Mineruio.*] Partem quendam Romę Torneb. videtur intelligere, in qua templom Mineruæ fuerit, quod *Mineruium* dicebatur, vt *Dianiam,* de quo ipſe lib. 16. aduerſ. c. 20.

Titulus.
Cap. xxii. *Quem tandem titulum.*] *Titul*[m] hic accipe pro cauſa, ſicut Aſconius in oratione Ciceronis pro Milone, *manumiſerat eos Milo ſub hoc titulo, quod caput ſuũ vlti eſſent.* Sic & Ambroſium in ſermone xc. *Et quia erãt nobiles,* inquit, *titulum eius Chriſtianitatis oppoſuit.* Renatdus de auctoritate prudentum c. 7.

Iupiter Trophonius.
Cap. xxvii. *Lebadia templum Iouis Trophoni adiit.*] *Lebadia* veluti reliquæ Græciæ ciuitates, rebus aliis multis ornata felixq; fuit, tum Trophonij nemore. Quo loco ferunt Hercynnã Trophonij filiam, vna eom Proſerpina Cereris filia, quandoq; colludentem, anſerẽ habuiſſe. Qui cũ inuita Hercynna auolaſſet, in ſubterraneum antrũ ſeſe recepit, atq; ſub lapide ſe abſcondidit. Puella

antrum ingreſſa, anſerem ſub lapide deliteſcentem recuperauit, confeſtim eo loci, vbi lapidem puella ſuſtulerat, aqua ſcaturiuit, quæ in fluuium excreſcens Hercynna fuit nominata: ad cuius ripas Hercynnæ templũ extruxerunt, in eo templo virginis ſimulachrũ in manib. anſerem geſtantis erectum. Hęc ex Pauſaniæ Bœoticis & Zetzis in Lycophronem Commentarijs. De ſpecu vero Trophonio complura notauit Eraſmus in prouerbio, *in Antro Trophonij vaticinatus eſt*. Meminit eius & M. Tullius in Tuſculanis Herodotus in Clio. Philoſtratus in Apollonij Thyanei vita: Origenes lib. 3. contra Celſum: Phauorinus, & Ariſtophanis interpres in Nubibus.

Euripus. Eod. *Spectaculum Euripi.*] De huius Euripi Euboici ſtrictura, qua ſtatis aliquibus diebus tẽporibuſq; fluere atque fluere dicitur, Liuius lib. 27. Cicero lib. 3. de diuinatione, Pomponius Mela libr. 2. Ad diuerſum ab iis Iohannes Torrellius prodere non dubitauit: vt ibi Ioachimus Vadianus in ſuis annotationibus ad Melam refert, quæ omnino videnda ſunt, nec contemnenda quæ Nicolaus Gerbelius lib. 5. in deſcriptione Græciæ Sophiani de hoc ſcripta reliquit.

Amphilochus vates. Eod. *Amphilochus vates.*] Meminit huius & Strabo, & Pauſanis, qui & eius aram Athenis deſcribit. Thucydides lib. 2. Hiſtoriarum, *Amphilocum* ſcribit Amphiarai filium, poſt bellum Troianum cum domum reuerſus eſſet Argos exoſum domiciliũ condidiſſe in ſinu Ambraciotico vrbem, quam de nomine primæ vrbis & ſuo *Argos Amphilochicum* appellarit.

Aeſculapij templum extra Epidaurum. Cap. XXVIII. *Quinq; millibus paſſuum.*] Cur Æſculapij templum extra vrbem fuerit, Plutarchus in problematis rationem reddit. *Quod ægri plerumque extra Pomœria verſari ſoliti fuerint, ne vrbs horum fœtore contagioneve cõtaminaretur.*

Summotor aditus. Cap. XXIX. *Summotor aditus.*] *Lictorem* intelligit, eorũ namque erat, vt populum ſummouerent, ſontes virgis cæderent. Sic Liuius *& ſummouere populum lictores iuſſi.* Et alio loco. *Lictor apparuit, ſummouente eo, interceſſerũt.*

Accenſi. *Accenſos* porro hoc loco intelligit magiſtratuum miniſtros, ſic dictos ab *acciendo*, id eſt, vocando. Nam *accenſus* inſtar præconis acciebat iuſſu conſulis Quirites ad concionem, de his & ſuperius nonnulla annotauimus, quæ vide.

Luna dea. Cap. XXXIII. *Lunamque matrem.*] Romanorum conſuetudo erat arma de hoſtibus capta interdum cremare Vulcano, aut Marti, aut Mineruæ, idq; ab Imperat. factum reperimus non raro, ac quidem in dictis numinib. conſtat rei cauſa, in Luna certe non apparet, quid enim attinet arma in honorem Lunæ comburi. Quare & Torneb. li. 16. aduerſ. c. 20. pro *Luna, Lua* reponendũ cenſet, & ſupra li. 8. ſcribitur, *Armorum vis magna, tũ inter cæſa corpora hoſtiũ, tum in caſtris inuẽta eſt. Ea Luæ matri dare ſe conſul dixit*, vbi notata quoque à nobis vide.

Triumphi. Cap. XXXV. *Tribus iis omnibus.*] Antiquiſſima ſiquidẽ, quæ numquam non ſeruata eſt, lex de triumpho fuit, vt qui ob rem in bello bene geſtam triumphum ducturi eſſent, ante triumphum ne vrbẽ ingrederentur. Triumphabant enim cum imperio, & imperium deponere vrbem intrantib. neceſſe erat. Triumphum autem ſenatus decernebat: ſed imperiũ in vrbe, quo die triumphus duceretur populus dabat, rogatione ab aliquo tribuno plebis lata. Hanc legem de imperio vnius diei intra vrbem Cicero ſignificat lib. 4. ad Atticum, de qua plura Manutius, de legibus Romanis.

Eod. *Intacta inuidia media ſunt.*] Sic poëta.

Ima tenent pacem perflans altiſſima venti.

Cap. XXXVI. *Militem honorem dare poſſe.*] Ita legendũ eſſe, fugato aduerbio *non*, quod in prioribus editionib. fuerat, annotat Torneb. lib. 16. aduerſ. cap. 20. Qui autem poteſt honorem dare penes eum etiam eſt poteſtas nõ dandi. Intelligat igitur Paullus, qui ſe negat habuiſſe poteſtatem pecuniæ, militem habere poteſtatem mandandi ſuffragio triumphi, quem non deferre male merito, iſte ſenſus & hiſtorico dignior eſt, & argutior, & acrior.

Eod. *M. Seruilius.*] Vir conſularis, qui vicies ac ter in bello ſingulari certamine prouocatus hoſtem interfecerat. vt tradit Plutarch. in vita Æmilij, & ipſemet circa finem orationis huius gloriatur. M. Seruilius.

Cap. XL. *Ipſe poſtremo Paullus in curru.*] Huius triumphi ordinem & pompam lege apud Plutarchum, Appianum inter principium & medium eius libri qui Libycus inſcribitur. Sabell. lib 8. Ennead. 5. Blondum li. 10. Romæ triumph. Filij duo, Maximus & Scipio, qui in adoptionem dati, alter Scipioni Africano, qui P. Scipio Æmilianus dictus eſt à Paullo Æmilio patre, alter autem Fabij Maximi filio eius qui quinquies conſul fuit. Huius vero adoptionis meminit Plutarch. in Paullo Æmilio, Val. Maximus lib. 2. cap. 5. Alex. ab Alex. li. 2. cap. 11. qui huius adoptionis rationem reddit. Notandum eſt autem, lege cautum fuiſſe, vt adoptus adoptantis appellationem ſumeret, ſuo quoque nihilominus nomine retento, cuius rei teſtis eſt Tranquill. & Dion. in Auguſto. Triumphus P. Aemilij Macedonicus.

Eod. *Sacrorum hæredes.*] Peculiaria etenim ſacra cuiq; familiæ fuiſſe, ſupra oſtenſum eſt.

Cap. XLI. *Veſtra felicitas et ſecunda fortuna.*] Veræ magnanimitatis exemplum Æmilius eſt, qui recta ratione fretus fortitudinem & conſtantiam, non ſolum aduerſus arma & hoſtium minas, ſed aduerſus omnem fortunam pariter habendam ratus, ea ratione filiorum caſum tulit, vt ſecundis aduerſa, & domeſtica publicis obſcurata, dignitatem & magnitudinem rerum nequaquam deturbarent. Vide Val. Max. lib. 5 c. 10. vbi ſimilia cum Romanorum tum aliorum exempla leges.

Eod. *Ego qui de illo triũphaui, ab altero funere filij curru ex Capitolio.*] Torneb. lib 16. aduerſ. c. 20. legit *filij in currum*, & ſic diſtinguit, *antequam currum triumphalem aſcẽderet, alterum ſe amiſiſſe è liberis, alterũ acto iam triũpho*, quod conſonat hiſtoriæ. Et vt hæc obſeruatiũcula notatu digna, ſic nec prætereunda altera in oratione Seruilij præcedẽte. Nam vbi in ea legitur, *victimas quas traducendas in triumpho vindicauit*. Torneb. eodem loco legendum atque ſcribendum cenſet *in triumphum*. Ita enim ſententiæ ſatisfiet, & ingenua quædam liberaliſq; antiquitatis indoles redolebit.

Cap. XLII. *Cum Alexandro filio.*] Hunc tornẽdi ſubtiliumque operum egregium artificem fuiſſe tradunt, eumque Romanas addidiciſſe literas, & magiſtratibus ſe ſcriptorem ſolertem ac gratioſum prębuiſſe, vt refert Plutarchus in vita Æmilij: hoc ipſo inſigne exemplum inconſtantiæ rerum humanarum præbens, ita vt præclare Val. Max. li. 6. c. vlt. circa finem dixerit: *Caduca nimirum & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepũdiis ſunt iſta, quæ vires atque opes humanæ vocantur, affluunt ſubito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo recurſu deſtitutos: in profundo cladium miſerabiliter immergunt.*

Digitized by Google

FRANCISCI MODII
BRVG. IN TITVM LIVIVM NOTAE,
PARTIM AB EO SCRIPTÆ, PARTIM EX LIPSII, BRISSONII, &c. ERVDITISSIMIS INGENII MONIMENTIS EXSCRIPTÆ.

IN T. LIVII LIB. I.

PRÆF. Vtcumque animaduerſa aut exiſtimata erunt, haud equidem in magno ponā diſcrimine.] Quia Lipſius hunc primum Liuij librum ſeorſum aliis edidit, additis ad finem variantibus lectionibus; lubet eas cum noſtrorum codicum auctoritate pleræque omnes confirmentur & ſtabiliantur, huc tranſcribere. Igitur hæ ſunt notæ Lipſianæ.

Eod. *Haud.* [*in*] *magno equidem ponam diſcrimine.* Abeſt præpoſitio ab optimis libris.

Eod. *Veluti diſſidentes primo mores.*] Mei libri, *deſidentes.* cui lectioni firmandæ Seneca eſt. *Cato aduerſum vitia ciuitatis degenerantis, et peſſum ſua mole ſidentis ſtetit ſolus.* De Tranquill. lib. II.

Eod Donec ad hæc tempora.] Vet. *ad huis tempora.* quaſi per Emphaſin de Auguſto.

Cap. I. In quem primum egreſſi ſunt locum.] Vett. *In quem primo e. ſ. locus.*

Eod. Pagoque inde Troia nomen eſt.] Lectio ſcripta *Troiano nomen.*

Eod. Domo profugum.] Idem liber, *domu*, antiquo ſcribendi ritu.

Eod. Ab Sicilia claſſe Laurentem agrum tenuiſſe.] Veteri tantum erat, *Ab Sicilia claſſe ad Laurentem agrum.* vocib. illis omiſſis *tenuiſſe conſtat*, quæ olent mehercules gloſſema.

Cap II. Mezentiumque [eorum] regem] Abeſt Mss. Animos Aboriginum.] Vett. *Aboriginenſium*, & infra aliquotiens. vt ea terminatio admittenda etiam videatur.

Eod. Manſit Siluius poſtea omnibus cognomen.] Scripti libri, *Siluium.* Optime. Sæpe ita ſcriptores: & vix eſt, vt aliter Liuius. Hoc eodem libro reperies, *Nomen Aſcanium*, & *Tarquinium Priſcum edidere nomen.*

Cap. III. Aty Capys, Capy Capetus.] Spectatus ille liber, *Atyne Capys, Capyne Capetus* Et profecto ea inflexio nō ſpernēda quam etiam in Catulli priſcis libris inuenit Phœb. huius ſæcli Scaliger. Alias legi poteſt, *Atye, Capys, Capye Capetus.*

Eod. In traiectu Albulæ.] Mss. *traiecto.* & hæc talia ſæpe ſcripta in libris priſcis comperior præter mentem vulgi.

Eod. Rheæ Syluiæ.] Ver. *Rea Sylnia*, ſemper.

Cap. IV. *Sorte quadam diuinitus.*] Scribe. *Forte quadam*, aſſiduum in lib peccatum.

Eod. Nec adiri vſquam ad iuſti.] Vet. *vſque ad.*

Eod. Ita geniti ita educati.] Ver *itaque educati.*

Eod. Peragrare ſaltus.] Voce addita Codex manuſcriptus *peragrare circa ſaltus.* more Liuij, i. ſaltus qui vicini, qui circa ſunt.

Eod. Ferias ac iocos celebrare.] Scribe, *feria ac iocos.*

Cap. V. A Pallanteo.] Vet. *Pallantea.*

Eod. Cum ſolenne votom eſſet.] Corrige *notum eſſet.*

Eod. Comparando ætatem eorum.] Inſerit coniunctionem meus codex, *& ætatem.*

Eod. Sciſcitandoque cōdem peruenit.] Malim diuiſim ſcribi *eo dein peruenit.*

Cap. VI. Vt Dij in quorum tutela ea loca.] Elegantius priſcus liber, *di quorum tutelæ ea loca.*

Cap. VII. Vbi cum eum.] Vett. *ibi.*

Eod. exta apponerentur.] Manuſc. *præponerentur.*

Cap. VIII. Locum qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt.] Scripti plerique libri, *qui nunc ſeptus deſcendentibus inter duos lucos eſt.* probo & habeo cauſas.

Eod. Simul [omnes] ſpernebant.] Deeſt Vet.

Cap. IX. Deditæque eo mentes.] Quid ſi legas, *deditaque in eo mentes*, quomodo Catullus, Lucretius alij locuti.

Eod. Per fas ac fidem [decepti] veniſſent.] Abeſt Vet.

Cap XI. Palantes in agris.] Mss. *palatos*, idque frequenter reperio in Liuio, & ſemper mutatum.

Eod. Fuſi [ſunt] primo impetu.] Deeſt Vet.

Eod. Decreto arma petiſſe dicant.] Vet. *directo arma.* ego quid lateat propemodum ſcio.

Eod. Metius Curtius.] Vet. *Mettius*, ſemper, vt Græci.

Cap XII. Ab arce decurrerat.] Idem *decurrerat.*

Eod. Reſtringant prœlium.] Vet. *bellum.*

Cap. XIII. Crinibus paſſis.] Ibi lego *ſparſis.*

Eod. Equum Curtius in vado ſtatuit.] Plerique libri, *equus Curtium*, quod verius.

Cap. XIV. Hærens in terga.] Manuſc. *tergo.*

Cap. XV. Et conſanguinitate.] Adde ex veteri vocem, *ſunt.*

Eod Nulla parte adiutis.] Scribo, *arte.*

Eod. Ab illo enim profectu.] Vet *profecto.* latet aliud.

Cap. XVI. Silentium obtinuit.] Vet. *tenuit.*

Eod. Soſpites progeniem.] Vet. *vrbem* vel *progeniem*, vt appareat ambiguæ ſedis vtramque vocem eſſe.

Cap. XVII. Peruenerant factiones.] Vet. ſcribi & diſtinguit, *peruenerat factionibus.*

Eod. Regem tamen omnes volebant.] Libris Mss. *regnare tamen.* Scripſerat Liuius, *regnari.*

Eod. Vſurpatur idem ius vi adeptum.] Meus codex, *id enim ius vi adempta.*

Cap. XIX. Ne luxuriarent otia.] Vet *luxuriarentur.* bene.

Cap. XX. Scripta, exſignataque.] Vet. *exſcripta.* Propulſo legum ac pœnarum metu.] Antiqui libri *proximo legum.* Quid ſuſpicer, dicam.

Cap. XXIV. Vt cuius populi ciues.] Vet. *Cuiuſque populi*, ita vulgo dicebant vt *huiuſce cuiuſce.*

Cap. XXV. Qualis ex inſperato pauentium ſolet.] Vet. *fauentium*, recte. ego ſcio id verbū circi proprium & Amphitheatri, & ideo trāſfert iſtuc Liuius quaſi ad ſpectaculum ludicrum.

Eod.

Eod. Quo propius metum res fuerat.] Vet. *prope metum.* Genus loquendi crebrum hiſtoriæ.

Cap. xxvi. Ita de prouocatione.] Idem, *ita demum prou.*

Eod. Modo intra ſepulchra.] Vett. *inter ſepulchra.*

Cap. xxvii. Alieno pauore perculſum.] Mss. *percuſſum.*

Cap. xxviii. Meti ſuffeti.] Vett. *Metti Fufeti*, quomodo appellat Dionyſius.

Cap. xxx. Mercatu frequenti.] Vet. *Mercato.* notaui ſupra ſimile.

Eod. Vtri prius arma inferrent.] Manuſc. *Vter prius arma inferret.*

Eod. Siluam Malyeuſam.] Vett. *malitioſam.*

Cap. xxxi. Cum [in] magna gloria.] Deeſt. Vet.

Cap. xxxii. Filum lanæ velamen eſt.] Scriptus codex *filo lana velatum eſt.*

Eod. Me nunquam ſinas eſſe.] Diſerte meus liber *ſiris eſſe.* Priſcum verbum notum iis qui viderunt Plautum.

Cap. xxxiv. Lucumo,] Semper meus *Lucomo & Arans.*

Eod. Commigrant Romam.] Vet. *amigrant*, nouius paullo verbum.

Eod. [Iam &] Romanis conſpicuum.] Abſunt eæ voces à ſcripto.

Cap. xxxvi. Muro quoq; [lapideo.] Pariter abeſt.

Eod. Numero tantum alterum adiecit.] Alias *alterum adiecit.* Repugnat hiſtoria. Scribe tranſpoſitis verbis, *alterum tantum*, phraſi qua Cicero & Plautus vſi ſunt.

Cap. xxxvii. Subito in fugam verterent.] Vet. *conuerterem.* Sic Plautus Amphitr. *Sed in fugam nemo tamen cõuertitur.*

Cap. xl. Id ſeruus ſerua natus.] Manuſc. *Seruius.*

Cap. xli. Nunc expergiſcere vere. & nos peregrini regnauimus.] Vet. *Expergiſcere, quia vere.* Legerim *expergiſcere, quid verere? & nos.*

Ca. xliii. Region. collibuſq; quę habitabãtur partes, Trib. eas appellauit.] Vet. ſic: *quod habitantur, partes eas Trib. app.*

Cap. xliv. *Quia in cenſendo finis factus.*] Inter eas voces ſpatium vacuum eſt ad aliquot voces. quæ non dubie deſunt.

Cap. xlv. Quidnam tu hoſpes paras inquit [ſacrificium] Dianæ inceſte facere?] Vet. *Quidnam*, & abeſt ab eo verbum *ſacrificij.* non ambiguum gloſſema imperiti nebulonis. *facere* pro ſacrificare, iam pueris notum.

Cap. xlvi. Fratrem habuerat Arruntem.] Vet. *habebat.* Malum malo aptiſſimum.] Veteri ſcriptum fuiſſe videtur *appetentiſſimum.* Ita legendum eſſet. *malum mali.*

Cap. xlviii. Neceſſitate iam [etiam] ipſa cogente. Deeſt Manuſc.

Eod. In forum inuecta nec reuerita.] Vet. *Vecta, & non.*

Cap. l. Ne id quidem Turnum tuliſſe tacitum ferũt.] Vet. *ubi Turno tuliſſe tacitum.*

Cap. li. Ab Turno dici ſibi in primorib.] Vet. *dicit, ſibi & prim.*

Cap. liv. Imminere his bellum.] Vet. *manere his.* recte.

Eod. Largitionis inde prædæque.] Vet. *Largitiones.* Diſtingue periodum: *Largitiones inde pradaque & priuati d. c.*

Cap. lv. Patrem vouiſſe.] Vet. *voluiſſe.*

Eod. Non motam Termini ſedem.] Ibidem, *adem.*

Cap. lvi. Quæ poſthac.] Vet. *poſtquam.*

Cap. lvi. Satis [omnia] tuta circa.] Abeſt manuſcrip.

Eod. Satin ſaluæ? maxime, inquit.] Vet. *minime inquit.*

Cap. lix. Nec illos nec alium.] Vet. *illum nec alium.* Curſim hæc ſcripſi & non mearum rerum.

IN LIBRVM II. T. LIVII NOTAE.

CAP. II. Neque ambigitur quin Brutus idem, qui tãtum gloriæ exacto Superbo rege meruit; peſſimo publico id facturus fuerit, ſi libertatis immaturæ cupidine priorum regum alicui regnum extorſiſſet.] Ita hic dixit; *peſſimum publicum* vt li. xxxiv. *bonum publicum.* cum ait. *tuas aduerſus te Origines renoluum, accipe quotiens id fecerint, & quidem ſemper bono publico.* eademque forma dixit Tacitus Annalium iii. *egregium publicum.*

Vt in ſenatum vocarentur qui patres, quique conſcripti eſſent.] De qua formula ita ampliſſimus Briſſonius: Conſtat, inquit, edicto vt plurimum ſenatores in curiam vocatos. Cornel. Tacit. libro i. de Tiberio. *Ambiguus imperandi ne edictum quidem quo patres in Curiam vocabat, niſi Tribunicia poteſtatis præſcriptione poſuit.* Eius vero edicti primis Reipub. temporibus, ſolemnia verba hæc fuiſſe inuenio: *Qui patres quique conſcripti.* poſtea vero additum, *quibuſque in ſenatu ſententiam dicere licet.* Liu. libr. 2. *Inde fertur, vt in ſenatum vocarentur, qui patres, quique conſcripti eſſent: Conſcriptos videlicet in nouum ſenatum lectos appellabant.* Feſt. Pomp. libr. 15. *qui patres, qui Conſcripti, vocati ſunt in Curiam, quo tempore regibus vrbe expulſis P. Valerius conſul propter inopiã patriciorũ ex plebe ad legit in numerũ ſenatorũ trecentorũ, & duo genera appellata ſunt.* Poſtea vero mutatam formulam & dici cœptum: *Qui ſenatores, quibuſque in ſenatu ſententiam dicere licet.* Idem Feſtus in verbo, *Senatores*, tradit his verbis: *Senatores à ſenectute dici ſatis conſtat: quos initio Romulus elegit centum, quorum conſilio Rempub. adminiſtraret. Itaque etiam patres appellati ſunt, et nunc cum ſenatores adeſſe iubentur: quibuſque in ſenatu ſententiam dicere licet, quia ij qui poſt luſtrum conditum ex iunioribus magiſtratum ceperunt, & in ſenatu ſententiam dicunt, & non vocantur ſenatores antequam in ſenioribus ſint cenſi.* Liuius lib. 33. *Coſſ. edixerunt quoties ſenatum vocaſſent, vt ſenatores, quibuſque in ſenatu ſententiam dicere liceret, ad portam Capenam cõuenirẽt.* Quo tranſlatitio edicto conſules cum in Curiam vocabãt ſenatores, priſcæ cõſuetudinis ſeruandæ cauſa, ſuis etiamnum temporibus vſos fuiſſe, Agell. libro quarto cap. 18. docet. Eodem porro loquendi genere & in aliis edictis vtebantur. Liuius libro 36. Publium Cornelium Conſulem edixiſſe refert, *vt qui ſenatores eſſent, quibuſque in ſenatu ſententiam dicere liceret, quique minores magiſtratus eſſent, ne quis eorum longius ab Vrbe Roma abiret, quam vnde eo die redire poſſet.*

Cap. ii. Non credere populum Rom. ſolidam libertatem repuperatam eſſe.] Fuldenſes membranæ, *reciperatam eſſe*, recte.

Cap. iii. Id quidem ſpe omnium ſerius fuit.] Ms. Fuldenſis, *præter ſpem omnium.*

Eod. Interim legati cum aliis alia moliri.] Fuld. cod. *Interim legati alij alia moliri.*

Cap. v. Illi victi ira vetuere reddi, vetuere in publicum redigi.] Fuld. Ms. *Ibi victi ira vetuere reddi, in publicum vetuere redigi.*

Eod. Et qui ſpectator erat amouendus, eum ipſum fortuna exactorem ſupplicij dedit.] Lipſius ad illud Taciti libr. iii. Annal. *Cuſtos ſalutis, an mortis exactor ſequeretur*, Exactor, inquit, qui præpoſitus ad exigendum perficiẽdumque, & quaſi cuſtos. Liuius lib. 2. De Bruto filios plectente: *Et qui ſpectator erat amouendus, eum ipſum fortuna exactorem ſupplicij dedit.* Plinius lib. ix. epiſt. ad Paulinum: *Ac deinde ex meis aliquos operis exactores, cuſtodes fructibus ponam.*

Romæ marmor Epitaphium.

M. AVRELIVS AVG. NN.
LIB. EPAPHRODITVS.
EXSACTOR. OPERVM. DOM. NN.

Tacitus in ſuppliciis fere vſurpat, vt libro ii. *Denunciat centurionibus qui aderant, exſequi cædem cuſtos & exactor à libertis Euodus datus.* Sed & ἀπλῶς reperio, quaſi muneris nomen exactor, vt in Muſæo Carpenſi:

SEX. POMPEIVS FAVSTVS
SEX. POMPEI EXACTOR.

Cap. vi. Dij regum vltores adeſte.] Vſus huius verbi inter precandum veterib. fuit admodum frequens ſic n. & Virg.

Adſis lætitiæ Bacchus dator, et bona Iuno. & lib. i. Georg.
Adſis o Tegeææ fauens. Horat. Sat. 6. lib. 2.
--- hæc precor oro.
Pingue pecus domino facias, & cetera præter
Ingenium, vtque ſoles cuſtos, mihi maximus adſis. Tibul. Eleg. 1. lib. 1.
Adſitis Diui. ---
Idem Eleg. vlt. lib. 3.
Candide Liber ades. ---
Et lib. 4. Eleg. 3.
Huc ades & teneræ morbos expelle puellæ:
Huc ades intonſa Phœbe ſuperbe coma.

Ouid.lib. 3. Amor. Eleg. 2. ad Victoriam :

Huc ades, atq; meus fac Dea vincat amor.

Idem lib. 4. Faſtor. Romulum in vrbe condenda has preces ludiſſe refert :

——Condenti Iupiter vrbem

Et genitor Mauors; Veſtaq; mater ades.

Similiter lib. 8. Metamorph.

Huc ades atq; audi placidus Neptune precantem.

Apud eũdem quoque lib. 4. & lib. 10. eiuſdem argumenti Bacchus & Apollo hoc verbo *Adſis*, & lib. 1. Triſt. Eleg. 9. Caſtor & Pollux hoc vocabulo, *adeſte*, inuocantur. Libr. quoque primi Triſtium Eleg. 1.

Dij precor, ait, atq; adeo (nec enim mihi turba roganda eſt)

Cæſar ades voto maxime diue meo.

Sed à Virgilio lib. 8. Æneid. precatio ad Tiberinum ita concipitur :

Adſis o tandem, & propius tua numina firmes.

Vbi Seruius Tiberinum ſic inuocatum ſcribit:

Adeſto Tiberine tum tuis vndis,

Seneca in medea. Act. 1. Scen. 1.

Voce non fauſta precor,

Adeſte, adeſte ſceleris vltrices Deæ.

Auctor incertus in Priapeis.

Huc ades & neruis tende Priape faue.

Nec poëtæ tantum, verum etiam numerorum lege ſoluti eodem modo loquuntur. Apud Liuium namque libro 2. Aruns Tarquinius, *Dij*, ait, *Regum vltores adeſte*, Arnob. lib. 4. aduerſ. gent. *Finge enim ipſum incommoditatis alicuius, & declinandi periculi gratia. horum cuipiam numinum ſupplicare dicente: Adeſte, Adeſtote dij Penates, Apollo, tuque Neptune, omniaque hæc mala quibus vror, torreor, vexor, veſtri numinis auerruncate clementia:*

Eod. Duabos hærentes haſtis moribundi ex equis lapſi ſunt.] Neſcio qoid turbent hic membranæ Fuldenſes, io quib. eſt *duabus heremitis haſtis.*

Cap. VII. Ibi audite iuſſi, conſul laudare fortunam collegę.] Editio Moguntina, *vbi audire iuſſi*; ſed membranæ tam Colonienſes quam Fuldenſes conſtanter ſeruant: *Ibi audire iuſſis, conſul laudare*, &c.

Eod. Delata confeſtim omnis materia infra Veliam, & vbi nunc vicus publicus eſt, domus in infimo cliuo ædificata.] Stabiliri ea lectio Plutarchi fide videtur, *καὶ κατεσκεύασεν οἰκίαν [illegible], [illegible] ἱερόν ἐστι [illegible] ὀνομαζόμενον.* Sed videtur tantum: in re contra eſt. Ait enim, *[illegible] ἱερόν.* at dic mihi, quis templũ audiuit vici publici? aut quis eo nomine Deus? Et neſcio quid aliud monſtri alunt veteres libri. Rhenani codex, *vbi nunc poca*: meus *vicepota*. Videndum hercle ne Vicepota ſeu Deus ſeu Dea fuerit Roman. cuius inibi templum. Seneca de morte Claudij, *Proximus interrogatur ſentẽtiam Dieſpiter Vicepotæ filius, deſignatus conſul nummulariolus.* Ergo in Liuio, *vbi Vicepota* eſt, ædes ſcilicet ad Liuium emeodandus interpres eius, hac in re Plutarchus. Hæc Lipſius hic, cum cuius veteri Codicæ membranæ noſtræ tam Colonienſes quam Fuldenſes congruunt.

Cap. IX. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab ſenatu data, annonæ in primis habita cura; & ad frumentum comparandam miſſi, &c.] Gratuitæ annonæ & frumentationis, quia paſſim plurima mentio eſt, lubet de eis adiicere hic collectanea eruditiſſimi Lipſij, qui lib. Electorum 1. cap. 8. ita ſcribit: Si qua res alia, inquit, ex qua intelligi magnitudo & opes populi Romani poſſit: ea me iudice, Frumentatio eſt. ſic appello gratuitam in plebem annonam, Græcis *σιτηρέσιον* dictam. Is mos quia non plane innotuit, & intereſt vt innoteſcat: quæ de eo ſparſim legi proponam hoc capite, & complectar vno velut faſce.

Frumentaria largitio antiquiſſima apud Romanos, & fere ſemper conciliandæ plebi. Liuius adhibitam oſtendit ſtatim poſt reges eiectos. *Multa*, inqoit lib. 2. *blandimenta plebi per id tẽpus ab ſenatu data, annona in primis habita cura, & ad frumentũ cõparandum miſſi alij in Volſcos, alij Aequos.* Plinius lib. 18. Eius originẽ ad Manium Marcium Ædilem refert. *Manius Marcius*, ait, *Aedilis plebis primum frumentum populo in modios aſſibus donauit.* lego *primus*. Et idem fecit oon multo poſt in cæde Mæliana Minutius, de quo ſic Liuius lib. 4. *L. Minutius boue aurato extra portam trigeminam eſt donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumentum Malianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſit.* Vbi *bouem auratum* non ſine ſuſpicione corrupti loci lego. primum qui à Plinius duobus locis, non boue ſed ſtatua, donatum eum ſcribit extra portam Trigeminam ſtipe collata: deinde quia non perſuadeor rudi illa ætate ſtatuas fuiſſe auratas; quas multis annis poſt Romæ non legimus. Addo vetuſtum meum codicem, qui præfert, *Minutius bene auro.* correctionem tamen nunc non eruo. Poſtea diuiſum frumentum ſæpius, & fere ſemper ab Ædilibus: quorum videtur fuiſſe ea cura. Liuius lib. 31. *Aediles frumenti vim ingentem, quod ex Africa proconſul Scipio miſerat, quaternis æris populo cum ſumma fide & gratia diuiſerunt.* Eodem libro; *Annona quoq; eo anno peruilis fuit. Frumenti vim magnam ex Africa aduectam Aediles curules binis æris in modios populo diuerſerunt* libro 34. *Aediles curules, Fuluius Nobilior & C. Flaminius tritici decies centum millia binis æris populo diuiſerunt*, Hæc antiquitus, cum largitio ea omnis voluntaria adhuc eſſet, & in arbitrio, vt opinor, Senatus.

Exorti mox Tribuni, qui per hanc occaſionem gratiam & opes ſibi quæſiuerunt apud plebem. Leges tulerunt, quibus non incerta, vt antea; ſed perpetua ſtataq; frumentatio eſſet. Princeps eius facti C. Gracchus, qui præter alias vulgo non optimatib. gratas, leges, vnam tulit, vt frumentum plebi è publico daretur, modico aliquo pretio definito. Pretiũ dico definiſſe Gracchum, aliter quam ſenſiſſe videtur Appian. li. 1. bellorum ciuil. *[illegible]*, inquit, *[illegible]*. Errat Græcus ſcriptor, ſi putat idem Gracchi ætate fuiſſe. quod ſua, nec pretium vllum dictum publico frumento. Errat, nam pretium ea lege in modios definitum, ſemis & triens. Epitoma Liuij 60. *C. Grachus Tiberij frater pernicioſas aliquas leges tulit. inter quas Frumentariam, vt ſemiſſe et triente frumentum plebi daretur.* Nec alia re tam populari Gracchi lex, quam quod ex incerta largitione fecit certam: & in perpetuum proſpexit alimentariæ plebi. Plutarchus breuiter eam legem attigit, & vim tamen expreſſit. Nam ait latum à Graccho *[illegible]*, frumentariam legem, quam pretium imminuit annonæ. Tenuit, vt exiſtimo, ea Gracchi lex ad tempora Sullæ is Dictator vt iura pleraque tribunatus, ſic videtur ſuſtuliſſe hanc Tribunitiam legem. Colligo, quoniam mortuo eo, & Tribunis reſtitutis, alia aliqua ſimilis lex ab optimatib. lata videtur, placandæ plebi. At opus alia non fuiſſet, illa permanẽte. Marcios trib. pleb. in Oratione apud Saluſtium ſic loquitur: *Mithridatem, Sertorium, & reliquias exſulum perſequantur cum imaginibus ſuis: abſit periculum & labos, quibus nulla pars fructus eſt. Niſi forte repentina iſta frumentaria lege munia veſtra penſantur: cum tamen qui his modis libertatem omnium æſtimauere, hi profecto non amplius poſſant alimentis carere namque vtilis exiguitate mors prohibetur. ſeneſcunt vires ſic vt neque abſolui cura familiari tam paruares poſſit: & ignauiſſimi quiq; tenuiſſima ſpe fruſtrantur*: corruptiſſimos locus: cui feliciter medebor pro parte. Scripta lectio, *qua tamen quia is modis libertatem omnium æſtimauere, qui profecto non amplius poſſint alimentis carceris.* Emendo, *qua tamẽ quinis modiis.* egregie, & magno momento ad hiſtoriam. Lex illa frumentaria menſtruum definiebat in capita, non plus quinq; modios. id calũniatur Tribunus. & ait exiguum eum modum eſſe, fere comparandũ cum alimentis carceris. quorum tenuitas vt mortem prohibet, ita vires non auget. Cõſtat mihi de hac ſententia, non prorſus de reliqua ſcriptura: quam ſic concipio: *qua tamen quinis modiis libertatem omniũ æſtimauere. qui profecto non amplius proſint alimẽtis carceris nãque vt illis exiguitate mors prohibetur, ſeneſcũt vires*, &c. reliqua enim non poſſum. at in iſtis ſcio me aut attigiſſe verã emendationem, aut habere ſub ictu. De alimẽtis carceris, quę Diana itẽ dicebãt, vt vide Senecam patrẽ libro 9. cõtrouerſia 4. Et hercle de quinq; modiis non iniuria indignatur Tribunus: quoniam id menſtruum etiã viliſſimorũ ſeruorũ. Seneca Epiſt. 81. *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit.*

Imperito Argis, regna mihi liquit Pelops.

Qua Ponto ab Helles, atque ab Ionio mari.

Vrgetur Iſthmos.

Seruus eſt, quinque modios accepit, & quinque denarios. Sed iſta ipſa lex de qua Marcius ambigo an perlata. Vix videtur quia non ita multo poſt alia Frumentaria exorta, cuius ferendæ auctor M. Cato. Plutarchus id notauit duobus locis, cuius verba digna adſcribi. In Catone, ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀνακαλέσασθαι τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων. Et iterum in Cæſare; ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον ἔμμηνον. ἐξ οὗ δαπάνης μὲν τετρακοσίαις πεντήκοντα μυριάδες ἐνιαύσιοι προσεγένοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι. Notanda Plutarchi verba, & in iis ſumma pecuniæ annua in frumentum. Addit idem ſcriptor ſuaſam eam legem à Catone, metu C. Cæſaris, qui cum, oppreſſa coniuratione Catilinæ, plebem ſpectaret & res nouas: viſum Catoni potius honeſta largitione plebem facere ſenatus. Sed ea ipſa optimatium lex aut lata non fuit, aut certe non rata. ſucceſſit enim P. Claudij ſub idem tempus Tribunicia: de qua Aſconius in Miloniana his verbis: *Annonariam legem tulit, qua ſummu popularis fuit, vt frumentum populo quod antea ſemiſſe æris, ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur,* Clarum ex iis Aſconij, poſt Gracchi legem. Frumentariam nullam firmam fuiſſe: & cum ea poſt Sullam iacuiſſet ſucceſſiſſe hāc Clodij, quæ largitione vicit omnes ſuperiores. Ita ventū ad Imperatores; ij Clodianam legē retenuerunt, ſpreto nomine: & inſtituta Romę perpetua frumentaria, non alibi tam effuſe vſurpata in vlla republica, vllius æui. Variè tamen addita & mutata. In primis de numero accipientiū, certum aliquid ſub Impp. reperio, non ante. Clodij lege an omnes ciues acceperint, an certo numero incluſa ea liberalitas fuerit, ignoro: Iulius Cæſar ſane dictator numerum definiuit, quem expreſſit Suet. c. 41. *Recenſum populi nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atq; ex viginti trecentiſque millib. accipientiū frumentum, ad cētum quinquaginta retraxit, ac nequi noui cœtus receſſionis cauſa moueri, quādoq; poſſent, inſtituit quotānis in demortuorū locū ex his qui recēſiti non eſſent, ſubſortitio à Prætore fieret.*

Ex eo loco videtur Cæſar reduxiſſe veterē numerum: qui per bella ciuilia confuſe creuerat, & in immenſum. Nam vt homo popularis minos fecerit, quam priſca lege & more ſolitum: non credo. Dio Caſſius libro quadrageſimo tertio eleganter: Καὶ τὸ πλῆθος τὸ τὸν σῖτον φέρειν ἐπιγεγραμμένον, οὐ κατὰ δίκην, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν ταῖς στάσεσιν εἰώθει γίγνεσθαι, ἐπηυξημένον, ἐξήτασεν ἀπὸ κοινοῦ, καὶ τούς γε ἡμίσεας ὁμοῦ τι αὐτῶν ἀπήλειψε. Nota ēt mihi quod Suetonius ait: Recenſum. Bene & proprie, vt amat ille ſcriptor. non. n. cenſum aut luſtrum egit Cæſar, (& Plutarchus quid id putat, nec plura quam centum quinquaginta millia ciuium ſuperfuiſſe ciuilib. bellis, Deus bone, quem errat.) ſed recenſum, id eſt, examen & diſquiſitionem breuem, in eos qui iure aut iniuria capiebant publicum frumentum. Ita obſeruo Suetonium vti eo verbo, vt in Auguſto capite quadrageſimo. *Pop. Recenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſa,* &c. ſcribe omnino, *Populi recenſum.* nam ſubdit ſtatim de frumentatione. Cenſum contra morem veterem, nec Cæſar, nec Auguſtus egerunt vicatim, vt alias clare docebo, & tollam errorem hiſtoriæ communem. Recenſum hunc Auguſti, quem verbo attingit Suetonius nimium clare explicat Dio libro quinquageſimo quinto. ὁ δὲ Αὔγουστος, inquit, τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὂν ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε, καὶ ὥς γέ τινες λέγουσι καθ᾽ ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. ita Auguſtus, qui inter firmamenta imperij habuit annonam (Tacitus id arcanum non tacuit li. 1. *Vbi militem donis,* inquit, *populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit.*) auxit numerum eorum qui frumentum caperent, & reduxit ad millia ducenta. Id, præter in Dione, diſerte ſcriptum aut ſcalptum in lapidib. priſcis qui Ancyræ conſpiciuntur in Aſia minori. quib. comprehenſum breuiarium rerum geſtarum Auguſti. Ait ibi de ſe Auguſtus: CONSVL. TERTIVM. DECIMVM SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVÆ. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEPERAT. DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT. Vide quam hæc conuenienter ad Dionem, etiam in pecuniæ ſumma, quam tamen vt ambiguam ponit Dio. Tempus ēt eius recenſus ex lapide clarum, videlicet in 13. conſulatu Auguſti. ... Dio aliquot annis ante poſuit, C. Antiſtio Vetere, & D. Lælio conſulib. Mirum niſi Auguſto de ſe credendum, præ Dione. Ducenta igitur millia frumentantium ſub Auguſto ingens numerus: nec tamen in eo omnes ciues. multum abeſt; vis, inquam, decima ciuium pars. Nam cenſus illa ætate ordinarius ad quadragiēs centū millia ciuiū. Auguſtū ſecutus Tiberi*, qui videtur ad eū numerū aliquid addidiſſe, colligo ex Taciti loco li. 5. Annalium, *Iiſdem conſulib. grauitate annonæ iuxta ſeditionem ventum, multaque & plures per dies, in theatro licentius efflagitatu, quam ſolitum aduerſum Imperatorem. quis commotus incuſauit magiſtratus, patreſq; quod non publica auctoritate populum coercuiſſent, addidiq; quib. è prouinciis, & quanto maiorem quam Auguſtus rei frumentariæ copiam aduectaret.* Si auxit numerum frumenti, ergo & frumentantiū. Credo idē feciſſe alios imperatores, & ſine diſcrimine paullatim admiſſos omnes tenuiores ciues. Affirmare id Seneca videtur, de beneficiis li. 4. c. 27. *Frumentum publicū tam fur, quam periurus, & adulter accipiunt: & ſine dilectu morum, quiſquis ciuis eſt. Admiſſos* dico ciues: nec ingenuos ſolū, ſed etiā libertos. Ea ſententia eſt horum Perſij verſuū Sat. 5. *Libertate opus eſt, non hac qua, vt quiſq; Velina Publius emeruit, ſcabroſum teſſerula far poſſidet.* Emeruit, P. Velinati. ex ſeruo factus eſt liber. Nam liberti prænomen patroni capiebāt, & à fine tribū, vt P. Licinius, Velina. Simul igitur, inquit, ac liber factus: poſſidet teſſerulam frumenti. Sicut & in congiario non minus libertorū habita ratio, quā ingenuorum. Adi Suet. in Aug ca 42. Creuit hic numerus multo magis ſub Traiano optimo principum. qui ēt pueros admiſit ad publica frumenta. Id factum eius Plinius dilaudat multis, in Panegyrico. *Tunc rogari quidem ſuſtinuiſti. & quāquam lætiſſimum oculis tuis eſſet, conſpectu Romanæ pubis impleri, omnes tamē antequam ſe viderent, recipi, incidi iuſſiſti, vt iam inde ab infantia parentum publicum munere educationis experirentur.* Quod ait, *recipi et incidi,* ſatis liquet tabulas publicas fuiſſe, in quib. nomina deſcripta eorum, quib. deberētur frumenta. quas tabulas Iulius Cæſar cōmiſiſſe curæ prætoris vrbani videtur, ex verbis Suetonij quæ ſupra: poſtea, niſi fallor, depoſitæ fuerunt apud Præfectū annonæ. Numerus puerorū, quos aluit Traianus expreſſus ab eodē Plinio, *Paulo minus,* inquit, *quinque milla ingenuorum fuerūt, quos liberalitas Principis noſtri cōquiſiuit, inuenit, adſciuit.* Hadriano placitū id exemplum: qui etiam *pueris ac puellis,* (verba Spartiani ſunt) *quibus Traianus alimenta detulerat, incrementū liberalitatis adiecit.* Et Antonius quinumerū videtur auxiſſe: ſi recte intelligo Capitolini hæc verba; Ob *hanc coniunctionē pueros & puellas nouorū hominum frumētariæ* perceptioni adſcribi præcepit. Dubito, nū ibi legendū, *pueros et puellas nouē annorū.* Moueor loco altero eiuſdē Capitolini, in Pertinace: *Alimētaria cōpendia quæ nouē annorū ex inſtituto Traiani debebātur obdurata verecūdia ſuſtulit.* Pōt intelligi, fateor deberi alimenta à nouē retro annis: ſed blāditur mihi altera expoſitio, quæ firmari videtur Suetonij loco in Aug. ca. 41. *Congiaria populo frequēter dedit: ac ne minores quidē pueros præteriit, quamuis non niſi ab vndecimo ætatis anno accipere cōſueniſſent.* Si annorū numerus definitus ad cōgiaria: quidni ad frumēta? Et pono hoc tamen ambigēs, non adfirmans. De numero, & qui acciperent hactenus ſcio.

Dicam nunc de iis qui diſtribuerūt. Lubricus locus, & quē velim percurſū ſine lapſu. Antiqua Rep. diſtributio frumēti penes Ædiles: clarum ex locis Liuij qui ſupra. Etiā cuſtodia, Liuius lib. 33. *Sardiniā per domitam nunciat patrib. et ſtipendiū Quæſtorib. frumentū ædilib. captiuos Fuluio Prætori tradidit.* Mutatū id videtur lege Gracchi: certe Clodij. argumēto firmo, & ex lege quadā, quā C. Curio propoſuit ſub bellū Cæſaris ciuile. Cælius in epiſt. ad Cic. *Legēq; Viariā, non diſſimilem agrariæ Rulli, & Alimentariā quæ iubet. Aediles metiri, iactauit,* vbi ſcripſerim, *Vineariam,* vt lex Curionis ad diuiſionē vinearū pertinuerit (quæ in Italia, & Cāpania præſertim multæ) ſicut illa Rulli ad agrorū. Aliis placet, *Vinariā.* ſed quæ cōparatio erit vini ad agros? & repugnat ipſa res, ſicut in viis. Lego etiā, *quæ iubet ædiles metiri.* Ecce menſionē frumenti ad Ædiles reuocat lex Curionis; fruſtra, ſi Gracchi, aut Clodij lege apud eos relicta. Verius eſt, per Tribunitias eas leges rē ad frumētarios tranſlatā, aut ad certos, quos elegiſſent, Curatores. At C. Cæſar potēs rerum, Curionis legem veſtigiis perſecutus, ſupra legitimum numerum creauit Ædiles duos qui frumēto præeſſent: quos ea re dixit Cereales. Pompon.

auctor, De origine iuris, & Dio libr. 43. Sed non diuturna iis hæc cura, ſucceſſitq; præfectus annonæ. Eius origo nõ dubie (vt ego quidẽ ſentio) anno vrb. DCCXXXII. M. Marcello & L. Arrũtio Coſſ. Cũ.n. tunc eãdẽ facta annona, & iam fames eſſet, plebs cũ 24. faſcib. accurrit ad ædes Auguſti, & magna vi dictaturã obtulit, & exẽplo Cn. Pompei Præfecturam annonæ. Dictaturam ſpreuit: admiſit Præfecturam: & eo iure præditus, Duumuiros creari iuſſit ex iis qui Prætura ante quinquennium functi, quorum eſſet diuiſio & diſtribotio annonæ. Dio Caſſius li. 54. initio, Καὶ Αὔγουστος τότε μὲν (intellige ἐπιμέλειαν τοῦ σίτου) ἀναγκαίως ἐδέξατο, καὶ ἐκέλευσε δύο ἄνδρας τῶν πρὸ πέντε που ἐτῶν ἐστρατηγηκότων πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν καθ' ἕκαστον ἔτος αἱρεῖσθαι. Ita eodẽ anno inſtituta etiã cura frumẽti diuidẽdi. Intelligi hoc nouum munus Sueton. voluit, in Aug. c. 37. *Quo plures partem adminiſtrandæ Reip. capeſſerent noua officia excogitauit, curã operum publicorum: Viarum: aquarum* (malim ſcribi *riparum*, vt paſſim in vetuſtis monumentis) *& alnei Tyberis: Frumẽti populo diuidẽdi.* Nec aliud ſenſit in Tiberio c. 8. *Interq; hæc duplicẽ curã, adminiſtrauit, Annonæ, quæ arctior inciderat: & repurgandorũ tota Italia ergaſtulorũ.* niſi tamen abdicãte Auguſto, Præfectũ fuiſſe volumus Tiberium. Sæpe etiã in lapidibus inciſum, CVRATOR. ANNONÆ. Mãſit id munus ad extrema tẽpora, numero tamẽ ab Auguſto aucto. Quadriennio enim poſt. quum duo non viderentur huic functioni pares. Quatuoruiros ſorte eligi iuſſit, ex iis qui ante triennium Prætores. eoſque ordine præeſſe voluit frumẽto publice diuidendo. Vide, ſi lubet, Dionẽ eod. li. 54. poſtea ad viginti octo excreuiſſe videntur, vt monebo in diuiſione panis. Hæc origo Præfecti annonæ, hæc curatorum. Et exemplum quidem ab antiquis: apud quos L. Minot. & Cn. Pomp. eo titulo ac magiſtratu: ſed hoc interfuit, quod illis extra ordinẽ, & ad breue tempus data ea dignitas; quæ ab Auguſto ordinario facta & perpet. Succeſſit, vt opinor, Aug. C. Turranius: de quo ſic Tacit. lib. I. Annal. *Sex. Pom. & Sex. Apul. Cõſules primi in verba Tiberij Cæſaris iurauere: apudq; eius Seius Strabo, et C. Turran. ille Prætoriarum cohortium Præfectus, hic annonæ.* Ex quib. verbis, & ex ordine iurãdi ſatis clarũ, inter primas fuiſſe eam dignitatem. Caſſiod. ſane eam proximã facit à præfectura vrbis. Munera Præfecti annonæ Caſſiod. explicat lib. 6. Var. & Seneca, de breuit. vitæ ca. 18. & 19. elegãter. Alloquitur Paulinum, qui præfectus annonæ (& ſi ambigua ea hiſtoria) ſub Claudio. *Tu quidem*, inquit, *orbis terrarũ rationes adminiſtras, tã abſtinẽter quã alienas, tam diligẽter, quam tuas ſed tamẽ mihi crede ſatius eſt vitæ ſuæ rationẽ, quã frumenti publici noſce.* Et ſtatim, *Simile tu putas eſſe, vtrum cures vt incorruptũ à fraude aduehentiũ, & negligentia frumentum transfundatur in horrea; ne cõcepto humore vitietur & cõcaleſcat, vt ad menſurã pondusq; reſpõdeat: an ad hæc ſacra & ſublimia accedes.* Alterutrũ ſane eſt aut Præfectus frumenti hic Paulin. fuit aut curator, Diſtribuebant igitur Curatores. Ratio diſtriboendi per teſſeras erat. Non.n. frumentum ipſum à curatorib. (vt ſi eſſet id, & magnarũ moleſtiarum munus fuiſſet) ſed teſſeras frumentarias, ſiue ſymbola quædam in ligno aut plumbo capiebant: quibus acceptis ire iis licebat ad horrea publica, petitum frumẽtum. Frumento ſi non opus teſſeras eas vendebant. Iuuenal.

Summula ne pereat, qua vilis teſſera venit
Frumenti.

De hiſdem teſſeris aliquod locis iuriſconſultorũ vt Vlp. *Si libertis ſuis teſſeras frumentarias emi voluerit teſtator: apparet ex genere cõparationis Romæ id fidei cõmiſſum præſtãdũ*, Et Paulus, *Si Titio teſſera frumẽtaria legata ſit.* Neſcio an has teſſeras ſoliti accipere ad Minutiã frumentariã. Veriſimile quidem eſt certũ ei rei deſignatũ locũ: & de Minutia ſuſpicãdi nobis auctor Appul. libello De mondo: *Alius ad Minutiã frumentariã venit, & aliis in iudiciis dicitur dies. Reus ita purgãdi ſe neceſſitate, vt ſectandi ſtudio accuſator Venit ille moriturus, ad ſupplicij locum ducitur: hic ad cõuiuij reporia veſpertinus commiſſator aduentat.* quem emendo: *Reus ita purgãdi ſe neceſſitate, vt ſectãdi ſtudio accuſator venit. Ille moriturus ad l. ſ. ducitur*: Sane cognomẽ ipſũ indicat eo loci aliquid fuiſſe frumẽtariæ rei. Nã doplex Minutia ſiue Minitia (anceps. n. in li. ſcriptura eſt) nominatur Victori & Sex. Rufo Minutia vetus, & Minutia frumẽtaria, vtraq; regione IX. vrbis ad Circũ Flaminiũ. Lãprid. etiã in Cõmodo, *Herculis ſignũ aneũ in Minutia per dies plures ſudauit.* Lego & in lapidib. priſcis, CVRATOR. AQVARVM. ET MINICIÆ. TIBERIS. nec ſatis intelligo quid velint: fortaſſe ſic dictus locus, vel à Minutio primo frumẽtariæ rei præfecto, vel à Deo Minutio, cui⁹ ibi ara; de qua Feſtus. Hoc de loco. Tẽpos diſtribuendi eas teſſeras, principiũ cuiuſque mẽſis. Iam inde à Graccho, vt opinor, quia largitio eius mẽſtrua fuit & Appian. diſerte ait, definiuiſſe eũ σιτηρέσιον ἔμμηνον. Ex Suida colligimus ſolitũ id fieri ſub ipſas Nonas. Satis. n. putide Annonas deriuat è Nonis, ὡς ἀνὰ τὰς Νώνας, inquit, διδομένας. Mutare eam conſuetudinẽ tẽtauit Aug. ſed deſtitit propter aduerſã populi volontatẽ. Suet. c. XL. *Ac ne plebs frumentationũ cauſa frequentius à negotiis auocaretur, ter in annũ, quaternum menſium teſſeras dare deſtinauit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus vt ſui cuiuſq; mẽſis acciperet.* Locũ dixi & tẽpos: vellẽ poſſẽ modũ. qui non in Græca, non in Latina hiſtoria vſquã expreſſus. Si cõiecturis agẽdum ſit: crediderim vt minimũ, ſex modios, ſiue medimnũ Atticũ accepiſſe eos in mẽſem. Qoid ni credam? Tribunus certe apud Saluſtiũ optimates criminatur propter exilẽ largitionẽ modiorũ quinq;. Amplius ergo aliquid. Obiici mihi mẽſtruum militis põt: quod nõ plus quatuor modiis fuiſſe videtur, Polybij quidẽ ætate. Eſto, quis præſtat, non id poſtea, ſicut ſtipendiũ ipſũ auctũ? Denique quod pagano, cũ milite? Quatuor modij ſatis militi, qui ſolus non circunducta vxore aut liberis: quomudo ſatis proletario ciui, cui. eo frumento paſcẽda domus tota? In Suetoni Iulio lego c. 38. populo diuiſiſſe eum frumenti denos modios & totidem olei libras. Ego valde vereor, ne ea menſtrua largitio, ſed extra ordinẽ fuerit. In lapide illo qui Ancyræ, gloriatur Aug. his verbis, CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM COEMPTO. EMENSVS. SVM. Res facta eſſet ſi expreſſiſſet frumentationis modum. non fecit quia notus. In lapide illo exſcribẽdo vt pluriens ab erratũ: & lego. FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. Teſſeris acceptis dixi itauiſſe eos ad horrea: & verũ eſt. Nã Romæ horrea ad capiendũ frumentũ publicũ, in qua regione vrbis cõplura. Numerũ ex P. Victore iniui ad trecẽta & nouẽ. Cognomina ẽt pleriſq; addita ab auctore, *Horrea, Aniceti, Varguntei, Galbiana, Domitiani Auguſti, Seiani*: quæ & in deſcriptione vrb. reperies, & in ſpectionib. antiquis. Frumẽta hic repoſita poſterior ætas ἀττικῶς dixit, Condita, Titulus eſt lib. 10. Cod. De conditis in publicis horreis. Ibidẽ Valẽtinianus Imperator: *Non prius ad id frumentum extẽdatur expenſio, quod ſub Præfectura tua vrbis horreis infertur, quam vetera condita fuerint erogata.* Corrige Spartianũ ea voce, in Hadriano: *Laborabat præterea vt condita militaria diligenter cognoſceret*, vulgo, *condicta*, & interpres ibi Egnatius, vere dicã, blattit nugas. Condita n. militũ in horreis prouincialib. vt ciuiũ, in vrbis His horreis appoſiti Frumentarij mẽſores, qui populo admetiebãtur: ſic tamẽ, vt quiſq; opinor, ad horrea iret ſuę regionis. Lucilius.

Frumentarius eſt, modium hic ſecum atq; rutellum
Vnum habet.

Paulos de excuſa. tutor. ait: *Frumentarios menſores excuſari à tutela, idq; Præfecto annonæ Imperatores reſcripſiſſe.* Frumẽtarij alia etiam ſignificatio fuit, & ſic dicti, qui vltro citro curſitabant per prouincias, per domos, ad frumenta cõquirenda cõuehendaque Græci eos Πυρφόρους dixerunt, Latini alio nomine, *Agentes de rebus.* Adi de iis Turneb. li. 13. & Cuiac. ad Cod. notas. Et olim quidem frumentũ ipſum datum ciuib. poſtea cœpit panis. credo quia id cõmodius viſum in egenã plebẽ: quę hac ratione operas & impenſas piſtorias faciebat lucri. Quam de cœperit non diſerte ſcio: ſuſpicor in Imperiu Traiani. Præeunt mihi ad coniecturam verba Aurelij Victoris hæc: *Romæ à Domitiano cœpta fora, atque alia multa magnifice coluit ornauitque, & annona perpetua mire conſultum, reperto, firmatoque Piſtorum collegio.* Si collegium piſtorum à Traiano, ad commodandum annonæ: ergo & panis. Iuuat aliquantum & Iuuenalis, qui illi ætati compar:

---Atque duas tantum res anxius optat
Panem & Circenſes.

Nominat enim ecce, panem. In epiſt. Aureliani Imper. ad præfectum Annonæ ſcriptum eſt, *Inter cætera quibus dijs fauentibus, Romanam rem iuuimus, nihil mihi eſt magnificentius, quam quod additamento vnciæ omne annonarum vrbicarum*

genus iuui. Et in eius vita, *Panibus vrbis Romæ vnicam de Ægyptio vectigali auxit.* Caſſiodorus lib. 6. Variar. in Formula Præfecti annonæ, ſolum panem agnoſcit, *Tui ſiquidem ſtudij eſt*, inquit. *vt ſacratiſſima vrbi præparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus, tamquam vna menſa, ſatietur. Per officinas piſtorum ciboſque diſcurris, penſum & mundiciam panis exigis: nec vile indicas, vnde te poſſit Roma laudare.* Hic panis, qui vicarius frumenti, diſtribui in gradibus ſolitus: vnde panis gradilis dictos. Titulus eſt lib. 14. Codic. Theodoſiani, *De annonis ciuicis, & pane gradili*, ſed ſcio quam id ſequius interpretati magni viri. Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Omnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus
Quique terit ſilicem variis diſcurſibus atram,
Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.

A tribus notis deſcribit humilem plebem, quod in alto habitaret; qood pedibus incederet, non ferretur; quod aleretur publico pane gradili. Idem Poeta.

Quis venit eſuriens magni ad ſpectacula Circi?
Quæ regi gradibus vacuis ieiunia dira
Suſtinet, aut quæ Ianiculo mola nota quieſcis?

Vnde amplius diſco videri in ſingulis regionib. vrbis (XIV. fuerunt) gradus erectos fuiſſe vbi hęc diuino. Et fortaſſe huc facit quod Victor & Rufus in quaque regione vrbis ponũt duos curatores, qui ſc. diſtribuerunt hunc panẽ. Nec mirum quod in gradibus. Omnia enim congiaria & donatiua ſic dari ſolita, vt videmus in nummis, res ipſa id ſuadebat, vt ſcilicet, in loco altiori exempti & ſecreti diſtributores eſſent à premente turba. Neſcio an huios ſententiæ ſit, quod Romę legi in marmore hortis Medicæis,

COLLEGIO OENDROPHOR.
ROMANOR. QVIBVS. EX.
S. C. COIRE. LICET. ARGEN.
TI. P. X. ET HS. X. MILLIA. N.
REDOEDIT.
QVÆ. DIVISA. SVNT. POPVLO. PER. GRAOVS
KAL. AVG. N. COLLEGI.

Dixi omnia, quæ ad diſtributionem. quæres non immerito, vnde hæc tanta vis frumenti? Dico è prouinciis, è Sicilia, Sardinia, & præſertim Africa atque Ægypto, quæ bina horrea P. Romani. Tacitus libro 12. Annalium. *At hercule olim ex Italia regionibus longinquas in prouincias commeatus portabant nec nunc infœcunditate laboratur, ſed Africam potius & Aegyptum exercemus, nauibuſque et caſibus vita populi R. permiſſa eſt.* Eleganter Varro lib. 2. de R. R. *Igitur quod nũc intra murum fere patres familiæ correpſerunt, & manus mouere maluerunt in theatro ac circo, quam in ſegetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis aduehat, qui ſaturi fiamus ex Africa & Sardinia; & nauibus vindemiam condimus ex inſula Choa & Chia.* Ægyptum tacoit Varro, quia tunc noodum in prouinciam redacta. At tributaria illa facta ab Auguſto. vnicũ fuit ſubſidium habitum annonæ. Plinius in Panegyrico: *Percrebuerat antiquitus vrbẽ noſtrã niſi opibus Aegyptiis ali ſuſtentarique non poſſe: ſuperbiebat ventoſa & inſolens natio, quod victorem quidem populũ paſceret tamẽ, quodque in ſuo flumine, in ſuis manibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. Refudimus Nilo copias ſuas, recepit frumenta quæ miſerat, deportataſque meſſes reuexit. Diſcat igitur Ægyptus, credatq; experimento, non alimẽta ſe nobis, ſed tributa præſtare.* Ideo claſſis Alexandrina vt exiſtimo, inſtituta ab ipſo Auguſto, quæ quotãnis aduceheret frumentum. De ea claſſe præter alios Seneca epiſt. LXXVIII. *Subito nobis hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nunciare ſecuturæ claſſis aduentũ tabellarias vocãt. Gratus illarũ Campaniæ aſpectus eſt. Omnis in Pilis Puteolorũ turba cõſiſtit, et ex ipſo genere velorum, Alexandrinas quãuis in magna turba nauiũ intelligit: Solis enim licet ſupparum intẽdere, quod in alto oẽs habẽt naues. Cũ intrauere Capreas, & promontorium ex quo,*

Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas: cetera velo iubẽtur eſſe contenta, ſupparum Alexandrinarum inſigne [*indicium*] *eſt.* Et ſatis indicat Puteolos ſolere appellere: ſicut & Statius in Propemptico Metij Celeris,

--- modo nam trans æquora, terris
Prima Dicarchæis Pharium grauis attulit annum.
Prima ſalutauit Capreas, et margine dextro
Sparſit Thyrrenæ Mareotica vina Mineruæ.

Et Ægyptij quidem tributi modom non repperi: repperi Africani Plotarchus in Cæſare, Ἀλλὰ γὰρ ὡς ἐπανῆλθεν εἰς Ῥώμην ἀπὸ Λιβύης, πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐμεγαληγόρησε πρὸς τὸν δῆμον, ὡς τοσαύτην κεχειρωμένος χώραν, ὅση παρέξει καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον, σίτου μὲν εἴκοσι μυριάδας Ἀττικῶν μεδίμνων, ἐλαίου δὲ λιτρῶν μυριάδας τριακοσίας. Frumenta tamen ea claſſem propriam non habebant: primus inſtituit Commodus. Lampridios, *Claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexãdrina frumẽta ceſſaſſent.* Nec vero ſolũ è tributis hæc frumẽta; ſed ſi ſterilitas alibi aut grauiot annus, reſp. emebat. Nummi argẽtei ſunt Piſonis & Cæpionis, in quibus cernũtur duo viri inter ſpicas ſedẽtes, cũ inſcriptione. AO FRV. AMV. EX. S. C. Plinius in Panegyrico: *Deuehunt ipſi quod terra genuit, quod ſidus aluit, quod annus tulit, nec nouis indictionib. preſſi ad vetera tributa deficiũt. Emit fiſcus quidquid videtur emere, inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem vendentemque conueniat.* In Auguſti lapide ſupra, FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. E prouinciis ergo id frumentum. Sed modus vniuerſæ huius largitionis quis foit? Videor ſane eum colligere poſſe ex verbis Spartiani in Seuero; *Moriens ſeptem annorum canonem, ita vt cottidiana LXXV. millia modiorum expendi poſſent, reliquit.* Cottidiana, ait LXXV. millia modiorũ. Quid dicam: immenſum, incredibile: Et qoi non ſtupeat ad has opes populi Romani ipſe ſtipes. Et tamen varie Canonis poſtea auctus. Canonem autem poſterior ætas dixit, certum eum numerum frument, qui in vna aliqoa vrbe quotannis abſumeretur. Ita Canon Alexandrinus, Canon vrbis Romæ vrbis Conſtantinopolitanæ, paſſim apud hiſtoricos inferioris æui, & Iuris conſultos. Nec vero frumentum ſolum gratuitum ciuibus fuit ſed etiã oleum & caro. Olei creber vſus Romæ, propter baloea cottidiana: ideo largitio iea antiqua. Liuius libro vigeſimo quinto ait Scipionẽ, cui poſt Africano cogoomẽ fuit, *cum Aedilis eſſet, congiũ olei in vicos ſingulos dediſſe.* Soetonis, Cæſarem, poſt Africanam victoriã in capita denas olei libras. Dio. lib. XLIX. M. Agrippam in Ædilitate ſalem & oleũ in populũ diſtribuiſſe. Vt iure mirer cur quaſi rem nouam in Nerone oarret in Tacitus lib. 14. *Gymnaſiũ eo anno publicatũ præbitumq; oleum equiti ac Senatui, Græca facilitate.* ſed dicam ibi. Quis perpetoũ oleum illud fecerit, non inueni, puto non vane Seuerum Imperatorem. Lampridius in Alexandro. *Oleum quod Seuerus populo dederat, quodq; Elagabalus imminuerat, turpiſſimis hominibus Præfecturam annonæ dãdo, in integrũ reſtituit.* Spartianus in Seuero, *Olei tãtum reliquit, vt per quinquenniũ non ſolum vrbis vſibus, ſed totius Italiæ, quæ oleo egeret, ſufficeret.* Carnis diuidundæ principium ab Aoreliano. Flauius Vopiſcus in eius vita, *Idem & carnem porcinã populo Romano diſtribuit, quæ hodieq; diuiditur.* Ideo ſuarij ſubijciuntur Præfecto annonæ apud Caſſiodorũ: *Suarij quoq;*, inquit, *Romanæ copiæ cauſſa reperti, tuo deputati videntur examini.* quorũ mẽtio in lapidibus vrbis, & Cod. lib. XI. Imo & vinũ idẽ Aurelianus dare cõcepetat. *Statuerat*, inquit Vopiſcus, *& vinum populo gratuitũ dare, vt quemadmodũ oleum, panis, & porcina gratuito præberentur, ſic etiam vinum.* En, qoo largitio. Non ergo mirum ſi multi appeterent ciuitatem Romanam; & ſi inter cauſas frequentatæ vrbis Appianus poſuit, ἡ σιτηδοσία ἐν μόνῃ τῇ Ῥώμῃ τοῖς πένησι χορηγουμένη: (nã his quidem inuitamentis facile ſit frequentare, vel Libyæ deſerta) tamẽ diſplicita omnis hęc largitio graui auctori Saluſtio, cuius de republica ordinãda, præceptum ad Cæſarẽ extat: *Igitur prouideas oportet, vel plebs largitionibus et publico frumẽto corrupta habeat negotia ſua, quibus ab malo publico detineatur.* Etiã Auguſto ipſi qui aliquoties cogitauit de tollẽda, ſi fides Suetonio capite. 42. *Vt tandem annona conualuit, impetũ cepiſſe ſe ſcribit, frumẽtationes publicas in perpetuum abolendi, quod earũ fiducia cultura agrorũ ceſſaret: neque tamen perſeueraſſe, quia certũ haberet poſſe per ambitionem quandoque reſtitui.* Nec plura ad hũc morem, in quo ſi quid bene & non è triuio ſumptum dixi, gratia aliqua eſto: ſi quid aliter, & ſi peccaoi; quod olim Lentulus, præbeo ſutam.

Eod. Salis quoque vendendi arbitrium, qoia impenſo pretio vænibat in publicum; omni ſumptu adempto conceſſum priuatis.] Turoebus ait Vett. librr. habere *in publicum*

omni ſumptu, ademptum priuatis, quam lectionem ipſe tuetur. Lipſio vero impenſe placet Diuæi coniectura, *in publicū omni ſumpto*. vt Senatus ſalem omnem in publicum ſumpſerit, & ipſe plebi diſtribuerit. ſane cum Turnebo vett. librr. faciunt non tantum noſtri Mss. ſed etiā cuſi quidam codices. etſi ne mihi quidem Diuæi inuentum diſplicet.

CAP. XI. Ipſe in plano tipiſq; Tiberis caſtra poſuit, nauibus vndiq; accitis & ad cuſtodiā poſitis, ne quid Romā frumenti ſubuehi ſineret: & vt prædatum milites trans flumen traiicerent.] A veteri meo, inquit Lipſius, abeſt vox, *poſitis*, & bene. ſic enim lego & diſt. *nauibus vndiq; accitis: & ad cuſtodiam ne quid R. f. ſ. ſineret, & vt prædatum*, duplicem enim cauſam refert nauium accitarum.

CAP. XII. In confertiſſima turba prope regium tribunal conſtitit.] Membranæ Colonienſes, *ſubſtitit*.

CAP. XIV. Vnde Toſcum vicum dictum.] Aliter Varro, aliter etiam Tacitus qui hæc ipſa verba refert nobis lib 4. Annal. vide Lipſium Commentario Corneliano.

CAP. XVI. Namque Ap. Clauſus, cui poſtea Ap. Claudio fuit Romæ cognomen.] Ms. Colonienſis, *namq; Attius Clauſus, cui poſtea Ap. Claudio fuit Romæ nomen*, ſed audiamus Lipſium ad illa Taciti ex lib. 11. Annal. *Eoſque ab Atto Clauſo, continuos duraſſe*. Secuti ſumus, inquit, ſpectatæ fidei codicem Vat. qui diſertim habet *Atto Clauſo*. ſuperius tamen alieno manu I. addito vt fieret *Attico*. Vt miret Iuriſconſultū Vertranū ſcribere duos Vatic. *Accio Clauſo*, referre. Sed ille quidē nobis impoſuit: ego ſi fallo, tum mihi quiuis oculos.

Iſtos, ſuppoſitis eruito manibus.

Facit à Vatic in eadem bibliotheca vetus Suetonius qui initio lib. 3. *Atta Claudio* refert. Et quidni probabile, cum Clauſus recens è Sabinis eſſet, prænomen eum habuiſſe terminatione Sabinum? Emendandus ita, me iudice, Liuius li. 2. *Atten Clauſus, cui poſtea Appio Claudio Romæ nomen fuit*, & li. 10. *Principem nobilitatis veſtræ, ſeu Attam Clauſum, ſeu Appium Claudiū vultis*. De Clauſo manifeſte poſt Virgiliū Silius 17. Punicor. *Hic priſca ducēs Clauſorū ab origine nomē Claudia*, &c.

Eod. Haud ita multo poſt in principum dignationem peruenit.] Membranæ Col. *in principum dignitatem*.

Eod. Ne ab obſidibus quidem qui ccc. accepti numero erant, ira belli abſtinuit.] Scriptus codex, *ira belli hoſtilis abſtinuit*. Credo fuiſſe, *iram belli hoſtis abſtinuit*. elegantiſſimo genere dicendi quod in Plauto occurrit ſexcenties.

Eod. Vineis incenſis, multis hoſtium volneratis & occiſis, conſulem quoque alterum (ſed verum nomen auctores non adiiciunt) graui vulnere ex equo deiectum prope interfecerunt.] Vetus *ſed vtrum, nomen non adiiciunt*. recte, inquit. Lipſius à quo & proxima mutuati ſumus.

CAP. XIX. Actū tamē eſt de pace, impetrataq; foret, ſi quod impenſę factū in bellū erat, pręſtare Sabini tum (id n. poſtolarū erat) in animū induxiſſent.] Mēbranæ Colō. & Fuld. nō habent illa: *Sabini tum* vidēturque profecta ex officina Beati, qui cum in Spirenſi, ſuo exemplari repeiiſſet, vt ait, *Sabinium Sabini tum*, nobis ex eo fecit, qui cedat aliquando, ſi pudor plurium & optimæ notæ codicum conſenſui.

CAP. XXIII. Magno nato quidam cum omnium maiorum ſuorum inſignibus ſe in forum proiecit.] Quę iſta ait Lipſius *omnium maiorum inſignia*, an imagines & ceræ. Scilicet hęc illi in vincolis ad manum erant. Quid, quod ne nobilis quidem fuit? Dionyſius militarem illi tantum gloriam tribuit: Liuius ne nomen quidem ponit, non omiſſurus ſi nobilis fuiſſet. Vide autem, literę mutatione omnis illa nobilitas corruit. nam leg. *malorum ſuorum*. Quæ inſignia malorum fuerint, ſtatim addit.

Eod. Obſita erat ſqualore veſtis, fœdior corporis habitus pallore ac macie perempti.] Vbi meus liber, *pallore ac [veſte] macie perēpti*. voce alieno loco inſerta. quā ſupra ſic reſtituo *fœdiorq; veſte corporis habitus*. nā &, *Fœdiorq;* habet nō *fœdior*.

Eod. Ni propere coſſ. P. Seruilius & Ap. Claudius ad comprimendam ſeditionem interueniſſent. At in eos multitudo verſa.] In membranis Col. non eſt illud *At*: idque recte meo iudicio.

CAP. XXVII. Poſtulabāt, vt aut referret ad Senatum, aut vt auxilio eſſet conſul ciuib. ſuis, imperator militibus.] Eædem membranæ, *conſilio eſſet conſul ciuibus ſuis*.

CAP. XXX. Ternæ inde datæ conſulibus, quatuor dictator vſus.] Ms. *quatuor dictatori*.

Eod. Alter conſul in Voſcos profectus: ne & ipſe tereret tempus, vaſtandis maxime agris hoſtem, &c.] Membranæ, *vaſtatis maxime agris*, ac mox *itaque effuſim & contemptim pugnam iniere*. pro vulgatis *itaque eff uſim & contemptim*.

CAP. XXXI. Super ſolitos honores locus in circo ipſi, poſteriſque ad ſpectaculum datus.] Spectaculis Romam transductus, inquit Lipſius, magno honori fuit publicus in iis locus. exempla multa. Exaluit paulatim adulatio, vt non ſolum viuis, ſed etiam abſentibus mortuiſque daretur is locus memoriæ conſeruandæ. Loci præbiti indicium, ſella eſſet. Primū veſtigium eius ritus odorari video in Liuij verbis lib. 2. de Valerio dictatore: *Dictator triumphans in vrbē inuehitur, ſuper ſolitos honores locus in Circo ipſi poſteriſque ad ſpectaculum datus, ſella in eo loco Curulis poſita*. Cęſari habitus deinde idem honos vt clare Dio. li. 44. ἐψηφίσαντο τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον εἰς τὰ θέατρα, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον ἐσκομίζεσθαι. Mox M. Marcello defuncto de quo verba eiuſdē ſcriptoris lib. 53. Μαρκέλλῳ δὲ καὶ εἰκόνα χρυσῆν, καὶ στέφανον χρυσοῦν δίφρον τε ἀρχικὸν ἐς τὸ θέατρον ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων πανηγύρει ἐσφέρεσθαι, καὶ ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων αὐτὰ τίθεσθαι ἐκέλευσε. id eſt, *Marcelli & imaginem auream, & coronā auream & ſedem Curulem Romanis ludis in theatrum, inferri iuſſit, mediumque illa poni inter ſedes editorum*. Sed & Seuerus Pertinaci non vnam ſellam, ſed tres in theatro poſuit vti apud Xiphilinum ſcribitur his verbis: καὶ χρυσῆν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσάγεσθαι καὶ ἐς τὰ λοιπὰ θέατρα θρόνους τρεῖς κατακεχρυσωμένους αὐτῷ ἐσκομίζεσθαι. Lego etiam ſedes aureas in theatrum illatas Tiberio & Seiano abſentibus, & miror interpretem id vertiſſe, *currus*, apud Dionem lib. 58. δίφρους τε ἐπιχρύσους ἐς τὰ θέατρα ἀμφοῖν ἐσίεσθαι. Germanico igitur decretæ eiuſmodi curules ſedes per trina, vt opinor, theatra inter ſacerdotum Auguſtalium ſedes: & coronæ in iis è quercu ob ciues ſcilicet ſeruatos. Hunc ritum non alibi adhuc videram explicatum.

Eod. Priuſquam ad coniectum teli veniretur.] Membranæ Colon. *ad ictum teli*, & ſtatim *habuerunt*, pro, *tenuerant*.

CAP. XL. Templum Fortunæ Muliebri.] De fortunæ variis appellationibus vide accurate ſcribentem lib. 1. de Formulis ampliſſ. Briſſonium.

CAP. XLI. A quæſtoribus Cæſone Fabio, & L. Valerio] ita etiam Dionyſius vocat *Cæſonem Fabium* alterum horū quæſtorum. ſed Tacitus, *Mam. Aemilium*, Plutarchus vero plane diuerſus *P. Veturium & M. Minutium quæſtores* nominat.

IN LIBRVM III. LIVII. NOTAE.

CAP. VI. Munus vigiliarum ſenatores, qui per ætatem ac valetudinem poterant, per ſe ipſi obibant · circuitio accura ędilium plebis erat.] *Aedilium plebes*. membranę omnes antiquæ.

CAP. VIII. Cum exitus haud inde facilis eſſet.] Aſſentio Rhenano reponenti hic exſcripto codice; *cum exitus haud in facili eſſent*. quod ita habeant etiam membranæ noſtræ.

CAP. IX. Quippe duos pro vno dominos acceptos.] Alij, *duos pro vno domino acceptos*. non æque bene.

CAP. XI. Qui obuius fuerat mulctatus nudatuſque abibat.] Mauult vir doctus: *notatuſque abibat*. noſtri libri nihil euariant.

CAP. XIII. Dimiſſus è foro nocte proxima, inſciis conſulibus, in Tuſcos in exilium abiit.] ita ait Sigonius legi in vet. lib. cum editiones habeant, *iuſſu conſulum in Tuſcos in exilium abiit*. Ego profiteor in membranis Colonienſib. neutrum horum reperiri, ſed legi: *Dimiſſus è foro nocte proxima in Tuſcos in exilium abiit*.

CAP. XVI. Multi & varij timores, inter ceteros imminebat terror ſeruilis, ne ſuus cuiq; domi hoſtis eſſet.] Mēbranę Colonienſes, *inter ceteros eminebat terror ſeruilis*. recte. Io-

ter varios metus hinc domi hinc foris præcipuus tamen is fuit quem ierum faciebant.

Cap. xx. Igitur tribuni vt impediendæ rei nulla ſpes erat, de proferendo exercitu agere: eo magis quod & augures.] Suſpicor, inquit vir doctus, deleta voce legendum, *de proferenda agere*. ex ipſa ſententia *cum*, inquit, *tribuni impedire rem non poſſent, differre tamen tentabant*. Proferre exercitum Romanum non eſt.

Cap. xxiii. Partem Tuſculanis dederat ad arcem recuperandam, vi nunquam eo ſubire potuit · fames poſtremo inde detraxit hoſtem.] Membranæ noſtræ: *ad arcem reciperandam vi nunquam eos ſubigere potuit*.

Cap. xxvii. Puncto ſæpe temporis maximarum rerum momenta auerti.] Ms. Colon. *maximarum rerum momenta verti*.

Cap. xxxi. Ea denique tribunis materiam criminandi ad plebem conſules præbuit.] Ms. Col. *eademq́*.

Cap. xxxiv. Eas leges habiturum populum Romanum, quas conſenſus omnium inuexiſſe, nec iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet.] Alij habebant, *quas conſenſus omnium innuiſſe*, de quo Sigonius, Nuſquam inquit, alias legi hoc genus dicendi, *innadere* pro *inferre* & *inuehere*: Itaq; pro certo habeo legendum eſſe *inuexiſſe*. hæc ille. ſatis confidenter vt indicant optimæ membranæ, in quibus diſertim eſt, *quas conſenſus omnium non iuſſiſſe latas magis, quam tuliſſe videri poſſet*. egregie.

Cap. xxxviii. Suarumque rerum erant, amiſſa publica.] Ita omnes ad vnum Mss. tam noſtri quam aliorũ qui modo melioris notæ ſint. atq; ita optimus quiſque Latinæ linguæ auctor loquitur. ne mihi temere aliquis adſuat vocem interpolando *ſuarumque rerum erant ſolicisi amiſſa publica*: quod eſſet vere Glauci & Diomedis mutatio.

Cap. xlii. Alia omnis penes milites noxia erat.] Col. m. ſ. eod. *penes milites noxa erat*.

Eod. Belloque vltro inferendo deterreri hoſtes à conſilio vrbis oppugnandæ.] Col. membranæ, *detinere hoſtes*. quid ſi *deſtineri*.

Cap. xliv. Appi⁹ amore ardẽs precio ac ſpe pellicere adortus.] Beatus ait eſſe in veteri lib. *amore ardens ment precio*. vnde faciebat: *amore ardente amens, precio*, &c. vel *Appius amore ardens immenſo precio ac ſpe*. ſunt etiam quibus placet, *Appius amore ardens ſenſim precio ac ſpe*. præ quibus omnibus amplector lectionem noſtram ſcriptam elegantiſſimam meo iudicio, *Appius amore amens precio ac ſpe*. in quo luſit etiam Terentius dum dixit; *Nam inceptio eſt amentium haud amãtium*. ipſe quoque mox Liuius: *Aduerſus quæ omnia obſtinato animo Appius, (tanta vis amentiæ verius quam amoris mentem turbauerat) in tribunal aſcendit*.

Eod. Ad clamorem nutricis fidem Quiritium implorantis.] Aduerſus vim enim & iniuriam. *Fidem populi Rom.* & *fidẽ plebis*, vel *fidem Quiritium implorabant*. Exemplorum copiam ſuppeditat Liuius, è quibus aliquot producam. is enim li. 2. Volero ſẽ *fidem plebis implorasse* refert. Idem lib. 3. *Nutrix puellæ, fidem Quiritum implorat*. eod. lib. *Ipſius Appij, Fidem P. Romani implorantis vox audiebatur*. Et lib. 4. *Cum fidem plebis Rom. imploraret, à Seruilio Hala obtruncatus eſt*. Ibidem de Melio, *fidem plebis implorare & opprimi ſe conſenſu Patrum, dicere*. Item lib. 42. *Tot millia captiuorum fidem implorãtia Pop. Rom.* Cic lib. 5. in Verr. *Implorat ille fidem Pop. Rom.* Itẽ pro Fonteio *Cum virgo Veſtalis ex altera parte germanũ fratrẽ cõplexa teneat, veſtramq; iudices ac Pop. Rom. fidẽ imploret*. Seneca epiſt. 15. Nemo ſtatim Quiritiũ fidẽ implorat. *Implorare* autẽ Seruius in lib. 10. Æneid. interpretatur, *auxiliũ cum miſeratione depoſcere*. Feſtus vero, *inuocare*, Hæc ampliſſ. Briſſonius.

Cap. lxviii. Donec multitudine etiã proſequentiũ ruente ad portam porrexit.] Colon membranæ: *donec multitudine etiam proſequentium iuuenum ruente ad portam perrexit*.

Cap. lxix. Reſperſuſq; ipſe cruore tota in ſe caſtra cõuertit.] Elegãter de hac re Iuriſcõſultus in hæc verba: *Initium fuiſſe dicitur Virginius quidã, qui cum animaduertiſſet Appium Claudium contra ius, quod ipſe ex vetere iure in duodecim tabulas tranſtulerat, vindicias filiæ ſuæ à ſe addixiſſe: & ſecundũ cum qui in ſeruitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe: captũque amore virginis omne fas ac nefas miſcuiſſe: indignatus quod vetuſtiſſima iuris obſeruantia in perſona filiæ ſuæ defeciſſet, vt pote cum Brutus qui primus Romæ conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis Vitelliorum ſerui, qui proditionis coniurationem indicio ſuo detexerat, et caſtitatẽ filiæ vita quoq; eius præferendã putaret, arrepto cultro de taberna lanionis, filiam interfecit: in hoc ſcilicet vt morte virginis contumeliam ſtupri arceret, ac protinus recens à cæde, madenſque adhuc filiæ cruore, ad commilitones confugit: qui vniuerſi de Algido, vbi tunc belli gerendi cauſa legiones erant, relictis ducibus priſtinis ſigna in Auentinum trãſtulerunt. Omniſque plebs vrbana mox eodem ſe contulit*.

Cap. lxvii. In carcerem eſt coniectus. tribunis ei diem prodixit.] legendum cenſet ampliſſimus Briſſonius: *tribunus ei diem prodixit*, vt ait Cicero, *tum moderata certe iudicia populi à maioribus conſtituta, vt ne niſi prodicta die quis accuſaretur*. Tacitus: *Murſuſque Vibius nunciauit Piſoni, Romam ad dicendam cauſam veniret: ille ludens, reſpondebit, affuturum vbi prætor qui de veneficiis quæreret, reo atque accuſatoribus diem prodixiſſet*.

Cap. lxx. Ne fugare equitem integrum, ſatis eſſe, conficerent equos, &c.] Quia hunc locum notaui inter alios Liuianos in Notantiquis meis, lubet epiſtolæ partem eam hic adſcribere, cum etiam primo libro monere debebam, conſulto huc reiecerim. Igitur ibi ad Lipſium ſic ſcribo: Liuius tuus Tarquinio Seruium ſocerum ſuum apud ſenatum criminanti, inter cetera, hæc tribuit. *Ita natum (Seruium ſ.) ita creatum regem, fautorem infimi generis hominum, ex quo ipſe ſit, odio alienæ honeſtatis, ereptum primoribus agrum ſordidiſſimo cuique diuiſiſſe*. arbitror ego hic, cum in codice cuſo quidem, ſed ante aliquot xc. annos, *fauore*, pro *fautorem* reperiſſem, vtrumque abeſſe poſſe, vt ita dicatur: Seruius infimi generis hominum, vt apud Terentium: *rex paucorum hominum*. arbitrabar, inquam, ita, nihil tamen audebam ſtatuere: donec in membranis Colonienſibus, de quarum bonitate poſt dicam, nullum earum vocum veſtigium extare deprehendi. quo factum non negabo, vt quod ante poſueram tantum, nunc etiam non dubitem affirmare, niſi tu. Lipſi, forte aliter cenſeas. quod tamen non futurum inde quoque exiſtimo, quod Ciceronem etiam ſic locutum video, qui, emendante eruditiſſimo Victorio, in epiſtola neſcio qua ait: *Vide quam ſim antiquorum omnium*. Eodem libro præcedit: *Idem* (Tullus ſ.) *imperat vt haſtas equites erigere iubeat*. Vbi Rhenanus, *arbitror*, inquit, *ſcripſiſſe Liuium, ſuo iuſſu circumduci Albanum exercitum, vt Fidenatium nuda terga inuadat: idem* (ſubaudi Albanus exercitus) *imperat: haſtas equites erigere iubet*. in quo vere fateor me non capere, quomodo iſta oratio ita interpuncta poſſit facere ad mentem Beati. qui (vt apparet ex his quæ ſubiecit: *Porro mirum Tulli regis conſiliũ fuit, etiam deſciſcentes Albanos in ſpeciem adhortantis, quo Fidenateis hoſteis terreret*.) Albanis à Tullo in ipſa etiam defectione imperitatum exiſtimat. & ſane, ita tum hæc diſtinguenda erant: *ſuo iuſſu circumduci Albanum exercitum; vt Fidenatium nuda terga inuadat idem*. (Tullus ſ. niſi malimus *eidẽ* legere, vt ad Albanum exercitum referatur.) *imperat: haſtas equites erigere iubet*. ſed nihil eſt, aut hac, aut illa interpunctione opus. qui enim potuit imperare Albanis Tullus, à quibus & procul conſtitutis, & abeuntibus exaudiri non poterat? nam vt artificium hoc fuiſſe Tulli dicamus, ad terrendum hoſtem, nihil eſt. moueri magis potuit. vt reuera motum Liuius ſtatim poſt teſtatur, vocibus Tulli, confidenter ſuo iuſſu Albanos circumduci, vt Fidenatium terga inuadant, clamantis. vt omittam, ineptum eſſe, dicere ſuo iuſſu circumduci Albanos & poſtea tanquam ignaris, cur id fieret, quid facto opus eſſet imperare. Legemus igitur nos vt ex ſcidis ante laudatis legendum eum locum didicimus, hoc modo: *ſuo iuſſu circumduci Albanum exercitum, vt Fidenatium nuda terga inuadat. Idem imperat, vt haſtas equites erigerent*. qua ſcriptura nihil verius eſſe, ſequentia oſtendunt. verbum *iubet*. ſeu, *iubeat*, quod paulo ante præcedit, hic repetitum vitij cauſa fuit. Facit autẽ huc quod ait Vegetius, *Propterea plerique ante pedites equites poſuerunt, vt diſcurrentes ad-*

uerſarios videre non ſinerent, quando pedites abſcedebant. nam vt ibi hoſtiom cauſa equites peditib. prætexũtur, ita hic prudẽti conſilio Tullus eoſdem erectis lanceis pediti ſoo cõſpectum eripere iubet, trepidationis & conſternationis vitandç. Eſt adhuc eodem libro: *Cum ſi nihil mouerentur, infenſus ira, porro inde abiturus* (Sextus puta Tarquinij F.) *videretur: benigne ab Gabinis excipitur,* aio reponendũ: *ſic nihil morarentur,* quomodo & ſcriptus codex Coloniẽſis habet, & Beatus teſtatur in veteri libro extare, addens hanc ſibi lectionẽ placere, quod videantur verba fuiſſe, quæ iudex ex more profe-rebat, quoties reũ abſolueret. poſtrema tamẽ hæc, (ignoſcãt mihi Rhenani manes) probare nõ poſſum, quod à te, Lipſi, didicerim, non iudici illud ſolemne verbũ fuiſſe reum abſoluẽti, ſed potius cõſuli, ſeu conſulibus Senatum mittentibus, cui tum dicere in more habuerint, *nihil vos moramur patres conſcripti.* Iterum eodem libro eſt; *Iupiter pater* (ſunt verba auguris de Numa deos conſulentis) *ſi eſt fas hunc Numam Pompiliũ, cuius ego caput teneo, regẽ Romæ eſſe, vt tua ſigna nobis certa ac clara ſint, inter eos fines quos feci.* qui locus cũ videatur ſatis integer, facit tamen ſcriptura mẽbranarum, & codicis impreſſi, de quo iam ante dixi, quæ eſt, *vti ta ſigna nobis certa ac cluras ſis,* reſtituendũ & exiſtimẽ, *vti tu ſigna nobis certa ac clarasſis.* quod verbum, vt vides, mire conuenit antiquæ huic formulæ, & ab iis interpolatũ videtur, qui ſimilia non intelligũt, & Liuium nihil niſi vulgo tritũ vti in libris ſuis amaſſe, existimãt. verbo *clarare* certo pro *clarum & conſpicuam facere* vſi multi, & in multis Lucretius li. 3. Horat. 4. carm. Od. 3. Auſonius. citatque ipſe Cicero de Diuinatione verſum ſuum huc omnino facientem:

Iupiter excelſa clarabat ſceptra columna.

Ad eius enim exemplum hic locutus Liuius videtur. In quo tamen ante quoque illi Telchines, qua parte eſt in membranis, *breui ſtirpes quoque virilis ex nouo matrimonio fuit, cui Aſcanio parentes dixere nomen.* Et mox vbi in iiſdem legitur: *Iouis Feretre, inquit, hæc tibi victor Romulus rex, regia arma fero,* &c. Hoc loco, *Iupiter pro Iouis,* & illo *ſtirps* pro, *ſtirpes,* ita demum bene ſe de Liuio mereri exiſtimãtes temere ſubſtituerunt; & tamen hi ſunt illi, ſi diis placet, qui cœlũ terræ miſcent, ſi quid nos, non pro noſtra lubidine, ſed ex librorũ fide, in vulgatis iam auctoribus, & ſexcẽtis locis eodem modo ab iis male acceptis loco moueamus, & pro ſpuriis legitima in ſuam poſſeſſionem reducamus. Sed ad Liuium. *Numitor,* inquit, *inter primum tum altum hoſtes inuaſiſſe vrbem, atque adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcẽ præſidio armiſque obtinendam aduocaſſet, poſtquam iuuenes,* &c. manifeſte ſcribendum, *auocaſſet.* & ita membranæ, fruſtraque adeo eſt Beatus, qui contra earum auctoritatẽ & libros omnes editos, libro tertio legendum exiſtimat; *Concilium deinde legi perferendæ habere adaocato populo ab armis.* cum etiam hic *auocato* in omnibus omnino & ſcriptis, & editis codicibus habeatur, & ita legendum iſta quæ precedunt: *Sed vanã imaginẽ belli, ad aduertẽdos ab legis cura plebis animos, Capitoliũ inſediſſe contenderent;* Rhenanũ cõmouere potuerint. ſic autem & in epiſtola Sulpicij ad Ciceronẽ eſt: *Etiam tu ab hiſce rebus animũ ad cogitationẽ tuam auoca.* & ait Calliſtratus I. C. Tit. de Nundinis; *Cum auocentur agrorum cultores ab opere ruſtico.* Vſi ſexcenti alij eo verbo, in iſta ſignificatione. ſed quia in li. 3. Liuij incidimus, videamus etiam iſta in eo: *Ibi vero Sulpicius negare cunctandi tẽpus eſſe, circumuẽtos interclusoſque ab ſuis vociferans, in equeſtre prœlium cõnixi omni vi perficerent, nec fugare equitem integrum ſatis eſſe; cõficerent equos, viroſque, ne quis reueheretur inde ad prœlium, aut integraret pugnã,* hic ego ſcio vocẽ illã *integrum* nihili eſſe, natamque ex verbo *integraret,* quod ſequitur; pro ea igitur repono *interdum,* hoc modo, *Ibi vero Sulpicius negare cunctandi tẽpus eſſe, circumuentos interclusoſque ab ſuis vociferans, ni equeſtre prœlium conniſi omni vi perficerent; nec fugare equitem interdũ ſatis eſſe, cõficerent equos,* &c. confirmant hanc emendationẽ quæ præcedunt. Ad primum igitur librum reuerſionem faciamus, vbi legitur; *Deinde ne vana magnitudo vrbis eſſet, adiicienda multitudinis cauſa, vetere conſilio condentium vrbes, qui obſcuram,* &c. quæ verba in ſpeciem recta ſunt, re non item. haud dubie enim cum in cuſo codice antiquo non *multitudinis,* ſed *multitudini,* inueniatur, ſcribendum eſt; *Deinde, ne vana magnitudo vrbis eſſet, adiicienda multitudini, vetere conſilio,* &c. Omiſſa voce *cauſſa* à ſciolo aliquo huc inculcata. talia ſunt illa apud Tacitum Annal. 15. *Ea dum à Corbulone tuenda Syria parantur,* & li. 16. *per tantam animi occulta augendis præſentibus bonis.* item ſtatim, *Dantur triremes & delectũ nauigium, iuuãda feſtinationi.* ſed & multa alia hoc exemplo in Liuio peccata ſunt. legebatur enim, legiturque in omnibus fere libris, vt alij etiam teſtantur, apud Liuium libro tertio. *Suarumque rerum erant amiſſa publica, tantum ab iniuria abeſſe rati, quantum,* &c. Ea forma, nempe qua dicimus aliquem eſſe bonarum rerum. inuenti ecce ſunt, qui, vt per omnia antiquũ obtineant nobis interpolarunt; *ſuarũq; rerum ſoliciti erãt, amiſſa publica,* &c. Idem alio loco eodem libro. *Et non præciditur ſpes plebeio quoque, ſi dignus ſummo honore erit, apiſcẽdi ſummi honoris.* Et alio, *vt patricios deſperatio primo irriſa a plebe apiſcendi honoris, deinde indignatio ſi cum his gerendus eſſet honos, deterreret.* quo vtroq; capital credo admiſſuri, ſi Liuio ſuam vocem reliquiſſent, *adipiſcendi* repoſuerunt, cum *apiſci* verbo Lucretius, Catullus, ipſe denique cum in libris de Legibus, tum in epiſtolis Cicero vtatur.

Cap. XXXI. Et ſi licet inquit c o s s. de republica dicere.] Nota mihi hanc quoque formulam tritiſſimam. Cicero 1. Philippica. *Antequam de republica P. C. dicam, ea quæ dicenda hoc tempore arbitror.* Et mox; *Priuſquam de R. Public. dicere incipiam pauca querar.* Idem Philipp. 3. *Nec vero de legione Martia, quoniam longo interuallo nobis loqui de Republica licet ſileri poteſt.* Sed & in extremo quartæ orationis in Catil. hortatur Patres conſcriptos fortiter ac diligẽter, vt inſtituẽt de ſomma ſalute publica, deque *vniuerſa republ. decernere.* Suetonios in Auguſt. capit. 54. *Interdum ob immodicas altercationes diſceptantium è curia per iram ſe proripienti quidam ingeſſerunt, licere oportere Senatoribus de Republic. loqui.* Atque adeo interdũ ipſi Senatores poſtulabant, vt ſibi *de Republic. liceret dicere.* Liuius libro tertio. *Conſurgit P. Scaptius, & ſilicet, inquit, Conſules, de Republic. dicere.* Idem eodem libro: *Proditum memoria eſt Potitum poſt relationem Appij Claudij, priuſquam ſententiæ rogarentur poſtulando, vt de republica liceret dicere: prohibẽtibus minaciter Decemuiris, proditurum ſe ad plebem denuntiantem, tumultam exciſſe.* & alias, *Ferociores iterum coorti Valerius Horatiuſque vociferari, vt de republica liceret dicere: dicturus ad populum ſi in ſenatu per factiones non liceat.* Idenim motis erat Senatoribus ſi quid è Republic. crederent, pro ſententia dicere. Tacit. libro ſecundo. *Exceſſit Fronto ac poſtulauit modum argento, ſuppellectilis familiæ. Erat quippe adhuc frequens Senatoribus, ſi quid è republica crederent loco ſententiæ promere.* Et hoc eſt quod apud eundem auctorem Tiberius ſentit, cum ait: *Nec ſane ideo à maioribus conceſſum eſt egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat, loco ſententiæ proferre, vt priuata negocia, & res noſtra familiares ſic augeamus.* Vnde Cato omni Senatu etiam cum de aliis rebus conſuleretur, cenſere ſe dicebat delendam eſſe Carthaginem, quemadmodum Annæus Florus libro ſecundo, & Plutarchus in Catone, Plinius quoque libro 15. Natur. hiſt. cap. 18. memoriæ prodiderunt. Ex his nemini dubiũ relinquitur, vitioſe in Liuio libro 26. ſcriptum. *Ibi de ſumma Reipublic. conſultatum.* reſcribendum que *de ſumma republica.* Briſſon.

Eod. Nunc haud ſane quidquam bona cauſa eleuatur dedecus iudicij.] Omnino legendum vt & Glareano placuit & noſtræ membranæ retinent, *nunc haud ſane quicquam bono cauſa leuatur de decus iudicij.*

Eod. Reliquum anni quietum ab vrbanis motibus & ab externis manſit.] *Tomanſit* in membranis nullum eſt.

IN T. LIVII LIBRVM quartum Notæ.

CAP. IV. Hoc ipſum, ne connubium patribus cum plebe eſſet, non decemuiri tulerunt paucis his annis, peſſimo exemplo publico, cum ſumma iniuria plebis.] Tò *publico*, abeſt à libris omnibus quos vidi: neque Beatus qui primus aut in primis illud in contextum recepit addit de coniectura ne ita ſcribendum putet, an veteris libri alicuius ea ſit lectione.

Eod. Nec quod nos ex connubio veſtro petamus quidquam eſt, præterquam vt hominum, vt ciuium numero ſimus.] Colon. membranæ: *Nec nos ex connubio veſtro petimus quidquam, præterquam vt hominum*, &c.

Cap. v. Plebes ad id maxime indignatione exarſit, quod auſpicari, tanquam inuiſi diis immortalibus, negarentur poſſe.] eædem membranæ, *Plebes ad id maxime indignatione moueri & ſtatim, vt de connubio ferretur cenſere*, pro, *conceſſere*.

Cap. vi. Euentus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatiſque, alios ſecundum depoſita certamina in corrupto iudicio eſſe.] Col. Ms. *in incorrupto iudicio eſſe*.

Cap. vii. Legati ab Ardeatibus Romam venerunt.] Etiam membranæ quibus vſi nos: *ab Ardea*.

Eod. Fore vt poſtmodum gaudeant ſe iræ moderatos.] Ms. Col. *ſe iram moderatos*.

Eod. Tribuni quoque plebis certamen.] Semper membranæ: *plebei*.

Cap. viii. Ortum autem initium rei eſt, quod in populo per multos annos incenſo.] Ms. inducto *tò per*, habent, *in populo multos annos incenſo*.

Eod. Ne paruis quoque rebus incommode aduerſarentur.] Ms. *ne in paruis quoque rebus*.

Cap. ix. Conſul muro Ardeæ brachium iniunxerat.] Vet. lib. inquit Sigonius, *brachium immiſerat*. neſcio Sigoni quam veteribus & probis exemplaribus vſus ſis, illud ſcio, membranas tam Fuldenſes quam Colonienſes diſertim habere *iniunxerat*: & ſic ait libro quinto. Liuius: *Nam cum agger promotus ad vrbem, vineæque tantum non iam iniuncta mœnibus eſſent*.

Cap. x. Volſci exiguam ſpem in armis ponentes, alia vndique abſciſa cum tentaſſent.] Sigonius, ante quem legebatur, *Volſci exiguam ſpem in armis alia vndique abſciſa cum tentaſſent*, Deeſt, inquit, vox, quæ eſt in manuſcriptis *Volſci exiguam ſpem in armis ponentes*, (id eſt, *Volſci exigua ſpe in armis poſita*) *cum alia tentaſſent*, id eſt, an per colloquium res componere poſſent. &c. vbi iterum profiteor non videri per omnia ſatis bonæ notæ fuiſſe exemplaria Liuij ſcripta quibus vſus Sigonius: optimæ ſane membranæ Colonienſes illud *ponentes*, ignorant, & habent expreſſim, *Volſci exigua ſpe in armis, alia vndique abſciſſa cum tentaſſent*. neque mihi dubium eſt quin ita ſcripſerit Liuius.

Cap. xii. Vnum abfuit bellum externum, quo ſi aggrauatæ res eſſent, vix ope deorum omnium res ſiſti potuiſſet.] Ms. Colon. *Vnum affuit bellum externum*: & mox, *reſiſti potuiſſet*, nempe ſcribendum *vnum afuit bellum externum*, in qua voce millies apud hunc, apud alios ſcriptores peccatum. ad poſterius autem facit: quod ait eodem hoc libro Liuius: *quæ ſi in vnum conueniant, vix deorum opibus quin obruatur Romana res, reſiſti poſſe*.

Cap. xiii. Opus eſſe non forti ſolum viro, ſed etiam libero exſolutoque legum vinculis.] Ms. Colonienſis non habet *tò ſolum*.

Cap. xv. Iubere itaque quæſtores vendere ea bona & in publicum redigere.] Publicatio bonorum tantum exercita antiquitus fuit, ait vir doctus, in crimine perduellionis & hoſtilitatis, ac fortaſſe parricidij, ita enim & Ciceronis damnati à Clodio & M. Lepidi, à Senatu publica facta, quia ſecutus Antonij ſectam. Primus publicationem ad omnia crimina (publica intelligo) extenxit Cæſar: qui, vt Suetonius ait, *Pœnas facinorũ auxit: et cum locupletes eo facilius ſcelere ſe obligarẽt, quod integris patrimoniis exulabãt: parricidas, [vt Cicero ſcribit] bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctauit*. Tenuit ea lex ſub Auguſto. qui tamen cum multis diuitibus vel dimidia pars nimiæ eſſent opes, & in ipſo exilio cauſſa luxus: ſanxit, vt iis omnibus, quibus aqua & igni interdictum (id eſt Iuriſconſultorũ verbo Deportatis) non plus poſſidere liceret quingentis millibus nummum. Dio LVI. Intenditque iterũ ſæuitiam eam Tiberius, lata lege, qua interdictis aqua & igni adempta omnis teſtamenti factio. Idem Dio LVII. Quam legem interpretans Caius l. 8. Qui teſtam. fac. poſſ. *Si cui aqua & igni interdictum ſit*, inquit, *eius nec illud teſtamentum valeat quod ante fecerit, nec id quod poſtea. Bona quoque quæ tunc habuit cum damnaretur, publicabuntur*.

Cap. xvi. L. Minutius boue aurato extra portam trigeminam donatus eſt.] De hoc loco vide ea quæ ſupra adſcripſimus ex eruditiſſimo Lipſio de frumẽtatione. Vbi *bouem auratum* non ſine ſuſpicione corrupti loci legẽdum putat. Primum, quia Plinius duobus locis libro decimooctauo capite tertio; & libro trigeſimo quarto, capite quinto, non boue ſed ſtatua donatum eum ſcribit extra portam trigeminam ſtipe collata: deinde, quia non perſuadetur rudi illa ætate ſtatuas auratas fuiſſe, quas multis annis poſt Romæ non legimus.

Cap. xix. Adſurgentem ibi regem vmbone reſupinat, repetitumque ſæpius cuſpide ad terram affixit.] Ms. Col. *ad terram afflixit*. quæ varietas in his verbis frequens & ſolens admodum eſt in libris veteribus.

Cap. xxv. Ædes Apollini pro valetudine populi vota eſt.] Ms. Fuldenſis *Aedis*.

Eod. Ne cui album veſtimentum addere petitionis cauſa liceret.] Membranæ, *ne cui album in veſtimentum addere p. c. liceret*. quo pacto etiam viri docti pridem legendum hic viderunt.

Cap. xxxi. Romæ terror ingens erat, accito exercitu ab Veiis hoſtibus poſitis ad Fidenas, eoque ipſo ab re male geſta perculſa caſtra locantur ante portam Collinam.] Verba illa, *hoſtibus poſitis ad Fidenas*, non tantum non ſunt hic neceſſaria vt Sigonius cenſet, ſed ſunt meræ quiſquiliæ. membranæ certe omnes conſtanter ea reiiciunt. recte. neque enim ſatis Latine dici poſſe arbitror, *hoſtis poſitus eſt ad Fidenas*.

Cap. xxxiii. Fumo ne victi, inquit, velut examen apum loco veſtro exacti.] Manuſcriptus Fuldenſis, *velut examen apium*, vt alibi *ciuitatium, principium*: pro *ciuitatum, principum*, & ſimilia.

Eod. Quintium maxime & cum eo digreſſos modo de montibus.] Scribatur ex Ms. Fuld. *& cum eo degreſſos modo de montib*. quod idem peccatum paſſim per Liuium millies peccatum eſt vulgo.

Cap. xxxv. Minorem quippe ruborem fore in iuris iniquitate, quam ſi per indignitatem ipſorum prætereantur.] Ms. Fuld. *quam ſi per indignationem ipſorum prætereantur*. quæ variatio in his iiſdem vocib. ſæpe mihi animaduerſa, ſemel hic notata ſit.

Cap. xxxvii. C. Sempronius cui ea prouincia ſorte euenit.] *Sorti euenit*. Ms. Fuld. vt Virg.

- - - - *quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti*.

Cap. xliii. Aduerſus quam actionem primo & conſules & patres ſumma ope enixi ſunt.] Manuſcriptus Fuldenſis, *ſumma ope adniſi ſunt*.

Cap. xlviii. Poſteroque die cum ex compoſito relatum ad Senatum eſſet de ſeditione, quam Mecilius Metiliuſq; largitione peſſimi exempli concitent.] Membranæ Fuldenſes, *concirent*, longe indubie melius.

Cap. lix. Additum deinde omnium maxime tempeſtiuo principum in multitudinem munere.] Ad hũc locum recte & conſtituendum & intelligendum mire faciunt quæ tradit Lipſius in lectiſſimis ſuis electis in hæc verba: De ſtipendio militari apud Romanos, inquit, deque eius progreſſu, pluſquam Metonis annus eſt, cum quæritur inter doctos, ego hoc capite audebo certum concludere, & vt Iuriſconſulti priſci loquebantur, ſignare reſponſum. Tria apud Romanos pro ſtipendio, pecunia, frumentum, veſtis. Pecuniæ,

inſtitutum anno vrbis cccxxvii. de quo Liuij libro quarto corruptus locus. *Additum deinde, vt ante vllam mentionẽ plebis Tribunorumue decerneret ſenatus, vt ſtipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet. Nihil vnquam acceptum à plebe tanto gaudio traditur. concurſum itaque ad Curiam eſſe, prehenſaſque exeuntium dextras, et patres vere appellatos effectum eſſe fatentibus, vt nemo pro tam munifica patria corpori aut ſanguini ſuo parceret; cum cõmoditas iuuaret rem familiarem, ſaltem acquieſcere eo tempore, quo corpus addictũ atque operatum Reipublic. eſſet.* quem emẽdo, *cum commoda ita iuuaret; rem familiarem ſaltem accreſcere eo t.q.* Modus eius pecuniæ initio exiguus fuit. Polybij quidem ætate, id eſt, ſub bellum Punicum ſecundum, in peditem oboli duo: centurionem duplex: equitem triplex. Ita Polybius ipſe libro ſexto. Duo oboli tertia, vt ſcimus, drachmæ pars. Ad nummum Romanum ſi exigimus, dico fuiſſe tres aſſes. eamque ſummam non dubie per duos obolos expreſſit nobilis hiſtoricus. Doceo ex Plauto, cuius loco primus do lucem, in Moſtellaria:

Vbi ſunt iſti plagipatidæ, ferri tribaces viri?
Iſti qui trium nummorum cauſa ſubeunt ſub falas?
Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent.

Nam tres nummi hic, tres aſſes, & ad ſtipendium militare diſerta alluſio Comici ſerui, irridentis quod tam exiguo precio auctorati caſtella & turres ligneas hoſtium (id enim falæ) ſubirent, haſtis aliquot configendi. Et mehercule ſtipendium vile, eo magis, quod illa ætate non veſtis, non frumentum gratuita militi erant: ſed Quæſtor ſi quid horum dediſſet, certum ſtatutumque precium eo nomine de pecunia detrahebat. Auctor idem Polybius libro ſexto. Quod obtinuit ad tempora G. Gracchi, qui primus lege cauit, vt veſtis è publico militi daretur: pecuniamque totam acciperet, ſine vlla, quod aiunt, deductione. Plutarchus in Graccho his verbis, τῶν δὲ νόμων οὓς εἰσέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ὁ μὲν ἦν κληρουχικός, ἅμα νέμων τοῖς πένησι τὴν δημοσίαν, ὁ δὲ στρατιωτικός, ἐσθῆτά τε κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῆς μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων. Quod tamen videtur iterum mutatum ſiue à Iulio, ſiue potius ab Auguſto: & ſtipendio ampliato non data vltra è publico veſtis. argumento, quod in hiſtoriis non amplius mentio miſſæ ad exercitum veſtis: & quod apud Tacitum libro primo, milites queruntur, *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari. hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſæuitiam centurionum et vacationes munerum redimi.* Et veſtis ſaltem Plutarchus meminit: priori aliqua lege gratiam etiam factam de frumẽto, non ambigo. Nec vltra de acceſſione aliqua reperio ante bellum Cæſaris ciuile. *Cæſar*, inquit Suetonius, cap. 26. *legionibus ſtipendium in perpetuum duplicauit.* Ait, duplicauit:, vt credibile ſit factos è Cæſare ſex, aut ſi forte, ſeptem aſſes. Secutum à morte Cæſaris bellum ciuile multiplex cum Antonio, cum Bruto, cum Sexto. veriſimile in illa ambitione ducum, etiam tunc precium auctum militibus cõciliandis. Sed Auguſtus conſtituta republic. & imperij iam certus, *quicquid vbique militum eſſet* (verba Suetonij ſunt cap. 49.) *ad certam ſtipendiorum præmiorumque formulam adſtrinxit.* Formula Auguſti laxior Iuliana, videlicet in diem deni aſſes. Certum & clarum ex Tacito, apud quem libro primo annal. conqueruntur milites, *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari*: & id ſtatim ab exceſſu Auguſti. Id ſtipendium parum diſconueniebat à Græco, apud quos drachma, diurna in militem merces: vti colligere eſt ex Thucydidis libro tertio. Dixi denos aſſes: qui denarium ipſum accipiet, errabit. Nam denarij permutatio pluris eſt ſub Tiberio, ſub Auguſto: & fortaſſe duodecim aſſium, aut præterpropter. Teſtantur iidem apud Tacitum milites, qui decem aſſibus non contenti, flagitant, *Vt denarius diurnum ſtipendiũ foret: neu veterani diutius ſub vexillo tenerentur.* prorſus ridiculo poſtulato, ſi idem denarius & deni aſſes. Ergo æſtimatione duodena illa quam dixi, menſtruum milites ſub Auguſto denarij circiter 25. id erat aureus vnus. quod notari mihi volo, ad ea quæ mox dicam. Poſt Auguſtum, tenebræ ſunt ad Domitianum. de quo monuit Suetonius capite ſeptimo. *Addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos.* paucis, ſed di boni, turbulentis verbis. Ex quibus neceſſe habeamus fateri, menſtruum vnum militis aureos tres fuiſſe: & ante Domitianum quidem nouem aureos datos, ab ipſo adiectos ternos. ita ſub Domitiano gregarius miles acceperit aureos duodecim in menſem. Aureos dico Romanos, quorum vera æſtimatio denariũm 25. Ij eſſent noſtratis monetæ aurei circiter 24. Non aliter ad hunc locum omnes interpretes: & id nobis pluribus verbis perſuadere conantur viri docti. Quis ſanus credet, aut pro ſano? Tantiſne ſumptibus vllam rempublicam parem fuiſſe? adde duplum centurionis, triplum equitis: adde Præfectos, & Tribunos, ſumma quot menſibus in legionem tam improba excreſcet, vt eam verear exprimere. Sed videant me. fœdum illum errorem hiſtoriæ leui & vera correctione tollo ego legoque, *aureis ternis.* id eſt, aureis illis tribus quos ante capiebant, addidit quartum aureum Domitianus. In furcam, peccantem illam literam, quæ dedit has turbas. At mea lectione quid poteſt clarius aut verius? Aureus Romanus, vt notaui, menſtruum militis ſub Auguſto fuit, & id ſtipendium vnum. Adiecit alterum ſeu Caligula, ſeu Claudius: tertium fortaſſe additum per bella ciuilia Vitellij & Othonis. Quartum nunc à Domitiano. Ita in vniuerſum miles acceperit quatuor ſtipendia, ſiue aureos quatuor: duplum fere quam miles hodie. Tolerabilis ſumma præ illa aureorum 12. Rem non ambiguam confirmo teſtimonio Zonaræ, cuius eadem in re hæc verba: *Cum militibus ſeptuagena quina drachmæ ſoluerentur, centenas dari Domitianus iuſſit.* Quæſo LXXV. drachmæ (ita denarium Græci vertunt) quid aliud quam aurei tres? addidit XXV. Domitianus, ex Zonara: ergo aureum vnum. Homo non ſim, ſi verbum vltra addam in re clara firmanda.

IN T. LIVII LIBRVM. quintum Notæ.

CAP. XIX. Profectus cum exercitu ab vrbe expectatione hominum maiore quam ſpe.] *Quam ſpecie.* Fuldenſis maſcriptus.

Cap. XX. Pari habere quod cuique ſors belli dederit.] *Fors belli* membranæ, recte.

Cap. XXI. Te ſimul Iuno regina, quæ nunc Veios colis, preco, vt nos victores in noſtrã tuamque mox futuram vrbem ſequare.] Euocationis cõcepta verba ad Carthaginem Macrobius ex Sammonico Sereno ſic refert. *Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus ciuitaſque Carthaginienſis eſt in tutela, teque maximo ille qui vrbis huius populique tutelam recepiſti, precor, veneror que, veniamque à vobis peto, vt vos populum, ciuitatem Carthaginienſem deſeratis, loca, templa, ſacra, vrbemque eorum relinquatis, abſque his habeatis, eique populo, ciuitati metum, formidinem, obliuionem, inijciatis, proditique Romam ad me, meoſque veniatis, noſtraque vrbis loca, templa, ſacra, vrbs acceptior probatiorque ſit, mihique populoque Romano, militibuſque meis prapoſiti ſitis, vt ſciamus intelligamuſque: Si ita feceritis, voueo vobis templa, ludoſque facturum.*

Cap. XXII. Cum iam humanæ opes aſportatæ egeſtæque à Veiis eſſent.] Ms. Fuld. *Cum iam humana opes egeſta à Veijs eſſent.* reliquis omiſſis. idemq; de ſuo manu exarato codice monuit Beatus.

Eod. Cum quidam ſeu ſpiritu diuino tactus, ſeu iuuenili ioco, Viſne Romam ire Iuno? dixiſſet.] Fuld. Ms. *ſeu iuuenali ioco.*

Cap. XXIII. Iouis Soliſque equis æquiparatum dictatorem in religionem etiam trahebant.] Membranæ Fuldenſes, *æquiperari dictatorem.*

Cap. XXV. Principes ſenatus primi turbæ offerentes ſe, peti, feriri, atque occidi iubebant.] Ms. Fuld. *peti, feririq; atque occidi iubebant.*

Eod. Furere ciuitatem, quæ damnata voti.] Qui vota fecerant, *Reos voti*, eorumque compotes factos quoad ſoluiſſent promiſſa, *Damnatos voti* appellabant antiquitus. Macrobius libro tertio. Saturnalium cap. 2. expendens hunc Virgilij verſum: *Conſtituam ante aras voti reus.* hæc vox, ait

Digitized by Google

voti reus propria eſt ſacrorum, vt Reus vocetur, qui ſuſcepto voto ſe numinibus obligat. Damnatus autem, qui promiſſa non ſoluat. Seruius in ſchedis, *Damnare eſt damno afficere, id eſt, debito liberare, ideo et cum vota ſuſcepimus rei voti dicimur, donec conſequamur beneficium & donec condemnemur, id eſt, promiſſum ſoluamus*, vt Virgil. Buccol. Ecloga 6. *Damnabis tu quoque voti.* Liuius libro 5. *Camillus identidem, omnibus locis concionabatur: haud mirum id quidem eſſe, furere ciuitatem, qua damnata voti, omnium rerum potiorem curam, quam religione ſe exoluendi habeat.* Idem lib. ſeptimo de L. Furio Dictatore: *Inter ipſam dimicationem ædem Iunoni Monetæ vouit, cuius damnatus voti, cum victor Romam reuertiſſet, Dictatura ſe abdicauit.* Et libro decimo. *Vt aedem etiam fieri Senatus iuberet, bis eiuſdem voti damnata Republ. in religionem venit.* Idem libro 39. *Damnatã voti Deum benignitate exſoluere ſe velle.* & libro 27. *Damnarenturque votorum quæ pro ipſis ſuſcepiſſent.* Non. Marcellus: *Damnare & condemnare pro liberare poſitum eſt.* Titinnius Velitetna, *Fortaſſe notum fuiſſe, quo die liber foret. Nunc eius voti condemnatus immolauit hoſtiam.* Turpilius Leocadia; *Et amplius illam apperere condecet.* Quandoquidẽ voti condemnata eſt. Siſenna hiſtor. lib. 4. *quo voto damnati fœtum omnium dicuntur vius anni ſtatim conſecraſſe.*

Eod. Incolentes circa Ticinum amnem, petiere Apenninum, deinde Boij Lingoneſque tranſgreſſi.] Recte membranæ noſtræ in quibus eſt: *incolentes circa Ticinum amnem, Pœnino deinde Boij Lingoneſque tranſgreſſi.* neque aliter Sigonius, cuius notas ad hunc locum vide.

Eod. Ab Vfente flumine vſq; ad Atheſim fines habuere.] Membranæ omiſſo illo *ad: vſq; Atheſim fines habuere.* & ſic amant loqui hiſtorici.

Cap. XXXIX. Ex loco indemunito Deos homineſq; & Romanum nomen defendere.] Lipſius ambigebat an forte antique ſcribendum hic ſic; *ex loco endomunito.*

Cap. XLII. Non mentibus ſolum concipere, ſed ne auribus quidem atque oculis ſatis conſtare poterãt.] Tacitus poſtea dixit, *neque oculis neque auribus ſatis competebant.* Ceterũ apud Liuium reponit *conſipere*, hic pro *concipere* vir literatiſſimus Iuſtus Lipſius, nec hic tantum ſed etiam apud Agellium an *Aulum Gellium* legit: *Verreri ſe oſtendit ne patres gaudio atque lætitia rerum geſtarum proſpere, de ſtatu mentis ſua deturbari non ſatis conſiperent, neque ad recte intelligendum conſulendumque eſſent idonei.* vbi male hactenus æque, *non ſatis conciperent* lectum fuit. Nos etiam in Nouantiquis idem verbum reſtituimus Fulgentio Mythologiarum ſcriptori, & vbi legebatur: *ruga quo criſpato multiplici ſupercilio rancidum ſe quiddum conſopire promittebat.* reponendum videri ex membranis monuimus; *rancidum ſe quiddam conſipere promittebat.*

Cap. LV. Signifer ſtatue ſignum hic manebimus optime.] Plutarchus in Camillo ſic vertit. Καὶ τὸν σημειοφόρον πρῶτον τὸ σημεῖον, μεγάλῃ φωνῇ προστάξας ἐνταῦθα αὐτοῦ μένειν, καὶ τὸ σημεῖον πήγνυσθαι. Κάλλιστα γὰρ ἐνταῦθα καθεδεῖσθαι καὶ μένειν. Valerius vero Maximus idem hic tradit: *Omnium etiam obſeruatio contactu aliquo religionis innexa eſt; quoniam non fortuito mota, ſed diuina prouidentia conſtare creditur. Quæ effecit, vt vrbe à Gallis diſiecta deliberantibus P.C. vtrum Veios migrarent, an ſua mœnia reſtituerent; forte eo tempore à præſidio cohortibus redeuntibus, centurio è Comitio exclamaret, Signifer ſtatue ſignum, hic optime manebimus. Ea enim voce audita, ſenatus ſe accipere omẽ reſpondit, e veſtigioque Veios tranſeundi conſilium omiſit. Quam paucis verbis de domicilio futuri ſummi imperij confirmata eſt conditio. Credo indignum diis exiſtimantibus, proſperis auſpiciis Romanum nomen ortum, Veientanæ vrbis appellatione mutari: inclytæque victoriæ decus, modo abiectæ vrbis ruinæ infundi.*

Eod. Qua voce audita & ſenatus, Accipere ſe omen, ex curia egreſſus, conclamauit.] Veteres ipſaſmet hominum voces, quæ omina appellabant diligenter obſeruaſſe, quod eas valere crederent, Cicero libro primo de Diuinat. ſcribit. ideoque *bona omina* ſtudioſe amplectabantur, & ea ſe accipere profitebantur. Docet hoc Cicero. eodem libro, exempla aliquot *ominum* proferens: *L. Paulus*, ait, *Conſul iterum, cum ei, bellum vt cum rege Perſe gereret, obtigiſſet, vt eo ipſo die domum ad veſperum rediit, filiolam ſuam Tertiam, quæ tum erat admodum parua, oſculãs animaduertit triſticulam. Quid eſt, inquit, mea Tertia? quid triſtis es? Mi pater inquit, Perſa periit. Tum ille arctius puellam amplexus, Accipio inquit, omen mea filia.* Idem libro ſecundo de Diuinat. *Aemilio Paulo Perſam periiſſe, quod omen pater accepit.* Quod & Plutarchus in Æmilio illos ipſos Ciceronis ad Diuinat libros auctores laudans ita refert: λέγεται δ' αὐτὸν ὡς ἀνηγορεύθη κατὰ τοῦ Περσέως στρατηγὸς ὑπὸ τοῦ δήμου πάντων, οἴκαδε προπεμφθέντα λαμπρῶς, εὑρεῖν τὸ θυγάτριον τὴν Τερτίαν δεδακρυμένην ἔτι παιδίον οὖσαν, ἀσπαζόμενον οὖν αὐτὴν, ἐρωτᾶν ἐφ' ὅτῳ λελύπηται τὴν δὲ περιβαλοῦσαν καὶ καταφιλοῦσαν, οὐ γὰρ οἶσθα εἰ πὼ, ὦ πάτερ, ὅτι ἡμῖν ὁ Περσεὺς τέθνηκε; λέγουσαν κυνίδιον σύντροφον, οὕτω προσαγορευόμενον. Καὶ τὸν Αἰμίλιον, ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ φάναι, ὦ θύγατερ, καὶ ΔΕΧΟΜΑΙ ΤΟΝ ΟΙΩΝΟΝ. ταῦτα μὲν οὖν Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἐν τοῖς περὶ Μαντικῆς ἱστόρηκεν. Liuius libro primo. *Dextra Hercules data accipere ſe omen, impleturumque fata.* Idem lib. 5. *Qua voce audita & Senatus accipere ſe omen ex curia egreſſus conclamauit.* Idem lib. 9. *Accipere ſe omen Conſules dicunt, & eam precari mentem hoſtibus, vt ne vallum quidem defendant.* Valet. Max. libro oono, capitulo quinto. *Ea enim voce audita Senatus ſe accipere omen, accipere omen reſpondit*, Tacitus lib. 2. *et matrimonia ad pecunias hoſtiam prædæ deſtinare.* Ouid. 7. Metamorph.

Accipio, ſintq; iſta precor felicia mentis
Signa tua, dixi, quæ das mihi, pignoris omen.

Idem libro 1. Faſto. *Accipio reuocamen, ait.* Eademque loquendi forma Valer. Flacc. libro 1. Argonautic. *Accipe augurium*, dixit. Nec *accipere* tantum, ſed & *arripere omen* Latini auctores dicunt, Valer. libr. 1. cap. 5. illam Pauli Æmilij hiſtoriam referens: *arripuit igitur omen Paulus.* Spartianus in Seuero, *ſibi omen futuræ fœlicitatis arripuit.* Briſſon. in Formulis.

IN T. LIVII LIBRVM.
VI. NOTAE.

CAP. I. Quæ ab condita vrbe Roma ad captam eandem vrbem Romani ſub regibus primum conſulibus deinde ac dictatoribus decemuiriſq; ac tribunis cõſularibus geſſere foris bella, domi ſeditiones, quinque libris expoſui.] Membranæ Fuldenſes *ſub regibus primum, conſulibus deinde, dictatoribus, decemuiriſque*, &c.

Cap. II. Per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant.] Ms. Fuldenſis, *in amicitiam populi Romani fuerant.*

IN T. LIVII LIBRVM
VII. NOTAE.

CAP. I. Annos hic erit inſignis noui hominis conſulatu, inſignis nouis duobus magiſtratibus, prætura, & curuli ædilitate.] Prætorum origo, progreſſus, augmentum, ſatis ambigue tradita ait Lipſius ad Tacitum, etiam aliis quibus hæc vna cura fuit. ego breuiter rem expediam, & ad hiſtoriæ fidem. Primus prætor Romæ inſtitutus, anno Vrbis CCCXCVIII. Furius Camillus. Liuius libro ſeptimo, & Suidas in voce πραίτωρ. Additus alter anno DX. cui cognomen datum Perigrini, quod plerumque inter ciues ius diceret & peregrinos. Epitoma Liuij XIX. Additi duo alij, anno vrbis DXX. Silicia & Sardinia in prouinciam redactis, qui illuc cum imperio mitterentur. Epitoma XX. Iterum duo, victis Hiſpanis, anno DLVII. Ita in vniuerſum ad id tempus Prætores ſex: è quibus duo iuri dicundo præerant, reliqui in prouincias mittebantur expertes iudiciorum. Id manſit donec quæſtiones perpetuæ conſtitutæ anno vrbis DCV. L. Cenſorino, M. Manilio coſ. partibuſq; tunc viſum, vt in totum magiſtratus ſui annũ, prętores in vrbe manerent, è quibus duo more priſco ius dicerent: reliqui quatuor publicis iudiciis præeſſent. Iidem omnes exacto anno, ſorte in prouincias prætorias mitterentur. Cornelius deinde Sulla Dictator auxit Quæ-

ſtionum publicarum munerum: pariterque Prætorum. non tamen eatenus, vt quot Quæſtiones eſſent, totidem Prætores: (errat largiter Pomponius, qui id ſenſit: quia plures ſæpe Quæſtiones apud eundem prætorem exercitas cõſtat) ſed in vniuerſum addidit duos. Ita non plures octo Prætores ad Ciceronis æuum: idque ex variis eius ſcriptis clarum, non decem vt voluit Iuriſconſultus. Oppreſſa mox Republic. C. Cæſar Dictator primus inſtituit decem, quo pluribus bellorum ſociis honorem eum gratificaretur. Dio. libro quadrageſimo ſecundo. ἔτη, πλείους αὐτοῦ (στρατηγοὺς intelligo) ἠμείψατο, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀποδεῖξαι, καὶ ἀξίας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον. qui Pomponium refellit diſertim: Sed nec in eo numero ſtetit Cæſar. creauitque biennio poſt XIV. Iterumque anno poſt XVI. idque vt Dio idem ait, in multos annos. At Auguſtus republica, & imperio potitus, pariter varium ſe in hac creatione geſſit. Anno vrbis DCCXXXI. minuit Cæſarianum numerum, retraxitque ad decem. Dio lib. 53. ταῦτά τε οὖν ὁ Αὔγουστος ἐποίησε, καὶ στρατηγοὺς δέκα, ὡς οὐδὲν ἔτι πλειόνων δεόμενος ἀπέδειξε. Anno DCCLXIV. creauit XVI. propter turbam competitorum: ita tamen (ait Dio libro 56.) vt poſterioribus deinceps multis annis XII. dumtaxat crearet. Atque hoc eſt quod Tacit. de duodenario numero tradito ab Auguſto adſeuerat: vere & recte, ſi reſpicias inſtituta eius extrema. Nam ad prima adiecit oculos Pomponius, qui XVI. prætores conſtituit ſub Auguſto, & in tempore ſaltem errat. At quod Tiberium iuraſſe Tacit. ait ſe numerum 12. non exceſſurum: quis Pontifex periurio eum ſoluet? Nam ego manifeſto hominem teneo, ex Dionis teſtimonio libro LVIII. qui affirmat Tiberium anno orbis DCCXXCVI. quindecim Prætores creaſſe: additque καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἐπετελέσθη, ὥς τινας ἔτι ἑκκαίδεκα, ἔστι δ' ὅτε καὶ πεντεκαίδεκα, ἢ καὶ δύο χειροτονηθῆναι. Imo Claudius Imp. alias XIV. alias XVIII. creauit, interdum mediu inter hos numero. Vide eundem Græcum libro LX.

Cap. III. Quia numerus à Minerua inuentus ſit] Ita placet legi Sigonio, ſed ego plus tribuo cõſenſui optimorum multorum codicum quam libro ipſius vnico neſcio quam probo, legoque volentibus iubentibus illis, *quia numerus Mineruæ inuentum ſit.* & ſic poeta neſcio qui in perſona Phœbi;

Inuentum medicina meum eſt: opiferq́ue per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Eod. Clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Hetruſcæ deæ comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. Lipſius τὸ *auctor*, delendum cenſet: eſtque inquit *Norsia*, vel potius vt libri meliores *Narſcia* Volſinienſium peculiaris dea. Tertull. *Aſculanorum Ancaria dea, Volſinienſium Narſcia. Otriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia.*

Eod. Qua de cauſa creatus L. Manlius perinde ac reipublicæ gerendæ.] Hic Sigonius. Non poſſum, ait, non vehementer diſſentire à Sigiſmundo Gelenio, qui cum antea legeretur, *rei gerendæ, ea non ſoluendæ religionis gratia*, & recte legeretur, emendauit, *Reipubl. gerendæ ac non ſoluendæ religionis gratia.* Diſſentio autem ab eo non ſolum quod è veterũ auctoritate librorum, ſed etiam quod ab ipſa veritate alienam attulit lectionẽ, neque enim dictatorem vnquam traditum eſt creatum eſſe Reipublic. gerendę cauſſa, ſed *Rei*. Rem autem gerere eſt bellum Reipubl. cauſſa gerere. Itaque cum aliis multis de cauſſis dictator creari ſolitus fuerit, hæ tamen duæ præcipuæ ſemper habitæ ſunt, pacis & foris & domi præſtandæ quorũ illud *rei gerendæ* dixerunt, hoc *ſeditionis ſedandæ*, quemadmodum ex Capitolinis. Sed meminiſſe debebat vtrãque formulã veteribus crebro vſitatam. ſic enim & Cicero Philip. XIV. *Quamobrem aut ſupplicatio ob Rempub. pulcherrime geſtam, poſtulantibus veſtris imperatoribus denegãda eſt.* Vndẽque ſupplicationẽ his verbis decernit: *Uti ob eas res, bene fortiter, feliciterque geſtas, C. Panſa, A. Hirtius Coſſ. Imperatores, alter ambóue, aut ſi aberint M. Cornutus Prætor vrbanus ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria conſtituat.* Liu. li. 41. *Nõ homines tantũ ea victoria lætatos, ſed diis quoque immortalib. per triduũ ſupplicationes habitas, quod bene ac feliciter, non quod male ac temere Reſpubl. à Luc. Furio Prætore geſta eſſet.* Idem leg. 33. *Ob res proſperè geſtas in dies quinque ſupplicationes decreta.* Et lib. 41. *Supplicationes decreta, quod is proſpere Rempub. geſſiſſet.* Idem libro 42. *Supplicationem que, quam abſentes ex literis de bene geſta Republic. miſſis decernere debuerint.* Et libro 45. *Senatus reuocatus in curiam, ſupplicationem ob rem egregie geſtam ab L. Aemilio Conſule, in quinq; dies circa omnia puluinaria, decreuit.* Agell. libr. 7. cap. 14. & Feſt. Pomp. in verbo *ſub corona*, hæc ex Catonis libro de re militari verba citant: *vt populus ſua opera potius, ob rem bene geſtam coronatus ſupplicatum eat, quam re male geſta coronatus veneat.* Nec dubium eſt huc reſpexiſſe Ciceronem Orat. in Piſonem, cum ait, *vt Senatus is, qui in eam benignitatis conſuetudinem venit, vt eos qui bene rempublic. geſſerint, nouis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum.* Qui loquendi modus non eſt infrequens. Idem Cicero eadem oratione: *Qui neque ſcribere Senatui, à te bene Remp. eſſe geſtam, neque præſens dicere auſus es.* Cornel. Tacit. libro ſecundo. *Et Iano, templum, quod apud forum olitorium C. Duillius ſtruxerat, qui primus Rempublic. Rom. proſpere mari geſſit.* Idem libro 15. *Ob res à Quadrato et Corbulone proſpere geſtas, laurum faſcibus Imperatoris addi.* Lampridius in Alexandro, *His vero qui remp. bene geſſeran Conſularia ornamenta decreta ſunt.* Nec tantum *Rempublic. gerere*, verum etiam ſimpliciter *rem gerere* eodem ſenſu apud auctores inuenio. Suet. in Auguſto cap. 7. *Vel quod in regione Thurina, recens eo nato pater Octauius, aduerſus fugitiuos proſpere rem geſſerat.* Macrob. libro tertio. Saturn. cap. 2. *Quod poſtridie Non. Iulias re bene geſta cum pridie populus a Tuſcis in fugam verſus ſit, poſt victoriam certis ſacrificiis fit vitulatio.* Liuius libro 28. *Quum neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſent, conſtabat.* Et libro 27. *Marcello, quibus conſul bene rem geſſerat, legiones decreta.* Idem libro 31. *Exemplũ à maioribus non accepiſſe, vt qui neque Dictator, neque Conſul, neque Prætor, res geſſiſſet, triumpharet.* Et alias eod. lib. *Maiores natu negabant triũphum, et quod alieno exercitu res geſſiſſet.* Et libro tertio. *Quæ non paruu bene geſta rei neceſſio erat.* Et mox: *Scipio eodem quo adhuc, iure imperij terra rem gereret.* Apud eund. libro vigeſimoſecundo. Flaminius; *Num literas quoque, ait, ab Senatu adfers, quæ me rem gerere vetent?* Plin. libro 2. cap. 67. *in Arabico ſinu res gerente C. Cæſare.* Et lib. 12. cap. 14. *Res in Arabia geſſimus.*

Cap. IV. Filium iuuenem nullius probri compertum.] Sic Tacitus dixit Annal. libro primo. *Nullus tamen flagitij compertum.*

Cap. X. Torquati cognomen auditum, celebratum deinde poſteris etiam, familiæque honori fuit.] Ms. Fuldenſis. *Torquatus cognomentum auditum.*

Cap. XIV. Dictator quamquam rem bonam exemplo haud probabili actam cenſebat, tamen facturum quod milites vellent ſe recepit.] Ms. Fuld. *rem bonam exemplo haud probabili actam cernebat.*

Cap. XV. Ignominia popoli Romani inſignior fuit.] Noſtræ membranæ, *inſignitior fuit.* quo pacto etiam in aliis Manuſcriptis codicibus extare alij dudum profeſſi ſunt.

Cap. XVI. De viceſima eorum qui manumitterentur.] Ampla populi Romani vectigalia, inquit Lipſius, nullum, cenſeo, amplius eo quod è ſeruis, libertiſque. Rem eam paulo vberius à capite mihi tractanti, aut gratia, aut venia eſto. Antiquiſſimum vectigal Viceſimæ reperio, quæ ad libertos. Inſtitutum anno vrbis CCCXCVII. C. Marcio, Cn. Manlio Coſſ. Liuius libro ſeptimo. *Ab altero conſule* (Cn. Manlio) *nihil memorabile geſtum, niſi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim, de viceſima eorum qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.* Ea viceſima ſemper ex hinc exercita. ad tempora Principum inferiorum. Itaque non infrequens memoria in libris. Ab hac aurum viceſimarium deriuo, quod in ſanctiore ærario: de quo Liuius libro vigeſimoſeptimo. *Conſulibus aurum Viceſimarium, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit.* ad hanc Viceſimam Arriani inſignis locus, libro tertio. Diſſertat. Epicteti, ca. 26. ὁ δοῦλος εὐθὺς εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλεύθερος. διὰ τί; δοκεῖτε ὅτι τοῖς εἰκοστωναῖς ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον; οὔ. ἀλλ' ὅτι φαντάζεται, &c. In quo loco, vide vt cæcutiat vir alia doctus Nam vertit: *Seruus in primis cupit ſe donari libertate. Quã ob cauſam?*

an

Digitized by Google

an quia deſiderat pro teſſera vendentibus argentum numerare? Non ſed quia opinatur,&c. Et in notis ait, εἰκοσιώνην eſſe qui rē emit exhibito ſigno aut teſſera; manumiſſos autē emere publice frumenta potuiſſe exhibita teſſera: Vnde Perſius —— *ſcabroſum teſſerula far.* Somnia & nugamenta mera. Corrigo in Arriano, τοῖς εἰκοστώναις. Gloſſæ: εἰκοστώνης, ὁ τὰς εἰκοστὰς ὠνούμενος, *Vicesimarius.* Verte igitur: *An quia vicesimariis argentum dare deſiderat?* Idem Arrianus lib. 2. c. 1. ὅταν οὖν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησεν; ἐποίησέ τι. ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον. ἄλλο οὐδέν; ναί. καὶ εἰκοστὴν αὐτοῦ δοῦναι ὀφείλει: id eſt. *Cum quis ſeruum ſuum verterit apud Prætorem, nihilne fecit? fecit. quid? vertit ſuum ſeruum. Numquid amplius? Certe. vigeſimam pro eo dependet.* Cicero libro ſecundo, ad Atticum, epiſtola decimaſexta: *Portoriis Italiæ ſublatis, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter vicesimam?* Hæc in manumiſſis. At in ſeruis receptum, vt quotiens venirent, vectigal pro iis penderet emptor. Id Tacitus fuiſſe ait, quintam & viceſimam: lectio modo ſit certa. Ambigas enim iure, quoniam de hac xxv. nihil alibi ſcriptum. Imo ſcriptum contra: Auguſtum cum pecunia ad bellum & nocturnos vigiles ei opus, inſtituiſſe Quinquageſimam venalium mancipiorum. Dio. LV. in actis anni DCCLX. τὸ τέλος τῆς πεντηκοστῆς ἐπὶ τῇ τῶν ἀνδραπόδων πράσει ἐσήγαγε. Et hercle vti aliarum rerum vænalium centeſima fuit, ſic quinquageſima mancipiorum. auſimque in Tacito reponere, *quinquageſima.* Alia quinquageſima eſt, de qua in Symmacho, & infra, hoc ipſo libro. Fuit & Viceſima hæreditatium, inſtituta ab Auguſto ad ærarium militare: de qua Dio libro quinquageſimoquinto, actis anni DCCLIX. τὴν εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων, καταλείπωσι, κατεστήσατο. Temperauit eam Nerua, & magis Traianus: de quibus multa Plinius in Laudatione. qui omnino videndus, ſi vim intelligere aues eius vectigalis. poſtque illos Antoninus Philoſophus, de quo Capitolinus: *Leges etiã addidit* (ſiue *edidit*) *de viceſima hæreditatum, de tutelis.* Videndus etiam Paulus libro quarto Sentent. titulo ſexto, lege vltima, Cod. de edict. D. Hadrian. toll. de Viceſima legibus primus ſcripſit A. Ofilius. & poſt eum Macer libros duos. Inuenio & in lapidibus, PROCVRATOR. XX. HEREDITATIVM. item, PROMAGISTER. XX. HEREDITATVM. qui poſtremus titulus ab eo, quod, vti è Plinio diſcis, publicani colligebãt hoc vectigal: quorum Magiſtri, & Promagiſtri. Satis, nec enim Iuriſconſultorum frugem demetere propoſitum nobis.

IN T. LIVII LIB. VIII. NOTÆ.

CAp. I. Nocte pro victis Antium agmine trepido, ſauciis, ac parte impedimentorum relicta, abierunt.] Fuldenſes membranæ: *Nocte profecti Antium agmine trepido,* &c.

Cap. III. Per quoſdam priuatis hoſpitiis neceſſitudinibuſque coniunctos.] Eædem membranæ, *priuatis hoſpitiis neceſſitatibuſque.*

Cap IV. Qui ne noſtrorum quidem finium per nos tuendorum ius antea dabant.] Ms. Fulden. *nobis per nos tuendorum.* quod probo.

Cap. V. Audi Iupiter hæc ſcelera, inquit, audite ius faſque.] Sic Catullus Eumenides precatur vti querelas ſuas audiant. & Ouidius Acheloum inducit Orantem Neptunum, vt placidus precantem audiat. hincque *auditas* vel *non auditas preces* dicebant. Liuius libro primo de Romulo. *Hæc precatus veluti ſenſiſſet auditas preces, Hinc, inquit, Romani Iupiter optimus maximus reſiſtere atque iterare pugnam iubet.* Cicer. in Piſon. *In quo dij immortales meas preces audiuerunt.* Idem epiſtola prima, libri ſecundi, ad Q. Fratrem. *Sed hæc vtinam non experiare, quod precarer deos, niſi meas preces audire deſiiſſent. Verumtamen precor vt his infinitis noſtris malis contenti ſint.* Horatius libro quarto, Carm. Ode 13.

Audiuere Lyce dij mea vota; dij
Audiuere Lyce.

Cap. VI. Eſt cæleſte numen, es magne Iupiter.] Hac formula vſi veteres cum vellent ſignificare, non fortuito res humanas, ſed diuina prouidentia regi: ſic & libro quarto dixit Liuius: *Dum pro ſe quiſque deos eſſe, & non negligere humana fremunt.* Plautus Captiuis Act. II. Scena II. *Eſt profecto deus, qui quæ nos gerimus auditque et videt.*

Cap. IX. Decio caput iecinoris à familiari parte cæſum aruſpex dicitur oſtendiſſe.] In extis enim pars vna *familiaris,* altera *inimici* nomen, vicemque ſortiebatur, vt tradit Cicero libro vndecimo, de diuinat. Lucani vetus interpres *Diuerſæ,* ait, *ſunt venæ, quas Haruſpices cellas dicunt, hoſtium, amicorum, et aliæ eiuſmodi. Cum ergo accipiunt iecinora, intelligunt quæ cella noceat, quæ pars ſaliat. igitur dum vident de hoſtili parte venarum pulſus emergere, ſignificari prælium recognoſcunt.* Quemadmodum autem Romani ita & Græci extiſpicus attendentes ſuas quoque peculiares extorum notas habebant. In hepate certe λοβὸν eos ſpectaſſe, & an eſſet ἄλοβον ἧπαρ conſideraſſe docet Arrian. libro ſeptimo, de rebus geſt. Alexand. cum de Pythagora haruſpice agens hæc memorat: Ὡς δὲ ἐπὶ τῷ ἥπατι τοῦ ἱερείου ὁ λοβός, (ſic enim legendum) ἀφανὴς ἦν. Et mox: Καὶ τὸν Πυθαγόραν ἐπειδὴ παρῆλθεν εἰς Βαβυλῶνα ἤρετο, ὅτῳ χρησάμενος αὐτῷ σημείῳ ταῦτα ἐπέστειλε πρὸς τὸν ἀδελφόν. τὸν δὲ εἰπεῖν, ὅτι ἄλοβον οἱ τὸ ἧπαρ γένοιτο τοῦ ἱερείου. Heſychius etiam, λοβὸς χεῖρος καὶ ἄκρον τοῦ ἥπατος, λοβοὶ δὲ τὰ ἄκρα πάντα, καὶ σημεῖον ἐν τῷ ἥπατι. Hoc amplius ex Rufo Epheſio libro de corporis humani partium appellationibus didici, alia quoque in iecore haruſpices Græcos obſeruaſſe: Verba eius in capite de iecore, hæc ſunt: Καὶ ἐπὶ τοῦ μεγίστου λοβοῦ, ait, χολῆς ἀγγεῖον, τοῦτο δὲ τὸ μέσον σιμόν, αὐχήν· τὸ δὲ κάτω πυθμήν. Πύλαι δὲ ἥπατος ᾗ φλὲψ δι' ἧς ἡ τροφὴ εἰσέρχεται. οἱ δὲ ἐν ἱεροσκοπίᾳ πύλας καὶ τράπεζαν. καὶ μάχαιραν καὶ ὄνυχα καλοῦσιν, ἔστι μὲν καὶ ἐν ἀνθρώποις· ἀσαφῆ δὲ καὶ οὐ εὔδηλα καὶ εἰς οὐδὲν ἰατρικὸν ἀναλώματα ὀνομασθέντα. His addã Euripidis ex Phœniſſis ad ἱεροσκοπίαν pertinentes verſus:

Μάντεις τε μῆλ' ἔσφαζον, ἐμπύρους δ' ἀκμὰς
Ῥήξεις τ' ἐνώμων ὑγρότητ' ἐναντίαν.

Vbi Scholiaſtes ad ea verba: Ῥήξεις δ' ἐνώμων, Τὰς, ait, τῆς χολῆς ῥήξεις ἐπισκόπουν τὴν ὅλην μεταφέροντες, πρῶτον γὰρ ὁ μάντις τὰς χολὰς (ὑγρότητα ἐναντίαν) τὰ περὶ τῶν ἐναντίων δηλοῦσαι, τὴν ἐπὶ τῶν ἐναντίων ἐχθρῶν ἀνω προσκειμένην. Οἱ γὰρ θύοντες περὶ τῶν ἐχθρῶν, εἰ βουλοῦνται μαντικῶς ἔχοντες χολὴν ἀφορῶσι Πικρὸν γὰρ τι ὁ ἐχθρός. Ὑγρότητα δὲ λέγει αὐτὴν χολήν. Et mox: Ἄλλως τὴν οὐρὰν τοῦ ἱερείου. ἦν γὰρ δὲ αὐτοῖς μαντικὰ καμπτομένη γὰρ ὑπὸ τοῦ πυρὸς σημαίνει δυσχερεῖς πολέμους ἀπλουμένη δὲ καὶ κατὰ πτῶσιν οὖσα νίκας. ἀνατεινομένη δὲ εἰς ὕψος, νίκην, οἱ δὲ ἄκραν λαμπάδα τὴν χολὴν λέγουσι, τὴν ἐν τῷ ἥπατι. σημεῖον γὰρ ἐστὶ νίκης τε καὶ ἥττης.

Eod. Bene habet, inquit Decius, ſi ab collega proſpere litatum eſt.] Cum bona exta nunciata, deos placatos & propitiatos indicabant, promittebantque iis & propitiis bene ac feliciter euenturum, quod aggrediebantur ſeu in animo habebant, qui ſacrificauerant, tum *litaſſe* dicebant. *Litare* enim Macrob. libro tertio, capite quinto, explicat, *ſacrificio facto placare numen.* Vnde & *Litationem propitiationis,* idem dixit libro primo in Somn. Scipion. capite octauo. Nonius etiam Marcell. inter *litare,* & *ſacrificare,* hoc intereſſe tradit, quod *ſacrificare* ſit veniam petere, *litare* vero, propitiare & votum impetrare. Virg. lib. 4. Æneid.

Tu modo poſce deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio ——

Vbi Seruius, *Diis litatis debuit dicere. Non enim ſacro, ſed deo ſacris litamus, id eſt, placamus.* Plaut. Pœnul. Act. 2. Scen. 1.

Si hercule iſtuc vnquam factum eſt, tum me Iupiter
Faciat, vt ſemper ſacrificem, nec vnquam litem.

Alioque eiuſdem Comœdiæ loco narrat ſe diis ſuis iratis ſex agnos immolaſſe, nec potuiſſe tamen propitiam Venerē ſibi facere, & quoniam *litare* nequibat, iratum ſe diſceſſiſſe. Sueton. in Neron. c. 56. *Ante paucos quam periret mẽſes, attendit & extiſpiciis, nec vnquã litauit.* Idem in Othone, capite octauo, *Nam & victima Diti patri cæſa litauit, cũ tali ſacrificio contraria exta potiora ſint.* Spartianus in Didio Iulia. *Rem diuinam facienti, ne litaret optarunt.* Ouid. lib. 15. Metamorph.

Victima nulla litat. ——

Senec. Hercul. furent. Act. 4. Sc. 1.

Nondum litaſti nate: conſumma ſacrum.

Idemque in Octauio. Act. 4. Sc. 1.

Cæſis litare victimis numen deum.

Sunt & alia eiuſdem verbi exempla apud Liuium, li. 6. & 27. voo & item altero loco: priore Conſules prodigiis nunciatis

non facile litaſſe: poſteriore, per dies aliquot boſtias maiores ſine litatione cæſas narrat, denique non impetratam pacem deûm. Cui vocabulo idem Liuius interdum aduerbia hæc *egregie*, & *proſpere* adiungit: Sicuti li.7. *Mālium egregie litaſſe*, & mox: *Si ab collega Proſpere litatum eſt*. Idem li.9. *Litatum preterea eſt egregie: auctoribus diis, vt videtur, ad rem gerendam proficiſcimur*. *Litare* autem Græci vocant καλλιερεῖν, vt cōtra δυσιερεῖν. Plutarcho in Cæſare, eſt, non litare. Et quidem ſi primis hoſtiis *litatum* non eſſet, aliæ cædebantur, quoad perlitaretur. quemadmodum Liuius lib.41. oſtendit, Sueton. in Aug. cap. 96. *Circa Peruſiam ſacrificio non litante, cum augeri hoſtias imperaſſet*. At idem auctor in Iulio, c.81. eum cædis ſuę die, pluri b. hoſtiis cæſis, cum *litare* nō poſſet, introiſſe nihilominus curiā ſpreta religione narrat. Quæ autem poſt primas, quib. *litatum* non erat, quaſi piaculi luendi gratia ductæ cædebantur, & in priorum locum ſubſtituebantur, eas *Succidaneas* appellatas, Agell. li.4.c.6. ſcribit. Atque huiuſmodi ſacrificiis & tam hoſtiarum cæde, quam thure, ac vino dato *honor diis haberi* dicebatur. Ouid. lib.8. Metamorph.

Templa coronantur, bellatricemque Mineruam
Cum Ioue, diiſque vocant aliis, quos ſanguine voto,
Muneribuſque datis, et acerris thuris honorant.

Silius Italic. lib.12.

Sternuntur que Ioui, et delubrum ſanguine honorant.

Quam rem Arnobius lib. 7. aduerſ. gent. acriter exagitat: *Aiunt enim* (inquit ille) *ſacra hæc honorandis eſſe inſtituta cæleſtibus, & ea quod faciant, honoris ergo facere, & his numinum potentias auctitare. Quid ſi ſimiliter dicant euigilare ſeſe, atque dormire, deambulare, ſubſiſtere, cōſcribere aliquid & lectitare, vt honorē diis habeant, & dignitatibus eos faciant ampliores?* Et alius: *Si enim honoris et reuerentiæ gratia mactamur diis hoſtiæ.* &c. Tertull. in Apologet. *Si quis aut ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos vltro ſui cauſa placare deberet*. Sen. 2. lib. de Benefic. *Sicut nec in victimis quidem, licet opimæ ſint, auroque præfulgeant, deorum eſt honos, ſed pia ac recta voluntate venerantium.* Virg. in Catalect.

Victima ſacratos tinget honore focos.

Petron. Arbit. Satyrico in precatione quadam:

Non ſine honore tuum patiar decus, ibit ad aras
Hircus, ſancte, tuas. Briſſon. de formulis ex quo pleraq; ſuperiora etiam proxima ſupra loco transſcripta ſunt.

Cap. IX. Vt ii pop. Rom. Quiritium vim victoriamque proſperetis.] Ex conceptis, inquit de Formulis Briſſonius, precationum antiquarum verbis hæc obſeruaui, *Populo Romano, Quiritibus*, idque ex Feſti libris à Paulo in Epitomen cōtractis didici, in quibus eſt: *Mos erat dici Romanis in omnibus ſacrificiis, precibuſque populo Romano, Quiritibuſque, quod eſt Curenſibus, quæ ciuitas Sabinorum potentiſſima fuit.* Proinde Liuius lib.40. Religioni fuiſſe ait, quod Latinis feriis populus Lanuuinus precatus non eſſet, *populo Romano Quiritibus*. Sic enim ex Paulo emendandum eſt. Eodemque modo corrigēdum eſt mendum, quod inſidet Formulis belli indicendi & decernendi, quæ ab eodem auctore libro 1. referuntur: & Formulæ Deuotionis, quam idem lib.8. ponit. Quæ noſtra emendatio alio eiuſdem libri loco firmatur. Sic enim illic abſque vitio ſcriptum eſt: *Comparant inter ſe, vt ab vtra parte cedere Romanus exercitus cœpiſſet, inde ſe conſul deuoueret, pro populo Romano Quiritibus.* Vnde facile adducor, vt credam Liuium li.5. ita ſcripſiſſe: *Sunt qui M. Fabio Pontifice Max. præfante carmen, deuouiſſe eos ſe pro populo Romano Quiritibuſq; tradant*: licet in omnib. paſſim codicibus perperam, vt quidem cenſeo, contra receptum certe olim loquendi morem, *pro patria Quiritibuſque Romanis* ſcriptum ſit. His congruenter in rogatione de vere ſacro apud eundem Liuium libro 22. recte, *Res populi Romani Quiritium* legitur: at in conſequentibus illius rogationis verbis vitioſe, *populus Romanus Quiritium*. Similique errato in Cenſoria tabula apud Varronem, lib.5. de lingua Latina ſcriptum eſt: *Populo Romano Quiritium*. Eodem vitio laborant Plinij Codices, in quibus lib.19. Natur. hiſtor. ca.32. contra vulgatam ſcripturam proculdubio legendum eſt: *Factum populo Romano Quiritibus oſtentum Cimbricis bellis*. Quod cum dico, graues mihi aduerſarios cōſtitutos ſcio, qui in acie contra me tam manuſcriptos, quam excuſos codices, ipſaque adeo veterum monumentorum ſaxa, marmora, æraque locabunt. Sed pro me ſtat non Paulus modo, cuius tanti apud me auctoritas non eſſet, verum etiam vt illos Liuij libro octauo & viceſimoſecundo, mihi ſuffragātes locos taceam, Agellius quoque litem meā ſuam facit, apud quem Veſtalis virginis capiendæ Formula. diſertis & quidem integris, nec vllatenus imminutis verbis ſcriptum extat: *quæ ſacra faciat, quæ ius ſiet, ſacerdotem Veſtalē facere, pro populo Romano Quiritibus*. Ruſuſque li.10.c.24. In feriis, quæ Compitalia dicebantur concipiendi Prætores his verbis vſos tradit: *Die noni populo Romano Quiritib. Compitalia erunt.* Firma inſuper hæc ratione noſtra emendatio redditur. Nam vt à capite origo horum verborū arceſſatur, Quiritium nomen populo Romano adiungi cœpiſſe, ex Feſto, aliiſque auctorib. palam eſt, poſtquam in vrbem Romanam Sabini commigrarunt, Curibus venientes, atque ita verba hæc, *Populus Romanus Quirites*, cōmunionem & ſocietatem vtriuſque populi Romani & Sabini factam, poſt fœdus inter Romulum & Tatium percuſſum, indicant, nec repugnat veterum monumentorum fides, in quibus ſi recto caſu *populus Romanus Quiritium*, aut tertio, & quarto, *populo Romano Quiritium*, vel *populum Romanū Quiritium* ſcriptum eſſet, cederem vtique, ac victas manus porrigerem: verum ſolo generandi caſu hoc loquendi genus in veteribus lapidibus legere mihi contigit, veluti in inſcriptione quadam Neapolitana, PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PVBLICO. POPVLI. ROMANI. QVIRITIVM. Et inſcriptione Capitolina, VESTA. POPVLI. ROMANI. QVIRITIVM. Itaque hæc teſtimonia opinionem meam non euertunt, nec eorum auctoritate à ſententia deduci poſſum.

Cap. XII. Æmilios ſeditioſis tribunatibus ſimilem deinde conſulatum geſſit.] Ms. Fuld. *ſeditioſis tribunatus ſimilem deinde conſulatum geſſit.*

Cap. XXXII. Ad hæc quæ interrogatus es, reſponde: extra ea caue vocem mittas. Accede lictor.] Ita & lib.24. dixit Liuius. *Lictores ad eum accedere conſul iuſſit*. & lib.3. Appius, *ad Valerium, negātem ſe priuato reticere, lictorem accedere iuſſit.*

Eod. Papirius redintegrata ira ſpoliari magiſtrum equitū, ac virgas & ſecures expediri iuſſit.] Priſcis temporibus, ait ampliſſimus Briſſonius, magiſtratus populi Romani, vt de reo ſuppliciū ſumeretur, *nudari & ſpoliari* reum, *virgas* item & *ſecures expediri*, lictorib. iubebant. Liuius lib.2. de Volerone: *Conſules ſpoliari hominem, & virgas expediri iubent. Prouoco,* inquit, *ad populum Volero: quoniam Tribuni ciuem Romanum in conſpectu ſuo virgis cædi malunt, quam ipſi in lecto ſuo à vobis trucidari. Quo ferocius clamitabat, eo infeſtius circumſcindere, & ſpoliare lictor.* Quod Dionyſ. Halicarn. ita Græce tradidit: τοῖς ῥαβδούχοις ἐκέλευον (ſcilicet conſules) τήν ἐσθῆτα περιῤῥῆξαι, καὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ σῶμα ξαίνειν. Quod ille ἐσθῆτα περιῤῥῆξαι. hoc Plutarchus in Cicerone, ἐσθῆτα περισχίσαι dixit. Valer. Max lib.2.c.2. *Magiſter equitum et victor ſciſſa veſte ſpoliatóque corpore lictorum verberibus laceratus*. Præterea Lio. lib.3. *Lictores voca virgas & Secures expediri iube*. Idem lib.9. de Papyrio Curſore: *Lictorem expedire ſecurim iuſſit: ad quam vocē exanimi ſtante Præneſtino, Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus*. Valer. Max. li.2.c.2. candē hiſtoriam referens, *Virgas expediri, eumque nudari iuſſit*. Auctor libri de viris illuſtribus, capite trigeſimoprimo, de eodem Papirio Curſore: *Idem, ait, Præneſte cum prætorem grauiſſime increpuiſſet, Expedi, inquit, lictor ſecures, & cum eum metu mortis attonitum vidiſſet, incommodam ambulantibus radicem excidi iuſſit*. Ammianus Marcellinus libro trigeſimo. *Præneſtino prætore qui bello quondam Samnitico properare iuſſus ad præſidium, venerat ſegnius, ad diluendum crimen exhibitum Papyrius Curſor ea tempeſtate dictator, ſecurim per lictorem expediri, hominemque, abiecta ſe purgandi licentia, ſtupefacto, viſum prope fruticem iuſſit abſcindi*. Sic Liuius libro ſeptimo: *Tunc Papyrius, ait, redintegrata ira, ſpoliari magiſtrum equitum, ac virgas & ſecures expediri iuſſit*. Et Cicero libro ſeptimo in Verrem. *Repente hominem proripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri iubet.*

IN T. LIVII LIB. IX. NOTÆ.

CAp. III. Per ſiluas, qua ferri arma poterant, eamus.] Ms. Fuld. *per ſiluas ferri arma poterunt* : *eamus.* quod minus tamen placet.

Cap. VII. Siue vlla publica auctoritate conceſſum in omnem formam luctus eſt.] Sigonius ait habere vet. codices, *ſine vlla publica auctoritate, conſeaſave, in omnem formam luctus populus verſus eſt.* quæ ſcriptura diuerſius longe abit ab aliis libris antiquis qoam vt recipienda videatur. noſtrę Fuldenſes membranæ referunt ſimpliciter : *ſine vlla publica auctoritate conſenſum in omnem formam luctus eſt.*

Cap. 5. Clara voce ait: ſe Samnitem ciuem eſſe, illom legatum: fetialem à ſe contra ius gentium violatum.] Membranæ Colon. *ſe Samnitem ciuem eſſe, Romanum eſſe illum legatum.*

Cap. XIV. Ea legarione Papyrius audita, perinde ac motus dictis eorum, com collega ſe communicaturum reſpondit: acci toque eo, cum tempus omne in apparatu conſumpſiſſer, collocutus de re haud dubia, ſignum pugnæ propoſuit.] Ms. Fuld. *perinde ac motus edictis eorum: itemque, cum tempus omne in apparata pugnæ conſumpſiſſet.* vtrumq; me iudice melius. ſunt enim Edicta magiſtratuum & ſuperiorum in inferiores, quales ſe, ſi dus placet, gerebant in Romanos Tarentini, *denunciantes*, ait ante Liuius, *Samnitibus Romaniſque, vt bellum omitterent.*

Cap. XV. Receptis omnibus ſignis, armiſque quæ ad Caudium amiſerant.] Manuſcriptus Fuldenſis *qua ad Caudiam amiſſa erant.*

Cap. XVIII. Macedones vnum Alexandrum habuiſſent, multis caſibus non tantum obnoxium, ſed etiam offerentem ſe: Romani multi fuiſſent Alexandro vel gloria, vel rerum magnitudine pares.] Legerim lubenter poſtulante tantum uou ita ſententia: *Romanus multi fuiſſent Alexandros vel gloria, vel rerum magnitudine pares.*

Cap. XIX. Vno prælio victus Alexander, bello victus eſſet.] Eodem modo ait ipſe Alexander milites contra Darium dum adhortatur apud Curtium: *bello vincimus, ſi vincimus prælio.*

Cap. XXIV. Viſus inde, cum quonam modo id præſtaturus eſſet, doceret.] Mirum hercle nemini hactenus hic viſum τὸ *viſus*, quod quid hic facit per deos ad Liuij ſententiam? omnino reponendum : *iuſſus inde, cum quonam*, &c.

Cap. XXV. Nec claudentes portas Romanis, ne accerſant bellum.] Ms. Ful. *arceſſant bellum*, & mox, *perinde ac ſi internecino bello certaſſet*, pro *internecino*.

Cap. XXVI. Ingens erat magiſtratus eius terror. Itaque ſiue timore eius, ſeu conſcientia, Calauios Ouium Nouiumque (ea capita coniurationis fuerant) priuſquam nominarentur apud dictatorem, mors haud dubie ab ipſis conſcita, iudicio ſubtraxit.] Membranæ Fulden. longe aliter: *itaque ſiue timor, ſeu conſcientia vis, Calauios O. N. q.* &c. *iudicio ſubtraxit.*

Cap. XXVII. In eo cornu non Petilius ſolus, ſed Sulpicius etiam hortator adfuerat, auectus ab ſuis nondum conſerentibus manus.] Ms. Fuld. *euectus ab ſuis.*

Cap. XXX. Tunc concurſus populi factus, impetratoque vt manerêt, datum, &c.] Ms. Fuld. *imperatorq́;* quorum vtrumuis ſatis conueuit.

Cap. XXXII. Quæ vrbs ſocia Romanis velut clauſtra Hetruriæ erat.] Optimæ membranæ: *Quæ vrbis ſocia Rom.*

Cap. XXXIV. An popul: m teneri, te vuum extra legem eſſe.] Ms. Fuld. *te vnum ex legem eſſe.*

Eod. Ego te, qui ſolus cenſor creari uon poſſis, ſolum cenſuram gerere patiar.] Manuſctiptus Fuldenſis inducta interrogationis nota, & addita negatiua: *Ege te, qui ſolus cenſor creari non poſſit, ſolum cenſuram agere non patiar.*

Cap. XXXVI. Eam intrare haud fere quiſquam præter ducem ipſum audebat.] De Ciminia ſilua ſermo eſt, tum adhuc inuia Romanis, ceterum membranæ habent, *ea intrare.*

Cap. XXXVII. Vt eo ſibi è caſtris cibaria eius diei deferri iuberent.] membranæ, *cibaria eius die*, antiquè.

Cap. XXXVIII. Ac ſine reſponſo ac mentione facta ſui, ita legatos dimiſit, &c.] Haud dubium mihi eſt, quin legendum ſit, *factis ſui*, non *facta ſui*.

Cap. XLI. Is profectus ad Nuceriam, Alliſates iam tum pacem peterês, quod vti ea cum daretur noluiſſent, aſpernatus, oppugnando ſubegit.] Mêbranæ Fuldêſes melius & auctius: *Nuceriam Alphaternamq́; iam tum pacem petentes, quod vti ea cũ daretur noluiſſent aſpernatus, oppugnãdo ad deditionẽ ſubegit.* ita enim Diod. οἱ δὲ Νυκερίαν τὴν Ἀλφατερνίαν οἰκοῦντες, &c.

Cap. XLIV. Alij haud dubie Samnites victos, ac triginta millia inde hominum capta tradũt.] Sigonius reponit ex eodem Diodoro: *ac duo millia inde hominum capta tradunt*: ſed noſtræ membranæ etiam diſertim habent: *Alij haud dubie Samnites victos: ad triginta millia hominum capta tradunt.*

Eod. Relicto firmo præſidio, vigilia tertia, qua duci proxime poteſt.] Ms. Fuld. *de tertia vigilia.*

Cap. XLV. Oratione vltro citroque habita, de pace transigi potuiſſe.] Idem Ms. *oratione vltro citro habita.*

Cap. XLVI. Inuenio in quibuſdam annalibus, eum appareret ædilibus, fierique ſe pro tribu ædilem videret, neque eius accipi nomen, quod ſcriptum faceret.] Quorum petitio iuſta & legitima videbatur, inquit, Briſſonius, eorum *nomina* ab eo, qui comitiis præerat *accipi*, eorumque *ratio haberi*: vt è contrario eorum, qui repellebantur, nec admittebantur, & quos etiamſi ſuffragiis populi crearentur, ſe non renunciaturos teſtabatur, *Nomina non accipit, nec eorum ratio haberi.* Liu. l. 9. de Cn. Flauio: *Inuenio in quibuſdam annalibus, eum appareret Ædilibus, fierique ſe pro Tribu Ædilem videret, neq́; eius accipi nomen, quod ſcriptum faceret, tabulam poſuiſſe et iuraſſe ſe ſcriptum non facturum.* Quib. verbis crediderim Liuium Piſonis annales notare, ex quorum l. 3. Agel. c. 9. hęc verba refert. *Cn. Flauius patre libertino natus ſcriptum faciebat: iſq; in eo tẽpore Ædili Curuli apparebat, quo tẽpore ædiles ſubrogantur, eumq; Ædilem Curulẽ prima tribus renũciauerunt. At ædilis qui comitia habebat, negat accipere, neque ſibi placere, quĩ ſcriptũ faceret eum Ædilẽ fieri.* Idem l. 27. *Itaq; ſi ſuum nomen Dictator acciperet, ſe comitiis interceſſuros: ſi alterũ præterquam ipſius ratio haberetur, Comitiis ſe morã non facere.* Idem l. 39. *L. Porcius Cõſul primo in ea ſentẽtia eſſe, ne nomen eius acciperet.* Et poſt: *Vt haud dubius Prætor eſſet, ſi Conſul nomen accipere vellet.* Cæſar l. 3. de Bell. ciuil. *Magnaq; inter eos in cõcilio fuit controuerſia oporteretne L. Hirtij, quod is à Pompeio ad Parthos miſſus eſſet, proximis comitiis prætoriis abſentis rationẽ haberi.* Liuius l. 4. *Principes plebis ea comitia malebãt, quibus non haberetur ratio ſui, quam quibus vt indigni præterirentur.* Idem l. 7. de C. Martio Rutilio qui Cẽſuram ſe petere profeſſus erat: *Ambo tum forte patriciis Conſules erant, qui rationem eius ſe habituros negabant.* Idem l. 8. *Q. Publ. Philo Prætor, primus de plebe aduerſante Sulpicio conſule, qui eius ſe rationem habiturũ negabat, factus eſt.* Idem l. 25. Ædilitatem petenti Scipioni Tribun. obſtitiſſe refert. *Negantes, ait, rationem eius habendam eſſe, quod eius nõ dum ad petendum legitima ætas eſſet.* Idem lib. 39. *Pars Tribunorum pleb. negare rationem eius habendam eſſe, quod duos ſimul magiſtratus præſertim Curules, vnus, neque capere poſſet, neque gerere.*

IN T. LIVII LIB. X. NOTÆ.

CAp. I. M. Liulo Dentre, & C. Æmilio Coss. redintegratum Æquorum bellum.] Manuſcriptus Fuldenſis, *Æquicum bellum.*

Cap. II. Fugienteſque in altum, ac nuſquam repugnantes, vſque ad oſtium amnis perſecuti.] Membranæ optimæ: *fugienteſque in altum, acrius quam repugnantes.* optime.

Cap. III. Cæterum ex Maximi cognomine ortum errorem haud abnuerim.] Glareanus legit, *ex Maximi cõmuni cognomine ortum errorem haud abnuerim*: eoque ait ſuſpicionem Liuij de cognomine *Maximi* vanam, quod hic collatio ſit. Q. Fabij ad M. Æmilium Paulum, non ad M. Valerium Maximum. quod vtcumque ſe habet: ego profiteor in membranis Fuldẽſibus hic extare, *Ceterum ex maximi conſulis cognomine.*

Cap. VII. Si conſpiciatur cum capite ac lituo, capite velato victimam.] Capite aperto ſalutatos deos oſtendit Plautus in Curculio. Act. 3. Sc. 1. his verbis:

Quis hic eſt qui operto capite Æſculapium
Salutat? ---

Hinc & in Amphittyo. Act. 2. Sc.1. ab Alcmena parturiente, deos *capite operto* inuocatos refert. Idemque aperte Plutarch. ἐν Αἰτίαις τοῖς Ῥωμαϊκοῖς, tradit: Διὰ τί, inquiens, τοὺς θεοὺς προσκυνοῦντες, ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλήν: Et mox, τοὺς δὲ θεοὺς οὕτω προσκυνῶσιν, ἢ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς, ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοι τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον, τῶν ὤτων ἀναλαμβάνουσι τὸ ἱμάτιον. Et certe non à ſalutantibus modo & adorantibus, ſed & à ſacrificantib. Deos, (Saturnum, Honorem Herculem excipio) capite operto, obuoluto, veſteque ad aures adducta coli conſueuiſſe conſtar. Saturno nãque & Honori, θύειν ἀνακαλύπτω vel ἀνακαλύπτοντι τῇ κεφαλῇ moris fuiſſe Plutarchus ἐν αἰτίαις auctor eſt. Feſt. Pompeius, *Lucem facere dicuntur Saturno ſacrificantes, id eſt, capita detegere.* Macrob. libro ſeptimo, Saturn. capite decimo, de Saturno. *Hinc eſt quod ex inſtituto peregrino huic deo ſacrum aperto capite faciunt.* Proinde apud eundem libro primo, capite octauo, vbi de æde Saturni ſcriptũ eſt: *Illic Græco ritu capite operto res diuina fit: quia primo à Pelaſgis, poſt ab Hercule, ita eam à principio factitatem putant,* legendum proculdubio eſt, *capite aperto* quo ritu etiam Herculi rem diuinam factam Halicarnaſſæus libro primo docet. Hoc idem Macrobius libro tertio, Saturnaliuoi capite ſexto confirmat, Cornelij Balbi verba hæc adferẽs: *Apud aram maximam obſeruatum, ne lecti ſterniam fiat: cuſtoditur in eodem loco, vt omnes aperto capite ſacra faciãt. Hoc fit, ne quis in ade Dei habitum eius imitetur. Nam ibi operto ipſe capite eſt. Varro ait Græcum hanc eſſe morem: quia ſiue ipſe, ſiue ab eo relicti, qui aram maximam ſtatuerant, Græco ritu ſacrificauerunt. Hoc amplius addit C. Baſſus: idcirco enim hoc fieri dicit, quia ara maxima ante aduentum Æneæ in Italia conſtituta eſt, qui hunc ritum velãdi capitis inuenit.* Et certe morẽ hunc purũ putum Romanum fuiſſe, & ex patriis Latinorum inſtitutis docet Virgilius libro tertio Æneid. cuius verſos ipſos, quod perſpicue huius ritus non minus originem, quam cauſas aperiant, ſubieci. His enim præceptis vates Æneam inſtruit.

Quin vbi tranſmiſſæ ſteterint trans æquora claſſes,
Et poſitis aris iam vota in littore ſolues,
Purpureo velare comas adopertus amictu:
Ne qua inter ſanctos ignes in honore deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc ſocij morem ſacrorum, hunc ipſe teneto,
Hac caſti maneant in religione nepotes.

Vbi Seruius: *Sane, ait, ſciendum eſt ſacrificantes Diis omnibus capita velare conſuetos ob hoc, ne ſe inter religionem vagus offerret aliquid obtutibus, excepto tantum Saturno.* Feſt. Pomp. in verbo *Saturnia*: *Saturnij quoque dicebantur qui caſtum in imo cliuo Capitolino incolebant: vbi ara dicata ei Deo ante bellum Troianum videtur, quia apud eam ſupplicant apertis capitibus. Nam Italici auctore Ænea velant capita, quod is, cum rem diuinam faceret in littore Laurentis agri Veneri matri, ne ab Vlyſſe cognitus interrumperet ſacrificium caput adoperuit, atque ita conſpectum hoſtis euitauit.* Aurel. Victor in Breuiario hiſtoriæ Romanæ de Ænea loquens: *Cum interim immolata ſue in littore ſacrificium perageret, traditur forte aduertiſſe Argiuam claſſem, in qua Vlyſſes erat: cumque vereretur ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret, itemq; rem diuinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe, inde poſteris traditum morem ita ſacrificãdi, vt ſcribit M. Octauius.* Hinc Varro libro quarto, de lingua Latina *Ricum*, ait, *à ritu dictam, quod Romano ritu ſacrificium femina cum faciũt, capita velant*, Liuius libro decimo: *Si conſpiciatur cum lapide ac lituo, capite velato victimam cadat.* Ex hoc porro ritu apud Valerium Flaccum, l.5. Mopſus vates dum manes veneratur, uque vioum dat, *caput obnubit*. Propter l.2. Eleg.19.

Ante tuoſque pedes illa ipſa adoperta ſedebit. Contra Tertull. in Apolloget. Chriſtianos *capite nudo*, precatos ſemper ſcribit: quia non erubeſcereor, ac ſine monitore, quia de pectore orabant. Briſſon.

Cap. XII. Romanos progreſſus in aciem, vbi profectione hoſtium conceſſam victoriam videt.] Ms. Fuldenſis: *vbi profeſſione hoſtium conceſſam victoriam videt.*

Cap. XIII. Et ad ſuam gloriam conſurgentes alios lætum adſpicere.] Auctius Fuld. membranæ: *conſurgentes alios fortiſſimos viros lætum adſpicere.*

Eod. Quæ verecundia legum reſtinguenda ratus, legem recitari iuſſit.] Ms. Fuld. *reſtringenda ratus.*

Cap. XIV. Samnites deſperantes improuiſo tumultu.] Ms. Fulden. *diſperatos improuiſo tumultu.* nimirum recte Gelenium monere legendum videri, *diſperato*, ſeu quod pro eodem eſt, *deſperato tumultu.*

Cap. XXX. Et conuocatis plebeis matronis, conqueſta iniuriam patriciarum.] Vir doctus legere videtor ad Tacitum: *conuocatis plebeiis matrimoniis.* vt dicitur ab aliis *coniugiam* pro *coniuge*: *ſeruitiam*, pro *ſeruo*, *clientela*, pro *clientibus*.

Cap. XXX. Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Hetruria, ſuis legionibus deductis ad vrbem.] Ms. Fuld. *Fabius Deciano exercitu relicto in Hetruria præſidio, ſuis legionibus, &c.*

Cap. XXXI. Ne tot annorum clades vtriuſque gentis, laboreſque actos nunc referam: quib. nequiuerint tamen dum illa pectora vinci.] Ita habent omnes quas ego vidi editiones, cum tamen legendum ſit ex membranis, *quibus nequiuerint tamen dura illa pectora vinci.*

Cap. XXXIX. Dum hoſtes ſuperati ſuperſtitionib. concilia ſecreta agunt.] Ms. Ful. *dũ hoſtes operati ſuperſtitionib.* quod manifeſte verũ res clamat, & Lipſij quoq; liber manu exaratus firmat. *operandi* enim verbũ in rebus diuinis veteres vſurpabant. Tacitus li. 2. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque ſe operatũ, et ſanguine ſacro reſperſa prætexta pulchriorã aliam manibus auiæ Auguſtæ accepiſſe.* Horatius Ode 14. lib. 3.

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iuſtis operata diuis.

Virgil. lib. 1. Georgic.

---- Lætis operatus in herbis.

Idem in Ceiri.

Dum ſacris operata Deæ. ----

Tibul. lib. 2. Eleg. 5.

Tunc operata deo pubes diſcumbet in herba.

Ouid. lib. 2. Amor. Eleg. 13.

Sæpe tibi meruit certis operata diebus.

Propertius lib. 2. Eleg. 12.

Cinthia iã noctes eſt operata decẽ. Iul. Obſeqoẽs lib. de Prodig. *Peſtilẽtia fameque ita laboratũ, vt ex Sybillinis, populus circa compita, ſacelláque operaturus ſederit.* Pomponios apud Non. Marcellũ, *Ad veneris profectus eſt mane vetulus, votũ vt ſolueret, ibi nũc operatus eſt.* *Operationis* etiam dies à Feſt. Pomp. in priuatis feriis numerãtur. porro quod ſtatim præceſſit in Liuio: *decẽ nominatis ab Imperatore, eis edictum, vt vir virum legeret: donec ſedecim milliũ numerũ cõfeciſſent*, ſcire licet, frequentiſſimã hanc inter militaria verba formulam fuiſſe. Tacitus l.17. *Apud frequentem militum concionem Imperatoria breuitate, adoptari à ſe Piſonem more diui Auguſti, & exemplo militari quo vir virum legeret, pronunciat.* Virg. lib. 10. Æneid.

----ſeque viro vir
Contulit, haud furto melius ſed fortibus armis.

Idem lib. 11.

Implicuere inter ſe acies, legitque virum vir.

Valer. Flac. lib. 6.

Ille, vbi conſertis iunxere frequentia telis
Agmina, virque virum galeis adflauit adactis.

Polyb. lib. 1. Τοιούτῳ λαμπρύνεται ἦν ὁ κίνδυνος, ὡς ἂν ἐκ τοιούτων πλήθεσι, κατ' ἄνδρα καὶ κατὰ ζυγὸν, οἷονεὶ μονομαχοῦντι συναπτόντες, περὶ τῆς ἀγωνιζομένης φιλοτιμίας. Inde lectu etiam de Samnitibus habito decem nominatos, *vt vir virum legeret*. Liuius libro decimo refert. Cicero pro Milon. *Niſi vt virum à viro lectum eſſe diceret.* Eodem genere loquendi etiam in Senatu lectione vtitur Suetonius in Auguſto, cap. 35.

Cap. XL. Pullarius auſpicium mentiti auſus, tripodium ſoliſtimum cõſuli nunciauit.] Solennia quibus in Auſpiciis vtebãtur verba, Cic. l. 2. de Diuinat. memoriæ prodidit. Primum enim is qui auſpicabatur dicebat, *Q. Fabi te mihi in auſpicio eſſe volo.* Ille vero qui in auſpicium adhibebatur, reſpondebat: *audiui.* Tum is qui auſpicabatur, ita imperabat, *dicito ſilentium eſſe videbitur*, ſtatim reſpõdebat alter, *ſilentium eſſe videtur.* Tum ille, *dicito, ſi paſcuntur aues.* Hic reſpondebat, *Paſcũtur.* Ille, *qua, aut, vbi.* Reſpõdebat hic: *attulit in cauea pullos pullarius.* In cauea enim incluſos pullos adferebat is, qui ex eo

ipſo nominabatur *pullarius*. Cuius opera in auſpiciis veteres viſuns fuiſſe oſtendit Cicero Epiſt. 12. lib. 10. famil. & in Orat. ad populum contra Rullum. & Liuius lib. 8. Is pullis de cauea excuntiò. offam pultis offerebat, vt paſcerentur. Hi plerumque fame enecti in offam protinus inuadebant, & ſi aliquid ex ore cecidiſſet, tum, auſpicanti, *tripudium ſolliſtimum* nunciabatur: quod erat egregium & lætum auſpiciũ. Liuius lib. 10. *Tertia vigilia noctis, iam relatis literis à collega, Papirius ſilentio facta ſurgit, et pullarium in auſpicium mittit.* Et mox: *Nam cum pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſolliſtimum Conſuli nunciauit: Conſul latus egregium auſpicium eſſe, & deis auctoribus, rem geſturos pronunciat, ſignumque pugnæ proponit.* Ibidemque paulo poſt: *Mihi quidẽ tripudium nunciatum pop. Rom. exercituique egregium auſpiciũ eſt.* Plin. li. 10. c. 21. de Gallis gallinaceis agens, quos victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices facit, *Horum*, ait, *ſunt tripudia ſolliſtima.* Minutius Felix in Octauio, *Clodius, ſcilicet, Flaminius, et Iunius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum ſolliſtimum tripudium expectandum non putauerũt.* Origo autem & ratio illorum nominum hęc traditur, quod cum neceſſe erat ex ore paſcentium pullorum aliquid cadere & terram *pauire*, id eſt, ferire, *terripauium* primo, poſt *terripudiũ* deín *tripudium* dictum: & quia in ſolidum cadebat, *ſolliſtimũ* id appellabatur. Paulus ex Feſto, *Puls*, ait, *potiſſimum dabatur pullis in auſpiciis, quia ex ea neceſſe erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id eſt, Terripauium: Pauire enim ferire eſt. bonum enim augurium eſſe putabat, ſi pulli per quos auſpicabantur, comedisſent, præſertim ſi eis edentibus aliquid ab ore decidiſſet, ſin autem omnino non ediſſent, arbitrabantur periculum imminere:* Idem alio loco, *Solliſtimum Appius Pulcher, in Auguralis diſciplina lib. 1. ait eſſe tripudium, quod aui excidit, ex eo quod illa fert, ſaxumve ſolidum, aut arbos viuiradix ruit, quæ nec pro vitio humani cadantur ve, i. iaciatur, pellatur ve.* Vnde apparet, falli eos, qui apud Cic. in *ſolliſtimi* tripudij explicatione *ſolum* pro *ſolido* ſubſtituerunt. nec eorum opinioni ſuffragatur *ſolliſtimi* vox, cuius ſonus eos in fraudem illexit. *Sollum* namq; Oſcorum lingua *ſolidum* ſignificare, idem Feſt. Pomp. auctor eſt. Tripudiorum porro *ſolliſtimorum* & Sonuuiorum meminit Cic. Epiſt. 6. lib. 6. Famil. ad Cæcinnam.

Cap. XLI. Deturbatiſque Samnitibus, quæ circa portam erant muri occupauere. penetrare interiora vrbis, quia pauci admodum erant, non audent.] Ms. Fuld. *deturbatiſque Samnitibus, qui circa portam erant, muros occupauere, penetrare in interiora vrbis, &c.*

IN LIB. XXI. T. LIVII NOTÆ.

CAp. I. Sed expertas primo Punico conſerebant bello.] Editio Gallica Pariſienſis cui præfuit neſcio quis Gohouius: *Punico conferebant bello.* vitioſiſſime, vt paſſim in illa nihil non mendarum plenum eſt.

Eod. Vt propius periculo fuerint qui vicere.] Silius Italicus meus, qui non hiſtoriam tantum, ſed quam ſæpiſſime etiam verba à Liuio mutuatur, quo nomine his decem libris crebrius à nobis allegabitur, Silius, inquam, Italicus hoc carmine ſic extulit:

—*propiuſque fuere periclo*
Quis ſuperare datum.—

Cap. II. Gener inde ob altam indolem profectus animi adſcitus.] Noſtri libri nihil variant. doctiſſimus Lipſius tamen qui in mẽbranis ſuis reperit, *aũ adſcitus*, cum Sigoniana exemplaria habuerint, *animi profecto*, legendũ videri pronunciat, *Gener inde ob altã indolẽ prouecto annis adſcitus.* hoc ſẽſu: Amilcar prouectus iam ætate Aſdrubalẽ generum adſciuit. Vulgata enim, inquit, illa dura, medius fidius, compoſitio eſt.

Eod. Haud ſane voluntate principum in imperio poſitus.] Vet. *haud ſane volũtate principũ imperio poſitus. principium*, vt *ciuitatũ*, & ſimilia notata aliis: apud alios auctores. *imperio poſitus* autem reponebat etiam patrum memoria Laurentius Valla, quem vide de cetera etiam loci huius lectione.

Eod. Comprehenſuſque à circumſtantibus haud alio quam ſi euaſiſſet vultu, tormẽtis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, vt ſuperante lætitia dolores, ridentis etiam ſpeciem præbuerit.] Editio vetus, *prehenſuſque à circumſtantibus* ceterum & hoc ſic verbis fere Liuianis Silius:

At Pœni ſucceuſi ira, turbataque luctu
Et ſæuis gens læta ruunt, tormentaque portant.
Non ignes candenſque chalybs, non verbera paſſim
Ictibus innumeris lacerum ſcindentia corpus,
Carnificeſve manus, penituſque infuſa medullis
Peſtis, et in medio lucentes vulnere flammæ
Ceſſauere, ferum viſu dictuque, per artem
Sæuitia extenti quantum tormenta iubebant
Creuerunt artus; atque omni ſanguine rapto
Oſſa liquefactis fumarunt feruida membris.
Mens intacta manet, ſuperat, ridetque dolores,
Spectanti ſimilis, feſſoſque labore miniſtros
Increpitat, &c. totum autem locum adſcribere volui quia vulgo locis aliquot in vitio eſt.

Cap. III. Nos tamen minime decet iuuentutem noſtram pro militari rudimento adſuefacere libidini Imperatorum.] Vetus editio: *adſuefacere libidini prætorum.*

Cap. IV Amilcarem viuentem redditum ſibi veteres milites credere.] Silius,

Hæc ſtudia accendit patriæ virtutis imago. Vbi tamen *Hinc* legere malim, vt habent mẽbranę Colonienſes, nec hic tãtũ, ſed & ſequẽtib. etiam verſib. vbiq; *Hinc* pro *huic* repoſuerim.

Eod. Multi ſæpe militari ſagulo opertũ.] De hac re ita Silius:

—*primus ſumpſiſſe laborem,*
Primus iter carpſiſſe pedes, partemque ſubire
Si valli feſtinet opus, nec cetera ſegnis
Quæcumque ad laudem ſtimulant, ſomnumque negabat
Natura, noctemque vigil ducebat in armis.
Interdum proiectus humi, turbæque Libiſſæ
Inſignis ſagulo duris certare maniplis. Porro pro, *vltimus conſerto prœlio excedebat*, habet editio vetus, *conſerto prœlio.*

Eod. Nullus deûm metus.] Vet. li. *nullius dei metus.* ac rurſum, *ſub Aſdrubale Imp. militauit*, non vt vulgo eſt *meruit*.

Cap. V. In ripa elephantos ante quadraginta diſpoſuit.] Editio Moguntina: *In ripa elephantes quadraginta diſpoſuit.*

Eod. Et ex parte altera ripæ vis ingens.] *Ta et*, ignorat editio vetus, & poteſt abeſſe.

Cap. VI. Maxime Turdetanis, quos cum adiſſet idem.] Non recte fecerũt qui hæc ita interpolarunt, cum vt Sigo. de ſuis teſtatur, noſtri quoque vet. li. habeant: *quib. cum adeſſet idem.* quod valet quibus cum patrocinaretur Annibal.

Eod. Delata ex integro res ad ſenatum. Alij prouincias cõſulibus, &c.] Editio vetus, *et alijs prouincias.*

Cap. VII. Oriundi à Zacyntho inſula dicuntur: miſtique etiam ab Ardea Rutulorum quidã generis.] Silius Italicus noſter ſcriptus:

Mox profugi ducente Noto aduertere coloni;
Inſula quos genuit Graio circumflua ponto,
Atque auxit quondam Laertiu regna Zacynthus.
Firmauit tenues ortus mox Daunia pubes
Sedis inops; miſit largo quam dives alumno
Magnanimi regnata viris nunc Ardea nomen.

Eod. Aduerſũ femur tragula grauiter ictus.] Iterũ Silius:

Vltrix iniuſti vibrauit lancea belli,
At femine aduerſo librata cuſpide ſedit.

Eod. Aduerſum femur tragula grauiter ictus cecidit.] Adhuc Silius: *Inde inter nubes nemorum turbine cæco*
Vltrix iniuſti vibrauit lancea belli,
Ac femore aduerſo librata cuſpide ſedit. ſiue vt habet manu exaratus meus Silius, *Ac femine aduerſo*, &c.

Cap. VIII. Falarica erat Saguntinis, miſſile telum, haſtili oblongo.] Italicus;

Armauit clauſos, ac portis arcuit hoſtem
Librari multa conſueta falarica dextra.
Horrendum viſu robur, celſiſque ſinuoſa
Pyrenes trabs lecta iugis,

Cap. X. Monuiſſe prædixiſſe ſe, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent, non manes non ſtirpem eius cõquieſcere viri.] Hæc poëta ſic extulit in perſona item Hannonis:

—*anxia rupi*

Digitized by Google

Pectora, ne caſtris innutriretur & armis
Exire e capite monui, & dum vita monebo,
Ingentem naſcens virus, ſi tuiſque paternos. ac mox:
Exacti nus manes iuuenem furiiq; paterna.

Eod. Iuuenem flagrantem cupidine regni.] Silius.

——ille noui cecus caligine regni
Externas arces quatit.

Eod. Ægates inſulas Erycemq; ante oculos proponite.] Idē,

Reſpice prô demens prô pectus inane deorum
AEgates, Lybiæq; procul fluitantia membra.

Eod. Carthagini nunc Annibal vineas turreſque admouit. Carthaginis mœnia quatit ariete.] Idem,

——nunc hoc inquam hoc in tempore muros
Oppugnat Carthago tuos, teq; obſidet armis.

Cap. XIII. Si inermes cum binis veſtimentis velitis à Sagunto exire.] Elegātiſſimus Lipſius legendū cenſet; *cum prinis veſtimentis*, nā aliquot ſupra lineis eidē editionib. eſt, inquit; *traditoque omni auro et argento egreſſi vrbe cū ſingulis veſtimētis.*

Cap. XVIII. Romanus ſinu ex toga facto; Hic inquit vobis bellum & pacem portamus, vtrum placet, ſumite.] Poëta.

Bellum ſe geſtare ſinu, pacemque profatus,
Quid ſedeat legere, ambiguis nec fallere dictis
Imperat: ac ſæuo neutrum renuente Senatu,
Ceu clauſas acies, gremioque effunderent arma,
Accipite infauſtum Libya euentuque priori
Par, inquit, bellum, & laxos effundit amictus.

Cap. XXII. Vidiſſe poſt ſe ſerpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum ſtrage ferri, ac poſt inſequi cum fragore cæli nimbum.] Poëta,

Cum ſubitus circu fragor, & vibrata per auras
Exterrent ſanis à tergo ſibila linguis,
Ingentique metu diuum præcepta pauenti
Effluxere viro, & turbatus lumina flectit.
Ecce iugis rumpens ſiluas, ac robora vaſto
Contorta amplexu, tractuſque per inuia rupes
Alter letifero ſtridebat turbine ſerpens. & quæ ibi ſequūtur.

Ceterū Val. Max. elegantiſſime hoc idem (quod tamen Polyb. vt fabulā irridet) ſic tradit. *Annibalis, inquit, quoq; vt deteſtandum Romano ſanguini, ita certæ prædictionis ſomniū cuius nō vigiliæ tantū, ſed etiam ipſa quies hoſtilis imperio noſtro fuit. Hanſit.n. propoſito & votis ſuis conuenientē imaginem, exiſtimauitque miſſum ſibi à Ioue mortalis ſpecie excelſiorē iuuenē, ſuadendæ Italiæ ducē: cuius monitu primo veſtigia nullā in partē motis ſecutus oculis: mox humani ingenij prona voluntate vetita ſcrutandi pone reſpiciēs, animaduertit immenſæ magnitudinis ſerpentem cōcitato impetu, omne quidquid obuiā fuerat, proterentē: poſtque eā magno cū cæli fragore erūpentes nimbos, lucēque caliginoſis inuolutā tenebris. Attonitus deinde quidnā eſſet monſtri, ecquid portenderet, interrogauit.* Hic dius: *Italiæ vides*, inquit, *vaſtitatem: proinde ſile et cetera tacitus permitte fatis.* Cic. verò longe aliter ita hæc narrat in de Diuin. I. Hannib. cū cepiſſet Saguntū, viſum eſſe in ſomnis à Ioue in deorū cōcilium vocari: quo cum veniſſet, Iouē imperaſſe, vt Italiæ bellū inferret, ducemq; ei vnum ex concilio datum: quo illum vtentē, cum exercitu progredi cœpiſſe: tum ei ducē illum præcepiſſe: ne reſpiceret: illum autem id diutius facere nō potuiſſe, elatumq; cupiditate reſpexiſſe: tum viſam beluā vaſtam & immanē, circumplicatam ſerpentib. quacumque incederet omnia arbuſta, virgulta tecta peruertere: & illum admiratum quæſiſſe de deo, quodnā illud eſſet tale monſtrum: & deū reſpondiſſe, vaſtitatem eſſe Italiæ, præcepiſſeque vt pergeret protinus: quid retro atq; à tergo fieret, ne laboraret. hęc ego hic prolixius, & non inſtituto meo, quia Polyb. vt dixi totum hoc fabuloſum putat.

Cap. XXVII.] Equorum pars magna nantes loris à puppib. trahebantur.] Poëta: *Flumineu ſonipes religatus ducitur alno.*

Cap. XXVIII. Ex extemplo reſolutis quibus leuiter annexa erat vinculis.] Poëta:

Num trabibus vnda et iniecta tellure repertum
Connexas operire trabes. ne ducere in altum,
Paulatim ripe reſolutis aggere vinclis.

Cap. XXXI. Nihil ſtabilis nec tuti ingredienti præbet: & tum forte imbribus auctus ingentem tranſgredientibus tumultū fecit.] Editio antiqua Mogunt. *nihil ſtabile nec tutum ingredienti præbet.* ſed de Druētiæ violentia poëtā audiamus:

Turbidus, inquit, hic truncis ſaxiſque Druentia letum
Ductoris vaſtauit iter: namque Alpibus ortus
Auulſas ornos, et adeſi fragmina montis
Cum ſonitu voluens fertur latrantibus vndis,
Ac vada tranſlato mutat fallacia curſu.
Non pediti fidus: patulis non puppibus aquus,
Et tunc imbre recens fuſo, correpta ſub armis
Corpora multa virum ſpumanti vertice torquens,
Immerſit fundo laceris deformia membris.

Cap. XXXV. Nono die in iugum Alpium peruentū eſt.] Imo ita. Silius: *Bis ſenos ſoles, totidem per vulnera ſæuas*
Emenſi noctes, optato vertice ſidunt,
Caſtraque prærupti ſuſpendunt ardua ſaxis. ſed quis à Poëta iuratorem vmquam exegit?

Cap. XXXVI. Vt pleraque velut pedica capta hærerent indurata, & alta concreta glacie.] Silius:

Dumque premit ſonipes duro veſtigia cornu,
Vngula perfoſſis haſit compreſſa pruinis.
Nec peſtis lapſus ſimplex, abſciſſa relinquunt
Membra gelu, fractoſque aſper rigor amputat artus.

Cap. XXXVII. Arborib. circa immanib. deiectis detrūcatiſq; ſtruem ingentem lignorum faciunt.] Silius meus Ms. nā in vulgatis eſt hic locus vt pleraq; omnia quæ huc allegamus, corruptiſſimus, contaminatiſſimuſque, hæc ſic effert:

Noctem operi iungunt, & robora ferre coactis
Approperant humeris, ac ruptas collibus ornos.
Jamque vbi nudarunt ſiluas denſiſſima montis
Aggeſſere trabes, rapidiſque accenſus in orbem
Excoquitur flammis ſcopulus: mox proruta ferro
Dat gemitum putris reſoluto pondere moles,
Atque aperit feſſis antiqui regna Latini.

Cap. XXXIX. Et Annibal mouit ex Taurinis, incertus quæ pars ſequenda eſſet, Gallos præſertim ſe ſecuturos ratus.] Eruditiſſimus Lipſius, qui pro illo *præſertim ſe* in Ms. ſuo extare profiteretur: *præſentem eſſe* legēdum exiſtimat: *incertos quæ pars ſequenda eſſet Gallos, præſentem ſeſe ſecuturos ratus.* neque enim de Annibale quæ de incertitudine hic traduntur accipi poſſunt aut debent, ſed de Gallis, quos incertos Romanorū partem an Pœnorum ſequerentur præſentia ſua motum iri idem Annibal haud fruſtra exiſtimabat. aſſentio lubēter homini amiciſſimo, ſubſcriboque iudicio eius nō ſane inuitus, præſertim cum manu exarati codicis illius ſcripturam etiam in editione veteri Moguntina diſertim reperiam: quia cum fideliter plane & religioſe verſatos in ea videam illius adornatores magnum hoc mihi argumentum eſt veriſſimā hanc eſſe & germanam loci huius ſcripturam.

Cap. XL. Membra torrida gelu, quaſſata confractaque arma.] Poëta,

Hoſtem miles habes fractum, ambuſtumque niuoſis
Cautibus, atque ægre torpentia membra trahentem. Cæterum modo mihi laudata editio Moguntina habet, *fractaque arma.* in quo non diſputo.

Cap. XLI. Experiri iuuat, vtrum alios ecce repente Carthaginienſes per viginti annos terra ediderit: an iidem ſint, qui ad Ægates pugnauere inſulas.] Poëta:

Scire iubet, noua nunc nobis atque altera bellum
Carthago, anne eadem mittat quæ merſa ſub æquor,
AEgates inter vaſto iacet obruta ponto.

Cap. XLV. Romani ponte Ticinū iungunt, tutandique pōtis cauſa caſtellū ſuperim ponūt.] *το cauſa* cū à L. ipſij lib. Ms. abſit nec deſit, omittatur ſane. tales enim ſunt & illæ locutiones, de quib. nos in noſtris Nouantiquis quod ſatis eſt, diximus.

Cap. XLVI. Malim equidem de filio verū eſſe, quod & plures tradidere auctores: ſeruum fama obtinuit.] Falſum hoc inquit doctiſ. Lipſ. communis enim fama de filio non de ſeruo & ita ſcriptores præter Cœlium. Bene igitur Mss. tradidere auctores *ſet fama.* ſi tamen ablegata litera ad priorē ſyllabam legas *et fama obtinuit.*

Cap. LI. Repetenti Siciliam conſuli, excurſio hoſtiū in agrū Vibonenſem facta nunciatur.] Idem Lipſ. in lib. ſuo Ms. extare profitetur: *exſcenſio hoſtium.* quod eſt inquit, germanū & familiare de egreſſu nauium Liuio verbum. ſic. n. pergit & lib. 22. legendum videtur: *Cn. Seruilius Conſul cū claſſe nauium circūuectus Sardinia et Corſica oram et obſidib. vtrimq; acceptis,*

in Africam tranſmiſit, & priuſquam in cõtinentẽ exſcenſiones faceret, Meninge inſula vaſtata, &c. itemq; li. 27. *Dum hac Roma geruntur M. Val. Meſſalla quinquaginta nauib. cum ante lucẽ ad Africã acceſſiſſet, improuiſo in agrũ Vticenſem exſcẽſionem fecit, eumque late depopulatus*, &c. cum hic vulgo legatur; *in agrum Vticenſem excurſionem fecit*: ibi, *priuſquam in continentem deſcenſiones faceret*. Sane hĩc ipſam vocem etiam nos olim Curtio Rufo noſtro reſtituimus, vt patet ex noſtris ad eum ſcriptorem notis, quas adire poterit, cui operæ videbitur.

Cap. LII. Ii ſparſos & incompoſitos oneratosq; præda pleroſq; cum inuaſiſſent.] Lipſij Ms. codex præfert *incompoſitos ad hoc curanis præda*, vide faciebat ille; *incompoſitos ad hoc graues præda*. nam antiqui librarij *G*. pro *C*. vtebantur.

Cap. LVIII. Vento miſtus imber cum ferretur in ipſa ora, primum quia aut arma omittenda erant.] Silius meus Ms. quo nihil melius prohiuſque:

—— haurit hiatu
Nix reſoluta viros, altoque à culmine præceps
Vmenti (vulgo *viuentes*) *turmas operit delapſa ruina.*
Interdam aduerſo glomeratus turbine Cerus
In media ora niues fuſcis agit horridus alis.
Aut rurſum immani ſtridens auulſa procella
Nudatis rapit arma viris (vulgo, *Audacis rapit arma viri*)
volnenſque per orbem
Contortorotat in nubes ſublimia flatu.

Cap. LIX. Exẽplo equitibus dextra læuaque emiſſis in hoſtem, ipſe cum peditum robore de his caſtris erupit.] Quid eſt, inquit Lipſius, *de his caſtris*. Nihil iuoãt libri audacter tamen legendum adfirmo, ipſe mediis caſtris erupit. nam ita Liuius rem narrat ſuperius. *ibi Annibal paucis propugnatorib. in vallo portiſque poſitis, ceteros confertos in media caſtra recepit.* qui coniecturæ eo lubentius accedo, quod in veteri Mogũtina editione reperio *ipſe de suis caſtris*. quæ ſcriptura propius ab emendatione abeſt. Ceterum paullo ante hæc ipſa verba quod item legitur: *Quod vbi Annibal accepit, luxatamque pugnam, & receſſum à caſtris vidit*. id quoque interpolandũ amicus idem ille noſter putabat, faciendumq; eo eo, *et ire ceſſim à caſtris vidit*, neq, neſcio ego ita dictum à Iuſtino meo: *Aut ſi hoc parum tutum exiſtat, vos commiſſo prælio ite ceſſim, inhibete remos, & à bello diſcedite.* ſed cum vulgata lectio non incõmoda tamen ſit, & in eam conſentiant omnes cum veteres tum noui libri, nihil muto.

Cap. LXI. Scipio raptim ad famam nouorum hoſtium agmine acto, cum in paucos præfectos paululum animaduertiſſet.] Iterum Lipſius quid eſt hoc ait, *paululum animaduertiſſet*? non ſic Latini. dixiſſet potius *leuiter, modice, clementer*. quid quod & hiſtoria repugnat? Nam Polyb. eandem rem tãgens li. 3. auctores fugæ & acceptæ cladis more patrio ait punitos, τοὺς αἰτίους τῶν συμβεβηκότων, inquit, κατὰ τὸν παρ' αὐτοῖς ἐθισμὸν κολάσας. nec ignotus in talibus delectis militiæ mos. Planiſſime igitur ſcribendum: *cum in paucos præfectos palam animaduertiſſet*.

Cap. LXIII. Immolantique ei vitulus iam ictus è manibus ſacrificantium ſeſe cum proripuiſſet, multos circumſtantes cruore reſperſit.] Paullo aliter Silius hoc maxime modo idem refert:

Nec rauco taurus ceſſauit (flebile) ad aras
Immugire ſono, preſſamque ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens, altari aliquit.

Ceterum triſtis admodum portenti loco ſemper habitũ, ſi hoſtia aufugiſſet, vnde ſcribit in Iulio Sueton. Cæſarẽ ne religione quidem vlla à quoquam incœpto vnquã abſterritum vel retardatum exẽplo ſubiecto: quod licet immolanti aufugiſſet hoſtia, profectionem aduerſus Scip. & Iubam non diſtulerit. & in Galba: *Magna & aſſidua monſtra*, inquit, *iam inde à principio exitũ ei, qualis euenit, portenderant: cum per omne iter dextra ſiniſtraq; oppidatim victima cæderẽtur, taurus ſecuris ictu cõſternatus, rupto vinculo eſſe dum eius innaſit.* Itẽ Tacit. de Vitellio: *Cõcionanti (prodigioſum dictu) tantũ fœdarum auium ſuperuolitauit, vt nube atra diẽ obtunderent. Acceſſit dirũ omen: Profugus altaribus taurus, disiecto ſacrificij apparatu, longe quam vbi feriri hoſtias mos eſt, cõfoſſus.* Hinc & Lãpridius inter omine mortis Alexandri Seueri ponit, quod cum natalem diem concelebraret, hoſtia cruenta effugit albamque eius veſtem cum qua conſtiterat cruentauit: & Val. Max. lib. 1. c. 6. inter portenta quibus dij Pompeium monuerant ne cum Cæſare vltimam belli fortunam experiri vellent, hoſtiatum ab ipſis altaribus fugam recenſet. qua de re etiam ita Dion. libr. 41. ἢ πολλὰ τῶν ἱερείων αὐτοῖς ἐκ τῶν βωμῶν προσαγόμενα ἔφυγε. Videatur & Ammianus Marcell. lib. 23. & iterum Silius lib. 15.

IN LIBRVM XXII. T. LIVII NOTÆ.

CAp. I. Duos ſe cõſules creaſſe vnum habere quod enim illi iuſtum imperium, quod auſpicium eſſet magiſtratus: id à domo, publicis priuatiſque Penatibus Latinis feriis actis ſacrificio in mõte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, ſecum ferre. nec priuatim auſpitia ſequi?] Recte viderat Glareanus hæc ſibi non ſatis per omnia conſtare, fruſtraque eſt Sigon. dum illum illi ſcrupulum interpretatione horũ verborũ eximere conatur. Nos pedib. imus in ſententiã erudiriſſimi & litteratiſſimi Lipſij, cuius hæc ſunt in epiſtola ad virum nobilem, & communem amicum Iacobũ Suſium verba: Offendit in hoc loco Glareanus, nec tam immerito quam videri vult Sigonius. Nam vitiata & ſcriptura, & diſtinctio tota eſt. Reſtituo: *Quod enim illi iuſtum imperium, quod auſpicium eſſet? Magiſtratus id à domo, publicis priuatiſque Penatibus*, &c. clara lectio, confirmata etiam à codice meo. hæc ille. quem eundem vide etiam de auſpiciis his ad illa Taciti ex li. 3. Annibal. *Auſpicia ſaltem gẽtile apud ſolum inciperet.* & iſta ex lib. 4. *auſpicanũ gratia tribunal ingreſſum*, &c.

Cap. III. Hæc ſimul increpans cum ocius ſigna conuelli iuberet, & i. i. e. i. e. r. c. c. q. l. ſ. c. e. T. o. q. c. e. v. f. o. i. r. inſuper nunciatur: ſignum omni vi moliente ſignifero conuelli nequire.] Proprie admodum hic illo *conuelli* vſus eſt hiſtoricorum princeps. Cicero lib. 1. de diuinatio. *Signa conuelli & ſe ſequi iuſſit*. Silius meus lib. 3.

Extemplo edicit conuellere ſigna. Et lib. 8.
Vellantur ſigna, ac diua ducente, &c.

Item lib. 12. *—— caſtris auulſa mouere*
Signa iubet ductor.

Denique libro 13.
His fructus ductor conuelli ſigna maniplis
Optato lætis abitu iubet.

Neque ipſe Val. Max. in hac phraſi negligenter fuit, cuius locũ quia mire huc facit non pigebit hic adſcribere ex libro 1. c. 6. vbi *C. autẽ Flaminius*, inquit, *cum inauſpicato conſul creatus, apud lacum Thraſimenum cum Annibale conflicturus, conuelli ſigna iuberet, lapſo equo, ſuper caput eius humi proſtratus eſt. Nihiloq; eo prodigio inhibitus, ſigniferis negantib. ſigna moueri ſua ſede poſſe: Malũ, ni ea continuo effodiſſent, minatus eſt. Verũ huius temeritatis, vtinam ſua tantũ, non etiam pop. Rom. maxima clade pœnas pependiſſet. In ea nãque acie*, & quæ ſequuntur, ad ea quæ porro Liuius traditurus eſt comparanda. ceterum hic Silius forte an poëtice maius etiam monſtrum narrat, dum ait:

Signa etiam effuſa certant dum vellere mole,
Teter humo lacera nitentum erupit in ora
Exultans cruor, et cædis documenta futura.
Ipſa parens miſeris gremio dedit atra cruento.

Cap. IV. Id tantum hoſtium, quod ex aduerſo erat, adſpexit: à tergo ac ſuper caput detectæ inſidiæ.] Ego *detecta*, inquit Glareanus, pro *tecta* poſitũ puto, videlicet cõpoſitũ pro ſimplici. Nondũ enim Romani dolum ſenſerant, de quibus poſtea dicet: eo magis Romanis ſubita atq; improuiſa res fuit. ſed hoc neq; Saxoni neq; Lipſio probare adhuc potuit, quorum poſterior ne hac re & ad hæc verba ita Sigonium (quem miror intactum & inexplicatum inemendatumque locum hunc reliquiſſe) ſcribit. Hæſit in hoc loco Glareanus &, *Detecta*, inquit, poſitũ eſt pro ſimplici *Tecta*. De ſententia non fallitur, de verbi illius vſu, vereor vt cuiquã probet. In meo li. eſt. *ſuper caput decepta inſidiæ*. Fallor Sigoni? an volentibus Muſis emẽdaui? *ſuper caput decepere inſidiæ*. Helleniſmus eſt, ἔλαθον, & vſus verbo *decipiendi* Liuius vt Latini vulgo *fallẽdi*.

Eod. Orta ex lacu nebula campo quam montibus denſior ſederat, agminaque hoſtium ex pluribus vallibus ipſa inter

ſe ſatis conſpecta, eoq; magis pariter decurrerunt.] Res ipſa clamat inquit Lipſius, & tota narratio Liuiana legendum: *pluribus collibus, non vallibus*. Maximam enim partem exercitus in montibus Annibal in inſidiis poſuerat.

Cap. v. Terræ motum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes proſtrauit, auertitque curſu rapido amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapſu ingenti proruit.] Non ergo poëtice ſed ex geſtę rei fide canit Silius:

Iamque eadem populos magnorumque oppida regum
Tempeſtas, & dira lues ſtrauitque vbique.
Ac ſuper hæc refluі pugnarant montibus amnes,
Ex retro fluctus terſit mare, monte relicto
Apenninicolæ fugere ad litora Fauni.
Pugnabat tamen (heu belli vecordia) miles
Iactatus titubante ſolo tremebundaque tela
Subducta tellure ruens, torquebat in hoſtem.

Cap. vi. Inſuper equum (Ducario nomen erat) faciemque noſcitans, Conſul, inquit, hic eſt, popularibus ſuis, qui legiones noſtras cecidit, agroſque & vrbem eſt depopulatus. iam ego hanc victimam manibus peremptorum fœdè ciuium dabo.] Compara hæc ad iſta Silij:

Aduolat ora ferus, mentemque, Ducarius acri
Nomen erat gentile viro, fuſiſque cateruis
Boiorum quondam patrius, antiqua gerebat
Vulnera barbarica mentis, noſcenſque ſuperbi
Victoris vultus, Tune, inquit, maximus ille
Boiorum terror? libet hoc cognoſcere telo
Corporis an tanti manet de vulnere ſanguis.
Nec vos pœniteat populares fortibus vmbris
Hoc mactare caput, noſtros hic curribus egit
Inſiſtens victos alta ad Capitolia patres.

Cap. x. His Senatuſconſultis perfectis L. Cornel. Lentulus Pontifex Maximus conſulente collegio Pontificum, omniũ primum populum conſulendum de Vere ſacro cenſet: iniuſſu populi voueri non poſſe.] Lectio vetus ait amicus noſter, eſt: *conſulente collegio Prætorum*. Dico verum eſſe: *conſulẽte collegium prætore*. Perſuadet Romana conſuetudo, qua talib. in rebus receptum, vt in abſentia conſulum prætor ad collegium referret. at collegium ipſum numquam ſolet conſulere Pontificem, quod hæc lectio velle videtur. Ne qui vltra dubitet, de Prætore hoc ipſum Liuius ante dixit: *Senatus quoniam Fabium belli cura occupatura eſſet, M. Æmilium Prætorẽ ex collegij Pontificum ſententia, omnia ea vt mature fiant curare iubet*. Hæc noſter Lipſius cum cuius ſcripto codice, vt & ſæpiſſime alias conſpirat editio optima vetus Moguntina noſtra. porro de vere ſacro quod ait mos eius vouendi ſiue faciendi etiã Græcis & barbaris olim vſitatus fuit. Dionyſ. Hal. li. 1. Ὁπότε γὰρ εἰς ὀχλοπλῆθες ἐπιδοῖεν αἱ πόλεις, ὥστε μηκέτι τὰς οἰκείας τροφὰς ἅπασιν εἶναι διαρκεῖς, ἢ κακωθεῖσα ταῖς οὐρανίαις μεταβολαῖς ἡ γῆ σπανιώτερον τοὺς εἰωθότας καρποὺς ἐξήνεγκεν. ἢ τοιόνδε τι ἕτερον ἄλλο τὰς πόλεις κατασχόν, εἴτε ἄμεινον, εἴτε χεῖρον, ἀνάγκην ἐπέθηκε μειώσεως τοῦ πλήθους θεῶν ὅτῳ δὴ καθιεροῦντες ἀνθρώπων ἐτείους γονὰς ἐξέπεμπον ὅπλοις κοσμοῦντες ἐκ τῆς σφετέρας. Apud Italos autem primi aut imprimis feciſſe videntur hoc Sabini, de quibus ita Siſenna lib. iv. hiſtor. ſcriptum reliquit, conſarcinanie duo eius apud Nonium fragmenta ampliſſimo Briſſonio. Quondam Sabini feruntur vouiſſe, ſi res communis melioribus locis conſtitiſſet, ſe ver ſacrum facturos. Quo voto damnati fœtum omnem dicuntur eius anni ſtatim conſecraſſe. & Strabo li. v. διότι πολεμοῦντες Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικούς, εὔξαντο καθάπερ τῶν Ἑλλήνων τινές, τὰ γενόμενα τῷ ἔτει τούτῳ καθιερῶσαι· νικήσαντες δέ, τῶν γενομένων τὰ μὲν κατέθυσαν, τὰ δὲ καθιέρωσαν. ἀφορίας δὲ γενομένης, εἶπέ τις, ὡς ἐχρῆν καθιερῶσαι καὶ τὰ τέκνα· οἱ δ' ἐποίησαν τοῦτο, καὶ τοὺς γενομένους τότε παῖδας Ἄρεως ἐπεφήμισαν. Ex huiuſmodi autem voto Sacranos appellatos, Reate ortos, qui ex Septimontio Ligures, Siculoſque exegerunt, Feſtus Pompeius tradit, nimirum quod vere ſacro nati eſſent, & Seruius ad illud Vergilij ex lib 7. Æneid. *Et Sacranæ acies*, ita confirmat: Alij Sacranas acies Ardeatium volũt, qui aliquando cum peſtilentia laborarẽt, Ver ſacrum vouerunt, vnde *Sacrani* dicti ſunt. Ver autẽ ſacrum immolationis genus eſt. Mos enim Italis fuit, vt magnis in periculis, vouerẽt quęcumque proximo vere nata eſſent apud ſe animalia immolaturos, ſed ſatis iam ſatis ſuper re de qua etiam ad Iuſtinum diximus.

Eod. Si quis atro die faxit inſciens, probe factum eſto.] Liber Ms. *ſi quis altero die faxit*, nec reiicio, inquit Lipſius. Feſtus, *Alter & pro non bono ponitur, vt in augurijs altera auis. ſic alter non numquam pro aduerſo dicitur & malo.*

Cap. xii. Et parua momenta leuium certaminum ex tuto cœptorum finitimorum receptu, adſuefaciebant territum priſtinis cladibus militem minus iam tandem aut virtutis aut fortunæ pœnitere ſuæ.] Arbitratur legendum Lipſius: *finitimo receptu*. dicit enim *certamina ex tuto fuiſſe cœpta, vt facilis receptus in vicina caſtra eſſet*.

Cap. xv. Vt vero ad Vulturnum flumen caſtra ſunt poſita, exurebaturq; amœniſſimus Italiæ ager, villęque paſſim incendiis fumabant, per iuga Maſſici montis Fabio ducente, prope de integro eſt orta ſeditio: ac duces ſeditionis accenſi quidam. fuerat enim ſilentium per paucos dies. quia cum celerius ſolito, &c.] Hic Lipſius ad clariſſimum Ioſephum Scaligerũ: Non quilibet ſed tu Scaliger vides, inquit, illa, *ac duces ſeditionis accẽſi quidam*, eſſe quiſquilias. Quid enim ait? An duces ſeditionis inflãmatos eſſe? non agnoſco Latinum ſermonem. An genus militum, quod Accenſos vocabant, duces ſeditionis? hoc quidem etiam nugatius. Omnino explicare me non poterã, abſque codice ſcripto fuiſſet. qui habet, *Prope de integro ſeditio ac* [*de ſeditione*] *accenſi quidam fuerant enim per paucos dies*. En fontem: illud, *de ſeditione*, nota marginalis fuit: inuerecunde irrepſerat, & ſtultius emendata eſt, *duces ſeditionis*. Primum hoc tolle: remoue & illa quę liber omittit, *eſt orta*. vt rem ſactam habeas, illud, *quidam*, corrige, *quieti*, (nam abeſt à veteri vox *ſilentium*) & lege, *prope de integro ſeditio accenſa, quieti fuerant enim per paucos dies*. puto germanam Liuij lectionem habebis. Hoc ſi probo tibi, de aliis ſane manum non verterim.

Eod. Nos hic pecorum more per æſtiuos ſaltus, deuioſque colles exercitum ducimus, conditi nubibus, ſiluiſque.] Non eſt dubium, ait Lipſius: quin hunc Liuij locum Nonius Marcellus in mente habuerit in voce *Calles, Callis feminino genere. Liuius li. 22. Niſi pecorum modo fert anguſto ſaltu per deuias calles*. ita enim corrupte legitur, facili emẽdatione ex iſtis. Quod ſi eſt emendandum certe in Liuio *deuiaſque calles*. Ne dubitare poſſis, in editione Io. Antonij Epiſcop. Aleriẽſis, ad Paulum. Venetum, anni ∞. cccc. lxx. diſerte eſt *Calles*. At quod Nonius legiſſe videtur, *anguſtos ſaltus*, in Liuio veteri inuenio. *veſtinos ſaltus*. an à Veſtinis populis? an legendũ, *veſtitos?*

Eod. Audendo agendoque res Romana creuit, non his ſegnibus conſiliisve, quæ timidi cauta vocant.] Bene vetus liber Lipſij: *non his ſegnibus conſiliis, quæ timidi cauta vocant*.

Cap. xvi. Nec Annibalem fefellit ſuis ſe artibus peti, itaque cum per Caſilinum euadere non poſſet, petendique montes, & iugum Calliculæ ſuperandum eſſet.] Scriptus liber Lipſij: *petendamque montes, et iugum Callicula ſuperandum eſſet*. quod ille ſua fide germanum eſſe vult. Similе illi *pacem Troiano à rege petendum*. quæque exempla alia ex Lucretio Varrone aliiſque adduci poſſent.

Cap. xvii. Tum vero inſidias rati eſſe cum multo maximoque ſtrepitu concitant ſe in fugam.] Ait, inquit amicus noſter, *cum multo maximoque*. Et mirum ſi Orbilius hoc inultum fineret. certe non ſic Latini. Dico truncam vocem eſſe, legendumque: *cum tumultu maximoque ſtrepitu*, ſiue placet *tumulto* antiquè. vt enim vulgo ſcriptores, *Tumulti*, itẽ *tumulto* dicebant.

Cap. xxii. Et Acedux vir prudens haud fruſtra videbatur ſocios mutaſſe.] Scriptum meum, ait Lipſius, *& Abelox*, idq; verum hominis Hiſpani nomen. Polybius vbique Ἀβίλυξ, quod tamen bonus interpres ille mutandum ſibi in *Acedux* putauit. idem Lipſius non ita multo poſt: ibi nempe, *Deinde caſtra ipſa propius hoſtem mouit duo fermè à Gerione millia, in tumulum hoſti conſpectum*: etiam reponit ex ſuo manu exarato codice *tumulum hoſtium in conſpectu*.

Cap. xxv. Si antiquus animus plebi Romanæ eſſet, audacter ſe laturum fuiſſe de abrogando Q. Fabij imperio.] Reponit Lipſius ex veteri codice *audaciter*, ſcimus enim inquit, Ciceronem ipſum ſic locutum.

Cap. xxvi. Acceptiſque in ipſo itinere litteris Senatuſconſ. de æquato imperio, ſatisfidens..] Quomodo eſt, ait Lipſius, vt Senatuſconſultum de æquato imperio Fabius acceperit,

eum nullum fuerit? Nam planiſſime hoc plebiſcitum fuit, non S.C. nec quidquam magis inuito Senatu extortum. Audi Minutium ipſum: *Itaque plebiſcitum quo oneratus magis quam honoratus ſum, primus antiquo abrogóque.* Ait, Plebiſcitum. Ergo emendo, *acceptis in ipſo itinere literis Senatus de æquato i.* Nam ſenatus hæc, atque talia de repub. ſcribere ad prouinciales magiſtratus ſolet. Exempla infinita.

Cap. XXIX. *Tum Fabius primo clamore pauentium audito, dein conſpecta procul turbata acie: ita eſt, inquit, nõ celerius quã timui deprehendit fortuna temeritatẽ, Fabio æquatus imperio Annibalẽ et virtute & fortuna ſuperiorẽ videt. ſed aliud iurgandi tempus.* Plutarchos, qui multa à Liuio, hoc dictum Fabij effert, ὡς τάχιον μὲν ἢ ἐγὼ προσεδόκων, βράδιον δὲ ἢ αὐτὸς ἔσπευδε Μινύκιος ἀπώλεσεν ἑαυτόν. vt videatur hîc inducta negatione leg. *Ita eſt, inquit, celerius quam timui.* niſi placet interrogãtem pronũciaſſe. At ſequentibus verbis lectio vetus erat, *Fabio æquatum imperio.* primúſq; Valla immotauit. Credo verius fore, *En Fabio æquatum imperio: Annibale & virtute & fortuna ſuperiorẽ videre.* Illud, *En*, repetij ex ſyllaba vocis prioris. Eſt autẽ amara & viro graui apta irriſio, quam Sarcaſmon vocant.

Eod. Vos milites eos, quorum vos modo arma, dexteræque texerunt, patronos ſalutabitis.] Aliter paullo Valer. Max. in hunc maxime modum. *Fabio alteri etiam incolumi ſummæ cũ gloria gratia relata eſt: Dictatori ei magiſter equitum Minutius ſcito plebis, quod nunquam antea factum fuerat, æquatus partito exercitu ſeparatim in Samnio cum Annibale conflixerat. Vbi temere inito certamine peſtiferum habiturus exitum, ſubſidio Fabij conſeruatus, & ipſe eum patrem appellauit, & à legionibus ſuis patronum ſalutari voluit: Ac depoſito æqualis imperij iugo, magiſteriam equitum, ſicut par erat, dictaturæ ſubiecit: imprudentiæque vulgi errorem grata mentis ſignificatione correxit.*

Cap. XXXI. Dum hęc igitur in Italia, Cn. Seruilius Geminus Conſul cum claſſe nauium circũuectus Sardiniæ & Corſicæ oram, & obſidibus vtrimq; acceptis, in Africã tranſmiſit, & priuſquam in cõtinentem exſcenſiones faceret, Meninge inſula vaſtata, & ab incolentibus circa eam, ne & ipſorum diriperetur vreretúrque ager, decem talentis argenti acceptis, ad litora Africæ acceſſit.] Primũ videndũ ne deſit numerus nauium. Certe Liuius niſi de numero monere voluiſſet, non addidiſſet vocem *Nauium*, ſcripſiſſetq; *cum claſſe circumuectus.* Quin & numerũ hiſtoria poſtulat exprimi: qui Polybio l.3. auctore, fuit c.xx. quinqueremiũ. Inſeratur igitur Liuio, *cum claſſe c. & xx nauium.* Malum etiam illud, *ab incolentibus circa eam.* nam *incolere*, circa aliquem, quiſquiliæ ſermonis. Luculenter emendabitur, *ab incolentibus Cercinam.* Auctor idem Polyb. ſuper hac re, κατέπλευσε δὲ τῆς Λιβύης εἰς ἐπὶ τὴν Κερκιναν νῆσον, καὶ λαβὼν παρ' αὐτῶν χρήματα ἐφ' ᾧ μὴ πορθῆσαι τὴν χώραν ἀπηλλάγη. Ecce, ait ab incolis Cercinæ inſulæ pecunia oblata redemptam vaſtitatem, nihil clarius: & rideamus merito illos fungos & bardos, qui ex, *Cercinam*, fecerunt *circa eam.* Hæc Lipſius à quo & ſequentia quædam ſunt.

Cap. XXXV. Cum his orationibus accenſa plebs eſſet, tribus patriciis petentibus, P. Cornelio Merenda. L. Manlio Volſone, Marco Æmilio Lepido: duobus nobilibus iam familiaribus plebi, C. Atilio Serrano & Q. Ælio Peto, quorũ alter Pontifex, alter augur erat, &c.] Inepta lectio & nulli rei. quo enim illa diſtinctio pertinuit, duos nobiles ſed familiares plebi? In medio codice emergit ſe veritas, *duobus nobilibus ac familiarũ plebei*, lege, *ac familiarũ.* Nũ hoc ſentit Liuius tres petitores fuiſſe patricios: duos alios, nobiles plebeios. Illud, *plebei*, antiquum eſt pro *plebis*. de quo iam ſupra monitum.

Cap. XXXVI. Romæ in Auẽtino, & Ariciæ nunciatũ erat ſub idẽ tẽpus lapidibus pluiſſe: & multo cruore ſigna in Sabinis cædis, aquas è fonte calidas manaſſe.] Priora puto Liuium ſcripſiſſe, *lapidib. pluiſſe. & multo cruore Signiæ.* Ita reſtituo, pro, *ſigna* & notũ eſt Italiæ opidum. Deinde, *In Sabinis Cadis aquas e.f.c. manaſſe.* Illud *Cadis*, nomẽ aliquod loci in Sabinis, mihi ignoti nec ſuccurrit, quomodo emendãdũ. Aliter, quin hæc eius loci vera lectio ſit, præter te, nemo mihi eripiet.

Cap. XXXVIII. Milites tunc, quod nũquam antea factũ erat, iureiurando à Tribunis militum adacti iuſſi Coſſ. conuenturos, neq; iniuſſu abituros.] Atqui quo tempore P. Val. ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba iuraſſe ipſe Liuius li. 3. ſcribit, *Conuenturos ſe iuſſu conſulis. nec iniuſſu abituros.* Dionyſius quoque Halicarnaſſ. l. 10. omnes iuraſſe refert: τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ἀκολουθήσειν τοῖς ὑπάτοις, ἐφ' οὓς ἂν καλῶνται πολέμους. καὶ μήτε ἀπολείψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πράξειν μηδὲν ἐναντίον τῷ νόμῳ. Formulam certe iuriſiurandi, quo Tribunus militaris, cum dilectus antiquitus fieret, militeſq. ſcriberẽtur, eos adigebat huiuſmodi fuiſſe Agell. l. 16. noct. Att. c. 4. ex Cincij de re milit. l. 3. literis prodidit. *In magiſtratu C. Lælij. C. F. Cos. L. Cornel. P. F. Cos. in exercitu, Decẽq; millia paſſuum prope, furtum nõ facies dolo malo, ſolus, neque cum pluribus, pluris nummi argẽtei, in dies ſingulos, extra haſtã, haſtile, ligna, pabulũ, vtrem, follem, faculã, ſi quid ibi inueneris, ſuſtuleriſve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, vti tu ad C. Lælium C. F. Cos. L. ve. Cornelium P. F. Cos. Siue ad quem eorum ius erit, proferas, aut profitere in triduo proximo, quidquid inueneris ſuſtuleriſve dolo malo: aut domino ſuo, cuium id cenſebis eſſe, Reddes, vti quod recte factũ eſſe voles.* Cui adfine eſt, quod Polybius l. 6. ſcribit: Μετὰ δὲ τὴν στρατοπεδείαν συναθροισθέντες οἱ χιλίαρχοι τοὺς ἐν τῷ στρατοπέδῳ πάντας ὁρκίζουσιν ὁμοῦ καὶ δούλους, ὀμνύναι καθ' ἕνα ποιούμενοι τὸν ὁρκισμόν. Ὁ δὲ ὅρκος ἐστι. Μηδὲν ἐκ τῆς παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τι, τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους.

Eod. Bellum arceſſitum in Italiam ab nobilibus, manſurumque in viſceribus Reipub. ſi plures Fabios Imperatores haberet. ſe quo die hoſtem vidiſſet, profligaturum.] Lipſij liber habet: *quo die hoſtem vidiſſet, conflicturum.* quod veris apparet ex oratione Pauli qui ad hanc partem reſpiciens, ait mirari ſe: quomodo Varro diem quoque prædicere poſſet, qua cum hoſte ſignis collatis eſſet dimicaturus, confirmaturquo etiam Silij his verſibus de eodem Varrone,

Cum duce tam ſauſti martis, qua videris hora
Sumpturum pugnam.

Cap. XXXIX. Erras enim L. Paule, ſi tibi minus certaminis cum C. Terentio quam cum Annibale futurum cenſes. Neſcio an infeſtior hic aduerſarius, quam ille hoſtis maneat.] Vide quam gemina germana ſint illa Poëtæ:

Si ſibi cum Tyrio credis fore maxima bella
Doctore, inuitus vocem hanc è pectore rumpam,
Fruſtraris Paule Auſoniam: te prœlia dira,
Teque hoſtis caſtris grauior manet. ---

Eod. Annibal contra in aliena, in hoſtili eſt terra, inter omnia inimica infeſtaque, procul à domo, procul à patria, neque illi terra neque mari eſt pax nullæ eum vrbes accipiunt, nulla mœnia, nihil vſquam ſui videt: in diem rapto viuit. partem vix tertiam exercitus eius habet, quem Iberum amnem traiecit.] Editio Mogontina: *partem vix tertiam exercitus eius habet, quo Iberum amnem traiecit.* & de re tota ſic Silius. non vulgatus ſed noſter: *-- eget improbus arcto*

Jam victa Libys, & belli feruore retuſo
Laxa fides ſociûm eſt: non hic domus hoſpita tecto
Inuitat patrio, non fide mœnibus vrbes
Excipiunt: renouatque pari ſe pube iuuentus.
Tertia vix ſuper eſt crudo quæ venit Ibero
Turba virum.

Cap. XLII. Tabernacula aperta, & omnia cara in promptu relicta, argentum quibuſdam locis temere per vias velut obiectum ad prædam.] Siſenna hiſtor. IV. de hac re ita ſi quid doctiſſimo cuidam viro credimus ſcripſerat: *Profuſe atque abunde ſparſa vaſa, magnum pondus auri argentique.*

Eod. Serui duo, Formiani vnus, alter Sidicini equitis, qui Seruilio atque Atilio Coſs. inter pabulatores accepti à Numidis fuerant.] Verius eſt, *inter pabulatores excepti à Numidis fuerant.* quo pacto & editio vetus Moguntina habet & alij in Ms. ſuo exſtare profitentur.

Cap. XLIII. Sed per eundem Lucanum Statilium omnibus vltra caſtra tranſque montes exploratis, cum relatum eſſet viſum procul hoſtium agmen, tum die inſequenti eius inſequendi conſilia agitari cœpta.] Mira narratio. feſtinabant ſequi Annibalem: & ecce cum omnia tuta renunciarentur, non dicam rem, ſed conſilium ſequendi in diem alterum reiiciunt. Vetus præfert: *tam die ſequenti eo conſilia agitare.* inculcatis illis vocibus, omiſſis. Facilis reſtitutio, *tum de inſequendo eo conſilia a.c.*

Cap. XLIV. Annibal ſpem nactus loci ad equeſtrem pugnam qua parte virtũ inuictus erat, facturus copiam pugnãdi conſulibus: dirigit aciem, laceſſitque Numidarũ procurſatione

hoſtem.] Lipſius qua ab ingenio quà libris totum hunc locum ſic interpollat: *Annibal ſpem nactus loco ad equeſtrem pugnam qua parte virium inuictus erat, facturos copiam pugnandi conſules dirigit aciem*, &c.

Cap. XLVI. Gallos Hiſpanoſque equites prope ripam læuo in cornu aduerſus Romanum equitatum, dextrum cornu Numidis equitibus datum.] Longe aliter Silius, cuius verſus, quia vulgo corruptiſſimi ſunt, nos non illibenter occaſione oblata hic emaculatos adſcribemus: ergo

Barbaricus, inquit, *læuo ſtetit ad certamina cornu*
Bellator Naſamon, vnaque immanior arctus
Marmarides, tum Maurus atrox, Garamaſque Macesq́;
Vulgus Adrimachidæ pariter gens accola Nili
Corpora ab immodico ſeruans nigrantia Phœbo.
Queis poſitum agminibus caput imperiumque Nealces.
At parte in dextra, ſinuat qua flexibus vndam
Aufidus, & curuo circum errat gurgite ripas.
Mago regit, ſubiere leues, quos horrida miſit
Pyrene populi, varióque auxere tumultu
Fulmineum latus, effulges cetrata iuuentus,
Cantaber ante alios, nec tectus tempora Vaſco,
Ac torto miſcens Balearis prœlia plumbo,
Berigenæque viri, celſus media ipſe coercet
Agmina, quæ patrio firmauit milite, quaque
Celtarum Eridano perfuſis ſæpe cateruis.
Sed qua ſe fluuius retro labentibus vndis
Eripit, & nullo cuneos munimine vallat,
Turritas moles, ac propugnacula dorſo
Belua nigranti geſtans, ceu molibus agger
Natat, & erectos attollit ad æthera muros.

Eod. Ante ceteros armati (is gentium harum habitus tum magnitudine corporum, tum ſpecie terribilis erat) Galli ſuper vmbilicum erant nudi: Hiſpani linteis, prætextis purpura, tunicis, candore miro fulgentibus conſtiterunt.] Fœde interpolatus locus. Lectio vetus, *an telus aiatus gentiũ harũ tum magnitudine.* Puto leg. *Ante alia ornatus gentium harum tum, m. c. tum ſ. terribilis erat. Galli*, &c. Quidquid preter hęc eſt Liuij non eſt. Expreſſa omnia pæne ad verbum è Polybio, καὶ τῶν Κελτῶν γυμνῶν, τῶν δ' Ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίσκοις κεκοσμημένων, κατὰ τὰ πάτρια, ἐξήλλαττεν ἅμα καὶ καταπληκτικὴν συνέβαινεν γενέσθαι τὴν πρόσοψιν. Itaque dubito, quia in Polybio, πρόσοψιν: ne ex illo *aiatus*, faciendum, *aſpectus*. Similia iſtis in libro ſuo reperiſſe Valla videtur.

Eod. Sol, ſeu de induſtria ita locatis, ſeu forte ita ſtando, peropportune vtrique parti obliquus erat.] Mss. Lipſij, *ſeu quod forte ita ſtare*, vnde facit ille *ſtarent*, optime.

Cap. XLVII. Frontibus enim aduerſis concurrendum erat. quia nullo circa ad euagandum relicto ſpacio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant, in directum vtrimque nitentes ſtantibus ac confertis poſtremo turbatis equis, vir virum amplexus detrahebat equo.] A veteri abſunt iſta, *poſtremo turbatis*, & certe ſciuli nebulonis gloſſema fuit. Nihil ad hanc rem turbatio equorum. Nam quod ait, *ſtantibus*: dixit ad diſcrimen, quia non vt in equeſtri pugna procurſantibus.

Eod. Sub equeſtris finem certaminis coorta eſt peditum pugna. primo & viribus & animis pares conſtabant ordines Gallis Hiſpaniſque. tandem Romani diu ac ſæpe conſilio agitabant qua frunte acieq; denſa impellerent hoſtium cuneum nimis tenuem eoque parum validum à ceteris prominentem acie, impulſis deinde ac trepide, &c.] Ait, *diu ac ſæpe conſilio agitabant*. Hem! tempus illud ferebat ſcilicet vt diu conſilia agitarentur? imo res potius. quid deinde poſt conſilium? ait, *impulſis deinde ac trepide referentibus pedẽ*. nec narrat vel verbu quomodo hæc geſta. Quid multa? vulgata lectio, meræ nugæ. Libro meo abeſt vox *agitabant*. & pro *impellerẽt*, ſcribitur, *impuluere*. En vobis veram lectionẽ, *Tandẽ Romani diu ac ſæpe cõniſi, obliqua frõte acieq́ denſa impulêre hoſtiũ cuneũ.* Palmaria hæc correctio eſt quod ad ſcripturam. ex illis *cõſilio qua*: quã facile, *cõniſi obliqua*? & *impuluere* manifeſto *impulêre*. At illud ſequens, *a ceteris prominentem acie*, legitur in v. *à prominẽte n acie cetera*. Lego *à cetera prom. acie.* Tota narratio Liuij intelligetur ex ratione aciei inſtructę. quę expreſſa breuiter apud Plutarchum eſt: Ἐν δὲ τῇ μάχῃ στρατηγήματι ἐχρήσατο. ὃ γὰρ ἦν ἰσχυρότατον αὐτῷ καὶ μαχιμώτατον τῆς δυνάμεως, ἐνστήσας τοῦ μέσου τάξας, τὸ μέσον αὐτὸς συνεπλήρωσεν, ἐκ τῶν ἀχρειοτάτων, ἐμβόλῳ τούτῳ προέχοντι πολὺ τῆς ἄλλης φάλαγγος χρησάμενος. εἴρητο δὲ τοῖς κεράτεσιν, ὅταν τούτους διακόψαντες οἱ Ῥωμαῖοι καὶ φερόμενοι πρὸς τὸ εἶκον, ὑποφερομένου τοῦ μέσου καὶ κόλπον λαμβάνοντος ἐν τοῖς χωρίοις τῆς φάλαγγος, ὀξέως ἑκατέρωθεν ἐπιστρέψαντες, ἐμβαλεῖν πλαγίους, καὶ περιπτύσσειν ὄπισθεν συγκλείοντας. ὃ δὴ καὶ δοκεῖ τὸν πλεῖστον ἀπεργάσασθαι φόνον. ὡς γὰρ ἐνέδωκε τὸ μέσον, καὶ τοὺς Ῥωμαίους ἐδέξατο διώκοντας, ἡ δὲ φάλαγξ τοῦ Ἀννίβου μεταβαλοῦσα τὸ σχῆμα, μηνοειδὴς ἐγεγόνει. καὶ τῶν ἐπιλέκτων οἱ ταξίαρχοι, ταχὺ τοὺς μὲν ἐπ' ἀσπίδα, τοὺς δὲ ἐπὶ δόρυ κλίναντες, προσέπεσον κατὰ τὰ γυμνὰ πανταχόθεν. &c. Eadem Polyb. ſed diffuſius. Cæterum illud Liuij, *cuneum à cetera prominentem acie*, vertit Plutarc. ἐμβόλῳ προέχοντι τῆς ἄλλης φάλαγγος. ne quis de reſtitutione dubitet. Lipſius.

Eod. In mediam primam aciem illati, poſtremo nullo reſiſtente ad ſubſidia Afrorum peruenerunt: qui vtrimque reductis alis conſtiterant, mediiq; Galli Hiſpaniq; ſteterunt.] Scriptus Lipſij liber habet: *in mediam primum aciem illati.* & *mediaque Galli Hiſpanique ſteterant.* ex quibus primum approbat etiam editio vetus Moguntina.

Eod. Afri circa iam cornua vim fecerant, irruentibuſque incaute in medium Rom. circumdedere alas.] Iterum interpolata lectio, ait Senatus litterarij princeps. Scripſit Liuius: *Afri circa, iam cornua fecerant.* & ita vetus. at alij boni correctores dum putant, *Circa* ad cornua referendum, & *vim* vocem intrudunt: ſententiæ profecto vim fecerunt. Dixit, *Circa* vt ante, *nullo circa ad euagandum loco.*

Eod. Omiſſis Gallis Hiſpaniſque quorum terga ceciderant. etiam aduerſus Afros integram pugnam ineunt.] τὸ *integram*, parum integre hic legi clamat conſpiratio editionis Mogunt. veteris & membranarum Lipſianarum à quibus abeſt etiam illud *etiam*.

Cap. XLVIII. Poſtquam omnium animos oculoſque occupauerat certamen, tum arreptis ſcutis, quæ paſſim inter aceruos cæſorum corporum ſtrata erant, auerſam adoriuntur Romanam aciem, tergaque ferientes, &c. Silius meus Ms:

Has inter ſtrages rapido terrore coorti
Inuadunt terga, atque auerſo turbine miſcent
Bella inopina viri, Tyrius quot fallere doctoe
Hanc ipſam pugna rector formarat ad artem,
Succinctique, dolis fugerent ceu Punica caſtra
Dediderant dextras, tum totis mentibus actam
In cædes aciem pone atque in terga ruentes
Præcipitant, non haſta viro, non deficit enſis,
E ſtrage eſt ferrum, atque euulſa cadauere tela.

Cap. XLIX. Cn. Lentulus Trib. mil. cum præteruehens equo ſedentem in ſaxo cruore oppletum Coſ. vidiſſet.] Poëta ad verbum fere hæc tranſtulit numeris tantum ligata in opus ſuum de bello Punico ſecundo: ait enim,

Ecce Cydonea violatus arundine plantam
Lentulus effuſis campum linquebat habenis:
Cum videt in ſcopulo rorantem ſaxa cruore,
Toruóque obtutu labentem in tartara Paulum,

Eod. Cape hunc equum: dum & tibi virium aliquid ſupereſt, comes ego te tollere poſſum ac protegere.] Poëta-- *cape quæſo hunc vnice rerum*
Feſſarum, cape cornipedem, languentia membra
Ipſe leuabo humeris, & dorſo tuta locabo.

Eod. Tu quidem Cn. Corneli macte virtute eſto.] Poëta;
--- *Macte ô virtute paterna,*
Nec vero ſpes anguſta, cum talia reſtent
Pectora Romuleo regno, calcaribus aufer
Qua vulnus permiſit equum, atque hinc ocius vrbis
Claudantur portæ: ruet hæc ad mœnia peſtis:
Dic oro, rerum Fabio tradantur habenæ,
Noſtrus pugnauit monitis furor. ---

Eod. Ne vt reus interea m, cauſaque conſulatus accuſator collegæ exiſtam.] Malit Lipſ. *ne aut reus interea m cauſaue conſulatus accuſator collega exiſtam.* etſi ſic quoque ſuſpectum illi eſt τὸ *conſulatus*.

Eod. Hæc exigentem prius turba fugientium ciuium, deinde hoſtes oppreſſere conſulem ignorantes quis eſſet, obrueruntque telis. Lentulum in tumulum abripuit equus.] Ita habet diſertim vetus editio noſtra Moguntinenſis, & notat Saxo Helleniſmum *exigentem*, τὸ ἐξηγούμενον, id eſt, *commemo-*

rantẽ. Lipſi⁹ tñ, Antiquo omnis lectio eſt, inquit, *Hac exagetur,* Vulgata lectio à Valla eſt: Sigonius mauult, *Exequentẽ.* Ego *ſatagẽ: es*& ſequẽtia diſtinguo *hoſtes oppreſſère. Cõſulẽ ignorãtes q̃ is eſſet, obruerũt telis: Lentulũ abripuit equus.* ita inquam Lipſius de hoc loco cenſet; à cuius Ms. abſunt illa *in tumulum.*

Cap. L. Ad Cannas fugientem Conſolem vix quinquaginta ſecuti ſunt: alterius moriẽtis prope totus exercitus fuit.] Ita audacter repono etiam ex iudicio dictiſſimorũ virorum pro *fugit.* non enim aliud dicit, quam Varronem fugientem paucos comitatos: Æmilio morienti prope omnem exercitum commortuum.

Eod. Capi ergo mauultis, inquit, ab auariſſimo hoſte æſtimariq; capita veſtra precio? & exquiri ab interrogãtib. Romanus ciuis ſis, an Latinus ſocius? vt ex tua cõtumelia & miſeria alteri honos quæratur, non tibi? Non vos quidẽ L. Æmilij, qui ſe bene mori, quã turpiter viuere maluit, & tot fortiſſimorũ virorũ, qui circa cumulati iacẽt, ſimiles eſtis.] Optime ait Lipſius, liber vetus, *vt ex tua cõtumelia & miſeria alteri honor quæratur? nõ. ſiquidẽ L. Aemilij, qui ſe.* &c. Vide audaciã correctorũ, qui reliquas illas voces ineptiſſime inſeruerunt.

Eod. Cuneo quidem hoc laxum atque ſolutum agmen, ac ſi nihil obſtet, tranſibimus.] Liuij ſentẽtia comparet, inquit Lipſius, verbo vt verba. Nam vetus illa vltima ſic: *ac ſi nihil obſtet. ius ſcias.* intricata lectio, ex qua hoc tamen elicio, τὸ *tranſibimus* Liuij verbum non eſſe.

Cap. LII. Eos qui Cannuſium profugerant, muliercula nomine Buſa, genere clara ac diuitiis, mœnibus tantum tectiſque à Cãnuſinis acceptos, frumento, veſte, viatico etiam iuuit. pro qua ei munificentia, poſtea bello perfecto à ſenatu honores habiti ſunt.] Hæc lectio à Sigonij coniectura manauit. Nam libri & ſcripti omnes, & vulgati, habent, *Mulier Paula, nomine Buſa.* Glareanus hærere ſe fatetur. Nam Buſam huic mulieri nomen fuiſſe, non Paulam Liuius infra, & Valerius item teſtantur. Sigon. ablegata voce ſcindit nodũ, non ſoluit. At ego tranſpoſita litera rem extrico, *Mulier Apula,* Valerius lib. 4. *Itaque eiuſdem temporis femina, Buſa nomine, regionis autem Apuliæ ditiſſima.* Lipſius.

Cap. LIII. Stricto ſupra capita conſultantium gladio: Ex mei animi ſententia, inquit. iuro, vt ego temp. non deſeram, neque alium ciuem Romanum deſerere patiar. ſi ſciens fallo, tum me Iupiter Opt. Max. domum, familiam remq; meã peſſimo leto afficias. In hæc verba L. Cæcili iures expoſtulo, ceterique qui adeſtis, qui non iurauerit, in ſe hunc gladium ſtrictum eſſe ſcias. Haud ſecus pauidi, quam ſi victorem Annibalem cernerent, iurant omnes: cuſtodiendoſque ſemetipſos contra Annibalem Scipioni tradunt.] Totum hunc locum elegãtiſſime expreſſit Silius cuius verſus aliquam multos ſed emaculatos propeà mendis quibus vulgo ſcatant apponam, puta hos:

Tum quatiens ſtrictum cum voce ante ora pauentum
Mucronem, Tarpeie pater, qui templa ſecundam
Incolis à cælo ſedem, et Saturnia nondum
Iliacis mutata malis, tuque aſpera pectus
Aegide Gorgoneos virgo ſuccincta furores,
Indigeteſque dei ſponte inter numina noſtra,
Perque caput aullo lauius mihi numine patris
Magnanimi iuro, nunquam Launia regna
Linquam, nec linqui patiar, dum vita manebit,
Ocius en teſtare deos, ſi mœnia tedit
Flag-abunt Lybicis, nullas te ferre Metelle
Auſurum in terras greſſus, nis alia ſancis,
Quem tremis et cuius ſomnos formidine rumpit,
Annibal hic armatus adeſt, maiore, nec vllo
Pœnorum melior parietur gloria caſo.
His excuſſa incepta mines, iamque ordine iuſſo
Obſtringuntque animas patria dictataque iurant
Sacramenta deis, & purgant pectora culpa.

Porro quod præceſſit: *irent ſecum extemplo armati, qui remp. ſaluã vellẽt:* formula eſt qua in extremo diſcrimine difficilimoque tẽpore magiſtratus Romani vti ſolent: Cicero pro Rabirio perduellionis reo, de C. Mario & Lucio Valerio Cns. *adhibeat omnes tribunos plebis præter Saturninum, Prætores præter Glauciã: qui remp. ſaluã eſſe vellẽt, arma capere, & ſe ſequi iubent.* Idẽ pro C. Cornelio maieſtatis reo. referẽte Aſconio: *At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, Conſulem mittere coegiſti, qui rempub. ſaluã eſſe vellent, vt ij adlegem accipiendam adeſſent.* Apud Liuiũ li. 22. Scipio, *Audendum atque agendum, non conſultandum,* ait, *in tanto malo eſſe: Irent ſecum extemplo armati qui rempubl. ſaluã vellent.* Celebris plane eſt Scipionis Naſicæ hiſtoria, qui priuatus, Conſule rempubl. negligente, hac voce ad arma ciues vocare auſus eſt. Cicer li. 4. Tuſcul. quæſt de hoc Scipione loquẽs, *Iratus,* inquit, *fuiſſe videtur Tiberio Graccho, tum cum Conſulẽ languẽtem reliquit, atque ipſe priuatus, vt ſi Conſul eſſet, qui rempubl. ſaluam eſſe velit, ſe ſequi iuſſit.* Val. Max. li. 3. c. 2. *Cum Tiberius Gracchus in Tribunatu profuſis largitionib. fauore populi occupato rẽpub. oppreſſam teneret: palamque dictitaret, interempto Senatu omnia per plebem agi debere, in ædem Fidei publicæ conuocati P.C. à Conſule Mucio Scæuola, quidnam in tali tempeſtate faciendum eſſet deliberabant, cunctiſque cenſentibus, vt conſul armis rempubl. tueretur, Scæuola negauit ſe quidquam vi eſſe acturũ. Scipio Naſica, quoniam, inquit, conſul dum iuris ordinem ſequitur, id agit, vt cum omnibus legib. Romanum imperium corruat, ego me priuatus voluntati veſtræ me ducem offero: ſublataque dextera proclamauit, qui rẽpubl. ſaluam eſſe volunt, me ſequantur.* Velleius Patercul. li. 2. de eodem Scipione Naſica: *Circumdata læuo brachio Togæ lacinia ex ſuperiore parte Capitolij ſummis gradib. inſiſtens, hortatus eſt, qui ſaluã rẽpub. vellent, ſequerẽtur.* Plutarch. in Gracchis Ὁ δὲ Νασικᾶς ἠξίου τὸν ὕπατον τῇ πόλει βοηθεῖν, καὶ καταλύειν τὸν τύραννον. Ἀποκριναμένου δὲ πράως ἐκείνου, βίας μὲν οὐδεμιᾶς ὑπάρξειν, οὐδὲ ἀναιρήσειν οὐδένα τῶν πολιτῶν ἄκριτον. εἰ μέντοι ψηφίσαιτο τι τῶν παρανόμων ὁ δῆμος ὑπὸ τοῦ Τιβερίου πεισθεὶς ἢ βιασθείς, τοῦτο κύριον μὴ φυλάξειν· Ἀναπηδήσας, ὁ Νασικᾶς ἐπεὶ τοίνυν, εἶπε, προδίδωσιν ὁ Ἄρχων τὴν πόλιν, οἱ βουλόμενοι τοῖς νόμοις βοηθεῖν ἀκολουθεῖτε. Appi. lib. 1. de bell. ciuil. καὶ πρῶτος αὐτοῖς ὁ μέγιστος Ἀρχιερεὺς λεγόμενος ἐξῆρχε τῆς ὁδοῦ Κορνήλιος Σκιπίων ὁ Νασικᾶς, ἐβόα τε μοι ἕπεσθαι τοὺς ἐθέλοντας σώζειν τὴν πατρίδα.

Cap. LVI. Adeoque totam vrbem oppleuit luctus, vt ſacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum ſit: quia nec lugentibus id facere eſt fas; nec vlla in illa tempeſtate matrona expers luctus fuerat. Itaque ne ob eandem cauſam alia quoque publica aut priuata deſererentur, SCto. dieb. XXX. luctus eſt finitus.] Qua de re ita paratragœdiat Valer. Max. *Quaaro,* inquit, *noſtræ ciuitatis ſenatus venerabilior in deos? qui poſt Cannenſem cladem decreuit, ne matronæ vltra trigeſimum diem luctus ſuos extenderent, vti ab his ſacra Cereris peragi poſſent: quia maiore pene Romanarum virũ parte in execrabili ac diro ſolo iacente, nullius penates mœroris expertes erant. Itaque matres ac filiæ, coniugeſque, et ſorores, nuper interfectorũ abſterſis lacrymis, depoſitiſque doloris inſignib. candidam induere veſtem, & aris dare thura coactæ ſunt: Qua quidẽ cõſtãtia obtinẽde religionis, magnus cæleſtib. iniectus eſt rubor vlterius aduerſus eã ſæuiendi gentẽ, quæ ne iniuriarũ quidem acerbitate, ab eorũ cultu abſterreri potuerat.*

Cap. LVII. Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculũ miſſus, quibus precib. ſupplicationibuſque deos poſſent placare.] Liuius qui apud me, ait doctiſs. Lipſius, habet, *ſuppliciiſque,* præclare. eũ firmat & Sigonij codex, qui *ſupplices deos,* corrupte, *ſupplicium* pro *ſupplicatione* ex Saluſtio vulgo notum.

Cap. LX. Viam non ad gloriã magis, quam ad ſalutem ferentẽ demõſtrat: ducem ſe in patriã, ad parentes, ad coniuges ac liberos facit.] Ms. Lipſij: *demõſtraret duces in patriam.* vnde legit ille: *demonſtrat: reduces in patriam:* & habet ſane etiã editio Moguntina, *demonſtraret:* quo æquiem illius cõiecturæ ſis.

Eod. Niſi quis credere poteſt fuiſſe qui erumpentib⁹ quin erũperent, obſiſtere conati ſunt: aut non inuidere eos cũ incolumitati tum gloriæ.] Vide locũ vnũ, ait Lipſius, nec dubitabis qui legendũ ſit. *Niſi quis credere poteſt fuiſſe, vt erũpentib. quin erũperẽt obſiſtere conati ſint: at non inuidere.* Omnia ita vetus, niſi quod *at* reſtitui pro *aut.* Verbi *fuiſſe* elegans vſus latuit correctores, non valde pugno. ſed illud moueo quod præceſſit: *Nunc autem quemadmodũ hi boni fideleſque (nã fortes ne ipſi quidem dixerint) ciues eſſe poſſunt.* amare iſta coniungere ſcriptorẽ optimum quemq;. ipſe Liuius li. 29. *Magis indignemini bonis ac fidelib. ſociis tã atroces ac indignas iniurias oblegato veſtro militibuſq; fieri:* Idẽ li. 24. *Tũ primũ vt pro bonis ac fidelib. ſociis facerẽt, orauit, vt duo legationẽ referrent ad Imperatores ſuos.* Et apud eundẽ l. 22. Hieronis legati. *Itaq;,* inquiũt, *quamquã probe ſciat magnitudinem populi Romani admirabiliorẽ prope aduerſis rebus, quã ſecũdis, miſſa tamen à ſe omnia, quib. à bonis fidelibuſq; ſociis bella iuuari ſoleãt.* Idẽ li. 42. per legatos

Aotiochū regem petiiſſe ait, *imperaret ſibi pop. Rom. qua bono fideliqae ſocio regi eſſent imperanda.* Et li. 43. Carthaginenſium legati *ſe bonorum fideliumq; ſocium* munerib. ſæpe functos eſſe commemorāt. Saluſt. in bell. Iugurt. Leptitanos, ait, ex quo in ſocietatem & amicitiam aſſumpti fuere, ſemper *bonos fidelesq;* manſiſſe. Cicero etiā Orat. de Haruſp. reſponſ. teſtimonium Deiotaro tribuit huiuſmodi; *Quem vnū habemus in orbe terrarum, fideliſſimum huic imperio, atque amantiſſimum noſtri nominis regem.* Idem Phil. 11. *Quid de Cn. Pompeio loquar, qui vnum Deiotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereque beneuolum, vnum fidelem pop. Rom. iudicauit.*

Cap. LXI. Adeo magno animo ciuitas fuit, vt conſuli ex tanta clade, cuius ipſe magna cauſa fuiſſet, redeunti, & obuiam itum frequenter ab omnibus ordinibus ſit: & gratiæ actæ, quod de republica non deſperaſſet.] Silius:

Ergo omnes effundit longo iam ſe agmine vulgus
Gratantum, magnaque actum ſe credere mento
Teſtantur, quod fiſus auis, ſceptriſque ſuperbis
Laomedonteadum, non deſperauerit vrbi.

Porro gratiæ hæ actæ ſunt Varroni ab ipſo etiam ſenatu, vt ſignificat ille è Cānenſis cladis reliquiis legatus ad Marcellum verba faciens apud Liuium li. 25. cum ait: *Equidem miles nihil vnquam dicā de Imperatore eo, qui præſertim gratias ſciā ab ſenatu actas, quod non deſperauerit de republica.* Valerius tamen Max. non gratias actas Varroni tradit quod de rep. non deſperaſſet: ſed quod redire voluiſſet. verba eius ſūt: *Miro quoque gradu Varro ad conſulatū ex macellaria patris taberna conſcēdit: Et quidē fortuna parū duxit ſordidiſſimæ mercis capturis alito, XII. faſces largiri, niſi etiā L. Aemilium Paulū dediſſet collegā: Atque ita ſe in eius ſinū infudit, vt eum apud Cannas culpa ſua vires pop. Rom. exhauſiſſet, Paulū qui prœliū cōmittere noluerat, occidere pateretur: illum vrbem incolumem reduceret. Quin etiam ſenatū gratias ei agentē, quod redire voluiſſet, ante portas eduxit: ex ad itque vt grauiſſimæ cladis auctori etiam Dictura deferretur.*

Atque huic quidem ſoli quod ſciam gratiæ actæ re male geſta, magis hercle ad oſtentationē magnitudinis animi ſui, quam quod te vera gratiarum actione dignum cenſerent illum, qui diris potius omnibus deuouendus erat. aliis ſemper hic honos habitus ob inſignia in remp. merita. Liuius lib. 11. *Quintio Conſuli ab ſenatu gratiæ acta, quod eius opera mitigata diſcordia eſſet. Ab Appio vero eius collega petitū eſt, vt tantā conſularē maieſtatem eſſe vellet, quātā in concordi ciuitate eſſe poſſet:* Idē li. 38. gratias ingētes ab vniuerſo ordine. Tiberio Gracchō actas ait, *quod rēpubl. priuatis ſimultatibus, potiorē habuiſſet.* Spurio quoque Liguſtino, cui etſi ſtipendia omnia emerita eſſent, & ætas vacationem daret, liberorumque numero ſe excuſare poſſet, tamē ipſe quoad ſe quiſquam qui exercitus ſcriberet, idoneum militem iudicaret, alacri animo daturum pro cōcione diſerat ex auctoritate ſenatus *gratias actas* idem Liuius lib. 42. ſcriptum reliquit. Ciceroni quoque, vt ipſe de ſe 3. & 4. Catilin. Orat. prædicat, poſt detectam Catilinæ cōiurationē, *Gratia à ſenatu, verbis ampliſſimis acta fuerunt, quod eius virtute, conſilio, prudentia, diligentia, coniuratio patefacta, maximiſque reſp. periculis liberata eſſet.* Hoc etiam nomine Senatum ſibi *ſingularib. verbis gratias egiſſe.* in Orat. pro Sylla ait. De eo quoque Appian. lib. 2. bell. ciuil. hæc ſcribit. [illegible] Pari modo cum Antonius poſt Cæſaris cædem, auctor fuiſſet Senatus cenſendi, *vt dictatura funditus è republ. tolleretur,* ſcriptumq; de ea re S. C. quod fieri vellet, attuliſſet, *ei ampliſſimis verbis gratias per idē S. C. actas.* Cicero Philip. 1. ſcribit. Valer. etiam li. 4. cap. 8. refert ex *S. C. gratias actas Q. Concidio, qui Catilinæ furore ita conſternata republica, vt ne à locupletibus quidem debita pecunia, propter tumultum pretiis poſſeſſionum diminutis, ſolui creditorib. poſſent: cum centies atque quinquagies H S. ſummam in fœnore haberet, neque de ſorte quemquam debitorum ſuorum, neque de vſura, à ſuis appellari paſſus erat.*

IN T. LIVII LIBRVM XXIII. NOTÆ.

CAp. I. Pœnum ab vrbe oppugnanda abſterruere cōſpecta mœnia.] Scriptus codex, ait Lipſius; *Pœnum ab vrbe oppugnanda abſtinuere conſpecta mœnia.* eleganter. & ego ſcio Plautū & veteres vulgo ita locutos. Valla, ſeu quis alius vellem abſtinuiſſet ab hoc loco manum.

Cap. III. Quod ſæpe, inquit, optaſtis Campani, vt ſupplicij ſumendi vobis ex improbo ac deteſtabili Senatu poteſtas eſſet.] Videtur librarius, inquit idem vir doctus, vetus ſcribere voluiſſe: *ex improbo ac inteſtabili ſenatu.* ſed mutauit: nota eſt formula, *Improbus inteſtabiliſque eſto.*

Eod. Video quæ ſententia de hoc ſit data, eiicitur pro malo atque improbo. bonum ſenatorem & iuſtum eligite.] Sigonius mahe legere, quæ ſententia de hoc ſit lata. Lipſius vero ait in ſuo Ms. extare, *bonum ſenatorem & iuſtum ſubſtituite.* quorum vtrumuis vt ferri poteſt, ita nihil mutandum cenſeo de vulgata lectione & ipſa tolerabili.

Cap. IV. Secundum eum in lite iudicem dare, qui magis popularis aptiorque in vulgus fauori conciliando eſſet.] Vetus codex: *ſecundum ea militem indices dare, qui.* Vnde facit amicus noſter, *ſecundum eam litem iudices dare qui.* Dare enim litem ſecundum aliquem, merum Latium. Iudices igitur, inquit, cauſam illi plerumque addicebant, qui aptiſſimus ad conciliādum vulgus. Editio Moguntinenſis antiqua tamen habet expreſſim: *ſecundū eam in lite iudicem dare.* vt de plebe hoc accipiatur cui iudex datus ſit à Senatorib. ex animi ſui ſentētia.

Eod. Vt cuius aliqua erat verecundia, Romanum quoque imperium ſpernerent.] Superbia Campana etiam prouerbio innotuit doctiſſimus Poëta Auſonius de claris vrbibus:

Mox vt in occaſum vitiis communibus acti
Corruerunt Pœni luxu. Campania faſtu. Sic enim me iudice eleganter hos verſus interpolat in lectiſſimis ſuis Electis noſter Lipſius.

Cap. VI Itaque non iuuentis nos in bello oportet Campani, ſed cum Pœnis bellū pro nobis ſuſcipiatis.] Noſtra Moguntinenſis editio vetus: *ſed cum Pœno bellum pro nobis ſuſcipiatis.* vetus Lipſi codex: *ſed pœne bellum ſuſcipiatis*: quorum vt neutrum ſpreuerim, ita vulgatam lectionem recta & prob. cum ſit, reiiciendam & expungendam non putaui.

Eod. Pulchrum erit, Campani, prolapſum clade Romanum imperium veſtra fide, veſtris viribus retentum ac recuperatum eſſe. Triginta millia peditum quatuor equitum arbitror ex Campania vos ſcripſiſſe: iam pecuniæ affatim eſſe frumentiq;, qui ſi parem fortunæ veſtræ fidem habetis, &c.] Ego vero iſta nec Liuium ſcripſiſſe puto, ait Lipſius, nec Varronem dixiſſe, Falſa enim, nec Campani tunc vllum militem conſcriptum habebant, niſi qui in Romanis caſtris fuiſſent, nedum vt XXX. millia. Quod quiſpiam ad vetuſta tempora referat: nihil eſt. Liber manuſſ. leuiter diſſentit. ſed ex quo veritas erui poſſit: *arbitror ex Campania ſcripſiſſe*; omittitque illud, *vos*, & ſtatim *affatim eſt*, emendo, *arbitror ex Campania ſcribi poſſe.* Poſtremas voces procliue fuit confundere in vnā. & deinde: *Iam pecunia affatim eſt.* Omnia certe hæc ad præſentem fortunam Campanorum referenda ſunt: aut Varro nugas tota cohortatione ſua egerit.

Cap. VII. Aut, ſi malum facinus, quod à vetuſtiſſimis ſociis conſanguineiſque defeciſſent, forti ac memorabili facinore purgare vellent, vt interfecto Punico præſidio Romanis ſe reſtituerent.] Silius:

Et Decius nunc hora viri, nunc tempus adeſte
Dum Capua dignum, dum me duce dextera vindex
Molitur facinus, procumbat barbara pubes,
Pro ſe quiſque alacres rapite hoc decus, hoſtis adire
Si parat, obſtructas præbete cadauere portas,
Et ferro purgate nefas, hic denique ſolas
Eluerit ſanguis maculatas crimine mentes.

Eod. Marius concione aduocata edicit vt frequentes cum coniugibus ac liberis irent obuiam Annibali. Ab aduerſis id non obedienter modo, ſed enixe factum.] Qui ſunt tandem illi aduerſi? auctores monendi in fœdere & amicitia Romana? minime vero. vt ex ſequentibus de Decio Magio cum clientela ſua intelligere eſt. corrupta itaque haud dubie lectio eſt, reponendumque tam ex editione noſtra Moguntina quam Ms. Lipſiano: *ab vniuerſis id non obedienter modo, ſed enixe factum.*

Eod. Decius Magius nec obuiam egreſſus eſt, nec quo timorem aliquem ex cōſcientia ſignificare poſſet, priuatim ſe

teouit,

tenoit.in foro eum filio clientibuſque ocioſe inambulauit.] Silius:

Nec non & Decio propiora pericula mentem
Flammarant, tempuſque adeo cernebat adeſſe,
Quo laudes ducis inuicti ſuperaret inermis.
Non illum fuga non clauſi occuluere penates,
Sed liber veluti nullus penetraſſet in vrbem
Annibal, intrepido ſeruauerat ocia vultu.

Cap. VIII. Cœperunt epulari de die, & conuiuium oon ex more Punico, aut militari diſciplina eſſe: ſed vt in ciuitate atque etiam in domo diu ad varias omnium voluptatum illecebras inſtructum.] Hæreot interpretes. Sigonius emendat, *domo diuite.* pace eius liceat. alia eſt ſententia Liu. poſtremam vocem mutandũ erat, leg. que, *inſtructa.* Nam hoc dixit: coouiuium fuiſſe quale veriſimile eſt in ciuitate, atq; etiam diuitis hoſpitis domo facta & lõgo vſu docta ad voluptates. Ceterum quod paulo ante legitur: *precantibuſque inde primorib. Campanorum, ne quid eo die ſere gereret, diemque vt ipſe aduentu ſuo feſtum letus ac libens celebraret:* ibi habet vetus Lipſij codex: *ne quid eo die ferre gereret.* vnde placebat, inquit, *ne quid eo die ferale gereret.* agebatur enim de Magio damnando, nunc pro plus verum puto: *ne quid eo die feriæ rei gereret.*

Eod. Vnus nec dominorum inuitatione, nec ipſins interdum Annibalis, Calauij filius Parolla vinci potuit, ipſique valetudinem excuſans patri.] Totum hunc locum eleganter ſic Silius extulit:

Iuterea Tyrio reſoluta in gaudia cœtu
Conuerſo (neque enim iuuenis non digne ſileri
Tranſmittam tua cœpta libens, famamque negabo
Quamquam imperfectis, magna tamen indolis auſis)
Mens vna inuiolata mero, nulliſque venenis
Potando exarmata decus, pugnaque neciſque
Sidoniæ tacito voluebat pectore molem.
Quoque eſſet miranda magis tum ſacra libido,
Pactulo genitus patrias damnauerat artes.
Is variis oneratum epulis, atque atria ſardo
Linquentem greſſu comitatus pone parentem,
Poſtquam poſſe datum meditata aperire, nouoſque
Pandere conatus, & liber parte relicta
Tectorum à tergo patuit locus, Accipe digna
Et Capua, & nobis, inquit, conſulta (togaque
Armatum amato undat latus) hoc ego bellum
Conficere enſe paro, atque auulſum ferre tonanti
Rectoris Libyci victor caput, hic erit ille
Qui poluta dolis iam fœdera ſanciet enſis.
Si perferre nequit ſpectacula tanta ſenectus,
Et tremit inceptis laſſo maioribus æuo,
Et tu ſecuris concede penatibus, & me
Linque meæ menti, ſummum tu credis & æquat
Annibalem ſuperis, ò quantum nomine maior
Iam Pœno tibi natus erit, vibrabat ab ore
Ignis atrox, animuſque viri iam bella gerebat.
Cum ſenior tanti pondus cenanimis ægra
Iam dum vix aure ferens, tremebundus ibidem
Sternitur, et pedibus crebro pauida oſcula figens,
Per ſi quid ſupereſt vitæ, per iura parentis,
Perque tuam noſtra potiorem nate ſalutem
Abſiſte inceptis oro, ne ſanguine cernam
Polluta hoſpitia, ac tabo repleta cruento
Pocula, et euerſas pugna certamine menſas.
Tu ne illum quem non acies, neque mœnia et vrbes
Ferre valent, cùm frons propior lumenque coruſco
Igne micat, tunc illa viri qua vertice fundit
Fulmina pertuleris? ſi viſo intorſerit enſe
Diram, qua vertit per campos agmina vocem?
Falli te menſas inter quod credis inermem.
Tot bellis quæſita viro, tot cædibus armat
Maieſtas æterna ducem, ſi admoueris ora
Cannas et Trebiam ante oculos, Traſimenaque buſta
Et Pauli ſtare ingentem miraberis vmbram.
Quid tanto in caſu, comitum iuxtaque iacentum
Torpebunt dextræ? parce oro, & deſine velle
Cui nequeas victor ſupereſſe: an triſtia vincla
Et Decias non erudiunt componere mentem?
Talia commemorans ſama maioris amore
Flagrantem vt vidit iuuenem, ſurdumque timori,
Nil vltra poſco, refer in conuiuia greſſum
Approperemus ait, non iam tibi pectora pubis
Sidoniæ ſolienda manu tutantia regem.
Hoc iugulo dextram explora, namque hoc tibi ferrum
(Si Pœnum inuaſiſſe paras) per viſcera lenta
Noſtra eſt ducendum, tardam ne ſperne ſenectam,
Opponam membra, atque enſem extorquere negatum
Morte mea eripiam, lachryma tunc ore profuſa
Et magna ſuperum cura ſeruatus in arma,
Scipiada Pœnus. nec tantum fata dederunt
Externa peragi dextra, pulcherrimus ira,
Et dignus fieri compos memorabilis auſi.
Amiſit quantam poſito conamine laudem,
Cui tantum eſt voluiſſe decus, tum reddere ſeſe
Feſtinant epulis, & triſtia fronte ſerenant,
Donec læta virum ſoluit conuiuia ſomnus.

Cap. IX. Per ego te, filij, quæcumque iura liberos parentibus iungunt, precor quæſoque, ne ante oculos patris, facere & pati omnia infanda velis.] Virg.

—Per euerſa genitor fumantia Troiæ
Excidia obteſtor.

taleſque ſuot illæ precandi & obteſtandi formulæ Ouidij,

Per patria Numen, quæ te tibi carior ipſo eſt,
Per nuſquam ſurdos in tua vota deos.
Perque tori ſocium, quæ par ſibi ſola reperta eſt,
Perque tibi ſimilem virtutis imagine natum.
Moribus adgnoſci qui tuus eſſe poteſt.
Perque tuos vel auo dignos, vel patre, nepotes.

Sed li. 4. eiuſdem argumenti Eleg. 12. Titicanum per ſuperos deprecatur. Virg. in Ceiri:

—te per mea alumna tuamque
Expertum multis miſere mihi rebus amorem,
Per te ſacra precor, per lumina Ilithyæ:
Nec tantum in facinus tam nulla mente ſequaris.

Cap. X. Comprehendique Decium Magium, atque ante pedes ſtatutum cauſam dicere iuſſit.] Libri omnes, inquit noſter Iuſtus, *ante pedis deſtitutum.* nec cauſa erat mutãdi. Amant hoc verbum in illa re veteres: Gracchus, *Palus in foro deſtitutus eſt, veſtimenta detracta ſunt.* vbi item alij *defixus*, maluerunt: Poëta vetus, *Iſta me deſtituit nudum.* Liuius ipſe lib. 2. de Mutio Scæuola, *Ante tribunal regis deſtitutus tum quoque inter fortunæ minas.*

Eod. Nauem Cyrenas detulit tempeſtas, quæ tum io ditione regum erant, ibi cum Magius ad ſtatuam Ptolemæi regis confugiſſe, &c.] Suſpicor & hic defectum eſſe, ſcripſiſſeque Liuium *in ditione regum Aegypti erant.* Omnino puto Liuium hoc monere voluiſſe, & debuiſſe, quia eius ætate mutata res erat. Olim enim ſub Ægypti regibus Cyrenaica erat, Strabone teſte, lib. 17. Poſtea Romani eam Africæ adiunxerunt, vt apparet ex Plinio. Ideo ait, *quæ tum in ditione,* &c. id eſt, illa ætate aliter atque nunc. Statim de Q. Fabio legato à Delphis:

Cap. XI. Tum dixit de oraculo egreſſum extemplo his omnibus diuis rem diuinam thure ac vino feciſſe, iuſſumque ab antiſtite ſicut coronatus laurea corona, & oraculum ingreſſus erat, & rem diuinam feciſſet, ita coronatum nauim aſcendere, nec ante deponere eam quam Romam perueniſſet.] Non dicam Liuius ſed Q. Fabius certe ignorauit ſolennem morem Græcorum. Nam quod ille vt nouum & mirum recenſet, iuſſum ſe ab antiſtite vt coronatus domum rediret: id quidem ſeruare omnes vulgo debebant qui ad oraculum acceſſerant. Eſt in Scholiaſte Euripidis locus valde huic Liuiano illuſtrando, in Hippolyto: Ἔθος γὰρ εἶχον οἱ ἀρχαῖοι τῷ τε ὅτι ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ μέχρι τοῦ οἴκου ἐστεφανωμένοι αὐτοῖς. Nec hoc tantum ita ſe habet in conſulentibus oracula, ſed in omnibus rem porro etiam diuinam facientibus ſine cuius moris notione legas citra intelligentiam Arriani iſta de Epicteti ſermonibus lib. 1. cap. 19. σπουδάζει τις ὑπὲρ ἱερωσύνης τοῦ Αὐγούστου. λέγω αὐτῷ, ἄνθρωπε ἄφες τὸ πρᾶγμα. δαπανήσεις πολλὰ εἰς οὐδέν, ἀλλ' οἱ τὰς πράσεις, φησί, γράφοντες, γράψουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα, μήτι οὖν σὺ τοῖς ἀναγινώσκουσι λέγεις παρὼν ἐμὲ γεγράφασιν, εἰ δὲ καὶ νῦν δύνασαι παρεῖναι πᾶσιν ἂν ἀποθάνῃς τί ποιήσεις, μενεῖ μου τὸ ὄνομα. γράψον αὐτὸ εἰς λίθον, καὶ μενεῖ, ἄγε ἔξω δὲ Νικο-

πιλιον τῇ ευμανία, ἀλλὰ χρυσοῦν στέφανον φορέσω. εἰ ἅπαξ ὅλως ἐπιθυμεῖς στεφάνου, ῥόδινον λαβὼν περίθου. ἔστι γὰρ κομψότερον. Lepidus & an Philoſophum dialogiſmus: *Hodie,* inquit, *locutus mecum quidā ſuper ſacerdotio Auguſti: Dico ei, Mi homo mitterem, ſumptum multū facies fruſtra. At ſcriba publici,* inquit, (corrupta hac parte Gręca) *nomen meum adnotabunt. Num ta igitur legentibus omnibus coram dices, Me inſcripſerunt? & vt nūc poſſis adeſſe omnibus legentibus, mortuus quid facies? Manebit meum nomen. Inſcribe ipſum nomen lapidi & manebit. Age, extra Nicopolim antē qua memoria tui? At coronā auream geſtabo* (qua ſcilicet ornati ſacerdotes dum faciunt, ex Liuio, Plutarcho, alijs) *ſi prorſum appetis coronam roſeam induius circumi. Aſpecta enim in iucundius.* Porro vt hoc quoque admoneam in Moguntinenſi veteri editione eſt non *oraculā ingreſſus erat*, ſed *oraculā adiſſet.* quod perinde & fortaſſe etiam melius huic loco conuenit.

Eod. Pro his tātis totque victoriis verum ſacrum diis immortalibus agi haberique.] Hic Sigonius, Veteres, inquit, libri non habent vocem *verum*, & pro *tantis totque* habent *tot tantiſque*. Quidam libri olim habebant *rerum*, non *verā*. Itaque in ſuſpicionem venio, ne quoniam huic ſententiæ, ſubaudiendum eſt verbum *petere*, pro *rerum* voce perſpicue deprauata, *petere* ſit ſubſtituendum. Quod tamen non adfirmo. & recte quidem tu Sigoni, quod non adfirmas quæ probare nulli ſano poſſis; recte etiam Glareanus qui ad hunc locum ſic ſcribit: Hoc *verum* quidam haud temere amouerunt mea quidem opinione. quidam mutarunt in *verum*. quamquam præterea ſenſus videtur deſiderare verbum *petis* vel ſimile quid. bene, inquam, factum à vobis quod temere nihil mutandum ſtatuiſtis eo loco vbi vobis non lucebat, & meræ erant tenebræ, quarū nubē ita diſcutio, vt dicam nihil mutandum & veram germanāque Liuij ſcripturam eſſe; *pro his tot tātiſque victoriis verum ſacrum diis immortalibus agi haberique.* poſitum enim eſt hic *verum* pro *æquum*, vt dixit Horatius.

Eod. *Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.* & Cicero pro Mur. *Cato negat verum eſſe beneuolentiam allici cibo*, hoc eſt, negat iuſtum, æquum, bonum eſſe. quin ne Iureconſulti quidem hoc loquendi genere ſeſe abſtinuere. vide L. omnes de integr. reſtitut. l. ſi cui legetur. §. Iulianus. de legat. 1. Inſtit. ex quibus cauſ. manum. non licet. §. Semel.

Cap. XII. Secundum hæc dicta Magonis lætis omnibus, Himilco vir factionis Barchinæ locum Hannonis increpandi eſſe ratus; Quid eſt Hanno? inquit, etiam nunc te pœnitet belli ſuſcepti aduerſus Romanos? iube dedi Annibalem.] Silius increpitum ab ipſo Magone Hannonem refert, non ab Himilcone, ſed totum locū eius vulgo contaminatiſſimum, adſcribere lubet vt in optimo membranaceo codice legitur in hæc verba:

Atque ea dum memorat, torto conuerſus in ora
Hannonis vultu, quem gliſcens gloria prauum
Ductoris ſtudio iam dudum agitabat acerbo.
Iamque tibi dextras, inceptaque noſtra probamus,
Iam fas Dardanio me non ſeruire colono.
Anne iterum Annibalem dedi placet? antra veneno
Inuidia, nigroque vndantia pectora felle
Tandem tot titulis, totque exornata tropheis
Infelix muta, dextra hæc, en dextera, quam tu
Æneadis Lacerare dabas, & littora, & amnes
Et ſtagna, & latos impleuit ſanguine campos.
Hæc Mago, atque animos fauor haud obſcurus habebat.
Cui ſimul inuidia, atque ira ſtimulantibus Hanno,
Talia veſani inuenis conuicia miror
Haud equidem, tumet ingenio, fraternaque corda
Non tardè agnoſcas, & virus futile linguæ.
Qui ne mutatam variis obſiſtere credas,
Nunc pacem orandam, nunc improba fœdere rupto
Arma reponenda, & bellum exitiale cauendum
Auctor ego, atque adeo voſmet perpendite quæſo
Quid ferat, haud aliud nobis cenſere relictum eſt.
Tela viros, aurum, claſſis alimenta precatur,
Belligeramque feram, victus non plura dediſſem.
Sanguine Dardanio Rutulos ſatur animus agros,
Et iacet in campis Latium, deponere curas
Tandem ergo bene da victor, liceatque fœdere
In patria, liceat non exhaurire rapacis
Imperiis bellis vacuatos ſæpe penates.
Nunc en, nunc inquam (falſa vt præſagia noſtra
Sint oro, menſque augurio ludatur inani)
Haud procul eſt funeſta dies, atrocia noui
Corda, ac proſpicio natas è cladibus iras.
Vos ego, vos metuo Cannæ, ſubmittite ſigna,
Atque adeo tentate, agedum, & depoſcite pacem.
Non dabitur, parat ille dolor (mihi credite) maius
Exitium accepto, citiaſque hæc fœdera victor
Quam victus dabit, atque adeo qui tanta ſuperbo
Facta ſonat ore, & ſpumanti turbine perflat
Ignorantum aures, dic en germanus in armis
Ille tuus par Gradiuo, per ſæcula tellus
Cui ſimilem nunquam ductorem in bella creauit,
Mœnia Romulea cur nondum viderit vrbis?
Scilicet à gremio matrum rapiamus in hoſtem
Nondum portandis habiles grauioribus armis.
Æratas iuſſu texamus mille carinas,
Atque omnis Libya quæratur belua terris,
Vt longa imperia, atque armatus proroget annos
Annibal, & regnum trahat vſque in tempora fati.
Vos vero (neque enim occulto circumdamur aſtu)
Ne dulcis ſpoliate domos, caſtriſque potentum
Atque opibus ſancite modum, pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem
Et ciues æquare potens, reuocetur in arces
Tandem Sidonias, & fama fugetur ad vrbe
Perfidia Phœniſſa tua, ſi tanta libido
Armorum tenet; atque enſes non reddere præſtat
Poſcenti patriæ, nil ſuppeditare furori
Horror, & hæc fratri Magonem dicta referre
Plura adnectentem (neque enim ſatiauerat iras
Dicendo) clamor turbat diuerſa volentum.

Eod. Latoque, vt ſolet, ad populum, vt equum aſcendere liceret, præter duas vrbanas legiones, quæ principio anni à conſulibus conſcriptæ fuerant, & ſeruorum delectum, cohorteſque ex agro Piceno & Gallico collectas, ad vltimum prope deſperatæ reipubl. auxilium, cum honeſta vtilibus cedunt, deſcēdit equo, dixitque: Qui capitalem fraudem auſi, quique pecuniæ iudicati, &c.] Quid illud, ait Lipſius, *deſcendit equo?* An in vrbe Dictator equum aſcendebat? & vt id fuerit, an ex equo edicere non potuit? campæ & flocci. Scribo, & diſt. *ad vltimum prope deſperatæ reipub. auxilium cum honeſta vtilibus cedunt, deſcendit edixitque.* Scriptum fortaſſe fuit *ecdexitque*. At homines acutos mouit, quod antea legerant latum fuiſſe vt equum aſcendere liceret. Itaque facete iterum equo detrahunt, propter illud *deſcendit*. quod Liuius ita dixit, vt vulgo *ad extrema deſcendere*. Porro quod ait, *cum honeſta vtilibus cedunt*: de huius rei indignitate queritur ſerio Val. Max. lib. 7. c. 6. vbi ita ait: *Abominanda quoque neceſſitatis amariſſimæ leges, & truculentiſſima imperia, tam vrbem noſtram, tam etiam exteras gentes multa non intellecta tantum, ſed etiam auditu grauia, perpeti coegerunt. Nam aliquot aduerſis prœliis ſecundo Punico bello exhauſta militari iuuentute Romana, ſenatus auctore Ti. Graccho cōſule deſign. cenſuit; vti publice ſerui aduerſus propulſandorum hoſtium impetum emerentur. Eaque de re per tribunos pleb. ad populum lata rogatione tres creati ſunt viri, qui quatuor et viginti millia ſeruorum cōparauerunt: adactoſque iureiurando ſtrenuam ſe fortemque operā daturos, quoad Pœni eſſent in Italia, datis armis in caſtra miſerunt. Ex Apulia quoq; & Fidiculis ſeptuaginta atque ducenti ad ſupplementum equitatus ſunt empti. Quanta violentia eſt caſus acerbi! Quæ ciuitas ad id tēporis ingenua quoque originis capite cenſos habere milites faſtidierat, eadē cellis ſeruilib. extracta corpora, & à paſtoralib. caſis collecta mancipia, velut præcipuū firmamētum, exercitui ſuo adiecit. Cedit ergo interdū generoſus ſpiritus vtilitati, & fortunæ viribus ſuccūbit: vbi niſi tutiora elegerit conſilia ſpecioſa ſequēti cōcidēdendū eſt. Cannēſis autē clades adeo vrbē noſtrā vehemēter cōfudit, vt M. Iunij opera dictatura rēp. adminiſtrātis ſpolia hoſtiū affixa templis, deorum numini cōſecrata inſtrumēto militiæ futura cōuellerētur ac prætextati pueri arma induerēt: addictorū etiā, et capitali crimine dānatorum ſex millia cōſcriberētur. Quæ ſi per ſe aſpiciātur, aliquid ruboris habēt ſic autem admotis neceſſitatis viribus ponderētur, ſæuitiæ tēporis cōuenientia præſidia videbūtur.*

Eod. Senatus ac maxime primores eius in ſocietate Rom.

cum fide perſtare: plebs nouarum, vt ſolet rerum auida atq; Annibalis tota eſſe.] Heu prauitatem correctorum! Liuius ſcripſerat: *plebs nouarum, vt ſolet, rerum, atque Annibalis tota eſſe.* & teſtificor ita eſſe in libro qui penes me, at illi boni addiderunt *auida*, ſcilicet ignoraſſe eos id genus dicendi Græcanicum, quo Liuius vtitur alias. lib. 6. *Plebs cum iam vnius hominis eſſet* lib. 11. *hominum nouarum cauſarum toti erant.* Deprauauerunt ſimilem locum lib. 21. Lipſius: à quo ſequentia proxime quoque ſunt.

Cap. XVII. Annibal Acerris direptis atque incenſis cum à Caſilino Dictatorem Romanum legioneſque nuncij accipi nunciaſſent: ne quis tam propinquis hoſtium caſtris Capuam quoque recurrat, exercitũ ad Caſilinum ducit.] Confuſa hiſtoria, non apta verba. Primum, quid eſt, dictatorem accipi à Caſilino? quis ſic loquitur? dixiſſet à Caſilienſibus, ferremus, vt omittam acceptum numquam eſſe. Theani caſtra habuit, ibique hibernauit, Liuio ipſo inferius narrante. Deinde quod illum tantum periculum, ſi quis Capuam recurrat, ciuitatem Annibali ſociam & amicam? Liuius iſta nõ ſcripſit: vetus lectio *legioneſque minus accipi.* Valla voluit *legioneſque non ita acciri.* Puto melius, *legioneſque minus aſpici.* leuiſſima mutatione, illa ſequentia *Capuam quoque recurrat* meus liber effert: *Capua quoque recurrerant.* Lego, *ne quid tam propinquis h. e. Capua quoque occurreret.* Dicit Annibal audito Dictatorem vicinum eſſe, & à Caſilino tantum non aſpici ſigna legionum: metuens ne quid & Capuæ accideret exercitum propius Caſilinum mouit.

Cap. XXI. L. Furium prætorem cum claſſe ex Africa Lilybæum veniſſe. ipſum grauiter ſaucium in diſcrimine vltimo vitæ eſſe.] Vetus editio Moguntina & Lipſij codex *ipſum grauiter ictu ſaucium.* vnde faciebat illud delitiũ Muſarum pariter & Charitum: *ipſum grauiter relictum ſaucium.*

Cap. XXIII. Tum legit qui Ædiles, Tribuni, Prætores Quæſtoreſue fuerant, tum ex iis qui ſpolia ex Ro. hoſte fixa domi haberent.] Cum iam ante de curuli magiſtratu egerit, non infeliciter reſtituit *prætorum* voce delata Paulus Manutius *Aediles, Tribuni plebis Quæſtoreſue*: hancque eius emendationem approbant Sigonius & Lipſius; quorum hic eam correctionem diſertim in ſcripto ſuo codice extare dicit, ne quis vltra ambigat aut de veritate eius addubitet.

Cap. XXXIII. Ad Laciniæ Iunonis templum in terrã egreſſi ſunt.] abeſt, inquit Lipſius, à veteri cod. *templum.* rectiſſime, ſicut poſt: *eodem ad Iunonis Laciniæ templum, vbi nauis occulta in ſtatione erat, perueniunt.* iterum omiſſa eadem vox.

Cap. XXXIV. Tum comitibus eorum ſeductis metuque territis, literæ quoque ab Annibale ad Philippum inuentæ de pace inter regem Macedonum, Pœnumque ducem.] Quis neget verius in meo eſſe? ait Lipſius, *literæ quoque ab Annibale ad Philippum inuenta, & pacta inter regem Macedonum,* &c. Quo enim de pace compoſitio, vbi bellum numquam fuerat. Pacta erant, & nouum fœdus.

Cap. XXXV. Nec procul inde in occulto Marius Alfius qui ſummus magiſtratus erat Campanis, cum XIIII. millibus militum habebat caſtra. Ms. Liuius Iuſti Lipſij: *Marius Alfius ediuit vti qui ſummus magiſtratus.* quibus duabus vocibus iũctis ſcribit ille: *Marius Alfius medixtutichus*: quam vocẽ vbique etiam in Liuio reponendam cenſet, vbi nunc *mediaſtuticus* legitur. idemque ambigit an iſta: *qui ſummus magiſtratus erat Campanis*, Gloſſema ſint; perinde ac lib. 26. vbi legitur *medixtutichus, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, Seppius Leſius erat.* iſta: *qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt.*

Eod. Triduum ſacrificaturum ad Hamas. Nocturnum erat ſacrum, ita vt ante mediam noctem compleretur. Gracchus Caſtra Campana, vt in peruigilio neglecta ſimul omnibus portis inuadit.] Cui Deo cui deæ peruigilarum hic fuerit in incerto eſt, quemadmodũ & apud Suetoniũ Caligula, vbi legas: *nec alia de cauſa videtur eo die quo periit, peruigiliũ induxiſſe, quam vt initium in ſcenam prodeundi licẽtia tẽporis auſpicaretur.* & Vitellio, de quo ait: *In Apennini quidem iugis etiã peruigiliũ egit.* Ceterum Fortunæ peruigiliũ habes apud eũdem Suetonium in Galba, vbi: *Fortunæ,* inquit, *ſimulacrũ in parte ædium conſecratũ menſtruis deinceps ſupplicationib. & peruigilio anniuerſario coluit.* Cereris apud Tacitum qui ait: *Lectiſternia & peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti erant.* Ad *Veneris peruigilium* pertinent Plautina iſta ex Curculione:

Quid? tu Veneri peruigilare te voniſti Phædrome?
Nam hoc quidem haud multo poſt luce lucebit.

Quod item tres noctes perpetes celebratum arguunt elegantiſſimi illi verſus ex opuſculo cui titulus ex *Peruigilium Veneris.* quod nuper nobis elegantiſſimi Galli miſerunt, emendauit noſter Lipſius:

Ipſa velles vt venires, ſi deceret virginem,
Iam tribus choros videres feriatos noctibus.

Cap. XXXVI. Annibal ratus ab re bene geſta inſolenter lætum exercitum tyronum magna ex parte ſeruorumque ſpoliantem victos prædaſque agentẽ ad Hamas ſe inuenturum, citatum agmẽ præter Capuam rapit, obuioſq; ex fuga Campanorum per duo præſidia Capuam duci, ſaucios vehiculo portariq; iubet.] Quæ hæc duo præſidia non facile dixerint. mendi ſuſpicionem facit vetus liber, qui illud, *per,* nullus habet. Ita legerim, *obuioſque ex fuga Campanorum, dato præſidio, Capuam duci,* hoc tantum *duo,* ſcribens *dato.* Lipſius.

Cap. XLII. Numidarum paucorum illi quidẽ præda erunt; præſidiumque miſſum nobis erit, & Nolæ ademeris.] Negat Sigonius, ait amicus noſter, elici idoneum ſenſum ex iſtis, *& Nolæ ademeris.* cumque abſit à veteribus libris τὸ *erit,* legendum cenſet; *et Nolam ademerit.* Certe abeſt & à meo illa vox: ſed propius à ſcriptura abiens lego, *& Nolæ idem erit.* hoc ſenſu: Præſidium quod mittes idem erit & nobis propugnandis, & Nolanis premendis.

Cap. XLVI. Hoſtium plus mille cæſi eo die, capti mille oc. & ſigna militaria vndeuiginti, & duo elephanti, quatuor in acie occiſi: Romanorum minus mille interfecti. Poſterum diem, induciis datis, ſepeliendo vtrimque cæſos in acie conſumpſerunt.] Liber Ms. Lipſij: *Poſterum diem, induciis tacitis, ſepeliendo vtrimque.* egregie. ſic enim Liuius ſæpius loquitur vt lib. 11. *Interceſſere pauci dies velut tacitis induciis vtrimque quiete ſumpta.* & alibi: *Tacitæ induciæ quietum annum tenuere.* & de hoc quidem ita ſe habet res. ceterum turbat mire hic editio noſtra vetus Moguntina, in qua expreſſio eſt: *Hoſtiũ plus mille cæſi eo die, capti mille* oc. *et ſigna militaria viginti duo; elephanti quatuor in acie occiſi: Romanorum minus mille interfecti. Poſterum diem induciis datis, ſepeliendo vterque ſuos cæſos in acie cõſumpſerũt.* Sigoni⁹ vero ex vitioſa veteris libri ſcriptura eliciebat. *Hoſtiũ plus vel cæſi eo die, vel viui capti quinq; millia,* quod hũc numerũ Plutarchus in Marcello edat. ipſum adi.

Cap. XLVII. Hunc Taurea cum diu perluſtrans oculis obequitaſſet hoſtium turmis, tandem facto ſilentio, vbi eſſet, Claudius Aſellus quæſiuit. & quoniam verbis ſecum de virtute ambigere ſolitus eſſet, cur non ferro decerneret?] ſingulare certamen Iubellij Taureæ Campani & Claudij Aſelli Romani elegãter deſcribit noſter Silius ad verbũ fere Liuium ſecutus, niſi quod, vt omnia paſſim, locus ille valdo vulgo mendoſus eſt apud eum poëtam, quem hic à me, imo à membranis meis ita emendes licebit.

Dum pauitant, ſpumantis equi fera corda fatigans
Euehitur porta ſublimis Taurea criſtis
Bellator, cui Sidonius ſuperare lacerto
Ductor, & Autololas dedit. & Mauruſia tela.
Is trepido alituum tinnitu ſtare neganti
Imperitans violenter equo, poſtquam auribus hoſtis
Vicinum ſeſe videt, ac clamore propinquo
Claudius, huic inquit (præſtabat Claudius arte
Bellandi, & merita mille inter prœlia fama)
Huic inquit ſolum, ſi qua eſt fiducia dextra,
Det ſeſe campo, atque ineat certamina mecum.
Vna mora Æneada, poſtquam vox attigit aures;
Dum daret auſpicium, vſque in certamina ductor.
Præuetitum capiti pœna committere Martem
Sponte viris, erumpit ouans, vt Fulnius arma
Imperio ſoluit, paululumque inuectus in æquor
Erigit vndantem glomerato puluere nubem.
Indignatus opem amenti ſocioque iuuare
Expulſum nodo iaculum, atque arceſſere vires,
Taurea vibrabat nudis conatibus haſtam,
Inde ruens ira telum contorquet in auras.
At non idem animus Rutulo ſpectatur, & omni
Corpore perluſtrat qua ſit certiſſima ferro

In vulnus via, nunc vibrat, nunc comprimit haſtam
Mentiturq; minas, mediam nunc tranſigit ictu
Parmam, ſed grato fraudatu eſt ſanguine cuſpis.
Tum ſtrictum propere vagina detegit enſem.
Et iam ferratu rupiebat calce volantem
Taurea cornipedem, fugiens minituntia fata.
Nec Rutulus lenior cedentis perdere terga,
Nam profugo rapidus fuſis inſtabat habenis.
Vtque metus victum, ſic ira & gloria portus
Victorem immiſit, meritique cupido cruoris.
Ac dum vix oculis, vix credunt mentibus hoſtem
Confiſum, nullo comitante irrumpere tectis,
Per mediam propere trepidantum interritus vrbem
Egit equum, aduerſaque euaſit ad agmina porta.

IN T. LIVII LIBRVM XXIIII. NOTÆ.

CAP. v. Index vnus ex coniuratis Theodorum à quo ipſe appellatus erat nominare potuit.] verum eſt, *Index vnum ex coniuratis.* quo pacto etiam habet & Moguntina noſtra editio, & Lipſij membranæ.

Eod. Sed cum in hoc bello cum hoſte, numquam ab vllo duce ſine ingeoti noſtra clade erratum ſit.] eædem Lipſij membranæ: *cum in hoc bello cum hoſte.* noſtra vero Moguntina editio: *Sed cum in hoc bello, cum hoc hoſte, numquam ab vllo duce ſine ingenti veſtra clade erratum ſit.* quorũ vtrumuis vulgatæ lectioni anteferam, niſi quod etiam iſtud malim.

Cap. 2. Quin Romę quoque in ipſa vrbe ſecũdum apum examen in foro viſum, quod mirabile eſt, quia rarum affirmantes quidam legiones ſe armatas in Ianiculo videre, concitauerũt ciuitatem ad arma. qui cum in Ianiculum iuiſſent, negarunt quemquam ibi præter aſuetos collis eius cultores apparuiſſe.] Si quis alius, fœdatus locus. Primum qui eſt, *ſecundum apum examen?* an proſperum, an ſecundo viſum: Logi. ego arbitror abeſſe loci nomen, & ſtellam ponendã, donec inueniunt libri, ſic. *in ipſa vrbe ſecundum * apum examẽ.* Scripſit enim *ſecundum Curiam, Roſtra,* aut quid tale. Iam quam apte illa iuncta videntur, *quod mirabile eſt quia rarum affirmãtes?* At tu crede meæ fidei, quinque illa verba purum putum gloſſema eſſe: & cum Liuius inter prodigia recenſuiſſet examen apum in foro, neſcio quis Siculus Momat ad oram adnotauit, *Quod mirabile eſt quia rarum.* Lege igitur, *in foro viſum. Affirmantes quidam,* &c. Illa etiam, *qui cum in Ianiculum iuiſſent,* corrupta ſunt, ex fide mei libri ſcribenda, *qui tum in Ianiculo eſſent,* Lipſius.

Cap. xxi. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, tanto ardore militum eſt vſus, ob iram inter conditiones pacis interfectę ſtationis, vt primo impetu vrbem expugnarit.] Liber manſſ. *ab ira interfectu.* & lib. 26. initio: *Ea tum cura maxime intentos habebat Romanos, non tam ob irã, qua in nullam ciuitatem vnquam inſtior fuit, quam quod vrbs,* &c. Idem codex *non ab ira tantum, qua.* vtrũque optime. Mutatũ imperite fuit, quos dictio ea paulo remotior, offendebat. At exempla plura tamen in Liuio vulgo obuia. Lipſius.

Cap. xxxv. Nequaquam cum tantis copiis ante tenuerat ad Pachynum claſſem: ſed poſtquam ab Hyppocrate occupatæ Syracuſæ erant, profectus Carthaginem, accituſq; ibi. & ab legatis Hippocratis, & literis Annibalis, qui veniſſe tempus aiebant Siciliæ per ſummum decus repetendæ, & ipſe haud vanus præſens monitor. facile perpulerat, vt quãtæ maximę poſſent copię in Siciliam traiicerentur.] Hæc lectio man. feſto *βαρβαρίζει,* ait amicus noſter, quem ſexcenties nominatim iam laudaui, laudaboque. quid enim eſt *accituſque ibi?* Nec Sigonius quidem aut ſententiam aut emendationem vidit. Libri vet. *aditusque ibi.* præſto verũ eſſe, *adituſque ibi.* & à leui emendatione reddita Liuio ſua ſententia eſt. Himilco Carthaginem venerat ad augendas copias. duo eum non leuiter iuuerunt, & legati Hippocratis auxilia petentes retinendis Syracuſis; & literæ Annibalis qui monebat totis viribus incumberent ad Siciliam reciperandam.

Cap. xxxvii. Quod vbi Ænnenſium principes iam pacti cum Himilcone de proditione præſidij animaduerterunt nulli occaſioni fraudis Romanum patere, aperte ac propalam placuerat agendum. Vrbem arcemque ſuæ poteſtatis aiunt eſſe debere, &c.] Ea verba, *aperte ac propalam,* abſunt à men libro, nec Vallæ ætate in Liuio legebantur, & hercle inculcata ſunt explendæ ſententię. At ſcire debebant mendam in voce, *placuerat,* hærere. leg. q; *Ro. patere, palam erat agendum.* quas duas voces ſcilicet coaluiſſe.

Cap. xliv. In Apuliam Fabius pater filio legatus ad Sueſſulam in caſtra venit. cum obuiam filius progrederetur, lictoreſque verecundia maieſtatis eius taciti anteirent, non ſummouentes patrem, præter vndecim faſces equo præfectus ſenex, vt conſul animaduertere proximum lictorẽ iuſſit.] Hunc locum eleganter emendat & explicat noſter Lipſius in Electorum libro priore, vbi diligenter & cum cura exequitur omnia quæ ad lictorum originẽ, conditionem, miniſterium quoquomodo pertinent in hæc verba: Origo, inquit, lictorum à Romulo, exemplum ab Etruſcis: nomen à ligando. Nonius Marcellus, *Lictoris proprietatem à ligãdo dictam vetuſtas putat. ita enim antiquitus carnificis officium fungebatur.* ſcribe alia ſentẽtia, *iſti enim a. &. o. fungebantur.* Nam hoc monitum vult, antiquitus carnifices, Romæ non fuiſſe; & eorum vicem præſtitiſſe lictores, quod verum. teſtimonio priſci carminis, *I lictor, colliga manus.* Cum Nonio ſentit Valgius Rufus & pleraque Grãmmaticorũ pars. tamen miremur, quo flexu à ligando lictor, eſſet enim potius ligator. Sed moneo (vt in re Grammatica paullo tenuius diſſeram:) Ligo, ligere, & ligui, lictũ. fuiſſe antiquis: vt frico, fricui, frictũ: Plico, plicui, plictũ. Vndo hodieque Perfricui & explicui, & ſimilia plura. Inde igitur certiſſime & *ἀναλόγως* Lictor. Non vidit hoc fortaſſe (venia dicto ſit) Tyro Tullius: & ideo per ambages inclinata à Licio, vel à Limo. *Licio enim tranſuerſo* (ait ipſe apud Agellium lib. 12.) *quod limũ appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrãt, cincti erant.* Tyronis verbis & huic cinctui prælucet Iſidorus: *Cimus, ait, eſt cinctus quẽ publici habẽt ſeruitia dictus, quia tranſuerſas habet purpuras, id eſt, limas.* Ita ibi lege, Iterum, *Tranſuerſa omnia antiqui limu dicebant. Hinc & Limus vocabulum accepit, cingulũ quo ſerui publici cingebãtur, obliqua purpura.* Sed & ſcriptores Grãmatici ſiue Finales, Limitẽ in agris deducũt cõſẽſu à Limo, ſiue trãſuerſo. Ab hoc licio in veteri formula ſunt, *Furta per lancẽ et licium.*

Lictores qua conditione fuerint, quæri poteſt: liberi an ſerui? Dico, Liberi. eligebantur enim plerumq; ex ima Quiritium plebe. Liuius lib. 2. *Quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus, & eos ipſos plebis homines: nihil contẽptius, neque infirmius, ſi ſint qui cõtemnunt.* Taciti & ſupra paulo, tẽpore etiam è libertinis, aut libertis. Ea ſententia verborum eius lib. 13. Annalium: *Quippe late fuſum id corpus.* (libertos intelligit) *hinc pleraſque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus, & ſacerdotibus cohortes etiã in vrbe conſcriptas.* Miniſteria magiſtratibus, id eſt. Lictores, Viatores, Accẽſi, Scribæ, Statores, Pręcones, ſed & Tiberius Gracchus Tribunus, viatorẽ ſibi legit è propriis libertis; nouo tunc more & non optimi exempli. Eleganter Plutarchus: *ὁ μὲ Τιβέριος τῶν ἀπελευθέρων τινὰ προσέταξεν ἀπὸ τοῦ βήματος ἑλκύσαι τὸν Ὀκτάβιον. ἐχρῆτο δ' ὑπηρέταις ἀπελευθέροις ἰδίοις.* Bene Plutarchus. Nam alias receptũ non è propriis libertis ſumi, ſed è ſeruis publicis, aut è plebe. Sed & togæ ius lictoribus fuit, ergo liberi, imo etiam ciues. Cicero in Piſonem: *Togula ad portam lictoribus praſto fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula reiecerũt.* Liuij tamen locus eſt, qui videtur adimere ius togas, lib. 3. *Quod autẽ iſtud imperium eſt, decemuiri, quod tenetis? tectis ac parietibus iura dicturi eſtis? Non pudet lictorum veſtrorum maiorum prope numerũ in foro conſpici, quam togatorum aliorumque?* falſo. ſcribendum enim ibi, auctoribus libris *quã togatorũ aliorum.* Ita ille ipſe locus qui adimebat iam addit. Paullatim tamen vt Gracchus è ſuis libertis; ſic alij ſumebant è propriis ſeruis. Nisi id fuiſſet non poſita hęc ab Antonio, Lepido, Octauiano III. viris lex eſſet: *μετὰ δυναστείας μοναρχεῖν, μετὰ δ᾽ ἄλλων ῥαβδουχεῖν.* Notat Dio. lib. 48.

Munera lictorum præcipua tria Submotio: Animaduerſio, Præitio Submotio & ſubmouere, proprium lictoribus verbum. Ideo Summotor aditus, pro ipſo lictore poſitus Liuio lib 45. *Aſſuetis regio imperio, nouum, formam terribilẽ, præbuit tribunal ſummotor aditus, præco, accenſus, inſueta omnia ocu-*

Google

buq;. Fiebat cum ſtrepitu & imperio quodã: cum voce, manu, virga, locum facerẽt ſequenti magiſtratui. Expreſſit ſcite Liuius li. 8. vbi ſubitus in curiam venit Papyrius. *Repente*, inquit, *ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmouentiũ auditur: & ipſe infenſus aderat*. Non ſola, inquam, voce. Diſco ex Seneca, epiſtola 95. *Non eſt quod tibi tranquillitatis tuæ faſtidiũ faciat, ille vel ille ſub illis faſcib. purpura cultus. non eſt quod feliciorem eum iudices, cui ſubmonetur, quam quem lictor ſemita deiicit*. Vbi Vetus, *quã te quẽ l. ſ. d.* Ex Feſto: *Matronæ à magiſtratib. non mouebantur, ne pulſari cõtrectarive viderentur neve grauida côcuterentur*. Pulſari, ait, & contrectari, ſicut Appianus in eadem re, verberare li. 1. bellor. ciuiliũ: τῶν δὲ ῥαβδοφόρων τινὸς ὑπομνήσαντος τι... καί τινα τῶν ἐν ποσὶ παίσαντος, ἔπεσεν ἐκ τοῦ στρατηγοῦ ῥαβδούχων πληγαῖς. Latinus Pacatus in Panegyr. *Tum longe populus arcebatur, nec otioſa viatoris manus plebẽ verbere ſubmouebat, vt eſſet ſecretũ in publico*. Imo adeo virgam ad hũc pulſandi vſum geſtaſſe lictores videntur de qua dicam ſtatim. Inuidioſa igitur & ſuperba hæc ſubmotio cẽſebatur: & illi qui in magiſtratu aſpere ea vſi. Plinius in Panegyrico Troianum laudat, quod lictores habuerit quietos & ſilentes. *Neque enim*, ait, *ſtipatus ſatellitum manu, ſed circumfuſus vndique, nunc ſenatu, nunc equeſtris ordinis flore ſilentes, quietosq; lictores tuos ſubſequebare*. Bene & ſignanter vt ſolet, Plinius. Quietos ad pulſationem referens: ſilentes ad vocem. Sic Cicero in illa, quæ de cælo delapſa, epiſtola, ad Q. Fratrem Octauium laudat: *apud quem*, inquit, *primus lictor quieuit, tacuit accenſus*. Et mox eundem fratrem ſuum, qui iracundior, natura & imperioſior, monet ſerio vt moderate vtatur hac ſubmotione. *Sit lictor*, ait, *non ſuæ, ſed tuæ lenitatis apparitor: maioraque faſces illis præferant dignitatis inſignia, quam poteſtatis*. Vbi auſim equidem ſcribere, *ſit lictor manſuet, & tuæ lenitatis apparitor*. Vah, impudẽs? inquiet aliquis, Non ſum conſidera ductum literarum: non nimium aberro. Sententia ſane egregia ex lectione efficitur; quæ ex vulgata, ſi quid ego ſentio & ſapio, nulla. Obſeruabant autem diligentiſſime lictores, vt ſubmouerent perſonas infames, puta lenones, meretrices, id genus. credo ne occurſu, vt proprie dicam, obſenò maieſtas populi principis contaminaretur. Seneca pater in controuerſia 2. li. 9. inter excerpta Blãdi ponit: *Maieſtatem læſam dixiſſem, ſi tibi exeunti lictor è conſpectu non ſummouiſſet meretricem*.

Sequitur animaduerſio, idipſum proprium in re lictoria verbum Suetonius in Iulio, cap. LXXX. *Q. Maximo ſuffecto trimeſtrique Conſule theatrum introeunte, cum lictor animaduerti ex more iuſſiſſet*. Liuius li. 24. *Vt Conſul animaduertere proximũ lictorem iuſſit, & is vt deſcenderet ex equo inclamauit*. ex quo loco clarum animaduerſionem verbis fieri ſolitã & clamore. Plinius in Panegyrico *Vtrinſq; adhuc oculis paulo ante dimiſſi faſces oberrabant: vtrinſq; ſolennis ille lictorũ & prænuncius clamor aurib. inſederat; cum rurſus curulis, rurſuſque purpura*, &c. Cõprehendebant hoc verbo, opinor, quicquid honoris venienti magiſtratui exhiberi ſolemne eſſet. vt Aſſurgere, caput aperire: Equo aut curru deſcende: Ferrũ ponere, & ſi quid tale. Tangit quædam ex iſtis coniunctim Seneca Epiſt. 65. *Si Conſulem*, inquit, *videro, aut prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet faciam: equo deſiliam, caput aperiam, ſemita cedam*. ego lucis cauſa dicam de ſingulis ſeparatim. Quod aſſurgerent Suetonius docet in Iulio c. 78. *Triumphanti & ſubſellia Tribunicia prætervehenti ſibi, vnum è collegio, Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe adeo indignatus eſt, vt proclamauerit. Repete ergo à me rempublicam Tribunus*. Moris enim vt non ſolum priuati aſſurgerent, ſed etiam minor magiſtratus maiori. Sic in Dione lego li. 36. ab Acilio Conſule ſellam Luculli prætoris confringi iuſſam, quoniam prætereunti ſibi, non adſurrexerat. At ille tacere alteram loris intentam repoſuit: exprobrans conſuli ſuſpectam libertatẽ. Quod caput aperirent; præter Senecam, Plutarchus teſtis in Põpeio, cui venienti ait, Syllam ſolitum aſſurgere, & aperire caput, videlicet quaſi Imperatori. Et ad hanc hiſtoriam pertinuit Saluſtij fragmentum illud. *Quibus de cauſis Syllam in victoria Dictatorem, equo deſcendere ſibi vni aſſurgere de ſella, caput aperire ſolitum*. Loquitur enim ipſe Põpeius. Quæri poteſt quomodo caput aperuerit, ſi vulgo Romani erant capite intecto? Nam pileũ ſane aut petaſum ritu noſtro non ferebant. Ea de re ſcribã plene alio loco: aut potius iam ſcripſi. Nam Saturnalib. meis exactus decimus menſis: nec aliud lucẽ eorum moratur, quã tenebræ, & nimb. huius belli. Quod equo deſcenderent; clarum ex Liuij, Valerij, Plutarchi hiſtoria de Q. Fabio. Etiam ex Dione; apud quẽ libr. 36. Põpeius deſcendere ſibi equo Tigranem regẽ iuſſit per lictorem. Quod miremur; auctor idẽ Dio, Seruilio Iſaurico cum forte obuius quidam equo non deſcendiſſet; re delata ad iudices, cauſam ſatis idoneã viſam hominis eius damnandi. Ea pertinacia erat, priſci moris. Apuleius graphice prorſus expreſſit hunc ritum habẽdi honoris, li. 3. Floridorũ: *Si quem conſpicantur ex principalibus viris, bene conſultum, bene cognitum, quamquam oppido feſtinans; tamen honoris eius gratia cohibent curſum, relenant* (corrupta ea vox eſt, & alias ſcribitur *relenant*: mihi non eſt ad manum medicina) *gradum retardant equum, & ilico in pedes deſiliunt: fruticem quem verberando eque geſtant, eam virgam in leuam manũ transferunt. itaque expedita manu adeunt, ac ſalutant*. Simile fuit in curru. Feſtus: *Viri ſedentes cum vxorib. in vehiculo deſcendere non cogebantur*. Quod ferrum, ſiue gladiũ ponerent, neſcio an vulgo notum ſit; ſed eruo ex Plutarcho, de Pompeij congreſſu & Tigranis: ὡς δ' ἦλθεν, inquit, ἱππότης ἐπὶ τὸν χάρακα, ῥαβδοῦχοι δύο τοῦ Πομπηΐου προσελθόντες ἐκέλευσαν ἀποβῆναι τοῦ ἵππου καὶ πεζὸν ἐλθεῖν. καὶ ταῦτα μὲν οὖν Τιγράνης ἐποίησεν, καὶ τὸ ξίφος αὐτοῦ ἀπολυσάμενος παρεδίδου. Item ex Xiphlino in Nerone. ad quem veniens Teridates rex, & iuſſus acinacem ponere, noluit, ἀλλ' inquit, ἥλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξε. clauis cum vaginæ adfixit. ritu non abſimili ab eo qui in pleraque Italia hodie obtinet: in cuius oppida cincti non admittuntur peregrini, ni gladio ad vaginam funiculo aliquo, dicis cauſa, vincto. Inuenio eundem diſcingendi ritũ apud Tacitum lib. 15. Annal. *Rex propriis nunciis à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Teridates perferret; neu ferrum traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur*. qui etiam addit de complexu: de quo ad ipſum.

Tertium, Præitio. ibant enim ante magiſtratum lictores, non gregatim, aut cõfuſe, non item bini, terniue, vt quis ſuſpicetur, ſed ſinguli, & in lineam. Hoc ſerio monitũ volo, quia non aliter eſt vt capias, quis primus, quis proximus lictor. ibant, inquam, ſinguli. Ex nummis Iunij Bruti, in quib. expreſſus hic ordo eũtium lictorum. qui nummi in volumine, quod publicauit nuper Fuluius Vrſinus amicus noſter, cura controuerſiam Italiæ ſuæ flos? Item ex Fabiana hiſtoria, quę apud Valerium & Liuium. ita enim narrant, vt niſi de hoc ordine intelligi non poſſint. Valerij verba ſunt: li. 2. *Fabius à Senatu ad filiũ Conſulem, Sueſſam miſſus, poſtquã animaduertit eũ ad officium ſuum extra oppidũ proceſſiſſe: indignatus, quod ex lictoribus undecim nemo ſe equo deſcendere iuſſiſſet, plenus ira ſedere perſeuerauit. Quod poſtquam filius animaduertit proximo lictori vt ſibi appareret, imperauit*. Liuij ſunt lib. 24. *Cum obuiam filius progrederetur; lictoreſque verecundia maieſtatis eius taciti anteirent, [non ſummouentes patrem] præter undecim faſces equo prævectus ſenex*, &c. Verba, quæ adduxi, Liuij bono, corrupta enim, & circumcidam in iis latens vlcus. Hęc *non ſummouẽtes patrẽ*, occultum ſed ineptũ gloſſema ſunt: tollenda, inducẽda. Liber optimus mihi auctor, & res ipſa. Attende enim cor gloſſographi. Liuius ait lictores tacitos anteiſſe. ille addit nõ ſubmotũ ab iis patrem. Quid? ſubmotionis res hic erat? Accedere pater filium debebat, vt legatus populi Romani. Is ergo ſubmouendus à cõſpectu fuit? aut id poſtulabat filius? Falſum. prorſus non intellexit baburrus ille vim, ſubmouendi, aut Liuij mentem. Taciti anteibant lictores, & paſſi patrẽ propius accedere vehentem in equo. In eo peccarunt, animaduertere debuerant, & clamare, Deſcende. Ex hoc igitur ordine facile eruo, quis Primus, quis Proximus lictor. Primus is qui anteibat & quaſi ducebat agmen: Proximus qui claudebat, & proxime aberat à magiſtratu. vnde etiam nomen. Ita intellige priſcum morem, qui apud Valeriũ li. 2. *Maxima diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe inter conſulem et Proximũ lictorem, quamuis officij cauſa vna progrederetur, interponeret*. Conniuere viſa in hac re Turnebi diuina mens, dum adſeuerat proximũ lictorem eundẽ eſſe cum primo. apage. nec terram, nec cælum tãgit ea ſententia. Primus lictor ab ordine euntium, vt dixi, non à dignitate, cuius proprium munus, ſubmouere. primus enim incurrebat in turbam. Cicero ad Qu. Fratrem. *His rebus nuper C. Octauius iucundiſſimus fuit, apud quem primus lictor quieuit, tacuit accẽſus*.

Proximus inter XII. poſtremus. cuius erat mandata à magiſtratu aut literas accipere, & præſtare ea quæ operæ familiarioris. Hic digniſſimus, & quaſi caput inter lictores, & haud dubie is, qui alio nomine, ſummus lictor. Gloſſæ veteres, *Summus lictor, ἀρχιραβδοῦχος.* Mentio proximi, Saluſtium: *Hiempſal in oppido Thumida forte eius domo vtebatur, qui Proximus lictor Iugurthæ, carus acceptuſque ei ſemper fuerat.* Apud Cicer. *Denique proximus lictor, de quo ſæpe iam dico, Sextius.* Vidimus & lapidem:

M. VALERIVS
ACHILLEVS LI-
CTOR PROXIMVS
LAVRENS LAVINAS.

Dixi munera lictorum; addam inſignia, & quæ cum inſignibus munia coniuncta. Inſignia eorum faſces & virgæ. Faſces appellamus bacillos aliquot tereres loro colligatos in modum faſcis. quorum exemplar frequens in lapidibus & nummis. eos bacillos ex vlmo fuiſſe antiquitus, docere videntur comœdiæ Plauti, non vno loco. Plinius tamen betulam arborem terribilem ait magiſtratuum virgis; & neſcio vniuerſe id accipiendum, an ex verbis eius, de Gallia tantum. Italiæ ſane communior vlmus. Faſcium inuentum Vetuloniæ Etruriæ vrbi adſcribit Silius:

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis
Biſſenos prima illa dedit præcedere faſces,
Et iunxit totidem, tacito terrore ſecures.

Inde traducti Romam. Et faſces quidē hæſerunt Romæ, non ſecures. P. enim Valerius non falſo Poblicola dictus, inuidiæ conſulum minuendæ, primus dempſit faſcibus ſecures. quaſi ne nimius ille terror delibaret aliquid de populari libertate. Ex eo tempore exules vrbe Roma ſecures; ius tantum ſuum in bello tenuerunt, & extra vrbem. Clare Dionyſius libro 4. Βουλόμενός τε πίστιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τοῖς δημοτικοῖς λαβεῖν βουλόμενος, ἀφεῖλεν ἀπὸ τῶν ῥάβδων τοὺς πελέκεις, καὶ κατεστήσατο τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπάτοις ἔθος, ὃ καὶ μέχρι τῆς ἡμῶν διέμεινεν ἡλικίας, ὅταν ἔξω τῆς πόλεως γένωνται χρῆσθαι τοῖς πελέκεσιν, ἔνδον δὲ ταῖς ῥάβδοις κοσμεῖσθαι μόναις. Liuius li. 24. *Lictores ad eum accedere conſul iuſſit. et quia in vrbem non ierat, protinus in campum* (Martium intellegit) *profectus: admonuit cum ſecurib. ſibi faſces præferre.* vbi ſatis clare eū morem agnoſcit Liuius; libro tamen ſecundo, vbi oportune id poterat, verbo de eo admonere oblitus. Mirum ergo Appianum ſcribere libro primo bellor. ciuil. Octauium in ſella curuli ſediſſe, prætexta indutum, faſcib. & ſecurib. quaſi conſulem cinctum. & id narrat eueniſſe Romæ: ὅ τε inquit, ἐπὶ θρόνου περικείμενος ἐκάθητο τὴν τῆς ἀρχῆς ἐσθῆτα ἐπικείμενος, ῥάβδων καὶ πελέκεων ὡς ὑπάτῳ περικειμένων. Ipſe Octauius hoc peccauerit contra priſcum morem, in tumultu ciuili, an per negligentiam ſuam ita narrauit ſcriptor Græcus, non dicam. Mos quidem non ambiguus eſt, vt quem Dionyſius adfirmet perſeueraſſe ad ſuam ætatem. Excipio tamen ad hoc more dictatorem, quotiens ſine prouocatione creatus. Illi enim prælatæ ſecures etiam in vrbe. auctor Dionyſius lib. 4. & Liuius lib. 2.

Faſces igitur iſtos ante magiſtratum ferebant lictores. erectoſne, an in humeris inclinatos? Cenſeam in humeris, ſuaſus à nummo Bruti in quo ea ſpecie cernuntur. alias non valde id mihi clarum, & fieri poteſt, vt etiam ſurrectos. Sed in ea geſtatione mos, vt ſi per viam maiori alicui magiſtratui occurrerent, ſtatim ſubmitterent faſces, & honoris habēdi cauſa inclinarent. Ortus mos, vt videtur ab eodem Valerio, qui primus ſummiſſis faſcib. in concionem aſcendit. *Gratum id multitudini ſpectaculum fuit* (ait Liuius) *ſummiſſa ſibi eſſe imperij inſignia confeſſionemque factam, populi, quam conſulis, maieſtatem vimque maiorem eſſe.* Summiſſis faſcibus, id eſt in terrā depreſſis, & ante pedes quodammodo deiectis. Errant qui in Liuio interpretātur faſces depoſitos, & abire iuſſos lictores. Plutarchus ſignanter ſcripſit, αὐτοῦ τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παριών, ὑφῆκε τῷ δήμῳ καὶ κατέκλινε, id eſt, ſubmiſit inclinauitque. Dionyſ. amplius aliquid addit ad hunc morem: ſolitum videlicet in eiuſmodi occurſu (ſi forte extra vrbem viſu veniſſet) vt minor magiſtratus deponeret etiam ſecures. Verba eius l. 8 de Marcio Coriolano: ἐκέλευσε τοὺς ὑπηρέτας ἀποθέσθαι τοὺς πελέκεις, καὶ τὰς ῥάβδους καταστεῖλαι. τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ παρὰ Ῥωμαίοις, ὅταν ὑπαντῶσι ταῖς μείζοσιν ἀρχαῖς οἱ τὰς ἐλάττους ἔχοντες. Nec terra ſolum, ſed mari ſeruata hæc ſubmiſſio. Vnicum ad hanc rem locum App. inuenio lib. 5. ciuil. vbi Antonij & Domitij Ahenobarbi prætoriæ naues caſu ſibi obuiæ: Πλησίον τε ὄντων ἀλλήλων ἤδη, καὶ αἱ ναυαρχίδες ἐκ τῶν σημείων ἐφαίνοντο, καὶ ἀλλήλαις προσέπλεον, καὶ ὁ ῥαβδοῦχος ὁ ἡγούμενος Ἀντωνίου κατὰ τὴν πρῷραν ἑστὼς ὥσπερ ἔθος ἐστὶν ἐπὶ ὑπάτους ἢ ἐλάσσοσιν ἀνδράσιν ὑπαντῶν, προσέταξε καθελεῖν τὸ σημεῖον, οἱ δὲ καθεῖλόν τε, καὶ τὴν ναῦν ἐς τὰ πλάγια τῆς Ἀντωνίου νεὼς παρέφερον. Vbi mox duplex. quod ſignum prætoriæ nauis deponerent: & quod lictores, ad ſpeciem imperij, ſoliti ſtare in prora nauis. Ab hoc ritu natum prouerbium, ſubmittere faſces: id eſt, cedere & fateri ſe minorem, vſurpatum præter alios Ciceroni in Bruto. Addere hîc aliquid de diuiſione faſcium poteram inſtituta à Iunio Bruto: ſed res non obſcura; & pete ſi voles ab Agellio li. 2. Suetonio in Iulio, cap. 20. Liuio lib. 3. de Xuiris.

Alterum inſigne lictorū, Virgæ. Nam præter faſces videntur manu geſtaſſe virgā, duplici vſui, & ad ſubmouendū, & ad ianuam tangēdam. De virga lictorū in ſubmotione, Martialis;

——nec ſuperba clamoſi
Lictoris abiget virga baſiatorem.

Et Planto digna prologus, non Plauti;

Scortum exoletum ne quis in proſcenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virga muſſitent.

In Ianua percutienda, Martialis;

Biſſenos iubet en redire faſces
Nato conſule: nobilique virga
Vatis Caſtalij domum ſonare.

Nam quotiens magiſtratus ſuam aut alienam domum intraturus erat lictor præcedens virga fores percutiebat, quaſi ad ſignificandum eius aduētum. Liuius li. 6. *Forte ita accidit, vt in Ser. Sulpicij Trib. militum domo, ſorores Fabiæ cum inter ſe, vt fit, ſermonib. tererent tēpus: lictor Sulpicij, cum is de foro ſe domū reciperet, forem vt mos eſt virga percuteret. cū ad id moris eius inſueta expauiſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit.* Plinius li. 7. *Cn. Pōpeius confecto Mithradatico bello. intraturus Poſidonij ſapientiæ profeſſione clari domum, fores percuti de more à lictore, vetuit.* Statius de nuptiis Stellæ, *——dum feruent agmine poſtes*
Atriaque & multa pulſantur limina virga.

Et ſane eius moris reliquum veſtigium hodie in aulis magnatum, in quibus fores per ſingulos cibotom miſſus, ab Oeconomo, tereti baculo feriri ſatis notum eſt. Tale quid hęc virga. ideo in gloſſis ſcriptum *Virgarius, ῥαβδοῦχος.* Cum faſcib. confundi eam mihi non placet, nec ratio eſt. diſtinguit ſane Appianus 1. Ciuilium, in ſeditione Gracchana, ῥάβδους καὶ ξύλα τὰ ἐν χερσὶ τῶν ὑπηρετῶν ἁρπάζοντες, &c. ait faſces & virgas. Cicero etiam has ipſas virgas nominare videtur bacillos li. 11. ad Attic. *Propius accedere, vt ſuades, quomodo ſine lictoribus poſſum, quos populus dedit? qui mihi incolumi adimi non poſſunt. quos ego paulisper modo cum bacillis in turbam conieci, ad Oppiū accedens, ne quis impetus militum fieret.* Nam quod vir doctus ibi faſces intelligendos dicit: de ſummo pectore id dicit, & parum conſpecte. Verior tamen ſententia: quia faſces illi laureati nimium incurrebant in oculos, & ad vitandam inuidiam in depreſſa fortuna; ideo ait Cicero, remotis iis acceſſi, retinui ſolas virgas. Caſum quem Cicero metuebat euenit Cæcinæ Conſuli apud Tacitum lib. 3. Hiſtor. & ſeditio militaris excitata. ſolum propter conſpectos in partib. iam victis faſces. *Sed vbi Cæcina,* ait, *prætexta et lictoribus inſignis, dimota turba conſul inceſſit: exarſere victores:* & quæ ſequuntur. Seneca eaſdem virgas nominat, lib. 1. de Tranquillitate, c. 1. *Placet vim præceptorum ſequi, et in mediam ire rempubl. placet honores faſceſque non purpura aut aureis virgis adductum capeſſere, ſed vt amicis propinquiſque et omnibus ciuibus paratior vtiliorque ſim.* Vbi mendo manifeſto ſcriptū, *aureis.* Nam aureas eiuſmodi virgas fuiſſe, nemo dixit, ſcripſit, pinxit. Aſsēnor libris aquot qui legunt, eiecta ea voce, *aut virgis adductum.* Poterat etiam ſcribi littera addita, *laureis virgis*: vt neget Seneca magiſtratum cupiendum aut capiendum per ambitionem & deſideriū triumphi. Nam in triumpho laurus in faſcibus, ac laureæ virgæ in manib. militum & triumphantis. Nec Romæ ſolum in vſu hæ virgæ, ſed etiam in coloniis & municipiis, etſi vſu paulo diuerſo. Nam Duumuiris ædilibus quinquennalib. Sexuiris (qui magiſtratus colonici & municipales) lictores prębāt, non cum faſcibus, ſed cum nudis virgis aut bacillis. Appuleius lib. 1. Mileſiarum, *Nam & lixas & virgas, & habitum prorſus magiſtratui conuenientem in te video. Annonam curamus,* ait: *& Ædilem gerimus* Ædilem intelligit in Theſſaliæ Hy-

pata Quinqoennalem. Cicero in Rullum, *Nam primnm cum ceteris in colonis Dnumuiri appellentur, hi ſe Pratores appellari volebant. Deinde anteibant lictores non cum bacillis, ſed vt hic prateribus aut eunt cum faſcibus dnobus.* Ecce bacilli præferri Duũuiris ſoliti loco faſcium, qui ritus ne nunc quidem exoleuit in colonia Aggrippinenſi, vbi lixæ, qui maiores conſules comitantur, oblongum teretem baculum geſtant, inſigne magiſtratus. At Campanæ ſuperbiæ fuit, quod illi faſces ſumerent: vt apud Petronium pariter vanus ille Trimalcio, qoonism Sexuir Auguſtalis, faſces poni ſibi iuſſit, & quidem cum ſecuribus. ideo adoleſcens qui ſpectabat. *Et quod pracipue miratus ſum*, inqoit, *in poſtibus tricliny faſces erant cum ſecuribus fixi: quorum vnnm partem* (legendum *imam partem*) *quaſi embolum nauis aneum finiebat. in quo erat ſcriptũ*, G. POMPEIO TRIMALCIONI VI. VIRO AVGVSTALI. Cur id præcipoe miratus? quia inſolens ſcilicet, & præter omnem morem.

Dixi de Lictoribus quæ ſciui: addendum aliqoid de numero, & quot fuerint cuiq; magiſtratui. Dictatori tribuũt vulgo 24. & is numerus apud Dionem initio lib. 54. ſeilicet quia duplex in eo imperium, ideo & inſignia conſulis vtriuſque. Appianus lib. 1. ciuil. bellorũ, de Sylla, *πάλιν τὰ [illegible]*, inquit, *[illegible] Δικτάτορσι εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο* Et Plutarchus in Fabio narrat, Dictatorem eum cum vigintiquatuor faſcibus ſtatim proceſſiſſe in forum, vt populo vim oſtenderet eius imperij. Huic tamen vulgatæ ſententiæ pugnat epitome Liuiana, in qua claris verbis ſcribitur, lib. 89 *Sulla dictator factus, quod nemo quidem vnquã fecerat, cum faſcib. viginti quatuor proceſſit.* Id ſi verum, ergo omnes ante Dictatores duodecim tantũ faſcib. vſi. ita vanus Plutarchus, qui Fabio 24. tradidit: vanus Appianus qui eum numerum proprium cenſuit Dictaturæ. Ego ſane hic hæreo, niſi ſi delendum id totum in Epitome, *quod nemo quidem vnquam fecerat.* tamquam à ſcioli cuiuſpiam infauſta & infeſta manu. Quidquid ſit ea tamen parte peccat Appianos, quod ſcribat, regibus lictores fuiſſe 24. & inde exemplum traductum ad Dictatores. Peccatum largum, Liuios ſane, Dionyſius, & quos ego viderim hiſtorici, conſenſu tribuũt duodecim lictores regibus: vel à numero auium, inquiũt, quæ Romulo regnum portenderãt; vel exẽplo ab Etruſcis, quorum duodecim populi creato regi ſinguli, ſingulos lictores dabãt.

Magiſtro equitum lictores ſex fuerunt. Ideo notandum, quia Dionis vnicus locus ea quo id haurimus. apud Latinos nulla mentio. Lib. 42. de M. Antonio, qui magiſter equitum Cæſari: *At Antonius*, inquit (vertã enim eius verba) *ſi veſtitũ eius ſpectares, imaginẽ popularis ſtatus præferebat. prætexta enim vtebatur. Item ſi Lictores. non enim plures quam ſex habebat. At ſi gladium ſpectares quo cingebatur, & multitudinem militum qui eum comitabantur; rerera oſtendebat regnum & imperium vnius.*

Conſuli fuerunt XII. Prætori ſex, Tribunis & Ædilib. non Lictores, ſed viatores. Quæſtori, neotri. Varronis verba vide apud Agellium, lib. 13. c. 12. Tamen Liuius quæſtori P. Sextio diſerte tribuit lictorem, lib. 4. in ſeditione militari: ſed non vt Quæſtori. Præerat enim caſtris abſente conſule.

Legatis etiam lictores in prouincus. Spartianus in Seuero, qui legatus Proconſulis Africæ: *In ea legatione*, inquit, *cum eũ quidam Leptitanus, pracedentib. faſcibus, ipſe plebeius amplexus eſſet.* Mutaſſe tamen aliquid videtur Alexander Seuerus, & inſtituiſſe vt milites anteirant loco lictorum. Lampridius, *Apparitores denique nullos eſſe paſſus eſt. Tribunis aut ducib. niſi milites anteire noluit. Iuſſitque vt ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem ſex, ante Legatum decem.*

Magiſtris etiam Vicorum Romæ, per certos dies lictores bini. inſtituit Auguſtus. Vide Dionem lib. 55.

Virginibus Veſtalibus in publico ſemper vnos lictor. Inſtituerunt III. viri, Antonius, Lepidus, Octauianus. Narrat multis verbis Dio lib. 56. quem adi, & Plutarchũ caute lege in Numa, qui lictorem Veſtalium referre videtur ad inſtituta Numæ Pertinet ad Veſtales Vnius locus, qui apud Senecam patrẽ legitur in controuerſia, Sacerdos proſtituta: *Procedẽte hac lictor ſubmoueri videbitur: huic prator via cedet; ſummũ imperiũ conſules cedẽt tibi.* vbi coirendo, *lictor ſubmoueri iubebitur.* Lictore enim ad hoc exemplum vſæ imperatorũ aliquot vxores, Sed & Flaminius lictor, & Curiatus nominari Feſto.

Cap. XLV. Tum poſteaquam res Romana contra ſpẽ votaq; eius velut reſurgeret, turpius videatur nouam referre proditionem, vt proditio pro ſeptemuirali iudicio eſſet, ſemperq; aliud ſentiret, infidus ſocius.] Ad hunc locũ quis non aliquid ſibi dicendum putauit? quem cum aliter alij aut emendare conentur aut explicare, omnes tamen vno ore in eo conueniunt eſſe longe contaminatiſſimũ deprauatiſſimumq;. atq; in omnib. etiam litteratus ille Lipſius, qui nulla ope hæc à ſe ſanari potuiſſe ingenue fatetur. ponã tamen, inquit, mei libri ſcripturã veterẽ: *vt proditis pellis v. m. virali indictione & ſẽper aliũde ſẽtiat, infidus*, & hæc interpretari decẽ Sibyllas iubebo.

Eod. Contra ea Conſulis pater Fabius temporum oblitos homines in medio ardore belli tamquam in pace libera de quoq; arbitrari & agere aiebat.] Manuſcriptus Lipſij: *libera de quoque arbitrij agere.* vnde ille non dubitat veram & germanam Liuij ſcripturã eſſe: *libera de quoque arbitria agere aiebat.*

IN T. LIVII LIB. XXV. NOTÆ.

CAp. II. Et aliquot publici ſacerdotes mortui eo anno ſunt, L. Cornelius Lentulus Pontifex Maximus, & C. Papirios C. F. Maſſo Pontifex, & Pub. Furius Philus augur, & C. Papirius, L. Foluius Maſſo, decemvir ſacrorum.] De vitio Lioius in dex eſt. Vt enim hæc lectio concipitur, quinque ſacerdotes eo anno mortui fuerint: at Lioius in adiunctis verbis, quatuor tantum ſuffectos tradit. *In Lentuli*, inquit, *locum M. Cornelius Cethegus, in Papiry, Cn. Seruilius Capio, Pontifices ſuffecti ſunt: augur creatus L. Quinctius Flamininus, Decemuir ſacrorũ L. Cornelius Lentulus.* Quid igitur fiet L. Fuluio? Liber meus ſcriptus, *C. Papirius Lemaſſo decemuir.* Aperta correctio erit, *C. Papirius L. F. Maſſo.* tantom F. mutauerat in E. Ablegandus igitur iſte L. Fuluius natus ex notis. & ſcimus Maſſones cognomen Fuluiæ Gentis non eſſe, ſed Papiriæ, Lipſius.

Cap. IV. Si Marcus Poſtumius ante Kalendas Maias non prodiſſet, citatuſque eo die non reſpondiſſet, neque excuſatus eſſet videri eum in exilio eſſe.] Nota mihi formulam *Videri eum in exilio eſſe.* moribus enim receptum erat teſte M. Tullio Academicar. Quæſtionum libro quarto, vt quę iurati iudices cognouiſſent, ea non eſſe facta, ſed vt videri pronunciarẽt. Idem libro quarto in Verrem: *Vix ille hoc dixerat, cum iſte pronunciat, Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri.* Et li. 6. in eundem: *Feciſſe videri pronunciauit.* Idem in Piſonem: *Tum tu ipſe de te, videri feciſſe, pronunciaſti.* Sic L. Torquatum, eum de repetundarum criminibus, quæ à Macedonum legatis filio obiiciebantur, intra priuatos parietes cognouiſſet, pronunciaſſe. Cicero libro primo, de finib. refert: *Non talem videri fuiſſe in Imperio filium, quales eius maiores fuiſſent.*

Cap. V. Tribuni plebis, ſi iis videretur, ad populum ferrent: vt qui minores ſeptem & decem annis ſacramento dixiſſent, iis perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & viginti annorum, aut maiores milites facti eſſent.] Hunc locum inter alia emendat & explicat ad Tacitum ſuum Lipſius, vbi quia multa tradit de legitimæ militiæ annis, operæpretium erit ipſum loquentem audire: ergo, Qui & quot, inquit, legitimæ militiæ anni fuerint, non tam in procliui res eſt, qoam imber cum pluit. Et antiquitus quidem Seruianam formulã tenuiſſe credo. vt initium militiæ eſſet annos decimusſeptimus: finis qoadrageſimus ſextus. Tubero apud Agelliũ, *Seruius Tullius rex populi Romani pueros eſſe exiſtimauit, qui minores eſſent annis ſeptẽdecim. atq; inde ab anno 17. quos idoneos iam eſſe Reip. arbitraretur, milites ſcripſiſſe eoſq; ad annum 46. iuniores, ſupraque eum annũ Seniores appellauit.* Nec variatũ de initio, niſi forte ſub bella Punica, acciſis patrię rebus. Lioius: *tribuni plebis ad populum ferrẽt. vt qui minores ſeptem & decẽ annos ſacramẽto dixiſſent, iis perinde ſtipẽdia procederẽt ac ſi ſeptem & viginti* (mendũ eſt, & ſcribe ex manuſſ. *ſeptẽ & decẽ*) *annorum, aut maiores milites facti eſſent.* Idque tamẽ ipſũ vetitũ mox C. Gracchi lege, qui cauit *[illegible]*. Plut. in Gracchis. Ideoque Seruius, in illud Virgilij:

Ante vrbem pueri et primeuo flore iuuentus
Exercentur equis.

Bene Romanę militiæ exprimit morem. Nam poſt pubertatem armis exercebantur, & 17. anno militabant: quo etiam

ſolo ſub cuſtodib. agebant. At in fine militiæ, poſterior ætas aliquid mutauit, non enim 46. annus, vti Seruio placitũ, vacationem militiæ dabat; ſed quinquageſimus, quo valide adhuc ſcilicet, & crudæ vires. Quæ lex id ſciuerit, aut quando, incertum, lex tamen. Seneca, *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorẽ non citat.* Pater eius paulo aliter id poſtremũ: *Senator poſt ſexageſimum et quinctũ annum in curiam venire non cogitur*: ſed numeris corruptis & corrigẽdis ad exẽplum prius. Liuius li. 42. *Nec vlli, qui nõ maior annis quinquaginta eſſet, vacationem militiæ eſſe.* Qui militiæ anni, dixi, nunc quot fuerint, quæram. Et priſco æuo numerum definitum ſtipendiorum, vix opinor. hoc tantũ obtinuit, vt quotiens bellum incidiſſet rogati ſacramẽto omnes poſſent intra eos terminos ætatis quos poſui. Commoda enim adhuc militiæ non erant, nec hiberna caſtra quidem aut perpetuæ legiones. At ſtipendio militari conſtituto: prouinciis extetnis deuictis: emerito & veteri milite in agros, coloniaſq. deducto pro bono viſum patribus, definire certũ ſtipendiorum tempus, quo exacto, commoda veteranorum haberent & nomen. Credoque ſtipendia prima definita viginti quinque annis Seruius id mihi perſuadet in Virgilij illud.

——*Sacrata ſol aere ſura. Militiæ,* ait, *tria ſunt genera. Plerũq; enim euocati dicuntur, et non ſunt milites, ſed pro milite. vnde Saluſtius, Ne quis miles, neve pro milite. Pleramq; tumultuary, hoc eſt, qui ad vanum militant bellum. Plerumque ſacramento rogati qui poſt electionẽ in remp. iurant. & hi ſunt qui habent plenam militiam. Nam et 25. annis tenentur.* Nec ambigo quia id ſcitũ valuerit ad ciuilia bella triũuirorum; quib. rapta præmia, non data Liuij locus non mouet loco li. 42. qui ſtipendia definit annis 22. Nam excuſans ſe à belli munere Sp. Liguſtinus ſic loquitur: *Quater intra paucos annos primum pilum duxi, quater et tricies virtutis cauſa donatus ab Imperatorib. ſum: ſex ciuicas coronas accepi: xxii. ſtipendia annua in exercitu emerita habeo: & maior annis ſum quinquaginta.* Mihi enim conſtat de vitio eius ſcripturæ ex ratione annorum. Nam Sp. hic Liguſtinus auſpicatus eſt militiã P. Sulpicio & C. Aurelio conſulibus ad P. Licinium & C. Caſſiũ, quo anno hæc geſta clarum eſt annos intereſſe xxx. Ergo eum ipſum numerũ in Liuio hic non timidè reponendũ, etiam contra libros. Hæc in republ. libera. Oppreſſa ab Auguſto, ipſe, vt multa in militia, ſic in ſtipendiorum numero mutauit, reduxitq; in gratiam turbæ militaris ad annos xx. quibus expletis cenſebantur veterani. Suidas. Βετεράνος παρὰ Ῥωμαίοις, ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας ὅτι εἰκοσαετίαν ἐστράτευσεν. Dio & Tacitus infra. Quæ dixi, in pedeſtri militia obtinuerunt: aliud fuiſſe videtur in equite, qui dena ſtipendia tantum fecerunt, ſi recte Liuiũ capio lib. 27. *Illis omnib. adempti equi, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant, addiderũt acerbitati etiam tempus, ne præterita ſtipendia procederent iis qui equo publico merũerãt, ſed dena ſtipendia equis priuatis facerent.* Nec mirum etiam in hac parte potiorem fuiſſe equitum conditionem.

Cap. vi. Conſulem te M. Marcelle in Italia adiſſemus cum primum de nobis triſte S. C. factum eſt, niſi hoc ſperaſſemus in prouinciam nos morte regum turbatam, ad graue bellum aduerſus Siculos ſimul Pœnoſque mitti: & ſanguine noſtro vulneribuſque magiſtratibus ſatisfacturos eſſe. ſicut patrum memoria, qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, aduerſus Pyrrhum ipſum pugnantes ſatisfecerunt.] Alia vetus lectio, *magiſtratib. noſtris Senatui ſatisfacturos.* vocib. duabus additis. Me quidem offendit illa magiſtratuum vox, quaſi ſoli in ſenatu qui Magiſtratum gererent, aut ſolis illis ſatisfaciẽdum. Poſſet legi, *magiſtratib. noſtris et ſenatui.* Sed odorari videor neſcio quid deprauationis maioris, & ſubuereri ne Liuius tale quid ſcripſerit, *ſanguine noſtro vulneribuſque magis quam precibus noſtris Senatui ſatisfact. eſſe.* Lipſius.

Cap. vii. Dum ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergo donaretur, neu in Italiam reportarent, donec hoſtis intra Italiam eſſet.] Hic Glarean. Moguntinus, inquit, codex, habebat in dandi caſu, *muneri.* Sed vt ingenue dicã neutra lectio mihi ſatisfacit, ideoq; ea de re lectori conſiderandum. Excipit Sigonius: *Dum ne quis eorũ munere vacaret*, id eſt. dum ne quis excuſatus vacationẽ haberet militiæ. Sic enim 26. *Quib. ſenatus miſſionem reditumque in patriã negauerat ante finem belli.* Hæc illi, quorum neuter mihi ſatisfacit. nam & Glareanus fruſtra dubitat de lectionis integritate, & Sigonius non bene explicat illud: *dum ne quis eorũ munere vacaret.* cum *munus* hic onus ſit militare. Vegetius li. de re mil. 2. c. 7. cum de principalibus militibus diſſeruiſſet, *Hi ſunt*, inquit, *milites Principales, qui priuilegiis muniuntur. Reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur.* & eodem libro c. decimonono, vbi quæ ſint ea munia explicat his verbis: *Faſcicularia tamen, id eſt, lignum, fœnum, aquam, ſtramen etiam legitimi milites in caſtra portabant. Munifices enim ab eo appellãtur, quod hæc munia faciant.* Sane Modeſtinus Iuriſconſultus militiæ mutationem, & munerum indictionem inter pœnas militares recenſet in l. deſertorem. ff. de re militari. præter quam vide etiam l. munus proprie, & l. munus trib. ff. de verborum ſignificatio. ego ad Liuiũ redeo, cuius lectionem exẽplis etiam confirmabo aliorum ſcriptorũ, & quidem de eadẽ hac re. ex quib. Valerius Maximus, li. 2. cap. 2. Senatum Marcello reſcripiſſe ait, *Indignos eſſe qui in caſtra reciperentur. Ceterum ſe ei permittere vt faceret quod Reipubl. expedire iudicaſſet, dum ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam donec hoſtes in ea eſſent, accederet.* At Frontinus libro quarto Strategematum. c. 1. *Senatus*, ait, *negauit ſibi placere cõmitti his Rempub. quam deſeruiſſent. Marcello tamen permiſit facere quod videretur, dum ne quis eorum munere vacaret, neve donaretur, neve quod præmium ferret, aut in Italiam reportaretur* (ſic enim eum veteri codice legendum eſt) *dum Pœni in ea fuiſſent.* Plutarchus in Marcello, Ἐπιτρέπει γράψας ἡ βουλὴ μηδὲν εἰς δημοσίαν πρᾶξιν χρῆσθαι Ῥωμαίους ἀνδράσιν ἀνάνδροις. εἰ δὲ βούλεται χρῆσθαι Μάρκελλος αὐτοῖς ἴσως, μηδενὶ τῶν ἐπ' ἀνδρείᾳ νομιζομένων στεφάνων καὶ γερῶν τυχεῖν ὑπ' ἄρχοντος.

Cap. ix. Eadem ferme hora Tarentum fama peruenerat Numidas equites paucos populari agros, terroremq; late agreſtib. iniecisse. Ad quẽ nuncium nihil vltra motus præfectus Romanus, quam vt partem equitum poſtera die luce prima iuberet exire ad arcendum populationib. hoſtẽ interea adeo nihil obedienter curatum eſt, vt contra pro argumento fuerit illa procurſatio Numidarũ, Annibalem exercitumque caſtris non mouiſſe.] Non vacat menda in iis verbis, *adeo nihil obedienter curatũ eſt.* Quomodo enim de obedientia equitum querela eſſe poteſt? Luce prima iuſſi erant exire. ac nocte oppidum ab Annibale captum. quomodo vult Liuius vt paruerint mandatis? Sed nec ſequentia faciunt huic ſententię. Cõſului li. manoſcriptum in eo eſt, *nihil obedienti cura eſt.* Ex iis veſtigiis quis negabit verum eſſe, *nihil ob id intẽta cura eſt.* Eo nuncio, inquit, adeo non aucta cura eſt in cuſtodienda vrbe, vt contra egerint negligentius, &c. Perperam concreuerant voces, literis tamen ſere comparentibus.

Cap. x. Recipere ſe in domos ſuas quemque iuſſit, & forib. nomen ſuum inſcribere: ſe domos eas, quæ inſcriptæ non eſſent, ſigno extemplo dato, diripi iuſſurum. ſi quis in hoſpitio ciuis Romani (vacuas autem cernebat domos) nomen inſcripſiſſet, eum ſe pro hoſte habiturũ] Omnis lectio vetus, *tenebat domos.* Sigonius coniicit, *ſciebat*, vel *petebat.* Sed nihil horũ Liuius dixit. Scribo, *tenebãt domos.* Ait, Cũ Romani proprias & vacuas ędes haberent, non permixtim cum ciuib. Diuerſerẽtur: facile fuerit ſeparare milites à ciuib. ſola inſcriptione ædium. Hæc Liuij mens, quiſquis aliud adſert, caſſas loquitur. Lipſius: ex cuius Epiſtolicis & proxima tranſcripſimus.

Cap. xi. Vrbs contra excluſa maritimis commeatibus, propiuſque inopiam erant obſidentes, quam obſeſſi. Annibal conuocatis.] Ms. Lipſij: *propiuſque inopiam obſidẽret. Annibal conuocatis*, & videntur ſane reliqua illa à male manu eſſe.

Eod. Contracta exemplo vndique plauſtra, iunctaque inter ſe & machinæ ad ſubducendas naues admotæ.] Induſtrium ad hoc Annibalis inuentum ita narrat & deſcribit graphice Silius:

Verterat & mentem Tyria ad vota Tarentus,
Portiſque intrarent Pœni, ſed enim arcem corruſca
Fiſa loca manus Auſoniæ, ſtipata ſedebat.
Hic (miranda) mouens claſſem, qua condita porta
Aſtabat, namque angustis è faucibus æquor
Erumpit ſcopulos inter, patuloque receſſu
Effundit campis ſecretum gurgite pontum.
Incluſas igitur quibus haud enare dabatur
Arce ſuperpoſita, clauſtris maris extulit altis,

Perque auerſa tulit portatus in arua carinas.
Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris,
Atque recens caeſi tergo prolapſa iuuenci
Aequoream rota ducebat per gramina puppim.
Et iam per colles dumoſque ad littus adacta
Iunabat pelago, veniens ſub remige claſſis.

Cap. XII. Decemuiri Graeco ritu hoſtiis ſacra faciãt.] Ampliſſimus Briſſonius videtur omiſſo τῷ *hoſtiis*, legiſſe *Graeco ritu ſacra faciant.* alij vero non dubitant confirmare ex Macrobio eſſe legendum, *Graeco ritu hiſce hoſtiis ſacra faciant.* de quo vt non valde contenderim, ita lubentius ſtem à Briſſonio propter ſequentia aliquot in eius libris eruditiſſimis de Formulis hoc carmen exempla.

Eod. Ludos praetor in circo maximo cum facturus eſſet, edixit, vt populus per eos ludos ſtipẽ Apollini, quantũ commodũ eſſet, conferret.] Plin. li. 33. *Pop. Romanus ſtipem ſpargere coepit, Sp. Poſtumio, Q. Marcio coſſ. Tanta abundãtia pecuniae erat, vt eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.* Quae verba ne te fallant. Nam ſtipes de qua Liuius, multis annis prior notatione Pliniana. Sed voluntariam, credo, Plinius intellexit. illa fuit ex edicto. Sed & Auguſtus ſtipem praetoribus dari ad ludos voluit, innuente Dione lib. 54. initio τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας συνέταξεν, ἵνα τὸ δῆμον δὲ δίδωσιν αὐτοῖς κελεύσας. niſi tamen τὸ δημόσιον intelligi voluit potius quam δημοσίᾳ. Stipes alias vſitate dabãtur diis, & ad res ſacras. Seneca de Benef. VII. *Omnia deorum ſunt: tamen diis poſuimus donum, & ſtipem iecimus.* Et Epiſtola 116. *Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argẽtoque ſuſpenſo, nec in Theſauros ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate.* Ita in capita fontium, quae ſacra ſtipem iaciebant. Plinius lib. 8. epiſt de Clitumno: *Fons purus & vitreus, vt numerare iactas ſtipes, & relucentes calculos poſſis.* Seneca lib. quarto, quaeſt. Natural. de Nili venis: *In hac ora ſtipem ſacerdotes, & aurea dona praefecti, cum ſolenne venit ſacrum, iaciunt.* Lipſius.

Cap. XVI. Flauius ad Romanum Imperatorem venit. Rem ſeait magnã inchoaſſe ad quam perficiẽdam ipſius Gracchi opera opus eſſet, omnium populorũ praetoribus, qui ad Poenũ in illo communi Italię motu deſciſſent, perſuaſiſſe vt redirent in amicitiã Romanorũ.] Glareanus forte an legendũ putabat, *Ad eam perficiendã ipſius Gracchi opera opus eſſe.* cui non aſſentio. Lipſio aſſentio, reponenti: *omnium popularium praetoribus*, pro *omnium populorum*. eſt enim de Solis Lucanis ſermo: & ſubiungit ipſe Liuius: *Ibi paucis verbis tranſigi rem poſſe, vt omne nomen Lucanum in fide ac ſocietate Romana ſit.*

Cap. XVII. Alij in caſtris Romanis ſepultum à ſuis: alij ab Annibale (& ea vulgatior fama eſt) tradunt in veſtibulo Punicorum caſtrorum rogum exſtructum eſſe, armatum exercitum decurriſſe cum tripudiis Hiſpanorum.] Et hanc quidẽ vulgatiorem famam ſequitur etiam Silius meus, qui ait:

Exſequias tantum famam nomenque volentem
Mitifica (vulgo contra mentem Poëtae: *Horrifica*) *mentis, tenuerunt funere laeto.*
Namque per inſidias (infandum) & ab hoſpite caeſus.
Colloquium et promiſſa petit dum perfida gentis
Lucana Gracchus, caeco circumdatus aſtu
Occiderat laudem Libiis rapiebat humandi.

Porro pro, *veſtibulo Punicorum caſtrorum*, Lipſius reperiſſe videtur in libris ſuis: *veſtibulo primorum caſtrorum*, ex quo an forte legendum coniiciebat, *veſtibulo primore caſtrorũ.* de decurſione vero quod ait, exercitus, ſolet hic honos ab antiquiſſimis temporib. haberi clarorum virorum funeri. Teſtis Homerus de Patroclo; noſter Virgilius de Pallante, vbi:

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos. neque aliud intellexit Lucanus dum ait,
——— *totus vt ignem*
Proiectis moerens exercitus ambiat armis. Optime autem hunc decurrendi morem deſcripſit Statius his verbis:

Tunc ſeptem numero turmas (centenus vbique
Surgit eques) verſis ducunt inſignibus ipſi
Graiugenae reges: luſtrantque ex more ſiniſtro
Orbe rogum, & ſtantes inclinant puluere flammas:
Ter curuos egere ſinus, illiſaque telis
Tela ſonant: quater horrendum pepulêre fragorem
Arma quatuor mollem famularum brachia planctum.

Cap. XVIII. Badium Campanum T. Quintio Criſpino Romano palam omnibus, duob. exercitibus audientib. renunciare hoſpitium.] Sic Tacitus; *Componit epiſtolas, qui amicitiã ei renũciabat.* Qui mox ex veteri illa, inquit Lipſius, & ſimplici vita: qua receptũ, amicitiam & inimicitiam prõptam habere in ore & in fronte. Mos, qui publice obtinebat, priuatimque. Publice, Liu. lib. 36. *Conſulti Feciales à M'. Acilio cõſule num prius Aetolis renuncianda amicitia eſſet, quam bellũ inferendum.* lib. 43. *Miſſi legatum Perſeo amicitiam renunciarũt.* Priuatim, infra lib. 6. *Morem fuiſſe maioribus quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiae ponere.* lib. 3. *Quamquam non vltra foret ſaeuitum, quã vt amicitia Caeſaris prohiberetur.* Sic Badius Campanus apud Liuium lib. 25. palam omnib. renunciat hoſpitium Criſpino. Atque hoc eſt quod Cicero inimicitias denunciare ait, pro L. Flacco: *Etenim cum à clariſſimis viris iuſtiſſimas inimicitias ſaepe cum bene meritis ciuib. depoſitas eſſe vidiſſem: nõ ſum arbitratus quemquã amicũ patriae nouas huic inimicitias, nulla accepta iniuria denunciaturum.* Seneca epiſt. 77. *Inimicitias mihi denuncias, ſi quidquam ex iis quae cottidie facio ignoraueris.* Idẽ quod indicere inimicitias Seneca li. 3. de Ira: *Quid iuuat tãquam in aeternum genitos iras indicere, & breuiſſimã aetatem diſſipare?* Vnde inimicitiae indictae, vti indictum bellũ. Sidonius li. 7. *Inimicitias indictas honeſte exercet, tarde credit, celeriter deponit.* Item inimicitiae teſtatae, quaſi quae literarũ teſtimonio ſignatae, Valer. li. 4. *Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorũq; ab aemulatione virtutis profecta cõtẽtio, ad graues teſtaſq; inimicitias progreſſa fuerat.* Nec aliud cenſeo, cum legimus, inimicitias ex profeſſo.

Cap. XIX. Quippe inter Annibalem ducem, & centurionem, exercituſque, alterum vincendo veteranum, alterum nouum totum, & magna ex parte etiam tumultuarium ac ſemiermem.] Silius meus:

Obuius huic ſparſo Centenius agmine rapto
Funditur, audendi prauus, faciliſque periclis.
Sed paruum decus Annibali. nam vitis honore
Perfunctus Latia, ſubito ſtimularat agreſtes:
Semermemque manum ſternendam abiecerat hoſti.

Cap. XXIII. Inde vbi id temporis viſum, quo die epulatis iam vinoq; ſatiatis, principium ſomni eſſet.] Malit Lipſius: *quo de die epulatis iam vinoque ſauciatis.* malim & ego. de die enim epulari probroſum.

Cap. XXIV. Quo per ingentem ſolitudinem erat peruẽtum, quia magna pars in turribus epulari, aut ſopiti vino erant, aut ſemigraues potabant.] Forte, inquit amicus noſter, *aut ſomno graues potabant.* quod ſane mire huic loco conuenit.

Cap. XXIX. Sedato tandem tumultu ex equentib. ſciſcitando mercenariis, quae acta cum Romanis eſſent.] Liber Lipſij Ms. *tumultu acquirentibus ſciſcitando.* vnde faciebat, *anquirentibus ſciſcitando mercenariis.* recte.

Cap. XXX. Contra, ſi malle obſideri pergat, quam ſedem eſſe terra marique clauſo?] Nullam ſedem hic habere poteſt illud *ſedem*: miror que hactenus id obtinuiſſe, cum verum ſit & Mss. libris & editione antiqua Moguntina atteſtante, *quam ſpem eſſe terra marique clauſo.*

Cap. XXXVIII. Ne tamen ſubita res & nocturnus terror etiamnum ſuae fortunae conſilium perturbaret, alloquẽdos adhortandoſque ſibi milites ratus, concione aduocata ita diſſeruit.] Eleganter in meo libro, *nocturnus terror, & non ſua fortuna conſilium.* Non enim fortunae illius afflictae videbatur, & propemodum deſperatae, vltro aggredi hoſtium caſtra.

Eod. Cogor omnium veſtrum vicem, quod difficillimum in luctu eſt, vnus conſolari.] Vetus, *vnus conſulere.* veriſſime. Aliis luctu & metu debilitatis, ſumma conſiliorum ad vnum Martium venerat. At illud vulgatum, ſi attendis ne Latinum quidem eſt.

Eod. Non lamentis lacrimiſque tamquam extinctos proſequi, viuunt enim, vigentque fama rerum geſtarum.] Malo lectionem veterem, *viuunt enim vinentq;*

Eod. Scio audax videri cauſam, ſed in rebus aſperis & tenuibus fortiſſima quaeque conſilia tutiſſima ſunt.] Sigonio placet induci voces, *& tenuib.* ex veteri libro, vt ait ex ſenſu. In meo reperio, *& tenuis per.* itaque non dubie emendo, *in rebus aſperis et tenui ſpe fortiſſima.*

Eod. Vnus exercitus in propinquo eſt: duo haud procul abſunt. nunc aggredientibus per aliqua opportunitas eſt, & iam tentaſtis veſtras atque illorum vires, ſi diem proferimus, periculum eſt, &c.] Multa in Liuio patrum ætate interpolata. in iis hic locus. Vetus liber, *nunc aggredientibus par aliqua eſt.* illi boni explendæ ſententiæ, *opportunitas*, immiſerũt. Sed nemo paulo doctior negabit emendandum fuiſſe, *pares aliqua eſtis*. Docet hiſtoria & res ipſa.

Cap. xxix. Inde ſigna canunt, & tollitur clamor. pars ſemiſopiros hoſtes cædunt, pars ignis eſcas ſtramenta arida tectis iniiciunt, pars portas occupant vt fugam intercludant.] Ad hunc locum Glareanus non tam ineptus cenſor quã quidam exiſtimat, *Dura eſt*, inquit, *compoſitio*, *nec facile dixerim quã diſpliceat. ſenſus tamen intelligitur*. & diſplicet merito. In veteri meo hoc tantũ ſcriptura mutat, *ſtramẽto arido*. Præiuit tamen ad veritatẽ. Lego *pars ignes caſis ſtramento arido tectis.* Illud *eſcas*, conflatum ex repetita ſyllaba, *ignes*, fuit, & pro *eas*. quam apte *caſis*! Ita Liuius libro vigeſimoſeptimo cum Campanorum caſtra incenduntur, *arundine et ſtramento tecta ea* dixit. & lib. 30. cum Syphacis à Scipione. Lipſius à quo & proxima huc tranſtulimus.

Flammam ei concionanti fuſam è capite ſine ipſius ſenſu cum magno pauore circumſtantium militum.] Qua de re ita Valerius Maximus lib. 1. ca. 6. *Æque felicis*, inquit, *euentus illa flamma, qua ex L. Marty ducis duorum exercituum, quos interitus P. & Cn. Scipionum in Hiſpania debilitauerat, capite concionantis eluxit. Namque eius aſpectu pauidi adhuc milites, priſtinam recuperare fortitudinem admoniti, octo & triginta millibus hoſtium caſis, magnoque numero in poteſtatem redacto, bina caſtra Punicis opibus referta ceperunt.*

IN T. LIVII LIB. XXVI. NOTÆ.

CAp. 1. Ea cura tum maxime intentos habebat Romanos, non tam ob iram, quæ in nullam ciuitatem vnquã iuſtior fuit, quam quod vrbs.] Hic legẽdum, *ab ira*, pro *ob iram* libro 24. nouimus, vbi ſimilem locum notauimus. taleſque ſunt iſtæ præterea apud Liuium locutiones li. 30. *Neque prudentiorem, neque cõſtantiorem Maſaniſſam, quam Syphacem eſſe, etiam abnuenta incautiorem: certe ſtultius atque intemperantius eam, quam ſe duxiſſe.*

Cap. vi. *Nec magni certaminis rem fore. paucos eſſe & ab ſuis interclusos, & quatum paueat, Romanis interrupta acies videatur: etiam ſi ſe vtrimque in hoſtem vertat, ancipiti pugna medios circumuenturam.*] Glareanus de obſcuritate priorum & ſequentium præfatus, fatetur ingenue hæc à ſe non intelligi: Tantum mométi leuis corruptio habuit. Leuis, inquã. Nam illud, *dum paueat*, ſcribendam, *dum pauex*: & pro, *etiam*, leg. *eam*. & pulſæ tenebræ ſunt. Cohors Hiſpanorum ruperat Rom. mediam aciem. Hoc Fuluius in bonum vertens, Quæ, vobis, inquit, dum pauetis, interrupta acies videtur ea maxime erit opprimẽdo hoſti, & ſi ſe vtrimq; verterit, &c. Lipſi[9].

Cap. vii. Mediaſtuticus (qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt) eo anno Seppius Leſius erat.] *Medixtuticus* vbique in Liuio reponendum videri vbi nunc *Mediaſtuticus* legitur ex doctiſſimorum virorum ſententia iam ante monere memini, æque atque illud ſuſpecta iiſdem de gloſſemate eſſe quæ parentheſi incluſimus.

Eod. Nihil ad eam ſpem agnoſcentem dixiſſe ferunt, tu perditas res Campanorum narras vbi ſummus honos ad filium meum perueniet.] Vetus liber, *noctu perditas* habet, inquit Lipſius ſcribo; *Natu perditas*, familiari modo loquendi. optime. ſed qua coniectura opus non fuerit tractanti editionem veterem Moguntinam, longe optimam: in qua diſertim illud, *Natu* legitur.

Cap. ix. Cui ne minueretur imperium, ſi in vrbem veniſſet, decreuit Senatus vt Q. Fuluio par cum conſulibus imperium eſſet.] Neque enim poterat quiſquam pro conſule imperium in vrbe habere, ſed ſtatim vrbẽ ingreſſus illud amittebat. Vlpianus L. vlt. de Off. Procouſ. *Proconſul portam Romæ ingreſſus deponit imperiũ.* ex quo intelligere datur illud Ciceronis: *Mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, & extra vrbem eſſe cum iuſtiſſima cauſa, extra vrbem eſſe*; ne ſcilicet ingreſſus vrbem imperium amitteret atque etiã triumphi ſpem, cum tam triumphantem quam ouantem cum imperio eſſe conueniat in illum diem.

Eod. Crinibus paſſis aras vertentes, nixæ genibus, ſupinas manus ad cœlum ac Deos tendentes, oranteſque, vt vrbem Romani è manibus hoſtium eriperent.] Egregie exprimit ſupplicantium mulierum morem Apuleius quoque lib. de Mundo: *Habitus orantium hic eſt*, inquit, *vt manibus extenſis ad cœlum precemur*. Virg.

At pater Anchiſes oculos ad ſidera latus

&, *Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit*,

Et duplices cum voce manus ad ſydera tendit.

Et apud Liuium lib. 5. de Camillo, *Dicitur manus ad cælum tollens ita precatus eſſe.* Rurſum Virg.

Multa Iouem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Et Horat. *Cælo ſupinas ſi tuleris manus.*

Genibus autem nixas oraſſe oſtendit etiam Ouidius, quo loco libro 4. Faſtorum Claudiam ſubmiſſo genu precãtem facit, & Apuleius lib. 6. de Aſino vbi Pſyche genu nixa Iunonem deprecatur. ſed & crinibus templorum ſolum verrere ſolitas teſtis idem Liuius lib. 3. vbi ait; *Iuſſi cum coniugibus ac liberis ſupplicatum ire, pacemq; expoſcere Deũm ad id quod ſua mala quemque cogebant, auctoritate publica euocati, omnia delubra implent: ſtratæ paſſim matres crinibus templa verrentes, veniam irarũ cæleſtium finemque peſti expoſcunt.* Idem lib. 26. *Ploratus mulierum non ex priuatis ſolum domibus exaudiebatur, ſed undique matronæ in publicum effuſæ circa Deũm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes.* Polyb. lib. 6. Αἱ δὲ γυναῖκες περιπορευόμεναι τοὺς ναούς, ἱκέτευον τοὺς θεούς, πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. τοῦτο γὰρ αὐτοῖς ἔθος ἐστὶ ποιεῖν ὅταν τις ὁλοσχερὴς τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος. Lucanus lib. 2.

Hæ lachrymis ſparſere deos, hæ pectora duro
Afflixere ſolo: laceraſque in limine ſacro
Attonitæ fudere comas: votiſque vocare
Aſſuetis crebris feriunt vlulatibus aures,
Nec cunctæ ſummi Templo iacuere Tonantis,
Diuiſere Deos: & nullis defuit aris
Inuidiam factura parens. Silius Italicus lib. 12.
Funditur immiſtis gemitu, precibuſque per altos
Ad cælum muros clangor, ſparſaque ſolutis
Crinibus exulant matres, atque vbera nudant.

Claudianus in Encomio Serenæ vxoris Stiliconis:

Numinibus votiſque vacas, & ſupplice crine
Verris humum.

Nec alio reſpexit Arnobius cũ ait lib. 1. Aduerſus gẽtes: *Cum per omnia ſupplices irent templa, non deorum ante ora proſtrati limina conuerrerent oſculis.* repoſuique ab hoc more in Nouantiquis meis apud Statium.

—— *Et incultos aris aduerrere crines.* vbi ſine vllo idoneo ſenſu paſſim legebatur, *aris aduertere crines*. memineram enim eundem Poetam canere,

Illam diua ferox etiamnum in limine ſacro
Expoſitam, et gelidas verrentem crinibus aras
Linquit.

Cap. xi. Imber ingens grandine miſtus ita vtramq; aciem turbauit, vt vix armis retentis in caſtra ſeſe receperint.] Hæc Silius Poëtice ſic extulit:

Ipſe è Tarpeio ſublimis vertice, cuncta
Et ventos ſimul & nubis et grandinas irat,
Fulminaque & tonitrus, & nimbos conciet atros.
Concuſſu tremuere poli, cælumque tenebris
Clauditur. et terras cæca nox claudit amictu.
Inſtat tempeſtas oculos, hoſtique propinquo
Roma latet, iacta in turmas per nubila flamma.
Stridorem ſeruant, membris inſibilat ignis.
Hinc Notus hinc Boreas, hinc fuſcis Africus alis
Bella mouent, quantis animos & pectora poſſint.
Irati ſatiare Iouis, fluit agmen aquarum
Turbine confuſum piceo, & nigrante procella:
Atque omneis circa campos ſpumantibus vndis

Digitized by Google

Intonuit,celſus ſummo de culmine montis.
Regnator ſuperum ſublata fulmina dextra
Librauit,clypeoq; ducis non cedere certi
Iacuſſit,ſamma liquefactâ eſt cuſpis in hasta,
Et fluxit,ceu correptus fornacibus,enſis.
Ambuſtis ſed enim ductor Sidonius armis
Suſtebat ſocios,& cecum è nubibus ignem
Murmuraque è ventis miſceri vana docebat.
Tandem poſt clades ſocium,celique ruinam
Non hoſte in nimbus viſo,non enſe referri
Signa iubet caſtris,mœſtaſque reſuſcitat iras.

Eod. Magna illa, quod cum ipſe ad mœnia vrbis Romæ armatus ſederet,milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audiuit.] Silius,

Vt vero accepit tantam conſidere diuis
Auſonios patres,ſummiſſaque Betis ad oras
Auxilia,& nulla progreſſum mœnibus agmen;
Sic agitare fremens obſeſſos ocia,iamque
Securam Annibalis Romam,violentior inſtat.

Eod. Inde ad lucum Feroniæ pergit ire, tēplum ea tempeſtate inclytum diuitus. Capenates aliqui accolæ eius erāt, primitias frugum eo,donaque alia pro copia portātes, multo auro argentoque id exornatum habebant. His omnibus dotus tum ſpoliatum templum.] Iterum Silius,

Fama eſt,intactas longeuì ab origine fani
Creuiſſe in medium,congeſtis vndique donis,
Immenſum per tempus opes,laſtriſque relictum
Inaumeris aurum,ſolo ſeruatum pauore.
Hac auidas mentes,& barbara corda rapina
Polluit,atque armat contēpta pectora diuûm. quo loco primo verſu peſſime & cōtaminatiſſime in omnibus editionib. eſt:*lōgaui ad originē Fauni*, de quo in Nouātiquis egi plurib⁹.

Cap. XII. Capua erſi nihilo ſegnius oppreſſa per eos dies fuerat,tamen aduentum Flacci ſenſit.] Malim cum doctiſſimo Lipſio:*Capua etſi nihilo ſegnius obſeſſa per eos dies fuerat.* vt errorem fecerit ſcripta lectio *opſeſſa*. ſicut *optinere*, *opſides*, & ſimilia in libris antiquis Annibalem vocauerimus ad opprimendos eos?hoc quod recentiſſimum eſt,ad oppugnandam Romam hinc eum miſerimus?] Orationem Vitrij hanc ad verbum fere expreſſit Silius,cuius verſus vulgo corruptiſſimi,ſic ſunt emaculandi:

Virrius à Pœno nullam docet eſſet ſalutem,
Vociferant palſis viuendi è pectore curis,
Sperauì ſceptra Auſonia pepigique ſub armis
Si dexter Pœnis Deus,& fortuna fuiſſet
Vt Capuam Iliaci migrarent regna Quirini,
Qui quaterent muros,Tarpeiaque mœnia miſi,
Hoc mihi poſcendi vigor aſſuit,alter vt aquus
Portaret faſces noſtro de nomine conſul.
Hactenus eſt vixiſſe ſatis,dum copia noctis
Cas cordi comes,æterna eſt Acherontis ad vndam
Libertas,petat ille meas,menſaſque dapeſque,
Et victus mentem fuſo per membra Lyæo;
Sopitoque acris morſu medicamina cladis
Hauriat,& placidus exarmet fata venenis.
Hac ait,& turba repetit comitante penates.

Cap. XV. Conſurgentem iam Fuluium Taurea Iubellius Campanus per mediam vadens turbā nomine inclamauit.] In veteri,ait amicus noſter,*per media vadens vrbem turbamq;* recte. Foris enim adueniebat, vt liquet ex ſequentibus hæc ille, cuius lectionem firmāt etiam editio noſtra Moguntina in qua eſt,*per medium vadens vrbem turbā nomine inclamauit.* Cæterum de hac quoque re ſic Silius noſter membranaceus;

Hic atrox virtus (nec enim occuluiſſe probatum
Spectatam vel in hoſte decus) clamore feroci
Taurea tunc,inquit ferro ſpoliabis inultus
Te maiorem animam,& iuſſo lictor reciſa
Iam ceruix cadet ante pedes fortiſſima noſtros?
Haud vnquam hoc nobis dederit Deus,inde minaci
Ora tuens toruum contra,& fatis elerenidens,
Bellatore alacer per pectora tranſigit enſem.

Cap. XVI. Cæterum habitari tantum,tamquam vrbem, Capuam frequentarique placuit:corpus nullum ciuitatis , nec ſenatus,nec plebis concilium,nec magiſtratus eſſe.ſine concilio publico,ſine imperio multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad cōſenſum inhabilē fore,præfectū ad iura redděda ab Roma quot annis miſſuros.] Faciunt ad hunc locum plenius intelligendum quæ tradit elegantiſſime Iuriſcōſultus Iac. Cuiac. Obſeru.lib.11.c.24.in hæc verba.Paulus li.4.Sētent.*Teſtamenta*,inquit,*in municipiis,coloniis,oppidis,præfectura,vico,caſtello,conciliabulo facta.* A coloniis,municipiis,conciliabulis, & aliis quibuſdā ſeparat præfecturas,vt leges antiquæ,& alij auctores , quarum conditionē explicauit nemo melius quā Feſtus.vno niſi mēdo librarioli corruptus eſſet. Nam cum vnum genus præfecturarum id eſſe ait,in quas ſolebāt ire præfecti quatuor ſexuirū pro populi ſuffragio creati erant in hæc oppida,Capuam,Cumas,&c. illo certe loco legēdum eſt in hunc modum,*In quas ſolebant ire præfecti quatuor ex XXVI. viris,qui populi ſuffragio creati ibant in hæc oppida Capuā*,&c. Namque Dio lib.54.nominatim in XXVI. viris, è quibus erant Decemuiri litibus iudicandis, & Triumuiri monetales,& Triumuiri capitales & Viocuri quatuor in vrbe,& extra vrbem duo, ponit ad extremum Quatuoruiros qui in Campaniam mittebantur. Hi ſunt quatuor præfecti Roma Campaniam miſſi iuris dicendi cauſa. Vnde præfecturarum nomen,quas Græci νομοὺς & ϛρατηγίας,ac de Capua quidem in præfecturam redacta, quod Feſti definitionem valde confirmat,Liuius ſcribit his verbis,lib.26. *Habitari tantum tamquam vrbem Capuam frequentarique placuit,corpus nullum ciuitatis,nec ſenatus,nec plebs concilium,nec magiſtratus eſſe:præfectum ad iura reddenda quotannis miſſurum.*

Cap. XVIII. Mœſta itaque ciuitas prope inops conſilij, comitiorum die tamen in campum deſcendit.atq; in magiſtratus verſi circumſpectant ora principum.] De tota hac re audi Silium ita canentem:

At noua Romuleum carpebat cura ſenatum,
Quis trepidas gentes,mortemque ſubiret Iberum
Attritis rebus,geminus iacet hoſte ſuperbo
Scipio,belligeri Mauortia pectora fratres.
Hinc metus in Tyrias ac iam Tarteſſia leges
Concedat tellus,propioraque bella paueſcat.
Anxia turba patrum quaſſo medicamina mœſti
Imperio circum ſpectant,annoſque precantur.
Quæ laceris auſis ductor ſuccedere caſtris.
Abſterret iuuenem,patrios patruique piare
Optantem manes,triſti conterrita luctu,
Et reputans annos cognato ſanguine turba.
Si gentem petat infauſtam inter buſta ſuorum
Decertandam hoſti,qui fregerit arma duorum,
Qui conſulta ducum ac flagret meliore Gradiuo:
Nec promptam teneris immania bella lacertis
Moliri,regimenque rudi depoſcere in æuo.

& alio loco,*Arma noſtra petit nullo fera bella valeate;*
Et grauia ancipitis depoſcit munera Martis,
Arrecti cunctorum animi,pars lumina patris,
Pars credunt toruos patrui reuiſere vultus.
Sed quamquam tacitus,magnis tamen ægra periclis
Pectora ſubrupit terror,molemque pauentes
Expendunt belli,& numerat fauor anxius annos.

Cap. XIX. Nihilo minor fama apud hoſtes Scipionis erat, quam apud ciues ſocioſq; : & diuinatio quædam futuri,quo minus ratio timoris reddi poterat, eo opportune maiorem inferens metum.] Suſpectum eſt viro docto τὸ *opportune*. Itaque eum in Ms. codice reperierit,*oportet timore maiorem.* legit ille,*eo oborto timor e maiorem inferens metum*.quam veriſſimam ait emendationem, quod ſic fieri ſoleat inclinatis ſemel ad timorem animis.

Cap. XXI. Secutæ defectionem earum Hybla & Magella ſunt,& ignobiliores quædam aliæ.] Vetus Lipſij ſcriptus, *& Marcellu*,noſter Moguntiaci editus, *& Manella*, ſed legendum,*& Macella*,de qua Polyb.lib.1.

Cap. XXIII. In æde Concordiæ victoria, quæ in culmine erat,fulmine icta diſcuſſaque ad victorias, quæ in arcæ fixæ erant hæſit,neque inde procidit.] Lego,*quæ in antefixo erant*. Feſtus, *Antefixa quæ ex opere figulino tectis adfiguntur ſub ſtillicidio*. Liuius libro trigeſimoquarto: *Iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes,& antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes.*

πόλεως τὸν ϛεφανίῳ, ἀλλὰ χρυσοῦν ϛέφανον φορέσω. εἰ ἅπαξ ἐπιθυμεῖς ϛεφάνου, ῥόδινον λαβὼν περίθου. ἰδεῖν γὰρ κομψότερον. Lepidus & an Philoſophum dialogiſmus: *Hodie*, inquit, *locutus mecum quidã ſuper ſacerdotio Auguſti: Dico ei, Mi homo mitterem, ſumptum multũ facies fruſtra. At ſcriba publici, inquit,* (corrupta hac parte Græca) *nomen meum adnotabunt. Num tu igitur legentibus omnibus coram dices, Me inſcripſerunt? & vt nũc poſſis adeſſe omnibus legentibus, mortuus quid facies? Manebit meum nomen. Inſcribe ipſum nomen lapidi & manebit. Age, extra Nicopolim antẽ quæ memoria tui? At coronã auream geſtabo* (qua ſcilicet ornati ſacerdotes dum ſaciunt, ex Liuio, Plutarcho, alijs) *ſi prorſum appetis coronam roſeum indutus circumi. Aſpectu enim in iucundius.* Porro vt hoc quoque admoneam in Moguntinenſi veteri editione eſt non *oraculũ ingreſſus erat*, ſed *oraculũ adiſſet.* quod perinde & fortaſſe etiam melius huic loco conuenit.

Eod. Pro his tãtis totque victoriis verum ſacrum diis immortalibus agi haberique.] Hic Sigonius, Veteres, inquit, libri non habent vocem *verum*, & pro *tantis totque* habent *tot tantiſque*. Quidam libri olim habebant *rerum*, non *verũ*. Itaque in ſuſpicionem venio, ne quoniam huic ſententiæ, ſubaudiendum eſt verbum *petere*, pro *rerum* voce perſpicue deprauata, *petere* ſit ſubſtituendum. Quod tamen non adfirmo. & recte quidem tu Sigoni, quod non adfirmas quæ probare nulli ſano poſſis; recte etiam Glareanus qui ad hunc locum ſic ſcribit: Hoc *rerum* quidam haud temere amouerunt mea quidem opinione. quidam mutarunt in *verum*. quamquam præterea ſenſus videtur deſiderare verbum *petit* vel ſimile quid. bene, inquam, factum à vobis quod temere nihil mutandum ſtatuiſtis eo loco vbi vobis non lucebat, & meræ erant tenebræ, quarũ nubẽ ita diſcutio, vt dicam nihil mutandum & veram germanãque Liuij ſcripturam eſſe; *pro his tot tãtiſque victoriis verum ſacrum diis immortalibus agi haberique.* poſitum enim eſt hic *verum* pro *æquum*, vt dixit Horatius.

Eod. *Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.* & Cicero pro Mur. *Cato negat verum eſſe beneuolentiam illicicibo*, hoc eſt, negat iuſtum, æquum, bonum eſſe. quin ne Iureconſulti quidem hoc loquendi genere ſeſe abſtinuere. vide L. omnes de integr. reſtitut. l. ſi cui legetur. §. Iulianus. de legat. 1. Inſtit. ex quibus cauſ. manum. non licet. §. Semel.

Cap. XII. Secundum hæc dicta Magonis lætis omnibus, Himilco vir factionis Barchinæ locum Hannonis increpandi eſſe ratus; Quid eſt Hanno? inquit, etiam nunc te pœnitet belli ſuſcepti aduerſus Romanos? iube dedi Annibalem.] Silius increpitum ab ipſo Magone Hannonem refert, non ab Himilcone, ſed totum locũ eius vulgo contaminatiſſimum, adſcribere lubet vt in optimo membranaceo codice legitur in hæc verba:

Atque ea dum memorat, toruo conuerſus in ora
Hannonis vultu, quem gliſcens gloria prauum
Ductoris ſtudio iam dudum agitabat acerbo.
Iamque tibi dextras, inceptuque noſtru probamus,
Iam ſat Dardanio me non ſeruire colono.
Anne iterum Annibalem dedi places? antra veneno
Inuidia, nigroque vndantia pectoru felle
Tandem tot titulis, totque exornatu tropheis
Infelix muta, dextra hæc, en dextera, quam tu
Æneadis Lacerare dabas, & littora, & amnes
Et ſtagna, & latos impleuit ſanguine campos.
Hæc Mago, atque animos fauor haud obſcurus habebat.
Cui ſimul inuidia, atque ira ſtimulantibus Hanno,
Talia veſani iuuenis conuicia miror
Haud equidem, tumet ingenio, fraternaque corda
Non tardè agnoſcas, & virus futile lingua.
Qui ne mutatum vanis obſiſtere credas,
Nunc pacem orandam, nunc improba fœdere rupto
Arma reponenda, & bellum exitiale cauendum
Auctor ego, atque adeo voſmet perpendite quæſo
Quid ferat, haud aliud nobis cenſere relictum eſt.
Tela viros, aurum, claſſis alimenta precatur,
Belligeramque feram, victus non plura dediſſem.
Sargaine Dardanio Rutulos ſitu ruinimus agros,
Et iacet in campis Latium, deponere curat
Tandem ergo bello da victor, liceatque ſedere
In patria, liceat non exhaurire rapacis
Impenſis bellis vacuatos ſæpe penates.
Nunc en, nunc inquam (*falſa vt præſagia noſtra*
Sint oro, menſque augurio ludatur inani)
Haud procul eſt funeſta dies, atrocia noui
Corda, ac proſpicio natas è cladibus iras.
Vos ego, vos metuo Cannæ, ſubmittite ſigna,
Atque adeo tentate, agedum, & depoſcite pacem.
Non dabitur, parat ille dolor (*mihi credite*) *maius*
Exitium accepto, citiuſque hæc fœdera victor
Quam victus dabit, atque adeo quit am a ſuperbo
Facta ſonat ore, & ſpumanti turbine perflat
Ignorantum aures, dic en germanus in armis
Ille tuus par Gradiuo, per ſæcula tellus
Cui ſimilem nunquam ductorem in bella creauit,
Mœnia Romulea cur nondum viderit vrbis?
Scilicet à gremio matrum rapiamus in hoſtem
Nondum portandis habiles grauioribus armis.
Æratas iuſſu texamus mille carinas,
Atque omnis Libya quæratur belua terris,
Vt longa imperia, atque armatus proroget annos
Annibal, & regnum trahat vſque in tempora fati.
Vos vero (*neque enim occulto circumdamur aſtu*)
Ne dulcis ſpoliate domos, caſtriſque potentum
Atque opibus ſancite modum, pax optima rerum,
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior, pax cuſtodire ſalutem
Et ciues æquare potens, reuocetur in arces
Tandem Sidonias, & famu fugetur ad vrbe
Perfidia Phœniſſa tua, ſi tanta libido
Armorum tenet, atque enſes non reddere præſtat
Poſcenti patriæ, nil ſuppeditare furori
Horior, & hæc fratri Magonem dicta referre
Pluru adnectentem (*neque enim ſatiauerat iras*
Dicendo) *clamor turbas diuerſu volentum.*

Eod. Latoque, vt ſolet, ad populum, vt equum aſcendere liceret, præter duas vrbanas legiones, quæ principio anni à conſulibus conſcriptæ fuerant, & ſeruorum delectum, cohorteſque ex agro Piceno & Gallico collectas, ad vltimum prope deſperatæ reipubl. auxilium, cum honeſta vtilibus cedunt, deſcẽdit equo, dixitque: Qui capitalem fraudem auſi, quique pecuniæ iudicati, &c.] Quid illud, ait Lipſius, *deſcendit equo?* An in vrbe Dictator equum aſcendebat? & vt id fuerit, an ex equo edicere non potuit? campæ & flocci. Scribo, & diſt. *ad vltimum prope deſperatæ reipub. auxilium cum honeſta vtilibus cedunt, deſcendit edixitque.* Scriptum fortaſſe fuit *ecdexitque*. At homines acutos mouit, quod antea legerant latum fuiſſe vt equum aſcendere liceret. Itaque facete iterum equo detrahunt, propter illud *deſcendit*. quod Liuius ita dixit, vt vulgo *ad extrema deſcendere*. Porro quod ait, *cum honeſta vtilibus cedunt*: de huius rei indignitate queritur ſerio Val. Max. lib. 7. c. 6. vbi ita ait: *Abominandæ quoque neceſſitatis amariſſima leges, & truculentiſſima imperia, tum vrbem noſtram, tum etiam exteras gentes multa non intellectu tantum, ſed etiam auditu grauia, perpeti coegerunt. Nam aliquot aduerſis prœliis ſecundo Punico bello exhauſta militari iuuentute Romana, ſenatus auctore Ti. Graccho cõſule deſign. cenſuit; vti publice ſerui aduerſus propulſandorum hoſtium impetum emerentur. Eaque de re per tribunos pleb. ad populum lata rogatione tres creati ſunt viri, qui quatuor et viginti millia ſeruorum cõparauerunt: adactoſque iureiurando ſtrenuum ſe fortemque operã daturos, quoad Pœni eſſent in Italia, datis armis in caſtra miſerunt. Ex Apulia quoq; & Fidiculis ſeptuaginta atque ducenti ad ſupplementum equitatus ſunt empti. Quanta violentia eſt caſus acerbi! Quæ ciuitas ad id tẽporis ingenuæ quoque originis capite cenſos habere milites faſtidierat, eadẽ cellis ſeruilib. extracta corpora, & à paſtoralib. caſis collecta mancipia, velut præcipuũ firmamẽtum, exercitui ſuo adiecit. Cedit ergo interdũ generoſus ſpiritus vtilitati, & fortuna viribus ſuccũbit: vbi niſi tutiora elegeris conſilia ſpecioſa ſequẽti cõcidẽdendũ eſt. Cannẽſis autẽ clades adeo vrbẽ noſtrã vehemẽter cõfudit, vt M. Iunij opera dictatura rẽp. adminiſtrãtis ſpolia hoſtiũ affixa templis, deorum numini cõſecrata inſtrumẽto militiæ futura cõuellerẽtur ac prætextati pueri arma induerẽt: addictorũ etiã, et capitali crimine damnatorum ſex millia cõſcriberẽtur. Quæ ſi per ſe uſpiciãtur, aliquid ruboris habẽt ſi autem admotis neceſſitatis viribus ponderẽtur, ſæuitiæ tẽporis cõuenientia præſidia videbũtur.*

Eod. Senatus ac maxime primores eius in ſocietate Rom.

cum fide perſtate: plebs nouarum, vt ſolet rerum auida atq; Annibalis tota eſſe.] Heu prauitatem correctorum! Liuius ſcripſerat: *plebs nouaram, vt ſolet, rerum, atque Annibalis tota eſſe.* & teſtificor ita eſſe in libro qui penes me. at illi boni addiderunt, *auida*, ſcilicet ignoraſſe eos id genus dicendi Græcanicum, quo Liuius vtitur alias. lib. 6. *Plebs cum iam vnius hominis eſſet* lib. 11. *hominum non cauſarum toti erant.* Deprauauerunt ſimilem locum lib. 11. Lipſius: à quo ſequentia proxime quoque ſunt.

Cap. XVII. Annibal Acerris direptis atque incenſis cum à Caſilino Dictatorem Romanum legioneſque nuncij accipi nunciaſſent: ne quis tam propinquis hoſtium caſtris Capuam quoque recurrat, exercitũ ad Caſilinum ducit.] Confuſa hiſtoria, non apta verba. Primum, quid eſt, dictatorem accipi à Caſilino? quis ſic loquitur? dixiſſet à Caſilienſibus, ferremus, vt omittam acceptum numquam eſſe. Theani caſtra habuit, ibique hibernauit, Liuio ipſo inferius narrante. Deinde quod illum tantum periculum, ſi quis Capuam recurrat, ciuitatem Annibali ſociam & amicam? Liuius iſta nõ ſcripſit: vetus lectio *legioneſque minus accipi.* Valla voluit *legioneſque non.is accipi.* Puto melius, *legioneſque minus aſpici.* leuiſſima mutatione, illa ſequentia *Capuam quoque recurrat* meus liber effert: *Capuæ quoque recurreraat.* Lego, *ne quid tam propinquis h. e. Capuæ quoque occurreret.* Dicit Annibal audito Dictatorem vicinum eſſe, & à Caſilino tantum non aſpici ſigna legionum: metuens ne quid & Capuæ accideret exercitum propius Caſilinum mouit.

Cap. XXI. L. Furium prætorem cum claſſe ex Africa Lilybæum veniſſe. ipſum grauiter ſaucium in diſcrimine vltimo vitæ eſſe.] Vetus editio Moguntina & Lipſij codex *ipſum grauiter ictus ſaucium.* vnde faciebat illud delitiũ Muſarum pariter & Charitum: *ipſum grauiter relictum ſaucium.*

Cap. XXIII. Tum legit qui Ædiles, Tribuni, Prætores Quæſtoreſue fuerant, tum ex iis qui ſpolia ex Ro. hoſte fixa domi haberent.] Cum iam ante de curuli magiſtratu egerit, non infeliciter reſtituit *pratorum* voce delata Paulus Manotius *Aediles, Tribuni plebis Quaeſtoreſue*: hancque eius emendationem approbant Sigonius & Lipſius; quorum hic eam correctionem diſertim in ſcripto ſuo codice exſtare dicit, ne quis vltra ambigat aut de veritate eius addubitet.

Cap. XXXIII. Ad Laciniæ Iunonis templum in terrã egreſſi ſunt.] abeſt, inquit Lipſius, à veteri cod. *templum.* rectiſſime, ſicut poſt: *eodem ad Iunonis Laciniæ templum, vbi nauis occulta in ſtatione erat, perueniunt.* iterum omiſſa eadem vox.

Cap. XXXIV. Tum comitibus eorum ſedoctis metuque territis, literæ quoque ab Annibale ad Philippum inuentæ de pace inter regem Macedonum, Pœnumque ducem.] Quis neget verius in meo eſſe? ait Lipſius, *literæ quoque ab Annibale ad Philippum inuenta, & pacta inter regem Macedonum,* &c. Quo enim de pace compoſitio, vbi bellum numquam fuerat. Pacta erant, & nouum fœdus.

Cap. XXXV. Nec procul inde in occulto Marius Alfius qui ſummus magiſtratus erat Campanis, cum XIIII. millibus militum habebat caſtra. Ms. Liuius Iuſti Lipſij: *Marius Alfius edixit vti qui ſummus magiſtratus.* quibus duabus vocibus iũctis ſcribit ille: *Marius Alfius medixtutichus.* quam vocẽ vbique etiam in Liuio reponendam cenſet, vbi nunc *mediaſtuticus* legitur. idemque ambigit an iſta: *qui ſummus magiſtratus erat Campanis,* Gloſſema ſint; perinde ac lib. 26. vbi legitur *medixtutichus, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, Seppius Leſius erat.* iſta: *qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt.*

Eod. Triduum ſacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat ſacrum, ita vt ante mediam noctem complererut. Gracchus Caſtra Campana, vt in peruigilio neglecta ſimul omnibus portis inuadit.] Cui Deo cui deæ peruigilatum hic fuerit in incerto eſt, quemadmodũ & apud Suetoniũ Caligula, vbi legas: *nec alia de cauſa videtur eo die quo periit, peruigiliũ induxiſſe, quam vt initium in ſcenam prodeundi licẽtia tẽporis auſpicaretur.* & Vitellio, de quo ait: *In Apennini quidem iugis etiã peruigiliũ egit.* Ceterum Fortunæ peruigiliũ habes apud eũdem Suetonium in Galba, vbi: *Fortunæ,* inquit, *ſimulachrũ in parte ædium conſecratã menſtruis deinceps ſupplicationib. & peruigilio anniuerſario coluit.* Ceteris apud Tacitum qui ait: *Lectiſternia & peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti erant.* Ad Veneris peruigilium pertinent Plautina iſta ex Curculione:

Quid? tu Veneri peruigilare te vouiſti Phædrome?
Nam hoc quidem haud multo poſt luce lucebit.

Quod item tres noctes perpetes celebratum arguunt elegantiſſimi illi verſus ex opuſculo cui titulus ex *Peruigilium Veneris.* quod nuper nobis elegantiſſimi Galli nuſerunt, emendauit noſter Lipſius:

Ipſa vellet vt venires, ſi deceret virginem,
Iam tribus choros videres feriatos noctibus.

Cap. XXXVI. Annibal ratus ab re bene geſta inſolenter lætum exercitum tyronum magna ex parte ſeruorumque ſpoliantem victos prædaſque agentẽ ad Hamas ſe inuenturum, citatum agmẽ præter Capuam rapit, obuioſq; ex fuga Campanorum per duo præſidia Capuam duci, ſaucios vehiculo portariq; iubet.] Quæ hæc duo præſidia non facile dixerint. mendi ſuſpicionem facit vetus liber, qui illud, *per*, nullus habet. Ita legerim, *obuioſque ex fuga Campanorum, dato præſidio, Capuam duci,* hoc tantum *duo,* ſcribens *dato.* Lipſius.

Cap. XLII. Numidarum paucorum illi quidẽ præda erunt; præſidiumque miſſum nobis erit, & Nolæ ademeris.] Negat Sigonius, ait amicus noſter, elici idoneum ſenſum ex iſtis, *& Nolæ ademeris.* cumque abſit à veteribus libris *τὸ erit,* legendum cenſet; *et Nolam ademerit.* Certe abeſt & à meo illa vox: ſed propius à ſcriptura abiens lego, *& Nolæ idem erit.* hoc ſenſu: Præſidium quod mittes idem erit & nobis propugnandis, & Nolanis premendis.

Cap. XLVI. Hoſtium plus mille cæſi eo die, capti mille oc. & ſigna militaria vndeuiginti, & duo elephanti, quatuor in acie occiſi: Romanorum minus mille interfecti. Poſterum diem, induciis datis, ſepeliendo vtrimque cæſos in acie conſumpſerunt.] Liber Ms. Lipſij: *Poſterum diem, induciis tacitis, ſepeliendo vtrimque.* egregie. ſic enim Liuius ſæpius loquitur vt lib. 11. *Interceſſere pauci dies velut tacitis induciis vtrimque quiete ſumpta.* & alibi: *Tacitæ induciæ quietum annum tenuere.* & de hoc quidem ita ſe habet res. ceterum turbat mire hic editio noſtra vetus Moguntina, in qua expreſſim eſt: *Hoſtiũ plus mille cæſi eo die, capti mille oc. et ſigna militaria viginti duo; elephanti quatuor in acie occiſi: Romanorum minus mille interfecti. Poſterum diem, induciis datis, ſepeliendo vterque ſuos cæſos in acie cõſumpſerũt.* Sigoni⁹ vero ex vitioſa veteris libri ſcriptura eliciebat. *Hoſtiũ plus vel cæſi eo die, vel viui capti quinq; millia,* quod hũc numerũ Plutarchus in Marcello edat. ipſum adi.

Cap. XLVII. Hunc Taurea cum diu perluſtrans oculis obequitaſſet hoſtium turmis, tandem facto ſilentio, vbi eſſet, Claudius Aſellus quæſiuit. & quoniam verbis ſecum de virtute ambigere ſolitus eſſet, cur non ferro decerneret?] ſingulare certamen Iubellij Tauræ Campani & Claudij Aſelli Romani elegãter deſcribit noſter Silius ad verbũ fere Liuium ſecutus, niſi quod, vt omnia paſſim, locus ille valde vulgo mendoſus eſt apud eum poëtam, quem hic à me, imo à membranis meis ita emendes licebit.

Dum pauitant, ſpumantis equi fera corda fatigans
Euchitur porta ſublimis Taurea criſtis
Bellator, cui Sidonius ſuperare lacerto
Ductor, & Autololas dedit. & Mauruſia tela.
Is trepido aliti aam tinnitu ſtare neganti
Imperitans violenter equo, poſtquam auribus hoſtis
Vicinam ſeſe videt, ac clamore propinquo
Claudius, huic inquit (præſtabat Claudius arte
Bellandi, & merita mille inter prælia fama)
Huic inquit ſolum, ſi qua eſt fiducia dextræ,
Det ſeſe campo, atque ineat certamina mecum.
Vnu mora Aeneadu, poſtquam vox attigit aures,
Dum daret auſpicium, vſque in certamina ductor.
Prænetitum capiti pœna committere Martem
Sponte viris, erumpit ouans, vt Fuluius arma
Imperio ſoluit, patulamque inuectus in æquor
Erigit vndantem glomerato puluere habenam.
Indignatus opem amenti ſocioque iuuaro
Expulſam nodo iaculum, atque arceſſere vires.
Taurea vibrabat nudis conantibus haſtam,
Inde rueas ira telam contorquet in auras.
At non idem animas Rualo ſpectatar, & omni
Corpore perluſtrat qua ſit certiſſima ferro

In vulnus via, nunc vibrat, nunc comprimit haſtam
Mentitarq; minas, mediam nunc tranſigit ictu
Parmam, ſed grato fraudata eſt ſanguine cuſpis.
Tum ſtrictum propere vagina detegit enſem.
Et iam ferrata rapiebat calce volantem
Taurea cornipedem, fugiens minitantia fata.
Nec Rutulus lenior cedentis perdere terga,
Nam profugo rapidus faſtis inſtabat habenis.
Vtque metus victam, ſic ira & gloria portis
Victorem immiſit, meritique cupido cruoris.
Ac dum vix oculis, vix credunt mentibus hoſtem
Conſiſam, nullo comitante irrampere tectis,
Per mediam propere trepidantum interritus vrbem
Egit equum, aduerſaque euaſit ad agmina porta.

IN T. LIVII LIBRVM XXIIII. NOTÆ.

CAP. V. Index vnus ex coniuratis Theodorum à quo ipſe appellatus erat nominare potuit.] verum eſt, *Index vnum ex coniuratis.* quo pacto etiam habet & Moguntina noſtra editio, & Lipſij membranæ.

Eod. Sed cum in hoc bello cum hoſte, numquam ab vllo duce ſine ingenti noſtra clade erratum ſit.] eædem Lipſij membranæ: *cum in hoc bello cum hoſte.* noſtra vero Moguntina editio: *Sed cum in hoc bello, cum hoc hoſte, numquam ab vllo duce ſine ingenti veſtra clade erratum ſit.* quorũ vtrumuis vulgatæ lectioni anteferam, niſi quod etiam iſtud malim.

Cap. x. Quin Romę quoque in ipſa vrbe ſecũdum apum examen in foro viſum, quod mirabile eſt, quia rarum affirmantes quidam legiones ſe armatas in Ianicolo videre, concitauerũt ciuitatem ad arma. qui cum in Ianiculum iuiſſent, negarunt quemquam ibi præter aſuetos collis eius cultores apparuiſſe.] Si quis alius, fœdatus locus. Primum qui eſt, *ſecundum apum examen?* an proſperum, an ſecundo viſum? Logi. ego arbitror abeſſe loci nomen, & ſtellam ponendã, donec iuuent libri, ſic, *in ipſa vrbe ſecundum * apum examẽ.* Scripſit enim, *ſecundum Curiam, Roſtra,* aut quid tale. Iam quam apte illa iuncta videntur, *quod mirabile eſt quia rarum affirmãtes?* At tu crede meæ fidei, quinque illa verba purum putum gloſſema eſſe: & cum Liuius inter prodigia recenſuiſſet examen apum in foro, neſcio quis Siculus Momar ad oram adnotauit, *Quod mirabile eſt quia rarum.* Lege igitur, *in foro viſum. Affirmantes quidam,* &c. Illa etiam, *qui cum in Ianiculum iuiſſent,* corrupta ſunt, ex fide mei libri ſcribenda, *qui tum in Ianiculo eſſent,* Lipſius.

Cap. xxx. Marcellus cum omni exercitu profectus in Leontinos, tanto ardore militum eſt vſus, ob iram inter conditiones pacis interfectę ſtationis, vt primo impetu vrbem expugnarit.] Liber manſſ. *ab ira interfecta.* & lib. 26. initio: *Ea eam cura maxime intentos habebat Romanos, non tam ob irã, qua in nullam ciuitatem vnquam iuſtior fuit, quam quod vrbs,* &c. Idem codex, *non ab ira tantum, qua.* vtrũque optime. Mutatũ imperite fuit, quos dictio ea paulo remotior, offendebat. At exempla plura tamen in Liuio vulgo obuia. Lipſius.

Cap. xxxv. Nequaquam cum tantis copiis ante tenuerat ad Pachynum claſſem: ſed poſtquam ab Hyppocrate occupatæ Syracuſæ erant, profectus Carthaginem, accitusq; ibi, & ab legatis Hippocratis, & literis Annibalis, qui veniſſe tempus aiebant Siciliæ per ſummum decus repetendæ, & ipſe haud vanus præſens monitor. facile perpulerat, vt quãtæ maximę poſſent copię in Siciliam traiicerentur.] Hæc lectio man. feſto βαρβαρίζει, ait amicus noſter, quem ſexcenties nominatim iam laudaui, laudaboque. quid enim eſt *accitaſque ibi?* Nec Sigonius quidem aut ſententiam aut emendationem vidit. Libri vet. *aditusque ibi.* præſto verũ eſſe, *aditusque ibi.* & à leui emendatione reddita Liuio ſua ſententia eſt. Himilco Carthaginem venerat ad augendas copias. duo eum non leuiter iuuerunt, & legati Hippocratis auxilia petentes retinendis Syracuſis; & literæ Annibalis qui monebat totis viribus incumberent ad Siciliam recuperandam.

Cap. xxxvii. Quod vbi Ænnenſium principes iam pacti cum Himilcone de proditione præſidij animaduerterunt nulli occaſioni fraudis Romanum patere, aperte ac propalam placuerat agendum. Vrbem arcemque ſuæ poteſtatis aiunt eſſe debere, &c.] Ea verba, *aperte ac propalam,* abſunt à meo libro, nec Vallæ ætate in Liuio legebantur, & hercle inculcata ſunt explendæ ſententię. At ſcire debebant mendam in voce, *placuerat,* hærere. leg. q; *Ro. patere, palam erat agendum.* quas duas voces ſcilicet coaluiſſe.

Cap. xliv. In Apuliam Fabius pater filio legatus ad Sueſſulam in caſtra venit. cum obuiam filius progrederetur, lictoreſque verecundia maieſtatis eius taciti anteirent, non ſummouentes patrem, præter vndecim faſces equo præfectus ſenex, vt conſul animaduertere proximum lictorẽ iuſſit.] Hunc locum eleganter emendat & explicat noſter Lipſius in Electorum libro priore, vbi diligenter & cum cura ea perſequitur omnia quæ ad lictorum originẽ, conditionem, miniſterium quoquomodo pertinent in hæc verba: Origo, inquit, lictorum à Romulo, exemplum ab Etruſcis: nomen à ligando. Nonius Marcellus, *Lictoris proprietatem à ligãdo dictam vetuſtas putat: ita enim antiquitus carnificis officium fungebatur.* ſcribe alia ſententia, *iſti enim a.c.o. fungebantur.* Nam hoc monitum vult, antiquitus carnifices, Romæ non fuiſſe; & eorum vicem præſtitiſſe lictores, quod verum. teſtimonio priſci carminis, *I lictor, colliga manus.* Cum Nonio ſentit Valgius Rufus & pleraque Grãmmaticorũ pars. tamen miremur, quo flexu à ligando lictor, eſſet enim potius ligator. Sed moneo (vt in re Grammatica paullo tenuius diſſeram:) Ligo, ligere, & ligui, lictũ, fuiſſe antiquis: vt frico, fricui, frictũ: Plico, plicui, plictũ. Vnde hodieque Perfricui & explicui, & ſimilia plura. Inde igitur certiſſime & ἀναλόγως Lictor. Non vidit hoc fortaſſe (venia dicto ſit) Tyro Tullius: & ideo per ambages inclinata à Licio, vel à Limo. *Licio enim tranſuerſo* (ait ipſe apud Agellium lib. 12.) *quod limũ appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrãt, cincti erant.* Tyronis verbis & huic cinctui prælucet Iſidorus: *Cinus,* ait, *eſt cinctus quẽ publici habẽt ſerui: ita dictus, quia tranſuerſas habet purpuras, id eſt, limas.* Ita ibi lege, Iterum, *Tranſuerſa omnia antiqui lima dicebant. Hinc & Limus vocabulum accepit, cingulũ quo ſerui publici cingebãtur, obliqua purpura.* Sed & ſcriptores Grãmatici ſiue Finales, Limitẽ in agris deducũt cõſẽſu à Limo, ſiue trãſuerſo. Ab hoc licio in veteri formula ſunt, *Furta per lancẽ et licium.*

Lictores qua conditione fuerint, quæri poteſt: liberi an ſerui? Dico, Liberi. eligebantur enim plerumq; ex ima Quiritium plebe. Liuius lib. 2. *Quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus, & eos ipſos plebis homines: nihil contẽptius, neque infirmius, ſi ſint qui cõtemnant.* Taciti & ſupra paulo, tẽpore etiam è libertinis, aut libertis. Ea ſententia verborum eius lib. 13. Annalium: *Quippe late fuſum id corpus.* (libertos intelligit) *hinc pleraſque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus, & ſacerdotibus cohortes etiã in vrbe conſcriptas.* Miniſteria magiſtratibus, id eſt. Lictores, Viatores, Accẽſi, Scribæ, Statores, Prę cones, ſed & Tiberius Gracchus Tribunus, viatorẽ ſibi legit è propriis libertis, nouo tunc more & non optimi exempli. Eleganter Plutarchus: ὁ μὲν Τιβέριος τῶν ἀπελευθέρων τινὰ προάγειν ἀπὸ τῆς οἰκίας ἐκέλευσε τὸν Ὀκτάβιον. ἐχρῆτο δ' ὑπηρέταις ἀπελευθέροις ἰδίοις. Bene Plutarchus. Nam alias receptũ non è propriis libertis ſumi, ſed è ſeruis publicis, aut è plebe. Sed & togæ ius lictoribus fuit. ergo liberi, imo etiam ciues. Cicero in Piſonem: *Togula ad portam lictoribus præſto fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula reiecerũt.* Liuij tamen locus eſt, qui videtur adimere ius togas, lib. 3. *Quod autẽ iſtud imperium eſt, decemuiri, quod tenetis? tectis ac parietibus iura dicturi eſtis? Non pudet lictorum veſtrorum maiorum prope numerũ in foro conſpici, quam togatorum aliorumque?* falſo. ſcribendum enim ibi, auctoribus libris, *quã togatorũ aliorum.* Ita ille ipſe locus qui adimebat iam addit. Paullatim tamen vt Gracchus è ſuis libertis; ſic alij ſumebant è propriis ſeruis. Ni id fuiſſet non poſita hęc ab Antonio, Lepido, Octauiano III. viris lex eſſet: μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν, μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν. Notat Dio. lib. 48.

Munera lictorum præcipua tria Submotio; Animaduerſio, Præitio Submotio & ſubmouere, proprium lictoribus verbum. Ideo Summotor aditus, pro ipſo lictore poſitus Liuio lib. 45. *Aſſuetis regio imperio, nouum, formam terribilẽ, præbuit tribunal ſummotor aditus, præco, accenſus, inſueta omnia ocu-*

Digitized by Google

busq;. Fiebat cum ſtrepitu & imperio quodã: cum voce, manu, virga, locum facere & ſequenti magiſtratui. Expreſſit ſcite Liuius li. 8. vbi ſubitus in curiam venit Papyrius. *Repente*, inquit, *ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmouentiũ auditur: & ipſe infenſus aderat*. Non ſola, inquam, voce. Diſco ex Seneca, epiſtola 95. *Non eſt quod tibi tranquillitatis tuæ faſtidiũ faciat, ille vel ille ſub illis faſcib. purpura cultus. non eſt quod feliciorem eum iudices, cui ſubmouetur, quam quem lictor ſemita deiicit*. Vbi Vetus, *quã te quo l. ſ. d.* Ex Feſto: *Matronæ à magiſtratib. non ſubmouebantur, ne pulſari cõtrectariue viderentur neve grauidæ cõcuterentur*. Pulſari, ait, & contrectari, ſicut Appianus in eadem re, verberare li. 1. bellor. ciuiliũ: τῶν δὲ ῥαβδοφόρων τοὺς ὑπαντῶντας τῷ Σύλλᾳ ... ἐκ τοῦ σχήματος ῥαβδουχεῖν ἐπιτάξε. Latinus Pacatus in Panegyr. *Tam longe populus arcebatur, nec ocioſa viatoris manus plebẽ verbere ſubmouebat, vt eſſet ſecretũ in publico*. Imo adeo virgam ad hũc pulſandi vſum geſtaſſe lictores videntur de quadricam ſtatim. Inuidioſa igitur & ſuperba hæc ſubmotio cẽſebatur: & illi qui in magiſtratu aſpere ea vſi. Plinius in Panegyrico Traianum laudat, quod lictores habuerit quietos & ſilentes. *Neque enim*, ait, *ſtipatus ſatellitum manu: ſed circumfuſus vndique, nunc ſenatu, nunc equeſtris ordinis flore ſilentes, quietoſq; lictores tuos ſubſequebare*. Bene & ſignanter vt ſolet, Plinius. Quietos ad pulſationem referens: ſilentes ad vocem. Sic Cicero in illa, quæ de cælo delapſa, epiſtola, ad Q. Fratrem Octauium laudat: *apud quem*, inquit, *primus lictor quieuit, tacuit accenſus*. Et mox eundem fratrem ſuum, qui ita eundiot, natura & imperioſior, monet ſerio vt moderate vtatur hac ſubmotione. *Sit lictor*, ait, *non ſuæ, ſed tuæ lenitatis apparitor: maioraque faſces illi præferant dignitatis inſignia, quam poteſtatis*. Vbi auſim equidem ſcribere, *ſit lictor manſues, & tuæ lenitatis apparitor*. Vah, impudẽs? inquiet aliquis, Non ſum conſidera ductum literarum: non nimium aberro. Sententia ſane egregia ex lectione efficitur; quæ ex vulgata, ſi quid ego ſentio & ſapio, nulla. Obſeruabant autem diligentiſſime lictores, vt ſubmouerent perſonas infames, puta lenones, meretrices, id genus. credo ne occurſu, vt proprie dicam, obſcenô maieſtas populi principis contaminaretur. Seneca pater in controuerſia 2. li. 9. inter excerpta Blãdi ponit: *Maieſtatem læſam dixiſſem, ſi tibi exeunti lictor è conſpectu non ſummouiſſet meretricem*.

Sequitur animaduerſio. idipſum proprium in re lictoria verbum Suetonius in Iulio, cap. LXXX. *Q. Maximo ſuffecto trimeſtrique Conſule theatrum introeunte, cum lictor animaduerti ex more iuſſiſſet*. Liuius li. 24. *Vt Conſul animaduertere proximũ lictorem iuſſit, & is vt deſcenderet ex equo inclamauit*. ex quo loco clarum animaduerſionem verbis fieri ſolitã & clamore. Plinius in Panegyrico, *Vtriuſq; adhuc oculis paulo ante dimiſſi faſces oberrabant: vtriuſq; ſolennis ille lictorũ & præuncius clamor aurib. inſederat; cum rurſus curulis, rurſuſque purpura*, &c. Cõprehendebant hoc verbo, opinor, quicquid honoris venienti magiſtratui exhiberi ſolemne eſſet. vt Aſſurgere, caput aperire: Equo aut curru deſcende: Ferrũ ponere, & ſi quid tale. Tangit quædam ex iſtis coniunctim Seneca Epiſt. 65. *Si Conſulem*, inquit, *videro, aut prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet faciam: equo deſiliam, caput aperiam, ſemita cedam*. ego lucis cauſa dicam de ſingulis ſeparatim. Quod aſſurgerent Suetonius docet in Iulio c. 78. *Triumphanti & ſubſellia Tribunicia prætervehenti ſibi, vnum è collegio, Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe adeo indignatus eſt, vt proclamauerit. Repete ergo à me rempublicam Tribunus*. Moris enim vt non ſolum priuati aſſurgerent, ſed etiam minor magiſtratus maiori. Sic in Dione lego li. 36. ab Acilio Conſule ſellam Luculli prætoris confringi iuſſam, quoniam prætereunti ſibi, non adſurrexerat. At ille facere alteram loris intentam repoſuit: exprobrans conſuli ſuſpectam libertatẽ. Quod caput aperirent; præter Senecam, Plutarchus teſtis in Põpeio, cui venienti ait, Syllam ſolitum aſſurgere, & aperire caput. videlicet quaſi Imperatori. Et ad hanc hiſtoriam pertinuit Saluſtij fragmentum illud. *Quibus de cauſis Syllam in victoria Dictatorem, equo deſcendere ſibi vni aſſurgere de ſella, caput aperire ſolitum*. Loquitur enim ipſe Põpeius. Quæri poteſt quomodo caput aperuerit, ſi vulgo Romani erant capite intecto? Nam pileũ ſane aut petaſum ritu noſtro non ferebant. Ea de re ſcribã plene alio loco: aut potius iam ſcripſi. Nam Saturnalib. meis exactus decimus menſis: nec aliud lucẽ eorum moratur, quã tenebræ, & nimb. huius belli. Quod equo deſcenderent; clarum ex Liuij, Valerij, Plutarchi hiſtoria de Q. Fabio. Etiam ex Dione; apud quẽ libr. 36. Põpeius deſcendere ſibi equo Tigranem regẽ iuſſit per lictorem. Quod miremur; auctor idẽ Dio, Seruilio Iſaurico cum forte obuius quidam equo non deſcendiſſet; re delata ad iudices, cauſam ſatis idoneã viſam hominis eius damnandi. Ea pertinacia erat, priſci moris. Apuleius graphice prorſus expreſſit hunc ritum habẽdi honoris, li. 3. Floridorũ: *Si quem conſpicantur ex principalibus viris, bene conſultum, bene cognitum, quamquam oppido feſtinant, tamen honoris eius gratia cohibent curſum, releuant* (corrupta ea vox eſt, & alias ſcribitur *releuaat*: mihi non eſt ad manum medicina) *gradum retardant equum, & ilico in pedes deſiliunt: fruticem quem verberando equo geſtant, eam virgam in læuam manũ transferunt. itaque expedita manu adeunt, ac ſalutant*. Simile fuit in curru. Feſtus: *Viri ſedentes eam vxorib. in vehiculo deſcendere non cogebantur*. Quod ferrum, ſiue gladiũ ponerent, neſcio an vulgo notum ſit; ſed eruo ex Plutarcho, de Pompeij congreſſu & Tigranis: ὡς δ᾽ ἦλθεν, inquit, ἱππότης ἐπὶ τὸν χάρακα, ῥαβδοῦχοι δύο τοῦ Πομπηΐου προσελθόντες ἐκέλευσαν ἀποβῆναι τοῦ ἵππου καὶ πεζὸν ἐλθεῖν. καὶ ταῦτα μὲν οὖν Τιγράνης ἐποίησεν, καὶ τὸ ξίφος αὐτοῦ ἀπολυσάμενος παρέδωκε. Item ex Xiphilino in Nerone. ad quem veniens Teridates rex, & iuſſus acinacem ponere, noluit, ἀλλ᾽ inquit, ἥλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξε. clauis eum vaginæ adfixit. ritu non abſimili ab eo qui in pleraque Italia hodie obtinet: in cuius oppida cincti non admittuntur peregrini, ni gladio ad vaginam funiculo aliquo, dicis cauſa, vincto. Inuenio eundem diſcingendi ritũ apud Tacitum lib. 15. Annal. *Rex propriis nunciis à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Teridates perferret; neu ferrum traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur*. qui etiam addit de complexu: de quo ad ipſum.

Tertium, Præitio. ibant enim ante magiſtratum lictores, non gregatim, aut cõfuſe, non item bini, terniue, vt quis ſuſpicetur, ſed ſinguli, & in lineam. Hoc ſerio monitũ volo, quia non aliter eſt vt capias, quis primus, quis proximus lictor. ibant, inquam, ſinguli. Ex nummis Iunij Bruti, in quib. expreſſus hic ordo euntium lictorum. qui nummi in volumine, quod publicauit nuper Fuluius Vrſinus amicus noſter, citra controuerſiam Italiæ ſuæ flos? Item ex Fabiana hiſtoria, quę apud Valerium & Liuium, ita enim narrant, vt niſi de hoc ordine intelligi non poſſint. Valerij verba ſunt li. 2. *Fabius à Seneta ad filiũ Conſulem, Sueſſam miſſus, poſtquã animaduertit eũ ad officium ſuum extra oppidũ proceſſiſſe: indignatus, quod ex lictoribus vndecim nemo ſe equo deſcendere iuſſiſſet, plenus ira ſedere perſeuerauit. Quod poſtquam filius animaduertit proximo lictori vt ſibi appareret, imperauit*. Liuij ſunt lib. 24. *Cum obuiam filius progrederetur, lictoreſque verecundia maieſtatis eius taciti anteirent, [non ſummouentes patrem] præter vndecim faſces equo prævectus ſenex*, &c. Verba, quæ adduxi, Liuij bono, corrupta enim, & circumcidam in iis latens vlcus. Hęc, *non ſummouẽtes patrẽ*, occultum ſed ineptũ gloſſema ſunt: tollenda, inducẽda. Libet optimus mihi auctor, & res ipſa. Attende enim cor gloſſographi. Liuius ait lictores tacitos anteiſſe. ille addit nõ ſubmotũ ab iis patrem. Quid? ſubmotionis res hic erat? Accedere pater filium debebat, vt legatus populi Romani. Is ergo ſubmouendus à cõſpectu fuit? aut id poſtulabat filius? Falſum. prorſus non intellexit baburrus ille vim, ſubmouendi, aut Liuij mentem. Taciti anteibant lictores, & paſſi patrẽ propius accedere vehentem in equo. In eo peccarunt, animaduertere debuerant, & clamare, Deſcende. Ex hoc igitur ordine facile eruo, quis Primus, quis Proximus lictor. Primus is qui anteibat & quaſi ducebat agmen: Proximus qui claudebat, & proxime aberat à magiſtratu. vnde etiam nomen. Ita intellige priſcum morem, qui apud Valeriũ li. 1. *Maxima diligentia maiores hunc morem retinuerunt, ne quis ſe inter conſulem et Proximũ lictorem, quamuis officij cauſa vna progrederetur, interponeret*. Conniuere viſa in hac re Turnebi diuina mens, dum adſeuerat proximũ lictorem eundẽ eſſe cum primo. apage. nec terram, nec cælum tãgit ea ſententia. Primus lictor ab ordine euntium. vt dixi, non à dignitate, cuius proprium munus, ſubmonere. primus enim incurrebat in turbam. Cicero ad Qu. Fratrem. *His rebus nuper C. Octauius iucundiſſimus fuit, apud quem primus lictor quieuit, tacuit acceſſus*.

Proximus inter XII. poſtremus. cuius erat mandata à magiſtratu aut literas accipere, & præſtare ea quæ operæ familiarinris. Hic digniſſimus, & quaſi caput inter lictores, & haud dubie is, qui alio nomine, ſummus lictor. Gloſſæ veteres, *Summus lictor, ἀρχιραβδοῦχος.* Mentio proximi. Saluſtium: *Hiempſal in oppido Thumida forte eius domo vtebatur, qui Proximus lictor Iugurthæ, carus acceptuſque ei ſemper fuerat.* Apud Cicer. *Denique proximus lictor, de quo ſæpe iam dico, Sextius.* Vidimus & lapidem:

M. Valerivs
Achillevs li-
ctor Proximvs
Lavrens Lavinas.

Dixi munera lictorum; addam inſignia, & quæ cum inſignibus munia coniuncta. Inſignia eorum faſces & virgæ. Faſces appellamus bacillos aliquot teretes loro colligatos in modum faſcis. quorum exemplar frequens in lapidibus & nummis, eos bacillos ex vlmo fuiſſe antiquitus, docere videntur comœdiæ Plauti, non vno loco. Plinius tamen betulam arborem terribilem ait magiſtratuum virgis; & neſcio vniuerſe id accipiendum, an ex verbis eius, de Gallia tantum. Italiæ ſane communior vlmus. Faſcium inuentum Vetuloniæ Etruriæ vtbi adſcribit Silius:

Mæoniaque decus quondam Vetulonia gentis
Biſſenos prima illa dedit præcedere faſces,
Et iunxit totidem, tacito terrore ſecures.

Inde traducti Romam. Et faſces quidē hæſerunt Romæ, non ſecures. P. enim Valerius non falſo Poblicola dictus, inuidiæ conſulum minuendæ, primus dempſit faſcibus ſecures. quaſi ne nimius ille terror delibaret aliquid de populari libertate. Ex eo tempore exules vrbe Roma ſecures; ius tantum ſuum in bello tenuerunt. & extra vrbem. Clare Dionyſius libro 4. Βεβαίαν τι πίστιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τὸν δημοτικὸν λαβεῖν βουλόμενος, ἀφεῖλεν ἀπὸ τῶν ῥάβδων τοὺς πελέκεις, καὶ κατεστήσατο τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπάτοις ἔθος, ὃ καὶ μέχρι τῆς ἐμῆς διέμεινεν ἡλικίας, ὅταν ἔξω τῆς πόλεως γένωνται χρῆσθαι τοῖς πελέκεσιν, ἔνδον δὲ ταῖς ῥάβδοις κοσμεῖσθαι μόναις. Liuius li. 24. *Lictores ad eum accedere conſul iuſſit. et quia in vrbem non ierat, protinus in campum* (Martium intellegit) *profectus: admonuit eum ſecurib. ſibi faſces præferre.* vbi ſatis clare eū morem agnoſcit Liuius; libro tamen ſecundo, vbi opportune id poterat, verbo de eo admonere oblitus. Mirum ergo Appianum ſcribere libro primo bellor. ciuil. Octauium in ſella curuli ſediſſe, prætexta indutum, faſcib. & ſecurib. quaſi conſulem cinctum. & id narrat eueniſſe Romæ: ἐπί τε inquit, τοῦ θρόνου καθῆστο τὴν τῆς ἀρχῆς ἐσθῆτα ἐπενδεδυμένος, ῥάβδοις καὶ πελέκεσιν ὡς ὑπάτῳ περιεζωσμένος. Ipſe Octauius hoc peccauerit contra priſcum morem, in tumultu ciuili, an per negligentiam ſuam ita narrauit ſcriptor Græcus, non dicam. Mos quidem non ambiguus eſt, vt quem Dionyſius adfirmet perſeueraſſe ad ſuam ætatem. Excipio tamen ad hoc more dictatorem, quotiens ſine prouocatione creatus. Illi enim prælatæ ſecures etiam in vrbe. auctor Dionyſius lib. 4. & Liuius lib. 2.

Faſces igitur iſtos ante magiſtratum ferebant lictores. erectoſne, an in humeris inclinatos? Cenſeam in humeris, ſuaſus à nummo Bruti in quo ea ſpecie cernuntur. alias non valde id mihi clarum, & fieri poteſt, vt etiam ſurrectos. Sed in ea geſtatione mos, vt ſi per viam maiori alicui magiſtratui occurrerent, ſtatim ſubmitterent faſces, & honoris habēdi cauſa inclinarent. Ortus mos, vt videtur ab eodem Valerio, qui primus ſummiſſis faſcib. in concionem aſcendit. *Gratum id multitudini ſpectaculum fuit* (ait Liuius) *ſummiſſa ſibi eſſe imperij inſignia confeſſionemque factam, populi, quam conſulis, maieſtatem vimque maiorem eſſe.* Summiſſis faſcibus, id eſt in terrā depreſſis, & ante pedes quodammodo deiectis. Errant qui in Liuio interpretātur faſces depoſitos, & abire iuſſos lictores. Plutarchus ſignanter ſcripſit, αὐτὸς τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παρελθὼν ὑφῆκε τῷ δήμῳ καὶ κατέκλινε, id eſt, ſubmiſit inclinauitque, Dionyſ. amplius aliquid addit ad hunc morem: ſolitum videlicet in eiuſmodi occurſu (ſi forte extra vrbem vſu veniſſet) vt minor magiſtratus deponeret etiam ſecures. Verba eius l. 8. de Marcio Coriolano: ἐκέλευσεν τοὺς ὑπηρέτας ἀποθέσθαι τοὺς πελέκεις, καὶ τὰς ῥάβδους κατενεγκεῖν. ὃ τοῖς γὰρ ἔθος ἐστὶ παρὰ Ῥωμαίοις, ὅταν ὑπαντῶσι ταῖς μείζοσιν ἀρχαῖς οἱ τὰς ἐλάττους ἔχοντες. Nec terra ſolum, ſed mari ſeruata hæc ſubmiſſio. Vnicum ad hanc rem locum Appiani invenio lib. 5. ciuil. vbi Antonij & Domitij Ænobarbi prætoriæ naues caſu ſibi obuiæ: Πλησίον τε ἦσαν ἀλλήλων ἤδη, καὶ αἱ ναυαρχίδες ἐκ τῶν σημείων ἐφαίνοντο, καὶ ἀλλήλαις προσέπλεον, καὶ τῶν ῥαβδούχων ὁ ἡγούμενος Ἀντωνίου κατὰ τὴν πρῷραν ἑστὼς ὥσπερ ἔθος ἐστὶν ἐς ὑπάτους ὑπὸ ἐλασσόνων ἀνδρῶν ὑπαντωμένους, προσέταξε καθελεῖν τὸ σημεῖον, οἱ δὲ καθεῖλόν τε, καὶ τὴν ναῦν ἐς τὸ πλάγιον τῆς Ἀντωνίου νεὼς περιέφερον. Vbi mox duplex. quod ſignum prætoriæ nauis deponerent: & quod lictores, ad ſpeciem imperij, ſoliti ſtare in prora nauis. Ab hoc ritu natum prouerbium, ſubmittere faſces: id eſt, cedere & fateri ſe minorem, vſurpatum præter alios Ciceroni in Bruto. Addere hîc aliquid de diuiſione faſcium poteram inſtituta à Iunio Bruto: ſed res non obſcura; & pete ſi voles ab Agellio li. 2. Suetonio in Iulio, cap. 20. Liuio lib. 3. de Xviris.

Alterum inſigne lictorū, Virgę. Nam præter faſces videntur manu geſtaſſe virgā, duplici vſui. & ad ſubmouendū, & ad ianuam tangēdam. De virga lictorū in ſubmotione, Martialis;

——*nec ſuperba clamoſi*
Lictoris abiget virga baſiatorem.

Et Plauto digna prologus, non Plauti;

Scortum exoletum ne quis in proſcenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virga muttiant.

In Ianua percutienda, Martialis;

Biſſenos iubet en redire faſces
Nato conſule: nobilique virga
Vates Caſtalij domum ſonare.

Nam quotiens magiſtratus ſuam aut alienam domum intraturus erat lictor præcedens virga fores percutiebat, quaſi ad ſignificandum eius aduētum. Liuius li. 6. *Forte ita accidit, vt in Ser. Sulpicij Trib. militum domo, ſorores Fabiæ cum inter ſe, vt fit, ſermonib. tererent tēpus: lictor Sulpicij, cum is de foro ſe domū reciperet, forem vt mos eſt virga percuteret. cū ad id moris eius inſueta expauiſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit.* Plinius li. 7. *Cn. Pōpeius confecto Mithradatico bello intraturus Poſidonij ſapientiæ profeſſione clari domum, fores percuti de more à lictore, vetuit.* Statius de nuptiis Stellæ, ——*dum feruent agmine poſtes*
Atriaque & multa pulſantur limina virga.

Et ſane eius moris reliquum veſtigium hodie in aulis magnatum, in quibus fores per ſingulos ciborum miſſus, ab Oeconomo, tereti baculo feriri ſatis notum eſt. Tale quid hęc virga. ideo in gloſſis ſcriptum *Virgarius, ῥαβδοῦχος.* Cum faſcib. confundi eam mihi non placet, nec ratio eſt. diſtinguit ſane Appianus 1. Ciuilium, in ſeditione Gracchana, ῥάβδους καὶ ξύλα τὰ ἐν χερσὶ τῶν ὑπηρετῶν ἁρπάσαντες, &c. ait faſces & virgas. Cicero etiam has ipſas virgas nominare videtur bacillos li. 11. ad Attic. *Propius accedere, vt ſuades, quomodo ſine lictoribus poſſum, quos populus dedit? qui mihi incolumi adimi non poſſunt. quos ego paulisper modo cum bacillis in turbam conieci, ad Oppiū accedens, ne quis impetus militum fieret.* Nam quod vir doctus ibi faſces intelligendos dicit: de ſummo pectore id dicit, & parum conſpecte. Verior tamen ſententia: quia faſces illi laureati nimium incurrebant in oculos, & ad vitandam inuidiam in depreſſa fortuna; ideo ait Cicero, remotis iis acceſſi, retinui ſolas virgas. Caſum quem Cicero metuebat euenit Cæcinæ Conſuli apud Tacitum lib. 3. Hiſtor. & ſeditio militaris excitata. ſolum propter conſpectos in partib. iam victis faſces. *Sed vbi Cæcina,* ait, *prætexta et lictoribus inſignis, dimota turba conſul inceſſit: exarſere victores:* & quæ ſequuntur. Seneca eaſdem virgas nominat, lib. 1. de Tranquillitate, c. 1. *Placet vim præceptorum ſequi, et in mediam ire rempubl. placet honores faſceſque non purpura aut aureis virgis adductum capeſſere, ſed vt amicis propinquiſque et omnibus ciuibus, paratior vtiliorque ſim.* Vbi mendo manifeſto ſcriptū, *aureis.* Nam aureas eiuſmodi virgas fuiſſe, nemo dixit, ſcripſit, pinxit. Aſſētior libris aquor qui legunt, circa ea voce, *aut virgis adductum.* Poterat etiam ſcribi littera addita, *laureis virgis:* vt neget Seneca magiſtratum cupiendum aut capiendum per ambitionem & deſideriū triumphi. Nam in triumpho laurus in faſcibus, ac laureæ virgæ in manib. militum & triumphantis. Nec Romæ ſolum huius vſu hæ virgæ, ſed etiam in coloniis & municipiis, etſi vſu paulo diuerſo. Nam Duumuiris ædilibus quinquennalib. Sexuiris (qui magiſtratus colonici & municipales) lictores prçibāt, non cum faſcibus, ſed cum nudis virgis aut bacillis. Appuleius lib. 1. Mileſiarum, *Nam & lixas & virgas, & habitum prorſus magiſtratui conuenientem in te video. Annonam curamus, ait: & Ædilem gerimus.* Ædilem intelligit in Theſſaliæ Hy-

paʈa Qoinquennalem. Cicero in Rullum, *Nam primum cum ceteris in coloniis Duumuiri appellentur, hi ſe Pratores appellari volebant. Deinde anteibant lictores non cum bacillis, ſed vt hic pratoribus ant eunt cum faſcibus duobus.* Ecce bacilli præferri Duumuiris ſoliti loco faſcium, qui titus ne nunc quidem exoleuit in colonia Aggrippinenſi, vbi liſæ, qui maiores conſules comitantur, oblongum tereremibaculum geſtant, inſigne magiſtratus. At Campanæ ſuperbiæ fuit, quod illi faſces ſumerent: vt apud Petronium pariter vanus ille Trimalcio, quoniam Sexuir Auguſtalis, faſces poni ſibi iuſſit, & quidem cum ſecuribus. ideo adoleſcens qui ſpectabat. *Et quod pracipue miratus ſum*, inquit, *in poſtibus triclinÿ faſces erant cum ſecuribus fixi: quorum vnam partem* (legendum *imum partem*) *quaſi embolum nauis aneum finiebat. in quo erat ſcriptũ*, G. POMPEIO TRIMALCIONI VI. VIRO AVGVSTALI. Cur id præcipue miratus? quia inſolens ſcilicet, & præter omnem morem.

Dixi de Lictoribus quæ ſcini: addendum aliquid de numero, & quot fuerint cuiq; magiſtratui. Dictatori tribuũt vulgo 24. & is numerus apud Dionem initio lib. 54. ſcilicet quia duplex in eo imperium, ideo & inſignia conſulis vtriuſque. Appianus lib. 1. ciuil. bellorũ, de Sylla, *πάλιν τό γε δὲ ἰσότητα*, inquit, *κατ' αὐτὸν ἦσαν ἄνδρες τέτταρες εἴκοσι καὶ τέτταρες, ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ὑπῆρχον* Et Plutarchus in Fabio narrat, Dictatorem eum cum vigintiquatuor faſcibus ſtatim proceſſiſſe in forum, vt populo vim oſtenderet eius imperij. Huic tamen vulgatæ ſententiæ pugnat epitome Liuiana, in qua claris verbis ſcribitur, lib. 89 *Sulla dictator factus, quod nemo quidem vnquã fecerat, cum faſcib. vigintiquatuor proceſſit.* Id ſi verum, ergo omnes ante Dictatores duodecim tantũ faſcib. vſi. ita vanus Plutarchus, qui Fabio 24. tradidit: vanus Appianus qui eum numerum proprium cenſuit Dictaturæ. Ego ſane hic hæreo, niſi ſi delendum id totum in Epitome, *quod nemo quidem vnquam fecerat.* tamquam à ſcioli cuiuſpiam infauſta & infeſta mano. Quidquid ſit ea tamen parte peccat Appianus, quod ſcribat, regibus lictores fuiſſe 24. & inde exemplum traductum ad Dictatores. Peccatum largum, Liuius ſane, Dionyſius, & quos ego viderim hiſtorici, conſenſu tribuũt duodecim lictores regibus: vel à numero auium, inquiũt, quæ Romulo regnum portenderãt; vel exẽplo ab Etruſcis, quorum duodecim populi creato regi ſinguli, ſingulos lictores dabãt.

Magiſtro equitum lictores ſes fuerunt. Ideo notandum, quia Dionis vnicus locus es quo id haurimus. apud Latinos nulla mentio. Lib. 42. de M. Antonio, qui magiſter equitum Cæſari: *At Antonius*, inquit (vertã enim eius verba) *ſi veſtitũ eius ſpectares, imaginẽ popularis ſtatus preferebat. pretexta enim vtebatur, Item ſi Lictores. non enim plures quam ſex habebat. At ſi gladium ſpectares quo cingebatur, & multitudinem militum qui eum comitabantur, reuera oſtendebat regnum & imperium vnius.*

Conſuli fuerunt XII. Prætori ſex, Tribunis & Ædilib. non Lictores, ſed viatores. Quæſtori, neutri. Varronis verba vide apud Agellium, lib. 13. c. 12. Tamen Liuius quæſtori P. Sextio diſerte tribuit lictorem, lib. 4. in ſeditione militari: ſed non vt Quæſtori. Præerat enim caſtris abſente conſule.

Legaris etiam lictores in prouinciis. Spartianus in Seuero, qoi legatus Proconſulis Africæ: *In ea legatione*, in quit, *cum eũ quidam Leptitanus, praecedentib. faſcibus, ipſe plebeius amplexus eſſet.* Mutaſſe tamen aliquid videtor Alexander Seuerus, & inſtituiſſe vt milites anteirant loco lictorum. Lampridius, *Apparitores denique nullos eſſe puſſus eſt. Tribunis aut ducib. niſi milites anteire noluit. Iuſſitque vt ante Tribunum quatuor milites ambularent, ante Ducem ſex, ante Legatum decem.*

Magiſtris etiam Vicorum Romæ, per certos dies lictores bini inſtituit Auguſtus. Vide Dionem lib. 55.

Virginibus Veſtalibus in publico ſemper vnus lictor. Inſtituerunt III. viri, Antonius, Lepidus, Octauianus. Narrat multis verbis Dio lib. 56. quem adi, & Plutarchũ caute lege in Numa, qui lictorem Veſtalium referre videtur ad inſtituta Numæ. Pertinet ad Veſtales Vinitij locus, qui apud Senecam patrẽ legitur in controuerſia, Sacerdos proſtituta: *Procedẽte hac lictor ſubmoueri videbitur: huic prator via cedet ; ſummi imperiũ conſules cedẽt tibi.* vbi emendo, *lictor ſubmouere iubebitur.* Lictore enim ad hoc exemplum vſæ imperatorũ aliquot vxores. Sed & Flaminius lictor, & Curiatus nominari Feſto.

Cap. XLV. Tum poſteaquam res Romana contra ſpẽ votaq; eius velut reſurgeret, turpius videatur nouam referre proditionem, vt proditio pro ſeptemuirali iudicio eſſet, ſemperq; aliud ſentiret, infidus ſocius.] Ad hunc locũ quis non aliquid ſibi dicendum putauit? quem cum aliter alij aut emendare conentur aut explicare, omnes tamen vno ore in eo conueniunt eſſe longe contaminatiſſimũ deprauatiſſimumq;. atq; iu omnib. etiam litteratus ille Lipſius, qui nulla ope hæc à ſe ſanari potuiſſe ingenue fatetur. ponã tamen, inquit, mei libri ſcripturã veterẽ: *vt proditis pelli v. m. virali indictione & ſẽper aliũde ſẽtiat, infidus.* & hæc interpretari decẽ Sibyllas iubebo.

Eod. Contra ea Conſulis pater Fabius temporum oblitos homines in medio ardore belli tamquam in pace libera de quoq; arbitrari & agere aiebat.] Manuſcriptus Lipſij: *libera de quoque arbitrÿ agere.* vnde ille non dubitat veram & germanam Liuij ſcripturã eſſe: *libera de quoque arbitria agere aiebat.*

IN T. LIVII LIB. XXV. NOTÆ.

CAp. II. Et aliquot publici ſacerdotes mortui eo anno ſunt, L. Cornelius Lentulus Pontifex Maximus, & C. Papirios C. F. Maſſo Pontifex, & Pub. Forius Philus augur, & C. Papitius, L. Fuluius Maſſo, decemvir ſactorum.] De vitio Liuius index eſt. Vt enim hæc lectio concipitur, quinque ſacerdotes eo anno mortui fuerint: at Liuius in adiũctis verbis, quatuor tantum ſuffectos tradit. *In Lentuli*, inquit, *locum M. Cornelius Cethegus in Papirÿ, Cn. Seruilius Cupio, Pontificet ſuffecti ſunt: augur creatus L. Quinctius Flamininus, Decemuir ſacrorũ L. Cornelius Lentulus.* Quid igitur fiet L. Fuluio? Liber meus ſcriptus, *C. Papirius Lemaſſo decemuir.* Aperta correctio erit, *C. Papirius L. F. Muſſo.* tantum F. mutauerat in E. Ablegandus igitur iſte L. Fuluius natus ex notis, & ſcimus Maſſones cognomen Fuluiæ Gentis non eſſe, ſed Papiriæ, Lipſius.

Cap. IV. Si Marcus Poſtumius ante Kalendas Maias non prodiſſet, citatuſque eo die non reſpondiſſet, neque excuſatus eſſet videri eum in exilio eſſe.] Nota mihi formulam *Videri eum in exilio eſſe.* moribus enim receptum erat teſte M. Tullio Academicar. Quæſtionum libro quarto, vt quę iurati Iudices cognouiſſent, ea non eſſe facta, ſed vt videri pronunciarẽt. Idem libro quarto in Verrem: *Vix ille hoc dixerat, cum iſte pronunciat, Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri.* Et li. 6. in eundem: *Feciſſe videri pronunciant.* Idem in Piſonem: *Tum tu ipſe de te, videri feciſſe, pronunciaſti.* Sic L. Torquatum, cum de repetundarum criminibus, quæ à Macedonum legatis filio obiiciebantur, intra priuatos parietes cognouiſſet, pronunciaſſe. Cicero libro primo, de finib. refert: *Non talem videri fuiſſe in Imperio filium, quales eius maiores fuiſſent.*

Cap. V. Tribuni plebis, ſi iis videretur, ad populum ferrent: vt qui minores ſeptem & decem annis ſacramento dixiſſent, iis perinde ſtipendia procederent, ac ſi ſeptem & viginti annorum, aut maiores milites facti eſſent.] Hunc locum inter alia emendat & explicat ad Tacitum ſuum Lipſius, vbi quia multa tradit de legitimæ militiæ annis, operæpretium erit ipſum loquentem audire: ergo, Qui & quot, inquit, legitimæ militiæ anni fuerint, non tam in procliul res eſt, quam imber cum pluit. Et antiquitus quidem Seruianam formulã tenuiſſe credo, vt initium militiæ eſſet annus decimuſſeptimus: finis quadrageſimus ſextus. Tubero apud Agelliũ, *Seruius Tullius rex populi Romani pueros eſſe exiſtimauit, qui minores eſſent annis ſeptẽdecim. atq; inde ab anno 17. quos idoneos iam eſſe Reip. arbitraretur, milites ſcripſiſſe eoſq; ad annum 46. iuniores, ſupraque eum annũ Seniores appellauit.* Nec variatũ de initio, niſi forte ſub bella Punica, acciſis patrię rebus. Liuius: *tribuni plebis ad populum ferrẽt, vt qui minores ſeptem & decẽ annos ſacramẽto dixiſſent, iis perinde ſtipẽdia procederẽt ac ſi ſeptem & viginti* (mendũ eſt, & ſcribe ex manoſſ. *ſeptẽ & decẽ*) *annorum, aut maiores milites facti eſſent.* Idque tamẽ ipſũ vetitũ mox C. Gracchi lege, qui cauit *στρατεύεσθαι νεώτερον ἑπτακαίδεκα ἐτῶν μηδένα, καὶ χορηγεῖσθαι δημοσίᾳ τὴν ἐσθῆτα.* Plut. in Gracchis. Ideoque Seruius, in illud Virgilij:

Ante vrbem pueri et primæuo flore iuuentus
Exercentur equis.

Bene Romanę militiæ exprimit morem. Nam poſt pubertatem armis exercebantur, & 17. anno militabant: quo etiam

ſolo ſub cuſtodib. agebant. At in fine militiæ, poſterior ætas aliquid mutauit, non enim 46. annus, vti Seruio placitũ, vacationem militiæ dabat; ſed quinquageſimus, quo valide adhuc ſcilicet, & crudæ vires. Quæ lex id ſciuerit, aot quando, incertum, lex tamen. Seneca, *Lex à quinquageſimo anno militem non cogit, à ſexageſimo Senatorẽ non citat.* Parer eius paulo aliter id poſtremũ: *Senator poſt ſexageſimum et quinctũ annum in curiam venire non cogitur*: ſed numeris corruptis & corrigẽdis ad exẽplum prius. Liuius li. 42. *Nec vlli, qui nõ maior annis quinquaginta eſſet, vacationem militia eſſe.* Qui militiæ anni, dixi, nunc quot fuerint, quæram. Er priſco æuo numerom definitum ſtipendiorum, vix opinor. hoc tantũ obtinuit, vt quotiens bellum incidiſſet rogati ſacramẽto omnes poſſent intra eos terminos ætatis quos poſui. Commoda enim adhuc militiæ non erant, nec hiberna caſtra qoidem aut perpetuæ legiones. At ſtipendio militari conſtituto: prouinciis externis deuictis: emerito & veteri milite in agros, coloniaſq. deducto pro bono viſum patribus, definire certũ ſtipendiorum tempus, quo exacto, commoda veteranorum haberent & nomen. Credoque ſtipendia prima definita vigintiquinque annis Seruius id mihi perſuadet in Virgilij illud.

——*Sacrata ſoluere iura. Militia,* ait, *tria ſunt genera. Plerumq. enim euocati dicuntur, et non ſunt milites ſed pro milite. vnde Saluſtius, Nen quis miles, neve pro milite. Plerumq. tumultuarij, hoc eſt, qui ad vnum militant bellum. Plerumque ſacramento rogati qui poſt electionẽ in remp. iurant. & hi ſunt qui habent plenam militiam. Nam et 25. annis tenentur.* Nec ambigo quia id ſcitũ valuerit ad ciuilia bella triũuirorum; quib. rapta præmia non data Liuij locus non monet loco li. 42. qui ſtipendia definit annis 22. Nam excuſans ſe à belli munere Sp. Liguſtinus ſic loquitur: *Quater intra paucos annos primum pilum duxi, quater et tricies virtutis cauſa donatus ab Imperatorib. ſum: ſex ciuicas coronas accepi:* XII. *ſtipendia annua in exercitu emerita habeo: & maior annis ſum quinquaginta.* Mihi cum conſtat de vitio eius ſcripturæ ex ratione annorum. Nam Sp. hic Liguſtinus auſpicatus eſt militiã P. Sulpicio & C. Aurelio conſulibus ad P. Licinium & C. Caſſiũ, quo anno hæc geſta clarom eſt annos intereſſe XXX. Ergo eum ipſum numerũ in Liuio hic non timidè reponendũ, etiam contra libros. Hæc in republ. libera. Oppreſſa ab Auguſto, ipſe, vt multa in militia, ſic in ſtipendiorum numero mutauit, reduxitq; in gratiam turbæ militaris ad annos XX. quibus expletis cenſebantur veterani. Suidas. Βετεράνοι παρὰ Ῥωμαίοις, [illegible] ἐπὶ [illegible]. Dio & Tacitus infra. Quæ dixi, in pedeſtri militia obtinuerunt: aliud fuiſſe videtur in equite. qui dena ſtipendia tantum fecerunt, ſi recte Liuiũ capio lib. 27. *Illis omnib. adempti equi, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant, addiderũt acerbitati etiam tempus, ne præterita ſtipendia procederent iis qui equo publico meruerãt, ſed dena ſtipendia equis priuatis facerent.* Nec mirum etiam in hac parte potiorem fuiſſe equitum conditionem.

Cap. VI. Conſulem te M. Marcelle in Italia adiſſemos cum primum de nobis triſte S. C. factum eſt, niſi hoc ſperaſſemus in prouinciam nos morte regum turbatam, ad graue bellum aduerſus Siculos ſimul Pœnoſque mitti: & ſanguine noſtro vulneribuſque magiſtratibus ſatisfacturos eſſe. ſicut patrum memoria, qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, aduerſus Pyrrhum ipſum pugnantes ſatisfecerunt.] Alia vetus lectio, *magiſtratib. noſtris Senatui ſatisfacturos.* vocib. duabus additis. Me quidem offendit illa magiſtratuum vox, quaſi ſoli in ſenatu qui Magiſtratum gererent, aut ſolis illis ſatisfaciẽdum. Poſſet legi, *magiſtratib. noſtris et ſenatui.* Sed odorari videor neſcio quid deprauationis maioris, & ſubuereti ne Liuius tale quid ſcripſerit, *ſanguine noſtro vulneribuſque magis quam precibus noſtris Senatui ſatisfact. eſſe.* Lipſius.

Cap. VII. Dum ne quis eorum munere vacaret, neu dono militari virtutis ergo donaretur, neo in Italiam reportarent, donec hoſtis intra Italiam eſſet.] Hic Glarean. Moguntinus, inquit, codex, habebat io dandi caſu, *muneri.* Sed vt ingenue dicã neutra lectio mihi ſatisfacit, ideoq; ea de re lectori conſiderandum. Excipit Sigonius: *Dum ne quis eorũ munere vacaret* id eſt. dum ne quis excuſatus vacationẽ haberet militiæ. Sic enim 26. *Quib. ſenatus miſſionem reditumque in patriã negauerat ante finem belli.* Hæc illi, quorum neuter mihi ſatisfacit. nam & Glareanus fruſtra dubitat de lectionis integritate, & Sigonios non bene explicat illud: *dum ne quis eorũ munere vacaret.* cum *munus* hic onus ſit militare. Vegetius li. de re mil. 2. c. 7. cum de principalibus militibus diſſeruiſſet, *Hi ſunt,* inquit, *milites Principales, qui priuilegiis muniuntur. Reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur.* & eodem libro c. decimonono, vbi qoæ ſint ea munia explicat his verbis: *Faſcicularia tamen id eſt, lignum, fœnum, aquam, ſtramen etiam legitimi milites in caſtra portabant. Munifices enim ab eo appellãtur, quod hæc munia faciant.* Sane Modeſtinus Ioriſconſultus militiæ mutationem, & munerum indictionem inter pœnas militares recenſet in l. deſertorem. ff. de re militari. præter quam vide etiam l. munus proprie, & l. munus trib. ff. de verborum ſignificatio. ego ad Liuiũ redeo, cuius lectionem exẽplis etiam confirmabo aliorum ſcriptorũ, & quidem de eadẽ hac re. ex quib. Valerius Maximus, li. 2. cap. 2. Senatum Marcello reſcripiſſe ait, *Indignos eſſe qui in caſtra reciperantur. Ceterum ſe ei permittere vt faceret quod Reipubl. expedire iudicaſſet, dum ne quis ex eis munere vacaret, aut dono militiæ donaretur, aut in Italiam donec hoſtes in ea eſſent, accederet.* At Frontinus libro quarto Stratagemarom. c. 1. *Senatus,* ait, *negauit ſibi placere cõmitti his Rempub. quam deſeruiſſent. Marcello tamen permiſit facere quod videretur, dum ne quis eorum munere vacaret, neve donaretur, neve quod præmium ferret, aut in Italiam reportaretur* (ſic enim cum veteri codice legendum eſt) *dum Pœni in ea fuiſſent.* Plutarchus in Marcello, Ἐπιτρέπει γράψασα ἡ βουλή, [illegible] Ῥωμαίοις ἀνδρῶν [illegible], εἰ δὲ [illegible] Μάρκελλος αὐτοῖς [illegible] ἐπ᾽ ἀνδρείᾳ [illegible] ἀρχόντος.

Cap. IX. Eadem ferme hora Tarentum fama peruenerat Numidas equites paucos propulari agros, terroremq; late agreſtib. inieciſſe. Ad quẽ nuncium nihil vltra motus præfectus Romanus, quam vt partem equitum poſtera die luce prima iuberet exire ad arcendum populationib. hoſtẽ interea adeo nihil obedienter curatum eſt, vt contra pro argumento fuerit illa procurſatio Numidarũ, Annibalem exercitumqoe caſtris non mooice.] Non vacat menda in iis verbis, *adeo nihil obedienter curatũ eſt.* Qoomodo eoim de obedientia equitum querela eſſe poteſt? Luce prima iuſſi erant exire, ac nocte oppidum ab Annibale captum. quomodo vult Liuius vt paruerint mandatis? Sed nec ſequentia faciunt huic ſententię. Cõſului li. manuſcriptom in eo eſt, *nihil obedienti cura eſt.* Ex iis veſtigiis qois negabit verum eſſe, *nihil ob id intẽta cura eſt.* Eo nuncio, inqoit, adeo non aucta cura eſt in cuſtodienda vrbe, vt contra egerint negligentius, &c. Perperam concreuerant voces, literis tamen fere comparentibus.

Cap. X. Recipere ſe in domos ſuas quemque ioſſit, & foriò. nomen ſuum inſcribere: ſe domos eas, quæ inſcriptæ non eſſent, ſigno extemplo dato, diripi iuſſurum. ſi quis in hoſpitio ciuis Romani (vacuas autem cernebat domos) nomen inſcripſiſſet, eum ſe pro hoſte habitorũ] Omnis lectio vetus, *tenebat domos.* Sigonius conicit *ſciebat*, vel *petebat*. Sed nihil horũ Liuius dixit. Scribo, *tenebãs domos.* Ait, Cũ Romani proprias & vacuas ędes haberent, non permixtim cum ciuib. Diuerſerẽtur: facile fuerit ſeparare milites à ciuib. ſola inſcriptione ædium Hæc Liuij mens, quiſquis aliud adfert, cãpas loquitur. Lipſius: ex cuius Epiſtolicis & proxima tranſcripſimus.

Cap. XI. Vrbs contra excluſa maritimis commeatibus, propiuſque inopiam erant obſidentes, quam obſeſſi. Annibal conuocatis.] Ms. Lipſij: *propiuſque inopiam obſidẽtes. Annibal conuocatis,* & videntur ſane reliqua illa à male manu eſſe.

Eod. Contracta exemplo vndique plauſtra, iunctaque inter ſe & machinæ ab ſobducendas naues admotæ.] Induſtrium ad hoc Annibalis inoeorum ita narrat & deſcribit graphice Silius:

Verterat & mentem Tyria ad conata Tarentum,
Portiſq. eintrarent Pœni, ſed enim arcem coruſca
Fiſa loca manus Auſonia, ſtiputa ſedebat.
Hic (miranda) mouens claſſem, qua condita porta
Aſtabat, numque anguſtis è faucibus æquor
Erumpit ſcopulos inter, patuloque receſſu
Effundit campis ſecretum gurgite pontum.
Incluſas igitur quibus haud enare dabuntur
Arce ſuperpoſita, clauſtris maris extulit alto,

Perque auerſa tulit portatam in arua carinas.
Lubrica roboreis aderant ſub ſtramina plauſtris,
Atque recens caeſi tergo prolapſa iuuenci
Æquoream rota ducebat per gramina puppim.
Et iam per colles dumoſque ad litus adacta
Innabat pelago, vemens ſub remige claſſis.

Cap. XII. Decemuiri Græco rito hoſtiis ſacra faciāt.] Amplisſimus Briſſonius videtur omiſſo τῷ *hoſtiis*, legiſſe *Græco ritu ſacra faciant.* alij vero non dubitant confirmare ex Macrobio eſſe legendum, *Græco ritu hiſce hoſtiis ſacra faciant.* de quo vt non valde contenderim, ita lubentius ſtem à Briſſonio propter ſequentia aliquot in eius libris erudituſſimis de Formulis hoc carmen exempla.

Eod. Ludos prætor in circo maximo cum facturos eſſet, edixit, vt populos per eos ludos ſtipē Apollini, quantū commodū eſſet, conferret.] Plin. li. 33. *Pop. Romanus ſtipem ſpargere cæpit, Sp. Poſtumio, Q. Marcio coſſ. Tanta abundātia pecuniæ erat, vt eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.* Quæ verba ne te fallant. Nam ſtipes de qua Liuius, multis annis prior notatione Pliniana. Sed voluntariam, credo, Plinius intellexit. illa fuit exedicto. Sed & Auguſtus ſtipem prætoribus dari ad ludos voluit, innuente Dione lib. 54. initio τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προσέταξεν, ἵνα τι δήμῳ δὶ διδῶσιν αὐτοῖς κελεύσας. niſi tamen τὸ δημόσιον intelligi voluit potius quam δημοσίαν. Stipes alias vſitate dabātur diis, & ad res ſacras. Seneca de Benef. VII. *Omnia deorum ſunt: tamen diis poſuimus donum, & ſtipem iecimus.* Et Epiſtola 116. *Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argētoque ſuſpenſo, nec in Theſauros ſtipe infuſa, ſed pia & recta voluntate.* Ita in capita fontium, quæ ſacra ſtipem iaciebant. Plinius lib. 8. epiſt. de Clitumno: *Fons purus & vitreus, vt numerare iactas ſtipes, & relucentes calculos poſſis.* Seneca lib. quarto, quæſt. Natural. de Nili venis: *In hac ora ſtipem ſacerdotes, & aurea dona præfecti, cum ſolenne venit ſacrum, iaciunt.* Lipſius.

Cap. XVI. Flauios ad Romanum Imperatorem venit. Rem ſe ait magnā inchoaſſe ad quam perficiēdam ipſios Gracchi opera opus eſſet, omnium populorū prætoribus, qui ad Pœnū in illo communi Italię motu deſciſſent, perſuaſiſſe vt redirent in amicitiā Romanorū.] Glareanus forte an legendū putabat, *Ad eam perficiendā ipſius Gracchi opera opus eſſe.* cui non aſſentio. Lipſio aſſentio, reponenti: *omnium popularium prætoribus.* pro *omnium populorum.* eſt enim de Solis Lucanis ſermo: & ſubiungit ipſe Liuius: *Ibi paucis verbis tranſigi rem poſſe, vt omne nomen Lucanum in fide ac ſocietate Romana ſit.*

Cap. XVII. Alij in caſtris Romanis ſepultum à ſuis: alij ab Annibale (& ea vulgatior fama eſt) tradunt io veſtibulo Punicorum caſtrorum rogum extructum eſſe, armatum exercitum decurriſſe cum tripudiis Hiſpanorum.] Et hanc quidē vulgatiorem famam ſequitur etiam Silius meus, qui ait:

Exſequias tantum famam nomenque volentem
Mitifica (vulgo contra mentem Poëtæ: *Horrifica*) *mentis, tenuerunt funere læto.*
Namque per inſidias (infandum) & ab hoſpite caſus.
Colloquium et promiſſa petit dum perfida gentis
Lucana Gracchus, cæco circumdatus aſtu
Occiderat, laudem Libiis rapiebat humandi.

Porro pro, *veſtibulo Punicorum caſtrorum*, Lipſius repeiſſe videtur in libris ſuis: *veſtibulo primorum caſtrorum*, ex quo an forte legendum coniiciebat, *veſtibulo primore caſtrorū.* de decurſione vero quod ait, exercitus, ſolet hic honos ab antiquiſſimis temporib. haberi clarorum virorum funeri. Teſtis Homerus de Patroclo; noſter Virgilius de Pallante, vbi:

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos. neque aliud intellexit Lucanus dum ait,
——— *totus vt ignem*
Proiectis mœrens exercitus ambiat armis. Optime autem hunc decurrendi morem deſcripſit Statius his verbis:

Tunc ſeptem numero turmas (centenus vbique
Surgit eques) verſis ducunt in ſignibus ipſi
Graiugenæ reges: luſtrantque ex more, ſiniſtro
Orbe rogum, & ſtantes inclinant puluere flammas:
Ter curuos egere ſinus, illiſaque telis
Tela ſonant: quater horrendum pepulēre fragorem
Arma quatuor mollem famularum brachia planctum.

Cap. XVIII. Badium Campanum T. Qointio Criſpino Romano palam omnibus, duob. exercitibus audientib. renunciare hoſpitium.] Sic Tacitus; *Componit epiſtolas, qui amicitiā ei renūciabat.* Qui mox ex veteri illa, inquit Lipſius, & ſimplici vita: qua receptū, amicitiam & inimicitiam prōptam habere in ore & in fronte. Mos, qui publice obtinebat, priuatimque. Publice, Liu. lib. 36. *Conſulti Feciales à M'. Acilio cōſule num prius Ætolis renuncianda amicitia eſſet, quam bellū inferendum.* lib. 43. *Miſſi legatum Perſeo amicitiam renunciarūt.* Priuatim, infra lib. 6. *Morem fuiſſe maioribus quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.* lib. 3. *Quamquam non vltra foret ſæuitum, quā vt amicitia Cæſaris prohiberetur.* Sic Badius Campanus apud Liuium lib. 25. palam omnib. renunciat hoſpitium Criſpino. Atque hoc eſt quod Cicero inimicitias denunciare ait, pro L. Flacco: *Etenim cum à clariſſimis viris iuſtiſſimas inimicitias ſæpe cum bene meritis ciuib. depoſitas eſſe vidiſſem: nō ſum arbitratus quemquā amicū patria nouas huic inimicitias, nulla accepta iniuria denunciaturum.* Seneca epiſt. 77. *Inimicitias mihi denuncias, ſi quidquam ex iis quæ cottidie facio ignoraueris.* Idē quod indicere inimicitias Seneca li. 3. de Ira: *Quid iuuat tāquam in æternum genitos iras indicere, & breuiſſimā ætatem diſſipare?* Vnde inimicitiæ indictæ, vti indictum bellū. Sidonius li. 7. *Inimicitias indictas honeſte exercet, tarde credit, celeriter deponit.* Item inimicitiæ teſtatæ, quaſi quæ literarū teſtimonio ſignatæ. Valer. li. 4. *Acerrime cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorūq; ab æmulatione virtutis profecta cōtētio, ad graues teſtaſq; inimicitias progreſſa fuerat.* Nec aliud cenſeo, cum legimus, inimicitias ex profeſſo.

Cap. XIX. Quippe inter Annibalem ducem, & centurionem, exercitulque, alterum vincendo veteranum, alterum nouum totum, & magna ex parte etiam tumultuarium ac ſemiermem.] Silius meus:

Obuius huic ſparſo Centenius agmine rapto
Funditur, audendi prauus, faciliſque periclis.
Sed paruum decus Annibali. nam viris honore
Perfunctus Latia, ſubito ſtimularat agreſtes:
Semermemque manum ſternendam abiecerat hoſti.

Cap. XXIII. Inde vbi id temporis viſum, quo die epulatis iam vinoq; ſatiatis, principium ſomni eſſet.] Malit Lipſius: *quo de die epulatis iam vinoque ſauciatis.* malim & ego. de die enim epulari probroſum.

Cap. XXIV. Quo per ingentem ſolitudinem erat peruētum, quia magna pars in turribus epulati, aut ſopiti vino erant, aut ſemigraues potabant.] Forte, inquit amicus noſter, *aut ſomno graues potabant.* quod ſane mire huic loco conuenit.

Cap. XXIX. Sedato tandem tumulto exequentib. ſciſcitando mercenariis, quæ acta cum Romanis eſſent.] Liber Lipſij Ms. *tumultu acquirentibus ſciſcitando.* vnde faciebat, *anquirentibus ſciſcitando mercenariis.* recte.

Cap. XXX. Contra, ſi malle obſideri pergat, quam ſedem eſſe terra mariqoe clauſo?] Nullam ſedem hic habere poteſt illud *ſedem*: miror que hactenus id obtinuiſſe, cum verum ſit & Mss. libris & editione antiqua Moguntina atteſtante, *quam ſpem eſſe terra mariq; clauſo.*

Cap. XXXVIII. Ne tamen ſubita res & nocturnus terror etiamnum ſuæ fortunæ conſilium perturbaret, alloquēdos adhortandoſque ſibi milites ratus, concione aduocata ita diſſeruit.] Eleganter in meo libro, *nocturnus terror, & non ſuæ fortunæ conſilium.* Non enim fortunæ illius afflictæ videbatur, & propemodum deſperatæ, vltro aggredi hoſtium caſtra.

Eod. Cogor omnium veſtrom vicem, quod difficillimum in luctu eſt, vnus conſolari.] Vetus, *vnus conſulere.* veriſſime. Aliis luctu & metu debilitatis, ſumma conſiliorum ad vnum Martium venerat. At illud vulgatum, ſi attendis ne Latinum quidem eſt.

Eod. Non lamentis lacrimiſque tamqoam extinctos proſequi, viuunt enim, vigentque fama rerum geſtarum.] Malo lectionem veterem, *viuunt enim viventq;.*

Eod. Scio audax videri cauſam, ſed in rebus aſperis & tenuibus fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt.] Sigonio placet induci voces, *& tenuib.* ex veteri libro, vt ait ex ſenſu. In meo reperio, *& tenuis per.* itaque non dubie emendo, *in rebus aſperis et tenui ſpe fortiſſima.*

Innoluit, celſus ſummo de culmine montis.
Regnator ſuperum ſublata fulmina dextra
Librauit, clypeoq; ducis non cedere certi
Incuſſit, ſumma liquefacta eſt cuſpis in haſta,
Et fluxit, ceu correptus fornacibus, enſis.
Ambuſtis ſed enim ductor Sidonius armis
Siſtebat ſocios, & cæcum è nubibus ignem
Murmuraque à ventis miſceri vana docebat.
Tandem poſt clades ſocium, cælique ruinam
Non hoſte in nimbis viſo, non enſe referri
Signa iubet caſtris, mœſtaſque reſuſcitat iras.

Eod. Magna illa, quod cum ipſe ad mœnia vrbis Romæ armatus ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audiuit.] Silius,

Vt vero accepit tantum confidere diuis
Auſonios patres, ſummiſſuque Bætis ad oras
Auxilia, & noctu progreſſum mœnibus agmen;
Sic agitare fremens obſeſſos ocia, iamque
Securam Annibalis Romam, violentior inſtat.

Eod. Inde ad lucum Feroniæ pergit ire, tēplum ea tempeſtate inclytum diuitus. Capenates aliqui accolæ eius erāt, primitias frugum eo, donaque alia pro copia portātes, multo auro argentoque id exornatum habebant. His omnibus donis tum ſpoliatum templum.] Iterum Silius,

Fama eſt, intactas longæui ab origine fani
Creuiſſe in medium, congeſtis vndique donis,
Immenſum per tempus opes, luſtriſque relictum
Innumeris aurum, ſolo ſeruante pauore.
Hac auidas mentes, & barbara corda rapina
Polluit, atque armat contēptu pectora diuûm. quo loco optimo verſu peſſime & cōtaminatiſſime in omnibus editionib. eſt: *lōgæui ad origine Fanni*, de quo in Nouātiquis egi plurib⁹.

Cap. XII. Capua etſi nihilo ſegnius oppreſſa per eos dies fuerat, tamen aduentum Flacci ſenſit.] Malim cum doctiſſimo Lipſio: *Capua etſi nihilo ſegnius obſeſſa per eos dies fuerat.* vt etiam fecerit ſcripta lectio *opſeſſa.* ſicut *optinere, opſides*, & ſimilia in libris antiquis Annibalem vocauerimus ad opprimendos eos? hoc quod recentiſſimum eſt, ad oppugnandam Romam hinc eum miſerimus?] Orationem Virrij hanc ad verbum fere expreſſit Silius, cuius verſus vulgo corruptiſſimi, ſic ſunt emaculandi:

Virrius à Pœno nullam docet eſſe ſalutem,
Vociferans pulſis viuendi è pectore curis,
Speraui ſceptra Auſonia pepigique ſub armis
Si dexter Pœnis Deus, & fortuna fuiſſet
Vt Capuam Iliaci migrarent regna Quirini,
Qui quaterent muros, Tarpeiaque mœnia miſi,
Hoc mihi poſcendi vigor affuit, alter vt æquus
Portaret faſces noſtro de nomine conſul.
Hactenus eſt vixiſſe ſatis, dum copia noctis
Concordi comes, æterna eſt Acherontis ad vndam
Libertas, petat ille meas, menſaſque dapeſque,
Et victus mentem fuſo per membra Lyæo;
Sopitoque necis morſu medicamina cladis
Hauriat, & placidus exarmet fata venenis.
Hæc ait, & turba repetit comitante penates.

Cap. XV. Conſurgentem iam Fuluium Taurea Iobellius Campanus per mediam vadens turbā nomine inclamauit.] In veteri, ait amicus noſter, *per media vadens vrbem turbamq;* recte. Foris enim adueniebat, vt liquet ex ſequentibus hæc ille, cuius lectionem firmat etiam editio noſtra Moguntina in qua eſt. *per mediam vadens vrbem turbā nomine inclamauit.* Ceterum de hac quoque re ſic Silius noſter membranaceus;

Hic atrox virtus (nec enim occuluiſſe probatum
Spectatum vel in hoſte decus) clamore feroci
Taurea tunc, inquit ferro ſpoliabis inultus
Te maiorem animam, & iuſſo lictor recidis
Iſ nanes cadet ante pedis fortiſſimus era..?
Haud vnquam hoc nobis dederit Deus, inde minaci
Ore oculos torvum contra, & furis deremdens,
Bellatore alacer per pectora tranſigit enſem.

Cap. XVI. Ceterum habitari tantum, tamquam vrbem, Capuam frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus, nec plebis concilium, nec magiſtratus eſſe. ſine concilio publico, ſine imperio multitudinem nullius rei inter ſe ſociam ad cōſenſum inhabilē fore, præfectū ad iura reddēda ab Roma quot annis miſſuros.] Faciunt ad hunc locum plenius intelligendum quæ tradit elegantiſſimus Iuriſcōſultus Iac. Cuiac. Obſeru. lib. 11. c. 24. in hæc verbr. Paulus li. 4. Sētent. *Teſtamenta*, inquit, *in municipiis, colonis, oppidis, præfectura, vico, caſtello, conciliabulo facta.* A colonis, municipiis, conciliabulis, & aliis quibuſdā ſeparat præfecturas, vt leges antiquæ, & alij auctores, quarum conditionē explicauit nemo melius quā Feſtus, vno niſi mēdo librarioli corruptos eſſet. Nam cum vnum genus præfecturarum id eſſe ait, in quas ſolebāt ire pręfecti quatuor ſexuirū pro populi ſuffragio creati erant in hæc oppida, Capuam, Cumas, &c. illo certe loco legēdum eſt in hunc modum, *In quas ſolebant ire præfecti quatuor ex* XXVI. *viris, qui populi ſuffragio creati ibant in hæc oppida Capuā*, &c. Namque Dio lib. 54. nominatim in XXVI. viris, è quibus erant Decemuiri litibus iudicandis, & Triumuiri monetales, & Triumuiri capitales & Viocuri quatuor in vrbe, & extra vrbem duo, ponit ad extremum Quatuoruiros qui in Campaniam mittebantur. Hi ſunt quatuor præfecti Roma Campaniam miſſi iuris dicendi cauſa. Vnde pręfecturarum nomen, quas Græci *νομοὺς & ἐπαρχίας*, ac de Capua quidem in præfecturam redacta, quod Feſti definitionem valde confirmat, Liuius ſcribit his verbis, lib. 26. *Habitari tantum tamquam vrbem Capuam frequentarique placuit, corpus nullum ciuitatis, nec ſenatus, nec plebs concilium, nec magiſtratus eſſe: præfectum ad iura reddenda quotannis miſſurum.*

Cap. XVIII. Mœſta itaque ciuitas prope inops conſilij, comitiorum die tamen in campum deſcendit. atq; in magiſtratus verſi circumſpectant ora principium.] De tota hac re audi Silium ita canentem:

At noua Romuleum carpebat cura ſenatum,
Quis trepidas gentes, mortemque ſubiret Iberum
Attritis rebus, geminus iacet hoſte ſuperbo
Scipio, belligeri Mauortia pectora fratres.
Hinc metus in Tyrias ne iam Tarteſſia leges
Concedat tellus, propioraque bella paueſcat.
Anxia turba patrum quaſſo medicamina mœſtis
Imperio circumſpectant, diuoſque precantur.
Quæ lacera auſi ductor ſuccedere caſtra.
Abſterret iuuenem, patrios patruique piare
Optantem manes, triſti conterrita luctu,
Et reputans annos cognato ſanguine turba.
Si gentem petat infauſtam inter buſta ſuorum
Decertandum hoſti, qui fregerit arma duorum,
Qui conſulta ducum ac flagret meliore Gradiuo:
Nec promptum teneris immania bella lacertis
Moliri, regimenque rudi depoſcere in æuo.

& alio loco, *Ardua noſtra petit nullo ſera bella volente.*

Et grauia ancipitis depoſcit munera Martis.
Arrecti cunctorum animi, pars lumina patris,
Pars credunt tornos patrui reuiſere vultus.
Sed quamquam tacitus, magnis tamen ægra periclis
Pectora ſubrapit terror, molemque pauentes
Expendunt belli, & numerat fauor anxius annos.

Cap. XIX. Nihilominus fama apud hoſtes Scipionis erat; quam apud ciues ſocioſq; : & diuinatio quædam futuri, quo minus ratio timoris reddi poterat, eo opportune maiorem inferens metum.] Suſpectum eſt viro docto τὸ *opportune*. Itaque cum in Ms. codice reperierit, *oportet timore maiorem*. legit ille, *eo oborto timore maiorem inferens metum.* quam veriſſimam ait emendationem, quod ſic fieri ſoleat inclinatis ſemel ad timorem animis.

Cap. XXI. Secutæ defectionem earum Hybla & Magella ſunt, & ignobiliores quædam aliæ.] Vetus Lipſij ſcriptus, *& Marcella*, noſter Moguntiaci editus, *& Manella*, ſed legendum, *Macella*, de qua Polyb. lib. 1.

Cap. XXIII. In æde Concordiæ victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta diſcuſſaque ad victorias, quæ in arcæ fixæ erant hæſit, neque inde procidit.] Lego, *quæ in antefixo erant.* Feſtus, *Antefixa quæ ex opere figulino tectis adfiguntur ſub ſtillicidio.* Liuius libro trigeſimoquarto: *Iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes, & antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes.*

Digitized by Google

Terdeno boue, & æquorei certaminis alto
Donatur titulo, Pœnique recentibus armis
Rectoris, tunc haſta viris, & Martia quiq;
Vexilla, et meritum, et prædæ libamina dantur.

Cap. L. Captiua deinde à militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma, vt quacumque incedebat, conuerteret omnium oculos.] De hac quoque ita Poëta:

Quin etiam accitus populi regnator Ibiri,
Cui ſponſa, & ſponſæ defixus in oſſibus ardor.
Hanc notam forma conceſſit latus onanſque,
Indelibata gaudens virgine, donum. & fuſius longe libr. 4. c. 3. Val. Max. cui hæc verba ſunt. *Quartum & viceſimum annum agens Scipio, cum in Hiſpania Carthagine oppreſſa, maioris Carthaginis capiundæ cepiſſet auſpicia, multoſque obſides, quos in ea vrbe Pœni clauſos habuerãt, in ſuam poteſtatem redegiſſet, eximia inter eos forma virginem ætatis adultæ, & iuuenis, et cælebs, & victor, poſtquam comperit illuſtri loco inter Celtiberos natam, nobiliſſimoque gentis eius Indibili deſponſam, accerſitis parentibus, et ſponſo inuiolatã tradidit. Aurum quoq; quod pro redẽptione puellæ allatum erat, ſummæ dotis adiecit. Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicando meritis eius gratiam debitam retulit.*

IN T. LIVII LIBRVM XXVII. NOTÆ.

CAp. III. Inter multas magnaſque res, quæ nũc ſecundæ, nunc aduerſæ occupabant cogitationes hominum, ne Tarentinæ quidem arcis excidit memoria.] In veteri libro, ait ſe reperiſſe amicus noſter; *occultabant cogitationes*: quæ ſcriptura quid ſibi velit cum ingenue fateatur ille ſe neſcire, cur me idem pudeat profiteri?

Cap. IV. Dona tulere togam, & tunicam purpuream, ſellã eburneam, pateram auream ex quinque pondo factam.] Vt Lipſij ſcriptus ita & noſter Moguntiæ olim cuſus Liuius diſertim habet; *pateram ex quinq; pondo auri factam.* quare non inuitus aſſentio eidem reponendi hoc loco: *pateram ex quinque pondo auri facti.*

Cap. V. M Valerius Meſſala L. nauibus cum ante lucem ad Africam acceſſiſſet, improuiſo in agrum Vticenſem exſcenſionem fecit, eumque late depopulatus, multis mortalib. eũ alia omnis generis præda captis ad naues rediit.] *Excenſionem* hic legẽdum pro *excurſionem*, quod vulgo obtinuerat ex doctiſſimorum virorum ſententia alibi docemus, licet editio Moguntina habeat: *improuiſam in agrum Vticenſem excurſionem fecit.* ceterum ſequentia quoque auctius ſic legit ex Ms. ſuo exemplari Lipſius: *Multis mortalibus eam alia omnis generis præda captis, multis occiſis, ad naues rediit.*

Cap. IX. Tribunos plebis appellauit flamen. vetuſtum ius ſacerdotij repetebat: datũ id cum toga prætexta, & ſella curuli C. Flaminio eſſe.] Quis iſte Flaminius, quærit Lipſius, qui ſolus legem faciat. Recte vetus; *& ſella curuli et Flaminio.* Nam Flaminium ſacerdotium ipſum. hæc ille, cui aſſentior, niſi quod lego omiſſo posteriore *vel & datum id cum toga prætexta & ſella curuli Flaminio eſſe.* Ceterũ Flaminij voce recte vſus ſæpius Liuius vt libro 24. vbi ait *C. Claudius flamẽ Dialis, quod exta perperã dederat flaminio abiit.* Et Aulus Gellius ſiue Agellius eſt: *Vxorem ſi amiſit flaminio decedit.* vxor quoque Flaminica dicebatur: Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem: *Certe Flaminica non niſi vniuira eſt, quæ Flaminia lex eſt.* hinc etiam Flaminia virgis & Flaminius lictor, non *Flaminicæ* aut *Flaminicus*, vt corrupte ſcribunt alij. porro vt Flaminium ſic pontificium dicebans veteres: idem A Gellius: *Re deliberata ab eo, cuius ne [illegible] id pontificiumque eſſet.* Conſtantini ſanctio quæ extat in Theodoſiano codice: *Sint in parentũ poteſtate, atque dominio [illegible] vendendi pontificium habeant, alienandis licentia den[illegible]tur.* Leges Burgun[illegible]icæ capit. 40. *Huius autem actionis pontificium circa manumiſſores tantum de libertis ſuis præcipimus cuſtodiri.*

Cap. XIII. Romæ intra cellam ædis Fortis fortunæ de capite ſignum, quod in corona erat, in manus ſponte ſua prolapſum.] Editio vetus Moguntina: *Romæ intra cellam ædis Fortunæ Fortis de capite ſignum, quod in corona erat, in manu ſua ſpõte prolapſu.* Sed Lipſius, qui ait in veteri ſuo eſſe; *irritus cella*, ſuſpicatur forte antique legendum; *intus cellam.* & quod ſequitur; *valtureque frequenti foro in tabernam deuolaſſe*: pro eo cõfirmat recte in codẽ ſuo libro legi: *vulturiũque frequenti foro.*

Cap. XVII. Præſidium Brutiorum datum ab Annibale Tarentini habebant. eius præſidij præfectus deperibat amore mulierculæ, cuius frater in exercitu Fabij cõſulis erat.] Narrat rem eandem ita Silius.

Tunc et Tyndarij Latias fortuna Tarenti
Auxit opes, laudemque ſimul tam perfida tandem
Vrs Fabio deuicta ſeni, poſtremus in armis
Ductoris titulus canti, ſolentia tutum
Tum quoque adepta decus, capitis ſine ſanguine muris.
Namque vt compertum qui Punica ſigna regebat
Fœmineo exuri flamma, tacituſque quieta
Exin virtuti placuit dolus, ire ſorori,
Nam caſtris erat in Rutulis germanus amata
Cogitur et magnis muliebria vincere corda
Pollicitis, ſi reclaſas tranſmittere portas
Concedat Libyeus rector, votique potitus
Eaiicto Fabius Pœno, circumdata telis
Incuſtodita penetrauit mœnia nocte.

Cap. XXVII. Capuæ duas ædes Fortunæ & Martis, & ſepulchra aliquot de cœlo tacta: cum iis (adeo etiam minimis rebus praua religio inſerit deos) mures in æde Iouis aurũ roſiſſe.] Reponendum cenſet oppidi nomen elegantiſſimus Lipſius hoc modo: *Capuæ duas ædes Fortunæ et Martis, et ſepulchra aliquot de cœlo tacta: Cumis (adeo etiam minimis rebus praua religio inſerit deos) mures in æde Iouis aurum roſiſſe.* vt Cumis mures roſerint aurum. Sic enim Liuius ſolet prodigia accurate locis diſtinguere.

Eod Itaque in Apuliam ex Brutiis reditum: & inter Venuſiam Brutiamque, minus trium millium paſſuum interuallo coss. binis caſtris conſederant.] Editio noſtra Moguntina: *inter Vetuſiam Bantiamque*: ſed Lipſius: bene, inquit, ex Plutarcho emendauerat Sigonius: *inter Venuſiam Bantiamque.* & ita diſerte Ms. Plinius *Bantinos* locat in Lucanis.

Cap. XXIX. Sed poſtquam vulneratos ambos conſules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabantem ex equo moribundum videre, tum & ipſi (perpauci autẽ ſupererant) cum Criſpino conſule duobus iaculis icto & Marcello adoleſcente, ſaucio & ipſo, effugerunt.] Confer totum hoc cum loco Siliano. quem eo lubentius adſcribo, quod alter ab altero lucẽ accipiet, & pulcherrima occaſio eſt, luculẽtiſſimos eius poëtæ verſus aliquã multos lutulẽtiſſime turpatos, genuinæ integritati reſtituere. ſic igitur Italicus mẽbranaccus:

Sed quiſnam auerſos Phœbum tunc iungere ab vrbe
Romulea dubitaret equos, qui tempore eodem
Marcellum acciperet letum oppetiiſſe ſub armis
Moles illa viri, validoque habitata Gradiuo
Pectora, & haud vllis vmquam tremefacta periclis.
Heu quantum Annibalem clara fractura ruina
Procubuere iacet campis Carthaginis horror.
Forſan Scipiadæ confecti nomina belli
Rapturus ſi quis Paulum deus ad deret æuo.
Collis Agenoreum dirimebat ab aggere vallum
Auſonio, Dauni Mauers concederat aruis
Curarum comes, et ſummi Criſpinus honoris
Marcello ſocius, communia bella ciebat.
Ad quem Marcellus, geſtit luſtrare propinquat
Mens ſyluas, medioque viros imponere monti,
Ne Lybis occultis tumulum prior occupet auſis.
Si cordi eſt, te participem Criſpine laboris
Eſſe velim, numquam deſunt conſultu duobus.
Hac vbi ſedere, ardentes attolere ſeſe
Iam dudum certant in equos, Marcellus vt arma
Aptantem natum aſpexit, lætumque tumultu.
Vincis, ait, noſtros mirando ardore vigores,
Sit prematurus felix labor, vrbe Sicana
Qualem te vidi: nondum permitteret ætas
Cum tibi bella, meo tractantem prœlia vultu.
Huc decus, huc noſtrum, lateri te iunge paterno,
Et me diſce nouum Martem tentare magiſtro.
Tum pueri colla amplectans, ſic pauca profatur:

Exiguum inuoluunt fruſtratis greſſibus orbem,
Inq. errore viæ tenebrarum munus ademptum
Lux vrget, panditque fugam, ruit acer apertis
Turbo equitum portis, atque omnis ferrea late
Tempeſtas operit campos, nondum arma manuſque
Permixta, iam tela bibunt præmiſſa cruorem.
Hinc iuſſa Pœnum fugientem ſiſtere penna
Dictææ volitant, hinc lancea turbine nigro
Fert letum cuicumq. viro quem prendidit ictus, &c.

Cap. LII. Nero ea nocte quæ ſecuta eſt pugnam, citatiore quam inde venerat, agmine die ſexto ad ſtatiua ſua atque ad hoſtem peruenit.] Silius,

Iamq. diem ſoliſque vices nox abſtulit atra,
Quum vires parco victu, ſomnoque reducunt:
Ac nondum remeante die, victricia ſigna
Qua ventum, referunt,

Cap. LIII. C. Claudius conſul cum in caſtra rediſſet, caput Aſdrubalis, quod ſeruatum cum cura attulerat, proijci ante hoſtium ſtationes, captiuoſq; Afros vinctos, vt erant, oſtendi; duos etiam ex iis ſolutos ire ad Annibalem, & expromere quæ acta eſſent iuſſit.] Silius ita cõſultantem conſulem Romanum Annibali inducit:

Tum Nero procera ſublimia cuſpide portans
Ora ducis caſi, Cannas penſauimus, inquit,
Annibal et Trebiam & Thraſimeni littora tecum
Fraterno capite, i, duplicia nunc perfida bella,
Et geminas arceſſe acies, hæc præmia reſtant,
Qui tua tranſmiſſis optarint Alpibus arma.

IN LIBRVM XXVIII. T. LIVII NOTÆ.

CAp. II. Duo haud amplius millia peditum, & equitatus omnis, vix inito prœlio, cum Magone effugerunt. Hanno alter Imperator cũ eis qui poſtremi iam profligato prœlio aduenerant, viuus capitur.] Quos Liuius coniugit, ſeparat poëta dum ait:

Iam Mago exutus caſtris agitante pauore
In Libyam propero tranſmiſit cærula velo,
Ecce aliud decus haud primo commenta furore
Nutribat fortuna duci, nam concitus Hanno
Aduentabat, agens trepidantibus agmina cetris
Barbara, et indigenas ferus raptabat Iberos.
Non ars aut aſtus belli, vel dextera deerat,
Si non Scipiadæ concurreret, agmina ductor
Magna adeo Auſonius maiore mole premebat,
Vt Phœbe ſtellas, vt fratris lumina Phœben
Exuperant, monteſque Atlas, vt flumina Nilus
Vt pater Oceanus Neptunia cærula vicit.
Vallantem caſtra (obſcuro iam veſper Olympo
Fundere non æquam trepidanti cœperat umbram)
Aggreditur Latius rector, ſubitoque tumultu
Caduntur paſſim cœpti munimine valli
Imperfecta, ſuper contexêre herbida lapſos
Pondera, & in tumuli conceſſit ceſpes honorem.

Cap. III. Legionarij ceteram partem vrbis peruadunt, direptione & cæde obuiorum, niſi qui armis ſe tuebantur.] Hic Beatus cum in cuſo exẽplari reperiſſet; *Legionarij ceteras partes peruadunt, direptione et cæde obuiorum, niſi qui armis ſe tuebãtur, abſtinuerũt*: quo pacto etiam in editione veteri Mogũtinenſi extare profiteor, Repoſuimus, inquit, ad fidem exẽplaris Spirenſis: *Legionarij ceteram partem vrbis peruadunt, direptione et cæde obuiorũ, niſi qui armis ſe tuebãtur.* Senſus eſt. Legionarios reliquam partẽ vrbis diripuiſſe, & obuiis quibuſq; cæſis graſſatos fuiſſe, præter eos qui armis ſeſe periculo eximebant contra hoſtium vim vitam ſuam defendendo. Quid igitur opus fuit hic verbo m: *abſtinerunt* inſulcire, & ſenſum Liuij inuertere? Nos id audacter craſimus hæc Rhenanus, à quo ego ita diſſentio, vt licet verba fortaſſe quædam hic in vitio eſſe fatear, præſertimq. illud, *abſtinuerunt*, illud tamen Liuiũ voluiſſe dicere abſtinuiſſe ſe legionarium militem direptione & cæde eorum qui arma proieciſſent, illos tantum obuios trucidantem qui adhuc ſe tueri vi conabantur. Veriſimile. n. eſt vt equiti imperatum fuerat cum triariis forũ occupare, ita legionariis reliquis mandatum vti reliquas vrbis partes peruaderent, iis tamen parcerent qui arma poſuiſſent, atq; id ita eſſe etiã exitus docet. ait enim Liuius: *Carthaginienſes omnes in cuſtodiam dati ſunt, oppidanorũ quoque. CCC. ferme. qui clauſerant portas: ceteris traditum oppidum, ſua reddita res.* vbi ego lubenter quæſiuerim ſi omnes cæſi, niſi qui armis ſe tuebãtur, qui fuerint iſti qui in cuſtodiã dari ſunt? non. n. opinor qui ſe defenderãt à vi quos credibile eſt fuga ſibi conſuluiſſe. ergo illi fuerint neceſſe eſt qui poſitis armis in deditionẽ venerãt nam quod eos cæſos ait hiſtoricus, qui portis ſeſe effuderãt, dextras nudas oſtantãtes, id duplici nomine excuſat idem, vel quod parũ ex interuallo cõſpectũ ſit gladios abieciſſe: vel quod dolus aliquis ſuſpectus fuerit. legetur igitur: *legionarij ceterã partem vrbis peruadunt, direptione & cæde obuiorũ, niſi qui armis ſe tuebantur, abſtinentes.* niſi quod dum cogito primo impetu obuia quæque cædi proſternique ſolere in captiuis vrbibus à furente milite, æquior ſum Beato, in verbis Liuianis nihiloſecius hæſitans interim.

Cap. V. Legationes dimittit: pollicitus prout tempus ac res fineret, omnib. laturum auxilium.] Iterum Beatus: Liuius, ait ſic ſcripſit: *prout tẽpus ac res ſineret omnib. laturum auxiliũ.* O aſinum, qui pro *fineret* ſuppoſuit, *ſe daret*. Huiuſmodi loquẽdi formulas imitatur poſtea, nondũ ſatis repurgatis exemplarib. quod periculo nõ caret. Atqui Rhenane, ne hoc quidem periculo caret, temere aliquid reiicere quod claſſici alicuius ſcriptoris auctoritate nititur, quod te hic feciſſe dicerem, niſi mihi religio eſſet manes tuos ſolicitare, quidquid id eſt, vt *ſineret* hic locum habere poſſe non nego, ita etiam non inuitus recipio & retinendum cenſeo illud, *prout tẽpus ac res ſe daret*; in Moguntinenſi quoque editione veteri à me repertum.

Cap. 12. In ſenatu cum more omniũ Imperatorum expoſitis reb. ab ſe geſtis poſtulaſſent, vt pro repub. fortiter fideliterque adminiſtrata, & diis immortalib. haberetur honos, & ipſis triumphantib. vrbem inire liceret. Solẽnia hęc ſunt eorũ verba qui aut ſupplicationes decerni à ſenatu, aut triũphi ius poſtulabant. Idem Liu. 29. *L. Iuuentius Talna & T. Quintilius quantũ bellũ iam profligatũ in Hiſpania eſſet, Senatu edocto poſtularunt ſimul, vt pro rebus tam proſpera geſtis, diis immortalib. haberetur honos, & vt exercitũ deportare liceret ſupplicatio in biduũ decreta eſt.* Idẽ li. 40. *Petierũt à ſenatu primũ, vt ob res proſpere geſtas diis immortalib. honos haberetur.* & li. 42. *Senatuq; extẽplo ad ædẽ Bellonæ vocato, multis verbis inuectus eſt in Prætorẽ, qui cũ rem bello bene geſtam, vti diis immortalib. honos haberetur, referre ad Senatũ debuiſſet.* Et mox: *A patrib. poſtulare vt S. C. in ſe factũ tolli iuberẽt, ſupplicationẽq;, quã abſentes ex literis de bene geſta reb. miſſis decernere debuerint, præſentes, honoris deorũ primũ cauſa, deinde et ſui aliquo tandẽ reſpectu decernerent.* Idem li. 41. *Quique ab Senatu peterent, vt ob res ductu, auſpicioque Tib. Sẽpronij proſpere geſtas, diis immortalib. honos haberetur, ipſique decedenti de prouincia exercitũ ſecũ deportare liceret, Senatus in æde Apollinis legatorũ verbis auditis, ſupplicationẽ in biduum decreuit.* Cic. Philip. 14. *Ex literis. n. C. Panſæ, A. Hirtij conſulũ C. Cæſaris propræt. De honore diis immortalib. habendo, ſententias diximus Supplicationem modo qui decreuit, idem imprudens hoſtes iudicauit.* Ex eadẽ vero oratione illud hoc amplius didici, Romæ conſuetudinem increbuiſſe, vt is cuius nomine ſupplicatio decerneretur, Imperator S. C. appellaretur. Briſſo.

Cap. 12. Cum Annibale nihil eo anno rei geſtum eſt. nam neque ipſe ſe obtulit in tam recenti vulnere publico priuatoque Silius meus:

Bruttia mœrentem caſus patriæque ſuoſque,
Annibalem accepit tellus, hic aggere ſeptus
In tempus poſita ad reuocandum bello coquebat.

Eod. Quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia veſtis, alia arma, alij ritus, alia ſacra.] Silius ſic cecinit idem quod Liuius admiratus:

Sed vigor hauſurus Latium ſic cetera Martis
Adiumenta forent praua obtrectante ſuorum
Inuidia reuocare animos, agitare nega: a
Cogebatur ope, & ſenio torpeſcere rerum.
Parta tamen formido manu, & tot cædibus olim
Quæſitus terror, velut inuiolabile telis

Seruabant ſacrumque caput, proque omnibus annis
Et caſtrorum opibus, dextriſque recentibus vnum
Annabilis ſatromen erat, tot diſſona lingua
Agmina, barbarico tot diſcordantibus ritu
Corda verum manſere gradu, rebuſque retuſis
Fidas ductoris tenuit reuerentia mentes.

Cap.xiv. Aſdrubal clamore equitum excitatus, vt ex tabernaculo proſiluit, tumultumq; ante vallum, & trepidationem ſuorum, & procul ſigna legionum fulgentia, plenoſq; hoſtiũ campos vidit.] Lipſius ad illud Taciti ex Annal. li.1. legiones non latæ, vt adſolet, neque inſignibus fulgentes. *Decultu*, inquit, *et incultu inſigniũ hac obſeruo Rebus lætis & militia proſpera, ornari ſigna mos fuit, lauru, floribus, vnguentis.* Claudianus:

Lætaturque tamen: Mauortia ſina rubeſcunt
Floribus, et ſubitis animantur frontibus haſtæ.

Suetonius Claudij cap.13. *Verum intra quintum diem oppreſſus eſt, legionibus in pœnitentiam religione conuerſis; poſtquam denunciato ad nouum Imperatorẽ itinere, caſu quodam, an deuinitus, neq; aquila ornari, neque ſigna conuelli potuerunt.* Et Oroſius eadem de re: *Die dicto vt in vnum vndique ad nouum imperatorem conuenirent, neque aquila ornari neque conuelli quoquomodo ſigna, mouerine potuerant.* Signa ergo in eiuſmodi lætitus obuiamque itionib. ornabantur. cui rei adhibita etiam vnguenta. Plin. li.13.c.4. *Aquilæ certe ac ſigna puluerulenta illa ac cuſtodiis horrida inunguntur etiã feſtis diebus. vtinamq. dicere poſſemus, quis primus inſtituiſſet. Ita eſt: hac mercede corruptæ terrarum orbem deuicere aquilæ.* Nec aliud eſt quod noſter hic appellat inſigniũ fulgorem. Ita li.15. *Hinc agmina legionum ſtetere fulgentib. aquilis ſigniſque, & ſimulachris in modum templi.* Et Liuius etiam li.28. *Aſdrubal clamore equitum excitatus, vt ex tabernaculo proſiluit, tumultumque ante vallum & trepidationẽ ſuorum, & procul ſigna legionum fulgentia, plenoſque hoſtium cãpos vidit.* Et ſi paullo aliter id accipio de fulgore argenti, puluere deterſo: quia nondum illo æuo notus luxuriæ mos. Cõtra in triſticia & rebus atris, ſigna horrida & incompta. Tacitus in funere Germanici: *Præcedebãt incompta ſigna, verſi faſces.* Libro 4. Hiſtor. *Reuulſæ Imperatorũ imagines inuexa ſigna fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis.* Libro 15. de fuga Pæti: *Corbulo cum ſuis copiis apud ripã Euphratis obuius, non eã ſpeciẽ inſignium, et armorum prætulit, vt diuerſitatem exprobaret.* Nec plura mihi notata de hoc parum cognito adhuc militiæ ritu.

Cap.xv. Tamen vincente verecundiam metu, cum proximus quiſque hoſtem cęderet, tergo extemplo data, atque in fugam ſeſe omnes effuderunt.] Ita habent editiones omnes quas ego vidi. male tamen, imo peſſime, & contra mentem Liuij, quæ ipſi conſtabit, ſi leuiſſima mutatione ſcribas: *cum proximus quiſque hoſtem cederet*: vti præceſſit, *quanquam retinebat obſiſtebatque cedentibus. Aſdrubal, ab tergo eſſe colles tutumque receptum, ſi modice ſe reciperent, clamitans.* inuexerunt hoc vitium qui ignorabant vt *prope hoſtẽ*, ita *proxime hoſtem*, Latiniſſime dici. Cicero ad Atticum: *Habere exercitum quã proxime hoſtem.* &, *Quam proxime Italiam eſſe.* itemque *Proxime Pompeium ſedebam*, Salluſtius, *Proxime Hiſpaniã Mauri ſunt.*

Cap.xvii. Itaque prior in terram Aſdrubal, mox Scipio & Lælius egreſſi ad regem pergunt. Magnificumque id Syphaci (nec erat aliter) viſum, duorum opulentiſſimorum ea tempeſtate populorum vno die, &c.] De his & ſequentibus ita Silius:

Has adiungere opes auidus, reparanſque laborem
Si vertat rex ad Pœnos, dare vela per altum
Imperat, atque animo iam tum fera bella capeſſit.
Verum vbi peruentum, & portus tenuere carinæ,
Iam trepida fugiens per proxima littora puppe
Aſdrubal afflictis aderat noua fœdera quærens
Rebus, et ad Tyrios Maſſylia ſigna trahebat.
Audito pariter populorum in regna duorum
Aduenisse duces, qui tota mole laborent,
Diſceptantque armis, terrarum vter imperet orbi.
Celſus mente Syphax acciri in tecta benigno
Imperat, & tanto regni ſe tollit honore.
Tum lætos voluens oculos aduerſa per ora,
Sic Latium affatur iuuenem, ac prius incipit vltro.
Quam te Dardanida pulcherrime mente ſerena
Accipio, intueorque libens, quamque ora recordor
Lætus Scipiadæ, reuocat tua forma parentem.
Nam repeto Herculeas Erythræa ad littora Gades
Quum ſtudio pelagi & ſpectandis æſtibus vnda
Veniſſem magnos vicina ad flumina Bætis
Ductores, miro quondam me cernere amore.
Tum mihi dona viri præda delecta tulere,
Arma ſimul, regnoque meo, tum cognita primum
Cornipedum frena atque arcus, queis cedere noſtra
Non norunt iacula et veteris tribuere magiſtros
Militiæ, qui diſperſas ſine lege cateruas
Veſtro formarent ritu ad certamina Martis.
Aſt ego cum noſtra (in noſtris quæ copia regnis)
Nunc auri ferrem, niuei nunc munera dentis,
Nil valui precibus, ſolos ſibi cœpit vterque,
Quos cohibebat ebur, vagina fictilis enſes.

Cap.xx. Mitior ea victoria fuit nec tantumdem noxæ admiſſum erat, & aliquantum iræ lenierat. Voluntaria deditio. Martius inde in Barbaros, ſi qui nondũ perdomiti erant, ſub ius ditionemque redigendos, miſſus. Scipio Carthaginem ad vota ſoluenda diſrediit.] Lipſius meus clamat interpolatum fœde hunc locum eſſe. Ille ſic: *voluntaria deditio. Inde in B. ſ. n. p. erant ſ. i. d. redigendos legatis miſſis Scipio Carthag.* &c. Puta puta Liuij & ſcriptura & hiſtoria. qui *Martij* nomen intruſerunt *legatorum* eiecerũt: putarunt vnicũ Martium miſſum, quia vnius illius res geſtæ poſtea narrãtur. Boni viri non audiunt ſcilicet liuium ipſum ſtantem à lectione ſcripta aliquã multis infra lineis: *Res*, inquit, *interim nihilominus ab legatis gerebantur. Martius ſuperato Bæti amne*, &c. At à quib. legatis, ſi miſſus ſolus Martius? ſed aliorum non meminit Liuius. quid mirum ſi leuia geſſerint? nec ſcriptione magnopere digna? Lipſius.

Cap.xxi. Corbis & Orſua, patrueles fratres, de principatu ciuitatis quam Ibem vocabãt, ambigentes, ferro ſe certaturos profeſſi ſunt.] Silius meus qui vtrumque occubuiſſe dicit, non minorem tantum, vt Liuius tradit:

Hos inter gemini, quid iam non regibus auſum?
Aut quod iam regni reſtat ſcelus? impia Circo
Innumero fratres, cauea damnante furorem,
Pro ſceptro armatis inierunt prælia dextris.
Ingenti mos diras erat, patriamque petebant
Orbati ſolium lucis diſcrimine fratres.)
Concurrere animis, quantis confligere par eſt.
Quos regni furor exagitat, multoque cruore
Exſatiata ſimul portantes corda ſub vmbras.
Occubuere, pari niſu per pectora adactus
Intima deſcendit mucro, ſuper addita ſæuit
Vltima vulneribus verba & conuitia voluens
Dirus in inuitas effugit ſpiritus auras.
Nec manes pacem paſſi, nam corpora iuncta
Vna cum caperet flamma rogus, impius ignis
Diſſiluit cinereſque ſimul iacuiſſe negarunt.

Cap.xxii. Martius ſuperato Bæti amni, quem incolæ Cirtium appellant.] Male *Cirtium* hic legi extareque in ſcripto Liuio *Certim* quod prope abſit à ſcriptura Stephani, Βαῖτις ποταμὸς κατ' Ἰβηρίαν, ὃς Πέρκης λέγεται, ἀπὸ τῶν ἐγχωρίων, monet vir doctus, ſi modo apud eundem Stephanum pro Πέρκης, Κέρτις reponatur. & ipſe quoque in editione Moguntina. *Certim*, expreſſim reperio.

Cap.xxv. Cum alios ſubinde recentes nuncios non mortis modo ſed etiam vulneris expectarent, neque ſuperueniret quiſquam, euaneſceretque rumor temere ortus: tum primi auctores requiri cœpti. & ſubiraſcentes quoque vt credidiſſe potius temere, quam finxiſſe rem talem videri poſſent.] Rhenani Spirenſe exemplar habuit, *& ſubtranteſſe quoque.* meum, *ſubtrahent et quoque.* Ille primus repoſuit, *et ſubiraſcentes.* addidit gloriæ cauſa à nemine hactenus locum iſtum intellectum. veriſſime. ſic tamen vt à ſe computet. Quis enim non videt nihilo ſecius hærere ſententiam? nec eſſe quo illud *ſubiraſcentes*, applicetur? τὸ δὲ πόρισμα, ὃ λέγει ἀμφίβολον, ait ille. Emendo, *& ſubornant* eos quoque. vel, *& ſubdiderant.* facili ſententia, & audebo dicere Liuij Germana. Lipſius.

Cap.xxvii. In prætorio tetẽderũt Albius & Atrius; Claſſicũ

apud eos cecinit, ſignum ab iis petitum eſt.] Lipſius ad illud Taciti ex XIII. Annal. libro. Signum more militiæ petendi tribuno dedit, Signum ſiue Teſſera, inquit, ſemper tribunis data etiam republica antiqua. Liuius libro vigeſimo octauo. *Forum tamen Romanorum caſtrorum conſtabat, quod tribunos & iura reddere in principijs ſinebant, & ſignum ab ijs petebant, & in ſtationes ac vigilias ordine ibant.* Dabatur à Conſule, Prætore coue qui exercitui toti præerat. Idem Liuius: *In Prætorio tetenderunt Albius & Atrius, claſſicum apud eos cecinit, ſignum ab iis petitum eſt.* At prætorij tribunus à ſolo principe, ideo ſupra libro primo inter ſigna accepti imperij Tacitus poſuit: *Defuncto Auguſto ſignum prætoriis cohortibus vt Imperator dederat.* formam dandæ teſſeræ petendæque in parte expreſſit Appianus 4. Ciuilium: καὶ ὁ Λεύκιος, inquit, ἐπεμψε τοὺς χιλιάρχας τὸ σύνθημα τοῦ στρατοῦ ληψομένους παρὰ τοῦ Καίσαρος, οἱ δὲ ἔθος αὐτῷ τοῖς ἀεὶ δεῖ τοῦ στρατοῦ, καθὰ ἐγένετο, ἐπὶ τὸν αἰτοῦντα τὸ σύνθημα χιλίαρχον, ἐπιδιδόναι τῷ βασιλεῖ βιβλίον ἐπίμεμπτον τοῦ ἀεὶ δοθέντος συνθήματος. Atque olim ea data videtur ſine voce, inſcripta vel inſculpta breui ligno; vnde Teſſeræ nomen. de quo Polybium ædi libro ſexto. at ſub Impp. vocale id ſignum. Dabant autem plerunque nomina deorum, aut heroum: etiam Græci. Pauſanias li. 10. *Cum vtrinq; à ducib. de more militi teſſera daretur, fortuito ad oraculi verba appoſita data ſuat, à Theſſalis Itonia Minerua, à Phocenſibus generis auctor Phocus.* Etiam Perſæ, ſi Xenophonti fides li. 7. παιδείας. & tertio vbi à Cyro teſſera data Ζεὺς σύμμαχος καὶ ἡγεμών. aut Ζεὺς σωτήρ. Suetonij loci bini ſunt ſani in hac re alter Cal. c. 58. *Signum, ait, more militiæ petiſſe: & Caio Iouem dante, Chæream exclamaſſe, Accipe ratum.* vbi reſtituo magnanimi viri vocem litera addita, *Accipe iratum.* alter c. 56. *Solitus modo ſignum petenti, Priapum aut Venerem dare: modo oſculandam manum offerre formatam commotamq; in obſcœnũ modum.* Libri vet. *cõmiſtamq;* aut *cammatamque.* Scribo, *grammatamque.* Grammata manus inſertis, commixtiſque digitis ad formam eius literæ; qui mos in Italia & nunc. Sic lapides gãmati, non ſolũ qui inſculptum Gãma habebant, ſed qui literam eam exprimebant tranſuerſi. Scriptor Gromaticus: *Solent termini occurrere, qui lapides tam longiores ſunt quam quilatiores ſequendi. hoc eſt, aut ſi curſum dirigunt lineares, aut ſigmmma faciũt tranſuerſi.* Scies amplius tu tiro, Teſſeram duplicẽ fuiſſe: vnam quæ ad excubias: alteram quæ ad pugnam. De poſtrema Tacitus li. 3. Hiſtoriar. *Eadem vtrinq; acie arma: crebris interrogationibus notum pugnæ ſignum.*

Cap. XXIX. Exercitus, qui corona concionem circum dederat, gladiis ad ſcuta concrepuit. Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in concilio.] Iterum Lipſius, ad illa Taciti ex. 1. Annal. li. *Stabant pro concione legiones diſtrictis gladiis;* Exemplum, inquit, niſi fallor, primum animaduerſionis à milite ipſo vſurpatæ. quod hodie in noſtra militia vulgo obtinet. Ammianus tamen id recenſuit, quaſi ex more priſco, libr. 29. *Cum inueniſſet eos exercitu circumſepto; Quid de iſtis nefariis, inquit, proditoribus fieri oportere contubernales deuoti cenſetis? Secutuſque adclamationem reguniam ſanguine vindicari, eos qui inter Conſtantianos merebant, priſco more militibus dedit occidendos.*

Cap. XXXV. Prope attonitus ipſo congreſſu Numida, gratias de fratris filio remiſſo agit. Ex eo tempore affirmat eam ſe quæſiſſe occaſionem.] Silius congreſſum hunc & vtriuſque orationem luculenter deſcribit, niſi quod verſus eius vulgo corruptiſſimi ſunt, quos ſic emenda:

Aurora obſcuri tergebat nubila cœli,
Vixque Atlantiadum rubefecerat ora ſororum
Tendit ad Auſonios, & adhuc hoſtilia caſtra.
Atque vbi ſe vallo intulerat, ductorque benigno
Accepit Latius vultu, rex talibus infit:
Cœleſtum monitu, & ſacra reſponſa parentis,
Diſque tua, o Rutilum rector, gratiſſima virtus,
Auulſum Tyriis huc me duxere volentem.
Si tibi non ſegnes tunc contra fulmina ſæpe
Viſi ſtare ſumus. dignam te nate tonantis
Aſſerimus dextram, nec nos nata vana ſubegit
Incerta mentis leuitas, et mobile pectus,
Aut ſpes, & leti ſectamur præmia Martis.
Perfidiam fugio & periurum ab origine gentem.
Et quando Herculeis finiſti prælia metis,
Hanc ipſam belli nobiſcum inuade parentem.
Ille tibi qui iam gemino Laurentia luſtro
Poſſedit regna & ſcalas ad mœnia Romæ
Admouet, in Libyam flammis ferroque trahendus.
Sic Nomadum ductor, tum dextra Scipio dextram
Amplexus, ſi pulchra tibi Maurorte videtur,
Pulchrior eſt gens noſtra fide, dimitte bilingues
Ex animo ſocios, magna hinc te præmia clara
Virtutis Maſaniſſa manent citiuſque vel armis
Quam ſtrata ſtadio vincetur Scipio mentis.

Cap. XXXVII. Mago cum Gades repetiiſſet, excluſus inde ad Cimbim (haud procul Gadibus is locus abeſt) claſſe appulſa.] Nihil variant editiones, niſi quod vetus Moguntina habebat: *haud procul à Gadibus is locus abeſt.* Lipſius tamen ait, *Cimbis* ignotum ſane eſſe nomen, ſeq. pro eo reperiſſe in libro ſuo ſcripto: *ad Ambros.* de quo conſiderandum relinquit.

Cap. XL. Cum Africam nouam prouinciam extra ſortem P. Scipioni deſtinari homines fama ferrent, & ipſe, &c.] Hæc & orationem tam Fabij quam Scipionis paulo infra Silius fere ad verbum ita imitatur:

Nec Latium curis ardet flagrantius vllis,
Quam iuueni Libyam, et ſummos permittere faſces,
Sed frigent animis nec bello proſpera turba
Ancipiti, ſenior temeraria cœpta vetabant,
Magnoſque horrebant cauta formidine caſus.
Ergo vbi delato Conſul ſublimis honore
Ad patres conſulta refert, deturque poteſtas
Orat delenda Carthagini, altius orſus
Hoc grandæua modo Fabius pater ore reſoluit:
Haud equidem metuiſſe queam ſatiatus & æui
Et decoris, cui tam ſupereſt & gloria et ætas,
Ne credat non inuidiæ certamine Conſul
Laudibus obtrectare ſuis, ſatis inclita nomen
Geſtat fama meum, nec egent tam proſpera laudem
Facta noua, verum & patria dum vita manebit
Deeſſe nefas, animumque nefas ſcelerare ſilendo.
Bella noua in Libyam moliris ducere terras?
Hoſtis enim deeſt Auſonia, nec vincere nobis
Eſt ſatis Annibalem? petitur quæ gloria maior
Littore Eliſſeo? ſtimuli ſi laudis agunt nos,
Hanc ſegetem mete, compoſuit propioribus auſis
Dignam te fortuna parem, vult Itala tellus
Ductoris ſæui vult tandem haurire cruorem.
Quo Martem, aut quo ſigna trahis? reſtinguere primum eſt
Ardentem Italiam, taſſos omnis hoſtes
Deſeris, ac ſeptem denudas protinus arces.
An, cum tu Syrtim ac ſteriles vaſtabis arenas,
Non dira illuc Iues notis iam mœnibus vrbis
Aſſiliet? vacuamque Iouem ſine pube, ſine armis,
Inuadet? quantus eſt ut cadas, Romamque reliquas
Emerito, ac tanti percalſi fulmine belli.
Siccine te vt nuper Capua eſt nec iuuas ab alta
Fuluius, æquoreis Libya reuocabimus oris?
Vince domi, et trinis mœrentem funera luſtris
Auſoniam purga bello, tum tende remotos
In Garamantas iter, Naſamoniacoſque triumphos
Molire, anguſta prohibent nunc talia cœpta
Res Itala. pater ille tuus, qui nomina veſtra
Addidit haud ſegnis genti, cum Conſul Iberi
Tenderet ad ripas, reuocato milite primus
Deſcendenti auide ſuperatis alpibus vltro
Oppoſuit ſeſe Annibali, tu Conſul abire
A victore paras hoſte, atque auellere nobis
Scilicet hoc aſta Pœnam? ſi deinde ſedebit
Impauidus, nec te in Libyam, tuaque arma ſequetur,
Capta hac damnabis conſulta, improuida Roma.
Sed ſi conturbatam conuertere ſigna, tuaque
Claſſis vela ſequi, nempe idem erit Annibal idem,
Cuncta vallum vidiſti e mœnibus vrbis.
Hæc Fabius, ſeniorque manus pari ore fremebant.
Tum contra Conſul, Cui ſit data tribus olim
Magnanimis leto gemino, cum . . . . ſubiſſet
Sidonium poſſeſſa iugum Tarteſſia tellus,

Non Fabio, non quis eadem eſt ſententia cordi.
Quoquam ad opem verſo (fateor) primoribus annis
Excepti nubem belli, ſolaſque ruenti
Obieci telo caput, atque in me omnia verti.
Tum grandæua manus, puero male credita bella,
Atque idem hic vates temeraria cœpta canebat.
Diis grates, laudemque fero, ſub nomine quorum
Gens Troiana ſumus, puer ille, et futilis ætas.
Imbelleſque anni, nec dum maturus ad arma
Scipio, reſtituit terras illæſas liberas
Troiugenis, pepulit Pœno, ſoliſque ſecutus
Extremas ad Atlanta vias, exegit ab orbe
Heſperio nomen Libyæ, nec retulit ante
Signa prius, quam ſumantes circa æquora vidit
Romanum Phœbum ſoluentem litore currus.
Adſciuit reges idem, nunc vltimus actis
Reſtat Carthago noſtris labor, hoc ſator vnus
Iupiter, æterni monet, Annibalem ecce ſenectus
Intremit, aut agros ſimulat mentita timores,
Ne ſinem longis tandem peperiſſe ruinis
Sit noſter titulus, certe iam dextera nobis
Experta, & robur florentibus auximus annis.
Ne vero fabricate moras, ſed currere ſortem
Hanc ſinite, ad veterum delenda opprobria cladum,
Quam mihi ſeruare dei, ſat gloria cauto
Non vinci pulchra eſt Fabio, peperitque ſedendo
Omnia cunctator nobis, nec Mago, nec Hanno,
Nec Giſgone ſatus, nec Amilcare terga dediſſent
Segnes ſi clauſo traheremus prœlia vallo.
Sidoniuſne puer vix pubeſcente iuuenta
Laurenteis potuit populos, et Troia adire
Mœnia, flauentemque ſacro cum gurgite Tybrim?
Et potuit Latium longo depoſcere bello?
Nos Libiæ terris tranſmittere ſigna pigebit?
Et Tyrias agitare domos? ſecura pericli
Littora lata patent, & opima pace quieta
Stat tellus, timeat tandem Carthago timeri
Aſſueta, & nobis, quamuis Oenotria nondum
Annibale arua vacent, ſupereſſe intelligat arma.
Illum ego, quem voſmet cauti, conſultaque veſtra
In Latio fecere ſenem, cui tertia large
Fundenti noſtrum ducuntur luſtra cruorem,
Illum ego ad incenſas trepidantem & ſana pauentem
Auertam patriæ ſedes, an Roma videbit
Tarpia Agenorea muris veſtigia dextra?
Carthago immunis noſtros ſecura labores
Audiet interea, et portis bellabit apertis?
Tam vero pulſet noſtras iterum improbus hoſtis
Ariete Sidonio turres, ſi templa ſuorum
Non ante audierit Rutilis crepitantia flammis.
Talibus accenſi patres, fatoque vocante
Conſulis annuerant dictis, fauſtumque precati
Vt foret Auſoniæ tranſmittere bella dederunt.

Cap. XLIV. Sed illum potius ego traham, quam ille me retineat, in ſua terra cogam pugnare, & Carthago potius prœmium victoriæ erit, quam ſemiruta Brutiorum caſtella.] Lipſius in Epiſtolicis: Frequens fuit antiquis, inquit, genus illud loquendi, Claris maioribus, quam vetuſtis. Tacit. Tacita mulier bona, quam loquens. Plautus & ſimilia, in quib. potius aut tale aliquid intelligimus. Reſtituo idem in duobus locis Liuij.

Libro 22.

Quia ea regione præſentis erat copiæ non perpetuæ, arbuſta vineæq; & conſita omnia magis amœnis quam neceſſariis fructibus.] Abeſt à veteri, *magis*. optime.

Lib. 29 in oratione Scipionis.

Sed illum potius ego traham, quam ille me retineat: in ſua terra cogam pugnare, & Carthago potius prœmium victoriæ erit, quam ſemiruta Brutiorũ caſtella. Idem, *et Carthago præmium*. altera voce omiſſa.

Lib. 24. de occiſo Hieronymo.

Ex principibus vnus nomine Polyneus, concionem & liberam & moderatam habuit. Seruitudinis indignitatiſque expertos homines, aduerſus notum malum irritatos eſſe.] Suſpecta in Liuio vox *ſeruitudinis*. quamquam Feſtus notet, *Eritudo vt ſeruitudo*, ſic enim legendum. Vetus lectio *ſeruitutidi as*. diuinabam, *Seruitij tidium indignitateſque*. ſiue, Tædium.

IN T. LIVII LIBRVM XXIX. NOTÆ.

Cap. I. Quãdo igitur adoleſcens quid ſentires non diſſimulaſti, vicariũ tibi expediam, cui tu arma equumque & cetera inſtrumẽta militiæ tradas, & tecum hinc extemplo domum ducas, exerceas, docendumque cures equo tradito armiſque.] Iam ante linea dixerat, *equum armaq; tradas*. addit iterum *equo tradito armiſque*. bene me hercule & ſolicite monet Scipio. Sed gloſſema eſt, quod non reperias ſine libro. Abeſt à veteri, *tradito*. rectiſſime. Docere equo, docere armis, eleganter. & duo Scipio edixit, vt traderent arma & equos: deinde vt iuuenes illos equeſtris militiæ ignaros docerent vti equo & armis ad equum. Lipſius.

Cap. II. Iunctis & ipſi exercitibus per agrum Auſetanum hoſtico tamquam pacato clementer ductis militibus.] Edit. Mogunt. *in hoſtico tamquam pacato*, & ſtatim; *cornu dextrum Illergetes*, non, *cornua*.

Eod. Scr. Cornelio tribuno militum imperat, equites per patentes in hoſtium acie vias immittere equos iubeat.] *permittere* habet Ed. Mog. quod primus Beatus mutauit in *immittere*; ſequitur enim inquit: *ſimul equitibus Hiſpanorum viã immittendi equos clauſerant*.

Eod. Plures cæſi, quia equos conſcendendi equitibus ſpacium non fuciat.] Edit. Mogunt. vet. *quia equos conſcendendi ab equitibus ſpacium non fuerat*. diuerſo, plane ſenſu, ſed fruſtra eſt.

Cap. III. Nec Magonem ex Gallia mouere tumultus quicquam, nec coniungere ſe Annibali.] Edit. Mogun. *Magonem ex Gallia mouere tumultus nequicquam*.

Cap. IV. Ita reſpirarum, mittiq. ad Syphacem legationes alioſque regulos firmandæ ſocietatis cauſa cœptæ. Ed. Mog. *mittique ad Syphacem legationes, alioſque regulos firmandæ ſocietatis cauſa cœptam*.

Eod. Aut in Italiam traiiceret. Miſſi & ad ſuos Imperatores in Italiam.] *τὸ miſſi* abeſt ab edit. Mog.

Hortaretur ac ſtimularet Scipionem ne ceſſaret.] Ed. Mog. *ſtimularet Scipionem non ceſſare*.

Cap. V. Ipſe in eadem ſtatione circa Ariminum Italiæ præſidio futurus.] Mog. ed *in eadem regione*.

Cap. VI. Et Bruttis non ſocietate magis Punica, quam ſuopte ingenio promptis in eum morem.] Ed. Mog. *congruentib. in eum morem*. quod malim.

Cap. VII. Neq; ſcalas, quib. ſcanderent muros, attulerant.] Ed. Mod. *quibus ſcanderet muros, attulerat*. vt præceſſit *voluit*, ſequitur *oſtendiſſet*.

Cap. VIII. Romam mitterent legatos, quam Senatus æquum cẽſuiſſet, eam fortunam habituros.] Ab editione Mogunt. abeſt illud: *æquum*. & poteſt citra ſentẽtiæ detrimentum abeſſe.

Cap. IX. Repugnabant enim militumque fidem implorabant.] Et mog. *militumque auxilium implorabant*.

Eod. Et quæ antea per libidinem atque auaritiam fœda exempla in ſocios ediderat.] Mog. edit. *et qui antea per libidinẽ*. vt & mox; *P. Scipionis velut præſagientem animã de fine belli, qui depopoſciſſet prouinciam Africam*, pro vulgato, *quod depopoſciſſet p. A.*

Cap. X. Nec ſubſiſti potuiſſe, niſi eadem vis mali, aut grauior etiam in hoſtes ingruiſſet.] Mogunt. edition. *Nec ſiſti potuiſſe*.

Eod. Cum Annibal in hyberna ſuos receperit & tantam inceſſiſſe in ea caſtra vim morbi, vt niſi mature dimittantur, nemo omnium ſuperſtes futurus videatur.] Et. Mogun. *Cum Annibal in hyberna ſe ſuoſque receperit: & tanta inceſſerit vis morbi in ea caſtra, vt niſi mature dimittatur, nemo*, &c.

Eod. Inuento carmine in libris Sibyllinis, Quandocumq; hoſtis alienigena terræ Italiæ bellum intuliſſet cum pelli Italia, &c.] Hæc & quæ mox ſequuntur de Scipione viro optimo Romæ iudicato, & Idæam matrem excipiente ita ad verbum fere imitatur Silius:

Hoſtis vt Auſoniis diſcederet aduena terris
Fatidica fuerant oracula priſca Sibyllæ,
Cælicolum Phrygia genetricem ſede petitam
Laomedontea ſacrandam mœnibus vrbis
Aduectum acciperes numen, qui lectus ab omni
Conſilio patrum, præſentis degeret æui
Optimus, heu nomen melius, maiuſque triumphis.
Iamque petita aderat, Latia portante Cybelen
Puppe, atque intrepidis, magno ardente ſenatu,
Obuius accitis properabat Scipio ſacris,
Qui genitus patruo ductoris ad Africa bella
Tunc lecti, multa fulgebat imagine auorum.
Iſq; vbi longinquo venientia numina ponto
Accepit ſupplex palmis, Thuſciquè ſonora
Tybridis adduxit ſublimis ad oſtia puppim,
Fœmina tum deinde manus ſubiere per amnem,
Quæ traherent celſam religatis funibus alnum, &c.

Eod. Itaque quo maturius fauſtis omnibus oraculiſque portendentis ſeſe victoriæ cōpotes fierent, id cogitare quæ ratio transportandæ Romam deæ eſſet.] Merito hic inuehitur in Beatum Sigonius, quod nimium ſuo vnico Spirenſi exemplari tribuerit, contra conſenſum omniū aliorum codicū: quid enim neceſſe erat hæc ſic interpolare, cum haud dubie vera & germana huius loci lectio ſit; *fatis omnib. oraculiſque portendentis ſeſe victoriæ*, Editio ſane Moguntina recte eíe iodice eam lectionē ſeruat; in qua eadem etiam mox auctius legitur, *id cogitare atque agitare quæ ratio transportādæ Romam deæ eſſet.*

Cap. xvi. Etiam ſe auctorem ita conferendi fuiſſe inopi ærario.] Mog ed. *in inopia ærarij.*

Cap. xvii. Io hoc legato veſtro nec hominis qoidquam eſt P.C. præter figuram & ſpeciem, neque Romani ciuis præter habitum & ſonum Latinæ linguæ.] Quia vocabulum *veſtitumque* non eſt in veteri codice, inquit Beatus (qui in editionib. repererat, *præter habitum veſtitumque et ſonum*) & nos eam ſubmouimus, ſatis baſilice, quod qoidquid non placet ſatis aut reiicit aut interpolat fretus ſuis membranis, atque illis qoidem ſæpe, vt apparet, non nimis probis. contra quas ego ſane dico ex conſenſu aliorum optimorum codicum, hic omnino legendum: *præter habitum veſtitumque et ſonum.* ſic enim & alias ait Liuius li. 28. *Ora, veſtitum, habitum ciuium agnoſco: facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.*

Eod. Cum hoſtes bello vrbem cepere, an cum exitiabilis tyrannus vi atqoe armis oppreſſit.] Mogunt. edit. *exitialis tyrannis.*

Cap. xviii. Quid ergo cenſoit P.C. Claſſis poſtero die fœdiſſima tempeſtate lacerata; omneſque naues quæ ſacram pecuniam habebant, in litora noſtra eiectæ ſunt.] De ſacris Proſerpinæ theſauris à Pyrrho & Plemimo violatis, paulo aliter Valerius Maxim. atque in hunc quidem modum: *Tam mehercule, quam Q. Pleminij legati Scipionis in theſauro Proſerpinæ ſpoliando ſceleratam auaritiam iuſta animaduerſione vindicauit. Cum enim eum vinctum Romam protrahi iuſſiſſet, is ante cauſa dictionem in carcere teterrimo genere morbi conſumptus eſt: pecuniam Dea eiuſdem Senatus imperio, et quidem ſummam duplicando, recuperauit. Quod quidem ad Pleminij facinus pertinuit, bene à patribus conſcriptos vindicatum eſt. Quod ad violentas regis Pyrrhi ſordeis attinuerat, ſeipſam potenter atq; efficaciter dea defendit. Coactis enim Locrenſibus ex theſauro eius, magnam ſibi pecuniam dare: cum onuſtus nefaria præda nauigaret, vi ſubitæ tempeſtatis tota cum claſſe vicinis deæ litoribus illiſus eſt: in quibus pecunia incolumis reperta, ſanctiſſimi theſauri cuſtodiæ reſtituta eſt.*

Eod. Comperta nobis maioribuſque noſtris, referebātor.] Ed. Mog *referebamus.*

Cap. xix. Plus prope per ſeditionem militum, quam bello amiſſum.] Ed. Mog. *Plus prope ſeditione militum.* quæ & ſtatim vbi eſt. *Sentētia deinde trucem orationi adiecit.* inſerit. *Sententiam deinde æque trucem o.a.*

Eod. Quas iniurias ſibi factas quererentur, neque ſenatum neque populum Romanum factas velle.] Edit. Mogunt. *eas neque ſenatum, neque populum Romanum velle factas.*

Eod. *Ipſius etiam Imperatoris non Romanus modo, ſed ne militaris quidem cultus iactabatur, cum pallio crepiſque inambulare in gymnaſio.*] Lipſius ad illa Taciti ex Annal. lib. 11. *Pedib. intectis incedere, et palleum Græcis amictu.* Interpretor, inquit, inceſſiſſe crepidatum palliatumque. Quod ait *pedibus intectis*: non plane verum eſt, ſed in comparatione cum calceis Romanis, qui altiuſculi non ſolum imos pedes, ſed tibias velabant cruretenus, Horatius.

——*nigris medium impediit crus*
Pellibus.

Titinius in Setina: *Iam cum mulleis te oſtendiſti, quos tibiatim calceas.* Tertullianus de pallio: *Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Et extat exemplum hodie in calceis Turcarum Pannoniorumque. At crepidæ, ſoleæ, plantarum calces tantum imas tegebant, ceteris fere nudis. Ideo bene noſter pedibus intectis. Hunc ſenſum firmat ipſe dum ſubdit: *P. Scipionis æmulatione, quem eadem factitaſſe apud Siciliam accepimus.* Scipio autem ibi crepidatus Liuius. *Ipſius etiam imperatoris non Romanus modo, ſed ne militaris quidē cultus iactabatur: cū pallio crepidiſq; inābulare in gymnaſio.* Quod tamen molle & effœminatum cenſebatur: & Manilius delicatos inſignit hæc nota:

Fœminea veſtes, nexa ſine tegmine plantæ,

Cap. xxii. Scipio res non verba, ad purgandum ſe parauit.] Edit. Mog. *præparauit.*

Cap. xxiii. Ad eam rem confirmandam, tempuſque nuptiis ſtatuendum (iam enim nubilis erat virgo) profectus Aſdrubal, vt accenſum cupiditate (vt ſunt ante omnes barbaros Numidæ effuſi in venerem) ſenſit, virginem ab Carthagine acceſſit, maturatque nuptias.] Edit. Moguntina: *Ad eam rem conſummandam,* ac mox: *& ſunt ante omnes barbaros Numidæ effuſi in Venerem.* vtrumque melius quam vulgo, qnidqoid dicat de poſteriore hoc doctiſſimus Sigonius. ceterum rem ſic Silius narrat: *Immemoris* (Syphax puta) *dextraque data, iunctique per aras:*

Fœderis, & menſas teſteis atque hoſpita iura
Faſque fidemque ſimul, prauo mutatus amore
Ruperat, atque thoros regni mercede pararat.
Virgo erat eximia ſpecie claroque parente,
Aſdrubalis proles, thalamis quam cepit vt altis
Ceu face ſuccenſus prima, tædaque iugali
Vertit opes gener ad Pœnos, Latiaq; ſoluto
Fœdere amicitia dotalia tranſtulit arma.

Cap. xxiv. Monet eum ne iura hoſpitij ſecum, ne cū populo Romano initiæ ſocietatis, neu fas, fidem, dextras, deos teſtes atque arbitros conuentorum fallat.] Idem Silius.

Sed non Auſonio curarum extrema Syphacem
Ductori monuiſſe fuit, ſit fidus, et ictum
Obſeruet fœdus, neu pacis iura reſoluat,
Stet regno, reputet ſuperos, facta hoſpita ſeruet,
Longe coniugia ac longe Tyrios Hymenæos
Inter Dardanias acies fore, ſanguine quippe.
Si renuat blando nimium facilique marito,
Statura obſequia, & thalami flagrantis amores.

Cap. xxv. Nauticos C. Lælius, qui claſſis præfectos erat, nauibus ante conſcendere coactos continuit. commeatos imponendi M. Pomponio prætori cura data.] Ed. Mog. *nauticos C. Lælius, qui claſſis præfectus erat, in naues ante conſcendere coactos, continuit. commeatus imponendi M. Pomponio prætori curam dat.*

Cap. xxvi. Quanquam ſi magnitudine claſſes æſtimares.] Mog. edit. *ſi magnitudine claſſis æſtimaretur.*

Eod. Qood ad Annibalem detrahendum ex Italia, transferendumque & finiendum in Africa bellum ſe tranſire vulgauerat.] Ad editione Mog. abeſt τὸ *ſe.*

Cap. xxix. Cum magis iure gentis aoctoritate inter ſuos, quam viribus obtineret regnum.] Edit. Mog. *Cum magis iure gentis, quam auctoritate inter ſuos, aut viribus obtineret regnum.*

Cap. xxx. Quia ſibi cū Syphace haud paulo maiorem reſtaredintegrationem cernebat.] Edit. Mog. *aduerſus Syphacem* &

ſtatim: *ambo praeoptantes exilio modicam domi fortunam*, pro, *ambos praeoptantes.*

Cap.xxxi. Pluresque quam iuſto ſæpe in bello Carthaginienſium cæderentur.] Mog. edit. *quam iuſto ſæpe in prælio Carthaginienſes caderentur.*

Cap.xxxii. Adeptuſque eum patentibus prope Clupeam vrbem campis ita circumdedit. Mog.ed. *circumuenit*, pro *circumdedit*, quod æque conuenit.

Cap.xxxiv. Tegentibus tumulis, qui oportune circa viæ flexus oppoſiti erãt, occulte proceſſit.] Mog.ed. *qui per oportune*, & mox: *Maſſaniſſa verſis ſubito equis*; vbi nunc *flexis* legitur.

Cap.xxxv. Scipio, cum xl. ferme dies nequiquam omnia experiens, obſediſſet Vticam.] Mog.ed. *nequiquam omnia experiendo*. quomodo amat loqui Liuius.

Eod. Littus ad ſeptentrionem verſum ſubductæ naues naualeſq; ſocij tenebant.] Mog.edit. *ad Septentrionem verſus.*

Cap.xxxvi. Perculſus aduerſo prœlio Annibal Crotonem exercitum abduxit.] Mog.edit. *Crotonem exercitum reduxit.*

IN T. LIVII LIBRVM.

XXX. NOTAE.

CAp.v. Nam vt proximis caſtris iniectus ignis hæſit, extemplo proxima quæque, & deinceps continua amplexus, totis ſe paſſim diſſipauit caſtris.] Silius de hac arte qua vſus feliciter Scipio:

Ergo aſper monitis fruſtra nitentibus enſes
Aduocat, & caſtas polluti fœderis aras.
Teſtatus, varia Martem mouet impiger arte.
Caſtra leui calamo, cannaque intorta paluſtri,
Qualia Mauris amat diſperſa mapalia paſtor,
Aggreditur furtim armorum tutantibus vmbris,
Ac tacita ſpargit celata incendia nocte.
Inde vbi collecti rapidam diffundere peſtem
Cœperunt ignes, & ſe per pinguia magno
Pabula ferre ſono, clare expatiantur in auras.
Et frenos volucri propellunt lumine flamma,
It totis inimica lues cum turbine caſtris,
Atque alimenta vorat ſtrepitu Vulcanus anhelo
Arida, & ex omni manant incendia tecto,
Sentitur pleriſque priuſquam cernitur ignis
Excitis ſomno multorumque ora vocantum
Auxilium inuadunt flamma, fluit vndique victor
Mulciber, & rapidis amplexibus arma viroſque
Corripit, exundat peſtis, ſemiuſtaque caſtra
Ardenti volitant per nubila ſumma fauilla.
Ipſius ingenti regis tentoria ſaltu
Luggubre increpitans late circumuolat ardor,
Hauſiſſetque virum trepidum ni clade ſatelles
E ſomnio ac ſtratis rapuiſſet multa precantem, &c.

Cap.ix. Carthaginem ipſam qui tueantur, neque imperatorem alium quam Annibalem, neque exercitum alium quam Annibalis ſupereſſe.] Poëta non poëta:

Stabat Carthago truncatis vndique membris
Vni nixa viro, tantoque fragore ruentem
Annibal abſenti retinebat nomine molem.
Id reliquum feſſos opis auxiliique ciere,
Rerum extrema iubent, huc confugere pauentes,
Poſtquam ſe ſuperum deſertos numine cernunt.
Nec mora propulſa ſulcant vada ſalſa carina.
Qui reuocent, patrumque ferant mandata monentes,
Ni lentus nullas videas Carthaginis arces.
Tolle moras, patriaque celer ſuccurre cadenti
Annibal & noſtris depelle à mœnibus hoſtem.

Cap.xii. Ibi Syphax, dum obequitat hoſtium turmis, ſi pudore, ſi periculo ſuo fugam ſiſtere poſſet, equo grauiter ictus effuſus opprimitur.] De hoc prœlio & capto Syphace ita Silius:

Ante omnes prauectus equo trahit agmina voce.
Contra ſana manus Rutuli, celſuſque ruebat.
Viſo rege procul raptis exercitus armis.
Ac ſibi quiſque, videſne? vides ait agmine primus
Maſſylus volitat depoſcens prælia rector?
Fac noſtrum hoc mea dextra decus, violauit & aras
Calicolum, & caſti ductoris fœdera rupit.
Sit ſatis hunc caſtris ſemel effugiſſe crematis.
Sic ſecum taciti, et certatim ſpicula fundunt.
Prima in cornipedis ſedit ſpirantibus ignem
Naribus haſta volans, erexitque ore cruento
Quadrupedem elatis, pulſantem calcibus auras.
Corruit aſper equus, confixaque cuſpide membra
Huc illuc iactans, rectorem prodidit hoſti.
Inuadunt, vanamque fugam atque attollere feſſos
Adnitentem artus, reuocato è vulnere telo
Corripiunt, tum vincla viro, manicaque pudenda
Addita, & exemplum non vnquam ſidere lætis.
Sceptiferas arcta palmas vinxere catena.
Ducitur ex alto deiectus culmine regni,
Qui modo ſub pedibus terras, et ſceptra, patenſque
Littora ad Oceani ſub nutu viderat æquor.
Proſtratis opibus regni, Phœniſſa metuntur
Agmina, & inuiſus Marti, notuſque fugarum
Vertit terga citus damnatis Aſdrubal auſis.

Cap.xvii. Conſulti inde patres regem in cuſtodiam Albam mittendum cenſuerunt, Lælium retinendum, donec legati Carthaginienſes venirent.] Quod tamen poſtea mutauit. idem Liuius: *Morte ſubtractus ſpectaculo magis hominum quam triũphãtis gloria Syphax eſt.* Tybure haud ita molto ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. Conſpecta mors tamen eius fuit, quia publico funere eſt elatus. porro de hac humanitate Senatus erga captiuum Syphacem ita etiam Valerius Max. ſcribit li.5.ca.1. *Illud quoque non paruum humanitatis Senatus indicium eſt, Syphacem enim quondã opulentiſſimũ Numidiæ regem captiuum, in cuſtodia Tiburi mortuum, publico funere cenſuit efferendum, ut vita dono ſepulturæ honorem adijceret.*

Cap. xix. Nihil ſperans leuiorem in nauigatione quam in via iactationem vulneris fore; & curationi omnia commodiora.] Dij perdant ſciolos iſtos qui hanc nobis lectionem concionarunt aperte contra mentem Liuij, qui ſcripſerat vt ex veteribus codicibus bonæ notæ diſcere eſt; *ſimul ſperans leuiorem in nauigatione quam in via iactationem vulneris fore.*

Cap.xx. Vicit ergo Annibalem non populus Romanus toties cæſus fugatuſque, ſed Senatus Carthaginienſis obtrectatione atque inuidia.] De indignatione Annibalis ex Italia diſcedere coacti, ita Silius.

Audiuit torno obtutu defixus, & ægra
Expendit tacito cura ſecum ipſe volutans.
An tanti Carthago foret, ſic deinde profatur,
O dirum exitium mortalibus, ô nihil vmquam
Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia, euerſam iam pridem exſcindere Romam,
Atque æquaſſe ſolo potui, traducere captam
Seruitum gentem, Latioque imponere leges.
Dum ſumptus, dumque arma duci feſſoſque ſecundis
Summiſſo tyrone negant recreare maniplos,
a *Dumque etiam Cerere, et victu fraudaſſe cohortes*
Hannoni placet, induitur tota Africa flammis,
Pulſat Agenoreas Rhetea lancea portas.
Nunc patriæ decus, & patriæ nunc Annibal vnum
Subſidium, nunc in noſtra ſpes vltima dextra.
Vertantur ſigna, vt patres ſtatuere, ſimulque
Et patriæ muros, et te ſeruabimus Hannon.
Hæc vbi detonuit, celſas è littore puppes.
Propellit, multumque gemens mouet æquore claſſem.
& itetum——*omnis in altum*
Sidonius viſus conuerterat vndique miles.
Ductor defixos Itala tellure tenebat
Intentus vltus, mananteſque ora rigabant
Per tacitum lachryma, & ſuſpiria crebra ciebat.
Haud ſecus ac patriam pulſus dulceiſque penates
Linqueret, & triſtes exul traheretur in oras.
Vt vero affuſis puppes procedere ventis
Et ſenſim cœpere procul ſubſidere montes.
Nullaque iam Heſperia, et nuſquam iam Daunia tellus,

Digitized by Google

Hac ſecum infrendens, mentiſne ego compos & hoc nunc
Indignus reditu, qui memet finibus vmquam
Amorim Auſoniæ? flagraſſet funditus tedis
Carthago, & potius cecidiſſet nomen Eliſe.
Quid tunc? ſat compos, qui non ardeatia tela
A cannis in templa tali Tarpeia? Iouemque
Detraxi ſolio? ſparſiſſem incendia montes
Par ſeptem bello vacuos, gentique ſuperba
Iliacam exitium, et proauerum fata dediſſem.
Cur porro hac angunt, nunc nunc inuadere ferro
Quis prohibet? rurſumque ad menia tendere greſſum?
Ibo, et caſtrorum relegens monumenta meorum
Qua via nota mihi eſt remeabo Anienis ad vndas,
Flectite in Italiam proras, auertite claſſem,
Faxo vt vallata renocetur Scipio Roma.

Cap. xxxt. Et nunc Sagunti eſcidium nobis pia ac iuſta induerunt arma.] Sic & li. 8. C. *Pontius Samnitum dux: Iuſtum eſt bellum*, inquit, *Samnites, quibus neceſſarium, et pia arma qaibus nulla niſi ia armis relinqaitur ſpes*, ſicque dicebant, & iuſtũ piumque bellum, iudictum nempe legitime ob iuſtas cauſas es formula quam habemus apud Liuium libro primo. Idem Liuius libro tertio: *Falſam teſtem qui dicenda cauſæ innoxio poteſtatem ademiſſet, iuſto ac pio bello perſequebatur*. Idẽ libro nono. *Exoluamus religione populam, ſi qua obligamur, ne qaid diuini, humanique obſtes, quominus iaſtum piumq. de integro ineatar bellum*. Idem lib. 33. Athenas & in Achaiam legatos miſſos tefert, qoi teſtarentur ſociis, *Iaſto pioque bello ſe perſecaturum Bœotios*. Et libro 39. *Pro vobis igitur iuſtum piumque ſaſcepimus bellum*. Idem libro 42. *Vel vt permitterẽt, vt aduerſus iniuſta arma, pio iuſtoque ſe tutarentur bello*. Rurſus ibidem: *Se neque arta neque caſu, ſed collatis cominus virib. iuſto ac pio bello eſſe ſuperatum*. Cic. li. 12. de inuent. *Non enim iuſto neque pio bellum geſſiſſe*. Suetoo. in Galba. ca. 10. *Ac ſubinde Alexandrina aauis Derorſa appulit armis onuſta, ſine gubernatore, ſine nauta aut vectore vllo: vt nemini dubium eſſet, iuſtum piumque, & fauentibus diis bellum ſuſcipi*. Q. Curtius lib. 5. *Sed ſi iuſta ac pia bella Dij auerſantur, fortibus tamen viris licebit honeſte mori?* L. Annæus Flor. lib. 2. *Iuſta illa et pia eam exſeris bella*. Lucan. lib. 2.

——Nec enim iſta vocari
Prælia iuſta decet, patria ſed vindicis iram.

Cap. xxxii. Sua cuique decora, vbi ad inſignem alicuius pugnæ memoria militem venerat, referebat.] Silius:

Dux vetus armorum, ſciensque accendere corda
Laudibus ignifero, mentes furiebat in iram
Hortatu, decoriſque vrebat pectora flammis.
Tu mihi Flamminij portas rorantia caſi
Ora ducis, noſco dextram, ta primus in ictus
Ingeatis Pauli ruis, ac defigis in oſſa.
Mucronem, tibi pugnacis geſtantur opima
Marcelli, Gracchuſque cadens tibi proluit enſem.
Ecce manus qua te pulſantem belliger Appi
Mœnia ſublimis Capaa, de culmine muri
Excelſo faſa moribundum propulit haſta.
Ecce aliud fulmen dextra, quo nobile nomen
Fuluius, excepit noa vnum pectore vulnus.
Huc prima te ſiſte acie cui Conſul in armis
Criſpinus cecidit, me tu comitare per hoſtes
Qui nobis (memini) ad Cannas latiſſimus iræ
Seruili fers ora ducis ſaffixa veruto.
Cerno flagrantes oculos, vultumque timendum
Non ipſo minus enſe tuum fortiſſime Pœaum
O iauenis, qualem vidi eum flamine ſæuo
Inſignis Trebia, complexum ingentibus vlnis
Merſiſti fundo lactantem vana Tribunam
At tu qui gelidas Ticini primas ad vndas
Scipiada patris tinxiſti ſanguiae ferrum
Incepta exequere, & nati mihi redde cruorem.
Horreſcam ne ipſos veniant ſi ad prælia diuos.
Cum ſteteris prope me? vidi certantia cœlo
Cum iuga calcaſtis, ſummas volitare per alpes.
Cum videam quorum ferro, manib aſque capaces
Arſere Argyripa campi, num ſegnior ibis
Nunc mihi qui primus torquens in mœnia telum
Dardana? nec noſtra facilis concedere laudi?
Te vero tete extimulem, qui fulmina contra
Et nimbos, tonitruſque ac ſammi numinis iras.
Cum ſtarem, perferre ferox ac vana iubebas
Nubila, & ante ducem Capitolia celſa petebas?
Quid vos, queis claro deleta eſt Marte Saguntus
Exhorter, quos nobilitant primordia belli?
Vt meque & vobis dignum, defendite queſo
Preteritas dextra laudes, diuum ipſe fauete,
Vincendoque ſenex patriam poſt trina labantem
Luſtra, & non viſos tam longa atate penates,
Acaatum, & fida iampridem coniugis ora,
Confiſas vobis repeto, non altera reſtat
Iam Libya, nec Dardaniis pugna altera reſtat,
Certatus nobis hodie dominum accipit orbis.

Cap. xxxiii. Galli proprio atque inſito in Rumanos odie accenduntur. Liguribus campi vberes Italiæ deductis ex aſperimis montibus in ſpem victoriæ oſtentantur. Mauros Numidaſque.] Sic & apud Iuſtinum Magnus Alexander circumuectus ſuos, ſingulas gẽtes diuerſa oratione alloquitur. *nam Illyrios*, inquit, *& Thracas opum ac diuitiarum oſtentatione: Gracos veterum bellorum memoria, interneciuique cum Perſis odij accendebat: Macedonas autem nunc Europa victa admonet, nunc Aſia expetita: nec iuuentos illis toto orbe pares viros gloriatur.*

IN T. LIVII LIBRVM XXXI. NOTÆ.

CAp. i. Magnitudine imperij, quo multa quondam Europæ, maioremque partem Aſiæ obtinuerant armis.] Edit Moguntina: *que multam quondam Europa, maiorum partem Aſia obtinuerant armis.* & mox: *ad innouandum bellum*, pro, *ad renouandum*.

Cap. ii. Priſtinum animum erga populum Romanum cõſeruaret.] Eadem edit. *erga Romanos.*

Eod. Ipſe eodem aperto itinere per medios montes duxit.] *τὸ medios*, non eſt in libro Moguntino.

Cap. ix. Munera deinde legatis in ſingulos quinum milliũ æris ex Senatusconſulto miſſa. Cum delectum conſules haberent.] Hic exciderant voces aliquot peſſimo exemplo in quibuſdam editionibus.

Cap. ii. Toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo ſcipione, & toga prætexta cum curuli ſella.] Ad locem huius loci faciunt quę ſcribit Lipſius ad Nicolaum Florentinum, in hæc verba legebam here li. 5. c. 5. apud Valer. de Scipione Africano. *Itaque claſſimoram cognominum alterum ſumpſit, alterum dedit: triumphique prætextam huius excepit, illius tradidit.* Item libro 7. c. 1. De Metello: *Conſulatus decus imperatoriam poteſtatem, ſpecioſiſſimi triumphi prætextam largita eſt.* Rectene vtrobique & vere de Prætexta? quam tribuit aperte, vt vides triumphantibus, & facit eam honoris eius propriam velut notam. At falſo, niſi fallunt me conſenſu ceteri ſcriptores. Quis enim libauit modice ſcripta aut ritus veteres, qui neſciat Prætextam puerorum ſaltem, & Magiſtratuum fuiſſe? Quin adeo triumphantium illa non propria, vt diſerte remoueaot, & diſcriminent ſcriptores. Plutarch. in Mario. *καὶ πεζὸς ἦλθε μὲν, εἴτε λαθὼν αὐτὸν, εἴτε τῇ τύχῃ χρώμενος ἀγροικότερον, ἐν τῇ θριαμβικῇ κατασκευῇ, ταχὺ δὲ τὴν βουλὴν ἀχθεσθεῖσαν αἰσθόμενος ἐξανέστη, καὶ μεταλαβὼν τὴν περιπόρφυρον αὖθις ἦλθε.* Nam *περιπόρφυρον*, ipſe & ceteri Gręci, vt ſcis, dixerunt Prætextam. Tacitus libro 12. *Ludicro Circenſium, Britannicus in prætexta, Nero triumphali veſte tranſuecti ſunt.* Certe alia omnino & auguſtior triumphorum illa veſtis, nec prætexta ſolum purpura ſed intexta, addito etiam auro. Liuius libro 45. *In curru ſcandentes Capitolium auratos purpuratoſque de triumphantibus* dixit. Appianus iiſdem tribuit, *πορφύρα ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων*. Atque eſt quam diſere Togam pictam, aut Palmatam (exempla tibi notiſſima:) Prætextam nunquam. De Valerio igitur quomodo expedis? Librariorumne hic aliqua fraus? nec enim ipſius error poteſt, in re ſenſibus oculiſque tam prompta. Quod ſi fraus: ſane audax: nec niſi audaci aliqua manu tollenda: iuua me, & an pictam ad Palmatam falſæ illi Prætextæ ſuſtituam, mone. Sententiam tuam, aut, cum ad nos veneris audiam aut ſi ad longius fiet, legam. Cura quidem & cogitatione tua

dignisſimus vterque locus videtur; in quo hoc quoque me offendit, quod Pighius noſter nihil offendit. An vobis antiquariis omnia plana? doce, doce.

IN T. LIVII LIBRVM XXXIV. NOTÆ.

CAp.I. Tulerat eam C. Oppius tribus pl.] Editio Moguntinenſis anni CIↃ. IↃ. XIX. refert, *Tulerant eam M. Oppius & T. Romuleus tribuni pl.* eamqoe lectionem probaſſe videtur Aymarus Riuallius Iuriſconſultus Allobrox. contra quem merito cum vulgata paſſim lectione faciunt ampliſſimus Antonius Auguſtinus, & clariſſimus Fr. Horomanus, Iuriſconſolti nobiles. Ceterum lata hæc fuit ab Oppio lex in medio, vt ait, ardore belli Punici ſecundi, hoc eſt anno ab vrbe condita IↃXL. vide Tacitum lib. 3. & Valerium Maximum lib. 9. cap. 1.

Eod. M. & P. Iunij Bruti.] Eadem editio Moguntina. *M, & P. Iunij Bruti.*

Eod. Pro lege, ne abrogaretur, ita diſſeruit.] Ita videtur primus repoſuiſſe Sigonius: nam & alij de quibus nobis cõpertum eſt vetuſtiores libri. & Moguntinæ longe vetuſtiſſimę membranæ, cuſuſque ibidem pro diximus anno Liuius præferunt; *pro lege, quæ abrogabatur, ita diſſeruit.*

Cap. II. Ab nullo genere non æque ſummum periculum eſt.] τὸ *æque* perinde hic à Sigonio inſertum eſt ex vet. vt ait libro, quod æque tamen rurſus iam à ſcriptis manu quam typis monimentis noſtris Moguntinenſibus abeſt: & recte meo iudicio: neſcio enim quomodo ita erit ſimilis locutio illi Terentianæ. *Abs quiuis homine: cum eſt opus, beneficium accipere gaudeas.*

Eod. Alterum ad vos Quirites magis pertinet.] Codex longe optimus Moguntinus exaratus manu, *pertineret* pro *pertinet*, refert.

Eod. Niſi vos faciatis.] Rurſus Manuſcriptus, Mogunt. *niſi vos feceritis.*

Eod. Si vera dicere volumus.] Iterum Longobardico charactere ſcriptus codex Moguntinus; *ſi vere dicere v.* & hoc neſcio quo pacto magis Catonem ſapit; cuius puto in ſimilibus & non nimis obſoletis voluiſſe noſtrum Patauinum etiam prope verba operi ſuo inſerere, petita ex orationibus eius quæ tum erant in manibus, quarumque ad nos pauca quædam fragmenta tanquam exiguæ ex magno naufragio tabulæ peruenere. porro mox quoque pro, *non tentabunt?* pertinaciter pertendens aduerſari, idem Manuſcriptus, habet, *non tentauerint?*

Cap. III. Ex æquari ad extremum viris patiemini.] Membranæ optimæ, *e.a.e. viri patiemini.* vt τὸ *viri*, ſit vocandi caſus, quemadmodum paulo ante dixit, *ſine auctoribus vobis M. Fundani*, &c vbi perinde ante, ſed mendoſe legebatur, *auctoribus vobis M. Fundanio*, &c.

Eod. Et in ſummam prodeſt.] Ms. Mogunt. *& in ſumma prodeſt.* ac ſtatim; *quid attinet*, pro, *quid attinebit*. iterumqoe *matrona conſternata procurrerunt*, pro, *m. c. procurrant.*

Eod. Matrem Idæam Peſſinunte ex Phrygia venientem.] Ms. *à Peſſinunte.*

Cap. IV. Qua magis imperiũ creſcit.] Ita Ms. ſed cuſus tamen Moguntinus, alique veteres libri, *imperiumque creſcit.*

Eod. Ne cauſam quidem aut rationem inire poſſum.] Editio vetus Moguntina, *inuenire poſſum.* membranæ vero paulo ante, pro *lege ſanciendi, l. ſanciundi*, & pro *modum facerent; m. fecerunt*, habebant.

Eod. Et à quibuſdam impetrant.] Ms. *et id a.q.i.*

Eod. Et luxuria non moto tolerabilior eſſet, quam erit nunc ipſis vinculis: ſicut fera beſtia irritata, deinde emiſſa.] Editio Moguntina: *& l.n.m.t.e.q.e.u. ipſis vinculis ſolitus, ſicut fera beſtia irritata, deinde emiſſa.* videat lector quid velit, quid ne velit.

Eod. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam cenſeo: vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim.] Nota egregiam claudendæ ſuaſionis formulam: & cui gemina germana illa ſit P. Decij Muris, vbi ait lib. 10. *Ego hãc legem quod bonum, fauſtum, felixque ſit vobis, ac reipub. vti rogaſtis, iubendam cenſeo:* imo germanior ad hoc illa qua vtitur in diſſuaſione ſua libro 7. finiens, illam ita: *Omnium rerũ cauſa vobis antiquandas cenſeo iſtas rogationes: Quod faxitis deos velim fortunare.*

Cap. V. Poſt hæc tribuni quoque plebis.] Ms. *P. hæc tribuni plebei.*

Eod. Vir grauiſſimus cos. M. Porcius.] Ms. *vir clariſſimus coſ. M. Porcius.* & poſſet ſane ita legi commode. nam licet haud vlla fere re alia quam grauitate commendetur prolixius, quis tamen peccet eum clariſſimum virum nominando qui in ſua ciuitate elogium hoc tulerit, vt vno omnium ore *optimus orator, optimus imperator, & optimus quoque ſenator*, ſalutaretur.

Eod. Neceſſe eſt paucis reſpondere.] Manuſcriptus, *neceſſum eſt p. r.*

Eod. Quod matronæ in publico vos rogaſſent.] Vet. cod. Cuſus Mogunt. *in publicum v. r.*

Eod. Iam vrbe capta à Gallis, aurum, quo vrbs redempta, eſt, nempe conſenſu omnium matronæ in publicum contulerunt.] O languidum abrogandæ legis ſuaſorem, ſi ſic dixit; ſed neque dixit, neque ſcripſit ita Liuius, verum ita vti nunc ex Longobardico Moguntinenſi membranaceo libro legendum dicam, hoc nempe modo: *Iam vrbe capta à Gallis quo redempta vrbs eſt? nẽpe aurum matronæ conſenſu omnium in publicum contulerunt.* ſicque & præcedentia ſtatim, & ſtatim conſequentia energię cauſa non niſi per interrogationem pronunciari debent.

Eod. Dij quoque noui.] Membranæ; *dei quoque noui.*

Eod. Diſſimiles inquit cauſæ ſunt.] Eædem membranæ, *diſſimiles, inquis, cauſæ ſunt*, optime, vt ad ipſum conſulem conuerterit orationem, non de conſule ad coronam hæc dixerit.

Cap. VI. Et illa communis pro legibus viſa conſularis oratio eſt, & hæc aduerſus luxuriam ſeueriſſimis moribus conueniebant.] Priora ſic leguntur in editione Moguntina; *& illa communis pro legibus ſuis conſularis oratio eſt.* peſſime. neq; enim pro legibus ſuis hic diſceptat conſul & illud, *viſa conſularis oratio eſt*, illud ſignificat: dignam conſule eam orationis partem videri merito poſſe, vtpote cuius maxime intereſſet ſartas tectas eas ſeruari curare. ceterum quod hic peccat, mox corrigit eadem editio reponens, & hæc aduerſus luxuriam ſeueriſſimis morib. conueniebat. *& hæc* oratio puta. dixerat enim, *Venio nunc ad id, de quo agitur, in quo duplex conſulis oratio fuit.*

Eod. Ne quis error vobis offundatur.] Ita audacter ſatis quidam repoſuerunt, cum membranæ aliæ habeant, *defendatur*, aliæ *defundatur*: quod poſterius niſi verum eſt, certe minore mutatione & ſolemniore variatione ſcripſerim, *diffundatur.*

Eod. Quas tempora aliqua deſiderarunt leges.] Ms. *q. t. a. deſiderabunt leges.*

Eod. alia in ſecunda, alia in aduerſa tempeſtate vſi ſunt.] Idem Ms. ſine vlla litura: *alia in ſecundam, alia in aduerſam tempeſtatem vſui ſunt.*

Eod. Cui non apparet, ob inopiam & miſeriam ciuitatis, quia omniũ priuatorum pecuniæ in vſum publicum vertẽdæ erant, iſtam legem ſcriptam, tamdiu manſuram, &c.] Turbant hic egregie libri Moguntinenſes in quorũ mẽbranaceo legas, *Cui non apparet inopia et miſeria ciuitatis & quia omniũ priuatorum pecuniæ in vſum publicũ vertenda erant, iſtam legem ſcripſiſſe, tã diu m.* &c. cuſo vero; *Cui non apparet miſeria & inopia ciuitatis, et quia*, &c. perinde vt in Manuſcripto an forte legendum, *Cui non apparet inopia & miſeria ciuitatis, quia omniũ priuatorum pecunia in vſum publicũ vertenda erant, iſtam legem ſcriptam eſſe, tamdiu manſuram*, &c. mihi quidem ita hic locus legendus videtur, neque tam temere diſcedendum à veteri ſcriptura proba præſertim. imo aliquanto probiore quam nobis malo exẽplo ſuppoſuerunt nouellę iſtius emendationis auctores. quis enim neſcit optimum quẽque ſcriptorẽ hoc quo nos volumus modo maluiſſe loqui? nam quod aiunt, iidem ſic ſe in veteri libro reperiſſe, oportet ſane illos quamuis veteres libros aut miræ notæ fuiſſe, aut dominis ſuis ſæpe quam par eſt obſequentiores.

Digitized by Google

Cap.vii. Liberi noſtri prætextis purpura togis vtentur, magiſtratibus in colonijs municipijſque, hic Romæ infimo genere magiſtris vicorum, togæ prętextæ habendæ ius permittemus; nec id vt viui ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiā vt cum eo cremētur mortui, feminis dumtaxat purpuræ vſu interdicemus?] Ms. *hic Romæ infimo generi magiſtris vicorū toga prætexta habenda ius permittemus.* ceterum quod ait, *vt cum eo cremētur mortui*, id vt melius intelligatur, ſcire licet cadauera in honeſtiſſima veſte ſolere efferri quod genus erat in Italia toga, in Græcia pallium. Apuleius Floridorum prima. *Nā illic quoque videret hominem præſidere. hominem depugnare: togā quoq; parari & voto & funeri.* Item pallio cadauera operiri, & philoſophos amiciri; Iuuenalis Sat. 3.

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Toga hæc igitur funebris vt in vulgatis ciuibus vulgata quoque erat: ſic in magiſtratibus toga prætexta: in cenſoribus purpurea tota. Polyb. lib. 6. *οὗτοι προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας. ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους. ἐὰν δὲ τιμητὴς, πορφυρᾶς. ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκὼς, ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος διαχρύσους.* vide Lipſium in lectiſſimis ipſius Electis. & illud ſodes etiam animum aduerte, quod vbi eſt, *feminis dumtaxat purpuræ vſu interdicemus.* habere editionem Moguntinam; *feminis dumtaxat purpura vſum interdicemus.* quam ſyntaxim de Grammaticorum ſchola pueri qui non admittunt, quid facient Seneca, cuius eſt illud tertio de Ira. *Si iubet Cæſar ſtatim illi domum meam interdicam*, quid Suetonio, qui ait in Nerone, *Et cum interdixiſſet vſum Amethyſtini ac Tyrij coloris, præcluſit venditos negotiatores?*

Eod. Nullam æmulationem inter ſe ſingularum, quando nulla haberet, eſſe aiebat.] Ms. *Nullam æmulationem inter eas ſingularem, quoniam nulla habere, eſſe aiebat.* legēdum fortaſſe vt alicui antiquario videri poſſit, *Nullam æmulationem inter eas ſingularium*, &c.

Eod. Cum illas vehi per vrbem, ſe pedibus ſequi, &c.] De carpentorum vſu & eorum poſtea loco lecticarum vide amiciſſimum Lipſium Electorum 1. cap. 19. & ad Taciti Annal. lib. 12.

Cap. vii. Brutorum ianuas obſederunt.] Scimus initio dictum M. & P. Iunij Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur; cum tamen hic & inſcripto & in curſu Moguntinēſi libro legatur, *tribunorum ianuas obſederunt*, ferri eam lectionē poſſe iudicamus. neque temere mutari deberi, cum non minus ſcite intelligi quam nominatim exprimi Bruti poſſint, & ſequatur ſtatim de eiſdem: *nec ante abſtiterunt quā remiſſa interceſſio à tribunis eſt.*

Cap. x. Cauſa negandi triumphi Senatui fuit.] Non dubito quin vera hæc ſit lectio, maxime cum eandem referat & Moguntinus Longobardico charactere exaratus codex. Cuſus tamen ibidem Moguntiaci maluit; *Cauſa negati triumphi fuit.*

Cap. xi. Niſi præſidio Romanus miles eſſet.] Iterum cuſus Moguntinus Liuius: *niſi præſidium Romani miſiſſent.*

Eod. Quina milia militum ſatis eſſe.] Longobardicus codex: *tria millia militum ſatis eſſe.*

Cap. xii. Quod in ſpeciem fuit.] Moguntiaci cuſus liber, *quod in ſpem fuit.*

Cap. xiii. Caſtra hyberna mille paſſuum ab Emporiis poſuit.] Manuſcriptus, *caſtra hyberna tria millia paſſuum ab Emporiis poſuit.*

Eod. Conſeretis manus.] Ms. *conſeretis manum*, & mox: *opes exhaurire licebit*: non, *haurirē.*

Cap. xv. Quæ in ſubſidio poſita erat.] Cuſus Moguntiæ Liuius: *quæ in præſidio poſita erat* ſed æque bene.

Cap. xvi. Tria eo die laudabilia feciſſe putatur.] Hæc & ſequentia vſque ad illa. *Nihil deinde à victoria ceſſatū.* abſunt & deſunt in editione Mogūtinenſi, deſunt inquam, vt diſertim apparet ex Longobardico codice, in quo ſine vlla litura aut variatione ita vt nobis hic expreſſa ſunt, leguntur.

Eod. Suos ſpoliis onuſtos in caſtra reduxiſſet.] Longobardicus codex: *milites ſpoliis onuſtos in c. r.*

Eod. Vinoque & cibo curatos, domos dimiſit.] Ita Membranæ Moguntinæ quoque prǫferunt niſi quod *remiſit*, pro, *dimiſit* habent.

Cap. xvii. Eos deducto exercitu conſul ſine memorando prœlio in poteſtatē redegit.] Manuſcriptus, *eo deducto exercitu conſul ſine memorando prœlio in poteſtatem redegit.* cuſus vero Moguntiæ Liuius: *eos deducto exercitus conſul compulſos ne memorando prœlio in poteſtatem redegit.*

Eod. Ferox iam nullam vitam rati ſine armis eſſe.] Ms. *ferox genus.*

Cap. xviii. Quam qui primi venerant in Hiſpaniam.] Manuſcriptum Moguntinenſe exemplar: *qui primi venerunt in Hiſpaniam.*

Cap. xix. Leuia prœlia incurſantes in ſtationes eorum Romani facere.] Cuſus Moguntiæ, *faciebant*, & ſtatim, *abibunt.*

Cap. xxi. Ad Vergium caſtrum ducit.] Alij in quib. & Moguntinus codex, *ad Regium caſtrum ducit.*

Cap. xxii. Cum Boiorum manu.] Ms. optimus; *cum Boiorum exercitu.* & mox: *circum Padum*, pro, *circa padum.*

Cap. xxvi. Cum erumpentibus à porta Lacedæmoniis prœlium commiſerunt.] Ms. *cum erumpentibus ad portas Lacedæmoniis prœlium commiſerunt.*

Eod. Inde potiſſimum ordiendum bellum.] Alij, *ordiendi belli.* ſed Moguntinus manuſcriptus, habet *ordiundi bellum.*

Eod. In caſtra Romana conuenerant.] Ms. *in caſtra Romana peruenerant.*

Eod. Cuius iure gentis regnum Lacedæmone erat.] Idem Ms. *cuius iure gentis regnum Lacedæmonium erat.*

Cap. xxvii. Prope nulla ſpes eſſet vires ſuas hoſtiumq; æſtimanti.] Adhuc Longobardicus codex: *prope nulla ſpes eſſet vere ſuas hoſtiumque æſtimanti vires.*

Cap. xxviii. Inde cum audiſſet adſcenſum difficilis & arctæ viæ eſſe.] Ms. *inde cum audiſſet deſcenſum d. & a. v. e.*

Eod. Veluti pacato agros trāſierant.] Ms. *veluti pacato agro tranſierant*, & mox: *acie erecta pauliſper ſteterunt*: pro quo eſt in editionib. *acie directa pauliſper ſteterunt.*

Eod. Ne inopinatum accideret.] Cuſus Moguntiæ Liuius, *ne inopinate accideret.* Manuſcriptus vero, *nec opinatum.* coniunctim.

Eod. Ni Achæi locorum prudentes inſtitiſſent.] Ms. *ni Achæi locorum prudentes ei inſtitiſſent.* ei, fugæ puta, aut certe ſcribatur, *eis inſtitiſſent.*

Eod. Inde cum perpopulatus omnia.] Cuſus Moguntiaci liber, *Vnde cum perpopulatus omnia.* & ſtatim; *nullo iam hoſtiū portam excedente*: pro, *porta.*

Cap. xxix. Cyttheum oppidum.] Ms. *Aegium oppidum.* ſed verius illud.

Cap. xxx. Concilio aduocato.] Manuſcriptus Longobardicus ſemper in hac ſignificatione, *conſilio*, non *cōcilio* prǫfert, qua de re monet etiam in Parergis ſuis ampliſſimus Briſſonius.

Eod. Nunc cum vos intueor, Romanos eſſe video, qui, &c.] Cuſus Moguntiæ; *nunc cum vos intueor Romanos eſſe, qui*, &c. minus bene propter illud quod; *cum me ipſe reſpexi, eum eſſe ſpero, &c.* vbi tamen eſt in codice Longobardico; *cum me ipſe reſpexiſſem.*

Eod. Tempus autem eo me liberat.] Cuſus Moguntinus Liuius neſcit illud, *eo*. ſcriptus contra omiſſo *τὸ me* habet, *Tēpus autem eo me liberat.*

Eod. Plebem ſubiectam eſſe illis vultis.] Rurſum membranę eiecto illo, *illis*, habent *plebem ſubiectam eſſe vultis.*

Eod. Sed per æquationem fortunæ ac dignitatis.] Vterque Moguntinus codex retinet mordicus *ſed per æquationem fortunæ ad dignitates*: quod valeret, *ita æquata omnium ordinum ſorte vt nulli omnino vel infimo præcluſa eſſet ad petendos honores & dignitates via.*

Cap. xxxi. Quam qui vmquam fuit ſæuiſſimo.] Membranæ ignorant *τὸ quam*; leguntque *& eo tyranno qui vmquam fuit ſæuiſſimo, & violentiſſimo in ſuos.*

Eod. In te tuoque præſidio accercendo.] Ms. *in te tuoq; præſidio arceſſendo.* de qua variatione quis non dixit aliquid?

Eod. Seruorum ad libertatem vocatorum.] Ms. *Seruorum in libertatem vocatorum.*

Eod. Itaque & tyrannó.] Ms. *Ita & tyranno.* quæ eſt ſolens huic auctori locutio.

Cap.xxxiii. Bene vertat,inquit, ſibſideamus Lacedæmonem,quando ita placet. ceterum res tam lenta.] Cuius Moguntiç codex habet ordine inuerſo: *Bene vertat inquit,quando ita placet, obſideamus Lacedemonem.* atque ita Manuſcriptus, qui turbat hic inſanum totum locum legendo verbis aliquot auctiorem ita: *Bene vertat,inquit,quando ita placet obſideamus Lacedamonem,illud modo ne fallat.* Ceterum,&c. in quo ego cum nihil ſciam niſi neſciam illud, monebo ſolennem hanc quoque eſſe formulam qua vſi veteres initio rei alicuius aggrediundæ; aut cum rei alicui dicerent bene, vnde cõtra Virgilius; *Hos etiam quod nec bene vertat mittimus hœdos.* cui opponit illud Terentianum, *Puer natus eſt Mi.dy bene vertant.* vbi Donatus: *In omnibus qua cupite euenerint,inquit,dici ſolet:* Dii bene vertant; *quia ſæpe homines optauerunt, quæ aliter atque exſpectauerant contigerunt: quam poteſtatem rerum vertentiam ſemet in vtramque partem, Vertumno deo ſupereſſe veteres exiſtimauerant.* vſus millies Plautus, nominatim Aulularia; *Quæ res recte vertat mihique tibique filiaque tuæ, Filiam mihi tuam vxorem poſco*, & ipſe Liuius libro decimo. *Dy bene verterent,facerentque quod ſe dignum quiſque duceret.* item, *Bene Hercules verteret dicere Volumnius.* & li.29.*Iuberentque quod dy bene verterent traiiceret.* vtebanturque pro eodem etiam illa formula, Qvod bene eveniat. Plautus Trinum. *Bene quod agas eueniat tibi*, habes & apud noſtrum exempla lib.xxi.xxx.& xxxviii.

Eod. In commeatus in hyemem nobis vobiſque expediendos.] Ms.*in commeatus in hyemem vobis nobiſque expediendos.*

Cap.xxxiv. Et ſi qua ante educta forent,dominis recte reſtituerentur.] Ms. auctius habebat, hoc modo: *ne quod inde mancipium regium,publicumue aut priuatum educeretur,ſine dolo malo,ſi qua ante publice priuatimue educta forent, & recte dominis reſtituerentur.* vnde fecerim tranſpoſitis dictionibus in qua re exſcriptores ſane quam liberi eſſe ſolent: *ne quod inde mancipium regium, publicumue aut priuatum educeretur: ſi qua ante publice priuatimue educta forent, dominis recte & ſine dolo malo reſtituerentur.*

Cap.xxxv. Omnem oram à Malea.] Manuſcriptus, *omnem oram Malea.*

Eod. Iuuentutem præterea ciuitatum earum]Idem Ms.*iuuentutem præterea ciuitatiam earum.* neque hoc tantum loco, ſed vbiuis fere etiam alibi,qua de re & alij in aliis auctoribus admonuerunt,& nos fortaſſe aliquando plura dicemus.

Eod. Vanis,vt ad ceteram fidem, ſic ad ſecreta tegenda ſatellitum ingenijs.] Longobardicus codex,*vanis,vt ad ceterorum fidem,ſic,*&c. quorum vtrumuis ferri poteſt,etſi ego hoc malim.

Eod. redeuntibus in iratorum dominorum poteſtatem.] Ms.*redeuntibus in iritatorum dominorum poteſtatem.* quod & ipſum non improbauerim.

Cap.xli. Vtriuſque nomine ternos in dies ſupplicatio à ſenatu decreta eſt.] Placet hic quoq; magis ſcripta lectio Moguntina, *& in commune in ternos dies ſupplicatio à Senatu decreta eſt.*

Cap.xlii. Legati Nabidis tyranni Romã venerunt duo iis extra vrbem,&c.] Ms.*legati Nabidis tyranni Romam venerũt. iis extra vrbem*,&c.neque ſane opus videtur illo, *duo*, quod natum videtur ex ſequenti *iis*, vbi imperitus librarius *ii* accepiſſe videtur pro nota binarij numeri.quidquid id eſt,malo ego τὸ *duo*, abeſſe quam adeſſe.

Cap.xliii. Tanta pecunia, quanta aſſoleret.] Ms. *tanta pecunia,quanta ſoleret.*

Eod. Ludique votiui,quos vouerat Seruius.] Ms.*Ludiq; Romani votiui.q.v.S.*neſcio quam recte.

Cap.xliv. Ea res indicio conſciorum palam facta.] Manuſcriptus, *indicio ſociorum* ne hoc quidem bene, quæ eſt mei animi ſententia.

Cap xlv. Tulit in eo triumpho argenti infecti xxv. millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oſcenſis quingenta quadraginta: auri pondo mille quadringenta.militibus ex præda diuiſit in ſingulos ducenos ſeptuagenos æris,triplex equiti] Totum hunc locum exſcripſi, quia tantopere abhorret ab eius ſcriptura Longobardicus codex, in quo diſertim ita legitur: *Tulit in eo triũpho argẽti infecti viginti quinque millia pondo,bigati centum viginti tria millia, Oſcenſis auri quingenta quadraginta pondo.militibus quadringenta millia ex præda diuiſit,in ſingulos ducentos ſeptuagenos æris,triplex equiti.*

Eod. Si hoſtis fines intraſſet.] Ms.*ſi eſſet hoſtis.*

Eod. Parati ad pugnam.] Ms.*parati ad pugnandum.*

Eod. Spe potiundi hoſtium caſtris perſtitit ad vallũ.] Adhuc Manuſcriptus *ſpe potiundi caſtris hoſtium circa vallum morata eſt.*

Cap. xlvi. Galli vniuerſi ex caſtris erumpunt.] Ms. *Galli diuerſi ex caſtris erumpunt vt plurib. caſtrorum portis erumperent & regionum diuerſarum.*

Eod. Nunc victoria nunc fuga fuit.] Ms.ordine inuerſo:*nũc fuga,nunc victoria fuit.*

Cap.xlvii. Boiorum Ligurumque agros populatum eſſe.] Manuſcriptus *per Boiorum Ligurumque agros populatum eſſe,* & mox vbi nunc eſt: *Elatia,quo in hyberna reduxerat copias,Elatiæ ex quo in hyberna reduxerat copias.* quod aliam longe pareret ſententiam: nempe non Elatiæ tantum,ſed paſſim milites vbi iuſſi eſſent hybernaſſe: Quintium vero hyemem, quam longa fuerit,Elatiæ iure dicundo tranſegiſſe.

Cap.xlix. Vt tam pio ac neceſſario officio fungerentur.] Ms.geminato illo tam: *vt tam pio,tam neceſſario officio fungerentur.*

Eod. Argumentum eſt,quod Polybius ſcribit centum talentis eam rem Æchæis ſtetiſſe; cum quingenos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis,cõſtituiſſent.] Ita hic legit Elias Vinetus vir ſingularis doctrinæ,& poteſt fieri vt ipſius membranæ ita haberent,noſtræ tamen cõſtanter cum antiquo cuſo Moguntiæ Liuio referunt. *argumentũ fit,quod Polybius ſcribit,centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe; cum quingentos denarios precium in capita.*

Cap.liii. Ad conſules ſubrogandos rediit.] Ms.*ad conſules ſubrogandos venit.*

Cap.lix. Cornelius Galliã, Minutius Ligures ſortiti ſunt.] Manuſcriptus, plane alia & ſyntaxi & dicendi forma; *Cornelio Gallia,Minutio Ligures euenerunt.* & loquitur ſane non ſemel & hoc & illo modo Liuius:quare non multum intereſſe ſane arbitror vtrum hic recipias,vtrum ne recipias.

Cap.lv. Ligurum quindecim millia in agrum Placentinum veniſſe.] Ms. *Ligurum decem millia,*&c. qua numerorum variatione vt nihil frequentius ita quid ſequaris in tanta obſcuritate rerum,tanta etiam ſcriptorum inter ſe diſſenſione nihil incertius.

Cap.lvii. Liberas velle omnes quæ vbiq; ſunt Græciæ vrbes.] Longobardicus codex:*liberare velle omnes,quæ*.&c.

Cap.lviii. Niſi decedat Europa.] Ms.*niſi decedat ab Europa:* & ſane non tam ſeruantes in his canonum Grammaticorum fuerunt optimæ quiſque notæ ſcriptor quam vulgus literarum putat.

Cap.lix. Sibi centum tectes naues ſedecim millia peditũ.] Rurſus membranæ: *ſibi centum tectas naues & decem millia peditum*, quæ eſt omnino vera lectio. Abbreuiator Trogi libro 31.de eadem hac re:*Sed Hannibal,cui nota Romana virtus erat, negabat opprimi Romanos niſi in Italia poſſe: ad hoc ſibi centum naues,& decem millia peditum, & mille equites poſcebat.*

Cap. lx. Edit nomina eorum, quibus conuentis opus eſſet.] Manuſcriptus, *edita nomina eorum, quibus conuentis opus eſſet.*

Eod. Conclamauere omnes vocari Ariſtonẽ debere.] Idem Ms.*Conclamare omnes vocari Ariſtonem debere.* quod malim vt præſenti rei conuenientius.

Eod. Vocatus Ariſton.] Membranæ *vocatus Ariſto;* quorũ vtrum recipias parum intereſt.

Eod. Ariſton Punico ingenio.] Iterum, Ms. *Ariſto.*

Cap.lxi. Aphirem profugum.] Ms. *Athirem profugum.*

IN T. LIVII LIBRVM XXXV. NOTÆ.

CAp.i. Non minus quinquaginta oppida ad eum defecerunt. Prætor hæc geſſerat Scipio. Idem Proprætor Luſitanos.] Iſta, *Prætor hæc geſſerat Scipio,* non agnoſcit editio Moguntina.

Eod. Capti quingenti quadraginta, omnes ferme equites, & ſigna militaria capta centum triginta quatuor.] Rurſus cuſus Moguntiæ Liuius: *capti ducenti quinquaginta, omnes ferme equites, et ſigna militaria capta centũ quinquaginta quatuor.* ita, inquam, hic iterum euariat typis expreſſus Moguntiæ Liuius, ſed manu exaratus ſine vlla litura facit pro ſcriptura quam in contextu expreſſimus.

Cap. II. Tria millia & quingentos pedites.] Longobardico charactere ſcriptæ membranæ toties iam laudatæ, conduplicant iſta *millia*, legendumq. ſuadent: *ſex millia & quingentos pedites.* an etiam perſuadent?

Eod. Niſi quod aut Prætores ex prouincijs ſcriberent, aut legati renunciarent.] Moguntina editio: *niſi quod aut ex prouinciis ſcriberetur, aut legati renũciarent*; nimirum vocem Prætores ſingularia litera *P.* aut certe initialibus duabus *Pr.* ſcriptam fuiſſe, quam geminationem principij ſequentis *prouinciis*, rati boni librarij & illud *Pretores* omiſerunt, & reliqua pro captu ſuo interpolarunt. nimis vtrumque audacter, ne dicam temerarie.

Cap. III. Die quem edixerat ad cõueniendum militibus.] Ms. *die quam dixerat ad c. m.* vtrumq; ferri poteſt: nam & Terẽtius ait: *Hic nuptiis dictus eſt dies.* hoc tamen loco malo ſcripturam quam expreſſimus.

Cap. IV. Vt inter pacatos, ducebat.] Ms. voce addita, *vt inter pacatos agros, ducebat.* non placet. cæterũ & ſtatim vbi eſt, *egreſſum è finibus ſuis hoſtem*, τὸ *è*, non agnoſcit Moguntina editio.

Cap. V. Equites ducenti viginti vnus.] Manuſcriptus, *equites ſeptingenti viginti vnus.* & raro ſane in his conueniũt libri cuſi cum ſcriptis ex notarum, vt opinor, quib. deſignari numeri aliter, atque aliter ſolent, varia ſcribendi ratione.

Eod. Carpenta ſexaginta tria.] Editus Moguntiæ Liuius: *carpenta centum & duo.*

Eod. Et M. Genutius & M. Martius trib. mil. ſecundæ legionis.] Ms. *& M. Genutius, eques, et M. Martius tribunus militum.*

Cap. VI. Se quidem facturum.] Iterum Manuſcriptus, *ſe id quidem facturum.*

Eod. Si magnis è republ. eſſet.] Idem Manuſcriptus, *ne magis è republ. eſſet.* quorum vtrumuis conuenit. nam & τῷ *ſi*, ſæpe vtuntur boni auctores pro *an non*, & poſterior locutio recta quoque eſt: nec ſemel ita Liuius loquitur. ſit igitur lectoris arbitrium vtrum recipiatur.

Eod. Et nunciarent, ſenatum, ni is ad magiſtratus ſubrogandos Romam veniret potius quam Q. Minutius à bello integro auocaretur, interregnum iniri paſſurum.] Lõge aliter, non tamen vt ego arbitror etiam melius, Lõgobardicus codex habet hoc modo: *Et nunciarent, ſenatum velle, vt is ad magiſtratus ſubrogandos Romam veniret potius, quam Q. Minutium à bello integro auocarent.*

Cap. VII. Quod ciuitas fœnore laborabat: & cum multis fœnebribus legibus conſtricta auaritia eſſet.] Manuſcriptus, *quod ciuitas fœnore laborabat: et quod cum multis*, &c. quod non diſplicet.

Eod. Diem finiri placuit.] Ms. *diem iniri placuit.*

Eod. Quod cum ciuibus Romanis eſſet.] Illud *cum*, neſciunt membranę.

Cap. VIII. Dum hæc in Hiſpania agerentur.] Ms. *Cum hæc in Hiſpania gerebantur.* & *gerere* ſane quam *agere* huic loco magis conuenit. cuius de verbi vi multa alij, quos qui volet, conſulat.

Eod. Triumphantique ſibi in vrbem inuehi liceret.] Manuſcriptus, *triumphantique ſibi vrbem inuehi liceret.* vtrumque recte.

Cap. IX. Cenſa ſunt ciuium capita CXLIII. milia, ſeptingenta quatuor.] Membranæ: *cenſa ſunt ciuium capita* CXLIII. *milia, ſeptuaginta quatuor.*

Cap. X. Maior gloria Scipionis.] Manuſcriptus, *maior gloria in P. Scipione.*

Eod. Pro collega & participe adminiſtrati belli.] Ms. *pro legato & participe adminiſtrati belli.*

Cap. XI. Et obequitare ſtationibus hoſtium neminem laceſſentes cœperunt.] τὸ *hoſtium*, abeſt ab editione Moguntina. ſed non bene.

Eod. Per medias ſtationes hoſtium erupere.] Ms. *inter medias ſtationes hoſtium erupere.*

Cap. XIV. Quodque vltimas oras, quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet.] Ms. *quod oras, quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet.*

Cap. XV. Cum Minione quodam.] Ms. cum *Mimnione q.* & mox, *Mimnio* atque iterum *Mimnione*, conſtanter.

Eod. Accerſerentur legati.] Manuſcriptus, *arceſſerentur legati.*

Cap. XVII. Æqua iniquis miſcentes.] Manuſcriptus, *& æqua iniquis miſcent.*

Eod. Eo ſpes gratiæ maior erat.] Manuſcriptus, *eo ſpe gratia maior erat.*

Cap. XVIII. Philippo quondam amicus.] Manuſcriptus, *Philippi quondam amicus.*

Cap. XIX. Inter primos amicos Annibalem habeto.] Ms. inter primos amicos hos Annibalem habeto.

Cap. XX. Et ſocium ac Latini nominis,] Ms. *et ſocium Latini nominis.* quod aliud longe eſt.

Cap. XXII. Veſceliam Holonemque.] Manuſcriptus, *Veſcellam Helonemque.*

Cap. XXIII. Fuluius pr. claſſem nauium triginta mitteret ad tuendam Siciliæ oram.] Ms. *Fuluius pr. claſſem nauium viginti mitteret a. t. S. o.* itemque rurſus paulo poſt ęędem membranæ conſtanter habẽt: *Oppius is erat qui claſſem viginti nauium in Siciliam duxerat.* vbi item in editionibus omnibus eſt, *qui claſſem triginta nauium.*

Cap. XXV. Et infeſtus Achæis, quod miſerant obſeſſis præſidium.] Ms. *et infenſus Achæis, quod*, &c.

Cap. XXVI. Quantum quæque remis valuit, fugerunt.] Manuſcriptus, *quantum quæque remis valuit, fugit.* non multum refert vtro modo legas.

Cap. XXVII. Ex arundinibus textas.] Ms. *ex arundine textas.* & paulo ante: *pauci tabernacula habere*, pro cuſo: *et pauci tabernacula haberent.*

Eod. Perculſis hoſtibus Philopæmenes.] Ms. *Philopæmen.* quod perpetuo ſeruat in iis quæ ſequuntur.

Eod. Duæ res ſimul inopinatę perculerunt eum.] Ms. *duæ res ſimul inopinantem perculerunt eum.*

Cap. XXIX. Simul etiam tentaturos, ſi quorum animi ſolicitari ad defectionem à tyranno poſſet.] Lõgobardicus codex: *ſimul etiam tẽtaturus.* optime. non enim de Achæis hoc accipi debet, ſed de Philopœmene, qui duas res ſimul allegatione huius transfugę confici poſſe ſperabat: primum vt metus inijceretur tyranno tanquam qui ab Achæis intercludendus eſſet, dein vt tentaretur per eundem transfugam animi militum, & ad defectionem à tyranno ſolicitarentur.

Cap. XXX. Per anguſtam & procliuem viam.] Ms. *per anguſtam & proclinam viam.*

Eod. Vbi prætergreſſi ea ſunt.] Idem Manuſcriptus, *vbi ea ſunt progreſſi.*

Cap. XXXII. Propter & ciuitatis dignitatem, & vetuſtam ſocietatem cum Ætolis.] Ms. *et propter ciuitatis dignitatem, & vetuſtam ſ. e. Ae.*

Cap. XXXIV. Omnia nouari velle.] Ms. *omnia nouare velle.*

Eod. Spes mouit; pro ſe quiſque reuocare iubebant.] Ms. *ſpes mouit: & pro ſe quiſque r. i.*

Cap. XXXV. Nabidi quoque & ipſi faciendum eſſe.] *Nam id quoque ipſi faciendum eſſe*; Longobardicus legit.

Eod. Et transfixo equo tyrannum deturbat.] Ms. *et transfoſſo equo tyrannum deturbat.*

Cap. XXXVII. Ipſi cæteras copias, nocturnis maxime itineribus, quanta poterant celeritate, Chalcidem ducebant.] Manuſcriptus, *ipſe cæteras copias, nocturnis maxime itineribus quanta poterat celeritate, Chalcidem ducebat.*, vt non immerito optime de ſtudijs literarum meritus Glareanus dixerit; qui ſint illi *ipſi* ſcire velim: ſed iuſtiſſima ratione de huius loci integritate dubitauerit, cum videret hæc de vno aliquo ex tribus ducibus, quorum modo facta eſt mentio, neque de pluribus accipi poſſe. quem ſcrupulum illi exemptum non eſſe à Sigonio demiror equidem, ſed ipſius quoq, libros hic corruptos fuiſſe reor. quo magis gaudeo hæc omnia, vt dixi, ſine vlla litura in Lõgobardico codice ſingulari, vt literatores loquuntur, numero legi, & moneo accipienda de Thoante, de

quo ante habuimus: *Aetoli cõſilium uno die ſpei quoque non audacis modo, ſed etiam impudẽtis ceperunt, Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupandi. Singuli in ſingulas miſſi ſunt principes: Thoas Chalcidem, Alexamenus Lacedæmonem, Diocles Demetriadem.* & mox ſequitur: *Reſpondit Thoas dux Aetolorum, non ad oppugnandos, ſed ad liberandos ab Romanis venire ſeſe, &c.*

Cap. XXXVIII. Deinde legati ad Ætolos miſſi percuoctatum.] Manuſcriptus, *deinde & legati ad Aetolos miſſi p.* haud dubie melius.

Cap. XL. Tria millia ſeptingenti equites.] Cuſus Moguntiæ Liuius: *mille ſeptingenti equites*; ſolemni ita ſibi more in numeris euariandi; vt putidum ſit da eadem re toties admonere.

Eod. Terra dies duodequadraginta mouit.] Ms. *terra dies per duodequadraginta monit.*

Cap. XLII. Demetriadem efferebat id poteſtate eſſe.] Ms. *Demetriadem afferebat in p. e.* illud plus dicit, etſi hoc etiam idoneum ſenſum habet.

Cap. XLIV. In concilium vt ventum eſt, à Phanea principibuſque aliis introductus.] Ms. *In concilium vt ventum eſt, agro à Phanea pretore*, &c. vt tantus concurſus videre regem geſtientium vt vix turba ſubmoueri potuerit.

Cap. XLVI. Et decem conſtratis nauibus ſecuti ſunt.] Manuſcriptus, *& decem roſtratis nauibus ſecuti ſunt.* de qua varietate lectionum monet nos oportune etiam doctiſſimus Gelenius, quem vide.

Eod. Amicitiam regis non adſpernari, neque ipſorum Ætolorum ad primum eos pro amicis facturos.] Ms. *Amicitiam regis non adſpernari, neque ipſorum Aetolorum. et id primum eos pro amicis facturos.* an ſed pro & reponendum, an verior eſt vulgata hactenus lectio?

Eod. Niſi ex auctoritate Romanorum.] Longobard. c. reiecto τῷ ex, habet *niſi auctoritate Romanorum.*

Cap. XLVII. Quoniam primum inane inceptum euaſiſſet.] Ms. *quoniam primum vanum inceptum euaſiſſet.* nempe alterum alterius gloſſema eſſe.

Eod. Filiæ Apamiam nomina poſuerat.] Ms. *nomina impoſuerat*, quod, ſi mei iudicij res ſit, prætulerim.

Cap. XLIX. Homo non quam iſti ſunt glorioſus.] Ms. *homo non quam vt iſti ſunt glorioſus.*

Cap. LI. Sed expertæ toties ſpectatæque Romanorum fidei credere.] Manuſcriptus, *ſed experta potius ſpectataque Romanorum f. c.*

Eod. Cum tribus ferme millibus militum, & cum omni claſſe.] Poſterius *cum*, non eſt in membranis Moguntinenſibus, & poteſt ſane inter detrimento ſententiæ abeſſe.

IN T. LIVII LIBRVM XXXVI. NOTÆ.

CAp. I. In quibus lectiſternium maiore parte anni fieri ſolet.] Editio Moguntina anni CIↃ. IↃ. XIX. in quibus *lectiſternium maiorem partem anni fieri ſolet.*

Eod. Ea res ſenatui populoque Romano bene ac feliciter eueniret.] Ms *bene atque feliciter eueniret.* de qua ſolemni formula & nos ſupra pauca attigimus, & multa coegeſſit ampliſſimus & eruditiſſimus præſes B. Briſſonius, cuius volumen de Formulis conſulet qui ſapiet.

Cap. II. Duellum iuſſiſſet cum rege Antiocho eſſe.] Ms. *bellum iuſſiſſet eſſe cum rege Antiocho.* illud magis ſapit antiquitatem ſuam.

Eod. Decretum vt nouorum militum tria millia duceret.] Ms. *decretum eſt vt nouorum m. t. m. d.*

Eod. A Lucio Valerio cui ſucceſſurus eſſet.] Ms. *cui ſucceſſurus is eſſet.* placet.

Eod. Et in eam claſſem ſocios nauales libertinos legeret.] Manuſcriptus, *& vt in eam claſſem ſocios nauales libertinos legeret.*

Cap III. Hoſtia & Fregena.] Ms. *Oſtia & Fregena.*

Eod. Ipſine vtique regi Antiocho indiceretur bellum, an ſatis eſſet ad præſidium aliquod eius nunciare? & num Ætolis quoque ſeparatim indici iuberent bellum? & num prius ſocietas eis & amicitia renuncianda eſſet, quam bellum indicendum?] Manuſcriptus, *ipſine vtique regi Antiocho indiceretur bellum, an ad præſidium nunciaretur?* in ſequentibus autem, tangit morem veterum Romanorum aperte renunciandæ amicitiæ de quo etiam illud accipiendum libro XLII. *Miſſi legati Perſeo amicitiam renunciarunt.* neque publice tantum ſed priuatim is obtinebat. hinc denunciatæ, indictæ teſtatæ inimicitiæ. de quibus omnibus vide literatiſſimorum doctiſſimum Iuſtum Lipſium ad Tacitum. de cætero lectionem noſtram ſcriptam non malam eſſe euincunt ſtatim ſequentia: *nihil referre, ipſi coram, an ad præſidium nunciaretur.*

Cap IV. Sub idem tempus legati ad duobus regibus.] Ms. *Sub idem tempus et legati ab d. r.* de quo ſæpius iam monui, & monituros video.

Eod. Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam, & frumentum. ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, XX. millia pondo argenti allata. Nihil eſt acceptum, gratiæ regib. actæ.] Manuſcriptus, *Romam venerunt, Philippo pollicente ad bellum auxilia, et pecuniam, et frumentum. ab Ptolemæo mille pondo auri, ducenta quinquaginta duo pondo argenti allata. Nihil eius acceptum, gratia regibus acta.* ex qua ſcriptura illud ſolum pro recto, & probo ego accipiendum cenſeo, quod eſt extremo loco. *Nihil eius acceptum*, &c.

Eod. Carthaginienſes tritici modium mille, hordei quingenta millia ad exercitũ, dimidium eius Romam apportaturos polliciti ſunt.] Ms. tritici modia mille. ſed vt iam adſcriptam lectionem reuertamur quam eſſe diximus: *tritici modia mille.* videmur eam tueri poſſe Plinij auctoritate, qui ſimiliter ea voce vti nõ refugit. & tueremur fortaſſe niſi collatio ſummarũ tritici alias ab iiſdem Carthaginienſib. oblati nulla hic ſatis excuſabilis reperiri poſſet. quod cũ ita ſit, de huius loci vera lectione cum Glareano & Sigonio ampliandum cẽſeo.

Eod. Maſſaniſſæ legati quingenta millia modium tritici.] Rurſum conſtanter Ms. Moguntinus. *quingenta modia tritici*: ac ſtatim: *trecenta modia tritici*; pro, *trecenta millia modium tritici.*

Cap. V. Huic tam perplexæ legationi.] Ms. *Et huic tam perplexa legationi.*

Cap. VII. De Achæis, de Bœotia agebatur.] Ms. *de Acheis, deque Bœotia agebatur.*

Eod. Nam quod ad Eubœam Bœotoſque & Theſſalos attinet, cui dubium eſt; quin vt quibus nulle ſuæ vires ſint, &c.] Ms. *nam quod Eubœam Bœotoſque & Theſſalos attinet, quid dubium eſſe, quin*, &c. nimirum ſcribendum *cui*, ſeu potius antiq; *quei* (inde enim nobis natum illud quid) *dubium eſſe, quin.* vide ipſum Liuium, mecum quiſquis es, facies.

Eod. Quidquid tandem erit vobiſcum comparatus.] Ms. *quid tandem erit v. a.*

Eod. Quod ſi nihil eum legatio noſtra mouerit; at nos, quoniam nobis eum adiungere non poſſumus, ne hoſtibus noſtris ille adiungi poſſit, caueamus.] Totum hoc ſic eſt in Ms. *Quod ſi nihil eum legatio noſtra monebit: at nos, quoniam nobis eum coniungere non poſſumus, ne hoſtibus noſtris ille coniungi poſſit, caueamus.* quæ lectio neſcio quo pacto mihi non paullo vulgata concinnior vidatur.

Eod. Et caſtellum Euripi expugnatum Romani.] Ms. *& caſtellum Euripi expugnatum à Romanis.* nihil audio quo enim tum mihi illud *audirent* quod ſtatim ſequitur. omnino vulgatam lectionem retinendam cenſeo.

Eod. In Byllionum agrum.] Ita Sabellicus repoſuit & Glareanus legendum contendit. rectius tamen Sigonius *Byllinum*, ſiua *Bullinum* defendit, & ferri poſſe imo debere ex Stephano, Appiano & Plutarcho probat ſecundum quem & noſtræ membranæ dicunt.

Cap. IX. Ipſi ſuum lagatum ad regem.] Membranæ neſciunt illud, *ſuum.*

Eod. Quidquid ſors belli tuliſſet.] Ms. *quidquid fors belli tuliſſet.* optime, ſexcenties autem idem peccatum peccatum reperias apud bonos auctores.

Eod. In interiorem partem vrbis conceſſerunt.] Ms. *in vlteriorem partem vrbis c.*

Eod. nihil inde moratus rex IV. millia armatorum.] Ms. *mille trecentos armatorum.*

Digitized by Google

Cap.x. Aliis vim adhibendam.] Ms. *aliis afferendam vim.* probe. & mox: *aliis tunc vires vrbis*: pro vulgato; *aliis nunc vires vrbis.*

Cap.xii. De induſtria coniecti.] Ms. *de induſtria collecti.* ſed malo vulgatum coniecti.

Cap.xiii. Præſidiiſque per recepta oppida diſpoſitis.] Ms. *per capta oppida.*

Eod. Cum quingentis peditibus & equitibus xl. in præſidio erat.] Editio Moguntina non habet illa; *& equitibus xl.* & mox etiam elephantorum numero detrahit ſcribēdo, xii. *elephantis*, pro vulgato & alias recepto, xv. *elephantis.*

Cap.xiv. Velut reparato modica quiete exercitui.] Longobardicus codex longe optimus: *velut renouato modica quiete exercitu.* quod probo.

Eod. Cranonem eſt profectus.] Idem qui ſupra Ms. *Cranonem eſt progreſſus.* quod aut perinde aut melius etiam huic loco conuenit.

Cap.xv. Iam & ipſe eo decem millia fere peditum ex iis qui poſtea venerant ex Aſia expleta, & equites quingentos duxit.] Neſcio equidem an ſatis ſanæ ſint hāc partem membranæ Moguntinę in quibus liquido perſcriptum eſt: *decem millia fere peditum ex iis qui poſtea venerant ex Aſia & Creta.*

Eod. Et Phthiotæ Achæi.] Qui nam ſunt illi nobis Phthiotæ Achæi, aut vnde domo? an non eſt Phthiotis ſiue Phthiotia Theſſaliæ quarta pars in Auſtrum vergens, cuius caput Phthia Achillis patria vnde eſt illud, in epiſtola Briſeidis ad eundem:

Phthiis canoſcant æquora remis.

Item Achæi nonne ſunt Græciæ populus in Peloponeſo vicinus Lacedæmoni? omnino niſi oculis, male vſus ſum, Strabonem, Plinium, Melam, alios euoluens. merito igitur hic eſt in membranis; *et Phthiota et Achæi.*

Cap.xvii. Conſul poſteaquam inſeſſa ſuperiora loco ab Ætolis vidit.] Ms. *Conſul poſtquam vidit occupata ab Aetolis ſuperiora loca.*

Eod. Macedonico bello inexſuperabilis magis ſaltus ad amnem Aoum fuit.] Ruſum Ms. *inexſuperabilior ſaltus ad amnem Aoum fuit.*

Eod. Exercitus hoſtium ille & numero maior.] Ms. *exercitus hoſtium multo et numero maior.* ac rurſus in ſequentibus, & *Illyrij erant, bellicoſiſſima omnes gentes*: pro quo eſt in editionibus *& Illyrij erant ferociſſima omnes gentes.*

Eod. Leuiſſima genera hominum, & ſeruituti nata.] Ms. *leuiſſima genera hominum & ſeruitutis digna.* antique.

Cap.xix. Aliquantum temporis & direptio caſtrorum tenuit.] Ms. *aliquantum temporis & direptio caſtrorum obtinuit.*

Eod. Romanorum cl. interfecti ſunt.] Longobardicus Moguntinus codex egregie, vt mihi quidem videtur, hunc locum ſupplet ita: *Romanorum centum quinquaginta in ipſo certamine pugna, ab incurſu Aetolorum ſe tuentes non plus quinquaginta interfecti.* optime inquam, & quo ſolo videmur nobis poſſe demereri Liuium. Appianus ſane hanc lectionem valde confirmat, dum ait ceci diſſe Ῥωμαίων δ' ἀμφὶ τοὺς διακοσίους, id eſt, *circiter, ducentos.* perierunt igitur in ipſo prœlio contra Antiochum ea Romanis cl. contra Ætolos quos Flaccum caſtellis ſuis deiicere non potuiſſe ſupra paullo retulit item plus minus quinquaginta. aut certe ſi non Flacci militibus hi fuerunt, quoniam dicit, ab incurſu Ætolorum tuentes, fuerint ſane ex illis quos à prudente Imperatore oppoſitos Ætolis qui montes occupauerant, veriſime eſt ne decurrentes illi pugnantium cūm Antiocho Romanorum terga nuda inuaderent.

Cap.xxi. Paucoſque per dies omnibus perpacatis.] Ms. *poſt paucoſque dies.*

Eod. In vlteriorem Hiſpaniam erat profectus.] Τὸ *vlteriorem*, non agnoſcunt membranę.

Cap.xxiii. Continuatus labor eſt. Cum fatigatos iam Ætolos ſciret.] Ms. *c. labor eſt. Et cum fatigatos iam Ae. ſ.*

Cap.xxiv. Partim per ſemiruta, partim ſcalis integros muros tranſcendere.] Longobardicus codex: *partim per erutos, partim ſcalis per integros muros tranſcendere.* male quidem, ſed de quo cuiuſmodi eſſet, ſilendum non putaui.

Cap.xxv. Ad duas ſimul oppugnandas vrbes profecti. interſunt ſeptem millia ferme paſſuum.] Sunt, inquit Glareanus, qui emendent; *iter ſeptem millium ferme paſſuum.* quos vt omnes homines intelligant non fruſtra fuiſſe, ſiue ex libris ſiue de coniectura ita emendarint, ſcire licet manuſcriptum noſtrum habere: *ad duas vrbes ſimul oppugnandas profecti ſunt iter ſeptem millium ferme paſſuum.*

Eod. In aſperis locis ſilex ſæpe impenetrabilis ferro.] Ms. *ſilex pæne impenetrabilis ferro.* nugæ meræ.

Eod. Nuntius venit, vt oppugnatione abſtineret.] Ms. *vt oppugnatione abſiſteret.* quod malo.

Eod. Ita receſſum ab Lamia eſt.] Manuſcriptus. *Itaque receſſum ab Lamia eſt.*

Cap.xxvi. Inter quos & Thoas idem, qui & antea miſſus eſt.] Ms. poſterius, *&* ignorat.

Cap.xxvii. In Aſiam miſerant legatos.] Manuſcriptus, *in Aſiam dimiſerant legatos.*

Eod. Parantibus iis antiqua iura fœderum ordiri.] Ms. *His parantibus antiqua*, &c.

Eod. Abſiſtere iis Flaccus iuſſit, quæ ipſi violaſſent: confeſſionem iis culpæ magis profuturam.] Ms. auctius duabus vocib. non ineleganter: *abſiſtere iis Flaccus iuſſit, quæ ipſi violaſſent ac rupiſſent: confeſſionem iis culpæ magis profuturam.*

Cap. xxviii. In fidem tuam nos tradimus.] Mss. *in fidem tuam nos tradidimus.* & ſtatim: *Ad ea conſul*, pro, *adhuc conſul*, ac mox: *ſcire facienda quæ imperarentur*, pro, *quæ imperentur.*

Cap. xxix. Inter Macedonum Romanaque caſtra.] Mss. *inter Macedonum Romanorumque caſtra.*

Eod. Accumbere eum epulatique iuſſit.] Mss. *accumbere eum epularique iuſſum*; quod cum ſequentibus ſatis congruit.

Cap. xxx. Et homines vexati, & facile apparebat.] Mss. addita vocula vnica: *et homines vexati, et id facile apparebat.*

Eod. Quam Heracleæ habuit.] Mss. *quam Heraclea h. vtrū fallit, inquit, te M. Acili quid agatur?*

Cap. xxxiv. An cum ſatis prouideas, &c.] Mss. *vtrum fefellit, inquit, te M. Acili, quid agatur? an cum ſatis peruideas*, &c.

Eod. Nihil id magnopere ad ſummam reipublicæ pertinere cenſes.] Mss. *ad ſummam rem pertinere cenſes*, forte an legendum, *ad ſummam rei.* id eſt, belli, quod in animo. eſt eſſet inquam ita legendum, niſi ſatius eſſet vulgatam lectionem loco non mouere.

Cap. xxxv. Ibi de Elæis & exulibus Lacedęmoniorum.] Mss. *ibi de Elæis & exulibus*, &c.

Cap. xxxvi. Tredecim annis poſtquam locata erat.] Mutat caſum Mss. in quo eſt: *tredecim annos poſtquam*, &c.

Cęſa ſupra quatuor millia hoſtium.] Mss. *cæſa ſupra quatuor milia nonaginta hoſtium.*

Duodetriginta millia hoſtium cæſa.] Mss. *duodetriginta millia hoſtium occiſa.*

Argenti tranſtulit decem millia pondo.] Mss. liberalior euſis: *trāſtulit duodecim millia pondo.* & ſtatim: *auri centum viginti ſeptem pondo.* vbi vulgo eſt: *auri centum viginti ſex.*

Satis honeſtam honoratamque P. Scipionis Naſicæ imaginem fore.] Mss. *Naſica hinc imaginem fore.* hinc; quod putà vir optimus iudicatus eſſet à Senatu, dignuſque ſolus ex omnibus habitus qui matrem Idæam acciperet.

Quam primam Græciæ ciuitatem adiit.] Mss. *quam primam Græciæ ciuitatium adiit.* qua de re memini talibi dicere.

IN LIBRVM XXXVII. T. LIVII NOTÆ.

Cap. ii. Accipere iuſſus, & ſcribere ipſe mille nauales ſocios.] Mss. *accipere eſt iuſſus.*

Eod. Siciliæ Sardiniæque binę eo anno decimę frumenti imperatæ.] Mss. *Siciliæ Sardiniaque binæ eaque proxima decimæ imperata.* quod quid ſit videbunt alij.

Cap. iii. Terra apud ſe pluiſſe.] Mss. *terra apud ſe pluuiſſe.* quę ſcribendi ratio ſolens eſt optimæ cuiuſque notæ membranis.

Eod. Decemuiri nocte lectentibus rem diuinam fecerunt.] Mss. contra: *decemuiri nocte lactantibus rem diuinam fecerunt.*

Cap. v. In muros gererent, multifariam ſcalis appoſitis.] Mss. *in muros gererent, iam multifariam ſcalis appoſitis.*

Eod. Nemini ad Naupactum iri placuit.] Mſs. *ire placuit.*

Cap. VI. Conſul ſex millia ferme paſſuum inde poſuit caſtra.] Mſs. *conſul ab ſex millib. ferme paſſuum inde poſuit caſtra.*

Eod. Multas gentes populoſque in Hiſpania prius.] Mſs. *multas gentes populoſque & in Hiſpania prius.*

Cap. VII. Si imperio noſtro fidus eſt.] Mſs. *ſi imperio noſtro fidelis eſt.*

Eod. Regio apparatu accepit, & proſecutus eſt rex.] Mſs. *regio apparatu & accepit & proſecutus eſt rex.*

Cap. XIV. Et onerarias ducere multa faburra grauatas.] Mſs. *et onerarias reducere m.ſ.g.*

Cap. XVII. Ab ſuo bello: vt à tergo liber relictus hoſtis.] Mſs. *ab ſuo bello, ad claſſem regiam, vt à tergo,* &c. an ſcribendum? *ab ſuo bello, ab claſſe regia, vt à tergo,* &c.

Cap. XVIII. Ad caput arcemque regni Pergamum ducit oppugnandam.] Mſs. *ad caput arcemque regni Pergamum ducit oppugnandum.*

Eod. Erant autem ſex millia equitum.] Mſs. *erant autem ſeptem millia equitum.*

Cap. XIX. Adhibitis & Rhodiis.] Mſs. *adhibitiſque Rhodiis.*

Eod. Aut cui rata iſta pax erit, quam ſine conſule, non ex auctoritate ſenatus, non iuſſu populi Romani peregerimus.] Peragere pacem an ſatis Latine dici poſſit, vt neque dum cõſtitui, ita illud ſcio elegantiſſimam & propriam hic eſſe lectionem ſcriptam quæ habet: *aut cui rata iſta pax erit, quam ſine conſule, non ex auctoritate ſenatus, non iuſſu populi Romani pepigerimus?* ootior tes eſt quam vt in ea probanda & negotioſo meo hoc otio & lectoris patientia abuti debeam.

Eod. Vaſtatis Elæenſium primum, deinde Pergamenorum agris.] Mſs. *euaſtandis Elaenſium primum,* &c. præſto verum eſſe; *euaſtatis Elaenſium primum.* præſto inquam, nam quod cuſus Moguntinus Liuius legendum ſuadet, *Antiochus pace nequiquam tentata, vaſtandis Elaenſium primum, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio,* &c. tamquam non ipſe Antiochus Elæenſium Pergamenorumque agros depopulatus eſſet, ſed filio Seleuco id negotij mandaſſet; quærat cui perſuadeat, nos ſcimus Seleucum relictum in Pergami obſidione, vt etiam ex præcedentibus Eumenis verbis quib. negat incluſos mœnibus honeſte poſſe de pace tranſigere & ſequenti narratione hiſtorica clarum eſt.

Cap. XX. Pars in iuueniles luſus.] Mſs. *pars in iuuenales luſus.* diſertim præfert.

Eod. Ad portam præſto eſſe iubet.] Mſs. *ad iuſta præſto eſſe iubet.* eleganter ſane.

Cap. XXI. Per Thyatira Sardeis rediit.] Mſs. *per Thyatiras Sardeis rediit.*

Eod. Inde Phocæam petentes.] *Inde Phocaam petens,* Mſs.

Cap. XXII. Sex apertæ naues.] Mſs. dimidio minus *tres apertæ naues.*

Cap. XXIII. Audiunt ab Aſpendiis ad Sidam iam hoſtes eſſe.] Mſs. *ad Sidam hoſtes eſſe.* quod manifeſte verum eſt. natum autem erat illud *iam,* ex ſyllaba poſteriore vocis proxime præcedentis *Sidam.*

Eod. Ab regio ſiniſtro cornu.] Mſs. *ab regiis ſiniſtro cornu.*

Cap. XXIV. Annibal ictus vno prœlio aduerſo.] Membranæ, *Annibal victus vno prœlio a.*

Cap. XXV. Sed profecto Antiocho ab Sardibus.] Eædem membranæ: *ſed profectio Antiochi ab Sardibus.* quomodo ſi legas, mox etiam *prohibuit* pro *prohibuerunt,* legere neceſſe habebis.

Cap. XXVI. Sami ſegnis diu mora offendebat.] Mſs. *ſegnis diu mora detinebat.*

Cap. XXIX. In frontẽ inſtruaiſſet.] Mſs. *in fronte inſtruxiſſet.*

Cap. XXX. Regiis ſeſe obiicere.] Mſs. *Regiis ſeſe obiecerunt.*

Cap. XXXI. Nauſtathmos ab re appellatur.] Mſs. *ab re appellant Nauſtathmor.*

Cap. XXXIV. In eo tumultu delapſo equo cum duobus equitibus oppreſſum.] Mſs. *in eo tumultu delapſu ex equo,* &c.

Cap. XXXV. Et ſi quas alias Romani quod ſuarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint.] Vt latere hic aliquid ſuſpicer, facit lectio Longobardica, quæ habet: *et ſi quas alias Romani quæ ſuarum partium ediderant, vindicare,* &c. cogitent docti.

Cap. XXXVII. Quamquam ſeptuaginta millia peditũ.] Mſs. *quamquam ſexaginta duo milia peditum.*

Cap. XXXVIII. Proceſſere in medium campi.] Mſs. *proceſſere in medium campum.*

Cap. XLI. In nubes caliginem dedit.] Mſs. *in nubibus dedit caliginem.*

Cap. XLII. Auxilia enim ſubſidiaria quæ proxima locata erant.] Mſs. *quæ proxime locata erant.*

Cap. XLIII. Ita vtroque cornu victores Romani.] Mſs. *Ita vt vtroque cornu victores Romani.*

Cap. XLIV. Media ferme nocte Sardeis conceſſit.] Mſs. *Media ferme nocte Sardeis contendit.* quod magis huc facit.

Cap. XLV. Philonẽ & Eubulidam.] Mſs. *Philonem & Eubulũ.*

Cap. XLVI. Sex millia de exercitu Romano cecidiſſe.] Auget cladem Mſs. in quo eſt, *ſeptem millia de,* &c.

Eod. Et ad modum fugientium.] Mſs. *in modum fugientiũ.*

Eod. Sex millia familiarum conſcriberet.] Rurſum membranæ, *ſeptem millia familiarum.* nimirum amare illas abſolutiſſimum numerorum.

Cap. XLVIII. Subtexit deinde fabulæ huic.] Mſs. *Adiecit deinde fabulu.*

Cap. XLIX. Perdomandoſq; feroces animos eſſe.] Mſs. *perdomandos animos feroces eſſe.*

Cap. L. Si per commodum reipublicæ facere poſſet.] Mſs. *ſi per commodum populi Romani f.p.* qui eſt frequens admodum in libris manu exaratis error ex notis natus, vt hæ voces inuicem ſubſtituantur, & locum alteræ alterarum occupent.

Eod. Sex millia peditum Latini nominis, & ducenti equites.] Illud *&,* reiiciunt membranæ.

Cap. LI. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem.] Quod in flamine Quirinali obtinebat vt is egredi Italia non poſſet per leges, idem obſeruabatur & in Martiali flamine: Valerius Maximus, cuius locus non vna de cauſa huc facit. *Metellus vero,* inquit, *Pontifex Maximus Poſtumium conſulem, eundemque flaminem Martialem ad bellum gerendũ Africam petentem; ne à ſacris diſcederet, multa indicta, vrbem egredi paſſus non eſt: religionique ſummum imperium ceſſit.* & Epitome Liuiana XIX. *Cæcilius Metellus Pontifex Maximus A. Poſtumiũ conſulẽ, quoniã idem & flamen Martialis erat in vrbe tenuit, nec paſſus eſt à ſacris recedere.* quin & ipſe pontifex maximus eadem cærimonia tenebatur vt colligi poſſe videtur ex epitome Liuiana LIX. vbi ita ſcriptũ reperias: *Aduerſus eum P. Licinius Craſſus conſul, cum idem Pontifex Maximus eſſet, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, victus & interẽptus eſt.* in flamine autẽ Diali non tantum hoc obſeruatum eſt vt Italia nõ excederet (de quo Tacitus in li. III. Annalium. *Fruſtra vulgatum dictitans non licere Dialibus egredi Italia*) *ſed illud etiam vt nec ab vrbe ei abeſſe vel vna nocte liceret.* ipſe Liuius lib. V. *Flamini Diali noctem vnam manere extra vrbem nefas eſt.*

Cap. LI. Et mulctæ ex iuſſu populi remiſſæ.] Mſs. Lõgobardicus omnino melius longe *et mulcta ei iuſſu populi remiſſa.*

Cap. LII. Prius Europa, poſt & Aſia.] Mſs. *Prius Europa poſtea Aſia.*

Cap. LIII. Nec dumtaxat animum vobis bonum ac fidelem præſtitit.] Mſs. *nec animum dumtaxat in vos fidelem ac bonum præſtitit.*

Eod. Maſaniſſa hoſtis vobis ante quam ſocius fuit.] Mſs. concinniore vt arbitror ordine verborum. *Hoſtis Maſiniſſa ante vobis quam ſocius fuit.*

Eod. Vltra Tauri iuga Antiochum emouiſtis.] Mſs. *vltra Tauri iuga emoſtis Antiochum.* placet & hoc.

Cap. LIV. Receptæ in fidem & clientelam.] Mſs. *et in clientelam.*

Cap. LVI. Caſtella vicoſque ad Mæandrum amnem.] Mſs. *Caſtella vicoſque trans Mæandrum amnem.*

Eod. Quæ propior Rhodum inſulam.] Mſs. *quæ prope Rhodum inſulam.*

Eod. Fraternam ſibi cum iis charitatem eſſe.] Mſs. *fraternam ſibi cum iis gratiam eſſe;* vt reſpexerit ad illud,

——*fratrum quoque gratia rara eſt.*

Cap. LVII. Neque in ærarium detuliſſet.] Mſs. *neque in ærarium retuliſſet.* quorum vtrumuis rectum cum ſit, hoc magis proprium eſt.

Cap. LVIII. Gloriamque eius victoriæ deflorata apud

Digitized by Google

Thermopylas eſſe.] Mss. *gloriamque eius victoria præſloratam apud Thermopylas eſſe*; quod malim. *præſloratam* autem dicit, quaſi *prælibatam*, vſuſque hac voce & Noctium auctor ſiue ille Agellius ſiue A. Gellius eſt.

Eod. Sgna militaria ccaxxiv.] *Signa militaria* ccaxtv. cuſus Moguntinus: ſcriptus vero inox, pro *argenti pondo* cxaxvii. *millia*. habet, *argenti pondo centum quadraginta ſeptem millia*.

IN LIBRUM XXXVIII. T. LIVII NOTAE.

CAp.i. Remiſſiq; nuntij ab eo ad principes Argitheam.] Ita etiam Longobardicus codex. cuſus tamen Moguntinus, immane quantum ab hac ſcriptura recedens, habet, *remiſſique ab eo nantiant principibus Argithenam*.

Cap.ii. In Athamaniam redut. Zenonem inde.] Mss. *in Athamaniam rediit. Inde Zenonem*.

Eod. Ipſe circa templum Ioui ſacrum poſuit caſtra.] Mss. *ipſe circa templum Iouis Acræi poſuit caſtra*. egregie. fuit enim & Iupiter Acræos, & Acræa Iuno qoibuſdã populis in præcipua olim veneratione, vt paret ea Strabone libro octauo. præter quem vide etiam de Fortuna cognomento Acræa Pauſaniam in Corinthuacis, ſiue libro ſecundo.

Eod. Totoque agmine pauor & trepidatio erat.] Mss. *coacitatoque agmine pauor & trepidatio erat*.

Eod. Athamanes Ætolique Ethopiam ad Zenonem ac mille Macedonas opprimendos vndique concurrunt.] Mss. *Athamanes Aetolique Alopam ad Zenonem*, &c. quo nomine plures olim diuerſis in regionibus vrbes fuiſſe docebit te libro 9. Strabo. meminitque eius etiam Plinius hiſtoriæ naturalis libro 4. quorum neuter ignobilis huius Ethopiæ meminit, non magis quam Vtopiæ.

Eod. Poſtero die per inducias.] Mss. fere ſemper genere diuerſo: *poſtera die per inducias*.

Cap.iii. Nam fuerat quondam Ætolorum.] Longobardicus codex: *nam fuerat quondam in Aetolorum imperio*.

Eod. Legati ab Roma rediere ſine ſpe pacis.] Mss. *legati ab Roma rediere ſine reſponſo*.

Cap.iv. Arx, quæ poſita in tumulo eſt.] Mss. *arx, qua impoſita eſt tumulo*.

Eod. Ad depopulandam Acarnaniam.] Cuſus Moguntiæ, *ad depopulandum Acarnaniam*.

Cap.vi. Iam vix tuto receptu.] Mss. *iam vix tuto regreſſa*.

Cap.vii. Amphilochia exceſſit.] Mss. *Amphilochiam exceſſit*.

Eod. Tumulus repente terræ eminens.] Mss. *repente cumulus terra eminens*. ſed minus bene, mea ſententia.

Eod. Pauidique ne iam ſubrutis muris facta via in vrbem eſſet.] Mss. *pauidiq; ne iam ſubrutis muris acta in vrbẽ via eſſet*.

Cap.ix. Clamore & iurgio excepti, quod diu rem traherent.] Mss. *Clamore & iurgio excepti, Quamdiu rem traherent*. vt ſint ipſius populi verba, quod non diſplicet.

Eod. Magis pro Ambracia, vbi maiorem partem temporis exulauerat.] Mss. *magis pro Ambracia vrbe, vbi maiorem*, &c.

Cap.xii. Antiochus emotus vltra iuga Tauri.] Ita ante quoque locutus eſt in Eumenis perſona, mauult tamen Mss. *Antiochus amotus*.

Eod. Cum mille peditibus equitibus et.] Mss. *equitibuſque quingentis*.

Cap.xiii. Ad Harpaſum flumen ventum eſt.] Mss. *ad Arpaſum flumen peruentum eſt*.

Eod. Caſtellum vi receptum Alabadenſibus reddit.] Mss. *caſtellum captum Alabandenſibus r*.

Eod. Decem millia medimnûm tritici.] Mss. *decem millia modiûm tritici*.

Cap.xiv. Inde profecti Erizam vrbem.] Mss. *Erilam vrbem*.

Eod. Præter Cibyram, Syleum, & quæ Alimne appellatur.] Mss. habet, quomodo & ego legerim: *præter Cibyram, & Syleum, & Alimnen, qua appellatur*.

Eod. Adiecta decem milla medimnûm frumenti.] Obtinent antiquum membranæ, in eo quoque quod paſſim *modiûm*, pro *medimnûm* præferunt.

Eod. Hæc omnia intra ſex dies exacta.] De iis loquitur quę tyranno imperata erant, eaq; ait intra ſextum diem perſoluta. Moguntinus tamen cuſus Liuius alio longe ſenſu legit, *Hæc omnia intra dies ſex acta*.

Cap.xv. Ad Cobulatũ amnẽ progreſſi.] Lici, inquit Glareanus, in hoc tractu omnes meminerunt. Cobulati autẽ, quod equidem ſciam, nemo. neque ego ſane vel fando cuiquam illud auditum nomen puto. quare dum curatius membranas excutio, video in illis perſcriptũ extare, *ad Coriatũ amnem*.

Eod. Ad flumen Taurum.] Mss. *ad fluuiam Tauram*.

Eod. Viginti militibus medimnûm tritici.] Tertium & poſtremum hic moneo vbique in membranis *modiûm*, pro *medimnûm* legi.

Eod. Ad Beudos, quod vetus appellant.] Mss. *ad Eubodos quod*, &c. & ſtatim, *ad Aaabura*, non *ad Anaburã*. iterumque, *tertiò, ad Braſſiã poſuit caſtra*, pro; *tertiò ad Abaſiũ poſuit caſtra*.

Eod. Quia peruentum erat ad Toliſtobogiorum fines. Galli magna hominum vis.] Mss. *quia peruentum erat ad Toliſtobogiorum fines. Hi Galli magna hominum vis*, &c.

Cap.xvi. Bithyniaque omnis in deditionem Nicomedis conceſſit. Mss. *in ditionem Nicomedis conceſſit*. probè.

Eod. Non plus ex viginti millibus hominum quam decem armata erant.] Mss. paullo aliter, *non plus ex viginti millibus quam decem hominum millia armata erant*.

Eod. Audaciq; incœpto præter omnium opinionem affuit fortuna: & ſignis collatis ſuperior fuit.] Mss. *affuit fortuna, vnde & ſignis collatis ſuperior fuit*. placet ſanè.

Eod. Ita infregit animos eorum, vt abſiſterent imperio.] Mss. *vt abſtinerent imperio*. frequenſq; eſt apud auctores horum verborum inter ſe commutatio.

Cap.xvii. Cum hoc hoſte tam terribili.] Mss. *cum hoc iam hoſte tam terribili*.

Eod. Ad hoc cantus ineuntium prœlium.] Vetus cuſus, *ad hoc inchoantium prœlium cantus*.

Eod. Semel primo congreſſu ad Aliam eos olim ſuderunt maiores noſtri, ex eo tempore per ducentos annos.] Manifeſte falſum eſt, quod ait, *ad Aliam eos olim fuderunt maiores noſtri*. quis enim neſcit quis pugnæ Allienſis & quam Romanis non tantũ luctuoſus, ſed prope etiam exitiabilis finis fuerit? nec tamen aliter habent antiquiſſimi manu exarati libri, in quis & Longobardicus Mogunt. qui diſertim & ſine litura præfert *ad Alliam eos olim fuderunt maiores veſtri*. nã quod Sigonius legendũ affirmat ex veteri libro, *Semel primo congreſſu ad Aliam olim fuderũt maiores noſtros, ex eo tẽpore*, &c. perlubenter ſcire velim quam vetus ille liber & cuius notæ fuerit. ipſe enim quoque in veteri libro eandem ſcripturam repperi, ſed edito Mogũtiæ, quo anno iam ſæpe profeſſus ſum, cuius generis codices ſi veteres vocat, vt facile illi conceſſerim locum, vt ait in eis inueniri, ita in nullis membranis eam reperiri tantum non recentibus in quiduis pignus paratus vẽ ſim dare. Longobardicus noſter, quo non temere aut antiquiorem aut notæ (licet etiam ipſe ſuos næuos habeat) probioris alium vſquam gentium exſtare exiſtimo, codex facit. quare etiam non auſim hic tam longe à recepta ſemper & vetuſtiſſima ſcriptura diſcedere, ſed leniter vna littera cõmutata ſcripſerim, *Semel primo congreſſu ad Aliam eos olim fugerunt maiores noſtri, ex eo tempore*, &c. fuga enim ibi potius ſua & trepidatio Romanis exitio fuit quam Gallorum virtus. vide, ſi vacas, noſtrum hiſtoricum libro quinto, & fortaſſe; quid fortaſſe? imo plane mecum facies.

Eod. Et Gallo-græci vere quod appellantur.] Mss. omiſſo τῷ *quod*. & *Gallo-græci verè appellantur*.

Eod. Clementib. accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, manſuefacta eſt feritas.] Mss. *clementib. accolarum ingeniis, ea cum qua venerant, manſuefacta eſt feritas*.

Cap.xviii. Ad Coballum Gallo-græciæ caſtellum.] Mss. *ad Coballum Gallo-græcia caſtellum*.

Cap.xix. Se fatigaturos hoſtes cenſebant.] Mss. *ſe fatigaturos hoſtem*. quod malo.

Cap.xxiii. Quantum equi in colles ſubire poterant.] Longobardicus codex *quantum equis ſubire poterant*. elegãtiſſime. & ita me illæ deæ ab Aonia, vt reliqua à male manu ſunt.

Eod. Quia late inter omnes anfractus montium fugaq; & cædes fuit.] Mss. *per omnes anfractus montium.*

Cap. xxiv. Nuntium primis tenebris extra cuſtodiam centurio educit.] Mss. *extra ſtationes centurio educit.* haud dubie niſi iudicij fallor, melius.

Cap. xxv. Et ſucceſſiſſet fraus ni pro iure gentium.] Mss. *ſucceſſiſſet fraudi, ni*, &c.

Cap. xxvii. Senatum perlegerunt.] Mss. *ſenatum elegerūt.* ego legerim, *ſenatum legerunt.*

Eod. Aquæ ingentes eo anno fuerunt.] Mss. *pluuia ingentes eo anno fuerunt.*

Eod. Cæterum ipſi ne ſibi eum finxerint metum, & timore vano quietum exuerint: an iactata ſermonibus res.] Editio Moguntina: *& timore vano quietum excitauerint malum: an iactatu*, &c. agnoſco probitatem veterum eorum librorum, quos quidam dilaudant.

Cap. xxix. Arcem quam Cyatidem vocant.] Mss. *arcem quam Cyneatidem v.*

Cap. xxxi. Ne id quo iam diu moliretur Philopœmenes. exulibus, &c.] Mss. *Ne id, quod tam diu moliretur Philopœmen, exulibus*, &c.

Cap. xxxiii. Lacedæmonij ad diſceptandum acciti.] Mss. *ad diſceptandum exciti.*

Eod. Et prætor ſummoueret turbas & protegeret Lacedæmonios.] Mss. *& prætor ſummouere turbam, & protegere Lacedæmonios*; & ſtatim, *creſcebat turba concitato tumultu*, pro, *creſcebat tumultus concitata turba.*

Eod. Ad ſpectaculum primum concurrerunt.] Mss. *concurrebant.*

Cap. xxxv. P. Claudio & S. Sulpicio Galbo.] Inſere ex membranis vocem neceſſariam, *P. Claudio Pulcro et S. Sulpicio Galba.*

Eod. Nam ſeparatim accuſauerant.] Mss. *ſeparatim accuſauerunt.*

Eod. Quinadena millia peditum.] Mss. eximit de numero, τὸ *dena.*

Cap. xxxvii. Ei cc. talenta argenti ſunt imperata.[Mss. *huic ſexcenta talenta argenti ſunt imperata.*

Cap. xxxviii. Apud Romanos ſocioſque ſuot.] Mss. *apud Romanos ſocioſque nunc ſunt.*

Cap. xxxix. Caſtella, vicos, agros, eius, quib. finibus tenuerat Antiochus adiecerunt.] τὸ *eius*, delendum hic eſſe & res clamat, & monent oportune membranæ, & nihil ſane aliud quam turbando huic alioqui elegantiſſimo loco eſt.

Eod. Inter Eumenem & Antiochi legatos.] Editio Mogunt. *Inter Eumenis et Antiochi legatos.* ſed fruſtra eſt: ipſum enim Eumenem in re præſenti fuiſſe; arguit quod præceſſit, *Ipſe* (Cn. Manlius conſul puta) *quia Eumenem regem & decem legatos ab Roma Epheſum veniſſe audierat, iuſſis ſequi Antiochi legatis, Apameam exercitum reduxit.*

Cap. xl. Et Maduatent & Cœletæ.] Mss. ſine vlla litura retinet, *et Maduateni & Corili.* editio vero de qua diximus, omiſſis alijs habet, *Aſty et Cornelij.*

Cap. xli. In eo prœlio cum & impedimentorum pars.] Mss. idem. *Ja eo prœlio cum iam impedimentorum p.*

Eod. Ad vicum Maronitarum (Saren appellant) poſuerunt caſtra.] Editio vetus, *Salentum appellant.*

Eod. Priaticus campus eos excepit.] Mss. *Triaticus campus eos excepit.*

Cap. xlii. L. Terent. Maſſaliota.] Membranę, *L. Terentius Maſſiliota.*

Ipſum Fuluium ab Ætolis.] *Ipſum M. Fuluium*, habet manu exaratus codex.

Cap. xliii. Vel ſi in hac vtique mauolt, retineat Ambracienſes ſuos.] Rurſus auctius Mss. *vel ſi in hac vtique vna vult, retineat*, &c.

Cap. xlv. Et non tuum priuatum latrocinium dicamus?] Mss. *et non tuum priuatum latrocinium ducamus?* rectius meo iudicio: nihil tamen hic vt in alijs quoq; mutare volui, de iis lectorem admonuiſſe contentus.

Cap. xlvi. Multo ante & corpora & animi miſti ac vitiati ſunt.] Vetus editio, *multo ante et corpore & animo miſti ac mutati ſunt.*

Cap. xlviii. Atqui cum Antiocho non cum Gallis bellum his ſenatus decreuerat.] Τὸ *his*, vt ſuperforaneum reiiciunt optimæ membranæ.

Eod. Quia nullius calumniæ ſubiicit ea, quæ dij comprobauerunt.] Mss. *quia nullius calumniæ ſubiicit ea quæ dij comprobauerunt*, quod aliam efficeret ſententiam.

Cap. xlix. Pluribus verbis vos, quam volui, fatigaui.] Mss. *Pluribus verbis vos, quam vellem, f.*

Cap. lii. Nutus eios pro decretis patrum.] Mss. *Nutum eius pro decretis patrum.*

Cap. lv. C. Furij Aculeonis quæſtoris.] Mss. *C. Furij Calleonis quæſtoris.*

Cap. lvi. Multa alis in Scipionis exitu maxime vitæ, &c.] *Multa alia in Scipionis fuotū maxime vita*, &c. legerim, *Multa alia in Scipionis exitu cum maxime vita.* quia illa eſt ſolens hiſtoricis locutio.

Eod. Nebulonem modo, modo nugatorem appellat.] Mss. habet: *nebulonem modo, modo nugatorem appellantis.*

Cap. lix. Vt in carcerem inter fures nocturnos & latrones vir clariſſimus includatur.] Vetus editio; *vt in carcere inter fures.* porro de robore vide præter Sigoniū hic etiam elegantiſſimum Lipſium ad librum quartum Annalium Taciti.

IN LIBRVM XXXIX. T. LIVII NOTÆ.

CAp. i. Deiicere hoſtem: itinera ardua, anguſta, infeſta inſidiis. Mss. *& itinera ardua*, &c.

Cap. ii. In montem Auginum confugerunt.] Mss. *profugerunt.* alij notarunt etiam legi, *aufugerunt.*

Eod. In his & Friſinates Ligures erant.] Mss. habet diſertim, *Friſinates.*

Cap. iii. Id Cænomani conqueſti Romæ apud ſenatum.] Mss. *inde & Cænomani queſti Romæ*, &c.

Eod. Arma reddita Cænomanis è prouincia decedere prætor iuſſus.] Mēbranæ: *arma reddere Cænomanis, prouincia decedere prætor iuſſus.* recte. rectius inquā, quam vulgo legitur.

Cap. v. Quam in triompho latam in ærario poſiturus eſſet.] Mss. *quam in triumpho delatam*, ac mox rurſum: *aureæ coronæ centum xii. pondo ante currum delatæ ſunt.* vbi item in editionibus eſt, *latæ ſunt*, ſed poſilla hæc.

Cap. vi. Ab eo creati conſules.] Mss. *ab eo decreti conſules.*

Eod. Soccesſor ipſe omni genere licentiæ corruperat.] Membranæ; *omni genere licētia corrupiſſe fama attulerat.* quod ſi placet mutes etiam in præcedentibus ſyntaxin neceſſe eſt. quamquam quid fama attulerat cum Romæ in militibus Manlij inſtrumenta luxuriæ, argumenta corruptæ diſciplinę militaris in re præſenti vulgo conſpicerentur, & oculis omnium notarentur? omnino igitur veterem lectionem, dico eam quæ hactenus in editionibus obtinet retinendum cenſeo.

Eod. Sed etiam magis quæ in militibus eius quotidie conſpiciebantur.] Mss. *ſed ea etiam magis quæ in militibus eius quotidie adſpiciebantur.*

Eod. Tunc pſaltriæ ſambuciſtriæque & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis.] Membranæ, *tunc pſaltriæ ſambuciſtriæque et alia conuiualia ludorum oblectamenta addita epulis.* probo illud, *alia.*

Cap. vii. Cum fide & cura ſoluerunt.] Mss. verſo ordine verborum: *cum cura & fide ſoluerunt.* quod etiam malim.

Cap. viii. Caius Aurelius Scaurus.] *Marcum*, vocat Mss. non *Caium.*

Eod. Sed occultorum Antiſtes ſacrorum.] Mss. *ſed occultorū et nocturnorum, antiſtes ſacrorum.* optime. neq; enim aliàs vmquam quam noctu hæc ſacra ſacrilega peragebantur.

Eod. Deinde vulgari cœpta per viros.] Mss. *vulgari cœpta ſunt per viros.*

Eod. Pleraque per vim audebantur.] Iterum Mss. *pleraque per vim audebant.*

Cap. xiii. Simul illam adhortari.] Mss. *ſimul etiam adhortari.* malo vulgatam lectionem.

Eod. Quorum occulta enuntiaret.] Membranæ, *quorum initia enunciaret.* nec aliter ſacra illa occulta & nocturna vocabantur, ſed ſolenne hoc illis nomen erat. tangit de initiis Ca-

Digitized by Google

reris nollo magis quam ſilentio ſolennibus ab Alcibiade enunciatis. Trogi abbreuiator Iuſtinus initio libri v.

Eod. Pacullam Miniam Campanam.] *Pacullam Anniam Campanam ſacerdotem.*

Cap. xv. Nulli vmquam concioni, Quirites, tam non ſolum apta.] Membranę, omiſſo τῷ *tam*, legunt; *Nulli vmquam concioni, Quirites, non ſolum apta.* egregie.

Cap. xviii. Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu eſſent, tradebant: vt ipſi in priuato animaduerterent in eas.] Morem hunc Romanis fuiſſe ſtatim ab Vrbe condita, monent hic alij, & ex locis quos ſubiiciam etiam euidentius apparet Suetonius in Tiberio: *Matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet, vt propinqui more maiorum, de communi ſententia coercerent*, auctor fuit Tacitus li. 13. *Plautius, priſco inſtituto propinquis coram, de capite famaque coniugis cognouit, & inſontem nunciauit.* Valerius Maximus li. 6. c. 3. *Publicia autem, quæ Poſtumium Albinum conſulem, item Licinia quæ Claudium Aſellam viros ſuos veneno necauerant, propinquorum decreto ſtrangulatæ ſunt. Non enim putauerunt ſeueriſſimi viri in tam euidenti ſcelere longum publicæ quæſtionis tempus exſpectandum. Itaque quarum innocentium defenſores fuiſſent, ſontium maturi vindices extiterunt.* Cato: *Vir cum diuortium facit* (ita enim legit ibi flos Belgicæ noſtræ erudıtiſſimus Lipſius, quem vide tota hac re quæ in manibus eſt. ad Annalium Taciti li. 2.) *mulieri iudex procenſorque eſt, imperium quod videtur habet. Si quid peruerſe tetreque factum eſt à muliere, multatur: ſi vinum bibit, ſi cum alieno viro probi quid fecit, condemnatur.* quibus omnibus Latinis ſcriptoribus accedat Græcus vnus Dionyſius cuius lib. 2. ſunt illa: Ἁμαρτάνουσα δέ τι, δικαστὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τοῦ ἀνδρὸς ἐδίκαζον. ἐν δὲ τοῖς ἦν φθορὰ σώματος, καὶ ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων Ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή.

Cap. xxi. Ad Calagurrim oppidum.] Mss. *ad Calagurium oppidum.*

Cap. xxiv. Maxime mouerat ſenatum, quod iam Æni & Maroneæ affectari poſſeſſionem audierant.] Mss. *maxime mouerat ſenatum quod eum Ænei & Maroneæ affectare poſſeſſionem audierat.*

Eod. Etiam Æneum in poteſtate nunciabant Philippi eſſe.] Iterum Mss. *etiam Æneum in poteſtate narrabant eſſe Philippi.*

Cap. xxxi. Vſque ad fluuium Macram.] Mss. *vſq; ad fluuium Macras.*

Cap. xxxvi. Quo in numero hi quoque duo fuerunt.] Mss. *quo ex numero hi q. d. f.*

Cap. xxxvii. Tunc opinor, ſi aliis ipſi legibus viueremus.] Mss. *Tunc vt opinor, ſi aliis ipſi legibus viueremus.*

Cap. xxxv. Quadringentos equites & quinque millia ſociorum.] Mss. *trecentos equites & quinque millia ſ.*

Cap. xli. Hunc, ſicut omni vita, ita tum petentem premebat nobilitas: conſenſerantq; præter L. Flaccũ, qui collega in conſulatu fuerat. candidati omnes, ad deiiciendum honore eum.] Pro *conſenſerantq;*, legendum, *coierantq;*: quod verbũ & proprium hic habet domicilium, & in omnibus meliorib. libris veteribus reperitur, vti Sigonius monuit, ita & elegantiſſimus Lipſius confirmauit in epiſtolicis, hoc amplius addens cum in ſcripto ſuo codice inuenerit, *ita tum præſentem*, &c. legendum etiam videri; *ita tum prenſantem*, quod item verbum vnice vnicum, & cum maxime proprium hic eſt.

Cap. xlii. Tantundem auri atque argenti in eo triumpho tranſlatum.] Recte ſic legitur, membranis tamen placet, *in eo triumpho prælatum*. verum non ſemper illis ſua conſtat ratio.

Eod. Vt obſequium amatori iactaret.] Mauult doctiſſimus Lipſius, vt in libro ſuo membranacco extare profitetur: *vt obſequium amatori venditaret:* quod ego eo lubentius etiã recipio, quia video in antiqua editione Moguntina legi, *vt obſequium amatori ei vendicaret.* quę tametſi vitioſa ſcriptura, ad ectam tamen inuemendam non minus ex eo facem allucet.

Eod. Hunc Gallum morientem adſpicere?] Mss. *morientem videre?* quorum alterum alterius gloſſema eſt vt ſexcenties aliàs.

Cap. xlv. Extremo prioris anni comitia auguris creandi habita erant, in demortui Cn. Cornelij Lentuli locum creatus erat Sp. Poſtumius Albinus.] Elegantiſſimus Lipſius, qui in codice ſuo repererat, *comitia habita erant in mortui Cn. Corneli in loco auguris ſufficientur creatus Sp. Poſthumius:* ex hac, inquam ſcriptura, conicit flos ille noſtræ Belgicæ legendum hic: *Comitia habita erant in mortui Cn. Cornelij Lentuli locum auguris ſufficiendi. creatus Sp. Poſtumius, &c.*

Cap. xlvi. Cum vndique conſerenaſſet.] Vetus editio: *cum vndique diſſerenaſſet.*

Cap. xlix. Philopœmenes prætor eorum.] Conſtant ſibi etiam hic membranæ, in quib. eſt, *Philopœmen prætor eorum.*

Eod. Ab ipſo nuper lectos.] Mss. *ab ipſo nuper electos.*

Cap. l. Multitudo quidem integra, memor priſtinorum eius in ciuitatem meritorũ, parendum, ac per eum remedia quærenda eſſe præſentium malorum, cenſebant: defectionis auctores quorum in manu reſp. erat, &c.] Scribere ſatius eſt ex membranis voce auctius quæ reſpõdeat illi *quidem*, quod præcedit, *ſed defectionis auctores, quorum in manu reſp. erat, &c.*

Cap. li. Et fidei regum nihil ſane confiſus.] Mss. plane noue, *& fidei regum nihil ſane fretus.*

Eod. Quod inueſtigari volunt.] Iterum membranæ: *quod veſtigari volunt:* quo vſi ita etiam Cicero & Virgilius. ille tertio de Oratore vbi ait: *Ipſa tractatio & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione veſtiges.* hic Æneid. vii. dicens:

——vbi mœnia gentis
Veſtigemus.

Atque huic venit veſtigator, id eſt, venator. Varro li. 4. de lingua Latina: *Hæc etſi minus aperta, vindemiator, vt veſtigator, & venator: tamen id eſt quod vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit, veſtigator à veſtigiis ferarum, quas indagatur, venator à venatu.* vide & Columellam lib. 9. c. 8. vbi ait, *A veſtigatore præparato vaſe reconditur.*

Eod. Mores quidem populus Romanus quantum mutauerit, vel hic dies argumento erit.] Legit Lipſius noſter ex libro veteri: *mores quidem populi Romani quantum mutauerint, mutentve.* vt Varro, inquit, dixit: *Proſodia reliqua non mutant.*

IN T. LIVII LIB. XL. NOTÆ.

CAp. ii. Forem ex æde Lunæ, qui in Auentino eſt.] Hanc ædem à Ser. Tullio dedicatam auctor eſt Tacitus Annalium xv. & Rufus in regione xii. Templum, inquit, Lunæ in Auentino magnum. eruditiſſimus Lipſius tamen, quia ſcribit Tacitus vetuſtiſſimæ religionis hoc templum fuiſſe, & ſatis conſtat neque Lunam neque Solem inter priſcos Romanorum deos iam à regum temporibus occultos cenſeri, his omnibus locis *Lua* non *Luna* legendum exiſtimat, quæ videtur dea litationum & expiationum, dicta à *luendo*, cuiuſque religio antiquiſſima eſt: Liuius noſter libro viii. *Armorum vis magna cum inter cæſa corpora hoſtium, tum in caſtris inuenta eſt. ea Luæ matri dare ſe conſul dixit.* item libro quadrageſimoquinto, *Precatus Martem, Mineruam, Luamque matrem, & cæteros deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius faſque eſt, &c.* vide Lipſium ipſum ad quem dixi Taciti Annalium librum.

Cap. iii. De Philippo auxerat curam Martius.] Vetus editio, *de Philippo et iram auxerat Martias.* ſed fugit illam ratio.

Cap. iv. Interdum manus ad cœlum tendens, opem vt dij ferrent orabat.] Membranæ: *interdum manus ad cœlũ tendens, deos, vt ferrent opem, orabat.*

Cap. vii. Hilaritas iuuenilis vtroſque in vinum traxit.] Membranæ, *hilaritas iuuenalis.* de qua voce ſupra agere memini.

Cap. viii. Expertes inter fratres certaminum.] Mss. *expertes iuuenalium inter fratres certaminum.* quæ vox an huic loco conueniat viderint alij.

Eod. Aut admiſſi criminis.] Mss. *aut commiſſi criminis.*

Cap. xi. Vt ipſe me eſſe velit.] Mss. *vt ipſe me eſſe vult*, ſed illud poſtulat ſententia.

Cap. xii. Vtrum ego tibi, an tu mihi.] Mss. *Vtrum ego ipſe tibi, an tu mihi.*

Cap. xxiv. Perſeum Philippopolim ad obſides Thracum accipiendos.] Membranę, *Perſen Amphipolim ad obſides, &c.* ſed ſiue cũ Stephano *Philippopolim* in Macedonia, ſiue cũ Plinio in Thracia conſtituamus, æq; hic cõuenit. licet enim ſcripta

lectio recipi poſſe videatur, cum non tantum in Syria huius nominis vrbs à Seleuco iuxta Euphratem condita ſit; verum etiam Macedonia ſuam Amphipolim habuerit, habeatque etiam nunc ſed quæ hodie *Chryſopolis* mutato nomine vocetur, ſitque officina eudendæ monetæ Turcicæ.

Cap. xxvi. Conſules niſi confecto delectu negare ſe ituros.] Mſs. *negare eſſe ituros.*

Cap. xxvii. Ad quatuor portas exercitum inſtruxit, vt ſigno dato ſimul ex omnibus partibus eruptionem facerent, quatuor extraordinariis cohortibus duas adiunxit, præpoſito M. Valerio legato: erumpere extraordinaria porta iuſſit. ad dexteram principalem haſtatos legionis primæ inſtruxit: principes ex eadem legione in ſubſidiis poſuit. M. Seruilius & L. Sulpicius Tribb. mil. his præpoſiti. Tertia legio aduerſus principalem ſiniſtram portam inſtructa eſt, id tantū mutatum: principes primi & haſtati in ſubſidiis locati: Sex. Iulius Cæſar & L. Aurelius Cotta tribb. mil. huic legioni præpoſiti ſunt Q. Fuluius Flaccus legatus cum dextera ala ad quæſtoriam portā poſitus.] Egregius mehercle locus, & qui vel ſolos nos docere poſſit, quæ & quot portæ in caſtris Romanorum fuerint: elegans, inquam, locus, ſed nec minus obſcurus, quare lucem ei dabimus, non à nobis, ne quis erret, ſed ab eruditiſſimo Lipſio, qui de tota hac re in commentario Corneliano ſic ſcribit De nominibus, inquit, portarum, quæ in caſtris, facile rem expedio. non tam facile de numero. Caſtrorum Romanorum plerumque quadrata forma, ex Polybio, Hygino, Vegetio. Iden videntur portæ fuiſſe quatuor. argumento etiam loci Liuiani libro xl. vbi eruptio deſcripta Lucij Æmilij in Ligures: *Ad quatuor portas exercitum inſtruit, &c.* nominatque deinceps, portam extraordinariam, Dextram principalem, Siniſtram principalem, Quæſtoriam. Sed ſi hic iuſtus numerus, quid fiet Prætoriæ portę, quid Decumanæ & Quintanæ? ęſtuamus. nec ſcio an me emergam. primum quod ibi in Liuio ſcribitur, *erumpere extraordinaria porta iuſſit*, falſum eſt: & emenda, *ordinaria*, quæ eadem cum Prætoria: Liuio hic ſic dicta, quia legitimum & ordinarium ea erumpere in hoſtem. Quæſtoriam, cenſeo eandem cum Decumana, Quintanam dico eſſe nullam. Feſtus ſolus eam adſtruit: Quintana appellabatur porta in caſtris poſt Prętorium, vbi rerum Vtenſilium forum fuit. & ego deſtruo, reponoque, *Quintana appellabatur pars in caſtris*, vel ſimpliciter, *appellabatur in caſtris.* nam portæ nomen additum à Paulo, non à Feſto. Quintanam certe portam non fuiſſe, ſed partem certam caſtrorum vbi res venales, patet clare ex Liuio li. 41. *Prætorio deiecto, direptis quæ ibi fuerunt, ad quæſtorium, forum, quintanamque hoſtes peruenerunt.* & lege ſequentia, videbis Quintanā eſſe in mediis caſtris. Hyginus manuſcriptus, *In quæſtorio maxime legati hoſtium & obſides, & ſi qua præda facta fuerit in quæſtione ponitur.* Lateribus eiuſdem rendere debet ad viam quintanam centuria ſtatorum vt poſticum Prætorij tueantur. Iſidorus li. 15. c. 11. *Quintana pars plateæ quinta eſt, qua carpentum progredi poteſt:* Via igitur. idemque diſces ex Polybij lib. 6. Suetonius in Nerone plane idem adſignificat, ca. 26. *Tabernulas etiam effringere & expilare, Quintana domi conſtituta, vbi parta et ad licitationem diuidendo prædæ pretium abſumeretur.* Non aliud ergo quam via latior, in vſum fori. à metatione agrorum inuento nomine, vt in porta Decumana. Ecce ergo tibi portas quatuor: ſed videamus ordine. Prætoria, ſiue ordinaria, aduerſa hoſti. Hyginus ille non vulgatus: *Vt regiones caſtris ſubiaceant, porta Prætoria ſemper hoſtem ſpectare debet.* Vegetius lib. 1. cap. 23. *Porta Prætoria aut Orientem ſpectat, aut illum locum qui ad hoſtes pertinet, aut ſi iter agitur, illam partem ad quam exercitus eſt iturus, intra quam prima centuria tendunt, & dracones ac ſigna conſtituunt.* Idem & Feſtus. Huic oppoſita ex diametro, Decumana, vel à limite decumano, vel, vt Hygini verba ſunt, *à cohortib. decimis ibi tendentibus Decimana appellata.* Vegetius: *Decumana porta quæ appellatur poſt Prætorium eſt, per quam delinquentes milites educuntur ad pœnam.* hanc eandem quod Quæſtoriam appellem, moueor; quia Quæſtorium Prætorio proxime ſubiectum, vt ergo ab illo porta antepoſita Prætoria; quidni à Quæſtorio pariter hæc Quæſtoria dicta? Nam Decumanam recto rigore (loquar cum Gromaticis) Quæſtorio cenſeo reſpondiſſe. ex narratione Liuiana lib. 10. *Ab tergo caſtrorum decumana porta impetus factus, itaque captum quæſtorium.* Conſidera tu, nā mihi non vacat omnia κατὰ μέρος. ex his item Hygini verbis: *Quæſtorium dicitur, quod aliquando Quæſtores ibi pedaturam acceperint: quod eſt ſupra Prætorium, in rigore portæ quæ à cohortib. decimis Decimana eſt appellata.* Et tamen ſi quis miſcere Quęſtoriam cum dextra principali mauelit aut ſiniſtra. non pertendam ego. Reliquæ ſunt duæ portæ, Principales: quæ limitem quem poſui ſcindunt è tranſuerſo, ſpatio vtrimque pari. Dextra, Prætorij reſpectu, de qua Liuius lib. 40. *ad dextram principalem haſtatos legionis primæ inſtruit.* & lib. 4. *Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit. intentos deinde hoſtes in vallum, egreſſus dextra principali cum triariis repente inuadit.* Siniſtra de qua idem ſcriptor: *Tertia legio aduerſus principalem ſiniſtram portam inſtructa eſt.* Vtriq; nomen à principib. qui ibi tēdebant. Adi Feſtum in voce *Principalis.* Sed & via Principalis Liuio Hyginoque dicitur in caſtris, à cauſa eadem. Atque hæc quidem literatiſſimus noſtræ Belgicæ de portis caſtrorum Romanorum hactenus digniſſima illa quidem, quæ non vno loco legantur.

Cap. xxviii. Capta duo millia & quingenti.] Mſs. *Capti duo millia & trecenti tres.*

Cap. xxix. Libri in comitio igne à victimariis facto in conſpectu populi cremati ſunt.] Idem tradit iiſdem prope verbis Valerius Maximus dum ait: *Græcos Numæ libros L. Petillius Prætor Vrbanus ex auctoritate Senatus per victimarios igne facto in conſpectu populi cremauit.* alias autem hoc per ædiles aſſolere fieri, teſtatur Tacit. Annal. 4. dicens. *libros per ædiles cremandos cenſuere patres.* quin non numquam per Triumuiros. idem Tacitus in vita Agricolæ: *Delegato Triumuiris miniſterio, vt monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur.* Vide Senecam patrem etiam libro 10. controuerſ. & Lipſium (à quo hæc pleraque ſumimus) ad Tacitum.

Cap. xxx. Poſtremo & Celtiberi omnibus ſimul peditum equitumque copiis.] Mſs. *Poſtremo Celtiberi ſimul omnibus*, quid magis probo.

Cap xxxii. Ad viginti tria millia hoſtium eo die cęſa.] Mſs. *ad* xxiii. *millia hoſtium occiſa.*

Cap. xxxiii. Celtiberi, qui domo profecti erant.] Membranæ; *Celtiberi qui profecti erant à domo.* amplector.

Cap. xxxiv. Et in vlteriore Manlios pr.] Mſs. *In vlteriore M. Manlius pr.*

Eod. Is erat, ipſe eam ædem vouerat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnaſſet.] Concinnius membranæ: *Is erat, qui ipſe eam vouerat, quo die, &c.*

Eod. Tranſtulit coronas aureas quinque & viginti.] Mſs. *Tranſtulit coronas aureas mille & viginti*, opinor vtrumq. numerum falſum eſſe. & medium quid hic tenendum, de quo vt laborem ideo in animum inducere non poſſum, quia res non eſt tanti.

Cap. xxxv. Cum duo ſecunda prœlia, deditionem Celtiberię, confectam prouinciam nunciaſſent.] Mſs. *in deditionem Celtiberiæ.* an forte legendum geminata ſyllaba, *inde deditionem Celtiberiæ*; vt illud *inde*, ſignificet prœliis duobus aduerſis ita fractos Celtiberorum animos vt poſt illa ſtatim de deditione cogitarint?

Eod. Loca pacata me ad hybernacula electurum.] Membranæ: *loca pacata ad hybernacula lecturum.*

IN LIB. XLI. T. LIVII NOTÆ.

Cap. xviii. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi ominatum fuerāt ſe eo die letum capturum eſſe.] Ita auctor eſt Plinius lib. 15. capite 19. Craſſo nauim aduerſus Parthos conſcendenti omen feciſſe vocem prædicantis venales Caunetas; quaſi hac ei voce denunciaretur, *Caue ne eas.*

FVLVII VRSINI NOTÆ AD LIV.

AD LIB. I.

CAP. XXIV. *Fetialis erat M. Valerius is Patrē patratam Sp. Faſium fecit, verbena caput capilloſque tangens, &c.*] Poſſet aliquis ſuſpicari ex verſu Virgilij, qui habetur libro XII. Æneid. (*Velati lino, & verbena tempora vincti*) poſſe & apud Liuium legi, *tegens*, pro eo, quod vulgo legitur, *tangens*. Nos tamen non improbamus receptam lectionem, quæ fortaſſe obſcuro aliquo antiquitatis teſtimonio confirmatur.

Cap. XLIII. *Nec mirari oportet, hunc ordinem qui nunc eſt, poſt expletas quinque XXX. tribus, duplicato earum numero, cēturiis iuniorum, ſeniorumque ad inſtitutā ab Ser. Tullio ſummā non conuenire, &c.*] Locus eſt obſcuriſſimus, ad cuius intelligentiam libet hic Octauij Pantagathi totam de centuriis opinionem proferre, quā Antonius Auguſtinus à ſe accuratè olim literis mādatam, ac his plane verbis deſcriptam ad me miſit. Explicat, inquit, Liuius paucis, quid, comitia centuriata Tullij ab iis, quæ Liuij tempore habebantur, differrent. ea differētia notior fuit iis, qui eodem tempore vixerunt, quàm nobis, qui non ſolùm comitia Liuiana, ſed & ipſos annales Liuij, & Liuium in Liuio deſideramus. vſque eo perierunt ſcripta veterum, & ea, quæ exiſtāt, malè accepta à librariis ſunt, vt hoc neſcio quid, quod ſcimus, multis teneamus in tenebris. Sed hoc primū in his verbis agnoſcere videmus, differre illa comitia à poſterioribus, quod poſt expletas XXXV. tribus, alia ſumma confecta ſit, non LXX. centuriarum in omnib. claſſib., aut in duabus claſſibus, vt ex Philipp. II. Ciceronis nonnemo ſuſpicabatur, ſed in ſingulis claſſibus. Sic videtur dicere eam ſummā centuriarū Tullianarum durasſe, quoad XXXV. explerentur. Additque: *Quadrifariam enim vrbe diuiſa regionibus, collibuſque qua habitabantur partes, tribus eas appellauit, vt ego arbitror, ab tributo: nam eius quoque aequaliter ex cenſu conferendi ab eodem inita ratio eſt. Neque hæ tribus ad centuriarū diſtributionem, numerumque quicquam pertinuere.* Ex his verbis trib. vrbanas quattuor à Ser. Tullio inſtitutas elicimus: de ruſticis mirum ſilentium: originē nominis à tributo, quę parū grata eſt; cum alia ſit potior à numero trium antiquiorum Rāmenſium, Titiēſium, & Lucerum. Sed quod poſtremum eſt, maximè quærebam; eas tribus regionib. & collibus diuiſas, non vt alias hominū genere, & nationibus nihil ad Seruianā centuriarum diſtributionem, & numerum pertinuiſſe. nam poſt expletas XXXV. trib. pertinuerunt, tum ad centuriarum diſtributionē, tum ad numerū. dixerat enim prius duplicaui numerum XXXV. tribuum centuriis ſeniorū, & iuniorum, ita ſummam effici aliam. Nam vt in libro de legibus dictum à nobis eſt, prima claſſis conſtat XXXV. centuriis equitum, XXXV. iuniorum, totidē ſeniorum peditum centuriis. Secunda claſſis totidē habet ſeniores pedites, atq; iuniores, equites nullos habet. Sic tertia, quarta, & quinta. Fiūt centurię CCCLXXXV. Singulæ cēturię diſtinguuntur nominib. tribuum: eſt enim vt Cicero ait in Plāciana, *centuria pars tribus*, binæ enim cēturię peditū ſunt in ſingulis claſſibus, vnà equitum in prima claſſe ex ſingulis tribubus. Quod ſi quis etiam equites exiſtimat in ſeniores & iuniores diuiſos fuiſſe: tum LXX. equitū centuriæ fuerint neceſſe eſt, & numerus omnium centuriarū CCCCSX. Sed ſiue hæc ſu. una fuerit, ſiue ſuperior; verè à Seruiana ſūma longe differret. Nomina ſingularum centuriarum nominibus tribuum explicare poſſumus. vt enim apud Liuium inuenimus li. XXVII. *Galeriam iuniorum*, centuriæ nomen fuiſſe, quæ prærogatiua fuerit centuriatorum comitiorum; & lib. XXVI. *Veturiā iuniorum*, quæ habuerit alios ſeniores, cum quibus conſuluerit, hoc eſt, centuriam eiuſdem tribus, & claſſis *Veturiam ſeniorum* dictam: Sic facilè perſuaſi ſumus, omnes centurias ita appellari. Primæ claſſis *Palatina equitum*, quæ ſi duplex fuit, *Palatina Equitum Seniorum. Palatina Equitū Iuniorum*, item *Peditum Palatina Seniorum, Palatina Iuniorum.* Sic *Suburana Equitum*, &c. Sic cæteræ ex tribuū nominibus. Secundæ autem claſſis item peditū *Palatina Seniorū, Palatina Iuniorum, Suburana Seniorum, Suburana Iuniorū* &c. Sic tertiæ, quartæ, quintæ claſſis. Vides hac ratione trib. ad comitia centuriata poſterioris temporis pertinuiſſe, ad prioris non pertinuiſſe, vt Liuius ait. Hac etiam de cauſſa ſæpe centuriæ tribus appellantur, vtpote tribus, vt diximus, partes. Cicero in ſecunda agraria: *Itaque me non extrema trib. ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus; neq; ſingula voces præconum, ſed vna voce vniuerſus populus R. conſulem declarauit.* Sic & prærogatiua centuria, & cæteræ iure vocatę *trib.* ſæpe appellantur. Nā Ciceronē non tributis comitiis Cōſulem, ſed centuriatis factum eſſe apparet ex illis verbis orationis poſt reditum in Senatu: *Vt eadem centuriæ, quæ me Conſulem fecerant, conſulatum meum cōprobarent.* De prærogatiuis Aſconius videndus li. II. in Verrem. In Liuio tempus mutationis comitiorum requirimus, & quia decem libri deſiderantur, in quib. hæc fortaſſe dilucidè fuerunt explicata, excuſationem accipimus: præſertim cum credamus illis temporib. expletas fuiſſe quinq; & triginta tribus. nam duas ex Floro didicimus adiectas eo tēpore eſſe. neque quod alio loco dicitur, expletas eſſe XXXV. ſed XXV. putamus, vt Sigonius rectè putat. Cur autem dicemus, & prærogatiuæ, & tribuum feciſſe mētionem in his eiſdem decem libris, qui extant? memoriæne peccatū, an librariorū erratum eſſe? Verba Liuij ſunt lib. V. anno V. C. CCCLVI. ſi faſtos Capitolinos ſequimur: *Haud inuitis patrib. P. Licinium Caluum prærogatiua Tribunum militum non petentē creat.* & mox: *Qui prius, quàm renunciarentur, iure vocatis tribubus, permiſſa Interregis, P. Licinius Caluus ita verba fecit.* Sigonius, *prærogatiua*, ego *prærogatiuā* ſcribo, ſed *creat*, non, *creant*. Idē lib. X. *Nemini dubium erat, quia Q. Fabius omnium conſenſu deſtinaretur: eumque & prærogatiuæ, et primo vocatæ omnes cēturiæ Conſulem cum L. Volūnio dicebant.* Hæc anno DLVII. prærogatiuæ ius obtinuiſſe primam claſſem exiſtimo pro veteri iure; quo ſi variatū non eſſet ab equitibus, & primę claſſis centuriis, id fiebat, quod illi ſtatuiſſent, cùm conſtarent ex plurib. centuriis, Dionyſio teſte. At immutato numero centuriarū, ne prima quidem, & ſecunda claſſis id obtinerent. Quamobrem in comitiis conſulatibus de Dolabella hæc verba Ciceronis ſunt in nobiliſſima oratione Antoniana ſecunda: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies. ſortitio prærogatiuæ, quieſcit: renunciatur, tacet. Prima claſſis vocatur: renunciatur: deinde vt aſſolet, ſuffragatam ſecunda claſſis vocatur. quæ omnia citius ſunt facta, quam dixi confecto negotio bonus Augur, Lælium diceres, alio die, inquit.* Ad ſecundam claſſem venire neceſſe non fuerat, ſi nulla varietas erat in ſuffragiis, vt Liuius diſertè ſcripſerat. Verbum *ſuffragatum* nos primi ſcribendum eſſe, Paulo Manutio noſtro conſulenti reſpondimus. prius enim obſcenè, atque adeo turpiter ſcriptū fuerat, *deinde vt aſſolet. ſuffragia. Tum ſecūda claſſis vocatur.* in quo, iure ſe Grucchius to. ſit. neq; enim

poterat excogitare apta ſuffragia poſt renũciationem ſuffragiorum primæ claſſis, ante vocationem ſecundæ. Fuiſſe autem claſſes quinq; eodem tempore, conſtat ex fragmentis hiſtoriarum. C. Saluſtij Criſpi. ſic enim ad C. Cæſarem amicus dixiſſe fingitur: *Sed de magiſtratib. creandis haud mihi quidem abſurdè placet lex, quam C. Gracchus in Tribunatu promulgauerat, vt ex confuſis quinque claſſib. ſorte centuriæ vocarentur*. Tollebat Gracchus prærogatiuam primæ claſſi, & claſſium ordinem, ne in optimatum poteſtate centuriata comitia eſſent. Semper enim iure vocatæ cẽturię ſequebantur prærogatiuæ ſuffragium, vt Cicero refert. Quod ſi prærogatiua non erat primæ claſſis, non cõſuleret hac lege C. Gracchus plebi, cùm ex ſorte prærogatiuæ penderent tota comitia, ſi tolleret prærogatiuam aliis claſſibus. In prima vero claſſe tum equites erant, tum patricij, & Senatores ditiſſimi quinque, is enim erat maximus cenſus. Plebeij paucis exceptis in aliis claſſib. cenſebantur. Maximum argumentum ex nomine centuriarũ à Liuio relatarum ſummo; vt credam id primæ claſſi conceſſum, vt ex eius tantum centuriis ſortitio prærogatiuæ fieret. non enim Liuius adiecit, cuius claſſis eſſet Galeria Iuniorum, aut Veturia Iuniorum; propterea quod certum erat eſſe primæ claſſis, quæ prima vocabatur. Hoc igitur exiſtimo datum primæ claſſi, pro veteri iure, quo vis omnis ſuffragiorum in centuriis equitum, & peditum primæ claſſis, ſi non variaret, conſiſteret. Similis locus ſuperioribus, in quibus Liuius non videtur temporis habere rationem, eſt lib. vi. *Tum vt bellum iuberent, latum ad populum eſt, et nequiquam diſſuadentib. Tribunis plebis, omnes tribus bellum iuſſerunt*. Dicendum erat, *omnes centuriæ*: aut omiſſo verbo *tribus*, *omnes iuſſerunt*. Cupio etiam li. xxiv. mutare Liuij verba, vt addatur tertium nomen centuriæ cuiuſdã prærogatiuæ, ſic enim ſcriptum eſt: *Eo die cum ſors prærogatiuæ ante iuniorum exiſſet; eaque T. Otacilium, & M. Æmilium Regillum Coſ. diceret*. pro, *ante*, ſcribo, *Anien* hoc eſt, *Anienſis*. Item proxima pagina: *Iterum prærogatiua ſuffragium init*. non, *Interim*. Quod vero libro xxvi. de *Veturia Iuniorum*, & *Veturia Seniorum* dicitur, mutatum vidimus in quibuſdam libris in *centuriam Juniorum*, & *Seniorum*, non rectè. Sic etiam Grucchius in mendoſum librum incidiſſe viſus eſt, cùm multa præclarè de comitiis abſoluiſſet. Addo titulum ſtatuæ Veſpaſiani temporib. ſtatutæ à tribulibus Suburanæ Iuniorum, cuius verba ſunt hæc:

PACI. ÆTERNÆ
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS AVG.
LIBERORVM. Q. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR
DEDIC. XV. K. DEC.
L. ANNIO BASSO
C. CÆCINA, PÆTO COS.

In hac baſi ſcripta ſunt nomina multorum ciuium Romanorum per centurias quaſdam diuiſa. nomina centuriarum hæc ſunt:

TI. CLAVDI. NICIÆ
D. ROETI. SECVNDI.
CN. POMPEI. PELATIS
C. CORNELII. SVCCESSI
L. RVBRI. SECVNDI
TI. IVLI. PRIMIGENI
M. CAELI. LESBI
SEX. IVVENIS.

Idem Liuius li. xliii. ita ſcribit: *Prior Claudius cauſam dixit: et cùm ex xii. centuriis equitum viii. Cenſorem condemnaſſent, multaque alia primæ claſſis. extemplo principes ciuitatis in conſpectu populi, annulis aureis poſitis, veſtem mutarunt*. Locus eſt valde mendoſus, neq; enim tanta vmquam penuria equitũ fuit. Scribo igitur ſic: *et cùm* xiix. *centuria equitum Cenſorem condemnaſſent*. De illis Liuij verbis conſiderandum eſt, quid ſit, quod ita ſcripſerit lib. xl. in cenſura M. Æmilij Lepidi, & M. Fuluij Nobilioris an, verbis dlxxiv. *Mutarunt ſuffragia, regionatimque generibus hominum, cauſiſque & quæſtibus tribus deſcripſerunt*. Nam Cicero in centuriatis comitiis non ita multa deſcripta eſſe ſignificat. Eius verba ſunt lib. iii. de legibus: *Ferri de ſingulis niſi centuriatis comitiis noluerunt*. deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium auſilij, quam fuſe in tribus conuocatus. Hoc etiam Cenſoribus dat in efficta lege. *Populique partes in tribus deſcribunto: exin pecunias, æuitates, ordines partiunto*. Cenſu enim, ſiue pecunia diſtinguntur claſſes, item Senatorum, equitum, & peditum cenſus, vt etiam ordinibus, quamuis in centuriatis comitiis non legi Senatores ab aliis diſtinctos, equites à peditibus diſtingui certum eſt. *ætatibus Seniores*: hoc eſt, maiores xlv. annis à iunioribus, hoc eſt, minoribus, item puberes ab impuberibus. Regiones fuerunt aut vrbanæ, de quibus P. Victor, & Sex. Rufus ſcripſerunt, aut extra vrbem intra Italiam; de quibus Plinius ſcribit. Sed & tribuum diuiſio eſt etiam regionũ diuiſio, tam intra vrbem, quàm extra. quod & apud Gellium affirmat Lælius Felix: *Cum ex generibus omnium ſuffragium feratur, curiata comitia eſſe. Cùm ex cenſu, et ætate, centuriata. Cum ex regionibus, & locis, tributa. hominum* autem ſcribo, vt apud Liuium, pro *omnium*, genera hominum non diſtincta locis, ſunt curiales curiis triginta diſtincti, quæ diſtinctio perſonarum eſt, non ex loco, in quo ipſi vel maiores habitarunt, quamuis haberent loca, in quibus curiæ ſacra fierent, vt etiam familiæ habebant ſacra quædam gentilicia, certis in delubris, vel tẽplis: non tamen loco ſacrorum diſtinguebantur, ſed perſonarum qualitate. genera etiam diſtingui putemus apud Liuiũ, ſi libertinos ab ingenuis ſeparemus. nam libertini olim in patronorum tribu, mox in vrbanis tantùm tandem in vna tribu Eſquilina ſuffragium tulerunt, vt idem ait li. xlv. *cauſas et quæſtus*, quid appellet Liuius, non facilè dixerim: niſi quia præcones, fabros, tubicines, ſcribas, accenſos, putat in ſuffragiis ferendis diſtinctos, vt aliquot ex his in Seruiano cenſu diſtinguebantur. Hactenus Ant. Auguſtinus.

Cap. xlvii. *Aruns Tarquinius, et Tullia minor, &c.*] Ex Dionyſio, & aliis. videtur legendum *Lucius*, non, *Aruns*, & ex iis etiam, quæ apud Liuium ſequuntur.

Cap. li. Enimuero manifeſta res viſa.] Placeret magis *Tum verò manifeſta res viſa*.

AD LIB. II.

Cap. ix. *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat in publicum, omni ſumptu ademptum priuatis, &c.*] locũ ſine dubio mendoſum, docti viri reſtituere conati, magis, vt videtur corruperunt. Nam illud *conceſſum*, quod eſt ab ipſis ſubſtitutum, non reperitur in vv. cc. in quibus item conſtanter non legitur vox, *priuatis*, &, *ademptum*, habetur, non, *adempto*, vt ipſi repoſuerunt. Vt fortaſſe huius loci ſententia ſit, iniquum videri, pretio ſalem diuendi, quod nulla impenſa in publicum veniret. id enim valet, impenſo pretio, hoc eſt, nullo ſoluto pretio, vt Cicero etiã vſurpauit libro xiiii. epiſtola xii. ad Atticum, in qua ſic eſt: *Scribis enim eſſe rumorem, me, ad lacum quod habeo, venditurum, minuſculam verò villam vtique Quinto traditurum, vel impẽſo pretio, &c.* Sic vt locus ſuæ integritati penitus reſtituatur, videtur neceſſario repetenda extrema ſyllaba verbi *publicum*, vt ita totus locus legatur: *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenſo pretio veniebat in publicum, cum omni ſumptu ademptum, etc.* omiſſa voce *priuatis*, quam diximus non extare in manuſcripto codice, qui eſt apud me.

Cap. xxi. *Romæ tribus vna ex xxx. factæ.*] Videtur neceſſario ſcribendum, *vna et* xx. nam li. vi. Liuius ſcribit *tribus additas fuiſſe quattuor*. lib. vii. *duas*. lib. viii. *duas*. lib. ix. *duas*. li. x. *duas*. lib. xix. *item duas*. quæ numerum efficiunt Tribuum xxxv. alioqui Liuius parum verus, & ſibi parum conſtans videretur. Numerus tribuum habetur in veteri inſcriptione, cuius exemplum ſubieci:

IMP. CAESARI
DIVI NERVÆ. F.
NERVÆ. TRAIANO. AVG.
GERMANICO. DACICO
PONTIFICI MAXIMO
TRIBVNIC. POT. VIII.
IMP. IIII. COS. V. PP.

TRIBVS XXXV
QVOO. LIBERALITATE
OPTIMI. PRINCIPIS
COMMODA. EARVM. ETIAM
LOCORVM. ADIECTIONE
AMPLIATA. SINT

Extat etiam apud me fragmentum tabulæ marmoreæ, in qua habebantur nomina tribuum, & numerus earum, & quibus locis, &c. cuius fragmenti exemplum eſt hoc:

NVMERVS. TR....
QVIBVS. LOCIS.....
PAL. H. IIII. CLXXXII....
SVC. H. IIII. LXVIII. IN..
ESQ. H. ∞ ƆLXXVII. A...
COL. H. CCCCLVII. S...
ROM. H. LXVIII.
VOL. H. LXXXI.

AD LIB. III.

Cap. XVII. *Tantum hoſtium non ſolùm intra muros eſt, ſed in arce ſupra Forum, curiamq;: comitia interim in Foro ſunt: Senatus in curia eſt: velut cùm otium ſuperat, Senator ſententiam dicit, alij Quirites ſuffragium ineunt, etc.*] Ex hoc loco ſatis apparet, *Forum Romanum* ibi olim fuiſſe, vbi nunc eſt Noſocomiũ Beatæ Mariæ Conſolationis, ad radiceſ ſcilicet arcis Tarpeiæ: *Comitium* autem paullo ſupra Curiam, qua parte Forum Romanum viæ ſacræ iungebatur, vbi Cloacinæ Veneris ſignum colebatur, de qua paullo poſt ait Liuius, *prope Cloacina ad Tabernas, quib. nũc Nouis eſt nomen.* Nam de Tabernis Varro, *ſub Nouis*, inquit, *dicta pars in foro ædificiorum, etc.* Cõfirmat hunc locum de Foro, Comitio, & Curia, Cicero pro P. Seſtio: cum ait: *Cùm Forum, Comitium, Curiamque multa de nocte armatis hominib. occupauiſſent, &c.* Quod autem in Foro prope Comitium, & Curiam fuerint Roſtra, præter Roſtra ipſa marmorea, eo in loco reperta, vbi olim Deæ Rumiæ Sacellum, nunc eſt Diui Theodori; vel hęc ex eadem oratione Ciceronis verba indicant ſatis apertè, quæ ſunt de Q. Fratre ſcripta; *Pulſus*, inquit, *è Roſtris in comitio iacuit.*

Cap. LI. *Non minore motu animorum cædis memoria renouata, quàm quem noua fama de Virginia adeo fœde ad libidinem petita accenderat.*] Videtur illud, *quem*, mutandum eſſe, in, *quidem*, vel omnino delendum. *Numitorius* vero, quem ſupra Liuius nominat, non is eſt, qui argenteis, & æreis numiſmatibus I. NVMITORIVS dicitur, ſed ex ea, vt videtur, familia.

Cap. LII. *Ne nunc dulcedine ſemel capti ferant deſideriũ.*] Illud, *ne*, non videtur ſatis vſitata forma prolatum. Itaq; Octauius Pantaghatus pro ea particula, legebat, *En nunc*, vel, *an nunc*, vel potius, *Nunc dulcedine ſemel capti ferant deſiderium?*

Cap. LV. *Et ab iis qui creati eſſent, cooptari collegas iuberet.*] Videtur legendum: *Vt ab iis, qui creati eſſent, etc.*

AD LIB. IV.

Cap. XXXIII. *Euectus effrene equo.*] Plinius li. de viris illuſtribus ſcribit, *frena apud Romanos equitibus detrahi ſolita, ne qua ſpes reuocandorum equorum periculi vitandi cauſa relinqueretur.*

Cap. LIX. *Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ ſunt.*] v. c. habet, *Terracinæ*, vt in antiqua etiam inſcriptione habetur, quæ ibi reperta eſt. & ita habet Porphyrionis liber, qui eſt apud me vetuſtiſſimus, in quo ita ſcriptum eſt: *Olim Anxur dicebatur, vbi Iouem Anxurum colebant, cuius et Virgilius meminit, cum ait: Iuppiter Anxuras arui præſidet, & c. meritò autem repimus, inquit Horatius, et impoſitum ſaxis; quoniam illis temporib. Terracenenſis vrbs in altiſſimo monte erat, inde poſtea in æquorem locum depoſita eſt, vt non ſolùm ſint adhuc veſtigia ædificiorum in monte, ſed & murorum, &c.* IOVIS autem antiquè, pro IVPPITER, & AXVR, non Anxurus in argenteis denariis Vibiæ Familię ſignatum eſt.

AD LIB. V.

Cap. XLIX. Sed diique & homines prohibuere redemptos viuere Romanos.] v. c. habet: Sed dij quoque & homines, &c. vt legi poſſit: Sed dij quique & homines. Paulo poſt.

Cap. L. in eodem v. c. pro eo, quod in vulgatis editionibus habetur, *quòd cùm in publico deeſſet aurum, &c.* ſcriptum eſt, *quod cùm inde publico, &c.* vt videatur fortaſſe legẽdum: *quòd cùm de publico, &c.*

AD LIB. VI.

Cap. I. *Clariora deinceps certioraque ab ſecunda origine, etc.*] v. c. habet. *clariora deinde certioraque ob ſecundam originem, etc.* Sed illud, *ob*, ex litura apparet fuiſſe, *ad*.

Cap. V. Eæque XXXV. tribuum numerum expleuere.] Videntur hæc verba adiecta eſſe ab aliquo, qui non animaduertit infra libro VII. à Liuio ſcribi, duas adiectas eſſe tribus, item totidem lib. VIII. item duas lib. IX. & duas præterea alias lib. X. quæ hac ratione numerum efficerent tribuum, non XXXV. ſed XLI. Vide quæ notauimus ad lib. I.

Cap. XI. Et non contentus agrariis legibus, quæ materia ſemper Tribunis Plebis ſeditiorum fuiſſet, idem moliri cœpit.] Faernus poſtrema verba ex v. c. ſic emendabat: *fidem demoliri cœpit. acriores quippe, etc.* nam primam litteram verbi, fidem, cum librarius putaſſet digamma eſſe Æolicum, omiſit, vt videtur, & fecit *idem*, & pro, *demoliri*, ſcripſit *moliri*, omiſſa prima verbi ſyllaba, ob ſimilem præcedentem vocis *fidem*.

Cap. XX. *Sunt qui Duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores ſint. Damnatum Tribuni, etc.* Faernus ita totũ hunc locum legebat. interpungebatque: *Sunt qui per Duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores ſint, damnatum Tribuni, &c.*

Cap. XXXVI. *An placeret fœnore circumuentam plebem ni potius quam ſortem creditam ſoluat, &c.*] Faernus legebat, *ni plus, quam ſortem creditam ſoluat, &c.*

AD LIB. VIII.

Cap. XXII. *Palæpolis fuit haud procul inde, vbi nunc Neapolis ſita eſt. duab. vrbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriũdi, Cumani Chalcide Euboica originẽ trahunt. Claſſe qua aduecti ab domo fuerant, multum in ora maritima eius, quod accolunt, potuere. Primùm in inſulas AEnariam, et Pithecuſas egreſſi, &c.*] Locus hic Liuij mirificè illuſtratur verbis Strabonis, quæ habentur lib. V. Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων. ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσσαίων τινὲς, καὶ Αἰναρίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. Cum autem in vulgatis Strabonis codicibus, Ἀθηναίων mendoſe legeretur, nos ex hoc Liuij loco, Αἰναρίων, iampridem emendauimus. quam emendationem veram eſſe exiſtimamus.

AD LIB. X.

Cap. III. *Etruriam rebellari ab Arretinorum ſeditionib. motu orto nunciabatur: vbi Liciniũ genus prapotens diuitiarum inuidia, pelli cœptum.*] v. c. qui eſt apud me ſcriptus manu doctiſſimi viri, Poggij Florentini, habet, *Cilnium genus*, non, *Licinium*. Vnde videtur, tum hic, *Cilnium genus*, ſcribendum eſſe, tum paulo poſt, *Cilnio genere*, non, *Licinio*, vt vulgo habetur, his plane verbis. *Pacatam*, inquit, *ab Dictatore Etruriam eſſe, ſeditionib. tantùm Arretinorum cõpoſitis, & Licinio genere cum plebe in gratiã reducto, etc.* Huius autem loci emendatio, ne quem ſua laude fraudemus, debetur Octauio Pantagatho, qui primus animaduertit, tum apud Liuium, qui fortaſſe Mæcenati hoc loco gratificari voluit, tum apud alios ſcriptores in nullo magis nomine librariorum vitio erratum eſſe, quam in eo, quo C. Cilnius Mæcenas affectus fuit. Quem tamen Arretinum, ſplendido genere, &, vt ait Horatius *atauiſq; Regib. ortum*, Auguſti maximè familiarem ſcimus fuiſſe. Equitẽ item Romanum, nullo alio functum magiſtratu, vt T. Pomponius Atticus, dimidium animæ Ciceronis Is verſus aliquot ſcripſit, in quos inuehitur Seneca, licet aliquos etiam laudet. Et in eum rurſus luſit Auguſtus in epiſtola, cuius aliquot verba refert Macrobius, ſed mendoſiſſima. Sunt autem hæc: *Vale mel gentium, metuelle,* * *ebur ex Etruria, laſer Arretinum, adamas ſupernas, Tiberinum margaritũ, Cilniorũ* (ſic enim le-

Digitized by Google

gendum *pro Cilnevrum*) *Smaragde, Iaſpis figulorum, berylle Porſenae, carbunculũ habeas.* ἵνα συντέμω πάντα μαλάγματα *mœcharum* Tacitus certè ſolus lib. v. pænè incorruptum hoc nomen edit, cùm ait: *Cæterùm Auguſtus bellis ciuilibus Cilinium Mæcenatem equeſtris ordinis cunctis apud Romam, & Italiam præpoſuit.* Pantagathus autem emendationem ſuam, Silianis maximè verſibus tuebatur ex lib. VII. belli Punici.

Cilinus Arreti Tyrrhenis ortus ab oris.
Clarus nomen erat, &c.

Nam à *Cilino* Cilnius eſt, vt à Licino Licinius, ab Æmilo Æmilius, à Tullo Tullius, à Rutilo Rutilius, à Plauto Plautius, à Planco Plancius, atque alia id genus. Nec poteſt Silianum carmen in Licinum mutari, nam prima ſyllaba corripitur, vt in hoc veteri carmine:

Marmoreo in tumulo Licinus iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo, credimus eſſe deos?

Mæcenatis autem cognomen reperitur in veteribus monumẽtis per Æ, vt etiam in vetuſtiſſimis libris, non per OE ſcriptum, vt Mætia tribus, Mæcianus, & Mæcilius item in numiſmatibus antiquis.

Cap. XIX. *Bellona, ſi hodie nobis victoriam duis: aſt ego templum tibi voueo.*] Pro, *aſt*, legẽdum, *aſti*, vt eſt in v.c. Quod videtur poſitum pro eo, quod in inſcriptione veteri Fratrum Arualiũ eſt TVNC, vt in notis ad eam inſcriptionem plenius ſcripſimus, prolato etiam Tertulliani loco ſimili. Reperitur autem *aſti*, apud alios etiam veteres ſcriptores, eodem, qui hic apud Liuium ſignificatu, vſurpatum.

AD LIB. XXI.

Cap. II. *Et ſi diutius vixiſſet Almicaro duce Pœnos arma Italiæ illaturos fuiſſe.*] Placeret, *Et ſi diutius vixiſſet Amilcar, eo duce, Pœnos arma Italiæ illaturos fuiſſe, &c.* Confirmatur hæc lectio loco etiam Polybij, cuius Græca verba, quia in promptu ſunt, recitare ſuperſedeuimus.

AD LIB. XXII.

Cap. VII. *Præterquam quòd nihil hauſtum ex vano velim.*] Videtur legendum, *ex vario*, &c. Parua mutatione; vt ad ſcriptorum varietatem, quam ſubobſcure Liuius innuit, referatur. Paulo poſt.

Cap. X. Tota illa de vere ſacro rogatio ita videtur deſcribenda: *Velitis, iubeatiſne; ſi res Populi Romani Quiritiũ ad quinquennium proximũ, ſicut velim eam, ſalua ſeruata erit hiſce duellis, quæ duella cum Gallis ſunt, qui cis Alpes ſunt, quod ver attulerit ex ſuillo, ouillo, caprino genere, quæque profana erunt, Ioui fieri, ex quo die Senatus Populuſque Rom. iuſſerit, donum datũ duit populus Rom. Quiritium. Qui faciet, quando volet, &c.* & in extrema rogatione legendũ eſt: *Si antidea Senatus, Populuſque iuſſerit, &c.* vnica dictione, pro eo, quod eſt in vulgatis, *ante, idea, &c.* Illud autem, *Probè factum eſto*, additum eſt ex veteri formula, quæ frequens eſt in antiquis legum tabulis.

Cap. XIV. *Claſſem grauem commeatibus, impeditam ſuo ipſam inſtrumento.*] Cùm in v.c. ſit, *ſuo & ipſam inſtrumento*, fortaſſe legi poterit, *ſuomet ipſam inſtrumento.*

Cap. XLVI. *Sol ſeu de induſtria ita locatis, ſeu fortaſſe ita ſtãdo.*] v.c. habet, *ita ſtare*, vt legi poſſit, *ita ſtarent.*

Cap. LVI. *Vt ſacrum anniuerſarium Cereris intermiſſum ſit.*] Videndus Feſtus. *Minuitur*, inquit, *populo luctus, &c. cùm in caſto Cereris eſt, &c.* Item, *Græca*, inquit, *ſacra feſta Cereris ex Græcia tranſlata, quæ ob inuentionem Proſerpinæ matronæ colebãt. Quæ ſpera, dum non eſſent matronæ, quæ facerent, propter cladem Cannenſem, & frequentiam lugentium, inſtitutum eſt, ne amplius centum diebus lugeretur.* De Caſto autem Cereris ita ſcribit Arnobius lib. V. *Quid temperatus faba alimonio panis, cui rei dediſtis nomen Caſtus, nonne illius temporis imitatio eſt, quo ſe numen Cereris à fruge violentia mœroris abſtinuit?*

Cap. *Ne quid ab Romanis noui periculi eſſet.*] In v.c. eſt, *fieret*, pro quo videtur ſcribendum, *foret.*

AD LIB. XXIV.

Cap. VI. *Ac remiſſi ab eo cum Hannibale nobili adoleſcentulo Hippocrates, & Epicydes &c.*] Non eſt mutanda huius loci ſcriptura, vt video feciſſe doctos viros, qui ob hiſtoriæ ignorationẽ, fecerunt: *Ac remiſſi ab eodem Hannibale nobiles adoleſcentuli Hippocrates, &c.* Nam Hãnibalis tertij legati, cuius ignoratio doctos viros perturbauit, ſatis apertè fit mentio à Polybio in primo eius fragmento per nos edito, quod imitatus eſt Liuius hoc loco. Σπουδῇ inquit, μάλα ἐπέμψατο τοὺς πρέσβεις, σὺν δὲ τούτοις Ἀννίβαν τὸν Καρχηδόνιον.

Cap. XXXIV. *In eas tollendas deſuper murum eminentem, &c.*] Faernus ex v.c. in quo eſt *eas tollendo, etc.* elicuit veram lectionem, quæ eſt. *In eas tolleno, &c.* Notum eſt autem quid ſit *Tolenno* ex auctoribus de machinis bellicis, & ipſo Liuio libro XXXVIII.

Cap. XL. *Aut maritimis virib. arceret.*] Sine dubio legẽdum, *maritimis vrbibus arceret*, vt eſt in v.c. & paolo poſt.

Cap. XLI. Legendum item.] *Agmenque Romanũ importunè vexatum ab equitibus hoſtium fuerat, &c.* Alij vero repoſuerũt, *verſatum*, pro eo quo in vulgatis libris eſt, *incurſatum.*

AD LIB. XXV.

Cap. IV. *Hæc cum ab optimo quoque pro atrocitate rei acta eſſent.* Videndum an legi potius debeat *iacta eſſent.*

Cap. *Reſtituit tamen his animos.*] In v.c. additur *qui erant adiecti*, mendoſe ſcilicet, pro, *abiecti*, Sed videtur id additum ab aliquo, qui locum Liuij παραφραστικῶς, illuſtrare voluerit.

AD LIB. XXVI.

Cap. III. *Quid autem, ſolum ſe reſtantem prodeſſe Reipub. potuiſſet niſi ſi mors ſua remedio publicis cladib. futura eſſe, potuiſſet.*] Videtur legendum, *futura eſſet*, vt eſt in v.c. nec aliter ſenſus conſtare poteſt. Verbum autem *reſtantem*, vſurpauit Salluſtius eodem, quo Liuius, ſignificato.

Cap. VI. *Et quà dum pauent Romanis interrupta acies videatur: etiam ſi ſe vtrinque in hoſtem vertat, &c.*] Faernus ita hunc locum reſtituebat: *Et quà, dum paueat Romanus, interrupta acies videatur: eam ſiſe vtrinque in hoſtem vertat, &c.*

Cap. XI. *His motus ad Tutiam fluuium caſtra retulit.* v.c. habet, *Turiam*, non, *Turiam*, quomodo Silius manuſcriptum lib. XIV. hoc verſu:

Caſtra locat, nulla lædens vbi gramina ripa
Tutia deducit tenuem ſine nomine riuum,
Et tacitè Tuſcis inglorius affluit vndis.

Facile autem Librarius labi potuit, vt *Turiam*, quod nomẽ eſt fluuij notioris, pro *Tutiam*, obſcurius nomen, ſcripſerit.

Cap. XIII. *C. Vibius Virius.*] Videtur legendum *Varus*, non, *Virius*, ex antiquo denario Vibiæ familiæ, in quo eſt: C. VIBIVS. VARVS. & infra item.

Cap. XIV. ſcribendum: *Hanc orationem Vari.*

Cap. LI. *Primo die legiones in armis quatuor millium ſpatio decurrerunt.*] Omnino videtur legendum, *decurrerent.* nam ſequitur: *Secundo die arma curare, & tergere ante tentoria iuſſit.*

AD LIB. XXVII.

Cap. V. *Improuiſo in agro Vticenſi excurſionem fecit.*] Cum in v.c. ſit, *ex improuiſo in agrum Vticenſem aſcenſionem fecit, &c.* non eſt dubiũ, quin legi debeat, *exſcenſionem*, quo verbo vſus eſt Liuius hoc ipſo libro, cum inquit: *In Bargyletico ſinu exſcenſionem ad Iaſſum fecerunt.* Verbum etiam *eſcendere* vſurpauit Liuius in huiuſmodi re narrando lib. XXIX. pro, *aſcendere.*

Cap. XXXVI. *Si innoxium comperiſſent.*] Videtur neceſſario legendum ob ea, quæ ſequuntur: *Sin noxium comperiſſent, etc.* Aliter ſi legatur, ſententia non conſtabit.

AD LIB. XXVIII.

Cap. XIII. *Præmiſſo Silano ad Coleam.*] Legendum ex fragmento Polybij, quod à nobis editum eſt, *Coliebanta.* Græcè enim Polybius habet, κολιχάντα.

Cap. XIV. *Sed vbi iam haud plus quingentos paſſus acies inter ſe aberant.*] Ex fragmento item Polybij, in quo eſt. περὶ στάδιον, videtur apud Liuium legendum, *centum quinquaginta paſſus*, &c. tot enim paſſibus ſtadium apud Græcos conſtabat.

Cap.

Cap....*Seruorum delectu, ac libertorum.*] Videndum an legi debeat,*ſeruorum de cataſta,aut liberorum,etc.Seruus de cataſta*.qui dicatur,notum eſt.

Cap.XLI.*Periculis tandem quantum adeatur,quem fallit.*] v.c. haber; *quid periculi tandem,quantumne adeatur,&c.*vt fortaſſe legendum ſit,*quantumne adeatur.*

AD LIB. XXX.

Cap.XXIX.*Tamen ſi integer, quam ſi victus peteret pacem , æquiorem impetrari poſſe ratus.*] Placeret magis, *æquiora impetrari,&c.*

AD LIB. XXXI.

Cap.XV.*Rhodij Ceam ab Ægina,inde per inſulas Rhodum nauigarunt.*]Scribendum Ciam,non,Ceam,ex Polybij fragmẽto v.in quo eſt: Ἀνήχθησαν εἰς τὴν Κίον ἐπὶ τὰς νήσους μετὰ τοῦ στόλου. Eſt enim Cia,vt Ptolemæus docet, inſula Eubœæ oppoſita.

AD LIB. XXXIII.

Cap.XIII. *Nam & ad Philippum gratias agentes pro redditis hominibus,perinde atque id ipſi à Quinctio & Romanis datũ eſſet, &c.*] Locus eſt mendoſus,quem docti viri emendare conati nimis longe à vera lectione diſceſſerunt,quæ tamen ex Polybij fragmento VIII.elici poteſt.ſi ita legatur: *Perinde atque id ipſi,non à Quintio & Romanis datum eſſet, etc.* Polybij verba, quæ Liuius imitatus eſt,ſunt hæc : ἔπεμψαν δὲ καὶ πρεσβείαν πρὸς τὸν Φίλιππον, τὴν εὐχαριστήσουσαν, ἐπὶ τῷ τὸν παῖδα αὐτοῖς ἀποδοῦναι, μὴ τὴν τοῦ Τίτου χάριν. Id enim eſt: *Non à Quinctio datum eſſet*, *Barcilla* nomen apud Liuium,ex eodem Polybio , mutandum eſt,in *Brachyllam*.vt in manuſcriptis etiam Liuij codicibus legitur.

Cap.XVI.*Decianorum libertate Quinctius Pruſiæ ac Bythiniorum regi ſcriberet.*] Locus corruptiſſimus ex Polybij fragmẽto IX. ita poteſt emendari: *De Cianorum libertate Quinctius Pruſia Bythiniorum Regi ſcriberet.* Polybius ſic habet: περὶ τῆς Κιανῶν ἐλευθερώσεως Τίτον γράψαι πρὸς Προυσίαν,&c.

Eod.*Et naues omnes tectas tradere: præter lembos: quin & regiam vnam inhabilis prope magnitudinis, quam ſexdecim verſus remorum agebant,&c.*] Videtur ex Polybio legendum ita:*præter lembos quinque et regiam vnam,etc.* Polybij verba ex fragmento IX.ſunt hæc:Ὁμοίως δὲ καὶ τὰς καταφράκτους ναῦς, πλὴν πέντε σκαφῶν, καὶ τῆς ἑκκαιδεκήρους, &c. Id enim eſt, *Quam ſexdecim verſus remorum agebant*.Confirmat hanc lectionem locus Appiani ex Macedonico,in quo eſt: Ναῦς τε ὅσας ἔχει χωρὶς ὀκτὼ μιᾶς, καὶ σκαφῶν πέντε καταφράκτων,&c. Videtur tamen Appianus in mendoſus,quod regiam nauem ἑξήρη, non vt Polybius, & Liuius ἑκκαιδεκήρη dixit.

Cap.XVIII.*Phocenſes, Locrenſeſque ſicut ante fuerant,adiecta decreti auctoritate,his contribuerunt.*] Ita legendus hic locus ex Polybio,cum in vulgatis editionibus mendoſiſſime legatur, *Locrenſes,& quæ ſicut ante fuerant,&c.*Verba Polybij,quę Liuius imitatus eſt,ſunt hæc ex fragmento IX. Τοὺς τε Φωκέας, καὶ τοὺς Λοκρούς, συνεχώρησαν αὐτοῖς ἔχειν, καθάπερ εἶχον καὶ πρότερον ἐν τῇ συμπολιτείᾳ. Ex eodem fragmento legendum paulo ſupra apud Liuium, Perthæbos,non,Perrhæbios, Græce enim eſt Περραιβούς.

Cap.XX.*Pleurato Lingus & Parthení dati.*] Videtur legẽdum *Lychnidus*, ex Polybio, & Strabone,non *Lingus* . Polybius enim ſic habet in fragmento IX. Ἔδωκαν δὲ καὶ Πλευράτῳ Λυχνίδα, καὶ Πάρθον, οὔσας μὲν Ἰλλυρίδας, ὑπὸ Φίλιππον δὲ ταττομένας , &c. & Strabo lib.VII. Ἐξ Ἐπιδάμνου , inquit, καὶ Ἀπολλωνίας περὶ τὴν ἐπὶ Κανδαουΐας ὁδόν, αὗται λίμναι εἰσὶν αἱ περὶ Λυχνιδόν, &c.

Cap.XXI.*L.Sertinius Hophæſtiam, et Thaſum.*] Male ex Plutarcho docti viri emendarunt *L. Titilius*,pro, *L. Stertinius*, Nam Polybius habet, Στερτίνιος , propiore ad *Stertinium* ſcriptura,& familia *Stertinia* notiſſima eſt , cum *Titiliam* nemo nominet ſcriptorum,quos legerim. Paulo poſt apud Liuium ex eodem Polybio videtur legendum,*Bargylias*, licet Polybius neutro genere edat,Βαργύλια.

AD LIB. XXXVI.

Cap.XXVIII.*Poſtulo vt Dicæarchum ciuem veſtrum ſine mora dedatis,& Meneſtam Epirotam,&c.*] *Meneſtam*,habet v.c. Polybios in fragmento XIII.*Meneſtratum*,corrupte.Ἀπαιτοῦμεν, inquit, ἐκδοῦναι Δικαίαρχον, καὶ Μενέστρατον τὸν Ἠπειρώτην , &c. cum in fragmento XXVIII. habeat, Μενέσταν.

AD LIB. XXXVII.

Cap.IV.*Ludis Apollinaribus, ad quintum Idus Quintiles,etc.*] Scribendum:*Ludis Apollinaribus.a.d.II.Idus Quintiles,etc.*& ita ſupra corrigendum,vbi III.ſcriptum eſt,pro , II. nam in antiqoo Kalendario eſt, PRID. ID. quod veteres ponebant pro.*ante diem ſecundum.*

Cap.XX.*Diaphane omnibus hic copiis præpoſito.*] v.c . habet Diophane,& ita Polybius in fragmento XX. in quo eſt: ὧν ἡγεῖτο Διοφάνης ὁ Μεγαλοπολίτης.

Cap.LIV.*Non quæ in ſolo modo antiquo ſunt Græca magis vrbes ſunt.*] Sententia poſtulare videtur,vt legamus.*Non quæ in ſolo modo Attico ſunt,etc.* Et paulo poſt Cap.LVII.vbi de M.Acilio legitur:*In hunc maxime,quod multa congiaria habuerat,etc.* videtur ſcribendum,*exhibuerat*,non *habuerat*.

AD LIB. XXXVIII.

Cap.IX.*Adduci eos à Tyrrhæo iuſſit.*] Malè à doctis viris, *à Purrhæo* hic repoſitum eſt , cum legendum ſit à *Thyreo*, ſiue *Thureo*:Polybius in fragmento XXVIII.habet: Ἔγραψε τοῖς Θυρεῦσιν ἀνακομίζειν ἄνδρας εἰς αὐτόν , &c. Sic enim ibi emendauimus,cum male, Φυρεῦσιν legeretur Stephanus, ἐστὶ δέ,inquit,καὶ Ἀκαρνανίας, πόλις διὰ τοῦ. i. τὸ ἐθνικόν, Θυρεῖον. Ἀνδρωτίων δὲ Θυρεῖον φησί. In nummis argenteis Acarnanum eſt ΘΥΡΡΕΙΩΝ. Ex quibus locis apparet, ſupra legendum eſſe, *aduerſus Thureum quod vocant*,&c.& item lib.XLIII.vt ibi notauimus.

Cap.XV.*Poſtero die ad Cobulatum amnem progreſſi.*] Cum apud Polybium In fragmento XXXI.ſit:Ἧκεν Γνάιος ἐπὶ τὸν Κολοβατὸν προσαγορευόμενον ποταμόν,&c.videndum an apud Liuium,in eo nomine, litterarum tranſpoſitio facta ſit, & *Colobatum* ſit ſcribendom.

Eod.*Termeſſenſes eo tempore Iſionda arcem vrbe capta, oppugnabant.*] Duo menda in hæc Liuij verba irrepſerunt;vnum, quia *Thermenſes*,in, *Thermeſſenſes* mutatum eſt,cum antiqua ænea tabula edat *Thermenſes*,& v.c.minus corrupte *Telmenſes*, vt etiam Polybianum fragmentum Τελμισσεῖς ſed male pro Τερμησσεῖς.Græci enim nummi habent, ΤΕΡΜΗϹϹΕΩΝ. Alterum,qoia *Yſinda*, ex auctoritate Stephani Byzantij , non *Iſionda*,ſcribendum fuit,licet in Polybij fragmento XXXI.ſit: Ἦλθον πρὸς αὐτὸν πρέσβεις ἐκ τῆς Ἰσινδέων, παρακαλοῦντες βοηθεῖν, &c. Quę ſcriptura , quia conſtanter apud Polybium altero etiam loco reperitur, poterit retineri apud Liuium quuque. Nam quod docti viri repoſuerunt, *Hyrienſium*,id prorſus ineptum eſt.

Cap XXXIV. *Atque ita XVII. quibus vincula per tumultum iniecta erant,interfecti ſunt. XLIII. poſtero die comprehenſi, ii quibus Prætor vim arcuerat.*] Conuenit numerus interfectorum cum iis, quæ ſcribit Polybius , cuius in hac re narranda Liuius ſecutus eſt auctoritatem: Χρόνῳ δέ, inquit Polybius de Philopœmene apud Plutarchum, ἐγκαλοῦντί τι τοῖς Λακεδαιμονίοις γενομένῳ ὁ Φιλοποίμην, τοὺς μὲν φυγάδας κατήγαγεν εἰς τὴν πόλιν, ἐγδοήκοντα δὲ Σπαρτιάτας ἀπέκτεινεν, ὡς Πολύβιος φησί.

Cap XXXVIII.*Neue plures,quam decem naues actuarias,nulla quarum pluſquam XXX. remis agatur,habeto: neue moneret ex belli cauſa,quod ipſe illaturus ſit.*] Videtur poſtremum membrum Liuianum non cõuenire cum Polybij verbis,quæ voloit Liuius imitari hoc loco . Sunt aotem hæc ex fragmento XXXI.Καὶ μηκέτι ἐχέτωσαν δέκα καταφράκτων, μηδὲ τριακοντήρη ἐχέτω ἐλαυνόμενον, μηδ᾽ αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ ἂν αὐτὸς κατάρχῃ. Liber manuſcriptus Liuij habet: *Neue minerem ea belli cauſa, &c.* quod minus placet,quam *monerem*, licet vt dixi,non reſpondeat Græcis,μηδ᾽ αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, &c. Sed ſiue Polybium ſequamur , ſiue Liuium, vterque aptam ſententiam nobis ſuppeditabit.

Eod.*Argenti probi XII. millia Attica talenta dato intra duodecim annos penſionibus æquis. talentum , ne minus pondo LXXX. Romanis ponderibus pendat,etc.* Ad huius loci intelligentiam Antonius Auguſtinus talia quædam notaoit. Quęritur , in-

quit, à Budæo, & aliis, quo pacto talentum Atticum, quod conſtat ſex drachmarum Atticarum millibus, ſiue totidem denariorum millibus vt Varroni, & Polybio placet, pondo lxxx. ſit, cum vix lx. pondo attingat. Augent difficultatem eiuſdem Liuij verba lib. xxxiv. *Multitudinis eorum argumentum eſt, quod Polybius ſcribit centum talentis eam rem Achæis ſtetiſſe, cum quingentos denarios pretium in capita, quod redderetur dominis, ſtatuiſſent, mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit.* Et enim eadem ratio in his verbis eſt, quæ in ſupraſcriptis, vt ſex millia denariorum talẽtum efficiant: eandem ſcribit Plutarchus in Apophtheg. & drachmis pro denariis vtitur, vt veriſimile eſt Polybium vſum fuiſſe. Sic etiam Fannij carmina ſunt, quę docent maiorem fuiſſe libram Græcis, quam Romanis, & Atticas minas aliis, his verbis.

Hac magno in Latio libra eſt, gentique togata:
Attica nam minor eſt, ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt explerier vnam.
Accipe præterea, patrio quam nomine Grai
Mnam vocitant, noſtrique minam dixere priores,
Centum hæ ſunt drachmæ quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram,
Attica, quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna.
Cecropiam ſupereſt poſt hæc docuiſſe talentum,
Sexaginta minas, ſeu vis ſex millia drachmas,
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.
Nam nihil his obolóue minus, maiusue talento.

In his verſibus dici videtur libram Romanis fuiſſe xcvi. drachmarum, Græcorum minam centum drachmarum. Atticam lxxv. drachmarum. in talento ſexaginta minas fuiſſe, ſiue ſex millia drachmarum. Eodem pertinet, quod Plautus ſignificat in Moſtellariis: *duobus talentis magnis*, cxx. minas contineri. Et apud Senecam xxiv: HS. millibus, talentum Atticum æſtimari. Ex altera parte maiores fuiſſe denarios, quam drachmas Atticas, tum aliis exemplis, tum ex his Liuij verbis conſtat li. xxxiv. cum de triumpho T. Quinctij ſcribit: *Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, tetradrachmam vocant, trium fere denariorum in ſingulis argenti eſt pondus.* Nec dubium eſt, ſeptem denariis vnciam conſtaſſe, quæ Gręcis omnibus octo drachmis penderetur. Sunt, qui dubitent Liuij ne verba mendoſa ſint, cum Attica talenta lxxx. pondo æſtimat, atque arbitrantur aut pro Atticis talentis Euboica eſſe ſubſtituendo. aut pro Atticis talentis Euboica eſſe ſubituenda. aut pro lxxx. tantum pondo lx. ſcribi oportere. Nos Græca Polybij, vt putamus, verba referemus à Conſtantino relata. quibus conſtabit quid ſit, quod mutari debeat, Ἀργυρίου δὲ δότω Ἀντίοχος ἀττικοῦ Ῥωμαίοις ἀρίστου τάλαντα μύρια δισχίλια ἐν ἔτεσι. ιβ΄ διδοὺς καθ' ἕκαστον ἔτος χίλια. μὴ ἔλαττον δ' ἑλκέτω τὸ τάλαντον λιτρῶν Ῥωμαϊκῶν. π΄. καὶ τοῦ σίτου. φ΄. καὶ μ΄ .... τιθ΄. αἰτεῖται τοῖς πρώτοις. ὅ. κατὰ τὸ ἔτος τῆς ἐπιβαλλομένης χωρῶ. Καὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἀποδίδωσι καὶ τοῦ σίτου καθὼς ἐτίμησεν ὁ βασιλεὺς Ἀντίοχος τάλαντα τξζ΄. καὶ δραχμὰς χιλίας. σ. ὀκτώ. οὓς συνεχώρησεν Εὐμένης λαβὼν χάριν εὐαρεστουμένην ἑαυτῷ. &c. In his verbis ſunt quædam mendoſa poſt illas notas. φ΄. καὶ. μ. quæ ex Liuianis verbi corrigi poſſunt. Sunt etiam alia, quæ Liuius omiſit? tamen illa ipſa, de quibus dubitauimus, integra ſunt: & ni fallor, ita accipienda ſunt, vt omnis pecunia proba ſit, atque Attica, & numerus talentorum idem ſit, qui Græcis, & Latinis verbis expreſſus eſt; ſed pondus eius pecuniæ Atticæ non id ſit, quod Athenis talentum expenditur ſed id, quod Romæ lxxx. libras efficiat. Non recte igitur hoc *talentum Atticum* appellabitur, ſed *talentum Attica pecunia Romanum*. Atticum erat lx. minarum, in ſingulis centum drachmæ continebantur; in hoc erunt lxxx. minæ, ſiue libræ, in ſingulis xcvi. erunt drachmæ. Simul efficient, ni fallor, 7680. drachmas. Si vero ſingulæ libræ centum drachmarum ſint, efficient octo drachmarum millia, ſed vt diximus, Atticarum. Confirmemus hæc aliis Liuij verbis libro xxxvii. Cap. xlvi. de eodem fœdere, cum Antiocho Rege, hæc ſunt Africani verba: *Pro impenſis deinde in bellum factis xv. millia talentum Euboicorum dabitis, quingenta præſentia, duo millia, et quingenta cum S. P. Q. R. pacem comprobarint. mille deinde talentum per xii. annos. Eumeni quo redde cccc. talenta, & quod frumenti reliquum ex eo, quod patri redditum eſt, placet.* Hoc loco eadem xii. millia talentum non Attica, ſed Euboica dicuntur. Græca verba ex eodem ſcriptore, quem Polybium eſſe credimus hæc ſunt: Περὶ δὲ τούτου εὐβοϊκὰ τάλαντα ἀποδώσειν μύρια καὶ πεντακισχίλια Ῥωμαίοις ἀντὶ τῆς εἰς τὸν πόλεμον δαπάνης. Τούτων δὲ. φ΄. μὲν παραχρῆμα. δισχίλια δὲ καὶ φ΄. πάλιν, ἐπειδὰν ὁ δῆμος κυρώσῃ τὰς διαλύσεις. τὰ δὲ λοιπὰ τελεῖν ἐν ἔτεσι. ιβ΄. διδόντα καθ' ἕκαστον ἔτος χίλια τάλαντα. ἀποδώσειν δὲ καὶ Εὐμένει υ΄. τάλαντα προσοφειλόμενα, καὶ τὸν ἐλλείποντα σῖτον κατὰ τὰς πρὸς τὸν πατέρα συνθήκας. Remanet ſcrupulus ex his, quæ ad Sex. Pompeium olim notauimus. neque enim Euboica talenta Atticis ſunt quarta parte maiora, ſed potius Ægyptia, quæ apud Plinium Varro ait lxxx. pondo fuiſſe. At Euboicas lxx. minas efficere Atticas lxxii. poſt Ælianum conſcripſimus. Vidi tamen alicubi ſcriptum, ἐπίτριτον, eſſe proportionem inter Antiochena, & Attica talenta. Hęc fortaſſe ſunt Romani in hoc fœdere ſecuti, qui diſertis verbis affirmant, quo pondere ſibi talenta ſolui velint. Eſt enim alius Liuij locus libro xxxviii. in quo de fœdere agitur, cum Ætolis, & Ambraſienſibus his verbis: *Dein vt quingenta Euboica darent talenta, ex quib. cc. præſentia, ccc. per annos ſex penſionibus æquis*, & poſtea: *pro argento ſi aurum dare mallent, darent conuenit, dum pro argenteis decem aureus vnus valeret.* Hæc aptius à Græco ſcriptore coniuncta ſunt, & plenius: Δότωσαν δ' Αἰτωλοὶ ἀργυρίου μὴ χείρονος ἀττικοῦ παραχρῆμα μὲν τάλαντα εὐβοϊκὰ, σ΄. τὸ τρίτον τῷ ἐν τῇ Ἑλλάδι ἀντὶ τρίτου μέρους τῶν. ἀργυρίου χρυσίον ἐὰν βούλωνται, διδόντες τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου καὶ χρυσίου μνᾶν. διδόντες ἀφ' ἧς ἂν ἡμέρας τὰ ὅρκια τεθῇ ἐν ἔτεσι τοῖς πρώτοις ἓξ κατὰ τὸ ἔτος ἕκαστον τάλαντα. ν΄, &c. Ex his verbis apparet in Antiocheno fœdere non de Atticis talentis agi ſed de pecunia proba Attica. Hic apertius: Ἀργυρίου μὴ χείρονος ἀττικοῦ τάλαντα εὐβοϊκὰ, &c. Liuius hoc loco omiſit Atticæ pecuniæ mentionem, illic obſcure eſt locus, dum Attica talenta ſcribit. nec non quod de minis hoc loco dictum eſt Græce, id Liuius de nummis aureis, & argenteis expreſſit, quod eadem eſſe ratio videtur.

Cap. xxxix. Clazomeniis ſuper immunitatem. & Drymoſam dono dederunt.] v. c. habet, Dromiſam. Sed Drymuſſam ſcribendum ex Polybij fragmento xxxvi. in quo eſt: Κλαζομενίοις δὲ καὶ δωρεὰν προσένειμαν τὴν Δρυμοῦσσαν καλουμένην νῆσον, &c. In manuſcripto tamen Polybij exemplari erat, Δρυμοῦσαν, propiore ſcriptura ad librum manuſcriptum Liuianum, ſed Stephanus item edit, Δρυμοῦσσα.

AD LIB. XXXIX.

Cap. xix. *Vt in intentiore eum cuſtodia aſſeruarent.*] Placeret magis, vt eſt in v. c. ſine particula, *in*, vt intentiore, &c. & paulo poſt ex eodem veteri libro legendum: *Tutoris optio ita eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet, &c.*

Cap. l. *Admonens deinde quidam, eſſe theſaurum publicum ſub terra, &c.*] Accepit hoc Liuius à Polybio, vt alia multa, non vt docti viri putarunt, Plutarchus à Liuio, quod ex eo loco, quem ſupra protulimus de Philopœmene concij poteſt. Græca Polybij verba Plutarchus in Philopœmene profert hæc, licet Polybium non nominet: Οἱ μὲν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον, οὔτε πνεῦμα λαμβάνον, οὔτε φῶς ἔξωθεν, οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κλειόμενον, ἐν τούτῳ κατέθεντο.

AD LIB. XL.

Cap. liii. *Duello magno, &c.*] Huius tabulæ, cuius Atilius etiam Fortunatianus meminit, poſtrema verba ita videntur emendanda. *Inter Epheſum, Samum, Chiumque inſpectante eo ipſo Antiocho, exercitu omni, equitatu, elephantiſque, Claſſis Regis Antiochi victa, fuſa, fugataque eſt, ibique eo die naues longæ cum omnibus ſociis captæ xiii. Ea pugnata, rex Antiochus regnumque eius in poteſtatem popul. Romani redactum. Eius rei ergo ædem Laribus Permarinis vouit.*

AD LIB. XLI.

Ca. xxvii. *Et carceres in circo, et oua ad notas curriculis numerã-*

das, &c.] Legendum: *& oua ad metas. curriculis numerandis,* &c.] Ouorum enim ſuper metas erectionibus (vt ex Varronis loco ex l. 1. de re ruſt. intelligitur, ſeptem illa circenſium ludorum curricula numerabantur, quod etiam Caſſiodorus apertius indicat, cùm ait: *Nec illud putetur irritum, quod metarum circuitus, ouorum erectionibus exprimatur. &c.* Dio quoque lib. 49. ſcribit *Agrippam, quod videret errare homines in circo propter circuituum numerum, delphinos & ouata opera poſuiſſe, quibus curſuum circuitiones, & conuerſiones oſtenderentur, &c.* Huiuſmodi oua, & delphini metis impoſiti, in ipſa Circi Maximi deſcriptione, quæ habetur in veteribus tum nomiſmatibus, tum lapidibus, diſerte expreſſi ſunt. Erant autem oua hæc, quæ metis ſuperimponebantur. Caſtori, & Polluci dicata, vt ait Tertullianus libro de Spectaculis, Et metæ ipſæ, cum prius ligneæ fuiſſent ac tophinæ, poſtea marmoreæ à Claudio Imp. factæ ſunt, vt ſcribit Suetonius cap. xxi. De ſeptem vero circenſibus curriculis, cum plures alij Scriptores faciunt mentionem, tum Varro apud Agellium lib. 3. cap. 10. cum ait: *Ludorum Circenſium curricula ſolemnia ſeptem ſunt, &c.*

Eod. *Ianos tres faciendos, &c.*] Ianos intelligit Liuius ſummum, medium, & imum, qui in Foro erant Romano ad Baſilicam Æmiliam, vt ſcribit Porphyrio in verſum Horatij lib. 1. epiſt. 1.

----Hic Ianus ſummus ab imo
Perdocet----

Suetonius in Domitiano: *Forum,* inquit, *porticibus, taberniſque claudendum, & Ianos tres faciendos, &c.* & in Auguſto: *Pompeij quoque ſtatuam contra theatri eius regiam, marmoreo Iano ſuperpoſuit, &c.* Quibus locis, vt hic apud Liuium, *Ianus* accipiendus eſt pro arcu marmoreo, & fornicata tranſitione. *Iani Primi* mentio eſt in veteri apud me inſcriptione, in qua eſt:

C. IVLIVS. C. L. NICO
MACHVS. A IANO
PRIM. PAL.

Medij, in altera item apud me inſcriptione, quæ habet.

C. LEPIDIVS
C. L. ANICETVS
A. IANO. MEDIO.

Sed *Iani medij* meminit etiam Cicero in Philippicis. vbi ſcribit *Fœneratores, qui ad Ianum medium erant, ſtatuam L. Antonio poſuiſſe cum hac inſcriptione:*

A. IANO. MEDIO. PATRONO.

Ita enim eſt in V. C. non IANI MEDII, quod ſubſtitutum eſt ab alijs, ob formulæ ignorationem.

AD LIB. XLII.

CAP. XIII. *Euerſam, et Callicritum.*] Puto legendum, *Callicratem,* quem nominat Pauſanias in Laconicis, Achæorum res ad Romanos trahentem. Romanos vero legatos quos hic nominat Liuius, T. Claudium. P. Poſtumium, &c. Polybius in fragmento LXIV. edit. οἱ περὶ τὸν Τιβέριον, καὶ Ποστούμιον, &c. vt, Ti. Claudium, videatur apud Liuium ſcribendum eſſe.

CAP. LVIII. *Midon Bereus.*] Polybius in fragmento LXXI. habet Μίδων βεροιαῖος, &c. Vnde videtur apud Liuium, *Medon Berœus* ſcribendum, ſiue, *Bereæus*, ex Græco numiſmate ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ.

CAP. XIV. *Et quotieſcunque delectus erit, quem hic Cenſores magiſtratum habebunt, &c.*] Locus eſt mendoſiſſimus, vt videtur. ſed qui aliquo modo reſtitui poſſit, ſi legamus: *Et quotieſcunque delectus erit, quum hi Cenſores magiſtratum habebant, &c.*

AD LIB. XLIII.

CAP. XVII. *Achaico Concilio Argis agitato.*] Scribendum ex Polybio, *Ægij*, non, *Argis*, nam ſic eſt in fragmento LXXIV. Διὸ συναχθείσης αὐτοῖς τῆς βουλῆς εἰς Αἴγιον, &c. & Liuius ipſe lib. 45. *T. Quinctio Ægij datum eſt concilium, etc.*

Eod. *In Acarnaniam deinde legati profecti ſunt. Tyrrei concilium legatis Acarnanes dederunt, &c.*] Supra in notis ad l. 37. diximus, Thurreo, ſiue *Thyrreo*, ibi ſcribendum eſſe, non *Purreo*, quæ lectio hic quoque reponenda eſt, vt *Thurrei*, ſiue *Tyrrhei* legamus, nam *Purrei*, Polybius in fragmento LXXV. habet: Κατὰ τὴν Ἀκαρνανίαν συναχθείσης τῆς ἐκκλησίας εἰς Αἴγιον. &c.

Eod. *Aduerſus amentiam eorum, qui ad Macedonicam gentem trahebant, &c.*] Videtur deeſſe verbum, *res*, quod alibi poſitum eſt à Liuio, & habetur apud Polybium, in huius rei narratione, fragmento LXXV. Εἰσὶ δὲ περὶ αὐτούς, τὰ ἀνθέλκοντες τὰ πράγματα πρὸς Περσέα καὶ Μακεδόνας, &c.

AD LIB. XLIV.

CAP. I. *Cum arma, viros, equos, cum cura inexiſſet.*] Verbum mendoſum, inexiſſet, fortaſſe reſtituetur, ſi in, inſtruxiſſet, mutetur.

CAP. IX. *Nondum hac effuſione inducta beſtiis omnium gentium Circum complendi.*] Omnino videtur legendum, *beſtiis omnium generum*, vt parua mutatione locus reſtituatur.

CAP. XVI. *Tribu quoque is motus, et operarius factus ad opera publica facienda. Cum eis dimidium, &c.*] Legendũ ſine dubio: *Tribu quoque is motus, et ærarius factus. Ad opera publica facienda, cum eis dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex S.C. à Quæſtoribus eſſet, etc.* Confirmat hanc emẽdationem alius locus, qui l. 40. habetur, in quo eſt: *Cenſores, etc. tres eiecti de Senatu. retinuit quoſdam Lepidus à collega præteritos. Opera ex pecunia attributa, diuiſaque inter ſe, hæc confecerant.*

CAP. XL. *Thraces duos id iumentum ex medio alueo in ſuam ripam trahentes, &c.*] Locus mendoſus reſtitui poterit, ſi legatur. *Thraceſque duo id iumentum ex medio alueo in ſuam ripam traherent, &c.* Paulo poſt:

CAP. XLI. Videtur ſcribendum, *argyraſpides*, pro eo, quod in vulgatis eſt, *aglaſpides*.

AD LIB. XLV.

CAP. VIII. *Pullo amictus illo Perſeus ingreſſus eſt caſtra.*] Quid ſi legamus? *Pullo amictus ſolus Perſeus ingreſſus eſt caſtra, &c.* Locus certe mendoſus eſt. Nec ſatis placet illud, *pallio*, quod ab alijs ſubſtitutum eſt.

CAP. XXV. *Tunc quoque petenda ſocietas videbatur, non qua tutiores eos ab alijs faceret (nec enim timebãt quenquã præter Romanos) ſed quæ ipſos Romanis minus ſuſpectos, &c.*] Ita legendus hic locus ex fragmento Polybij XCIII. cum dictio, *ipſis*, quæ in vulgatis libris male poſita eſt, pro, *ipſos*, totam ſententiam perturbet. & paulo poſt legendum: *Si Lycia, & Caria adempta ab Rhodiis forent, etc.* non vt eſt in vulgatis editionibus, *adempta ab Romanis forent, etc.* quæ lectio ex eodẽ Polybij fragmento elicitur, in quo eſt: Λύκια δὲ καὶ Καρία ... Ῥοδίων, &c. Nam & apud ipſum Polybiũ librarij ſæpe in eo peccarunt, vt Ῥωμαίων. pro, Ῥοδίων ſcripſerint.

CAP. XL. *Summam omnis captiui auri, argentique tranſlati HS. millies ducenties fuiſſe.*] Paterculus libro 1. habet *bis millies centies HS.* De hac item ſumma Plinius lib. 33. cap. 3. *pondo trium millium auri, &c.*

CAP. XLI. *Ab alterius funere filij currũ ex Capitolio propeiã expirantẽ veni, &c.*] Videtur ex hiſtoria legendũ: *Ab alterius funere filij curru in Capitoliũ; ad alterũ ex Capitolio propeiã expirantẽ veni, &c.* Niſi ita legamus, ſentẽtia non cõſtabit locuſq; remanebit mutilus, & mendoſus ex oſcitantia librarij, qui deceptus videtur ob vocem *Capitolij*, à Liuio bis poſitam.

CAP. XLV. *Hæc de Pruſia noſtri ſcriptores. Polybius eum Regem indignum maieſtate nominis tanti tradit: pileatum, capite raſo, obuiam ire legatis ſolitum, libertumque ſe P. R. ferre, & ideo inſignia ordinis eius ferre, &c.*] Quæ de Rege Pruſia Liuius dicit ſe à Polybio accepiſſe, cum integra in fragmento non ſit à nobis edito, poterunt ſuppleri ex alio fragmento, quod è Polybio item, vt videtur, Diodorus Siculus deſcripſit. Nam quæ ab alijs ex Appiani Mithradatico prolata ſunt, ea partem tantum Liuianorum exprimunt, partem omittunt. Licet ea appareat Appianũ quoque à Polybio ſumpſiſſe. Græca ipſa Diodori verba ex fragmento ipſius à nobis cum Polybianis edito peti poterunt. In quibus illud præcipue notatu dignum, quod pilei colorem, præter Diodorum, nemo alius indicat, cum aut

Μιμνήσκεται δὲ τῶν τῆς ἐλευθερίας ἐκδιδομένων περὶ Ῥωμαίους πάξιν, ἀποκείροντες τὰς κεφαλὰς, καὶ πῖλον ἐχοντ λευκὸν, ἐπὶ δὲ τῶν παίδων, &c. Ex quib. verbis hoc quoque intelligitur, nouo libertos apud Romanos albis veſtibus olim vſos fuiſſe, vt nunc itidem, qui ex antiqui hoſtis ſeruitute, aqua ſalutari tincti, liberantur. Pilei autem & raſi capitis mentionem facit Plautus in Amphitruone, niſi fallor, illo verſu.

Vt hodie raſo capite capiam pileum.

Itemque pileum notam eſſe libertatis conſtat ex Nummis veteribus, in quibus pileus, & LIBERTAS item adſcriptum eſt. præterea pileum ad virgam quæ *vindicta* dicebatur, virginem ferre in Nummis videmus. Item in M. Bruti denarus, pilei & duarum ſicarum imaginem agnoſcimus, & Iuſtiniani conſtitutionem habemus *de libertis, qui funus patroni proſequebantur pileati.*

MARCELLI DONATI

IN TITVM LIVIVM DILVCIDATIONES.

T. LIVIVS LIB. I.

CAP. XXIV. *Sagmina inquit te rex poſco.*] Herbam fuiſſe ſacram & puram, qua caput Patris patrati Fecialis tangeret vel circumdaret, ex Liuij verbis clarè patet. Sed illud difficultatem facit, quod primum inquit. *Fecialis ex arce graminis herbam tulit:* mox vero ſubdit, *Verbena caput capilloſque tangens.* Aliam autem eſſe herbam Gramen, aliam vero verbenam nemo ignorat. Huiuſcemodi obiectioni ſic occurrendum puto: gramen non ſolum accipi ſpecifice pro herba ſingulari ita appellata, ſed & generice, pro herba cuiuſcunque generis. Virg. IX. Æneid:

Pars in gramineis exercet membra palaſtris.

Id eſt, palæſtras exercebant in loco aperto & herboſo. Ita *gramineum campum.* 3. *Faſt.* dixit Ouid hoc eſt, herbidum. Minime itaque mirum, ſi *Verbenam* graminis voce comprehendit Liuius quod clare ex hiſce Plinij dictis *l. 22. c. 2.* colligitur: *Non aliunde ſagmina in remedijs publicis fuere & in ſacris legationibus, quam verbena: certe vtroque nomine idem ſignificatur. hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra euulſum.* Hactenus Plin. Eo autem quod ex ſacro loco, Capitolio ſcilicet, colligeretur, dicebantur *ſagmina,* quaſi ſancta. Feſtus *l. 17.* ſcribit: *ſagmina eſſe verbenas, hoc eſt, herbas puras, quia ex loco ſancto ſumebantur.* Seruius ad illud Virgilij *lib. 12.* Et verbena tempora vincti. *Verbena* (ait) *proprie eſt herba ſacra, ſumpta de loco ſacro Capitoli, qua coronabantur Feciales & pater patratus, fœdera facturi, vel bellum indicturi:* Abuſiue tamen etiam *verbenas* appellamus omnes herbas ſacratas, vt ſunt laurus: oliua vel myrtus. Vt Terentius *in Andria.* Act. 4. Sce. 4. *Ex ara hanc verbenas ſume.* quem locum explicans Donatus inquit: *Verbena, dixit, quaſi herbena, & ſunt omnes herbæ frondeſque feſtæ, ex aliquo puro loco decerpta ad aras coronandas:* citatque Menandrum, qui myrtum fuiſſe teſtatur. à quo Terentius tranſtulit. Vnde & illud Virgilij, eccl. octaua: *Verbenas adole pingues.* Ita & Suetonius *in Caligula, c. 27.* ſcriptum reliquit, *Alterum, qui ſe periturum eadem cauſa vouerat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitare tur ex aggere. Verbenatum* enim non *verberatum,* vt alij, legendum peritiores decreuere, *Sagmina,* inquit Martianus in l. ſanctum. de diuiſ. rer. *ſunt quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret.* Quo in loco adnotauit Budæus. perperam legi, *ſanctum* dictum à *ſanguinibus.* Nam legendum, *à ſanguinibus,* quod etiam ex poſterioribus Catellianus Cotta, memorabilium lib. in dictione *ſanctum,* confirmat. Nec minus reprehendendi, qui apud Modeſt. *l. vlt. D. de lege Pomp. de parric. ſagmineis virgis cadi parricidas legunt.* Non enim veriſimile eſt. Romanos religioni quam maxime addictos, permiſiſſe, ſacram frondem parricidarum corpore contaminari. Quare reſpondendum non dubito *ſanguineis,* hoc eſt, quæ ſanguinem ictibus elicerent, vel, quæ ex frutrice illo pararentur, qui *ſanguen* appellatur: cuius meminit Plinius *lib. 16. c. 37.* ſanguineos frutices vocans: & de ſanguineis virgis *l. 10. c. 10.* inquiens: *Sunt, qui ſanguineis virgis tangunt ea, quæ nolunt his obnoxia eſſe:* & l. 24. *nec virga ſanguinea felicior habetur, cortex eius interior cicatrices, quæ perſanauere, aperit. Sanguineas* autem *virgas* infauſtas fuiſſe ex hiſce patet. Sed ad rem noſtram reuertentes addimus, dubio procul *ſagmina* fuiſſe verbenam, ex loco ſacro decerptam, de qua Plinius *l. 25. c. 9.* ita ſcribit: *nulla tamen Romanæ nobilitatis plus habet quam Hierabotane, aliqui periſtereon, noſtri verbenam vocant. Hac eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicamus, hac Iouis menſa verritur, domus purgantur luſtranturq;* & *l. 22.* docet *verbenarium dictum, qui verbenas in ſacris geſtabat:* quod pariter teſtatum reliquit Liuius *l. 30* circa finem, vbi de verbena & ſanguinibus plura ἱεράβοτανην, verbenam Græci dixere, hoc eſt, ſacram herbam.

Eod. *Pater patratus ad iuſiurandum patrandum.*] Qui feriendo fœderi præerat, Latinis *pater patratus* dicebatur. Hic iuramento fœderis pacta firmabat, quod Plutarchus in problematibus ſcriptum reliquit licetque ſacerdotibus fecialibus, qui fœderibus ſanciandis præerant, pater patratus perficeretur, nihilominus à Feciali creabatur, quod hoc in loco clare Liuius docet. Cur vero pater patratus appellaretur, ex recentioribus quidam, Calepini auctoritate innixi, inquiunt ita vocatum, quod pater patratus eſſe non poſſet, qui patrem & filios non haberet. Nam reſpectu filiorum pater dicebatur, reſpectu vero patris, patratus nuncupabatur. At hæc nuncupationis ratio mihi imaginaria penitus videtur, nec vlli auctoritati innixa. Rationi magis conſonum arbitror, patrem patratum appellatum ea de cauſa, quod ſicuti pater filiorum curam gerit, & in illos plenam habet poteſtatem: ita ſacerdos huiuſmodi, tanquam pater totius populi Romani, illius vice & nomine iuſiurandum peragebat. Eadem de cauſa Romanos ſenatores, *patres* vocatos obſeruamus, à curæ ſimilitudine: eo quod ita populi Romani vtilitati ac bono inuigilarent quemadmodum patres filiorum ſtudent beneficio. vt docuit Saluſtius *in coniuratione Catilina.* Patratus vero ſimul dictus, vt idemmet Liuius aperit, eo quod crearetur ad ferienda fœdera, & iuramenta patranda.

Eod. *Porcum ſaxo ſilice percuſſit.*] Pluribus Deis fabuloſa antiquitas porcum mactauit. Siluano porcum cæſum docet Iuuenalis Saty. ſexta.

Cædere Siluano porcum:

Et Cereri Eleuſinæ quoque immolatum legimus apud Varronem *l. 2. c. 4.* quod pariter confirmat Tibullus lib. eleg. 1. eleg. 10.

Hoſtiaque è plena myſtica porcus hara.

nam *myſtica,* non *ruſtica,* vt alij, legendum docuere Turnebus & Muretus. Et Laribus Deis ſacrificabant porcum teſte Horat. lib. 2. Saty. 3.

Immolat æquis ----

Hic porcum Laribus.

Nonnunquam & Veneri mactari ſolitum ſcribit Callimachus. In funere defunctis & cæſam porcā Marcus Victorianus in hæc verba ſcriptū reliquit: *Qui iuſta defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccauerunt, iis porca contrahitur, quæ omnibus annis immolari oporteat.* Hinc Cicero 2. de legibus: *Sunt iura, quæ in porca contracta.* Poſtremo & in feriendo fœdere porcus ſilice occidebatur, quod ex Liuio hoc in loco

& libro etiam 9. elicimus: & Quinctilianus *l.8.* confirmat, inquiens, cædi ſolere porcum feriendo fœdere. At Suet. non porcum, ſed porcam mactari ſolitam tradit, *in Claudio c. 25.* per hæc verba: *Cum regibus fœdus in foro icit porca cæſa.* Virg. lib. 8. Æneid.

Cæſa iungebant fœdera porca.

Idem pariter ſentit Feſtus, ſcribens, porci effigiem inter militaria ſigna locum obtinuiſſe, quia confecto bello inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmari ſolebat: quod pariter Varro confirmat. Conciliamus Liuium cum aliorum dictis, quod, ſicuti ſub appellatione hominis comprehenditur & maſculus & fœmina, ita & nomine porci veniunt & mas & fœmina. Vere tamen porca fœmina in ſacris mactabatur, quod Cicero 2. *de legibus* docet dum ait: *Et porco fœmina piaculum pati.* Sic Liuij & Quinctiliani dicta interpretanda ſic Virgilianum illud *l. 12.* vbi de fœdere loquens, ait:

---- *Puraque in veſte ſacerdos.*
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit.

Male itaque Seruius, explanans illud 8. *Æneid.* inquit: *Falſo dixit, porca, nam ad hoc genus ſacrificij porcus adhibebatur:* cum potius porcam accipi ſolitam ex prædictis pateat, idq; omnes autores confirment, ſi eorum verba recte perpendantur: tum etiam, quia in omnibus fere ſacris fœminini generis victimæ immolarentur, & ſi quando per marem litaretur, ſuccidanea dabatur fœmina, ſi autem per fœminam litaſſet, ſuccidanea non admittebatur. Porci autem, qui in ſacris cædebãtur, ſeu ſacris faciendis deſtinabantur, *ſacres* appellabantur. Plautus in Menecmis: *Quanti hic ſunt porci ſacres?* & in Rudenti: *Vt rem diuinam faciam, cum intro aduenero, Laribus familiaribus, cum auxerunt noſtram familiam, ſunt domi agni & porci ſacres.* Quod idem eſt his, quos Tibullus ſupra citato myſticos dixit, quoſque Ariſtophanes modo μυστικούς, modo μυστηρ, vocauit. De modo feriendi fœderis, & mactanda porca pura Cicero *lib. de Inuent.* Nec illud hoc loco prætereundum eleganti ſſime Liuium *ſaxo ſilice* dixiſſe. nam ſicuti ſilex lapidis duritiem, qualis ex quo ignis excutitur, ſignificat: ita ſaxum magnitudinem demonſtrat. Nam propter ſaxum lapidis magnitudinem notabilem præ ſe fert, ita, vt quandoque hac voce ſcopuli & montes deſcribantur: Virg. 1. Æneid.

Perque vndas, ſuperante ſalo, perque inuia ſaxa
Diſpulit.

Ouid. 3. Metamorph.

Per rupes, ſcopuloſque, aditu que carentia ſaxa.

Plautus in Moſtel. *Iam ad vnum ſaxum me fluctus efferunt,* Virg. 2. Æneid.

---- *Stupet inſcius alto*
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor,

Et 2. Georg.

Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

Et rurſus.

Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis.

T. LIVIVS LIB. II.

Cap. VIII. *Ante omnes, de prouocatione aduerſus magiſtratus ad populũ, ſacrandoq́; cum bonis capite eius, qui regn_ occupãdi cõſilia iniſſet.*] Cœlius Rhodiginus *l. 12. c. 11. ſacratũ hominis caput* interpretatur ex Dionyſio Halycarnaſſæo, *libro antiquit. Rom.* a. hominẽ, quem occidere liceret. Ego quidem doctiſſimi viri ſententiam non improbo: ſed *ſacratum* hoc loco caput expono, *execratum*, Græcis κατάρατον: iuxta illud Virg. 3. Æneid.

---- *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames.

Sic Horatius ſer. 2. Saty. 6. *Inteſtabilis & ſacer eſto:* quod pariter Macrobius docuit *lib. Satur. 3.* Sic epilepſiæ morbus *ſacer* apud medicos vocatus, id eſt, execrandus, quicquid alij interpretati ſunt: quos redarguere facile poſſumus ex Gal. dictis *in com. 1. progn oſt. & com. 6. in ſextum de morbis vulgaribus.* Apud eoſdem, & herpetis genus *ſacer ignis* dictus, cuius meminit Plinius *l. 26. c. 11.* & in pecudib. obſeruauit Columella *l. 7. c. 5.* Et *ſacer ſerpens*, ἱερὸς Græcis ob feritatem ſcilicet, execrandus dictus. Erit itaque *caput ſacratum*, ni fallor Liuio, homo abominandus, atque ab omnibus aduerſandus: cuiuſmodi ſunt hi, quos nos *excommunicatos* vocamus, hoc eſt, ab hominum Chriſtianorum conſortio abactos: anathematizatos etiam dictos, hoc eſt deteſtatos, deuouendos, à voce Græca ἀνάθεμα, quod eſt ſeiunctio ſeu alienatio. Huiuſmodi homines ethnicis antiquis, violare impune fas erat. In hunc ſenſum ſcripſit Cic. in orat. pro Coe. *Quum caput eius qui contra legem facit, conſecratur.*

Cap. XXXIX. *Signo amiſſo ſignifero, ad hoc centuriones, duplicarioſque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit.*] Quum primum in hunc locum incidiſſem, exiſtimabam, per duplicarios Liuium intelligere milites illos, qui centurionibus & ſigniferis aſſociarentur, vt illis forte in pugna deficientibus, ſufficerentur, ne ſignæ laberentur, ordineſque deſererentur. In hanc ſententiam Liuij eiuſdem verba *l. 8.* me adducebant, vbi inquit: *Romano haud ſatis fidenti viribus, iam Romæ promiſſum erat ab Conſulibus, vt ſubcenturionem ſibi, quem vellet, legeret, tutaretur eum ab vno deſtinato hoſte.* At rem aliter ſe habere ex mox dicendis manifeſte cognoui. Varro *lib. 4. de lingua Latina*, duplicarios ſcribit eſſe, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria. Ita & Vegetius lib. 2. cap. 7. *Duplares*, inquit, *torquati, & ſimplares torquati erant, quibus torquis aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet, præter laudes, interdum duas cõſequebatur annonas.* Idem *duplares armaturas* vocat, quæ conſequantur duplas, *ſimplares.* vero quæ ſimplas. Liuius *libro ſeptimo* ſcribit, Conſulem milites, quum præſidio cum Decio fuerant, duplici frumento in perpetuum donaſſe: & *libro vigeſimoquarto* ait: *Arps ſine clade vllius, præterquam vnius veteris proditoris, noui perfugæ reſtituitur Romanis, Hiſpanis duplicia cibaria dari iuſſa, operaque eorum forti ac fideli perſæpe Reſpublica vſa eſt.* Vetuſtum autem morem honorandi fuiſſe, dare virtutis ergo duplicia cibaria, conſtat ex Herodoto *libro ſexto*, vbi dignationes & iura Spartanorum Regum deſcribens, tradit: quod in conuiuiis dabatur illis duplum omnium quam cæteris ciuibus. Ita Xenophon in orat. de laudibus Ageſilai. *Duplicem* (inquit) *portionem in conuiuiis ex conſtituto accipiens, nec ſic quidem tota vtebatur, verum ſimplici, nec integra ea contentus, reliquum diſtribuebat: ratus geminam portionem Regi dari, non ſatietatis gratia, ſed quo poſſet, quem vellet honorare.* Idem Xenophon *in R. p. Lacedæmoniorum*, non procul à fine tradit: Lycurgum inſtituiſſe, Reges in cœna duplici parte honorandos, non vt duplo magis quam alij ederent, ſed quo & ex hoc quem vellent, honorare quirent. *Milites duplicarios* ſeu *dupliciarios* vt alij, vel *duplarios*, vti in antiqua marmorea inſcriptione in palatio Cardinalis Genuenſis iuxta viam ſalariam, virtute inſignes fuiſſe colligimus: quum eos Liuius cum centurionibus & inſigniferis commemoret, tum etiam ex voce Græca, nam διμοιρίτης, duplarius dictus, ſeu διμοιρίτης, qui & manipuli dux interpretatur, nam μοῖρα, manipulus eſt. Vetus inſcriptio, de qua paulo ante meminimus, ne ab aliquo deſideretur, eſt huiuſmodi: M. AVRELIVS MVCIANVS. V. A. XXXV. NAT. TRAX MILIT. ANN. XV. IN COH. II. PRÆT. III. VENATORIS DVPLARIVS IVLIANVS HERES FECIT BENEMERENTI.

T. LIVIVS LIB. II.

Eod. *Cætera multitudo ſorte decimus quiſq; ad ſupplicium lecti.*] Ignauos milites: & ſeditioſos variæ caſtigatos, ac pœna affectos obſeruamus: aliquãdo enim ſacramẽto ſoluti, militia abire iuſſi, aliquando eorũ ductores, & principes viri, puta centuriones & tribuni, à militia abiecti, aliquãdo ſeditionis autores morte multari, nõnunquam prius flagellati necati, & inſepulti deiecti: At quum grauiter vniuerſi deliquiſſent, ſorte decimũ quemque ex illis vltimo ſupplicio affectum legimus. Quod ex hoc loco etiam colligimus. Appius namq; Claudius deſertores exercitus decimũ quẽq; ſecuri percuſſit. Sic Tacitus *Annal. l. 1.* tradit, L. Aproniũ decimũ quemq; ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſti necaſſe. Sic legiones iuſſu Galbæ decumatas idem Cornelius tradit *lib. Hiſt. 1.* Et *Annal. l. 14.* ſcribit: *Ex fuſo exercitu quum decimus quiſq; fuſti feriretur, etiam ſtrenui ſortiuntur.* Cic. *in Orat. pro Cluentio* inquit, *Statuerunt maiores noſtri, ſi à multis eſſet flagitiũ rei militaris cõmiſſum, ſortione in quoſdã animaduerti, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* Opilius Macrinus quum ſeditiones pateretur militares, milites decimauit, teſte

Capitolino in illius vita. Sorte quoque ad mortem ſeditionem euſuros delegit Iulius Cæſar, teſte Dione *lib. Hiſt.* 41. Scribit Diodorus Sicul. *lib.* 11. *Bibliot.* Græcos cum Xerxe & Perſis bellantes, Diis decimandos deuouiſſe Græcos quoſcunque Xerxis pertes ſequutos, ſi victores extitiſſent. Quod pariter Herodat. *lib.* 7. confirmat. Sic quum multitudo capitale crimen commiſiſſet, decimetionem factam colligimus etiam ex Peuſania *lib.* 1. *Rerum Atticarum*, vbi ſcribit, Syllam Romanum ceptis Athenis decimum quemque ciuem, vt ſors tulit, trucidaſſe. Polybius *in lib. de tribus politiis*, autor eſt, duo pręcipue fuiſſe in militari, diſcipline ſuppliciorom genera, Decimationem ſcilicet, (*Δεκατεῦσαι* dicunt Græci.) & fuſtuariam. Decimationis ſupplico Duces exercitum in militari ſeditione, & noſtris temporibus non ſemel vſos teſtantur neoterici hiſtoriæ ſcriptores.

T. LIVIVS LIB. III.

CAP. XLVIII. *Data venia, ſeducit filiam ac nutricem prope Cloacina, ad tabernas, quibus nunc Nouis eſt nomen: atque ibi ab lanio cultro arrepto, Hoc te vno, quo poſſum (ait) modo, filia in libertatem vindico, Pectus deinde puellæ transfigit.*] Virginiæ virginis, quam pater Virginius Icilio vxorem deſponderet, quamque Appius vnus ex decemuiris vitiare tamquam ſeruam ſategebat, ob id queà patre peremptæ, hiſtoriam enarret Liuius, cuiuſque indubitatam fidem fecit multæ antiquitatis marmorea tabella, cum huiuſmodi inſcriptione Romæ in Sancta Marie Monticelli extante.

D. M.
VIRGINIS FILIÆ MEÆ CARISSIMÆ VIRGINEÆ NIMIAM OB PIETATEM PROPRIIS MEIS MANIBVS INTEREMPTÆ, PROH DOLOR QVANTVM FVIT CARISSIMA, IN ANNO XVI. IVVENTVTIS EIVS, MENSES V. D. III.

Huius rei antiquitetis ſtudio commotus meminiſſe volui, quamuis hiſtoriam per ſe claram, nulla dilucidetione egere cognoſcam, nec laboris noſtri titulo, aut ſubiectæ meteriæ reſpondere. Mirum ſane, tabellam huiuſmodi hiſtoriam referentem, vſque ad tempora noſtra ſeruatam, ſicque per annos amplius biſmille facti generoſi magnitudinem celebrante hiſtoria, ec inciſo mermore conſeruante memoriam, fauentibus etiam longiſſimis annorum curriculis. Namque eppium Decemuirum megiſtratum geſſiſſe, quando id contigit, anno ab vrbe condita 303. conſtat, & Chriſtum Saluatorem noſtrum, anno ab vrbe condita 751. Auguſti Imperij 42. natum conſentiunt omnes, vnde facta compotatione, manifeſtum euadit, ab inſigni facinoris anno vſque adhuc reperiri annos 2040.

T. LIVIVS LIB. IV.

CAP. LIII. *Hoc decreto conſul armatus, quum paucis appellantibus tribunum, collum torſiſſet, metu cæteri Sacramento dixere.*] Vulgaris nobis, ac familiaris dicendi modus: *ti torcerò il collo*, quum aliqui mortem minamur: quamobrem prime ſtatim lectione arbitratus ſum, conſulem nomina dare nolentibus, mortem miniſtreſſe: et re intimius perſpecta, veriorem interpretetionem nactus ſum: lucem præferente doctiſſimo Turnebo, *lib. Aduerſ.* 18. *c.* 34. Siquidem antiquis mos dicendi fuit, collum obſtringere vel tob orquere, pro vim inferre, nam rei collo conſtricto inuiti in ius rendebantur. Ita D. Hieronymus inquit: *Obtorto collo me in ius trahis.* Et Plautus in Curcul. *Collum obſtringe.* Et in Rude: *Rape obtorto collo.* Cic. 6. in Verr. ectione. *Quem obtorta gula, de conuiuio in vincula, atque in tenebras abripi iuſſit.* Et in Oret. pro Cluentio, *obtorto collo ad ſubſellia reducere dixit.* In lib. *de Viris Illuſtribus* legimus: *Conſuli legibus agrariis reſiſtenti, ita collum in comitio obtorſit, vt multus ſanguis efflueret è naribus.* Sic itaq; interpretandum, Conſulem detrectantibus militiam collum torſiſſe, id eſt, manũ iniecitſe, ac vi facere, quæ ſponte renuebant, cogiſſe. Quo pacto & eleganter dictũ à claſſicis eutoribus obſeruamus, *torquere iura*, hoc eſt, peruertere, illiſque vim inferre. Cic. in Orat. pro A. Cecinna, *verbo ac litera ius omne torquere.* Hinc & *legũ tortores*, eodẽ in ſenſu apud eoſdẽ.

CAP. LX. *Patres bene cæptam rem perſeueranter tueri, conferre ipſi primi: et quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue plauſtris quidam ad ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant.*] Quod *æs graue* diceretur antiquis Rom. nullus hactenus, quod ſciam recte, & quantum ſatis ſit, iudicio meo, explicauit. Budæus (quem tamen ſemper honoris gratia nomino) *in Annotat. ad Pandectat. & libro primo de aſſe, & 5.* ex hoc loco *æs graue* interpretatus eſt, non ſignatum. Eandem interpretetionem recepit Alexeu. ab. Alex. *lib. Genial.* 4. *c.* 15. At præclariſſimos viros deceptos, manifeſte colligimus ex Feſto, vbi de denario loquitur, his verbis: *Graue æs dictum, quia deni aſſes (ſinguli pondo libræ) efficiebant denarium, ab hoc ipſo dictum denarium.* Et ex Plin. *l.* 33. *c.* 3. in hæc verba ſcribente: *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum, vſus eſt. Liberalis, vnde etiam libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. Quare æris grauis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur, item impendia, & pondera. Quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ, penſatores libripendes dicuntur: qua conſuetudine in iis emptionibus, quæ mancipi ſunt, etiam nunc libra interponitur. Seruius rex primus ſignauit æs, ante a rudi vſos Romæ.* Ex his colligimus duo: ſcilicet, Romanos non vſos ære rudi & informi, niſi ante Seruium regem: & ſignatum æs in ſolutionibus pẽdi conſueuiſſe, & ob id graue dictum. Quamobrem manifeſtũ fit, Liuij dicta de ære graui minime intelligenda eſſe de rodi & informi, quum tunc temporis ſignato ære vterentur Romani. Sed æs graue appelletum, quia penderetur, non numeraretur in ſolutionibus. Nemque ſi parue ſumma erat ſoluende, numerabantur nummi ærei, ſi magna, eppendebantur. Quod enim rem penſo, quam numero olim ficrent ſolutiones, clare docet Caſſiodorus *lib. Variar.* 7. *epiſt.* 32. prioris extat exemplum epud eundem Liuium, *l.* 34. vbi ſcribit, M. Catonem militibus diuiſiſſe ex præda in ſingulos ducentos ſeptuaginta æris, hoc eſt, aſſes, nummos ſcilicet ęreos 270. qui numero dari, non pondere, & ideo non ediecta particula illa *grauis*, ſed tantum dixit ſimpliciter *æris*, Exemple ſecundi apud eundem Liuium plura obſeruamus. Nem 4. *lib.* tradit *Poſtumium ob rem male geſtam in Veios decem millibus æris grauis damnatum.* Idem *l.* 5. ſcribit: *His creationibus incitata plebs denis millibus æris grauis condemnauit*, & paulo poſt: *Et peſſimo exemplo innoxij denis millibus æris grauis condemnati ſunt.* Audiemus & Gellium *li.* 10. *c.* 6. ite ſcribentem, *Tempore primi belli punici, Claudij Cæci filiæ ob dictum quodpiam petulantius, multam æris grauis 25. millia dictam.* Liuius item *libro quinto.* vbi de M. Furio Camillo ait: *Abſens quindecim millibus grauis æris damnatur.* Item *l.* 10. ſub finem, vbi de triumpho Papirij de Semnitibus: *Æris grauis magna vis tranſuerſa vicies centies millies, & quingenta triginta millia.* Et paulo poſt. *Æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia.* Et l. 3e. *Egregia*, inquit, *duorum ſeruorum indicum, & vnius liberi fuit, ei centum millia grauis æris dari patres iuſſerunt.* Et l. 22. *Indici data libertas: & æris grauis 20. millia.* Quibus omnibus in locis intelligendum, millibus aſſium æris grauis, auctoritate Verronis, *l.* 8. *Ling. Lat.* ſcribentis, *æs pro aſſibus accipi* antiquis: vnde &, *mille æris legaſſe*, eos dixiſſe ait, id eſt, *mille aſſes.* Aſſem enim libralem fuiſſe, præter Plin. loco citato, docet Cornutus *in Perſium*: Vnde & libram pro eſſe vſurpatem tradidit Priſcienus. Hinc *emptiones per æs & libram*, quando æs ponderebatur, non numerabetur. Horat.

Si proprium eſt, quod quis libra mercatur & ære.

Liu. lib. 6. *Inde rem creditori palam populo ſoluit, libraque & ære liberatum emittit*, hoc eſt, pecuniam Manlius nexi nomine fœneratori exoluit, adhibito libripende, qui æra penderet. Sic in Aug. Suetonius *c.* 64. inquit: *Caium et Lucium adoptauit domi per æs & libram emptos à patre Agrippa.* non enim per as & libtam legendum puto, quod nonnulli habent textus. Inde fluxit & appellatio *teſtamenti per æs & libram*, quum familiæ emptor adhibebatur, cui teſtator rem ſuam iudicis cauſa mancipio vendebat, de quo Gellius *lib.* 5. *c.* 27 & Vulp. *cap. inſtit.* 20. iteq; cõcludendum, *æs graue* dictum, quod pendebatur. Ita & pœna grauis æris. Poſſumus quoque dicere, à mulctæ grauitate pœnam æris grauis dictam, ex Gellio ſcribente l. 20. c. 1. de lege 12. tabul. *Sed enim ipſum vide, quod iniurias factas quinq; & viginti aſſibus ſanxerunt: non omnino omnes, ut Phauorine, iniurias æris iſto pauco diluerunt, tametſi hæc ipſa*

paucitat aſsium graue æris pondus fuit. Nam librariis aſsibus in ea tempeſtate populus vſus eſt. Illud tamen firmiter ſtatutum ſit, graue æs eo quod libraretur ſtatera, dictum: idque perſolui ſolitum in maioribus ſolutionibus, quamuis & id quoque in minorib. obſeruatum quandoque non negauerim. Magnitudinem ſanc æris, quod patres cõtribuebant, ſignificare volens Liuius, æs graue plauſtris in ærarium conuectum ſcribit, quum nondum argentum Romæ ſignatum eſſet: ex quo elicimus, æs illud ſignatum fuiſſe, namque ab argenti contributione abſtinuere, eo quod nondum ſignatum eſſet, alioquin ſi æs illud rude extitiſſet, & minori moleſtia profecto, & rude informeque argentum in ærarium contuliſſent, & minore labore ſaltem decupla proportione: quod alias oſtendemus factum, quum poſterioribus temporibus argentea moneta frequẽti eſſet in vſu, raro admodum, ne dicam nũquam, æris grauis vlla fiat à ſcriptoribus mentio, nam hæc maturabatur, illud vero vt plurimum pẽdebatur, præſertim ſi quantitas perſoluenda non eſſet exigua, ſed magna. quod potiſſimũ colligimus ex Seneca *de conſolat.* ſcribente ad Albinum: *Beatioreſque iſtos putat, quorum pantomima decies ſeſtertio nubant, quam Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore ſuo, in dotem æs graue acceperunt?* Nec poſt cuſum argentum, quod in Epit. Flori. 16. ſub anno 484. factum legimus: Et ex Plinio deuicto Pyrrho rege, vnquam à Liuio æris grauis poſtea mẽtionem factam obſeruamus. Nec profecto Franc. Hotmanus *lib. de re numaria*, ſententia recipienda, dum ait: *Quum primus aſſis æris vetuſtiſſimis temporibus libralis eſſet: dicta ægris grauis, ad differentiam aſsis leuioris, qui poſtea fuit in vſu.* Nam quomodo antiquiores hac de cauſa æs graue, eo quod aſſis ærea libralis eſſet, dicere potuerint, non video, quum leuiſſimi, qui ſucceſſit poſterioribus temporibus, nullam cognitionẽ habere potuerint. Ad hæc quæ ex Gellio adducit de Horatio, qui pro delectamento habebat, obuij cuiuſq; liberi hominis os verberare, ſeruumque præſto habere, qui crumenam aſſium plenam geſtaret, vt cuicunq;, quem depalmauerata, aſſes ſecundũ legem 25. numeraret, nihil ad rem facit. conſtat enim ex eodem Gellio ibidem, tunc temporis aſſes librales fuiſſe, non leuiores, vt ipſe probare profitetur. Vnde nec tam vaſta crumena, & immane marſupium imaginandum ad eos aſſes continendos, quales librales eſſent, vt ipſe imaginatur, nam non multos quotidie palma verberaſſe Horatium exiſtimandum, atque etiam ſemel ea exhauſta, iterum replere potuiſſe. At quoquo modo ſe res habeat, palam eſt, Gellium hæc addere, eodem in libro & capite paulo infra. Nam librarius aſſibus in ea tempeſtate vſus eſt populus Romanus. Poſtremo & è Liuij verbis demendus ſcrupus, namque ait, *nondum cuſum argentum*, & ideo æs graue in ærarium delatũ. Cuius contrarium alibi affirmaſſe videtur, namque *l. 1.* tradit, *Sueſſa Pometia vi capta, prædaq; diuendita, quadraginta argenti auriq; talenta redacta*: ex quibus videtur innuere argentum ſignatum tunc fuiſſe. Reſpõdemus, talentum duplex fuiſſe, numarium vnum, ponderale alterum, & talentum ponderale accepiſſe Liuium: non numarium: hoc autem ſeptuaginta librarum fuiſſe, quam ſæpiſſime tradit Seruius authoritate Plauti, *l. 5. Æneid.* eo loco: *Auri argentique talenta*, & *li. 9.* ibi: *Auri duo magna talenta.* Africanus talentum omne pondo ſexaginta tradit. Numarium talentum Hebræorum tetradachmam fuiſſe, ſcribit Budæus *de aſſe, l. 4.* ſed re de hac alibi plura, quũ multiplicia reperiantur apud ſcriptores talenti grauia pondera, & valore inter ſe, vti & nomine, valde differentia.

Cap. xxiv. *Leuo humero matari prope traiecto.*] Nullibi me legiſſe apud Græcos Latinoſve ſcriptores, præterquam hoc in loco vocem hãc *Matari* recordor, qua de re illius ſignificatum potius diuinare, quam certi aliquid affirmare poſſum. Vidit difficultatem Glareanus, & mendum in textu eſſe cenſuit, legendumque *machara* voluit. Sed quum machæra eſſet breuis gladij ſpecies, & cæſim potius, quam punctim feriendo aptior, non acquieſco illius ſententiæ. Nam Dioſcoridi *l. 4. Macherotion*, gladiolus herba dicitur. Et Apuleius *l. 9. de Aſino aureo*, id exprimens, inquit: *Cõminabatur ſeſe conciſurum eum machara fruſtratim.* Plautus vero iter facientes petaſatos & machæratos dicit, hoc eſt, breuiori gladio cinctos, quali peregrinantes vti ſolent. Alij vero dixere, *Matarin* fuiſſe haſtam ſeu lanceam longiorem, qua Galli vterentur: at quum Gallos lancea, *Geſſa* vocata, paſſim vſos obſeruem, nec interpretationem huiuſmodi recipere audeo: quod vero Galli geſſa ſint vſi, conſtat ex Cæſare *l. 2. belli Gallici*, quod pariter confirmat Lactantius, Statij interpres, *lib. 4. Thebaidos*, in eum locum:

---- Pars geſſa manu, pars robora flammis.
Indurata diu.

Idem quoque apertiſſime demonſtrat Virgil. *lib. 8. Æneid:* de Gallis verba faciens:

---- Duo quiſque Alpina coruſcant.
Geſſa manu.

Et Claudianus in Eutropium lib. 2.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis ante vagus, tandem regionibus hæſit,
Geſſaque depoſuit Graio iam mitis amictu.

Itaque ſicuti neutram interpretationem recipimus, nec reiicimus, tamen ambas ſuſpectas habemus. Sit ſub iudice æquo determinatio. Nos ſane mendum in textu eſſe non dubitamus, & loco matari, *materi* reponendum. Nam *ματερὶς μέλος τι ἐστὶ*, hoc eſt, *materis iaculi ſeu teli eſt ſpecies*, ſic ſcribente Strabone *lib. 4. Georg.* & Nonius Marcellus materim teli genus poſt lanceam longius dixit. Siſenna: *Gallis matribus*, (inquit) *Sueui lanceis configunt.* Et alibi: *Lanceis & materibus medium perturbant agmen.* Sic apud Cæſarem *belli Gallici l. 1.* legendum. *Nonnulli inter carros rotaſque materes ac tragulas ſubiiciebant, noſtroſque vulnerabant.* non *mazaras* vt vulgati textus, nec *materas*, vt alij, eſt enim tertiæ declinationis. Hinc forte *Matera* Deæ dictæ in Ægidio Siciliæ vrbe religione olim celeberrimæ, quarum ſimulacris tum Meriones, tum Vlyſſes haſtas affixerunt, inſcriptis etiam dicantium nominibus, quarum Dearum meminit Cæl. Rhodig. *lib. lect. antiq. 21. c. 6.* Gallorum autem materes proprias fuiſſe, ex Cæſaris dictis conicere poſſumus, ruſſuſque firmare ex præſenti Liuij loco, nam Romani aduerſus Gallos pugnabant. Vnde doctc Turnebus *Aduerſ. l. 9. c. 7.* annotauit, & hodie à Gallis ſagittam capitatam, matellatam dictam, quaſi materatam. Nonnulli à materi materiarios milites à Cæſare *libro belli Galli. 7.* dictos credidere, quod ſcilicet materi armarentur: at profecto minus recte, ſi textus verba ponderentur, nam Cæſar hoſce cum frumentariis coniunxit, de munitionibus verba faciens: & per materiarios intelligendi, qui materiam ad ædificandas munitiones ſuppeditant. Sic Hircius *de bello Afric. lib.* in hunc ſenſum *in Africa inopiam eſſe dixit materiei ad crates & arietes fabricandos.* Et Plautus *in Milit.* ait: *Si nos materiarius non moratur, cito erit parata nauis.*

T. LIVIVS LIB. VII.

Cap. xxviii. *Ædem Iunoni Monetæ vouit: cuius damnatus voti, quum Romam victor reuertiſſet, dictatura ſe abdicauit. Senatus duumuiros ad eam ædem pro amplitudine pop. Rom. faciendam creari iuſſit. Votum*, Cic. dixit, *eſſe ſponſionem, qua Deo obligamur*, vt interim Iuriſtarum ac Theologorum definitiones prætermittamus. Qui vero vota pro re aliqua à Diis impetranda faciebat, *vouere*, ſeu *vota ſuſcipere*, & *nuncupare vota* dicebatur. Qui vero ſoluebat, *perſoluere* & *ſignare vota*, cuiuſmodi. quum paſſim extent exempla, ſatis erit Plinium audire, lib. Epiſt. 10. ad Traianũ: *Solennia vota pro incolumitate tua et ſuſcepimus et ſoluimus, precati Deos, vt velint ſemper ea ſolui, ſemperq; ſignari.* ad quod & illud Iuuenalis *Satyr* 10. ſpectat:

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

nam cereas tabellas literis ſignatas, quæ votum explicabant, Deorum imaginibus affigebant. At, qui votum ſuſceperat, nec dum voti compos perſoluerat, *reus voti* appellabatur. Virg. *lib. 5. Æneid.*

Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus,

hoc eſt, vt Seruius interpretatur, voti debitor, quẽ locũ quoque enarrans Macrobius l. 3. c. 2. Saturnal. *Hæc vox* (inquit) *propria ſacrorum eſt, vt reus vocetur, qui ſuſcepto voto numinibus ſe obligat.* Qui vero voto ſuſcepto aſſequutus id, pro quo vouerat, nondũ tamen ſoluto voto damnatus voti dicebantur. quod clare Liuij dicta *l. 27.* demõſtrãt: *Deos omnes* (ait) *Deasq; precabãtur, vt illis fauſtũ iter, felixq; pugna, matura ex hoſtibus victoria eſſet, dãnarenturq; ipſi votorum, quæ pro iis ſuſcepiſſent.* Et l. 5. *Haud mirũ id quidem eſſe, furere ciuitatem quæ damnata*

voti, omnium rerum potiorem curam, quam religione ſe eximendi habeat. Et *l.* 39. ſcribit *ſe pro ægroto voviſſe, vt primum conualuiſſet, Bacchis eum ſe initiaturum: damnatum voti Deum benignitate ſe id e vſoluere velle.* Virg. *Ecloga* 5.

---- Tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient, damnabis tu quoque votis.

vbi Seruius, *Quum præſtiteris*, inquit, *quæ homines te orauerint, videlicet illos obnoxios ad vota ſoluenda. Nam ſumus voti damnati & obnoxij antequam reddamus.* Ex quibus patet, Alex. ab Alex. *lib. Genial.* 3. *c.* 22. perperam *damnatam voti* interpretatum, qui voti compos, vota esſoluiſſet: quod præcipue ex præſenti loco dignoſcitur. Nam dictator voti damnatus, nondum eo ſoluto, dictatura ſe abdicauit: cui voto ſubſequenti anno ſatisfactum ſtatim ſubdit Liuius.

T. LIVIVS LIB. VIII.

Cap. XIV. *In Veliternos, veteres ciues Romanos, quod toties rebellaſſent, grauiter ſæuitum, & muri deiecti, & Senatus inde abductus, iuſſique trans Tyberim habitare: vt eius, qui cis Tyberim deprehenſus eſſet, vſque ad mille pondo clarigatio eſſet: nec priuſquam ære perſoluto, is, qui cœpiſſet, extra vincula captum haberet.*] Cæl. Rhodiginus *l.* 5. *c.* 11. ex hoc Liuij loco, *Taleam* vulgo dictam, *clarigationem* exiſtimat dici poſſe. Budæus *in poſt Annot.* *clarigationem* cum Hermolao Barbaro eſſe voluit, quam Græci ἀνδροληψίαν vel ἀνδρολήψιον dixere, cuius Iulius Pollux *l.* 8. *c.* 1. ſi Græca Latina reddamus, ita meminit: *Androlepſia eſt, quando quis homicidas fugientes petens non accipit: licet ex non volentib. vſque ad tres abducere.* Eadem fere Suidas. De eadem re & Demoſthenes *in orat.* κατ' ἀριστοκράτους, in eandem fere ſententiam: *Si quis violenta morte obierit, pro hoc gentilib. atque cognatis Androlypſia ſunto, quoad iudicio cadis, pœnaque ſubiecerint, vel necis autores dederint, Androlepſia vero ad tres vſque, nec eo amplius eſto.* Hæc *l.* 6. *Decretalium, Epiſt.* 6. *ſub titulo de iniur. & auth ſed omnino. c. ne vxor pro mar. pignoratio* vocatur. interpretes barbari *repreſaliam* dicere maluerunt. Vet. Gloſſæ [illegible], id eſt, redemptio pro vita propria, vel pignore, & *Nouell.* 52. ὅμηρον, hoc eſt, vades, obſes, pignus, & quoq; ἀγνιμὸν, id eſt, violentum, nam reddere nolentibus, vi pigneratio ſeu repreſalia fiebat. Ego ſane *clarigationem* pignerationem dici Latine poſſe cenſerem, niſi pigneratio res potius, quam perſonã reſpiceret: clarigatio vero, ſicuti Androlepſia, potius perſonas, quam res. At clarigationem fuiſſe perſonarum potius, quam rerum prebenſionem, ex ipſius Liuij verbis clare percipimus: quæ tamẽ prehenſio ceſſabat, ſoluta pœnæ loco pecunia determinata: ſicq; reſpectu prehenſionis perſonarum Androlipſiam, reſpectu vero redemptionis ſolutæ pecuniæ medio, taleam & pignerationem dici poſſe, & ita ſcribentium de re hac ſententiæ, quæ diuerſæ videntur, conciliantur. Profecto minus apte Calepinus *clarigationem* belli denuntiationem interpretatus eſt: ſicuti & *clarigare*, bellum indicere: motus forte Plinij autoritate *l.* 22. *c.* 2. vbi habet: *Legati ad hoſtem cum clarigatum mitterentur.* At Plinius de fecialibus loquitur, quos & legatos appellat, quique mittebantur ad hoſtes repetitum, quæ illi vi & iniuſte abſtuliſſent, quod ſi dicto nõ paruiſſent, bellum poſtea indicebãt: quorum repetitionis actio ſub clarigatione quoque continebatur. Illud ſane non reticendum, Gregorium IX. in Concilio Lugdunenſi, *c. vnic. de iniur. l.* 5. *Decret. tit.* 8. prohibere androlepſiam perſonarum Eccleſiaſticarum, quam repreſaliam & peregrinationem & clarigationem dici poſſe, non dubitamus. Clarigationes in Gallia vocantur *Droict de Marque*, vti adnotauit Guido Pap. *c.* 32. De re hac plura Bartolus *in tract. repreſal. q.* 1. & Tiraquell. *in com. in l. ſi vnquam*, & D. Thom. 2. 2. *q.* 40. *c.* 1. vbi adnotatum lector inueniet, quæ repreſaliæ legitimæ & iuſtæ, & quæ non ſint dicendæ, & de eadem quæſt. Ioan. Andreas *ad reg. iur. non debet, in* 6.

Cap. XXVIII. *Nec quenquã ferme ex Pollia Tribu candidatam, Papiriam ferre ſolitum.*] Hẽricus Glareanus in ſuis ad Liuium Annot. ſcribit, Maguntinum Codicem non *Papiriã*, ſed *ſuffragia* habere, & interpretationem omittens, ait tantũmodo, ſe vereri locũ corruptũ eſſe. quam rem, dum ipſe perpenderem, in eam veniebam ſententiã, vt Liuium de Papiria lege verba facere exiſtimarem. fuere ſiquidẽ plures Papiriæ leges, puta *de conſecratione, de refectione Trib. pleb. de re numaria, de triũuiris capitalib.* & poſtremo *Papiria tabellaria, de ſuffragiis*, qua cautum, vt in iubendis legibus, aut antiquandis, populus tabella ſuffragium ferret, quæ lex gratiſſima pop. Rom. fuit vt tradit Cic. 3. *de legib.* & de eadem: idem dixit *in Planciana*, quod *frontem aperiret hominum, mentes tegeret*, daretque eam libertatem, vt quæ vellent, facerent. Et *in* 2. *Agraria, vindicem tacitæ libertatis*, & *in Corneliana*, *principem iuſtiſſimæ libertatis appellauit*. Putabam itaque, ſenſum verborũ Liuij eſſe, neminem candidatum ex Pollia Papiriam legem ferre ſolitum, hoc eſt, quando populus per tabellas occulta ſuffragia, vt lege Papiria cautum fuerat, daret, ad petitos honores promotum odio aliarum tribuum, quod ſicuti ipſæ omnes rogationem Flauiam de animaduertenda in Tuſculanos antiquaſſent, ſola Pollia cenſuiſſet Toſculanorum puberes verberatos necari, coniuges liberoſque ſub corona lege belli venire. At quum Liuiana dicta exactius perlegiſſem, dictionem illam *Papiriam* non ad legem, ſed ad tribum referendam, manifeſte deprehendi, ſenſumque genuinum eſſe, Papiriam tribum neminem fere poſtea ex Pollia tribu candidatum ad honores petitos promoueri paſſam, eo quod memor eſſet immaniſſimæ ſententiæ à ſola Pollia in Toſculanos ſuos latæ. Tuſculanos autem in Tribu Papiria ſuffragia tuliſſe, probat Carolus Sigonius ex hoc loco ſolo, *lib.* 2. *de antiquo iure Italiæ*, *c.* 9. quod veritati conſentaneum exiſtimandum. ſiquidem eos ciues Romanos factos, & legiones ab Tuſculo deductas, conſtat ex ipſomet Liuio *l.* 6. illiuſque mos eſt, cum abſolute profert, gentem aliquam ciuitate Rom. donatam, & ſuffragium quoque obtinuiſſe, tandem intelligere: ſicuti econtra, ſi ſuffragandi ius vna cum ciuitate non conceſſum, id exprimere, vti *l.* 8. ait, *Acerranis ciuitatem ſine ſuffragio datam.* Et curſus, *Formianos & Fundanos ciues Romanos ſine ſuffragio factos*, & l. 9. *Anagninis ciuitatem ſine ſuffragij latione datam.* quod pariter confirmari poteſt ex Valerio Max. dictis, *lib.* 9. *c.* 10.

T. LIVIVS LIB. X.

Cap. XXXVIII. *Primoribus Samnitum ea deteſtatione obſtrictis, decem nominati ab Imperatore, eis edictum, vt vir virum legerent: donec ſexdecim millium numerum confeciſſent. Ea legio linteata, ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat, appellata eſt, his arma, inſignia data, & criſtatæ galeæ, vt inter cæteras eminerent.*] Quidam hũc locum explanantes dixere, legionem Linteatam dictam eo quod linteis loricis ſeu thoracibus armarentur: ait enim Liuius, linteatam legionem appellatam *ab integamento, quo erant conſepti*: Antiquos vero lineis ſeu linteis loricis vſos, conſtare aiunt. Æmilius Probus, ſeu, vt alij, Cornelius Nepos *in vita Iphicratis*, ſcribit, *illum Athenienſibus loricas linteas pro æneis tradidiſſe, vt expeditiores in militari officio eſſent.* At hæc ab Homero *Iliad.* 2. Aiax Locrenſis λινοθώρηξ dictus, id eſt, *linteum thoracem habens*: ita & paulo poſt amplius etiam λινοθώρηξ dictus. Sed & apud Xenophontem *in Pædia Cyri, li.* 6. Abradates Rex ſuſorum induebatur thorace lineo, more patrio, & apud eundem in expeditione Cyri minoris, *l.* 4. Chalybes linteis loricis ad vnum vſque membrum induebantur. Et Pauſanias *l.* 1. *de Atticis*, Sarmatas, ſeu Nomadas loricis lineis vſos tradidit. Celebratur & Amaſis Ægypti regis linteus thorax ab Herod. *lib.* 3. de quo Plin. *lib.* 19. *c.* 1. inquit: *Mirentur hoc ignorantes Ægypti quondam regis, quem Amaſim vocant, thoracem in Rhodiorum inſula oſtendi in templo Mineruæ 365. filiis ſingula fila conſtantem.* Virg. lib. 12. Æneid.

Lancea conſequitur, rapitque infixa bilicem
Loricam.

In hunc ſenſum Sidonius Apollinaris ſcribit *l.* 8. *ad Leonem*: *Linteatam dici, veſte ſeu alio tegamento linteo indutã.* His tamen non obſtantibus, crediderim huiuſmodi interpretationem ſubſiſtere minime poſſe, ex ipſius textus verbis, inquit enim Liuius, *arma inſignia, & galeas huius legionis militibus data*: non ergo *loricas lineas*, quas certe non reiicuiſſet, ſed ſignatim nominaſſet, quum eas non ignoraret: ſiquidem prius *lib.* 4. meminerat *thoracis lintei* à Coſſo, interfecto Tolumnio, adempto, ac in templo Iouis Feretrij ſacrato. Præterea Samnitum legionem, inquit *linteatam dictam ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat*, & paulo ſupra dixerat *paratum locum in caſtris linteis contectum*. & *ibi linteo tecto ſacrificatum*, & cætera, quæ ſequuntur. Ad hæc Plinius loco cita-

Digitized by Google

to ſcribit ex Homeri auctoritate, *linteis thoracibus armatos pugnaſſe*, non itaque eſiſtimandum, linteos thoraces tot fuiſſe Samnitibus, vt ſesdecim millia ipſorum (tot enim conſtitiſſe legionum linteatam, ſcribit Liuius) illis armari potuiſſent. Poſtremo omnem ſcrupom adimit Feſti Pompeij auctoritas, qui *lib.* 10. paulo poſt à principio ſcribit, *Samnitum legionem linteatam appellatam à Liuio. quod Samnites ſinguli ad aram velis linteis circumdatam, ſe non ceſſuros Romano militi iurauerant.*

T. LIVIVS LIB. X.

CAP. XL. *Tripudium ſoliſtimum Conſuli nunciauit.*] Inter cætera auſpicia, quibus antiqui Rom. maximam curam adhibuere, ita vt niſi his præmonentibus, comitia non haberent neminem ad principem magiſtratum promouerent, non pacem, non bella inirent, nec pugnam aggrederentur: pullorum auſpicia multæ exiſtimationis fuiſſe, paſſim legimus. His enim è cauea emiſſis, puls vel offa pro cibo ab auſpice, pullario dicto, dabatur. quod ſi oblata eſca, pulli è cauea non exiſſent aut progreſſi, illam non attigiſſent, triſtis euentus omen erat. quod Val. Max *l.* 5. *c.* 4. & Liuius *l.* 6. tradidere. Sic Tiberio Graccho, qua die cæſus occubuit pulli emiſſi è cauea, retro ceſſere *ex Plutarcho in illius vita.* Et Claudius Pulcher in hoſtes moturus, non paſcentib. in auſpicando pullis, nauali pugna, claſſi profligata, improſpere conflixit *ex Suet. in Tiberio, c.* 2. Econtra vero, ſi pulli è cauea egreſſi, oblatum cibum depaſti eſſent, ita vt illis veſcētib. offæ ſeu pultis fruſtulum ab ore in terram decideret, & in terra pauiret, auſpicia ſecunda portendebat, atque fortunatum euentum, quod Cicero 1. & 2. *de Diuinatione.* & Feſtus Pompeius *l.* 14. tradidere. Hoc autem vocabatur *tripudium ſoliſtimum:* in hæc verba docente ibidem Cic. *Sed quia, quum pulli paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primo, poſt terripudium dictum eſt, hoc quidem iam tripudium dicitur: quum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nunciant.* Quod & li. Epiſt. Famil. refert: *Soliſtimum vero dicebant ab imo ſolo, quod offa ex ore cadens feriebat.* At hæc auſpicia ab ipſis tandem Romanis poſt multa ſecula, tanquam omnino ſuperſtitioſa, repudiata, vti videre licet apud Ciceronem, *lib. de Diuinatione.* Diuinis vero legib. & noſtris Canonib. ſont damnata, vt patet *ex cauſa* 25 *queſt.* 5. Nec omittendum illud Acij antiqui Poëtæ: *Nil credo auguribus qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos.* Et inter Valer. Flac. 1. *Argonaut.* eſt alubrica appellat, quod auſpicia omnia inconſtantia & fallacia ſint. Mendacij autē pullorū auſpicia, coarguit locus hic, quia etſi pro Papirio, auſpicāte pullario, pulli nō paſcerentur, vicit tamē ille pugnās, & multa millia hoſtiū fodit & interemit, pullario, qui mētierat, in primo cōgreſſu ante ſigna occūbente.

Cap. XLIV. *Equites omnes ob inſignem multis locis operam, corniculis armilliſq; argēteis donat.*] Milites ob ſtrenuā in pugna nauatam operam donabantur à ducib. coronis multiplicib. haſtis puris, phaleris, torquib. armillis: addit hoc loco Liu', *& corniculis.* Sed quale eſſet corniculū, haud cōpertū eſt, quod ipſe legerim. illud ſane coniectari licet, ab huc ornamēti genere, milites corniculo inſignitos, *cornicularios* appellatos. De *cornicularijs* autē militibus, qui ſcilicet olim eſſent, nōdū certi quicquā ex antiquis ſcriptoribus, recentioribusve, mihi diligētiſſime perſcrutanti, reperire licuit. Quod tamen ex aliorū ſcriptis occurrit, in medio afferā, nec, quæ ex mea Minerua deprompſi, reticebo: vt in re iſta perdifficili & abſtruſa, lumen quod dari poteſt, non deſit. Turnebus *Aduerſ. l.* 5. *c.* 10 ita ſcribit: *Vt in exercitu & acie dicitur cornu, ita in cohortib. Tribuni militum Corniculū, & fortaſſe in ordinib. Centurionē, à quo cornicularius, qui corniculo Tribuni militū præeſt.* Cæl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 10. ſcribit: *Corniculariū vero obiter ſunt, qui putent, corniculis militantē, ſicut à cornu dicti cornicines.* Et paulo infra addit ex Amm. Marcellino *l.* 16. *Cornicularios & Cornutos* vocatos & *Baccatos* milites, vſu prœliorū diuturno firmatos: quorū etiā meminit idem author, *l.* 15. inquiens, *Baccatos atq; cornutos fluxioris fidei, & vbertate mercedis, ad momentum omne verſabiles, Cōſtantini Imperatoris iuſſu in Siluani mortem, qui ad culmen Imperij ſurrexerat, ſolicitatos, illū interfeciſſe.* De cornutorū quoq; Tribuno alibi idem Ammianus verba facit. Verū hæc, ſicuti, quod quærimus, non aperiunt, ita difficultate non vacant. namq; apud Amm. Marcellinum textus correctiores non habent *cornutos & buccatos*, ſed *Cornutes & Braccatos*, hoc eſt, populos illos Galliæ, inter Celtas Andegauēſibus Turonibuſq; finitimos: *ex Cæſare, l.* 5. *et* 6. *belli Gallici*: quāuis Plinius inter Danubiū & Hercinium ſaltum eos cōſtituat *l.* 4. *c.* 12. Hos vero Braccatos ſcilicet, Galliæ Narbonēſis populos fuiſſe, teſtimonio Plinij cōſtat, *li.* 3. *c.* 4. cui lectioni præcedētia, & ſubſequētia verba maxime fauere videtur. Carolus Sigonius de antiquo iure prouinciarū, l. 2. c. 2. *Cornicularios* (inquit) *autē qui fuerint, nemo tradidit, ego tribunō militaris miniſtrū fuiſſe, facile dixerim.* Hoc autē cōfirmat auctoritate Valerij Maximi, *l.* 6. *c.* 1. ita ſcribētis: *Cominius Tribunus plebis diem ad populū dixit M. Lectorio Tribuno militum, quod corniculariū ſuum ſtupri cauſa appellaſſet.* Iulius Frōtinus idē affirmare videtur Stratagem. *l.* 3. ita ſcribens: *Tāquā Tribuni cornicularius vigilias excitauit*, vel *vigiles*, vt alij legūt. Leuinus Torrētius in ſuis Cōment. in Suetoniū, in Domitiano, c. 17. *Cornicularius*, inquit, *ordo, ac gradus in militia erat: neque aliud, quā accēſi Tribunorū, Centurionūq; ac Decurionū fuiſſe videtur.* Huic ſententiæ Aſconij dicta in Verr. *Accenſi* (inquit) *dicebātur attributi Decurionibus, hoc eſt, eorū miniſtri, quos nūc Commentarienſes et cornicularios appellāt.* Accenſos autem, ab *acciēdo* dictos, eo quod mādata proferrent, & accirent, alibi docuimus. Ita & Suetonius *de claris Oratoribus*, de Orbilio ait: *Orbilius primo apparituā fecit magiſtratibus, deinde in Macedonio corniculo, mox equo meruit.* Et auctor de viris Illuſtribus: *M. Scaurus primo in Hiſpania corniculo meruit, ſub Oreſte in Sardinia ſtipēdia fecit.* Ex his omnibus cogitabā ego *cornicularios* forte fuiſſe, qui tribunorū & cēturionū imperia mādataq. per ordines & in acie proferrēt, paruo cornu argēteo variæ concinentes, quo pacto hodiernis tēporib. triremium ductores corniculo, quod colla appēſum geſtant, ori appoſito varie & diuerſimode ſibilantes ad varia munia obeunda nautas & remiges excitāt. Sicut itaque in vniuerſo exercitu, teſte Vegetio *l.* 2. *de re milit. c.* 22. cornicines erāt, & tubicines, qui in pugnā milites incitabāt, quod pariter & Liuius tradit, *l.* 2. ita & in ſingolari quoque ordine erāt cornicularij, imperantium mandata corniculo ſignificantes. Ita in militia Palatina *cornicularij* accipiuntur pro Accenſis Primiſcriniorum, vel Principis proximorum, ſi Alciato credimus *in l.* 1. *Corniculario. C. de prox. ſacr. ſcrin. l.* 12. Veniebat quoq; in mentem *corniculum* fuiſſe ſignum ſeu vexillum, ſub quo equites ducebantur, quemadmodum & noſtris temporib. equeſtriū militum ſignum & ſigniferū vulgo *Corneta* dicitur. quod cōprobare videtur Vegetius *de re milit. l.* 2. *c.* 24. ſcribēs: *Qui ſub vno corniculo militabāt, centurio et ſui milites, ambo cornicularij dicebātur.* Et Symmachus *lib. Epiſt.* 1. *ad Theodoſium* inquit. *Prætorianus vrbanarū cohortiū miles ad corniculariorū gradū inculpati laboris diuturnitate promoti.* Poſtremo dum Liuianū textum prępondero, & animo concipiebam, quod ſicut Venetorum Ducum ornamentū illud, quod capite geſtant miris gemmis exornatum, *cornu* vocant, ita & antiquitus militari ornamento caput militis illius honeſtarent Imperatores exercituum, qui ſtrenuum aliquod facinus egiſſet, hocq; *corniculū* appellaretur, cui inderētur plumæ, aliudve ſimile, & argenteū erat vel aureum, quod noſtrates etiam gēmis exornatos ferre, & *aieronera* dici paſſim ſcimus: quod ex ſculpturis antiquis pariter colligere poſſumus, in quibus conſpicimus militū nonnullos in galeæ ſummitate huiuſmodi corniculo habentes: Corniculū autem vocari hoc capitis ſeu galeæ ornamentum puto, ab animalium quadrupedum quorundam ſimilitudine quorum caput cornu vel cornib. inſigniātur. Sic Luna *cornu præfulgens* dicitur. Hanc noſtrā ſententiam cōfirmare poſſumus ex iconib. galearū militarium à Gulielmo Chouſ Gallo *lib. de Caſtrametatione antiquorum*, deſcriptis, præſertim ex 5. & 6. in ordine, corniculos in ſūmitate præferētes. Sic in numiſmate argēteo Alexādri Magni caput galeatum cum corniculis cōſpicimus, vnde & eorum vſum à Græcis ad Romanos trāſlatum exiſtimamus. Sic in ſacris literis Moyſes *cornubus illuſtris*, & 1. Regū c. 2. *Dabit imperiū Regi ſuo, et ſublimabit cornu Chriſti ſui*, & pluries cornu exaltationē pro ſublimatione, ſacræ paginæ accipiunt. Certe cornicularij milites virtute præſtātes, & fortitudine inſignes erāt, quod tum ex dictis colligere poſſumus, tum etiā ex Suetonio in Domitiano, *c.* 17.

dum ait: illum à *Clodio*, ſeu vt alij legũt, *Clodiano corniculario, cum aliis contrucidatum*. Et Caſſiodorus, *l.11. variar.* tradit *cornicularios* dictos, *qui praerant cornibus ſecretarij*, hoc eſt, qui in conſilio Præfecti prætorio ſtabant armati, à Græcis ὑπασπισταί. quo ſenſu accepta & hæc vox apud Maternum *lib.2.* & Firmicum *Matheſeos 3.* In ſcriptione antiqua, in Sacello ſanctæ Mariæ, in via Pontificum, legitur: VECTORIVS PROCVLVS ADIVTOR CORNICVL. In alia in hortolo ad Aquam Virginem: ATENÆVS FIRMVS CORNICVLARIVS SVP. PRÆF. VIRGIL.

T. LIVIVS LIB. XXI.

Cap. LXII. *Cære ſortes extenuatas.*] Sortis inſtrumenta, *ſortes* dicebantur. Cicero de diuinat: *Simia ſortes euertit, ſortes diſſipauit.* Accipiuntur & nonnunquam *ſortes* pro oraculi reſponſo, quæ olim Satana ſuggerente, diuerſis in locis conſulentibus reddebantur, quibus impoſturis & hodiernis temporib. impuri impiiſſimique quidam delectantur, & ſortilegi dicuntur, 26. *quaſt.1. in toto titulo, extra de ſortileg.* Erant autem, vt docet Cic. *l.1. de Diuinat.* duo oraculorum genera, ſeu reſponſorum: vnum quando voce dabantur à furentibus, ac demum afflatis, puta à Pythia, Apollinis nomine correpta: alterum, quod æquatis & parib. ſortib. ex vrna ducebatur. Habebant n. teſſellas, ſeu folia, aut paginas, taleolaſue ligneas, certis quibuſdam ſententiis obſcuris notatas, quarum quædam fœlicitatem, quædam calamitatem prænuntiabant, educebãtur vero è ſitella, vel vrna: & hæc etiam ſortes ſeu oracula vocabantur. Cic. loco citato: *Quum Spartiatæ oraculum ab Ioue Dodonæo peterent, legatique illud in quo inerant ſortes, collocauiſſent, Simia & ſortes ipſas, & cætera quæ erant ad ſortes ipſas parata, diſturbauit*, quod pariter Æſchilus docuit. Oraculum itaque Cære reddebatur, non modo reſponſo voce dato, ſed ſortibus inſcriptis: has autem *extenuatas* ait Liuius, eo quod vel tabellæ imminutæ exceſſent, vel reſponſa non ſemper, nec omnibus ex more darentur, quod portentoſum habitum. Quæ tamen interpretatione exacte ſatisfaciat, efficiunt eiuſdem Liuij verba per initia libri ſubſequentis huiuſmodi: *Sortes ſuas ſponte attenuatas vnamq; excidiſſe ita ſcriptam: Mauors telum ſuum concutit.* Itaque *extenuare* & *attenuare*, non propria ſignificatione & communi accipiendum, ſed pro eo quod eſt diſgregare, ſeu diſiungere, & concreto & aggregato ſeu coniuncto opponitur: ſic Cic. *de Nat. Deorum, aerem dixe extenuatum, nolle concretum* dixit: ita vt ſenſus ſit, ſortes, quæ in vrna inſimul iunctæ erant, attenuatas ſponte, hoc eſt, nullo reſponſum petente, nec Sacerdote dante ex ſe extenuatas, hoc eſt, diſiunctas, vnamque ex vrna excidiſſe, in qua erat inſcriptum: *Mauors, &c.* quod pro portento habitum. Cære vrbs præclara Hetruriæ fuit, ex eodem mer Liuio *l.1. & in extrema parte l.4. & l.28.* Plinio *l.3.c.5.* & Strabone *lib.5.* Hanc perperam Seruius Agillinam vocatam tradit in eum Virgilij locum, 8. Æneid. *Vrbis Agillinæ ſedes*, & illud 10. eiuſdem: *Qui à Cærete domo.* Seruio autem errandi occaſionem præbuiſſe puto Plinij verba, loco citato, quæ diſiunctiue legenda, non coniunctim: Agillinam. n. aliam vrbem fuiſſe à Cærete, palam eſt. In vrbe itaque Cære religionis eximium fuiſſe cultum, præter oraculum, & ſortes, ex eo colligimus, quod Feſtus tradat, cærimonias dictas à Cære oppido (quamuis Gellius *l.4.c.9.* à Cærere deriuatas, ſed minus oppoſite, ſcripſerit) nec non ex eo quoque, quod Gallis Capitolium obſidentibus, Flamen Quirinalis, aliiſque Sacerdotes Veſtales virgines, ac pop. Ro. Sacra Cære connexere, ex ipſo Liuio *lib.5.* Petaſones, Cæretanos, & Cæretana vina, mire extollit Martialis. Quamuis autem à Cæretanis Rom. ſacra ſeruata fuerint, vnde & hodie vulgo *Cærete* de ſeruatis dicitur, illi tamen ſola ciuitate Rom. donati ſunt, nec vnquam ſuffragij ius obtinere potuerunt, vnde qui Romani ciues ſuffragandi notæ cauſa munere priuantur, ita vt nec ferre ſuffragia in comitiis, nec in eiſdem ad honores promoueri poſſent, dicebantur referri in Cæritum tabulas, vt docet Gellius *lib.16.c.13.*

T. LIVIVS LIB. XXII.

Cap. XX. *Vbi vis magna ſparti fuit, ad rem nauticam congeſtam ab Aſdrubale.*] Geniſtam vinculi vſum præſtitiſſe antiquis tradit Plinius *l.24.c.9.* vbi quoque ait, *ſe dubitare eam eſſe, quam Græci auctores Sparton appellauere, quum ex ea lina piſcatoria apud eos factitari docuerit, & hanc deſignaſſe Homerum, quum dixit, nauium ſparta diſſoluta: nondum enim fuiſſe Africanum, vel Hiſpanum ſpartum in vſu, certum eſt: & quum ſutiles fierent naues, lino tantum, non ſparto vnquam ſutas.* Idem Plinius *l.23.c.12.* ſcribit, *Antigonum ex papyro funes paraſſe, nondum communicato ſparto.* Libro vero 19.c.2. de ſparto ex profeſſo verba faciens, inquit: *Sparti quidem vſus, multa poſt ſecula cœptus eſt, nec ante Pœnorum arma, quæ primum Hiſpaniæ intulerant. Herba hæc ſponte naſcens, et quæ non queat ſeri, iuncuſque proprie aridi ſoli.* & paulo poſt ſubdit: *Hinc ſtrata ruſticis eorum, hinc ignes, faceſq;, hinc calceamina, et paſtorum veſtis*: ſequitur deinde Plinius modum parandi ſpartum docere, poſtremo addens: *Verum tamen complectetur animo, qui volet miraculum æſtimare, quanto ſit in vſu omnibus terris nauium armamentis, machinis ædificationum, aliiſq; deſideriis vitæ.* Itaq; hoc loco per *ſparti magnam vim* intelligẽdum, vel herbam ipſam perfectam, & paratam in nauium vſum, vel quod magis arridet, funes ex ſparto paratas, namq; & Græcis σπάρτον, funis, & rudens eſt, & σπάρτη filium. Et Athenæus *li.5.* filium craſſius, ſpartia appellauit, inquiens: *Putria calceorum ſpartia accendẽs.* Apud Catonem *de re ruſtica. c. 11. ſparteas* obſeruamus *vrnas et amphoras*, hoc eſt, ex funibus ſparteis confectas, pice poſtea, vel reſina cerane oblinitas, fictilibus, & teſtaceis minus frangibiles, niſi dixerimus, ex ſparti iuncis eaſdem contextas fuiſſe. Plinius loco præcitato tradit, *Funes ex ſparto paratas, præcipue in aquis mariq; inuictas, in ſicco præferunt è cannabi factas. At ſpartum alitur etiam demerſum, veluti natalium ſitim penſãs.* Cato de re ruſt. *c.3.* ait, *Trochleas Græcanicas binas, quæ ſparteis funibus ducãtur.* Et Liuius ipſemet *l.26.* ſcribit. *Naues onerariæ 113. in portu expugnata, captæq; quædã, cũ ſuis oneribus, frumento, armis ære præterea, ferroq;, linteis, et ſparto, et naualis alia materia ad claſſem ædificandam.* Ex quibus ſatis patere puto, per ſpartum intellexiſſe Liuium funes ex ſparto confectas. Noſtris temporibus earũ vſum deſiiſſe exiſtimandũ ex cannabis redundantia, ex quo firmiores & minori negocio parantur. De ſparto Dioſcorides *lib. 4.* vbi mirum, in Com. doctiſſimum Mathiolum de re hac ne verbũ quidem feciſſe.

T. LIVIVS LIB. XXIII.

Cap. XLVIII. *Exortandoſque qui redempturis auxiſſent patrimonia, vt Reipublicæ, ex qua creuiſſent, ad tempus commodarent.*] *Redemptura* à verbo *redimere* deriuata: redimere vero multis modis accipitur, præſertim apud Iuriſtas. Nam redimere quandoque eſt emere, Cic. *qui merces redimunt, vt ſtatim vendant.* Dicitur, *ſecundo redimere* pro reemere, Cic. in Ant. *Pompeio ſua domus patebit, eamque non minoris, quam emit Antonius redimit.* ita in contractibus *familiare pactum redimendi.* Tertio pro liberare, ſeu recuperare illos qui ſunt capiti. Cic. in offic. *redimere captos à ſeruitute.* Quarto *redimere* pro corrumpere, vt, *redimere delatorẽ pecunia*, hoc eſt, eum à delatione deducere. *ex Vlp. l.29. D. de iur. fiſci*, ſic redimere ſententiam, redimere iudices. Macer. *l.34.eo.* Et redimere litem, id eſt, futuri emolumenti litis paſcici, *l.7. D. mãdati*, & alibi pluries. Vnde & *redemptor litis.* qui certa mercede pacta, litis periculum in ſe recipit. Vlp. *l.6. D. mandat.* & Cic. pro Q. Roſ. *Roſcius ſocietatis nõ ſuas lites redemit*, & pro Mil. *Qui palam ſe iudicibus redemerat.* Poſtremo accipitur *redimere*, pro certo precio aliquid faciendum ſuſcipere, ex Cic. *l.2. de Diuinat.* & Celſius *in l. redemptores. D. de rei vendicat.* Verũ illud animaduertendum, quod ſicuti *locare* proprie eſt precium accipere, & *conducere*, dare pro annuo fructu alicuius rei, nonnunquam tamen promiſcue accipiuntur, vt annotauit Accurſius *in l.2. tit. de exercit. act.* & fuſius Budæus ibidem: ita & *redimere* licet proprie ſit precium accipere pro re facienda ſuſcepta, nihilominus & aliquando eſt precium ſoluere pro re conducta. Ita publicani dicebantur *vectigalia redimere*, & *redemptores* vocabantur. Ita *redemptor caſoriarum, redemptor ſyluæ, portus, venalium rerum, ſalinarum, metallorum, picariarum, arenariarum, cretæfodinarum, paſcuorum*, & aliorum conſimilium pop. Rom. redituum, quorũ exempla paſſim legimus. Ita & Valla l.1. elegantiarum *locare* etiam promiſcue accipi docet. Locare enim ſepulturam faciendam (inquit) tam ſignificat dari alicui faciendam, quam ſe eam ad faciendam locare. Itaque *redemptores* dicebantur publicani, qui vectigalia & alios

Digitized by Google

reditus publicos conducebant, & magis proprie, qui etiam aliquid opus publicum faciendũ pacta pecunia in ſe recipiebant. *Redemptores* (inquit Feſtus) *proprie, et antiqua conſuetudine dicebãtur, qui quum aliquid ad faciendũ aut præbendũ conduxerant, effecerantque, tum demum pecunias accipiebant.* A redẽptore dicta *redemptura*, quæ eſt redemptio ſeu conductio publicorũ operũ, ex Vlp *l.5. De inſt. act.* & Cic. *de Prob. Publicanos temeritate redemptionis pene eſſe euerſos.* Publicanorum autem ordo potentiſſimus Romæ erat, qui redempturas exercebat, plurimumque authoritate valebat, vt Cic. *in epiſt. ad Lentulum, Appium, et Q. Fratrem, & in Orat. pro Plancio* ſcriptum reliquit: *Flos equitum Rom.* (inquit) *publicanorum ordine continetur.* Et Liuius *li.25.* ait, *publicanos iurgantes cum pop. Rom. Tribuniſque Pleb. auſos ſuffragio euertere concilium, & turbare.* Male tamen audiabant Publicani, quod per initia *li.21.* docuit idem Liuius, ac illos pecunioſos fuiſſe, vtpote quibus plurimum lucri ex redempturis accederet, ex hoc loco patet, nec ſolum ſingulos redempturas, ſed & ſocietate coniunctos, plures exercuiſſe. Itaque quum veſtimẽta & frumẽtum Hiſpanienſi exercitui mittenda eſſent, tres ſocietates hominum vndeuiginti id onus in ſe receperunt, hiſce pactis tamen, *ne alij triennio futuro publicani eſſent, & quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatiſque vi, publico periculo eſſent, & ita priuata pecunia reſpublica adminiſtrata eſt, vt quũ pecunia in ærario eſſet, redẽptorib. iis primis ſolueretur.* Publicorum operũ extruendorũ locationes paſſim apud eundẽ Liuium legimus, huic vero conſimilem *li.34.* vbi habet: *Itaque redemptorib. veteris frumentũ parare, ac Romã dimiſſu, bellũ, inquit, ſeipſum alet.*

AD LIB. XXIV.

Cap. x. *Et in vico Iſtrico fontem ſub terra tãta vi fluxiſſe, vt ſerias doliaque, quæ in eo loco erant prouoluta, veluti impetus torrẽtis tulerit.*] *Seriã* vaſis genus quoddam fuiſſe, omnib. receptũ eſt. ſed quæ illius forma, materia, magnitudo & vſus eiuſdem fuerit, non ita manifeſtũ. Donatus enarrans illud Terentianum in Heaut. *Releui dolia omnia, omnes ſerias*, inquit: *Seria vas fictile de limo oblongũ.* Budæus *li. de aſſe 5.* ita habet: *Seriã oblongæ formæ fuiſſe puto, et in ſummo ceruicatam.* Recentiores Iuriſtæ nonnulli, & ipſi vas oblongũ fuiſſe, tradunt. Sed hi omnes nulla ratione, omnes nulla auctoritate, ſententiam ſuam cõprobant; ita vt mere imaginaria eorum dicta ſint cenſenda. Magnum vas ſeriam fuiſſe, non dubitamus. ſiquidem miraculo caret portentum à Liuio ſcriptum, ſi ſeriæ, ſicuti & dolia, quaſi à torrente, à fonte prouolutæ, magnæ non fuiſſent. Ad hæc Columella *li.13.* docet, ex ſeriis in minora vaſa vinum diffundi ad vetuſtatem ſeruandam, nempe in cados & amphoras. Præterea idem auctor meminit ſeriarum, quarum ſingulæ ſint amphorarum ſeptenũ. Alciatus, loco infra dicẽdo, ait, ſeriam vas fuiſſe maius, & capacitatis maioris, quam culeũ, quod vicenas amphoras continebat. Addamus à ſeria, vaſe magno, diminutiuum *ſeriolam* deriuari. Perſius *Satyr. 4.*

Seriolæ veterum metuens deradere limum.

Ita vt & fictile vas fuiſſe ſeriam, ex Perſio & Donato affirmare poſſimus, nec non & ex Lãpridio, ſcribente in Heliogabalo: *Quumq; ſeriam quaſi veram rapuiſſet, quãuis virgo maxima falſam monſtrauerat, atque in ea nihil reperiſſet, exploſam fregit.* Alciatus *in Com. in tit. de verb. ſignific. l. 206.* figuli ui fuiſſe operis ſeriam, teſtatur. Sed & alterius quoque materiei cõfectam conſtat: primum ex eodem net Perſio ibidem ſcribẽte:

—Et ô,

Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria.

ſeriam ſparteã, hoc eſt, ex ſparto confectam, & pice circũlinitam, colligere poſſumus ex Pacuuio, vetere poëta, ſcribente:

Nec vlla ſubſcus cohibet compagem aluei;
Sed ſuta lino, et ſparteis ſerilibus.

Vbi ſpartea ſerilia vocat, hoc eſt, ad ſerias conficiendas apta. Vnde & ex ære, ligno excauato, aliaue conſimili materia parari potuiſſe ſerias, non dubitandum. Præcipuum vero feriæ vſum fuiſſe in vino condendo crediderim. nam Vlpianus *l. 15. § proprietatis. D. de vſufruct.* vinarium vas fuiſſe teſtatur, & Columella *li. 12. c. 18.* ita ſcribit: *Dolia quoque ante quadrageſimum vindimiæ diẽ picanda ſunt.* Frumentariũ vas alij Iuriſtæ recentiores ſeriã fuiſſe, contendunt ex Paulo, *ex eadẽ l. 206. de verb. ſignific.* ſed & aliũ vſum præſtitiſſe ſeriam colligimus, ex Columella *li. 13.* vbi de ſalſura ſuillæ carnis verba faciens, ait: *Sed quum ad fauces ſeriæ peruentum eſt, ſale reliqua pars repletur, et impoſitis põderibus, in vas comprimitur, eaque caro ſemper conſeruatur, quæ tamquam ſalſamentum in muria ſua permanet.* Varro vero *li. 3. de re ruſt. c. 2.* ſeriarum oleariarum meminit, id eſt, ad oleum ſeu oliuas conditas ſeruãdas, deſtinatum vas. Illud poſtremo annotari libet, Turnebum, quem ſemper honoris gratia nomino, *l. Aduer. 30. c. 6.* Terentianum illud in Heauton. act. 3. ſcen. 1. *relinire ſerias* interpretatum, ſerias aperire. Cuius ſententiam, etſi redarguere non libet, tamen nec prætereundum dicimus, forſan *relinire* eo in loco interpretandum, iterum linire pice, quum ſcilicet pix vetus à vaſe decidiſſet, ita vt haud bene contenta adſeruarentur.

Cap. XVIII. *His ſuperioribuſque illis equi adempti, qui publicum equũ habebant, tribuque moti, ærarij omnes facti; neq; Senatus modo, aut equeſtri ordini regendo cura ſe Cenſorum tenuit. Nomina omniũ ex iuniorũ tabulis excerpſerunt, qui quadriennio non militaſſent, quib. neq; vocatio iuſta militiæ, neque morb. cauſa fuiſſet. Et ea ſupra duo millia nominũ in ærarios relata, tribuque omnes moti.*] Quid eſſet, *ærariũ facere*, ſeu *ærariũ relinquere*, vel *in ærarios referre*, quorũ frequens apud ſcriptores fit mentio, à nullo hactenus plene & ad amuſſim declaratum inueni. Budæus *in Annot. in Pandect. ex l. vltima de Senatorib.* ſcriptũ reliquit: *Aerarij verbũ frequens apud antiquos, à paucis ſatis intelligitur.* Verũ ſicuti id iure optimo retulit, ita neq; ipſe rẽ plene aperit. Nicolaus Gruchius *li. 1. de Comitiis Rom.* rem hanc veluti per tranſennam tantum tetigit, minime tamen explanauit. Carolus Sigonius *li. 2. de antiquo iure Rom. capite decimoſexto*, Ærarios interpretatur, qui à militarib. ſtipẽdiis eſſent repulſi, idque probare contendit auctoritate Liuij ſcribentis *li. 7.* Attellanos hiſtriones cenſoria nota vacuos fuiſſe, *quia neque tribu mouerentur, neq; à militarib. ſtipendijs eſſent repulſi.* At pace doctiſſimi viri ſit dictum, interpretatio minime genuina eſt. aliud enim eſt à ſtipẽdiis repelli, aliud, ærarium fieri. Qui enim ſtipendiis priuabantur, non *ærarij* dicebãtur, ſed *ære diruti* appellabantur. Ita Feſtus ſcribit: *Aere dirutum militem dicebãt, cui ſtipendiũ ignominiæ cauſa non eſt datũ, quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculũ.* Et Cic in Verr act. 6. *Aleatoris Placẽtini caſtra cõmemorabuntur, in quib. quum frequẽs fuiſſet, tamen ære dirutus eſt.* Præterea ſenſus verborũ Liuij à Sigonio adductorũ eſt, quod quãuis hiſtriones & ſcenã exercentes, tanquã infames à militia arcerentur, nihilominus Attellani hiſtriones peculiari priuilegio ab hac nota excipiebãtur, & ſtipẽdia facere poterãt. Cœlius Rhodiginus *li. lect. antiq. 29. c. 6.* ſcribit, Ærarios in Romana hiſtoria nuncupatos, qui plebei ordinis, delicti nomine in Cæritum tabulas à Cẽſorib. reiecti, nec in cẽturiæ albo ſcripti amplius, pro capite dũtaxat tributi cauſa æs conferebãt. Sed hæc Rhodigini ſententia in duob. potiſſimũ peccat. nam aliud erat, *in Cæritum tabulas referre*, aliud, *ærarium facere*: præterea non plebei dũtaxat, ſed & patritij, grauis & equeſtris ordinis homines ærarij fiebãt, quod ex mox dicẽdis, & etiã dictis clariſſime patet. Petrus Gregorius iuris vniuerſi ſyntagmatis *par. 3. li. 47. c. 7. n. 10.* ait: *Referebãt in ærarios, hoc eſt, inter eos, qui ærario pendere debebant, pœnæ nomine, eũ quo irreuerẽter loquutus eſſet, &c.* Sed hęc expoſitio valde diminuta eſt, nec rẽ totã aperit, quinimo quũ pecuniaria pœna quis afficiebatur, quãtitas æris perſoluẽdi explicite addebatur, ſecus in his qui ærarij fiebant, quod ſuperius in li. 4. Dilucidationib. demonſtrauimus. His itaque ſic ſe habẽtibus, noſtrã in re iſta ſatis difficili & obſcura opinionẽm in mediũ afferre libet, eamque doctiorib. diſcutiendã proponere. Dionyſius Halicarnaſſæus *in fine li. 2.* ita ſcriptũ reliquit: *Cenſum neceſſarium legitimum, ex quo numerus militaris ætatis hominum cognoſcebatur, diuitiarumque magnitudo, pro modo quarum oportebat vnumquemque ad bellũ tributa pendere: nullo intra decem & ſeptem cenſu condito, à L. Cornelij, et Q. Fabij cõſulatu. Ita vt boni quidem viri, & vtiles, in cenſib. militiiſq; eſſent: Flagitioſiſſimi vero, et prauiſſimi ſine cenſu relinquerentur locumq; aliũ perciperent, in quo liceret eis, vt vellent, viuere.* Ex quibus elicimus, cẽſum agi ſolitũ non modo bonorũ, ſed & perſonarum. Sic ſumitur cẽſus apud Pomponiũ *l. 2. § poſt deinde D. de origine iuris*, quod ẽt clarius docuere idẽ Halicar *li. 4.* & Liuius *li. 1. 7. et 39.* Sic *cenſũ agere* peculiare verbũ hiſtoricis, eſt recenſere capita & patrimonia, ſeu ſubſtantias ſuas profiteri, quod late adnotauit Zaſius ad dictã l. 2. Qui autem pro

cenſis bonis ſoluebant, non pro capite, ſicuti & econtra, qui pro capite, quum paupetes eſſent, non pro bonis pendebant, licet enim & diuitum perſonarum cēſus haberetur, id fiebat non vt pro capite ſoluerent, ſed vt militarēt, ſi ætas legitima eſſet, vel aliud impedimentum non obſtaret, ſicuti cenſi capitæ militiæ non admittebātur, niſi per vrgentiſſimas neceſſitates. Quod vero pro bonis diuites in publicum ætarium conferrent, ex iam dictis patere poteſt, ſed clarius etiam ex Liuio *li*. 39. de Catonis triſti & aſpera cenſura: *Ornamenta & veſtem muliebrem, & vehicula qua pluris quā quindecim millium æris eſſent, in cenſum referre viatoret iuſſit. Idem mancipia minora annis 20. qua poſt proximū luſtrum 10. millib. æris, aut pluris eo veniſſent vti ea quoq; pluris, quā quanti eſſent æſtimarētur, et his rebus omnib. terni in millia æris attribuerētur*. Quod vero & capite cenſi pro capite ſoluerent, docet Aſconius Pædianus *in Diuinationem Cicer*. in hæc verba: *Cenſores ciues ſic notabant, vt qui plebeius eſſet, in Cæritū tabulas referretur, & ærarius fieret, ac pro hoc non eſſet in albo centuria ſua, ſed adhuc eſſet ciuis tantūmodo, vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderet*. Idē poſt intelligi ex ſacris paginis in Euangelio Matth. *c*. 22. vbi à Phariſeis Ieſus Dominus & Saluator noſter percōtatur, *liceatne cenſum dare Cæſari, an non?* & ille reſpōdit, *oſtendite mihi numiſma cēſus*. at illi obtulerūt ei denariū. Hunc autē pro capitis cuiuſq; cenſu perſolui ſolitum credendum, nam pro ſubſtantiis plus denario pro earum valore & æſtimatione perſolui ſolitum non ambigendū. Idem quoque colligimus ex Dione in Veſpaſiano, & apertius ex Polyhiſtoris chronica. Ita Heſychius inquit: *Κῆνσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον*, id eſt, *Cenſus eſt genus nūmi, quod viritim imponitur, ſiue Capitatio*. Quod autē capite cēſi ignobiliſſimi haberentur, docet Gellius *libro decimoſexto, capite decimo*, in hæc verba: *qui in plebe*, inquit, *Romana tenuiſſimi pauperrimiq; erāt, neque amplius quā mille quingentum æris in cenſum deferebāt, Proletarij appellati ſunt. Qui vero nullo aut perquā paruo ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur. extremus autē cenſus capite cēſorū æris fuit 375. ſed quoniā res pecuniaque familiaris, obſidis vice, pignoriſq; eſſe apud Rempublicā videbatur, amoriſque in patriā fides quādā in ea firmamentūque erat: neque Proletarij, neque capite cenſi milites, niſi in tumultu maximo ſcribebātur, quia familia iis tenuis, aut nulla eſſet. Proletariorū tamen ordo honeſtior aliquāto, et re & nomine, quam capite cenſorū fuit. Nam & aſperis Reipub. tēporibus, quum iuuentutis inopia eſſet, in militiā tumultuariā legebātur, armaque iis ſumptu publico prabebantur et non capitis cenſione, ſed proſperiore vocabulo à munere officioque prolis edenda appellati ſua: quod quum re familiari parua, minus poſſent Rēpublicā iuuare, ſobolis tamen gignenda copia ciuitatem frequentarent. Capite cenſos autem primus C. Marius, vt quidā ferunt, bello Cimbrico difficilimis Reip. temporibus, vel potius, vt Saluſtius ait, bello Iugurthino milites ſcripſiſſe traditur, quū id factum antea in nulla memoria extaret*. Hactenus Gellius. Idem etiam ex Feſto *li*. 14. Valerio Maximo *libro ſecundo, capite primo*. Nonnio Marcello, Paulo Oroſio *lib. quarto, capite primo*, & D. Auguſtino ciuitatis Dei *li*. 3. colligere licet. Hinc illud Tertulliani in Apologetico: *Si agri tributo oneſti viliores: Hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora*, id eſt, capita qui cenſū perſoluebāt, in ſtipēdia militaria eroganda, namque ex pecuniis ex cenſu collectis ſtipendiū militi perſolui ſolitū, clare teſtatur Liuius *libro vigeſimotertio*, inquiens: *Senatus quo die primum eſt in Capitolio conſultus, decreuit, vt eo anno duplex tributū imperaretur, ſimplex confeſtim exigeretur, ex quo ſtipendium præſens omnibus militib. daretur*. Qui vero pro ſubſtantiarum æſtimatione perſoluebat, quantum ſoluendo eſſet, in ſingulo quoque cenſu agendo, in Cenſorū tabulis deſcribebatur, prout æſtimatio excreſcebat, vel imminuebatur, ac capite cenſi omnes ſemper eandem qualitatē pecuniæ pro capitis cenſu quotannis pendebant, vti in ærarij tabulis adnotatum erat. Quod munus ad quæſtores ærarios ſpectabat, vt ſcilicet mulctas reciperēt, ex tacito *l*. 13. vbi de Piſone deſignato Conſule, inter mulctas enim connumerabatur æs illud, quod pro ſuo capite ærarij facti pendere tenebantur. Nec obſtat, quod ab Halicarnaſſęo ſcribitur *li*. 4. quod qui pauperrimi erant, & minimi cenſos, in ſexta claſſe, immunes erant ab omni militiæ & tributi onere. nam etſi capite cenſi in ſexta claſſe erāt, dicta Dionyſij intelligēda, quod eſſent immunes ab omni onere tributi, id eſt, quo ad bona, non quo ad capita, nā ideo capite cenſi dicebantur, quod pro capite cēſum ærario perſoluerent. His itaq; omnib. præmiſſis dico *ærariū facere*, vel *relinquere*, vel *referre in ærarios*, nil aliud fuiſſe quam redigere eū vel eos in numero capite cenſorum, vt ſcilicet pro capite, ſicuti & capite cenſi, ſtatotā pecuniam penderent, nec militiæ adſcribi poſſent, quod ignominioſum fuiſſe cōſtat. Idem potiſſimū confirmare poſſumus ex hiſce Liuij dictis li. 4. *Cenſores ægre paſſi, Mamercū, quod magiſtratū populi Rom. minuiſſet, tribu mouerūt, octoplicatoq; cenſu ærarium fecerūt*, hoc eſt, dānauerunt, vt pro ſui capite octo plus ærarium ſolueret, quam capite cenſi pēdere tenebantur. Hoc pariter cōprobat Pædianus loco citato, per ea verba: *Et ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centuria ſua, ſed ad hoc, vt eſſet ciuis tantūmodo, vt qui pro capite ſuo, tributi nomine æra pēdat*. Sic Liuij dicta in calce li. 29. interpretāda, dū ait: *Exitu cenſura, quū in leges iuraſſet C. Claudius, & in ærarium aſcendiſſet inter nomina eorū, quos ærarios relinquebat, dedit collega nomen. Deinde M. Liuius in ærarium venit, & præter Maciā tribum, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condemnatum conſulē, aut cenſorē feciſſet, populū Romanum omnē quatuor et triginta trib. ærarios reliquit, quod et innocentē ſe cōdēnaſſet, et condemnatū conſulē, & cenſorē feciſſent*.

Reliquum eſt, vt declaremus quid eſſet *tribu mouere*. Cēſores, quos nota afficiebāt, triplici pœna plectere ſolebant, nēpe vel ærarios faciebant, vel tribu mouebāt, vel in Cæritū tabulas referebāt. Grauior erat nota, ſi Aſconio credimus loco adducto, ærariū fieri. nam & idē ſuffragio priuabatur, quū ex albo cenſurę ſuæ oblitaretur, & per conſequēs in Cærites tabulas relatus eſſet. Minor nota erat, referri in tabulas Cærites, nā nulla alia pœna hi afficiebantur, quā quod ſuffragandi munere priuabātur: quod teſtatū reliquit Gellius *li*. 16. *c*. 13. in hæc verba: *Primos autem municipes, ſine ſuffragij iure, Cærites eſſe factos accepimus, cōceſſumq; illis, vt ciuitatis Romana honorem quidē caperēt, pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditiſque*. Hinc *tabula Cærites* appellatæ verſa vice, in quas Cenſores referri iubebāt, quos notæ cauſa ſuffragiis priuabant. Tertia adhuc minor nota erat, tribu mouere, mouebātur aūt tribu, qui ex honeſtiore in minus honeſtā migrare iubebantur ob ignominiā, & reatus alicuius pœnā. quod clare docet Liuius *li*. 45. Id autē præſertim fiebat, quū ex ruſtica tribu in vrbanā tribum motus pertrāſire cogebatur. Nobiliores enim Ruſticæ vrbanis, & præſtantiores habitæ; quod docuit Plin. *li*. 18. *c*. 3. ita ſcribēs: *Ruſtica trib. laudatiſſima eorū qui rura habebāt: Vrbana vero, in quas trāsferri ignominia eſſet, deſidia probo*. Ex his colligimus, trib. ruſticas nobiliores habitas vrbanis, quia agricultura priſcis illis Romanis maximo in honore haberetur, vitaq; ruſtica cæteris cōmendatior eſſet; quod pariter Varro teſtatus eſt *libro ſecundo de re ruſtica*, inquiēs: *Viri magni maiores noſtri non ſine cauſa præponebāt ruſticos Romanos vrbanis. Vt ruri enim qui in villa viuūt, ignauiores, quā qui in agris verſātur in aliquo opere faciundo, ſic qui in oppido ſederēt, quā qui rura colerent, deſidiores putabātur*. Quū itaq; tantū honoris tribubus ruſticis acceſſiſſet, cōmutata veteri ratione factū eſt, vt nobiles vrbaniq; iure in ruſticas trāsferri voluerint. Sic Ap. Claudius in ruſticā tribum, quæ poſtea ab ipſo Claudia appellata fuit, cōmigrauit, teſte Dionyſio. ſic Auguſtus, quāuis à gente Iulia & Octauia ortū duceret, ex vrbanis in ruſticas Fabiā & Scaptiā tranſductus, in illā vtiq; tanquā gentis Iuliæ in hanc vero vti gētis Octauiæ. Nā Scaptienſes & Fabianos Auguſti tribules dixit Sueton. in illo c. 40. Hinc factū, vt tēporū ſucceſſione, nonnullę trib. à familiis nobiliſſimis, quæ in illis ſe cōiecere, denominationē ſuſceperint, vti Papiria, Cornelia, Æmilia, Fabia, Horatia, Menenia, Sergia, & Veneria. Ego autē & aliā cauſā, quod ruſticæ ſcilicet trib. vrbanis nobiliores ſint, dari poſſe exiſtimo; Nēpe, quod plures longe numero euaſerint plurib. externis populis in ciuitatem aſcitis, qui ex ſeipſis nouas trib. in dies cōfecerunt, reliquis priſcis vrbanis quatuor tantū remanentibus. Ad hæc hiſce omni hominum genere humillimis etiā coinquinatis. Appius enim Cęcus cēſor, teſte Diodoro, poteſtatē dedit ciuib. quibuſcunq; Rom. vt in quam tribū vellent, ōib. tribuerētur. Vnde Q. Fabius Cēſor, ignobiliſſimos qui per omnes trib. diſperſi erāt, excretos in quatuor vrbanas coniecit, teſte Liuio in calce *li*. 9. Quum itaque tribus ruſticæ & numero & qualitate ſuffragantium, vrbanis quam maxime excellerent, accidit vt in magiſtratib.

dan-

dandis, & adimendis, & legib. antiquandis vel ferendis, plurimum valerent Ruſticæ tribus, ob idque ingenuiores & nobiliores in illis inſeri curauerint, ſique pœna plectendus quis eſſet, ex ruſtica tribu in vrbanam conijceretur, vel ex ruſtica honeſtiori in minus honeſtiorem ruſticam. nam *moueri tribu* nil aliud erat, quam mutare tribum aliquam iubere Cenſores, quod conceptis verbis docuit Liuius *l.45.* Illud ſane mirandum, hiſtoricos nullibi meminiſſe prioris pœnæ, hoc eſt, referendi in *tabulas Cerites*, ſed ſolum id haberi ex Gellio loco citato. Hoc autem eueniſſe coniicio, quod Hiſtoriæ ſcriptores ſub nomine *ærarij facti*, & relationem in Cęritum tabulas comprehenſi ſint, quum tam hi, quam illi æque priuarentur ſuffragandi iure.

T. LIVIVS LIB. XXVII.

CAp. xi. *Itaque colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant.*] Sacroſanctam, auctore Feſto *l.20.* dicitur illud, quod iureiurando interpoſito inſtitutum eſt, vt ſi quis violaſſet, morte pœnas penderet: vel, quod ſine inexpiabili ſcelere violari nemini prorſus liceret. Sic Cato ait, *Ædiles ſacroſanctos eſſe*: ſic *Tribunos ſacroſanctos* dixere, auctoritate Dionyſij Halic. *li.5.* quod affirmarunt & Liuius *l.3. & 9.* & Plinius *l.7.* Et *ſacroſancta poteſtas.* Liuio *l.19. Tribunicia* appellata. Ita quoque *iura ſacroſancta* vocauit Ariſtophanes *in Nebulis*, & Cic. *l. Offic. 3. Vrbis muri* & ipſi *ſacroſancti dicti, in l. fin. ff. de rer. diuiſ.* ita vt qui eos violaſſet, morte mulctaretur. In hunc ſenſum Cic. *in Catil.* illius *poſſeſſiones ſacroſanctas* vocauit, hoc eſt, inuiolabiles, in hęc verba: *In vaſtitate omnium, tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas?* Et *fœdus ſacroſanctum*, legimus apud Tacitum *l.12. Annal.* Ita *ſacroſanctam Eccleſiam*, quæ aſylum prębet ſcribit Iuſtinianus, *C. de ſacroſan. eccleſ.* Et Cic. *in orat. pro domo ſua, ſacroſanctam domum* appellauit, in qua tutum refugium eſſet omnibus, vt inde accipi non poſſent. Nihil vero ſacroſanctum eſſe poſſe, niſi quod per populum plebemve ſancitum eſſet, idem Cic. *in orat. pro Cornel.* docet. Itaque Coloniarum maritimarum *ſacroſanctas* dixit Liuius *vacationes*, hoc eſt, quas vel auctoritate pop. Rom. & iuramento firmatas, nemini violare liceret, ob idque nec inuitę dare milites cogi poſſent.

T. LIVIVS LIB. XXVIII.

CAp. xlv. *Secures, rutra, falces, alueolos, molas, quantum in quadraginta longas naues opus eſſet, tritici 120. millia modium, in viaticum decurionibus remigibuſq; collaturos.*] Hæc omnia, inquit Cæl. Rhodiginus *l.7.c.30.* facile ſe à difficultate extricans, ſunt claſſium inſtrumenta, at qualia ſint, minime explicet. *Rutra* ab eruendo ſeu ruendo deduci, quidam volunt. Nonius à radendo deriuatum rutrum putat: Ego ſane inſtrumentum fuiſſe cenſeo ferreum, ad eruendam terram ſeu arenam, quum opus eſſet, quale nos *batillum* ſeu *palam* vocamus, cuius non ſemel Varro *de re ruſtica* meminit. Feſtus ait: *Rutrum tenentis iuuenis effigies in Capitolio Ephebi fuit, more Græcorum arenam eruentis, exercitationis gratia.* Plinius l.36.c.23. *Experimentum marmorari eſt in ſubigendo, donec rutro non cohereat.* Cato *de re ruſtica, c.11.* ſcribit: *Oportet habere villicum, pallas ſex, rutra quatuor, raſtros quadridentes duos.* Varro apud Non. *Cui Celer Antipatri filius caput rutro diſſlanat.* Rutri diminutiuum *rutellum* Lucillus: *Frumentarius eſt, modium hic ſecum atq; rutellum vnum affert.* Significans, vt ego interpretor, inſtrumentum, quo fruges in modium conijciuntur. Conſimile autem inſtrumentum fuiſſe batello, cuius Varro *l.3 de re ruſt. c.6. et 5. eiuſdē c.50.* meminit, cōiectari licet. Sicuti & palæ, de qua Varro *l.4. lingua Latina*, & Cato *c. 11. de re ruſt.* At hæc profecto, vel ſynonyma fuere, vel certe forma, materia, vſuve parum diſtantia. Rutrum ſane nauticum inſtrumentum, ſeu nauale fuiſſe, ex Liuio non ambigendum. Quæ *falces* & *ſecures* eſſent, nulla difficultas. *Alueola* expono vaſa in vſum nauticum ad aquam aliaq; huiuſmodi adſeruandam, in nauibus adſerendam, vel eijciendam: ita lances & paropſides alueos vocauit Iuuenalis Satyr. 1.

Cuius & alueolos & lanam pignorat Atreus.

Et Satyr. 5.

Illud enim veſtris datur alueolis, &c.

Et tabula luſoria latrunculos recipiens, *Alueolus* nuncupati Cic. de Finib. *Alueolum poſcere, aut quærere quempiam ludum.* Plinius: *M. Maſſala pridie Kal. Oct. diem natalis ſui egit, trāſtulit alueū cū teſſeris luſoriis*, quo ſenſu alueolū pro tabula loſoria dixit Feſt⁹, *l.1.* Col. l.8.c.5. *Totū ouorū numerū in alueolū ligneum cōferat.* Varro inquit: *Alueolus eſt cauata cortex, vel vimineū vaſculū, in quo quid propter concauitatē reponitur.* Gręcis σκάφιον. D. Hieronym. ad Demet. *In alueolis fuſi vertātur*, & concauata ligna, in quib. apes mellificant, aluei dicti, ex Varrone & Plinio *l.11.* & apud Gaium, *l. naturalem. §. examen. 4. ff. de acquir. rer. dom.* Etiā nauē alueus ſignificat: Propertius:

Portabat ſanctos alueus ille viros.

Niſi nauim pro alueo interpretemur ibidem, ita & Liuius l.21. *Alueos informes raptim faciebant*, id eſt, nauiculas. Feſtus: *Nauſtibulum alueum eſt, ad nauis ſimilitudinem factum.* Et alueus locus, per quem aqua fluit, Iuriſtis, *l. adeo. 3. §. quid. ſi. ff. de acquir. rer. dom.* Virgil.

Aſſueta ripis volucres, & fluminis alueo.

Ad cuius ſimilitudinem vas amplum in balneis dictum Cic. in orat. pro Cœlio: *Ex quibus requiram, quo modo lauerint alueumne illi, an equus Troianus fuerit.* Apud Caton. c.43. vitibus infodiendis, alueatos ſulcos eſſe oportere, legimus, h.e. excauatos. Ex quibus omnibus ſatis patere arbitror, alueolos vaſa fuiſſe excauata, in eum, quem diximus, vſum.

Molæ quæ fuerint, à Liuio commemoratæ, haud facile eſt affirmare. Namque non molendinariæ, ſiquidem in nauib. non erant piſtrina, itaque coniicio, fuiſſe nauales machinas, ſeu claſſicas, ad ſaxa magna, cuiuſmodi molaria, iacienda in hoſtiles naues, ad eas mergendas, vel diſrumpendas, & opprimendas. Ita Statius lib. Theb. 3.

Veſtraque ſudes fractique molares.

Ouid. lib. Metamorph. 3.

---- *Aut comes* (inquit) *ero, dixit, dextraque molarem*
Suſtulit.

Liuius l.31. *Baliſtis, Catapultiſq;, et alio omni genere tormētorū tela ingerentia, et pōdere ingenti ſaxa iaciebant.* Illud ſane manifeſtū eſt, hæc omnia ad naues pertinentia, fuiſſe inſtrumenta.

T. LIVIVS LIB. XXIX.

CAp. xviii. *Tribunos militū in vincula coniectos, dein verberatos, ſeruilibuſq; omnib. ſuppliciis cruciatos occidit.*] Quæ *ſeruilia ſupplicia* à Liuio appellentur, indagandū. Fuſtib. cædi, liberorū pœna erat, vt not. Marcell. *l.10. ff. de pœn.* inquiens: *Ex quib⁹ cauſis liber fuſtib. verberatur, ex iis ſeruus flagellis cæditur.* Sic Calliſt. *l.28 §.2. ff. eo.* inquit: *Nō omnes fuſtib. cædi ſolēt, ſed ij dūtaxat, qui liberi ſunt.* Quomodo autē milites fuſte aliquādo vſq; ad mortē cæderētur, videre licet apud Polybium *in l.6. Epis.* & tūc grauius eſt fuſtigatio ſuppliciū, quā flagellatio: in reliquis vero nō ita. Nam flagella, nudatis corporibus, cutì admouebantur, fuſtes autem veſtitis inferebātur, & in flagellatione ſanguis eliciebatur, in fuſtigatione vero nequaquam. *§. ſi quis aliquem, de pœn. temer. lib. 2. feud. tit. 27.* Sic maiorem pœnam arbitratus eſt Accurſius flagellorū, quam fuſtium, *in l. veluti, de pœn. P. quod etiā ſtatuit Paulus l. Pedius, l.4. de incend. ruin. & naufrag. lib.47. P. tit.9.* Ob id Horatius *lib. Satyr. 1. Satyr. 3. horribile flagellum* vocauit, inquiens.

Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.

Et Virgilius *ſanguineum* dixit, lib. 8. Æneid.

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Et Iuuenalis Satyr. 6.

---- *Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis.*

Et in ſacra Scriptura, Eccl. c.28. *Flagelli plaga liuorem facit.* Seruile itaque ſupplicium fuit flagellatio, quod etiam ex ſacris paginis cōuincitur. Nam *Act. Apoſt. c.22.* legimus de D. Paulo: *Sic enim, quum tribunus iuſſiſſet ipſum flagellis cædi, eum affatus eſt: Sic hominē Romanū & indemnatū licet vobis flagellare? quo audito, ſolutus à vinculis eſt.* Quod etiam innuere videtur Cic. *in orat. pro Rabirio*, ſcribens: *Portia lex virgas ab omnium ciuium Rom. corpore amouit. hic miſericors flagella retulit*, quaſi dicat: virgæ, quibus liberi homines Rom. cædi ſolebāt, à lege Portia inhibitæ ſunt: at hic, dum miſericordiam profitetur, flagella, hoc eſt, ſeruile ſupplicium retulit. Multis autem modis ſerui flagellabātur, erant enim flagella *Maſtiges* dicta, ex reſtib. compacta, quibus aurigæ vtebantur in incitandis & impellendis equis ad curſum. Martialis lib. 14.

Proficies nihil, hoc cædas licet vſque flagello.

Μεμνημένος δὲ τὴν τῶν προσφάτως ἐλευθερωμένων παρὰ Ῥωμαίοις τάξιν, ἀπήντησεν ἐξυρημένος τὴν κεφαλὴν, καὶ πῖλον ἔχων λευκὸν, ἐπὶ δὲ σαρῶν τεθεικὼς,&c. Ex quib. verbis hoc quoque intelligitur, nouo libertos apud Romanos albis veſtibus olim vſos fuiſſe, vt nunc itidem, qui ex antiqui hoſtis ſeruitute, aqua ſalutari tincti, liberantur. Pilei autem & raſi capitis mentionem facit Plautus in Amphitruone, niſi fallor, illo verſu.

Vt hodie raſo capite capiam pileum.

Itemque pileum notam eſſe libertatis conſtat ex Nummis veteribus, in quibus pileus, & LIBERTAS item adſcriptum eſt. præterea pileum ad virgam quæ *vindicta* dicebatur, virginem ferre in Nummis videmus. Item in M. Bruti denarius, pilei & duarum ſicarum imaginem agnoſcimus,& Iuſtiniani conſtitutionem habemus *de libertis, qui funus patroni proſequebantur pileati.*

MARCELLI DONATI
IN TITVM LIVIVM DILVCIDATIONES.

T. LIVIVS LIB. I.

CAP. XXIV. *Sagmina inquit tu rex poſco.*] Herbam fuiſſe ſacram & puram, qua caput Patris patrati Fecialis tangeret vel circundaret, ex Liuij verbis clarè patet. Sed illud difficultatem facit, quod primum inquit. *Fecialis ex arce graminis herbam tulit*: mox vero ſubdit, *Verbena caput capilloſque tangens.* Aliam autem eſſe herbam Gramen, aliam vero verbenam nemo ignorat. Huiuſcemodi obiectioni ſic occurrendum puto: gramen non ſolum accipi ſpecifice pro herba ſingulari ita appellata, ſed & generice, pro herba cuiuſcunque generis. Virg. IX. Æneid:

Pars in gramineis exercet membra paleſtris.

Id eſt, palæſtras exercebant in loco aperto & herboſo. Ita *gramineum campum.* 3. *Faſt.* dixit Ouid hoc eſt, herbidum. Minime itaque mirum, ſi *Verbenam* graminis voce comprehendit Liuius: quod clare ex hiſce Plinij dictis *l.* 22. *c.* 2. colligitur: *Non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere & in ſacris legationibus, quam verbena: certe vtroque nomine idem ſignificatur, hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra euulſum.* Hactenus Plin. Eo autem quod ex ſacro loco, Capitolio ſcilicet, colligeretur, dicebantur *ſagmina*, quaſi ſancta. Feſtus *l.* 17. ſcribit: *ſagmina eſſe verbenas, hoc eſt, herbas puras, quia ex loco ſancto ſumebantur.* Seruius ad illud Virgilij *lib.* 12. Et verbena tempora vincti. *Verbena* (ait) *proprie eſt herba ſacra, ſumpta de loco ſacro Capitolij, qua coronabantur Feciales & pater patratus, fœdera facturi, vel bellum indicturi*: Abuſiue tamen etiam *verbenas* appellamus omnes herbas ſacratas, vt ſunt laurus: oliua vel myrtus. Vt Terentius *in Andria.* Act. 4. Sce. 4. *Ex ara hinc verbenas ſume.* quem locum explicans Donatus inquit: *Verbena, dixit, quaſi herbena, & ſunt omnes herbæ frondeſque feſtæ, ex aliquo puro loco decerpta ad aras coronandas*: citatque Menandrum, qui myrtum fuiſſe teſtatur à quo Terentius tranſtulit. Vnde & illud Virgilij, eccl. octaua: *Verbenas adole pingues.* Ita & Suetonius *in Caligula, c.* 27. ſcriptum reliquit, *Alterum, qui ſe periturum eadem cauſa vouerat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaret ur ex aggere. Verbenatum* enim non *verberatum*, vt alij, legendum peritiores decreuere, *Sagmina*, inquit Martianus in l. ſanctum. de diuiſ. rer. *ſunt quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret.* Quo in loco adnotauit Budæus. perperam legi, *ſanctum* dictum à *ſanguinibus*. Nam legendum, *à ſanguinibus*, quod etiam ex poſterioribus Catellianus Cotta, memoralium lib. in dictione *ſanctum*, confirmat. Nec minus reprehendendi, qui apud Modeſt. *l. vlt. D. de lege Pomp. de parric. ſagmineis virgis cædi parricidas legunt.* Non enim veriſimile eſt. Romanos religioni quam maxime addictos, permiſiſſe, ſacram frondem parricidarum corpore contaminari. Quare reſpondendum non dubito *ſanguineis*, hoc eſt, quæ ſanguinem ictibus elicerent, vel, quæ ex frutrice illo pararentur, qui *ſanguen* appellatur: cuius meminit Plinius *lib.* 16. *c.* 37. ſanguineos frutices vocans: & de ſanguineis virgis *l.* 20. *c.* 10. inquiens: *Sunt, qui ſanguineis virgis ſangunt ea, quæ nolunt his obnoxia eſſe*: & l. 24. *nec virga ſanguinea felicior habetur, cortex eius interior cicatrices, quo perſanauere, aperit. Sanguineas* autem *virgas* infauſtas fuiſſe ex hiſce patet. Sed ad rem noſtram reuertentes addimus, dubio procul *ſagmina* fuiſſe verbenam, ex loco ſacro decerptam, de qua Plinius *l.* 25. *c.* 9. ita ſcribit: *nulla tamen Romana nobilitatis plus habet quam Hierabotane, aliqui periſtereon, noſtri verbenam vocant. Hæc eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicamus, hac Iouis menſa verritur, domus purgantur luſtranturq.*: & *l.* 22. docet *verbenarium dictum, qui verbenas in ſacris geſtabat*: quod pariter teſtatum reliquit Liuius *l.* 30 circa finem, vbi de verbena & ſanguinibus plura *ἱερὰ βοτάνη*, verbenam Græci dixere, hoc eſt, ſacram herbam.

Eod. *Pater patratus ad iuſiurandum patrandum.*] Qui feriendo fœderi præerat, Latinis *pater patratus* dicebatur. Hic iuramento fœderis pacta firmabat, quod Plutarchus in problematibus ſcriptum reliquit licetque ſacerdotibus fecialibus, qui fœderibus ſanciandis præerant, pater patratus perficeretur, nihilominus à Feciali creabatur, quod hoc in loco clare Liuius docet. Cur vero pater patratus appellaretur, ex recentioribus quidam, Calepini auctoritate innixi, inquiunt ita vocatum, quod pater patratus eſſe non poſſet, qui patrem & filios non haberet. Nam reſpectu filiorum pater dicebatur, reſpectu vero patris, patratus nuncupabatur. At hæc nuncupationis ratio mihi imaginaria penitus videtur, nec vlli auctoritati innixa. Rationi magis conſonum arbitror, patrem patratum appellatum ea de cauſa, quod ſicuti pater filiorum curam gerit, & in illos plenam habet poteſtatem: ita ſacerdos huiuſmodi, tanquam pater totius populi Romani, illius vice & nomine iuſiurandum peragebat. Eadem de cauſa Romanos ſenatores, *patres* vocatos obſeruamus, à curæ ſimilitudine: eo quod ita populi Romani vtilitati ac bono inuigilarent quemadmodum patres filiorum ſtudent beneficio vt docuit Saluſtius *in coniuratione Catilina.* Patratus vero inſimul dictus, vt idem met Liuius aperit, eo quod crearetur ad ferienda fœdera, & iuramenta patranda.

Eod. *Porcum ſaxo ſilice percuſſit.*] Pluribus Deis fabuloſa antiquitas porcum mactauit: Siluano porcum cæſum docet Iuuenalis Saty. ſexta.

Cædere Siluano porcum:

Et Cereri Eleuſinæ quoque immolatum legimus apud Varronem *l.* 2. *c.* 4. quod pariter confirmat Tibullus lib. eleg. 2. eleg. 10.

Hoſtiaque è plena myſtica porcus hara.

nam *myſtica*, non *ruſtica*, vt alij, legendum docuere Turnebus & Muretus. Et Laribus Deis ſacrificabant porcum teſte Horat. lib. 2. Saty. 3.

Immolat æquis ----
Hic porcum Laribus.

Nonnunquam & Veneri mactari ſolitum ſcribit Callimachus. In funere defunctis & cæſam porcã Marcus Victorianus in hæc verba ſcriptũ reliquit: *Qui iuſta defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccauerunt, iis porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat.* Hinc Cicero 2. de legibus: *Sunt iura, quo in porca contracta.* Poſtremo & in feriendo fœdere porcus ſilice occidebatur, quod ex Liuio hoc in loco

& libro etiam 9. elicimus: & Quinctilianus *l.8.* confirmat, inquiens, cædi ſolere porcum inferiendo fœdere. At Suet. non porcum, ſed porcam mactari ſolitam tradit, *in Claudio c. 25.* per hæc verba: *Cum regibus fœdus in foro icit porca cæſa.* Virg. lib. 8. Æneid.

Cæſa iungebant fœdera porca.

Idem pariter ſenſit Feſtus, ſcribens, porci effigiem inter militaria ſigna locum obtinuiſſe, quia confecto bello inter quos pax fieret, cæſa porca fœdus firmari ſolebat: quod pariter Varro confirmat. Conciliamus Liuium cum aliorum dictis, qood, ſicuti ſub appellatione hominis comprehenditor & maſculus & fœmina, ita & nomine porci veniunt & mas & fœmina. Vere tamen porca fœmina in ſacris mactabatur, quod Cicero 2. *de legibus* docet dum ait: *Et porco fœmina piaculum pati.* Sic Liuij & Quinctiliani dicta interpretanda ſic Virgilianum illud *l. 12.* vbi de fœdere loquens, ait:

---- Puraque in veſte ſacerdos.
Setigeræ fœtum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit.

Male itaque Seruius, explanans illud 8. *Æneid.* inquit: *Falſo dixit, porca, nam ad hoc genus ſacrificij porcus adhibebatur:* cum potius porcam accipi ſolitam ex prædictis pateat, idq; omoes autores confirment, ſi eorum verba recte perpendantor: tum etiam, quia in omnibus fere ſacris fœminini generis victimæ immolarentur, & ſi quando per marem litaretur, ſuccidanea dabatur fœmina, ſi autem pec fœminam litaſſet, ſuccidanea non admittebatur. Porci autem, qui in ſacris cædebãtur, ſeu ſacris faciendis deſtinabantur, *ſacres* appellabantur. Plautus in Menecmis: *Quanti hic ſunt porci ſacres?* & in Rudenti: *Vt rem diuinam faciam, cum intro aduenero, Laribus familiaribus, cum auxerunt noſtram familiam, ſunt domi agni & porci ſacres.* Quod idem eſt his, quos Tibullus ſupra citato myſticos dixit, quoſque Ariſtophanes modo μυστικούς, modo μυστὰς, vocauit. De modo feriendi fœderis, & mactanda porca. pora Cicero *lib. de Inuent.* Nec illud hoc loco prætereundum elegantiſſime Liuium *ſaxo ſilice* dixiſſe. nam ſicuti ſilex lapidis duritiem, qualis ex quo ignis excutitur, ſignificat: ita ſaxum magnitudinem demonſtrat. Nam proprie ſaxum lapidis magnitudinem notabilem præ ſe fert, ita, vt quandoque hac voce ſcopuli & montes deſcribantur: Virg. 1. Æneid.

Perque vndas, ſuperante ſalo, perque inuia ſaxa
Diſpulit.

Ouid. 3. Metamorph.

Per rupes, ſcopuloſque, aditu que carentia ſaxa.

Plautus in Moſtel. *Iam ad vnum ſaxum me fluctus efferunt,* Virg. 2. Æneid.

---- Stupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor,

Et 2. Georg.

Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

Et rurſus.

Tot congeſta manu præruptis oppida ſaxis.

T. LIVIVS LIB. II.

Cap. VIII. *Aut comnes, de prouocatione aduerſus magiſtratus ad populũ, ſacrandoq; cum bonis capite eius, qui regni occupãdi cõſilia iniſſet.*] Cœlius Rhodiginus *l. 12. c. 11.* *ſacratũ hominis caput* interpretatur ex Dionyſio Halycarnaſſæo, *libro antiquit. Rom.* 2. hominẽ, quem occidere liceret. Ego quidem doctiſſimi viri ſententiam non improbo: ſed *ſacratum* hoc loco caput expono, *execratum*, Græcis κατάρατον: iuxta illud Virg. 3. Æneid.

---- Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames.

Sic Horatius ſen. 2. Saty. 6. *Inteſtabilis & ſacer eſto*: quod pariter Macrobius docuit *lib. Saturn. 3.* Sic epilepſiæ morbus *ſacer* apud medicos vocatus, id eſt, execrandus, quicquid alij interpretati ſunt: quos redarguere facile poſſumus ex Gal. dictis *in com. 1. prognoſt. & com. 6. in ſextum de morbis vulgaribus.* Apud eoſdem, & herpetis genus *ſacer ignis* dictus, cuius meminit Plinius *l. 26. c.* 11. & in pecudib. obſeruauit Columella *l. 7. c. 5.* Et *ſacer ſerpens*, ἱερὸς Græcis ob feritatem ſcilicet, execrandus dictus. Erit itaque *caput ſacratum*, ni fallut Liuio, homo abominandus, atque ab omnibus aduerſandus: cuiuſmodi ſunt hi, quos nos *excommunicatos* vocamus, hoc eſt, ab hominum Chriſtianorum conſortio abactos: anathematizatos etiam dictos, hoc eſt deteſtatos, deuouendos, à voce Græca ἀνάθεμα, quod eſt ſeiunctio ſeu alienato. Huiuſmodi homines ethnicis antiquis, violare impune fas erat. In hunc ſenſum ſcripſit Cic. in orat. pro Cot. *Quum caput eius qui contra legem facit, conſecratur.*

Cap. XXIX. *Signo amiſſo ſignifero, ad hoc centuriones, duplicarioſque, qui reliquerant ordines, virgis cæſos ſecuri percuſſit.*] Quum primum in hunc locum incidiſſem, exiſtimabam, pce duplicarios Liuium intelligere milites illos, qui centurionibus & ſigniferis aſſociarentur, vt illis forte in pugna deficientibus, ſufficerentur, ne ſigna laberentur, ordineſque deſerentur. Iu hanc ſententiam Liuij eiuſdem verba *l. 8.* me adducebant, vbi inquit: *Romano haud ſatis fidenti viribus. iam Romæ promiſſum erat ab Conſulibus, vt ſubcenturionem ſibi, quem vellet, legeret, tutaretur eum ab vno deſtinato hoſte.* At rem aliter ſe habere ex mox dicendis manifeſte cognoui. Varro *lib. 4. de lingua Latina*, duplicarios ſcribit eſſe, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria. Ita & Vegetius lib. 2. cap. 7. *Duplares*, inquit, *torquati, & ſimplares torquati erant, quibus torquis aureus ſolidus virtutis præmium fuit, quem qui meruiſſet, præter laudes, interdum duas cõſequebatur annonas.* Idem *duplares armaturas* vocat, quæ conſequantur doplas, *ſimplares.* vero quæ ſimplas. Liuius *libro ſeptimo* ſcribit, Conſulem milites, quum præſidio cum Decio fuerant, duplici fromento in perpetuum donaſſe: & *libro vigeſimoquarto* ait: *Arpi ſine clade vllius, præterquam vnius veteris proditoris, noui perfugæ reſtitutũ Romanis, Hiſpanis duplicia cibaria dari iuſſa, operaque eorum forti ac fideli perſæpe Reſpublica vſa eſt.* Vetuſtum autem morem honorandi fuiſſe, dare virtutis ergo duplicia cibaria, conſtat ex Herodoto *libro ſexto*, vbi dignationes & iura Spartanorum Regum deſcribens, tradit: quod in conuiuiis dabatur illis duplum omnium quam cæteris ciuiuis. Ita Xenophoo in orat. de laudibus Ageſilai. *Duplicem* (inquit) *portionem in conuiuiis ex conſtituto accipiens, nec ſic quidem tota vtebatur, verum ſimplici, nec integra ea contentus, reliquum diſtribuebat: ratus geminam portionem Regi dari, non ſatietatis gratia, ſed quo poſſet, quem vellet honorare.* Idem Xenophon *in R. p. Lacedæmoniorum*, non procul à fine tradit: Lycurgum inſtituiſſe, Reges in cœna duplici parte honorandos, non vt duplo magis quam alij ederent, ſed quo & ex hoc quem vellent, honorare quirent. *Milites duplicarios* ſeu *duplaciarios* vt alij, vel *duplarios*, vti in antiqua marmorea inſcriptione in palatio Cardinalis Genuenſis iuxta viam ſalariam, virtute inſignes fuiſſe colligimus: quum eos Liuius cum centurionibus & inſigniferis commemoret, tum etiam ex voce Græca, nam διμοιρίτης, duplarius dictus, ſeu διμοιρίτης, qui & manipuli dux interpretatur, nam μοῖρα, manipulus eſt. Verus inſcriptio, de qua paulo ante meminimus, ne ab aliquo deſideretur, eſt huiuſmodi: M. AVRELIVS MVCIANVS. V. A. XXXV. NAT. TRAX MILIT. ANN. XV. IN COH. II. PRÆT. III. VENATORIS DVPLARIVS IVLIANVS HERES FECIT BENEMERENTI.

T. LIVIVS LIB. II.

Eod. *Cætera multitudo ſorte decimus quiſq; ad ſupplicium lecti.*] Ignauos milites: & ſeditioſos variæ caſtigatos, ac pœna affectos obſeruamos: aliquãdo enim ſacramẽto ſoluti, militia abire iuſſi, aliquando eorũ ductores, & principes viri, puta centuriones & tribuni, à militia abiecti, aliquãdo ſeditionis autores morte mulati, nõnunquam prius flagellari necati, & inſepulti derelicti: At quum grauiter vniuerſi deliquiſſent, ſorte decimũ quemque ex illis vltimo ſupplicio affectum legimus. Quod ex hoc loco etiam colligimus. Appius namq; Claudius deſertores exercitus decimũ quẽq; ſecuri percuſſit. Sic Tacitus *Annal. l. 2.* tradit, L. Aproniũ decimũ quemq; ignominioſæ cohortis ſorte ductos fuſti necaſſe. Sic legiones iuſſu Galbæ decumatas idem Cornelius tradit *lib. Hiſt. 1.* Et *Annal. l. 14.* ſcribit: *Ex fuſo exercitu quum decimus quiſq; fuſti feriretur, etiam ſtrenui ſortiuntur.* Cic. *in Orat. pro Cluentio* inquit, *Statuerunt maiores noſtri, ſi à multis eſſet flagitiũ rei militaris cõmiſſum, ſortione in quoſdã animaduerti, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* Opilius Macrinus quum ſeditiones pateretur militares, milites decimauit, teſte

Capitolino in illius vita. Sorte quoque ad mortem ſeditionem auſuros delegit Iulius Cæſar, teſte Dione *lib. Hiſt.* 41. Scribit Diodorus Sicul. *lib.* 11. *Bibliot.* Græcos cum Xerxe & Perſis bellantes, Diis decimandos deuouiſſe Græcos quoſcunque Xerxis partes ſequutos, ſi victores extitiſſent. Quod pariter Herodat. *lib.* 7. confirmat. Sic quum multitudo capitale crimen commiſiſſet, decimationem factam colligimus etiam ex Pauſania *lib.* 1. *Rerum Atticarum*, vbi ſcribit, Syllam Romanum captis Athenis decimum quemque ciuem, vt ſors tulit, trucidaſſe. Polybius *in lib de tribus politiis*, autor eſt, duo præcipue fuiſſe in militari diſciplina ſuppliciorum genera, Decimationem ſcilicet, (*Δεκατεύειν* dicunt Græci,) & fuſtuariam. Decimationis ſupplico Duces exercitum in militari ſeditione, & noſtris temporibus non ſemel vſos teſtantur neoterici hiſtoriæ ſcriptores.

T. LIVIVS LIB. III.

CAP. XLVIII. *Data venia, ſeducit filiam ac nutricem prope Cloacina, ad tabernas, quibus nunc Nouis eſt nomen: atque ibi ab lanio cultro arrepto, Hoc te vno, quo poſſunt (ait) modo, filia in libertatem vindico, Pectus deinde puellæ transfigit.*] Virginiæ virginis, quam pater Virginius Icilio vxorem deſponderat, quamque Appius vnus ex decemuiris vitiare tamquam ſeruam ſatagebat, ob id quæ à patre peremptæ, hiſtoriam enarrat Liuius, cuiuſque indubitatam fidem facit multæ antiquitatis marmorea tabella, cum huiuſmodi inſcriptione Romæ in Sancta Maria Monticelli extante.

D. M.

VIRGINIS FILIÆ MEÆ CARISSIMÆ VIRGINEÆ NIMIAM OB PIETATEM PROPRIIS MEIS MANIBVS INTEREMPTÆ, PROH DOLOR QVANTVM FVIT CARISSIMA, IN ANNO XVI. IVVENTVTIS EIVS, MENSES V. D. III.

Huius rei antiquitatis ſtudio commotus meminiſſe volui, quamuis hiſtoriam per ſe claram, nulla dilucidatione egere cognoſcam, nec laboris noſtri titulo, aut ſubiectæ materiæ reſpondere. Mirum ſane, tabellam huiuſmodi hiſtoriam referentem, vſque ad tempora noſtra ſeruatam, ſicque per annos amplius biſmille facti generoſi magnitudinem celebrante hiſtoria, ac inciſo marmore conſeruante memoriam, fauentibus etiam longiſſimis annorum curriculis. Namque appium Decemuirum magiſtratum geſſiſſe, quando id contigit, anno ab vrbe condita 303. conſtat, & Chriſtum Saluatorem noſtrum, anno ab vrbe condita 751. Auguſti Imperij 42. natum conſentiunt omnes, vnde facta computatione, manifeſtum euadit, ab inſigni facinoris anno vſque adhuc reperiri annos 2040.

T. LIVIVS LIB. IV.

CAP. LIII. *Hoc decreto conſul armatus, quum paucis appellantibus tribunum, collum torſiſſet, metu cæteri Sacramento dixere.*] Vulgaris nobis, ac familiaris dicendi modus: *ti torcerò il collo*, quum alicui mortem minamur: quamobrem prima ſtatim lectione arbitratus ſum, conſulem nomina dare nolentibus, mortem miniſtraſſe: at re intimius perſpecta, veriorem interpretationem nactus ſum: lucem præferente doctiſſimo Turnebo, *lib. Aduerſ.* 18. *c.* 34. Siquidem antiquis mos dicendi fuit, collum obſtringere vel tob orquere, pro vim inferre, nam rei collo conſtricto inuiti in ius rendebantur, Ita D. Hieronymus inquit: *Obtorto collo me in ius trahis.* Et Plautus in Curcul. *Collum obſtringe.* Et in Rude: *Rape obtorto collo.* Cic. 6. in Verr. actione. *Quem obtorta gula, de conuiuio in vincula, atque in tenebras abripi iuſſit.* Et in Orat. pro Cloentio, *obtorto collo ad ſubſellia reducere dixit.* In lib. *de Viris Illuſtribus* legimus: *Conſulis legibus agrariis reſiſtenti, ita collum in comitio obtorſit, vt multus ſanguis efflueret è naribus.* Sic itaq; interpretandum, Conſulem detrectantibus militiam collum torſiſſe, id eſt, manũ inieciſſe, ac vi facere, quæ ſponte renuebant, coegiſſe. Quo pacto & eleganter dictũ à claſſicis autoribus obſeruamus *torquere iura*, hoc eſt, peruertere, illiſque vim inferre. Cic. in Orat. pro A. Cecinna, *verbo ac litera ius omne torq uere.* Hinc & *legũ tortores*, eodẽ ĩ ſenſu apud eoſdẽ.

CAP. LX. *Patres bene cœptam rem perſeueranter tueri, conferre ipſi primi: et quia nondum argentum ſignatum erat, æs graue plauſtris quidam ad ærarium conuehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant.*] Quod æs graue diceretur antiquis Rom. nullus hactenus, quod ſciam recte, & quantum ſatis ſit, iudicio meo, explicauit. Budæus (quem tamen ſemper honoris gratia nomino) *in Annotat. ad Pandectas. & libro primo de aſſe, & 5.* ex hoc loco *æs graue* interpretatus eſt, non ſignatum. Eandem interpretationem recepit Alexan. ab. Alex. *lib. Genial.* 4. c. 15. At præclariſſimos viros deceptos, manifeſte colligimus ex Feſto, vbi de denario loquitur, his verbis: *Graue æs dictam, quia deni aſſes (ſinguli pondo libra) efficiebant denarium, ab hoc ipſo dictum denarium.* Et ex Plin. *l.* 33. *c.* 3. in hæc verba ſcribente: *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum, vſus eſt. Liberalis, vnde etiam libella dicitur, & dipondius appendebatur aſſis. Quare æris grauis pœna dicta. Et adhuc expenſa in rationibus dicuntur, item impendia, & pondera. Quin & militum ſtipendiorum, hoc eſt, ſtipis ponderandæ, penſatores libripendes dicuntur: qua conſuetudine in iis emptionibus, quæ mancipi ſunt, etiam nunc libra interponitur. Seruius rex primus ſignauit æs, antea rudi vſos Romæ.* Ex his colligimus duo: ſcilicet, Romanos non vſos ære rudi & informi, niſi ante Seruium regem: & ſignatum æs in ſolutionibus pẽdi conſueuiſſe, & ob id graue dictum. Quamobrem manifeſtũ fit, Liuij dicta de ære graui minime intelligenda eſſe de rudi & informi, quum tunc temporis ſignato ære vterentur Romani. Sed æs graue appellatum, quia penderetur, non numeraretur in ſolutionibus. Namque ſi parua ſumma erat ſoluenda, numerabantur nummi ærei, ſi magna, appendebantur. Quod enim tam penſo, quam numero olim fierent ſolutiones, clare docet Caſſiodorus *lib. Variar.* 7 *epiſt.* 32. prioris extat exemplum apud eundem Liuium, *l.* 34. vbi ſcribit, M. Catonem militibus diuiſiſſe ex præda in ſingulos ducentos ſeptuaginta æris, hoc eſt, aſſes, nummos ſcilicet æreos 270. qui numero dati, non pondere, & ideo non adiecta particula illa *grauis*, ſed tantum dixit ſimpliciter *æris*, Exempla ſecundi apud eundem Liuium plura obſeruamus. Nam 4. *lib.* tradit *Poſtumium ob rem male geſtam in Veios decem millibus æris grauis damnatum.* Idem *l.* 5. ſcribit: *His creationibus incitata plebs denis millibus æris grauis condemnauit*, & paulo poſt: *Et peſſimo exemplo innoxij denis millibus æris grauis condemnati ſunt.* Audiamus & Gellium *li.* 10. *c.* 6. ita ſcribentem, *Tempore primi belli punici, Claudij Cæci filia ob dictum quodpiam petulantius, multam æris grauis 25. millia dictam.* Liuius item *libro quinto.* vbi de M. Furio Camillo ait: *Abſens quindecim millibus grauis æris damnatur.* Item *l.* 10. ſub finem, vbi de triumpho Papirij de Samnitibus: *Æris grauis magna vis tranſuerſa vicies centies millies, & quingenta triginta millia.* Et paulo poſt. *Æris grauis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia.* Et l. 32. *Egregia*, inquit, *duorum ſeruorum indicum, & vnius liberi fuit, ei centum millia grauis æris dari patres iuſſerunt.* Et l. 22. *Indici data libertas: & æris grauis* 20. *millia.* Quibus omnibus in locis intelligendum, millibus aſſium æris grauis, auctoritate Varronis, *l.* 8. *Ling. Lat.* ſcribentis, *as pro aſſibus accipi* antiquis: vnde &, *mille æris legaſſe*, eos dixiſſe ait, id eſt, *mille aſſes.* Aſſem enim libralem fuiſſe, præter Plin. loco citato, docet Cornutus *in Perſium*: Vnde & libram pro aſſe vſurpatam tradidit Priſcianus. Hinc *emptiones per as & libram*, quando æs ponderabatur, non numerabatur, Horat.

Si proprium eſt, quod quis libra mercatur & ære.

Liu. lib. 6. *Inde rem creditori palam populo ſoluit, libraque & ære liberatum emittit*, hoc eſt, pecuniam Manlius nexi nomine fœneratori exoluit, adhibito libripe... , qui æra penderet. Sic in Aug. Suetonius *c.* 64. inquit: *Caium et Lucium adoptauit domi per as & libram emptos à patre Agrippa.* non enim per as & libram legendum puto, quod nonnulli habent textus. Inde fluxit & appellatio *teſtamenti per as & libram*, quum familiæ emptor adhibebatur, cui teſtator rem ſuam iudicis cauſa mancipio vendebat, de quo Gellius *lib.* 5. *c.* 27 & Vulp. *cap. inſtit.* 20. itaq; cõcludendum, *æs graue* dictum, quod pendebatur. Ita & pœna grauis æris. Poſſumus quoque dicere, à mulctæ grauitate pœnam æris grauis dictam, ex Gellio ſcribente l. 20. c. 1. de lege 12. tabol. *Sed enim ipſum vide, quod iniurias factas quinq; & viginti aſſibus ſanxerunt: non omnino omnes, mi Phauorine, iniurias æris iſto pauco diluerunt, tametſi hæc ipſa*

paucitas aſsium graue æris pondus fuit. Nam librariis aſsibus in ea tempeſtate populus vſus eſt. Illud tamen firmiter ſtatutum ſit, graue æs eo quod libraretur ſtatera, dictum: idque perſolui ſolitum in maioribus ſolutionibus, quamuis & id quoque in minorib. obſeruatum quandoque non negauerim. Magnitudinem ſane æris, quod patres cōtribuebant, ſignificare volens Liuius, æs graue plauſtris in ærarium conuectum ſcribit, quum nondum argentum Romæ ſignatum eſſet: ex quo elicimus, æs illud ſignatum fuiſſe, namque ab argenti contributione abſtinuere, eo quod nondum ſignatum eſſet, alioquin ſi æs illud rude extitiſſet, & minori moleſtia profecto, & rude informeque argentum in ærarium contuliſſent, & minore labore ſaltem decupla proportione: quod alias oſtendemus factum, quum poſterioribus temporibus argentea moneta frequēti eſſet in vſu, raro admodum, ne dicam nūquam, æris grauis vlla fiat à ſcriptoribus mentio, nam hæc maturabatur, illud vero vt plurimum pēdebatur, præſertim ſi quantitas perſoluenda non eſſet exigua, ſed magna. quod potiſſimū colligimus ex Seneca *de conſulat*. ſcribente ad Albinum: *Beatioreſque iſtos putas, quorum pantomima decies ſeſtertio nubans, quam Scipionem, cuius liberi à Senatu tutore ſuo, in dotem æs graue acceperunt?* Nec poſt cuſum argentum, quod in Epit. Flori. 16. ſub anno 484. factum legimus: Et ex Plinio deuicto Pyrrho rege, vnquam à Liuio æris grauis poſtea mētionem factam obſeruamus. Nec profecto Franc. Hotmanus *lib. de re numaria*, ſententia recipienda, dum ait: *Quum primus aſsis æris vetuſtiſsimis temporibus libralis eſſet: dicta æris grauis, ad differentiam aſsis leuioris, qua poſtea fuit in vſu.* Nam quomodo antiquiores hac de cauſa æs graue, eo quod aſſis ærea libralis eſſet, dicere potuerint, non video, quum leuiſſimi, qui ſucceſſit poſteriorib. temporibus, nullam cognitionē habere potuerint. Ad hæc quæ ex Gellio adducit de Horatio, qui pro delectamento habebat, obuij cuiuſq; liberi hominis os verberare, ſeruumque præſto habere, qui crumenam aſſium plenam geſtaret, vt cuicunq;, quem depalmauerat, aſſes ſecundū legem 25. numeraret, nihil ad rem facit. conſtat enim ex eodem Gellio ibidem, tunc temporis aſſes librales fuiſſe, non leuiores, vt ipſe probare profitetur. Vnde nec tam vaſta crumena, & immane marſupium imaginandum ad eos aſſes continendos, quales librales eſſent, vt ipſe imaginatur, nam non multos quotidie palma verberaſſe Horatium exiſtimandum, atque etiam ſemel ea exhauſta, iterum replere potuiſſe. At quoquo modo ſeres habeat, palam eſt, Gellium hæc addere, eodem in libro & capite paulo infra. Nam librariis aſſibus in ea tempeſtate vſus eſt populus Romanus. Poſtremo & è Liuij verbis demendus ſcrupulus, namque ait, *nondum cuſum argentum*, & ideo æs graue in ærarium delatū. Cuius contrarium alibi affirmaſſe videtur, namque *l. 5.* tradit, *Sueſſa Pometia vi capta, prædaq; diuendita, quadraginta argenti auriq; talenta redacta*: ex quibus videtur innuere argentum ſignatum tunc fuiſſe. Reſpōdemus, talentum duplex fuiſſe, numarium vnum, ponderale alterum, & talentum ponderale accepiſſe Liuium: non numarium: hoc autem ſeptuaginta librarum fuiſſe, quam ſæpiſſime tradit Seruius authoritate Plauti, *l. 5. Æneid.* eo loco: *Auri argentique talenta*, & *li. 9.* ibi: *Auri duo magna talenta*. Africanus talentum omne pondo ſexaginta tradit. Numarium talentum Hebræorum tetradachmam fuiſſe, ſcribit Budæus *de aſſe l. 4.* ſed re de hac alibi plura, quū multiplicia reperiantur apud ſcriptores talenti grauia pondera, & valore interſe, vti & nomine, valde differentia.

Cap. XXIV. *Læuo humero matari prope traiecto.*] Nullibi me legiſſe apud Græcos Latinosue ſcriptores, præterquam hoc in loco vocem hāc *Matari* recordor, qua de re illius ſignificatum potius diuinare, quam certi aliquid affirmare poſſum. Vidit difficultatem Glareanus, & mendum in textu eſſe cenſuit, legendumque *machæra* voluit. Sed quum machæra eſſet breuis gladij ſpecies, & cæſim potius, quam punctim feriendo aptior, non acquieſco illius ſententiæ. Nam Dioſcoridi *l. 4. Macharonion*, gladiolus herba dicitur. Et Apuleius *l. 9. de Aſino aureo*, id exprimens, inquit: *Cōminabatur ſeſe conciſurum eum machæra fruſtratim*. Plautus vero iter facientes petaſatos & machæratos dicit, hoc eſt, breuiori gladio cinctos, quali peregrinantes vti ſolent. Alij vero dixere, *Matarin* fuiſſe haſtam ſeu lanceam longiorem, qua Galli vterentur: at quum Gallos lancea, *Geſſa* vocata, paſſim vſos obſeruem, nec interpretationem huiuſmodi recipere audeo: quod vero Galli geſſa ſint vſi, conſtat ex Cæſare *l. 2. belli Gallici*, quod pariter confirmat Lactantius, Statij interpres, *lib. 4. Thebaidos*, in eum locum:

---- Pars geſſa manu, pars robora flammis.
Indurata diu.

Idem quoque apertiſſime demonſtrat Virgil. *lib. 8. Æneid*: de Gallis verba faciens:

---- Duo quiſque Alpina coruſcant.
Geſſa manu.

Et Claudianus in Eutropium lib. 2.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens,
Illis ante vagus, tandem regionibus hæſit,
Geſſaque depoſuit Graio iam mitis amictu.

Itaque ſicuti neutram interpretationem recipimus, nec reiicimus, tamen ambas ſuſpectas habemus. Sit ſub iudice æquo determinatio. Nos ſane mendum in textu eſſe non dubitamus, & loco matari, *materi* reponendum. Nam *ματαρὶς παλτοῦ τι εἶδος*, hoc eſt, *materis iaculi ſeu teli eſt ſpecies*, ſic ſcribente Strabone *lib. 4. Geog.* & Nonius Marcellus materim teli genus poſt lanceam longius dixit. Siſenna: *Galli matribus*, (inquit) *Suetis lanceis configunt*. Et alibi: *Lanceis & materibus medium perturbant agmen*. Sic apud Cæſarem *belli Gallici l. 5.* legendum. *Nonnulli inter carros rotaſque materes ac tragulas ſubiiciebant, noſtroſque vulnerabant.* non *mazaras* vt vulgati textus, nec *materas*, vt alij, eſt enim tertiæ declinationis. Hinc forte *Matera* Deæ dictæ in Ægidio Siciliæ vrbe religione olim celeberrimæ, quarum ſimulacris tum Meriones, tum Vlyſſes haſtas affixerunt, inſcriptis etiam dicantium nominibus, quarum Dearum meminit Cæl. Rhodig. *lib. lect. antiq.* 21. *c.* 6. Gallorum autem materes proprias fuiſſe, ex Cæſaris dictis conĳcere poſſumus, rurſuſque firmare ex præſenti Liuij loco, nam Romani aduerſus Gallos pugnabant. Vnde docte Turnebus *Aduerſ. l. 9. c. 7.* annotauit, & hodie à Gallis ſagittam capitatam, matellatam dictam, quaſi materatam. Nonnulli à materi materiarios milites à Cæſare *libro belli Galli. 7.* dictos credidere, quod ſcilicet materi armarentur: at profecto minus recte, ſi textus verba penderentur, nam Cæſar hoſce cum frumentariis coniunxit, de munitionibus verba faciens: & per materiarios intelligendi, qui materiam ad ædificandas munitiones ſuppeditant. Sic Hircius *de bello Afric. lib.* in hunc ſenſum *in Africa inopiam eſſe dixit materiei ad crates & arietes fabricandos*. Et Plautus *in Milit.* ait: *Si nos materiarius non moratur, cito erit parata nauis.*

T. LIVIVS LIB. VII.

Cap. XXVIII. *Ædem Iunoni Monetæ vouit: cuius damnatus voti, quum Romam victor reuertiſſet, dictatura ſe abdicauit. Senatus duumuiros ad eam ædem pro amplitudine pop. Rom. faciendam creari iuſsit. Votum*, Cic. dixit, *eſſe ſponſionem, qua Deo obligamur*, vt interim Iuriſtarum ac Theologorum definitiones prætermittamus. Qui vero vota pro re aliqua à Dijs impetranda faciebat, *vouere*, ſeu *vota ſuſcipere*, & *nuncupare vota* dicebatur. Qui vero ſoluebat, *perſoluere* & *ſignare vota*, cuiuſmodi. quum paſſim extent exempla, ſatis erit Plinium audire, lib. Epiſt. 10. ad Traianū: *Solennia vota pro incolumitate tua et ſuſcepimus et ſoluimus, precati Deos, vt velint ſemper ea ſolui, ſemperq; ſignari.* ad quod & illud Iuuenalis *Satyr* 10. ſpectat:

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

nam cereas tabellas literis ſignatas, quæ votum explicabant, Deorum imaginibus affigebant. At, qui votum ſuſceperat, nec dum voti compos perſoluerat, *reus voto* appellabatur. Virg. *lib. 5. Æneid.*

Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus.

hoc eſt, vt Seruius interpretatur, voti debitor, quē locū quoque enarrans Macrobius l. 3. c. 2. Saturnal. *Hæc vox* (inquit) *propria ſacrorum eſt, vt reus vocetur, qui ſuſcepto voto numinibus ſe obligat.* Qui vero voto ſuſcepto aſſequutus id, pro quo vouerat, nondū tamen ſoluto voto, damnatus voti dicebantur. quod clare Liuij dicta *l. 27.* demōſtrāt: *Deos omnes* (ait) *Deaſq; precabātur, vt illis fauſtū iter, felixq; pugna, matura ex hoſtibus victoria eſſet, dānarenturq; ipſi votorum, quæ pro ijs ſuſcepiſſent.* Et l. 5. *Haud mirū id quidem eſſe, furere ciuitatem quæ damnata*

voti, omnium rerum potiorem curam, quam religione ſe eximendi habeat. Et *l.* 39. ſcribit *ſe pro ægroto vouiſſe, vt primum conualuiſſet, Bacchis eum ſe initiaturum: damnatum voti Deum benignitate ſe id exſoluere velle.* Virg. *Ecloga* 5.

---- Tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient, damnabis tu quoque votis.

vbi Seruius, *Quum præſtiteris*, inquit, *quæ homines te orauerint, videbis illos obnoxios ad vota ſoluenda. Nam ſumus voti damnati & obnoxij antequam reddamus.* Ex quibus patet, Alex. ab Alex. *lib. Genial. 3. c. 22.* perperam *damnatam voti* interpretatum, qui voti compos, vota exſoluiſſet: quod præcipue ex præſenti loco dignoſcitur. Nam dictator voti damnatus, nondum eo ſoluto, dictatura ſe abdicauit: cui voto ſubſequenti anno ſatisfactum ſtatim ſubdit Liuius.

T. LIVIVS LIB. VIII.

Cap. XIV. *In Veliternos, veteres ciues Romanos, quod toties rebellaſſent, grauiter ſæuitam, & muri deiecti, & Senatus inde abductus, iuſſique trans Tyberim habitare: vt eius, qui cis Tyberim deprehenſus eſſet, vſque ad mille pondo clarigatio eſſet: nec priuſquam ære perſoluto, is, qui cœpiſſet, extra vincula captum haberet.*] Cæl. Rhodiginus *l. 5. c. 11.* ex hoc Liuij loco, *Taleam* vulgo dictam, *clarigationem* exiſtimat dici poſſe. Budæus *in poſt. Annot.* clarigationem cum Hermolao Barbaro eſſe voluit, quam Græci *ἀνδροληψίαν* vel *ἀνδρολήψιον* dixere, cuius Iulius Pollux *l. 8. c. 1.* ſi Græca Latina reddamus, ita meminit: *Androlipſia eſt, quando quis homicidas fugientes petens non accipit: licet ex non reddentib. vſque ad tres abducere.* Eadem fere Suidas. De eadem re & Demoſthenes *in orat. κατ' ἀριστοκράτους*, in eandem fere ſententiam: *Si quis violenta morte obierit, pro hoc gentilib. atque cognatis Androlypſia ſunto, quoad iudicio cædis pœnaque ſubiecerint, vel necis autores dederint, Androlepſia vero ad tres vſque, nec eo amplius eſto.* Hæc *l. 6. Decretalium, Epiſt. 6. ſub titulo de iniur. & auth ſed omnino. c. ne vxor pro mar. pignoratio* vocatur: interpretes barbari *repreſaliam* dicere maluerunt. Vet. Gloſſæ *ἐνεχυρασμός*. id eſt, redemptio pro vita propria, vel pignore, & *Nouell. 52. ὅμηροι*, hoc eſt, vades, obſes, pignus, & quoq; *ἁρπαγὴ*, id eſt, violentum, nam reddere nolentibus, vi pigneratio ſeu repreſalia fiebat. Ego ſane *clarigationem* pignerationem dici Latine poſſe cenſerem, niſi pigneratio res potius, quam perſonā reſpiceret: clarigatio vero, ſicuti Androlepſia, potius perſonas, quam res. At clarigationem fuiſſe perſonarum potius, quam rerum prehenſionem, ex ipſius Liuij verbis clare percipimus: quæ tamē prehenſio ceſſabat, ſoluta pœnæ loco pecunia determinata: ſicq; reſpectu prehenſionis perſonarum Androlipſiam, reſpectu vero redemptionis ſolutæ pecuniæ medio, taleam & pignerationem dici poſſe, & ita ſcribentium de re hac ſententiæ, quæ diuerſæ videntur, conciliantur. Profecto minus apte Calepinus *clarigationem* belli denuntiationem interpretatus eſt: ſicuti & *clarigare*, bellum indicere: motus forte Plinij autoritate *l. 22. c. 2.* vbi habet: *Legati ad hoſtem cum clarigatum mitterentur.* At Plinius de fecialibus loquitur, quos & legatos appellat, quique mittebantur ad hoſtes repetitum, quæ illi vi & iniuſte abſtuliſſent, quod ſi dicto nō paruiſſent, bellum poſtea indicebāt: quorum repetitionis actio ſub clarigatione quoque continebatur. Illud ſane non reticendum, Gregorium IX. in Concilio Lugdunenſi, *c. vnic. de iniur. l. 5. Decret. tit.* 8. prohibere androlepſiam perſonarum Eccleſiaſticarum, quam repreſaliam & peregrinationem & clarigationem dici poſſe, non dubitamus. Clarigationes in Gallia vocantur *Droict de Marque*, vti adnotauit Guido Pap. *c. 32.* De re hac plura Bartolus *in tract. repreſal. q. 1.* & Tiraquell. *in com. in l. ſi vnquam.* & D. Thom. *2. 2. q. 40. c. 1.* vbi adnotatum lector inueniet, quæ repreſaliæ legitimæ & iuſtæ, & quæ non ſint dicendæ, & de eadem quæſt. Ioan. Andreas *ad reg. iur. non debet, in 6.*

Cap. XXXVIII. *Nec quenquā ferme ex Pollia Tribu candidatum, Papiriam ferre ſolitum.*] Hēricus Glareanus in ſuis ad Liuium Annot. ſcribit, Maguntinum Codicem non *Papiriā*, ſed *ſuffragia* habere, & interpretationem omittens, ait tantūmodo, ſe vereri locū corruptū eſſe. quam rem, dum ipſe perpenderem, in eam veniebam ſententiā, vt Liuium de Papiria lege verba facere exiſtimarem. fuere ſiquidē plures Papiriæ leges, puta *de conſecratione, de refectione Trib. pleb. de re nummaria, de triūuiris capitalib.* & poſtremo *Papiria tabellaria, de ſuffragiis*, qua cautum, vt in iubendis legibus, aut antiquandis, populus tabella ſuffragium ferret, quæ lex gratiſſima pop. Rom. fuit vt tradit Cic. *3. de legib.* & de eadem: idem dixit *in Planciana*, quod *frontem aperiret hominum, mentes tegeret*, daretque eam libertatem, vt quæ vellent, facerent. Et *in 2. Agraria, vindicem tacitæ libertatis*, & *in Corneliana, principem iuſtiſſimæ libertatis appellauit*. Putabam itaque, ſenſum verborū Liuij eſſe, neminem candidatum ex Pollia Papiriam legem ferre ſolitum, hoc eſt, quando populus per tabellas occulta ſuffragia, vt lege Papiria cautum fuerat, daret, ad petitos honores promotum odio aliarum tribuum, quod ſicuti ipſæ omnes rogationem Flauiam de animaduertenda in Tuſculanos antiquaſſent, ſola Pollia cenſuiſſet Tuſculanorum puberes verberatos necari, coniuges liberoſque ſub corona lege belli venire. At quum Liuiana dicta exactius perlegiſſem, dictionem illam *Papiriam* non ad legem, ſed ad tribum referendam, manifeſte deprehendi, ſenſumque genuinum eſſe, Papiriam tribum neminem fere poſtea ex Pollia tribu candidatum ad honores petitos promoueri paſſam, eo quod memor eſſet immaniſſimæ ſententiæ à ſola Pollia in Tuſculanos ſuos latæ. Tuſculanos autem in Tribu Papiria ſuffragia tuliſſe, probat Carolus Sigonius ex hoc loco ſolo, *lib. 2. de antiquo iure Italiæ, c. 9.* quod veritati conſentaneum exiſtimandum. ſiquidem eos ciues Romanos factos, & legiones ab Tuſculo deductas, conſtat ex ipſomet Liuio *l. 6.* illiuſque mos eſt, cum abſolute profert, gentem aliquam ciuitate Rom. donatam, & ſuffragium quoque obtinuiſſe, tandem intelligere: ſicuti econtra, ſi ſuffragandi ius vna cum ciuitate non conceſſum, id exprimere, vti *l. 8.* ait, *Acerranis ciuitatem ſine ſuffragio datam.* Et rurſus, *Formianos & Fundanos ciues Romanos ſine ſuffragio factos*, & l. 9. *Anagninis ciuitatem ſine ſuffragij latione datam.* quod pariter confirmari poteſt ex Valerio Max. dictis, *lib. 9. c. 10.*

T. LIVIVS LIB. X.

Cap. XXXVIII. *Primoribus Samnitum ea deteſtatione obſtrictis, decem nominati ab Imperatore, eis edictum, vt vir virum legerent: donec ſexdecim millium numerum confeciſſent. Ea legio linteata, ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat, appellata eſt, his arma, inſignia data, & criſtata galea, vt inter cæteras emineret.*] Quidam hūc locum explanantes dixere, legionem Linteatam dictam eo quod linteis loricis ſeu thoracibus armarentur; ait enim Liuius, linteatam legionem appellatam *ab integumento, quo erant conſepti*: Antiquos vero lineis ſeu linteis loricis vſos, conſtare aiunt. Æmilius Probus, ſeu, vt alij, Cornelius Nepos *in vita Iphicratis*, ſcribit, *illum Athenienſibus loricas linteas pro æneis tradidiſſe, vt expeditiores in militari officio eſſent.* At hæc ab Homero *Iliad. 2.* Aiax Locrenſis *λινοθώρηξ* dictus, id eſt, *linteum thoracem habens*: ita & paulo poſt amplius etiam *λινοθώρηξ* dictus. Sed & apud Xenophontem *in Pædia Cyri, li. 6.* Abradates Rex Suſorum induebatur thorace lineo, more patrio, & apud eundem in expeditione Cyri minoris, *l. 4.* Chalybes linteis loricis ad vnum vſque membrum induebantur. Et Pauſanias *l. 1. de Atticis*, Sarmatas, ſeu Nomadas loricis lineis vſos tradidit. Celebratur & Amaſis Ægypti regis linteus thorax ab Herod. *lib. 3.* de quo Plin. *lib. 19. c. 1.* inquit: *Mirentur hoc ignorantes Ægypti quondam regis, quem Amaſim vocant, thoracem in Rhodiorum inſula oſtendi in templo Mineruæ 365. filiis ſingula fila conſtantem.* Virg. lib. 12. Æneid.

Lancea conſequitur, rupitque infixa bilicem
Loricam.

In hunc ſenſum Sidonius Apollinaris ſcribit *l. 8. ad Leonem: Linteatum dici, veſte ſeu alio tegumento linteo indutū.* His tamen non obſtantibus, crediderim huiuſmodi interpretationem ſubſiſtere minime poſſe, ex ipſius textus verbis, inquit enim Liuius, *arma inſignia, & galeas huius legionis militibus data*: non ergo *loricas lineas*, quas certe non reticuiſſet, ſed ſignatim nominaſſet, quum eas non ignoraret: ſiquidem prius *lib. 4.* meminerat *thoracis lintei* à Coſſo, interfecto Tolumnio, adempto, ac in templo Iouis Feretrij ſacrato. Præterea Samnitum legionem, inquit *linteatam dictam ab integumento conſepti, quo ſacrata nobilitas erat* & paulo ſupra dixerat *paratum locum in caſtris linteis contectum, & lib. linteo lecto ſacrificatum*, & cætera, quæ ſequuntur. Ad hæc Plinius loco cita-

to ſcribit ex Homeri auctoritate, *linteis thoracibus armatos pugnaſſe*, non itaque exiſtimandum, linteos thoraces tot fuiſſe Samnitibus, vt ſexdecim millia ipſorum (tot enim conſtitiſſe legionem linteatam, ſcribit Liuius) illis armari potuiſſent. Poſtremo omnem ſcrupum adimit Feſti Pompeij auctoritas, qui *lib.* 10. paulo poſt à principio ſcribit, *Samnitum legionem linteatam appellatam à Liuio. quod Samnites ſinguli ad aram velis linteis circumdatam, ſe non ceſſuros Romano militi iurauerant.*

T. LIVIVS LIB. X.

CAP. XL. *Tripudium ſoliſtimum Conſuli nunciauit.*] Inter cætera auſpicia, quibos antiqui Rom. maximam curam adhibuere, ita vt niſi his præmonentibus, comitia noo haberent neminem ad principem magiſtratum promouerent, non pacem, non bella inirent, nec pugnam aggrederentur: pullorum auſpicia multæ exiſtimationis fuiſſe, paſſim legimus. His enim è cauea emiſſis, puls vel offa pro cibo ab aruſpice, pullario dicto, dabatur. quod ſi oblata eſca, pulli è cauea non exiſſent aut progreſſi, illam non attigiſſent, triſtis euentus omen erat. quod Val. Max *l.* 5. *c.* 4. & Liuius *l.* 6. tradidere. Sic Tiberio Gracchoo, qua die cæſus occubuit pulli emiſſi è cauea, retro ceſſere *ex Plutarcho in illius vita.* Et Claudius Pulcher in hoſtes moturus, non paſcentib. in auſpicando pullis, nauali pugna, claſſi profligata, improſpere conflixit *ex Suet. in Tiberio, c.* 2. Econtra vero, ſi pulli è cauea egreſſi, oblatum cibum depaſti eſſent, ita vt illis veſcētib. offæ ſeu pultis fruſtulum ab ore in terram decideret, & in terra pauirent, auſpicia ſecunda portendebat, atque fortunatom euentum, qood Cicero 1. & 2. *de Diuinatione,* & Feſtus Pompeius *l.* 14. tradidere. Hoc autem vocabatur *tripudium ſoliſtimum:* in hæc verba docente ibidem Cic. *Sed quia, quum pulli paſcantur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primo, poſt terripudium dictum eſt, hoc quidem iam tripudium dicitur: quum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium ſoliſtimum nunciant.* Quod & li. Epiſt. Famil. refert: *Soliſtimum vero dicebant ab imo ſolo, quod offa ex ore cadens feriebat.* At hæc auſpicia ab ipſis tandem Romanis poſt multa ſecula, tanquam omnino ſuperſtitioſa, repudiata, vti videre licet apud Ciceronem, *lib. de Diuinatione.* Diuinis vero legib. & noſtris Canonib. ſunt damnata, vt patet *ex cauſa* 26. *quæſt.* 5. Nec omittendum illud Acij antiqui Poëtæ: *Nil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos.* Et iure Valer. Flac. 1. *Argonaut.* exta lubrica appellat, quod auſpicia omnia inconſtantia & fallacia ſint. Mendacij autē pullorū auſpicia coarguit locus hic, quia etſi pro Papirio, auſpicāte pullario, pulli nō paſcerentur, vicit tamē ille pugnās, & multa millia hoſtiū fudit & interemit, pullario, qui mētiebatur, in primo cōgreſſu ante ſigna occūbente.

Cap. XLIV. *Equites omnes ob inſignem multis locis operam, corniculis armilliſq; argēteis donat.*] Milites ob ſtrenuā in pugna nauatam operam donabantur à ducib. coronis multiplicib. haſtis puris, phaleris, torquib. armillis: addit hoc loco Liuius, & *corniculis.* Sed quale eſſet corniculū, haud cōpertū eſt, quod ipſe legerim. illud ſane coniectari licet, ab hoc ornamēti genere, milites corniculo inſignitos, *cornicularios* appellatos. De *cornicularijs* autē militibus, qui ſcilicet olim eſſent, nōdū certi quicquā ex antiquis ſcriptoribus, recentioribusve, mihi diligētiſſime perſcrutanti, reperire licuit. Quod tamen ex aliorū ſcriptis occurrit, in medio afferā, nec, quæ ex mea Minerua deprompſi, reticebo: vt in re iſta perdifficili & abſtruſa, lumen quod dari poteſt, noo deſit. Turnebus *Aduerſ. l.* 5. *c.* 10 ita ſcribit: *Vti in exercitu & acie dicitur cornu, ita in cohortib. Tribuni militum corniculū, & fortaſſe in ordinib. Centurionū, à quo cornicularius, qui corniculo Tribuni militū præeſt.* Cæl. Rhodig. *l.* 17. *c.* 10. ſcribit: *Corniculariū vero obiter ſunt, qui putent, corniculis militantē, ſicut à cornu dicti cornicines.* Et paulo infra addit ex Amm. Marcellino *l.* 16. *Cornicularios & Cornutos vocatos & Baccatos* milites, vſu prœliorū diuturno firmatos: quorū etiā meminit idem author, *l.* 15. inquiens, *Baccatos atq; cornutos fluxioris fidei, & vbertate mercedis, ad momentum omne verſabiles, Cōſtantini Imperatoris iuſſu in Siluani mortem, qui ad culmen Imperij ſurrexerat, ſolicitatos, illū interfeciſſe.* De cornutorū quoq; Tribuno alibi idem Ammianus verba facit. Verū hæc, ſicuti, quod quærimus, non aperiunt, ita difficultate non vacant. namq; apud Amm. Marcellinum textus correctiores non habent *cornutos & baccatos,* ſed *Cornutes & Braccatos,* hoc eſt, populos illos Galliæ, inter Celtas Andegauēſibus Turonibuſq; finitimos: *ex Cæſare l.* 3. *et* 6. *belli Gallici:* quāuis Plinius inter Danubiū & Hercinium ſaltum eos cōſtituat, *l.* 4. *c.* 12. Hos vero Braccatos ſcilicet, Galliæ Narbonēſis populos fuiſſe, teſtimonio Plinij cōſtat, *li.* 3. *c.* 4. cui lectioni præcedētia, & ſubſequētia verba maxime fauere videntur. Carolus Sigonius de antiquo iure prouinciarū, l. 2. c. 2. *Cornicularios* (inquit) *autē qui fuerint, nemo tradidit, ego tribuni militaris miniſtrū fuiſſe, facile dixerim.* Hoc autē cōfirmat auctoritate Valerij Maximi, *l.* 6. *c.* 1. ita ſcribētis: *Cominius Tribunus plebis diem ad populū dixit M. Lectorio Tribuno militum, quod corniculariū ſuum ſtupri cauſa appellaſſet.* Iulius Frōtinus idē affirmare videtur Stratagem. *l.* 3. ita ſcribens: *Tāquā Tribuni cornicularius vigilias excitauit,* vel *vigiles,* vt alij legūt. Læuinus Torrētius in ſuis Cōment. in Suetoniū, in Domitiano, c. 17. *Cornicularius,* inquit, *ordo, ac gradus in militia erat: neque aliud, quā accēſi Tribunorū, Centurionūq; ac Decurionā fuiſſe videtur.* Huic ſententiæ Aſconij dicta in Verr. *Accenſi* (inquit) *dicebātur attributi Decurionibus, hoc eſt, eorū miniſtri, quos nūc Commentarienſes et cornicularios appellāt.* Accenſos autem, ab *acciēdo* dictos, eo quod mādata proferrent, & accirent, alibi ducuimus. Ita & Suetonius *de claris Oratoribus,* de Orbilio ait: *Orbilius primo apparituram fecit magiſtratibus, deinde in Macedonio corniculo, mox equo meruit.* Et auctor de viris Illuſtribus: *M. Scaurus primo in Hiſpania corniculo meruit, ſub Oreſte in Sardinia ſtipēdia fecit.* Ex his omnibus cogitabā ego *cornicularios* forte fuiſſe, qui tribunorū & cēturionū imperia mādataq. per ordines & in acie proferrēt, paruo cornu argēteo variæ concinentes, quo pacto hodiernis tēporib. triremium ductores corniculo, quod colla appēſum geſtant, ori appoſito varie & diuerſimode ſibilantes ad varia munia obeunda nautas & remiges excitāt. Sicut itaque in vniuerſo exercitu, teſte Vegetio, *l.* 2. *de re milit. c.* 22. cornicines erāt, & tubicines, qui in pugnā milites incitabāt, quod pariter & Liuius tradit, *l.* 2. ita & in ſingulari quoque ordine erāt cornicularij, imperantium mandata corniculo ſignificantes. Ita in militia Palatina *cornicularij* accipiuntur pro Accenſis Primiſcriniorum, vel Principis proximorum, ſi Alciato credimus *in li.* 2. *Corniculario. C. de prox. ſacr. ſcrin. l.* 12. Veniebat quoq. in mentem *corniculum* fuiſſe ſignum ſeu vexillum, ſub quo equites ducebantur, quemadmodum & noſtris temporib. equeſtriū militum ſignum & ſigniferū vulgo *Cornetta* dicitur. quod cōprobare videtur Vegetius *de re milit. l.* 2. *c.* 24. ſcribēs: *Qui ſub vno corniculo militabāt, centurio et ſui milites, ambo cornicularij dicebātur.* Et Symmachus *lib. Epiſt.* 1. *ad Theodoſium* inquit. *Prætorianus urbanarū cohortiū miles ad corniculariorū gradū inculpati laboris diuturnitate promoti.* Poſtremo dum Liuianū textum perpondero, & animo concipiebam, quod ſicut Venetorum Ducum ornamentū illud, quod capite geſtant miris gemmis exornatum, *cornu* vocant, ita & antiquitus militari ornamento caput militis illius honeſtarent Imperatores exercituum, qui ſtrenuum aliquod facinus egiſſet, hocq, *corniculū* appellaretur, cui inderētur plumæ, aliudve ſimile, & argenteū erat vel aureum, quod noſtrates etiam gēmis exornatos ferre, & *aierone* dici paſſim ſcimus: quod ex ſculpturis antiquis pariter colligere poſſumus, in quibus conſpicimus militū nonnullos in galeæ ſummitate huiuſmodi corniculo habentes: Corniculū autem vocari hoc capitis ſeu galeæ ornamentum puto, ab animalium quadrupedum quorundam ſimilitudine quorum caput cornu vel cornib. inſigniātur. Sic Luna *cornu præfulgens* dicitur. Hanc noſtrā ſententiam cōfirmare poſſumus ex iconib. galearū militarium à Gulielmo Chouſ Gallo *lib. de Caſtrametatione antiquorum,* deſcriptis, præſertim ex 5. & 6. in ordine, corniculos in ſūmitate præferētes. Sic in numiſmate argēteo Alexādri Magni caput galeatum cum corniculis cōſpicimus, vnde & eorum vſum à Græcis ad Romanos trāſlatum exiſtimamus. Sic in ſacris literis Moyſes *cornibus illuſtris,* & 1. Regū c. 2. *Dabit imperiū Regi ſuo, et ſublimabit cornu Chriſti ſui,* & pluries cornu exaltationē pro ſublimatione, ſacræ paginæ accipiunt. Certe cornicularij milites virtute præſtātes, & fortitudine inſignes erāt, quod tum ex dictis colligere poſſumus, tum etiā ex Suetonio in Domitiano, *c.* 17.

dum ait: illum *à Clodio*, ſeu vt alij legũt, *Clodiano corniculario, cum aliis contrucidatum*. Et Caſſiodorus, *l. 11. variar.* tradit *cornicularios* dictos, *qui præerant cornibus ſecretary*, hoc eſt, qui in conſilio Præfecti prætorio ſtabant armati, à Græcis ὑπασπισταί. quo ſenſu accepta & hæc vox apud Maternum *lib. 2.* & Firmicum *Matheſeos 3.* In ſcriptione antiqua, in Sacello ſanctæ Mariæ, in via Pontificum, legitur: VECTORIVS PROCVLVS ADIVTOR CORNICVL. In alia in hortulo ad Aquam Virginem: ATENÆVS FIRMVS CORNICVLARIVS SVP. PRÆF. VIRGIL.

T. LIVIVS LIB. XXI.

Cap. LXII. *Cære ſortes extenuatas.*] Sortis inſtrumenta, *ſortes* dicebantur. Cicero de diuinat: *Simia ſortes euertit, ſortes diſſipauit.* Accipiuntur & nonnunquam *ſortes* pro oraculi reſponſo, quæ olim Satana ſuggerente, diuerſis in locis conſulentibus reddebantur, quibus impoſturis & hodiernis temporib. impuri impuſſimique quidam delectantur, & ſortilegi dicuntur, *a 6. quæſt. 1. in toto titulo, extra de ſortileg.* Erant autem, vt docet Cic. *l. 1. de Diuinat.* duo oraculorum genera, ſeu reſponſorum: vnum quando voce dabantur à furentibus, ac demum afflatis, puta à Pythia, Apollinis nomine concepta: alterum, quod æquatis & parib. ſortib. ex vrna ducebatur. Habebant. n. teſſellas, ſeu folia, aut paginas, taleolaſue ligneas, certis quibuſdam ſententiis obſcuris notatas. quarum quædam fœlicitatem, quædam calamitatem prænuntiabant, educebãtur vero è ſitella, vel vrna: & hæc etiam ſortes ſeu oracula vocabantur. Cic. loco citato: *Quum Spartiatæ oraculum ab Ioue Dodonæo peterent, legatique illud in quo inerant ſortes, collocauiſſent, Simia & ſortes ipſas, & cætera quæ erant ad ſortes ipſas paratu, diſturbauit*, quod pariter Æſchilus docuit. Oraculum itaque Cære reddebatur, non modo reſponſo voce dato, ſed ſortibus inſcriptis: has autem *extenuatas* ait Liuius, eo quod vel tabellæ imminutæ ex ſe eſſent, vel reſponſa non ſemper, nec omnibus ex more darentur, quod portentoſum habitum. Quæ tamen interpretatione exacte ſatisfaciat, efficiunt eiuſdem Liuij verba per initia libri ſubſequentis huiuſmodi: *Sortes ſuas ſponte attenuatas vnamq; excidiſſe ita ſcriptum: Mauors telum ſuum concutit.* Itaque *extenuare* & *attenuare*, non propria ſignificatione & communi accipiendum, ſed pro eo quod eſt diſgregare, ſeu diſiungere, & concreto & aggregato ſeu coniuncto opponitur: ſic Cic. *de Nat. Deorum, aerem dicextenuatum, nolle concretum* dixit: ita vt ſenſus ſit, ſortes, quæ in vrna inſimul iunctæ erant, attenuatas ſponte, hoc eſt, nullo reſponſum petente, nec Sacerdote dante ex ſe extenuatas, hoc eſt, diſiunctas, vnamque ex vrna excidiſſe, in qua erat inſcriptum: *Mauros, &c.* quod pro portento habitum. Cære vrbs præclara Hetruriæ fuit, ex eodemmet Liuio *l. 1. & in extrema parte l. 4. & l. 28.* Plinio *l. 3. c. 5.* & Strabone *lib. 5.* Hanc perperam Seruius Agillinam vocatam tradit in eum Virgilij locum, *8. Æneid. Vrbis Agillinæ ſedes*, & illud 10. eiuſdem: *Qui à Cærete domo.* Seruio autem errandi occaſionem præbuiſſe puto Plinij verba, loco citato, quæ diſiunctiue legenda, non coniunctim: Agillinam. n. aliam vrbem fuiſſe à Cærete, palam eſt. In vrbe itaque Cære religionis eximium fuiſſe cultum, præter oraculum, & ſortes, ex eo colligimus, quod Feſtus tradat, cærimonias dictas à Cære oppido (quamuis Gellius *l. 4. c. 9.* à Carere deriuatas, ſed minus oppoſite, ſcripſerit) nec non ex eo quoque, quod Gallis Capitolium obſidentibus, Flamen Quirinalis, aliiſque Sacerdotes Veſtales virgines, ac pop. Ro. Sacra Cære conuexere, ex ipſo Liuio *lib. 5.* Petaſones, Cæretanos, & Cæretana vina, mire extollit Martialis. Quamuis autem à Cæretanis Rom. ſacra ſeruata fuerint, vnde & hodie vulgo *Cærete* de ſeruatis dicitur, illi tamen ſola ciuitate Rom. donati ſunt, nec vnquam ſuffragij ius obtinere potuerunt, vnde qui Romani ciues ſuffragandi notæ cauſa munere priuantur, ita vt nec ferre ſuffragia in comitiis, nec in eiſdem ad honores promoueri poſſent, dicebantur referri in Cæritum tabulas, vt docet Gellius *lib. 16. c. 13.*

T. LIVIVS LIB. XXII.

Cap. XX. *Vbi vis magna ſparti fuit, ad rem nauticum congeſtam ab Aſdrubale.*] Geniſtam vinculi vſum præſtaſſe antiquis tradit Plinius *l. 24. c. 9.* vbi quoque ait, *ſe dubitare eam eſſe, quam Græci auctores Sparton appellauere, quum ex ea lina piſcatoria apud eos factitari docuerit, & hanc deſignaſſe Homerum, quum dixit, nauium ſparta diſſoluta: nondum enim fuiſſe Africanum, vel Hiſpanum ſpartum in vſu, certum eſt: & quum ſutiles fierent naues, lino tantum, non ſparto vnquam ſutas.* Idem Plinius *l. 23. c. 12.* ſcribit, *Antigonum ex papyro funes paraſſe, nondum communicato ſparto.* Libro vero 19. c. 2. de ſparto ex profeſſo verba faciens, inquit: *Sparti quidem vſu, multa poſt ſecula cœptus eſt, nec ante Pœnorum arma, quæ primum Hiſpaniæ intulerunt. Herba hæc ſponte naſcens, et quæ non queat ſeri, iuncuſque proprie aridi ſoli.* & paulo poſt ſubdit: *Hinc ſtrata ruſticis eorum, hinc ignes, faceſq; hinc calceamina, et paſtorum veſtis*: ſequitur deinde Plinius modum parandi ſpartum docere, poſtremo addens: *Verum tamen complectetur animo, qui volet miraculum æſtimare, quanto ſit in vſu omnibus terris nauium armamentis, machinis ædificationum, aliiſq; deſideriis vitæ.* Itaq; hoc loco per *ſparti magnam vim* intelligẽdum, vel herbam ipſam perfectam, & paratam in nauium vſum, vel quod magis arridet, funes ex ſparto paratas, namq; & Græcis σπάρτον, funis, & rudens eſt, & σπάρτη filium. Et Athenæus *li. 5.* filium craſſius, ſpartia appellauit, inquiens: *Putris calceorum ſpartis accendẽs.* Apud Catonem *de re ruſtica, c. 11.* *ſpartuas* obſeruamus *vrnas et amphoras*, hoc eſt, ex funibus ſpartæis confectas, pice poſtea, vel raſina ceraue oblinitas, fictilibus, & teſtaceis minus frangibiles, niſi dixerimus, ex ſparti iuncis eaſdem contextas fuiſſe. Plinius loco præcitato tradit, *Funes ex ſparto paratas, præcipue in aquis mariq; inuictas, in ſicco præferunt è cannabi funes. At ſpartum alitur etiam demerſum, veluti natale ſitim penſãs.* Cato de re ruſt. *c. 3.* ait, *Trochleas Græcanicas binas, quæ ſpartæis funibus ducũtur.* Et Liuius ipſemet *l. 26.* ſcribit. *Naues onerariæ 113. in portu expugnatæ, captæq; quadã, cũ ſuis oneribus, frumento, armis ære præterea, ferroq; linteis, et ſparto, et nauali alia materia ad claſſem ædificandam.* Ex quibus ſatis patere puto, per ſpartum intellexiſſe Liuium funes ex ſparto confectas. Noſtris temporibus earũ vſum deſiiſſe exiſtimandũ ex cannabis redundantia, ex quo firmiores & minori negocio parantur. De ſparto Dioſcorides *lib. 4.* vbi mirum, in Com. doctiſſimum Mathiolum de re hac ne verbũ quidem feciſſe.

T. LIVIVS LIB. XXIII.

Cap. XLVIII. *Exortandoſque qui redempturis auxiſſent patrimonia, vt Reipublicæ, ex qua creuiſſent, ad tempus commodarent.*] *Redempturæ* à verbo *redimere* deriuata: redimere vero multis modis accipitur, præſertim apud Iuriſtas. Nam redimere quandoque eſt emere, Cic. *qui merces redimunt, vt ſtatim vendant.* Dicitur, *ſecundo redimere* pro reemere, Cic. in Ant. *Pompeio ſua domus patebit, eamque non minoris, quam emit Antonius redimit.* ita in contractibus *familiare pactum redimendi.* Tertio pro liberare, ſeu recuperare illos qui ſunt capiti. Cic. in offic. *redimere captos à ſeruitute.* Quarto *redimere* pro corrumpere, vt, *redimere delatorẽ pecunia*, hoc eſt, eum à delatione deducere. *ex Vlp. l. 29. D. de iur. fiſci*, ſic redimere ſententiam, redimere iudices. Macer. *l. 34. eo.* Et redimere litem, id eſt, futuri emolumenti litis paſcici, *l. 7. D. mãdati*, & alibi plaries. Vnde & *redemptor litis*. qui certa mercede pacta, litis periculum in ſe recipit. Vlp. *l. 6. D. mandat.* & Cic. pro Q. Roſ. *Roſcius ſocietatis nõ ſuas lites redemit*, & pro Mil. *Qui palam ſe iudicibus redemerat.* Poſtremo accipitur *redimere*, pro certo precio aliquid faciendum ſuſcipere, ex Cic. *l. 2. de Diuinat.* & Celſius *in l. redemptores. D. de rei vendicat.* Verũ illud animaduertendum, quod ſicuti *locare* proprie eſt precium accipere, & *conducere*, dare pro annuo fructu alicuius rei, nonnunquam tamen promiſcue accipiuntur, vt annotauit Accurſius *in l. a. tit. de exercit. act.* & fuſius Budæus ibidem: ita & *redimere* licet proprie ſit precium accipere pro re facienda ſuſcepta, nihilominus & aliquando eſt precium ſoluere pro re conducta. Ita publicani dicebantur *vectigalia redimere*, & *redemptores* vocabantur. Ita *redemptor cenſoriarum, redemptor ſyluæ, portus, venalium rerum, ſalinarum, metallorum, picariarum, arenariarum, cretafodinarum, paſcuorum* & aliorum conſimilium pop. Rom. redituum, quorũ exempla paſſim legimus. Ita & Valla l. 1. elegantiarum *locare* etiam promiſcue accipi docet. Locare enim ſepulturam faciendam (inquit) tam ſignificat dari alicui faciendam, quam ſe eam ad faciendam locare. Itaque *redemptores* dicebantur publicani, qui vectigalia & alios

Digitized by Google

reditus publicos conducebent, & magis proprie, qui etiam aliquid opus publicum faciendũ pacta pecunia in ſe recipiebant. *Redemptores* (inquit Feſtus) *proprie, et antiqua conſuetudine dicebãtur, qui quum aliquid ad faciendũ aut prabendũ conduxerant, effecerantque, tum demum pecunias accipiebant.* A redẽptore dicta *redemptura*, quæ eſt redemptio ſeu conductio publicorũ operũ, ex Vlp *l.5. De inſt. act.* & Cic. *de Prob. Publicanos temeritate redemptionis pene eſſe euerſos*. Publicanorum autem ordo potentiſſimus Romæ erat, qui redempturas exercebat, plurimumque authoritate valebat, vt Cic. *in epiſt. ad Lentulum, Appium, et Q. Fratrem, & in Orat. pro Plancio* ſcriptum reliquit: *Flos equitum Rom.* (inquit) *publicanorum ordine continetur.* Et Liuius *li.25.* ait, *publicanos iurgantes cum pop. Rom. Tribuniſque Pleb. auſos ſuffragio euertere concilium, & turbare.* Male tamen audiebant Publicani, quod per initia *li.23.* docuit idem Liuius, ac illos pecunioſos fuiſſe, vtpote quibus plurimum lucri ex redempturis accederet, ex hoc loco patet, nec ſolum ſingulos redemptoras, ſed & ſocietate coniunctos plures exercuiſſe. Itaque quum veſtimẽta & fromẽtum Hiſpanienſi exercitui mittenda eſſent, tres ſocietates hominum vndeuiginti id onos in ſe receperunt, hiſce pactis tamen, *ne aly triennio futuræ publicani eſſent, & quæ in naues impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatiſque vi, publico periculo eſſent, & ita priuata pecunia reſpublica adminiſtrata eſt, vt quũ pecunia in ærario eſſet, redẽptoribus primis ſolueretur.* Publicorum operũ extruendorũ locationes paſſim apud eundẽ Liuium legimus, huic vero conſimilem *li.34.* vbi habet: *Itaque redemptorib. vetitis frumentũ parare, ac Romã dimiſſis, bellũ, inquit, ſe ipſum alet.*

AD LIB. XXIV.

Cap. *x. Et in vico Iſtrico fontem ſub terra tãta vi fluxiſſe, vt ſerias doliaque, quæ in eo loco erant prouoluta, velut impetus torrẽtis tulerit.*] *Seriã* vaſis genus quoddam fuiſſe, omnib. receptũ eſt. ſed quæ illius forma, materia, magnitudo & vſus eiuſdem fuerit, non ita manifeſtũ. Donatus enarrans illud Terentianum in Heaut. *Releui dolia omnia, omnes ſerias*, inquit: *Seria vas fictile de limo oblongũ.* Budæus *li. de aſſe 5.* ita habet: *Seriã oblonga forma fuiſſe puto, et in ſumme ceruicatam.* Recentiores Iuriſtæ nonnulli, & ipſi vas oblongũ fuiſſe, tradunt. Sed hi omnes nulla ratione, omnes nulla auctoritate, ſententiam ſuam cõprobent; ita vt opere imeginaria eorum dicta ſint cenſenda. Magnum vas ſeriam fuiſſe, non dubitamus. ſiquidem miraculo caret portentum à Liuio ſcriptum, ſi ſeriæ, ſicuti & dolia, quaſi à torrente, à fonte prouolutæ, magnæ non fuiſſent. Ad hæc Columella *li.12.* docet, ex ſeriis in minora vaſa vinum diffundi ed vetuſtatem ſeruandam, nempe in cados & emphoras. Præterea idem auctor meminit ſerarium, quarum ſingulæ ſint amphorarum ſeptenũ. Alciatus, loco infra dicẽdo, ait, ſeriam vas fuiſſe maius, & capacitatis maioris, quam culeũ, quod vicenas amphoras contineret. Addamus à ſeria, vaſe magno, diminutiuum *feriolam* deriuari. Perſius *Satyr. 4.*

Seriola veterum metuens deradere limum.

ita vt & fictile vas fuiſſe ſeriam, ex Perſio & Donato affirmare poſſimus, nec non & ex Lãpridio, ſcribente in Heliogabalo: *Quumq; ſeriam quaſi veram rapuiſſet, quãuis virgo maxima falſam monſtrauerat, atque in ea nihil reperiſſet, exploſam fregit.* Alciatus *in Com. in tit. de verb. ſignific. l.* 206. figulini fuiſſe operis ſeriam, teſtatur. Sed & alterius quoque materiei cõfectam conſtat: primum ex eodem Perſio ibidem ſcribẽte:

——Et ô,

Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria.

ſeriam ſparteã, hoc eſt, ex ſparto confectam, & pice circũlinitam, colligere poſſumus ex Pecuuio, vetere poeta, ſcribente:

Nec vlla ſubſcus cohibet compagam alui;
Sed ſutaline, et ſpartis ſerilibus.

Vbi ſpartea ſerilia vocat, hoc eſt, ad ſerias conficiendas apta. Vnde & ex ære, ligno excauato, aliaue conſimili materia parari potuiſſe ſerias, non dubitandum. Præcipuum vero ſeriæ vſum fuiſſe in vino condendo crediderim. nam Vlpianus *l. is. §. proprietatis. D. de vſufruct.* vinarium vas fuiſſe teſtatur, & Columelle *li. 12. c. 18.* ita ſcribit: *Dolia quoque ante quadrageſimum vindimiæ diẽ picanda ſunt.* Frumentariũ vas alij Iuriſtæ recentiores ſeriã fuiſſe, contendunt ex Paulo, *ex eodẽ l. 206. de verb. ſignific.* ſed & aliũ vſum præſtitiſſe ſeriam colligimus, ex Columella *li. 12.* vbi de ſalſura ſuillæ carnis verba faciens, ait: *Sed quum ad fauces ſeria peruentum eſt, ſale reliqua pars repletur, et impoſitis põderibus, in vas comprimitur, eaque caro ſemper conſeruatur, quæ tamquam ſalſamentum in muria ſua permanet.* Varro vero *li. 3. de re ruſt. c. 2.* ſeriarum oleariarum meminit, id eſt, ad oleum ſeu oliuas conditas ſeruãdas, deſtinatum vas. Illud poſtremo annotari libet, Turnebum, quem ſemper honoris gratia nomino, *l. Aduer. 30. c. 6.* Terentianum illud in Heauton. act. 3. ſcen. 2. *relinire ſerias* interpretatum, ſerias aperire. Cuius ſententiam, etſi redarguere non libet, tamen nec prætereundum dicimus, forſan *relinire* eo in loco interpretandum, iterum linire pice, quum ſcilicet pix vetus à vaſe decidiſſet, ita vt haud bene contenta adſeruarentur.

Cap. xviii. *His ſuperioribuſque illis equi adempti, qui publicum equũ habebant, tribuque moti, ærarij omnes facti, neq; Senatus modo, aut equeſtri ordini regendo cura ſe Cenſorum tenuit. Nomina omniũ ex iuniorũ tabulis excerpſerunt, qui quadriennio non militaſſent, quib. neq; vacatio iuſta militiæ, neque morb. cauſa fuiſſet. Et ea ſupra duo millia nominũ in ærarios relata, tribuque omnes moti.*] Quid eſſet, *ærariũ facere*, ſeu *ærariũ relinquere*, vel *in ærarios referre*, quorũ frequens apud ſcriptores fit mentio, à nullo hacteous plene & ad amuſſim declaratum inueni. Budæus *in Annot. in Pandect. ex l. vltima de Senatorib.* ſcriptũ reliquit: *Aerarij verbũ frequens apud antiquos, à paucis ſatis intelligitur.* Verũ ſicuti id ipſe optimo retulit, ita neq; ipſe rẽ plene aperit. Nicolaus Gruchius *li. 1. de Comitiis Rom.* rem hanc veluti per tranſennam tantum tetigit, minime tamen explanauit. Carolus Sigonius *li. 2. de antiquo iure Rom. capite decimoſexto*, Ærarios interpretatur, qui à militarib. ſtipẽdiis eſſent repulſi, idque probare contendit auctoritate Liuij ſcribentis *li. 7.* Attellanos hiſtriones cenſoria nota vacuos fuiſſe, *quia neque tribu mouerentur, neq; à militarib. ſtipendijs eſſent repulſi.* At pace doctiſſimi viri ſit dictum, interpretatio minime genuina eſt. aliud enim eſt à ſtipẽdiis repelli, aliud, ærarium fieri. Qui enim ſtipendiis priuabantur, non *ærarij* dicebãtur, ſed *ære diruti* appellabantur. Ita Feſtus ſcribit: *Aere dirutum militem dicebãt, cui ſtipendiũ ignominiæ cauſa non eſt datũ, quod æs diruebatur in fiſcum, non in militis ſacculũ.* Et Cic in Verr. act. 6. *Aleatoris Placẽtini caſtra cõmemorabuntur, in quib. quum frequẽs fuiſſet, tamen ære dirutus eſt.* Præterea ſenſus verborũ Liuij à Sigonio eddoctorũ eſt, quod quãuis hiſtriones & ſcenã exercentes, tanquã infames à militia arcerentur, nihilominus Attellam hiſtriones peculiari priuilegio ab hac nota excipiebãtur, & ſtipẽdia facere poterãt. Cœlius Rhodiginus *li. lect. antiq. 29. c. 6.* ſcribit, Ærarios in Romana hiſtoria nuncupatos, qui plebei ordinis, delicti nomine in Cæritum tabulas à Cẽſorib. relecti, nec in cẽturiæ albo ſcribi amplius, pro capite dũtaxat tributi cauſa æs conferebãt. Sed hæc Rhodigini ſententia in duob. potiſſimũ peccat. nam aliud erat, *in Cæritum tabulas referre*, aliud, *ærarium facere*: præterea non plebei dũtaxat, ſed & patritij, grauis & equeſtris ordinis homines ærarij fiebãt, quod ex mox dicẽdis, & etiã dictis clariſſime patet. Petrus Gregorius iuris vniuerſi ſyntagmatis *par 3. li. 47. c. 7. n. 10.* ait: *Referebãt in ærarios, hoc eſt, inter eos, qui ærario pendere debebant, pœna nomine, eũ quem renerẽt et lequutus eſſet, &c.* Sed hæc expoſitio valde diminuta eſt, nec rẽ totã aperit, quinimo quũ pecuniaria pœna quis afficiebatur, quãtitas æris perſoluẽdi explicite addebatur, ſecus in his qui ærarij fiebant, quod ſuperius in li. 4. Dilucidationib. demonſtrauimus. His itaque ſic ſe habẽtibus, noſtrã in re iſta ſatis difficili & obſcura opinionẽ in mediũ afferre libet, eamque doctiorib. diſcutiendã proponere. Dionyſius Halicarnaſſæus *in fine li. 2.* ita ſcriptũ reliquit: *Cenſum neceſſarium legitimum, ex quo numerus militaris ætate hominum cognoſcebatur, diuitiarumque magnitudo, pro modo quarum oportebat vnumquemque ad bellũ tributa pendere: nullo intra decem & ſeptem cenſu condito, à L. Cornelij, et Q. Fabij cõſulatu. Ita vt boni quidem viri, & vtiles, in cenſib. militijſq; eſſent: Flagitioſiſſimi vero, et prauiſſimi ſine cenſu relinquerentur locumq; aliũ perciperent, in quo liceret eis, vt vellent, viuere.* Ex quibus elicimus, cẽſum agi ſolitũ non modo bonorũ. ſed & perſonarum. Sic ſumitur cẽſus apud Pomponiũ *l. 2. §. poſt deinde D. de origine iuris*, quod & clarius docuere idẽ Halicar *li. 4.* & Liuius *li. 1. 7. et 39.* Sic *cenſũ agere* peculiare verbũ hiſtoricis, eſt recenſere capita & patrimonia, ſeu ſubſtantias ſuas profiteri, quod late adnotauit Zaſius ad dictã l. 2. Qui enim pro

Digitized by Google

dandis, & adimendis, & legib. antiquandis vel ferendis, plurimum valerent Ruſticæ tribus, ob idque ingenuiores & nobiliores io illis inſeri curauerint, ſique pœna plectendus quis eſſet, ex ruſtica tribu in vrbanam conijceretur, vel ex ruſtica honeſtiori in minus honeſtiorem ruſticam. nam *moneri tribu* nil aliud erat, quam mutare tribum aliquam iubere Cenſores, quod conceptis verbis docuit Liuius *l.* 45. Illud ſane mirandum, hiſtoricos nullibi meminiſſe prioris pœnæ, hoc eſt, referendi in *tabulas Carites*, ſed ſolum id haberi ex Gellio loco citato. Hoc aotem eueniſſe coniicio, quod Hiſtoriæ ſcriptores ſub nomine *ærary facti*, & relationem in Cęritum tabulas comprehenſi ſint, quum tam hi, quam illi æque priuarentur ſuffragandi iure.

T. LIVIVS LIB. XXVII.

CAp. XI. *Itaque colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant.*] Sacroſanctam, aoctore Feſto *l.* 20. dicitur illud, qood iureiurando interpoſito inſtitutum eſt, vt ſi quis violaſſet, morte pœnas penderet: vel, qood ſioe inexpiabili ſcelere violari nemini prorſus liceret. Sic Cato ait, *Ædiles ſacroſanctos eſſe*: ſic *Tribunos ſacroſanctos* dixere, auctoritate Dionyſij Halic. *li.* 5. quod affirmarunt & Liuius *l.* 3. *&* 9. & Plinius *l.* 7. Et *ſacroſancta poteſtas*. Liuio *l.* 19. *Tribunicia* appellata. Ita quoque *iura ſacroſancta* vocauit Ariſtophanes *in Nebulis*, & Cic. *l. Offic.* 3. *Vrbis muri* & ipſi *ſacroſancti dicti, in l. fin. ff. de rer. diuiſ.* ita vt qui eos violaſſet, morte mulctaretur. In hunc ſenſum Cic. *in Catil.* illius *poſſeſſiones ſacroſanctas* vocauit, hoc eſt, inuiolabiles, in hęc verba: *In vaſtitate omnium, tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas?* Et *fœdus ſacroſanctum*, legimus apud Tacitum *l.* 12. *Annal.* Ita *ſacroſanctam Eccleſiam*, quæ aſylum prębet ſcribit Ioſtinianus, *C. de ſacroſan. eccleſ.* Et Cic. *in orat. pro domo ſua*, *ſacroſanctam domum* appellauit, io qua tutum refugium eſſet omoibus, vt inde accipi oon poſſent. Nihil vero ſacroſanctum eſſe poſſe, niſi quod per populum plebemve ſancitum eſſet, idem Cic. *in orat. pro Cornel.* docet. Itaque Coloniarum maritimarum *ſacroſanctas* dixit Liuius *vacationes*, hoc eſt, quas vti auctoritate pop. Rom. & ioramento firmatas, nemini violare liceret, ob idqoe nec inuite dare milites cogi poſſent.

T. LIVIVS LIB. XXVIII.

CAp. XLV. *Secures, rutra, falces, alueolos, molas, quantum in quadraginta longas naues opus eſſet, tritici* 120. *millia modium, in viaticum decurionibus remigibuſq; collaturos.*] Hæc omnia, inquit Cæl. Rhodiginus *l.* 7. *c.* 30. facile ſe à difficultate extricans, ſunt claſſium inſtrumenta, at qoalia ſint, minime explicet. *Rutra* ab eruendo ſeu ruendo deduci, quidam volunt. Nonius à radendo deriuatum rutrum putat: Ego ſane inſtrumentum fuiſſe cenſeo ferreum, ad eruendam terram ſeu arenam, quum opus eſſet, quale nos *baſillum* ſeu *palam* vocamus, coius oon ſemel Varro *de re ruſtica* meminit. Feſtus ait: *Rutrum tenentis iuuenis effigies in Capitolio Ephebi fuit, more Græcorum arenam eruentis, exercitationis gratia.* Plinius l. 36. c. 23. *Experimentum marmorati eſt in ſubigendo, donec rutro non cohæreat.* Cato *de re ruſtica*, c. 11. ſcribit: *Oportet habere villicum, pallas ſex, rutra quatuor, raſtros quadridentes duos.* Varro apud Non. *Cui Celer Antipatri filius caput rutro diſplanat.* Rutri diminutiuum *rutellum* Lucillus: *Frumentarius eſt, modium hic ſecum atq; rutellum vnum affert.* Significans, vt ego interpretor, inſtrumentum, qoo fruges in modium coniiciuntur. Conſimile autem inſtrumentum fuiſſe batello, cuius Varro *l.* 3 *de re ruſt. c.* 6. *et* 1. *eiuſdē c.* 50. meminit, cōiectari licet. Sicuti & palæ, de qua Varro *l.* 4. *lingua Latina*, & Cato *c.* 11. *de re ruſt.* At hæc profecto, vel ſynonyma fuere, vel certe forma, materia, vſuve parum diſtantia. Rutrum ſane nauticum inſtrumentum, ſeu naoale fuiſſe, ex Liuio non ambigendum. Quæ *falces* & *ſecures* eſſent, nulla difficultas. *Alueola* expono vaſa in vſum nauticum ad aquam aliaq; huiuſmodi adſeruandam, in nauibos adferendam, vel eiiciendam: ita lances & paropſides alueos vocauit Iuuenalis Satyr. 1.

Cuius & alueolos & lanam pignorat Atreus.

Et Satyr. 5.

Illud enim veſtris datur alueolis, &c.

Et tabula luſoria latrunculos recipiens, *Alueolus* nuncupati Cic. de Finib. *Alueolum poſcere, aut quærere quempiam ludum.* Plinios: *M. Maſſula pridie Kal. Oct. diem natalis ſui egit, tranſtulit alueū cū teſſeris luſoriis.* quo ſenſu alueolū pro tabula luſoria dixit Feſt⁹, *l.* 1. Col. l. 8. c. 5. *Totū ouorū numerū in alueolū ligneum cōferat.* Varro inquit: *Alueolus eſt cauata cortex, vel vimineū vaſculū, in quo quid propter contauitatē reponitur.* Gręcis κοιλίαι. D. Hieronym. ad Demet. *In alueolis fuſi vertātur*, & concauata ligna, in qoib. apes mellificant, aluei dicti, ex Varrone & Plinio *l.* 11. & apud Gaium, *l. naturalem.* §. *examen.* 4. *ff. de acquir. rer. dom.* Etiā nauē alueus ſignificat: Propertius;

Portabat ſanctos alueus ille viros.

Niſi nauim pro alueo interpretemur ibidem, ita & Liuius l. 21. *Alueos informes raptim faciebant*, id eſt, nauiculas. Feſtus: *Nauſtibulum alueum eſt, ad nauis ſimilitudinem factum.* Et alueus locus, per quem aqua fluit, Iuriſtis, *l. adeo.* 3. §. *quid. ſi. ff. de acquir. rer. dom.* Virgil.

Aſſueta ripis volucres, & fluminis alueo.

Ad cuius ſimilitudinem vas amplum in balneis dictum Cic. in orat. pro Cœlio: *Ex quibus requiram, quo modo lauerint alueum illi, an equus Troianus fuerit.* Apud Caton. c. 43. vitibus infodiendis, aloeatos ſulcos eſſe oportere, legimus, h. e. excauatos. Ex quibus omnibus ſatis patere arbitror, alueolos vaſa fuiſſe excauata, in eum, quem diximus, vſum.

Molæ quæ fuerint, à Liuio commemoratæ, haud facile eſt affirmare. Namque non molendinariæ, ſiquidem in nauib. non erant piſtrina, itaqoe conijcio, fuiſſe nauales machinas, ſeu claſſicas, ad ſaxa magna, cuiuſmodi molaria, iacienda in hoſtiles naues, ad eas mergendas, vel diſrumpendas, & opprimendas. Ita Statius lib. Theb. 3.

Veſtraque ſudes fractique molares.

Ouid. lib. Metamorph. 3.

---- *Aut comes* (inquit) *ero, dixit, dextraque molarem*
Suſtulit.

Liuius l. 31. *Baliſtis, Catapultiſq; et alio omni genere tormētorū tela ingerentia, et pōdere ingenti ſaxa iaciebant.* Illud ſane manifeſtū eſt, hæc omnia ad naoes pertinentia, fuiſſe inſtrumenta.

T. LIVIVS LIB. XXIX.

CAp. XVIII. *Tribunos militū in vincula coniectos, dein verberatos, ſeruilibuſq; omnib. ſuppliciis cruciatos occidit.*] Quæ *ſeruilia ſupplicia* à Liuio appellentur, indagandū. Fuſtib. cædi, liberorū pœna erat, vt not. Marcell. *l.* 10. *ff. de pœn.* inquiens: *Ex quib⁹ cauſis liber fuſtib. verberatur, ex iis ſeruus flagellis cæditur.* Sic Calliſt. *l.* 28 §. 1. *ff. eo.* inquit: *Nō omnes fuſtib. cædi ſolēt, ſed ij dūtaxat, qui liberi ſunt.* Quomodo autē milites fuſte aliquādo vſq; ad mortē cæderētur, videre licet apud Polybium *in l.* 6. *Epis.* & tūc grauius eſt fuſtigatio ſuppliciū, quā flagellatio: in reliquis vero nō ita. Nam flagella, nudatis corporibus, cuti admooebantur, fuſtes autem veſtitis inferebātur, & in flagellatiooe ſanguis eliciebatur, in fuſtigatione vero nequaquam. §. *ſi quis aliquem, de pœn. temer. lib.* 2. *feud. tit.* 27. Sic maiorem pœnam arbitratus eſt Accurſius flagellorū, quam fuſtium, *in l. veluti, de pœn. P. quod etiā ſtatuit Paulus l. Pedius, l.* 4. *de incend. ruin. & naufrag. lib.* 47. *P. tit.* 9. Ob id Horatius *lib. Satyr.* 1. *Satyr.* 3. *horribile flagellum* vocaoit, inquiens,

Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.

Et Virgilius *ſanguineum* dixit, lib. 8. Æneid.

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Et Iuuenalis Satyr. 6.

---- *Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis.*

Et in ſacra Scriptura, Eccl. c. 28. *Flagelli plaga liuorem facit.* Seruile itaque ſoppl. icium fuit flagellatio, quod etiam ex ſacris paginis cōuincitur. Nam *Act. Apoſt. c.* 22. legimus de D. Paulo: *Sic enim, quum tribunus iuſſiſſet ipſum flagellis cædi, eum affatus eſt: Sic hominē Romanū & indemnatū licet vobis flagellare? quo audito, ſolutus à vinculis eſt.* Quod etiam innuere videtur Cic. *in orat. pro Rabirio*, ſcribens: *Portia lex virgas ab omnium ciuium Rom. corpore amouit. hic miſericors flagella retulit.* quaſi dicat: virgæ, quibus liberi homines Rom. cædi ſolebāt, à lege Portia inhibitæ ſunt: at hic, dum miſericordiam profitetur, flagella, hoc eſt, ſeruile ſupplicium retulit. Multis autem modis ſerui flagellabātur, erant enim flagella *Maſtiges* dicta, ex reſtib. compacta, quibus aurigæ vtebantur in incitandis & impellendis equis ad curſum. Martialis lib. 14.

Proficies nihil, hoc cædas licet vſque flagello.

Digitized by Google

Probantur quoque flagella ex loris ſeu corrigiis coriaceis, quibus male affici ſeruile erat: quod teſtatus eſt Terentius *in Adelph.* inquiēs: *Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripere, atque ibi vſque ad necem operiere loris. S. Loris liberi* Vlpian *lib. D. 29.* ſcribit *impuberem ſeruum habenaculi, vel ferula*. Hoc genus flagelli innuere voluiſſe Caliſtratum Iuriſconſultū *in l. vclati. 7. de pœn.* vocans *vincula*, exiſtimant, non contemnendi omnis Doctores, dum inquit, *vinculorum verberationem pœnam eſſe*. Non enim probant Accurſij eo in loco explicationem, dicētis, vinculorum pœnam eſſe, verberari fuſtibus. Plagæ, quæ infligebantur huiuſmodi vinculis, ſeu funiculis, acerbiores erant, quam quæ ſimplicibus coriis fiebant, nam habebant etiam in extremitatibus eorum glandes ferreos, & globos plumbeos, vel etiam hamos, vt magis percuſſa caro laceraretur. Hinc flagella huiuſmodi *ſcorpiones* appellabantur, quod ſicuti ſcorpiones caudarū aculeo maxime lædunt, ita apicib. & extremitatib. flagellorum additis appendicibus cutis verberatorum miſere laniaretur. Horum autem inuentum Cretarum fuiſſe, ex Plinio *l. 7. c. 56.* ſcripſit vir doctiſſimus, & Iuriſconſultus celeberrimus, cuius nomen lubens omitto, reuerentiæ gratia: illius enim ſcriptis me multum debere, fateor: ſed *tormenti* vox eum fefellit. Eo enim in loco deſcribens Plinius rerum diuerſarum inuentores, ait: *Et in tormentis ſcorpionem Cretas, catapultas Syros, Phœnices baliſtam, et fundam.* vbi de bellicis inſtrumentis *tormenta* appellata, verba facere Plinium, luce meridiana clarius dignoſcitur. Ex dictis patet, cur Græca voce ſerui criminoſi *μαστίγιαι* & *μαστιγίαι* ſint appellati, à verberibus ſcilicet & flagellis, quę nomina contumelioſa ſunt. Legimus apud Xiphilinum Dionis Epitomiſtam, in Aug. hæc: *Stigmatias quidam nō modo prodidis dominum, à quo antea fuerat cōpeditus, ſed etiam ad eum ſeruandum prōptiſſimus fuit.* Sic & ſeruos huiuſmodi Latinis *verbero* eadem de cauſa dictus. Et Cic. 2. *Offic.* dixit: *Barbarus ſtigmatias*. Ita & qui mancipia cædunt, *ſtigmatia* & *ſtrigones* dicti, ſicuti qui cæduntur, *maſtigia*, & flagella ipſa, *magiſtes*, vt recte adnotauit Cæl. Rhodig. *l. 25. c. 24.* Impiiſſimi Iudæi, vt Iesvm Christvm Salvatorem noſtrum, regemque cœli & terræ ignominia afficerent, inter cætera tormenta flagellis quoque eum ceciderunt, ſimili cruciatu inſontem afficientes.

T. LIVIVS LIB. XXX.

CAp. xvii. *Ad hoc ædes libera, loca, et lautia legatis decreta.*] Sigonius in ſcholiis ad Liuium, & Turnebus *aduerſ. li. 30. c. 32* interpretati ſunt, quod ædes liberæ eſſent, quæ nulli alij vel inquilino, vel habitatori ſeruirent, ſed ſoli, quib. dabantur vacuæ, incolerent, quā ſententiā improbare minime auſim: At vt & ego aliquid noui in re ſatis dubia afferā, crediderim, *ædes liberas* interpretari poſſe ædes gratuito legatis à pop. Rom. traditæ: hoc eſt, quarū gratia, nullā penſionē penderent legati: ideoq; liberæ dicerētur: cuius interpretationis autorē habeo eūdem Liuium ſcribentem l. 42. *Ariarathus legatis filiū eius Romā adducentibus, decretū à Senatu, vt Cn. Sicinius Prætor ædes inſtructas locaret, vbi filius regis, Comiteſq; eius habitare poſſent.* Sicuti autē amicis & acceptiſſimis ædes liberæ dabātur, ita minus amicis aut ingratis, hoſpitium dūtaxat extra vrbē. Ita Liu. *l. 45.* de Pruſſia Romā aduētante: *ædes quæ ipſum comiteſq; eius benigne reciperent, cōductæ*, & Val. Max. *l. 5. c. 1.* de eodē Pruſſia Bithyniæ rege: *Senatus* (inquit) *cēſuit, vt ei domus Romæ quam optima cōduceretur.* Et iterū de rege Ptolemæo, qui Romā quum veniſſet, ac in hoſpitium Alexandrini pictoris ſe recepiſſet, Senatuſq; id reſciuiſſet, eum ad publicos penates deduxit. Idem Liu. eod. lib. ſcribit: *Attalo et Eumenis fratri legato datas ædes liberas*. Et ruſus: *Legato Antiochi regis, ædes liberis hoſpitio datas.* Et l. 35 *Eumeni abſenti, et præſenti Attalo gratiæ actæ, ædes liberæ decretæ.* Et l. 45. *Maſgabæ regis Maſaniſſæ filios ædes hoſpitales aſſignata.* Ex quibus patet, ędes liberæ quum darētur à Senatu, & pop. Rom. ſummū honoris genus ac beneuolentiæ indicium extitiſſe: ſicuti etiam cōnicimus, vt diximus, minus gratis, vel nullum hoſpitium, vel extra vrbem aſſignatum. Liuius l. 30. *Carthaginenſibus Legatis de pace agentibus hoſpitium in villa pubica datum.* Et l. 45. *Legatis Rhodiorum nullum hoſpitale ius dandum patres cenſuiſſe* ſcribit. Hæc ſicuti genuina interpretatio mihi videtur, nihilo ſecius & aliā ſubliicere liber: Vt ædes ſcilicet liberæ dicerētur, quæ nulla militu cuſtodia, aut Romanorū aſſiſtentia aſſignarētur. Ita *liber locus* apud Plautū in Pœnulo dictus, in quo remotis arbitris, voluptati opera dari poſſit, ait enim: *Locum velle ſibi liberum præberier, vbi æquum faciat clara*, & iterum: *liberum, vt cōmonſtraremus tibi locum, & voluptuarium.* Quid autē per *locum* ſit intelligendum, aut *loca* apud Liuium, nullus adhuc (quod ſciam) aperuit. Nos lucem aliqualem afferre conamur, & *locum* ita interpretamur, quod regibus, aut eorum legatis ad ſpectandum in theatro aſſignaretur, vel in Senatu, aut comitio, ad eos audiendos præberetur. De loco in theatro clare Suetonius in Auguſto, c. 44. *Romæ* (inquit) *legatos liberarum, ſociarumq; gentium in Orcheſtra conſidere vetuit, quum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet.* De loco in Senatu Liuius li. 42. de Satyro principe legationis Rhodiorum ait: *Itaq; omni modo per patronos hoſpiteſq; diſceptandi cum rege locū in Senatu quæreb.* Et paulo poſt, regis Perſei legatis Senatum datum. Et *l. 30. Legatos Carthaginenſium, et Philippi regis, Senatum vt eis daretur petiſſe.* Et li. eodem: *Eumenes igitur, vt Romam venit, exceptus eum tāto honore, quantū nō meritis tantum eius, ſed beneficiis etiam ſuis, ingentia, quæ in eum cōgeſta erant exiſtimaret deberi pop. Rom. in Senatū eſt introductus.* Et l. 45 ait: *Meſagabæ regis Maſaniſſæ filio Romam aduenienti extēplo Senatū datum.* Itaq; ſicuti dare locum in ſenatu maximum erat honoris indicium, ita è cōuerſo quum in Comitio dabatur. Liuius l. 29. *Decē legati Locrēſium obſiti ſqualore et ſordibus, in Comitio ſedētibus Cōſulibus, velamēta ſupplicium, ramos oleæ (vt Græcis mos) porrigētes, ante tribunal cum flebili voce procubuerunt.* Et l. 45. de Rhodiorū legatis tradit, ſtātibus illis in Comitio, Cōſulē pronūciaſſe, *ſociis & amicis Romanos Senatū dare conſueſſe, Rhodios non ita meritos, vt ſociorū loco haberentur.* Et l. 42. de Illyriis legatis: *Quæſitum et quid ita non adiſſēt magiſtratū, vt ex inſtituto loca, & lautia acciperent, ſciretur denique veniſſe eos, & ſuper qua re veniſſent. Hæſitantibus in reſponſo, vt curia excederēt dictum, reſponſum tanquā legatis, vt qui adire Senatum non poſtulaſſent, dari non placuit.* Quod ſi mediū ſeruari modū pop. Rom. cēſuiſſet, nō in Comitio, nec in Senatu Romæ locū audientiæ præbebat, ſed extra vrbē in æde Bellonæ, quod colligi poteſt ex Liuio l. 33. ſcribēte: *Legatis regis Philippi debellati extra vrbē in villam publicam deducti, ibiq; iis locus, & lautia præbita, et ad ædem Bellonæ Senatus habitus.* Quoties itaq; honoris gratia locū præbitum, vel nō, apud Liuium legimus, intelligēdum de Senatu, vt i l. 35. Eumeni, l. 44. Oneſimo Pythonis filio nobili Macedoni alienato à Perſeo rege, & l. 28. Saguntinorū legatis, & l. 42. de Illyriis legatis. *Lautia* Beroaldus, Turnebus, Budæus & Sigonius interpretati ſunt munera quæ à pop. Rom. legatis vel Princip. externis dabātur: quib. fauere vidētur Plutarchi dicta *Probl. 42.* huiuſmodi: *Quæſtores legatis munera mittebāt, quæ lautia dicebātur*, quæ explicatio nimis profecto generica videtur. Siquidē, vt ego reor, per lautia intelligēdū tantūmodo munera ad quotidianū victum ſpectātia, qualia & noſtris temporib. reſp. Veneta Principibus viris aduenietib. exibere cōſueuit. *Lautia* enim quaſi lauta, ſeu lautitia ſunt dicta, ſic Feſtus epularum magnificentiā *lautitiam* dixit, & *lautā cœnā* pro opipare inſtructā obſeruamus apud Plin. *epiſt.* 194. Hāc noſtrā explicationem cōfirmare poſſumus ex ipſomet Liuio, qui præter *lautia*, & alia hoſpitalia, pecuniā etiā & vaſa aurea & argentea, & alia dono data nō ſemel ſcriptum reliquit, vt *l. 38. Saguntinorum legatis*, ait, *locā inde lautiaq; præberi iuſſa, & muneris ergo in ſingulos dari nō minus dena millia æris.* Et *l. 42. Antiochi legatorum principi Apollonio cēſum millium æris, miſſum munus, & ædes liberæ hoſpitio data.* li. 34. *Attalo & Eumenis fratris legato datas ædes liberas, ac lautia decreta, et munera, equos duos, bina equeſtria arma, & vaſa argētea, cētū pōdo, & aurea, viginti pondo.* Et l. 45. *Maſgabæ Maſaniſſæ filio, munera emere Quæſtorem iuſſum ex centū pōdo argenti, & proſequi eum Puteolos, omnemque ſumptum, quoad in Italia eſſet, præbere, & duas naues conducere, quibus ipſe comiteſq; regis in Africā deueherentur: & comitibus omnibus liberis ſeruiſq; veſtimenta data.* Iterū: *Pruſiæ regi præter ædes cōductas, & munera ei ex ſeſtertiis iuſſu dari, et vaſorū argenteorū pondo quinquaginta, vt filio eius Nicodemi, ex ea ſumma munera dari cēſuerant, ex qua Maſgabæ filio regis Maſaniſſæ data erāt.* Et lib. 42. *Ita regulus Carthaginenſeſq; dimiſſi, munera ex inſtituto data vtrinſque, aliaque hoſpitalia comiter conſeruata.* Ex quibus ſatis apertum fieri cenſeo, per *lautia* non intelligenda

alia munera, quam quæ ad victum quotidianum pertinerent. Quum vero idem Liuius *hoſpitalia data*, vel *conſeruata* ſcribit: ſemper cõprehendit ædem liberam, locum, & laotia, quę hoſpitibus amicis omnia præbebantur à populo Romano.

Cap. XLIII. *Naues longas, elephantos, perfugas, fugitiuos, captiuorum quatuor millia tradiderunt.*] Perfugã & fugitiuũ appellari apud I.C. quandoq; obſeruamus, quod fecit Saturninus *in l. aut facta. 16. de pœn.* reuera tamen inter ſe diſtingui perfugã à fugitiuo, præcipue ex hoc loco clariſſime patet. Perfugã autem dici ad hoſtes confugientẽ, omnib. receptum eſt. Cic. in Ant. *Cur de perfugis noſtris copias comparat contra nos?* & in Offic: *Perfuga à Pyrrho venit in caſtra Fabritij.* Sed fugitiui ſignificatio non vna. Sicuti enim fuga quandoque pro exilio à Iuriſperitis accipitur, vti *in l. 4. §. ad tẽpus, de re mil. l. 5. ff. de interd. & releg.* ita & fugitiuum, qui à fuga deriuatur, pro exule accipi poſſe exiſtimãdũ, vel etiam pro alicuius criminis reo. Nam aliquando fugitiui ſeu fugientes in Iure ad Gręcorum exemplũ, qui eos *φεύγοντας* vocant, dicuntur rei. *l. properãdum. C. de iud. l. fi. C. de bon. mut.* Eandẽ ſignificationem vocis *fugitiui* obſeruamos in ſacra Scriptura, vti Num. 35. cap. *Sex erũt oppida in fugitiuorũ auxilia ſeparata, vt fugiant ad ea, qui fuderint ſanguinẽ.* Ita & Sapiẽtiæ, cap. vi. *Hos tanquã fugitiuos perſequebatur, &c.* Ex quib⁹ quis forte ſuſpicari poſſet, per fugitiuos hoc in loco à Liuio ſignificari poſſe exules & criminoſos Romanos, qui ad Carthaginenſes cõfugerãt. A certe res aliter ſe habet. Nam per fugitiuos intelligendũ ſeruos, qui à patronis Romanis confugerant ad Carthaginenſes, non dubitandũ; appellatione enim *fugitiui* ſeruos venire, qui fugam fecerunt, paſſim apud Iuriſtas & alios Latinos ſcriptores obſeruamus. Cicer. in Anton. *Dolobella habet legionẽ, habet fugitiuos.* Et in Verr. *Neq; tum fugitiui illi à dominis, quã tu à iure et legibus:* & item, *Atheaio princeps fugitiuorũ:* & in Epiſt. *Dicitur mihi ſeruus tuus fugitiuus Vandaci eſſe.* Fugitiuus, inquit Ofilius, eſt, qui extra domini domũ fugæ cauſa, quo ſe à domino celaret, mãſit. Et Caſſius ſcribit, Fugitiuũ eſſe, qui certo propoſito dominũ relinquat. Hinc fugã vendere dicebãtur, qui ſeruos fugitiuos vẽdebant, quod S.C. vetitũ erat, ne ſerui ad fugam inuitarentur. *l. 2. ff. ad leg. Falcid. l. 6. C. eod. l. 35. §. ſi quis amico. ff. de cõtrah. empt.* Et fugitiuarij appellati, qui ſeruos fugitiuos mercede reducebant. *l. 18. ff. de praeſcrip. verb.* vel qui dominis indicabãt, vbi ſerui fugitiui celarẽtur, *l. 13. ff. eod.* & apud Florum fugitiuarij appellati, qui ſeruos fugitiuos perſequebantur. Sic Varro *l. 3. de ruſtica, c. 14.* ſcripſit: *Fugitiuarius dicitur, qui fugitiuum cõquirit & ſectatur.* Fugitiuos ſeruos bellũ in Sicilia agitãtes, vicit C. Marius. Et M. Craſſus de fugitiuis ſeruis, & Spartaco eorũ Duce laurea coronatus inceſſit, *ex Plinio l. 15. c. 29.* Ex his patere puto, fugitiuos Liuiũ dicere ſeruos illos, qui à patronis fugã fecerãt ad Carthaginenſes, tanquã in loco tuto ſe recipientes. Sciendũ autem, quod inter perfugas minus peccant *emanſores* dicti, ſcilicet qui diu vagati extra caſtra tandẽ reuertuntur. *l. deſertorem. §. 2. ff. de re milit.* qui & remanſores nonnunquã dicti. *l. 5. §. à barbaris. ff. eo.* Inter fugitiuos vero, qui minus deliquerant, dicti *errones*, ſerui, inquã, vagabũdi, ſic enim interpretatur Vlp. *tit. de ſeru. fug.* Ita Arrian. *de re mil. l. qui eum*, inquit, erronis crimen in ſeruo leuius eſſe, quam fugitiui; inde Labeo puſillum fugitiuum erronem appellat. At nec ignorandum, nonnunquam huiuſmodi ſeruum emanſorem dictum, vti *l. aut facta. ff. de pœnis.* Tempus diſcernit emanſorem à fugitiuo, vti effractorem vel furem diurnum à nocturno. De hac eadem materia plura Azo *in ſum. C. de ſer. fug.* quæ obiter ſint dicta.

T. LIVIVS LIB. XXXIII.

CAp. X. *Ex argento multatitio tria ſigna ænea Cereri Liberoq; et Liberæ poſuerunt.*] Per Liberum patrem quidam hoc loco intelligendum credidere Solem, Virgilij authoritate moti, libro Georg. 1.

---- Vos ô clariſſima mundi
Lumina labentem cælo qui ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Quod pariter cõfirmari poteſt ex Macrob. *lib. Saturn. 1. c. 18.* & 21. ſcribente. Liberũ patrẽ eſſe Solẽ, eũdemq; Adonem. Nihilominus Liberũ ego cõmuniſſima appellatione intelligendũ non dubito Bacchum hoc in loco; quod aliorũ numinũ cõnexa nomina palam faciunt. Sicquidẽ Cic. tradit *l. 2. de Nat. Deor.* Liberum Cereris fuiſſe filium, & fratrem Liberæ. Sic idẽ Liu. *in calce l. 41.* ſcribit, ſupplicationem fuiſſe ad Cereris, Liberi Liberęq; ædes. Has A. Poſthumium dictatorem vouiſſe, teſtatũ reliquit Halycarnaſ. *l. 6.* quod pariter cõfirmat Cornel. Tacitus, *lib. Annal. 2.* vbi quoq; addit, ædem iuxta Circũ Maximũ vetuſtate abolitã, Libero Liberæq; & Cereri dedicaſſe Tiberium Imperatorẽ. Auguſtinus Liberã etiam Venerem dictam, ſcripſit. Quam obrem ſi & Cererem interpretemur Lunam, ſicuti Liberũ Solem, ex Virgilij authoritate, & Liberam Venerem, non erit inconueniens, pręſertim cum Appolinem & liberũ eadem ſacra habuiſſe apud Thraces, Lacedæmonios & Bœotios, eiſdemque honoribus coli mos fuerit, id ſcribente Macrobio, loco iam allegato.

Cap. XIV. *Fuga comitã, et quiritatio facta, vt tumult⁹ tota Vrbe diſcurrentiũ cũ liminibus.*] Varro lib. de lingua Latina, *quiritare*, inquit *eſt Quirites ciere.* Et Nonius, *quiritare, ait, eſt clamare, deductũ ab iis, qui Quirites inuocãt.* Lucillius l. 12. Sat. *Cõcurſus velut aurarius, clareq; quiritãs.* Ab Apuleio ponitur pro *ſuppetias petere.* Budæus *in calce l. 2. de aſſe* ſcribit: *Quũ olim Cato, & alij ſeueriores in Vrbe magiſtratus cõciones queribundas ad populũ haberẽt, quiritare à crebra Quiritũ appellatione vocitatum.* Ciceroni in Epiſtolis, *quiritare* eſt fide pop. Rom. implorare, ait nãq; *Et illi miſero quiritãti, ciuis Romanus ſum reſpõdit, ubi nũc populi Rom. fidẽ implora.* Tacitus in calce l. 16. Annal. *Igitur flẽtes quiritãteſq; qui aderãt.* Liu. l. 40. *Occulebat vim, quod præ vlulatibus, ob tympanorũq; & cymbalorũ ſtrepitum, nulla vox quiritantiũ inter ſtupra et cædes exaudiri poterat.* Et paulo poſt: *Deducere in locũ, qui circumſonet vlulatib. cantuq; ſymphonia, & cymbalorũ & tympanorũ pulſu, ne vox quiritãtis, quam per vim ſtuprum inferatur, exaudiri poſſit.* Publius quoq; Nigidius in Cõmẽt. Gram. ſcribit, bit, *clamat, quiritat*, Ab hoc verbo *quirite* tractæ voces, *quiritatio* & *quiritatus*. Teſtimonio Vallæ, authoritate Varronis, *quiritatus* eſt clamor vrbanorũ, quiritatus quoq; infãtiũ eſt, ſicuti clamor virorũ, & vlulatus fœminarũ. Plinius epiſt. 106. *Audires vlulatus fœminarum, infãtium quiritatus clamores virorum.* Ita & quiritatio eſt clamor publicus, cũ mœrore & triſtitia auxilium implorãtium, quod clare ex ipſius textus verborum ſerie colligitur. Nec mirum (quod Glareanus annotauit) Liuium Romana voce in Gręca actione vſum, nã Romanis, non Gręcis ſcribebat hiſtoriã.

T. LIVIVS LIB. XXXIV.

CAp. X. *Argenti infecti tulit in ærariũ quatuordecim millia, pondo ſeptingẽta triginta duo, & ſignati bigatorũ XVII. millia XXII. et Oſcenſis argẽti CXX. millia CCCCXXXVIII.*] Heluiũ ouantẽ in vrbẽ ingreſſum, argenti Oſcenſis 120. millia 438. in ærariũ tuliſſe ſcribit Liuius, & Paulo poſt M. Porciũ Catonẽ ex Hiſpania triumphãtẽ, eiuſdem argenti Oſcẽſis 540. Et deinceps Q. Minutiũ argenti Oſcẽſis 278. millia. Et *l. 40.* quod Q. Fuluius Flaccus ex Hiſpania triũphans ſignati Oſcenſis nũmum centũ ſeptuaginta tria millia ducentos. Quale autẽ eſſet argentũ Oſcenſe, neminẽ explicantẽ hactenus me legiſſe, ſcio; qua de re operæpretium facturũ me exiſtimo, ſi, quid in hac re ſentiam, literis mandabo. Oſcos populos Latij in Campania fuiſſe, tradit Strabo, vbi de Latio nouo verba facit. Annius ex Manethone *l. 16. Cõmẽtariorum* ſcribit, Oſcum apud Turrhenos regnaſſe, cuius inſigne fuit ſerpens, quem Oſcum appellauere Hetruſci, à quo rege Oſci populi dicti. Plinius *l. 3. c. 5.* Oſcos populos in Latio veteri conſtituit. Liuius *l. 10.* Oſcæ linguę meminit, inquiens: *Gnaroſque Oſcæ linguæ exploratũ quid agatur, mittit.* Oſcæ fabellæ, ſeu ludi, idem autor verba facit in principio l. 7. *Quod genus ludorum ab Oſcis acceptum, tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionib. pollui paſſa eſt.* De eiſdem Cic. *in epiſt. l. 7.* Mario ſcribens, ait: *nõ enim te puto Græcos aut Oſcos ludos deſideraſſe, præſertim quum Oſcos ludos, vel in Senatu noſtro ſpectare poſſis.* Prop. *lib. Eleg. 4. Eleg. 2.* meminit Oſcæ terræ. Et Hor. 1. ſerm. Sat. 5. *Meſſi clarũ genus Oſci.* Ab huiuſcemodi populis argentũ, Oſcẽſe dictũ, denuminationẽ ſũpſiſſe, quis arbitrari poſſit. Verũ id probari nõ debet, quũ populi iſti parũ potẽtes, & ſatis arctæ ditionis, ex hiſtorica lectione obſeruem⁹, quinimo & à proprijs ſedib. dimotos, narrat Strabo, & ad internecionẽ deletis ipſis immiſſam Latinã gentem, vnde *Latium nouum* ea regio appellata; quod etiam

Digitized by Google

comprobare poſſomus, quum neque bello Punico primo, neque Gallico Ciſalpino, neque Punico ſecundo, vlla fiat Oſcēſium ſeu Oſcorum mentio apud ſcriptores, inter Latij populos, qui auxilia Romanis miſerunt, ſicuti aliorum fere omnium populorum, quibus Latium tunc temporis incolebatur, & quorum Polybius & Liuius nomina memoriæ tradiderunt; nempe Marſos, Samnites, Camponos, Pelignos, Sabinos, Vmbros, Picentes, Etruſcos, cōmemorantes. Non itaque à populis hiſce Oſcis, Oſcenſe argētum dictum, affirmādum. Quamobrem cogitabam, forte Oſcenſes nummos ab auibus, quæ Oſcines appellantur, dictos, quod ſcilicet Oſcioæ auis imago in illis eſſet inſculpta. Quales autem eſſent huiuſmodi aues, docet Seruius in 1. lib. Æneid. ibi:

Aſpiciebis ſenos lætantes agmine Cycnos.

In augurijs (inquit) *non ſolū aues cōſiderantur, ſed volatus in præpetibus, & cantus in oſcinibus.* Et lib. 3. Æneid. in eum locum:

Et volucrum linguas, & præpetis omnia pennæ.

Aues (ait) *Oſcinæ ſunt, aut præpetes, Oſcinæ ab os & cano dictæ, ore futura prædicūt, præpetes vero à volatu.* Et ruſ⁹ 4. Æn. ad illud:

Solaque culminibus ferali carmine bubo.

Omnes aues (inquit) *Oſcines bonæ, præpetes malæ.* De his Cic. *l. 1. & 2. de natura Deorum, & l. 6. Epiſt. Epiſt. 6. ad Cacinnam*, & Plinius *l. 10. c. 19.* Et Amm. Marcel. *l. 22. & l. 28.* Coruum autem in nummis argenteis, Oſcenſibus dictis, ſignatum fuiſſe, conijcere licet, quum Liuius *l. 10.* de aue. Oſcea ſeu Oſcina dicta, ita ſcribat: *Ante Conſulem hæc dicentem, coruus voce clara occinuit.* Et Horatius lib. 3. Carm. Ode 2.

Oſcinum coruum prece ſuſcitabo.

Solis ab ortu.

At quum inter argenteos nūmos antiquos, quos pene infinitos vidi, coruum ſignatū non obſeruauerim, quumque videam, Liuium non modo ſignati Oſcēſis verba facere, ſed & ſimpliciter de Oſcenſi argento loqui aliā interpretationem, hac omiſſa, indagandā iudico, verāq; ſubſequentē eſſe, non dubito: Oſcenſes ſcilicet nūmos vocatos, ſeu argentū Oſcēſe, ab Oſcea, Hiſpaniæ vrbe, cuius Ptolemæ⁹ *l. 2. Georgic. c. 6.* & Plinius *l. 3. c. 1. & 3.* meminere, hodie vocāt *Hiſca, Huèſca & Guiſca.* Oſcenſes vero inter Hiſpaniæ non ignobiles fuiſſe modo, ſed inter Principes cōnumeratos, docet Cæſar l. 1. *de bello ciuili*, in hæc verba: *Interim Oſcenſes & Calagurritani, qui erant cum Oſcenſibus contributi, mittunt ad eum legatos, ſeſeq; imperata facturos pollicētur: his Tarraconēſis, & Lacetani, & Auſetani:* & *paulo poſt diebus Lurganenēſes, qui flumen Iberū attingunt, inſequūtur.* In Oſcenſium autē ditione argētifodinas celebres fuiſſe, conijciendū. Nam Hiſpaniā argētifodinis abūdare, docet Liuius per initia *l. 27.* ſcribens: *Hiſpania gētis ager frugifer, argentū etiam incolæ fodiunt.* Polybios quoque argentifodinas, quæ ſunt in Hiſpania connumerans, citra Carthaginem nouam, ait: *Quatuor decurias hominū operātium, qui tunc in dies ſingulos vicena quina drachmarum millia pop. Rom. referrent.* Plinius *l. 33. c. 6.* de argento ſcribit. *Reperitur in omnibus pene prouinciis, ſed in Hiſpania pulcherrimum, id quoque in ſterili ſolo, atque etiam in montibus, & vbicunque vna eſt, non procul inuenitur alia.* Et paulo poſt: *Mirū adhuc per Hiſpanias ab Annibale olim inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habentes. Ex queis Bebelo hodie appellatur, qui 300. pondo Annibali ſubminiſtrauit in dies. Apud Tacitū Annal. 6 legimus, Sextū Mariū Hiſpaniarum ditiſſimū delatum inceſtaſſe filiā, ſaxo Tarpeio deiectū, ac ne dubiū haberetur, magnitudinē pecuniæ malo vertiſſe, aurarias eius, quāquam publicantur, ſibimet Tiberium ſe poſuiſſe*, quo in loco per aurarias, nō modo auri, ſed & argētifodinas intelligendū, nam à nobiliori appellationē deſumpſit Tacitus. Poſidonius Hiſpaniæ ſubterranea, non infernū, ſed Pluton, id eſt, opulentiæ & diuitiarū Deum vocauit, tanta eſt in eo terrarum tractu metallorum fœcunditas. Et in ſacra ſcriptura, *Machab. 1. cap.* 8. legimus, quod Romani multa fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri, quę illic ſunt. Liuius ipſe *l. 34.* de Catone Conſule in Hiſpania bellum gerente, tradit: *Pacata prouincia, vectigalia magna inſtituit, ex ferrariis argentariiſque quibus tum inſtitutis, locupletior in dies prouincia fuit.* His ita ſe habentibus, inducimus, *argentum Oſcenſe* dictum à Liuio, quod in Oſcea Hiſpaniarum vrbe colligebatur & coquebatur, ex Hiſpanicis argentifodinis, ibique etiam cudebatur, quod [illegible] e pulcherrimum fuiſſe, & optimum cōijcio-dum, tum ea Plinio, loco ſupra allegato, tum ex eo, quod à Liuio illius mentio fuit in omnibus prædictis triumphis, in quibus latus eſt à triumphantibus ex Hiſpania, ſicuti & de Illyrico argēto meminit idem Liuius, *l. 45.* in triumpho L. Ancij, Glareanus in annot. ad hunc locum ſcribit: *Oſcea vrbs eſt Illibergetum apud Ptolemæum in Hiſpania, vbi videntur fuiſſe argentifodinæ.* Cæterum id argentum melius ne fuerit, an peius alio argento, clarius mihi non conſtat.

Cap. xv. *Si quis extra ordinem auidius procurrit, & ipſe inter equitas ſparo percuit, & tribunos centurioneſque caſtigari iubet.*] Haſtilis genus fuiſſe *ſparum*, quo ruſtici armarentur, colligimus ex Virgilio, ſcribente 11. Æneid.

Agreſtiſque manus armat ſparus,

Vbi Seruius inquit: *Sparus eſt ruſticū telū, in modū pedis recuruum*: cuius tamen ſententiā minus verum oſtendunt, quæ de Epaminunda ſcribuntur, quem ſparo eminus transfixū, ſcribit Æmilius Probus, ſiue is ſit Cornelius Nepos, in illius vita: hæc etiam addens: *At Epaminundas, quum animaduerteret, mortiferū ſe vulnus accepiſſe, ſimulq; ſi ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animā ſtatim amiſſurā, eo uſque retinuit, quo ad renunciatum eſt, viciſſe Bœotios. Id poſtquam audiuit, ſatis* (inquit) *vixi, inuictus enim morior, tam ferro extracto, confeſtim examinatus eſt.* Ita & Diodorus illum, niſi ſpiculo extracto, quo trāſfixus fuerat, animā efflaſſe ſcribit, quod & Pauſanias *Arcadicis*, & Cic. *in Epiſt. Famil. illa elaboratiſſima ad l. Luciū, Q. filiū*, & *2. de finibus*, Ælian. *l. 12. var. hiſt.* & Valerios Maximus, *l. 3. c. 2.* clare teſtatum reliquere. Si itaque ſparo eminus transfixus Epaminūdas, non vtique ſparus telum in modum pedis recuruum. Illud ſane ab omnib. receptum lego, Sparum ſeu ſparos (nam vtrumque obſeruamus) armorum ſpeciem vilem & ignobilem fuiſſe: quod ex iam dictis percipi poteſt, necnon ex mox dicendis. Feſtus quod tradit, ſpara fuiſſe minimi generis iacula: & Lucilius ait:

Tum ſpara, tum rumices, portantur tragula porro.

Saloſtios in Catil. non longe ab extrema parte: *Sed ex omni copia circiter quarta pars militaribus armis inſtructa; cæpit, vt quoſque caſus armauerat ſparis, aut lanceis, alij peracutas ſudes portabant.* Mirum itaque videtur, Catonem Conſulem & inſignis exercitus Imperatorem in pugna armatum, ſparo ignobili iaculo extitiſſe. Dicendum arbitror, Catonem ſeueriſſimum Ducem, ac faſtus contemptorem, quod eiuſdem mores ſemper demonſtrauerunt, in ambitionis contemptum ſparum vile armorum genus geſtare voluiſſe, vt ſuis militibus oſtenderet, in animi virtute, & corporis robore, non armorum ſpecie, victoriæ ſpem conſtituendam eſſe.

Eod. *Vt emiſſis ſoliferreis falaricisque gladios ſtrinxerunt, tum velut redintegrata eſt pugna.*] Soliferreum genus teli fuit, totum ferreum & ſolidum, hoc eſt, ſine haſtili vlla, & quaſi totum ferreum diceris, nam ſolum totum & ſolidum ſignificare palam eſt. *Falarica* autem erat, vt videmmet Liuius interpretatur *l. 21.* miſſile telum, haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum extabat: id ſicut in Pilo, quadratum, ſtupa circumligabant, linebātque pice, ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis corpus transfigere poſſet, ſed id maxime ſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus, pauorem faciebat, quod quū medium accenſum mitteretur, conceptūque ipſo moto multo maiorem ignem ferret, arma omittere cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat, De huiuſmodi telo Virgil. libr. 9. Æneid. de Turno falaricam iaculante ait:

Sed magnum ſtridens contra falaricæ venit,
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquamma lorica fidelis & auro
Suſtinuit, collapſa ruunt immania membra:
Dat tellus gemitum, & clypeum ſuperintonat ingens.

De Falarica autem plena ibidem Seruius: & Vegetius *l. 2. de re militari.* A Falarica forte genus illud haſtilis, quod nobiles noſtrates ab equorum ephippiis inter equitandum pendentes geſtare appertum ſolent, & vulgo *Falarina* vocantur, dictum eſt.

T. LIVIVS LIB. XXXVI.

Cap. XLIV. *Polixenidas enim, vt virtute militū haud dubie ſuperari ſe vidit, ſublatis dolonib⁹ effuſe fugere intēdit.*] Varro dolonē exponit *ingēs contus cū ferro breuiſſimo.* Beroaldus in Com.

ad Snetonium in Claudio, c. 13. *Dolones*, inquit, *autore Donato ſunt tela quadam bellica, à ledendo dicta, nam Græcis* δόλος *læſio dicitur.* Seruus enarrans illud ex 7. Æneid.

Pilum manu, ſeuoſq́, ferunt in bella dolones,

ait, dolonem flagellum eſſe, inter cuius virgam lateat pugio: dolones autem à fallendo dici, quod decipiant ferro, quum ſpeciem primum referant ligni. Hac dictione vſus eſt Alphenus I.C. ff. *ad legem Aquiliam*, cuius hęc ſunt verba: *Tabernarius eum conſequutus lucernam repoſcebat, et fugientem retinebat, ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, verberare tabernarium cœpit.* Accurſius legit *dolor*, ſed petitiores *dolon* legendum ſtatuunt, inter quos Budæus in Annot. ad eum locum, Sueton. loco citato ſcribit: *Reperti & equeſtris ordinis duo in publico cum dolone, ac venatorio cultro.* Heſychius δόλωνες, ξιφίδια ἐν ξύλοις ἀποκείμενα, id eſt, *dolones ſunt gladioli, ſeu pugiones in ligno reconditi, vel repoſiti.* In hac ſignificatione hoc in loco à Liuio dolones minime accipi poſſe, adeo manifeſtum eſt, vt nulla indigeat probatione: idq; verborum ſeries clariſſime demonſtrat. quod & Beroaldus confirmat, inquiens, apud Liuium dolones accipi, pro armamentis naualibus, at genus deſcribit, ſed nō ſpeciem, aut ſpecificā differentiam, ſicuti ſi quis hominem diceret eſſe animal. Cogitabā ego *dolones* dictas eſſe à Liuio antennas illas, quib. minora vela breuiorib. funiculis alligantur, trochleiſque in altum eriguntur, vel deprimuntur, & inferius relaxātur, appellatas vero *dolones* à verbo *dolo*, quod eſt dolabro cædere, & læuigare, nā antennæ huiuſmodi in rotundam dolantur, craſſiores circa mediū, & ad extremitates, tenuiores, de quibus Virg. 3. Æneid.

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Nec obſtat quod Ouidius Epiſt. 5. ſcripſerit:

---- *Rigido pendentia lintea malo.*

Nam intelligendum eſt, mediis antennis, quibos vela alligantur. Alias autem eſſe antennas, à nauis malo palam eſt, vnde Lucanus, lib. 2.

Antennas proram, malos, tonſaſque natantes.

Quod ſi hæc interpretatio non arriſerit, aliam ſubiicimus ex Suida aſſumptam, δόλωνας qui interpretatur minuſcula nauium vela: vulgo *Trinchetto* dicunt, ſicut maius velum ἀρτέμων vocant. *tertium vero* quod retrorſum panditur in puppi, ἐπίδρομον, noſtrates *mezana* nuncupant, δόλωνας autem appellatas puto à verbo δολόω, quod eſt, decipio: namque quum Liuius Dux Romanæ claſſis vela contraxiſſet, maloſque inclinaſſet, armamēta compoſuiſſet, oppetiens hoſtilem claſſem ad pugnam, tamen vt æquaret læuum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit: fefellitq; hoſtes, qui nihil tale facturum eum exiſtimauerant, ſed ſolum in pugna paratum ſtatutum crediderāt. ita & Polyxenidas quum virtute hoſtium ſuperate ſe vidiſſet, ſublatis dolonibus effuſe fugere intēdit, ſicque hoſtiles conatus fruſtratus eſt, quia itaq; maiora vela, quib. præcipue præter remos naues agantur, ex vtraque parte cōtracta erant, vt naues ſtabiles in pugna eſſent, Romanus vt æquaret cornu læuum, dolonibus erectis in altū tendens, decepit hoſtem, hoc eſt, minoribus velis, ita hoſtis ſublatis eiſdem fugam arripuit, fuga fallens hoſtes, à qua fallacia minora vela in hunc vſum parata *dolones* dicta veriſimile eſt.

Cap. IX. *Quinque tantum Rhodiæ naues cum duabus Cois effugerunt, terrore micātis flamma via ſibi in confertas naues facta, contis enim binis à prora prominentibus, trullis ferreis multum conceptum ignem præ ſe portabant.*] Trullam antiquis fuiſſe vas ad recipiendas alui deiectiones, ſeu corporis retrimenta exiſtimauerunt ex recentioribus nōnulli, inter quos Cœlius Rhodig. vir eximiæ doctrinæ, *l. 21. c. 35. et l. 27. c. 14.* Horū ſententiæ videtur ſuffragari Martialis *l. 9.* ſcribens Epigram. 89.

Clinicus Herodes trullam ſubduxerat ægro.

Pro vaſe potatorio trullam accipiendam eſſe alij acriter contendunt: inter quos Alex. ab Alex. *lib. Gen. 3. cap.* 10. exponens illud Iuuenalis Sat. 3.

---- *Laudare parati,*

Si bene ructauit, ſi rectam minxit amicus,

Si trulla inuerſo crepitum dedit aurea fundo.

Quæ mehercle ſententia magis veritati cōſentanea videtur, nam & Horatius 2. *ſer. Satyr. 3.* in eundem ſenſum accipit:

--- *Qui Veienanum feſtis potare diebus:*

Campana ſolitus trulla, vappamque profectis.

Et Plaut. in Amphit.

Interea dum illi certant, in popinam diuertendum eſt mihi:

Lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam.

Cic. in Ver. 6. *Erat enim vas vinarium ex vna gemma pregrandi trulla excauata, cum manubrio aureo.* Plinius l. 37. c. 2. *T. Petronius Cōſularis moriturus inuidia Neronis Principis, vt eius menſam exhæredaret, trullam murrhinam trecentis ſeſtertiis emptam fregit;* & paulo inf. *Alius hic furor, H.S. 150. millia trullā vnam non ante multos annos mercatam à matrefamilias, nec diuite.* In eodem ſenſu trulla accipitur apud I.C. Paulus in l. 13. D. de ſupel. leg. *Trulla*, inquit, *quæ circa cœnam ſolet traiici.* Et Scæuola *l. Seia. D. de aur. & arg. leg.* idem confirmat in hæc verba: *Seia dulciſſima poculum aureum, quod elegerit, fidei hæredum commiſſo vt darent; quæro quum in hæreditate non ſint niſi trullæ, ſcyphi, medioli, phyalæ, an Seia de his ſpeciebus eligere poſſit. Reſpondi, quum omnia potui parata pocula dicantur, poſſe.* Anton. Panorm. *l. 4. de dict. & fact. Alphonſi regis Hiſp. c. 22.* ſcribit, illi à Genuenſib. quotannis pro tributo trullam auream pēſitam; pro trulla autem poculū intelligēdum nulli dubium. Lib. 4. Regum in ſacra Biblia cap. poſtremo legimus: *Mare æneum, quod erat in domo Domini, fregerūt Chaldæi, et trāſtulerunt in omnem Babylonem: ollas quoq́, æreas, et trullas, et tridētes, et ſcyphos, & mortariola, & omnia vaſa ærea, in quibus miniſtrabāt:* ex quibus omnib. trullam ex poculorum genere fuiſſe colligimus, ſicq; etiam interpretanda Martialis allegata dicta. Turneb. Aduer. *l. 17. c. 22.* Varronē citat *l. 4. de lingua Lat.* ſcribentem: *Trulle quæ in culinam in lauatrinam aquam fundunt*, ex quib. inquit: *Trullæ de ſitulis aquam hauriunt, & de ahenis, aut labris*, lib. tamen 22. *c. 9.* & potatoriorū vas trullam eſſe dicit. Sed ſiue potatorium, ſeu excrementis alui recipiēdis paratū, vel in alium vſum vas trullā eſſe dixerimus, illud ſane pro cōperto habere debemus, vas magnum, & multæ capacitatis fuiſſe: Nam Varro loco citato tendit: *Trulla à ſimilitudine Trua, illa magna, hæc puſilla*, hoc idē ex prædictis confirmare poſſumus, nec non & ex Catone *de re ruſt. c. 10.* vbi habet; *villicum habere oportere vrnā quinquagenariā vnam, & trullas tres*, & c. 13. Torcularium vſui eſſe opus trullas æreas tres, amphoras olearias duas, & paulo poſt eod. cap. *Vrceos fictiles vrnales duos, trullas ligneas duas.* Itaq; hoc in loco per trullas Liuium ſignificare vaſa magna, nō dubito, namq; ſi multæ capacitatis non fuiſſent, haud vtiq; igne quem cōtinebant, incendij timorē hoſtilibus nauibus incuſſiſſent. Nec illud reticendum in ſtudioſorum gratiam, quamvis ad præſentis loci explicationem nihili faciat, Trullam à Vitruuio *lib. 7.* inſtrumentum illud appellari, quo liniendis & læuigandis muris arenato vel gypſato vtuntur cementarij, vulgo *Cazzolam* vocant.

T. LIVIUS LIB. XXXVII.

CAp. XXIII. *Regia claſſis ſeptē et triginta maioris formæ nauium erat, in quibus tres heptæres, & quatuor hexeres habebat, & præter has decētriremes erāt.*] Quæ ἡρεσία Græcis, Latinis remigatio eſt, ideo proculdubio *hepteres* nauis fuit ſeptē remorum ordinibus acta, ſicuti *hexeres*, quæ ſex remorū acta ordinibus impellabatur, nā ἕξ ſex, ἑπτὰ ſeptem ſignificat: ita & biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes eodem modo dictæ, quod paſſim apud ſcriptores legimus. Plin. *l. 7. c. 56.* prænarratas nō ſolū cōmemorat, cum ſuis inſtitutoribus, ſed addit etiam *decēremen*, 12. ordinū, quindecim, triginta, quadraginta, & vſq; ad quinquaginta. Liu. l. 45. ſcribit: *Paulus ipſe poſt dies paucos regia naui ingentis magnitudinis, quam 21. verſus remorū agebant, ornata Macedonicis ſpoliis non inſignū tantum armorū, ſed & regiorum textilium, aduerſo Tyberi ad vrbē eſt ſubuectus*, qua in re ſemper dubitaui, quales eſſent huiuſmodi remorū ordines adeo multiplices, nam ſi hinc inde recta linea, vt in noſtris temporib. fieri cōſpicimus, diſponebantur, profecto, quæ tres, quatuor, quinq, remorū ordinesve habebant, magna nauigia dici non poterāt, & vix ad pugnam capeſſendā apta fuiſſent, vtpote quę octo vel decē remis ad ſummum agerentur, quatuor ſcilicet vel quinque vtrinq; ſitis. Si vero remorum ordines plures in medio, ſuperiori & infimo nauigij corpore poſitos fuiſſe dixerimus, non vtiq, commodo, & eodem tempore ad nauium impellēdam agi potuiſſent, quin inuicē implicarentur, præſertim multiplicatis ordinibus, ſecūdum Plinij dicta. Quamobrem in eam veniebam ſententiam, non à numero remorū, ordines plures pauciores ve di-

ctos, ſed potius à numero remigantium, ſingulis remis appoſitis; ita vt *triremes* eſſent, quarum remos ſingulos tres homines, *quinqueremis*, cuius quinque impellerent. Quod ſi quis obiecerit, ergo in quinquaginta remorũ ordinibus cõſtante naui, qualem habuit Tryphon, ſi Plinio credimus, remi fuiſſent immenſę magnitudinis, quũ à quinquaginta hominibus impellendi eſſent, vel ſaltem à vigintiquinq;, ſi per ordinem interpretemur binos remos, alterũ dextrorſum, ſiniſtrorſum alterum è directo poſitum. cui obiectioni facile reſponderi poſſe exiſtimamus, ſi animo conceperimus immenſam propemodum magnitudinem nauium, quibus obeliſci ex Ægypto Romam conuecti ſunt, quarũ meminit Plin. *lib.16.c.40. & 36. c. 9.* necnon etiam ingentem proceritatem quarũdam arborum, quarum verba facit idem Plin. *lib.36.c.40.* nempe vnius à Tiberio Cæſare expoſitæ; fuit autem trabs è larice longa pedes 120. bipedali craſſitudine æqualis, quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, faſtigiũ & acumen æſtimantibus; & alterius à M. Agrippa relictæ in porticibus ſeptorũ, miraculi cauſa; fuit & abies admirationis præcipua in naui, quæ ex Ægypto, C. Principis iuſſu obeliſcũ adduxit.

Cap. XLII. *Fuluius conſul vnus creatus, quũ ceteri centurias non expleſſent.*] Nic. Grucchius *de comitiis Rom. lib.1.* præſentẽ locũ in hęc verba interpretatus eſt: *Illud etiã poteſt ex iis, quæ dicta ſunt, intelligi, quid apud Liuiũ ſignificet cẽturias nõ explere, vt li.7. Dec.4. Fuluius cõſul vnus creatus, quũ cæteri cẽturias nõ expleſſent. Habebat Fuluius tres cõpetitores, quorũ nullus legitimum numerũ centuriarũ cõficere potuit, vel quia in ſingulis cẽturiis pares numero ſuffragatores habuerint, vel quia ita alias alij cẽturias tulerãt, vt pares numero cẽturiarũ reperti ſint. poſt vocatas omnes omniũ claſſiũ cẽturias. His enim duob. modis poterãt cẽturias non explere cãdidati, hoc eſt, nõ conficere eum numerũ centuriarũ, quo vnus tandẽ plures tuliſſe iudicaretur, quã alius.* Hactenus Grucchius, qui & *li.2.* de electione tribunorũ plebis agẽs ait: *Porro autẽ trib. nõ explere eodẽ modo interpretandũ eſt, quo ſupra interpretati ſumus, cẽturias nõ explere*, ſicq; exponit Liuij verba, *li.3.* vbi ſcribit: *M. Duelius comitia habuit, & quinq; tribun. pleb. creatis, quũ præ ſtudiis aperte petentiũ nouẽ tribunorũ alij cãdidati trib. nõ explerẽt, conciliũ dimiſit, nec deinde comitiorũ cauſa habuit.* Verum etſi tãti viri ſententiæ, cuius lucubrationib. me multũ debere cõfiteor, refragari nolim, tamẽ Liuij vtrobiq; verba interpretari aliter poſſe, affirmare non erubeſco. Non enim rationi ac æquitati conſonũ videtur, cãdidatos cõſulares ſeu tribunicios, qui paria ſuffragia in vnaquaque claſſe obtinuiſſent, vel pares cẽturias ſuffragantes, repulſam obid pati potuiſſe, quinimo vel iterũ cẽturiæ aut trib. ad ferenda ſuffragia reuocãdæ erant, quod de trib. pleb. cõſtat lege Trebonia, quã tradidit L. Trebonius trib. pleb. Herminio & Virginio Coſſ. anno ab V. C. 305. ſcilicet, vt qui plebẽ Romanã trib. pleb. rogaret, is eo vſque rogaret, dum 10. trib. pleb. faceret, quod Liuius tradit *li. 3. & 5.* Ex hac lege itaq; manifeſtũ ſit, quod ſi accidiſſet trib. pleb. ad exactũ numerum ſtatutum minime factos, reuocandas fuiſſe populi trib. ad ſuffragia ferenda, quo vſq. trib. pleb. creati eſſent. In Ædiliũ comitiis, ſi candidati ſuffragiis pares fuiſſent, ſorte decernebatur, quis magiſtratũ obtineret. Cic. in orat. pro Plãcio: *Neq; enim vnquã maiores noſtri ſortitionẽ cõſtituiſſent ædilitiam, niſi videretur accidere poſſe, vt cõpetitores pares ſuffragiis eſſent.* Qua de re æquius proculdubio videtur, quod ſi cõſolatus cãdidati pares ſuffragiis & ipſi fuiſſent, ſorte cui conſulatus obueniret, decerneretur; quã eos à ſpe obtinẽdi conſulatũ deiicerent, nulla præſertim alia de cauſa, quã quod eis paria ſuffragia cõtigiſſent. Ad hæc, ſi non diſſonũ, mirũ ſaltem exiſtimandũ, quod in cõſularibus comitiis tribus Fuluij cõpetitorib. paria ęque centuriarum ſuffragia contigiſſent. Alia itaq; dictis hiſce Liuij interpretatio excogitanda, quã eſſe exiſtimamus alteram ex mox dicẽdis. Candidati (vt ego puto) centurias nõ explere dicebãtur, quum vltra dimidiam partem centuriarũ omnium ſibi ſuffragantem non haberent, tunc enim illorum in electione nulla habebatur ratio, & *deiecti* dicebãtur. Liu. *lib. 38.* tradit, à Fuluio conſule M. Æmilium Lepidũ conſulatum petentem ſui inimicum deieciſſe; eo quoque anno, ſicuti & anteacto anno fecerat. Exemplum ſit in tribus 35. quum non ſemper illarum idem fuerit numerus, ni candidati in tribubus comitiis trib. ſaltẽ octodecim ſibi fauẽtes habuiſſent, repulſam paſſi dicebantur, nec amplius eorũ eiſdẽ in comitiis vlla habebatur ratio: at qui vltra dimidium trib. ſibi ſuffragantes habuiſſet, ſeu centurias in cẽturiatis comitiis, (nã in vtriſque par eſt ratio) ex illis, qui cõpetitores ſuffragãtiũ numero ſuperaſſet, obtinebat, & magiſtratũ petitũ cõſequebatur. Quod ſi hæc explicatio alicui non arriſerit, ſequentem accipiat. In comitiis, trib. ſeu cẽturia quæ ſorte prærogatiua erat, prima ſuffragium ferebat: hæc autẽ in comitiis tanti momẽti habita eſt, vt fere ſemper cæteris præſciberet, quod ſequerentur. Sic Cic. *li. de Diuin. 1. & in orat. pro Murena* ſcriptũ reliquit: Maiores voluiſſe prærogatiuã eſſe omen iuſtorũ comitiorũ, tantãque comitiis centuriatis religionẽ fuiſſe, vt fere ſemper valuerit omen prærogatiuum. Ita & Liu. *li. 24.* tradit: *Interim prærogatiua ſuffragiũ init, creatique in ea conſules Q. Fabius Maximus quartũ, M. Marcellus tertiũ, eoſdẽ conſules cætera cẽturiæ ſine variatione vlla dixere*, & *li. 36.* de Veturia prærogatiua: *Ita de trib. conſultatione data, ſeniorib. dimiſſis, iuniores ſuffragiũ ineunt, M. Claudiũ Marcellũ fulgentẽ tum Sicilia domita, & M. Valeriũ abſentẽ conſules dixerunt: auctoritatẽ prærogatiuæ omnes centuriæ ſequuta fuit.* His ita ſe habentib. interpretor illud, quũ ceteri cẽturias nõ expleſſent, hoc pacto ſcilicet, M. Æmiliũ Lepidum, Cn. Manliũ Vulſo, & M. Valeriũ Meſſalam videntes Fuluiũ nobiliorẽ à prærogatiua cẽturia conſulẽ dictum, ſpe potiundi conſulatũ deiectos, noluiſſe à ceteris centuriis ſuorum nominũ rationẽ haberi in ſuffragando, ſatius exiſtimãtes, ſpõte à petitione deſiſtere, quẽ manifeſtam pati repulſam, quẽ iure ſuſpicabãtur futurã, ob prærogatiuæ aduerſum omen. Sicque dicebantur cẽturias non expleſſe, eo quod nõ à ceteris cẽturiis (ipſis ita volentib.) eorũ petitionis per ſuffragia vlla habita ſit ratio. Quod autem in conſulib. creandis, habitis comitiis, facultas eſſet illis, quorũ habebatur ratio in ſuffragando, non ſolũ abnuendi conſulatũ, ſed & obtinendi, ne à cæteris cẽturiis, quum prærogatiua aliquem cõſulẽ declaraſſet, ſui haberetur ratio, cõſtat ex ipſomet Liuio *li. 36.* exẽplo T. Manlij Torquati, quẽ quũ veturia iuniorũ, quæ prærogatiua erat, cõſulem dixiſſet, nec dubium eſſet, quin & cõſentirent cæteræ cẽturiæ in ſuffragiis ferẽdis, oculorũ valetudinem excuſans Veturiã iuniorum in ſuffragium redire iuſſit, vt aliũ conſulẽ, ſe prætermiſſo, declararet, quum tamen eadẽ frequens ſucclamaſſet, nihil ſe mutare ſententię, eundẽque conſulem dicturũ: tum Torquatus: *Neque veſtros mores*, inquit, *cõſul ferre potero, neque vos imperium meum, redite in ſuffragiũ, & cogitate bellum Punicum in Italia, & hoſtiũ ducem Annibalẽ eſſe*: tũ Veturia auctoritate mota viri, & admirantiũ circa fremitu, petiit à Conſule, vt Veturiã ſeniorum citaret, velle ſecum maiorib. natu colloqui, & ex auctoritate eorum conſules dicere. Cõſultatione facta alios conſules crearunt. Ex his itaque patet, comitiorũ ſuffragiũ ab aliquo ſuffragatorũ interrũpi potuiſſe, ſicque qui ex cãdidatis per omnium cẽturiarum ſuffragiũ pertranſire noluiſſent, ab incœpta petitione deſiſtẽtes, centurias non expleuiſſe dicebãtur. Huic interpretationi Liuij dicta eodem in loco fauere videntur, dum ait, Fuluium cõſulem creatũ, poſtero die Cn. Mãlium, Lepido deiecto, (nã Meſſala tacuit) collegam dixiſſe: quæſo quid aliud eſt *Meſſalã tacuiſſe* dicere, quẽ eundẽ noluiſſe à Fuluio cõſule in ſibi collega declarando ſui rationem haberi? Sic & M. Acilius Glabrio cõpetitorib. in cenſura T. Quinctio Flaminio, P. Cornelio Cn. filio, Scipione, L. Valerio Flacco, M. Porcio Catone, M. Claudio Marcello, inclinãte in eo populi fauore, quod ægre patiebãtur tot nobiles cõpetitores nouũ hominẽ ſibi præferri, trib. pleb. ei diem dixerũt: Glabrio inuidiã declinãs deſiſtere ſe à petitione dixit. Eodem modo interpretãda Liuij citata verba, *li. 3.* quum ait: *Quinq; trib. pleb. creatis, quum præ ſtudiis aperte petentium nouem tribunorum, alij candidati tribus non explerent*, hoc eſt, nollent nomina ſua per ſuffragia omniũ tribuum trãſire, timentes cõcurrentium in petitione nimis ambitioſa ac potẽtia ſtudia, ideoq; mallẽt à petitione deſiſtere, quam repulſæ dubiam aleam ſubire. Hęc habui quæ ex mea Minerua, in re per difficili proferrẽ, cuius difficultatem teſtatus Glareanus in Liuianis Annot. inquit: *Quid ſit tribus explere, etiam atque etiam ſecum conſideret lector.*

Cap. IX. *Vrbem ne quam formula ſui iuris facerent, quæ poſt id tẽpus, quo T. Quinctius traieciſſet in Græciã, aut vi capta à Romanis eſſet, aut volũtate in amicitiã veniſſet.*] Formulã aliquando

diminutiuū formæ eſſe conſtat ex Plaoto in Perſa ſeribente:

Tempori hanc vigilare oportet formulam & uratulum.

Sed hæc ſignificatio nihil ad rem præſentem. Vt plurimum formula apud Latinos ſcriptores & Iuriſconſultos præſertim, accipitur pro præſcripta verborum norma, vel uota, præſertim circa actiones, à qua recedere antiquitus non licebat; ſicuti autem plures erant actiones, ita & totidem formulæ quas videre licet apud Carolum Sigonium *libro de antiquo iure Rom.* & has omnes cõplexus eſt particulari libello, ſeu tractatu, F.N. & de alus Tacitus *li.1. de Orat.* & Cic. *li. de Finib. in Ver. de claris Orat. in orat. pro Mur. de legibus, in orat. pro ſuo reditu, pro Quinto Roſcio*, & alibi pluries. At proprie formula accipitur pro actione ipſa, apud Paulum de Fort. *l. ſi ſeruus nuuem exerceat, non voluntate domini, de eo, quod ibi perit vulgaris formulu, in dominum dãda eſt*, hoc eſt, actio in factum. Hinc *formulam intendere* pro dictare actionem ſeu inſtituere iudicium, ex Suetonio *in Vitellio, c.7.* Et *formula excidere*, pro cadere cauſa. Suetonius in Claudio, c.14. *Nec ſemper præſcripta legum ſequutus, duritiem, lenitatemque multarum ex bono & æquo moderatus eſt: nam & in iis qui apud priuatos iudices formula excidiſſent, reſtituit actiones.* Quod autem *formula excidere* dicit Suetonius, idem eſt cum eo quod vocat Iuſtinianus l.4. Inſtitut. tit.6. *cauſa cadere, & rem amittere.* Præſcriptas formulas ſolemnes antiquas exaratas, circa vnamquamque actionem, ſuſtulere Impp. Conſtantinus, Theodoſius, & Valentinianus, ſed non formulas ipſas, hoc eſt, actiones ſpeciales, quæ libellis continentur, vt probat Iaſon *in l.1. D. de edēt.* His ſic ſe habentibus, erit ſenſus verborum Liuij, inter cæteras conditiones pacis initæ à Romanis cum Ætolis, hanc fuiſſe, ne ipſi aliquam vrbem, ea iis, quæ poſt id tempus, quo T. Quinctius traiecisset in Græciam, aut vi capta à Rom. eſſet, aut voluntariè in eorum amicitiam veniſſet, formulas ſui iuris facerent, id eſt, in eam vel eas actionem, quaſi ſui iuris eſſent, intentarent, ſed liberæ remanerẽt, actio enim nil aliud eſt (vti definiuit Iuſtinianus) quam ius proſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Eodem modo interpretanda & Liuij verba *li.29. ſubſequenti*, quum ait: *Eiuſdem formula diſceptatio de Perrabeorum Magnetumque oppidis fuit, omnium enim iura poſſidendo per occaſiones Aetoli miſcuerant*, hoc eſt, eiuſdẽ actionis iudicium Perræbeorum & Magnetum oppida ſibi ab Ætolis ablata reddi petentes. Et paulo poſt ſubdit Liuius: *Et Paracheloida, quæ Athamaniorum eſſet nullo iure Theſſalorum formula factum*, hoc eſt, nullam iuris actionem Theſſalos habere in Paracheloida, quæ Athamaniorum eſſet. Et rurſus inquit: *De iniuriis, quæ vltro citroque illatas querantur, quomodo inter eas gentes & Macedonas diſceptetur, formulam iuris exequendi conſtituendam*, id eſt, conſtituendum, iniuriarum actiones ex iuris forma exequendas eſſe, alterutrum, inter Macedonas, & gentes illas. Formulæ iniuriarum meminit Suet. *in Vitellio, c.7.* in hæc verba: *Quum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti, iniuriarum formulam quaſi ab eo calce percuſſus intẽdiſſet.* Liuius quoque *li.43.* tradit: *Lampſacenos in ſociorum formulam referre, Q. Mænius prætor iuſſus*, hoc eſt, actionem illis ſociorum datam, vt ſcilicet, quod petierant, ſi pax cum Perſeo fieret, à Rom. exciperentur, nec amplius in regia poteſtate eſſent. Et *li.44.* de Onoſimo Macedone inquit: *Sonnitus eum in ſociorum formulam recipi iuſſit*, id eſt, illi eam actionem iuris concedi, quam Rom. ſocij habebant. Et *li.45.* vbi de Paulo Æmilio ait: *Diuiſa itaque Macedonia partium vſibus ſeparatis, quanta vniuerſos teneat Macedonas formula dicta, quum legis quoque ſe laturum oſtendiſſet*, hoc eſt, quam iuris actionem Romani haberent in Macedonas, & quæ iuris actio competeret Macedonibus, ſtatutum. Et *lib.40.* ſcribit: *Vis hanc formulam cognitionis eſſe*, id eſt, actionem in iudicio. Nam, vt dixi, in vnaquaque actione erat verborum formula ſtatuta, qua vtebantur in actione intentanda. Vnde tot tantæque actionum formulæ, quas videre poterit Lector apud præallegatos ſcriptores. Hæc omnia interim annotauimus, quum Turnebus *lib.14. cap.11. Aduerſ.* hæc Liuij verba conciſe, ne dicam ſubobſcure, explicauerit.

T. LIVIVS LIB. XXXVIII.

Cap. xxviii. *Cenſores Romæ T. Quinctius Flaminius, & M. Claudius Marcellus Senatũ perlegerunt, Princeps in Senatum lectus P. Scipio Africanus, quatuor ſoli præteriti ſunt.* Præteritum aliquem non ſemel apud Ciceronem obſeruamus dici, pro repulſam paſſum in petitione magiſtratus: vti in Orat. pro Plancio: *Quos omnes ſcimus ædilitate præteritos, conſules eſſe factos.* Et rurſus: *Populus ſolet nonnunquam dignos præterire*: & in Tuſc. *Quum bonus ſuffragiis præteritur, & à vano populo repulſam fert.* Si itaque Liuij verba illa: *Senatum cenſores perlegerunt*, hoc eſt *elegerunt ſenatores*, interpretemur, ſenſus erit, quatuor tantum præteritos, id eſt, repulſam paſſos. *perlego* enim illud aliquando ſignificat, quod lego: ſcilicet eligo tanquam bonum & præſtantem. Sic Horat. in Car. ſecul. *Virgines lectas* dixit. Et Virg. Æneid.

-- Lectiſſima matrum
Corpora:

Cic. in 3. Verr. *lectiſſimos viros*, & in 5. *lectiſſimum adoleſcentem*. Et *lectiſſimam fœminam* ad Att. & libro de Inuentione, *vxorem lectiſſimam & fœminam lectiorem.* Alia quoque poteſt afferri interpretatio, quam nobis Feſtus præbet, per hæc verba: *Præteriri ſenatores quondam in opprobrio non erat, quod reges ſibi legebant, ſublegebantque, quos in conſilio publico haberent, ita poſt exactos eos, Conſules quoque, & tribuni militum conſulari poteſtate coniunctiſſimos quoſque patriciorũ ſibi, et deinde plebeorum legebant, donec poteſtas tribunitia interuenit, qua ſancitum eſt, vt Cenſores ex omni ordine, optimum quemque curiatim in Senatum legerent: quo factum eſt, vt qui præteriti eſſent, & loco moti, haberentur ignominioſi.* Itaq; ex Feſto præteritos interpretari poſſumus Senatu motos. Cui expoſitioni etiam maior lux afferenda. Statuamus itaque Cenſores, ſeu dictatorem, ad quos ſpectabat munus legendi Senatum, conſueuiſſe ſchedulã ſeu ſyngrapham habere, in qua ſenatorum omnium nomina deſcripta recitarentur, ſi quando in legendo alicuius mẽtio fieret, qui antea in ſenatu nõ fuiſſet, in ſenatorum nouum eum electum intelligebatur, ſi qui vero ex iis, qui in præcedenti ſchedula ſenatoria deſcripti fuerant, ſilentio præterirentur, eos ſenatu motos dignoſcebatur, ideoque præteriti dicebãtur, quod ex ipſomet Liuio elicere, ita *lib.23.* ſcribẽte: *Neque enim poſt L. Æmilium, & C. Flaminium cenſores, ſenatus lectus fuerat, quum tantum ſenatorum aduerſæ pugnæ, ad hoc ſui quemque caſus per quinquẽnium abſumpſiſſent.* Et paulo poſt, da Fabio Buteone dictatore ad ſenatum legendum dicto à C. Terentio Conſule, de ſeipſo verba facienti ſubdit: *Nam neque ſenatu motorum quenquam ex iis, quos C. Flaminius, et L. Æmilius Cenſores in ſenatũ legiſſent, tranſcribi tantum, recitarique eos iuſſurum, ne penes vnum hominẽ iudicium, arbitriumque de fama, ac moribus ſenatoris fuerit, et ita in demortuorum locum ſublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. Recitato vetere ſenatu, inde primum in demortuorum locum legit. qui poſt L. Æmilium & C. Flaminium cenſores curulem magiſtratũ cœpiſſent, nec dum in ſenatu lecti eſſent, vt quiſque eorũ primus creatus erat: tum legit qui Ædiles, trib. pleb. quæſtoresue fuerãt, tũ ex iis qui magiſtratũ nõ cœpiſſent, qui ſpolia ex Romano hoſte fixa domi haberet, aut ciuicã coronã accepiſſet: ita 177. cũ ingenti approbatione omniũ in ſenatũ lectis, extemplo ſe magiſtratu abdicauit. Itaque ſi de priori ſenatus deſcriptione nihil immutatum eſſet, & noua ſchedula cum præcedẽti cõueniret, nullum ſenatorẽ nouum factum, nec aliquẽ ſenatu motum, qui viueret, manifeſtum erat: ſi qui vero dẽpti aut additi in legendo deprehenderẽtur, alius ſenatus dicebatur.* Ita Liuius *li.37.* de ſenatus lectione M. Cornelio Cethego, & D. Sempronio Tuditano cenſoribus ait: *Inde alius lectus ſenatus, octo præteritis, inter quos L. Cæcilius Metellus erat infamis auctor deſerendæ Italiæ poſt Cãnenſem cladẽ.* Qui itaque ſenatorũ vetere nota aliqua notabatur, quique in recitando ſenatu quod quinto quoq. anno fieri ſolebat, præteritus eſſet, hic ſenatu motus dicebatur & è ſenatorũ albo diſpũctus, & obliteratus, quod cõprobare poſſumus ex pluribus in Liuiana hiſtoria exemplis: vti ex prædicta Cethegi & Tuditani cẽſura, in qua octo in ſenatus lectione præteriti: Salinatoris, ac Neronis in qua ſeptem: Flaminij, & Marcelli, in qua quatuor, & M. Catonis, in qua ſeptem præteritos legimus, quod & aliquando priuato odio factum nulla ſaltem legitima præcedente cauſa colligimus ex Liuio *lib.4.* ſcribente: *Retinuit quoſdam Lepidibus à collega præteritos*, vnde nonnunquam acres inimicitiæ exortæ, tradente eodem *in Epit. li.59.* C. Atinium Labeonem trib. pleb. Q. Metellum cenſorem, à quo

in ſeoatu legendo prætetitus erat, de ſaxo deiici iuſſiſſe.

Eod. *Subſtractionem ſuper Æquimelium in Capitolio, & viam ſilice ſternendam à porta Capena ad Martis locauerūt.* Glareanus in Annot. vix hūc locum intelligi poſſe tradit; quum tamen, vt mea fert ſententia, ex eiuſdemmet Liuij verbis facile explicari poſſit. Superius *li.* 4. ſcripſit, Melium frumentarium diuitem equeſtris ordinis in annonæ caritate frumentum plebi elargitum, regnum affectaſſe, ob idque ab dictatore Quinctio Cicinnato, Q. Minucio deferente, in ius vocatum, reluctātem ab Ahala Seruilio obtruncatum, eiuſq; bona publicata, atqoe eiuſdem domom dirutam, vt monumento area eſſet oppreſſæ nefariæ ſpei, quam *Æquimelium* vocatam ſcribit, idque anno ab vrbe condita 317. cōtigiſſe teſtatur, M. Gegano Macinno tertium, & L. Sergio Coſſ. In eodem vero ſtatu aream æquimelij permanſiſſe ex præſenti loco colligimus, vſq; ad annū 561. M. Fuluio Nobiliore, & C. Manlio Vulſo Coſſ. ſicque per annos 244. quo tēpore cenſores T. Quinctius Flaminius, & M. Claudius Marcellus deformitatē eā in Capitolio auerſantes, eo in loco denuo ædificandū decreuere: nil enim aliud ea verba, *ſubſtructionem ſuper Æquimeliam locaſſe* ſignificant, quam ædificium à fundamentis extruendum in area *Æquimelio* dicta locauiſſe. Sic Cic. in Orat. pro Milooe dixit: *Quo in fundo propter inſanas illius ſubſtructiones facile mille homines verſarentur.* Et iterum: *Area, quas ille caſis lucis ſubſtructionū inſanis molibꝰ oppreſſerat.* Columel l. 2. c. 2. *Quibuſdā ſubſtructionibus partes agri ſunt occupāda,* & l. 1. *Quam ex depreſſiore loco fuerint orſa fundamenta, nō ſolum ſuperficiem ſuam ſuſtinebunt facile, ſed et pro ſaltara, & ſubſtructione fugentur aduerſus ea, qua mox ſi forte villā prolatare libuerit, ad ſuperiorem partem applicabūtur.* Cæſar l. 2. Belli Ciuil. *Altero Theatro, quod eſt ante oppidum, ſubſtructionibus eius operis maximus aditu ad caſtra difficili, & anguſto.* De ſubſtructione plura apud Vitruuiū *l.* 1. videre poterit curioſus lector.

Cap. xxix. *Centum funditores ab Ægio, & Patris, & Dymis, acciti; à pueris y more quodā gentis, ſaxis globoſis, quibus ferme arena immiſtis ſtrata littora ſunt, funda mare apertum inceſſentes exercebantur. Itaque longius certiuſque validiore ictu, quam Balearis funditor, eo telo vſi ſunt, & eſt non ſimplicis habena, vt Balearica, aliarumq; gentium funda: ſed triplex ſcutale, crebris ſuturis duratum, ne fluxa habena volueretur in iactu glans, ſed librata, quum ſederit, velut neruo miſſa excutiatur. Coronas modici circuli magno ex interuallo loci aſſueti traiicere, non capita hoſtium ſolum vulnerabant, ſed quem locum deſtinaſſent oris.*] Glareanus in *Annot.* inquit ad huoc locum: *Tolerabilius eſſet, ſi triplex ſcytale legeretur.* Sed quid ſibi vellet, id ſcribens ignoto. *Scytale* animal venenatum eſſe tradidit Col. *l.* 6. *c.* 17. & Plinius *l.* 32. *c.* 5. & Gell. *l.* 17. *c.* 9. breuē epiſtolā & Laconicā dixit: vtrūq; enim σκυτάλη ſignificat apud Græcos: quod ſi ſcytale eſt à voce σκύταλον quod eſt ſcutica, ſeu virga, quid hæc quæſo commune habeant cum funda nō video: qua de re ſcutale legendum non ambigo, & pro ſcutale intelligendum eſſe partem fundæ mediam, coi globus traiiciendus imponitur, ita appellatam, quod ſcuti formam præ ſe ferat, quod in noſtratibus fundis videre eſt, & oculata fide percipere. Sicuti itaque Baleares funditores funda vtebantur ex ſimplici habena conſtāte, ſic memorati à Liuio fundas habebant, quarum ſcutale, hoc eſt, media pars ex triplici loro coriaceo, ſeu ex triplici tela fuoiculove cōſtabat ad ſcuti formā, id eſt, orbicularem & in longum protenſam, crebriſque ſuturis duratam, ne fluxa habena volutaretur, & cum ea in iactu glans, ſed librata quum ſederit in ſcutale inquam, velot neruo miſſa excutiatur: Legēdum itaque *ſcutale*, qood pariter docet Cœl. Rhodig. *l.* 14. *c.* 7. Hunc locum quoque aduocat Priſcianus in calce ſexti libri. Turneb. *Aduerſ. l.* 14. *c.* 7. minus clare, ne dicam apte, hæc Liuij verba interpretatus eſt, dū ait: *Scutale hic exiſtimo corium eſſe, cuius loris habena conſutis facta erat, ſic appellata, quod ex eo genere corij ſcuta conficerentur.* Quæ eſſent coronæ modici circuli funda magno interuallo traiici ſolita, ſe neſcire fatetur Glareanus, ſubdens, *niſi exprimere voluerit Liuius iacientis geſtū,* quo nihil inſulſius cogitari poteſt. Ego non dubito, Liuium deſcribere genus glandis ſeu globi iaculive à iam dictis funditoribus traiici ſolitum, vocat autem *coronas,* quod coronæ inſtar orbiculares eſſent, à ſimilitudine ſcilicet coronæ, & ſuperficie ſuperna & inferna plana. Addit vero, *modici circuli,* quia non ingentes, quales coronæ, ſed modicæ magnitudinis eſſent. Sic circulus circa Lunam ἅλως Græcis, Latinis corona appellatur ab Aſtrologis, & Philoſophis. Præfert aotem Liuius funditores ab Ægio, Patris, & Dymis accitos Balearibus, quos tamen excellentiſſimos funditores fuiſſe ipſemet teſtatur *lib.* 21. & Plinius *lib.* 3. *c. vlt.* Baleares funda bellicoſos dixit, qood pariter confirmat Cæſar *ſecundo belli Gallici*, & Virg. *lib.* 1. *Georg.* ſcribit.

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ.

T. LIVIVS LIB. XXXIX.

CAp. viii. *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico inuecta in vrbem eſt. Ii primum lectos æratos, veſtem ſtragulam pretioſam, plagulas, et alia textilia, et quæ tum magnifica ſupellectiles habebantur, monopodia & abacos Romam aduexerunt.* Laurentius Valla *l. Eleg.* 6. *c.* 46. Vlpianum corripit *in l. inſtructam, D. de verbor. ſignific. & in l. lex Cornelia, §. inter palſationem, D. de iniur.* affirmantem authoritate Labeonis omne veſtimentum eſſe, qood iniicitur, & ita ſtragulum veſtem eſſe, quæ iniiciatur. Quod pariter confirmat *in l. quæſitum eſt, §. ſed ſi fundus, D. de fundo inſtr.* Aduertas, ait Valla, veſtimentum oon eſſe inſtratum, neqoe ſtragulam veſtem pro hominis veſtimentu, ſed pro lecti operimento tantum apud authores inueniri. Vlpianom & Labeonem, Alex. ab Alexādro, *Genial. l.* 3. *c.* 19. tutatus eſt: & primom authoritate Tranquilli in Nerone, c. 50. *Faneratus eſt*, ioquit, *Nero impenſa ducentum millium ſtragulis albis auro intextis, quibus vſus Kalendis Ianuariis fuerat.* Addit authoritatem Pompeij Feſti ſcribentis: *Veſtis generaliter dicitur, vt ſtragula, vt pallium, tunica, vel penula.* Paulus qooqoe Iuriſconſultus *in l. quam & tunicam, D. de aur. & arg. leg.* & ipſe tradit, ex pellibus veſtes confici, quum & tunicam & ſtragulam pelliceam nonnulli habeant. Poſtremo adducit & hunc Liuij locum pro ſua corroboranda opinione. Addimos & nos Ciceronis authoritatem *in* 3. *Verr.* ſcribentis: *Per triennium quæ illa plena domo telarum ſtragulam veſtem conficit, nihil niſi conchylio tinctam*: & iterum 4. Verr. *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam veſtem Melitenſem, plurimam ſtragulam, multam Deliacam ſuppellectilem, &c.* D. Hieronimus ſtragulam muliebrem veſtem appellat Prouerb. c. 31. *Stragulam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius.* Non deſunt, his non obſtantibus, qui ſtragulam ſeo ſtragulum opertorium lecti, à ſtrato aut ſternendo dici potēt, ex Plinio *l.* 13. *c.* 12. vbi de Papyro agens, ait: *Et è libro vela, vela, tegeteſque necnon & veſtem & ſtragulum, ac funes.* Martialis Epigram. vlt.

Stragula purpureis lucent villoſa tapetis.

Et paulo poſt:

---- Nudo ſtragula ne toro paterent.

Tibul. 1. Eleg. 2.

Nam neque tunc pluma, nec ſtragula picta ſoporem.

Et Martialis lib. 2.

Zoilus ægrotat, faciunt hanc ſtragula febrem.

Qui à ſtrato ſtragulam deducunt, citaot Virgilium 4. *Æneid.* de Didone ſcribentem:

---- Stratiſq; relictis.
Incubat.

Et Papianum *Syl.* 1. de Venere:

Feſſa iacet ſtratis.

Et ſecundo eioſdem:

Quis matutinos abrumpit murmure ſomnos,
Impoſitus ſtratis.

Varro ſtragulam à ſternendo dictam ait, in hæc verba: *Quicquid inſternebant, à ſternendo ſtragulam appellabant.* Budæus *in poſt. Annotat.* hoc in loco veſtem ſtragulam interpretatur *tapetes*, quos Græci & ipſi τάπητας vocant, tegmen, inquam, ſeu ſtratum mire pictum variis coloribus, quo equi, menſæ & pauimenta ſternuntur, vulgo quoque tapeti dicti; ſicuti & Latinis. Virg. lib. 10. Æneid.

---- Qui forte tapetibus altis
Extructus, totum perſtabat pectore ſomnum.

Et lib. 7.

Inſtratos oſtro alipedes pictiſq; tapetis.

Et Statius lib. 1. Theba.

Alioſq; inferre tapetes.

Plautus in Pſeud.

Neque Alexandrina belluata, conſutaque tapetia.

Ego ſane in hac opinionum varietate exiſtimo, ſtraguli nomine abſolute prolato, venire non modo ſtragula lectorum, ſed ea tapetia, aliaque huiuſmodi telarum ſeu pannorum genera, animalium herbarumque variis figuris & coloribus contexta, ob id *belluata* dicta à Plauto, & *picta* à Tibullo. Si vero cum additione *veſtis* ſtragulam protulerimus, dubio procul intelligendum indumentum ſeu veſtimentum, eiuſdem tamen generis, vnde Aſconius *in 3. Verr. act.* ſcriptum reliquit: ſtragulam veſtem eſſe pictam, & aurum quoque & aliquando intextum habentem exiſtimendam, quum addat Liuius verbum illud, *pratioſam*. Noſtram ſententiam confirmare poſſumus ex ſacris pignis. Nam 4. *Regū c.* 8. ſtragulum abſolute prolatum, operimentum lecti ſignificat; loco vero Prouerb. ſupra citato, cum additione, *veſtem ſtragulatam*, indumentum exprimit, quod & loco iſto fecit Liuius. At non minor occurrit difficultas in explicatione alterius vocis *Plagula*. Nonnius: *Plaga*, inquit, *grande tegumen linteum, quam lecticariam ſyndonem dicimus.* Varro de vita populi Roman. *Chlamydes, plagæ, vela, vaſa aurea:* & rurſus: *Eburneis lectis & plagis ſigillat.* Suetonius in Tito, *c.* 10. ſcribit: *Lectica dimotis plagulis.* Ex quibus colligere poſſumus, plagas, ſeu diminutiuum plagulas, textilia fuiſſe, quibus lecti vel lecticæ circumtegebantur, quam interpretationem recipit & Turnebus, *lib. Aduerſ. 1. c.* 25. Budæus loco dicto, Plagam, ſtragulum & tapetia confundit. Vlpi. *l. 23. de aur. & arg. leg.* plagulam inter muliebres veſtes recenſet, ſed quam bene & eleganter, diiudicet lector, mihi quidem audiendus non videtur.

Eod. *Tunc pſaltriæ ſambuciſtriaque et conuiualia ludionū oblectamēta addita epulis.*] Ψάλτρια Græcis, ſicuti & Latinis, fidicina dicitur, hoc eſt, quæ inſtrumēto muſico ex fidibus conſtante, pulſat ſeu cantat. Hanc vocem à verbo pſallo, ψάλλω etiam Græcis, quod eſt, canto ore vel inſtrumento muſico, deductā quidam exiſtimant. Alij vero à pſalterio, muſico inſtrumento, ita vt pſaltriæ eſſent, quæ pſalterio canerent, vel pulſarent: cuius inſtrumenti muſici ſæpe in ſacris pagnis ſit mentio. Fuit autem pſalterium muſicum inſtrumentum, vt D. Hieronymus tradit, in modū quadrati clypei, cum decem chordis: ita ſcriptum eſt in Pſalmo 32. *In pſalterio decem chordarū pſallite illi.* Et Pſalmo 91. *In pſalterio decachordo cum cantico in cythara.* Idem doctor in expoſitione Pſalmorum ait: *Pſalterium proprie eſt genus organi muſici, melius ſonans, quam cythara, ſimilitudinē habet cythara, ſed non eſt cythara. Inter pſalterium et cytharum hoc intereſt, quod cythara deorſum percutitur, pſalterium vero ſurſum.* Et alio in loco: *Cythara deorſum habet cauamen, et ſex chordas habet, pſalteriū deorſum habet cauamen,* D. Auguſt. ſcribit: *Pſalterium eſt organū, quod quidem manibus portatur percutientis, et chordas diſtinctas habet, ſed illū locum, vnde ſonum accipiūt chordæ, illud concauum lignum, quod pendet, & tactum reſonat quia accipit aerem, pſalterium in ſuperiore parte habet, cythara vero hoc genus ligni cauum, & reſonans in inferiore parte habet.* Pſalterium D. Ambroſius in conuiuiis inſeri ſolidum ad libidines excitandas, teſtatum reliquit, quod & Plutarchus *in Symp. l. 3.* confirmat. Illud profecto minime admiratione caret, quod Paulus *l. 5. ſententiarum tit. 4.* tradit, pſalterium ſcilicet eſſe canticū in alterius infamiam cōpoſitum, quod obiter ſit dictū. Itaque pſaltrites ego interpretor, quæ pſallerēt & canerent. Cic in Catil. *Poetæ lapidi & delicati cantare & pſallere didicerunt.* Gellius l. 19. c. 9. *Quos habere tū adoleſcentes ſciebat ſcitiſſimos vtriuſq; ſexus, qui canerent voce, et qui pſallerent.* Nam vt docet Nonius, Melos bipartitū erat, cum aſſa voce, & organico, Aſſa voce ſiue inſtrumento aliquo muſico voce tantum canere dicebantur: organico vero quum & inſtrumento muſico aliquo canebant. Sic interpretanda puto Terentij verba illa in Adelph.

Iſthæc enim penes vos pſaltria eſt?

Et Cic. in Orat. pro Seſt. *Quis in cœtū mulierum pro pſaltria adducitur.* Et in Tuſcul. *Pſaltriā adducamus.* Sic *pſallocytharıſta*, apud Sueton. *in Domit. c. 4.* hoc eſt, quæ canebant, ſimulque cythara & pulſabant. *Sambuciſtrias* exiſtimo fuiſſe, quæ ſambucam ſeu ſambycem, vt alij dicūt, muſicum inſtrumentum pulſarent. Erat autem ſambuca, quam Galli, Hiſpani & Itali eadem voce *arpam* appellant: quod inter recentiores docuit Turnebus *Aduerſ. lib. 20. cap.* 2. id tamen nolla ratione nec auctoritate comprobans. Athenæus *Lyrophenicam* nominat, ac fuiſſe Ibici poëtæ Rhegini inuentum tradit. Nos vere arpam ſambucam fuiſſe non dubitamus, ex Porphyrij dictis, in Ptolemæi Harmoniaca, vbi ſcribit: *Sambuca triangulum inſtrumentum eſt, quod ex inæqualibus longitudine, ſicus & craſſitudine, neruis efficitur,* apud Plautum *in Stycho*, vbi legitur:

Fidicinas, tibicinis, ſambucas aduexit ſecum forma eximia.

Non *ſambucas*, ſed *ſambucinas* legendum, contendunt nonnulli: ego potius, ſi quid immutandum eſſet, reponerem *ſambuciſtrias*, authoritate Liuij hoc in loco: quamuis non ignorem, & apud Polybium mulierem ſambuca pulſantem, *Sambucam* appellatam.

Illum excetra delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec Deorum verecundiam habere.] Non *excetra* ſed *echidna* legendum, putarunt quidam, quodnam ſerpentis genus excetra ſit, ſe ignorare affirmantes, ἔχιδναν vero viperam fœminam eſſe, cuius mas ἔχις dicatur. Quibus non obſtantibus, *excetra*, lectionem retineo, nam excetra Hydra Lernæa eſt appellata, ſcribente Plauto in Perſ.

Nam cum Leone & cum Excetra, cum Ceruo & cum Apro Ætolico, cum Auibus Stimphalicis, cum Antæo deluctari malim, quam cum Amore.

Quæ ad Herculeos labores alludens dixit Plautus. Venenatum anguem certe Excetram fuiſſe dictam, ex D. Hieronymo colligere poſſumus, qui Hiberam *excetram* obtrectatorem virulentum vocauit, quomodo & Duronia P. Æbutij mater Hiſpalam filij amaſiam excetram hoc in loco appellauit.

Cap. XIX. *Vtique Fecenia Hiſpala datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſe, vtique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei, qui eam duxiſſet, ob id fraudi ignominiæve eſſet.*] Quia Turnebus hunc locum diſcutiens *lib. Aduerſ. 30. cap.* 25. nonnulla perperam exponit, alia omittit, quæ neceſſario erant perpendenda, alia vero diminute explicat, iccirco nos maiorem lucem quoad melius licuerit, Liuij dictis interim afferre conabimur. *Dare*, à quo *datio* deriuatur, apud Iuriſconſultos proprie accipitur, quum dominij tranſlationem ſignificat, §. *ſic itaque, Inſtit. de act. l. vbi autem, §. final. D. de verbor. obligat.* ita & *dare in ſolutum*, frequens apud eoſdem: ſic & *dare* dicitur, qui permutat, *l. dediſſe, D. de verb. ſignificat.* Senatus itaque qui Hiſpalam ob Bacchanalium ſcelus detectum, præmio afficere voluit, inter cæterea ei conceſſit, vt ſua bona in alium transferre poſſet pro libito, quod antea facere ei non licebat, nec vti mulieri, nec vti libertinæ. Nam Romanis moribus priſcis mulier ſui iuris non erat, ſed ſub perpetua tutela, vel patris, vel mariti, aut proximorum, aut tutoris dati à iudice, quod Cic. *in orat. pro Murana, & in Topicis*, & Boetius *in Cōment.* docuere. Nec etiam vel libertina: nam & lege 12. tabularum ſemper erat in tutela patronorum, vel liberorum eorum, vel eorum omnium, ad quos ſucceſſio bonorum libertorum ab inteſtato ſpectare poterat. §. 1. *de ſucceſ. libert.* nam antiquitus ex iure ciuili erat ſucceſſionis ius in bonis liberti patronis ſtatutum, *ex §. 12. tabul.* ſi is deceſſiſſet ſine legitimo hærede, iure prætorio pars dimidia deinde delata bonorum liberti patrono: ſubinde lege Papia cum filiis liberti patronus in virilem partem vocatus, ſi ſeſtertium centum eſſet patrimonium. Poſtea Iuſtinianus decedentibus ſuis liberis ab inteſtato libertis, patronis *ex lege 12. tab.* delatam ſucceſſionem reſeruauit, ſucceditque liberto non tantum patronus, ſed etiam coniuncti vel proximi patrono vſque ad quintum gradum: quod ex dicto tit. *de ſucceſſ. libert.* dignoſcitur. Nec ſolum permiſſa Hiſpalæ datio, ſed & diminutio.

Pro *diminutione* autem nequaquam intelligendum de capitis diminutione, de qua paſſim Iuriſconſulti, quæ triplex erat, quia quælibet eius ſpecies in pœnam, non in præmium dabatur. Quod ſi per diminutionem cum Turnebo interpretemur, quod ſcilicet poſſet de peculio fortunarum ſuarum diſponere, erit verboſitatis vitium in Liuio: nam ſi poterat per dationem totum peculium in alium trāſferre, nonne & tanto magis & eiuſdem partem diſtrahere? Quamobrem quum per *diminutū* apud Iuriſperitos intelligi quan

doque videam, quod vſucaptum eſt *l. deperditum, D. de pet hared.* ita & per *datam diminutionem* intelligerem Hiſpalæ ius vſucapionis. Nam ſicuti ſeruus non poterat ſuo nomine vſucapere, quis ab alio ipſe poſſideretur. *l. qui in ſeruitute,* 165. *de reg. iur.* P. Ita & libertinus, quamuis libertatem adeptus, quum tamen, vt diximus, in perpetua eſſet tutela patroni, & ad cum bona illius, ſeu eorum pars ſpectare poſſet, ideo videbatur quaſi precario poſſidere, ob idque haud vere vſucapere poſſe.

Permiſſa tertio Hiſpalæ gentis *enuptione*: quod Tornebus interpretatus eſt, conceſſum ius, vt poſſet nubere aliis, quam libertis ſui patroni. At, quæſo: quo in loco legit vnquam, aut apud quem authorem obſeruauit, libertos ea lege obſtrictos, vt non poſſent nubere exta gentem libertorum patroni, cuius eſſent liberti? Scio quidem inter capita legis Iuliæ *de maritandis ordinibus* fuiſſe, vt ſi liberta ab inuito patrono diuerteret, alij nubere eo inuito non poſſet, *l. 6. §. 3. de iure patron.* at hoc aliud eſſe, quis non videt? nec ob id concludendum, libertam ea lege arctatam, vt extra patroni libertos matrimonio iungi non poſſet. Itaque magis mihi alia expoſitio probatur, nempe, Hiſpalæ datum ius, vt poſſet nubere extra libertinum ordinem, hoc eſt, patritiorum genti. Namqoe lege Iulia, quam Auguſtus tulit, vel antiquatam emendauit, ex pauli Iuriſconſulti ſententia, cautum fuerat, ne libertina ſenatoris filium, nec libertinus ſenatoris filiam ducerent. Nam ſenatores vt plurimum ex patricia gente, libertini vero ſemper plebeij, *ex Cic. in 4. in Catilinam.* Hinc Liuius per initia *lib.* 4. deſcribit magnum certamen patrum com plebe, de connubio patrum & plebis, refragantibus patribus, qui ſic contaminari ſanguinem ſoum, confundique iura gentium rebantur. Itaque interpretor *enuptionem gentis permiſſam Hiſpala,* id eſt, ei conceſſum, vt poſſet, quamuis libertini gentis, nubere extra gentem libertinam & plebeiam, hoc eſt, nobili patricio, gentili ſcilicet: nam *enubere,* eſt *extra nubere,* ex eodem Liuio, paulo infra ſcribente: *Virginiam Auli filiam patriciam plebeio nuptam, L. Volumnio Conſ. matrona, quod è patribus enupſiſſet, ſacris arcuerãt.* Ita quoque gens proprie de patriciis dicta. Sic Liuius lib. 1. *Dicti patres maiorum & minorum gentium qui à Romulo & Tarquinio Priſco è patriciorum numero lecti in ſenatu fuere.* Sic lib. 18. *Scipionem è Cornelia gente* dixit & lib. 4. *gentem Claudiam.* Cic. 1. de Orat. *Claudiorum gentem,* in orat. pro Flacco, *Valeriam gentem,* in orat. pro Sextio, *Æliorum gentem.* Suet. in Veſpaſiano, c. 1. *gentem Flauiam.* Et apud Liuium Publius Decius aduerſus patricios verba faciens, ait: *Semper iſta audita ſunt eadem, vos ſolos gẽtem habere.* Hinc *gentilitas* nobilium ius, & *gentiles* agnati in nobili familia eadem, ex Cic. *in Orat. et in Top.* Et vulgo nobiles *gentil' homini* appellantur, quaſi gentis homines. Nec huic noſtræ explicationi obſtat, quod paulo poſt addit Liuius, datum ſcilicet eidem, vt ingenuo nubere liceret: nam id ad plebeios etiam ingenuos referendum, vt ſcilicet Hiſpalæ, quamuis ſerua nata, & ancillula eſſet: etiamſi poſtea manumiſſa, & quæ ob id non poterat ingenuo nubere, permiſſum vt id facere liceret.

Subdit Liuius, eidem datam *tutoris optionem, quaſi ei vir teſtamento dediſſet*: quorum verborum interpretationem Turnebus omiſit, ego ſic exponenda cenſeo, datum ſcilicet Hiſpalæ, vt quamuis libertina eſſet, teſtari poſſet, ſibi aſſumendi, quem vellet, tutorem, quum antea teſtamentum condere non potuiſſet, niſi poſt mortem patroni, quia in nullius mano erat, tutore à tribunis & prætore petito: quod clare paulo antea ſcribit Liuius, vbi de Æbutio herede inſtituto ab Hiſpala verba facit. *Virum* enim *bonum* apod Iuriſtas dictum *Iudicem,* notat gloſſa *in c. potuit, in ver. celeri, ad fin. de loca. l. continuus. §. cum ita. D. de verbor. oblígat.* & nomen *viri* ſepe eſt dignitatis, refertur enim ad virtutem, vimque animi & corporis *l. 1. C. de dignitat. lib. 12.* ita vt per virum intellexerit Liuius iudicem vel magiſtratum aliquem, puta tribunum, præſidem, vel prætorem, qui prætorem, dare poſſet valide teſtamento condendo: ſic enim expono verba illa *quaſi vir ei teſtamento dediſſet,* hoc eſt, quaſi iudex, ſeu prætor tribunus ve teſtamento ei dediſſet, id eſt tutorem ei dediſſet, vt teſtamento valide ſibi hæredem inſtituere poſſet, quorum certe explicatio, etſi genuina mihi videtur, addo tamen & aliam conie-

cturalem. *Viri* appellatione maritum nũcupari, manifeſtum eſt: hunc vero ab vxore & dominum vocatum, colligimos non ſolum ex Ethnicorum monumentis, ſed & ex ſacris paginis. Sara Abraham virum ſoum dominum vocat, *Geneſ. cap.* 18. Ita & Berſabea Dauidem. 3. *Regum,* idem & *Iudicum c.* 19. obſeruamus, quod pariter confirmant D. Petrus *prima Epiſtola Canon.* & D. Chryſoſtom. *in Epiſt. 1. ad Corinth. homil. 2.* & Clemens *lib. Recognit. 9. cap. vlt.* & Iacobus de Voragine, vbi de Diua Natalia, D. Adrianũ maritum ſuum dominũ appellante. Apud Iuriſconſultos dominũ aliquando accipi pro marito obſeruamos. Ita Imperator Diocletianus *in l. ſi queat,* ibi *conſentiente domino. C. de inoff. don.* dominũ accipi pro marito, vt not. Salyc. ita & *in l. ea qua,* vti not. Bald. *ff. de donat. inter vir. & vx. & in l. Lucius. §. quæ merito. ff. ed. leg. 2. & l. vxorem. §. teſtamẽto. ff. de legatis tertio,* & Virgilius libro Æneid. 4.

> ---- *Connubia noſtra*
> *Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.*

Ouid. in Epiſt. Acontij ad Cidippen:

> *Elige de vacuis quam non ſibi vendicet alter,*
> *Si neſcis, dominum res habet iſta ſuum.*

Et Lucretia *lib. Faſt.* 2. de marito loquens, ait:

> *Mittenda eſt domino (nunc nunc properate puellæ,)*
> *Quamprimum noſtra facta lacerna manu.*

Apud Plutarchum *in libello de claris mulieribus,* Timoleontis vxor captiua Ariſtomi cum aliis mulieribus, ſoum & illarum maritos dominos appellat. Idem Plutarchus in libro, cui titulus, In Principe requiri doctrinam: *Perſarum regem vxores ſane dominum appellant.* Itaque ſicuti mulieres viros ſuos olim dominos appellauere, ita & ecõuerſo dominos libertorum vocari poſſe viros, non inconuenit: ſicqoe hoc loco Liuium virum accipere pro domino & patrono: ita vt ſit ſenſos, permiſſum Hiſpalæ optionem tutoris, ac ſi dominus teſtamento id dediſſet, & libertæ non habenti facultatem, ſcilicet ſibi eligendi tutorem. Nam liberi mortuo patrono, tenebantur petere tutorem filiis illius, *l. 2. §. liberti, de tutel. P. & l. 2. C. qui pet. tuto.*

Cap. xxii. *Ludi Taurilia per biduum facti religionis cauſa.*] Ludos Taurios, Feſtus Pompeius tradit *libro decimooctauo,* olim inſtitutos, & dies inferis conſecratos, quod, regnante Tarquinio Superbo, magna in mulieres grauidas incidiſſet peſtilentia, ab diuturnam taurinæ carnis eſitationem. An vero taurilia & taurij ludi eſſent, oon ſat ſcio, quamuis minime diuerſa fuiſſe exiſtimem. Aliam tamen appellationis cauſam aſſignari poſſe, non abnuerim, quam Feſtus ſcriptam reliquit, Dominationem autem puto deſumptam à tauris, quibus in huiuſmodi ludi genere vterentor. Sicuti Taurinam Romæ portam, Eſquilinam etiam dictam, legimos, à bouis capite, quod ſupra erat inſcultum: & *Taurobolium,* ſacrificium taurorum, & *Suotaurilia,* ſacrificium ex oue, ſue & tauro paratum. Quod autem in ludis Romani taurorum pugnam frequenter ſpectandam præberent, veluti & hodiernis temporibus fieri videmus in alma vrbe Venetiis, Florentiæ, & alibi, deprehendimos ex Plutarcho, *in libro, de Alexandri fortuna,* & Seneca, *libro de Ira trigeſimo.* vbi pugnantes tauros in ludis phœniceo colore & rubicondo irritari, effetarique ſcribunt. Et Plinius *libro octauo, capite quadringenteſimo quinquageſimo,* de tauris verba faciens, ait: *Theſſalorum gentis inuentum eſt, equo iuxta quadrupedante, cornu intorta ceruice taurum necare; primus id ſpectaculum dedit Romæ Cæſar Dictator.* Varro *l. 1.* aut, aliorum computatione, quatto: *In tauris ludis,* inquit, *conſuetum, metas circumcurrere,* quod nec à tauris alienum, ſcribente Plinio eodem in loco hæc de tauris verba: *Bigarumque etiam curſu citato, velut aurigas, inſiſtere.* Quod autem dicit Liuius, hoc ludos religionis cauſa factos, explicandum Diis præſertim inferis dicatos ex Feſto ſuperius adnotaui. Præterea ſcribit Athenæus, tauro Baccum aſſimilari. Lycophron Iouem taurum vocauit. In Periegeſi Dionyſius Afer Dianam *tauropolon* dixit, & *ταυρία* Græcis, Latinis, *Diana taurica* vocata. Et Diodorus ſcribit, Martis & Dianæ ſacrificia *tauropolia* nuncupata, vnde iure Plinius loco iam citato ſcripſit de tauris: *Hinc victima optima, & lautiſſima Deorum placatio.* *Ταύρεος* quoqoe Græcis Neptunus dictus, & *ταύρεια,* Neptuni feſtum. In ludis itaque religionis cauſa factis, id eſt, in Deorum honorem, taurus vel taurilus appel-

Digitized by Google

tis tantis, vſos fuiſſe Romanos, ob idque ita appellaſſe, non ſolum ex dictis patere puto, ſed & antiquorum numiſmatum fide comprobare poſſumos. Sebaſtianus Erizus Cæſaris Auguſti argenteum nummum, in cuius aduerſa parte inſculpta eſt pugnacis tauri effigies, enarrans, inquit, eum cuſum ob memoriam ludorum tauriorum ab Auguſto celeberrime factorum. Ego argenteos nummos antiquos binos vidi, ſimiles vndequaque. In parte vna impreſſum erat caput Mineruæ galeatæ, & galeæ cono criſtam adiectam, vel plumeam, vel ex cauda equina, vel ex alia re conſimili, quales ſæpe deſcribuntur ab Homero in Iliade: in altera taurus integer impreſſus, eo ſtatu & ſitu, vt videatur colluctari, atque aliquem cornu petere velle. Habet enim caput oblique demiſſum, & cornua ad feriendum accommodata & compoſita: pedes autem inflexos & incuruatos, quaſi eis terram fodere, & puluerem ſpargere conetur, iuxta illud Virgilianum, lib. 9. Æneid.

Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.

In ora infima inſcriptum eſt ΘΟΥΡΙΩΝ. Hos nummos eadem de cauſa cuſos, affirmare poſſumus. Nam Græci dicunt θούειν, quod Latini, impetum facere, ſeu impetu inſilire. Et θούριος dict⁹ eſt Mars, quod eſt bellicoſus ſeu pugnax. θουραῖος, potens, audax, θοῦρος impetuoſus. Quamuis & aliter, tum Auguſti prius numiſma, & poſteriores hi nummi dici poſſint cuſi à Thuriis populis Italiæ, in Sicilia, quorum meminere Æmilius Probus, & Plutarchus in Alcibiade, Thucydides *lib. 5.* & Diodorus Siculus *lib. 13.* & Stephanus de vrbibus, in hæc verba: Θούριοι πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις, id eſt, *Thurij vrbs Italiæ, quæ prius Sybaris dicebatur.*

Cap. XXXI. *Quinctius alter Prætor, ſuos equites catellis ac fibulis donauit.* Catellos quidam exponunt fuiſſe telorum ſpeciem more Theutonico fabrefactos, Virgilij authoritate moti, lib. 7. Æneid.

Theutonico ritu ſoliti vibrare cateias.

Quo in loco ſcribit Pierius, in Romano Codice & quibuſdam aliis legi *catelas*, non *cateias*. Seruius ibi Gallicum telum exponit. Sed quamuis hæc expoſitio rationi videatur conſentire, nam teli munus equitibus proportionatum videtur, nihilominus quom in Liuiano textu *catellis* per duplex. l. ſcriptum legamus, apud Virgilium per ſimplex, non penitus hanc interpretationem literæ conuenire, dicere poſſumus. Alij exiſtimarunt legendum eſſe *catillis*, quum catillus diminutiuum ſit catinæ. Col. lib. 12. cap. 57. *Hanc miſturam quum in catillo compoſueris, oleum ſuperinfundito.* Et Cato *de re ruſtica, cap. 84.* ſuillam iubet poni in manſa cum catillo & ligulis. Hoc autem catillos ornamenti genus fuiſſe dicunt, bullis ſimiles, quibus vtebantur prætextati pueri nobiles, quæ bullæ rotundæ erant, & in media parte protuberantes, quales catilli prominentes videntur in rotundum, ita vt id generum ornamenti ſimile eſſet ei, quod vulgo *medaglia* vocatur. Ego ſane puto, catellum fuiſſe ornamenti ſpeciem circulare quidem, quo collum vel brachium circumdarent, quod ex Plauto diſcere licet, ſcribente in Curcul.

Delicatum te hodie faciam, cum catello, vt accubes ferreo.

Et Horatio lib. Epiſt. 1.

Nota refert meretricis acumina ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentes.

Ex quibus patere poteſt, catillum ſeu catillam diminutiuum eſſe catenæ, ſicuti & catenula. Huic expoſitioni fauet verbi Græci ſignificatio: nam κατελλοῦν eſt in orbem globari, & colligi in arctum.

Alios autem, ait Liuius, equites victores *fibulis* donatos, quod pariter ornamenti ſpeciem fuiſſe, non dubitandum: nec tantum à catellis diſtantem. Namque fibula non ſolum eſt, qua cingulum coniungitur ad veſtem ſubligandam, ſed & circulus, quo collum circumdari ſolebant in ornamentum. Col. *lib. 6. cap. vlt.* de bobus verba faciens: *Ænea fibula pars auricula circumſcribitur, ita vt manante ſanguine tanquam, O litera ductus appareat.* Iuriſconſultus *in l. argumento. D. de arg. & aur. leg.* inquit, fibulas eſſe magis ornamentum, quam veſtem. Plinius *lib. 33. c. 1.* ex Homero ſcribit, Fabricam Deam fibulas & alia muliebris cultus, ſicut inaures, in primordio factitaſſe. Virg. 4. Æneid.

---- Vt fibula crinem
Auro internectat.

Philoſtratus imaginem Cupidinis deſcribens, eum effingit cum fibulis aureis. Quod vero fibulæ non ſolum mulierum & delicatorum eſſent ornamentum, ſed & militare quoque, conſtat non ſolum ex hoc Liuij loco, ſed & eiuſ. *l. 7.* vbi habet: *Puero annulum aureum, tunicam laticlano cum Hiſpano ſagulo, & aurea fibula, ornatum donat.* Plinius quoque *l. 33. c. 3.* ſcribit: *Sed in militia quoque in tantum adoleuit hæc luxuria, vt M. Bruti in Philippicis Epiſtola reperiantur frementes, fibulas tribunitias ex auro geri.* Trebellius Pollio *in Claudio* a. tradit, à Valeriano Imp. Zozimio Syriæ procuratori præceptum, vt Claudio inter extra dona daret fibulas argenteas inauratas duas, & fibulam auream. Flauius Vopiſcus *in Aurelio* teſtatum reliquit, illum conceſſiſſe, vt fibulas aureas gregarij milites haberent. Quod ſi quis hoc in loco fibulas communiſſima ſignificatione recipiendas contenderit, non refragabor: vt ſcilicet fibula eſſet inſtrumentum illud, quo extremæ cinguli partes coniunguntur, vel ad veſtes connectendas parantur, iuxta illud Virgilianum:

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Et Papiniani dictum:

Emicat, & torto chlamidem diffibulat auro.

Ita de fibulis veſtium meminere Iuriſconſulti *in l. 1. C. nulli licere in fren. l. 12.* Sic & apud medicos legimus, *fibulis labia vulnerum coniungi*: & huiuſmodi operatio ab eiſdem *infibulatio* appellatur. Ita & *fibulis parietes coniungere* docet Col. *l. 1.* & *tigna coniungere fibulis*, demonſtrat Cæſar *belli Gallici l. 4.* & Cato *de re ruſtica c. 152.* fibulas appellat clauos, quibus tigna connectuntur, & *c. 31.* fibulas vocat illud, quod aliquid colligatur: has enim præcipit in ſtercus aut aquam conijci, vt lentiore & flexabiliore ſint vimine, ne in adſtringendo rumpantur. Hinc *fibulam imponere*, eſt coercere & reprimere, ex Seneca *in moralibus*, tradente Lactantio *l. 1. c. 16.* de ſalaciſſimo Ioue verba faciens. cuius oppoſitum eſt, *laxere fibulam*, hoc eſt, anſam præbere. Ita Tertulianus de corona militis: *Vt etiam voluntariis delictis fibulam laxet.* Natus autem vterque dicendi modus à fibula cinguli, qua veſtis aſtringitur, ſi fluxior ſit, aut remittitur, ſi fuerit adſtrictior. Niſi malimus dicere, deriuatum à fibula, qua adoleſcentulorum genitale traiiciebant antiqui, conſeruandæ vocis gratia, cuius operationis rationem deſcribit Corn. Celſus *li. 7.* & de qua Martial. *lib. 7.*

Menophili penem tam grandem fibula veſtit.

Et lib. 14.

Dic mihi ſimpliciter Comœdis & Citharœdis
Fibula quid præſtat? Carius vt futuant.

Eod. *Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Poſthumius Albinus faciebant, malus in Circo inſtabilis in ſignum Pollentiæ procedit: atque id deiecit.*] Cuius rei ille *malus* fuerit, explicatum vellem, tum *Pollentia* qualis fuerit Dea; hæc Glareanus in hunc locum, nil vltra annotãs. Nos vtrunque ſcrupum demere tẽtamus. In Circo poſitas fuiſſe Deorum ſtatuas, necnon & principium virorum, docet Alex. ab Alex. *lib. Genialium 5. c. 8.* & Liuius ipſe clare docet per initia *l. 40.* Signa multa in Circo maximo cum columnis, quibus ſuperſtabant, poſita fuiſſe, tradens, ac tempeſtate deiecta, addimus nos, & forte ſigna prouinciarum vel vrbium principum pop. Rom. ſubditarum, quod & noſtris temporibus in ſummis feſtiuitatibus fieri ſolitum à principibus viris, nõ ſemel oculata fide percepimus: quemadmodum Florentiæ in nuptiis Sereniſſimi Ferdinandi Medices, Magni Ducis Etruriæ, & in Oenopõte in mirabili apparatu nuptiarum Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi Auſtriaci. Signum itaq; *Pollentia* interpretari poteſt, *Vrbem ſcilicet Pollentiæ repræſentans*, non illius quidem exiſtentis in Baleari maiori, de qua Plinius *l. 3. c. 5.* ſed de alia in Piceno ſita, cuius meminit Ptolemæus *l. 3. c. 1.* & Cicero *de Aruſp. reſponſ.* & rurſus Plinius *l. 35. c. 12.* tradens, in ea fieri vaſa teſtacea nobilia ſolitum, necnon lanam præſtantem velleris cani, *ex eodem lib. 8. c. 48.* Cui tamen videtur contrariari Sillius, *lib. 8.* ſcribens.

---- Fuſiſque ferax Pollentia villis.

Conciliamus tamen, ſtatuentes, Plinium non de ſimplici canicie intellexiſſe, & abſoluta, quæ candida tota eſt, ſed

de procedente in hominis capite, in qua non pili omnes candeſcunt, ſed & pars uigreſcit, vnde colorem ſubnigrum ſeu fuſcum præ ſe ferunt. Sed ad rem noſtram reuerſi, dicamus, quum Pollentia nondum eſſet Romanorum colonia, quod ex ipſomet Liuio patet, inferius ſcribente, Pollentiam anno ab vrbe condita 566. coloniam deductam: haud veriſimile videri, illius ſignum in Circo poſitum. Reliquum itaque eſt, vt ſtatuamus, Liuium intelligendum de ſigno Deæ *Pollentiæ* dictæ: cuius rei haud dubiam faciunt fidem ſubſequentia verba illa: *Et religione moti Patres, diem vnum adiiciendum ludorum celebritati cenſuerunt: & ſigna duo pro vno reponenda, & aonum auratum faciendum.* Nec mirum, Romanos Deam Pollentiam coluiſſe, ac illius ſignum in Circo poſuiſſe. Nam, vt docet Feſtus, *Pollentia* & *Potentia* idem ſignificant. Ita Plautus in Rud. dixit:

Ne impiorum potior ſit pollentia.

Et in Caſſi.

Vt viro tuo ſemper ſis ſuperſtes, atque potior pollentia, vt vincas virum, victrixque ſies.

Ad hæc, quum antiquorum ſeu gentilium Dei ſupra triginta millia fuerint, tradente D. Auguſtino *l.4. Ciuitatis Dei, cap. 23. et lib. 7. cap. 2.* & Pindarus aote ipſum triginta millia quoque eſſe dixit: vnde Max. Tyrius, qui illum citat *Ser. 1.* innumerabiles fuiſſe ſcripſit, cui, inquam, mirum videri poterit, Romanos *Potentiam* ſeu *Pollentiam* Deam coluiſſe. *Malum* autem, à quo deiectum Pollentiæ ſignum tradit Liuius, vnom ex illis fuiſſe arbitramur, quibus funibus alligatis, vela tenſa ſuffulciuntur ad aëris iniurias arcendas, vt commodius ſpectatores ludos ſpectare poſſint: quod antiquitus non ſemel factum ſcriptumque obſeruamus, & noſtris temporibus plerunque fieri, nemo ignorat. A malo itaque minus firmiter ſolo hærente ſignum Pollentiæ deiectum, quod Liuius ſcribit, quomodo ſit intelligendum, palam ſatisfactum putamus.

Cap. XLIV. *Et ſeparatim Flaccus molem ad Neptanias aquas, vt iter populo eſſet, & viam per Formianum montem.* Quæ à Liuio Neptuniæ aquæ fuerint appellatæ, ſe ignorare fatetur Glareanus: Nos in hoc iudagando non parum laborauimus, &, ni animus fallit, veritatem adinueniſſe putamus. Dionyſius Halycarnaſſeus *lib. 1.* de Neptuoia oppido verba facit, quod in Romanæ Campaniæ ora maritima poſitum eſt, hodie & *Nettano* dicitur, cui nobiliſſima Colonnenſium familia dominatur. Hanc olim *Neptunias aquas* dictam exiſtimo, eo quod ad mare ſit ſitum. Ita & à Neptuno *Neptania* dicta, quæ ad Neptunum ſeu mare ſpectant. Neptunus enim non ſolum eſt maris Deus, ſed & ipſum mare, eo quod terras nubat, id eſt, cooperiat. Sic *Neptunalia*, Neptuni ſacra. quæ & *ſalatia* à ſalo. Quod vero ab aquis frequens ſit, oppidis nomen indere, exemplo ſint: caſtrum in Vmbria *Aqua ſparta* dictum, *Aqua viua* in Apulia, & ibidem *Aqualagna*. *Aqua nata*, hodie *Aquino* in Samnio. *Aqua nigra* in Gallia Traſpadana. *Aqua Sextia* in Narbonenſi Prouincia. *Aqua Statiallorum*, hodie *Acqui*, in Ducato Montisferrati ſub ſereniſſimi Vincentij Ducis Mantuæ ditione poſitæ. *Aqua calida*, & *Aqua Quinctiana* in Hiſpania, & aliæ *Aquæ calidæ* in Britannia, oppida ſcilicet: & alia multa, quæ conſulto prætermito. Hanc noſtram interpretationem fouet, quod ibidem Formiæ ciuitas ſit ſita: à qua *Formianus* propinquus mons dictus, vbi & Ciceronis ſitum nobile rus *Formianum* dictum, ſi Volaterrano credimus, cuius meminit Cic. 2. *Orat. lib.* ſicuti & de Formiano ciuitate ad Att. verba facit: de eadem & Martialis lib. 10. Epigram.

O temperata dulce Formia littus, &c.

In quibus huius oræ amœnitatem deſcribit. Addamus quoque ad noſtram comprobandam ſententiam: eodem in loco & nunc exiſtere antiquum Vicum voluptuoſiſſimum, *Mole* dictum & Flacci conſtructione, ita vt hęc omnia Liuij textui quam optime conueniant. Ad hanc autem regionem populum Romanum frequenter conueniſſe, voluptatis ac animi ſubleuandi, corporiſque recreandi cauſa, credibile eſt. Namque olim Romanorum delitias ea in ora maritima potiſſimum extitiſſe vbique legimus. Hanc noſtram expoſitionem quiſque recipiat aut improbet pro ſuæ Mineruæ captu. Nobis ſat ſit, in re obſcura lumen aliquod dediſſe.

T. LIVIVS LIB. XL.

CAp. XIX. *Et peſtilentia in agris, foris, & conciliabulis & in vrbe tanta fuit, vt libitina tunc vix ſufficeret.*] Exiſtimabam alias, *conciliabula* dici poſſe loca illa in Vrbe, in quibus viri nobiles conuenire ſolent, negotiandi vel in ſimul colloquendi cauſa, quales nunc Neapolis *Seggi*, & Florentiæ *Loggie* dicta. Hanc natam opinionem confirmabam Feſti dictis *lib. 3.* ſcribentis, conciliabulum fuiſſe locum, vbi in concilium conueniebatur, quo in ſignificatu vſus C. Gracchus apud Gellium *libro 3. cap. 7.* ſic Plautus in Bach.

Quod ſi ad ſe veniat de ſubito in prandium aut potatio forte,
Aut cœna, vt ſolet fieri in iſtis conciliabulis?

Idem in Trin.

Ne penetrarem me vſque, vbi eſſet damni conciliabulum.

At me haud recte ſenſiſſe, hæc verba Liuij primũ admonuere, deinde mox ſubſequenda certiorē reddire. Nãq; loca extra vrbē *conciliabula* fuiſſe, Liuij verba hoc in loco, cũ etiam paulo infra demonſtrant, vbi habet: *Decemuiri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſa in vrbe, et per omnia fora cõciliabulaq; edixerunt*, & rurſus: *Et veneficij quæſtio ex S.C. quod in vrbe propiuſue vrbem decem millibus paſſuum eſſet cõmiſſum, C. Claudio prætori qui in locum T. Minucij erat ſuffectus, vltra decimum lapidem per fora cõciliabulaq;, C. Manio priuſquã in Sardiniam prouinciam trayceret, decreta.* Per fora autem & conciliabula Liuius intellexiſſe videtur, vt mea fert ſententia, omnia quæ extra vrbem erant, maiora minoraue oppida, caſtella, & loca in quibus erant conuentus aliqui iuridici. Conciliabula autem ſpecifice loca fuerunt, in quibus ius dicebatur, foris tamen inferiora. Conciliabulum autem à municipio, colonia, oppido, præfectura, vico, caſtelloque ſeparari & diſtingui, docet Paulus Iuriſconſultus, *l. 4. ſenten. tit. 6.* Hanc ſententiam confirmant Frontini dicta *lib. de limitibus agrorum*, vbi de controuerſia territorij loquitur. Quod vero in conciliabulis ius diceretur, præter loca adducta clariſſime oſtendunt verba legum antiquarum de limitibus agrorum, puta Peduceæ, Alienæ, ſeu vt alij, Alianæ, Roſciæ, Flauiæ, vel vt alij, Fabiæ 1 in quibus legitur, in agrorum limitum litibus, magiſtratus, qui in ea colonia, in qua erant agri controuerſi, municipio, præfectura, foro conciliabulo iure dicundo facto, vt fiat. Non negandum tamen, & conciliabulum nonnunquam accipi pro frequenti hominum conuentu. Nec ab hac interpretatione diſcrepant Feſti & Gellij dicta, ſi recte perpendantur: Cõciliabulum vero minoris fuiſſe cõditionis municipio, declarat Frontinus loco citato, inquiens: *Hoc conciliabulum fuiſſe fertur poſtea in municipij ius relatum.* Et Vrbicus *de limitibus agrorum* ait: *Sunt autem loca publica coloniarum, vbi prius fuere conciliabula, & poſtea ſunt in municipij ius relata.* Ex quibus colligimus, municipia melioris conditionis fuiſſe coloniis, quod & Gellius *l. 16. c. 13.* ex C. D. Adriani oratione demonſtrat. Sic Liuius *lib. 34.* & Paterculus priore volum. ſcriptum reliquit, Puteolos primum coloniam fuiſſe, qui tamen poſtea paulo ante Cic. Conſulatum in municipij conditionem mutati, vti conſtat ex eodemmet Cic. *in orat. in Rullum*, & in altera *pro Cœlio*. Ex ſuperius etiam adductis ſatis conſtare puto, diſtinctionē inter forum & conciliabulum allatum à Carolo Sigonio *lib. 2. de antiquo iure Italiæ c. 15.* minime ſubſiſtere, dum inquit *in conciliabulis exercitas nundinas, in foro vero amplius dictum.* Nam locus Liuij ab ipſo adductus *l. 7.* ad ſuam confirmandam ſententiam, tantum abeſt vt illi faueat, vt illi aduerſari facile dignoſcatur. Inquit enim legem latam, ne ambiendi magiſtratus gratia, nundinas & conciliabula obire liceret. Non enim Liuium pro eadem re nundinas & conciliabula accepiſſe dicendum, ſed inter ſe diſtincta fuiſſe, non ambigendum, & vtrobique homines frequentes conuenire conſueuiſſe. In conciliabulis vero & ius dictum fuiſſe, ſatis iam probatum exiſtimo.

Cap. XXIX. *Eas arcas quum ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet, quã titulũ ſepulti Regis habuerat, inanis inuenta, ſine vllo veſtigio corporis humani aut vllius rei, per tabē tot annorũ oſſibus abſumptis: in altera duo faſces cãdelis inuoluti ſeptenos habuere libros, nõ integra modo, ſed recentiſſima ſpecie.*] Hãc eandē Hiſtoriã ex Annalib. Heminæ Plinius recēſet *lib. & c. 13.* cuius verba quia in plurib. à Liuio diſcrepat, trãſcribere libet: *Caſſius*

Hemina

Hemina vetutiſſimus Author Annalium quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentiũ ſcribam agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantẽ, offendiſſe arcam, in qua Numa, qui Romæ regnauit, ſitus fuiſſet, in eadem libros eiuſdem repertos P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bebio. Q. F. Pamphilo Coſſ. ad quos à regno Numæ colliguntur anni 535. & hos fuiſſe è charta, maiore etiam cum miraculo, quod tot infoſſi durauerunt annis. Quapropter in re tanta ipſius Heminæ verba ponam. Mirabantur alij, quomodo illi libri, durare potuiſſent. ille rationem reddebat. Lapidem fuiſſe quadratum circiter, in media arca vinctum candelis quoquo verſus. In eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſſe, propterea arbitrarier eos non computruiſſe. ex quib. diſcrepantia facile dignoſcitur inter hoſce ſcriptores, nam Liuius agrum L. Petilij fuiſſe tradit, Plinius Cn. Terentij, ille binas arcas, hic vnam tantum, ille candelis libros inuolutos ſcribit, iſte in lapide poſitos, illumque candellis vinctum. At quia vterque durationis cauſam in cãdelas refert, ob id quid per candelas ſit intelligẽdum, curque id præſtare potuerint, perquirẽdum. Quum ſcirem apud Græcos à quib. perſæpe Latini voces mutuati ſunt, per [illegible], arcam reponendis pretioſis veſtib. ſignificari, cogitabam, candelæ appellatione intelligendũ arcam ſeu capſam, ſed repugnabat ſcriptura vocis non per *y*, ſed per *i*, ſimplex exarata. Præterea verba illa *inuoluti*, Liuij. & *vinctum*, Plinij, huic explicationi minime reſpondere videbam. Quamobrem candelas accipiendas cenſui in communiſſima ſignificatione; Nec in earum formam longe aſſeruationis cauſam reiiciendam, ſed in illarum materiam; ſiquidem candelæ vt plurimum ex cera confici ſolent, quandoque & ex ſeuo, pice, & reſina, quæ omnia ſui craſſa viſciditate aëris contactum prohibere poſſunt, à quo putredinem & corruptionem ortum ducere ſtatuere naturalis Philoſophiæ periti, nec non & experimentum docet. Nam ſi flores fructuſve teſtaceo alicui vaſi impoſuerimus, ore optime obturato, eodemque cera vel pice vndequaque circumlinito, in plures menſes incorruptos aſſeruari videbimus; ſic quę oleo, vel melle conduntur, diu aſſeruari manifeſtum eſt, ea quidem ratione, quod aëris contactum arcent. Sic Æmilius Probus, ſeu Cornelius Nepos *in Ageſilao*, cui & Plutarchus congruit, ſcribit: *Ibi eum amici quo Spartam facilius perferre poſſent, quod mel non habebant, cera circumfuderũt, atque ita domum retulerunt*, Quamuis Diodorus Ageſilai corpus in melle Spartam deportatum ſcriptum reliquit. Ita Xenophon *lib. 5. de reb. Græc.* cadauer Ageſipolidis regis in melle conditũ domum reportatum, quum non longe ab vrbe Olyntho mortuus eſſet, memoriæ mandauit. Veruntamen quum horũ ſcriptorum verba pondero, in eam venio ſententiam, vt exiſtimem, eas arcas ſeu arcam commentitias fuiſſe; nec Numæ tempore infoſſas, ſed longe poſtea à callido aliquo viro, vt poſtmodum repertæ admirationi eſſent effodientibus, & per conſequens lucri cauſa. Hoc autem præcipue coniicio ex ipſius Liuij verbis; dum inquit, nihil repertum in ea, quam Numę corpus continere, vti indicabat inſcriptio, per tabem tot annorum conſumptis oſſibus; in altera vero repertos libros integra & recentiſſima ſpecie. Nam Romę pluries ſepulchra effoſſa marmorea, necnon & in ædib. nunc ſacris antiquis reperta, quibus apertis incliſa corpora compertum per plures centenos annos ſepulta, vna cum veſtib. ſuam ſpeciem præ ſe ferentibus, quæ tamen mota, ſtatim in cinerem puluerem ue euaſere; tantum abeſt à veritate, vt per 535. annorum curriculum Numæ corporis veſtigium nullum [...]um in arca illa fuerit repertum. Nec minus veritati conſentaneum, quod per totidem annos ſolo candelarum beneficio chartacei libri illi potuerint adeo recenti & integra ſpecie aſſeruari. Ad hæc inquit Liuius, libros hoſce concrematos, quum animaduerſum fuiſſet, pleraque continere ad diſſoluendas religiones Pop. Rom. & nihilominus Numã condendæ religionis populi Rom. authorem præceptoremque fuiſſe, atque religioſiſſimum habitum & vocatũ ſemper, ex ipſomet Liuio & Plutarcho colligimus.

T. LIVIVS LIB. XLI.

CAp. XIII. *Prodigia eo anno nuntiata. in Cruſtumino auem Sangualem (quam vocant) ſacro lapidẽ roſtro cecidiſſe.*] De ſanguali aue ita Plinius li. 10. cap. 7. *Sangualem auem, atq; Immuſſulum augures Romani in magna quæſtione habent. Immuſſulum aliqui Vulturis pullum arbitrantur eſſe et Sangualem Oſſifragam. Maſſurius Sangualem oſſifragam eſſe dixit, Immuſſulum autem pullum Aquilæ priuſquam albicet cauda. Quidã poſt Mutium augurem viſos non eſſe Romæ affirmauerunt, Ego (quod veriſimilius eſt) in deſidia rerum omnium, non arbitror agnitos.* Ex his Plinij dictis elicimus, Sangualem auem fuiſſe Oſſifragam appellatam, quam auem dixit Ariſtoteles eſſe aquilæ perſimilem, ſed maiorem tamen, & coloris leucophæi, ſeu fuſci, hoc eſt, in nigro albicantis. Ex Aquilarum genere quas *Haliætos* vocant, eſſe Oſſifragã docet Plinius *libro 10. cap. 3.* naſcique ex diuerſo Aquilarum coitu. Albertus Magnus *libro de animalibus*, & ipſe inter Aquilam Oſſifragam reponit, minorem tamen ſtatuit, in hoc ab Ariſtotele diſcrepans. Cur vero Liuius *Sangualis* auis roſtrũ ſacrum nuncupauerit, non ita manifeſtum. Puto ego, eo quod augures huius auis volatum magnifacerent, auem ſacram habitam *Sangualem*, ob idque & ſacrum illius roſtrum appellaſſe Liuium; vel forte etiam propterea, quod in Sangi Dei ſacrificiis huius auis aliquis eſſet vſus, vnde & *Sangualis* appellatio, quaſi *Sangi auis*. De hoc gentilium Deo ita Sextus Põpeius li. 17. *Propter viã fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia Herculi aut Sango, quiſquis idem eſt Deus. Alij profecturi viam Herculi aut Iano ſacrificabant.* Eſt & Ianus ſecundum aliquos, Sabina lingua *Sangos*. De templo huius Dei Plinius *libro octauo, capite quadrageſimooctauo*, & Varro *libro quarto, de lingua Latina* inquit: *Ælius Gallus Dius Fidius dicebatur Dionis filius, vt Græci Διόσκουρον Caſtorem, & putabant hunc eſſe Sangum Sabina lingua, Herculem ab Græca.* Sangi ædes de cœlo tactas ſcribit Liuius per initia *libro 32. & libro 8.* vbi legitur *Semonis Iani*; eam lectionem diſpungendam doctiſſimi quidam cenſuere, & reponendũ *Sabino Sangi*. Dionyſius *lib. Antiquitatum. 2.* ſcribit Sabinorũ genti inditum nomen, ex Sabino Sangi Dini gentilis. Sangi ſacellum ſtatuit P. Victor in ſeptima Vrbis regione. Nonnulli non *ſacro*, ſed *ſacrum* legendum dixere; & non ad auem, ſed ad lapidem adiungũt, quam lectionem ſi admiſerimus, quid per ſacrum lapidem ſit intelligendum, erit indagandum: Veniebat in mentem hiſtoria, cuius meminit Liuius *lib. 1.* in hæc verba: *Id quia inaugurato Romulus fecerat, negare Attius Nauius inclytus ea tẽpeſtate augur, neq; mutari, neq; nouũ conſtitui, niſi aues addixiſſent poſſe. Ex eo ira regi mota; eludenſque artẽ vt ferunt; agedũ inquit, diuina tu, inaugura, fierine poſſit quod nunc ego mente concipio, quũ ille in augurio rem expertus, profecto futurã dixiſſet. Atqui hoc animo agitaui inquit, te nouacula cotẽ diſciſſurũ, cape hac, & perage, quod aues tuæ fieri poſſe portendunt. Tum illum haud cunctanter diſcidiſſe cotẽ ferũt. Statua Attij, poſita capite velato, quo in loco res acta eſt, in Comitio, in gradibus ipſis, ad læuã Curiæ fuit, cotẽ quoque eodẽ in loco ſitum fuiſſe memorant, vt eſſet ad poſteros miraculi monumentum.* De huiuſmodi lapide ob miraculũ *ſacrum* appellatum prius nouacula diſciſſum mox ab aue Sãguali cæſum, forte Liuiũ intellexiſſe cogitabã; ſed cum in id Craſtumino oppido, non Romæ, contigiſſe ſcribat, vtiq; non recipienda præſens explicatio. Author eſt Pauſanias apud Troezenios ante Dianæ Lycææ templum lapidem extitiſſe *ſacrum* appellatũ. ſcribit Lampridius *in Heliogabalo*, illum *lapides diuos* dictos è templo Dianæ Laodiceæ auferre voluiſſe. Dicamus itaque, in Craſtumino forte & lapidem huiuſmodi fuiſſe. Quod ſi nec expoſitio iſta arriſerit, alia erit ſubſequẽs recipienda. Fictilia ſeu lapidea Deo ſigna & ſimulachra *ſacros lapides* dictos, quũ ea religioſiſſime colerent Romani, vnde & per Iouem lapidem iurabant, ſi Plinio credimus id *lib. 33. cap. 7.* affirmante. Ita & agrorum termini lapidei *ſacri* dicti, quod Arnobius ſcripſit. Iterum aliquem ſangualem auem roſtro cecidiſſe in agro Cuſtumino exiſtentem forte exiſtimandum, idque pro prodigio habitum. De ſanguali aue legenda quæ à Iulio Obſequente *Prodigiorum lib. c. 63.* literis mandata fuere.

Cap. XVII. *Cenſores vias ſternẽdas in vrbe, glarea extra vrbem ſubſternendas marginandaſque primi omnium locauerũt, pontesque multis locis faciendos, et ſcenam ædilibus Prætoribuſque præbendam. Et carceres in circo, & oua ad notas curriculis numerandas, & ...dam, et metas trans... & caueas ferreas pe... intromitterentur ferreas in monte Albano Conſulibus, et cliuum Capitolinum ſilice ſternendum curauerunt.* Locus hic hactenus depr

reſtitutionis habitus; nos tamẽ lacunas replere, & genuinam lectionem reddere, & vna ſenſum verum elicere conabimur. Legendum itaque puta, Cenſores curaſſe, carceres in Circo faciendos, & Oua ad notas curriculis numerandas, & rhedã, & metas tranſitus, & caueas ferreas per quas intromitterẽtor feræ, ſicque omnes lacunæ replentur, & lectio ſenſui cõgruit. Circo maximo ædificando locum aſſignatum ſcribit Liuius *libro decimo*, in eo vero fuiſſe carceres, hoc eſt, locum, in quo equi coercerentur, ne inde intempeſtiue exirent, ſed ſignũ expectarent ſe mouendi, quod à Magiſtratu, qui ludis præſidebat, dari ſolebat, adeo manifeſtum eſt, vt nulla prorſus indigeat probatione. Quæ vero Oua dicerentur, & in quẽ vſum parata, non æque manifeſtum. Ex marmoribus & numiſmatib. antiquis, quorũ icones Onuphrius Panuinus typis cudendos curauit, cõſpicimus colomnas modo binas, quaternas nonnunquã, iuſta poſtremas metas Circi poſitas, quib. veluti quendam lectulum ſuperſtructum, cui ſuperpoſita corpuſcula quædam ouali forma ad amuſſim figurata, quina quandoque numero, vt plurimum ſeptena; horũ vſum tradit fuiſſe Petrus Ligorius antiquitatũ peritiſſimus, li. quẽ de antiquitatibus Italice conſcripſit, quod aurigis ſingulo tranſcurſu, ſingulum ouum daretur; ſed perperam vt ego coniicio. alius enim ouorum vſus erat, nempe vt aurigantibus oſtenderent, quot circuitus in curſu perficiendi eſſent, nam à loco vbi ſiti erant, non amouebãtur, ob id non ſemper eodẽ numero fuiſſe, ex iconib. prædictis oculata fide dignoſcitur. Vt plurimũ vero in Circenſib. fuiſſe ſeptem curricula colligimus ex Propertio, *li. Eleg.* 24. ad Cynthiam ſcribente.

Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quam meta triuerit arte rotam.

Hoc idem ex Seneca *li. Epiſt.* 4. Gellio *li. 3. c. 10.* Lactantio *lib. 7. c. 27.* Caſſiodoro, *Variarum li. 3. Epiſt.* Hæc tamẽ Domitianus, ſi Suetonio credimus, *in illo c. 4.* ad quina tantum corripuit ſpatia, ſcilicet vt quino tantum circuitu currerent aurigæ, vt multiplicaretur curſus, nam cũ antea vigintiquinque eſſent, vſque ad centum propagauit. Huic noſtræ ſententiæ fauent Liuij dicta, dum ait, Oua in Circo poſita ad notas numerandas curriculorum, hoc eſt, ad ſignandum numerum curriculorum quę ab aurigis perficienda erant. Et *rhedas* lego vbi particula illa, *dum*, præcedẽti lacuna, duorum vel triũ elementorum ſpatium continens. Rhedam autem fuiſſe vehiculum conſtat ex Nonio Marcello, & Cic. in Epiſt. ad Atticum 17. 5. li. *Hanc* (inquit) *Epiſtolam dictaui ſedens in rheda*, & Quintiliano *li. 1. c. 5.* & ex Iureconſultis *l. cum in plures. §. vehiculum, D. locati, & in l. 4. D. de ſupel. leg.* vnde & *rhedarius*, ipſe rhedæ ductor Cic. in Orat. pro Milone, & *rhedarius mulus* Cat. de re ruſt. li. 5. c. 17. Erat autem rheda vt plurimum vnius equi currus, aut alterius iumenti, quamuis & aliquando duorum, ſcribente Cic. ad Atticum Epiſt. 2. lib. 6. *Hic venit Vedius mihi obuiam cum duob. Eſſedis, & rheda equis iuncta.* Hac vero Romanos primum in Circenſibus vſos docet Seruius ad illud Virgilianum in 3. Georg.

Magnis Circenſibus actis.

Qui currus etiam *Celes* vocabatur, vt ſcribit Budæus *in l. athletas, D. de his qui not. infam.* & ante eum docuit Ariſtophanis interpres, & Plinius *lib. 34. c. 5.* poſtea Romani in Circenſib. vſi bigis & quadrigis, poſtremo Nero decem iugi curru in ludis aurigauit, vt tradit Suet. *in illo cap.* 14. Itaque cenſus erit, additam Rhedam Circo: vt illa quæ vnius equi eſſet, currus in ludis tranſcurreret. Et *metas trans....* lego *& metas trãſitus*, ſeu *tranſcurſus*, in Circo namque erant ab vtroque capite metæ, circum quas currus agebantur, quod in prædictis iconib. cernibus, & ideo *tranſitus*, ſeu *tranſcurſus* metas Liuius appellauit. *Pe.... intromitterentur ferreis*, legendum non dubito *per quas intromitterentur feræ.* In Circenſibus enim non ſolum curru certatum, ſed & cum feris pugnabatur, vti ex hiſtorica lectione palam fit. præſertim ex Liuio *lib.* 44. ſcribente, Ludis Circenſib. P. Cornelij Scipionis Naſicę, & P. Lentuli ædilium curulium 63. Africanas, & 40. vrſos, & elephantos luſiſſe. Et ex Suetonio *in Caniculа c. 18.* inquiente: *Edidit et Circenſes plurimos à mane vſque ad veſperas, interiecta modo Africanarum venatione, modo Troiæ decurſione.* Hę autem feræ ferreis caueis continebantur, quibus recluſis in Circi arenam exibant cum hominibus ad id muneris deſtinatis concurſuræ, quod ex marmoris antiqui icone æneis typis exarati, & paſſim venalis, videre licet. Itaque ni me fallit animus, locus hic antea habitus incurabilis, priſtinæ ſic integritati reſtitutus. Paulo poſt vbi ſcribit Liuius: *Piſauri viam ſilice ſternendam, & Sinuſſam à ...... auiaria*, legendum puto, *Et Sinueſſa glarea viam ſilice ſternendam*, ſcilicet, nec leuis coniectura me admonet, nam tranſpoſitis elementis, & vno corrupto, aut omiſſo, librarij vitio, vel incuria, ea lectio quoque deprauata: namque ablata litera *m* à voce *Sinneſſam*, & loco illius poſito, poſtremum dictionis *auaritiæ* diphtongum fit *Sinneſſæ*, & dempta à voce *auiari* quæ relinquitur, *a*, priori etiam ſyllaba *ri*, & addita *m*, à priori voce, vt diximus, ablatam: legitur etiam & in dictione ſeu ſyllaba *gn*, interpoſita *l*, quæ prætermiſſa fuit, & addita *r*, quam à voce *auiari* dempſimus, fit *glar*, & *i*, in *e*, tranſmutato, & inſuper addita *a*, antecedente, fit *glarea*. Et ſic locus, cuius nullus percipi poterat ſenſus, clarus euadit.

T. LIVIVS LIB. XLII.

CAp. 1. *Medicus omnium Rex erat, circa eum Agema quod vocãt, equitumq; ſacra ala.*] Græcis ἄγημα dicitur *vegemẽsia*, à qua etiam *agema* illud dictum, teſte Arriano, peditum, equitum, & elephãtorum, quod in bello ducem præcedebat, vtpote quod fortis & vehemens eſſet in pugna. *Agemata* dixit Liuius hoc eodem libro 42. Macedonum legiones, inquit enim: *Deleta deinde & viribus & robore ætatis ex omni cetratorum numero duo erant Agemata, hanc ipſi legionem vocabant.* Q. Curtius *de geſtis Alex. li.* 4. vbi de acie Alexandri Macedonis ſcribit: *In dextro cornu locati ſunt equites, quos Agema appellãt*; & de eadem *libr.* 5. meminit idem author. Polybius *libr.* 5. de Agemate ita ſcriptum reliquit: *Vocatis ad ſe ſcutatis, & quos Macedones Agema vocant*; & in alio loco eiuſdem li. *Eurilochus Magnes trib. millibus hominum præerat, quos reges Agema vocant.* Quibus in locis ἄγημα legendum, non ἄγμα, vti in codicibus qui circumferuntur, mendoſe legitur.

De *ala ſacra*, ſeu ſacris militibus alibi fuſe verba fecimus.

Cap. 11. *Bis ampliatus tertio abſolutus eſt reus.*] In iudicijs antiquis *ampliare* verbum forenſe erat, & ſignificabat interloqui, ſeu ſentẽtiam differre, quum cauſa adhuc eſſet obſcura, vnde iudex pronũciabat, *non liquet*. Cic. in orat. pro Cluẽtio: *Homines ſapientes, qui neque abſoluere hominem nocentiſſimũ poſſent, neque re incognita primo cõdemnare vellent, non liquere dixerunt.* Hoc verbum *ampliare* non extat in Pandectis, extant tamen reliquæ formulæ (*non liquet*) apud Vlp. *l. Pomponius* 13. §. *arbiter. D. de recept. arbit.* ſcribit A. Gellius li. 14. cap. 2. *à verbo ampliare deriuata vox ampliatio, & amplius pronunciare, quæ idem ſignificabant*: quod ex Cic. facile deprehenditur, quum *in Orat. pro Cæcinna*, inquit: *Quum cauſam non audiſſet, et poteſtas eſſet ampliãdi, dixit ſibi non liquere.* Et in Verr. *Glancias primus tulit, vt cõperendinaretur reus antea, vel iudicari primo poterat, vel amplius pronunciari.* Et rurſus. *Vt de Philodo. no amplius pronunciaretur*, alias *ampliaretur.* Et iterũ: *Vt etiã ſi lex ampliãdi faciat poteſtatem, tamen iſte turpe exiſtimaret, non primo iudicare.* Et ad Heren. *Quid fuit iudices, quare iſtum nefariũ ampliaueritis?* Et de claris Orat. *Quum Conſules re audita, amplius de conſilij ſentẽtia pronunciauiſſent.* Rem hanc clare aperit Aſconius, inquiens: *Mos veterum fuerat, vt ſi quis abſoluendus eſſet, ſtatim abſolueretur, ſi dãnandus, ſtatim dãnaretur, ſi cauſa non eſſet idonea ad dãnationẽ, abſolui tamen non poſſet, amplius pronunciaretur.* Verum quũ Romanis mos eſſet, etiam iudicia proferre per tabellas, tres dabantur tabellæ, diuerſis notis inſculptæ, quarum quam vellent, in vrnam imponerent. Vna habebat ſignatũ *A.* quæ erat abſolutionis nota altera *C.* quę condẽnationis: tertia *N. L.* quæ *non liquere* ſignificabat, & ſic cauſam vel reum ampliandum: quod colligimus ex Cicerone *in Diuinat.* & Paulo, *l. Pomponius, de re iudic. P. et l. final. de iniu. iuncta l. decurionum. §. final. ex quib. cauſis maior. P.* Omitto enim, quod alij ſcripſere, nẽpe, *D.* dãnationis notã fuiſſe, & θ. literã Græcam mortis notam fuiſſe, ex Perſio, Satyr. 4.

Et potis es vitio nigrum præfigere theta.

Et Martiale 7. Epigram. 36. ad Caſtricium:

Noſti mortiferum quæſtoris Caſtrice ſignum,
Eſt operæpretium diſcere theta nouum.

Digitized by Google

Et Aoſonio:

Tuumque nomen theta ſectilis ſignet.

Nam de litera *D.* nihil apud probatum auctorem me legiſſe memini; de θ. autem, quod diximus, ſpectat potius ad Græcorum, quam Romanorum morem Sed ad rem noſtram reuerrentes, *ampliatos*, ſcribit Liuius, P. Forium Philum, & M. Maticnum reos; hoc eſt, iudicium illorum dilatum, & quum dicenda de integro cauſa eſſet, excuſati exilij cauſa ſolum vertiſſe. Et M. Tiſinium bis ampliatum, tertio abſolutum. Itaque ampliati dicebantur, vt in *Annot.* Budæus tradit, quorum damnatio vel abſolutio differebatur, aut quia coram teſtes ſiſtendi eſſent, & cum illis committēdi, aut quia nondum plene liquebat, aut de crimine, aut de modo pœnæ, aut quia argumenta & probationes nondum ſatis erant idonea ad abſoluendum vel condemnandum. Ad quod videtur ſpectare Plautinum illud in Amphit.

Iacent rationes, ſilet iudicium, quid dicam neſcio.

Verum quia comperendinatio & ipſa erat iudicij ferendi prorogatio, ob id Budæus ibidem, Sigonius *libr. de Iudiciis* 2. c. 21. & F. H. *in Com. verbo ius, et in Com. in 3. Verr.* in differentiis aſſignandis inter appellationem & comperendinationem plurimum laborauere. Nos, quas pręcipuas arbitramur, breuiter adducimus: Ampliatio libera erat, & in iudicum poteſtate poſita, comperendinatio neceſſaria, & legis Seruiliæ imperio conſtituta; cuius rei paſſim in Verr. extant exempla. Ampliatio quoque ſæpius fieri poterat, comperendinatio ſemel tantum; bis factam ampliationem, ex hoc Liuij loco colligimus. Publicanorum quorundam cauſam tribus ampliationibus prolatam, tradit Cic. *lib. de clar. Orat.* Valerius Maximus *li.* 4. ſcribit cauſam C. Cottæ repetundarum accuſatā L. Scipione ſepties ampliatam fuiſſe, at comperēdinatione ſemel iudicium dilatum, alias docuimus. Tertia differentia eſt, quod ampliationis tempus in iudicis arbitrio poſitum erat, comperendinationi vero perendinum diem tantum aſſignatū, hoc eſt, diem tertium, Græci [illegible] dicunt, id eſt, *poſteraſtinum*, quod ex Cic. in Bruto clare percepimus. Hiſce tribus differentiis pręcipue ampliationem & comperendinationem diſtingui puto, cæteras minus forte veras, vel ſaltem haud neceſſarias cenſeo, vtputa quod in comperendinatione poſſet eſſe ampliatio, nequaquam in ampliatione comperendinatio; & quod in comperendinatione defenſor ſeu reus primum diceret, ſecūdo loco accuſator, in ampliatione primum accuſator, deinde defenſor, & aliæ eiuſdem generis, quas lubens omitto, quum ex dictis Liuij ſatis ſententiam apertam exiſtimem.

Eod. *Ita præteritis ſilentio obliteratis, in futurum conſultum ab Senatu Hiſpanis, quod impetrarunt, ne frumenti æſtimationē magiſtratus Romanus haberet, neue cogeret viceſimas vēdere Hiſpanos quanti ipſe vellet, et ne præfecti in oppida ſua ad pecunias cogēdas imponerentur.*] Plures viceſimæ differentiæ apud ſcriptores obſeruamus. Dion. Caſſius *libr.* 55. refert, Octauiū Auguſtum viceſimam hæreditatis & legatorum, exceptis, quę genere proxime iunctis, ac pauperib. morte aliorum relinquebantur, ſtatuiſſe inferri ærarium militare Cæſaris. Hinc lex Iulia *de viceſima* dicta. Leges addidiſſe de hæreditatum viceſima Antoninum philoſophum, ſcribit Iulius Capitolinus, quas omnes ſuſtuliſſe Iuſtinianum conſtat ex C. *de edict. D. Hadr. tollend.* Huius viceſimæ ibidem *l. vlt.* fit mentio, & à Paulo *li. Sentent.* 4. c. 6. & à Plinio *in Panegyr li.* 7. *Epiſt. ad Corellium*, & alia eiuſdem lib. *ad Fabatum.* De eadem Æmilius Macerbinos libros conſcripſit. Foit & alia viceſima portorij, vectigal, inquam, quod pendebatur pro exportatione rerum; cuius meminit Cic. *in 4. act. in Verr.* inquiens: *Scribit H. S. LX. ſocios perdidiſſe ex viceſima portorij Syracuſis.* Quum Plinius locis allegatis viceſimæ verba facit, ſunt qui intelligant de viceſima rerum venalium, cuius tamen impiiſſimæ & infādæ exactionis nullibi meminiſſe ſcriptores obſeruaui. Fuit & alia viceſimæ lex longe antiquior, lata anno 398. ab vrbe condita, cuius meminit Liuius *lib.* 7. in hæc verba: *Ab altero Conſule nihil memorabile geſtum, niſi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim de viceſima eorum, qui manumitterētur, tulit: Patres quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt.* Hac libertini tantum tenebantur, ob idque etiam ad Ciceronis vſque tempora retentā, ipſemet, vti ad Attic. ſcribēs *li.* 2. ita confirmat: *Portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diuiſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum præter viceſimam, quæ mihi videtur vna conciuncula clamore pediſſequorum noſtrorum eſſe peritura.* Hanc Neronem cum aliis per initia ſui Imperij, vt popularem auram aucuparetur, ſuſtuliſſe vel remiſiſſe, teſtari videtur Tacitus *li.* 13. Aurum viceſimarium hinc deductum, putant doctiores, quod ex hac viceſima colligeretur, cuius Liuius *libr.* 13. in hæc verba ſcribens, meminit: *Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erāt, Conſulibus, aurum viceſimarum, quod in ſanctiore ærario ad vltimos caſus ſeruaretur, promi placuit, prompta ad quatuor millia pondo auri.* De hac viceſima, de qua Pomponius ait, A. Ofilium primum ſcripſiſſe, *l. 2. §. ex his. D. de orig. iur.* intelligendum opinatur F. H. At de nulla harum viceſimarum Liuij verba intelligenda; tum temporum cōputatio, tum ratio ipſa ſuadet. Namque nulla earum in Hiſpanorum ita erat poteſtate, vt eam quoquo modo vendere poſſent, ſed eorum omnium exactio ad Rom. magiſtratus ſeu viceſimarios exactores ſpectabat. Quamobrem ego per viceſimas hoc loco interpretor, vigeſimam partem frumenti, quam Hiſpanorum vnuſquiſque poſſidebat: duo enim impetrauerunt Hiſpani à Senatu, vnum, ne magiſtratus Rom. eorum frumento pro libito pretium conſtituerent; alterum vero, ne cogere poſſent eoſdem, viceſimam frumenti, quam haberent ſinguli, partem vendere, quanti ipſi magiſtratus vellent.

Cap. 21. *Hoc anno intercalatum eſt, tertio die poſt Terminalia Kalendæ intercalares fuere.*] Tempora annorum dimēſionib. terminantur. Eſt autem annus, vt generaliter definitur, certum temporis interuallum, quod fit dum ſidus aliquod errans, ſigniferum orbem ſuo motu per ſignorum ordinem integre abſoluit. Quamobrem obſeruamus apud ſcriptores annum lunarem, ſolarem, & omnium planetarum annum quem magnum dixere, quum ſcilicet omnia ſimul errantia ſydera ad ſua quæque loca recurrunt: Sed lunaris annus quadrifariam accipitur, primus namque eſt, quum Luna 27. diebus, & 8. horis Zodiacum percurrens, ad ſignum, ex quo egreſſa eſt; reuertitur. Secondus duobus diebus, & quatoor horis prolixior, qui conſuete *menſis* appellatur, quum Solem à quo noua digreſſa eſt, 29. diebus & 12. horis exactis iam defecta repetit. Tertius qui 12. menſibus huiuſmodi, id eſt, diebus 364. expletur, & vocatur communis. Quartos; qui ἐμβόλιμος Græce dictus, id eſt, ſuperaugmentum, & habet menſes 13. id eſt, dies 385. Qui apud Hebræos à principio menſis paſchalis incipit, ibidemque finitur. Apud Romanos vero ab incipiente Luna menſis Ianuarij ſumit initium, ibidemque terminatur. Item Solis eſt annus, quum ad eadem loca ſignorum redit peractis diebus 365. & horis ſex, hoc eſt, quadrante vnius diei, quæ pars quater ducta cogit interponi diem vnum, quod Romani *Biſſextum* vocant, & ad eundem circuitum redeatur, & ſic vnus Biſſextilis efficitur, qui & Intercalaris etiam appellatur, eo quod menſe Februario dies addatur, ſicuti diebus 28. perfici ſolet, in anno biſſextili die intercalato ſeu interpoſito diebus 29. cōſtet. Quamuis apud Græcos aliquando aliter ſit intercalatum, ſcribente Cicerone in Verr. *Tunc Cephaleditani decreuerunt intercalarium 45. dies longum, vt reliqui menſes in ſuam rationem reuerterentur.* Et rurſus: *Eſt conſuetudo Siculorum, cæterorumque Græcorum, quod ſuos dies menſeſque congruere volunt cum Solis Lunæque ratione, vt nonnunquam ſi quid diſcrepet, eximant vnum aliquem diem, aut ſummum biduum ex menſe, quos illi exhæreſimos dies nominant, ita nonnunquam vno die longiorem menſem faciunt aut biduo.* His ſic præmiſſis ſciendum, adhuc Romulum primum Romanæ vrbis parentem, annum ex trecentum & quatuor diebus conſtituiſſe ſed quum ea dierum ratio, neque Lunæ, neque Solis curſui conueniret, Numa Pompilius ſex & quinquaginta dies addidit, ratus ea temporis intercapedine lunares curſus confici, namque ex hoc dierum numero & prioribus, duodecim menſes conſtituit, quod prius feciſſe Ægyptios ſcribit Herodotus. Verum quia ad Solis curſum conficiendum aliquod adhuc dies deerant, Græcorum more menſem inintercalarem adiubuerunt; quod Macrobius *libro primo Saturnalium cap.* 14. his verbis annotauit: *Quum Romani ex diſtributione Pompilij ad Lunæ curſum, ſicuti Græci, annum*

Digitized by Google

propriam computarent, neceſſario etiam menſem intercalarem inſtituerant more Græcorum, & reliqua, quæ de intercalatione author idem proſequitur. Et Liuius li.1. de Numa rege: *Omnium primam ad curſum Lunæ in duodecim menſes deſcribit annum, quem quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui ſolſtitiali circumagitur orbe, intercalares menſib. interponendo, ita diſpenſauit, vt viceſimo anno ad metam eandem Solis, vnde orſi eſſent, planis annorum omnium ſpatiis dies congruerent.* Quod vero intercalares dies non omnibus menſibus interpoſuerit, vt prima facie Liuij verba ſonare videntur, ſed altero menſe *intercalari* dicto comprehenderit, ſi recte illius dicta perpendantur, ſatis conſtare puto. Clarius autem id aperit idem Liuius *li.37.* vbi habet de L. Scipione: *Triumphauit menſe intercalario prid. Kal. Mart.* Ita in *l. quum Biſſextum. D. de verbor. ſignific.* Ex Catone habemus apud Iuriſconſultos, mẽſem intercalarem eſſe additum, omneſque dies eius pro momento tempori obſeruari. In cuius loci annot. Budæus inquit, menſem intercalarem dici non modo eum, qui intercalatur, ſed & in quo intercalatur, & priorem intercalatirium, poſteriorem intercalarem dici, cuiuſmodi hodie eſt Februarius. Vnde apud Ciceronem in Epiſt. legimus, *ad 6. Kalend. intercalares priores*, Et ad Lig. *Ego tamen quum ad tertiũ Kalend. intercalares veniſſem.* Et in Orat. pro Quinct. *Die Naui diem ante 5. Kal. intercalares.* Et rurſus *Prid. Kalen. intercalares.* Etſi vero intercalandi apud Romanos certam notam habitam, colligamus ex Liuio loco primum allegato, vt ſcilicet ſingulo quoque 20. anno menſis intercalaretur, nihilominus quũ intercalendi munus ad Põtifices ſpectaret, factum eſt, vt illi in intercalẽdo fraude vterentur, publicanis morem gerentes; cuius rei certiſſimũ teſtem habemus Suetonium, ſcribentem ita in Cæſare dict. ca. 40. *Conuerſus hinc ad ordinandum Reipub. ſtatum, Faſtos correxit, iampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, vt neque meſſium feriæ æſtate, neque vindemiarum autumno competerent. Annumque ad curſum Solis accommodauit, vt 365. dierum eſſet, et intercalario menſe ſublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in poſterum è Kalend. Ianuar. nobis temporum ratio congrueret, inter Nouemb. & Decemb. menſes interiecit duos alios, fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur 15. menſium cum intercalari, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.* De hac eadem re Am. Marcellinus *lib.* 26. modum intercalendi à Cæſare inuentum recenſens, hæc in fine ſcribit: *Hæc nondum extenſis fuſius regnis diu ignorauerant Romani, perque ſecula multa obſcuris difficultatib. implicati, tunc magis errorum profunda caligine fluctabant, quam in Sacerdotes poteſtatem tranſtuliſſent intercalendi, qui libenter gratificantes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium ſuum detrahebant tempora, et augebant.* Ex iam dictis itaque ſatis patere puto, Liuij dicta intelligenda eſſe de anno, in quo intercalatum eſt, hoc eſt, in quo 13. mẽſes fuere, ſcilicet 12. ex conſuetudine, & inſuper 13. intercalares. Quo autem in loco inter cæteros conſuetos menſes intercalares reponerentur, ex Liuij verbis intelligimus, nempe die tertio poſt Terminalia Kalendas intercalares fuiſſe. Terminalia autem ſacrificia erant, quæ fiebant Termino Deo ad Oct. Kalend. Martias, ex Lactantio *Diuinarum Inſt. li.1. c. 20.* de his Terminalibus Cic. *in Philip.* Horatius *Epod. 2. Ode. 9.* & Varro *de lingua Latina, li.5.* & Ouid. *2. Faſtorum.* Itaque circa finem Februarij intercalarum à Rom. conſtat ex hoc loco Liuij, & ex eodem li.45. vbi ait: *Intercalatum eo anno, poſtridie Terminalia intercalares fuere*, Kalendæ ſcilicet, vt ego interpretor. Vbi notãdum hanc intercalationẽ à præcedenti diſtare per tres annos tantũ, nam prior anno ab v.c. 580. poſterior anno 583. Et Cẽſorinus ait, intercalatum à Romanis inter Terminalia, & Regifugiũ, & ſicuti Terminalium feſtũ celebrabatur 6. Kalẽd. Martias, ita poſtridie Regifugij feſtũ, in memoriã Tarquinij fugæ, qui eo die Roma profugit; quod pariter Macrobius confirmat. Ex quibus patet, quũ apud Catonem legimus de re ruſt. c.150. *Si intercalatã erit Kalen. Maiis, agnos 30 non amplius promittat*, legendum *Kalend. Mart.* Poſtremo ſciẽdum, & intercalandi modum à Cæſare inuentum, & à nobis obſeruatum vitio non carere; quod docuere Plinius *li.18. c. 25.* & Budæus *in Poſt. Annot.* & Bæda *de ratione temporum*, & denique omnes illi, qui de Gregoriano Kalendario conſtitucũ oo ſcripſe.

T. LIVIVS LIB. XLIII.

CAp.xvi. *Cenſores extemplo iam atrium libertatis aſcẽderũt, et ſibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, et dimiſſis ſeruis publicis, negarant ſe prius quidquã negotij publici geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.*] Qui in publico tabulario, id eſt, in quo publicæ ſcripturæ cuſtodiebantur, inſeruiebant tabularum obſignationi, *tabularios*, dictos, in Ammiani dilucidationib. docebimus. hos vero ſeruos publicos fuiſſe patet ex *l. vltim. Cod. de ſeru. rei publ.* & Capitolinus in Gordianis tabularios *ſeruos publicos* appellat: *Non ſcribæ, non ſerui publici, non cenſuales illis actib. intereſſent.* Quod etiam ex hoc Liuij loco facile confirmari poteſt. Poſtea vero Arcadij & Honorij conſtitutione ſancitum eſt, vt nulli deinceps ad tabularij officium pateret aditus, qui obnoxius eſſet ſeruituti. Hi autem huic conditioni erant addicti & mãcipati, vt non poſſent ad aliam aſpirare militiam & dignitatem, quod patet ex *l. ſcripturas, Cod. qui potiores in pig. hab. & l.3.5.7.8. C. Th. de num act.* His tamen aduerſari videtur Taciti locus, *li. Annal.* 14. vbi de Balbo prætorio ſene orbo, & diuite, cuius propinquus Valerius Fabianus, ſubdit teſtamentum, accitis Vicio Rufino, & Terentio Latino equitib. Rom. & aliis minus illuſtribus; qui teſtamenti tabulas obſignarent. Taciti hæc ſunt verba: *Igitur Fabianus Tabulariis, quos memoraui, & aliis minus illuſtrib. obſignat.* Si itaq; Vicium & Terentiũ equites, & alios minus illuſtres, *tabularios* nominat, non ergo veritati conſentaneum, quod diximus cum Liuio, hoſce fuiſſe ſeruos, ſeu generis ſeruilis. Facile diluitur difficultas, ſi à Corneliano textu mendũ auferamus, & literam genuinam legendam ſubdamus, namque poſtrema editio præſertim à Lipſio & Vertranio recepta ita habet: *Igitur Fabianus tabulas iis, quos memoraui, &c.* ſicq; patet Tacitũ loquutũ non de tabulariis, ſed de teſtib. teſtamentũ obſignare ſolitis, qui ſeptem erant antiquitus, quẽadmodũ & hoc tẽpore obſeruatur, *l. r. ſi vnus. C. de teſt. & Imperator. §.1. Inſtit.* ad quod ſpectat illud Ciceronis in Ver. *Tabula teſtamẽti obſignata non minus multis ſignis, quã è lege oporteat.* Nos vero obſignatores nobiles deligi ſolitos colligimus ex Cic. pro Quincto, *Teſtificantur iſti P. Quinctium non ſtetiſſe, et ſe ſtetiſſe. Tabula maxima ſignis hominum nobilium conſignantur.* Et ad Att. *Curij teſtamentum Ciceronem ſignis obſignatum.*

T. LIVIVS LIB. XLIV.

CAp.xi. *Romanus ad Clitas, quas vocant, munimẽta ceruis etiam obiectis, vt viã intercluderet, à Macedonica ad Toroniacũ mure perducit.*] Qui qualeſque eſſent cerui in re bellica, & in munimentis conficiendis, diſcere licet ex Iulio Cæſare, *li.7. belli Gallici*, de obſidione Vercingetoricis verba faciẽte, vbi ita ſcriptum reliquit: *Duas foſſas 15. pedes latas, eadem altitudine perduxit, quarum anteriorem campeſtribus ac demiſſis locis, aqua ex flumine deriuata compleuit, poſtea aggerem & vallum 12. pedum extruxit, huic loricam pinnaſque adiecit, grandibus ceruis eminentibuſque ad commiſſuras pluteorum atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent*, & cætera quæ ſequuntur. Ex quibus elicimus, fuiſſe ceruos ligneos ſtipites, truncos ſeu cippos humi infixos ad hoſtium impetum retardãdum; quod & Liuius hoc loco confirmare videtur, inquiens, munimentis à Romanis fabrefactis, & ceruis obiectis, viam interclusam. Vocatos autem ceruos, & ab aliis ſtipitibus differre arbitror, quod in ſupernis cacuminibus veluti bifurcati eſſent, & acuminati inſtar animalium ceruorum cornua. Ita & cerui appellatæ furcæ, quæ ad caſæ agreſtis ſuſtentationem figebantur, & eadem de cauſa. Vnde Virgil.

Atque humiles habitare caſas, et figere ceruos.

Ita & à ſimilitudine celeritatis animalis cerui fugientes ſeruos ceruos appellatos, eadem ratione, docet Pomponius Feſtus. Idẽ & Varro refert *li. 4. de lingua Latina*, inquiens, Ceruos in caſtris à ſimilitudine cornuum ceruorum appellatos, quorum meminit & Tibullus *lib. 4. ad Meſſal.*

Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos.

Male enim qui legunt *neruos*, namque verbum illud *defigere*, quis non vidit neruis nomine aptari poſſe?

Cap.xvi. *Cenſores cenſum Idibus Decembrib. ſeuerius quã antea*

habuerunt, multis equi adempti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis, eos violenter accuſarat. Tribu quoque is motus, & operarius factus ad opera publica facienda. Cenſores varijs pœnis animaduertiſſe in illos, quos nota afficiebãt, legimus. Namque equum adimebant quandoque, ſcilicet quem ei è publico in bellicos vſus aſſignatum, habebat; vel tribu mouebant, hoc eſt, è honeſtiore tribu in minus honeſtum transferebant, vti ex ruſtica in vrbanam, vel ex ruſtica in ruſticam, quod docet Liuius, vbi de Claudio cẽſore. Nam in vrbanam tribũ transferri ignominioſum erat, vti teſtatum reliquit Plinius *li.* 18. *c.*3. præterea in Ceritum tabulas transferebant, hoc eſt, ſuffragio ſpoliabant. Ad hæc ærarium faciebant, id eſt, (ſi Pædiano credimus) nullum aliud ciuitatis ius relinquebant in cẽturia, atque adeo in tribu, quam vt pro capite ſuo æs penderent. Senatores etiam aliquos notabant, & ſenatu amouebant. Hæc tantum cenſoriæ pœnæ genera ex hiſtoriis recentiores adnotarunt. Addimus nos, hoc Liuij loco moniti, ſextum genus, quod erat operarium facere ad opera publica facienda, ſcilicet, vt pecunias ſoluerent in opera publica impendendas, hoc eſt, ſoluendas illis, quibus opus aliquod publicum faciendum locaſſent cenſores. Ita apud eundem Liuium legimus *li.* 10. ex pecunia collecta & fœneratorũ damnatione plura opera publica facta, ita & alia opera publica confecta, ex pecunia multaticia à pecuariis damnatis exacta, & *li.* 35. de mulcta quoque fœneratorum quadrigas inauratas, clypeos inauratos in Capitolio poſitos, & porticum factam extra portam tergeminam.

Eod. *Tib. Sẽpronius ex ea pecunia, quæ ipſi attributa erat, ædes P. Africani pone Veteres ad Vortũni ſignum, laneaſq; et tabernas coniunctas in publicum emit, baſilicamque faciẽdam curauit, quæ poſtea Sẽpronia appellata eſt.* Ex hoc Liuij loco patet, differentiam illam, quam Carolus Sigon. *li. Prouinciarum* 2. *ca.* 8. ſtatuit inter pecuniam attributam & vectigalem, corruere. Ait enim, pecuniam attributam fuiſſe, quæ hauriebatur ex ærario, vectigalem vero, quæ ex vectigalibus & tributis colligebatur. At hæc pecunia attributa T. Sempronio, ex vectigalibus fuit collecta; ergo non ex ærario, quod ex eiuſdem Liuij verbis elicitur, ſic ſcribentis: *Cenſoribus dimidium ex vectigalib. eius anni attributum ex S. C. à quæſtoribus, ex qua pecunia attributa T. Sempronius baſilicam faciendã curauit, quæ poſtea Sẽpronia appellata eſt.* Cæl. Rhodig. *li.* 10. *c.* 3. videtur innuere attributam pecuniã fuiſſe, quæ tributi nomine ſtatueretur, idque ex Liuio *li.* 39. ſcribente de cẽſura Catonis aſpera in omnes ordines, ornamenta & veſtem muliebrem, vehicula & mancipia æſtimentem, & his omnib. reb. terni in millia æris attribuentem. Item *li.* 1. ait: *Vnde equites alerent equos ex publica pecunia emptos, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent.* Huic ſententiæ fauere videtur Varro *libro* 5. *de Lingua Latina*, vbi ait: *Tributum dicitur à tribubus, quod in pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur.* Cic. *in pratura vrb.* inquit: *Ne diutius tenerem pecuniã attributam, profectus eſt quæſtor in prouinciam:* quæ verba exponens Aſconius, attributam pecuniam eſſe inquit, quæ in militũ ſtipendiũ de ærario à tribunis ærariis quæſtoria adnumerabatur. Hæc ſententia etſi ſpecifice ſuſtineri poſſit, tamẽ generice & vniuerſaliori ſignificatione mihi magis probatur Budæi expoſitio in priorib. Annot. *in P. ex titul. de officio quæſt.* vbi pecuniam attributã *aſſignatam* interpretatur. Nam quæ in ſtipendiũ militũ aſſignabatur, attributa dicebatur ex Cic. & Aſconio locis adductis, ita & quæ equis alendis aſſignata erat ex viduarũ cenſu, ex Liuio *attributa* appellata, ſic & quæ magiſtratibus in prouinciam proficiſcentibus aſſignabatur, attributa pecunia dicta, Cic. in Piſon. *Nonne ſeſtertium centies et octogies ex ærario ſibi attributum Romæ in quæſtu reliquiſti?* Idem Cic. Conſul ad Caninium ſcribens, inquit: *De drachmis centum millib. nihil eſt, quod in iſto genere cupiã poſſim accõmodare, omnis enim pecunia ita tractatur, vt præda à Præfectis, quæ autẽ mihi attributa eſt, à quæſtore curetur.* Attribuere enim inter cæteras ſignificationes accipitur pro aſſignare. Cic. in Anton. *Antonius mihi pecuniã attribuit:* & rurſus: *Quantique locarint, tantam pecuniã redemptori reſoluendam attribuendũ que curent:* & ad Attic. *Pueros attribue ei, quot et quos videbitur.* Et ad Qu. Fratrẽ: *Inſulæ, quæ erant à Sylla, Rhodiis attributa,* & alibi pluries. Quare hoc in loco pecuniam T. Sempronio attributam, *aſſignatam* interpretandum puto, ſicque omnem difficultatem tolli.

Cap. xix. *Et iam magnificentia creſcente notatum eſt, Ludis Circenſib. P. Cornelij Scipionis Naſicæ, & P. Lentuli Aedilium Curulium, 63. Africanas, & 40. Vrſos & Elephantos luſiſſe.* Plinius *li.* 8. *c.* 17. docet Africanas Pantheras eſſe, in hæc verba de Pãtheris ſcribens: *Senatusconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiã aduehere. contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Tribunus plebis, permiſitq; Circenſium gratia importari. Primus autem Scaurus Aedilitate ſua varias centum quinquaginta vniuerſas miſit. Dein Pompeius Magnus quadringentas decem, D. Augustinas quadringẽtas viginti.* Suet. *in Caligula, c.* 18 inquit: *Edidit & Circenſes plurimos à mane vſque ad veſperam, interiecta modo Africanarũ venatione, modo Troiæ decurſione.* Dictæ autem Pantheræ Africanæ, eo quod in Africa frequẽtes ſint, & inde in Italiam tranſlatæ, quemadmodum & *ventum Africanũ* ita appellatũ, quod ex Africa flare incipit. Horatius:

Luctantem Icariis fluctibus Africum.

Et *Gallina Africana*, quæ ex Africa ad nos conuehuntur, quarum meminit Cato *lib.* 3. *de re ruſt. c.* 4. Vocatę quoq; *Pãtheræ variæ*, vt à Plinio loco citato, ob maculas quibus ſunt conſpicuæ, vnde & *menſæ* quædam dictæ *Pantherinæ* ab eodem Anton. *li.* 13. *c.* 15. hoc eſt, varietate ciborum inſignes. Et elegantiſſime Plautus in Epid. ſcribit:

Qui varie valent caprigenum hominum non placent mihi, neque Pantherinum genus. ſcilicet homines ingenij varij & inconſtantis. Cicero ſemper *pantheras* vocauit, pręſertim *li. de nat. Deorum*, bis de illis verba faciens. Ita & Iuriſconſulti *l.* 2. *D. ad legem Aquiliam* quãuis & apud eoſdem *Panthera* genus retis ſit & aucupij, Vlp. *l.* 11. *D. de act. empt.* cuius meminit & Varro *li.* 4. *de lingua Latina*. Suidas quoque eiuſdem vocabuli fecit mentionem, licet illius ſignificatum omiſerit explicare. Græci annimal πάρδις, rete πάνθηρα dixere, voces diſtinguentes, ſicuti & res ipſæ ſignificatę diſtinguuntur.

Cap. xx. *Legati ex Macedonia quinquatris vltimis adeo expectati venerunt, vti, niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint.* Vulgatiſſimum eſt, Quinquatria fuiſſe feſta, quæ Mineruæ ſeu Palladi fiebãt, ita appellata, quod per quinque dies poſt Idus, qui inter atros connumerabantur, fiebãt, vti Ouid. 3. Faſt.

Vna dies media eſt. poſt ſiunt ſacra Mineruæ,
Nomina quæ à iunctis quinque diebus habent.

Et Varro *de Lingua Latina* 5. docet, quinquatria fuiſſe feſta Mineruæ ſacra, per quinque dies ab Idibus. Gellius libro 2. c. 21. *Quod quinquatrus*, inquit, *dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus ſit, atrus nihil.* Porphyrion enarrans illud Horat. Epiſt. 2. Epiſt. 2.

At potius puer, vt feſtis quinquatribus olim,

ſcribit, quinquatrus à quinque diebus dici, qui dies ad ferias Mineruę pertinet, propterea quod feſtæ ſolẽnitates eiuſdem Deæ per hoc ſpatiũ celebrabantur. Cic. *in Epiſt.* eleganter dixit: *Quinquatribus egi cauſam ſuam, non inuita Minerua:* & rurſus: *Ita tumultuoſæ conciones quinquatriis afferebantur.* Domitianũ Imperatorem quinquatria quotannis Mineruæ celebraſſe ſolẽnia in monte Albano ita vt & collegium ad magiſterium earũ inſtitueret, teſtis eſt Sueton. in illo, *c.* 4. Quod etiam inſigniter deſcribit Iuuenalis *Satyr.* 4. tam liber & verax, quam contra vani & adulatores Papinianus & Martialis. Nero Agrippinæ matri ſtruens inſidias, eam Baias euocauit ad ſolennia quinquatriũ ſimul celebranda, ex eodem Sueton. *c.* 34. Erant ſane toto cœlo (vt aiunt) qui quinquatrum diem vnum ſolummodo fuiſſe feſtum ex Varrone exiſtimant, ſcribente *li. de Lingua Latina* 2. quinquatrum diem vnum feſtum ſic appellatum, quod erat poſt diem quintum Idus Martij: quam ſententiam & ſequutus eſt Beroaldus in comm. loci citati, qui tamẽ vna cum aliis eiuſdem opinionis facile erroris conuincitur. Nam Sueton. *in Auguſt. cap.* 71. ſcribit: *Nos mi Tyberi quinquatrus ſatis iucunde egimus, luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium caleſecimus.* Præterea Liuius *li.* 36. ſic habet: *Interrupit hos ſermones nocte, quæ pridie Quinquatrus fuit pluribus ſimul locis circa forum incendium ortum.* quo loco *pridie quinquatrus* interpretandum non dubito, priorem ex quinquatrus diem. Sic & apud Cic. ad Attic. 9. *Fuit enim pridie quinquatrus egregia tẽpeſtas, qua ego illã vſum puto,* Gellius

namque *lib.* 19. *c.* 24. putat dictum pridie, quaſi priſtini, id eſt, priore die. Sed de hac re clarius Ouid. lib. 3. Faſt.

—Sunt ſacra Mineruæ
Nomina, quæ à iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Cauſa quod eſt illo nata Minerua die.
Altera treſque ſuper ſtrata celebrantur arena,
Enſibus exertis bellica læta Dea eſt.

Ex his quæ à Liuio ſunt dicta *vltima quinquatria*, facile colligimus, non vltimum quinquatrium, diem videlicet quintum intelligere, hęc illius verba clare demonſtrant: *Legati ex Macedonia quinquatrib. vltimis adeo expectati venerunt, vt niſi veſper eſſet, extemplo Senatum vocaturi Conſules fuerint. Poſtero die Senatus fuit, legatiq; auditi ſunt.* Hűc genuinum ſenſum verborum Liuij eſſe et ſi arbitror, nihilominus & aliam expoſitionem afferre libet huiuſmodi. Habemus ex Feſto Pompeio, *lib.* 5. Quinquatria proprium Mineruæ feſtű fuiſſe poſt Idus Martias, aliud vero feſtum quinquatrium poſt Idus Iunias, quę vocabantur *quinquatria minuſcula*, ſeu *minores*, & erat feſtum tibicinum, qui colebant Mineruam. Hinc Ouid. 6. Faſt.

Et iam quinquatras iubeor narrare minores,
Huc ades ô ceptis flaua, Minerua meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in vrbe,
Quid ſibi perſonæ, quid toga longa volunt?

Itaque *vltima quinquatria* interpretari poſſumus hæc minora vocata, quæ poſtremo tempore celebrabantur, menſe ſcilicet Iunio, ad differentiam priorum, quibus proprie colebatur Minerua menſe Martio; vtramlibet accipiat lector expoſitionem.

Cap. xv. *In quatuor vrbanas trib. deſcripſi libertini, præter eos, quibus filius quinquenni maior ex S. C. eſſet. Eos, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, cenſeri iuſſerunt. Et eis, qui prædium prædiaue ruſtica plus ſeſtertium 30. millium haberent, cenſendi ius factum eſt. Hoc quum ita ſeruatum eſſet, negabat Claudius ſuffragij lationem iniuſſu populi Cẽſorem cuique homini, nedum ordini vniuerſo adimere poſſe.*] Plures difficultates ex præſentis textus lectione emergunt, quarum prima eſt, quomodo affirmet Liuius ex Claudij ore eius ſuffragij, cenſorem non poſſe ciui cuiquam adimere, quum oppoſitum ſupra docuerimus ex Gellio & Aſconio palam id confirmantibus. Altera vero, quo pacto dixerit Claudius, libertinis adimi ſuffragij ius, & qua de cauſa. Id enim ſatis obſcurum videtur. Tertia, an libertini ſolum eſſent deſcripti in quatuor vrbanis tribubus, an & aliqui in ruſticis? Diluitur prima difficultas, quia adimere ſuffragium, dupliciter poteſt conſiderari, vno modo pro auferre ab eo, qui iam ſuffragandi ius adeptus eſſet, alio modo eſſe impedimento, quo minus qui ſuffragij ius non adiſpicatur, quum antea non habuerit. Priori modo cẽſores ius adimere ſuffragandi potuiſſe cuicunque habenti, palum fecimus ſupra, vbi de cenſoriis notis loquuti ſumus, nam eam ex referendo in Cærites tabulas, & ærariũ faciendo, id præſtare poterant Cẽſores, ſicque Gellij & Aſcanij dicta interpretenda. Secundo modo Liuij verba intelligenda: namq; Sempronius Cenſor ſtatuendo libertinos, qui prius non eſſent cenſi, cenſeri poſſe, ſi ruſtica prædia pluris ſeſtertium 30. millium haberent, excludebat quoque à cenſu illos, quibus in prædiis ruſticis minus dicta sũma eſſet; quod Claudius impugnabat, inquiẽs, id eſſe adimere libertinis ſingulis, non ſolũ qui minus ſeſtertium 30. millium, ſed & eorum ordini vniuerſo ſuffragij lationem, & illis, qui dictã ſummã non poſſiderẽt. Et ratio eſt, quia qui incenſi erant, ſuffragium ferre non poterant, quãuis ciuitatis Romanæ iure donati eſſent, & in tribu deſcripti. Quod docuit Nicolaus Gruchius inter recentiores plurimæ doctrinæ vir, *libro de Comitiis Rom.* 2. *cap.* 3. & quoque ex hoc loco cõprobari facile poteſt: & ita Cenſores poterãt adimere ius ſuffragij, hoc eſt, inhibere, quo minus quis illud conſequeretur. Ex quib. etiam facile patet reſponſio ad ſecundum obiectũ. Quod vero ad tertium ſpectat, dicimus, Libertinos homines non ſolum in quatuor tribub. vrbanis deſcriptos fuiſſe, ſed & in aliquib. ruſticis aliquando locatos. Namque Appius Claudius Cenſor anno ab vrbe condita 441. libertinos ex quatuor vrbanis in alias omnes diſperſiſſe, teſtati sũt Diodorus & Plutarchus *in Publicola*, quod quum nobiles & ingenui iniquiſſimo animo ferrent, Q. Fabios Rullianus nouem poſt annos Cenſor, iterum in quatuor vrbanas redegit, vnde Maximi nomen ab vniuerſa ciuitate obtinuit: quumq; ſubſequentium Cenſorũ incuria vel conniuentia id minime ſeruatum eſſet, L. Æmilius Papus, & C. Flaminius Cenſores anno ab vrbe condita 532. libertinos in ruſticas trib. diſperſos in quatuor vrbanas tantom reuocarunt, & eſſe voluerũt. Poſtea S. C. & hæc ſeries immutata, namque permiſſum, vt libertini, quib. filius quinquenni maior eſſet, in ruſticis cenſerentur. Poſtremo Tiberius Grachus anno ab vrbe condita 585. in ſolam Exquilinam tribum vrbanam eos redegit, quod ex hoc Liuij loco colligimus, & ex Cicer. 1. *de Oratore libro*, ſubſequentibus vero temporibus modo per ruſticas tribus libertinos deſcriptos, modo in vrbanas redactos pro dominantium in Repub. libidine, vtque libertinos eoſdem vel amore vel odio proſequantur, velut iam aliquando occaſio vel neceſſitas expoſtulabant, in hiſtoria obſeruamus. Et hæc de re hac pro nunc ſint ſatis. Illud profecto non prætermittendum, ne viri doctiſs. authoritate ſtudioſi decipiantur, haud veritati conſentaneum, qood à Carolo Sigonio, *libro de iure antiquo ciuium Roman.* 2. *c.* 14. ſcriptũ eſt ex Liuij authoritate hoc in loco, Tiberium Gracchum ſcilicet contendiſſe, omnes libertinos ab omnibus tribub. repellere; quod falſum eſſe, clare cõuincitur ex ipſius Liuij verbis, ſcribentis, ſeruatũ vt libertini, qui in quatuor vrbanas tribus deſcripti erãt, præter eos, quib. ex S. C. filius quinquenni maior eſſet, vbi proximo luſtro cenſi eſſent, ibi & cenſerentur. Nam diſceptatio præſertim Cenſorum erat, circa illos, qui non ſolum cenſi erant, vt ſuperius ſatis manifeſtum factum puto.

T. LIVIVS LIB. XLV.

CAp. xxxiii. *Cætera omnis generis arma cumulata in ingentẽ aceruũ, precatus Martem, Mineruã, Lunamque matrem, et cæteros Deos, quib. ſpolia hoſtiũ dicare ius faſq; eſt, ipſe Imperator face ſubdita ſuccendit, deinde circumſtantes tribuni militum, pro ſe quiſque ignes coniecerunt.*] Hunc locum enarrens doctiſſimus Turneb. *Aduerſ. li.* 16. *c.* 20. non *Lunam matrem*, ſed *Luam matrem* legendum contendit, alio eiuſdem Liuij loco *li.* 8. permotus. Per initia enim libri illius legimus: *Armorum vis magna, tum inter cæſa corpora hoſtiũ, tũ in caſtris inuenta eſt. Ea Luæ matri ſe dare Conſul dixit.* Hanc Luam Deam ita appellatam, inquit Turnebus, à luendo & expiando, eamque præfuiſſe luſtrationib. & luſtris, poſt cædem enim hoſtium & bellum; opus purgamentis & piaculis eſſe. Ego ſane libentiſſime, ni ratio aliter ſuaderet, eum doctiſſimo viro conſentirem. Sed quæſo vnde hæc noua Dea excogitata? quis illius ex claſſicis authoribus verba fecit? Nam in loco adducto mendũ ineſſe, mox demonſtrabimus. Fatemur gentilium Deorum innumeram farraginem, ita vt D. Auguſtinus *lib.* 4. *Ciuitatis Dei, cap.* 23. *libr.* 7. *capit.* 2. ex Varrone dixeris, ſupra triginta millia fuiſſe, & Pindarus ante illum triginta millia eſſe dixit, ſi Maximo Tyrio credimus, qui illum citat *Serm.* 1. id tamen referens ad opera & effectus diuinitatis. Verum enimuero, quomodo Liuius pene incognitam Deam ſpecifice cum Marte & Minerua nominarit, non video: quinimo rationi conſentaneum erat, vt potius eam (ſi qua eſt) in generali illa dictione, *et cæteros Deos, quibus ſpolia hoſtium dicare ius, faſque eſt*, cõprehenderet. Auget difficoltatem, qood epitheton, *matrem*, adiunxerit, quo præcipuos magnoſque Deos donauit antiquitas, non communiorib. attribuens. Ad hæc admiratione non caret, ſi hæc luſtrationibus præerat, cur ſcriptores illius non meminere, vbi de exercituum luſtratione agunt. *Armiluſtrum*, vocauit Varro *li.* 4. *Lingua Latina*, ex quo Plutarchus *in Romulo*, & Liuius ipſe *li.* 1. Dionyſius Halycar. *li.* 4. ſcripſere, cur in claſſium expiatione; cuius Liuius *li.* 39. & Appianus meminit *lib.* 5. *bel. ciuil.* Nec in togi militaris luſtratione, de qua Virg. lib. 11. Æneid.

Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Coniiciunt igni, galeas enſeſque decoros.

Cur, inquam, in huiuſmodi militaribus expiationibus ſcriptores de Lua Dea ne verbum quidem fecere? Vtrobique itaque Liuium matris Lunę verba feciſſe crediderim, mendumq; ineſſe potius *lib.* 8. quam *li.* 45. impreſſorum incuria,

Digitized by Google

qui pro litera *n*, clementum *u* facile ſuppoſuere. nam characteres vtranque literam exprimentes, conſimiles maxime ſunt, ſique inuertantur, alter alterum repręſentat. Lunam vero iure matris attributo donatam conſtat, quippe quæ ſublunarium omnium generationi & incremento opem ferat. Vnde non immerito Ariſt. *lib. de Animalib.* ſcripſit, Lunæ naturam perſimilem videri naturę terræ, quam magnam matrem dictam alibi docuimus. Ait Turnebus, *Quid attinet arma in honorem Lunæ comburi?* At ipſe ſciat velim, in re militari maximum Lunæ vſum, nec contemnendum iuuamen plerunque in rebus bellicis eam pręſtitiſſe. Cōmuniora omitto, particolaria exempla aliquot adduco, ex antiquorum hiſtoria excerpta. Germani in prælio ineundo religioſi Lunam nouam obſeruabant, tradente Plutarcho *in Iulio Cæſare*. Ipſemet Liuius, de cuius dictis agitur controuerſia, quot bellicas inſidias ſilente Luna patratas, quæ itinera ea perlucente noctu facta recenſet? *Lib.* 32. vbi de T. Quinctio ſcribit: *Nocte iter fieri iubet, et pernox forte Luna erat.* At audiamus, quæ magis ad diuinitatē accedunt exēpla. Idem Liuius *li.* 44. hæc habet: *C. Sulpitius Gallus Tribunus militum ſecundæ legionis, qui prætor ſuperiore anno fuerat, Conſulis permiſſu ad concionem militib. vocatis, pronunciauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda vſque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe, id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri ante, & prædici poſſe. Itaque quemadmodum quia certi Lunæ Soliſq; et ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcentē, cornu exiguo fulgere Lunam, non mirarentur, ita ne obſcurari quidem, quum condatur vmbra terræ, traherent in prodigium non debere. Nocte, quam pridie Nonas Septembris inſecuta eſt dies, edita Luna cum defeciſſet, Rom. militibus Galli ſapientia prope diuina videri. Macedonas, vt triſte prodigium, occaſum regni, perniciemque gentis portēdens mouit; nec aliter vates: clamor vlulatuſque in caſtris Macedonum fuit, donec Luna in ſuam lucem emerſit.* Pergit deinceps Liuius pugnam deſcribere, & Romanorum victoriam. Sed audiamus & Tacitum, *lib. Annal.* 1. vbi de ſeditione Pannonicarum legionum: *Noctē minacem, & in ſcelus erupturum fors leniuit. Nam Luna claro repente cælo viſa langueſcere, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſperéque ceſſura quæ peragerent, ſi fulgor et claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumque concentu ſtrepere, vt ſplendidior obſcurior ve lætari aut mœrere, at poſtquam ortæ nubes officere viſui, creditamque conditam tenebris, vt ſunt mobiles ad ſuperſtitionem percalſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora auerſari Deos lamentantur.* Et paulo poſt: *Tam redire paulatim amor obſequij, omittunt portas, ſigna vnum in locum principio ſeditionum congregata, ſuas in ſedes referunt.* Itaque parumne momenti in bellicis reb. Lunæ numen eſſe dicemus? an potius iure hoſtium arma, ſicuti Marti & Mineruæ, Lunæ cōburi debuiſſe non negabimimus? Ergo vt ipſiſſimis Turnebi de Luna prolatis verbis vtar, iſtam Lunam Deā capite foras præcipitem agendam puto, & in hos penates reuocandam Lunam matrem; quæ tempeſtates præuidere, & præcauere quoque milites doceat: quæ terras ſatiaret, accedens corpora impleat, abſcedens inaniat, frontes quoque ac pabula iouet, & tandem in omnia illius vis penetret, ita vt recte Plinius *lib.* 49. *c.* 99. eam mundi ſpiritum appellauit.

T. LIVIVS LIB. LVII.

Militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum ſit menſtruum. ac ſeptenos vallos ferre cogebat, ægre propter onus incedenti dicebat: quū gladio te vallare ſcieris, vallū ferre deſinito.] Vallum in primo caſu pro monimento caſtrorum obſeruamus, quamuis & aliquando in eadem ſignificatione & caſu eodem *vallus* legatur. Tibull. lib. Eleg. 1. Eleg. 2.

Non arces non vallus erat.

Cæſar li. 3. bel. ciuil. *Vallus contra hoſtem in altitudinem pedum decem.* Fiebāt antiquitus valli ſeu munimenta caſtrorum nōnumquam ex terra & ceſpitibus, vti ex Liuio colligimus lib. 25. *Circumſpectare atque agitare Dux cœpit, ſi quo modo poſſet, vallum circum inijcere, ſed erat adeo nudus tumulus, & aſpero ſoli, vt nec virgulta vallo cædendo, nec terra ceſpiti faciendo*, & quæ ſequuntur. Plinius li. 35. cap. 14. *Hinc & ceſpitum natura, caſtrorum vallis accōmodata.* Et de eadem re plura Vegetius *li.* 3. *ca.* 8. Fiebant & nonnunquam valli lapidum congeſtis molibus. Sic Carthaginenſes ſaxis vndique circa, ex propinquis vallibus congeſtis vallum auxerunt, tradente Liuio *li.* 28. Philippus quoque Macedonum Rex lapidum congerie, vt pro muro eſſent, præmuniuit caſtra, apud eundem Liuium *li.* 31. & pariter Antiochus *li.* 36. arborib. obiectis, & quandoque vallum cōſtitutum legimus *li.* 6. poſt principium, vbi de vallo Volſcorum. Et *lib.* 25. *et* 31. vbi de Philippo Macedonum Rege. Ex militum haſtis hoſti obiectis veluti vallum quandoque factum legimus apud eūdem authorem *li.* 36. Eodem pacto Cic. in Piſ. Alpium montes aduerſus Gallorum aſcenſum tranſgreſſumque *vallum*, dixit. Conſtruebāt pariter antiqui caſtrorum munimentum ſeu vallum, ex palis ſolo infixis inuicē adhærentibus & conexis, qui & ipſi valli appellati. Sic palum, cui vitis alligatur, *vallus* dictus. Virg. 1. Georg.

Exacuunt alij vallos, furcaſque bicornes.

Et iterum:

——*Et vallos primus ſub tecta referto.*

Et 2. eiuſdem:

Quadrifidaſque ſudes & acuto robore vallos.

In hac ſignificatione accipiendam valli vocem hoc in loco, non dubito, dum ait, Scipionem Africanum coegiſſe ſingulos milites ſeptenos ferre vallos, hoc eſt, palos acutos, quib. conficiendis caſtrorum munimentis, quum opus eſſet, vterentur, & humo infigerent. Eodem modo & Cic. in Tuſcol. *ferre vallum* dixit: & Epiſt. 6. ad Att. *Vallum Lucillianum*, Satyricum carmen appellauit, quo ceu vallo id eſt, fuſte Lucillius homines male afficiebat, ſeu verberabat.

FINIS IN LIBRVM DONATI.

Digitized by Google

EXCERPTA E T. LIVII DECADIB.

MORALIA, POLITICA, ET HISTOR. CVM ALIIS LATINORVM ET GRÆCOR. SCRIPTORVM LOCIS ET ECLOGIS COLLATA, ORD. ALPHABETIC.

FED. MORELLI PROFESSORVM ET INTERPRET. Reg. Decani Opera ac ſtudio.

ACTIVM promontorium (XLI. I.) de hoc promont. & Actiaco bello. conſule octauum Thema lib. II. de Thematib. Occidentis, hoc eſt Europæ, Imp. Conſtantini Porphyrogenetæ, Leonis F. quod opus ἀξιόλογον, & ſcitum, ante aliquot annos vtraque lingua edidimus cum Notis noſtris, pag. 79. & ſeq. Ineo Them. inſcripto NICOPOLIS. quę XII. vrbium Metropolis fuit, iuxta Actiū condita à Cæſ. Aug. Euſebio authore in Chron. Auguſto VI. Agrippa II. Coſs. Nicopolitanis ſic acclamare mos fuit; Νὴ τὴν Καίσαρος τύχην ἐλεύθεροί ἐσμεν. *Per Cæſ. fortunam liberi ſumus.* Ludos porro Actiacos πενταετηρικοὺς ab Auguſto inſtitutos fuiſſe Strabo memorat, & Euſebius loco laudato notat. Scitam vtique rationem inſtitutæ celebrationis πενταετηρίδος Indictionis decennalis Aug. hîc Conſtant. velut variam fimbriam venoſto limbo atteait, non alienam ſanè à Ioſephi hiſtor. obſeruatione ad Epocham Actiacę victoriæ, cum ſcribit XIV. annos detrahendos eſſe ab annis Imperij Aug. vti ij per quos ſolus imperarat, diſcernantur ab ijs quos cum Antonio communicauit. quandoquidem anno XV. Imperij Aug. & Ant. Auguſtus vicit Antonium; μεθ' ἣν αὐτὸς μόνος ἐκράτησεν. Horat. l. IV. Car. XIV. *quo die* Portus Alexandrea *ſupplex, Et vacuam patefecit aulam, Fortuna, luſtro proſpera tertio, Laudémque & optatum peractis.*

Imperijs decus arrogauit.

XXIV. 6. f. *Adoleſcens Rex obnoxius adulatorib.*] Plutarchus in Alexandro M. qui ab Anaxarcho philoſopho aſſentatore, in conſolatione ſuper cæde Clyti, ita faſcinatus eſt vt *mens recta qua ſtare ſolebat Antea, dementi fueris labefacta ruina.* Et hiſtoricus noſter, poſt Polybiū, (quem auctorem minimè ſpernendum iure aſſerit) [XXIV. 46. p.] de Hieronymo Hieronis F. plane degeneri perhibet ab hac peſte Principum ita profligatum eſſe, vt ſcelere abſtineret nullo.

III. I. *Proinde idem Adoleſcentiæ ferociam ſibi ipſi exitioſam* expertus eſt, vt Liuius quoque teſtatur. III. I. ſic famoſi exitioſique fuere Dionyſocolaces. & ἐκολάκευε, apud Iſocrat. in orat. περὶ εἰρήνης.

II. 18. f. *Adoleſcentia agnoſcitur, non ſenibus.*] Ratio huius aſſertionis ab Homero exhibetur Iliad. III. his verſibus.

Ὁπλοτέρων ἀνδρῶν αἰεὶ φρένες ἠερέθονται.
Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.

Quiſque ſolet iuuenum huc animum, modo diuidere illuc:
At quibus adſuerit Senior, ſimul ante retróque
Proſpiciet, quò vtriſque optatior exitus adſit.

Inde illud Plauti in Aulul. *Senex in occipitio quoque habet oculos.* Adi Plutarchum in tract. *An ſeni adminiſtranda Reſp.*

XXXIX. Ibidem, *vrbibus captis parcebant Macedones, quo haberent imperium opulentius.*

D. I. c. *Ætati puerili etiam captis Vrbibus parcitur.* Catullus in Epithalamio Heroico.

Heſpere qui cœlo fertur crudelior ignis,
Qui natum poſſis complexu auellere matris.
Quid faciant hoſtes capta crudelius vrbe?

Atqui Hebræi optimo, mitiſſimo propèque diuino Duce ac Legiſlatore accuratè inſtructi, non tanta vſquequaque in pueros humanitate indulgentiáque vſi videntur, ſiquidem interdum ita iuſta perciti ne mingenti quidem aduerſus parietem parcebant. proinde Dauid ipſe clementiſſimus gentis Iſraëliticæ Rex merito Nabali refractario, immorigero verſanoque ſubdito ſuo ſuccenſens, ita comminatur, 1. Reg. c. XXV. apud LXX. interpretes, εἰ ὑπολειφθήσεται τοῦ Νάβαλ ἕως φωτὸς τοῦ πρωὶ οὐρῶν πρὸς τοῖχον. *Non remanebit ad diluculum meiens contra parietem.* quæ formula loquendi Hebraica tanquam parœmiaca præſe fert ſubitam grauiſſimámque internecionem, quæ ne ætatulæ quidem innoxiæ, & iniuriæ obnoxiæ (vt idem Liuius alibi loquitur) ignoſcat; cuius character fuit, οὐρῶν πρὸς τοῖχον. Sed cum prouectiores vetpæ dimittebant ſe meiendo more mulierculatum noſtratium; vt memini audiuiſſe à μαγίστρῳ Gil. Genebrardo Collega quondam meo eruditiſſ. & horum ſituum peritiſſ. proinde affinis vtique eſt illa Dauidis comminatio illi quam Virg. Ioui ſuo excandeſcenti tribuit, *Tros Rutulusve fuat, nullo diſcrimine habebo.* Ceterum Lucretius lib. IV. docet Romæ paſſim in angiport. amphoras, ſeu dolia curta, hoc eſt, fracta, meiendi cauſa fuiſſe diſpoſita ad vſum vulgi, ac puerorum potiſſimum, vt ex ſcitis verſib. his patet.

Puſi ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta,
Somno deuincti credunt attollere veſtem,

Totius humorem ſaccatum corpori, fundant.

xxxix. 53. p. *Ætatis maioris filius prælatus in Regno, ætati minori.*] Homerus xv. Iliad. hoc quaſi oraculare Ioui ſuos fratres alloquenti adſcribit, πρότερος γενεῇ καὶ πλείονα οἶδα. *Natu maior ego, ſcio. quàm vos. pluraque multo.* vide infrà Lemmate, *Ius primogenituræ.*

1.35.p. *Ambitio Regnantem ſequitur.*] *Tarquiniũ Priſcum, virum cætera egregiũ ſequuta, quam in petẽdo hab...erat, etiam Regnantẽ, ambitio eſt.* Thucyd. l.111. histor. ſcribit. φιλοτιμίαν ἀγήρω μόνην εἶναι. *Ambitionem ſolam ſenij expertem eſſe.* Euripides in Phœnicibus Iocaſtam inducit liberos ſuos Eteoclem & Polynicem ab Ambitu Regni dehortantem, tanquam à peſſimo dæmone. Δαιμόνων κακίστης ἐπὶ ἡ φιλοτιμία. Apud Naſurũ Poëtam Li.t. Faſt. vna ſunt *leuis Ambitio perfuſaq; Gloria fuco.* Plato aſſerit Ambitionem, ἔσχατον εἶναι χιτῶνα ψυχῆς. Poſtremam eſſe tunicam, quam animus homanus exuit.

xxx. 3. p. *Amoris ſatias in vxore ex multa copia.*] Hinc Philo Iud. in Legat. ad Caium ſcribit. βέβαιον οὐδὲν τῶν ἐν ἔρωτι φίλτρων εἶναι διὰ τὸ τῆς πλησμονῆς ἀψίκορον. *Nihil firmum ac ſtabile eſſe amuletis, quæ in Amore ſunt, ob citam affectas ſatietatem.* Plautus in Moſtellaria, Sc. *Iampridem. Stulta plane, quæ tibi illum æternum putes fore amicum ac beneuolentem: Moneo ego, te deſeret illa ætate, & ſatietate.* Et hæc & illa ex hoc Homeri ver. Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος.

Cunctarum eſt ſatias rerum, ſomniq; et Amoris.

Cui congruit illud Pindari Odes 11. Epodo vlt. αἶνον ἔβαν κόρος. hoc eſt, *Laudi tædia adhærent.* Veruntamen, vt ait autor noſter. Lib. 4. p.257. a. *Animus pro fortuna.*] Idem innuit Hector Homer. Il. 13. ſuo Polydamanti. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Auſpicium eſt vnum patriam defendere fauſtum.*

sv. 13. p. lib. 4. D. f. *Animus humanus inſatiabilis eò quod Fortuna ſpondet.*] Demoſt. in Olynthiacis.

ARMA *foris quàm domi feliciora potentioraq; eſſe.* Demoſthenes in Olynth. & Philipp. paſſimque id deprædicat, & Libanius Soph. Tomi 11. Orat. viii. ad Iul. Imp. Cos. pag. 231. editionis & verſionis noſtræ.

D. 4. l. 1. *Armis tutari aliena.*] Ex Philippi Reſponſo ad Achæos: *Ita æquum eſt ne veſtra meis armis tutari, ne mea interim nudentur præſidiis.* Heſiodi parœmiacum hemiſtichium hoc ſpectat, ἔγγιον γόνυ κνήμης. *Genu ſura propius,* & Rom. adag. Tunica pallo propior. Item vetus Senarium Græc. Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Tullius *Nequicquam ſapit qui ſibi ipſe non ſapit.* Plutarch. in tractatu de dignoſcendo adulatore ab amico, laudat aliud Iambicum metrum Atticum, prouerb. conſonum. Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. *Alijs medetur, quem cicatrices grauant.*

D. 4. l. 1. 35. p.] *Athenienſes.* (In bello quod cum Philippo, haudquaquam digna cauſa, contra Xerxem gerebant) *ex vetere fortuna nihil præter animos ſeruabant.* Idem de Mileſiis hoc Trimetro Gr. celebratum, Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι. *Olim fuere ſtrenui Mileſij.*

Liu. Dec. 6. 2. AVDACIA. *Potius fero quàm nunquam obuiam eundum Audaciæ temeritatique.* Euenus antiquiſſ. Epigrammatographus ab Ariſtot. citatus, Audaciam conducibilem à temeritate diſtinguit hoc inſigni diſticho.

> Ἐν σοφίῃ μὲν τόλμα ἔχειν μάλα σύμφορόν ἐστιν.
> Ἄλλως δὲ βλαβερὴ καὶ κακότητα φέρει.

hoc eſt, vt olim verti,

> *Expedit in virtute Audacia; ſi modus abſit,*
> *Ingentem noxam perniciemq; feret.*

Lib. 1. f. 90. D. AVLICORVM *Officium.*] Ex Tarquinij ſententia eſt, *obſequio & obſeruantia in Regem cum omnibus, benignitate erga alios cum Rege ipſo certaſſe.* Seneca Epiſt. LXXIII. *Ii quibus ad propoſitum bene viuendi altum confert ſecuritas publica, neceſſe eſt autorem huius boni, vt parentem colant, &c.* adi Salloſtiũ, in Iugurthæ & Marij concionib. eiuſdem argumenti eſt Chionis, Platonis diſcipuli Epiſt. aurea ad Clearchum. quam Græce & Lat. ex verſione noſtra iampridem typis Reg. edidimus. Conſule etiam Libanij Soph. Orat. 11. To. 11. quæ inſcribitur Baſilicus: & eiuſdem Apologiam Ariſtophanis Corinth. pag. 202. & ſeq. eod. To. editionis & verſionis noſtræ.

B.

L. ix. b.] *Belli adiumenta plurimum in Bello pollere videntur, militum copia & virtus ingenua Impp. Fortuna per omnia humana maximè in res bellicas potens.* Demoſthenis hîc fidus & elegans interpres fuit Liuius. vt ex his verbis conſtat principis Orat. Attic. Olynth. 1. μεγάλη ῥοπή, μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα.

PA. 65. b. *Bellum infelix.*] *Romani infelix Bellum ignominioſæ Paci præferebant.* Nempe quia pax ignominioſa, vt cum Barbaris & fœdifragis, *non eſt pax, ſed pactio ſeruitutis,* vt ait Tul. 1. Phil. alioqui *pax vel iniuſta vtilior eſt quàm iuſtiſſimum bellum in ciuib.* vt idem ſcribit 1. offic. Ceterum *infelix bellum quodnam eſt? Niſi quod Neſtor apud Homerum*] lib. Iliad. ix. appellat, ἐπιδήμιον, ὀκρυόεντα, ciuile & horrendum? quod qui appetit, ab eodem vate indigitarunt Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, *inhumanus, ex lex, et ſine lare.*

Bellum non impetu potius quàm perſeuerantiâ geri.] Platonicum Apophthegma grauiſſimum eo pertinet, & iure à Libanio orat. Antioch. laudatur in orat. de ſua vita, pag. 15. to. 11. A. ex edit. & verſione noſtra. τὸ τοῦ Πλάτωνος προσθεὶς, ὡς ὑπ' ἀνδρῶν οὐ ποτε ἐγείρεται ἀθυμούντων τρόπαιον. *Trophæum nunquam erectum iri à viris puſilli animi ac deſperantib.* Idem Liban. in Epitaphio II. Imp. Iul. pag. To. 2. edit. noſtræ πόλεμον ὑπὸ σοφίας κρατούμενον. bellũ à Sap. iuuari. καὶ μείζω γε φέρει ῥοπὴν βασιλέα, βουλεύοντα ἢ μαχόμενον, ἢ μαχόμενον. proinde maius afferre momentum Regem conſilium dantem, quàm dimicantem.

PA. 99. *Beneficia non exprobranda apud memores ſunt.*] (Ex Camilli concione) Plautus, *Qui memorem monet eius quod memor meminis, ex memore facit immemorem. Soſ.* Terent. in Andr. *iſtæc commemoratio, Quaſi exprobratio eſt immemoris Beneficij.* Maro Ecl. 111.

Parcius iſta viris tamen obijcienda memento.

XLV. 42. f. *Beneficia gratuita eſſe Pop. Rom. pretium eorum malle relinquere in accipientium animis, quàm præſens exigere.*] αἰτιολογίαν affert Sen. l. iv. de ben. c. x. *Non eſt beneficium, niſi quod ratione datur; Quoniam Ratio omnis honeſti comes eſt.*

C.

Ciuem regere arduum eſt.] *Adeo excellentibus ingeniis citius defuerit Ars qua regant ciuem, quàm qua hoſtem ſuperent. Solon legiſlator in Elegis, artem qua ciuem regat pulcre indicat his verbis.*

> ταῦτα διδάξαι θυμὸς Ἀθηναίους με κελεύει,
> Ὡς κακὰ πλεῖστα πόλει δυσνομίη παρέχει.
> Εὐνομίη δ' εὔκοσμα καὶ ἄρτια πάντ' ἀποφαίνει.
> Καὶ θαμὰ τοῖς ἀδίκοις ἀμφιτίθησι πέδας..
> *Hoc eſt, vt iamdudum verti.*
> *Fert animus pia Cecropijs dare ciuibus orſa;*
> *Vt malo multa vrbi lex labefacta ferat.*
> *At bona lex ornata et congrua cuncta miniſtret*
> *Sæpeq; peruerſis nectere amet pedicas.*

VI. 5. fetin. 16. xxv. Clamor. Bell.] *Incertus clamor prodidit pauorem animorum.* Clamoris alacritas ac conſonitas in prælio, index fere exitus felicis aut infelicis. Homerus 111. Ili. init. de Troianis.

> Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὥς.

Hinc Vir. Æn. clamórque virûm: vt Idem Hom. ibid. de Achiuis ſilentium præferentibus clamori.

> Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί.

L. 11. p. *Cognitio rerum.*] *Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum: omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monimento intueri: inde tibi tuæq; Reip. quod imitere capias. inde fœdum inceptu: fœdum exitu, quod vites.* Polybius in præfat. hiſtoriæ, his Liuianis clariſſimam facem præfert his potiſſimum verbis, Ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν, ἐναργεστάτην δὲ μόνην διδάσκαλον τοῦ δύνασθαι τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν, hoc eſt, *veriſſimam quidem inſtitutionem eſſe, ac præparationẽ ad capeſſendam Rempub. doctrinã illam, quæ ex hiſtoria paritur. magiſtram vero vnicam, eamq; præſtantiſſimam, vt poſſis ali-*

quis fortaſſe mutationes generoſè ſufferre, alienorum caſuum commemorationem: palam eſt, non iam conuenire cuiquam, vt rectè aliis, & quidem multis, dicta reponat: omnium vero minime nobis.

I. t. P. 18. h. *Cognitio nulla breuior, quàm inter Patrem & filium; paucisque transfigi verbis poteſt.*] Hoc Turnium Herdonium dixiſſe ferunt.

Tarquinius monitus à proximis vt purgaret ſe quòd id temporis veniſſet, Diſceptatorem ait ſe ſumptam inter patrem & filium, curâ reconciliandi eos in gratiam. Nonne huc pertinent quæ B. Paulinus Conſularis poëta ſcribit 1. Ep. Iemb. ad M. Auſonium, *Poſſum tibi Non exhibere, id eſt patri; Cui cuncta ſancta iura, cara nomina, Debere me voluit Deus?*

I. III. *Concordia ciuilis cura.*] ὁ πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοια. Ariſtidi Cyzic. de Concordia ad ciuitatem.

Liu. *Miles, millencies grauiores quàm Macedonum et Alexandri aueris auertetque, modo ſit perpetuus, huius qua viuimus pacis amor, & ciuibus cura concordiæ.*

Idem Ariſtid. alio ſerm. de eadem conc. ad Rhodios. περὶ ὁμονοίας οὐδεὶς πώποτε ἠμφισβήτησε, τὸ μὴ οὐ μέγιστον εἶναι τῶν ἀγαθῶν τῶν πόλεων. (hoc eſt, vt olim expoſui.) *De concordia nemo vnquam dubitauit, nec in controuerſiam vocauit, quòd maximum non eſſet bonorum in vrbibus.*

Ad Concordiæ vinculum ſpectat etiam quod Euſeb. l. x. Ecc. hiſt. ſcribit, *Conſtantinum Imp. aduerſus Cæcilianum & ſocios eius, primum conſtituiſſe, vt res conuictorum, & vnitati pertinaciter reſiſtentium, fiſco vindicarentur. B. Auguſt. Ep. 48. ad Vincent. Nonne ſalubriter* (inquit) regula temporalium moleſtiarum excutiendi erant, vt, tanquam de ſomno lethargico emergentes, *in ſalutem vnitatis euigilarent?*

Cetera his admodum appoſita ſuppetet Aur. Prudentius in carm. phychomachiæ: de Concordiæ & diſcordiæ pugna.

D.

L. v. D. 1. *Dei Cultus.*] Ex Camilli concione. *Inuenietis omnia proſperè eueniſſe ſequentibus Deos, aduerſa ſpernentib.* Eandem ſententia hoc verè Heroico verſu exprimitur ab Homero Iliad. I.

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.
Sicut quiſque Deo paret, Sic numen adeſt huic.

Apud eundem Ili. x. Phœnix ita Achillem hortatur ſequi Deos placatos hom. στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοὶ
τῶν περ καὶ μείζων ἀρετὴ, τιμή τε βίη τε. *Superi placantur & ipſi Quorum virtus maxima, gloria viſque perennis.*

Dei patientia.] Liu. in concione leg. Rhod. *Etiam Deos aliquis verbis ferocioribus increpuit, nec ob id quemque fulmine ictum audiuimus.* Homerica ſentẽtia ſuperiore firmatur. vnde etiam illud Peligni vetis, *Si quoties peccant homines ſua fulmina mittat Iupp. exiguo tempore inermis erit.*

XXX. 42. f. *Deos Periurij teſtes et vltores.*] Ex hoc Fabij Cos. dicto. *Quoram id perfidia et periurio fiat, Deos nunc teſtes eſſe, mox fore vltores.* Et paulu poſt: *Si periurio gaudeant, Deos magis iratis quàm hoſtibus geſturos bellum.* Agamemnon Homeric. IV. Il. Menelaum à Pandaro fœdifrago ſaucietum ita ſolatur.

Οὐ μέν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον αἷμά τε ἀρνῶν,
Σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ᾗς ἐπέπιθμεν.
Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
Σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι, γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Quibus plane conſentanea enunciat, vt fidus interpres principis Poetarum Ageſilaus Rex Lacedæm. apud Xenophontem, non procul ab exordio orat. de eod. Ageſ. *Præſtiterat Ageſilao ſacramentum Tiſſaphernes, ſi ſecum inducias pangeret, donec nuntij quos ad Regem mitteret, reuerſi eſſent: ſe impetraturum ipſi, vt oppida Græci nominis in Aſia ſui iuris et libera eſſe permitterentur. Ageſilaus ab altera parte iurauerat, ſeruaturum ſe inducias ſine fraude, tribus menſibus ad eam rem conficiendam definitis. Verum Tiſſafernes iuſiurandum præſtitum mox violauit. Nam pro eo, quod pacem ſe confecturum pollicitus erat, ingentes copias arceſſebat à rege, quas cum iis coniungeret, quibus iam ante vtebatur. Has tametſi animaduerteret Ageſilaus, nihilominus in ſeruandis induciis perſtitit,* ἐμοὶ τοῦτο πρῶτον καλὸν δοκεῖ διαπράξασθαι Ἀγησίλαος (ἔφη ὁ Ξεν.) ὅτι Τισσαφέρνην μὲν ἐμφανίσας ἐπίορκον, ἄπιστον πᾶσιν ἐποίησεν. ἑαυτὸν δ' ἀντεπιδείξας, πρῶτον μὲν ὅρκους ἐμπεδοῦντα, ἔπειτα συνθήκας μὴ ψευδόμενον πάντας ἐποίησεν καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους θαρροῦντας συντίθεσθαι ἑαυτῷ, εἴ τι βούλοιτο. Quibus oſtenditur à magno Duce & Hiſtoriographo Ageſilaum hoc feciſſe præclere videri, quòd dum Tiſſaphernem periurum eſſe declararet, ſuſpectam eius apud omnes fidem reddidiſſet. Contra, dum ſe conſtanter ſacramento confirmata ſeruare demonſtraret, & fœdera minime violare, perfecerit vt omnes iam Græci quàm Barbari, fidentibus animis, cum eo fœdus inirent, ſi quod ei viſum eſſet inire. Tum vbi Tiſſaphernes elatus ob eas copias, quæ à Rege deſcenderant, bellum Ageſilao denuntiaſſet, niſi Aſia exceſſiſſet: cæteri quidem ſocij cum Lacedemonijs, qui aderant, omnino ſe angi declarabant: quod Ageſilaum minores in præſentia copias habere putarent, quàm quæ apparatui regio reſponderent. Ageſilaus autem hilari admodum vultu renuntiare legatos Tiſſaphernis iuſſit, habere ſe magnam ipſi gratiam, quod periurio Deos ſibi quidem infeſtos reddidiſſet, Græcis vero belli ſocios. Ἀγησίλαος μάλα φαιδρῷ τῷ προσώπῳ ἀπαγγεῖλαι τοῖς παρὰ Τισσαφέρνους πρέσβεσιν ἐκέλευσεν, ὡς πολλὴν χάριν αὐτῷ ἔχοι, ὅτι ἐπιορκήσας αὐτὸς μὲν πολεμίους τοὺς θεοὺς ἐκτήσατο, τοῖς δ' Ἕλλησι συμμάχους ἐποίησεν.

Seuerus Imp. in conc. ad exercitum, monet quàm graue ſit εἰς ὅρκον ἀσεβῆσαι, hoc eſt impie iuſiurandum violare, L. II. D. De iureiurando. §. ſi quis iurauerit in re pecunieria per genium principis, dare ſe non oportere, & peierauerit: vel dari ſibi oportere: vel intra certum tempus iurauerit ſe ſoluturum, nec ſoluit. Imperator noſter cum patre reſcripſit, fuſtibus eum caſtigandum dimittere: & ita ei ſuperdici, προπετῶς μὴ ὀμόσῃς, id eſt, petulanter *ne iurato.* Lege grauiſſimam ea de re epiſtolam x. libri VIII. ad B. Petri Damiani Moricum legum doctorem, in qua prodigium inſeritur de pœna peierantium. *Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.* Proinde, *imprimis periuria vita.*

G.

Gallorum mores.]

Galli, gens eſt vaporis, cineris, pulueriſque intolerantiſſima, humoriſque ac frigori aſſueta. Libanius de Francis ſcribit in Epitaphio λόγῳ Iuliani Imp. pag. 278. a tom. 2. editionis & verſionis Morellianæ, θερμοῦ τινὸς ὡς ἡδονὴ χιών τε καὶ ἄνθη. *Francis æquè amœna ſunt nix et flores.*

Græcorum gentis nota.]

Græc. gens *lingua magis ſtrenua, quàm factis.* D. 1. l. 8. Ludouicus Imp. & Rex Italiæ, Regis Francor. fil. id exprobrat in Epiſtola ad Baſilium Imp. de Græc. auxiliaribus ad Beneuent. quam inſeruimus notis noſtris ad lib. 2. Conſtantini Porphyrogen. de Thematibus orientis. pa. 93. & ſeq.

Hyemis elogium.] *omnium bellorum terra marique quies* Libanius in Epitaphio Iul. Imp. pag. 278. a. 2. Tom. ex edit. & verſ. Morelliana. τῶν πολέμων χρόνος ὁ χειμὼν μόνος, παρ' οὗ καὶ σπονδῶν ἄνευ τύχοι τις ἂν ἴσως ἀναπαύσεως. ac conciliationum tempus, hyems ſola à qua etiam abſque fœderibus obtinere quis forſitan quietem poſſit.

Honorum effectus.] *Magnos animos magnis honoribus fieri.* Libanius in orat. funebr. ſuper Iul. pag. 278. D. 2. To. ex edit. & verſ. Morelliana. Τιμαὶ αὔξουσι τὴν προθυμίαν τῶν ἀγαθῶν. *honoribus augere alacritatem proborum & fortium.*

Ius, & iuris iniquitas.]

Minorem ruborem fore in iuris iniquitate, quàm ſi per indignitatem patrum viri domi militiaeque ſpectati præterirentur.

Ius vnde dictum ſit à Romanis, & quam etymologiam veram habeat monuimus luculenter in diſſertatione quam publice olim enunciauimus in ſecundum de legibus Marci Tullij, quam eruditi minime aſpernati ſunt, quin ſuffragio ſuo approbarũt. Hæc eiuſmodi fuit. hoc vocabulum à Græcanica origine deriuatum videri, nimirũ à dictione *ἰὸς*, quæ ὀξύνεται· hoc eſt accentu in vltima, *telum* ſiue *ſagittam* denotat. Ecquis autem inficias iret; Ius armamentarium eſſe &

πανοπλίαν, ac promum condum omnium telorum, iaculorum, haſtilium, miſſilium, ſagittarum aduerſus omne genus iniquitatis, ſceleris, flagitij, impietatis; & in alia eiuſmodi monſtra, portenta & exitia generis humani.

L. iv. Genus faſtidiendum non eſt.] In concione Canuleij, *Dum nullum faſtiditur genus, in quo eniteret virtus, creuit Imp. Romanum.* vbi τὸ γένος vſurpari videtur, pro εὐγένεια. apud Euripid. in Phœniſ. εὐγένειά σ' ἦρεν εἰς ὕψος μέγα. *Clarum genus te in altitudinem extulit.* matri filius ita obloquitur, τὸ γένος οὐκ ἔβοσκέ με. *Nobil. genus me non alit.*

L. 2. 31. f. 24. 5. *Gloriæ contemptus.*] Gloria ſpreta in tempore, interdum cumulatior redit; ideo ab eruditis viris Crocodilo ſimilis dicitur, quia fugientes proſequitur. affine huic dicto eſt apud Terent. *pecuniam negligere in loco lucrum eſt.*

xxiv. 8. m. Gubernaculi difficultas & vſus.] *Quilibet nautarum vectorúmque tranquillo mari gubernare poteſt, vbi ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento nauis, tum viro et gubernatore opus eſt.*

Libanius in orat. funebri maiore (pag. 282.) de Iul. Imp. κἂν στρατηγὸς πάντων ἄριστος, κυβερνήτης μεγάλης νεὼς ἐστερημένος ναυτῶν. tametſi quis peritiſſimus ſit exercitus dux; idem ex-
„periretur atque gubernator magnæ nauis, qui nautis careret, &c.

Baſilius mag. in homil. de fame & ſiccitate. pag. 414. c. *edit. Morelli.*] ἐν λιμῷ καὶ αὐχμῷ κυβερνήτην ὁ χειμὼν, καὶ τὸν ἀθλητὴν τὸ στάδιον δοκιμάζει. *Gubernatorem tēpeſtas & Athletam ſta-
„dium explorat.* Sen. de diu. prouidētia, Gubernatorem in
„tempeſtate, in acie militem intelligas. huc refer ſenarium Tragici Gr. ὠδῖνα τίκτει νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ. *Canto gubernanti parit nox noxiam.*

R.

Regis ſeu regentis mores] D. 1. l. 5. *Multitudo ſemper fermè regenti eſt ſimilis.* Sic Herodianus 1. Hiſt. φιλεῖ πως ἀεὶ τὸ ὑπήκοον ζήλῳ τῆς τοῦ ἄρχοντος γνώμης βιοῦν. hoc eſt, *Subditi amant vtique ac fere ſemper æmulatione mentis ingeniique principis vitam agitare.*

L. 1. & 11. Regis commoda.] *Regem hominem eſſe, à quo impetres vbi ius, vbi iniuria opus ſit; eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio, & iraſci & ignoſcere poſſe: inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe.* Ariſtoteles xi. primæ philoſophiæ, ſeu τῶν μετὰ τὰ φυσικά, Regium & Monarchicum ſtatum alijs præſtare tum rationib. grauiſſimis, tum Homeri autoritate probat Iliad. 2. εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βασιλεύσῃ.

L. 11. *Regna, res inter Deos hominesque pulcherrima.* Cùm *Henricus* Magnus, IV. nom. Rex Chriſtianiſſ. tumultibus ſedatis, pace Regno reddita Lutetiam metropolim ſuam reuerſus eſſet, & apparatu comitatúque regifico exceptus, in Auditorio Regio, magno clariſſimorũ virorum, literatorum & ſtudioſorum conuentu, hanc Liuianam Periocham conciſam & Laconicam illam quidem, ſed ſenſus Luculentiſſ. illuſtrare, ac de Maieſtate vtraque diuina & regia, diſſerere vtcumque κατὰ δύναμιν aggreſſus ſum, non ſine applauſu.

ORATIO DE MAIESTATE DIVINA ET HVMANA.

HABITA A FEDERICO MORELLO PROFESS. REG. IN AVDITORIO REG.

AD ILLVSTRANDAM LIVIANAM Periocham de Regno.

QVOCVMQVE in hunc iucundiſſimum cœtum oculos côucio, AVD. orn. ex omnibus profeſſion. ordinibus, ætatibus, nationibus, gradibus, lectiſſimos optimóſq; intueor, voſq; omnes tùm corporibus, tùm animi, ingeniiq; dotibus pulcherrimos, eo ipſo iudico quòd rei pulcherrimæ audiendæ gratiâ huc conuenisse videamini. Enimuero cùm res omnium fœdiſſima & acerbiſſima, quam *ἀναρχίαν* Græci vocant, Latini peruicacem ac pertinacē inobedientiā erga reges, *monſtrum horrendū, informe, ingens, cui lumen ademptum*; æquiſſimū profecto fuit vt idem oſtentum *πειθαρχία*, obedientia imperantibus præſtita, quam fœlicitatis matrē *εὐπραξίας μητέρα* Æſchulus Tragicorum princeps nuncupat, vt à re omnium præclariſſima ſuperaretur. Equidem veſtrum neminem eſſe arbitror qui non celeberrimo Theognidis Poëtæ antiquiſſimi verſui maxime ſuffragetur, quem ille Vates Solonis coæuus in immortalium ipſorum ore verſatum fuiſſe canit Ὅτ. τι καλὸν φίλον ἐστὶ τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Quod pulchrum charum eſt, non ſunt deformia chara.

„ Etenim Non omnes eadem mirantur amantque: imo alia aliis habentur pulchra & honeſta. *ἄλλα δ' ἄλλοις καλά*: *Vnde trahit ſua quemque voluptas.* Veruntamen præclarum eſt vt Artabanus ille Perſa Themiſtocli dicebat, *τὰ οἰκεῖα κοσμεῖν καὶ σώζειν.* ea colere, ornare & conſeruare quæ domi in precio ſunt. quid vero mirum eſt ſi vobis hoc bellum argumentum acciderit in quibus Philologiæ germana ſoror *φιλοκαλία* pulchri amatrix, mirabiles iamdudum amores excitauit ſui: cùm præſertim nullum aliud animal præter hominem pulchritudinem, venuſtatem ac dignitatem acriter ſentiat. Ne quis tamen *φιλοκάλων* tacitè conqueri poſſit, quod vadimonia differre vel etiam deſerere induceretur, tam illecebroſo iucundæ *ἀκροάσεως* programmate: ad huius quæſtionis politicæ optimo quoque digniſſimæ tractationem: opus nunc mihi eſſet maximè regali ſapiētia, quàm Solon legiſlator Perſis concedebat ad tantæ maieſtatis pulchritudinem vobis ob oculos ponendam, vel animis potius inſerendam: nec vero eſt quod audiendi auidiſſimos, Muſarumque amantiſſimos obſecrem, tantiſper lingua dormire & vigilare auribus, dum veræ pulchritudinis cubile indagare conor. At voſmet quibus ſunt Muſæ faciles, meditatio prompta, *Et memor & liquidi mel fluit eloquij*, æquanimitate & beneuolentia ſingulari, *Eſte duces ô ſi qua via eſt, curſúmque per auras Dirigite in lucos, vbi pinguem diues opacat Ramus humum.* Agedum tandem ad arcem excelſam rei *inter Deum & homines pulcherrimæ* accedamus.

Romanæ pater hiſtoriæ refert Tarquinios pulſo Superbo: cùm ad Lartem Porſenam Cluſinum Regem perfugiſſent, eum inter alia monuiſſe, Ne orientē morem pellendi „ Reges multum ſineret: ſatis libertatē ipſam habere dulce- „ dinis, niſi quanta vi ciuitates eam expectant; tantâ Regna Reges defendant: æquari ſumma infimis; nihil excelſum, nihil quod ſupra cætera emineat in ciuitatibus fore: adeſſe finem Regnis, rei inter deos hominéſque pulcherrimæ. Ageſis an hoc regium Regni encomium *ἀξιομνημόνευτον*, verè & Romanè, an fictè & aſſentatoriè dictum ſit expendamus. *an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?* Adeóne excelſo vertice ſedet Imperatoria ſeu Regia maieſtas? Auſcultemus quid ingenioſo poetæ Peligno ſuperea te Polymnia Muſarum antiquior dictauerit.

Poſt Chaos, vt primùm data ſunt tria corpora mundo.
Inque nouas ſpecies omne receſſit opus.
Pondere terra ſuo ſubſedit; & æquora traxit:
At cœlum leuitas in loca ſumma tulit.
Sol quoque cum ſtellis, nulla grauitate retentus,
Et vos lunares exſiluiſtis equi.
Sed neque terra diu Cœlo, neque cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honor.
Sæpe aliquis ſolio, quod tu Saturne tenebas,
Auſus de media plebe ſedere Deus.
Et latus Oceano quiſquam Deus aduena iunxit:
Tethys & extremo ſæpe recepta loco eſt.
Donec Honor, placidoque decens Reuerentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris,
Hinc ſata Majeſtas; quæ mundum temperat omnem;
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora: conſedit medio ſublimis Olympo
Aurea purpureo conſpicienda ſinu,
Conſedere ſimul Pudor & metus: omne videres

Numen ad hanc vultus compoſuiſſe ſuos.
Protinus intrauit mentes ſuſpectus honorum:
Fit pretium dignis: nec ſibi quiſque placet:
Hic ſtatus in cœlo multos permanſit in annos,
Dum ſenior fatis excidit arce Deus.
Terra feros partus immania monſtra Gigantes
Addidit auſuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atque ait, In magnos arma mouete deos.
Exſtruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Iouem,
Fulmina de Cœli iaculatus Iuppiter arce
Vertit in auctores pondera vaſta ſuos:
His bene Maieſtas armis defenſa Deorum,
Reſtat, & ex illo tempore culta manet.
Aſsidet inde Ioui: Iouis eſt fidiſsima cuſtos:
Et præſtat ſine vi ſceptra tenenda Ioui.
Venit & in terras: coluerunt Romulus illam,
Et Numa: mox alij, tempore quiſque ſuo.
Illa patres in honore ſuo, matreſque tuetur:
Illa comes pueris, virginibuſque venit.
Illa datos faſces commendat, eburque curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.

Hæc facondiſſime loquente pictura, vt ποίησιν vocabat Simonides, duplex vobis propoſita eſt maieſtas, è quibus aſſi-
,, det illa Ioui: hæc venit in terras. Illa verè diuina eſt inter
,, ſuperos, cui quicquid audiri vel videri vel ſciri poteſt non
,, conuenit, & ſupra cætera eminet. Vt D. Cyprianus, qui eum præclariſſ. doctrinæ laurea, martyrij quoque palmam adiunxit, eleganter ſcribit; cuius aurea quoque hæc ſententia refulget. *Niſi ad vnum cuncta reſpicerent, diſcordia & infirmitate turbata voluerentur in Chaos, et repugnarent & colliderentur in ſe diſcordes materiæ, niſi omnibus effectoris autoritas imperaret, et vnius Monarchia poteſtatis, vniuerſitatis cauſas & efficientias ordinaret.* Propterea, vel ex Ariſtotelis ipſius autoritate, natura, vita & actus omnis ad vnum hoc caput & diadema gloriæ, ad hanc, inquam, diuinæ Monarchiæ ſummam refertur. Huc æterno cœlorum Regno quod gloria, gratia & iuſtitia decoratur (quod vt adueniat, procedat, agnoſcatur & colatur ab omnibus aſſiduis precibus expetũt θεοδίδακτοι) quid pulchrius, quid beatius dici aut excogitari poſſet? *Regnum carens morte & vacans fine* (*inquit auguſtiſſ. Doctor Auguſtinus*) *cui nulla tempora ſuccedunt per æuum, vbi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus*: vbi cæli ipſius ſignorum admirabilis ordo, immutabiliſque pulchritudo ſpectantes ſemper ad ſe rapit. vbi victor Athleta (*qualis B. Ludouicus Francorum Rex Sanctiſſ.*) donis ineffabilibus cumulatur, *Nobile perpetua caput amplectente corona.*

Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, Solemque ſuum, ſua ſidera norunt.

Hoc eſt ἀπιμάτων τὸ κάλλιστον. quod Pietati Philo Hebræorum eloquentiſſ. tribuis bonorũ omnium pulcerrimũ. iam vero nonne maieſtas ipſa Regia diuini Imperij imago eſt, vt Artabanus Perſa apud Herod. li. 7. Themiſtocli dixit, εἰκὼν θεοῦ σοῦ τὰ πάντα σώζοντος. Regnumq; ipſum diuini Numinis miniſterium eſt? vt grauiſſimos auctor Plutarchus in Numa, βασιλείαν θεοῦ ὑπηρεσίαν nominat. Eſt enim regnum (vt Pythagoricis inſignibus placuit, res ſincera. χρῆμα ἀκήρατόν τι καὶ δυσθεώρητον καὶ ὑπερτάτου καὶ δυσέφικτον ἀνθρώπῳ. maxime diuina, & difficilis acceſſu. τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι. *Hic honor à ſummo Ioue miſſus.* inquit Homerus, qui Reges etiã διοτρεφεῖς. quaſi Dei alumnos prædicat. Idem de ſacra Monarchia præclare canit ex Ariſtot. ſententia, l. xi. de Sapient. εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας. *Rex vnus ſit, ſceptra dedit veneranda que iura Iuppiter.* Nimirum Antiqui omnes reges & imperatores in Iouis procuratione & tutela eſſe cenſebant. Vnde illud, *Tibi cura magni Cæſaris fatis data.* Ecfantas nobilis Pythagoricus aſſeuerare non dubitat Regem vnicum & excellens quoddam opus eſſe ac ſimulachrũ ſuperni illius Regis, Opifici creatoriq; ſuo ſemper notum, ſubditis vero in regno tanquam lumine conſpicuum. Atqui fas nec eſt, nec fuit vnquam quicquam niſi pulcerrimum facere eum qui eſſet optimus. τῷ γὰρ ἀρίστῳ δημιουργοῦ κάλλιστον ἔργον: vt diuinus aſſerit Plato. Idem etiam Regnum texturam omnium magnificentiſſimam atque optimam nuncupat, πάντων μεγαλοπρεπέστατον ὑφασμάτων καὶ ἄριστον. Quocirca vere ac ſapienter ſcriptum eſt à Stenida Locro Pythagoricæ diſciplinæ alũno. οὐδὲν ἀβασίλευτον καλόν, οὐδ' ἄναρχον. *Nihil citra Regnum Imperiumque pulchrum atque honeſtum eſſe.* Regia nimirum adminiſtratio, ſi verum quærimus, non humanitatis vſquequaque eſt, ſed magna ex parte diuinitatis. Nec temerè Cleo Alexandri M. cultor apud Curtium Maieſtatem Imperij, ſalutis eſſe tutelam pronunciat. quandoquidem ad verum Regem pertinet ea gubernandi ratio quæ legibus atque armis ſalutem & pacem eorum tueatur & conſeruet qui ſe ac ſua omnia in tutelam ipſius tradidere. Duæ vero præcipuæ ſunt artes Regiæ, *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos: pacique imponere morem*, &c.

Regiæ item virtutes à Xenophonte appellantur quæ efficiunt, non modo vt peccare inutile pernicioſumque ſit, ſed etiam vt rectè facere ſit fructuoſum, cùm præmia bonis ac fortibus proponuntur. quæ quidem omnia niſi pulchra ſunt, nõ video quid pulchrum diuinis & humanis rebus eſſe poſſit. Iuſtitia virtutum omnium domina & Regina, Deliaco veteri epigrammate pulcherrima celebratur κάλλιστον τὸ δικαιότατον. Sed nonne hæc Regiæ Maieſtatis indiuulſa comes eſt εὐνομία ſoror eius quæ bonarum legum conſtitutioni & obſeruationi præeſt. Adde quod vtriuſq; nominis tam Græci καλοῦ, quàm Latini (pulchri) notatio nulli rei potiori iure tribui & aſſignari poteſt, quàm regiæ Maieſtati. Nam Græcorum eruditiſſ. ac ſapientiſſ. (inter quos eſt Dionyſius Areopagita verè magnus) cenſuerunt τὸ καλὸν ductum eſſe ἀπὸ τοῦ καλεῖν πρὸς ἑαυτό; quòd oculos tam corporis quàm animi ad ſe alliciat aduocétque, hoc ipſo quòd pulchri partes inter ſe omnes cum quodam lepore conſentiant. Grammaticorum etiam Latinorum principes τὸ *Pulchrum* à Græcanica quoque origine deduxerunt, quæ Atticis eſt τὸ πολύχρουν, quo vocabulo deſignatur quicquid varietate rerum ac coloris amœnitate elegantiáque perplacet. Ecquid autem regia forma præclarius, auguſtiúſque; quid hominum omnium oculos atque animus proborum magis ad ſe conuertit attrahitque quàm Rex, qui eadem amicitia beneuolentiâque populis ditioni ſuæ ſubditis coniunctus eſt, quã Deus opt. Max. Mundo pulcherrimo, quem *per duodena regit ſol aureus aſtra*? quid porro ad diuinam illam pulchritudinem propius accedit, quàm βασιλεὺς ἀγαθὸς καὶ ἐπιεικὴς ἰθύνων. *Rex clemens & ſeruantiſſimus æqui*? Hæc cum ita ſe habeant, nos Galli, nos Franci inter alias olim gentes φιλοβασιλεύτατοι Regum noſtrorum φιλόβασιλοι amantiſſ. ni, ſaltem imitemur apes *Queis pars eſt diuinæ mentis, et hauſtus æthery: quæ æſtate ſerena Floribus inſidunt varijs, & candida circum Lilia funduntur.* Proinde *vigilemus* cũcti in vota precéſque pro Rege noſtro Chriſtianiſſ. LVDOVICO XIII. qui ſanctiſſ. atauorum veſtigiis inſiſtens, pulcherrima ac præſtantiſſima Regum cognomina Heroica ſua virtute meritiſſimo ſibi vindicare poteſt, IVSTI, PII, PATRIS PATRIÆ, opt. feliciſſ. vt tanto Rege incolumi mens omnium Maieſtati eius θεοσδόται ſubditorum, vna & æquanimis eſſe perſeueret. ϕάρκηι.

[*Pag. ſuper. col. 1. li. 9. lege,* acerbiſſ. ſit, q.]

Digitized by Google

Res humanæ, priuatæ & publicæ.]

XLV. 7. Rerum humanarum mutationis exemplum inſigne in Perſei R. Maced. captiuitate, hac περιπετείᾳ hiſtoria illuſtrantur, quæ à Libanio orat. narratur in ſerm. ἐπιταφίῳ ſuper Iuliano, depugnarum aduerſus Barbaros euentu ſub Duce Iul. Imp. pag. 277. editionis & verſ. noſtræ, in venatu palantium per inſulas, manus iniecerunt in principem virum Max. & pulcerrimum, atque omnium ad ſe oculos conuertentem, corpore, geſtu apparatuque: atque hoc quidem ſol opus intuitus occidit. Iſtum vero ductorem, cum Rex ad reddendas rationes eorum quæ auſus erat attentare, redegiſſet: quandiu quidem illi adhibuit ſanæ & generoſæ mentis rationes; princeps eum in admiratione habebat. Verum cum ſubmiſſa generoſis primis ſubiunxiſſet; metuens de vita, ac memor ſalutis, nulla quidem ipſum affecit pœna, neque vinxit, verecundatus præſentem fortunam, & cogitans quantum potuiſſet vna dies: αἰδεσθεὶς τὴν ἄρτι τύχην, καὶ λογισάμενος ὅσον ἰσχύει ἡμέρα μία. quæ his L. Æmil. Pauli monitis reſpondent: *ideo in ſecundis reb. nihil in quemquam ſuperbe ac violenter conſulere decet, Nec præſenti credere fortunæ, cùm quid veſper ferat incertum ſit. Is demum vir erit, cuius animum nec proſpera flatu ſuo efferet, nec aduerſa infringet.*

p. 361. f. 240. *Res priuata.*] Ex Annib. concione. d. 3. l. x.
„ extremo: Tantum nimirum ex publicis malis ſentimus,
„ quantum ad priuatas res pertinet: nec in eis quicquam
„ acrius, quàm pecuniæ damnum ſtimulat. Maximianus apud Herodianum l. 7. in hanc ſententiam, ait φεύγων ἕκαστος τὸν ἴδιον κίνδυνον, τοῦ κοινοῦ ἀμελῶς ἔχει. *Vnuſquiſque periculum proprium fugiens, publicum neglectui habet.*

V.

Veritatis laus.]

Lib. III. *Vera pro gratis loqui interdum neceſſitas cogit*] *à Quintij concione. Solon legiſlator* carpẽs Æſopi dictum adulatorium, quo affirmabat ὡς ἥδιστα, id eſt, ſuauiſſima principibus pronũcianda, ὡς ἥκιστα ad eos accedendũ: verius prudentiuſq; commonefaciebat, ὡς ἄριστα, hoc eſt, optima & veriſſima Regibus eſſe proponenda, ὡς ἥκιστα aut minime conueniẽdos eſſe. Libanius in funebri orat. ſuper Iuliano Imp. Tom. 2. p. 265. πάντα δ' ὁ μέγεθος ἐμβαλὼν ὕδωρ, αὐτοποιήσας εἰς τὴν ψυχὴν τὸ τῆς ἀληθείας κάλλος, ὥσπερ εἴς τινα μέγαν ναὸν, ἀγάλματα θεῶν ἱδρυσάμενος βωμόν. *Verum* à Latinis vſurpatum veriloquium certum obtinet ab Attica & Homerica voce ἐτεόν. vnde compoſitum etiam ἐτήτυμον ab eodem Homero primo Iliadis: quandoquidem veritas grata omnibus mẽte præditis eſt, & amœna propriedici poteſt ab Hebraico vocabulo AMVNA, quæ veritatem deſignat: inde etiam à Lyrico poëta Lat. Verum accipitur pro æquo & iuſto, hoc verſu:.

Peccatis veniam poſcentem reddere verum eſt.

L. 1. *Verecundia ac miſericordia militem condecet.*] Homerus Iliad. X.

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται.

Sæpe verecundi fugiunt diſcrimina belli.

L. 4. *Virginis cultus amœnior ſuſpectus.*] Poſtumia veſta-
„ lis de inceſtu cauſam dixit, crimine innoxia, ob ſuſpicio-
„ nem propter cultum amœniorem, ingeniúmque liberius
„ quàm virginem decet, parum abhorrens famam. Grego-
„ rius Nazianſenus elegantiſſimum carmen Græcum ſcripſit
„ in fucantes ſe fœminas, quòd primi Latinis verſibus elegis expreſſimus tom. 2. operum eiuſdem.

L. XXXXI. Voti publici religio.]

Licinius Pont. Max. negauit ex incerta pecunia vouere deberi poſſe, rectiuſque etiam eſſe pontifices decreuerunt.

Voti nominis notationem veram à Græca dictione [illegible] deducendam eſſe docuimus in poëmate inſcripto VOTVM, quod hic ſubiecimus, Clariſſ. & eruditiſſ. viro GVL. DESLANDES in Suprema Curia Senatori conſecratum.

VOTA.

CHRISTIADES Muſæ, queis nunc potiora ſuperſunt
Vota, fauete mihi communia vota canenti.
Tuque adeo decus huius æui, lumenque Senatus
DESLANDÆE, pias grata cape mente Camœnas:
Sint maiora licet grauioráque munera cordi.
Optima Mæonio celebratur Vate Litarum
Progenies ſummo Ioue nata. huic Vota Preceſque Il. ix.
Et Pietas comites, Atéque, Timorque, Padórque:
Gratius at Votum eſt, gemina quod fronte decorum
Et compar Iano, Theocleto diua Proſeuche
Felici genuit partu, Eucholénque ſororem,
Non procul Edeni ſemper vernantibus hortis.
Vt primum in dias venerunt luminis oras,
Erectos ambo tollunt ad ſidera vultus. Gen. 1. 2.
Sponſores hominum pactiſ fideique ſacratæ,
Et placare Deum gaudent, veniámque rogare,
Spem quoque reſtituunt certam mortalibus ægris.
Omnibus hinc templis notiſſima Vota fuere:
Et facis infelix & nuncupat illa beatus.
Supplicis inſontiſque Deus vota audit aperta,
Optima ſæpe idem præcurrit vota bonorum.
Profuit vt multis pia ſanctè reddere vota, Plin. x.
Obfuit incautis etiam ſe adſtringere votis. Ep. ad Traj.
Soluere vota quidem eſt hominum, ſignare Deorum. Idem l. 8.
Præcipuus votis locus eſt, vbi nulla manet ſpes. H. c. 16.
Quis non vota inter miſeri obliuiſcitur aui?
Innumera haud ſtarent ſine Voto Templa, nec vlla
Tam pretioſa forent ipſis donaria templis.
Concipiunt ciues pro Regis Vota Salute.
Vota ſequens in luſtrum quinquennalia Conſul
Suſcipere antiquo Romanus more ſolebat: Liu. l. 31.
Quiſque itidem Votum ſcriptum, chartaque notatum,
Et conſignatum cera, figebat in ipſis
Diuorum genibus, gratam ſperando ſalutem. Iuu. S. x.
Cùm prius hauſiſſet puro de gurgite lymphas. Vir. Æ. ix.
Sunt priuata aliquot, ſunt & ſolemnia vota:
Hæc ſi quis temnat, vindex modo Noxa ſequetur.
Atridæ voto perducta eſt claſſis Achiuûm
Votis neglectis ruitura ad Pergama Troia.
Ex voto Jephthæ victoria contigit ingens,
Hammonem aduerſus ridentem Vota piorum. Iud. 11.
Eſt voti compos qui vicit: victus at impos.
Votum infœcundos præſtanti prole parentes
Efficit: haud verò iuuat hic memorare prophana.
Iſaacum obtinuit poſtquam vouiſſet Abramus.
Sampſonem validum tribuerunt vota Manoe. Gen. 21.
Ob votum, Samuel ſterili conceditur Anna. Iud. 13.
Anna Ioakimi peperitque, vouendo Mariam. 1. Sam. 1.
Zakaria natus Ioannes poſt ſacra vota.
Votiui nati gratiſſima pignora Diuis. Luc. 1.
Rebus in aduerſis ceſſare in votis cauendum.
Obſidione graui pia liberat oppida Votum.
Vrbs Conſtantini hoc & Martia Roma fatetur.
Innumeraque alia fama ſuper æthera nota.
Accidit ex voto quicquid, ſuauiſſima res eſt.
Ei votiua auro ſplendebat ſyllaba Delphis. Plut. in
Vix quiſquam ſatur eſt voti, nec opum, nec honorum. op. mor.
Votis optanda eſt mens ſana in corpore ſano.
Hæc rata vota magis, quæ ſunt moderata, putantur.
Æquanimos inter voto bene viuitur vno. Auſon. in
Nos vtinam votis tandem damnemur honeſtis, Conſ.
Ferrea gens ceſſet: ſurgat mox aurea Mundo.

FINIS.

PARISIIS,

Apud IOSEPHVM COTTEREAV.
SEBASTIANVM CHAPPELET.
IACOBVM QVESNEL.
DIONYSIVM MOREAV.
Viâ Iacobæâ.

ET

SAMVELEM THIBOVST, in ambulacro Palatij.